

IOANNIS GUILIELMI STUCKII

ANTIQUITATUM CONUIUIALIUM LIBRI TRES
et
SACRORUM SACRIFICIORUMQUE GENTILIUM
DESCRIPTIO.

JOANNIS GVILIELMI STVCKII
TIGVRINI
OPERVM
TOMVS PRIMVS,
CONTINENS
ANTIQVITATVM CONVIVIALIVM
LIBROS TRES,
SIVE
HEBRAEORVM, GRAECORVM, ROMANORVM, ALIARVMQVE NATIONVM CONVIVIORVM GENERA, MORES, CONSVETVDINES, RITVS, CERIMONIASQVE CONVIVIALES,

atque etiam alia explicita, cumque iis, quæ apud Chriſtianos, & alias gentes à nomine Chriſtiano alienas, in uſu ſunt vel fuerunt, collata.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JACOBUM HACKIUM.
AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM & VIDUAM THEODORI BOOM.

M DC XCV.

Amplissimo, Spectatissimo & Consultissimo

VIRO,

D. JOHANNI VAN DEN BERGH

REIPUBLICÆ LUGDUNO-BATAVÆ

SENATORI,

AC

ILLUSTRISSIMIS ACADEMIÆ CURATORIBUS

A SECRETIS.

Quum multæ & gravissimæ causæ mihi, Opera hæc denuò typis describenti, persuaderent, ut tibi potissimùm, Vir Præstantissime, sacra ea facerem; una certè me causa consilii aliquatenus incertum reddidit: verebar scilicet, ne, dum tibi hoc modo placere gestirem, vel maximè displicerem, ac non gratâ tibi ratione officiosus viderer. Eum enim te esse probè intelligebam, qui non superciliosus, sed verecundans, à quolibet laudis ac elogii aucupio animum haberes alienissimum; atque adeò qui forte non sine rubore nomen tuum frontispicio hujus libri inscriptum fores adspecturus. At verò dum consideratiùs hanc verecundiam tuam intuerer, tantum abfuit, me propterea proposito destitisse, ut præterquam de plurimis aliis, hac utique præcipuâ de causâ typographicum hunc fœtum nostrum tibi nuncupaverim. Quoties autem, Amplissime Senator, totam domum tuam cogito, quoties Amplissimum Parentem tuum dulcissima memoria recordor & veneror, toties plurima benevolentia, officia & merita, cum mihi, tum ca-

rissimis fratribus meis præstita, animum subeunt, ac sempiternas gratias exigunt: quas quamquam exsolvere nequeo, me tamen debere, nunquam non profitebor. Jam bene de me meisque mereri, qui generosissimè juxta ac fœlicissimè Majorum tuorum in reliquis omnibus vestigia insequeris, tu quoque non minori studio, minusque candido affectu pergis: & dum Urbis hujus, Academiæ, ac omnis Reipublicæ optimam de te spem impleturum te, imò superaturum, jam dudum spondere visus es, mihi quoque officiosissimam voluntatem tuam quotidie testatam facere, meritorumque vinculis me tibi quasi adstringere non desistis. Cui benevolentiæ dum ex æquo respondere mearum nequaquam sit virium, publicum hoc qualecunque gratissimi in te animi monumentum exstare cum pace tua volui

Nomini ac meritis tuis
addictissimus

JACOBUS HACKIUS.

TYPO-

TYPOGRAPHI

BENEVOLO LECTORI

S. P.

NON malè nos de Republica literaria existimavimus esse merituros, si illius quondam principes docto orbi facilius fruendos largiremur; hoc est, si eruditissimorum virorum scripta, in paucorum manibus versantia, rarissimeque comparanda, ope typorum nostrorum uberiore copia publico exponeremus. Quod dum cogitamus, nescimus quàm opportunè clarissimi Tigurini, GVILIELMI STVCKII utrumque, & de antiquitatibus convivialibus, & de sacrificiis opus sub prælum revocavimus: certè qui singularem in his scriptis reconditam πολυμάθειαν noverit, hanc operam nostram non nisi bonæ humaniorum studiorum frugi præstitam esse censebit. Ut autem aliquantilla iteratæ, quam damus, editionis ratio apud te, benevole Lector, constet, haud abs re futurum est, si ex plus quàm sexcentis aliqua, quæ in his scriptis corruptissimè ac negligentissimè erant cusa, at typis nostris restituta, subnectamus. Alterum verò ex duobus opus, de convivialibus scilicet antiquitatibus, infœlix hoc multorum optimorumque operum commune fatum subivit. Sed nec alterum de sacrificiis ab hac labe immune est; quod præterquam ex aliis, liquet ex istius operis pag. 43. ubi absque ullo sensu lin. 6. hæc verba legebantur: Cui (Carneæ Deæ) templum, pulso Tarquinio, Junius Brutus in Cœlio monte construxit, Kalendisque Junii sacrum Vesti reus fecit: pro quo vesti reus repositum est voti reus. At libri de convivialibus antiquitatibus istiusmodi παροράμασι magis sunt referti: quorum agmen ex iis quæ hîc animadvertere lubet, ducit pessima illa appellatio, qua auctor, qui de mortuorum resurrectione scripsit, indigitatur pag. 15. lin. 10. Athenæus, quum sit Athenagoras: ita pag. 30. lin. 29. citabatur Euripides in Hecate, pro Hecuba: simile est, ubi pag. 54. lin. 40. Justinus Martyr vocatus erat Justinianus Martyr. pag. 28. lin. 55. pro suis repositum fuit, ut pag. 50. lin. penult. scribente pro scribens, pro adornare pag. 26. lin. 54. onerare. pag. 62. lin. 46. in verbis Macrobii legebatur: sellam Curulem, lictor seque, emendatum est sellam Curulem, lictoresque. pag. 89. lin. 56. habebatur in Masanaim commemoranti pro commoranti. pag. 91. lin. 15. versus Homeri corruptissime ita se habebat:

Μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρο ἀπότνια μήτηρ.

qui ita restitutus est, Μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα πότνια μήτηρ.

pag. 105. in versibus qui citantur ex Juvenale, unus ita erat corruptus,

Accederet nova, si quam dabat hostia, carne.

pro Accedente nova si quam, &c. pag. 103. lin. 52. claudicabant ista: De sacrificiis atque conviviis, & ante messem, maturis jam segetibus, & peracta messe à Borussis, Lituanis & Rutenis celebrari consueverunt, vide Jo. Meletii

letii

letii epiſtolam, &c. *mutatum eſt* τὸ conſueverunt *in* conſuetis. *Porro pag.* 113. *initio, ambo illi ex Homero verſiculi, hoc modo mutili & vitioſi erant excuſi,*

Νυμφας δ' ἐκ θαλάμων ὑπολαμπομθράων
Ηγίνεον ἀνὰ ἀςὺ, πομὺς δ' ὑμθύαιος ὀρώρη,

ex quorum primo tota illa vox (ob quam tamen ſolam Auctor hos verſus citârat, quippe inde volens adſtruere faces nuptæ antiquitus præferri ſolitas) δαΐδων *elapſa eſt; in altero perperam pro* πολὺς *legebatur* πομὺς. *Nec minus negligenter pag.* 143. *lin.* 10. *locus ex Epiſtola Pauli ad Titum ita erat excuſus:* Ζηνᾶν τ νομικὸν κ Απολλὼ σπονδαίως πρόπεμψον, *&c. Quæ duo ultima verba reſcripta ſunt* σπουδαίως πρόπεμψον. *quomodo etiam in Græcis ex Ariſtophane citatis pag.* 185. *fine, pro* ὥσπερ λιζανωτὸν ἐπιθεὶς νυμθρία *reſcribendum fuit* ὥσπερ λιβανωτὸν ἐπιτιθεὶς νυμλωία. *At corruptiſſimè prorſus pag.* 171. *lin.*49. *citatus erat ex Perſio verſiculus:*

Varro regis ſtatum digito terebrare ſalinum.

qui poſt inſpectum Perſium emendatus eſt, Varro reguſtatum, &c. *Rurſus pag.* 390. *lin.*40. *ex eodem Perſio inconſideranter hæc fuerant poſita.*

Vota negato Jupiter hæc illi quamvis albata rogant?

abjectum eſt τὸ Vota, *quod ad præcedentem in Perſio periodum pertinet, & porro ita correctum:*

------ Negato
Jupiter hoc illi, quamvis te albata rogarit.

Pro αὐκέθαρτατος, *quod erat pag.* 319. *verſus finem, repoſitum eſt* αὐταρκέςατος, *uti & pag.* 509. *lin.* 39. ζηλόλυπία *pro* ζυλοτπία: *Celebris denique Homeri ille locus pag.* 635. *fine ultimo, corruptus hac ratione erat excuſus:*

Οὐ χρὴ πχιαννύον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,

quod πχιαννύον *literarum metatheſi verſum eſt in* παννύχιον.

Ab his & innumeris talibus noſtra editio non ſine magno labore fuit vindicanda. Quæ tamen omnia hîc non ad oſtentationem ſunt notata, ac ſi typi noſtri nullis iſtiuſmodi σφάλμασι *præclarum opus commaculaverint: quis enim vel accuratiſſimus in re typographica tantum ſibi adrogaret? Satis fuerit, ſedulam nos dediſſe operam, ut omni ex parte nitidius ac elegantius quàm ante opus hoc utrumque denuo lucem adſpiceret, atque ita nos aliquam gratiam apud te, benevole Lector, iniremus; quæ votorum noſtrorum ſemper fuit ſumma. Vale.*

NOBI-

NOBILITATE

DOCTRINA, PIETATE, PRUDENTIA,

OMNIQVE VIRTVTVM GENERE ORNATISSIMIS VIRIS,

CONSVLIBVS

D. DIETHOEGO RINGGIO A WILDENBERG,

& D. D. I. V.

JO. CONRADO MEYERO,

D. JACOBO ZIEGLERO,

Totique Senatui Inclytæ Reipub. Scaphuſianæ, Dominis ſuis,
Summâ obſervantiâ colendis

JOHAN. GUILIELMUS STUCKIUS

S. P. D.

QVONIAM in more conſuetudineque Reipublicæ litterariæ, antiquiſſima ſanè laudatiſſimaque eſt poſitum, ut, qui ſcripta aliqua ſua in lucem edere cogitant, illa hominibus & illuſtribus, & ſibi conjunctiſſimis ceu patronis benevolis atque fidelibus dedicent: multæ me graves ſanè juſtæque, ut mihi quidem perſuadeo, cauſæ ad haſce meas lucubrationes vobis potiſſimum, viri ampliſſimi, dedicandum, quaſique conſecrandum impulerunt. Nam primum etſi inter nos Helvetios omnes communis quædam, & quidem arctiſſima ſanctiſſimaque fœderis neceſſitudo intercedit (quam Deus pro ſua clementia contra omnium aureæ noſtræ libertati invidentium inſidiantiumque conatus quàm diutiſſime tueatur atque conſervet:) tamen cum patria mea chariſſima ſingularis quædam, & quidem antiquior vobis conjunctio fœduſque jam per ducentos fere annos extitit, mutua fide officiiſque diligentiſſimè cultum. Et certè non ita multò poſt fœdus illud cum noſtra Repub. initum, qui fuit annus domini 1345. patriæ meæ ob turbulentorum quorundam hominum conjurationem in ſummum periculum atque diſcrimen adductæ, ad hoſtes ſuos perſequendum, injurias ſibi illatas vindicandum, omneſque inſidiarum periculorumque reliquias delendum, egregiam profectò atque fidelem operam præſtitiſtis. Jam verò ut à communi illa omnium Helvetiorum, & à peculiari illa veſtra cum mea patria amicitia conjunctioneque diſcedam, Deus, cujus conſilio ac voluntate omnia fiunt, me adhuc vobis peculiari quadam neceſſitudine devinctum junctumque eſſe voluit, ita ut Scaphuſium ceu alteram meam patriam meritò mihi agnoſcendam colendamque eſſe exiſtimem. Etenim cùm & conjunx mea fidiſſima, ex veſtra ſit civitate bono honeſtoque genere oriunda, & ſororum mearum una apud vos ſit civi veſtro bonæ ſimiliter honeſtæque familiæ viro nupta (quorum majores ampliſſimis quondam veſtræ Reip. muneribus functi, omne ingenium ſtudiumque ſuum pro ſua pietate ad benè de patria ſua merendum contulerunt) hinc certè fit, ut cum multis & ampliſſimi veſtri collegii, & civitatis univerſæ viris honeſtiſſimis affinitate junctus ſim atque copulatus, atque adeo junctum me copulatumque eſſe vehementer gaudeam, magnique boni beneficiique divini loco ducam. Huc accedit aliud adhuc arctius & ſanctius conjunctionis vinculum, nempe quod ipſum maternum quoque meum Fulachiorum, Pruniſiorumque genus atque familia veſtram civitatem ceu antiquam & benignam ſuam matrem, nutricem atque patronam meritò agnoſcit, colit atque veneratur: quippe cum majoribus veſtris jam per aliquot ſæcula optimis ac fideliſſimis dignitatis, honoris, fortunarumque ſuarum omnium tutoribus & amplificatoribus uſa fuerit, & adhuc utatur, licet illorum nonnulli quaſi coloniis ex veſtra urbe deductis hinc atque illinc alias atque alias ſedes ſortiti ſint atque poſſideant. Hujuſce autem rei, ut omittam alia innumera, vel unicum ſaltem illuſtre exemplum proferam, cujus præter annales noſtros Joſias Simlerus, clarum illud patriæ noſtræ lumen, qui nunc æterno illo lumine fruitur, in Helvetica ſua Epitome luculentam mentionem facit. Nam cùm majores mei materni ex arce illa vobis vicina Lauffen ad ſuperiores Rheni cataractas (unde nomen ſuum ſortita eſt) ſita, ceu ex paternis & avitis ſuis ſedibus atque monumentis non ex jure manu conſertum (ut Ennianis illis utar) ſed mage vi atque ferro ab Alberto Auſtrio fuiſſent ejecti, eaſdem Johannes & Conradus à Fulach fratres, cum Dei beneficio, tum majorum veſtrorum opera atque conſilio occultè per inſidias recuperarunt. Quam ſanè ob cauſam cum fratres illi à

† Pere-

Peregrino Hewdorffio, acerrimo Helvetiorum hoste, Rotevilæ in jus fuissent vocati, majores vestri pro æquitate justitiaque sua vel proscriptionis fortunam subire, quàm cives suos in æquissima justissimaque causa deserere maluerunt: qua tamen proscriptione mox ob bellicam illorum virtutem, cujus illo tempore multa præclara specimina ediderunt, Sigismundi Austrii operâ sumptuque exempti fuerunt atque liberati. Sic itaque uno eodemque tempore majorum vestrorum cum fides, clementia, atque justitia in civibus suis defendendis, tum bellica virtus atque fortitudo in hostibus propulsandis, clarissimè eluxit. Vobis igitur, vobis, inquam, ceu & patriæ meæ sociis confœderatisque fidelissimis, & affinibus meis atque cognatis charissimis, & generis familiæque meæ fautoribus atque patronis clementissimis, hunc qualemcunque litterarium meum fœtum offerendum, illumque vestræ tutelæ, vestræque jam per multos annos spectatæ multis in rebus exploratæque fidei humanitatique committendum duxi. At idem porrò faciendum non levi quoque mihi incitamento fuit egregius vester litterarum disciplinarumque liberalium amor atque studium, & scientia quoque atque cognitio, qua non paucos vestræ civitatis, vestrique ordinis atque collegii excellere novi. Plato, ut multa alia, præclarè sanè sapienterque dixit, illas demum florere ac beatas esse civitates, quas aut philosophi regerent, aut qui regerent, philosopharentur. Hanc divini illius philosophi, quem Cicero philosophorum Deum appellavit, vocem veluti oraculum sapientissimum Marcus Antoninus & philosophus, & Imperator Romanorum celeberrimus in ore semper habuisse, crebrisque sermonibus usurpasse fertur, ut testis est Julius Capitolinus: qui etiam, eodem teste, tanto philosophiæ amore flagravit, ut ad Imperatoriam dignitatem evectus, tamen illius studium minimè abjiceret, sed Apollonii domum discendi causa frequentaret, præstantissimorum quorumcunque philosophorum familiaritate uteretur, cumque illis potissimum omnia publica privataque consilia communicaret. Non sermone igitur solùm, verùmetiam exemplo suo præclaram illam Platonis sententiam comprobavit, quippe cum illo rerum potiente, ac justè sapienterque imperante, Romanum Imperium in optimo fuerit ac florentissimo statu. Idem porrò multorum quoque aliorum regnorum atque Rerumpub. exemplis probari potest: quas tunc maximè floruisse constat, quando illis viri philosophiæ præceptis institutisque abundantes præfuerunt. Testis est Respub. Judaica, quæ tandiu fœlix fuit atque beata, quandiu illam administrarunt viri sacrarum litterarum, legumque, ceu veræ solidæque philosophiæ, studiosi atque periti. Testis est prima illa mundi monarchia Chaldaica, quæ tunc maximè opibus potentiaque floruit, quando illius clavum tenuit Nabuchodonoser ille & re & nomine Magnus: in quo quantum philosophiæ studium extiterit, vel inde patet, quod multos pueros Judæos atque Chaldæos omni doctrinarum disciplinarumque genere diligenter erudiri atque institui curavit, ut illorum postea opera in Imperii sui administratione tantò commodius atque fœlicius uteretur. Tantam vir ille sapientissimus vim atque momentum in litteris Reipub. fœliciter regendæ omnibusque bonis cumulandæ, positum esse judicabat. Testis est Persarum monarchia, quæ & ipsa tunc fœlicitate maxima usa est, quando illius Reges magiæ, hoc est, philosophiæ maximè fuerunt dediti. Testis præterea est tertia illa mundi monarchia, quam Alexander ille Magnus fundavit atque instituit, brevique temporis spatio incredibili opum divitiarumque accessione auxit & amplificavit: quo etiam extincto illa Imperii moles statim labascere, & ad occasum interitumque suum inclinari cœpit. At qualis ille quantusque vir fuit? Omni doctrinarum genere, ut historiæ loquuntur, instructissimus, quibus Aristoteli facile tunc temporis omnium philosophorum principi, cujus disciplinæ à Philippo patre & Rege commissus fuerat, operam dedit. Hanc illius ardentissimam inexplebilemque, qua flagrabat, literarum sitim nulla negotia, nulla bella, quæ brevi tempore gessit maxima & gravissima, extinguere potuerunt. Homeri Iliada, quam rei militaris viaticum appellabat, assiduè lectitavit, illiusque poëtæ scriptis (quæ plurima vitæ morumque documenta utilissima continent) tantopere fuit delectatus, ut sub pulvino posita semper in promptu haberet, dicere crebrò solitus disciplinis se malle, quàm divitiis & opibus excellere. Et cum expugnata quadam urbe capsa aurea, pretiosissimis gemmis distincta, illi oblata fuisset, nihil pretiosius ea recondendum quàm Homeri poëma putavit. O utinam hodie Christiani reges, principes atque magistratus sacra illa veteris novique Testamenti volumina, in quibus vera perfectaque philosophia, optima ac saluberrima non hujusce modò vitæ bene fœliciterque degendæ, & Reip. fortiter sapienterque administrandæ, verùm etiam æternæ illius vitæ adipiscendæ, præcepta continentur, tanti facerent, tantoque studio lectitarent, quemadmodum illis faciendum esse Deus in lege sua præcepit, ut Deuter. 7. scriptum est. Ponticum præterea regnum tunc temporis opulentissimum ac potentissimum extitit, quando Mithridates ille post Alexandrum, uti à Cicerone appellatur, Maximus, plurimarum gentium victor atque domitor illius gubernacula tractavit. Is autem, si historiis fides est adhibenda, XXII. gentium, quæ illius imperio erant subjectæ, linguas ita calluit, ut cum earum hominibus non minùs scitè, quam si inde fuisset oriundus, loqui potuerit: & cùm Musicæ, aliarumque disciplinarum, tum Medicinæ inprimis peritissimus fuit, à quo etiam primò veneni antidota feruntur fuisse inventa, inter quæ unum nobilissimum ab illo *Mithridatium* fuit denominatum, quod nomen etiamnum retinet. Quid dicam de Rep. Thebana, quæ quandiu Epaminondæ (qui Lysis Pythagorei discipulus fuit) viri rebus bellicis, multiplicique artium cognitione clarissimi consiliis usa est, tandiu libertate, omnique fœlicitatis genere floruit: illo è vivis sublato, libertatem statim suam rursus amisit, ita ut gloriam Thebanam cum Epaminonda natam, cumque illo mortuo rursus extinctam fuisse Xenophon testis locupletissimus scripserit? Quid dicam de Rep. Atheniensi, quam totius Græciæ, imò Asiæ lumen verissimè appellare possumus? An non Solon, admirandum illud doctrinæ eruditionisque exemplum, illam primùm optimis legibus institutisque fundavit atque instituit? An non omni illo tempore, quo Minervæ (unde etiam denominata fuit) hoc est, doctrinarum omnium fidelissima

cultrix

cultrix extitit, laude, gloria, potentia, omni bonorum fortunarumque genere cumulatissima fuit? Denique (ut, unde sum digressus, ad Remp. Romanam, quam omnium Rerumpub. reginam atque dominam meritò quis dixerit, quasi in orbem redeam) an non constat ex omnibus historiis Africanos, Lælios, Furios, Fulvios, Metellos, Catones, Lucullos, Cicerones, aliosque innumerabiles viros optimarum artium studiis excellentes maximo illi quondam adjumento ornamentoque extitisse? Quid dicam de Imperatoribus Julio Cæsare, Augusto, Vespasiano, Severo, Claudio, Aureliano, Probo aliisque similibus, Antonino, Trajano, Hadriano, quos doctissimos fuisse constat, qui quidem eandem mirum in modum auxerunt, & amplificarunt? Unde Senatus Ro. in Curia Tacitum Cæsarem hujusmodi fausta acclamatione fertur prosecutus: *Quis melius, quàm litteratus imperat?* Quid dicam de iis, qui ad humanarum rerum scientiam, cœlestem illam & verè divinam adjunxerunt sapientiam? Ex quorum numero sunt Constantii, Constantini, Joviniani, Valentiniani, Theodosii, Gratiani, Justini, Justiniani, summi illi Principes, & immortali laude digni, qui hac sua, qua fuerunt instructi, non humanarum modò, sed divinarum quoque atque cœlestium rerum scientia & Rempub. & Ecclesiam sapientissimè fœlicissimeque administrarunt. Horum egregia vestigia, non pressa leviter, ad exigui prædicationem temporis, sed fixa ad memoriam omnium sempiternam persecuti sunt Cæsares, Germanici, Caroli, Ludovici, Othones, Henrici, Lotharii, Friderici, Sigismundi, Rodolphi, Maximiliani & Ferdinandi. Ex his ergo commemoratis exemplis satis liquet civitatum rerumque publicarum gloriam atque fœlicitatem in litteris consistere; id quod Mitylenei quoque præclarè olim intellexisse videntur, qui quos populos bello devicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, nisi ut ne liberos suos litteras edocerent: sentiebant videlicet, eas tantùm civitates florere posse, in quibus litterarum studia colerentur. Extat Plutarchi sapientissimi doctissimique philosophi libellus, in quo docet doctrinam Reip. principi ac moderatori utilem, imò plane necessariam esse. Vegetius quoque gravissimus auctor verè graviterque dixit neminem plura vel meliora scire debere, quàm principem, cujus doctrina omnibus subjectis prosit. Hisce porro adhuc à me commemoratis exemplis ac testimoniis firmissimè illorum error, seu dementia potiùs coargui potest (quam sanè etiam ob causam in hanc orationem ab eruditis vestris auribus nequaquam alienam sum digressus) qui litteras nihil cum Rep. habere commercii, illas à Principis atque Magistratus dignitate alienas esse, denique viros doctos & eruditos ab omni Reipub. munere ceu ineptos summovendos longè atque arcendos esse arbitrantur. Quàm bruta sit hæc hominum istorum opinio & oratio, Alfonsus quoque ille sapientissimus Aragonum Rex indicavit, qui cùm audivisset quendam contendentem non decere principem Litteras, fertur exclamasse: *Eam vocem bovis esse, non hominis.* Nec tamen hæc à me ita disputantur, ut contendam nisi Litteris eruditum Reip. neminem prodesse posse. Reperti enim olim sunt, & hodie reperiuntur plurimi excellenti animo & virtute homines, qui sine doctrina, naturæ ipsius habitu propè divino, egregiam Rebuspub. quibus præfuerunt, operam navarunt. Sed hoc dico atque contendo, eos, qui ad naturam eximiam & illustrem doctrinam adjungunt, longè majori Reip. emolumento ornamentoque esse posse. Litteræ namque hominum animos emolliunt, & ad omnem humanitatem (unde etiam humaniores vulgò dictæ) fingunt atque formant, bene dicendi, faciendique viam commonstrant, veræ gloriæ facibus inflammant. Ex illis, ceu fontibus saluberrimis, non privatæ modò vitæ, verùmetiam Reip. bene sapienterque regendæ præcepta optima hauriuntur. Possunt enim sibi, ut scitè sapienterque Cicero dixit, Rerumpub. rectores in historiis multas imagines non solùm ad intuendum, verùmetiam ad imitandum proponere, quas expressas Græci & Latini Scriptores reliquerunt, quas illi sibi in administranda Rep. proponentes, possunt animum & mentem ipsam cogitatione hominum excellentium conformare. Ut nihil dicam, quod ex iisdem curarum, molestiarum, laborum, quibus assiduè conflictantur atque vexantur, honestissimam liberalissimamque requiem, & animi remissionem, recreationemque petere possunt. Quis igitur quæso vestram, viri amplissimi, ut ad vos redeam, civitatem atque Remp. secundum non Platonis solùm, sed etiam innumerabilium aliorum Philosophorum, Regum, Imperatorum, Rerump. sententiam atque judicium, non fœlicem meritò atque beatam prædicet, illamque summis laudibus efferat, quæ artium ac disciplinarum alma quædam est mater atque nutrix, nullisque sumptibus parcit ad multorum studia alendum atque fovendum, qui aliquando Reip. Ecclesiæque vestræ cum dignitate utilitateque præsint, in qua denique viris doctis & eruditis non ad Ecclesiastica solùm, verumetiam politica munera atque honores aditus, qui in aliis Rebuspub. ferè est interclusus, patet? Et hoc quidem ipso tempore Deus binos vobis dedit Consules, quorum unus (ut taceam alias utriusque animi ingeniique virtutes) rei bellicę, alter juris civilis, aliarumque disciplinarum cognitione excellit, ita & pacis bellique temporibus Reipublicæ vestræ optimè sit consultum. Vobis igitur iterum, viri ornatissimi, ceu litterarum Musarumque patronis æquis atque benivolis (quæ etiam aliis ante me litterarios suos labores vobis potissimùm dedicandi causa fuit) tenue hoc meum & exiguum opus commendo, vosque rogo, ut illius vos non rigidos nimis censores, sed æquos potius benivolosque æstimatores præbeatis.

Postremò præter illas adhuc à me commemoratas causas, alia quoque non parvi, meo judicio, momenti atque ponderis, & huic quidem ipsi meo operi perquàm accommodata causa me ad illud vobis nuncupandum impulit, quæ sequitur. In hoc enim meo operę varia à me tractantur explicanturque conviviorum genera, inter quæ omnis palma meritò iis videtur deferenda, ceu humanitati, charitatique Christianæ convenientissimis, quæ hospitibus atque peregrinis præbentur. Hospitalitas enim, unde illa promanant, inter omnes virtutes Christianas principatum facilè obtinet, Deo hominibusque gratissima virtus. Quanta autem vestra sit erga peregrinos cujuscunque gentis, sexus, conditionis, ordinis humanitas atque liberalitas, experientia quotidiana, plurimique, qui ferè quotidie ad vos veniunt, peregrini atque hospites, quique à vobis humanissimè excipi

atque tractari solent, id locupletissimè testantur, ita ut Scaphusium omnium peregrinorum hospitium, & quasi Pritaneum meritò appellari posse videatur. Hanc equidem ipse quoque unà cum meis multifariàm sum expertus: quam quoniam reipsa atque factis, id quod vehementer vellem, referre non possum, gratum saltem memoremque meum animum publico hoc meo scripto testificari volui. Vos igitur, viri amplissimi, qui me sæpe publicè privatimque ad lautas & opiparas vestras epulas invitastis, humanissimeque tractastis, nunc vicissim ad litterarias hasce meas viles admodum atque tenues epulas ex ingenioli mei tenuissimi penu depromptas invito, vosque rogo ut illas pro singulari vestra humanitate æqui bonique consulatis. Legimus Theseum illum potentissimum, ac multis rebus gestis victoriisque clarissimum Athenarum regem, ab Hecale paupercula hospitio exceptum, cœnam ejus inopem minimè fuisse aspernatum. Sic vos quoque spero, quæ vestra est humanitas, hanc litterariam meam cœnulam pauperem & inopem minimè repudiaturos, ad dantis potiùs animum vestri observantissimum, vestræque dignitatis cupidissimum respicientes, quàm ad ipsius cœnæ tenuitatem.

Hæc fuerunt, viri amplissimi summaque observantia colendi, quibus vos aliquot antè annis, cùm opus hoc meum primùm in lucem prodiret, sum allocutus: quibus nunc pauca quædam mihi cum vestra quæso venia addere liceat. Duo equidem tunc temporis à Deo magnopere sum precatus atque optavi. Unum fuit, ut opus hoc meum Reipub. Christianæ atque litterariæ civibus non improbaretur. Alterum; ut illud ipsum, quod tanquam tenue & exiguum quoddam munus Amplitudini vestræ obtuleram atque dedicâram æquis benivolisque animis à vobis acciperetur. Nunc igitur me utriusque hujusce mei voti, singulari Dei benignitate, factum esse compotem vehementer lætor. Nam primùm quidem non ingratas fuisse Reipub. litterariæ hasce meas lucubrationes, illud non levi, ut arbitror, est argumento, quòd illarum exempla, quæ hîc fuerunt excusa, paucorum annorum spatio, longè latéque per omnes ferè orbis Christiani partes distracta fuerunt atque divendita: ita ut nulla amplius in bibliopoliis vænalia reperiantur & plura passim à multis requirantur. Quamobrem Dn. JOHANNES WOLFIUS, Typographus & Senator nostræ civitatis ornatissimus, affinis & amicus meus observandus, opus hoc meum locupletiùs nunc aliquanto & emendatiùs, multis piis doctisque viris id valde expetentibus & flagitantibus typis, preloque suo rursus sibi subjiciendum, ac denuo imprimendum esse duxit. Usi autem sumus, quod tacitus hic præterire non possum, in secunda hac operis hujusce mei impressione & editione, Dn. CASPARI WASERI, linguæ Hebrææ (cujus, ut multarum quoque aliarum linguarum disciplinarumque liberalium, est peritissimus) apud nos professoris, affinis & amici nostri charissimi, fideli operâ atque diligentiâ.

Sed deinde vobis quoque, viri amplissimi & ornatissimi, munusculum hoc meum, ut ita dicam, levidense ac dignitati amplitudinique vestræ longè impar, non displicuisse, vestrâ, vestrâ (inquam) insigni liberalitate seu munificentia potiùs, satis declarâstis: quam equidem grata memorique mente tenere & publicè privatimque prædicare, quamdiu spiritus meus hos reget artus, non desinam.

Hæc igitur cùm ita se habeant, Deo inprimis immortali gratias & ago & habeo immortales, quòd ipse, tanquam verus flexanimus & vestros & plurimorum aliorum in orbe Christiano hominum præstantium animos, ad labores hosce meos æqui bonique consulendum, benivoleque accipiendum commovit. Deinde vobis quoque, viri amplissimi, pro egregia vestra beneficentia proque munere vestro amplissimo, quo tenue meum munusculum magno quasi fœnore remunerari voluistis, nunc iterum atque iterum publico hoc meo scripto (quo justam debitamque meam erga vos gratitudinem & observantiam omnibus notam & testatam esse volo) gratias ut habeo animo meo; ita ago quantas possum, maximas: cujus Deum precor ex animo ut sit remunerator clementissimus, cùm id nequaquam meæ sit facultatis atque virium. Rogo etiam vos majorem in modum & obtestor, ut quo me meosque adhuc amore, favore, humanitate atque benignitate estis prosecuti, in posterum quoque prosequi dignemini.

Non possum etiam, antequam scribendi finem faciam, Amplitudini Reipub. vestræ gratulari: & quidem gratulor ex animo, quòd post Dn. Diethegii Ringgii à Wildenberg, Consulis vestri, beatæ gloriosæque memoriæ, obitum, Deus, cujus in manu potestateque sunt omnia, successorem ejus vobis dedit D. Jacobum Zieglerum, antiquæ claræque familiæ, & spectatæ fidei, probitatis sapientiæque virum, qui Majorum suorum ornatissimorum, qui idem munus gesserunt, exemplo & imitatione magno Reipub. vestræ usui est & ornamento.

Deum, ut scribendi finem faciam, ne diutius vobis sim molestus, precor Opt. Max. ut pulchram ornatamque Reipub. vestræ navem (unde etiam urbs vestra inclyta nonnullis videtur denominata) vosque ejus gubernatores sapientissimos & fidelissimos, unà cum vectoribus vestræ ab illo fideicommissis atque concreditis, inter tot tantasque seculi hujusce, ceu pelagi fluctuosissimi, procellas atque tempestates, secundâ semper gratiæ atque favoris sui aurâ prosequatur, & quàm diutissimè salvos incolumesque conservet.

PRAE-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM
pium & candidum

VERISSIME *ſanè Dn. noſter J. Chriſtus, ceu ipſiſſima Veritas, temporum noſtrorum, in quibus volutamur, intemperie, hoc eſt, de extrema intemperantia atque luxuria, & quæ illam comitatur, ſupina ſecuritate atque ſocordia, denique projecta effrænataque peccandi libidine, eſt vaticinatus. Quod quidem illius vaticinium ſimul &, quam ſubjunxit, admonitionem fideliſſimam ab Euangeliſtis ceu auritis locupletiſſimisque teſtibus litteris memoriæque fideliter conſecratam, utinam nobis aſſiduè ante mentis noſtræ oculos proponeremus. Comparavit hæc noſtra tempora priſcis illis Noachi temporibus, in quibus homines omni abjecto Dei timore pietatiſque ſtudio, ſecuri atque ſocordes gulæ, ebrietati, amoribus impuris atque voluptatibus indulgentes, tandem repentino illo horrendoque diluvio oppreſſi, & ad internecionem omnes, paucis exceptis, deleti fuerunt. Sic eodem planè modo futurum eſſe ait, ut extremis temporibus, quæ mundi occaſum, Chriſtique, ceu Solis juſtitiæ, ortum adventumque antecedent, plærique hominum iiſdem ſceleribus flagitiiſque alligati, ſubito illo Chriſti adventu, mundique ruina opprimantur, & æternis illis corporis animique cruciatibus addicantur. Monet itaque omnes, quibus ſalus ſua curæ eſt, uti capita, hoc eſt, mentes animoſque ſuos è terra excitatos ad Deum erigant, minimeque corda ſua crapula, gula, curis atque ſolicitudinibus terrenis aggravari patiantur, ſed potius precibus, jejuniis, aliiſque virtutibus invigilent, ne improviſo illo die veluti laqueo mortifero obruti ac irretiti, ad diros funeſtosque illos Gehennæ cruciatus devolvantur: ſed contra ut & in extremo illo generalique futuro judicio coram ipſius Dei tribunali conſiſtere, & tandem ſempiternis illis bonis atque gaudiis, quæ Deus omnibus veris ſui Numinis cultoribus præparavit atque promiſit, potiri fruique poſſint. Hiſce conſimilia plurima alia Prophetarum & Apoſtolorum oracula atque monita fideliſſima in S. L. monumentis extant, quæ quidem vaticinia omnia exitu eventuque ipſo partim jam fuiſſe comprobata, partim adhuc quotidie magis magiſque comprobari videmus. Nam cùm hæc mundi ſanè immundiſſimi ad occaſum interitumque ſuum appropinquantis quaſi decrepita atque delira ſenectus, plurimis aliis graviſſimisque vitiorum morbis affecta ſit atque laboret: tum nullum hodie magis commune eſt quàm gulæ, crapulæ, ebrietatiſque vitium, de quo Chriſtus potiſſimùm prædixit, & à quo nos graviter eſt dehortatus, ex quo etiam ceu fonte, ſeu puteo potius putidiſſimo reliqua omnia vitia, ſcelera atque flagitia, quæ hodie paſſim dominantur, promanant. Hoc etenim vitio tetro atque capitali omnium ferè gentium, omnis ſexus, ætatis, conditionis, ordinis, religionisque homines infecti ſunt atque polluti: ita ut non ſolum Barbaros, ſed ipſos quoque (ſiquidem hoc nomine digni ſunt) Chriſtianos: & in his non modò viros, verùm etiam mulieres: non adultæ ſolùm ætatis homines, ſed etiam impuberes: nec ſolùm vulgus ignobile, verùm ipſos quoque Rerump. Eccleſiarumque proceres: denique non prophanos modò atque politicos homines; quos vulgò Laicos ſive Seculares appellant, verùm etiam ipſos clericos, cultui divino conſecratos, ipſos ſacrorum religioniſque Antiſtites huic vitio addictos planè ac mancipatos eſſe videamus. Graviſſimæ hodie acerbiſſimæque ſunt inter Chriſtianos de fide religioneque diſſenſiones & dimicationes, cùm interim, quod vehementer eſt dolendum, omni ferè fide religioneque neglecta atque contempta, in Bacchi, Comi, Cereris, Veneris, Pluti, aliorumque hujuſmodi Deorum atque Dearum, ſeu Dæmonum potiùs infernalium cultu impietatis pleniſſimo concordiſſimus ſit inter plæroſque eorum conſenſus, ſeu conſpiratio potiùs execrabilis atque pernitioſa. Et, ut alia omittam, quouſque impietatis progreſſi ſimus, vel ex hoc uno ſatis ſuperque apparet, quod illum, illum inquam ipſum ſacrum diem, Soli olim ab Ethnicis, à Chriſtianis primitivæ Eccleſiæ vero & ſalutari illi Soli juſtitiæ, id eſt, Dn. noſtro J. Chriſto dicatum (unde etiam* Dominicus *fuit appellatus) nos jam pridem nocti, tenebris, atque impuris illis dæmonibus, dedicavimus, & in illorum honorem celebramus, ſeu polluimus potiùs atque contaminamus. Nullo etenim die, ut experientia quotidiana teſtatur, magis publicè privatimque comeſſationibus immaniſſimis, &, quæ illarum ſolent eſſe comites, libidinibus impuriſſimis plærique indulgent, quam hoc ipſo die, ita ut noſtri reſpectu non tam* dominicus, *quàm* dæmoniacus *appellandus eſſe videatur. Ab hac porrò intemperantiſſima noſtra vivendi conſuetudine Deus jam diu partim verbi ſui tuba, partim multis pœnis, prodigiis atque portentis horrendis (de quibus ipſis quoque Chriſtus ceu ſignis ſui adventus, finiſque mundi pro ſua bonitate nos fideliſſimè admonuit) nos dimovere, & ad pietatis ſanctitatiſque ſtudium traducere ſedulò eſt conatus, & adhuc conatur. Quanta enim, proh Deum immortalem, quamque poſt hominum memoriam inaudita ferè annonæ caritas, atque fames: quam graves & atroces motus, ſeditiones, bella inteſtina: quam multi triſtes, diri atque funeſti terræmotus, aquarum inundationes, tempeſtates, incendia, partus prodigioſi, peſtes denique in omnibus ferè Chriſtiani orbis partibus graſſatæ ſunt jam diu, & adhuc graſſantur? Quoties jam cœlum brevi annorum ſpatio viſis horrendis atque triſtificis horruit? quoties diris & inuſitatis ignibus exarſit? qui quidem ignem æſtumque iræ atque furoris divini, & horrendum illud mundi univerſi incendium atque conflagrationem à S. Petro, cæterisque ſanctiſſimis viris multis ante ſeculis prædictam, denique funeſtiſſimum illum inextinguibilemque Gehennæ ignem omnibus impœnitentibus portendere ac minitari videntur. An non igitur quæſo*

omnia elementa, ac universa natura præ insigni hominum intolerabilique improbitate, ac divini judicii severitate tremere, gemere, horrere, nostram malitiam nobis exprobrare, ab illa nos avocare, ad improborum pestem perniciemque, ceu fidelissima divinæ vindictæ administra, videtur conspirare? Hisce certè malis, tot tantisque prodigiis atque portentis cœlo terraque editis, majorum adhuc malorum prænuntiis certissimis Deus, ceu clementissimus pater, nobis quasi aurem vellicat, nosque ab inveterata nostra malitia atque improbitate deterret, & ad salutarem vitæ conversionem pœnitentiamque adhortatur. At plærique nostrum immani quodam mentis stupore, seu furore potiùs planè diabolico obcæcati, omnia hæc Dei monita aspernantur, in impiæ suæ vitæ curriculo obfirmatis obstinatisque animis perseverant, atque adeò ad pristina peccata magnum quotidie impietatis cumulum addunt, ac proinde, id quod est consequens, iræ simul atque furoris divini majores thesauros colligunt atque coacervant. Verè hîc mihi Virgiliana illa, ceu luctuosis periculosisque hisce nostris temporibus accommodatissima, usurpare posse videor.

Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem,
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum,
Arma ferunt: sævit toto Mars impius orbe.
Addunt se in spatia & frustra retinacula tendens
Tam multæ scelerum facies.

Et paulò post: *Vicinæ ruptis inter se legibus urbes*
Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Quid igitur quæso nobis aliud quàm Christiani, vel totius potiùs orbis occasus interitusque secundum Christi, Prophetarum, Apostolorumque prædictiones est expectandum? De hac porrò desperata planè deplorataque nostrorum temporum morumque nequitia atque luxuria, cùm aliquot ante annis in doctorum cœtu, non quidem pro rei ipsius magnitudine atque gravitate, sed pro tenui mea ingenii dicendique facultate, conquestus fuissem: multaque simul de conviviorum origine, fine, usu, & abusu (qui hodie latissimè patet atque dominatur) nec non de eorundem generibus, ritibus, atque cæremoniis variis & antiquis ex Veterum monumentis collecta atque deprompta oratiunculæ illi meæ aspersissem: viri quidam pii atque graves mihi magnopere auctores fuerunt, ut hoc antiquitatum convivialium argumentum pleniùs atque copiosius tractandum explicandumque susciperem. Horum equidem voluntatem auctoritatemque nequaquam mihi, salvo meo officio, videbar posse aspernari. Hoc autem ipsum tantò faciliùs mihi persuaderi sum passus: quòd ab ineunte ætate cùm linguarum, omnisque generis artium, disciplinarumque liberalium, uti vulgò appellantur, tum vero atque inprimis antiquitatum, hoc est, antiquos quosvis quarumvis gentium mores, consuetudines, ritus atque cæremonias cognoscendi miro quodam studio flagravi, quas etiam addiscendi, si ingenium modò mihi non defuisset, magnam mihi ipse Deus occasionem facultatemque suppeditarat. Nam primò in ipsa patria mea chariss. quoad longissimè potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens Lud. Lavaterum, acerrimi ingenii judiciique virum, omnique doctrinarum genere politissimum, quemadmodum præclara illius literarum monumenta testantur, video mihi principem ad suscipiendam & ingrediendam hanc studiorum rationem extitisse. Quemadmodum igitur illius pater p. m. imò patriæ nostræ quondam Pater Consulque fortiss. ac sapientiss. me ex S. Baptismi lavacro suscepit, ita hic illius tanto patre dignus filius me ipsius disciplinæ à charissimis meis parentibus commendatum primus Musarum quasi sacris initiandum imbuendumque suscepit. Deinde verò & in patria mea Io. Frisio, Con. Gesnero. Rod. Collino, Sam. Pellicano, & postquam peregrina in loca à parentibus meis missus sum, Lausannæ Io. Randono, & Francisco Beralo, & Argentinæ Fr. Hotomanno, Jo. Sturmio, & Lutetiæ Parisiorum (quò bis profectus sum, ante primi, & ante secundi belli civilis initia) Sanctogermano, Carpentario, Ramo, Forcadello, Turnebo, Lambino, Aurato, Peregrino, Mercero, Salignaco, Genebrardo, Quinquarboreo, Querculo: & Tubingæ Scheggio, Heylando, Crusio, Liebler, Hizlerio: & Patavii R. Menahemo Judæo, Panzerolio & aliis linguæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, totiusque ἐγκυκλοπαιδείας optimis fidelissimisque præceptoribus sum usus, qui quidem omnes me singulari quadam humanitate benevolentiaque fuerunt prosecuti. Hosce autem meos præceptores, quorum alii vivunt adhuc florentque cum laude, alii in cœlestes illas sedes ex hac vita migrarunt, hîc honoris causa, sicuti illorum dignitas postulat, nominare volui, ut justam debitamque meam εὐχαριστίαν, observantiam benevolentiamque erga illos publicè testificarer. Quoniam igitur, ut unde deflexit paululum, redeat mea oratio, cùm omnium doctrinarum, tùm inprimis antiquitatum studiosissimus semper fui, ad quas percipiendum præ cæteris Fr. Hotomannus, clariss. illud Reip. literariæ decus atque lumen, magno mihi olim incitamento adjumentoque fuit: facile doctorum ac piorum illorum hominum petitioni auctoritatique cessi. Ac proinde quicquid mihi à publico meo docendi munere, & aliis gravioribus meis studiis atque negotiis reliquum fuit temporis quasi succisivi, id in antiquis illis Hebræorum, Græcorum, Romanorum, aliarumque nationum non convivialibus tantùm, sed etiam quibusvis aliis moribus, atque ritibus tam sacris, quam profanis indagandis, colligendis, conscribendis, ac disponendis consumpsi. Quas quidem meas lucubrationes cùm illis ipsis, qui me ad illas elaborandum impulerunt, monstrassem, iidem mihi vehementer suaserunt, ut illas in lucem ederem, ut quas Reip. literariæ non ingratas, sed utiles fructuosasque sperarent fore. Nec enim ea tantùm, quæ ad convivia propriè pertinent, tractavi, verùm etiam plurima alia jucunda, uti spero, & utilia cognitu interposui, id quod mihi necessariò faciendum fuit. Nam cùm hæc ipsa convivandi epulandive ratio ac consuetudo per omnes ferè humanæ vitæ partes sit diffusa, (quippe cùm convivia omnes fere hominum actiones tam sacras quàm prophanas vel antecedere, vel comitari, vel consequi videamus) mihi profectò de conviviis scribenti, simul de maxima vitæ humanæ parte necessariò fuit scribendum. Multa itaque ad privatam publicamque vitam atque mores benè informandos regendosque perquam utilia documenta

Ethica,

AD LECTOREM.

Ethica, oeconomica, politica atque etiam militaria ex antiquis literarum monumentis deprompta in hoc volumine continentur. Multa præterea valetudinis tuendæ atque conservandæ medica ac salutaria præcepta in eodem reperies. Habebunt adhæc linguarum atque Grammaticæ studiosi vocabulorum quorundam elegantium obsoletorum obscurorumque explicationem. Spero itaque, absit invidia dicto, omnibus quarumcunque artium ac disciplinarum studiosis & professoribus hosce meos labores non fore inutiles, imò magno admodum illis ad quosvis auctores sacros & prophanos facilius intelligendum explicandumque futuros adjumento. Quòd si quis autem à Christiani hominis gravitate alienum esse existimat de conviviis & ad ea pertinentibus scribere, is mihi graviter hallucinari, & tota, quod ajunt, via videtur errare. Nam convivia ipsa cùm publica, tùm privata, si sint tempestiva, moderata, atque frugalia, res sunt non modò honesta, utilis, laudabilis atque jucunda, verùm etiam in hac vita necessaria ad mutuam hominum communionem societatemque fovendam atque tuendam ab ipso Deo instituta & ordinata: quibus sublatis jam non hominum, sed ferarum potius vita esse videatur. Cumque, ut paulò antea attigi, convivia universam ferè vitam humanam complectantur, fieri non potest, quin is, qui de conviviis scribit, simul de plurimis humanæ vitæ officiis scribat, cujus rei hæ qualescunque meæ lucubrationes, si quis eas vel extremis digitis attigerit, indicio esse poterunt. Quamobrem mirum non est & Ethnicorum quondam philosophos gravissimos & sapientissimos, Athenæum, Plutarchum, Xenophontem, Aristotelem, Platonem, aliosque multos, quorum Athenæus meminit: & inter Christianos post Clementem Alexandrinum, & alios antiquos, Marf. Ficinum, Pontanum, Platinam, Cœlium Rhod. Villichium, Erasmum, Steph. Nigrum aliosque plurimos multa sympoſiaca passim in operibus suis sparsisse; atque adeò peculiares de symposiis libros conscripsisse. Sed quem graviorem, augustiorem, sanctioremque auctorem proferre possumus, quàm ipsum Spiritum S. omnis sanctitatis fontem & auctorem, cujus verbum, quod appellamus V. & N. Testamentum symposiacis plenum est atque refertum? An non enim statim ab origine Mundi mentio fit luculenta jucundissimi illius convictus primorum nostrorum parentum, quos Deus connubiali simul atque conviviali consuetudine ac societate devinxerat? An non omnium antiquissima, & quidem prima lex, quam Deus in ipso Paradiso, in beatissimo illo florentissimoque rerum statu tulit, fuit lex cibaria, qua primis illis nostris parentibus omnium reliquarum arborum cibo concesso, unius tantum arboris fructu, gravissima mortis pœna proposita, interdixit? Quam cùm illi legem tartarei illius Serpentis instinctu afflatuque violassent, ex beatissimo illo suo statu deciderunt, & se nosque suos posteros in æternam miseriam præcipitarunt. Secunda deinceps post horrendam illorum apostasiam, & quidem dura acerbaque lex cibaria à Deo hominibus fuit lata, nempe ut sudore vultus sui suo pane, hoc est, cibo vescantur. Quid? Totus ille cultus Mosaicus à Deo diligenter accurateque descriptus ac mandatus, an non ferè maxima sui parte re cibaria constat? Nam multa illa & varia sacrificia quid fuerunt aliud, quàm epulæ sacræ; quæ partim pecoribus, partim frugibus atque fructibus constabant, & cùm ad sacerdotes alendum, tùm ad Christum ceu unicum & salutarem animarum nostrarum cibum, qui in cruce erat offerendus, adumbrandum, tùm denique ad Dei hominumque arctissimam communionem societatemque designandam erant instituta? Hinc Deus apud Mal. & altare ipsum, suam mensam, & ipsa sacrificia, suum cibum appellat; quo ostendit se Judæorum quasi ὁμοτράπεζον, hoc est, unius ejusdemque victus communione cum illis velle esse conjunctum. Sacrificiorum porrò illorum appendices erant epulæ, quas quidem Deus summa cum lætitia ab illis celebrari voluit. Huc pertinet & ciborum delectus, quo Deus Judæos à Gentilium communione segregatos esse voluit: & celeberrimum illud epulum Paschale, aliaque epulæ festivæ atque solennes: nec non panes azymi, panes propositionis, quæ omnia mysteriorum maximorum fuerunt plenissima. Quam multa præterea (ut à sacris discedamus) prophanarum omnis generis epularum exempla commemorantur, quas sanctissimos quoque viros adiisse, celebrasse, aliis adornasse legimus? Quàm multa cùm universa Scriptura sacra, tùm inprimis liber ille, Ecclesiasticus dictus, utilissima præcepta symposiaca continet? quæ quidem ipsa in hoc meo opere non exiguam mihi scribendi materiam suppeditarunt. Adhæc non pauca luxuriosarum epularum exempla, ut etiam alia vituperatione digna nobis non ad imitandum, sed ad fugiendum atque vitandum in S. L. proponuntur, quarum tragicos plærumque eventus fuisse legimus. Multa etiam, quæ hujusmodi convivia comitari solent, de ludis, choreis, unguentis, cantu, aliisque hujusmodi luxuriæ irritamentis ibidem scripta invenies. Huc præterea inprimis referenda sunt, admirabilis illa ratio, qua Deus Israëlitas in squalido horridoque illo deserto 40. circiter annis pavit, itemque illa planè divina gentium ad fidem Christianam vocatio atque conversio, ab Isaia convivii apparatissimi imagine: & passim justissima Dei vindicta, quam in impœnitentes exerit, epularum funestissimarum similitudinibus expressa, ut ex Jer. 7. 11. 12. Isa. 25. 56. 66. Ezech. 39. constat: quibus similia sunt quæ Apoc. 19. conscripta reperiuntur. Jam verò ut ad N. Testamentum veniamus, in illo quoque multa continentur, quæ ad convivia pertinent. Nam ipsum primo Christum, perfectissimum virtutis sanctitatisque exemplum, unà cum suis discipulis non solum piorum, verùm etiam impiorum atque inimicorum suorum, convivia adiisse ac frequentasse legimus, illos nimirum hac occasione à vitæ morumque improbitate summovendi causa. Deinde in illis ipsis symposiis cum alia vitæ morumque, tum symposiaca multa utilia & salutaria præcepta tradidit. Nec verò tantùm invitatus ad aliorum convivia accessit, verùm etiam ipse aliis epulas admiratione dignissimas præbuit, in quibus ingentem hominum turbam fame confectam exiguo panis atque piscium cibo ad satietatem usque pavit, quo quidem egregia suæ cùm bonitatis, tùm potentiæ divinæ specimina edidit, & reipsa demonstravit, hominem non solo pane vivere, sed omni verbo, quod exit ex ore Dei. Præterea constat Christum plurimis similibus à re convivali cibariaque petitis, Regni cœlorum mysteria abscondita & abstrusa illustrasse. Se quoque ipsum ceu unicum vitæ & salutis æternæ auctorem, suaque dona atque munera cœlestia corporei panis & aquæ quasi involucris atque integumentis proposuit. Iisdem similibus Apostoli quoque usi sunt, partim ad ipsam vitam æternam, partim ad veram & salutarem doctrinam, quæ nobis ad illam dux est, significandam. Quid dicam quod & ad arcanam illam corporis & sanguinis sui κοινωνίαν faciendam & obsignandam, & ad mutuam fidelium pacem, concordiam,

charita-

charitatemque tuendam ac confirmandam, & denique ad mortis passionisque suæ salutiferæ memoriam assiduè recolendam ac retinendam, Epulum illud sacrosanctum instituit, quod in Ecclesia perpetuò summa cum fide, charitate, precibus ardentissimis atque reverentia vult celebrari? Infinitum esset omnia persequi. Sed ex his satis, puto, sit manifestum in S. L. multa contineri sympofiaca: quæ quidem in hoc meo opere uno quasi fasciculo complecti, & exemplis atque sententiis ex prophanis scriptoribus petitis illustrare studui, ita ut hunc meum laborem, etiam S. L. studiosis non parum utilitatis allaturum sperem. Et si ipse Spiritus sanctus plurima convivialia divino illi suo volumini mandari voluit, nequaquam me justam hominum reprehensionem mereri existimo, si de iisdem scripsi, quæ quidem non ad ventrem hominum voluptuariorum ganeatis deliciis atque cupediis, sed ad mentem potius philologorum & antiquitatum studiosorum rebus cognitione jucundissimis pascendum: nec ad gulam irritandam, sed coërcendam potius ac reprimendam spectant. Hæc de causis, quæ me ad hanc scriptionem impulerunt, ac præsertim de fine, qui mihi in illa fuit propositus, sint dicta. Methodo autem usus sum huic materiæ, nisi me fallit animus, accommodata, simplici, maximeque naturali. Nam primò exorsus à nominibus, definitione, fine, usu, & abusu, & ad divisionem progressus, varia conviviorum genera libro 1. explicavi. Deinde illa, quæ convivia solent antecedere, quæque ad illorum apparatum pertinent, libro 2. sum complexus. Tum ipsum convivialem actum (qui in cibi potusque sumptione, & in colloquiis mutuis videtur consistere) & simul ea quæ convivia partim comitantur, partim consequuntur, libro 3. sum persecutus. In singulis autem locis seu capitibus explicandis exorsus à nominibus, primò Hebræorum, deinde Græcorum, tum Romanorum & aliarum deinceps gentium mores consuetudinesque antiquas proposui, illasque postremò cum iis, quæ nunc apud varios populos in usu sunt, diligenter contuli: quæ collatio, uti spero, & ad perditum nostrorum temporum luxum luxuriamque demonstrandam, & ad multa veterum scripta illustranda non parum momenti adferet.

Hæc autem omnia, humanissime Lector, ab animo bono, ac Reipub. litterariæ quovis modo gratificandi cupidissimo profecta, bona quæso benevolaque mente accipias, & si quæ in tam ampla materia sunt errata (homo enim sum, humanum est errare, humani autem à me nihil alienum puto) de iis me fideliter benevoleque, sicuti charitatis Christianæ ratio postulat, admoneas. Quòd si quæ etiam vel antiqua, vel recentia, vel extranea, vel vernacula atque patria, cognitu jucunda atque utilia tibi in mentem venerint, quæ huic meo operi accommodata, ac proinde addenda videbuntur, ea quæso mihi communicare non graveris, ut illud denuò, Deo volente, & emendatius, & locupletius aliquando in lucem exeat. Postremò Deum Opt. Max. unà mecum preceris, ut omnibus iis, qui ad Reip. Christianæ gubernacula sedent, eam mentem injiciat, ut luxuriam ceu luem quandam teтram atque funestam longè lateque grassantem, omniaque depopulantem, partim vitæ suæ exemplo, partim legibus atque pœnis severis coercere atque reprimere studeant: nosque omnes S. suo Spiritu regat atque gubernet, ut illius ductu auspicioque adversus omnes mundi diabolique illecebras atque lenocinia fidelissimis Christi & Apostolorum monitis obtemperare, & vitam sobriam, castam, honestam & sanctam hîc agere, tandemque ad æternam illam infinitis bonis gaudiisque cumulatissimam vitam pervenire possimus. Vale.

INDEX

INDEX
EORUM, QUAE SINGULIS LIBRIS PER CAPITA TRACTANTUR.

LIBER PRIMUS.

LIBER II.

LIBER III.

FINIS.

CATA-

CATALOGVS AVTHORVM

QVI IN HOC OPERE CITANTVR.

Abenezra
Ælianus
Ælius Dionysius.
Ælius Spartianus
Æolus poëta Græcus
Æmilius Probus
Æneas Sophista.
Æschylus
Achæus Tragicus
Actuarius
Acro Grammaticus
Adolphus Occo.
Adrianus Junius
Adrianus Turnebus
Afranius
Agātharchis
Agretius
Agrippa
Alanus Monachus
Albertus Cranzius.
Alciatus
Alcimus poëta
Alexander ab Alexandro
Alexand. Aphrodis.
Alexander Sardus Ferrariensis
Alexander Trallianus
Alexis poëta Comicus
Aloysius Mundella
Aloysius Trissinus
Ambrosius
Amerias
Americus Vesputius
Amosus
Ammianus Marcellinus
Ammonius Monachus
Amphis poëta Comicus
Anacreon
Anaxilas
Anaxandrides
Anastasius
Antias
Antiphanes Comicus
Antiphanes Delius
Antisthenes
Antonius Fayus
Antonius Gazius
Antonius Persius
Antonius Shnebergerus
Appianus Alexand.
Appollonius
Appollonii Mirabiles histo.
Appollonii Interpres
Apulejus
Archestratus Syracusanus
Archilochus Poëta
Arias Montanus
Ariston Chius philosophus
Aristænetus Nicæus
Aristophanes
Aristophanes Grammaticus
Aristoteles
Aristoxenus
Arnobius
Arthemidorus
Asclepiades
Asconius Pædianus
Ascensius
Astydamas poëta
Athanasius
Athenagoras
Athenæus
Augustinus
Augustinus Eugubinus
August. Zarath.
Ausonius
Averroes
Avicenna
Aurelius Victor
Baal Aruch.
Bachilides poëta
Baptista Egnatius
Baptista Pius
Basilius
Bartholomæus Georgievizius
Beatus Rhenanus
Belethi Rationale
Benedictus Aretius.
Benjaminus Judæus
Benedictus Curtius
Bereschit Rabba
Bernhardus.
Beroaldus
Bilibaldus Birkheimerus
Blondus Foroliensis
Boemus de Asia
Boëtius
Boëthius Severinus
Bonfinius
Brodæi Miscellanea
Bruno de Ceremoniis
Bruso
Bruyerius Campegius
Budæus
Buchananus
Callixenus
Callimachus
Calphurnius
Camerarius
Canteri novæ lectiones
Canonistæ
Caper Grammaticus
Carcinus
Casparus Wolphius
Cassius Jurisconsultus
Cassiodorus
Catius
Catullus poëta
Cedrenus
Censorinus
Cælius Rhodiginus
Cæl. Augustinus Curio
Celtes poëta Lat.
Celsus
Cercides Megapolitanus
Chaldæus Paraph.
Chamæleon Ponticus
Claudianus
Cleantes
Clearchus Solensis
Cledemus
Clemens Alexandrinus
Clitarchus
Christianus Urstisius
Christophorus de Vega
Chronicum Cassinense
Chrysippus
Chrysostomus
Columella
Conciliator
Conradus Gesnerus
Cordubensis Princeps
Cornelius Balbus
Cornelius Celsus
Cornelius Nepos
Cornelius Tacitus
Cornarius
Cratinus poëta
Cranzius Hamburgensis
Crinas Massiliensis
Crinitus
Cujacius Jurisconsultus
Cuspinianus
Cyprianus
Damascius Syrus
David Hœschelius
David Chytræus
Demetrius Scepsius
Demosthenes
Dicæarchus
Dictis de bello Trojano
Didymus Grammaticus
Diogenes
Diogenes Laërtius
Dion Academicus
Dion Cassius
Dion Chrysostomus
Dionysius Areopagita
Dionys. Halicarnassæus
Dionysius Samius
Dinus Florentinus
Diphilus poëta Græcus
Dipnosophistarum author
Direchidas
R. Dosa

DE LIBRIS
CONVIVIALIBVS
DO. IO. GVILIELMI STVCKII
ERVDITISSIME SCRIPTIS.

QVISQVIS amas lautis convivia regia mensis
Seu ritu Græco cernere, seu Latio:
Quisquis amas tenues epulas, parvumque salinum,
Et quæ grata bonis simplicitate placent:
Aspice quæ STVKIVS chartis apponit in istis:
Magno illi sumptu, sed tibi parta levi.
Neve putes parcum te conduxisse choragum,
Ille una lectos, vasa, tapeta dabit.
Quin numerumque, locumque umbris, famulosque paratos:
Et qua quisque dapes veste decorus adit.
Vina quoque è cellis si quæ generosa vetustis
Promuntur, larga porrigit ille manu.
Postque dapes istas, bellaria lauta ministrat.
Quid non? Saltantes, Musica, dicta, jocos,
Ergo quid melius tantis accumbere mensis?
Quasve epulas unquam lætior esse potes?
Verum fallor ego. Nanque hæc imitata Platonem,
Mentis, non ventris, sunt tibi symposia.

Lambertus Danæus Lugduni-Batavorum.

FElix qui potuit rerum cognoscere causas:
Εργωντε βροτέων πάντ' ἔθη εἰδέμεναι.
Quod verò ex paucis STVKIVS sit talibus unus,
Βιβλία ταῦτα λέγει, ἄλλα τε μαρτυρέει

ΑΛΛΟ.

Ἀρχαίων τε νέων τε ἔθη γνῶναι φίλε δείπνων
Βουλόμενος, ΣΤΥΚΙΟΥ βιβλία γνῶθι τάδε.

ΑΛΛΟ.

ΕΙΣ ΧΡΙΣΤΟΝ ΨΥΧΟΣΩΜΑΤΟΘΡΕΠΤΗΡΑ.

Αἰνετός ἐσσι τρέφων ψυχὰς καὶ σώματα ΧΡΙΣΤΕ
Δοὺς εἶδαρ φθαρτοῖς σώμασ' ἐπιχθόνιον.
Ψυχαῖς ἀθανάτοις αἰεὶ μίμνουσαν ἐδωδήν.
ΧΡΙΣΤΕ, καλῶς χρῆσθαι, μοι δόθι, ἀμφοτέροιν.
Ὄφρα τυχὼν ποτε σεῖο ἐπουρανίοιο τραπέζης
Χαίρω, ἀεὶ μετὰ σοῦ εἰλαπιναζόμενος.

Sadrachus Thomannus Tigurinus.

SYderibus nitet ut splendentibus undique cœlum:
Sic nitet insigni doctrina mens tua STVCKI.
Testatur liber hoc præsens: testabitur usque
Ignea dum nitido fulgebunt sydera cœlo.

Rodolphus Escherus Patricius Tigur.

ANTI-

ANTIQUITATUM CONVIVIALIUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

DE VARIIS CONVIVIORUM NOMINIBUS.

QVONIAM, ut ille inquit, *εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα*, id eſt, *ad bene docendum primò expendere oportet nomina*, operæpretium mihi facturus videor, ſi de nominibus conviviorum variis priùs dixero, exordio ducto ab Hebræis, ceu omnium antiquiſſimis. (Nomina Hebræa.) Inter ea autem maximè commune eſt nomen משתה *Miſchte* derivatum a שתה quod *bibere* ſive *potare* ſignificat, cui affine eſt nomen Græcum *συμπόσιον*, *compotatio.* Geneſ. cap. 19. v. 3. & 21. v. 8. Jerem. 16. v. 8. Jud. 14. v. 11. Eſdræ 3. Eſther 1. v. 3. & 5. ſemel atque iterum *Miſchte iain*, id eſt, *convivium vini*, appellatur.

Dicitur etiam ab iiſdem מסב *Meſeb*, id eſt, diſcubitus epularis, ut Cicero inquit, ſive accubatio, propriè circuitus a סבב *Sabab*, quod *accumbere* ſignificat, 1. Sam. 16. v. 5. & Cant. 1. v. 12. *Dum eſſet rex* במסבו *in convivio ſuo*: ſic autem dicitur, quia in circuitu, ut in menſa rotunda, diſcumbebant.

Vox quoque לחם *Lechem* (quæ propriè panem ſignificat, & ſynecdochicôs pro quovis cibo accipitur) etiam pro convivio uſurpatur. Daniel. 5. Balſezar rex עבד לחם רב *Abad Lechem rab*, id eſt, *adornavit convivium magnum.*

Similiter יין *Iain*, id eſt, *vinum*, pro compotatione tota aliquando accipitur, ut in illa ſententia R. Doſæ, Somnus matutinus, & vinum meridianum, &c.

Item זבח & טבח *Zebach* & *Thebach* propriè quidem ſacrificium ſive victimam ſignificant, ſed crebrò in ſacris literis pro conviviis uſurpantur, quæ ſacrificiis præſertim pacificis adhiberi fuerunt ſolita, ut ſuo loco dicetur. Ut Soph. 1. v. 7. *Præparavit Dominus ſacrificium, & ſanctificavit invitatos ſuos.* Item 1. Sam. 9. 16. & 20. ubi David excuſatur, quòd non venerit ad convivium, eò nimirum quòd Bethlehemam abierit ad ſacrificium ſuæ familiæ, hoc eſt, ad convivium. Non enim licebat illic ſacrificare. Judicum cap. 6. v. 18. Gedeon ſcribitur voluiſſe viro Dei, id eſt, Angelo ſacrificium apponere: quo tamen in loco dubitant interpretes, fuerit ne illud ſacrificium, an prophanum convivium, verùm poſterior ſententia videtur eſſe veriſimilior.

Aliud quoque vocabulum convivium ſignificans reperitur Amos 6. v. 7. מרזח *Marzeach*, de quo ſic Mercerus piæ memoriæ, præceptor meus obſervandus, diſſerit in ſuis commentariis: *Marzeach epulum propriè ſignificat vel (ut nonnulli volunt) coctionem, qualis in exequiis mortuorum fiebat, unde vertunt, tabernam. Hebræi doctores exponunt pro luctu, Jerem. c. 16. v. 5. ſed eo loco ſignificat etiam convivium, ſed funebre. Kimhi etiam hoc loco pro luctu exponit. Quidam Hebræorum inquiunt radicem* רזח Razach (*quæ his tantùm & Ierem. loco citato occurrit*) *ſignificare vocem vel ob luctum, vel ob lætitiam attollere: ex lingua Arabica, ubi ita ſumitur. Unde AbenEzra hoc loco exponit: Et faceſſet canticum. Hieronymus factionem reddidit, ſed reſpicit ad conſenſum eorum, qui ſimul convivium celebrant. Recte ergo, ſi libet, compotationem verteris. Nam & in libro Siphre, apud illos celeberrimo, illud initium, Num. 25.* מרזחין Merzechin, *ſunt epulæ, ubi agitur de filiabus Madianitarum, quæ Iſraëlitas vocarunt ad epulas deorum ſuorum, & Baal Peori, & ita etiam in Targum Jonathæ hoc loco ſumi neceſſe eſt. In Thalmud exponunt, ut docet Baal Aruch* מרזח Mirzach, *id eſt, luctum, ut ſit vox conflata ex* מר mar, *id eſt, amaro; &* זח Zach, *id eſt, educi, removeri: quaſi, ut ille inquit, ſit luctus eductus cum amaritudine & commotus.* Hæc ille. Septuaginta verterunt θίασον, de qua voce poſtea.

סעודה *Seudah* quoque convivium Rabinis dicitur, nimirum a סעד *Saad*, quod & corroborare, & prandere ſignificat, 1. Reg. 13. v. 7. *Veni mecum ut prandeas. Nam cibi ſumptio ſtomachum corroborat.* Hinc סעיד משתי *Said Miſthe*, recreatio potus ſive convivii. Iſaiæ 3. & סעודתא *Seudetha* cibus, 2. Reg. 11.

His adde ארחה *Aruha*, quod etſi propriè ſignificat viaticum ab ארח *Arach*, id eſt, *iter fecit*; item conſuetum ſeu uſitatum & continuum cibi demenſum (qualia demenſa ſunt hodie Monachorum, & eorum, qui victum certâ ſummâ pecuniæ ſibi in Xenodochiis emunt; quò etiam alludunt illa verba in libro ſecundo Regum, Capite viceſimo quinto, verſu trigeſimo: וארוחתו ארוחת תמיד *Et alimonia ejus erat alimonia continua*:) tamen vulgo *quodvis prandium* ſive *convivium* vertunt, Jerem. 4. & Prov. 15. Hoc ſenſu reperitur etiam apud Joſephum Gorionis in hiſtoria Danielis, pro eoque interpres vetus Theodotio Græcè *ἄριστον* dixit in eadem hiſtoria.

כרה *Kerah* quoque Hebræis eſt convivium, ut 2. Reg. 6. v. 23. ויכרה להם כרה גדולה *Et adornavit illis convivium magnum.* כרה *Karah* propriè ſcindere, incidere ſignificat, ſed ſæpe pro emptione, & venditione accipitur, ſumpta ſignificatione, ut nonnulli volunt, a ritu ementium & vendentium, quod illi (ut apud nos) dextras datas diſciderunt percuſſione, ſive diſciſſione, qua emptionem factam ratam eſſe ſignificare voluerunt. Sic quoque in fœderibus contrahendis animalium diſſectiones fiebant, quibus fœdera confirmabantur, de quo infrà. Simili quoque ratione verbum שבר *Schabar* in emptione, & venditione panis, vel frumenti, vel alterius eſcæ pro diſtribuere, ſeu comparare accipitur. Loca autem in quibus כרה *Karah* pro *emere* uſurpatur, ſunt, Deut. 2.

v.6. *Et aquas ſcindetis ab eis pro argento ut bibatis*, id eſt, *emetis*, Job. 6. v.27. Oſeæ 3. v.2. *Ego ſcidi mihi eam pro* 15. *argenteis.* Convivium ergo *Kerah* dicitur ab emptione nimirum eorum, quæ ad illud ſunt neceſſaria. Quid ſi etiam ſic appelletur vel a conciſione ſive mactatione animalium, vel a ciborum diſſectione, atque diſtributione, ut δαὶς apud Græcos, de quo infra.

Chaldaicè ſive Syriacè convivium nominatur טוסיג *toſig* & משתיא *Miſthaia*, Judic, 14. v.11. & משתותא *Maſchthuta*, Matt.22. v.2. γάμος, & שרותא *Scharuta* (quæ vox etiam Job. 1. reperitur) Luc. 14. v. 16. ἄριστον, & קובלא *Kubala*, Ibid. δοχή, & השמית *Haſchameta*, eodem in c. δεῖπνον vertitur. De voce לחם *Lecham*, & לחמא *Lachma* quæ perinde apud Chaldæos & Syros, atque לחם *Lechem* apud Hebr. convivium ſignificat, dictum eſt ſupra Dan.5. v.1. Hæc de nominibus Hebraicis atque Chaldaicis.

Græca. Græci porrò, quorum lingua & Hebræa & Latina eſt locupletior, multa habent nomina quibus convivium appellant, quorum alia quidem ſunt generalia, alia verò ſpecialia, quæ tamen ipſa quoque generatim ſæpe & per ſynecdochen pro quovis convivio uſurpantur. Maximè autem commune & tritum Græcis eſt vocabulum

Συμπόσιον. συμπόσιον, quod Latinè *compotium* ſive *compotamentum* nonnulli reddunt. Cicero *compotationem* vertit lib. de ſenectute, ubi vocem Latinam convivii Græco vocabulo longè urbaniorem atque honeſtiorem eſſe dicit. Idem porrò vocabulum, ut ex Athenæo & Polluce patet, non modò convivium, ſed locum quoque ſignificat, in quo convivium agitatur; nec non librum, qui convivii alicujus deſcriptionem continet, qua quidem ſignificatione a Platone, Xenophonte, & Luciano uſurpatur. Nonnunquam συμπόσιον de ipſis convivis dicitur, ut *convivium* aliquando apud Latinos. Συμποσίας quoque vocabulum in fæmineo genere à Polluce affertur, ſed nullius Scriptoris authoritate confirmatur. Li.3. Machab ἡ συμποσία ſignificat τὸν τῆς συμποσίας καιρὸν, id eſt, *compotationis tempus.*

Πότος & πότον. Πότον quoque & πότος, & in plurali πότοι, id eſt, *potatio*, compotationem ſive convivium ſignificat apud Menandrum. Hinc πότοι συνεχεῖς, κύβοι, id eſt, *compotationes aſſiduæ*, luſus dicuntur. Eadem voce Cyrillus quoque in hac ſignificatione utitur, & Athen. lib. 4. ὅταν δὲ βασιλεὺς πότον ποιῆται, συμπόται αὐτῷ εἰσὶν εἰς μάλιστα δώδεκα. Sic παρὰ πότον apud Ath. & Plut. inter potandum. Item ſuper convivium. Ποτὸς vero accentu in ult. ἔκπωμα, id eſt, *poculum*, eſt Ammonio & Suidæ, ποτὸς τὸ πινόμενον, πότος δὲ τὸ συμπόσιον. Σφοδροῦ δὲ πότου γινομένου, ἐνεδρεύων ὁ ἑστιάτωρ, αὐτὸς μὲν ὀλίγον ἔπινεν, αὐτοῖς δὲ πολὺ ἐγχεῖν τοῖς θεράπουσιν ἐκέλευσε. *Cum autem ferveret compotatio, ipſe quidem convivator veteratoriè agens parum bibebat, convivis autem jubebat multùm infundi.* Hæc ergo duo vocabula Græca reſpondent Hebræo משתה *Miſchte*, de quo ſuprà.

Δοχή. Δοχὴ quoque convivium dicitur ab excipiendis convivis, Luc. 5. ἐποίησε δοχὴν μεγάλην, id eſt, *fecit convivium magnum*, & Luc. 14. δοχὴν ἐπιτελεῖν *convivium* ſcilicet Dominicum *celebrare*, Ignatius: quod interpres reddidit *miſſas celebrare.* Item ὑποδοχὴ cùm ipſum excipiendi actum, tum etiam aliquando convivationem, ſive convivium ſignificat, quo quis excipitur. Bud. Com. ex Plut. ἀπὸ τῆς ὑποδέχεσθαι, *convivio excipio.* Athen. lib.6. τὸ ὑποθεὶς τὰς χεῖρας δέχομαι, & δεξιοῦμαι, φιλοφρονοῦμαι, ἑστιῶ. Bud. Com. Inde ὑποδεκτική, id eſt, *cœna adventitia*, de qua infra, & ὑποδοχεὺς, id eſt, ἑστιάτωρ, qui excipit convivio. Vocabulis δοχῆς & ὑποδοχῆς reſpondet Syriacum *Kubala*, Luc. 14. de quo ſupra, ſimiliter a recipiendis hoſpitibus dictum.

Ἑστίαμα. Item ἑστίαμα Euripid. in Iphig. & ἑστίασις, Plat. de Rep. 1. Thucid. 6. Clem. Alexand. Pædag. epulationem ſive epulum ſignificat: his adde ἑστιαθρίαν ex Græc. Bib. interpret. Reg. lib. 4. cap. 24. ἀπὸ τοῦ ἑστιᾶν, id eſt, *domo*, ſive *convivio excipere.*

Συσσίτια. Συσσίτια quoque & συσσίτιον cibi communio, ſive communis cibi participatio dicitur, & σίτησις Polluci *jus epulandi*, ſive *cibum capiendi*, *victus.*

Συνουσία. Συνουσία ſimiliter cùm pro conſuetudine, colloquio, conventu, coitu, tum pro convivio quoque ſæpe accipitur. Plato Sympoſ. μὴ διὰ μέθης ποιήσασθαι τὴν ἐν τῷ παρόντι συνουσίαν. Plut. Symp. συνουσίαν ποιοῦνται μετ᾽ ἀλλήλων ἐν ἀφθόνοις πᾶσιν, *cœtus inſtituunt convivales.* Eadem ſignificatione ab Ath. lib. 10. & alibi ſæpe uſurpatur.

Σύνοδος. Similiter σύνοδος quoque ſæpe pro cœtu ſive congreſſu conviviali uſurpatur, ut Ath. σύνοδοι φιλοσόφων *convivia Philoſophorum*, & Athen. lib. 7. σύνοδος παμμιγοῦς ὄχλου *convivium ex promiſcua hominum turba.* Apud Diog. Laert. in Epicuri teſtamento, καὶ εἰς τὴν γινομένην σύνοδον ἑκάστου μηνὸς τῇ εἰκάσι τῶν συμφιλοσοφούντων ἡμῖν εἰς τὴν ἡμῶν τε, καὶ μητροδώρου κατατεταγμένην, quæ Cicero ita reddidit: *Itemque omnibus menſibus viceſimo die lunæ dent ad eorum epulas, qui una ſecum philoſophati ſunt, ut ſui, & Methrodori memoria colatur.* σύνοδος ἐν οἴνῳ Polluci, id eſt, *conventus* ſive *congregatio in vino.*

Εὐωχία. Εὐωχία quoque *convivium* a Græcis appellatur, non ut inquit Athen. ἀπὸ τῆς ὀχῆς, id eſt, *a cibo*, ut nonnulli volunt, ſed ἀπὸ τοῦ καὶ ταῦτα εὖ ἔχειν *quòd in iis ſe bene haberent*, quaſi εὐεχία: quippe cùm ad ea convenientes Dei cultores lætitiæ indulgerent animumque relaxarent. Euſtathius utramque notationem ponit & proinde approbare videtur. Ιλ. α. 118. ἀπὸ τῆς ὀχῆς (quod *cibum* ſignificat) ſecundum nonnullos hinc derivatur τὸ εὐωχεῖν apud Heſiodum, *lætari*, *feliciter agere*, & εὐωχία per ἐπίτασιν. Idem Ιλ. β. 212. ἀπὸ τῆς ὀχῆς fit εὐωχία per intentionem ὡς εὖ συνέχουσα τὸ σῶμα: alii tamen ſic volunt dictum ἀπὸ τοῦ εὐέχειν τοὺς συνόντας εἰς εὐφροσύνην τιμῇ τοῦ θεοῦ, καὶ εἰς ἄνεσιν ἑαυτοὺς καθιέναι. Clemens Alex. Pædag. lib. 2. ad eandem etymologiam alludens, *In cœlis autem*, inquit, *eſt hoc cœleſte convivium* (ἡ ἐπουράνιος εὐωχία) quod quidem dicit eſſe charitatem Dei & proximi. Hinc Xenophon. lib. 3. de factis dictiſque Socratis, εὐωχεῖσθαι dicit de iis verè pronunciari, quæ ſunt parabilia, & neque animo, neque corpori gravia, eoſque qui ſobriè vivunt rectè εὐωχιστὰς dici ex verbi proprietate. Cel. lib. 9. cap. 13.

Δαίς. Δαὶς quoque, poëticè δαίτη Apollon. 2. Argon. δαίτην ἀμφιέπειν, & Ιλ. κ. (Euſtath. id σκληρότερον eſſe dicit) & δαιτὺς Ιλ. χ. cùm *cibum*, tum *convivium* ſignificat. Derivatur autem teſte Athen. lib. 1. ἀπὸ τοῦ δαίεσθαι, ὅ ἐστι διαμοι-

διαμοιρᾶσθαι ἐπίσης, hoc eſt, *ab æquali diviſione*, ſeu diſtributione cibi, atque potus olim in conviviis uſitata. Hinc eodem teſte, δαῖτα volunt ſæpe ab Homero εἴσην dictam quaſi ἴσην ἀπὸ τῆς ἰσότητος ſecundum pleonaſmum Ionicum literæ *Iota*, quia, ut Euſtath. interpretatur, ἰσομοίρως ἐδαίνυντο διὰ τὸ ἀφιλόνεικον, id eſt, *æqualibus portionibus cuique aſſignatis convivabantur contentionis vitandæ gratia*: unde δαιτρὸς teſte Athen. dicebatur is, qui carnes aſſabat, quique æqualem ſingulis portionem dabat. Hac autem æquabili portionum diſtributione idem author vult convivia (quæ olim ſumma cum contentione, atque etiam cædibus fuerunt celebrata, ſingulis cibum avidè rapientibus, unde etiam ἀταςθαλίαν nonnulli volunt eſſe dictam) εἰς κόσμον, *ad modeſtiam*, ac juſtum legitimumque ordinem fuiſſe redacta. Idem quoque vult hanc ob cauſam δαιτὸς vocabulum ſolis hominibus ab Homero merito tribui, beſtiis non item: propterea quod ſoli homines, ut electionis, ita æquabilitatis quoque ſeu æqualitatis ſint capaces, atque idcirco Zenodotum reprehendit, quòd is vocem hanc de beſtiis quoque prædicarit. Seleucum tamen idem teſtatur, δαῖτα voluiſſe literarum mutatione dictam quaſi δίαιταν, & priorem illam derivationem ceu nimis coactam & violentam rejeciſſe. Δίαιτα quoque pro convivio videtur accipi apud Athen. lib. 4. ἀλλήλων ἐποίησεν ἐλθόντα τὸν χείρονα ἐπὶ τὴν τοῦ ἀμείνονος δίαιταν, niſi forſan ſit mendum, & δαῖτα legendum. Suidæ quoque δαὶς videtur dicta quaſi δίαιτα literarum transpoſitione, illud autem etymon ἀπὸ τοῦ δαίζεσθαι eſſe βιαιότερον. Hinc πανδαισία quoque δαψιλὴς ἢ παντοία εὐωχία, ſive ποικίλη, καὶ ἐκ διαφόρων ὄψων εὐωχία, ut tradit Ariſtoph. Schol. Pace, id eſt, *convivium magnificum, variiſque ferculis conſtans.*

Ἀγάπας quoque, hoc eſt, *charitates*, nonnulli Clementis Alexandrini tempore prandia & convivia vulgo nominabant, ut ipſemet teſtis eſt Pædag. lib. 27. ubi hanc appellationem reprehendit: *Nam ſit quidem*, inquit ille, *cœna propter charitatem, ſed non eſt ipſa charitas, verùm* δεῖγμα εὐνοίας κοινωνικῆς, καὶ εὐμεταδότου, id eſt, *ſignum benivolentiæ ad communicandum, largiendumque propenſæ.* Et paulò poſt, *Charitas*, inquit, *non eſt cœna, ſed cœna a charitate pendet.* Et tamen cœnæ illæ Chriſtianorum primitivæ eccleſiæ, quæ cœnæ dominicæ fuerunt appendices, *agapæ* fuerunt appellatæ, propterea quod mutuæ charitatis atque conjunctionis tuendæ cauſa fuerunt inſtitutæ. Ἀγάπαι.

Εἰλαπίνη (qua voce crebrò Homerus utitur) propriè magnificum & opiparum convivium ſignificat. Ιλ. κ. Αἰεὶ δ' ἐν δαίτῃσι καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσται· interpretantur, ἑορταῖς ὅτι κατὰ ἴλας πίνουσι· εἴρηται ἢ ὅτι παρὰ τὸ ἔλαττον ἀγέσθαι τὰς εὐωχοῦντας, ὅ ἐστι ταράττεσθαι. Et Οδ. α. εἰλαπίν' ἠὲ γάμος, ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν· ubi εἰλαπίνη & γάμος, quod ad ſplendorem & magnificentiam eſſent apparata, opponuntur ἐράνῳ ad quod plurimi, ſed ſuo quiſque ſumptu conveniunt. Athen. lib. 8. (id quod etiam docet Euſtath. Ιλ. ρ. p. 1160. 201.) τὰς, inquit, θυσίας, καὶ τὰς λαμπροτέρας παρασκευὰς, id eſt, *ſacrificia, & ſplendidiores apparatus veteres nominabant* εἰλαπίνας, *& qui illis fruebantur* εἰλαπιναστάς. Idem paulò poſt, εἰλαπίνας, inquit, *vocarunt ab illorum apparatu, atque ſumptibus.* Nam λαφύττειν, & λαπάζειν idem ſignificant quod ἐκκενοῦν καὶ ἀναλίσκειν, id eſt, *exinanire & abſumere.* Unde & λαπαρὸς *macilentus*, & λάπαθος herba quòd ventrem evacuet, & λαπάρα, id eſt, *venter*, Euſtath. videtur dici Οδ. α. Poetis quoque ἀλαπάζειν per pleonaſmum literæ α idem eſt quod πορθεῖν, id eſt, *depopulari, diripere*, & ea quæ depopulando abrepta ſunt λάφυρα, id eſt, ſpolia appellantur παρὰ τὸ λαφύειν. Æſchylus & Euripid. εἰλαπίνας volunt dici ἀπὸ τοῦ λελαπάχθαι, *evacuando.* Λάπτειν enim ſignificat *concoquere.* Euſtath. quoque de Athenæi ſententia a λάπτειν derivat διὰ τὸ λαπτικὸν τῆς τοιαύτης λαμπρᾶς παρασκευῆς καὶ δαπάνης. Addit tamen antiquis Grammaticis εἰλαπίνην etiam dici εὐωχίαν πολυτελῆ ἐν ᾗ κατ' εἴλας, ἢ ὁμοῦ εἰλούμενοι πολλοὶ ἔπινον χαίροντος δηλαδὴ τοῦ δειπνοκλήτορος. Οδ. α. 50. Idem Οδ. ρ. 646. in illa verba,

εἰλαπινάζουσι πίνουσί τε αἴθοπα οἶνον,

πίνουσι, inquit, *addit, quoniam* εἰλαπίνη *etiam dicitur* ἐκ τοῦ λάπτειν, καὶ πίνειν, ἢ κατὰ εἴλας πίνειν. Pindarus, ἔνθα μιν εὔφρονες ἶλαι σὺν καλάμοιο βοᾷ θεὸν δέχονται. Cælius lib. 27. c. 24. *Dici ilapinem interpretantur ab* ἴλαι, *quo nomine ordines intelligunt, ac vertigines, quas juniores ederent in choris, cujusmodi a comeſſantibus poſt victoriam exhibebantur.* De voce εἰλαπίνη & ἴλαι, ſive εἴλαι, vide plura apud Euſtath. Οδ. α. 50. Εἰλαπίνη.

Θοίνη ſimiliter epulum ſive convivium ſignificat, ſic dictum, teſte Athenæo lib. 2. ὅτι διὰ θεοὺς οἰνοῦσθαι δεῖν ὑπελάμβανον, id eſt, *quia propter Deos largiùs vino indulgendum eſſe putabant.* Addit idem ex Seleuco, antiquitus neque vino, neque ullis aliis lautitiis indulgere fuiſſe licitum, niſi id Deorum gratia fieret: hinc & θοίνας, & θαλίας, & μέθας dicta eſſe. θοίναμα quoque apud Euripid. in Oreſte, & θοίνα in epigram. & θοινητήριον apud Eurip. Heſych. pro dapibus pariter, atque epulis uſurpantur. Hinc θοινᾶν & θοινᾶσθαι id eſt, *convivari*, θοινήτωρ, *conviva*, θοινητικὸν *ad convivandum aptum*, θοινητικὰ ὄργανα Xenoph. in Oecon. *inſtrumenta ad epulationem*, Cic. apud Columellam 12. 13. πρωτοθοινία, prima convivii portio Polluci. Item δημοθοινία, πανθοίνη, πανθοινία Polluci. Suidæ idem quod πανδαισία, id eſt, *publicum & magnificum convivium:* & inde πανθοινεῖν *epulari*, & πανθοινεὶ adverbium, id eſt, *ſolemni epulo*, ſive *per totum epulum.* His adde εὔθοινον *ſplendidum convivium.* Θοίνη.

Θαλία quoque convivium propriè magnificum, ac omnibus rebus abundans ſignificat, quaſi dicas *floridum* ſive *virens*, nimirum a θάλλειν, quod *florere* ſignificat. Athen. lib. 2. θαλίας a veteribus teſtatur nuncupata eſſe convivia feſtiva ὅτι θεῶν χάριν ἡλίζοντο, καὶ συνήεσαν, id eſt, *quia deorum gratia congregari, & convenire conſueverant*: videtur ergo Athenæus hoc vocabulum deducere ab ἀλίζομαι. Unde ab Heſychio exponitur πανήγυρις. Budæus quoque apud Herodotum non tantùm pro epulo, ſed etiam pro die feſto, & feria uſurpari annotat. Inde θαλιάζειν Plutarch. in Sympoſ. & alibi interpretatur φιλοφρόνως, καὶ ἱλαρῶς συνιέναι ἀλλήλοις ἐν οἴνῳ, id eſt, *ſumma cum hilaritate, & benivolentia mutua celebrare convivia* Hinc Athenæus lib. 1. ἀτασθαλίαν vult eſſe dictam, quoniam homines ἐν ταῖς θαλίαις, hoc eſt, *feſtis deorum* atque *conviviis*, quæ in iis agitari fuerunt ſolita, peccandi initium fecerunt. Notandum quoque δαῖτα, θάλειαν & εἰλαπίνην τεθαλυῖαν ab Θαλία.

Homero, & aliis Poëtis sæpe poni pro convivio opiparo, quod aut ipsum splendido apparatu quasi vireret, aut ipsos convivas quasi virere faceret, hoc est, *convivium lætum*, & festivum. Eustath. ex quodam poëta, ἐπὶ δ᾽ ὀφρύσι σελίνων στεφανίσκους θέμενοι θάλειαν ἑορτὴν ἀγάγωμεν, id est, ut inquit, in qua ἔθαλλον ὑπερβάλλοντες τῷ εἰωθότος· ubi bene exprimitur quid sit θάλεια ἑορτὴ sive δαῖς, in qua nimirum στεφανίσκους ἐπὶ ὀφρύσι τιθέντες εὐώχουν, id est, *in qua coronati lætique ac hilares genio indulgebant*: Ac deinde generaliùs hoc vocabulum usurpatum pro quavis festa ac hilari celebritate.

Θίασος. Θίασος etiam convivantium cœtum sive convivium significat, unde Hesychius quoque non solùm exponit βακχικὸν πλῆθος, sed etiam εὐωχίαν. Et Athen. lib. 8. quum ἐράνους esse dixisset τὰς ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγάς, subjungit, hunc ipsum ἔρανον vocari etiam θίασον, indeque συνθιασώτας appellari τοὺς συνιόντας ἐρανιστάς. Eodem sensu accipiendum quod initio lib. 5. dicit, τότε φυλετικὰ δεῖπνα, καὶ τὰ δημοτικὰ προσέταξαν· ἔτι δὲ τοὺς θιάσους, καὶ τὰ φρατρικὰ καὶ ὀργεωνικά. Et Plut. in Hel. de Ægin. ait: τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἄγουσι τοὺς καλουμένους θιάσους, ἐν ᾗ καθ᾽ ἑαυτοὺς ἐφ᾽ ἡμέραις ἑκκαίδεκα μετὰ σιωπῆς ἑστιῶνται. Hæc eadem porrò vox cùm generatim pro quovis cœtu saltantium, reique divinæ vacantium, tum, ut testis est Athenæus lib. 8. pro turba hominum Bacchicos choros agitante usurpatur secundùm illud Euripid. ὁρῶ δὲ θιάσους τρεῖς γυναικείων χορῶν· *Video autem thiasos tres muliebrium chorearum*. Ejusdem meminit Demosth. pro Coron. & Virgil. Eclog. 5.

Instituit Daphnis thiasos inducere Baccho.

Et Æneid. lib. 7.

Tum quorum attonitæ Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis ----- undique collecti coeunt.

Thiasos autem alii ἀπὸ τοῦ τὰ θεῖα ᾄσαι, id est, a sacris carminibus, alii verò ἀπὸ τοῦ θεῖν, id est, a *currendo*, volunt esse nuncupatos. Athen. vult ἀπὸ τοῦ θεοῦ, id est, *Deo*, esse dictos, quoniam dii Laconica lingua σιοὶ appellantur. Eadem ferè Suidas habet.

Ἔρανος. Ἔρανος idem quod θίασος, teste Athenæo, convivium collatitium, *quod a symbolarum collatoribus (ut* Plautus loquitur) *instruitur*, convivium in quod suam quisque symbolam sive partem confert. Athen. lib. 8. ἔρανον αἱ ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγαὶ ἀπὸ τοῦ συνεράν (quid si legendum συνερανίζειν, Eustath. Οδ. λ. 459. συνερᾶσθαι legit, quam vocem vocat novam) καὶ συμφέρειν ἕκαστον ἔρανον, id est, *convivium collectas conferentium*. Didymus exponit, δεῖπνον ἐκ συμβολῆς, id est, *convivium ex collecta*. Idem etiam ἀπὸ σπυρίδος, id est, *à sportula* dicebatur, teste Athen. Eustath. Οδ. λ. ubi tria hæc γάμος, ἔρανος & εἰλαπίνη conjunguntur. *Sciendum est*, inquit, *quod* τὸ ἀπὸ συμβολῆς δεῖπνον, id est, *convivium ex symbola, Hesiodus* ἐκ κοινοῦ, id est, *ex communi, appellavit*: & id est ἔρανος. Idem in Ιλ. α. annotat ἔρανον esse τὴν ἀπὸ κοινῆς συμβολῆς, ἤγουν καταβολῆς, καὶ δαπάνης εὐωχίαν. Ubi annotat etiam ἔρανον fuisse κόσμιον, ac minime πολυτελῆ. Solitos enim fuisse τοὺς ἐρανιστὰς ut plurimùm φειδωλῶς ἐσθίειν *parcè comedere*, quoniam unusquisque τὸ ἴδιον ἤσθιε, id est, *suum comedebat*. Unde C. Plinius secundus ἔρανον appellat *collationem ad tenuiorum inopiam sustinendam*: Epistolarum libro decimo. Hesiodo hujusmodi convivia placuerunt, propterea quod in illis jucunditatis plurimum, sumptus haud multum inesset. Quin & Romanis probrosum videbatur esse ἀλλοτριοφάγον, id est, *alienis vesci*; ac proinde singuli ferebant quod essent ac biberent.

Συναγώγιον. Συναγώγιον quoque Græcis convivium dicitur, ut συνάγειν est *compotare*. Athen. lib. 8. sub finem, ἔλεγον δὲ συνάγειν καὶ τὸ μετ᾽ ἀλλήλων πίνειν, & συναγώγιον τὸ συμπόσιον. Sed convivium propriè intelligendum, quod ex symbolis fit, quod θίασον & ἔρανον paulò antea diximus appellari. Addit enim Athen. (interjecto Menandri loco) μήποτε δὲ τοῦτ᾽ ἐστιν τὸ ἀπὸ συμβολῶν καλούμενον, id est, *quod ex collatis sive collectis symbolis fit*, quod etiam Athen. συναγώγιμον δεῖπνον appellat, id est, συμβλητὸν *collectionem*. Eadem Eustath. tradit. Ιλ. π. f. 1113.

Ἄριστ. &c. Ἄριστον, δεῖπνον, σύνδειπνον (Athen. lib. 8. quod *concœnationem* Cicer. epistola 9. ad Pætum, vertit) δόρπος & δόρπον licet certas quasdam conviviorum species propriè significent, tamen in genere pro quovis convivio creberrimè apud authores usurpantur, de quibus infrà commodior erit dicendi locus.

Αἶκλον. Αἶκλον quoque συναικλείαν a Doris δεῖπνα & συνδεῖπνα dici, testis est Athen. lib. 4. & ἐπάικλα ab iisdem secundæ mensæ appellantur.

Ἡβητήρια. Ἡβητήρια quoque convivia dici, testis est Athen. lib. 10. καὶ τὴν ἥβην δέ τινες ἀνέπλασαν οἰνοχοοῦσαν αὐτοῖς, ἴσως διὰ τὸ ἡβητήρια καλεῖσθαι τὰ συμπόσια, id est: *Heben finxerunt* Poetæ *stare à poculis deorum, forsan quia convivia sunt Hebeteria*. Eustath. quoque annotat ἡβητήριον esse συμπόσιον, & interdum τὴν ἄσεμνον συναγωγήν. Ιλ. ψ. 1280. Idem vocabulum & Suidas παιδευτήριον, id est, *ludum literarum*, & Hesych. ἑστιατόριον, & κατάλυσιν, id est, *locum amænum comparatum ad convivia agitanda*. Suidas quoque ἡβητήριον interpretatur κατάλυσιν.

Κυλικεῖον. Κυλικεῖον, quod proprie calicum repositorium, sive locum calicibus reponendis destinatum significat, aliquando pro convivio usurpatur, ut accipit Eustath. in illo loco, qui citatur ab Athen. lib. 11. ex Cratino. μόλις εἰς τὸ κυλικεῖον ἀνεγράφην, id est, εἰς τὸ συμπόσιον, quasi videlicet πολυπραγμονηθεὶς πως.

Κώθων. Κώθων quoque, quod est poculi Laconici & militaris genus Athen. lib. 11. etiam pro ipsa compotatione nonnunquam videtur accipi, quod horum poculorum maximus in compotationibus usus esset. Athen. lib. 11. τοῦ δὲ κώθωνος εὖ μάλα προβεβηκότος. Hinc περὶ κώθωνα διατρίβειν *potare* seu *compotare*, Plutarchus in Pyrrho & Antonio.

Κλητώριον. Κλητώριον quoque pro convivio a Græcis usurpatur. Suidas κλητώριον ἡ βασιλικὴ δόξα, ἡ τράπεζα, id est, *regia gloria* sive *mensa*. Cedrenus in Leone Basilii, τὰ κατὰ τύπον ἐκτελεῖν κλητώρια, & in Justiniano τὰ ἐξ ἔτους κλητώρια. Ana-

Anaſtaſius *prandia*, quæ ex more fiunt interpretatur. Videntur ergo regia & imperatoria convivia propriè hoc nomine intelligi.

Atque hæc de nominibus Græcis, quibus convivium inſignitur, quæ derivantur vel a potu ſeu potatione, ut συμπόσιον, πότος, εἰλαπίνη, δεῖπνον· vel a vino, ut θοίνη· vel a ſocietate ſive communione, ut συνουσία: vel a conventu ſive congreſſu, ut σύνοδος, συνέλευσις· vel a ſymbolarum collatione, ut ἔρανος, θίασος, συναγώγιον· vel a cibi potuſque æquabili diſtributione olim uſitata, ut δαὶς, ſive δαίτη, δαιτύς· vel a convivis peregrinisque excipiendis, ut δοχὴ, ὑποδοχή· a charitate, ut ἀγάπη· vel a bona corporis, animique conſtitutione, ut εὐωχία· vel a calicibus, ut κυλικεῖον, κώθων· vel a flore, ut θαλία, &c.

Apud Latinos convivii nomen maximè tritum eſt, & uſitatum, cujus etymon eleganter a Cic. his verbis exprimitur lib. de Senect. *Bene enim majores noſtri accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt, meliùs quam Græci, qui hoc idem tum compotationem* (συμπόσιον) *tum concœnationem* (σύνδειπνον) *vocant.* Idem ad Pætum: *Sapientiùs noſtri quàm Græci, illi συμπόσια & σύνδειπνα, id eſt, compotationes aut concœnationes, nos convivia, quòd tum maximè ſimul vivitur.* De eadem voce ſic Iſidorus lib. 20. Etym. *Convivium apud Græcos à compotatione συμπόσιον, apud nos verò à convictu rectiùs appellatur: vel quia vitæ collocutionem habet.* Idem, *convivium dicitur à multitudine conveſcentium. Nam privata menſa victus convivium non eſt.* Hæc ille. Convivium omnino a verbo antiquo *convivere* videtur deduci, quod convivari ſignificat, quia nimirum *tum maximè*, ut Cicer. inquit, *ſimul vivitur.* Sunt alia quoque permulta vocabula magis ſpecialia; quibus idem exprimitur, certa quædam conviviorum genera ſignificantia, de quibus ſuis in locis, quæ tamen ſæpenumero ad quodvis convivium generatim ſignificandum adhibentur: cujuſmodi ſunt *epulæ* quaſi *edipulæ*, *epulum*, *epulatio* Columellæ, *prandium*, *cœna*, *comeſſatio*, &c. Menſæ quoque vocabulum præſertim plurali in numero crebro metonymicôs pro convivio uſurpatur, ut *menſæ primæ, ſecundæ, Italicæ, Syracuſanæ*, &c. In ſpecie verò pro Cœna apud Juvenalem his verbis: Latina nomina. Convivium

Perpetua anxietas nec menſæ tempore ceſſat:

Ubi de conſcientia verba facit. Cui ſimile illud quidem:

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Paſtus quoque (unde forſan Gallicum, *repas*) pro convivio uſurpatur. Item *ſodalitas*, *conventus*, *congreſſus*, *convictus*, *cœtus*, *convivarum congregatio* a Macrob. convivium appellatur lib. 1. Satur. c. 5. quibus reſpondent Græca σύνοδος, συνέλευσις.

Germanicè convivium vulgò maal / gaſtmaal / gaſterey / banquet / weerdtſchap a Belgis appellatur. Notabis præterea omnia ferè conviviorum nomina Germanica deſinere vel in maal/ ut abendmaal / id eſt, veſperna, nachtmaal/ id eſt, cœna: vel in ſuppen. quod pultem ſive pulmentum ſignificat, quo Germani maximè delectantur, ut morgenſuppen/ id eſt, *jentaculum*: vel in ſtuck/ id eſt, *fruſtum*, ut frůſtuck / id eſt, *jentaculum*: vel in trunck / id eſt, *potum* ſive *potationem*, ut abendtrunck / id eſt, *potatio veſpertina*. ſchlaaftrunck/ quaſi dicas ὑπνοπόσιον, id eſt, *comeſſatio*: vel in eſſen/ id eſt, *edere*, ut morgen eſſen / abend eſſen/ zů nacht eſſen/ imbiß/id eſt, *jentaculum*, *veſpertina*, *cœna*, *prandium*: vel in brot/ id eſt, *panem*, ut morgenbrot/ id eſt, *jentaculum*, abendbrot / id eſt, *veſperna*: vel denique in zächen & ůhrten (quæ duo vocabula ſymbolum ſive collectum ſignificant) ut abendzachen / abendůhrten/ id eſt, *veſpertina compotatio.*

Gallicè *banquet*, *convive*, *feſtin.* Unde Anglicè *a feaſt.* Ital. *convito.* Hiſpan. *combito de muchos.* Polonicè *bieſiada* a ſedendo, quaſi conſeſſio, ſive conſeſſus.

Convivæ porrò, hoc eſt, qui uno & eodem cibo potuque ſimul utuntur, ſive qui cibi potuſque communione, & conſuetudine utuntur, ab Hebræis appellantur מסבים *meſibbim* a סבב, quod accumbere ad comedendum ſignificat, 1. Sam 16. Pſal. 140. v. 10. *Amaritudo convivarum meorum.* Alii tamen a סבא *ſaba* volunt derivari, quod ſignificat *potare*, ſive *inebriari*, id quod in conviviis fieri ſolet. Nominantur etiam קרים *kerijm*, id eſt, *invitati* 1. Sam. 9. Soph. 1. ſicut Chaldaicè זמיניא *Seminaja* 2 Reg. 13. Luc. 14. a זמן *ſeman*, id eſt, *invitavit*: item *viri panis* apud Abdiam. Convivarum nomina Hebræa.

Apud Græcos autem variis modis nominantur, ut ab invitatione ſeu convocatione κλητοὶ, ἐπίκλητοι, σύγκλητοι, συγκεκλημένοι, συγκληθέντες paſſim apud Ath. Vel ab accubatione, ut συγκλῖται, παρακλῖται, σύγκλινοι, Polluc. ἀνακείμενοι, Matt 22. συνανακείμενοι, Luc. 14. ὁμοκλινέες Nonnus Joan. 2. Vel a menſæ communione, ut ὁμοτράπεζοι, συντράπεζοι, τραπεζεῖς, ſive τραπεζεῖς Poll. vel a potus communione, ut συμπόται, & in fœ. συμπότειραι ſive συμποτίδες· vel ab ipſa conſuetudine conviviali, ut συνουσιασταὶ, συμβιῶται, ὁμόβιοι Plut. vel in genere a cibi, potus, convivii denique ſocietate, ut συμποσιασταὶ, ὁμόσιτοι, σύσσιτοι, συσσίτιοι (Ariſtoph. Scholiaſt. σύσσιτον interpretatur σύντροφον καὶ διαιτητήν) συνέστιοι, ὁμότροφοι, σύντροφοι, ἐσθίοντες Mat. 14. φάγοντες Mar. 6. σύνδορποι, συνδόρπιοι, ὁμοδόρπιοι, δαιτυμόνες, δαιτυμονεῖς, δαιταλεῖς, συνδαιταλεῖς. Suid. θοινήτορες. Non. σύνθοινοι, συνθοίνιοι Ath. εὐωχηταὶ, συνευωχούμενοι Jud. 1. 2. Pet. 2. θιασῶται, συνθιασῶται, Poll. Ath. εἰλαπιναςαὶ, οἰνοποτῆρες paſſim apud Ho. ὁμοχοίνικες Plu. ὁμοδίαιτοι Luc. Gre. συνδιαιτηταὶ Luc. ἐν οἴνῳ ὄντες. Ath. lib 5. Græca.

Latine, *convivæ*, *conviviones*, *compotores*, ſive *compotatores*, fæ. *compotrices*, *compranſores* Cicer. Philip. 2. *conſeſſores*, idem pro Flacco. *combibones*, *commenſales* vulgò. Dicuntur etiam *epulares* non modò qui Jovi olim, cæteriſque diis epulas inſtruebant, verùm etiam qualeſcunque convivæ, qui epulis interſunt, quos etiam veteres epulonos dixerunt per ſecundam inflexionem. Inde coëpulonus dicitur convictor, & iiſdem epulis veſcens. Plaut. Perſa. *O mi Jupiter terreſtris, & coëpulonus.* *Sodales* etiam ferè in conviviis dicuntur, qui eadem menſa utuntur zächgeſellen. Auguſt. *ſodales* vult dictos, quòd ſimul ſederent, & ſimul epu- Latina.

epularentur, quod hodie in cœnobitis est videre. *Contubernalis* quoque interdum pro conviva, aut hospite familiari ponitur. *Symplator*, ut testatur Beroaldus in Sueto. dicitur amicus sponsi, qui cum eo per convivia ambulat. *Symplones* dicebantur convivæ.

Convivium parare Hebraicè.

Convivium parare Hebraicè עשה, id est, *facere.* Isa. 25. Ge. 19. 21. Est. 1. עבד *aabad* Dan. 5.

Convivium parare Græce.

Convivium parare Græcè ποιεῖν δοχὴν Luc. 5. & 14. ποιεῖσθαι ἀποδοχὴν Plut. Sym. δοχὴν ἐπιτελεῖν. Ign. ποιεῖν δεῖπνον, ἢ ἄριστον Lu. 14. ποιεῖν γάμους, id est, συμπόσιον γαμικὸν Mat. 22. δειπνοποιεῖν, & δειπνοποιεῖσθαι, ἀριστοποιεῖν & ἀριστοποιεῖσθαι Xenoph. συμπόσιον κατασκευάζειν Pla. παρασκευάζεσθαι Plu. συσκευάζειν, σκευάζειν Ath. 8. ἑτοιμάζειν Lu. 12. ἐνσκευάζειν δεῖπνον Aristoph. εὐτρεπίζειν, ἄριστον ἐπιχωνεύειν, id est, *conflare*, Diph. apud Ath. Ho. hæ ferè tritæ sunt phrases: δαῖτα ἐφοπλίζειν τισι Ιλ. δ. ἐφοπλίζεσθαι Ιλ. θ. δόρπον ὡπλίσαντο Ιλ. δ. Eust. ἀντὶ τοῦ ἐσκεύασαν, ὅπλα γὰρ οὐ τὰ πολεμικὰ μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ παντὸς ἔργου ὄργανα, id est, *paraverunt*, ὅπλα *enim*, sicut Hebræum כלים *Celim*, *non modò bellica verùm etiam cujusvis instrumenta dicuntur.* Nota obiter etiam

Arma pro instrumentis.

in sacris literis vocem armorum simpliciter instrumenta significare Rom. 6. *exhibere membra sua arma injustitiæ, & arma justitiæ.* Item δεῖπνον ἐφοπλίσαι Οδ. τ. ὅπλεσθαι Ιλ. τ. Item τεύχεσθαι Ιλ. α. τετυκεῖν Οδ. ο. Item δαῖτα πένεσθαι τισι Οδ. γ. περὶ δεῖπνον πένεσθαι Οδ. Δ. & Ω. δαῖτα ἀλεγύνειν Οδ. θ. δόρπα πονέεσθαι Ιλ. ω. δόρπον κοσμεῖν τινὶ Οδ. π. ab initio. Item ἐντύνεσθαι ἄριστον Οδ. π. ab initio. Item Οδ. ω. ἐνσύνειν Bachilides apud Ath. lib. 4. πονέεσθαι Appol. 12. Argo. Item δαῖτα τίθεσθαι Ιλ. η. & Οδ. γ. τιθέναι παρά τισι Ιλ. ι. παρατιθέσθαι τισι Ιλ. ψ. δεῖπνον δ' αἶψα συῶν ἱερεύσατε Eustath. διὰ δεῖπνον σφάζετε, δεῖπνον δοῦναι τινὶ Οδ. ο. τινι λαρὸν παρὰ δεῖπνον θέσθαι Ιλ. τ.

Convivium parare Latinè.

Latinè, convivium parare & instruere. Cic. in Verrem, *Omnibus curat rebus paratum & instructum sit convivium. Ornare & apparare convivium.* Ibid. *Ornare magnificè, splendidéque convivium,* Idem pro Quintio, *Convivium parum scitè exornat.* Sal. *Magnificè & ornatè convivium comparare.* Cic. in Ver. *Cœnulas facere*, idem ad Pæt. *Instaurare epulas*, Vir. *Instituere epulas*, Sil. *Instruere epulas*, Liv. *Onerare mensas epulis: Ponere epulas*, Ovid. *Convivium adornare*, Cic. *Prandium illicò fabricatur opiparè*, Apul. *Prandium accurarier*, Plau.

Convivari.

Convivari Græcè συμποσιάζειν, συμπόσια ἄγειν, Lat. convivium agere. Ath. lib. 5. συνάγειν, Ath. interpretatur τὸ μετ' ἀλλήλων πίνειν, id est, συμπίνειν, unde συναγώγιον, id est, *compotatio.* εὐωχεῖσθαι, συνευωχεῖσθαι. Hom. συμφαγεῖν, & συγκαταφαγεῖν, συγκλίνειν, & συγκατακλίνειν, συνεστιᾶσθαι, συνουσίαν ποιεῖσθαι, Ath. 8. ἀριστᾶν, ἀριστοποιεῖσθαι, συναριστᾶν, συναριστῶσαι, Poll. δειπνεῖν, δειπνεῖν δαῖτα, δειπνεῖν δεῖπνα πολυτελῆ Aristoph. δεῖπνον συσκευάζειν, Luc. δειπνῆσαι ἄριστον, Hesiod. συνδειπνεῖν σύνδειπνα, Ath. lib. 5. συνακρατίζεσθαι, κρασοραίζειν, Athen. θοινᾶν, θοινᾶσθαι, θοινηθῆναι, Οδ. Δ. θῶσθαι Doricè, εἰλαπινάζειν, δαίειν, & δαίειν, δαιταλεῖν apud Lycoph. ἐπιδαιτεῖσθαι, Hesych. δαίεσθαι, μεραδαίτεσθαι, Hesych. δόρπον ἑλέσθαι, Hom. δεῖπνον ἑλέσθαι, Οδ. β. δαίνυσθαι, δαίνυσθαι ἐρικυδέα δαῖτα, δαίνυσθαι ἐν γάμῳ, δαίνυσθαι κατὰ δῶμα. Ιλ. α. δαίνυσθαι εἰλαπίνην dicuntur venti. Ιλ. ψ. δαίνυσθαι κρέα Apollon. θ. δαίνυσθαι παννύχιοι λέγονται ἀχαιοί. Ιλ. η. in fine. εὖ δαίσασθαι Apollon. δαιτὸς κορήσασθαι θυμὸν, Οδ. θ. δαιτὶ παρήμενος τέρπεται (Neptunus) Οδ. α. ferè ab initio, δείπνῳ ἐφιζάνεσθαι, Ιλ. κ. in fine.

Latinè, *Convivari*, *convivium agere*, Cicer. *Convivium agitare*, Plaut. *celebrare*, *concelebrare*, *inire*, Cicer. *Convivium exercere*, Tertull. lib. 2. ad uxorem: *Si jejunia observanda, maritus eodem die convivium exerceat. Convivere*, antiquum vocabulum, Plautus. Quintil. *Epulari. epulis accumbere.* Virg. *Adire epulas*, Ovid. *Obsonare*, & *obsonari* quoque antiquitus pro *convivari* ponebatur, unde *obsonator*, *obsonatrix*, *obsonatio*, & *obsonito*, id est, assiduè convivor. Nævius, *Multi eo die mecum obsonitavere. Commanducare.* Spartianus in Pescennino, *Jussit ne in zonis milites ad bellum aureos, aut argenteos nummos portarent, sed publicè commanducarent.*

Convivio aliquem excipere.

Convivio aliquem excipere, sive convivium præbere, Græcè ἑστιᾶν quod & convivio excipere significat, & interdum cum accusativo rei pro *celebrare agitando convivia*, ut ἑστιᾶν γάμους, Ath. ἑστιᾶν γενέθλιον, vel potius γενέθλια, Luc. ἑστιᾶν τὸ δεῖπνον, τὸ ἐπιτάφιον, Synes. Epist. 3. id est, *celebrare, nuptias, natalitia, exequias agitando convivia.* Sic δαίειν γάμον, Ιλ. τ. δαίειν ὑμεναίους nimirum à ciborum divisione olim usitatissima. Item δειπνίζειν, δειπνίζειν, δαίειν & δαίειν. Herod. τῇ ἀσυνάγῃ ἀνόμῳ τραπέζῃ ἔδαισε, id est, *mensa nefanda excepit.* δαινῦναι, Hom. δαίνυ (pro δαίνυθι) δαῖτα γέρουσι, id est, *da convivium senibus.* δαινῦναι γάμον, Οδ. δ. δαινῦναι τάφον τισι, Ιλ. ω. εὐωχεῖν, ἐρανίζειν, ἀναλαμβάνειν, & παραλαμβάνειν ἐπὶ δεῖπνον, Plut. Sympos. 2. Prob. 5. ὑποδέχεσθαι, Athen. lib. 6. convivio excipere. δεξιοῦσθαι τραπέζῃ, ἢ σιτίοις, Herod. id est, accipere epulis.

Latinè, *Cænam alicui dare*, *Prandium alicui præbere*, Cic. *Accipere epulis apparatis*, Livius. *Adhibere aliquem epulis*, Sueton. *Dare epulas alicui*, Virg. Plautus in Captiv. *Æternum tibi dapinabo cibum.*

CAPUT II.

CONVIVII DEFINITIO.

Convivium quid.

Atque hæc quidem de nominibus quasi prima quædam ducta sint lineamenta, nunc ad rem ipsam aggrediamur exordio ducto ab ejus definitione, quoniam, ut sapientissimè Cicero monet, *omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur.* Ac Cicero quidem convivium epularem amicorum accubationem vocat, quod pleniùs sic mihi videtur posse definiri. Convivium est honesta, suavis, & jucunda amicorum hominum ejusdem cibi atque potus (adde sermonis) communio, mutui amoris amicitiæque cum Deo pariter, atque hominibus partim contrahendæ, partim tuendæ

tuendæ atque confirmandæ caussa instituta. Huic descriptioni affines sunt elegantissimæ illæ duæ Plutarchi definitiones, una quæ extat lib. 7. Symposiacôn Probl. 6. συμπόσιον ἐςὶ κοινωνία καὶ σπουδῆς, καὶ παιδιᾶς, καὶ λόγων, καὶ πράξεων, hoc est, *Convivium est seriorum, atque jocorum, sermonum, actionumque communio.* Altera est lib. 1. Sympos. probl. 1. ubi definitur διαγωγὴ ἐν οἴνῳ εἰς φιλίαν ὑπὸ χάριτος τελευτῶσα: hoc est, *oblectatio, seu vivendi ratio inter pocula cum gratia quadam in amicitiam desinens.* Hæc definitio, ut & duæ illæ superiores, potissimum convivii finem complectitur, quem Plutarch. eodem in loco dicit esse συμποτικὸν, nimirum φιλίας ἐπίτασιν ἢ γένεσιν δι' ἡδονῆς, id est, *amicitiæ incrementum*, sive *generationem, quæ cum voluptate fiat.* Nunc videtur esse consequens, ut de conviviorum origine, fine, vero legitimoque usu (quæ breviter atque summatim qualiscunque illa nostra descriptio continet) nec non de eorundem abusu, atque ejus coercendi corrigendique ratione generatim quædam dicamus.

CAP. III.

DE CONVIVIORUM ORIGINE, FINE, USU ET ABUSU MULTIPLICI, EJUS CORRIGENDI RATIONE, DEQUE LEGIBUS SUMPTUARIIS.

Convivium justum atque legitimum, rem esse non modò honestam, utilem, & jucundam, verùm etiam sacram quodammodo, divinam & religiosam multis cùm sacrorum, tum prophanorum authorum testimoniis videtur posse comprobari. Ac primò quidem ejus indicio est solemne illud Scytharum jusjurandum per convictum, seu convivendi convivandive consuetudinem ab illis fieri solitum, quod quidem ab illis factum minimè fuisset, nisi conviviali huic consuetudini divinam quandam vim tribuissent. Nam Ethnici vel ipsa natura duce & magistra nonnisi per ea, quæ deorum loco atque numero habebant, sibi jurandum esse existimabant. Athenæus quoque lib. 5. πᾶσα, inquit, συμποτικὴ συναγωγὴ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν αἰτίαν εἰς τὸν θεὸν ἀνέφερε, hoc est, *omnis convivalis cœtus apud veteres sui causam ad Deum referebat.* Et idcirco idem subjungit, veteres cùm coronis, atque hymnis deorum propriis, tum mensæ ministris non servis, sed liberis & ingenuis in conviviorum celebratione uti solitos fuisse. Plut. quoque in suis symposiacis dicit veteres mensam rem sacram judicasse, unde etiam ab Homero sæpe videtur γεραρὴ & αἰδοῖα, id est, *veneranda*, fuisse appellata. Idem certè ipsos quoque Deos & crebra inter se convivia agitasse, & hominum convivia sæpe sua præsentia cohonestasse finxit. Unde Asclepiades, teste Pausania, moderatum convivium, deorum conciliabulum nominavit, dum ad tale non modo heroas, verùm ipsum quoque Jovem, Deosque omnes accedere posse credidit. Hinc Ovidius Fast. 5.

Convivium res præclara.
Scytharum jusjurandum per convictum.
Convivium veteres judicarunt rem esse divinam.
Mensa res sacra.

> *Ante focos olim scamnis considere longis*
> *Mos erat, & mensæ credere adesse Deos.*

Hæc autem Ethnicorum opinio a ratione, atque veritate mihi minimè videtur abhorrere. Nam conviviorum sive originem, sive finem, usumque legitimum spectemus, facilè patebit ea merito ceu rem quandam sacram & religiosam existimari debere. Ac primò quidem conviviorum origo sanè est antiquissima, quæ ab ipso generis humani primordio repetenda, & ad ipsum Deum ceu primum authorem videtur esse referenda. Deus enim in ipso paradyso, in beatissimo illo florentissimoque mundi, rerumque omnium statu, primos illos nostros parentes firmo stabilique matrimonio copulatos non μονοφάγους instar Cyclopum, sed ὁμοφάγους & ὁμοτρόφους, id est victus communione conjunctos esse voluit. Qua tamen illi συντροφίᾳ, id est, *victus consortio* (prohibitos nimirum a Deo cibos Diaboli instinctu comedendo) cùm impiè nefarieque fuissent abusi, se pariter atque nos illorum posteros, in profundissimum malorum omnium gurgitem præcipitarunt. Deus itaque ut matrimonii, sic convivii quoque primus ut author, & institutor, ita dominus quoque & magister haberi debet, non nescio quis Chamos, seu κῶμος, qui a Moabitis, aut δειπνεὺς, qui in Achaia, aut δαίτης ἥρως, qui a Trojanis, aut δαίτων, & κεράων, qui a Spartanis, aut εἰλαπιναστὴς, & σπλαγχνοτόμος, qui in Cypro ceu dii quidam & conviviorum præsides divinis honoribus culti fuisse perhibentur, ut testis est Athen. & Eustarh. Οδ. θ. & Οδ. α. p. 50.

Conviviorum origo.
Primi nostri parentes convictores primi extiterunt.
Deus primus auctor convictus.

Jam verò si finem quoque conviviorum consideremus, is cùm augustus sit, atque divinus, ipsa quoque convivia rectè augusta atque divina judicabimus. Stoici (ut passim Cicero in præclaris suis literarum monumentis, nec non alii authores testantur) cùm multa alia, tum illud quoque præclarè sanè, sapienterque tradiderunt, nos nimirum ad communitatem, societatemque communem esse natos, eaque nihil naturæ humanæ aptius & accommodatius esse, quam quidem fecerunt duplicem: Unam, quæ sit hominibus cum Deo, alteram quæ sit inter ipsos homines. Ad utranque autem societatem vel ineundam, vel fovendam, atque stabiliendam, vel denique redintegrandam, reconciliandamque convivia cùm sacra, tum prophana plurimum sane momenti, atque ponderis habent, id quod plurimis & sacris, & prophanis testimoniis, rationibus, exemplisque comprobari potest.

Conviviorum finis.

Ac primò quidem hunc esse proprium legitimumque conviviorum finem, vel ex ipsorum nominum, quibus ea sunt insignita, notationibus satis constat. Nam convivium Latinis dicitur à convivendo, quia vitæ habeat conjunctionem & quasi convictum epularis illa amicorum accubatio, uti Cicero in libro de senectute testatur. Sic cœnam Plutarchus vult dictam esse quasi κοινὴν, id est, *communem*, ἀπὸ τῆς κοινωνίας, id est, *communione*, cujus nimirum ea sit interpres, conciliatrix atque custos. Eandem ob causam, quævis etiam convivia veteres Ethnici, teste Clemente Alexand. pædagog. 2. ἀγάπας, id est, *Charitates*, appellarunt. Item φίλαν τράπεζαν, apud Pindarum ἢ ὅτι κατὰ τὸ ἀναγκαῖον συνεσιῶνται, ἢ ὅτι ἐκ ταύτης αἱ φιλίαι· eò nimirum, quòd convivia optima sint

Conviviorum finis ex nominum etymis.
Convivii etymon.
Cœnæ etymon.
Ἀγάπαι.

 mutuæ

mutuæ hominum charitatis vincula, atque symbola. Unde Commentator in Pindarum φίλαν τράπεζαν interpretatur φιλοποιόν· οὐ γὰρ, inquit, ἐχθροὶ εἰς τράπεζαν συνέρχονται. Plura de hac re vide apud eundem. Eodem pertinet συνουσίας vocabulum, quod cùm propriè vitæ consuetudinem, atque conjunctionem significet, pro convivio quoque sæpe usurpatur.

Συνουσία.

Plurima præterea scita atque præclara doctissimorum sapientissimorumque dicta sive testimonia extant, ad hunc conviviorum finem demonstrandum perquàm accommodata. Cicero ad Pætum, *Sed me hercule*, inquit, *mi Pæte extra jocum moneo te, quod pertinere ad beatè vivendum arbitror, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas. Nihil est aptius vitæ, nihil ad beatè vivendum accommodatius: nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ, atque victus, remissionemque animorum, quæ maximè sermone efficitur familiari, qui est in conviviis dulcissimus, ut sapientius nostri, quam Græci: illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id est, compotationes aut concœnationes, nos convivia, quod tum maximè simul vivitur.* Idem ad eundem. *Sic igitur vivitur, quotidie aliquid legitur, aut scribitur: deinde, ne amicis nihil tribuamus, epulamur unà non modò contrà legem, si ulla nunc lex, sed etiam intra legem, & quidem aliquantò.* Idem de amicitia, *Verum illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit.* Hisce ergo verbis Cicero significat convivia, subintellige modica, & moderata cum viris bonis, honestis, jucundis, nostrique amantibus inita, ad vitæ jucunditatem, ad sanitatem, ad amicitiæ, benivolentiæque mutuæ confirmationem plurimum facere. Huc quoque facit illud Poetæ:

Ciceronis testimonia de conviviorum fine.

οὐ χρὴ συμποσίοισι φίλους ἀπέχεσθαι ἑταίρους
Δηρὸν, ἀνάμνησις ἥδε γάρ ἐστι φίλη.

Et Eustath. in illa Homeri Οδ. ε. παρέθηκε (Calypso Mercurio) τράπεζαν ἀμβροσίης πλήσασα· illo nectare, atque Ambrosia nihil aliud Homerum allegoricè significare voluisse ostendit, quam φιλοτήσιον ὁμιλίαν τῆς συμποτικῆς, id est, *consuetudinem, colloquiumque convivale amoris, amicitiæque plenissimum.* In eandem sententiam multa pulcherrima apud Plutarch. testimonia extant. Lib. 4. Sympos. Probl. 1. convivii finem dicit esse συμποτικόν, id est, *civilem*, qui sit φιλίας ἐπίτασις ἢ γένεσις δι' ἡδονῆς, id est, *amicitiæ vel generatio, vel confirmatio conjuncta cum voluptate.* Ac proinde ipsum convivium definit esse διαγωγὴν ἐν οἴνῳ εἰς φιλίαν ὑπὸ χάριτος τελευτῶσαν, id est, *vivendi rationem, quæ per vini usum in amicitiam desinat gratiæ lenocinio.* Idem lib. 1. probl. 1. τράπεζαν eleganter φιλοποιόν, id est, *amicitiæ procreationem*, seu conciliatricem appellat. Sic in lib. de educatione liberorum συντροφίαν, id est, *convictum*, εὐνοίας ἐπίτασιν, id est, *benivolentiæ intensionem*, & in alio loco εὐνοίας ναὸν, *benivolentiæ templum*, appellat. Idem Sympos. lib. 7. probl. 6. convivium definit κοινωνίαν καὶ σπουδῆς, καὶ παιδιᾶς, καὶ λόγων, καὶ πράξεων, unde concludit ibidem non quosvis, sed illos tantùm, qui familiaritate & amicitia inter se sunt devincti, convivia inter se debere agitare.

Ambrosia.

Plutarchi testimonia de conviviorum fine.

Præterea in suo convivio mensam dicit dijs amicitiæ hospitiique patronis esse consecratam, & paulò post convivia appellat, prima & humanissima hominum, quæ inter ipsos sint, commercia, quibus sublatis, id quod de igne Thales affirmavit, miram rerum confusionem ac perturbationem sequi sit necesse. Idem eodem in libro, Sceletum illum Ægyptiacum convivijs inferri solitum convivis non ad potum, ac voluptates, sed ad mutuam potiùs benivolentiam, atque amorem incitamento fuisse testatur. L. 2. Sympos. probl. ult. *Non edendi*, inquit, *& potandi, sed simul edendi potiùs, ac compotandi gratia nos invicem ad convivia vocamus.* Et ibidem antiquam illam suam cuique cibi potusque portionem in convivio tribuendi consuetudinem vel hac maximè de causa improbari posse dicit, quod ἀκοινώνητον quiddam & ἀνελεύθερον, hoc est, à *communitate alienum*, atque *illiberale* esse videatur. Et paulò post, *Hoc ipsum*, inquit, *nos ad omnium rerum communitatem invitat, quod & communi in conviviis sermone utimur, & psaltriæ atque tibicinis nos oblectantis cantu ex æquo fruimur, & denique quod crater positus in medio, nullisque circumscriptus cancellis, quasi largus quidam existit fons amicitiæ.* His mox subjungit, laudandam potiùs esse priscorum hominum humanitatem, qui ut omnem communionem venerarentur, non victus modò, atque tecti, sed chœnicis etiam atque cibi societatem honoris loco duxerunt.

Idem in præfat. 7. Sympos. dicit, Romanos festivi cujusdam hominis, quisquis ille fuerit, scitum hujusmodi dictum semper ferè in ore habuisse, qui cùm solus aliquando cœnasset, eo die se non cœnasse, sed edisse tantùm dixit. Ὡς τοῦ δείπνου κοινωνίαν, καὶ φιλοφροσύνην ἐφηδύνουσαν ἀεὶ ποθοῦντος, hoc est, *cùm cœna semper communione, & amicitia veluti condimento quodam indigeat.* Et paulò post, *Euenus quidem ignem suavissimum dixit esse condimentum: Homerus salem divinum, propterea quòd is plurimis rebus admixtus, illas gustui commodas atque gratas reddat: at cœnæ mensæque condimentum divinissimum est amicus, familiarisve præsens non ob cibi atque potus, sed sermonis potiùs communionem.* Idem præterea in præfat. lib. 4. Sympos. sapientissimè monet hunc debere omnibus iis, qui convivia ineunt, finem esse propositum, ut sibi amicum aliquem comparent. Et huc appositè sanè Polybii illud sapientissimum præceptum accommodat, quod Africano discipulo suo dedit, ut nimirum nunquam inter civium negotia versans e foro discederet, quin aliquem sibi fecisset amicum. Sic inquit Plutarchus, *nunquam è convivio nobis est discedendum, quin alicujus nobis è convivis amorem, amicitiamque conciliaverimus. Nam in forum quidem nos ob nostra negotia, aliosque usus necessarios conferimus, at convivium qui adeunt, illi non tam præsentes oblectandi, quàm amicos sibi parandi causa, siquidem sapiunt, venire debent. Ac inde quidem aliquid asportare illiberale profectò est & importunum, amico verò auctum inde abire jucundum & honestum: quod facere qui negligit, næ ingratam ille sibi & inutilem convivialem hujusmodi consuetudinem facit, ac ita discedit, ut ventre non animo convivatus esse censeatur. Verus enim conviva non obsonii modo, vini atque bellariorum, sed etiam sermonum, joci, comitatis, quæ in benevolentiam*

lentiam desinat, participandæ atque fruendæ causa venit. Concludit denique ad amicitiam benevolentiamque reconciliandam (qui conviviorum finis censeri debet) convivialem inprimis sermonem magnam vim obtinere.

Idem in convivio 7. Sapientum, (ubi inter alia quæritur, An maximum sit bonum cibo non indigere) sub Cleodemi persona docet, alimento sublato mensam tolli amicitiæ, hospitiique patronis consecratam: sublata verò mensa tolli πῦρ ἑστιοῦχον, ἑστίαν, κρατῆρας, ὑποδοχὰς, ξενισμοὺς φιλανθρωπότατα καὶ πρῶτα κοινωνήματα πρὸς ἀλλήλους, *ignem vestalem, focum sacrum, crateras, convivia, hospitia, quæ prima sint atque humanissima hominum inter se commercia.* Et sicut Thales igne dempto totius universi confusionem secuturam esse dixit, sic mensa sublata totam vitæ rationem perturbari atque deleri. Hæc Plutarchus philosophus præstantissimus de conviviorum fine, usuque germano ac genuino passim in præclaris suis literarum monumentis disputavit: quem quidem non, ut multi hodie Christiani, in Baccho atque Cerere, hoc est, in cibi potusque delitiis ac voluptatibus, sed potiùs in mutua animorum conjunctione, in mutuo amore atque benevolentia tuenda atque augenda consistere voluit.

Aristotelis testimonium.

Aristoteles similiter in Ethicis convivationes hominum amicitiis tuendis, stabiliendisque per quam accommodatas esse scribit. Eodem pertinet, quod, in Politicis de Tyrannide, scribit: *Quoniam συσσίτια, ad amicitiam tuendam faciunt, idcirco Tyranni dominationis suæ conservandæ causa illa tollere student.* His convenienter Marsilius Ficinus, nobilissimus philosophus, scripsit, qui legitimi convivii finem dicit esse, sicut ipsum quoque nomen indicat, non comessationem, non compotationem, ut est apud Græcos, sed dulcem vitæ communionem, ita ut quemadmodum in eo communi vescimur corporis alimento, ita eodem mentis, vitæque bono, & communi voluptate fruamur. *Communis*, inquit idem, *Peripateticorum, medicorumque sententia est, hominem ex corpore animoque constitui: Atque corpus ex parte quidem altera crassiore, hoc est, membris, humoribusque: altera vero subtiliore, hoc est; vaporibus quibusdam sanguinis, spiritibusque constare. Animum autem ex ratione, & sensu componi. Et quemadmodum humor se habet ad spiritum, ita se habere sensum ad rationem. Neque esse quenquam aliquando in rebus humanis contentum vivere, nisi quum vel parumper his omnibus hominis partibus fuerit satisfactum. Hæc omnino solum convivium comprehendit, convivium dico legitimum, quod quidem, ut singula numerem, humores instaurat. spiritum recreat, oblectat sensus, fovet & & excitat rationem. Convivium laborum requies, remissio curarum, ingenii pabulum, amoris & magnificentiæ argumentum, esca benevolentiæ, amicitiæ condimentum, fomentum gratiæ, vitæ solatium.* Idem, *Seorsim ab alterutro non sine molestia vivimus, unà jocundissimè convivamur. Meminerimusque verum hominis alimentum non tam plantam, bestiamque esse, quàm hominem. Alimentum quoque integrum hominis non tam hominem esse, quàm Deum, cujus nectare, & ambrosia duntaxat sitis, & fames continuè excitatur & crescit, ac tandem tam admirabiliter, feliciterque impletur, ut illic solùm summa sit cum voluptate saturitas.*

Marsilii Ficini dicta egregia de convivii fine & usu.

Pontani testimonium de vero convivii fine.

Convivia porrò ad vitæ societatem facere Pontanus quoque egregiè testatur in libro suo, quem inscripsit de Conviventia. *Tametsi*, inquit, *hominem homini natura conciliat: ad hanc tamen naturæ conciliationem duæ inprimis res mihi videntur plurimum conferre, eorumdem scilicet studiorum societas, consuetudoque convivendi.* Hæc ille. Huc quoque referri commodè potest Timoclis illud ænigma apud Athenæum, quòd nimirum convivialis consuetudo sit ἡρμένη βίου λιθλώνη, πολεμία λιμοῦ, φύλαξ φιλίας, ἰατρὸς ἐκλύτου βουλιμίας, hoc est, *commoda & idonea vitæ nutrix, hostis inediæ, custos amicitiæ & famis insaturabilis medicamentum.* Egregia hæc est τερπέζης φιλοτησίου laus, ut Eustath. inquit, Οδ. θ. 294. Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. *δι' ἀγάπην μὲν*, dicit, *γίνεσθαι τὸ δεῖπνον· ἀλλ' οὐκ ἀγάπην εἶναι τὸ δεῖπνον· δεῖγμα δὲ εὐνοίας κοινωνικῆς, καὶ εὐμεταδότου*, id est, *Convivium fieri quidem propter charitatem, sed non ipsam esse charitatem, verùm argumentum benevolentiæ ad communicandum, largiendumque proclivis.* Et paulò post dicit convivium non esse charitatem, sed a charitate pendere. Idem lib. 7. Strom. cap. 24. ad epulas conviviales veniendum quidem esse dicit, propterea quòd mutuam consensionem, concordiam, atque amicitiam profitentur, sed rariùs.

Legislatorum finis in conviviis publicis instituendis.

Atque ad hunc quidem conviviorum finem spectasse Rerumpub. quarundam sapientissimos legislatores, atque moderatores in publicis quibusdam quotidianisque conviviis instituendis satis superque constat. Hoc enim modo existimarunt cives arctiore firmioreque societate, charitateque conglutinari posse. Sic itaque (ut a sacris exordiar) supremus ille sapientissimusque legislator Deus Opt. Max. ad primos illos nostros parentes, sicuti paulò ante dictum est, arctiore animorum, atque amoris vinculo constringendum, ipsos ejusdem cibi, victusque communione uti voluit. Idem postea quo electum illum suum uniceque adamatum Judæorum populum a cæterarum gentium societate, communioneque abstraheret, illis non modò matrimonii, verùm conviviorum consuetudine cum gentibus severiter interdixit. Atque hanc quidem præcipuè ob causam illis certorum quorundam ciborum esum prohibuit, quo faciliùs nimirum illos & a convictus consuetudine cum Ethnicis avelleret, ac ipsos tantò firmiore inter se amicitiæ fœdere copularet. Aristoteles enim lib. 1. Polit. c. 3. eleganter docet secundùm varia ciborum & alimentorum genera, varia quoque & diversa esse hominum, animaliumque brutorum genera. Nam cùm sine alimentis vita animalium sustentari non possit, αἱ διαφοραὶ τῆς τροφῆς, ut ille inquit, τοὺς βίους πεποιήκασι διαφέροντας, hoc est, *victus alimentique diversitas diversas quoque ac dispares animalium vitas efficit.* Cum itaque animalium alia sint ζωοφάγα, alia καρποφάγα, alia παμφάγα, hinc fieri ut alia quidem illorum sint ἀγελαῖα, alia verò σποραδικὰ, ipsa scilicet natura sic illorum vitas ad victum singulis accommodatum faciliùs comparandum distinguente. Sic inter homines quoque idem docet varia esse vitæ genera & instituta, secundùm varia atque disparia victus genera. In cæna tamen, hoc est, convivio, cibum potumque unum & eundem convictoribus apponendum esse docet C. Plinius secundus libro epistolarum 2. Ex quibus omnibus constat ut victus communio magnam vim obtinet ad homines ejusdem vitæ, amicitiæque vinculo conjungendum,

Cur Deus Judæis Ethnicorum convictu interdixerit.

ita

ita contrà vitæ communionem, societatemque non facilè inter illos constare posse, qui dissimili ac dispari victu utuntur. Sapientissimè itaque Deus ne Judæi cum cæteris prophanis, impuris, & idololatricis gentibus conviviorum, ac proinde id quod erat consequens, morum quoque atque idololatriæ societate conjungerentur, victum illis a cæterarum gentium victu diversum instituit, illumque certis quasi terminis atque cancellis circumscripsit.

Judæi hodie quoque a Christianorum convictu abhorrent.

Hinc adhuc hodie quoque (ut ex libro, qui inscribitur Liber fidei constat) Judæi sapientum suorum (quos verius insipientes dixeris) præceptis atque mandatis cum Christianis cibum potumque capere prohibentur: Ac proinde omnis, qui cum Christianis cibum capit perinde habetur impurus, & immundus, ac si cadavere, aut animali in agris capto vesceretur. Atque adeò tàm gravem illis laqueum hi illorum magistri injecerunt, ut ne caseum quidem aut butyrum a Christianis coctum, aut sale conditum comedere ausint. Sed & lacte, quod Christiani mulserunt, quidam Judæorum vesci nefas ducunt, & quocunque alio cibo, quantumvis licito atque concesso ad vescendum, nisi is illis spectantibus, ac secundum illorum voluntatem coctus fuerit. Denique, quo magis acerbum illorum odium, quo Christianos prosequuntur, pateat, vase quoque, quo Christianus aliquis usus sit, ut caldario, paropside, & hisce similibus Judæi nequaquam utuntur, donec illud prius fervidis & bullientibus aquis semel atque iterum eluerint, ac defricarint. Vasa quoque fictilia Christianorum omnia confringunt. Atque hæc quidem sunt sapientum illorum doctorum instituta, atque præcepta, quæ superstitiosiores, qui sunt inter illos, diligentissimè servant, ex quibus quàm gravi & immani odio a Christianis Judæi diffideant, satis superque constat. Quemadmodum autem Judæi & olim Dei jussu ac mandato a gentilium convictu abhorruerunt, & hodie quoque pro immani quodam mentis stupore, superstitioneque, qua laborant, a Christianorum conviviali consuetudine abhorrent, ita Ægyptii quoque nephas ducebant cum Judæis, quos gravissimè oderant, eodem pane (qui communionis est symbolum) vesci, ut ex 43. c. Geneseos colligere licet, unde etiam ibidem legimus seorsim Ægyptiis & seorsim Josepho, ejusque fratribus panem fuisse appositum, verisimile est ipsas quoque mensas fuisse separatas.

Ægyptii Judæorum convictu abhorruerunt.

Sacrificia quasi sacræ fuerunt epulæ.

Epulæ post sacrificia.

Jam verò, ut ad propositum redeam, ipsa quoque sacrificia veteris Testamenti, quæ fuerunt quasi epulæ quædam sacræ, cui dubium esse possit quin & ad Dei cum hominibus, & ad hominum inter ipsos communitatem partim tuendam, partim testificandam spectarint. Quid dicam de epulis illis, quæ sacrificiorum fuerunt appendices (de quibus suo loco plura) quæque non secus atque ipsa sacrificia a Deo diligentissimè institutæ, a Judæis religiosissimè usurpatæ fuerunt, quid aliud sibi voluerunt, nisi ut mutua inter illos pax, concordia, atque amicitia tanto faciliùs conservari posset? Eodem quoque solemne illud, & augustum epulum Paschale, cæteraque festiva convivia, de quibus suo loco, spectarunt. Præterea ut ad novum Testamentum veniamus, an non Christianos illius quasi primogeniæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quò faciliùs omnium animi in unam fidem, spem, charitatemque coalescerent, non modò simul precari, verbum Dei audire, mysteriis sacris communicare, verùm etiam simul epulari ac convivari solitos fuisse legimus? Quid dicam quòd ipse Christus, quò faciliùs hominum sui temporis animos sibi vera fide atque charitate devinciret, non dubitavit quibusdam etiam sceleratissimorum, atque flagitiosissimorum conviviis interesse? Eodem referenda sunt convivia illa primitivæ Ecclesiæ statim post sacrosanctæ cœnæ communionem celebrari solita, quæ quidem ad mutuam Christianorum amicitiam, charitatemque alendam atque fovendam spectasse, vel ipsum nomen ἀγάπης, quo fuerunt insignita, satis superque testatur.

Epulum Paschale.

Convivia Christianorum ecclesiæ primitivæ.

Agapæ.

Cœnæ Dominicæ finis

Verùm præ cæteris omnibus luculentum inprimis, & efficax ejus, quod volo, testimonium & argumentum est augustissimum illud, & sacrosanctum convivium dominicum, quod ab unico nostro domino, & servatore Jesu Christo ad geminam illam nostram cum ipso pariter atque nobiscum invicem communionem, ut ita loquar, φιλάλληλον, atque charitatem testificandam, obsignandam atque corroborandam fuit institutum, quemadmodum Apostolus Paulus in sua illa Epistola ad Corinthios pluribus explicat, *Poculum benedictionis* (inquit) *cui benedicimus nonne communio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus nónne communio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus: nam omnes ex uno pane participamus.* Hoc igitur vitale & salutare convivium verè convivium dicitur, quoniam verè in illo simul vivitur, veramque vitæ veræ conjunctionem habet. Cœnæ quoque vocabulum, si vera est illa suprà ex Plutarcho allata ejus etymologia, eidem optimè convenit, & idcirco etiam a veteribus ἐκκλήτως, & ἑνιαίως, ut Dionys. Areopagitæ verbis utar, σύναξις ἢ κοινωνία fuit appellata διὰ τὸ συνάγειν, ut idem elegantissimè sanè interpretatur, ἕνωσιν ἢ κοινωνίαν πρὸς τὸ ἕν, id est, *reducit, seu revocat unitatem, atque communionem ad unum*, hoc est, ad Deum essentia unum, hypostasi trinum. Idem quoque pater egregiè sanè verbis his explicat, quomodo sacrosanctum illud convivium mutuæ nostræ charitatis, atque communionis sit symbolum. ἡ γὰρ θειοτάτη τοῦ ἑνὸς καὶ ταυτοῦ καὶ ἄρτου, καὶ ποτηρίου κοινὴ, καὶ εἰρηναία μετάδοσις ὁμοτροπίαν αὐτοῖς ἔνθεον ὡς ὁμοτρόφοις νομοθετεῖ καὶ τοῦ θειοτάτου δείπνου, καὶ ἀρχισυμβόλου τῶν τελουμένων εἰς μνήμην ἱερὰν ἄγει, id est, *Divinissima unius ejusdemque panis atque poculi communis, pacificaque communicatio divinum illis ceu convictoribus vitæ morumque conjunctionem sancit, & divinissimi illius convivii, ceu exemplaris horum mysteriorum, memoriam sacram affert.*

S. Pauli testimonium.

Cur cœna Dominica dicta σύναξις, & κοινωνία.

Dionysii Areopagitæ testimonium.

S. Augustini testimonia de fine cœnæ Dominicæ.

Idem quoque Augustinus Theologus augustissimus, ut plurimos alios omittam, multis in locis testatur: ut contra Faustum Manichæum: *In nullum*, inquit, *religionis seu verum seu falsum cultum homines coagulari possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum consortio colligantur.* Idem tractatu 26. in Iohan. cap. 6. & epistola 59. ad Paulinum in hæc verba Pauli, *Unus panis, unum corpus multi sumus*, exclamat: *O sacramentum pietatis, ô signum unitatis, ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, unde vivat, accedat, credat, incorporetur, vivificetur.* Eandem communitatem geminam, quæ sacrosancto hoc epulo repræsentatur,

tatur, idem pater copiosè admodum, eleganterque explicat in sermone de sacramento ad infantes, in quo inter alia dicit, Christum symbolis illis panis & vini, quorum utrunque ex multis granis unum existit, pacis & unitatis nostræ mysterium in sua mensa consecrasse, & ideo subiungit: *Qui accipit mysterium unitatis, & non servat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.* Idem lib. 1. de civit. Dei c. 6. *Hoc est sacrificium Christianorum, Multi unum corpus sumus in Christo, quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat ecclesia*: ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione quam offert ipsa offeratur. Plura in hanc sententiam si legere cupis, vide quæ ille scribat lib. 3. c. 31. de doctr. Christ. & de civit. Dei lib. 10. c. 20. & lib. 21. c. 17. Psal. 30. Serm. 1. & Psal. 147.

Cœna Dominica pax dicta.

Atque hanc quidem ob causam, cæna Dominica pax quoque à veteribus fuit appellata. Unde moris quoque olim in primitiva ecclesia fuisse legimus, ut quando præsules Romam veniebant, protenus ab Episcopo illis Eucharistiæ sacramentum mitteretur, quod quidem illi in signum pacis, & unitatis fidei sumebant, de quo videre licet Euseb. lib. Ecclesf. histor. 5. c. 24. Hinc quoque maximos & potentissimos Christianorum principes sæpenumero sacrosanctæ Eucharistiæ communione fœdera quoque prophana inter ipsos contracta, confirmare fuisse solitos legimus, unde Gregorius Saniræus multis rationibus probat, nefas esse in fœderibus cum infidelibus ineundis sacro sanctum illud mysterium adhiberi, ac proinde Vladislao Ungariæ regi suadet, ne, quod Turci ab eo postulabant, in confirmandis pacis conditionibus prolata in medium Eucharistia juraret, ut testis est Paul. Callimachus lib. 2. de Clade Varnensi. Quàm verò dolendum est perditis hisce nostris temporibus atque moribus, sacrosanctum & salutare illud convivium, mutuæ illius nostræ cum Christo pariter atque nobiscum invicem communionis sacramentum, tot ac tantarum rixarum, contentionum, inimicitiarumque accerbissimarum inter Christianos quasi seminarium extitisse.

Fœdera Eucharistiæ communione sancita.

Dolendum cœnam Dominicam fieri rixarum seminarium.

Jam verò (ut a sacris discedamus) multarum quoque aliarum gentium & Rerumpubl. optimè constitutarum convivia commemorari possunt, quæ ad amicitiam, & concordiam inter cives firmandam & conservandam a sapientissimis legislatoribus fuerunt instituta. Athenæus lib. 5. statim ab initio de conviviis hospitalibus verba faciens, dicit vinum habere ἑλκυστικόν τι πρὸς φιλίαν, hoc est, *vim quandam philtri attrahendi, alliciendique ad amicitiam.* Et idcirco a sapientibus civitatum legislatoribus convivia φιλετικὰ, & δημοτικὰ, id est, *amica & publica*, ut θιάσους, φρατρικὰ, & ὀργεωνικὰ fuisse introducta ad privatorum, quæ inter amicos erant, conviviorum exemplum. Hujusmodi porrò convivia publica fuerunt & illa omnium, ut vult Aristot. in Politicis, antiquissima Italorum συσσίτια ab Italo, & Cretensium ἄνδρια a Minoe, & Lacedæmoniorum φιδίτια quasi φιλίτια a Licurgo instituta, &, quæ Laconicis, teste Aristot. similia fuerunt. Carthaginensium sodalitatum atque collegiorum Syssitia: His adde Atheniensium συμπόσια in Prytanæo, in Panathenæis, & Thesmophoriis, nec non Romanorum Charistia inter proximos, & cœnas in Capitolio, publicisque sacrificiis fieri solitas. Hujusmodi omnium conviviorum publicorum, unus finis fuit civilis societatis, amicitiæ, concordiæque conservatio. His antiquis similia sunt publica illa ducum Venetorum convivia, quæ quater in anno nobilibus exhibent, & illa quotidiana Reip. Argentinensis, nec non φρατρικὰ, id est, *tribulia*, Helvetiorum convivia, quæ quidem omnia ad cives ab odiis, inimicitiis, vindictæ studio, atque litibus ad pacem, ad amorem benivolentiamque mutuam revocandum antiquitus fuerunt instituta. Neapolitanorum quoque regum institutum fuit, singulis annis statis quibusdam diebus parare nobilitati epulum ad ædem Mariæ coronatæ, adhibitis etiam præstantissimis matronis, ut nobilium, & clarorum in urbe hominum animi reconciliarentur, testis est Pontanus lib. de conviventia. Sic Cornelius Tacitus scribit Germanos veteres in conviviis solitos fuisse inimicos sibi invicem reconciliare, atque in gratiam reducere, amicitias, affinitatesque contrahere.

Conviviorum prophanorum finis.

Vini vis.

Convivia publica: eorum finis.

Convivia publica ducum Venetorum.

Argentinensium.

Helvetiorum.

Neapolitanorum.

Germanorum priscorum.

Multas præterea graves, & diuturnas privatorum hominum simultates, & inimicitias conviviis olim extinctas atque sublatas fuisse legimus, ut etiamnum hodie sæpe homines diuturnis a se invicem & capitalibus odiis, atque inimicitiis diffidentes conviviorum occasione sibi invicem rursus reconciliantur. Marcus Crassus ad bellum Parthicum profecturus maluit Ciceronem amicum, quàm inimicum relinquere. Quare eum amicè appellans, apud eum dixit se velle cænare, quem Cicero comiter invitavit. Paucis interpositis diebus adierunt Ciceronem amici aliquot rogatu Vatinii, ut illum quoque Ciceroni (nam erat inter illos gravissima simultas) reconciliarent. Quibus Cicero, *Num & Vatinius apud me vult cœnare?* testis est Plut. in Cicerone. Memorabile quoque est illud exemplum quod Livius lib. 8. secundi belli Punici commemorat. Syphax rex Scipionem, & Hasdrubalem ad se uno tempore casu venientes, ac pacem amicitiamque suam petentes, etsi populorum duorum sibi invicem infestissimorum legatos, tamen utrumque in hospitium invitavit, quos ad colloquium simultatum dirimendarum causa contrahere conatus est. Verùm Scipio id renuit cùm diceret, haud privatum sibi cum Pæno odium esse, quod colloquendo fineret, nec de Repub. se cùm hoste agere quicquam injussu Senatus posse: Verùm ita rege contendente, ad easdem epulas venerunt, simulque apud regem cœnaverunt, & eodem lecto Scipio atque Hasdrubal (quia regi ita cordi erat) accubuerunt. Pulchrum sanè barbari regis, & imitabile exemplum, quo monemur, per quancumque occasionem hostium animos inter se conciliari. Sed & in eo convivio Scipio quoque præstitit, quod legati magnorum principum meritò imitentur. Tam comem enim se in eo præstitit, ut non Syphacem modo barbarum, insuetumque omnibus moribus Romanis, sed hostem etiam infestissimum facundè alloquendo sibi conciliarit. Huic adde aliud non minùs insigne exemplum, quod de Rodolpho Habspurgense Cuspinianus scribit. Is enim cum Abbate S. Galli gravissimum bellum gerens, paucis comitatus, & inermis in monasterium S. Galli sponte (dum Abbas adhuc cœnaret) venit, mensæque assedit, atque ita inter cœnandum secum invicem in gratiam redierunt, adeò ut mutua quoque auxilia adversus alios quosdam suos hostes sibi invicem polliciti fuerint. Huc quoque referri potest, quod Justinus

Conviviis simultates sublatæ.

M. Crassus Ciceroni reconciliatus convivio.

Scipio & Hasdrubal sibi invicem reconciliati convivio.

Rudolphus Habspurgensis cum Abbate S. Galli in gratiam redit per convivium.

Justinus lib. 2. de Arthemeno & Xerxe fratribus memoriæ prodidit. Hi enim cùm de regno graviter contenderent, certamine concordi animo ad Anapharnem patruum suum, veluti ad domesticum judicem delato, in ipso litis tempore & munera invicem miserunt, & jucunda quoque inter se, non solum Credula convivia habuerunt. Atque huc facit præclara illa Bensyræ Rabbi sententia: *Mensâ paratâ, sive positâ contentio tollitur*: qua significatur mensæ communione, sive conviviis sæpe tolli contentiones, rixas, inimicitias, & gratiam reconciliari. Ejus rei exemplum a Judæis vulgò profertur de Isbosetho filio Saulis, in cujus ædibus cùm exarsisset altercatio, servus ejus adornato convivio eam diremit. Ergo ut publica convivia ad publicam, & communem omnium civium, ita privata quoque ad privatorum hominum amicitiam concordiamque sartam tectam tuendam: contraque ad odia, dissidia, inimicitias delendum, atque tollendum plurimùm faciunt, & ad id ceu optimum verissimumque illorum finem referri omnino atque dirigi debent. Conviviis quomodo utendum, & convivii ὀρθῶς παιδαγωγηθέντος quanta sit utilitas Plato pluribus docet lib. 1. & 2. de legib. Tradit ibidem νόμους συμποτικοὺς, hoc est, *multas leges convivales.*

De conviviorum abusu.

Nunc quoniam de vero, legitimoque conviviorum fine (quo quidem verus eorundem usus, nec non dignitas atque utilitas æstimari debet) dictum est, consequens videtur esse, ut de eorundem abusu, qui hodie passim regnat ac dominatur, & varius est atque multiplex, quædam dicamus. Ac omnino ut in omnibus nostris actionibus, ita in conviviis quoque aurea est illa adhibenda mediocritas, duo vitanda extrema, quorum unum est defectus quasi ad dextram, alterum excessus quasi ad sinistram. *Extremum defectus* appello, ut cùm quis omnia prorsus, quantumvis honesta, legitima, tempestiva, moderataque convivia culpat atque damnat, eaque a Christiani hominis officio, atque munere prorsus aliena judicat. Sunt enim nonnulli qui vel superstitione, vel misanthropia quadam cyclopica atque timonia, vel avaritia ducti ab omni prorsus conviviali consuetudine abhorrent, ita ut nec ad convivia alios invitare, nec invitati aliorum convivia adire, iisque interesse fas esse existiment. Sic olim Periclem illum Atheniensem legimus ab omni conviviorum apparatu, & consuetudine ita fuisse alienum, ut nunquam apud quenquam vel amicissimum cœnarit, nisi semel apud Eurytolemum nuptiarum die, licet aliâs liberalis admodum fuisse, ac plurimorum inopiam sua copia sublevasse feratur ac sustentasse. Hunc tamen Archilochus poeta Parius, ut Athenæus testatur lib. 1. scripsit, non vocatum Myconiorum more in convivium irruisse.

Duo extrema vitanda. Extremum defectus. Quidam ab omni conviviali consuetudine abhorrent. Periclis exemplum.

Inconviventia.

Hunc porrò defectum Pontanus in illo suo libro de Conviventia, putat non incommodè Inconviventiam posse dici, aut inconstantiam incontinentiamque, quòd a convictu prorsus abhorreat. Atque hoc quidem vitium testatur idem plerunque ab avaritia oriri, quæ utique sordida est (quanquam & avari quandoque splendidiores videri volunt in conviviis, ut avaritiam dissimulent) nonnunquam etiam a quadam animi tristitia, & solitudinis studio gigni. Hujusmodi autem defectum sive vitium non ineptè forsan μονοφαγίαν appellare possis. Nam μονοφαγεῖν, ut & μονοσιτεῖν, hoc est, *solum cibum capere* (licet hoc posterius etiam semel tantùm in die cibum sumere significet) & συσσιτεῖν, id est, *convivari*, inter se opponuntur. Athenæus lib. 1. dicit veteres solitos fuisse μονοφαγεῖν, sicut & Plut. 8. Sympos. prob.6. Romanos in prandio quidem καθ' ἑαυτοὺς, hoc est, solos & seorsim comedisse: cœnam autem cum amicis (unde cœna ἀπὸ τῆς κοινωνίας videatur dicta) celebrare consuevisse. Μονοφαγίαν porrò olim probro ac dedecori fuisse habitam, ex illis Athenæi exemplis satis constat, lib. 1. Ex Antiphane, μονοφαγεῖς ἤδη καὶ βλάπτεις με, *solus comedis, nocesque profecto mihi.* Ibidem ex Amipsia, ἔῤῥ' ἐς κόρακας μονοφάγε καὶ τοιχωρύχε, hoc est, *abi in malam crucem solus comedens, & murorum suffossor.* Hinc apud Aristoph. Μονοφαγίστατος dicitur, qui maximè & supra quosvis alios talis est, ut solus comedat, neminem ad convivium invitet. Inter monophagos possis etiam referre Clodium Albinum Imp. Rom. qui, ut testis est Ful. Capitol. cum suis nunquam cœnavit: vel propter vinolentiam, ut dixit Severus, vel propter morum acrimoniam. Seneca solitudinem in convivio fugiendam esse docens, visceratıonem sine amico leonis, ac lupi vitam esse dicit.

Μονοφαγία olim probrosa.

Non omnia convivia fugienda. Exempla vet. & novi Testamenti: Christi exemplum.

Ac omnino eorum opinio, qualis ferè est Anabaptistarum, qui Christianos, ceu μονοφάγους ab omni prorsus conviviali consuetudine alienos esse debere existimant, plurimis (ut alias rationes taceam) sacrarum literarum testimoniis & exemplis refutari potest. Nam & in veteri, & in novo Testamento plurimos pios, religiososque homines & convivia aliis apparasse, & invitatos aliorum convivia adiisse legimus. Deus quoque certa quædam convivia, quæ quidem cum lætitia atque gaudio sint celebranda, populo suo præscripsit, atque mandavit. Verùm aliis omissis, unicum profectò Christi exemplum (cujus universa quidem vita perfectum, absolutumque nostræ vitæ exemplar judicari debet) omnium exemplorum, rationumque loco nobis esse debet. Is igitur (ut testis est Euangelica historia) & convivio alios excepit, & ad aliorum convivia accessit, atque adeò cum malæ quoque notæ, improbæque famæ hominibus, ut cum publicanis, cum meretricibus sæpenumero convivia inire minimè dubitavit, ita ut speciosam admodum suis adversariis sui criminandi, calumniandique ansam præbuerit. Convivium quoque illud nuptiale in Cana Galileæ unà cum sanctissima sua matre, & Apostolis non modò sua præsentia, verùm etiam insigni illo, quod quidem primum edidit, aquæ in vinum conversæ miraculo decoravit. Atque hanc quidem ob causam a Pharisæis vini potor, atque gulosus per contumeliam fuit appellatus. Verùm ille non libidine, non immoderata quadam cibi, potusque aviditate, sed potiùs insatiabili illa, qua fuit affectus, humanæ salutis fame sitique impulsus, hujusmodi sceleratorum quoque flagitiosorumque hominum conviviali consuetudine utebatur, quò faciliùs illos hac occasione ab improba sceleratàque vita ad bonam frugem perduceret. Atque ita clementissimus ille noster Dominus pro potu, ciboque mortali, atque caduco, quem ab illis accipiebat, ipse vicissim illos nectare, & ambrosia sui verbi, cibo potuque immortali, veréque vitali pascebat. In hanc sententiam sic Hieronymus c. 9. Matthæi disserit, *Ibat*, inquit, *Christus ad peccatorum convivia,*

Cur Christus improborum quoque conviviis interfuerit.

sed

sed ut occasionem docendi haberet, utque illorum invitationes cum spiritualibus epulis compensaret, neque alia ibi referuntur, nisi quæ Christus ipse dixerit, aut fecerit, quáve potentia illius doctrina fuerit, &c. His adde Salomonis regis sapientissimi testimonium, qui in suo Ecclesiaste, homini nihil ferè optabilius esse dicit, quàm *lætari, convivari, & soluta quadam animi libertate esse:* nec non Syracidis, qui convivia jucunda esse, & quomodo quis se in illis gerere debeat pluribus docet, c. 31. & 32. Quod si igitur veteris pariter atque novi Testamenti sanctissimi homines, & ipse sanctorum omnium princeps dominus noster Jesus, non dubitavit conviviali hujusmodi consuetudine uti, non video cur non idem nobis quoque salvo officio, religioneque nostra facere liceat. At objiciat aliquis Jeremiæ fuisse à Deo præceptum, ne ingrederetur domum convivii, Jerem. 16. Respondeo id tùm singulare quid, & extraordinarium fuisse (cujusmodi fuit & illa Joannis Baptistæ in solitudine μονοφαγία) tum futuræ cladis, & calamitatis significationem habuisse. Quod præterea legimus scriptum, *satiùs esse domum luctus, quàm convivii frequentare*, illo dicto non omnino conviviorum usus prohibetur, sed immoderatæ convivandi cupiditati modus statuitur. Objectio ex Jeremia.

Verùm quæri potest an Christi exemplo, qui cum Pharisæis, cum Publicanis atque meretricibus epulari solitus est, sicut Euangelicis literis est proditum, nobis quoque cum impuræ religionis, vitæ, morumque hominibus convivari liceat? Paulus quidem 1 Cor. 10. non videtur omnem cum infidelibus convictum prohibere, cùm inquit, *Quod si quis infidelium vos vocat* (videlicet domum suam, non in phanum idololatricum, aut ad epulum sacrum) *& vultis ire, quicquid apponitur vobis edite, nihil interrogantes propter conscientiam*, &c. Loquitur hîc non de sacris & solemnibus conviviis, sed de privatis, & civilibus, ad quæ neque jubet Apostolus ut accedant, neque etiam prohibet, sed hoc liberum illis relinquit. Quòd si omnino & simpliciter nefas esset convivari cum infidelibus, id omnino prohibuisset. Et tamen in aliis sacræ scripturæ locis omnis sæpe cum impiis consuetudo vetatur, cum quibus nulla omnino nobis videtur debere esse societas, sed summa potiùs distractio. Joannes, *Hæreticum ne salutari quidem* vult *à nobis.* Paulus quoque 1 Cor. 5. *cum fratre scortatore, avaro, simulachrorum cultore, convitiatore, ebrioso, rapace ne cibum quidem nobis capiendum esse docet.* Respondeo non simpliciter, & in universum omnem Christianis convivandi cum impiis atque hæreticis libertatem sacris literis interdici, quam ipse Paulus, uti paulò antea dictum est, liberam relinquit. Sed ne hujusmodi vel conviviali, vel quacunque alia cum impiis, improbisque hominibus consuetudine nimiùm delectemur, illam nimis avidè, magnoque studio sectemur, ut multi facere solent, qui cùm se Christianos esse profiteantur, atque simulent, interea impiorum, idololatrarum, atque hæreticorum consuetudine assiduè conflictantur, cum illis dies noctesque helluari, comessari, Bacchanalia denique vivere solent. Vitanda ergo est, & cane pejus & angue fugienda frequens & assidua ut colloquiorum, ita conviviorum cum impiis consuetudo, unde maxima in nos pericula redundant. Quod si verò vel necessitate, vel honestate aliqua, ut sæpe fit, ad cibum cum impiis idololatris & hæreticis capiendum compellamur, summopere nobis est cavendum, ne quem vel dictis, vel factis nostris illorum superstitionibus, impietatique assensum præbeamus, nullius vel dicti, vel facti alicujus nostri turpitudine, & obscœnitate illis nos, religionemque veram criminandi occasionem subministremus: quin potius Christi exemplo, & imitatione omnem illos ab impietatè, atque superstitionibus abstrahendi, & ad pietatis, veræque religionis cultum traducendi occasionem conviviali hujusmodi alacritate aucupemur. Et idcirco Paulus 1 Cor. 10. cum liberam Corinthiis idololatrarum convivia adeundi potestatem permisisset, statim subjungit: *Sive igitur editis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia ad Dei gloriam facite.* Hic enim præcipuus ut omnium actionum, ita conviviorum quoque finis statui debet. An cum impiis & infidelibus Christiano homini convivari liceat?

Verùm ut ad propositum redeam, vitii hujus sive extremi defectus, quatuor videntur species esse. Prima est, cùm quis ita omnino à conviviali hac consuetudine abhorret, ut neque alios ad epularum suarum communionem unquam invitet, neque invitatus ad aliorum convivia accedat, id quod feræ cujusdam immanitatis videtur esse, quippe cùm ipsa natura atque humanitas omnino hanc vitæ, cœnarumque consuetudinem postulet. Secunda species est, cùm quis alios quidem invitat, iisque epulas suas impertit, at aliorum epulas & convivia aspernatur, id quod insolentiæ, superbiæ, atque morositati cuidam videtur adscribendum. Tertia est, cum quis invitatus libenter quidem ad aliorum convivia accedit, at ille neminem invitat, id quod cùm avaritiæ, tùm ingratitudinis cujusdam impudentissimæ vitium est, quo qui laborat ἀλλοτριοφάγος dici potest. Quarta species est eorum qui invitatos ad convivium nimis tenuiter atque sordidè tractant, semifamelicos, atque sitientes dimittunt, qui μικροτράπεζοι possunt appellari, quo nomine sordidi Græculi olim fuerunt appellati. Sed in his omnibus excipi debent illi, qui vel præ adversa valetudine, vel negotiorum multitudine, vel denique inopia & egestate conviviali hujusmodi officio minimè fungi possunt. Vitium seu extremum defectus, quatuor habet species.

Sequitur alterum extremum excessus nimirum, quo, ut olim, ita hodie quoque magis peccatur, quod Comessabilitatem Pontanus vult dici posse. Est autem illud nihil aliud quàm inordinata, immoderata, & effrænata conviviorum cupiditas, non ex honestatis, charitatisque erga Deum, atque proximum studio, sed ex ambitione, superbia, insatiabili quadam inexplebilique voluptatum cupiditate promanans. Pontanus verò illud à voracitate atque ingluvie discernens sic describit: *Ipsius autem*, inquit, *exuperantiæ, atque excessus nomen erit Comessabilitas. Nam voracitas & ingluvies ad corpus magis referuntur, suntque homini cum belluis communes. Ipsa verò Comessabilitas, quod animum labe sua inficiat, atque perdat, solius est hominis. Hoc enim vitio ac labe infecti qui sunt, curare id solum videntur, ut comedant: neque convivia exercent convivandi gratia, sed comessandi, dumque assiduè, ac liberaliter potent, dum ventrem impleant, dum palato indulgeant, cæterorum obliviscantur omnium.* Hæc ille. Hoc porrò extremum consistit in nimia conviviorum crebritate, atque frequentia, in eorum effuso sumptuosoque apparatu, ferculorum luxurioso splendore, varietate, atque copia, in convivarum nimia Extremum sive vitium excessus. Comessabilitas a Pontano dicta.

turba, in temporis ἀκαιρίᾳ, in dictorum factorumque obscœnitate. Horum finis est non Dei gloria, non mutui amoris, benevolentiæ, charitatisque conservatio, sed voluptatis amor, libido, superbia, avaritia, ambitio. Hac crebrò luxurioseque convivandi libidine qui flagrant, eleganter à Græcis φιλόδειπνοι, τρεχέδειπνοι, ἐπιθυμόδειπνοι, δειπνομανεῖς & ἀλλοτριοφάγοι appellantur, qui non cœlum, sed cœnam quærunt, ut Cicero in Epistola quadam ad Pætum loquitur. Hi sunt, quos Philo quasi ἀοίκους & ἀνεστίους foris semper in cauponis atque popinis volutari dicit. Non est autem opus hujusmodi intempestivorum, profusorum, luxuriosorumque conviviorum exempla ex antiquis historiis depromere, (de quibus etiam suo loco.) Nostra hæc tempora passim in omnibus nationibus orbis terrarum eorum nobis quotidie plurima exempla suppeditant. Ac ne quid de gentibus, à Christiano nomine, atque religione abhorrentibus, dicam, apud nos, nos inquam Christianos, ille conviviorum luxus atque luxuria, ceu lues quædam contagiosa atque pestifera brevi tempore ita crevit, ut ad summum perducta, nihilque ei amplius addi posse videatur. Imò proh dolor, barbaros illos & à Christiano numine, atque nomine alienissimos hac in parte longè vincimus, & superamus, ita ut contra nos passim ab illis armis, bellisque vinci minimè profectò sit mirum. Nec verò in sumptuosissimis hujusmodi luxuriosissimisque conviviis Dei gloria, non proximi salus, non mutuus amor, benivolentia atque charitas (quæ ab orbe Christiano omnino videtur exulare) quæritur, ad quæ ceu veros legitimosque fines dixi convivia omnia dirigi, atque referri debere: sed longè alii perversi præposterique fines in conviviis nostris nobis plerunque sunt propositi, de quibus quædam sunt dicenda. Nam ut verus conviviorum finis eorundem verum legitimumque usum docet, ita contra nothi atque adulterini fines, quos homines in iis plerunque spectant, eorundem turpem, fœdumque abusum, qui hodie passim dominatur, demonstrant.

Conviviorum abusus luxuriosus apud Christianos.

Fines luxuriosorum conviviorum.

Multi ergo sunt, & fuerunt semper, qui vana quadam & inani ducti seu potiùs seducti gloria, seu magnificentiæ, potentiæ, atque opulentiæ ostentandæ gratia hujusmodi conviviorum luxuriæ student, quô quidem Assuerum regem in magnificentissimi illius sui epuli apparatu spectasse Estheræ primo capite legimus. Hujusmodi autem vana & inani ostentatione nihil aliud assequuntur, quàm quòd plurimorum adversus se odia, invidiam atque insidias concitant. Et dum nimis stultè suas opes ostentant, illas simul profundunt, quibus amissis vel diminutis omnium ludibrio, atque risui exponuntur. Est autem hic finis regibus ferè atque principibus viris propositus, qui quidem cùm aliarum rerum, tùm conviviorum in primis (ô infelix & funestum certamen) luxuria inter se certant, cum virtutibus potiùs inter se certare deberent. Stulta hæc & insana φιλονεικία, sive, ut Athenæi verbis utar, τρυφῆ ἐνάμιλλος (qualis olim inter Antonium & Cleopatram fuit teste Macrobio lib. 3. Saturnal. c. 17. Plin. lib. 9. c. 35. & inter Stratonem, atque Nicoclem, ut testis est Athenæus lib. 12. & qualis etiam hodie inter Christianos principes versatur) florentissimas Respubl. atque regna pessundat. Eandem verò tenuis quoque sortis atque conditionis homines plerunque imitantur, qua quidem ambitiosa stultaque sua æmulatione res suas dissipant, tantumque in conviviorum celebritatibus atque festis decoquunt, ac prodigunt, ut diebus deinde profestis esuriales, ut Plauti verbis utar, ferias agere cogantur. Deinde multi sunt, quibus in conviviis nihil aliud est propositum, quàm ut ventrem, qui illorum Deus est, saginent, distendant, atque saburrent immodico cibo, atque potu, cujus insatiabili quadam & inexplebili cupiditate flagrant. Sunt præterea qui avaritiæ quoque suæ sordes conviviorum splendore tegere, & occultare conantur. Multi etiam ut majora quædam commoda atque emolumenta consequantur, lautis & opiparis conviviis alios inescare student. Atqui Christus, ut inquit Theophylactus in c. 14. Lucæ, docet non gratiæ humanæ aucupandæ ergo, & ob celerem ἀντιμισθίαν convivia esse facienda, ut facere solent μικρόψυχοι, hoc est, qui angustis sunt abjectisque animis. Nam μεγαλόψυχοι, id est, magnanimi retributionem futuram expectant ab eo, qui revera dives est & opulentus, hoc est, à Deo. Plurimi quoque quô suorum scelerum, atque flagitiorum, quæ vel jam perpetrarunt, quorumque conscientiæ dies noctesque anguntur, vel quæ designare in animo habent, impunitatem consequantur, judicum atque magistratuum ora, linguasque hujusmodi quasi injectis offis obturare, ac illorum mentis oculos, quô minùs justum & æquum cernant, excæcare nituntur. Nam, ut sacris literis proditum est, munera excæcant oculos prudentum. Cui simile est illud:

1. Vana ostentatio.

2. Gula.

3. Avaritia.

4. Spes retributionis.

5. Spes consequendæ scelerum impunitatis.

Munera, crede mihi, placant homines que Deosque.
Placatur donis Juppiter ipse datis.

6. Ambitio.

Quibus dicam, quòd ut olim, præsertim à Romanis factitatum legimus, ita hodie quoque plurimi in civitatibus omnium, quoad ejus fieri potest, summæ, mediæ, infimæ sortis hominum gratiam conviviis aucupari student, hocque pacto viam sibi aditumque ad quosvis honores, atque munera cùm ecclesiastica, tum politica muniunt. Huc pertinent quæ Cicero in genere contra omnem largitionem, qua homines ambitiosi ad honores & dignitates viam affectant, egregiè disserit lib. 2. Offic. Et tamen hæc ut olim inter Ethnicos, ita hodie quoque inter Christianos valde trita est & usitata honores ambiendi via atque ratio, cùm, ut verissimè ille apud Plautum dixit, *virtute ambire oporteat, non favoritoribus.* Cato gravissimus morum Censor, cum L. Murænam consulem ambitus nomine accusasset, inter alia hoc quoque illi objecit, quòd spectacula tributim dedisset, & ad prandium vulgò multos vocasset, quo nimirum faciliùs consulatum adipisceretur. Negabat ille verum esse cibo benivolentiam allici, negabat judicium hominum in magistratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere: indignum esse judicabat summum imperium, summam authoritatem, gubernacula Reip. petere fovendis hominum sensibus, & deliniendis animis, & adhibendis voluptatibus, ut Cicero testatur in sua pro L. Muræna oratione. Et tamen hac potissimùm ratione hodie multi Christianorum summos honores atque dignitates consequi student. Sed fit sæpenumero, quemadmodum quotidiana docet experientia, idque justissimo sanè Dei judicio, ut, qui

qui hac via ad honores atque dignitatem nituntur, præter jacturam rei familiaris, quam effusis istis conviviorum sumptibus fecerunt, spe sua frustrati pro honore & dignitate, dedecus & ignominiam reportent, & illis, quos epulari largitione corrumpere fuerunt conati, non fautoribus, & suffragatoribus, sed adversariis potiùs acerrimis utantur.

Denique conviviis homines sæpe amicitiæ specie & simulatione ad aliorum exitium, interitumque abutuntur, 7. Cædes: dum invitatos vel vi aperta, vel clàm & veneno impiè, nefarieque privant. Hujusmodi verò tragica, tetra, unde nomen sortita funesta, & immania convivia pervulgatis proverbiis appellantur Thyestea, Agamemnonia, atque Cyclopica. Thyestea Nota est fabula de Thyeste Pelopis filio, cui Atreus frater epulandos suos ipsius liberos apposuit, quorum no- cœna. mina prodidit Euripidis Scholiastes esse Aglaum, Orchomenum & Caleum. Hinc θυέστου τράπεζα ἤ δεῖπνον, id est, *Thyestea mensa, aut cœna* pro immiti, & cruento epulo ponitur. Athenagoras libro de mortuorum resurrectione, καὶ τὰ τραγικὰ δεῖπνα θυέστου, id est, *& Thragicas Thyestæ epulas.* Euseb. lib. 5. Eccles. historiæ in epistola Gallicanorum Christianorum, quæ est de martyribus in Gallia necatis; καὶ ἐψεύσαντο ἡμῶν θυέστεια δεῖπνα, καὶ οἰδιποδείους μίξεις, id est, *Mentiti sunt de nobis Thyesteas cœnas, & Oedipodios incestus nobis objicientes,* Oppianus Cylix in Cynegeticorum 3. de Onagro loquens testes sui catuli absumente, conqueritur de natura, quæ non homines tantùm in pignora sua diro exemplo armaverit, verùm etiam bestias eadem immanitate imbuerit, sic inquiens, θηρσὶ θυεστείην ὀλοὴν παρέθηκε τράπεζαν, hoc est, *apposuit feris epulum ferale Thyestæ.* Philon in oratione de dirarum imprecationibus; ἐπάρατοι τροφαὶ τὰ θυέστου παιδία καὶ συγκεκνόμενα τῶν ὑπερβολαῖς τῶν συμφορῶν, id est, *execrandæ dapes Thyestai liberi inter gravissimas calamitates adnumerati.* Martial. lib. 1.

------ Quis scribit prandia sævi
Tereos, aut cœnam crude Thyesta tuam.

Et lib. 4. *Fugerit an Phœbus mensas, cœnamque Thyestæ*
Ignoro, fugimus nos Ligurine tuam.

Hæc Junius in Adag. Charmides Siculus apud Plaut. in Rudente,

Scelestiorem cœnam cœnavi tuam
Quam quæ Thyestæ quondam anteposita est, & Tereo.

Prognes enim Tereo viro suo, quòd is Philomelam Prognes sororem vitiasset, eique postea, ne enuncia- Terei cœna. ret, linguam præcidisset, Itym communem filium dilaceratum patri comedendum objecit. Refert Homerus Οδ. δ. quomodo Ægistus adulter lautum apparaverit convivium ad Agamemnonem excipiendum, quo illum Agamem- nil mali suspicantem interemit, sic enim ait, κατέπεφνε δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ, id est, nonia cœna. *Cænæ acceptum mactat, ut si quis bovem mactaret in ipso præsepi.* Juve. Sat. 8. *Quippe ille* (Orestes) *deis ultoribus auctor Patris erat* (Agamemnonis) *cæsi media inter pocula*, &c. Hinc Ἀγαμέμνονος δαῖς, ἤ τράπεζα, id est, *Agamemnonium epulum, vel Agamemnonia mensa* proverbialiter dicitur de iis, qui in exitiali mensa epulantur, ultimamque cœnam sumunt. Torquebitur in eos, qui amicè excepti medicatum hauriunt poculum, aut venenatam offulam, & Claudii Cæsaris Boletum edunt, quod multis ex purpuratorum collegio contigit, qui ab Alexandro, Pontifice eius nominis sexto, opiparè excepti, paulò pòst interierunt, Junius in Adag.

Medicam quoque mensam, quæ aliàs proverbialiter pro sumptuosa accipitur, Athenagoras libro de mor- Medica tuorum resurrectione, pro immitibus, & cruentis epulis usurpat, respiciens fortassis (ut Junius in suis Adagiis mensa & docet) ad crudele Astyagis Medorum regis factum, qui Harpago amico consiliorum omnium participi epulan- ejus exempla. dum filium apposuisse legitur apud Justinum. In convivio Godolias fortissimus heros, qui Iudeæ a Nabuchodonozore Babyloniorum rege præfectus fuerat, unà cum multis aliis Judæis atque Chaldæis in Mizbach immanissimè occisus fuit, sicuti scriptum est Jerem. 4. & 2. Reg. 25. Sic Amnon filius Davidis ab Absolomo convivio exceptus magnifico, temulentus obtruncatur, 1. Reg. 13. Similiter Simon sacerdos unà cum duobus filiis a Ptolemæo Alobi filio ad convivium vocatus, & inebriatus occisus fuit, 1. Machab. 13. Vespasianus, teste Suetonio, *suspectissimum quemque sibi, per theatra, & castra ad cœnam invitando haud cunctanter oppressit. In his Aulum Cæcinnam consularem virum vocatum ad cœnam, ac vix dum triclinio egressum confodi jussit.* Similiter Demetrius Poliorcetes, hoc est, *expugnator urbium* cognominatus, Alexandrum ad cœnam vocavit, cumque è cœnaculo egredientem multis vulneribus confodi jussit. Sic Joh. Baptista ad Herode, Quintus à Perpenna, alii ab aliis oppressi sunt. Tale convivium fuit Vaccensium, Vaccæ oppidi Numidiæ inhabitatorum, cujus Sallustius meminit de bello Jugurtino, qui eo tempore, quo Romani cum Jugurtha bellum gesserunt, die quodam festo, qui celebratus per omnem Africam ludum & lasciviam magis, quàm formidinem ostentabat, Centuriones Tribunosque militares Romanorum, & ipsum præfectum oppidi Titum Turpilium Syllanum, alius alium domus suas invitarunt, eosque omnes prætēr Turpilium inter epulas obtruncarunt. Plura exempla eorum, qui vocati ad cœnam cæsi fuerunt, vide apud Suetonium. Atque hoc quidem sæpissimè fieri testes sunt sacræ & prophanæ literæ: testis est, proh dolor, quotidiana experientia. Immane profectò & inexpiabile hoc scelus convivio, quod ad jucundam tuendam atque conservandam mutuam hominum amicitiam plurimum habet ponderis, ad hominum perniciem atque cædem abuti. Hinc trito & pervulgato Germanorum proverbio, eim ein banquet schencken / *donare alicui convivium* idem significat, quod alicui malum aliquod ingens sive exitium conciliare. Sic φώκου ἔρανος, id est, *Phoci convivium* dicitur, ubi quis suo malo convivas exci- Phoci convivium. pit. Nam ajunt Phoco cuidam fuisse filiam jam nuptiis maturam: is procos, nam erant complures, convocare solitus præmia statuebat, & conditionibus subinde novis propositis nuptias prorogabat. Quamobrem indi-

gnati juvenes Phocum in convivio trucidarunt, auctor est Zenodotus, etsi Plut. in amatoriis narrationibus fabulam hanc aliter narret. Sic Othonem 2. Imp. multos in convivio obtruncasse tradunt historiæ.

Estheræ & Judithæ facta, quia extraordinaria, ideò excusanda.

At dixerit hîc non nemo, Esthera tamen, quæ fuit sancta & religiosa mulier, Hammanum amicitiæ specie, & simulatione ad convivium unà cum Assuero rege invitatum curat è medio tolli. An non hoc videtur fuisse à probæ, religiosæque illius fœminæ officio alienum? Respondeo hoc illius factum fuisse extraordinarium, ac proinde non temerè ad imitationem trahendum. Id namque fecit non solùm Mardochei suasu & hortatu, verùmetiam ipsius Dei singulari quodam impulsu, atque instinctu, ut nimirum universus populus Judæus præsentissimo funestissimæ internecionis periculo liberaretur, justissimo Hammani supplicio, atque ita simul Dei justitia atque gloria illustraretur. Illud ergo ipsum epulum licet sceleratissimo illi viro exitio fuerit, tamen innumeris aliis fuit saluti. Idem etiam dici potest de Juditha, quæ similiter videtur esse vituperanda, quòd amicitiæ, & amoris prætextu accessit ad Holophernis convivium, eo animo atque consilio, ut illum hac occasione è medio tolleret, sicuti scriptum est, c. 12. illius historiæ v. 13. Hoc illa quoque fecit non suo quodam pravo affectu, sed Dei instinctu impulsa. Nam quoniam Holophernes non animo amico & honesto, sed inimico potiùs, & inhonesto, illius nimirum pudicitiæ violandæ gratia, illam invitarat, factum est justo Dei judicio, ut ab ea, quam ipse per summum nefas virginali sua pudicitia spoliare est conatus, vita sua privaretur, id quod simul cùm ad Dei gloriam, tum ad universi populi salutem spectavit.

Effectus luxuriosorum conviviorum.

In genere autem omnia intempestiva luxuriosaque convivia Thyestea, Agamemnonia, Medica, atque Cyclopica meritò appellari possunt. Nam in iis alii alios ceu Anthropophagi quidam feri, ac immanes devoramus, alii aliis mortem, interitumque & animi, & corporis, fortunarumque omnium acceleramus. Nam primò immodicæ illæ intemperantesque cibi potusque ingurgitationes (ad quas nos mutuò in conviviis nostris invitamus, seu potiùs cogimus) quid quæso sunt aliud quàm venenata quædam pharmaca, quibus omnis generis morbos, mortemque nobis celerem & immaturam accersimus? Deinde sumptus illi infiniti, & immanes pecuniarum, quæ in convivia illa profunduntur jacturæ, quò quæso aliò spectant, nisi ad nostrimet ipsius perditionem? Nam, ut verè eleganterque inquit Aristot. δοκεῖ δ' ἀπώλειά τις εἶναι καὶ ἡ τῆς οὐσίας φθορά, ὡς τοῦ ζῆν διὰ τούτων ὄντος, hoc est, *videtur sui cujusque interitus esse quidam facultatum profusio, quòd iis vita sustentetur.* Et idem dicit ἄσωτον suas opes consumendo, atque perdendo per se ipsum perire. Hinc per Prophetam Deus impiis principibus exprobrat, quòd comedant populum suum tanquam panem, dum nimirum illos partim vi aperta, partim fraudibus, bonis & facultatibus suis spoliarent, quibus ceu necessariis vitæ humanæ præsidiis ablatis atque sublatis, illos interire sit necesse.

Hinc ergo colligimus luxuriosis hujusmodi profusisque conviviorum sumptibus, & magistratus suos devorare subditos, & parentes Thyestis illius instar, suos liberos, uxorem, totamque familiam, & denique unumquemque & seipsum, & alios devorare atque consumere. Adhæc in luxuriosis profligatisque istis conviviis homines vino, ciboque nimium onerati, ac proinde mentis impotes, mutuis sese plerunque convitiis (ut Paulus ad Gal. loquitur) mordent, atque comedunt. Ut nihil dicam, id quod creberrimè fieri experimur, quòd in illis ipsis luxuriosis conviviis sæpe homines Baccho atque Cerere, ceu pessimis consultoribus, impulsi in mutua verbera, corporis mutilationes, vulnera atque cædes prosiliunt, atque prorumpunt, φωμοὺς, ut poëta ille inquit, de Cyclopibus & Ulyssis sociis verba faciens, ἐπεσθίοντες ἀνδρομέας, ita ut Anthropophagorum, Cyclopum, Centaurorum, atque Lapitharum convivia, imò non convivia sed commoria potiùs, ut ita loquar, dici merentur. Non enim qui ejusmodi conviviis indulgent convivere, sed potiùs (ut de Antonio & Cleopatra dictum est) ob paulò antè commemoratas causas, συναποθανεῖσθαι, hoc est, commori verissimè dicuntur.

Sunt ergo, ut concludam, convivia illa vero illi conviviorum fini (de quo jam suprà dictum est) planè contraria, charitati geminæ erga Deum atque proximum inimicissima. Nam primò ipsum Deum hujusmodi conviviorum luxu nobis ex amico inimicum infestumque reddimus: nosque ab illius communione atque societate disjungimus. Nullum enim Deo cùm Belial, hoc est, cum Baccho atque Cerere ejusmodi conviviorum præsidibus, potest esse commercium. Deinde cum convivia illa plerunque rixarum, litium, contentionum, jurgiorum, atque convitiorum sint semina, ex quibus funesta sæpe odia, inimicitiæ, atque cædes nascuntur, non ad tuendam, & conservandam, sed disturbandam potiùs ac labefactandam hominum societatem, pacem, atque concordiam plurimùm valent. Huc referri potest celebre illud Epicharmi dictum, cujus Athen. lib. 1. meminit, ἐκ θυσίας θοίνην, ἐκ θοίνης πόσιν γίγνεσθαι, ἐκ δὲ πόσιος κῶμον, ἐκ δὲ κώμου γίγνεσθαι θυανύαν, ἐκ δὲ θυανύας δίκην, ἐκ δὲ δίκης καταδίκην, ἐκ καταδίκης δὲ πέδαι τε, καὶ σφάκελος, καὶ ζημία, id est, *ex sacrificio convivium, ex convivio potionem provenisse, ex potione lasciviam, ex lascivia provenisse insaniam, ex insania judicium, à judicio condemnationem, a condemnatione compedes, siderationes, mulctas, &c.* Quamobrem mirum profectò non est bene moratas & constitutas Respub. pernitiosam hanc & exitialem communibus pariter atque privatis rebus comessandi libidinem atque luxuriosam, severis quibusdam legibus veluti vinculis atque frenis (quas leges sumptuarias, atque cibarias appellaverunt) coërcere atque reprimere sedulo studuisse. Hæ leges vel convivarum numero, vel alimentorum pretiis, vel vasorum atque suppellectilis convivialis magnificentiæ, vel tempori, vel denique ferculorum copiæ & multitudini certum quendam modum præscripserunt.

Leges sumptuariæ contra convivia luxuriosa.

Ac præ cæteris quidem illustres fuerunt illæ Romanorum antiquæ sumptuariæ leges, prophanorum Scriptorum monumentis admodum celebratæ, de quibus Beroaldus in Suetonium scribit: & sic Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 17. *Longum fiat si enumerare velim quot instrumenta gulæ inter illos vel ingenio excogitata sint, vel studio confecta. Et hæ nimirum caussæ fuerunt, propter quas tot numero leges de cœnis & sumptibus ad populum ferebantur, & imperari cœpit, ut patentibus januis pransitaretur, & cœnitaretur.*

Sic

Sic oculis civium testibus factis luxuriæ modus fieret. Prima autem omnium de cænis lex ad populum Orchia pervenit, quam tulit C. Orchius Trib. Pleb. de senatus sententia, tertio anno ante quàm Cato censor fuerit, qua præscribebatur summa convivarum tantùm, luxui nihil derogabatur. Ejusdem Festus meminit lib. 17. At XXII. annis post Fannia lex lata fuit, non a Prætoribus aut Tribunis, sed ab ipsis consulibus, C. Fannio, M. Messala anno D. XCII. qua sumptus coërcebantur, *& modus præscribebatur assibus centum, unde a Lucilio poëta Centussis festivè vocabatur. Eò enim res redierat, ut gula illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam, & libertatem suam venderent, plerique ex plebe vino madidi in comitium convenirent, & ebrij de salute Reip. consulerent.* Ea lex statuit, ne quid volucrum præter unam gallinam, quæ altilis non esset, apponeretur: neve singulis diebus præterquam Saturnalibus, & Romanorum ludis, vel plebeis plures denis assibus domesticis cænis impenderentur. Hujusce legis Tertull. quoque meminit in Apologetico his verbis. Leges sumptum comprimentes centum æra, non ampliùs, in cænam subscribi jubebant: non ampliùs, quàm unam inferri gallinam, & eam non saginatam. Centenarias antiqui appellavere cænas, ab impensa centenum sestertiorum. Ejusdem & Plin. lib. 10. c. 50. & Athen. lib. 6. sub finem, mentionem faciunt. Post annos XVIII. secuta est Didia duplici de causa, *tum ut universa Italia, non sola urbs lege sumptuaria teneretur, tum ut non soli, qui prandia, cænásve majore sumptu fecissent, sed etiam qui ad eas vocati essent, pæna legis tenerentur. Post Licinia, a Pub. Licinio Crasso divite lata est, quæ in plerisque cum Fannia congruit, & quæsita tantùm fuit nova legis authoritas exolescente metu antiquioris. Summa ejus fuit, ut Calendis, Nonis, Nundinis Romanis cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edundi caussa consumere liceret. Cæteris vero diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeret, quàm carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo, libra quod ex terra, vite arboréve natum sit.* Festus, *Centenariæ cænæ dicebantur: in quas lege Licinia non plus centussibus præter terra nata impendebatur, id est, centum assibus, qui erant breves nummi ex ære.* Ejusdem Cic. meminit lib. 7 epist. ad Gallum epist. 27. Has secuta lex Cornelia, a Cornelio Sylla dictatore lata, *quæ non gulæ modus factus, sed minora tantum pretia rebus imposita, nimirum ut utilitas eduliorum animos hominum incitaret potius, quàm legis authoritas absterreret.* Sylla luxu ipse diffluens sumptuosusque (inquit Plutarchus in vitis) cives composuit ad frugalitatem. Eo mortuo *Lepidus & ipse legem tulit cibariam, sic enim Cato sumptuarias leges appellat. Paucis deinde interjectis annis, Antius Restio optimam legem tulit, quam tamen vitiorum firma concordia nullo abrogante irritam fecit. Ipse Restio quoad vixit foris postea non recænavit, ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse bono publico pertulisset*: Hæc Macrobius. De ijsdem vide Gellium lib. 2. c. 24. Noct. Attic. Quidam principes qui etiam Bacchanalia ipsi viverent, tamen luxuriam suorum subditorum refrænare severis legibus fuerunt conati, ut de P. Sylla Macrob. de Tiberio Cæsare, & alijs, testis est Plinius lib. 14. c. 14. Eundem vide lib. 8. c. 17. Hæ leges sumptuariæ, ut docet Ammianus Marcellinus, Romam fuerunt translatæ ex Rhetris Lycurgi, quæ diu observatæ tandem exoleverunt. Rhetræ verò dictæ sunt Lycurgi leges, quasi ex oraculo decretæ. Quantum præterea Lacedæmoniorum in hoc conviviorum luxu coërcendo authore Lycurgo studium extiterit, & Plutarchus in vita Lycurgi, & innumeri alii Scriptores testantur. Verùm de hujusmodi legibus & institutis ad conviviorum effrænatam licentiam coërcendam accommodatis plura dicentur, quando ad singulas conviviorum species atque partes perventum fuerit.

1. Orchia. 2. Fannia. 3. Didia. 4. Licinia. 5. Cornelia. 6. Lepidi. 7. Antia.

Optandum sanè esset Christianos Rerumpub. atque regnorum moderatores, ad Ethnicorum illorum exemplum & imitationem insanam hanc & immanem conviviorum luxuriam, quæ majora indies incrementa sumit, imò quæ ad cumulum summum videtur pervenisse, cùm severis legum sanctionibus, tum vero atque in primis sobriæ, & frugalis suæ vitæ, ceu vivæ legis exemplo refrænare conarentur. Id si fieret multo profectò meliore in loco Christiana Respub. staret. Verùm quoniam, proh dolor, plerique Christianorum principes Vitellios, Nerones, Diocletianos, Heliogabalos, Caligulas, & alios hujus farinæ tyrannos, seu portenta potiùs atque monstra naturæ luxuriosissima imitari malunt, & ipsi non modò veteri proverbio ut βοῦς ἐπὶ σωρῷ splendidè ampliterque vivunt, & huic luxuriæ pestifero morbo, nullam salutarem medicinam adhibent, verùm etiam illum luxuriosæ profligatæque suæ vitæ exemplo magis magisque augent. Hinc fit, ut universa Respub. Christiana (ne quid de singulis illius membris dicam) magis magisque diminuatur, ac deformetur, & quotidie ferè propiùs ad fatalem suum occasum interitumque appropinquet. Hinc, inquam, fit, ut Respub. Christiana Moscovitarum, Tartarorum, Turcarum, aliarumque immanissimarum gentium prædæ, depopulationi, atque tyrannidi magis magisque subijciatur. Et huc quidem facit Christiani cujusdam Imperatoris dictum ad milites a Sarracenis victos: illi enim cùm causam acceptæ cladis in vini inopiam conjicerent, quòd scilicet vinum soleat hominum animos accendere, & corpori vigorem agilitatemque addere, dicit, *At qui nos vicerunt aquam potant, quippe cùm eorum legibus & institutis Mahometanis vini usus prohibeatur.* Sic quænam quæso etiam hodie alia est causa cur Christiani plerunque immanissimis illis gentibus succumbant, nisi monstrosa ista conviviorum luxuria, quæ & summæ, & mediæ, & infimæ sortis hominibus est familiarissima, quaque animi corporisque vires franguntur ac debilitantur? Adhæc opes atque divitias maximas, quæ sæpe vel acerbissimis tributis extortæ ad arma bellumque contra illas gentes parandum atque gerendum conferri debebant, istæ conviviorum quasi Scyllæ atque Charybdes devorant & absumunt.

Atque hæc quidem in genere de conviviorum origine, fine, usu & abusu, abusus denique tollendi corrigendique ratione satis sint dicta, quæ quidem omnia in speciali explicatione magis adhuc patebunt.

CAPUT IIII.

DE CONVIVIORUM DIVISIONE.

Convivium est corporeum, aliud incorporeum. Convivium incorporeum. Convivia corporea varie dividi possunt.

Conviviorum quoniam varia sunt & multiplicia genera, idcirco variè quoque dividi possunt. Ac primò quidem convivium aliud dicemus esse corporeum (quod propriè convivium dicitur) quod quidem corporeo cibo potuque constat. Aliud verò incorporeum & spirituale, quod spirituali mentis pastu pabulóque constat, quod impropriè & translatè convivium dicitur. Illud Thomas Aquinas super Isa. 25. facit triplex; nimirum animæ, ecclesiæ, & beatorum, quorum unumquodque rursus dicit habere tres species.

Convivia porrò corporea propriè sic dicta, de quibus nunc disputamus, multis modis dividi possunt, cùm variæ sint illorum species atque formæ. Illa enim longè lateque in humana vita patent, perque omnes humanæ vitæ partes, actionesque sunt diffusa, ita ut nulla ferè sit hominum actio, quam convivia non aut antecedant, aut comitentur, aut consequantur, adeò ut convivia omnium ferè humanarum actionum principia, media, atque termini appellari possint. Et quemadmodum apud veteres, teste Valerio, non solùm publicè, sed etiam privatim nihil gerebatur nisi captato priùs auspicio, sic & olim, & hodie quoque nihil vel publicè, vel privatim, vel domi, vel militiæ, vel sacri, vel prophani geritur, nisi convivium aliquod intercesserit.

Prima conviviorum divisio.

Ac prima quidem conviviorum divisio cum præcedentibus maximè cohærens videtur posse statui secundùm eorum vel defectum, vel medium, vel excessum, ita ut alia moderata, atque frugalia, alia nimis parca, & sordida, alia splendida, & magnifica, alia nimis sumptuosa, luxuriosaque dici possint.

CAPUT V.

DE CONVIVIIS MODERATIS, FRUGALIBUS, ATQUE ETIAM NIMIS PARCIS, ATQUE SORDIDIS.

Convivium moderatum, ejusque varia nomina.

Convivium itaque primi generis, mediocre, moderatum, temperatum, tenue, frugale, sive frugi, & parcum a Latinis appellatur. Convictus facilis, *sine arte mensa*, Martial. Cænula diminutivè. Cic. 5. Tusc. Quid? *Vos hesterna*, inquit, *cænula non intellexistis, me pecunia non egere?* A Græcis dicitur συμπόσιον λιτὸν, id est, *tenue*, μέτριον, id est, *mediocre*, *moderatum*, *temperatum*, ἀφελὲς, id est, *simplex*, εὐτελὲς (ut δεῖπνον εὐτελὲς οὐ ποιεῖ παροινίαν, id est, *cæna sumptu facilis non parit debacchationem*) & εὐδάπανον, id est, *parvi facilisque sumptus*. Item ἄθρυπτον, id est, *durum* & *austerum*, ἀφλέγμαντον quod *nullam inflammationem gignit*. Clem. Alex. hujusmodi convivium δεῖπνον λιτὸν καὶ εὔζωνον, ἐπιτήδειον εἰς ἐγρήγορσιν, ποικιλίαις ἀνεπίμικτον ποιότησι, οὐκ ἀπαιδαγώγητον eleganter vocat. Idem præterea exprimitur variis proverbiis sumptis vel a Diis, vel ab hominibus, qui ejusmodi conviviorum tenuitate usi & delectati sunt, vel denique ab ipsis cibis: ut *cænæ Deûm*, Horat.

Deorum cœnæ.

O noctes, cænæque Deûm.

Suidas frugi, & modicas, sed jucundas & suaves cænas comparat epulis, quæ in honorem Deûm in templis apponebantur tenues, & parabiles, non sumptuosæ & splendidæ, ut testatur Dionys. Halicarn. lib. 1. Antiquit. Credidisse videntur prisci deos non tantùm nectare, & ambrosia pasci, verùm etiam vilibus quibusdam cibis, ut Romulus rapis, credo de paupertate illius seculi, quo Romulus vixerat. Proinde quasi in cælis iisdem cibis victitet, quibus in terra alebatur. Seneca sic scripsit in Apocolocynthesi, *sicque e Repub. esse aliquem, qui cum Romulo possit ferventia rapa vorare.* Unde Martialis quoque.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus in cælo Romulus esse solet.

Cæl. lib. 28. c. 7. Cœnas deorum vult dici, quæ citra omnem fiunt sollicitudinem. Erasmus contra in Adag. suis *cœnas Deûm* apud Horat. interpretatur *prælautas*, *& opiparas*, & vult nectar, & ambrosiam indicari. *Nam hæc*, inquit, *illis tantùm a poëtis tribuuntur, si quando domi cibum capiunt, alioquin si contingat aliquò ad opimam victimam invitari, nidore carnium magis delectantur.*

Cœna Saturnia.

Cœna quoque Saturnia dici potest κρόνιος βίος, hoc est, *vita* sive *victus Saturnius* dicitur proverbiali tropo, pro beata, & luxus exotici dolique ignara, qualis aureo sæculo tribuitur a poëtis, quemadmodum Iunius in suis Adagiis multis testimoniis probat.

Cœna Hecatæ.

Hecatæ quoque cœnam perparcam, & impendiò frugalem appellabant, quòd apud Inferos tenuissimo victu, minimoque cibo, eoque vilissimo vivi putabatur, juxta poëtarum fabulas, de quo sic Erasmus in suis Adagiis, *Veteres cænam perparcam, & impendiò frugalem Hecatæ cænam appellabant, quòd apud Inferos tenuissimo victu minimoque cibo, eoque vilissimo vivitur juxta poëtarum Theologiam: siquidem umbræ plebeiæ malva porroque victitant.* Hecate (ut Antiphanes testatur apud Athen. lib. 6.) mænidas ac triglidas pisces, apud nos contemptissimos, habet in delitiis, ut sibi sacros. Verùm illud expendatur, An proverbium accipi possit de

cœna illa, quam singulis mensibus in triviis collocabant divites, diripiebant pauperes. Cujus rei meminit etiam Aristophan. in Pluto: Χρέμυλος πρὸς πενίαν,

- - - - Παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστιν τοῦτο πυθέσθαι
Ἤτε τὸ πλουτεῖν ἤτε τὸ πεινῆν βέλτιον, φησὶ γὰρ αὕτη
Τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας, δεῖπνον κατὰ μῆνα προτιθέναι
Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι.

Quo quidem loco in hanc sententiam scribit interpres: *Olim in triviis venerabantur Hecaten, quod eadem tribus nominibus appelletur, Luna, Artemis & Hecate. Cæterùm sub novilunium divites mittebant cænam vespere, veluti cænam Hecatæ in triviis, pauperes autem esurientes diripiebant ac devorabant quæ erant apposita, dicentes quòd Hecate comedisset.* Ipsius Scholiastis verba hæc sunt, κατὰ νουμηνίαν οἱ πλούσιοι ἔπεμπον δεῖπνον ἑσπέρας ὡς θυσίαν τῇ Ἑκάτῃ ἐν ταῖς τριόδοις, οἱ δὲ πένητες ἤρχοντο πεινῶντες καὶ ἤσθιον αὐτά, καὶ ἔλεγον ὅτι ἡ Ἑκάτη ἔφαγεν αὐτά. ἄλλως. ἔθος ἦν ἄρτους καὶ ἄλλα τινὰ κατὰ μῆνα τιθέναι τῇ Ἑκάτῃ τοὺς πλουσίους, λαμβάνειν δὲ ἐξ αὐτῶν τοὺς πένητας, ἀπὸ τῶν ἱερῶν γὰρ οἱ πτωχοὶ ζῶσιν. Lucianus quoque Dialog. 1. Necricorum meminit δείπνου Ἑκάτης, cui canes immolasse priscos Brodæus probat lib. 1. Miscel. c. 24.

Hecale similiter cæna de frugali admodum, tenuique apparatu effertur, ab Hecale paupercula, cujus apud Ovid. fit mentio, & cujus egenam cænam non aspernatus fuisse Theseus legitur. Julianus Cæsar ad Jamblichum philosophum, πάντως οὐδὲ τῆς Ἑκάλης ὁ Θησεὺς τοῦ δείπνου τὸ λιτὸν ἀπηξίωσεν, ἀλλ' ᾔδει καὶ μικροῖς ἐς τὸ ἀναγκαῖον ἀρκεῖσθαι, id est, *nimirum Theseus non detrectavit tenuem Hecales cænam, sed norat etiam parvis esse contentus, cùm ita ferret necessitas.* Dicitur autem Hecale anus Theseum jam tum juvenili in ætate hospitio solita excipere, proque illius ad pugnam profecturi sospite reditu vota diis nuncupasse, in cujus beneficii memoriam Theseus instituit postea Hecalesion festum, quo Jovi, ab illius nomine Hecale dicto, sacrificabatur. Callimachus scribit in opere, quod ab illa anu inscripsit Hecalen, habuisse illam φιλοξενίης στέγος ἀκλήιστον, id est, *hospitii lares nemini clausas, cunctisque patentes.* Hæc Junius in Adagiis. Hecales meminit quoque Plautus in Cistellaria. Cœna Hecales.

Siquidem eris, ut volo, nunquam Hecale fies.

Plura de Hecale anu ejusque hospitalitate lectu dignissima vide apud Angelum Politianum, in Miscellaneis ipsius cap. 24.

Item Ἴκκου δεῖπνον, id est, *Icci cæna*, teste Iunio in Adagiis paræmiacè de perparca & frugali cæna dicitur, ut commemorat Eustath. Iccus Tarentinus fuit medicus, ὃς ἐπὶ βίου εὐτελείᾳ εἰς παροιμίαν κεῖται, id est, *cujus vitæ parsimonia in proverbium abiit*, illudque dici, ut inquit, ἐπὶ τῶν ἀσωτίστως δειπνούντων. Meminit Ælianus lib. 11. variæ historiæ, Icci Tarentini, non medici, sed luctatoris, quem toto certationis tempore temperatissimo victus genere usum, Venerisque omnis expertem fuisse scribit. Græcè est κεκολασμένῃ τροφῇ διαβιώσας. Hujusmodi omnium Christianorum, quibus in hoc mundo periculosa luctuosaque est cum diabolo, mundo, atque carne lucta, convivia esse oportebat. Cœna Icci.

Cæna quoque philosophica pro frugali nonnunquam usurpatur. Nam, ut inquit Lazius, *cæna philosophica frugalissimè erat instructa, non multùm a sportula diversa, quòd philosophi frugalissimè, & differendo de rerum natura solerent cænare.* Hujusmodi συνόδους φιλοσόφων Athen. lib. 5. statim ab initio, ut Diogenistarum, Antipatristarum, & Panætiastarum Athenis fuisse scribit. In ea reliquit Theophrastus pecuniam, non ut intemperanter agerent unà convivantes, sed ut σωφρόνως καὶ πεπαιδευμένως, id est, *moderatè, eruditeque in conviviis differerent*: & paulò pòst, ἐπιμελὲς δὲ ἦν τοῖς φιλοσόφοις συνάγουσι τοὺς νέους μετ' αὐτῶν πρὸς ἵνα τεταγμένον νόμον εὐωχεῖσθαι, *Dabant operam ut juvenes secum adducentes ad certum legitimumque modum convivarentur.* Hæc fuit philosophorum illorum, veræ sapientiæ expertium, in conviviis frugalitas, temperantia atque modestia. Pudeat ergo nostros philosophos, illos præsertim qui summæ illius verissimæque sapientiæ, hoc est, religionis Christianæ studium, cognitionemque profitentur, suæ luxuriæ, intemperantiæ, immodestiæ, cui cum summa pernitiosaque plebis Christianæ offensione atque scandalo, & cum ipsius religionis, Ecclesiæque detrimento, nimis effrænatè indulgent: quorum sermones conviviales non sunt, quales Atheniensium illorum philosophorum Athenæus scribit fuisse, σώφρονες, καὶ πεπαιδευμένοι, id est, *temperantes, & eruditi*, sed, Baccho nimirum, Como, atque Venere per illos loquentibus, vani, futiles, scurriles, turpes & obscæni, qui non ad juventutis institutionem, sed offensionem potiùs faciunt. Quamobrem ut illa Atheniensium philosophorum cænæ virtutis, & industriæ, ita hæ philosophorum Christianorum cænæ cænosæ (ut ita loquar) vitiorum omnium scholæ appellari possunt. Cœna Philosophica.

Ut autem philosophicum, ita musicum quoque convivium & apparatus pro mediocri, temperatoque passim apud authores accipi Junius in Adagiis testatur. Damascius Syrus in historia, quam de philosophis scripsit, τὴν δὲ τροφὴν σκληρώσατο μετρίαν τινὰ καὶ ἀθρυπτον, οὔτε κακουργοῦσαν διὰ πενίαν, οὔτε διὰ πλοῦτον βλακεύουσαν, ἀλλὰ μέσην, καὶ μουσικήν, καὶ τῶν δώριον τρόπον τῆς τύχης ἀληθῶς ἡρμοσμένην, id est, *victum sortitus est, moderatum, & frugalem, neque ob egestatem præparcum, neque propter opes diffluentem, sed medium atque musicum pro fortunis verè temperatum, ad instar Doriorum modorum.* Plutarchus in præceptis salubribus, Timotheum Atheniensium ducem cænasse dicit in Academia apud Platonem μουσικόν, καὶ λιτὸν δεῖπνον, id est, musicam & frugalem cænam: quod repetit idem in Sympos. sexto, his verbis, ἐδείπνισε μουσικῶς, καὶ ἀφελῶς, id est, *tractavit ipsum musicè & mediocriter absque gravi apparatu.* Similiter Athen. lib. 10. ἑστιαθεὶς ἀφελῶς καὶ μουσικῶς, id est, convivio Cœna Musica.

vivio

vivio exceptus mediocri & musico. Euphron. Comicus, ἅλας δὺς μυζικῶς, id est, *mediocri salis copia injectâ.* Huc referri puto illud Plauti in Mostellaria.

Musicè hercle agetis ætatem, ita ut vos decet,
Vino, & victu, piscatu, probo, electili vitam colitis.

Quum vellet innuere mediam vivendi rationem illos sequi, neque vilis & minimi pretii, neque rursus maximis dapibus victitando, sed medio victu contentos. Lambinus *Musicè* illo in loco interpretatur *concinnè, & lepidè: licet etiam,* ut idem inquit, *Musicè, accipere propriè, ut referatur ad fidicinas, & tibicinas, quæ fidibus & tibiis apud Philolachetem canebant.* Musicum convivium Latinè mundum quoque appellare possis. Nam mundum est medium inter sordidum, & luxuriosum seu profusum, ut pluribus Lambinus docet in Horat. lib. 2. Sat. 2. Notabis etiam hic convivium virorum sapientum, μυζεῖον eleganter à Luciano appellari.

Cœna Platonica. Cœna quoque Platonica proverbialiter nonnunquam pro mediocri & frugali usurpatur, propterea quod is philosophus ejusmodi cæna delectatus fuisse scribitur. Ejus rei testis est Plut. lib. 6. Sympos. *Plato,* inquit ille, *Timotheum Cononis filium, ut illum a sumptuosarum ac militantium cænarum consuetudine abduceret,* ἐδείπνισε μυζικῶς, καὶ ἀφελῶς τ ἀφλεγμάντοις, ὡς φησιν ὁ Ἴων, τραπέζαις, αἷς ὕπνοι τε καθαροὶ, καὶ βραχυόνειροι φαντασίαι, ἡ σώματ@ εὐδίαν, καὶ γαλήνην ἔχοντες ἕπονται, hoc est, *excepit tenui, & musico,* id est, *moderato victu, inflammationem nullam parente, qualem somnus tranquillus, nec crebris interruptæ somniis imaginationes, sed cùm corporis alacritate tranquillitateque conjunctæ sequuntur.* Timotheus itaque postridie discrimine suarum, quibus adhuc usus fuerat, & Platonicæ cœnæ animadverso, dixit eos, qui apud Platonem cænarent, etiam sequenti die bene se habere.

Cœna Rustica. Cœnas rusticas Horat. lib. 2. Satyr. 4. vocat tenues, & minimè sumptuosas, post quas dicit se noctes ducere quietas, & tranquillas, somnosque capere placidissimos, neque a cibo immoderato, nimiaque potione interruptos.

Cœna Laconica. Cœna Laconica similiter pro parca, atque tenui sæpenumero accipitur, propterea quòd Lacedæmoniorum summa fuit in publicis illis syssitiis, de quibus suo loco, parsimonia atque temperantia, ut Athenæus, innumerique alii authores testanrur.

Sacrificium nephalium. Νηφάλιον θυσίαν, hoc est, nephalium seu abstemium sacrificium (quod etiam ἄοινον, id est, vini expers dictum) pro convivio vehementer frugali & sobrio usurpari posse, Erasmus vult in suis Adagiis. Idem quoque testatur accipi posse pro quovis prandio ἀοίνῳ, id est, vino carente, sive abstemio, in quo videlicet nihil vini potatur, quod etiam Caninum dicitur, quod canis vino caret, teste Gell. lib. 13. cap. ultimo. Ejusmodi Adriani Imperatoris fuisse prandia, Dion. Cassius testatur.

Sacrificium ἄκαπνον. Ἄκαπνος quoque θυσία, id est, sacrificium absque fumo, teste Erasmo, dicitur de nimiùm tenui convivio, & in quo nihil cocti obsoniique apponitur, translatum a pauperculorum sacris, molas, thusculum, lac, aut corollas offerentium, cum dii nidorem illum expectant, unâ cum fumo subvolantem juxta Homerum. Lucianus in amoribus βουφάγος μὲν ὁ δαίμων, ὦ Λυκῖνε, καὶ τ ἀκάπνοις, ὥς φασι, θυσιῶν ἥκιστα τερπόμενος, id est, *sane perquam edax est deus, ô Lycine, quique fumi expertibus sacris haudquaquam gaudeat.* In eodem sensu usus est, & Athenæus, ἄκαπνα γὰρ ἀεὶ ἀοιδοὶ θύομεν, id est, *poëtæ semper per sacra sine fumo sacrificamus.* Sic parcum tenueque prandium Grippus piscator apud Plaut. in Rudent. his verbis describit:

Sed hic rex cum aceto pransurus est sine bono pulmento,
Nam miseris obsoniorum loco est sal cum aceto.

Cœna Cynica. Cœna Cynica pro nimis tenui, & sordida accipitur: Petronius Arbiter,

Ipsi qui Cynica traducat tempora cæna.

Quibus verbis Turnebus in suis Adversariis eos significari putat, qui miserè vivunt, ut siliquis, & leguminibus, quique vilissimis cibis se tolerant, & sustentant: nam talis erat Cynicorum philosophorum victus. Sic Lucianus de Cynico quodam, ὃν ἤδη τ Ἑκάτης τὸ δεῖπνον φαγόντα, καὶ τὰ ἐκ τ καθαρσίων τὰ ὠὰ, πρὸς τούτοις τε σηπίαν ὠμὴν ἀποθανεῖν, id est, *canis alitur Hecates, & ovis lustrationum, ut mendici, & sæpiùs crudis vivebat.*

Cœnæ Timoniæ. Cœnæ quoque Timoniæ eodem sensu videntur usurpari. Seneca, *Non est, quòd nunc existimes me dicere Timoneas cœnas, & pauperum cellas. Puto,* inquit Turnebus in suis Adversariis, lib. 24. cap 33. *verum esse Timoneas a Timone dictas, cui humanum genus exosum erat, vitamque quandam inhumanam, & feram sequebatur, in cibisque non modo vulgaribus, sed vilissimis, & a reliquis hominibus prope damnatis acquiescebat.*

Cœnæ terrestres. Cœnæ tenues, quæ nisi terra natum habent, terrestres a Plauto appellantur, quas Horatius egregiè cœnas *sine sanguine* vocat imitatione Græcorum, ut videtur. Apud Diphilum Parasitus auguria captans ex fumo culinæ,

Ἐὰν ᾖ πλάγιος, καὶ λεπτὸς, εὐθέως νοῶ
Ὅτι τοῦτό μοι τὸ δεῖπνον ἀλλ' οὐδ' αἷμ' ἔχει.

Huc potest referri illud Salom. Proverb. 15. *Melius est convivium oleris, ubi sit dilectio, quam bovis saginati, in quo sit odium.*

Prandium passerinum. Prandium passerinum pro exiguo bolo, & minuto eleganter extulit Pomponius, quantum passer absumat. Poterit etiam usurpari pro tenui convivio, quod Clemens Alexandrinus appellat δεῖπνον λιτὸν καὶ εὔζωνον ἐπιτήδειον εἰς ἐγρήγορσιν, id est, *tenue, expeditum, aptum ad vigilantiam.* Germanicè vulgo hominem exigui cibi dicimus

dicimus comedere inſtar paſſeris. De frugalitate conviviorum antiquorum, vide Euſtathium, Ἰλιαδ. β. fol. 185. v. 49. in illa Homeri verba:

Κάπνιζάν τε κατὰ κλισίας (Græci juſſu Agamemnonis) καὶ δόρπον ἕλοντο.
Ἄλλος δ' ἄλλῳ ἔρεζε θεῶν.

Atque hæc quidem de conviviis vel frugalibus atque moderatis, vel nimiùm ſordidis. Omnino autem, ut in genere ſuprà dictum eſt, medium hic eſt nobis tenendum, ut nimirum convivia noſtra, præſertim quibus alios accipimus, ſint munda, parca, frugalia, moderata; nec tamen nimis ſordida, quæ Cynica & Timonia veriſſimè appellari poſſint. Eſt enim parſimomiæ frugalitatique ita ſtudendum, ut repellantur nimiæ ſordes.

CAPUT VI.

DE CONVIVIIS MAGNIFICIS, SPLENDIDIS, ATQUE LUXURIOSIS.

Nunc de conviviis ſplendidis, magnificis, ſumptuoſis atque luxurioſis dicamus. Convivium magnificum ab Hebræis רב *Rab* appellatur, Daniel. 5. Item Eſa. 25. v. 6. Convivium ſplendidum, quo convivium ſpirituale adumbratur, appellatur משתה שמרים & משתה שמנים *Miſte Schemanim*, *Miſte Schemarim* (notanda elegans paranomaſia.) Hic Kimhi vult *Miſte Schemanim* ſignificare convivium ebrioſorum, cui opponatur convivium *Schemarim*, id eſt, ſobriorum, qui cavent ne nimium bibant. Alii per *Miſte Schemanim* intelligunt convivium pinguium, ſcilicet carnium, per *Miſte Schemarim* convivium vinorum aſſervatorum: nam derivatur a cuſtodiendo, & ſignificat non vinum, quod Latini fecatum vocant, id eſt, ex fecibus expreſſum: ſed quod immediatè ſupra feces reſidet, quod quidem ſuave eſt, & odoriferum. Addit Eſaias *Schemanim Memuhaim*, *Schemarim Mezukakim*, id eſt, pinguium medullatorum, vinorum defecatorum. Convivii hæc eſt periphraſis delicatiſſimi, quod duobus potiſſimùm conſtat, carnibus pinguibus & medullatis, & optimo vino.

A Latinis variis nominibus inſignitur, cujuſmodi ſunt illa, quæ ſequuntur. Convivium, menſa ſive cæna lauta, opipara, exquiſita, magnifica, ſplendida, nitida, elegans, copioſa, omnibus rebus inſtructa, parata, ornata, &c. Martialis, *Latina nomina.*

Illa quidem lauta eſt, dapibusque inſtructa ſuperbis.

Apulejus, *Gaudiales inſtruunt dapes.*

Cœna dapalis. Plinius lib. 10. c. 10. *Pavonem cibi gratia primus occidit Hortenſius dapali cæna ſacerdotii.* Varro, *Primus pavones Q. Hortenſius augurali dapali cœna poſuiſſe dicitur.* Dapalis dicta, teſte Marcello, quòd diverſis & amplis dapibus conſtat. Eadem etiam dapſilis a Sueton. in Veſpaſiano, & dapſatica appellatur. Plautus, *dapſaticè excepti. Dapticè*, inquit Feſtus, *ſe acceptos antiqui dicebant ſignificantes magnificè, & dapticum negotium amplum, ac magnificum.* Dapes appellatæ ſunt lautæ & magnificæ epulæ, a δαψίλιον quod largum, & δαψαλία quod largitatem ſignificat. *Cœna dapalis, dapſilis, dapſatica.*

Cœna pollucibilis, Macrob. lib. 3. Satur. c. 17. *Cœna pollucibilis.*

Cœna centenaria, Hotomannus de re numaria. Ibidem de centenaria Æſopi patina, centum avibus inſtructa. *Cœna centenaria.*

Cœna recta, Sueton. in Veſpaſiano, *Sed & convivabatur aſſiduè, ac ſæpiùs recta & dapſili, ut macellarios adjuvaret:* alii legunt *rectè & dapſilè.* Sic *rectè* vivere pro lautè, & opiparè Seneca uſurpavit, cùm inquit, *Hanc petunt omnes iſti, qui, ut ita dicam, rectè vivunt.* Apud eundem *rectus* apparatus eſt lautus. *Non*, inquit, *magnam rem facis, quòd vivere ſine recto apparatu potes.* Nero cænas alias rectas & opiparas dicitur inſtituiſſe, alias per ſportulam: at Domitianus ſportulas publicas ſuſtulit, revocata cænarum rectarum conſuetudine. Cœna recta dabatur a divitibus & clientibus, & erat opipara, & modis omnibus inſtructa, ſic dicta quod recto ordine in hac convivæ aſſidebant. Sueton. in Auguſto, *Convivabatur aſſiduè, nec unquam niſi recta, non ſine magno ordinum hominumque delectu.* Huc alludit Martialis, *Cœna recta.*

Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.

Cœnam quoque unctam poſſis appellare, ut cibum unctum Horat. pro apparatu condito accepit. *Cœna uncta.*

Cœna item epularis, ganeata, gliſcera a nonnullis dicitur. Cænas epulares Cyprianus dixit pro affluentibus. Cicero epulas profuſas vocat in oratione pro L. Muræna. *Cæna epularis, ganeata, gliſcera.*

Cœna item dubia appellatur, id eſt, variis ferculis inſtructa. Phormio apud Terentium. *Cœna dubia apponitur. Quid iſthuc verbi eſt? Ubi tu dubites, quid ſumas potiſſimum.* Exponit paraſitus verbum ſuum alioquin anceps. Nam dubium etiam periculoſum ſignificat, ut dubia cœna poſſit intelligi, quæ non careat ſuſpicione veneni. Horat. in Serm. *Cœna dubia.*

---- Vides ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia, &c.

Dubiam tamen pro ſordida Hen. Stephanus feſtivè admodum in feſtivo illo ſuo epigrammate in Poſthumum quendam uſurpat,

Convi-

Convivis dubiam dico te apponere cœnam,
Posthume, sed dubiam nomino more novo.
Non etenim dubia est cœna, ut fuit illa Terenti
Quum dubitat primùm, quem velit esse cibum.
Sed quoniam hanc dubitat quisquis cœnatus abivit,
Verè an per somnum sit data cœna sibi.

Cœna popularis. Cœnam popularem Philto ille Plautinus in Trinummo appellat, ut vult Erasmus in Adagiis, magnificam, egregieque lautam, atque adeò gratuitam quoque, quales solent exhiberi populo. Sic enim ille loquitur,

PH. *Quid tum si in ædem ad cœnam veneris,*
Atque ibi opulentus tibi par fortè ut venerit
Apposita sit cœna, popularem quam vocant.
Si illi congestæ sint epulæ a clientibus, &c.

Cœna ebria. Cœna quoque ebria Plauto est opipara in Casina,

Facite cœnam mihi, ut ebria sit:
Cœnare lepidè, nitideque volo.

Cœna adipalis. Adipalem quoque & adjicialem nonnulli vocant cœnam lautam, quarum vocum prior non reperitur apud probatos authores, meliùs forsan adipatam dixeris: nam *adipatum* veteres honestè pro pingui, & succulento, & opimo posuerunt. Cic. de Orat. *Asciverunt suis artibus opimum quiddam, & tanquam adipatæ dictionis genus. Adjiciales cœnas* Seneca dixit in epistolis.

Epulæ regales. *Epulæ regum* Horat. *regales* Ovid. *Cœna regia*, Sidonio. *Epulæ carnifices* (hänckermaal) Claudiano. *Epulæ dulces*, Horat. *Geniales*, Claudiano. *Lautiores*, Statio. *Liberæ*, Tacito. *Solennes* Eidem. *Apparatæ*, Liv. Parasitus apud Plaut. in Menæch.

Cereales cœnas dat, ita mensas extruit
Tantas struices concinnant putinarias, &c.

Cœnæ Cereales. *Cereales cœnas*, inquit Turnebus in suis Adversariis, *appellari suspicor opimas, & lautas, & multis ferculis oneratas, quòd Cerealibus populariter solerent genio indulgere.* Unde Maro,

In primis venerare deos atque annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in arvis,
Extremæ sub casum hyemis jam vere sereno
Tunc agni pingues, tunc sunt mollissima vina.

Sed & ante messem ei sacra faciebant, ac epulabantur, ut ex eodem Marone intelligitur. De cænis Cerealibus, vide Turneb. in Adversariis.

Nocturna convivia. Sic nocturna illa convivia, quæ post cœnam aguntur, quoniam revera sunt intempestiva, & luxuriosa, lasciviæ petulantiæque plena, hinc κῶμος Græcè, Latiné *comessatio* (quibus illa exprimuntur) pro quovis intempestivo luxuriosoque convivio accipiuntur. Aristoph. in Pluto:

Ἔοικε δ' ἐπὶ κῶμον βαδίζειν, id est, *videtur ad comessationem ire*, hoc est, ad convivium lascivum & immoderatum. Menedemus consultanti Antigono, *An κῶμον adiret*, renunciare jussit, *Memento regis te esse filium.* Laërt. lib. 2. interpres vertit luxuriosum convivium. Ἐὰν ἐπὶ κῶμον κληθῇς, μὴ ταχύνῃς, Nazianz. id est, *si ad convivium luxuriosum*, vel *ad vitam voluptuariam vocatus fueris, ne properes.* Eadem vox κῶμος, ut illud quoque addam, & deum comessationum, nocturnarumque saltationum præsidem, quem Philostratus imagine tertia περὶ εἰκόνων eleganter depingit, & juvenum contubernium nocturnumque discursum, qui coronati noctu cum facibus musicísque instrumentis ad amicarum fores, saltandi cantandíque gratia concurrebant procacitérque lasciviebant, adeò ut fores confringerent (ut apud Christianos in Bacchanalibus potissimùm fieri consuevit) & genus saltationis atque carminis (unde forsan nostrum gumpen) & tibiam atque fistulam in comessationibus usitatam, & denique tempus a cœna usque, dum cubitum itur, significat.

Græca nomina. A Græcis splendida sumptuosaque convivia hujusmodi ferè nominibus designantur. Ac primo quidem nomina δαίς, εὐωχία, εἰλαπίνη, licet pro quovis convivio usurpentur, tamen propriè lauta & opipara convivia significant, uti suprà pluribus explicatum est.

Πανδαισία. Πανδαισίαν inquit Cæl. lib. 9. c. 12. *Græci vocant aditiale convivium ac ganeatum, dubiumque, & omnifariam obsoniis differtissimum.* Id nos excuratum gliscerumque dicere possumus, & saliare. Sunt tamen qui eo nomine intelligi malint illud, ad quod, ubi vescerentur publicè, commeantes passim domo portionem quisque ferrent: in medium tamen quod attulissent, collaturi. Unde Aristoph. inquit,

Ὥσπερ μάζα, ἡ πανδαισία, hoc est, δαψιλὴς ἢ παντοῖα εὐωχία, seu ποικίλη, ἢ ἐκ διαφόρων ὄψων εὐωχία. Quum unusquisque sua obsonia secum portans in medium conferebat, aut cum multis propositis edulibus, caperet quisque quod vellet, ut tradit Arist. Scholiastes. Apud Herodotum in Terpsichore pro convivio opiparo & velut saliari usurpatur, Ὦ Πέρσαι, οἴκατε πανδαισίῃ τελέῃ εἰσιῆσθαι, quod paulò ante vocarat δεῖπνον μεγαλοπρεπές. Greg. ἐπειδή σοι πάντα προὔθηκεν ἡ φύσις ὡς ἐν πανδαισίᾳ κοινῇ.

Convivium lautum Græcè. Convivium præterea lautum hujusmodi epithetis a Græcis exprimitur. δεῖπνον μέγα, convivium magnum. Luc. 14. λαμπρὸν *splendidum*, πολυτελὲς *sumptuosum*, λιπαρὸν *pingue, opimum*, seu *adipatum*, δαψιλὲς *dapsile, dapale*,

dapale, *dapsaticum*, μεγαλόεργον, & μεγαλοπρεπὲς *magnificum*, περισπούδαστον Athen. *summo studio apparatum*, ἐκλελεγμένον *electum*, *eximium*. Ath. ποθεινὸν *desyderabile* ibid. τράπεζα ἁβροδίαιτος Athen. ex poëta quodam, *mensa delicatis cibis instructa*, δαῖτες εὔοχθοι Bacchilid. apud Athen. δαῖτες εὔδειπνοι Euripid. δεῖπνον ἄπεμπλον, (fortè δεῖπνον ἄμεμπτον) *cœna perfecta*, *omnibusque numeris absoluta*. Cæl. 28. c. 1.

Τράπεζαν φλεγμαίνουσαν Synes. appellat mensam saliaribus dapibus instructam. Nazian. libro de recto ordine, ἡ φλεγμαίνουσα, καὶ οἰδμαίνουσα τράπεζα, id est, *turgida & insana mensa*. Plutarchus Sympos. 4. ὥσπερ ἀλεξιφάρμακα πρὸς οὕτω πολυτελεῖς, καὶ φλεγμαινούσας τραπέζας περιαψάμενοι, *velut amuleta adversus sumptuosas & turgidas mensas epulas suspendentes*. His opponit Ion comicus, ut suprà dictum est, ἀφλεγμάντους τραπέζας *mensam tenuem*, *neque turgidam*. Athen. οὕτως τεθραμμένους, ἀφλεγμάντους εἶναι τὰ σώματα καὶ τὰς ψυχάς. Huc spectat Antiphanis comici cœna frugalis ex bulbis & fungis. τοιοῦτος βίος ἀπύρετος φλέγμα οὐκ ἔχων, id est, *ejusmodi victus febrium vacuus est*, *tumore omni carens*, Iunius in Adagiis. Homerus hisce ferè epithetis convivium eximium insignit δεῖπνον ἡδὺ, καὶ μενοεικὲς, Ὀδ. γ. λαρὸν, Ιλ. ε. & τ. μέγα δόρπον Ιλ. τ. δαῖς ἀγαθὴ Ιλ. ψ. & Ὀδ. ο. ἐσθλὴ Ιλ. α. θαλείη, Ὀδ. θ. θοὴ Ὀδ. θ. ἐρικυδὴς Ὀδ. κ. Ιλ. α. ἐΐση, ἐΐσην δαῖτα (inquit Eustath. fol. 22.) ἢ τὴν ἴσην κατὰ πλεονασμὸν ἰωνικὸν (ἰσομοίρως γὰρ ἐδαίνυντο, διὰ τὸ ἀφιλόνεικον) ἢ παρὰ τὸ εἴω, τὸ πορεύομαι, ἡ διὰ παντὸς ἱκνουμένη τοῦ σώματος. πιείρη Ιλ. τ. *pinguis* Eustath. 1244. δαῖτα λέγει πίειραν τὴν διὰ τοῦτο καὶ θαλείαν.

Multis præterea & variis proverbiis convivium magnificum, atque sumptuosum cùm apud Græcos, tum apud Latinos authores exprimitur. Ac primò certæ quædam lautissimorum conviviorum species synecdochicôs, atque generatim pro quibusvis lautis & opiparis conviviis accipiuntur. Sic exempli gratia, quoniam fabulosa vetustas commentitiis suis diis epulas tribuit, easque lautas esse credidit, hinc cœnas deûm apud Horat. Erasmus vult accipi pro lautis, & magnificis, de quo suprà. Item quoniam epulæ illæ unà cum sacrificiis in honorem deorum apparatæ (quæ dapes vulgò dictæ sunt) magnificæ fuerunt, hinc dapes non solùm deorum, vel nostræ in sacrificiis deorum epulæ, sed quivis magni & opipari conviviorum apparatus. Sic Βουθυσίαν veteres regale, sacrum, magnificum, & opiparum quodvis convivium appellarunt teste Erasmo in Adag. Præterea quoniam regum magna solet esse in conviviis magnificentia, hinc regum epulæ apud Horat. sive regales, ut est apud Ovid. pro quibusvis splendidis epulis accipiuntur. Unde Virgil. *paratas epulas luxu regifico* dixit. Sic apud Plautum in Persa, *Basilice agite Eleutheria*: & pauiò pòst, *Basilico accipere victu*. Convivia quoque militaria olim fuerunt luxuriosa: hinc apud Plutarchum Sympos. 6. in præfatione, δεῖπνα πολυτελῆ etiam στρατιωτικὰ appellantur. Adhæc quoniam ut hodie, ita olim quoque nuptialium conviviorum magnus fuit splendor (de quibus suo loco) hinc quodvis convivium exquisitum & splendidum γαμικὸν, id est, *nuptiale* dicitur. Aristot. lib. 4. Ethic. Βάναυσον τοὺς ἐρανιστὰς γαμικῶς, δαψιλῶς, καὶ μεγαλοπρεπῶς ἑστιᾶν, *indecorum est sodales nuptiali ritu magnificè splendideque accipere*. Eodem modo cœnæ sacerdotales, ut Pontificales, augurales, Saliares (de quibus plura suo loco) quoniam earum, ut hodie quoque, magnus fuit luxus, creberrimè apud authores prophanos pro quibusvis sumptuosis, luxuriosisque conviviis usurpantur, *Saliares cœnas cœnasse* credidit Apulejus de suo equo lib. 4. Martialis in lautum invitatorem:

Cœnæ deorum. Βουθυσία. Epulæ regiæ. Epulæ militares. Epulæ nuptiales. Cœnæ sacerdotales & saliares & augurales.

Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolinæ Pontificumque dapes.

Iam verò a gentibus quoque convivialis hujusmodi lautitiæ, atque luxuriæ studiosissimis (quæ illis tandem exitium pepererunt, ut testantur historiæ) quævis magnifica, sumptuosaque convivia apud scriptores denominantur. Exempla subjiciam. Ut mensæ sive cœnæ Persicæ, Horat. *Apparatus Persicos* pro opiparis dixit. Fuit enim Persica opulentia luxuriaque admirabilis, ut ex historiis Græcis & Latinis satis patet, de qua vide Herod. lib. 4. & innumeros alios.

Mensa Persica.

Sic *cœna Dialis* Senecæ lautior & opima dicitur. Epist. 124. *Hæc qualiscunque cœna Diali jucundior erit.*

Cœna Dialis.

Sic μηδικὴ τράπεζα, id est, *mensa Medica* pro exquisitè sumptuosa, & ingentis apparatus mensa proverbialiter accipitur a Synesio lib. de insomniis, qui Persis vicini eodem luxuriæ morbo laborarunt. Synesii verba sunt, παρατίθεται τράπεζα εἰ μὲν βούλοιτο σικελικὴν, εἰ δὲ βούλοιτο μηδικὴν, id est, *mensam apponit*, *si velit Siculam*, *aut si malit Medam*. Usurpat & Dion Chrysostomus in Orat. 33. ἅμα σκῆπτρα καὶ ἁλουργίδες, καὶ μηδικὴ τράπεζα, καὶ τὸ γένος αὐτῶν ἐξέλιπεν. *Defecerunt pariter sceptra*, *paludamenta*, *mensa Medica ipsorumque prosapia*. Thucid. lib. 1. de Pausania elatiùs se gerente, τράπεζάν τε μηδικὴν παρετίθετο, id est, *mensam apponebat Medicam*: quanquam Scholiastes Græcus περσικὴν legisse videatur, sed exponit rectè τρυφηλὴν, id est, *opiparam*, *delitiis affluentem*. Diverso tamen sensu μηδικὴν τράπεζαν, id est, Medicam mensam posuit Athenagoras libro de mortuorum resurrectione, pro immitibus cruentisque epulis, de quo suprà Junius in Adag. Porrò de Medorum ἁβρότητος καὶ μαλακίας, vide Athen. lib. 12. & Xenoph. lib. 8. Ejusdem & Persicæ & Medicæ luxuriæ luculenta testimonia sunt magnificentissima illa, vereque regalia Darii, & Assueri, qui Persarum atque Medorum reges fuerunt, convivia, quorum descriptionem habes 3. Esdræ 3. & 1. c. Esther.

Mensa Medica.

Sic quoniam Sybaritarum monstrosa olim, plurimorum Scriptorum monumentis celebratissima, luxuria extitit, de qua Athen. lib. 12. Plutarch. in convivio sapientum, Suidas, Quint. lib 3. & innumeri alii, hinc proverbiali locutione & luxuriosi Sybaritæ, & quodvis luxuriosum convivium, Sybariticum, & voluptatibus delitiisque indulgentes συβαρίζειν, hoc est τρυφᾶν *Sybarissare* dicuntur, de quo vide plura apud Erasm. in Adagiis. Sed animadversione dignum est quòd, ut luxuria, ita clades quoque & calamitas illius gentis (quæ luxuriæ semper solet esse comes atque pedissequa) valde insignis atque funesta fuit, ita ut illa quoque in proverbium abierit, de quo vide Eras.

Sybariticum convivium.

Mensæ Syracusanæ.

Sic mensæ quoque Syracusanæ atque Siculæ quoniam luxu fuerunt percelebres, & ideò a Platone damnatæ, pro quibusvis lautis & opiparis conviviis passim accipiuntur, de quo idem Erasm. pluribus in suis Adag.

Mensæ Italicæ.

Eodem sensu mensæ Italicæ, ut ibidem Erasmus docet, a Scriptoribus usurpantur, de quarum luxu Athenæus scribit. Basilius σικελικὴν, ἢ ἰταλικὴν τρυφὴν dicit. Ejusdem Philo quoque testis est in lib. de vita Theoretica his verbis, ἴσως δ' ἄν τις ἀποδέξαιτο τὴν ἐπιπολάζουσαν νυνὶ πανταχοῦ τῶν συμποσίων διάθεσιν, κατὰ πόθον τῆς ἰταλικῆς πολυτελείας, καὶ τρυφῆς ἣν ἐζήλωσαν Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι. *Quis forsan demonstraverit conviviorum rationem, quæ nunc passim apparet, juxta cupiditatem Italicæ luxuriæ, atque delitiarum, quas & Græci & Barbari imitantur.*

Italiæ præstantia.

Italiæ porrò omnium delitiarum & voluptatum abundantissimæ elegantem sanè descriptionem habes apud Dionysium Halicarnasseum libro primo, ubi illam regionem non dubitat totius orbis terrarum ferè κρατίστην, id est, *optimam*, πάμφορον καὶ πολυτελῆ, πάσης ἡδονῆς καὶ ὠφελείας ἔμπλεον, *omni voluptate, utilitateque refertam* appellare. Eandem πολύκαρπον, σιτοφόρον, ἐλαιοφόρον, φιλάμπελον, *omnis generis frugum, atque fructuum feracissimam*, denique πολύβοτον, αἰγονόμον, ἱπποφορβόν, βουκολίδα, hoc est, *pecorum abundantissimam* nominat, ita ut mirum non sit veteres illam Saturno sacram existimasse, quem quidem opinati sunt, πάσης εὐδαιμονίας δοτῆρα, καὶ πληρωτὴν, hoc est, *omnis felicitatis authorem, & largitorem* extitisse, id quod de vero & unico illo Deo Schaddai verissimè est affirmandum. Eodem pertinet, quod de fertilitate illa & ábundantia omnium rerum in Italia M. Varro scribit lib. 8. de re rustica, cap. 1. inquiens: *Contra, quid in Italia utensile non modò non nascitur sed etiam non egregium fit? Quod far Campano? Quod triticum Appulo? Quod vinum Falerno? Quod oleum Venetio? Non arboribus consita Italia est, ut tota pomarium videatur? An Phrygia magis vitibus coöperta, quam Homerus appellat ἀμπελόεσσαν, quàm hæc?* Mensas Siculas, Syracusanas, Italicas pro lautis & opiparis à veteribus accipi, tametsi aridè & frugaliter posteris temporibus Itali, & Siculi agerent, Brodæus probat lib. 5. Miscel. c. 33.

Gentes luxuriosissimæ.

Ut autem Persicas, Medicas, Sybariticas, Syracusanas, Siculas, Italicas, sic eodem modo Syras, Lydias, Thyrrenas, Agrigentinas, Cyrenenses, Chias, Tarentinas, Ægyptias, Babylonicas, Iapygias, Massilienses, Mylesias, Scythicas, Abydonas, Ephesias, Samias, Colophonias, Ionias, Byzantinas, Thessalas, Ætolicas, Arycandeas, Zacynthias, Campanas, Cumæas, Asiaticas mensas sive cœnas rectè pro luxuriosissimis quibusvis conviviis usurpare possis, propter immanem gentium illarum luxum, atque luxuriam, quam præter cæteros innumeros authores Ath. lib. 12. & 4. & Ælianus lib. 12. copiosissimè describunt. Ac omnino quæ olim Monarchiæ, eadem luxuriæ quoque fuit inter gentes successio. Sic enim a Babyloniis atque Assyriis ad Medos & Persas, ab his ad Græcos, a Græcis denique, præsertim debellata Asia, ad Romanos unâ cum imperio luxuria quoque devoluta est, ut ex historiis omnibus satis liquet. Sed quid dico de antiquis illis gentibus? Hodie

Christianorum luxuria.

Christianorum, proh dolor, tanta est luxuria, ut antiquarum illarum gentium, quarum ab historicis fit mentio, luxuriæ non modò æquiparanda, verùmetiam longè anteponenda esse videatur. Sybariticæ planè non Christianæ sunt Christianorum mensæ atque cœnæ, quæ profectò orbi Christiano, & plurima jam maximaque mala dederunt, & πανωλεθρίαν, hoc est, *exitium interitumque celerem* minantur. Mensas Ægyptias, Democraticas, Satrapicas Cæl. lib. 7. c. 11. vocat.

Mensæ Ciceronianæ.

Verùm ut gentium, ita hominum quoque certorum insignis prodigiosaque luxuria quibusvis luxuriosis, sumptuosisque conviviis nomen imposuit. Sic exempli gratia mensæ Ciceronianæ, pro quibusvis cœnis sumptuosis a Tertulliano videntur usurpari, cujus hæc sunt verba de animæ Metempsychôsi & Metensomatôsi: *Quod fumus inter cocos pretiosissimos invenit, quod condimentis Apitianis, & Lurconianis humatur, quod mensis Ciceronianis infertur, quod lancibus splendidissimis Syllanis effertur, quod exequias convivium patitur, quod a coæqualibus devoratur potiùs, quàm a milvis & lupis*, &c. Simili modo Antonianæ, Neronianæ, Diocletianæ, Domitianæ, Vitellianæ, Apitianæ mensæ sive cœnæ proverbialiter quævis luxuriosa convivia appellantur, propterea quòd illi unde sunt denominata conviviali luxuriæ præter omnem modum atque rationem dediti

Virorum quorundam illustrium luxuria.

fuerunt. Cleopatricas similiter dapes Sidonius sumptuosas, atque profusas appellat. Sic eandem ob causam quasvis nimis sumptuosas, luxuriosasque cœnas, Nini, Niciæ, Sardanapali, Annari, Stratonis, Nicoclis, Charetis, Themistoclis, Artemonis, Archidami, Isanthis, Ptolemæi Philadelphi, Antiochi Epiphanis, Calliæ, Alexandri M. Antiochi, Demetrii Phalerei, Alcibiadis, Vanthis, Pausaniæ, Lysandri, Luculli cænas sive mensas dixeris, propterea quòd hi omnes cum dignitatibus atque honoribus, tum delitiarum voluptatumque studio atque amore valde celebres extiterunt, ut Athen. lib. 5. c. 12. & aliis in locis, nec non alii scri-

Philosophorum quorundam luxuria.

ptores prophani testantur. Philosophorum quoque nonnullorum (qui quidem hoc tam augusto nomine indignissimi fuerunt) desperata deplorataque luxuria similibus proverbiis locum dare possit, ita ut intempestivas quasvis cœnas, Epicuri, Speusippi, Aristippi, Sophoclis, Polyarchi, qui Tarentinus fuit Philosophus, Parrhasii, qui pictor fuit nobilis, Architæ, Gnosippi, Aëthi convivia sive cœnas nominare possis, de quorum luxuria cum apud Athen. tum apud alios authores priscos & recentes, inprimis Hadrianum Junium in Historia Batavica multa leguntur. Scitè admodum etiam ἀλογίας hujusmodi convivia appellari adnotat D. Augustinus epistola 86. ad Paulinum, sic inquiens: *Immoderatum convivium, in quo mens & ratio ingurgitatione vescendi ac bibendi quodammodo obruitur, ἀλογία nuncupatur.*

Conviviorum magnificorum & luxuriosorum exempla.

Conviviorum magnificentissimorum atque luxuriosorum exempla atque testimonia in sacris literis habes Is. 25. Amos 6. Oseæ 4. Nahum 1. Convivium Darii 3. Esd. 3. Convivium Assueri Esther 1. patris Samsonis Jud. 14. Convivium Absolomi, in quo Amnon fuit occisus. Herodis convivium natalitium. Nabali in tonsura ovium, 1. Sam. 25. Convivia Davidis, & Salomonis. Convivium Balthasaris regis Babyloniorum Dan. 5.

Quæ convi-

Non est autem existimandum omnia splendida, magnifica, sumptuosaque convivia esse vituperanda, sed quæ

Arist.

Arist. in genere de μεγαλοπρεπείᾳ, id est, *magnificentia* sapienter admodum meo judicio præcipit, ea conviviis quoque debent accommodari. Considerandum enim diligenter esse monet, quis sit ille, qui vult esse magnificus, & quæ suppetant facultates. Nam si quis, cui tenues & exiguæ sunt opes, magnificentiæ conviviali, vel etiam aliis in rebus, studere velit, is merito stultus sit habendus, cùm id faciat, quod sit præter dignitatem & decorum. Nobiles ergo & illustres, magnisque opibus præditos homines convivialis hujusmodi magnificentia decet. Deinde videndum ne in res, atque personas viles, & abjectas, sed claras potiùs & illustres hujusmodi magnificentia conferatur. Qui secus facit, is non μεγαλοπρεπὴς, hoc est, *magnificus*, seu munificus, sed βάναυσος & ἀπειρόκαλος, & proinde illius quoque convivia non μεγαλοπρεπῆ, hoc est, magnifica, sed βάναυσα potius, & ἀπειρόκαλα, & ἄσωτα, id est, *illiberalia*, *honesti expertia*, & *luxuriosa* censeri dicique debent, quippe cùm non honesti caussa, sed vel divitias ostentandi, ac popularem auram, famamque captandi gratia, vel etiam alia aliqua illiberali de causa adornentur, atque celebrentur. Quanta autem sit luxuriosorum conviviorum sive publicorum, sive privatorum pestis, atque pernicies suprà pluribus dictum est.

Quæ convivia nomine luxuriæ sint vituperanda.

CAP. VII.

SECUNDA CONVIVIORUM DIVISIO

SECUNDUM TEMPUS DIURNUM, ATQUE NOCTURNUM, ITA UT ALIA SINT MATUTINA, ALIA MERIDIANA, ALIA VESPERTINA, ALIA NOCTURNA. DE SINGULORUM VARIIS NOMINIBUS, ATQUE CONDITIONE: AC PRIMO DE CONVIVIIS MATUTINIS, SIVE ANTEMERIDIANIS.

SEcunda conviviorum divisio non incommodè videtur posse fieri secundùm tempus diurnum, atque nocturnum, in quo illa fiunt, ita ut alia dicantur esse diurna alia nocturna.

Diurna porrò convivia rursus trifariam dividi possunt, secundùm tres principes diei naturalis partes, ita ut alia sint matutina, sive antemeridiana, alia meridiana, alia vespertina: juxta scilicet tripartitam illam divisionem C. Suet. Tranquilli, qui omnia convivia in jentacula & prandia & cœnas comissationesque distribuit lib. 7. de XII. Imperatoribus; quot convivia etiam nominat Dio in his verbis: δι' ὅλης τῆς ἡμέρας οἱ αὐτοὶ εἰσίων αὐτὸν ἀλλ' ἄλλοι μὲν ἀκρατίσασθαι παρεῖχον, ἄλλοι δὲ ἀριστῆσαι, ἕτεροι δὲ δεῖπνον, ἕτεροι δὲ μεταδόρπιά τινα πλησμονῆς παραμύθια.

Porrò convivia antemeridiana, sive matutina, quæ vel ante lucem, id est, diluculo, vel mane quum Solis lux videtur, vel ad meridiem, ut veteres loquebantur, hoc est, paulò ante meridiem aguntur, hisce ferè nominibus a Græcis exprimuntur, quorum diligens consideratio nos multorum monet: illa sunt ἀκράτισμα, sive ἀκρατισμὸς, ἄριστον, διανηστισμός.

Athenæus lib. I. ἀκράτισμα, sive ἀκρατισμὸν dicit esse πρωϊνὸν ἔμβρωμα, id est, *cibum matutinum*, ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, hoc est, *a vino mero*, *non lymphato*, διὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βρέχειν, & προσίεσθαι τοὺς ψωμοὺς, hoc est, *quoniam panis butellas, sive offulas meraco tinctas atque imbutas matutino tempore comedebant.* Idem Philemona dicit 4. tradidisse epularum genera, veteribus usitata, nimirum ἀκράτισμα, ἄριστον, ἑσπέρισμα, δεῖπνον· ibique addit Philemona per ἀκράτισμα intellexisse διανηστισμὸν, per ἄριστον, δορπηστόν· & nomine δεῖπνον, ἐπιδόρπιδα. Eustath. in illum versum Hom. Ιλ. ω.

Ἀκράτισμα, sive ἀκρατισμὸς quid & unde.

Ἐσσυμένως ἐπίνοντο, καὶ ἐπύνοντο ἄριστον,

Ἄριστον, inquit, nunc vocat τὸ πρωϊνὸν, id est, matutinum, quod nos appellamus ἀκράτισμα: ut rursus, quod nobis est ἄριστον, poëta vocat δεῖπνον, post quod oportet πονεῖν, id est, *laborare*: δεῖπνον autem δόρπον, id est, *cœnam*. Plutarchus in Symposiacis primò Soolari testimonio probat ἀκράτισμα dictum διὰ τὴν ἀκρασίαν, id est, *intemperantiam*, propterea quòd olim probro ducebatur manè cibum sumere. Deinde Theonis testimonium subjungit, qui affirmat veteres ἐργατικοὺς & σώφρονας, hoc est, *laboris*, *sobrietatisque studiosos* manè solitos fuisse pane tantùm vino macerato vesci, & nulla alia re, & idcirco ἀκράτισμα appellasse διὰ τὸ ἄκρατον, id est, *vinum non dilutum*. Ὄψον autem, hoc est, *obsonium*, illis ad δεῖπνον, hoc est, *cœnam* parari fuisse solitum. Nam illos ὀψὲ, id est, *serò*, post actiones nimirum, & exanthlatos labores, cœnasse. Athenæo ergo & Plutarcho ἀκράτισμα idem est quod ἄριστον, hoc est, epulum matutinum, sic dictum ab antiqua Græcorum consuetudine, qua bucella panis vino meraco macerata matutino tempore vesci consueverunt, qui idem hodie mos Gallorum. Quidam etiam sic dictum volunt, quòd juxta medicorum consilium in jentaculo vino meraciore sit utendum, quàm in prandio, atque cœna. Eadem voce Aristot. quoque utitur lib. 6. de natura animal. c. 8. *Palumbium*, inquit, *fœmina incubat a pomeridiano incipiens, totaque nocte* μέχρι τοῦ ἀκρατίσματος, id est, *ad tempus jentaculi*, sive *matutinum perseverans*. Idem *Aquilam*, scribit, *non venari*, *sed quiescere* μέχρι ἀκρατίσματος, id est, *tempus matutinum*, *quo jentari veteres consueverunt*, *sive ad tempus jentandi*. Τῶν δὲ φαττῶν ἡ μὲν θήλεια ἀπὸ δείλης ἀρξαμένη τήν τε νύκτα ὅλην ἐπωάζει, καὶ ἕως ἀκρατίσματος ὥρας. ὁ δὲ ἄρρην τὸν λοιπὸν τοῦ χρόνου, id est, Plinio interprete lib. 10. cap. 51. *Palumbes incubat fœmina post meridiana in matutinum, cætero mas.* Theocriti Scholiastes annotat, ἀκρατισμὸν esse, quum πρωΐας ἔτι οὔσης ὀλίγον τινὰ ἐσθίομεν ἄρτον, καὶ ἄκρατον οἶνον πίνομεν, ut validiùs operi manum admoveamus. Ἀκρατίζεσθαι itaque unde ἀκράτισμα derivatum est, idem est quod jentari, & propriè offulas meraco imbutas assumere. Cantor

Ἀκράτισμα Athenæo & Plutarcho idem quod ἄριστον.

Ἀκρατίζεσθαι propriè quid.

thor apud Athenæum, ἄκουε ἀκρατισόμεθα, ἐν ἰσθμῷ γὰρ ἀριστήσομεν· *Jentemur igitur, nam in Isthmo prandebimus, sive cœnabimus.* Ibidem Aristomenes ἀκρατιοῦμαι μικρὸν, εἶθ' ἥξω πόλιν, ἄρτε δὶς, ἢ τρὶς ἀποδακών. Sic Antoninus Pius senex, antequam salutatores venirent, panem siccum comedebat ad sustentandas vires, ut Jul. Capitol. testatur. Hinc συνακρατίζεσθαι, hoc est, unà jentare, sive jentaculum sumere, & ἀκράτιστος, qui non jentavit, sive gustavit, ἄγευστος, ut quidam apud Theoc. Idyll. I.

--- Τὸ παιδίον ἐ πρὶν ἀνήσην
Φατὶ, πρὶν ἢ ἀκράτιστον ἐπὶ ξηροῖσι καθίξοι.

Διανηστισμός. Διανηστισμὸν similiter Athenæus lib. I. τὸ ἀκράτισμα, id est, *jentaculum* appellat, cui respondet Gallicum *desiuner*: nos vernacula nostra lingua id vocamus, sich entnüchteren / id est, *jejunio valedicere*, cùm manè parum quid comedimus. Idem Angli, *breakfasten*, id est, *jejunii fracturam* appellant.

Ἄριστον. Ἄριστον quoque Athenæus similiter atque ἀκράτισμα lib. I. definit esse πρωϊνὸν ἔμβρωμα, id est, *epulum matutinum.* Unde Eumæum scribit Homerus ἄριστον parasse, ἅμ' ἠοῖ χαινομένῃ, id est, *sub auroræ ortum.* Idem in illum Palamedis versiculum,

Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα·

Ἄριστον antiquitus pro jentaculo, a recentioribus pro prandio fuit usurpatum. Ἄριστον μὲν, inquit, ἐστι τὸ ὑπὸ τὴν ἕω λαμβανόμενον· δεῖπνον δὲ μεσημβρινὸν, ὃ ἡμεῖς ἄριστον. Hinc apparet ἄριστον antiquitus pro jentaculo, à recentioribus pro prandio, sive epulo meridiano fuisse usurpatum. Joan. quoque 21. ἀριστῆσαι pro jentaculum sumere accipitur. Nam ibi Christi discipuli, qui tota nocte piscando nihil ceperant, ac cibo omni erant destituti, πρωΐας γενομένης, Christi beneficio ingentem piscium vim extraxisse, & panem, piscemque prunis tostum sibi à Christo appositum ἀριστῆσαι, id est, *comedisse* dicuntur. Luc. II. Pharisæus dicitur Christum rogasse ὅπως ἀριστήσῃ παρ' αὐτῷ, & paulò pòst miratus, quòd non se abluisset πρὸ τοῦ ἀρίστου. Hoc vocabulum apud Homerum bis tantùm reperitur, in Ἰλιάδ. ω. ferè ab initio,

Τοῦ ἀρίστου etymologiæ variæ. & Ὀδυσ. π. statim ab initio, ut Eustath. utroque in loco annotavit. Ejus variæ ab authoribus etymologiæ afferuntur. Plutarchus in Symposiacis ἄριστον (quod idem vult esse quod ἀκράτισμα) vult dictum esse vel quasi αὔριον, διὰ τὴν ἑωθινὴν ὥραν, id est, *propter matutinam horam, in qua fuit adornatum*, ut ex illo Homeri versu paulò ante citato constat: vel quasi ῥᾷστον, id est, *facile*, tanquam ἀπραγμόνως προσφερόμενον, καὶ ῥαδίως ἀπὸ τῶν τυχόντων. Eustath. Ὀδ. β. f. 77. *sciendum est veteres tribus epulis usos esse, quorum primum ἄριστον fuit appellatum, quod quidem πρωῒ*, id est, *mane sub auroræ ortum fieri consuevit.* Idem tradit Eustath. Ὀδ. π. f. 586. 31. ἄρεος ἱσταμένου, id est, *Marte imminente.* Illud ergo sic vult dictum, quòd πρὸς τὸν ἄρεα, id est, *in bellum pergentibus* apparari consuevisset. Quidam ἄριστον dictum volunt quasi ἀόριστόν τι ὄν, id est, *indefinitum*, quod nullo certo definitoque tempore agitaretur. Sunt quibus illud videtur a precibus dictum, quæ ἀραὶ a Græcis appellantur, propterea quòd veteres Græci non sine precibus ad cibum capiendum accedebant. Nonnulli, ὅτι δεῖ ἀριστεύειν. Suidas ejus horam ordinariam tertiam apud veteres fuisse dicit, & παρὰ τὸ εἰς ἀριστίαν προέρχεσθαι dictum esse. Quid si, ut tempus matutinum apud Latinos a bonitate (nam *Manum* veteribus idem est quod bonum, unde *manè*, teste Servio dictum est, quia illud quibusvis actionibus est accommodatissimum) sic epulum illud matutinum a veteribus ἄριστον dictum esse dicamus, quasi omnium optimum, & jucundissimum. Notandum etiam ἄριστον tum generatim aliquando pro quovis convivio, tum speciatim & antiquitus pro jentaculo, ut ab Homero: & posterioribus temporibus, ut ab Hippocrate, & aliis, pro prandio, sive convivio meridiano usurpari. Athenæus in illas 4 epuli species, ἀκράτισμα, ἄριστον, ἑσπέρισμα, δεῖπνον, quas ex Philemone poëta citat, dicit ἀκράτισμα quidem significare διανηστισμὸν ἄριστον, δορπηστὸν, δεῖπνον, ἐπιδορπίδα. Hæc de vocis istius varia significatione, atque notatione. Hinc ἀριστᾶν, jentari: ἀριστίζειν jentaculum præbere, sive apparare, Aristoph. in Equit. &, quod idem significat, ἀριστοποιεῖν Xenoph. lib. 2. παιδ. & in passiva voce ἀριστοποιεῖσθαι cùm jentaculum apparare, tum jentare, tum jentaculum sive prandium alicui apud se condicere significat. Συναριστεῖν, & συναριστῶσαι Menandro apud Gell. unà jentare, & συνάριστος Xenoph. jentaculi socius, sive particeps. Ἀριστικὸς, ὁ ἔθος ἔχων ἀριστᾶν, id est, *qui jentare, sive prandere solet:* & ἀριστῆται ab Hippoc. in lib. de Aëre, aq. & loc. videntur edaces appellari, qui tam in prandio, quàm in cœna impleri volunt. Ἀριστοφόρον quoque vas dicitur in quo prandium, sive jentaculum fertur. Eustath. in Ὀδ. β. fol. 76. 44. dicit δεῖπνον quidem a pluribus dici τὸ πρωϊνὸν ἔμβρωμα, μεθ' ὃ πονεῖν δεῖ, id est, *cibi sumptionem matutinam, post quam sit laborandum:* ἄριστον verò, addit ibidem, *id esse, quod vulgo γεῦμα dicitur*, ἐ παρὰ τὸν ἄρην, ἀλλὰ τὸ ἀρίστως ἔχειν κατ' ἐξοχήν. *non à Marte, sed quod optimè se habeat, quasi per excellentiam.* Ex his apparet matutinum epulum, δεῖπνον quoque (de qua voce postea pluribus) & γεῦμα, id est, *gustum* dici, ut a Gallis merenda, vulgo *gouster*, id est, *gustus* appellatur, nimirum quod utroque tempore, & matutino, & vespertino non tam comedi, quam gustari nonnihil cibi atque potus soleat, & debeat. Idem Eustath. Ιλ. β. fol. 183. 30. δεῖπνον, inquit, est τὸ ἑωθινὸν ἄριστον, *ut dicunt veteres, quod* κατ' ἀνάγκην πρὸ τοῦ δέοντος ποιοῦνται καιροῦ, ὡς ἂν ἐν τῷ πονεῖν στερρῶνται τῇ τροφῇ· hoc est, *quod necessitate quadam homines ante justum legitimumque tempus onerare solent cibo se ad futuros labores muniendi, corroborandique causa*, unde subjungit: Tale ἔμβρωμα πρωϊνὸν, id est, *epulum matutinum* δεῖπνον dicitur. Ergo, ut hæc concludam, epulum matutinum a Græcis πρωϊνὸν, ἑωθινὸν·

Jentaculum. item ἀκράτισμα, ἄριστον, διανηστισμὸς, γεῦμα, δεῖπνον appellatur. Latini cibum matutinum, qui sumi solet antequam homines aggrediantur opera, vocant jentaculum (quidam jantaculum, & pro *jentare*, *jantare* scribunt.) Afranius, *Hæc jejuna jentavit.* Idem, *Dum exeo domum, jentare nulla invitat.* Plautus in Curculione:

Nunc ara Veneris hæc est ante horum fores,
Me inferre Veneri vovi jam jentaculum,

Hoc

Hoc eſt, interprete Lambino, *vovi me Veneri prima luce ſacra facturum, quo tempore pueri jentant*, vel, ut Simeon Boſius, *quo tempore jentacula venduntur*, ſecundùm illud Martialis lib. 14.

Surgite jam pueri, vendit jentacula piſtor.

Licet etiam hoc modo explicare, ut Simeoni Boſio videbatur: *Vovi me ante alios omnes Veneri ſacra facturum, quæ ſint ei pro jentaculo.* Quærit deinde Palinurus ſervus, *Quid antepones Veneri jentaculo?* Ideò autem quærit, ut vult Lambinus, quia nihil præter vinum videt. Plautus in Truculento:

---- Hujus pater pueri ille eſt, uſque ad jentaculum
Juſſit ali, &c.

Pomponius, *Nihil habens jentaculi, præter nauticum panem.*

Martialis, *Surgite jam pueri, vendit jentacula piſtor,*
Criſtatæque ſonant undique lucis aves.

Jentaculum dicitur a *jenio*, & hoc a *jejuno*, quòd tunc maximè jejuna ſint corpora. Lambinus, Jentaculum primus erat cibus apud Romanos, ut apud Græcos ἀκράτισμα, quem ſequebatur apud illos prandium, deinde veſperna, poſtremò cœna: apud Græcos ἄριστον, deinde ἑσπέρισμα, poſtremò δεῖπνον. Iſidorus, *Jentaculum eſt primus cibus, quo jejunium ſolvitur, unde eſt nuncupatum.* Nigidius, *Nos ipſi jejunia jentaculis levibus polluimus.* Lambinus in Plautum, *Jentaculum eſt cibus matutinus, aut matutina cibi deguſtatio, ut veteres quidam Grammatici volunt.* Fulgentio Placiade authore jentaculum dicitur guſtatio, & eſt quaſi præguſtativa comeſtio. Apulejus eleganter *jentaculum ambulatorium* dixit, quod ſenſim ambulando carpit equus in prato. Idem guſtum vocat jentaculum, nec non cibum primum, quem nonnunquam antequàm diſcumbamus, & ante legitimam cœnam præſumimus, ſeu carpimus. Germani appellant ein beiſsumpffel. Eadem voce Cyprianus quoque utitur. Inde forſan Gallorum *gouſter*, quod merendam ſignificat, quòd nimirum cibi aliquid deguſtetur ante cœnam. Jentacula etiam vulgo collationes dicuntur. A *jento* etiam jentatio dicitur. Scaliger lib. 1. c. 5. poët. *Jentatione præparca ac minima contenti (à quo etiam jentare verbum ὅτι δεῖ ἰεῖν, & ut Dores loquuntur ἴαν) haud multò largiùs merendabant, quod ab hora mediæ diei, in qua eum cibum caperent, appellatur.* Prandiculum quoque a Feſto, & prandiolum a nonnullis pro jentaculo accipitur, quòd ſit parvum prandium, hoc Cicero eleganti vocabulo *prandiuſculum* dixit. Sic enim in epiſtolis ad Atticum legendum putat Beroaldus in Apulejum. Silatum inquit Feſtus, pro eo, quod nunc jentaculum dicimus, appellabant, quia jejuni vinum ſili conditum ante meridiem abſorbebant. Eſt autem Sili herba, quam alio nomine Seſelin vocant, cujus vel radice, vel ſemine vinum condiebant, quod ante meridiem ſumere mos erat. Σίλι, τὸ Σέσελι, apud Hippocr. ut ſcribit Galenus: Sili, id eſt, Siler, vel Seſeli & Siſeli, Pandectarius. De Seſeli Marſilienſi, quod nonnulli Siles montanum vocant, & a σιγᾶν ſive *Silere* videtur dictum, capiti & cerebro purgando & corroborando valde accommodatum: nec non de Æthiopico, & Cretico ſive Peloponnenſi vide ſi placet, Herbarium Leonhardi Turneiſſeri. Germani jentaculum appellant frůſtuck/ id eſt, fruſtum matutinum, frůſuppen/ id eſt, pulmentum matutinum, morgenbrot/ morgenſuppen. Belgæ, den anbijt. Galli, *Le deſiuner*, quod affine eſt ἀδειπνισμῷ. Itali, *collatione*. Hiſpani, *almuerzo de manana*. Angli, *breatkefaſte*. Poloni, *sniadantze*, quaſi *zeſna jadantze*, hoc eſt, ex ſomno manducatio, ſeu quæ ſtatim poſt ſomnum fit.

Silatum. Sili, herba, alio nomine Seſeli vocata.

CAPUT VIII.

DE CONVIVIIS MERIDIANIS, QUAE VEL PAULO ANTE, VEL CIRCA MERIDIEM AGUNTUR.

Convivium ſive epulum meridianum, quod circa meridiem ferè fieri ſolet, à Græcis δεῖπνον appellatur, ſeu δειπνοσύνη, quod poëticum eſt vocabulum apud Athen. de quo vocabulo, quoniam eſt πολύσημον, paulò copioſiùs dicendum. Primò igitur, ut & ejus compoſitum σύνδειπνον, generatim pro quovis convivio ſive epulo accipitur, quocunque tempore illud celebretur, & apud Homerum quidem non eſt definiti temporis, ut ex multis locis conſtat. Deinde ſpeciatim idem trifariam ab authoribus uſurpari reperio. Primò enim, de quo etiam ſuprà dictum, antiquitus pro cibo ſive epulo matutino uſurpatum fuit, ut Ιλ. β.

Δεῖπνον, ſeu δειπνοσύνη. Δεῖπνον ſignificatio alia generalis, alia ſpecialis: Et hæc quidem triplex. Prima.

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα. Athenæus, δεῖπνον, inquit, *aliquando* συνωνυμεῖ τῷ ἀρίστῳ, id eſt, *ejuſdem eſt nominis & ſignificati cum* ἀρίστῳ: addit deinceps, ἐπὶ γὰρ τῆς πρωϊνῆς τῆς τροφῆς ἔφη, hoc eſt, *nam de cibo matutino quodam in loco verba faciens Homerus, inquit,*

Οἱ δ' ἄρα δεῖπνον ἕλοντο, ἀπὸ δ' αὐτοῦ θωρήσσοντο, hoc eſt, *Iſti dipnum ſumpſerunt, poſt ipſum armati ſunt. Statim enim*, inquit idem, *poſt ortum Solis*, δεῖπνον *ſumentes, ad pugnandum ſe conferebant.* Idem lib. E. τὸ αὐτὸ ποτὲ μὲν ἄριστον, ποτὲ δὲ δεῖπνον ὀνομάζει. hoc eſt, *unum idemque epulum ſive cibus modò* ἄριστον, *modò* δεῖπνον *nominatur.* Euſtath. in Οδ. β. 76. 44. δεῖπνον dicit, dictum eſt, καθ' ὃ δεῖ πονεῖν, id eſt, *poſt quod eſt laborandum, quod etiam* ἄριστον *nonnulli appellant.* Idem, Οδ. α. in illum verſum,

Δεῖπνον aliquando συνωνυμεῖ τῷ ἀρίστῳ. Δεῖπνον unde dictum.

Χαῖρε ξεῖνε, ... δείπνου πασσάμενος μυθήσεαι,

δεῖπνον, inquit, ἐνταῦθα φανερῶς τὸ πρωϊνὸν ἔμβρωμα. Idem, Οδ. η. in illum verſum, ἐντύνοντο, id eſt, Ulyſſes & Eumæus, ἄριστον ἅμ' ἠοῖ κηαμένω πῦρ, ſtatim ab initio fol. 589. 31. ταυτὸν ἐνταῦθα δεῖπνον, καὶ

ἄρι-

ἄριστον συνωνυμίας λόγῳ. γινόμενον τὸ μὲν παρὰ τὸ δεῖ πονεῖν, τὸ δὲ παρὰ τὸ ἄρτι τηνικαῦτα συνίστασθαι, ὥσπερ αὖ πάλιν ἑσπέρας, δόρυ παύεται, (inde δόρπος) τακέσι πόλεμος. Suidas, δεῖπνον τὸ πρωϊνὸν ἄριστον ὅπερ ἀκρατισμὸς λέγεται· εἶτα περὶ ὥραν τρίτην, ἄριστον παρὰ τὸ εἰς ἀριστείαν παρέρχεσθαι, καὶ δεῖπνος μεθ᾽ ὃν δεῖ πονεῖν· εἶτα

Secunda. τὸ ἑσπερινὸν, δόρπος παρὰ τὸ δόρυ παύειν. Et hæc de prima speciali δείπνυ significatione. Deinde idem vocabulum cibum epulúmve meridianum significat, in qua significatione nunc a nobis ponitur. Athen. lib. 1. illud Palamedis, ἄριστα, δεῖπνα, &c. ἄριστον, inquit, *est quod sub auroram sumitur*: δεῖπνον δὲ μεσημβρινὸν, id est, *matutinum, quod nos* ἄριστον *vocamus*: δόρπον δὲ τὸ ἑσπερινὸν, id est, *vespertinum*. Hinc ergo apparet

Δεῖπνον Homero est & matutinum, & meridianum epulum. δεῖπνον antiquitus, præsertim apud Homerum, & pro jentaculo, & pro prandio, sive epulo meridiano fuisse usurpatum. His addam, quod Ιλ. λ. in illo versu.

Ἦμος δὲ δρυτόμος περ ἀνὴρ ὡπλίσσατο δόρπον.

Videtur esse mendum, & pro δόρπον legendum esse δεῖπνον. Etsi enim illo in loco duo diversa exemplaria, Bryllingeri videlicet, & Frobenii cum Commentariis Eustathii, δόρπον habeant, δεῖπνον tamen probatur legendum esse ex sequentibus Eustathii verbis 766. 16. quæ subjiciam, quoniam ex iis magis adhuc vocabuli δείπνυ varia significatio, simulque notatio patet: ὅρα δὲ καὶ μέχρι πότε βούλεται ὁ ποιητὴς διήκειν τὸ δεῖπνον· ἕωθεν γὰρ ἄχρι καὶ μέσης ἡμέρας, ὅτε καὶ ὁ δρυτόμος, μάλιστα κάμνει τάμνων δένδρεα· ὅτι δὲ τὸ δεῖπνον ἀοριστανεὶ δῆλον· ὧδε μὲν γὰρ τὸ περὶ μεσημβρίαν δηλοῖ, ἀλλαχοῦ δὲ πολλαχοῦ τὸ πρωΐθεν, ἐν δὲ τῷ τέλει τῆς Κ. ῥαψῳδίας, ἅμα τῇ ἠοῖ, ἔνθα δειπνεῖσθαι εἰπὼν τοὺς κατὰ σκοποὺς, ἐπάγει ἠὼς δ᾽ ἐκ λεχέων, καὶ τὰ ἑξῆς. ἴσως δὲ δεῖπνον ἄρτι τὸ περὶ μεσημβρίαν, διότι τηνικαῦτα δεῖ (τουτέστιν ἐλλείπει) τοῦ πονεῖν ἐργάτης, κορεννύμενος τὰς χεῖρας κατὰ τὸν ποιητήν· ὥσπερ ἀνάπαλιν, δεῖπνον τὸ ἑωθινὸν, ἐπεὶ τότε δεῖ (ὅ ἐστι χρεία ἐστι) πόνου τοῖς ἐργατικοῖς. Ex his ergo verbis apparet δεῖπνον, & pro matutino, & pro meridiano epulo ab Homero accipi, & utrumque ἀπὸ τοῦ δεῖν τοῦ πόνου, sed diverso respectu, pro diversa nimirum verbi δεῖν significatione, dici.

Tertia. Sequitur tertia illius significatio, recentioribus usurpata, qua pro cœna, sive epulo vespertino accipitur, & τῷ ἀρίστῳ, hoc est, *jentaculo*, sive prandio sæpe opponitur, de qua licet postea commodior forsan esset dicendi locus in explicatione conviviorum vespertinorum, tamen nunc quoque dicemus, ut omnia hujus vocabuli significata simul conjungantur. Eustath. Οδ. α. δεῖπνον, inquit, λέγεται καὶ τὸ δόρπον, ut Athenæus testatur his verbis, ὁ τελευταῖος ψωμισμὸς ἐπιδορπισμός τίς ἐστι, καὶ δεῖπνον ἕτερον. Xenoph. ἐργασόμενοι μὲν ἠρίστων, ἐργασάμενοι δὲ ἐδείπνουν, *antequam ad labores aggrederentur, jentabant, at laboribus exantlatis, cœnabant.* Idem Hell. 5. καὶ ὅταν ἀποδῷ ἄριστον, καὶ δεῖπνον ποιησάμενος ἅμα πονεῖσθαι. Alluditur hic ad etymologiam δείπνου, quam nonnulli afferunt, illud volentes dici quasi διαπεπονημένον, hoc est, summo studio paratum & elaboratum. Plato quoque δεῖπνον pro cœna accipit lib. 1. de Repub. ἐξαναστησόμεθα μετὰ τὸ δεῖπνον. Aristoph. νεφελ. ἐχθὲς δέ γ᾽ ἡμῖν δεῖπνον οὐκ ἦν ἑσπέρας. Huc facit illud Alexandri apophtheg. apud Plutarch. κρείττονας (inquit) ἔχειν αὐτὸς ὀψοποιοὺς, πρὸς μὲν ἄριστον τὴν νυκτοπορίαν, πρὸς δὲ δεῖπνον ὀλιγαριστίαν, id est, *dicebat ille se meliores habere coquos, ad jentaculum quidem sive prandium ambulationem profectionemve nocturnam, ad cœnam cibi paucitatem, seu frugalitatem.* Idem auctor de fortuna Alexandri, νύκτα μὲν ἐν δείπνοις, ἡμέραν δὲ ἐν ἀρίστοις ἐπιλίπεσθαι. Hinc Athen. lib. 3. ἄριστον eleganter δείπνου πρόδρομον appellat. Cœnam autem sive epulum vespertinum sic volunt dictum, vel ὅτι τῶν πόνων διαπαύει, pausam facit laboribus, vel quòd sit ὥσπερ διαπεπονημένον τὸ παρεσκευασμένον, id est, summo studio elaboratum, & exquisitum, ut contra ἄριστον dicatur quasi ῥᾶστον ex obviis non anxiè comparatum: unde etiam ὄψον, id est, obsonium videatur dictum, quia non manè, sed ὀψὲ, id est, serò in cœna, finitis nimirum laboribus, &

Δείπνου quodnam verisimillimum etymon. actionibus sumi sit solitum. Hæc Cæl. Rhod. lib. 27. c. 24. ex Plutarcho. Quid si dicamus δεῖπνον dictum, ἀπὸ τοῦ δεῖ πίνειν, secundùm illud tritum Græcorum, ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι. Cœnas porrò apud antiquos liberaliores fuisse prandiis, postea dicetur. In sacris quoque literis novi Testam. eorundem vocabulorum fit mentio: Luc. 14. ποιῇς ἄριστον, ἢ δεῖπνον. *Tempora*, inquit Camerarius, *cibi capiendi veteres distincta habuere præcipuè duo, matutinum, & ad vesperum vergens, quorum illud* ἄριστον, hoc δεῖπνον vocarunt. Luc. 14. Christus my-

Δεῖπνον etiam in S. L. est cœna. sterium regni cælorum, sive vocationis hominum ad regnum cœleste depingit convivii magni similitudine, quod δεῖπνον appellat, cujus hanc elegantem sanè rationem reddit Theophilactus, δεῖπνον ἐκάλεσε τὴν οἰκονομίαν ταύτην, ἐπειδὴ ἐν ἐσχάτοις καιροῖς, καὶ οἷον ἐπὶ δυσμαῖς τοῦ αἰῶνος ἦλθεν ὁ κύριος, hoc est, *Dipnon appel-*

Cur unum idemque epulum allegoricum in Euangelio δεῖπνον & ἄριστον vocetur. *lavit Oeconomian istam, quoniam extremis temporibus, & ferè sub occasum sæculi Christus venit.* Quoniam autem idem mysterium a Matthæo c. 22. ἄριστον appellatur, utriusque appellationis rationem idem Pater pulchrè his verbis tradit, ἄριστον δὲ ἐνταῦθα ὀνομάζει, καί τοι ἀλλαχοῦ (nimirum Luc. 14.) δεῖπνον αὐτὸ λέγων, οὐκ ἀλόγως. δεῖπνον μὲν γὰρ, ὡς ἐν ἐσχάτοις καιροῖς τελείως φανέντος τοῦ τοιούτου γάμου, καὶ πρὸς τῇ ἑσπέρᾳ, ἤτοι τῷ τέλει τῶν αἰώνων· ἄριστον δὲ διότι καὶ ἐν τοῖς προτέροις αἰῶσιν ἀπεκαλύπτετο τὸ μυστήριον, εἰ καὶ ἀμυδρότερον, id est, *Ariston hic appellat, quod alibi dipnon, non sine ratione: Dipnon enim dicitur, quia postremis demum temporibus, & ad vesperam sive in fine seculorum hæ nuptiæ perfectè apparuerant. Ariston autem, quia prioribus quoque temporibus, licet obscuriùs, hoc mysterium fuit patefactum.* Ex hac igitur Theophilacti allegorica istorum verborum interpretatione constat, ἄριστον quidem pro prandio, sive convivio matutino, δεῖπνον autem pro cœna accipi. Possumus tamen simpliciter quoque dicere unum idemque epulum a Luca δεῖπνον, a Matthæo ἄριστον appellari, propterea quòd hæc duo vocabula, ut suprà ex Athenæo probavimus, sæpe-

Cœna Dominica dicitur δεῖπνον. numero apud auctores confunduntur, & unum pro altero usurpatur. Cœna quoque illa dominica sacra & augusta, quæ vesperi fuit celebrata, δεῖπνον appellatur Luc. 22. & alibi, & μετὰ τὸ δειπνῆσαι, Christus dicitur accepisse

Δεῖπνον poculum, &c. His porrò tribus δείπνου significatis, quartum etiam addi potest. Nam aliquando ἐπιδορπίδα,

id

id eſt, *poſtcœnium* ſignificat, teſte Athenæo, de quo ſuprà. Denique videtur etiam δεῖπνον ſpeciatim pro cœna collatitia accipi. Ariſtoph. Scholiaſt. in Pace, φασὶ γὰρ τὸ δεῖπνον ἐν ᾧ ἕκαςος αὐτῷ κομίζων εἰς κοινὸν κατατίθεται, καὶ πάντες πάντων μετέχουσι. Ergo, ut ſummatim quæ dicta ſunt de hoc vocabulo complectar, δεῖπνον cùm generatim pro quovis epulo, ſive cibo, tum ſpeciatim quadrifariam uſurpatur. Antiquitus quidem & jentaculum, & epulum meridianum, & ἀπόδορπίδα ſignificabat: at poſterioribus temporibus pro cœna, ſive epulo veſpertino fuit uſurpatum. A δεῖπνῳ fit δειπνάριον, & δειπνίδιον, diminutivum, id eſt, *prandiolum*, ſive *cœnula*. Δειπνεῖν *prandere*, ſive *cœnare*, δειπνοποιεῖν, δεῖπνον ποιεῖν, Luc. 14. *cœnam parare*, ſive *condicere*, δειπνοποιεῖσθαι *cœnare*, δειπνίζειν *cœna prandióve excipere*, ſive prandium præbere. Δειπνηςός, Οδ. ρ. & δειπνητὸς, ſive δείπνητ⊙, cùm pro cœna prandióve, tum pro cœnandi prandendíve tempore accipiuntur. Quidam hæc ita diſtinguunt, ut δειπνητὸς, accentu in ultima, ſit ipſa cœna: δείπνηςος autem, accentu in antepenultima, prandendi, cœnandíve tempus. Δειπνίας vicus Theſſaliæ, ubi cœnaſſe ferunt Apollinem. δειπνηςική ἐπιςολὰ, Athen lib. 4. Δειπνεὺς nomen cujuſdam qui in Achaia a Cocis colebatur, teſte Athenæo. φιλόδειπν⊙, & ἐπιθυμόδειπνος, δειπνομανὴς, τρεχέδειπν⊙, qui libenter comeſſatur. φιλοδειπνιςὴς, qui alios libenter convivio excipit, αὐτόδειπν⊙, qui vocatus ſecum ipſe affert, quod cœnet, Heſych. ἀντίδειπν⊙, Luciano dicitur conviva qui ſufficitur in locum alterius, qui invitatus non venit. Apud Latinos cibus epulúmve meridianum duobus vocabulis antiquitus fuit appellatum, nimirum cœna, & merenda. Quoad prius, de illo ſic Feſtus, *Cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc eſt prandium* (quod & anticœnam dictum fuiſſe Lipſius teſtatur in epiſtolis.) *Veſperna, quam nunc cœnam appellamus.* Idem, *meridianum cibum cœnam vocabant.* De altero idem ſic: *Merendam antiqui dicebant pro prandio, quod ſcilicet medio die caperetur, id eſt, meridie:* quo ſenſu Horatius Satyrarum lib. 2. Sat. 2. *De medio potare die*, de meridiano epulo dixit. Nam *meridio*, & *meridior* aliquando eſt meridianum cibum capere. Plautus, *jentando*, *meridiando*, *comeſſando*, *pergræcando vitam ducere.* Aliquando ſignificat meridianum ſomnum capere. Cornel. Celſus, *Longis diebus meridiari potiùs ante cibum utile eſt: ſin minus, poſt, per hyemem potiùs totis noctibus conquieſcere.* Sueton. de Caligula, *Gloriatuſque eſt expergefacta ſomno Ceſonia quantum egiſſet, dum ea meridiaret.* Merenda poſtea pro cibo poſt meridiem, ſive veſperi ſumpto uſurpata eſt, teſte Nonio. Recentius vocabulum, quo meridianum epulum exprimitur, eſt prandium, cujus ipſius tamen duplex eſt poteſtas. Nam aliquando etiam pro cibo epulóve matutino, ſive jentaculo uſurpatur, & idcirco Plutarchus lib. 8. Sympoſ. de Græcis quibuſdam Latinorum vocabulorum etymis differens, hæc de prandio dicit: Τὸ δ' ἄριςον ἐκλήθη ἀπὸ τῆς ὥρας. ἔνδιον γὰρ τὸ δείλινον, καὶ τὴν μετ' ἄριςον ἀνάπαυσιν ἐνδιάζειν, πρωϊνήν τινα σημαίνοντες ἐδωδὴν, ἢ τροφὴν ἧ χρῶνται πρὶν ἐνδεεῖς γίγνεσθαι. His verbis duplicem videtur afferre prandii etymologiam, quaſi illud inde dictum ſit, vel quòd περὶ τῆς ἐνδίας, vel quòd περὶ τῆς ἐνδείας ſumatur. Quamobrem cùm Feſtus inquit, *Prandium ex Græco--- eſt dictum. Nam meridianum cibum cœnam vocabant*, verbum Græcum, quod hîc deſyderatur, videtur fuiſſe ἔνδιον, quoniam hîc prandium pro jentaculo ſumit, antiquo more, ſicut & Græci olim τὸ ἄριςον. Hæc eſt Canteri conjectura in libro novarum lectionum. Feſtus, *Prandicula antiqui dicebant, quæ nunc jentacula.* Deinde prandium ſignificat cibum epulúmve, quo homines circa meridiem fruuntur, ſic dictum, quaſi ἔνδιον τὸ δειλινὸν, id eſt, *meridianum*, unde ἐνδιάζειν, ἐνδιᾶν, & idem quod μεσημβριάζειν *meridiare*, ſive *meridiari*, hoc eſt, a prandio quieſcere, teſte Plutarcho. Prandium nonnulli ab edendo, quaſi *peredium* volunt dictum. Pollio Trebellius prandium ſcribit dici, quod ad bellum milites paret a cinctis initum, quod a diſcinctis cum Imperatore cœnaretur. Nam & prandium militare a multis aſtruitur, Cæl. lib. 27. c. 24. Beza prandium exiſtimat dictum, quaſi *perendium*, quod nihil ferè eo ipſo die coctum, ſed ex perendiarum epularum reliquiis aliquid ferè, & quidem non accumbendo ſumeretur. Iſidorus prandium ab apparatu edendi vult fuiſſe dictum, propriè autem veteres prandium vocaſſe omnium militum cibum ante pugnam: inde eſt illud ducum alloquium, *Prandeamus tanquam ad inferos cœnaturi*, lib. 20. cap. 1. Scaliger ſimiliter prandium vult dictum eſſe, quia iterum ad opus parati eſſent illicò, qua ratione a Græcis δεῖπνον dictum eſt, ὅτι δεῖ πονεῖν, lib. 1. Poët. cap. 5. Hinc *prandio*, *pranſito* frequentativum, cui reſpondet verbum γεύσασθαι, quod D. Lucas uſurpat in hiſtoria ſacra Act. 10. v. 10. quod cùm *veſci* ac *cibum capere* in genere, tum *prandere* non ineptè convertitur. Ab eodem *Prandeo* derivantur *Pranſor*, *compranſor*, *impranſus*, *&c.* Germanicè epulum meridianum Jmbiß vulgò dicitur, vel quaſi einbiß / id eſt, *unum fruſtum*, quod uno ex ferculo tale prandium conſtet, vel quaſi anbiß / quod *cibum primò deguſtare* ſignificat. Gallicè, *le diſner*. Italicè, *prandio*, *deſinar*, *pranſar*. Hiſpanicè, *comida temprana*, ſive *ayantar*. Polonicè, *obiad ab obieſſez*, quod *cibo ſatiari* ſignificat. Plura de his omnibus nempe prandio, merenda, ſomno a prandio & ſimilibus qui vult, legere poteſt apud Beroaldum in Suetonium.

Quarta ſignificatio.
Anacephalæoſis de ſignificatione δεῖπνε.
Cæna.
Merenda.
Meridio, & meridior quid.
Prandii duplex ſignificatio.
Secunda.
Prandium unde dictum.
Jmbiß, germanicè.

CAP. IX.

DE EPULIS VESPERTINIS.

Epulas pomeridianas, quæ inter prandium, & cœnam fiunt tribus ferè horis post prandium, Athen. lib. 1. videtur δειλινὸν appellare, citans illud Homeri Ὀδ. ρ. σὺ δ' ἔρχεο δειελιήσας, *quod*, inquit Athenæus, *nonnulli vocant δειλινὸν quod quidem est inter prandium, & cœnam.* Idem tamen lib. 5. ridiculos sibi videri ait, qui ex illo Homeri probare contendunt, heroas illos quater in die cibum sumere fuisse solitos. Δείλης & δείλη crepusculum significat; unde Cic. ad Attic. ἀπὸ τῆς δείλης dixit, pro vespertino tempore. Idem ἑσπέρισμα dicitur, teste Athen. lib. 1. cui respondet vocabulum *vesperna*, de quo supra. Latinè, *merenda*, teste Nonio, a recentioribus usurpatur pro cibo, qui post meridiem sumitur, quia fit a *merendo*, sive mercede, quod operariorum atque mercenariorum sit propria. Apulejus, *antecœnium*, appellat, quasi cœnæ πρόδρομον, lib. 2. *Prorsus gladiatoria Veneris antecœnia.* Germanicè, abendbrot / abendessen / abendühyrten / abendzäch / abendtrunck / zunderessen / vulgò appellatur. Belgæ appellant, het vesperbroot / Galli, *gouster*, a gustando, cui respondet Græcum γεῦματος vocabulum, de quo supra: & *le reciner*, forsan a *raisins*, id est, racemis, & aliis fructibus, qui illo tempore comeduntur. Itali, *merenda.* Hispani, *la merenda del medio die.* Polonicè, *yusina*, vel *pocvuieczerek a* vespera, quæ Polonis *vuieczora* dicitur, quasi diceret, sub vesperam. Hebræi, סעודת בנונית *Seudah Benonith*, cibum intermedium, merendam appellant. Isidor. *Merenda est cibus, qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda, & proxima cœnæ. Unde & antecœnia sive antecœna a quibusdam vocabatur: item* merendare *quasi meridie edere*, lib. 20. c. 1. Idem c. 3. Merum, *dicimus vinum purum. Nam merum dicimus quicquid purum, & sincerum est: sicut & aquam meram, nulli rei mixtam.* Hinc & merenda, quòd antiquitus id temporis pueris & operariis panis merus dabatur, aut quòd meridient eodem tempore, id est, soli, ac separatim, non utique in prandio, aut in cœna ad unam mensam. Inde credimus etiam illud tempus, quod post medium diem est, meridiem appellari, quod purum sit. *Cyprio bovi merendam*, Festus Pompejus ostendit convenire, quoties conviva sordidus, & insipidus sordido atque insipido accipitur convivio. Festiviùs erit, si ad res animi deflectatur, ut si quis apud spurcos spurcè loquatur, apud indoctos indoctè.

Ἑσπέρισμα. Vespertina. Merenda. Antecœnium.

Epulum, quod sub noctem, suprema tempestate, ut veteres loquebantur, hoc est, diei novissimo tempore, sive etiam post Solis occasum agitur, a Græcis appellatur δεῖπνον, de quo vocabulo suprà satis, quibus illud tantùm addam, quod Eustath. Ὀδ. β. f. 76. 44. δεῖπνον pro cœna a recentioribus sumptum dicit, παρὰ τὸ δεῖν τότε ὕπνε, hoc est, *quod tunc opus sit somno*, sive *quiete.* Idem Ιλ. β. fol. 183. 20. Δεῖπνον primò pro jentaculo sive prandio accipi a veteribus docet, παρὰ τὸ δεῖν πονεῖν, deinde addit, δῆλον δὲ ὅτι δεῖπνον καὶ τὸ πρὸς ἑσπέραν ἐλέγετο, *manifestum est*, Δεῖπνον *etiam illud dici, quod sub vesperam sit*, ut etiam ab Euripide in Hecuba usurpatur, & generatim omnem cibum. Magis proprium vocabulum, quod semper pro vespertino epulo usurpatur, est δόρπος, sive δόρπον, δορπορὴ apud Suidam, & in plural. δόρπα, Xenophon δορπηςὸν vocat, ἀπὸ δορπιςῦ, Arist. σφῆκες. Interpres ibi, λυκόφρων, inquit, ἀπὸ ἀρίςυ. Οἱ δ' ἄλλοι πάντες δόρπα τὰ δεῖπνα. Athenæus lib. 1. in illum Palamedis versum, ἄριςα, δεῖπνα, &c. addit, δόρπον δὲ τὸ ἑσπερινόν. Idem citans illud Ὀδ. ξ. δόρπον ἕλοντο, addit, παρὰ τὸ δόρυ παύειν, ab hasta scilicet jam deponenda. Eustath. Ὀδ. β. f. 76. 44. τρίτον δὲ δόρπος ἐναντίον ἀρίςῳ, ἡνίκα δόρυ παύεται, quod nos dipnon appellamus. Ὀδ. β. f. 76. 44. δόρπον δὲ ἐδεὶς ὃς ἀμφέβαλε μὴ ἀποθενεμῆσθαι τῇ ἑσπέρᾳ. Scaliger lib. 1. Poët. cap. 5. Græci δόρπον παρὰ τὸ δόρυ παύειν, militaris sanè vox: non enim curarent corpora, neque arma deponerent, nisi opere absoluto. Hinc δορπεῖν, & δορπήσασθαι apud Polluc. id est, cœnare. Δορπία, ut apud Pollucem, sive δόρπεια, ut apud Suidam scriptum reperitur, dicebatur primus dies festi cujusdam apud Athenienses, quod ἀπατέρια vocabant, sic dictus, quòd, qui ex eadem tribu essent, ad cœnam in illo festo convenire solebant. Δορπηςὸς apud Aristoph. sive ut apud Hesych. & Suidam scribitur cum accentu in antepenultima, δόρπιςος, ἡ ὥρα τῦ δείπνυ, id est, *hora cœnæ*, quam Non. ἐπιδόρπιον ὥραν vocat. Δόρπη quoque apud Erotianum dicitur tempus vespertinum, παρὰ τὸ δόρυ παύειν. Ἐπιδορπίσματα, ἐπιδορπίδες, *secundæ mensæ*, & ἐπιδορπίζεσθαι, *secundam mensam apponere.* Ἀναδείπνια, inquit Eustath. Ιλ. σ. *Lyciis idem sunt quod* ἐπιδορπίδες, ἑσπερινὰ ἐδέσματα τραγηματώδη καὶ κρέα, καὶ ἰχθῦς. Cœna quoque ἑσπέρισμα a Græcis dicitur, de quo suprà. Latinè, Cæna dicitur, quod vocabulum olim, teste Festo, pro prandio fuit usurpatum; & vesperna apud Plautum, quod nomen, ut idem vult, antiquitus, quoque propriè pro vespertino epulo usurpatum fuit, cui respondet ἑσπερισμάτιος vocabulum. Cœna porrò, (quæ sæpe generatim pro quovis convivio accipitur) dicta est, teste Plutarcho, quasi κοινὴ ἀπὸ τῆς κοινωνίας, hoc est, *communis, a communione*, quòd nimirum, ut Athenæus quoque testis est, Romani in prandio quidem soli atque seorsim, (unde etiam μονοφάγοι a Græcis fuerunt dicti:) in cœna autem cum amicis accumbentes cibum capere consueverunt. Isidorus, *Cœna vocatur a communione vescentium*, κοινὸν *quippe Græci commune vocant, unde & Communicantes, quod communiter, id est, pariter conveniant.* Et hinc est, quòd quidam Cœnam a coëundo deducunt. Homo enim maximè societatem appetit, dictus propterea Animal communicabile a Platone & aliis. Olim vesperna dicebatur. Nam Athenis maximè ad id dici, ubi jam vesperaverat (ut Gellianis verbis utar) cœnabatur. Vide eundem lib. 17. cap. 8. Noct. Att. Porrò a communione sic dicta fuit cœna, quòd apud veteres solitum erat in propatulo vesci,

Δεῖπνον pro cœna a recentioribus sumptum, unde dicatur.
Δόρπος, sive δόρπον.
Δορπία, sive δόρπεια.
Δόρπη.
Ἐπιδορπίσματα, ἐπιδορπίδες.
Vesperna.
Cœna.
Cœna quasi κοινὴ dicta.

vesci, & communiter epulari, ne singularitas luxuriam gigneret. Est autem cœna vespertinus cibus, quam vespertinam Antiqui dicebant. In usu enim non erant prandia, libro 20. cap. 1. Sic Scaliger libro 1. poët. cap. 5. *In sero diei, opere perfecto, lautiùs, largiúsve se accipiebant, tum uberiore epularum apparatu, tum familiarium atque affinium societate.* Idcirco cœna dicta, quia κοινῇ vescerentur, non privato dimenso diurno. A cœna fit *cœnula* diminut. Cic. Græcè δειπνίδιον: *cœnare, cœnavi, & cœnatus, cœnam sumere: cœnitare*, Cic. id est, frequenter cœnare: *cœnaturire*, cœnandi cupiditate affici: *cœnaticus*, ad cœnam pertinens. Plautus, *spes cœnatica*, Varro, *sermo cœnaticus. Concœnatio*, σύνδειπνον. Cic. *Cœnipeta*, cœnam aliorum affectans, nec libenter domi cœnans. *Incœnis*, ut *impransus*, qui nondum cœnavit. *Domicœnium*, οἰκοσιτία, id est, cœna, quæ domi fit. Martialis,

Si tristi domicœnio laboras.

Cœnatiuncula, Plin. in epist. μικρὸν δειπνοτήριον, locus parvus ad cœnandum aptus. Germanicè cœna nachtmaal / nachtessen / id est, *nocturnum convivium* appellatur, Belgæ, avendtmaal. Galli, *soupper & cene.* Italicè & Hispanicè, *cena.* Poloni, *vuieczerza* vocant a vespera.

CAPUT X.

DE CONVIVIIS NOCTURNIS.

Convivia, sive epulæ nocturnæ, quæ post cœnam aguntur, a Græcis κῶμοι appellantur, de qua voce suprà: item ἐπιδορπίσματα, ἐπιδορπισμοὶ, & ἐπιδορπίδες, ἐπιδόρπιαι τράπεζαι, δεύτεραι τράπεζαι, μεταδόρπια, ἐπιδεῖπνα, & ἐπιδειπνίδες appellantur, ut passim ex Athenæo, & aliis auctoribus constat. Epidipnidos quoque voce Græca Martialis pro Latina usus est libro 11.

Hinc seras epidipnidas parabat.

Posteriores illæ voces sæpe pro quibusvis mensis secundis, etiam post prandium appositis, usurpantur, de quibus suo loco. Latinè convivium hujusmodi *comessatio* vocatur, sive (ut Fulvius Ursinus, Lambinus, Aldus Manutius junior de Orthographia, Leonhardus Mala Spina & doctiores quique legendum scribendumque existimant, quamque sententiam Lævinus Torrentius in Suetonii Vitellio defendit) *comissatio*, sive etiam *comassatio*. Vulgus legendum putat *comessationem*, & *comessari* existimans a *comedendo*, aut *comesse* dictum esse. Festus *comissationem* legit, & a *vicis*, quos Græci κώμας dicunt, vult appellari, in his enim habitabant prius, quàm oppida conderentur, quibus in locis alii alios convictus causa invitabant. Lambinus in suis Commentariis in Horat. & Plautum, *comissare*, sive (ut potiùs vult legendum) *comassari*, & *comassationem* secundùm Varronem vult dictam, ἀπὸ τοῦ κώμου, Deo intempestivi, luxuriosique convivii seu compotationis: sive ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, quod est convivium inire meretricium, & impudicum, cum scortis & meretricibus compotare, lascivire, saltare (unde forsan nostrum vernaculum gumpen) nocturnas compotationes cum mulieribus impudicis agitare. Paulus hoc nomine utitur, Rom. 13. *Ut interdiu compositè ambulemus*, μὴ κώμοις, καὶ μέθαις, *non in comessationibus & ebrietatibus*, alludens ad illum morem comessantium. Hinc *comissatio* convivium meretricium, protervum, & lascivum: compotatio nocturna, petulans, & libidinosa cum scortis, & mulieribus impudicis. Hæc Lambinus. Plutarchus Symposiacôn octavo, τίς οὐκ ἂν εἴποι ἐπὶ κῶμον ἑλληνικῶς κωμίσασθαι (id est, *comissationem*) λέγεσθαι (à Romanis scilicet: qui prandium, cœnam, & alia hujusmodi, Græcis nominibus efferunt, οἰκειοτέρως τῶν ἑλλήνων, ut ibidem testatur.) Scaliger lib. 1. poët. c. 5. κωμάζειν est per vicos vagari animi gratia. (Gassatum gehen.) Juventus enim vacui temporis otio, atque licentia noctis abusa, secura imperiorum vel heri, vel patroni, vel parentum, per pagos (nondum enim in urbes convenerant) discurrere. Qui mos simul cum nomine ad nos deductus est. Legimus enim apud Livium *comissationes.* Unde ii lusus, quos vicatim exercerent, παρὰ τὴν ᾠδὴν, καὶ τὰς κώμας, aptè comœdiam dixere: quoniam non in pascuis, aut in arvis, aut ad tumulos, aut ad aras canerent. Lucianus in Discategorumeno, *Lunam*, ait *splendere* τοῖς κωμάζουσι. Sunt qui Græcum κῶμος (quo & Deus temulentiæ, & convivium procacius, cantiones, atque saltationes lascivæ significantur) deductum esse volunt a כמוש *Cemosch*, quod est nomen Dei, seu idoli Moabitarum, Num. 21. 1. Reg. 11. & 2. Reg. 23. Jerem. 28. Jud. 11. Ammonitarum Deus esse dicitur. Verisimile enim est finitimas has gentes eadem idola coluisse. LXX verterunt χάμως. Forsan dictus est hic Deus a כמס *Camas*, id est, *occultare, abscondere*, ut Bacchus νυκτέλιος intelligatur, nisi malis Plutonem, sive Ditem, hoc est Deum subterraneum, seu inferorum intelligi. Lambinus non *commissari* cum duplicato *m*, vult esse legendum, quamvis ita scriptum reperiatur in libris veteribus, cùm ratio, & veritas reclament, & *o*, in *comissari* natura sit longum, sine alterius consonantis appositione. T. Livius comissationis meminit lib. 11. ubi refert, Demetrium post cœnam, qua sodales acceperat, dixisse: *Quin comissatum ad fratrem imus?* & mox subdit, *comissatores tanquam ad cædem suam venientes, aditu januæ arcet.* Legitur etiam Perseus apud eundem Livium, tanquam reprehendens fratrem Demetrium, *Convivam me tibi committere ausus non sum, comissatorem te cum armis recipiam?* Huc pertinet illud Suetonii in Vitellio, *Sed vel præcipuè luxuriæ, sævitiæque deditus epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula, & prandia, & cœnas, comissationesque.* Idem in Domitiano, *Convivabatur frequenter & largè, sed penè raptim, certè non ultra solis occasum, nec ut postea comessaretur.* Idemque in Vespasiano, *Præter sævitiam, inspecta in eo etiam luxuria erat,* quòd

Comessatio. Comissatio. Comassatio. Comissatio. Κωμάζειν quid.

Comessationes propriè quid. Conviva a comessatore distinguitur.

quòd ad mediam noctem comessationes cum profusissimo quoque familiarium extenderet. Ex his locis apparet *comessationes* propriè dici cibos potusque, qui post cœnam extraordinariè ex luxu sumuntur, & comessari propriè esse post cœnam epulari: & convivam a comessatore distingui, ita ut conviva sit qui ad convivium, cœnámve vocatur: comessator verò post cœnam ad comessationem. Unde apud Livium loco paulò ante citato Perseus criminans fratrem Demetrium, *Convivam me tibi*, inquit, *committere ausus non sum, comessatorem te cum armatis recipiam?* Perottus quoque in Cornucopiæ, *Propriè comessatio*, inquit, *est cibus, qui post cœnam sumitur, sicut merenda cibus, qui sumitur ante cœnam, & jentaculum cibus, qui sumitur ante prandium.* Interdum tamen comessationes generali vocabulo epulationes compotationesque intempestivas cum luxuria & crapula significant, veluti voragines mensarum. Ad hujusmodi comessationem, sive vespertinam potationem post cœnam, alludit Lampridius in historia Alexandri Cæsaris cum amicos militares habuisset, ut usum Trajani, quem ille post secundam mensam potandi usque ad pocula instituerat, reservaret, unum tantum poculum exhibebat in honorem Alexandri Magni. De metaphoricis translationibus apud Ciceronem, ut sunt *tempestas comessationis*, *comessatio tempestatis*, *comessatores conjurationis*, vide Turnebum in Adversf. lib. 9. cap. 1. Nonnulli *postcœniam*, sive, ut Hermolaus Barbarus, *pocœnium*, hujusmodi nocturnum convivium existimant posse appellari, ut Apulejus lagenam Veneris *antecœniam* vocat, tanquam prægustatio quædam sit, & præludium ac præparatio ad palæstram Veneream exercendam. Dicitur autem *Antecœnia*, quasi ante cœnam sumpta, ut Martialis finxit *Domicœnium*, quod domicœnare significat. Germani illud vocant **Schlafftrunck**: *ὑπνοπόσιον* Græcè commodè dici posset, id est, *compotatio ante somnum.* Belgæ, **slaapdranck / so men slapen gaet: een banckecken eer men slapen gaet.** Galli, *ung petit banquet aprés avoir souppé*, sive *une collation.* Itali similiter, *una collatione dopo la cena.* Poloni, *collacia.* Hispani, *manijar despues e la cena* appellant. *Collatio* a Germanis etiam, ut a Gallis, Italis, Polonis appellatur: forsan quia ut olim, ita hodie quoque ejusmodi convivia sæpe sint collatitia, ad quæ symbola a singulis convivis conferantur.

CAPUT XI.

QUOTIES IN DIE, ET QUO POTISSIMUM DIEI, ATQUE ETIAM NOCTIS TEMPORE VETERES MANDUCARINT.

Nunc quoniam de conviviis, secundùm tempus diurnum atque nocturnum divisis, variisque eorum nominibus est dictum, videtur omnino esse consequens, ut dicamus quoties in die, & quo potissimùm diei, atque etiam noctis tempore prisci sæculi homines cibum capere consueverint, quæque hodie sit multorum populorum ea in re consuetudo. Inter doctos quæstio fuit diu admodum agitata, semel-ne in die tantùm, an sæpiùs Veteres manducarint. Verùm ex historiis non unam aliquam certam & fixam, sed varias & diversas fuisse veterum hac in parte consuetudines constat.

Græcorum in comedendo consuetudo.

GRAECI, ut inde exordiar, Trojani belli temporibus, si Philemoni apud Athenæum lib. 1. est credendum, quater in die cibis utebantur. Hinc Muretus in suo variarum lectionum libro, *Ergo*, inquit, *in Græcorum commentariis reperio, quater die ipsos cibo ac potu corpora reficere solitos: quod etiam hodie multis locis fit apud quasdam transalpinas nationes. Primùm quidem diluculo, id vocabant ἀκρατισμὸν, aut ἀκράτισμα, quod non dilutum, sed merum, ut, ait Ausonius, biberent: aut etiam διανηστισμὸν, quam vocem unà cum re ipsa nostrates* (desiuner) *retinuerunt.* Quidem tamen διανηστισμὸν non ἀπὸ τοῦ νηστεύειν, id est, jejunando, quod nimirum jejuno corpore sumeretur, sed ἀπὸ τοῦ ἀνίστημι, hoc est, *surgendo* volunt dictum, propterea quòd simul atque e lecto surrexissent, eo fruerentur, quam ob causam etiam a Polonis *Sniadanye* dicitur, quòd statim somnum sequeretur. Sequebatur ἄριστον, ita dictum, quod postea oporteret ἀριστεύειν, quod, ut suprà dictum, aliquando δεῖπνον ab Homero appellatur. Inde ἑσπέρισμα, cujus hora erat, cùm jam noctesceret, antequam tamen contenebrasset. Postremò δόρπος, quod recentiores δεῖπνον appellarunt: qua posteriore voce Philemon in hac quadripartita conviviorum divisione utitur. Palamedes autem apud Æschylum, eodem Athenæo teste lib. 5. tres tantùm Græcis illis antiquis in die usitatas epulas facit, ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα· ubi Athenæus ἄριστον, *epulum matutinum*: δεῖπνον, *meridianum*: δόρπον, *vespertinum* interpretatur. His idem δείλινον, hoc est, *epulum inter prandium & cœnam interjectum* (quod merendam vocant) a nonnullis perperam addi testatur ex quodam Homeri loco malè intellecto. Eustath. quoque Οδ. β. *Sciendum est*, inquit, *Veteres tribus cibis usos fuisse, quorum primus vocatus fuit ἄριστον, secundus δεῖπνον, tertius δόρπον*: subjungit deinde Æschyli versum paulò antè commemoratum. Idem tamen Ιλ. β. f. 185. 30. citans eundem Æschyli versum de tribus illis epulis, quæ sunt ἄριστα, δεῖπνα, δορπήσιμα, addit ἣ μάλιστα τρίτα κατὰ τοὺς παλαιοὺς, κακῶς ῥηθῆναι κρίνουσιν οἱ παλαιοί. οὐδὲ μνηστῆρες γάρ φασιν, οὐδὲ κύκλωψ τρισὶ τροφαῖς ἐχρῶντο. Quidam ergo existimant hanc sive ter, sive etiam quater in die cibum sumendi consuetudinem a Græcis illis heroibus in bellis tantùm, quæ ob magnos labores largiorem cibum potumque requirunt, servatam fuisse, aliâs non item. Hinc Lambinus in Horat. *Ne illud quidem prætermittendum est, Græcos illos heroas, tantisper dum bellum gerebant & in castris erant, ter die cibum capere consuevisse, ac primum quidem cibum, & matutinum ἄριστον esse nomina-*

(Margin: 1. Ακράτισμα, aut Διανηστισμός. 2. Αριστον. 3. Εσπέρισμα. 4. Δόρπος.)

nominatum: *secundum* δεῖπνον, *id est*, prandium: *tertium* δόρπον, *id est*, cœnam, *cùm hodie* δεῖπνον *idem quod cœna valeat*, ἄριστον *autem prandium*. Verùm ut Hieron. Mercurialis in suo variarum lectionum lib. 4. c. 17. & primo de re Gymnastica cap. 9. & 11. annotat, apud Græcos Hippocratis præsertim temporibus, nullam hujusce consuetudinis legem firmam fixamque fuisse ex Veterum monumentis constat: sed multos ter, vel etiam quater, plures semel, plurimos bis cibum sumere & saturari consuevisse. Unde Cardanus, quòd tempore Hippocratis ter & plus ederent, totidem etiam eos cacâsse in Comment. in 2. Prognost. scripsit, quod sanè est ridiculum. Hippoc. autem verba 2 de rat. vict. in acut. morbis hæc sunt, ubi sanorum hominum consuetudinem multis verbis exponit: ἐπεὶ καὶ τοῖσι δὶς σιτευομένοισι τῆς ἡμέρης, καὶ τοῖσι μονοσιτέουσιν, αἱ ἐξαπιναῖοι μεταβολαὶ βλάβας, καὶ ἀῤῥωστίην παρέχουσιν. Καὶ τοὺς μέν γε μὴ μεμαθηκότας ἀριστᾷν, εἰ ἀριστήσουσιν, εὐθέως ἀῤῥώστους ποιεῖ καὶ βαρέας ὅλον τὸ σῶμα, καὶ ἀσθενέας, καὶ ὀκνηρούς. Ην δὲ ἐπιδειπνήσωσιν ὀξυρεγμιώδεας, id est: *Quippe sive bis, sive semel duntaxat in die quis cibum capere solitus est, si subitò consuetudinem mutaverit, noxam imbecillitatemque subibit. Etenim prandium assumens, qui id non consuevit, protinus imbecillus, gravis, ægrotus segnisque redditur.* Et paulò post: καίτοιγε πολλοί εἰσιν οἳ εὐφόρως φέρουσι τελοσιτεόμενοι τῆς ἡμέρης ἐς πλῆθος, εἰ ἂν οὕτως ἐθισθῶσιν, id est: *Quanquam sunt nonnulli, quibus nihil molestiæ affert, ter in die cibo repleri, præsertim si ita assueverint.* Ex his & aliis multis eo in loco scriptis facilè colligitur, mores hominum Græcorum in comedendo diversos fuisse. Quòd verò Plato miratus est Siculos, atque Italos bis in die impleri cibis (unde nonnulli Veteres Græcos semel tantùm die cibum sumpsisse colligunt) id Muretus atque Mercurialis ita intelligendum existimant, quod rari essent, qui usque ad satietatem bis die cibum caperent. Sic enim Mercurialis libro suprà citato de re gymnastica scribit: *Majores nostri manè exiguum quid comedebant, quod prandium vocabant, & vesperi tantùm saturabantur, dum cœnare dicebantur (exceptis iis, qui coitu usuri erant, quibus a Medicis vespere cœnare interdictum fuisse scripsit Arist. & exceptis Syracusanis, quos bis in die cibis impleri quasi res nova esset, tradit Plato) satis ab Horat. Martial. Plutar. atque Gal. ne multos alios nominem, comprobatum est.* Hactenus ille. Atque eandem quidem ob causam Plato utitur in nobili illa sua epistola verbo ἐμπιπλᾶσθαι, & Hippocrates quoque loco paulò antè citato scribit: ἔτι δ᾽ ἂν μᾶλλον πονήσειεν ὁ τοιοῦτος, εἰ τρὶς σιτέοιτο τῆς ἡμέρης ἐς κόρους, ἔτι μᾶλλον εἰ πλεονάκις, hoc est, *Majori tamem molestia afficietur is, qui ter eadem die ad satietatem usque cibum ingesserit, ac multo magis*, si crebriùs etiamnum assumpserit. Beroaldus ad probandum Græcos non semel tantùm, ut Servius putavit, sed bis die, licet non ad satietatem usque, cibum sumpsisse, his testimoniis & exemplis utitur. Primum est Magacreontis Abderitæ celebre dictum, qui, ut Herodotus est testis lib. 7. magnam aiebat se Xerxi gratiam habere, quòd non bis in die cibum caperet. Fore enim ut Abderitæ si juberentur, ut etiam prandium simile cœnæ instruerent, pessimè de ipsis ageretur. Hoc ergo in Xerxe admiratus est Abderites. Unde constat illo quoque tempore, quod procul dubio antiquissimum fuit, prandere, & cœnare moris fuisse. Idem apparet ex illo Alexandri Magni apophthegmate, quod a Plutarcho celebratur: Is enim dicere solebat, *Ad prandii condimenta nocturnas profectiones optimas esse, ad cœnæ autem, prandii parcitatem.* Idem Aristot. in Probl. suis, *Prandendum est largè, cœnandum parcè*, dixit. Huc quoque facit pervulgatum illud Leonidæ Spartani dictum: *Prandete commilitones, apud inferos forsan cœnaturi.* Hinc a Satyro dictum, *Prandebat ibi quisque Deus.* Ex his apparet apud Græcos veteres prandia quoque in usu fuisse. Sed illud quoque silentio non est prætereundum, jentacula illa, sive prandia Græcorum parca fuisse atque tenuia, ita ut, qui illis ad saturitatem usque uterentur, nimiumque indulgerent, infamia notarentur. Atque hoc quidem testantur nominum, quibus jentaculum, atque prandium a Veteribus exprimitur, notationes. Nam & ἀκράτισμα vel ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, id est, *mero*, quod solum cum pane Veteres manè sumebant, vel ἀπὸ τῆς ἀκρασίας, id est, *temperantia*, cujus nomine accusabantur ientantes: & ἄριστον, quasi ῥᾶστον, quod facilè esset paratu, teste Plutarcho, dictum fuit. Item & γεῦμα a gustatione, & διανηστισμὸς, quod a iejunis sumeretur, fuit appellatum. Plutarchus 8. Sympos. 6 tradit olim infames fuisse, qui ante cænam quicquam edebant: quemadmodum etiam Hippoc. in lib. de Aëre, aq. & loc. monens, ut hominum vivendi ratio a medico consideretur, scilicet πότερον φιλοπόται καὶ ἀριστηταὶ, καὶ ἀταλαίπωροι, videtur ἀριστητὰς, id est, *jentatores*, sive pransores inter eos collocare, qui non rectam vivendi normam sequerentur. Clemens Alexand. lib. 2. c. 2. Pædag. Οἱ δὲ ἀκμάζοντες μεθημέραν μὲν ἄριστον μεταλαβόντες οἷς κατάλληλον τὸ ἄριστον, ἄρτον μόνον ἀπογευσάμενοι, ἀπεχέσθων πάμπαν τοῦ ποτοῦ, πρὸς τὸ ἀναπίνεσθαι τὴν περιττὴν ὑγρότητα αὐτῶν ἀνασφογγιζομένην τῇ ξηροφαγίᾳ, &c. & paulò post, εἰς δὲ ἑσπέραν τοῦ δείπνου περὶ τὴν ὥραν οἴνῳ χρηστέον, &c. id est: *Qui autem sunt in ætatis flore, cum interdiu jentaculum, sive prandium sumpserint, quibus convenit prandium, pane solo gustato, a vino omnino abstineant, ut ebibatur, atque consumatur superflua eorum humiditas, aridorum esca, veluti spongia quadam exhausta. Vespero autem tempore cœnæ vino utendum est.* Atque hæc de Græcorum consuetudine.

Græcorum consuetudo in comedendo variater, & diversa.

Plato cur miratus sit, Italos atque Siculos bis in die impleri cibis.

Prandia quoque apud Græcos veteres in usu fuerunt.

Alex. Magni apophthegma.

Græcorum ientacula, seu prandia, parca & tenuia fuerunt.

Ante cœnam edentes olim infames fuerunt.

Nunc de LATINORUM & ROMANORUM consuetudine, quam Celsus his verbis describit lib. 1. c. 1. *Bis die potiùs, quàm semel cibum capere: & semper quàm plurimùm, dummodo hunc concoquant. Sed qui aut laboribus corpora fatigant, aut pueri, aut senes, aut ex fœminis quàm plures jentaculum accipiunt summo mane, & quidam ex eis quinta a meridie hora parvam refectionem ex fructibus aut oleribus.* Sunt etiam nonnulli, qui, cùm ad meridiem sese fatigârunt, tum demum cibum capiunt, quemadmodum D. Petrus, ut Act. 10. scriptum est: *Cùm ad horam usque sextam*, id est, *meridiem precibus vacasset*, ἤθελε γεύσασθαι. Hanc autem horam fuisse prandii die Sabbathi apud Iudæos, testatur Iosephus in vita sua his verbis: *Plebs non assentiebat horum orationibus, & proculdubio exorta fuisset seditio, nisi concionem solvisset sexta hora superveniens, quæ nostros ad prandium vocare solet Sabbatho.* Forsan etiam aliis diebus. Nam Petrus ea hora esuriisse dicitur. Hæc obser-

Latinorum & Romanorum in prandendo & cœnando consuetudo.

vavit Drusius in suis Quæsitis per Epistolam. Quidam deinde hyemis tempore ventriculi calefaciendi gratia, aut ne frigore, & aëre ambiente occupentur, summo manè parum panis tosti ex vino meraco (an ἀκρατισμα) accipiunt, quidam ovi vitellum, quidam conditum aliquid. Sed hæc jam præservationis potiùs sunt, & hominibus aut non admodum valentibus, aut ægrotantibus debentur. Sanis verò simpliciter, quibus etiam sanitatis custodia propriè debetur, interim dum valent, consuetudo est servanda in numero refectionum. Ab initio verò probè instituendi sunt; natura tamen ciborum, & quantitas pro ætate, & anni tempore varianda, uti diximus. Licebit quoque sensim pro ætatum mutatione refectionum numerum mutare, & pro mutatione temporum, sed id minus. Apud Romanos igitur, ut ex his Celsi verbis constat, major pars hominum semel saturari consuevit, atque id vesperi. Romanos quoque ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον bis in die cibum cepisse, & prandia apud illos fuisse usitata, ex multis Veterum monumentis constat. Cicero in 5. Tuscul. quæst. scribit, *Platonem solitum improbare vitam Italicorum, quoniam in die bis saturi fiebant.* Apud Plautum quoque atque Terentium prandia celebrantur. Plautus, in Amphit. *Hoc adeò commemini, quia illo die impransus fui.* Sueton. de C. Caligula, *Nono Cal. Februarias hora quasi septima cunctatus an ad prandium surgeret, marcescente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tàndem suadentibus amicis, egressus est.* Idem de Claudio Imperatore: *Bestiariis, meridianisque (gladiatoribus, qui hora meridiana digladiabantur) adeò delectabatur, ut a prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie dimisso ad prandium populo, persederet.* Opilius Macrinus, teste Jul. Capitolino, *vini cibique avidissimus, nonnunquam usque ebrietatem, sed vespertinis horis. Nam si prandisset vel privatim parcissimus, in cœna effusissimus.* Quin etiam Macrobius refert morem fuisse antiquorum Romanorum, ut patentibus januis pransitaretur, & cœnaretur. Sicuti & Valer. Max. antiquos in propatulo prandere & cœnare fuisse solitos, scribit. Plinius quoque in suis epistolis testatur, Plinium Naturalis historiæ scriptorem, cibum sumpsisse interdiu levem & facilem Veterum more, ut prandium esset parcius, cœna copiosior. Hisce testimoniis Beroaldus refellit Servii sententiam, qui cum Christoph. Lambinus negabat prandere Veteres fuisse solitos, versu illo Virgiliano:

Romani quoties in die comedere soliti.

Nunc eadem labente die convivia quærunt.

Idem quoque Galeni testimonio comprobari potest: is enim in lib. de tuend. val. 5. ubi senes nutriendi rationem exponit, satius esse dicit illos ter cibum sumere; atque illud factitasse Antiochum Medicum, ac Telephum Grammaticum scribit, quasi hoc præter communem aliorum morem esset. Præterea in 6. ejusdem tractationis lib. eorum victus rationem docens, qui negotiis districti sunt, considerandum esse monet, meliúsne sit in die semel, an bis comedere, atque hoc ex consuetudine definiri debere: quasi certò sciret homines Romæ (nam librum illum ad Romanos potissimùm dirigi certum est) modò bis, modò semel, rarissimè verò ter comedere fuisse solitos: id quod etiam ex Celso in principio librorum de Medicina intelligi potest. Idem etiam ex Plutarcho, de quo postea, & multis aliis auctoribus constat. Apud Romanos ergo prandia fuisse in usu satis constat, licet Servius aliter senserit, cui etiam suffragatur Isidorus. Is enim cœnam dicit esse vespertinum cibum, quam *vespertinam* Antiqui dicebant, quoniam prandia non erant in usu. Alexander quoque ab Alexandro, prandia apud priscos in usu fuisse negat lib. 5. c. 21. Idem ante medium diem, vel ante lucem cibum cepisse crimini datum esse testatur. Et paulò post, *Romanos antiquissimos licet noctu cœnasse nonnulli opinati fuerint, constat tamen post multas ætates usum invaluisse, ut meridianis horis vescerentur.* Hæc ille. Lambinus in illum versum Horat. lib. 1. epist. ad Villicum suum:

Quem bibulum liquidi media de luce Falerni.

Et lib. 2. Sat. 8. ------ *dictus here illic,*

De medio potare die.

Inquit, *Atque hoc tempore diem frangere dicebantur homines inertes, voluptuarii, luxuriosi, in cute curanda occupati, conviviaque ad multam noctem nonnunquam producebant.* Ego igitur (inquit) *qui cœnis a meridie usque ad multam noctem productis olim delectabar, nunc brevibus delector magis. Hinc eleganter Plutar. 4. Symp. prob.* 1. *Prandia vocat,* ἀνοψαλιτῶν, ϗ ὑγιαινόντων ὥσπερ ἀλεξιφάρμακα πρὸς πολυτελεῖς ϗ φλεγμαινούσας τραπέζας, id est, *obsonii expertia, tenuia & salubria tanquam medicamenta ad splendidas & copiosas cœnas.* Licet igitur prandia, uti probatum est, Romanis fuerint usitata, *tamen notissimum est,* ut Lambinus in Horat. Satyr. 1. verè scribit, *prandia Romana aut brevissima, aut parcissima fuisse, aut si qua fuerunt sumptuosiora, & liberaliora, ea vel festis diebus usurpari solita, vel nuptialia fuisse, vel ambitionis, & largitionis, vel luxuriæ causa instituta: his causis exceptis, & similibus, parcè admodum prandebant, cœnabant liberaliùs: jentaculo autem, merenda, & vesperna puto pueros duntaxat, & mercenarios homines usos esse.* Idem in illum Horat. versum lib. 1. Sat. 6.

Pransus non avidè, quantum interpellet inani.

Significat, inquit, *se non tantùm vorare in prandio, ut cibo, & potione ventrem referciat atque oneret: sed quantum satis sit ad jejunitatem, famemque depellendam, viresque corporis reficiendas, donec cœnæ tempus adveniat. Si quis enim non prandeat, sed cibi & potionis usum in vesperum & cœnæ tempus differat, jejunus & inanis diem totum durare dicendus sit. Nunc autem cum prandet tenuiter, & parcè, saltem hoc prandium eum interpellat,* hoc est, *obstat, quò minùs inanis ad vesperam permaneat.* Partem *quoque* solido demere de die *Horat. lib. 1. Od. 1. idem valet, quod frangere diem, hoc est, labore & opere usitato, & quasi legitimo intermisso, atque interrupto, corpus cibo & potione curare, genioque indulgere. Solebant enim magna ex parte Romani illi veteres totum ferè diem* (unde solidus, & integer *dicebatur*) *in rebus agendis ponere: sub vesperum autem, aut certè post meridiem corpora curare, vinoque & epulis indulgere.* Hæc Lambinus. Celsus lib. 1. c. 4. *Iis quibus caput est infirmum, aut aliquas*

quas corporis partes infirmas habent, cibum modicum necessarium esse dicit, quem facilè concoquant, eumque (si jejuno caput læditur) etiam medio die assumendum censet. Hinc Sidonius in epistol. *Prandebamus breviter, copiosè, senatorium ad morem.* Plutarchus quoque Symposiacôn 8. priscos Romanos scribit moderatè, καθ' ἑαυτοὺς, id est, *seorsim* prandere fuisse solitos, cum amicis verò cœnare consuevisse: ideoque cœnam quasi κοινὴν, id est, *communem* illis fuisse appellatam. Prandebant ergo Romani parcè quantum ad jejunitatem, Romani vespere cœnare soliti. famemque arcendam, viresque corporis reficiendas satis esset: vesperi autem circa horam ferè nonam accumbentes, largiùs atque liberaliùs cœnabant. Hinc Papinius,

Iam moriente die rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Nam *mori* dies dicebatur, quando jam erat exactus, sicut vesperum. Sic & *componi dies* ut *mortuus*, id est, sepeliri dicebatur. Maro,

Ante diem clauso componit vesper Olympo.

Sic diei morte atque sepulchro metaphoricè vespertinum cœnandi tempus intellexit Menechmus apud Plautum, his verbis jocans: *Clam uxorem ubi sepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem,* interprete Turnebo in Adversariis suis, *ubi mortuo die, & exacto genium curemus, & epulemur, perinde quasi cœna sit ejus bustum, & sepulchrum.* Vel, ut Lambinus interpretatur, *ubi hunc diem jam quasi moribundum, & in occasum præcipitantem consumamus, atque adeo absumamus, jucundè scilicet & hilariter vivendo, epulando, & compotando.* Sic ferè dixit Horat. *condere diem,* Od. 5. lib. 4.

Condit quisque diem collibus in suis.

Ac quoniam Romani vesperi solebant cœnare, idcirco Plautus vesperum metonymicè pro cœna usurpat Vesper pro cœna. duobus ferè in locis. Primo, in milite glorioso, *Qui de vespere vivat suo,* hoc est, interprete Lambino, *qui domi suæ, & sumptu suo cœnet, qui habeat unde cœnet. Per vesperum cœnam significat, quia scilicet Romani vesperi cœnabant.* Secundo, in Rudentibus, *Si tu de illorum cœnaturus vesperi es,* hoc est, interprete Lambino, *de illorum cœna, seu cibo cœnaturus es. Hoc ideò quia Veteres vesperi cœnabant, quemadmodum & nos* (Galli:) *quanquam nos non omni tempore vesperi cœnamus, sed Vere, & Autumno duntaxat. Nam & Æstate longè ante vesperam, & Bruma longè post vesperam cœnamus.* Horat. *Sub lumina prima,* Satyr. lib. 2. id est, *paulò ante vesperam, paulò ante solis occasum, quod erat tempus cœnæ,* Lambino interprete. Idem Epist. 11. lib. 1.

Lecto Samnitas ad lumina prima duello.

Observabis etiam hîc λύχνων ἡμμένων, id est, lucernis accensis a Galeno περὶ τὸ προγινώσκειν, usurpari prò hora vespertina, qua lucernæ accendi solent. Prima autem fax a Latinis vesper dicitur, non quòd faces, & lucernæ vesperi accenderentur, ut quidam tradunt, sed quoniam Venus & Vesperugo, fax cœlestis, & stella post Solis occasum prima tum lucere incipit, ut vult Brodæus lib. 4. Miscel. c. ultimo.

Hora autem ordinaria cœnæ destinata primùm quidem apud Hebræos fuit nona. Unde etiam sacrificium Hora ordinaria cœnandi apud Hebræos. vespertinum fieri solitum fuisse testatur Iosephus lib. 7. de bello Iud. ἀπὸ ἐννεάτης ὥρας, *hora nona,* hoc est, tertia exacta post meridiem, qua & Pascha immolare solebant: cujus finis cùm dicatur ὀψία, is statuitur a Iosepho hora undecima exacta, hoc est, hora una ante occasum solis. Hoc tempus quoque, sicut pluribus de eo Scaliger libro de emendatione temp. sexto disserit, παρασκευὴ & ἑσπερισμὸς dicitur a Iudæis, Latinè *Cœna pura,* Hebraicè ערב. Unde Augustinus in Euangelium secundum Iohannem, *Acceleratam* vult intelligi *sepulturam,* ne advesperasceret, quando jam propter Parasceuen, quam *Cœnam puram* Iudæi Latinè usitatiùs apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.

Eadem hora nona & cœnæ destinata fuit apud Romanos, sicuti ex Veterum scriptis potest colligi. Cic. Horâ ordinaria cœnandi apud Romanos. in Epistol. quadam ad Pœtum ad horam nonam dicit se accubuisse, quæ ordinaria cœnæ. Eundem Alexander ab Alexand. lib. 5. c. 21. raro ante solis occasum discubuisse dicit. Nonam autem cœnæ apud Romanos fuisse destinatam, liquidò apparet ex eleganti illo Martial. Epigram. in quo testatur, Romanos Cæsares solitos curare sua negotia usque ad 6. & 7. horam, deinceps autem reliquas horas curando corpori, animoque a laboribus reficiendo impendisse. Ejus versus hi sunt lib. 4. Epigram. ad Euphemum dapûm structorem Diei distributio apud Romanos, quid singulis horis fieri sit solitum. Domitiani, ut creditur;

Prima salutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris.
Imperat extructos frangere nona thoros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
Temperat ambrosias quum tua cura dapes.
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentique tenet pocula parca manu.
Tunc admitte jocos, gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thaleia Iovem.

Prima

Prima ergo & ſecunda (ut ex hoc epigrammate conſtat) quæ nobis eſt quarta, & quinta, ſive quinta & ſexta, ſalutationibus illis officioſis impendebantur.

Hora tertia, quæ nobis eſt ſeptima aut octava in cauſis, & judiciis verſabantur. Hinc Gell. lib. 17. cap. 2. *In duodecim autem tabulis verbum hoc*, inquit, *ita ſcriptum eſt: Ante meridiem cauſam conſcito, cùm perorant ambo præſentes. Poſt meridiem præſenti litem addicito: ſi ambo præſentes, ſol occaſus, ſuprema tempeſtas eſto.* Unde apparet ante meridiem cauſidicorum horam fuiſſe.

Quarta & quinta, quæ nobis eſt decima ferè & undecima, familiaribus atque domeſticis ſuis negotiis incumbebant. Unde Perſius juvenes ſui temporis deſidiæ nomine accuſat, quòd hora quinta, qua in negotiis homines maximè exercebantur, ſomno indulgerent. Sic enim inquit,

----- *Dum clarum manè feneſtras*
Intrat & anguſtas extendit lumine rimas,
Stertimus indomitum quod deſpumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.

Sexta & ſeptima, quæ nobis eſt duodecima, & prima pomeridiana partim meridiabantur, id eſt, ſomnum capiebant, partim otio indulgebant. Obſervabis etiam hîc, id quod Brodæus lib. 4. Miſcel. c. 32. annotat, quoniam maxima populi olim circa horam ſextam, id eſt, meridiem in foro eſſet frequentia, hoc a Græcis hominibus tempus ἀμφὶ πλήθουσαν ἀγορὰν ſive πληθυνούσης ἀγορᾶς fuiſſe appellatum. Id quod loco quodam Luciani ἐν φιλοψευδεῖ probat.

Octava, quæ nobis eſt ſecunda a meridie, lavabant, & palæſtris ſe exercebant.

Nona, quæ nobis ferè eſt tertia pomeridiana, cœnabant: idem,

Nunciat octavam Phariæ ſua turba juvencæ
Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
Halat.

Id eſt, hora octava lavabantur, nona decumbebant. Hinc meretrix (quam verè Boëtius inferni januam vocat) a Iuvenale, & Perſio dicta eſt *Nonaria*, quòd poſt nonam in lupanari proſtabat, Perſius Satyr. 1.

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat,
His mane edictum, poſt prandia Calliroën do:

Id eſt, hora diei tertia cauſas agant apud Prætorem. Nam edicta ſunt prætorum, ſecundùm illud,

Exercet raucos tertia cauſidicos.

poſt prandia legant fabulas. Aliis meretrix videtur dicta *Nonaria*, tanquam infauſta, infœlix, & omnino damnoſa juvenibus, quos peſſundant meretrices, expilant, & ad miſeriarum voraginem ſæpe detrudunt, a *Nonis*, quæ inter dies atros numerantur ab Antiquis: cujus rei cauſſam referunt Verrius Flaccus in 4. de verb. ſig. Livius, Macrobius in 1. & Gell. lib. 5. c. 17.

Hac porrò eadem de re extat lib. 1. Epigrammat. Græc. Epigramma incerti auctoris hujuſmodi:

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δ' μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι λέγουσι βροτοῖς.

Id eſt, ut incertus quidam auctor Latinè reddidit:

Sex horæ tantùm in rebus tribuantur agendis,
Vivere poſt illas, littera zetha *monet.*

Sive ut Gyraldus vertit;

Sufficit in ſextam labor horam, deinde ſequenter
Ut vivas numeri littera, ζῆθι, *monet.*

In hoc Diſtichon, quia argutum & obſcurum eſt, ſic commentatur Maximus Planudes: *Ad ſextam uſque diei horam* (quæ nobis eſt meridiana) *rem ſuam, & opus curare oportet: poſtea penſo abſoluto ad cibum capiendum accedere: id quod intelligitur ex notis & horologii litteris. Nam ſi Græcas litteras, quæ ſeptimam, octavam, nonam, & decimam horam ſignificant, hoc eſt,* ζηθι *conjungas,* ζῆθι *expreſſeris, quod eſt Latinè*, Vive, *quaſi dicat*, Ede ut vivas. Hæc ille. Monet ergo hoc epigramma ad ſextam uſque horam laborandum eſſe, quæ etiam propterea melior diei pars videtur eſſe. Unde & Paulus Iureconſultus lib. 1. ad edictum ſcribit, *Cujuſque diei major pars eſt horarum ſeptem, primarum dixi, non ſupremarum*: quæ verba leguntur, & in Pandect. tit. de verborum & rerum ſignif. In hanc ſententiam quidam etiam Virgilianum illud interpretantur:

Nunc adeò melior quoniam pars acta diei eſt.

Iuvenalis quoque Sat. 1. hanc horarum diei diſtributionem Romanis uſitatam his verſibus perſtringit:

Ipſe dies pulchro diſtinguitur ordine rerum
Sportula: deinde forum, juriſque peritus Apollo
Atque triumphales, &c.

His verbis ignaviam pariter, & avaritiam divitum Romanorum carpit, qui mane a clientibus ſuis ſalutati, poſtea in forum illis comitantibus prodeuntes, ac inde rurſus redeuntes domum, laſſos clientes non cibabant. *Sportula*, id eſt, ſportulæ tempus, ſcilicet diſtinguitur: prima enim & ſecunda hora ſalutabant

ſportulæ

ſportulæ cauſa. *Deinde Forum*: tertia enim hora juriſdicendi tempus erat. Eàndem conſuetudinem Galen. his verbis luculenter deſcribit lib. I. de Meth. Therapeut. Προσαγορεύοιμι δὲ περιερχόμενος ἕωθεν, εἰς ἑσπέραν τε συνδειπνοίημι τοῖς δυναμένοις. Ἐκ τούτων γὰρ καὶ φιλεῖσθαι, καὶ προσάγεσθαι, καὶ τοὺς τεχνίτας πιστεύεσθαι, οὐκ ἐκ τῆς οἰκείας παρασκευῆς. οὐδὲ γὰρ εἶναι τοὺς κρίνοντας ἐκείνην, ἁπάντων δι' ὅλης ἡμέρας ἀσχολουμένων, ἕωθεν μὲν ἐν προσαγορεύσεσι κοινῇ, μετὰ ταῦτα δ' ἤδη σχιζομένων, ἐπὶ μὲν τὴν ἀγορὰν, καὶ τὰς δίκας οὐ σμικροῦ τινος ἔθνους, ἐπὶ δ' αὐτοὺς ὀρχηστάς τε καὶ τοὺς ἡνιόχους, ἑτέρου πλείονος. Οὐκ ὀλίγου δέ τινος ἄλλου τοῖς κύβοις, ἢ τισιν ἔρωσιν, ἢ λουτροῖς, ἢ μέθαις, ἢ κώμοις σχολάζοντος, ἢ τισιν ἄλλαις ἡδοναῖς τοῦ σώματος, ἐς ἑσπέραν δὲ κοινῇ πάντων αὖθις συναθροιζομένων εἰς τὰ συμπόσια. Κἀπειδὰν ἐμπλησθῶσιν οἴνου, οὐ λύρας ἐν κύκλῳ περιφερομένης, ἤ τινος ἄλλου τῶν μουσικῶν ὀργάνων, ὧν ἅπτεσθαι πάλαι κατὰ τὰς τοιαύτας συνόδους καλὸν ἐνενόμιστο, καὶ δεινῶς αἰσχρὸν τοὐναντίον ἦν. Ἀλλ' οὐδὲ λόγων ἀνακινουμένων, οἵους ἐν τοῖς συμποσίοις συνέγραψαν ἡμῖν οἱ παλαιοὶ γινομένους, ἀλλ' οὐδὲ ἄλλου τῶν καλῶν οὐδενὸς, ἀλλὰ προπινόντων μὲν ἀλλήλοις, ἁμιλλωμένων δὲ περὶ μεγέθους ἐκπωμάτων. Ἄριστος γὰρ ἐν τούτοις, οὐχ ὁ πλείστων ἁψάμενος ὀργάνων μουσικῶν, ἢ λόγων φιλοσόφων, ἀλλ' ὁ παμπόλλας καὶ μεγίστας ἐκπιὼν κύλικας. Id eſt, *Et mane ſalutando circumeam, & veſperi apud potentes cœnem. His enim artibus tum amari, tum amicitias conciliari, tum verò pro artificibus haberi, nequaquam ex privata, ac domi parta induſtria. Neque enim eſſe, qui de ea judicent, ubi omnes totum diem diverſis ſtudiis tranſigant: manè quidem omnes ſalutationibus occupati, poſt autem diſtracti, ad forum quidem, & lites non exigua turba, ad ſaltationes autem, & aurigas alia major. Jam vel aleæ, vel amoribus, vel balneis, vel ebrietati, vel comeſſationi, vel demum alicui corporis voluptati deditus ſanè non exiguus numerus. Veſperi verò omnes rurſus ad Sympoſia ſimul collecti, ubi poſtquam ſe vino implevêre, non lyra cytharáve, aut aliud muſicum inſtrumentum circumfertur (quod ſicuti olim in ejuſmodi congreſſu tetigiſſe, honeſtum: ſic contrà non tetigiſſe admodùm erat turpe) ſed nec ſermones ulli habentur, quales in Sympoſiis agitari ſolere Veteres prodiderunt, nec aliud honeſtum quicquam: imò invicem ſibi propinant, & de magnitudine poculorum certant, utpote inter quos optimus cenſetur, non qui plurimis inſtrumentis muſicis, aut etiam ſermone philoſophico uti novit: ſed qui multos eoſque maximos calices exiccavit.* Juvenal. in eadem Satyra I.

Salutationes. Forenſia. Muſica. Balnea. Sermones conviviales.

Exul ab octava Marius bibit, & fruitur Dis
Iratis, &c.

Hoc eſt, Interprete Mancinello, *Marius Priſcus, qui exulabat propter ſpoliationem Aphricæ, bibit ab octava, hoc eſt, ſtatim poſt actavam voluptuoſus indulget genio ſuo, & agit lætum convivam, cùm ſecundum ritum Romanum ſolummodò hora nona inciperent diſcumbere, & frangere thoros diſcubitorios. Nam octava hora palæſtris, & exercitantibus corpora debebatur. Nec ante nonam licebat meretrici publicè proſtare, unde aſperſio nonaria dicta eſt.* Hæc ille. Sic decima hora, hoc eſt, poſt cœnam, uſurpatur a Martiali in Epigrammate ad Gallum. Ex his apparet horam *nonam pomeridianam (quæ Chriſti morte eſt celebris) cœnæ apud Romanos fuiſſe deſtinatam, ut etiam apud Græcos, & Hebræos. Hinc Iſidorus, *Annona*, tractum eſt a tempore, quo Romani veteres ad cibos advocabantur, ſicut Martial. *Imperat excelſos frangere nona toros*: quod ad uſque hodie Perſæ faciunt, libro vigeſimo, cap. ſecundo. Inde *nonaria* quoque meretrix dicta Perſio ab hora nona, qua ſe proſtituebat. Plinius libro tertio epiſtolarum ſcribit Spurinam in ſole ſolitum nudum ambulare, ubi hora balnei nuntiata eſſet, quæ hyeme erat nona, æſtate octava, deinde lotum accubare appoſita cœna non minùs nitida, quàm frugi.

Notandum præterea cœnandi horam veſpertinam a Græcis σκιὰν & στοιχεῖον δεκάπουν fuiſſe appellatam. Veteres enim, (ut hodie quoque ruſtici) ut ſcribit Cæl. lib. 12. c. 9. umbris notabant diei horas. Lucianus in Gallo, συνεχὲς ἐπισκοπῶν ὁποσάπουν τὸ στοιχεῖον εἴη, id eſt, *aſſiduè obſervans, quot pedes haberet linea.* Et apud eundem in Saturnalibus inter leges convivales hæc quoque traditur: Λοῦεσθαι μὲν ὁπόταν τὸ στοιχεῖον ἑξάπουν εἴη, id eſt, *lavari, cùm linea iam eſt ſex pedum.* Poëta in Bucolicis:

Cænandi hora veſpertina a Græcis quomodo appellata. Veteres diei horas umbris notabant.

Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Cui ſimile illud Hierem. 6. *Umbræ veſpertinæ appetunt*, id eſt, tempus veſpertinum. Ariſtoph. Ἐκκλησιαζούσαι----σοὶ δὲ μελήσει, ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον, λιπαρῶς χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον, hoc eſt, *cùm fuerit tibi curæ, ubi facta ſit linea decempes, ad lautam decurrere cœnam*, in quæ verba ſic interpres: δεκάπουν, id eſt, ἡ τοῦ ἡλίου σκιὰ ὅταν ᾖ δέκα πηχῶν, θέλει οὖν εἰπεῖν ὅτε ἐστὶν ὀψὲ, id eſt *quando ſolis umbra fuerit 10. cubitorum*, hoc eſt, *quando erit ſerò.* His addit, illos, qui olim vocabant ad cœnam, deſignaſſe ad quam umbram ſolarii vellent convivas adeſſe: & itidem illos, qui vocabantur, ne venirent ante tempus, rogaſſe ad quotam lineam eſſet veniendum. Sic δωδεκάποδος alibi ellipticè, ut ſubaudiatur στοιχείου, vel σκιᾶς. Huc quoque referenda illa Eubuli comici apud Athen. lib. I. c. 3. Quem ajunt vocatum ad cœnam ab amico quodam, amico dicente:

Umbra decempes.

---- ὁπηνίκ' ἂν
Εἴκοσι ποδῶν μετροῦντι τὸ στοιχεῖον ᾖ
Ἥκειν ἕωθεν αὐτὸν εὐθὺς ἡλίου
Μετρεῖν ἀνέχοντος, μακροτέρας δ' οὔσης ἔτι
Πλεῖν ἢ δυοῖν ποδοῖν παρεῖναι τῆς σκιᾶς
Ἔπειτα φάναι, μικρὸν ὀψιαίτερον
Δι' ἀσχολίαν παρόνθ' ἥκειν ἅμ' ἡμέρᾳ.

Id eſt,

Id eſt,

Flatus ut Phœbus pedes menſoribus
Viginti erit, tum prandio hunc accedere
Cœpiſſe mane ſole vix orto ſtatim
Umbram metiri, cùm pedes major foret
Etiam duos, tunc advenire, poſtea
Dixiſſe paulò fortè tardiuſculus
Negotiis veni retentus cum die.

Eraſmus, quoniam umbra illa 10. pedum erat gratiſſima paraſitis, cœnæ ſpem faciens, quemadmodum & fumus largior exiliens è culina, exiſtimat proverbialiter poſſe uſurpari de homine vehementer edace, ſi illi dicamus magnopere placere umbram decempedem, aut nihil agere quempiam, niſi obſervare umbram decempedem, quomodo utitur Ariſtoph. loco ante citato. Horologii ſcioterici, id eſt, *umbratilis* inventionem Diogenes Laërtius tribuit Anaximandro: Plinius verò illius magiſtro Anaximeni Mileſio; ſacræ tamen literæ horologii ſolaris in ægrotatione Ezechiæ regis meminerunt, quod fuit annis ferè 200. ante Anaximenem.

Mos producendi cœnam in multam noctem.

Porrò, quoniam Romani, ut & Græci, cœnas ſuas ſæpe in multam noctem producebant. Hinc in illis crebra fit lychnorum, & lucernarum mentio. Horat. Od. 8. lib. 3. Carm.

----- & vigiles lucernas
Perfer in lucem:

In quæ verba ſic annotat Lambinus: *Compotationem, & cœnas ſumptuoſiores ac liberaliores noctu fieri ſolitas eſſe, cùm ex hoc poëta, tum ex multis aliis ſcriptoribus intelligere licet.* Od. 21. lib. 3. ad Amphoram.

Te, Liber, & ſi læta aderit Venus,
Segneſque nodum ſolvere Gratiæ,
Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

Epiſt. lib. 1. ad Torquatum. *Supremo te ſole domi Torquate manebo.*

Et Epiſt. ad Mecœnatem. 19. lib. 1. *Hoc ſimul edixit, non ceſſavere poëtæ*
Nocturno certare mero, putere diurno.

Idem lib. Satyr. 2. Sat. 6. *O noctes, cœnæque deûm, quibus ipſe, meique.*

Hinc lucernarum crebra fit mentio apud auctores.

In quem verſum Lambinus: *Cur noctes cum cœnis conjunxit, an quod cœnæ Veterum plerunque noctu agitabantur, totamque noctem producebantur?*

Theognis. Τῷ πίνειν δ' ἐθέλοντι παρασταδὸν οἰνοχοείτω,
Οὐ πάσας νύκτας γίγνεται ἁβρὰ παθεῖν.

Lucret. lib. 2. *Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.* Hinc Athenæus lib. 7. medicum quendam Daphnum nomine inducit ita loquentem: ὠφελιμώτερά ἐστιν φίλτατε τῷ παντὶ σώματι τὰ νυκτερινὰ δεῖπνα. Τὸ γὰρ σεληνῆς ἄστρον πρὸς τὰς τῆς τροφῆς ἁρμόττει πέψεις σηπτικὸν ὑπάρχον, κατὰ σῆψιν δ' ἡ πέψις: Id eſt, *utiliores ſunt omni corpori nocturnæ cœnæ. Nam Lunæ aſtrùm ad cibum concoquendum valde accomodatum eſt, cùm vim habeat putrefaciendi, concoctio autem putrefactione conſtat.* Eodem pertinet locus ille Horat. Od. 27. lib. 1.

Vino & lucernis Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat, &c.

Ad hanc veſperi, ſive noctu cibum capiendi conſuetudinem alludit Paulus 1. Theſſ. 5. cùm inquit, *Eſtote ſobrii: nam qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu inebriantur: nos autem cùm ſimus filii Dei, ſobrietati ſtudeamus.*

Nox, & amor vinumque nihil (ut ille inquit) *moderabile ſuadent.*

Huc etiam pertinet illud Perſii Sat. 5.

Et tecum primas epulis decerpere noctes,

Id eſt, primas partes noctis, vel pueriles, ut alii volunt.

Exhinc ergo, quæ adhuc de Romanorum conſuetudine dicta ſunt, patet Romanos & bis ut plurimùm die cibum capere fuiſſe ſolitos, & parcè quidem atque tenuiter prandiſſe; cœnaſſe autem largè atque copioſè ab hora nona initio ducto ſæpe uſque in multam noctem. Quod autem legimus quoſdam ter, vel etiam quater die cibum ſumpſiſſe, id cùm a paucis, tum vel valetudinis, vel etiam luxuriæ cauſa factum fuiſſe legimus. *Valetudinis ergò*, ut de Antiocho Medico, & Telepho Grammatico ſuprà ex Galeno indicatum eſt. Luxuriæ autem nomine (ut omittam alia exempla) malè audivit Vitellius Imperator, qui, Suetonio teſte, epulas ſuas contra communem Romanorum conſuetudinem ſæpe trifariam, interdum quadrifariam diſpertiebat, in jentaculum, prandium, cœnam, comeſſationem, quibus omnibus vomitandi conſuetudine ſufficere poterat. Idem, ut teſtis eſt Sueton. manè ſingulos jamne jentaſſent ſciſcitabatur, ſeque feciſſe ructu quoque oſtendebat. Sergius quoque Galba cibi plurimi fuiſſe traditur, quem tempore hyberno etiam ante lucem capere conſuevit, ut teſtis eſt idem auctor.

Quoad jentacula, quorum a Latinis auctoribus fit mentio, pueros ferè ſolos ipſo uſos fuiſſe legimus, id quod hodie quoque ubique ferè gentium moris eſt, ut pueri ſummo manè ſemper aliquid cibi capiant. Idcirco in Curculione Plautus facit Phædromum adoleſcentulum Veneri jentaculum vovere. Similiter & in Truculento Phroneſium meretrix ſic ait:

Jentaculo pueri ſoli manè utebantur apud antiquos.

---- non voviſti obſecro?
Qui illic apud me erat, cujus pater pueri ille eſt, uſque ad jentaculum
Juſſit ali.

Idem ſignificat Martialis lib. 14. hoc diſticho:

Surgite jam pueri, vendit jentacula piſtor
Criſtatæque ſonant undique lucis aves.

Præter pueros & ſenes, nec non valetudinarios, qui valetudinis gratia utebantur jentaculo, ſi qui alii jentabant, illi incontinentes habebantur. Sic Antoninus Pius ſenex, antequam ſalutatores venirent, panem ſiccum comedebat ad ſuſtentandas vires, teſte Julio Capitolino. Ita quoque de merenda apud Afranium (quæ erat, ut Nonius docet, cibus poſt meridiem ſumptus) videtur eſſe judicandum. Sed præter ante nominatos, mercenarii quoque atque operarii, qui laboribus corpus fatigabant, videntur ſine infamiæ nota jentaculo atque merenda uſi fuiſſe. Diodoro Grammatico, quoniam ſi iraſceretur, aut ludi literarii negotiis, aut actione forenſi occupatus diutiùs inediam ſuſtineret, morbo comitiali corripiebatur, Galenus ſuaſit, ut ad corroborandum ſtomachum manè quotidie ἀκρατίσμασι, hoc eſt, *jentaculo*, pane ſcilicet, vino ſubacerbo macerato uteretur, quo quidem ſtomachi ſubſidio vir ille 30. annis integra valetudine vitam tranſegit. Clemens Alexand. in 2. Pædagogiæ vehementer in pueris quoque prandiola, cœnas, atque merendas (quæ omnia ἀγάπας, id eſt, charitates aliqui appellabant) damnat. An, quibus, & quomodo jentaculum manè ſumendum, vide Levinum Lemnium de Occul. naturæ miraculis lib. 2. c. 21. *Diluculo vinum bibere naturæ adverſiſſimum*, ibid. *Non conſultum diu jejunum perſiſtere.*

Senes quoque apud antiquos valetudinis gratia jentabant.

Quoad comiſſationes, ſeu cibos poſt cœnam ſumptos, qui illis utebantur, infames ferè habebantur, & comiſſatores per contumeliam appellabantur, quibus hodie inter Chriſtianos nihil eſt pervulgatius.

Apud Judæos quoque & prandia & cœnas fuiſſe in uſu ex ſacris literis conſtat, idque vel ex jejunii apud illos uſitati ratione videtur poſſe comprobari, quo nimirum a prandio, omnique cibo abſtinebant uſque ad veſperam, ſive nonam diei horam: id quod exemplis aliquot probabimus. Jud. 20. v. 26. *Jejunarunt illo die uſque ad veſperam.* 2. Reg. 1. *Jejunaverunt uſque ad veſperam propter Saulem & Jonathanem* Act. 10. *Uſque ad horam nonam ſedebam jejunus, & precabar domi meæ.* 2. Reg. 3. v. 35. *Poſt ſepulturam Abner cùm univerſus populus veniſſet ad Davidem cibum cum illo capiendi gratia, juravit David ſe ante Solis occaſum, nec panem, nec quicquam aliud guſtaturum.* Ex hoc loco manifeſtè colligi poteſt, prandia fuiſſe Judæis uſitata. Erat enim meridies, cùm prandere voluit populus Abneri peractis exequiis. Nam ſi fuiſſet veſpera, David non recuſaſſet, neque juraſſet, quippe cum comedendo ad veſperam jejunium non violaretur: nam veſpera finis erat jejunii. Saul quoque cum Palæſtinos profligaſſet, jejunium indixit uſque ad noctem. Quando vero veſperi jejunium ſolvebatur, vel una die, vel poſt plures dies, tunc veſperi lautiùs ſe tractabant: ut Juditha cap. 6. *vocatis presbyteris fecit magnam cœnam, & confecto jejunio illos refecit.* Idem 1. Reg. 12. *finito jejunio Davidem feciſſe* legimus: nam aliàs nondum ſoluto jejunio, ne veſperi quidem licebat illis nimiis ciborum lautitiis atque delitiis indulgere. Cum igitur jejunium apud Hebræos fuerit abſtinentia ab omni cibo uſque ad veſperum, ſive nonam horam, (ut ex commemoratis exemplis patet) inde colligimus extra jejunium Judæos ante veſperum quoque prandere, ac proinde bis in die cibum capere ſolitos fuiſſe. His addere libet quæ Joſephus de Eſſæis in libris de Antiquitate & bello Judaico ſcribit: illorum enim νῆψιν, hoc eſt, ſobrietatem, frugalitatem, ſeu temperantiam hanc fuiſſe dicit, quod ſcilicet a laboribus quinta hora, quæ nobis eſt undecima, convenerint ad prandium, & veſperi ad cænam, ubi panis, & vaſculum ex vino & eodem ἐδέσματι, id eſt, *edulio* (quod *pulmentum* interpres vocat) ſingulis fuerit appoſitum. Philo autem Judæus Eſſæorum quoſdam dicit practicam vitam coluiſſe (de quibus Joſephus loco ante citato) alios verò circa θεωρίαν fuiſſe occupatos, qui vulgò θεραπευταὶ vocati fuerint. Horum vitam peculiari libro deſcripſit, in quo inter alia hanc illorum ἐγκράτειαν, id eſt, temperantiam, ſeu abſtinentiam fuiſſe ſcribit, ut cibum, aut potum nemo illorum ante Solis occaſum ceperit. Idem teſtatur Hieronymus, qui eos non niſi ſub ſtellæ ortum cœnare conſueviſſe tradit.

Apud Judæos prandia & cœnas in uſu fuiſſe, ex illorum jejunandi conſuetudine comprobatur.

Judæi finito jejunio veſperi lautius ſe tractabant.

Eſſæorum frugalitas in cibo & potu.

Judæorum jejunandi conſuetudo in prima quoque Eccleſia uſurpata.

Illam porrò antiquam Judæorum jejunandi conſuetudinem, qua ab omni cibo ad veſperum uſque, precibus reique divinæ tantò meliùs vacandi gratia, abſtinebatur, in Primitiva quoque Eccleſia nonnunquam uſurpatam fuiſſe conſtat, ex qua ipſa quoque patet, extra jejunandi tempus, prandia Primitivæ Eccleſiæ Chriſtianis fuiſſe uſitata. Quæ quoniam in jejuniis intermitti conſueverant, hinc fit, ut *prandere*, & *jejunare* ſæpe apud Patres inter ſe opponantur. Sic Auguſt. Epiſt. 86. in qua agit de illa quæſtione, An prandendum die Dominico vel jejunandum ſit: *prandere*, *jejunare*, item *prandentes*, & *jejunantes* aliquoties inter ſe opponit, jejunantes enim prandio abſtinebant, & ad veſperam primum cibum capiebant in cœna: quando verò non jejunabant, tum prandebant. Epiphanius in compendiaria doctrina dicit, jejunium ſervari uſque ad nonam horam, hoc eſt, ad veſperam uſque. Auguſt. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 33. *Jejunia*, inquit, *prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt uſquequaque uſitatiſſimum, ſed continuum triduum, vel ampliùs ſæpiſſimè ſine cibo, ac potu ducere.* Idem, in Sermone in die

Prandere, & jejunare apud Patres ſæpe opponuntur, & cur.

Epiphanius. Auguſtinus.

Calen-

Calendarum Ianuarii: *Gentes inebriantur, vos jejunate, aut si jejunare non potestis, saltem cum sobrietate prandete.* Basil. Homil. I. de jejunio: *Verum enim jejunium est, ab omnibus vitiis esse alienum, expectas vesperam, ut cibum capias, sed diem totum absumis apud tribunalia.* Idem innuit Chrysostomus, Homil. 36. in Matthæum ad finem, his verbis: *Veniat tibi, oro, in mentem, quoties jejunii tempore mensa vesperi apposita, si minister vocatus tardiusculè accesserit,* &c. Tertullianus quoque contra Psychicos ait, *Ecclesiam jejunia producere usque ad vesperam.* Augustinus de moribus Ecclesiæ contra Manichæos: *Usitata,* inquit, *jejunia Ecclesiæ continuantur usque ad noctem. Sola enim die celebrabantur sacri cœtus, preces publicæ habebantur, sub vesperam dimittebantur, & cibum sumebant.* Thomas quoque in 22. ait, sua ætate jejunia fuisse producta usque ad horam nonam, & adducit Chalcedonensis concilii decretum, quo statuitur ut ne, qui ante horam nonam comederit, putetur jejunare. Huc quoque facit Cabilonensis concilii decretum hujusmodi: *Nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quàm vespertinum celebretur officium.* Vetus enim erat constitutio, in reliquis jejuniis ante horam nonam non esse solvendum jejunium: in Quadragesima verò, ante horam vespertinam non esse sumendum cibum. Hùc pertinet, quod D. Ambrosius de jejunio scribit Serm. 33. *Hoc est,* inquit, *salutare jejunium, ut sicut abstinet corpus ab epulis; ita refrænetur anima a vitiis. Illud etiam ad perfectionem jejunii tacendum non est, ut qui abstinemus & minimè prandemus, hoc tempore prandia nostra pauperibus prærogemus.*

Basilius. Chrysostomus. Tertullianus. Thomas. Cabilonensis concilii decretum. Ambrosius.

Hanc Veterum cùm Iudæorum, tum Christianorum primitivæ Ecclesiæ jejunandi consuetudinem (de qua & Ioh. Drusium, qui vult, legere potest in Quæsitis per epistolam) dum nostrorum temporum Christiani imitari volunt, vespertino officio ante meridiem decantato prandent, hoc est, ante meridiem cœnant, & tamen volunt videri per totum diem usque ad vesperam jejunasse, sed fictione juris, sicut summa Angelica dicit. Deinde post tale prandium, sub vesperam non cœnam sumunt, sed collationem, ut vulgò loquuntur, faciunt, ita ut mensa non solenniter sternatur, sed tantùm mantili circumposito confectiones, electuaria, placentæ, ficus, nuces, dactyli, poma, pyra, & aliæ hujusmodi cupediæ apponantur. Hæc jejunandi ratio, quàm propè ad antiquam illam accedat, cuivis liberè dijudicandum relinquo. Ergo, ut ad propositum redeam, Iudæos, ut & Christianos primitivæ Ecclesiæ, prandiis quoque usos fuisse inde constat, quòd vetus illorum jejunandi consuetudo in abstinentia a prandio consistebat. His adde locum illum Luc. 14. *Cum,* inquit Christus, *paraveris* ἄριστον ἢ δεῖπνον, ubi per ἄριστον *prandium,* per δεῖπνον *Cœna* omnino videtur esse intelligenda.

Christianorum nostri temporis jejunandi consuetudo.

Prandii verò tempus fuisse meridianum, vel ex illo loco Gen. 43. v. 16. satis videtur posse colligi, ubi Iosephus *Bazaharaim*, id est, *in meridie* dicit fratres suos secum cibum capturos, ac proinde in illud tempus apparari jubet. In illius loci interpretatione, memini aliquot ante annis Mercerum præceptorem meum observandum piæ memoriæ dixisse, *Videtur meridie prandium sumi solitum in illis regionibus.* Et tamen meridianæ compotationes videntur repudiari illa celebri sententia Rabbi Dosæ Ben Harkinon: *Somnus matutinus, & compotatio meridiana, & confabulatio de rebus puerilibus, atque commoratio in conciliabulis, ubi homines plebei confluunt, educunt hominem de mundo.* Chaldæus paraphrastes vocem illam *Bazaharaim* vertit בשירותא *Beschirutha*, in quo loco notat R. Selomoh Iarchi, nomine *Schirutha* designari סעודה ראשונה *Seudah rischonah*, primum pastum, sæpiusque in hac significatione in Thalmud occurrere affirmat, quamvis aliâs צהרים *Zaharaim*, id est, *meridies*, vertatur Chaldaicè טיהרא *Thihara.* Notat etiam Elias in suo Meturgemam Paraphrastas Hagiographorum vertere Hebræum משתה *Misthe*, id est, *convivium*, שירותא *Schiruta.* Ergo vox *Schiruta* cùm pro quovis convivio generatim, tum speciatim pro primo pastu, qui circa meridiem sumebatur, accipitur. In eum porrò Geneseos locum annotat Rabbi Bachai tempus, quo principes & judices edere solent, debere esse meridiem, quod scilicet totum tempus matutinum in Reipub. negotiis expediendis collocare debeant. Scripturam enim sacram eos vituperare, qui manè edunt, juxta illud Ecclesiastis cap. 10. v. 16. *Væ tibi terra, cujus Rex puer est, & Principes tui manè edunt*: ibique eos laudat, qui in meridie edunt, *Beata terra, cujus rex, & principes tui in tempore edunt.* Iosephus in vita sua, quam ipse conscripsit, testatur. Iudæos hora sexta die Sabbathi prandere solitos: verba ejus hæc sunt, καθ' ἕω, inquit, (scilicet horam sextam) τοῖς σάββασι ἀριστοποιεῖσθαι νόμιμόν ἐστιν ἡμῖν.

Judæi quo tempore diei prandere soliti. Bazaharaim. Schiruta vox dupliciter accipitur.

Verisimile autem est, ut apud Romanos, sicuti supra dictum est, ita apud Iudæos quoque prandia fuisse parca atque tenuia, ita ut non justarum epularum instar essent, quibus communiter accumberetur, cœnâ autem & accumbebant, & largiùs atque copiosiùs cibum potumque sumebant. Hunc morem Christus sequutus ὀψίας γενομένης, ut testatur Euangelista, hoc est, vespere potiùs, quàm manè mysticum & sacrosanctum illud suum epulum cum discipulis suis celebravit atque instituit. Cujus altera quoque ratio reddi potest, quòd nimirum voluit novum, quod instituerat, Sacramentum veteri ejus ἀντιτύπῳ comparare. Pascha enim inter duas vesperas celebrabatur. Rectè tamen consuetudo postea obtinuit, ut in matutino potiùs tempore, & a jejunis, quàm pransis cœna Dominica celebretur, quo majore id cum reverentia animorumque attentione fieret.

Christus cur vesperi potius, quàm manè mysticum illud suum epulum cum discipulis celebraverit. Cœna Dominica cur hoc tempore manè celebretur.

Cœna autem, ut suprà demonstratum est, apud Iudæos, ut etiam apud Romanos, & Græcos, vesperi sub noctem circa nonam ferè horam pomeridianam (quæ nobis est tertia, sive quarta) agebatur.

Quòad jentacula, illa apud Judæos non fuisse usitata, vel ex illo videtur posse colligi, quòd 2. Act. Petrus se, & reliquos Apostolos non ebrios esse probat circumstantia horæ tertiæ ante meridiem, quæ in nostris regionibus ferè est octava ante meridiem, quæ illius excusatio nullius fuisset momenti, si jentacula apud illos fuissent in usu. Quòd autem Esaias c. 5. sui seculi hominibus exprobrat matutinas compotationes ad noctem usque ab illis productas, id ab illis non modò contra legem Dei, sed etiam contra morem & consuetudinem

Jentacula apud Judæos non fuerunt usitata.

dinem fieri docet, ibique optimates potiſſimùm videtur perſtringere. Sic Solomon quoque Eccleſiaſtis 10. maledictam dicit eſſe illam terram, *cujus principes manicant* (ut Hebræi loquuntur, quo verbo etiam Gellius utitur) hoc eſt manè ſurgunt ad comedendum. Obiiciat enim non nemo, diſcipulos Chriſti, ut Ioh. 21. ſcriptum eſt, πρωΐας γενομένης ἀριστῆσαι, *manè jentaſſe* poſt ingentem, admirabilemque illam piſcium capturam, quam Chriſti beneficio fuerunt conſequuti: unde videtur poſſe colligi jejunia apud Hebræos fuiſſe in uſu. Reſpondeo, ex ſingulari non poſſe colligi univerſale. Nam diſcipulos totius noctis laboribus, ut ibidem legitur, confectos, ac proinde viribus exhauſtos, fameque affectos Chriſtus cibo reficere voluit, ita ut inde non poſſit probari, jejunia omnibus fuiſſe communia. Deinde fieri potuit, ut non manè, ſed aliquot horis poſt illam piſcationem atque capturam circa conſuetam prandii horam cibum ſumpſerint.

Quod autem de jentaculo dixi, idem etiam de merenda dici debet: nihil enim poſt prandium cibi ante cœnam illos cepiſſe, eſt veriſimile. Excipiendi tamen hic videntur eſſe, ut ſuprà quoque, pueri, ſenes, operarii, valetudinarii, quos præter prandium atque cœnam, ientaculo quoque nonnunquam, atque merenda uſos fuiſſe non omnino eſt negandum. Adhuc ergo demonſtratum eſt, veteres Græcos, Romanos, atque Iudæos bis in die ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον cibo potuque ſe refeciſſe, in prandio quidem tenuiter, in cœna verò ſub veſperum liberaliùs.

Merenda quoque non fuit uſitata Iudæis.

Arabas (ut de aliarum quoque gentium moribus dicam) bis tantùm in tribus diebus comedere Chriſtophorus Vega teſtatur. Calecutienſes octies & decies cibum capere, teſtis eſt Ludovicus Barthema. Hiſpani ferè omnes adultæ ætatis, ut Chriſtoph. Vega tradit, bis in die comedunt, juxta meridiem, & rurſus 7. aut 8. horis tranſactis. Hic mos hodie quoque apud omnes ferè populos obtinet, apud quos duo in die juſtæ ſunt & ordinariæ epulæ, prandium & cœna. Excipio ſenes, pueros, mercenarios ſive operarios, ægrotantes, atque luxurioſos ſive intemperantes (quorum hodie, proh dolor, maxima eſt turba) qui vel neceſſitate id poſtulante, vel intemperantia illos impellente non modò ter, quater, quinquies, aut etiam ſæpiùs, die comedunt: verùm etiam diem noctemque comedendo atque potando continuant, ut de Germanis antiquis Tacitus memoriæ prodidit, de pleriſque noſtri temporis idem veriſſimè affirmari poteſt.

Semel quoque die gentes quaſdam olim cibos cepiſſe, quos μονοσίτους & μονοσιτοῦντας Græci appellant, in hiſtoriis legimus. Perſas olim ſemel tantùm, circa meridiem nimirum, veſci ſolitos fuiſſe teſtis eſt Alexand. ad Alexand. Idem Æthiopas quoque olim unico in die cibo contentos, corpus ſingulis diebus aluiſſe, non ſaginaſſe ſcribit. Iberos quoque ſed avaritiæ cauſa ſemel die cibum ſumpſiſſe Athenæus, atque Cæl. lib. 27. cap. 24. teſtantur.

CAPUT XII.

GENTES QUAEDAM CERTAS HABUERUNT CIBI CAPIENDI HORAS, ALIAE NON ITEM.

Obſervare præterea operæ pretium eſt, gentes quaſdam, ut de Iudæis, Græcis atque Romanis dictum eſt, certas quaſdam & definitas prandendi, cœnandi, cibi denique capiendi horas habuiſſe, ita ut hora tertia matutina jentaculo: ſexta aut ſeptima prandio: nona aut decima cœnis eſſet dicata: alias verò non item, ſed quoties ſuadebat venter, cibum ſumpſiſſe. Ammianus Marcellinus lib. 23 de Caſpiis gentibus verba faciens, ait: *Venter unicuique ſolarium eſt, eoque monente, quod inciderit, editur.* Hoc Adrianus Iunius in ſuis Adagiis vult *proverbii inſtar aptiſſimè poſſe accommodari gulonibus, qui nulla habita horæ prandendi, aut cœnandi ratione, quotieſcunque libido edendi ſuadet, ventrem ſaburrant ſagina cibi, nati tantum fruges, ut ille ait, conſumere: his namque ventrem ſolarium eſſe appoſitè, & cum gratia dicimus.* Hæc ille. Apud Plautum in comœdia, cui nomen Boëtia, (quæ hodie non extat) paraſitus eſuriens, his verbis in ſolarii inventorem invehitur:

Caſpiæ gentes.

Ut illum Dii perdant, primus qui horas reperit,
Quique adeò primus ſtatuit hìc ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam, me puero, vetus erat ſolarium
Multò omnium iſtorum optimum, & veriſſimum,
Ubi iſte monebat eſſe, niſi cùm nihil erat,
Nunc etiam quod eſt, non eſt, niſi ſoli lubet.
Itaque adeò jam oppletum eſt oppidum ſolariis,
Major pars populi aridi reptant fame.

Hos verſus, quos Plautiniſſimos vocat, citat Gell. lib. 3. cap. 3.

Eſt autem ſolarium, ut illud obiter dicam, horologii genus, quod ad Solem horarum diſcrimina indicat, gnomone umbram ejaculante: cujus inventio apud Romanos Luc. Papyrio Curſori adſcribitur: a Græcis, Anaxi-

Anaximeni Milesio, a quo etiam ἀπὸ τῆς σκιᾶς Sciotericon fuit appellatum. Verùm ut ad propositum redeam, Indos quoque horam prandii, aut cœnæ non novisse, sed quando cuique libitum erat, comedere consuevisse, testatur Alex. ab Alexand. Canarienses similiter non certis, & statutis horis, sed sive interdiu, sive noctu, quotiescunque edendi libido illos impellit, cibum capere, testis est Americus Vesputius. Diogenes Cynicus, teste Laërtio, dicere est solitus *congruam cibi capiendi horam esse habenti quando esurit: non habenti, quum habere potest.* Hodie apud omnes ferè populos plerunque certæ, & definitæ cibi sumendi horæ observantur: quæ horæ apud certas gentes, etiam organorum quorundam ut tubarum, tympanorum atque campanarum sono proclamari solent. Sic in Principum præsertim Aulis quando tempus est prandii vel cœnæ, Aulici tubarum sono advocantur, quod vulgo vocant, zu hof blasen. Sic tintinnabulis Monachi in triclinia sua & refectoria, uti vocant, ad cibum capiendum, sic apud nos & aliis in locis pauperes & mendici campanarum pulsu ad sportulas illas publicas convocantur: unde campanæ ab hoc usu vulgò, die muß glocken / *campanæ pulmentariæ*, vocantur. Adhuc explicatum est, ut paucis, quæ dicta sunt, repetam, quomodo epulæ secundùm diei partes, atque etiam noctem, in 4. sive 5. species partésve dividi possint: quæ sunt, jentaculum, prandium, merenda, cœna, comissatio: & quomodo illa a Græcis, atque Latinis, & aliis etiam populis appellentur. Deinde, quoties & quando potissimùm veteres die cibum capere sint soliti. Adhæc, quînam certas cœnandi, prandendi, cibi denique capiendi horas observarint, & qui non: quæ sint hodie nonnullorum populorum consuetudines.

Indi.

Canarienses.

Hodierna populorum consuetudo.

Observabis etiam hîc ἀναγκοτροφεῖν & ἀναγκοφαγεῖν Græcis significare certum quendam stato tempore & modo cibum necessariò sumere: quod athletæ non modò ad amussim observare, sed eum etiam ambulando perficere consueverunt, quò non tam animi, quàm corporis vires confortarent: abstinerent autem ab omnibus, quæ corpus gravare, & vires debilitare, vel earum usum aliqua ex parte impedire solent. Atque hinc est, quod D. Paulus argumentatur 1. Cor. 9. *Si Athletæ & cursores, ut cum vulgi applausu coronam brevi perituram assequantur, a cibis delicatioribus & a crapulæ gulæve studio in universum abstinent: quantò magis hoc facere debent homines Christiani, quibus immarcessibilem justitiæ coronam Deus jam inde ab æterno præparavit?* Porrò rationem dandi cibi ægrotis, & observandi horas maximè instituit Crinas Massiliensis ad syderum motus. Olim nonnullos nimis superstitiosè nullum prorsus cibum capiendum putasse, nisi præfinita priùs hora ab astrologo ex illo Juvenal. versu videtur colligi posse Satyr. 6. *Ægra licet jaceat, capiendo nulla videtur Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris*, id est, astrologus. De Petosiri vide Plin. lib. 7.

CAPUT XIII.

QUAESTIO, QUOTIES IN DIE CIBUS SUMENDUS.

Occurrunt porrò ex his, quæ dicta sunt, quæstiones quædam & utiles & jucundæ, quas propterea silentio præterire non possum, licet illarum explicatio ad Medicos propriè pertineat.

Vitia varia in iis, qui semel tantum in die comedebant.

Prima est, quoties die cibus sit sumendus: in quo medici quidem valetudinis, Christiani verò omnes pietatis quoque, religionisque rationem ducere debent. Aristot. in Physicis quæst. quemadmodum refert Apollonius in Mirab. historiis, scribit τοὺς μονοσιτοῦντας πικροτέρους τὰ ἤθη ἔχειν μᾶλλον, ἢ τοὺς δὶς τροφαῖς χρωμένους, hoc est, *Eos qui die semel tantùm cibis vescuntur, amarulentioribus esse moribus, quàm eos qui bis*, quoniam aucta in ipsis utraque bilis animum magnopere perturbat, eosque iracundos & melancholicos facit. Plinius quoque lib. 28. cap. 5. ex sententia Hippocratis tradit, non prandentium exta celeriùs senescere. Undè ante illum Celsus dixerat, *assuetis bis in die comedere, si semel solùm cibis impleantur, alvum astringi.* Hippocrates, ex quo Plinius & Celsus sua illa dicta videntur deprompsisse, lib. 2. de Diæta: μονοσιτίη ἰσχναίνει, καὶ ξηραίνει, καὶ τὴν κοιλίην ἵστησι, διότι τῷ τῆς ψυχῆς θερμῷ τὸ ὑγρὸν ἐκ τῆς σαρκὸς καταναλίσκεται, ἄριστον δὲ τἀναντία διαπρήσσεται τῇ μονοσιτίῃ, id est, *Semel in die cibum capere extenuat, & exiccat, & alvum supprimit. Prandiumque contraria facit.* Ἄριστον, quo nomine prandium intelligitur, opponit μονοσιτίῃ, hoc est, *consuetudini semel edendi*, ut suprà diximus jejunium prandio opponi. Ex his autem colligimus, τὸ μονοσιτέειν, hoc est, *semel in die cibum capere* non omnibus esse tutum: quemadmodum noxium & inutile videtur esse omnibus, si cibis quotidie bis repleantur, quod Plato in Syracusanis reprehendit. Cel. lib. 1. c. 1. *Bis die potiùs, quàm semel cibum capere prodest, & semper quàm plurimùm, dummodo hunc concoquat.* Verùm, ut bene sapienterque monent Medici, pro ætatis, temperaturæ, corporis habitus, temporis, consuetudinis ratione, aut semel, aut bis, aut minus, aut amplius cibi est sumendum.

Ætas.

Quoad ætatem, pueri sæpius comedere debent, quoniam eorum ventres non possunt multum semel superare, quo tamen illis ad nutritionem, & augmentum maximè est opus. His itaque omnium ferè populorum & antiqua, & hodierna consuetudine, jentacula, atque merendæ maximè congruunt. Similiter extremæ ætatis senes, quoniam vires habent languidas, copioso cibo superando & concoquendo nequaquam pares, partitione ipsius indigent. Hinc colligo, valde rigidum a Ioële Dei nomine indictum fuisse jejunium, ad quod servandum ipsos quoque cum senes, tum pueros & quidem sugentes vocat capite 2. Porrò ætatis mediæ homines medio modo se habent. Senes tamen medii, propriè sic appellati, maximè omnium famem, & inediam

ferunt, teste Hippoc. *Inediam*, inquit Celf. l. 1. *facillimè sustinent mediæ ætatis, minus juvenes, minimè pueri, & senectute confecti. Quò minus fert quisque, eò sæpius debet cibum assumere, maximeque eo eget, qui increscit.*

Quoad deinde temperaturas: qui sunt calidæ, facile famis tolerantia delinquunt animo, & exolvuntur: sæpè igitur alendi, maximè in quibus bilis in ventrem cursus timetur. Frigidæ verò temperaturæ diutius tamem tolerant, tùm quòd calor minus celeriter humidum dissolvit, tum quòd pituitosi, & crassi humores se offerunt mutandi per famem. *Quapropter pituitosis famem adhibere convenit, quoniam exiccat*, inquit Hippoc. Aphor. 59. Sectione septima.

Quantum verò ad corporis habitum attinet, graciles, & qui latos habent poros, frequentiùs sunt alendi: pingues autem, & angustis poris præditi, rariùs. Quàm μονοσιτία gracili corpori sit noxia, suprà quoque dictum est.

Habitus corporis.

Præterea anni quoque tempora sunt consideranda. Hippoc. Secunda Aphoris. sectione, *Æstate & Autumno*, testatur, *homines gravissimè cibos ferre: Hyeme verò, facilè: Ver secundùm locum obtinet*, quod lib. de Victus rat. privatorum auctor observavit. Hyeme itaque cibus abunde offerendus, sed raro, ita ut semel multum adhibeatur, eritque cibus siccior & calidior, & veluti caro assa: potus verò vinum, idque meracius. Vere autem impertiendus est cibus magis, & vinum dilutum bibendum, & majori quantitate, quàm hyeme. Æstate frequentiùs, quàm aliis anni temporibus, cibus est adhibendus: & potus dilutior sit, & majore quantitate, carnes verò elixæ erunt. Autumno paulò majorem quàm æstate cibi quantitatem adhibere licet: & vinum adhuc meracius, & quantitate minus. Idem tradit Celf. lib. 1. cap. 3. & Hippoc. lib. 3. de Victus ratione.

Anni tempora quibus quæque magis conveniant, ut Hyeme. Vere. Æstate. Autumno.

In omnibus tamen ætatibus, temperaturis, temporibus, & reliquis, consuetudo (quam rectè ille *alteram naturam* esse dixit) est servanda, cujus major est vis, quàm verbis explicari possit: adeò ut qui luxuriosè, & intemperanter vivere consueverunt, si id protinus facere desinant, continuò nonnunquam se ægriùs habeant, ut Aristot. testatur Sect. 28. probl. 1. & Plin. lib. 28. docens prandentium exta celeriùs senescere, id est prandentium luxuriose & intemperanter. Hinc Dionysius tyrannus, quòd in urbis suæ obsidione aliquantò diutius consuetum potum intermiserit, tabe è vestigio correptus traditur. Celf. itaque lib. 1. cap. 3. *Periclitatur*, inquit, *& qui semel, & qui bis die cibum incontinenter, contra consuetudinem assumit.* Item neque ex nimio labore, subitum ocium: neque ex nimio ocio, subitus labor, sine gravi noxa est. Ergo cùm quis mutare aliquid volet paulatim debebit assuescere. Hippoc. lib. 2. de ratione vict. acutor. *Qui bis comedere assuevit, si prandium intermiserit, inflammabitur, & bilis in ejus ventre augebitur, & excrementa omnia mordentia fient, & urina flavescet.* Notum enim est, quàm ægre ferant sani homines, qui jentaculum accipere solent, jejunium, aut ejus ablationem. Præterea, auctore Hippoc. lib. 2. de rat. vict. acutor: qui prandere assueverunt, si pransi non fuerint, deinde cœnaverint, ventris pravitatem patientur, & malè cubabunt. Qui verò cœnare assueverunt, ubi non cœnaverint, sequenti nocte non dormient, & manè sequentis diei languidi a lecto resurgent, & invalidi, & suspensis visceribus. Huc quoque facit illud Celsi lib. 1. cap. 3. *Alvum astringit labor, sedile, creta figuralis corpori illita, cibus imminutus, & is ipse semel die assumptus ab eo, qui bis solet.* Idem lib. 1. cap. 1. *Bis die potius, quàm semel cibum capere: & semper quàm plurimum, dummodo hunc concoquat.* Hæc de prima quæstione Christophorus a Vega lib. 2. de arte medendi ex Hippoc. Gal. atque Celso disserit. His idem addit id, quod ad antiquam pariter, atque hodiernam consuetudinem ubique ferè obtinentem, pertinet. Sed qui aut laboribus corpora fatigant, aut pueri, aut senes, aut ex fœminis quàm plures, jentaculum accipiunt summo manè: & quidam ex eis quinta a meridie hora parvam refectionem ex fructibus, aut oleribus. Sunt etiam nonnulli, qui hyemis tempore ventriculi calefaciendi gratia, aut ne a frigore, & aëre ambiente occupentur, summo mane parum panis tosti ex vino meraco accipiunt: (hoc est ἀκράτισμα propriè dictum, ut veteribus Græcis, ita hodie quoque Gallis, & aliis populis usitatum:) quidam ovi vitellum: quidam conditum aliquod. Sed hæc præservationis potius sunt, & hominibus, aut non admodum valentibus, aut ægrotaturis debentur. Sanis verò simpliciter, quibus etiam sanitatis custodia propriè debetur, interim, dum valent, consuetudo est servanda in numero refectionum. Ab initio verò probe instituendi sunt, natura tamen ciborum, & quantitas pro ætate, & omni tempore varianda. Licebit quoque sensim, pro ætatum mutatione, refectionum numerum mutare, & pro mutatione temporum, sed id minus.

Consuetudo.

CAPUT XIV.

QUAESTIO, PRANDENDUMNE AN COENANDUM LARGIUS.

Cum verò prandere, atque cœnare assueverint omnes ferè homines in sanitatis conservatione, secunda hìc movetur quæstio inter juniores Medicos multum agitata, An cœna prandio major & plenior esse debeat. Quidam igitur, inter quos & Avicenna, Conciliator, Mesve, Actuarius, Massa, prandium volunt majus esse debere cœna, his adducti rationibus, quæ sequuntur. Primò, quoniam interdiu calor nativus a calore Solis juvatur ad ciborum concoctionem. Deinde, exercitandi cibo egent, ut ad labores valeant, sed interdiu vigilantes exercentur: tunc igitur cibo egent copiosiore. Præterea, exercitatione alimenta facilè digeruntur: ergo interdiu copiosior competit cibus. Adhæc plus cibi sumendum in æstate, quàm in hyeme: quia in

Conciliatoris rationes, quibus probatur prandium cœna majus esse debere.

æstate

Avicennæ authoritate Conciliator utitur, Telephi Grammatici exemplum adducit Conciliator.

æstate major fit resolutio: ergo etiam in prandio, quod æstati respondet. Item, cùm natura tempore somni intenta sit concoctioni noxiorum humorum, atque distributioni, cibo non est impedienda. Has rationes Conciliator affert. Idem etiam, ad eandem hanc suam sententiam confirmandam, Avicennæ auctoritate utitur, quo teste athletæ prisci temporis, qui exercebantur, in prandio sola carne, in cœna solo pane fuerunt contenti. Unde vult effici, prandium debere esse cœna copiosius. Cardanus dicit falsò hæc citari, nam aliter Galenum de athletarem diæta tradidisse. Idem Conciliator, Telephi Grammatici quoque exemplum adducit, qui diutius vixit Antiocho, nam centesimum annum attigit, teste Galeno lib. 5. de tuenda sanitate. Atqui is, hora diei ferè tertia, mel crudum cum aqua cocta permixtum edebat: septima, prandebat, oleribus primò sumptis, inde piscibus saxatilibus, aut avibus: vespere autem pane cum vino permixto erat contentus. His addi potest illud pervulgatum scholæ Salernitanæ:

Ex magna cœna stomacho fit maxima pœna.
Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

Rationes, aliorum quibus utuntur ad probandum cœnam prandio majorem esse debere.

Aristot. in problem. prandendum esse largè, cœnandum esse parcè vult iis potissimùm, qui rei Venereæ operam sunt datui, ut cruda insint, quàm concocta, pauciora. Secundum hoc Aristot. præceptum Domitianus, teste Suetonio, lavabat de die, prandebat ad satietatem, ut non temerè super cœnam præter Martianum malum, & modicam in ampulla potiunculam sumeret. Contrà alii, ut Fuchsius, Aloysius Triffinus, Cœlius Rhodiginus, Cardanus, Langius, Christoph. a Vega affirmant, potius cœnam, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, prandio copiosiorem, uberioremque esse debere, nixi cùm auctoritatibus Galeni, Cor. Celsi, Hippocratis; tum rationibus, meo judicio, validioribus quàm illi, qui contrariam sententiam tuentur. Galenus lib. 7. Methodi artis curativæ, vult cibum leviorem in prandio sumendum, quàm in cœna, cujus suæ sententiæ has rationes affert. Prima ducta est a temporis intervallo majore inter cœnam, & prandium, quàm sit inter prandium & cœnam, quo quum plus cibi concoqui possit, plus etiam in cœna est sumendum. Secunda ducta est a somno, qui cœnæ succedens, concoctionem adjuvat, teste Hippoc. 1. Aphorif. 15. & alibi, lib. 6. Epidem. part. 5. & 4. Nam sanguis in somno magis ad interiora refugit. Idem testatur Galen. lib. 1. de Symptomatum causis, cap. 8. & Paulus lib. 1. cap. 97. Vigilia contra cruditates affert, teste Hippoc. 2. de victu in acutis. Tertia ratio sumpta est a quiete, quæ & ipsa ad concoctionem facit, cùm qualiscunque motus, assumpto cibo, sit noxius. Ad hanc rationem objiciat quis, Rustici tamen, quorum teste Hippoc. 1. aphor. 3. bona est temperatura, & habitus laudabilis, a cibo statim exercentur. Respondetur ex Galeno 1. de Aliment. qui dicit, illos licet diu vivant, tamen ob validas has exercitationes a cibo, in validos morbos incurrere: quibus addi potest, consuetudinem esse alteram naturam. Quarta ab experientia athletarum, qui in cœna carnes cum pane, in prandio solum panem sumebant cùm caseo sine fermento confectum, quod *Coliphium* vocatum est. Præter has rationes, aliæ quoque ab iis, qui in eadem sunt sententia, afferuntur. Hujusmodi est illa a frigore nocturno sumpta. Nam frigus nocturnum, quum externum calorem intrò pellat, ac proinde fortiorem reddat, concoctioni magno est adjumento. Huc facit quod Hippoc. affirmat, *ventres hyeme, & vere natura esse calidißimos, ac somnos longißimos*: unde efficitur copiosiora alimenta illis temporibus esse exhibenda. Atqui ut aurora veri; meridies æstati; crepusculum autumno: ita nox, quæ somno est dicata, hyemi respondet, ac proinde plenius, & copiosius alimentum requirit. A Luna quoque concoctionem adjuvante, apud Athenæum lib. 7. quidam argumento ducto, probat nocturna convivia maximè utilia esse: cujus hæc sunt verba: ὠφελιμώτερα ἐστὶ φίλταιε τῷ παντὶ σώματι τὰ νυκτερινὰ δεῖπνα. τὸ γὰρ σελήνης ἄστρον πρὸς τὰς τῆς τροφῆς ἁρμόττει πέψεις, σηπτικὸν ὑπάρχον. κατὰ σῆψιν γὰρ ἡ πέψις. εὐσηπτότερα γοῦν τὰ νύκτωρ θυόμενα τῶν ἱερείων, καὶ τῶν ξύλων τὰ πρὸς τὸ σελήνιον κοπτόμενα, καὶ τῶν καρπῶν οἱ πλεῖστοι πρὸς σελήνιον πεπαίνονται, hoc est, *Conducibiliores sunt, ô amice, omni corpori nocturnæ epulæ: nam lunæ astrum ad cibariorum concoctiones multùm confert, putrefaciendi enim vim habet: concoctio autem quædam est putrefactio. Victimæ sanè noctu in sacrificiis mactatæ, sunt putrefactu faciliores: nam & ligna ad lunæ splendorem cæsa, citius putrescunt, & fructus quidam maturescunt.* Ad idem porrò probandum, utuntur exemplo diætæ Veterum, quorum major pars non tantùm manè vel nihil, vel exiguum quid sumebat, sed & parcè prandere, largiter copioseque cœnare imò vespere solùm saturari consueverunt. Antiquorum jentaculum, atque prandium solo pane, & modico mero constabat, uti suprà dictum est. Athletæ, palæstritæ, pancratiastæ, pugiles, a Græcis βαρεῖς dicti, in prandio solum panem *coliphium* edebant, ut supra quoque dictum est: in cœna liberiùs genio indulgebant, & præcipuè carne suilla, maximam nutriendi vim habente, vescebantur, de quibus vide Hieron. Mercurialem eodem libro de arte gymnastica. Julius Capitolinus refert, Antoninum Pium Cæsarem, senem jam, & silicernium, manè, antequam salutatores venirent, solo pane sicco robur virium sustentasse. Aristoxenus perhibet, Pythagoricos non aliud, quàm panem cum melle Attico prandere solitos. Erat autem id placentæ genus, quod ex butyro, semidale & melle conficiebatur, gratum palato obsonium. Galenus lib. 5. de tuenda sanitate, ad eandem sententiam comprobandam utitur Antiochi Medici experientia, qui validus atque robustus 80. annos excesserat, ter in die cibum capiens: hora diei tertia, ad summum quarta, panem sumebat cum melle Attico crudo, vel cocto: inde post horam sextam diei fricabatur, exercebatur, lavabatur: post prandebat tenuiter, cœnabat uberiùs. Ac omnino Veterum exemplo rectè nonnulli utuntur ad idem probandum, qui non valetudinis modò, verùm etiam honestatis civilis ergò, matutinum tempus, ingeniorum exercitiis, & sapientiæ studiis perquàm aptum, & accommodatum, totum partim in actionibus publicis, atque privatis, partim in meditationibus bonis, & honestis collocarunt, & vel ab omni cibo atque potu abstinuerunt, vel parcè admodum, atque tenuiter illo usi sunt. Deus quoque Opt.

Max.

Somnus cœnæ succedens concoctionem adjuvat. Vigilia cruditates affert.

Panis cum melle Attico quid.

Max. ut Exod. 16. scriptum legimus, Judæos in deserto, vesperi quidem conturnicibus, manè autem pane illo cœlitus demisso, *Man* dicto, pavit. Sic enim scriptum est: *Vesperi, inquit Deus, comedetis carnes, & manè saturabimini panibus.* Ergo Deus quoque hujusmodi diætam populo suo instituit, ut vesperi quidem carnibus ceu solidiore cibo: manè autem panibus vescerentur: & ita cœna largior esset prandio, sive jentaculo. His atque aliis hujusmodi rationibus, nonnulli utuntur ad probandum, cœnam prandio majorem uberioremque esse debere, quæ certè verisimilior videtur esse sententia. Verùm bene, sapienterque monet Christoph. a Vega, qui eandem sententiam sequitur, diversam esse quæstionem, si quis modum excedat: expedire enim id prandii hora facere, quippe quum postea exercitatione, & abstinendo a cœna, excessum illum seu abundantiam emendare possit, minusque gravetur, quàm si in cœna nimio sese potu ciboque onerasset. At verò si justa adhibeatur cibi, potusque quantitas, tunc dubitari posse, an cœna debeat esse major: qua in re, ut in aliis omnibus, cum Hippoc. monet, *consuetudini esse serviendum, quæ quidem optima fuerit, si cœna prandio sit major, licet hac tempestate homines, qui nullam vivendi rationem servant, & soli appetitui serviunt, plenius prandeant, quàm cœnent.* Hæc ille. Non contemnenda etiam videtur esse Hieronymi Gabucini sententia de hac Medicorum controversia, cujus ille hanc rationem reddit libro 3. de morbo comitiali, quæ ad antiquitatis consuetudinem meliùs intelligendam facit: *Prisci illi, inquit, diem, quicunque ille fuisset, sive æstivus, sive hybernus, in 12. horas dividebant, ad cujus tertiam prandebant, cœnabant ad nonam: quumque superessent horæ diei tres post cœnam ante Solis occasum (quatuor enim ventriculo ad concoctionem cibi ingesti ascribuntur horæ) ideo lautiùs, copiosiusque cœnabant, haud veriti vapores, qui a copiosiore cœna efferuntur ad cerebrum, quum jam discussi fuissent, antequàm dormiendi instaret necessitas.* Actuarius verò, (intellige etiam reliquos, qui ejusdem fuerunt sententiæ) ut qui hodiernum morem in exhibendo cibo tenebat, in quo per horam, ad summum duas a somno abstinemus, minorem prandio cœnam esse voluit, ut qui, si copiosior foret cœna, ob somnum imminentem caput multis vaporibus repleri, atque ita spiritus illos animales lædi posse, existimaverit. Atque hæc quidem de hac quoque quæstione satis sint dicta, de qua, quoniam multa in utramque partem probabiliter sanè disputari possunt, qui plura cognoscere cupit, legat Langium in epistol. medic. Hieron. Gabucinum lib. 3. de morbo comitiali. Cardanum de abusu medendi, & in tractatu 5. contradict. 18. Christoph. a Vega lib. 2. de arte medendi. Fuchsii Paradoxa 72. 21. Dinum Florentinum in epistola Andreæ Thucini. Nicol. Massam in 4. tom. epist. medic. epist. 4. de tuenda valetudine. Cælium Rhodig. lib. 14. cap. 9. *cur veteres largiùs cœnarint, quàm pransi sint.* Valleriolam lib. 3. cap. 13. loc. comm. Aloysium Mundellam Dialog. 6. Aloysium Tristinum prob. 4. cap. 99. Scholam Salernitanam fol. 24. Matthæi Curtii Papiensis libellum *de prandii ac cœnæ modo*, qui Romæ in octavo excusus prodiit anno 1566. Eadem de re Turinus & Odus differuerunt.

Hieronymi Gab. sententia. Diei divisio in 12. horas secundum Veteres.

Actuarii opinio.

CAPUT XV.

QUAESTIO, SATIUSNE SIT CERTAM PRANDENDI, COENANDI, AC OMNINO CIBI SUMENDI HORAM HABERE, NEC NE.

Tertia quæstio consideratione, meo judicio, non indigna hîc moveri potest: Satiusne sit certam prandendi, cœnandi, ac omnino cibi sumendi horam habere, nec ne. Ac multæ sanè utramque in partem probabiles admodum rationes videntur posse afferri. Verùm illis omissis, sic simpliciter vereque hac de re mihi videtur esse statuendum. Omnino cùm valetudinis, tùm etiam ordinis, ac honestatis civilis ratio videtur postulare, ut quemadmodum in aliis actionibus, muniisque nostris obeundis: ita quoque in cibi potusque sumptione, corporisque refectione, certum diei tempus observemus & sequamur: id quod ab humanioribus gentibus, ut Judæis, Græcis, atque Romanis factitatum esse supra diximus. Certas enim illi diei horas, ut aliis actionibus, prandiis quoque atque cœnis suis destinarunt. Quod si enim in domo, familiáve aliqua nulla certa & ordinaria prandii cœnæque hora teneatur, multa inde incommoda, perturbatam, & confusam totius rei familiaris rationem consequi est necesse, quemadmodum in quibusdam familiis cernere licet. Verùm id valetudinis quoque ratio postulat, cui incerta, inordinata, & tumultuaria cibi capiendi consuetudo multùm officit. Est autem consuetudo illa diligenter servanda, cujus mutatio, subita præsertim, & repentina, maximas sæpè valetudini incommoditates affert, ut Hippoc. testatur, quando nimirum is, qui hora certa & constituta consuevit cibum sumere, eam præterit. Incidunt tamen nonnunquam tempora, ut vel valetudinis, vel etiam pietatis, honestatisque ergò consuetum cibi capiendi tempus sit negligendum. Valetudinis causa, ut quùm quis vel inedia, aut imbecillitate quadam conflictatur, vel stomachi cruditate laborat, huic consultum erit, solito vel tardiùs, vel etiam celeriùs cibum capere. Honestatis ergò, ut quùm negotia necessaria, pia & honesta, ad Dei gloriam, proximique salutem pertinentia tibi incumbunt, illa quavis cibi potusque sumptione, atque adeò valetudine tua, priora potioraque ducere debes, quùm honestati potiùs, quàm valetudini sit serviendum. Satius ergo multò est, consuetum cibi capiendi tempus, etiamsi id cum aliquo valetudinis tuæ damno, atque incommodo fiat, quàm res negotiaque illa a te negligi. Sed deinceps, quum id tibi & per valetudinem, & honestatem licebit, ad pristinam consuetudinem redibis.

In cibi potusque sumptione, quemadmodum in aliis quoque actionibus obeundis, certum diei tempus observandum.

Incerta ac inordinata cibi capiendi consuetudo valetudini multum officit.

Consuetum cibi capiendi tempus quando negligendum.

CAPUT

CAP. XVI.

TERTIA CONVIVIORUM DIVISIO, SECUNDUM QUINQUE PRINCIPES VITÆ HUMANÆ ACTUS, ET PRIMO DE CONVIVIIS NATALITIIS, ET PUERPERALIBUS.

Convivia præterea non incommodè forsan secundùm quinque præcipuos vitæ humanæ, ceu Comœdiæ, sive potiùs Tragœdiæ cujusdam actus videntur posse dividi. Hi sunt nativitas, educatio, muneris cujuscunque susceptio seu adeptio, matrimonium, & mors: in quibus omnibus secundùm & antiquum, & hodiernum omnium ferè gentium morem, & consuetudinem convivia aut antecedere, aut consequi solent.

Mos natales celebrandi antiquus.

Primò itaque omnium ferè gentium consuetudine tritum semper fuit, & adhuc est, ut dies illi, quibus quis primùm lætam hanc lucem aspexit, (qui a Græcis γενεθλιακοὶ, sive γενέθλια· a Latinis, *dies natales*, seu *natalitii*, item *natalia*, & *genitales dies* appellantur) illustris præsertim dignitatis hominum, summa cum lætitia, pompa, conviviali alacritate atque magnificentia ornentur, ac celebrentur. Quæ sanè consuetudo vetus & pervagata probabili admodùm ratione videtur niti. Quid enim quæso rationi magis videtur esse consentaneum quàm diem illum, in quo homo θεοειδὴς, hoc est, ad Dei imaginem fictus & formatus, ex tetro caliginosoque illo uteri materni carcere, in jucundam hanc lætamque lucem erupit, & mater tot, tantis tamque periculosis gestationis, parturitionisque doloribus, atque cruciatibus liberata est, lætis hujusmodi & gratulatoriis conviviis celebrare: quibus & Deo pro tanto tamque admirabili beneficio gratiæ agantur, & parentes unà cum tota familia ex innumeris curis, sollicitudinibus, laboribus, atque terroribus recreentur ac reficiantur?

Convivia natalitia sunt duplicia.

Sunt autem natalitia hujusmodi convivia ferè duplicia: alia, quæ statim post partum, aut aliquot diebus post agitantur: alia, quæ quotannis eo ipso die, quo quis in hanc lucem fuit editus, agitari celebrarique consueverunt.

Puerperalia. Repotia.

Quod ad priora, illa Puerperii, sive Puerperalia convivia vulgò appellantur: *Repotia* Ausonio, epulæ nimirum, quæ editis in lucem liberis adornantur. Verba Ausonii hæc sunt; *Conjugioque dapes, & sacra repotia patrum. Ecce*, inquit Turneb. Adversar. lib. 3. c. 7. *eorum epulas dicit, qui susceptis liberis facti sunt parentes:* & paulò ante in illa Horatii: *Licebit ille repotia, natales, aliosve dierum Festos albatus celebret.* Festus quoque Pompejus *repotia* postridie nuptias interpretatur, cùm apud novum maritum cœnatur, quia quasi reficitur potatio, affertque exemplum Pacuvii, *ab hoc depulsum mamma pædagogandum accipit Repocialis liber.* Et interpretantur Grammaticorum tribules, septimum a nuptiis diem, quo iterum epulabantur: alii secundum, quo virgo in habitum muliebrem componebatur. Sed crediderim etiam Repotia celebrari solita liberis natis, & cum maritis nova quotannis soboles nascatur, ut renovanda sit epulatio, idcirco ea convivia *repotia* appellata: cui interpretationi Pacuvii exemplum non repugnat: nec verò Avidieni personæ convenit nuptiale convivium. Ea, nisi, me fallit, voluit dicere Acro Grammaticus παιδοτρόφια Græcè vocari, velut sublatis & susceptis liberis, & parentibus eos alere decernentibus. Nam in Græcorum potestate erat liberos exponere, nec alere. Qui igitur ali volebat, depositum humi infantem tollebat, unde & dea quædam Levana dicebatur, ut scribit S. Augustinus. Unde apud Terent. *Quicquid peperisset, decreverunt tollere.* Et in Heauton. *Si puellam parerem, nolle tolli*; Hæc Turneb. in suis Adversar. de hac voce *Repotia.* Hujusmodi convivii (unde illa apud Romanos in usu fuisse constat) meminit Julius Capitolinus in vita Clodii Albini his verbis: *Cùm rarum esset aquilas in his locis videri, quibus natus est Albinus, septima ejus diei hora convivii, quod celebritati pueri deputabatur, cùm ei fierent nomina, septem aquilæ parvæ de nidis allatæ sunt, & quasi ad jocum circa cunas pueri constitutæ.* Hîc dubium videtur esse, an hoc acciderit eodem die, quo natus est Albinus, an verò alio die, quo nomina ei fuerunt imposita.

Dies quo nomina infantibus imponebantur. Δεκάτη Atheniensium.

Nam omnino constat cum apud Græcos, tùm apud Romanos, dies illos, quibus infantibus recens natis nomina fuerunt imposita, conviviis fuisse celebratos, quæ nominum impositio apud Judæos in circumcisione; apud Christianos in Baptismo fieri consuevit. Sic apud Athenienses moris fuit, decimo die congregatis necessariis, & amicis, & infantibus nominibus impositis, peracta re divina, splendidum parare convivium, quod idcirco illi appellabant δεκάτην ἑστιᾶσαι, id est, decimam diem, nominum impositioni consecratam, convivio celebrare, teste Suida, & Cæl. lib. 22. cap. 12. Aristophanis scholiastes in illa verba in Avibus,

Ἐς δεκάτην γάρ ποτε παιδαρίου κληθεὶς ὑπέπινεν ἐν ἄστει,

ὅτι, inquit, τῇ δεκάτῃ εἰστίων ἐπὶ τοῖς γεννηθεῖσι, καὶ ἐν αὐτῇ τὰ ὀνόματα ἐτίθεντο τοῖς παισὶ, καθάπερ Εὐριπίδης ἐν αἰγεῖ. τί σε μάτερ ἐν δεκάτᾳ τόκου ὠνόμαζεν. Diem hunc in nominis impositi memoriam celebrem ὀνομαστήρια Græci, teste Gregorio Nazianzeno, Latini, *Lustricum*, & *Lustrarium*, Tertullianus *Nominalia* (quæ vox Græco respondet) appellavit.

ἀμφιδρόμια Atheniens. die quinto post natum infantem.

Addit idem Cæl. quod quinto a nato infante die, Amphidromia agebatur, qua manus expurgabant, quæ obstetricum munere fuerant perfunctæ, cursuque ad focum ferebatur puer, mittebanturque a propinquis polypodes, ac sepiæ munerum loco. Ad hunc morem alludit Socrates apud Platonem in Theæteto his verbis: τοῦτο μὲν δὴ, ὡς ἔοικε, μόλις ποτὲ ἐγεννήσαμεν, ὅτι δήποτε καὶ τυγχάνει ὄν· μετὰ δὴ τὸν τόκον τὰ ἀμφιδρόμια αὐτοῦ ὡς ἀληθῶς ἐν κύκλῳ περιθρεκτέον τῷ λόγῳ, σκοπουμένους μὴ λάθῃ ἡμᾶς οὐκ ἄξιον ὂν τροφῆς τὸ γιγνόμενον, ἀλλὰ ἀνεμιαῖόν τε, καὶ ψεῦδος, ἢ σὺ οἴει πάντως δεῖν τό γε σὸν τρέφειν, καὶ μὴ ἐκτιθέναι,

Id est,

Id est, *Hunc tamen, qualiscunque tandem fuerit, ægrè tandem, ut perspicuum est, genuimus: post partum verò amphidromia celebrando,* (festum nimirum illud, ex patriis moribus ita nuncupatum) *revera circulatim discurrendum est, sermone attentius inspicientes, ne fallamur, an ille minimè dignus fuerit educatione, an subventaneus sit, & evanidus, túne existimes omnino illum esse nutriendum ut tuum, & nullo modo exponendum.* Ejusdem quoque meminit Ephippus apud Athenæum lib. 9. Hesychius tamen Amphidromiam (ἀμφιδρομίαν, Plato & Athenæus in neut. gen. ἀμφιδρόμια) septimo die scribit celebrari solitam. Hujusmodi autem festi, & munusculorum, quæ infantibus dari consueverunt, meminit Terentius in 1. Phormionis scena, ubi Davus de Geta verba faciens, inquit. Munuscula infantibus recens natis data.

----- porrò autem Geta
Ferietur alio munere, ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt, omne hoc mater auferet.
Puer causa erit mittundi.

In hæc verba sic Turnebus lib. 3. Adverſ. c. 6. *Liberis susceptis epulæ fiebant, tum autem etiam servi & liberi munera dabant, quod Terentius significat, dabant & nuptialia, & natalitia. Amphidromia quoque ut Grammatici grati referunt, dies erat familiæ festus, quo natum puerum circum focum ferebant, propinquique & amici & familiares dona dabant, quas ferias Terentium in palliata fabula intellexisse crediderim, æquè è Græcorum moribus: ubi, initiabunt, intelligendum arbitror, non de Edulia, & Potica, & Cuba. Nam Athenienses suos liberos Cereri & Libero initiare solebant.* Hæc ille. Et Plautus in Truculento, in qua fabula Phronesium meretrix,

PH. *Quin dîs* (inquit) *sacrificare hodie pro puero volo*
Quinto die, quod fieri oportet. DIN. *Censeo.*
PH. *Non audes aliquod dare mihi munusculum?*
DIN. *Lucrum hercle videor facere mihi voluptas mea,*
Ubi quippiam me poscis. PH. *At ego ubi abstuli?*
DIN. *Jam faxo hîc aderit, servolum huc mittam meum.*
PH. *Sic facito.* DIN. *Quicquid autem erit, boni consulas.*
PH. *Æcastor munus te curaturum scio,*
Ut cujus me non pœniteat, mittas mihi, &c.

Lambinus ἀμφιδρόμια, inquit, dicebantur hæc sacra, quæ fiebant die quinto a puero nato: sic dicta, quòd cursim circa forum gestabatur puer. Erasmus in Chiliad. ex prisca hac consuetudine proverbium elicit, ἀμφιδρομίαν ἄγεις, quod dicit ad varios usus posse accommodari: vel ad eos, qui pueros ostentant, ac circumferunt: aut qui munuscula captant, & ambiunt. Ex hac porrò antiqua munera, die post partum quinto, mittendi consuetudine, videtur promanasse mos ille, qui hodie apud Germanos obtinet, ut nimirum & eo die, quo infans sacris aquis initiatur, munuscula ab iis, qui illum ex sacro fonte suscipiunt ei donentur, quæ vulgò einbindeten appellantur, & puerperæ quoque ova, gallinæ, aliaque ejus generis dona a vicinis atque necessariis mittantur. His quoque adde indusia, caseos, liba mellita, & alia, quæ a compatre atque commatre circa anni novi initium strenæ loco mittuntur atque donantur. Unde mos apud Christianos muneris dandi infantibus.

Ut igitur apud Græcos, Athenienses præsertim, infantes & quinto post partum die, sive, ut vult Hesychius, septimo sacrificiis quibusdam, circumgestatione celeri circa focum, donorumque missionibus lustrari consueverunt, & decimo illis nomina fuerunt imposita interpositis conviviis: sic idem ferè a Romanis quoque factitatum fuisse legimus, licet de tempore impositionis nominum inter auctores Latinos non satis constet. Festus inquit, *Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octavus: puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* Plutarch. in Quæstionibus Romanis hujusmodi inter alia problema proponit: *Cur pueris nono, puellis octavo die nomen imponatur?* Respondet, *An causa est naturalis, quòd prius puellis? Fœmina enim citiùs augetur, ad rigorem pervenit, atque absolvitur, quam mas. Dies porrò post septimam sumunt. Septima enim periculosa est infantibus, cùm aliis de causis, tum quòd ea die umbilicus decidit plerisque, quod antequam fit, plantæ, quàm animali similior est infans. Aut maribus & fœminis hunc dierum numerum censuerunt congruere, Pythagoricos sequuti? Hi enim marem, imparem numerum vocant: parem, fœminam. Impar enim fœcundus est, & in compositione præstat pari: divisisque in unitates ambobus, par instar fœminæ, vacuum in medio relinquit spatium: impar semper medium habet plenum. Aut quia omnium numerorum nonus primus est quadratus, natus ex ternario, qui est impar, & perfectus: octonarius autem primus est cubus natus e binario pari? Oportet autem marem quadratum esse, & agilem & perfectum: fœminam cubi instar stabilem, domi affixam, & non facilè mobilem. His addendum, sicut nonus quadratus est ternarii, octavus cubus binarii: ita mares, tribus: fœminas duobus uti nominibus.* Hæc ille. Ante septimum raro data sunt nomina. Ratio est, præter illa, quæ ex Plutarcho fuerunt allata, quòd ante hunc diem infans pluribus casibus sit expositus, teste etiam Aristot. quæ ratio etiam afferri potest, quòd Deus apud Judæos octavo die circumcisionem administrari voluerit, & simul imponi nomina, utpote corpusculo infantis per dies jam octo confirmatiore. Addunt Physici septimum diem climactericum esse, & infirmitatibus in primis subjectum, unde anni critici & climacterici, qui fatales ferè esse solent, ex impari numero, nominatim ex septenario & novenario in se reducto, qualis est 63. qui annus magnis viris solet esse fatalis. Hinc Nundinam Romanorum Deam, teste Macrobio, volunt a nono die nascentium nuncupatam, qui & Lustricus, ut dixi, fuit appellatus. Porrò, ut illud quoque addam, qui eos lustrabant, *lustratores*: & si fœminæ sint, *lustra-*

Quo die apud Rom. infantibus nomina imposita. Dies Lustrici.

Cur non nisi post septimum diem nomina infantibus imposita.

Nundina Romanorum dea, a nono nascentium die nuncupata,

Lustratio aspersione aquæ fieri solita.

lustratrices: qui verò lustrantur, *lustrati* nominantur: & actus ipse, *lustratio*, id est, expiatio, quæ aspersione aquæ fieri solebat. Persius quoque Satyra 2. hujusmodi pueros expiandi morem fuisse tradit his verbis:

Ecce avia, aut metuens divûm matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

(Hic mos ad Christianos promanavit.) Saliva hominis efficaces habet usus. *Illa despuimus*, inquit Plinius, *comitiales morbos*, hoc est, contagia regerimus, simili modo & fascinationes repercutimus sinistro, dextroque claudicatis occursu. Varro etiam tradit non esse paucos in Hellesponto circa Parium, quorum salivæ contra ictus serpentum medeantur.

Antoninus jussit nomina ferre tertio a partu die.

Valerius, ut ad propositum redeam, pueris non priusquàm togam virilem sumerent: puellis non antequàm nuberent, nomina dicit fuisse indita. At Julius Capitolinus in Antonino Philosopho: *Inter has*, inquit, *liberales causas ita punivit, ut primus juberet apud præfectos ærarii Saturni munus atque civium natos liberos profiteri, intra tertium diem nomine imposito.* Tertullianus quoque in lib. de Idololatria, illustrem impositionis nominum magna cum cæremonia a Romanis usurpatæ, mentionem facit, *Nominalium solemnitatem* appellans: *Circa officia verò*, inquit, *communium solennitatum, ut Togæ puræ, ut Sponsalium, ut Nuptialium, ut Nominalium, nullum putem periculum observari de statu idololatriæ, quæ intervenit. Causæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium. Eas mundas esse opinor per semetipsas, quia neque vestitus virilis, neque annulus aut conjunctio maritalis, de alicujus idoli honore descendit. Nullum denique cultum a Deo maledictum invenio, nisi muliebrem in viro. Maledictus enim inquit Deut. 12. qui muliebribus induitur. Toga verò etiam appellationis virilis est. Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet, quàm nomina imponi. Sed his accommodantur sacrificia, &c.* Solennitates ergò hîc a Tertulliano privatæ, & communes, (quas publicis & sacris puto opponi) quatuor commemorantur, in quibus omnibus certæ quædam cæremoniæ, sacrificia, atque convivia adhibebantur. Prima est solennitas puræ togæ, id est, vestitus virilis, quando is sumebatur, de qua postea. Secunda est solennitas sponsalium, quæ annulo fiebat. Tertia nunptialium, hoc est, conjunctionis maritalis. Quarta Nominalium, quando nomina (quæ Plin. lib. 28. cap. 4. *impositiva* vocat) pueris imponebantur.

Nominalium solennitas.

Comparatio circumcisionis atque Baptismi cum Græcorum, Romanorumque Nominalibus.

Hisce porrò & Græcorum ὀνομαστηρίοις, ἀμφιδρομίοις, atque δεκάταις, & Romanorum *solennitatibus*, *lustricis*, sive *nominalibus*, ut illas Tertul. appellat, (quibus sacrificia atque convivia interponi consueverant) respondent & Circumcisio veteris, & Baptismus novi Test. sacramenta, infantibus potissimùm verè initiandis, lustrandis, nominandisque ab ipso Deo destinata, quæ & ipsa cùm cæremoniis certis, tùm conviviis quoque celebrari consueverunt. Nam quemadmodum in illis infantes certis quibusdam cæremoniis, igne præsertim, & aquæ aspergine, initiati atque lustrati fuerunt: ita & in Circumcisione olim vet. Testamenti præputii amputatione, & in Baptismo nostro cùm extrinsecus aquæ aspersione (qui est baptismus Fluminis,) tum intrinsecùs igne S. Spiritus (qui est baptismus Flaminis) verè initiantur, atque lustrantur. Unde Baptismus a nonnullis *lustricus*, & *initiale signum* dicitur. Deinde, quemadmodum in illis, infantibus apud Græcos quidem decimo, apud Romanos vel nono, vel octavo, vel etiam tertio pòst partum die, nomina fuerunt imposita: ita & in Circumcisione octavo ab ortu die, & in Baptismo eodem die, quo baptizantur, nomina simul illis induntur. Tertiò, ut in Amphidromiis Græcorum, sicuti dictum est, certa quædam munuscula ab amicis atque necessariis infanti atque puerperæ missa fuerunt: ita & in Circumcisione (uti postea dicetur) hodie adhuc a Judæis, atque Mahometanis usurpatur, & in Baptismo nostro dona quædam & infanti, & ipsi quoque puerperæ dari solent. Munera autem illa pecuniaria, quæ ab iis, qui infantes ex sacro fonte suscipiunt, dari consueverunt, quæque nos vulgò einbindenten appellamus, nonnulli volunt esse λύτρα, sive pretia, quod pro redemptione, seu liberatione exponunt, ne eum, cui fuerunt testes in Baptismo, alere cogantur. Malim ego illa interpretari veluti arras, seu pignora quædam, quibus infanti sese obstringunt ad officium dilectionis, atque institutionis ad pietatem, id quod verbis quoque in baptismo pollicentur. Postremò quemadmodum illæ Græcorum, & Romanorum festivitates conviviis luxuriosis fuerunt celebratæ; ita & Judæi atque Mahometani suam Circumcisionem, & Christiani suum Baptismum luxuriosis plerunque sumptuosisque conviviis concludunt, atque terminant, sicuti nunc seorsim de utroque dicetur.

1. Lustratio igne, & aqua fieri solita.

2. Dies certus quo nomina imposita.

3. Munuscula data.

4. Convivia luxuriosa adhibita.

Convivium Circumcisionis.

Ac primò quidem quoad Circumcisionem, qua olim in veteri Testam. severo Dei jussu atque mandato, infantes octavo ab ortu die circumcidi consueverunt, amputato præputio, (unde Judæi *apellæ*, quasi sine pelle, *recutiti* a restituta cute post circumcisionem, *verpi* a versa pellicula quæ mutilatur a Juvenale, Persio, Martiale fuerunt denominati) dubium profectò non est, quin læta ei cæremoniæ convivia adhiberi sint solita, licet nulla ejusmodi convivii, quod sciam, in sacris literis expressa fiat mentio. Hodie quidem Judæi cæremoniam illam, ut & alias, Christi adventu abrogatam, mordicus retinentes, convivium illi adhibent, quod ab illis משתה המילה *Misthe Hamila*, hoc est, circumcisionis convivium vulgò appellatur. In Polonia nato puero die Veneris, quæ occurrit inter nativitatem & circumcisionem, quidam circuit plateas, clamans זון *Zun*, id est, *ad masculum*, & die Sabbathi quivis patris ædes adeunt, iisque convivium datur, quod similiter *zursecar* vocant Germani Judæi. Die autem proxima, quæ est ante circumcisionem, ii, qui invitati sunt in diem crastinum ad prandium, serò ædes adeunt ubi natus est puer, ibique totam noctem insomnem traducunt, pro puero agentes excubias, ne is a Cacodæmone abripiatur. Die, quo circumcisio celebratur, fit convivium, quod vocant משתה מילה *Misthe milah*, & si sit primogenitus, post tricesimum diem fit convivium, ad quod sacerdotem

tem cum affinibus invitant, quòd vocant משתה פדיון הבן *misthe pidion habben*, *convivium pro redemptione filii*,
daturque Sacerdoti munus ceu λύτρον, ut puerum absolvat, quùm secundum legem primogenitus sit ipsius.
Turcæ quoque in multis Judaïzantes circumcisionem, (quam *Tsuneth* vocant) magnæ conviviorum cele-
britate peragunt, non octavo die, secundum antiquum Judæorum morem atque ritum, ab ipso Deo præ-
scriptum, sed postquam puer septimum, (ante quem annum, teste Valerio, Persæ liberos suos non aspicie-
bant) aut etiam octavum annum attigerit, sermonis jam peritus. Id autem faciunt (en quos Anabaptistæ sui — Anabaptistarum patroni.
erroris patronos habeant) propter verba confessionis, quæ ante circumcisionem a circumcidendis erecto pol-
lice requiruntur. Atque ob id puer non in templum defertur, sed in parentum ædibus circumciditur hujus- — Turcarum in circumcisione ritus.
modi adhibitis cæremoniis. Primò amici vocantur ad convivium, omni ferculorum delicatissimorum gene-
re refertum. Carnes omnis generis, quibus quidem illis vesci licet, apponuntur: a divitibus quoque bos
mactatur, in quem excoriatum, & exenteratum ovem, in qua gallinam, & in illa ovum, quæ integre assantur, — Convivia. Bos mactatur.
ad illius diei splendorem apponunt. Deinde inter epulas, cœnæque tempus puer circumcidendus adducitur,
cujus glandem medicus illius artis peritus retegit, & pellem replicatam forpiculis apprehendit: deinde, quò
metum puero adimat, ait, se proximo die circumcisionem peracturum, atque ita discedit: mox simulans
quasi omissum aliquid esset, quod ad præparationem pertinet, ex improviso præputium abscindit, vulneri pa-
rum salis & bombasini apponens, tuncque vocatur *Musalam*, id est circumcisus. Nec verò die circumcisionis — Nomina infantibus imponuntur ipso die natali.
illis nomina induntur, sed ipso die natali, quo in lucem eduntur. Postea continuato trium dierum convivio,
circumcisus ducitur in balneum maxima cum pompa, eorundemque convivarum comitatu domum redit, cui
parata munera offeruntur. Alii vestes sericas, alii scyphos argenteos, alii pecunias, vel etiam equos: mulieres — Munuscula dantur.
indusia, sudariola, & alia hujusmodi. Unusquisque convivarum pro voluntate, & facultate sua donat. Hæc
Bartholomæus Georgeviz oculatus testis scripta reliquit in suo libello de Turcarum moribus. Apud Fessa- — Circumcisio Fessanorum.
nos quoque circumcisio est in usu, quæ septimo nativitatis die celebratur, in quo magnificum apparatur con-
vivium. Huic incisor unà cum affinibus, & consanguineis interesse solet: quo transacto, quisque convivarum — Epulum circumcisionis.
munuscula, pro facultatum suarum ratione, confert, idque in hunc ferè modum: Suas quisque pecunias in
facie cujusdam pueri, quem circumcisor adducit, affigit: puer pronunciato cujusque nomine, gratias agit.
Deinde puero circumciso, dies non minore cum lætitia transigitur quàm si essent nuptiæ. Hæc Leo Affri-
canus lib. 3. de Affrica. His adde quòd Æthiopes quoque, teste Osorio Lusitano, mares octavo ab ortu die — Æthiopum circumcisio.
circumcidere solent, & fœminis etiam aliquid amputatur, ut non omnino incircumcisæ videantur. Quadra-
gesimo deinde a circumcisione die mares: octogesimo autem fœminæ, salutaribus aquis expiantur, & eucha-
ristiam eo die infantes initiati in mica panis assumunt. Atque hæc de circumcisione, ejus conviviis, atque riti-
bus nonnullis.

Ut autem circumcisionis, ita Baptismi quoque convivia Christianis hodie valde usitata, natalitiis atque — Baptismus Christianorum.
puerperalibus conviviis meritò annumerantur: quippe quum ipsum partum statim consequantur. Deinde
ipsum Baptismum, qui circumcisioni Vet. Testamenti successit, verè spiritualia nostra γενέσια, sive γενέθλια,
atque lustrica appellare possumus: quia eo initiamur, lustramur, atque regeneramur. Unde etiam Dionys.
Areopagita illum θεογενεσίαν, hoc est, *divinam generationem*: & Gregor. Nazianzenus λοῦτρον παλιγγενεσίας, — Tempus Baptismi.
lavacrum regenerationis appellavit. Hic non modò apud Anglos, (ut Polydorus Virgilius scribit) verùm
etiam apud cæteros Christianos plerunque in ipso die natali celebratur, quemadmodum faciendum esse
B. Cyprianus epistol. 3. ad Fidum, multis rationibus probat. Veteres verò, ut ex Primitivæ Ecclesiæ historia
constat, ad nullum licet certum tempus fuerint alligati, quo baptizarent: tamen potentiores ferè solennia
festa, ut Paschatis, & Pentecostes, observarunt, quibus potissimùm voluerunt liberos suos baptizari.
Sed Gregorius II. Rom. Pontifex in epistola ad Thuringos, conatus est Baptismum ad certum tem- — Convivia Baptismalia.
pus adstringere, cùm inquit: *Nemo citra mortis necessitatem, nisi Paschali, & Pentecostes festivitate, cœle-
sti lavacro mergatur*, Aventinus lib. 3. Annalium. Idem decretum Gregorius III. in epistola ad sacerdo-
tes Bavariæ confirmat, teste eodem auctore. Verùm, ut ad propositum redeam, lustricus hic Baptismi dies
hodie apud Germanos, & alias gentes Christiani nominis, sumptuosis plerunque luxuriosisque conviviis
celebratur: in quibus ut infans aqua fuit baptizatus, ita viri pariter atque mulieres vino immodico ita baptizan-
tur obruunturque, ut neque mens neque sensus, ipsius mentis satellites, ampliùs officium suum facere pos-
sint. Est autem hæc consuetudo multis nominibus vehementer improbanda. Nam primò maxima Deo fit in- — Consuetudo illa lustricum Baptismi diem luxuriosis conviviis celebrandi improbanda.
juria, cujus augustum venerandumque sacramentum (quo infans initiatus, & in sanctorum album ascriptus
est) fœdissimè polluitur, atque contaminatur. Illud est symbolum, quo monemur, nos Christi sanguine
agnati nostri peccati sordibus esse ablutos: ita ut unà cum Christo, ceu capite nostro, & crucifixi, & sepulti,
& mortui, & excitati, corpusque peccatorum carnis exuti regeneremur, sanctificemur, in sanctorum nume-
rum & societatem accenseamur. Quî igitur convenit nos eodem statim die, quo ea quæ paulò ante comme-
morata sunt, & nostro & infantis nomine sanctè spopondimus, ebrietatis rursus gulæque sordibus inquinari?
An non hoc est & canis instar ad vomitum, & suis instar lutulentæ ad pristinum statim cœnum lutum-
que revolutari? Non ergò vel nobis, vel infanti Dei gratiam, sed iram potius atque furorem horrendum in-
sana ista tanti sacramenti prophanatione conciliamus. Deinde insanis hujusmodi, luxuriosisque conviviis ipsis
quoque miseris puerperis, quæ tot tantisque paulò antea exantlatis laboribus, otium & quietem desyderant,
plurimùm laboris atque molestiæ exhibetur. Adhæc sumptuosis istis epulis opes ad puerperarum atque in-
fantum miserorum sustentationem per quàm necessariæ absumuntur: ita ut & puerperas, & infantes misellos
fame postea, siti, omniumque rerum inopia premi, atque vexari sit necesse. Rectè ergo vernacula nostra lin-

gua luxuriofis hujufmodi compotationibus dicimus das kind vertrincken: quippe cùm quantum in nobis eft, mifellum infantulum inopiæ, mendicitati atque fervituti addicamus. Quid dicam quod fæpe propter infanum Baptifmalium hujufmodi epularum apparatum ipfe Baptifmus differtur, quo magna & ipfi Deo, & infantibus fit injuria? Quid quod intemperantiffimis hujufmodi compotationibus virorum mulierculárumque ebriarum injuria atque negligentia infantes mifelli in fummum vitæ fuæ, quam vix afpexerunt, periculum adducuntur? Atque hæc de Baptifmali epulo.

Mos antiquus lac, mel, vinum, panem eucharifticum dandi infantibus.

Huc quoque videtur referendus effe mos ille veterum cùm lac, & mel; tum lac & vinum; tum panem eucharifticum dandi baptizandis. Quòad primùm, Tertullianus ejus luculentam mentionem facit in lib. de Corona militis: *Inde fufcepti* (hinc *fufceptorum* nomen) *lactis, & mellis concordiam prægustamus.* Idem lib. 1. adverfus Marcionem: *Sed ille quidem* (Marcion) inquit, *usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua fuos abluit: nec oleum, quo fuos ungit: nec mellis, & lactis focietatem, qua fuos infantat.* B. Rhenanus hanc cæremoniam (quam Tertullianus inter traditiones numerat) ex veteri Teftamento vult fuiffe defumptam, in quo fubinde fit mentio terræ fluentis lacte, & melle. Quoad fecundum morem, ejus D. Hieronymus adverfus Luciferianos, ut & primi, mentionem facit. Nam explicans illud Ifaiæ: *Venite, emite abfque ullo argento, & abfque ulla commutatione vinum, & lac. Provocat nos Ifaias*, inquit, *non folùm ut vinum emamus, & lac: quod fignificat innocentiam parvulorum, qui mos & typus in occidentalibus Ecclefiis adhuc hodie ufque fervatur, ut renatis in Chrifto vinum, & lac tribuatur.* Quòad tertiam confuetudinem antiquam, Euchariftiam nimirum infantibus dandi, quæ & Cypriani temporibus obfervata fuit, & temporibus Caroli M. quamque D. Auguftinus approbat lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. obfervandum apud Æthiopes quoque, ut teftis eft Oforius lib. 9. de rebus geftis Emmanuelis, infantes eo die, quo falutaribus aquis initiati funt, Euchariftiam in panis mica affumere. His adde quòd Sigifmundus Liber Baro fcribit in fuis comment. rerum Mofcovit. Mofcovitas pueris 7. annorum facramentum porrigere, dicuntque tum hominem peccare, & fi puer fortè aut infirmus fuerit, aut animam cœperit agere, ita ut de pane fumere non poffit, infunditur ei gutta ex calice. Quidam etiam mortuos baptizarunt, & Euchariftiam iifdem in os dederunt: qui mos in concilio Carthaginenfi abrogatus eft.

Non unum tantum, fed plura convivia puerperalia apud Germanos ufurpantur.
Fröud-fuppen. Tauff-mal. Küchleten.

Nec verò unum tantùm, fed plura etiam puerperalia hujufmodi convivia apud Germanos ufurpantur. Nam primò eo die, quo puerpera enixa eft fœtum, obftetrici cæterifque mulierculis, quæ parturienti adfuerunt, epulum datur, quod nonnulli fröudfuppen / hoc eft, *pultem lætitiæ* vocant. Sequitur deinde convivium Baptifmale, de quo dictum eft, quod vulgò appellatur das Tauffmal / & Tauffſuppen. Tum tribus quatuorve feptimanis a partu elapfis, rurfus convocatis mulieribus vicinis atque cognatis, quo tempore illa, quæ infantem ex Baptifmo fufcepit, puerperam invifere, & munufcula quædam, ut indufium, pecunias, adferre folet, aliud rurfus convivium exhibetur, quod alii, ut Auftriaci, kindelmuß / id eft, *infantile pulmentum*: alii küchleten five küchelmaal / id eft, *convivium laganorum*: alii kindsbadeten / id eft, *infantis balneationem*: alii weſterlege / nefcio qua de caufa, appellant. Galli puerperalia hujusmodi convivia *le convive de relevage*, quando puerpera e lecto rurfus furgit, & *convive de commeres*, hoc eft, *epulum commatrum* appellant. Ital. *feftino di gioia, quando e nato il figliolo.* Hifp. *combite de alegria afsi que nafcio el hyo, ó hija.*

Equidem ut non omnino puerperalia hujufmodi convivia, fi fint frugalia, & moderata, tempori, loco, & facultatibus accommodata, ad amicitiam lætitiamque modeftam facientia, improbarim: ita eorumdem, qui hodie apud Germanos potiffimùm regnat, infanum luxum a Chriftianis magiftratibus coërceri tam effet optandum, quàm quod maximè. Atque hæc quidem de puerperalibus conviviis, five repotiis fint dicta: ad quæ *ablactationis* convivium, Judæis olim ufitatum, & alia hujusmodi forfan non incommodè referri poffint: fed illa commodiùs fecundo vitæ humanæ actui, qui eft educatio fubjicientur.

Convivia natalitia.

Quod autem ad convivia natalitia attinet, alia funt, uti fuprà dixi, quæ quotannis eo die, quo quis natus eft, celebrantur: idque cùm a vivis, tum in mortuorum honorem atque gratiam, quorum illuftria quædam exempla fubjiciam.

Ægyptiorum.

Apud Ægyptios, ut inde exordiar, natalitia convivia fuiffe in ufu, argumento eft illuftre illùd Pharaonis Ægyptiorum regis convivium, quod illum die fuo natali (qui Hebræis יום הלדת *Iom Hyllædath*, hoc eft, *dies nativitatis* dicitur) fervis fuis apparaffe Moyfes teftatur, in quo recordatus magiftri pincernarum & principis piftorum, illum quidem in priftinum locum officiumque fuum reftituit, ut illi poculum miniftraret: hunc verò patibulo affigi curavit, ut Jofephi conjectoris veritas ipfo eventu comprobaretur.

Perfarum.

Perfarum quoque, ut teftis eft Athen. lib. 4. legibus fancitum fuit, eum præcipuè diem præ reliquis omnibus venerari, in quo quis in hanc lucem fufceptus erat, quem idcirco pluribus conviviis celebrabant. Ac divites quidem in illo boves, afinos, equos & camelos integros in fornacibus affatos apponebant. Pauperes verò diem fuum natalem minoribus pecoribus agebant, cibifque utebantur perpaucis, bellariis multis quidem, fed non admodum bonis. Hæc Athen. ex lib. 1. Herodoti. Plato quoque Alcibiad. 1. teftatur, poftquam regis Perfarum filius primogenitus, ad quem jus regni pertinebat, natus erat, primùm quidem omnes Perfico regno fubjectos, feftivum illum diem celebraffe. Deinde verò in reliquum tempus hac ipfa die, qua rex natus erat, univerfam Afiam τὰ γενέθλια θύειν, καὶ ἑορτάζειν, hoc eft, natalia folenni in hunc ufum fefto inftituto, folennibufque facrificiis celebrare fuiffe folitam: quo tempore Rex Perfas etiam ftrenis, & muneribus donaffe perhibetur ab Herodoto lib. 9. ita fcribente: τῦτο τὸ δεῖπνον (loquitur de cœna regia, quam vocat βασιλήιον δεῖπνον.) παρασκευάζεται ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέρῃ τῇ ἐγένετο ὁ βασιλεὺς, ὄνομα δὲ τῷ δείπνῳ Περσιστὶ μὲν τυκτά.

κατὰ

καὶ ἡ τῶν ἑλλήνων γλῶσσαν, τέλξον. τότε δὲ καὶ τὴν κεφαλὴν σμᾶται μῦνον Βασιλεὺς, καὶ Πέρσαις δωρέεται. Ex quibus verbis hoc amplius discimus, cœnam natalitiam lingua Persicâ *Tyctan* dici: Græcè verò τέλξον. Vide Joh. Druſ. in obſervat. Hebr.

Apud Judæos uſitata fuiſſe genethliaca convivia, indicio eſſe poterunt funeſta illa, atque tragica Herodis γενέσια, hoc eſt, natalitia: in quibus regni ſui proceribus, atque Chiliarchis, & primariis Galileæ δεῖπνον, hoc eſt, *cœnam* adornaſſe dicitur, quæ quidem Joanni Baptiſtæ, Chriſti prodromo ſanctiſſimo, indigniſſimam mortem attulit, teſtibus Matth. 14. & Marc. 6. cap. de quo obſervatu digna ſunt, quæ ſcribit D. Chryſoſtomus in Matth. homil. 49. *Multa*, inquit, *etiam nunc hujuſmodi Sympoſia celebrantur, in quibus etſi Johannes non interficitur: Chriſti tamen membra dilaniantur, &c. & ſi non adſit Herodiadis filia: tamen adſit diabolus.* Judæorum.

A Græcis hæc feſtivitas & γενέσια (qua voce Matth. 14. & Marc. 6. utuntur) & γενέθλια appellantur. Atticis tamen γενέσια, ut eſt apud Herodotum in μελπομένῃ, etiam ſunt annua ſacrificia in memoriam parentum. γενέθλια Suidæ ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος ἑορτή. & γενέσια, ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος μνήμη. Ammonius hæc duo vocabula ita inter ſe diſtinguit: γενέθλια τάσσεται ἐπὶ τῶν ζώντων, ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ ἐγεννήθη, αὕτη καλεῖται γενέθλιος ἡμέρα. γενέσια δὲ ἐπὶ τῶν τεθνηκότων, ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ τετελεύτηκε. ὁ οὖν λέγων ἐπὶ τῶν ζώντων ἀκυρολογεῖ, hoc eſt, *Genethlia tribuuntur vivis, & dies, quo quis natus eſt, natalitius, ſive natalis dicitur: Geneſia autem de mortuis dicuntur, & is dies, quo quis diem ſuum obiit. Qui igitur* γενέσια *vivis tribuit, is impropriè loquitur.* Plutarchus lib. 8. Sympoſ. prob. 1. mentionem facit γενεθλίων Socratis, quæ ſexto die menſis, *Thargelionis* dicti, fuerunt celebrata: & Platonis, quæ poſtridie ejus diei ab illis fuerunt agi ſolita; quo in loco notabis, γενέθλια appellari feſtivitates natalitias in mortuorum honorem celebratas, contrà illam paulò ante commemoratam Ammonii diſtinctionem. Ibidem & Euripidem die natali Dionyſii ſenioris, Siciliæ tyranni, mortuum eſſe: & regem Attalum in natalitiis ſuis diem ſuum obiiſſe: & Platonem atque Carneadem, ambos die ſeptimo Thargelionis menſis, Apollini ſacro, (unde *Hebdomagenes* dictus fuit) natos fuiſſe, commemorat. Græcorum.

Naucratitæ, teſte Athen. lib. 4. in Prytaneo convivia ſoliti ſunt agitare in genethliis, hoc eſt, natalibus Dionyſiacis, & Veſtæ, quàm Prytanitida vocabant, albis induti veſtibus, quas etiam Prytanicas vocant. Naucratitarum.

Romani quoque cùm ſuos, tum aliorum & vivorum, & mortuorum dies natales, genitaléſve multis cum cæremoniis, ſacrificiis, atque conviviis celebrare conſueverunt: id quod ex multis literarum monumentis colligere licet. Virg. Eclog. 3. Romanorum.

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola:
Cùm faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

In quos verſus ſic Servius commentatur: *Amicam communem, cauſa natalis diei, in cujus tantùm ſacrificio licebat voluptatibus operam dare.* Nam in aliis ſacrificiis erat caſtitatis obſervatio, quod etiam ſequentia indicant, ubi dicit: Cùm faciam vitula, id eſt, cùm pro frugibus ſacrificare cœpero, tu tantummodo venito. Juvenalis Satyr. 12.

Natali, Corvine, die mihi dulcior hæc lux:

quo, inquit interpres Aſcenſius, *tamen maximè genio, & voluptati indulgere ſolebant.* Britannicus, *Summa*, inquit, *hilaritate antiqui diem, quo nati erant, quotannis celebrabant, gratias Diis agentes pro hac luce, quam acceperant. Amici verò, & clientes natalem celebrantibus munera mittebant.* Unde multi avaritia adducti, non ſolùm diem natalem ſemel, ſed ſæpius in anno, quò plura ab amicis acciperent, celebrabant, quare a Mart. ſic taxatur Clytus: Munera natalitia.

Ut poſcas, Clyte, munus, exigasque,
Uno naſceris octies in anno.

Terent. in Phor. *Porrò autem alio ferietur munere, ubi puero erit natalis dies.*

Perſius Satyr. 1. *Et natalitia tandem cum Sardonyche albus,*
Sede leget celſa.

Sardonyche natalitia, hoc eſt, ſecundum Britannicum interpretem, quæ die natali dono miſſa fuit: nam diem natalem celebrantibus dona ab amicis mitti ſolebant. Mart. de natali Reſtituti lib. 10.

Certent muneribus beatiores;
Agrippæ tumidus negotiator
Cadmi municipes ferat lacernas:
Pugnorum reus, ebriæque noctis
Cœnatoria mittat advocato, &c.

Auguſtus a Mecœnate ſodali ſingulis annis phialam dono in natalitiis accipiebat, teſte Plutarcho. Extat Virg. Epigramma in diem natalem:

Clarus inoffenſo procedat lumine Titan,
Lætificusque dies eat omnibus æthere puro,
Voſque ſimul juvenes animis, & voce faventes
Concelebrate diem votis felicibus almum:
Proſper ut is ſemper redeat, vatique quotannis
Aſmenidæ referant alacres ſua munera nati.

Munerum hic quoque fit mentio: ubi notabis hodie quoque apud Germanos quosdam moris esse, ut munera mittantur ab amicis illi, cujus dies est natalis: id quod volunt signum esse amicitiæ, ut testentur illis muneribus, se gaudere natum esse in hunc mundum eum, cui illa mittunt. Cic. Philip. 2. *Hodie non descendit Antonius: Cur? dat natalitia in hortis:* (quod vulgus *solvere festum* dicit) *Cur? neminem nominabo. Putato te eum Phormioni alicui, tum Gnatoni, tum Ballioni, &c.* Ubi interpres: *Natalitia sunt convivia luxuriosa ad celebrandum diem natalem peculiariter structa.* Cic. ad Att. *Is dies casu Bruti natalis erat.* Idem de Finibus: *Diem suum natalem quotannis agebat.* Juvenalis Satyr. 11.

Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne, &c.

Toxilus apud Plaut. in Persa:

---- Hoc age, accumbe, hunc diem
Suavem meum natalem inter nos agitemus amœnum.
Date illi aquam manibus, apponite mensam.

Sic Leno apud eundem in Pseudolo:

----- Facite ut offendam parata omnia,
Vorsa, præsterga, strata, lautaque, coctaque omnia uti sint:
Nam mihi hodie dies natalis est, decet eum omnes vos concelebrare.

Et paulò pòst:

Facite hodie ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant;
Nam nisi penus annuus hodie convenit, cras populo prostituam vos,
Natalem scitis mihi esse diem hunc, ubi isti sunt, quibus vos oculi estis?
Quibus vitæ, quibus deliciæ estis? quibus suavia, mamilla? mellitæ?
Manipulatim mihi munerigeruli facite ante ædes jam hîc adsint.

(Hic observa morem mittendi munera in die natali:)
Et in Scena sequent. Pseudolus:

Mittam hodie huic (lenoni) *suo die natali malam rem magnam & maturam.*

De natali amicæ suæ conscripsit Martial. elegiam 9. lib. 3. Lucianus natalitii muneris loco Quintillo mittit libellum μακροβίων. Alexander Severus, teste Lampridio, *cum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit: & albam ejus vestem, cum qua constiterat, cruentavit: id quod mortis ejus videtur fuisse prænuntium.*

Natalitia publica. Nec verò privatim tantùm nonnulli dies suos natales summa cum lætitia, ac voluptatibus celebrare consueverunt: verùm etiam publica & solennia quædam fuerunt natalitia, ab universo populo celebrari solita, in illorum etiam mortuorum honorem, qui de Repub. benè meriti fuerunt: id quod Lazius lib. 3. de Repub. Rom. testatur, cùm inquit: *Apud Romanos natalitia hujusmodi convivia publica fuerunt, atque adeò post mortem etiam (ut apud nos beneficia sacra) reditu in hoc pecuniæ locato, memoriæ ejus, qui obierat, retinendæ conservandæque causa, celebrata.* Ad hoc quidem genus convivii alludunt inscriptiones vetustatis in Italia repertæ.

Spoleti in æde S. Pontiani.

TRIB. MIL. LEG. XV. APOLLINARIS ET LEG.
V. MACEDONIC. HIC LEGAVIT TESTAMENTO
MVNICIPIB. HS. LXVI. C. MONET. VT EX REDITV
EJVS SVMMAE QVOTANNIS VIII. IDVS NOVEMB.
NATALI SVO MVNICIPIB. EPVLVM ET CRVS.
ET MVLSVM DARETVR.

Reatæ.

T. FVNDILIO GEMINO VIVIR. AVG. MAG. IVV.
AVGVSTALES PATRONO ET QVINQ. PERPETVO
OPTIME MERITO HIC ARCE AVGVSTALIVM SE
VIVO HS. XX. DEDIT: VT EX REDITV EJVS
SVMMAE DIE NATALI. SVC. IIII. KAL. FEBRV.
PRAESENTES VESCERENTVR ET OB DEDICA-
TIONEM. STATVAE DECVRIONIB. ESE VIRIS
ET JVVENIBVS SPORTVLAS ET POPVLO EPVLVM
ET OLEVM EADEM DIE DEDIT.

Parilia sive Palilia festa quæ, & unde dicta. Ipsius quoque urbis Romæ diem natalem, qui fuit 12. Calendarum Maji, in quo Romulus augurio capto, urbem aratro designaverat, celebrare consueverunt. Sacra, quæ illo die fiebant pastorali deæ *Pali*, hoc est, telluri, *Parilia* dicta fuerunt, vel a *Pario*, quod pro partu pecorum celebrabantur, vel, ut vult Varro, quasi *Palilia* a Pale dea, cui illa offerebantur. Ovidius a *paleis* frumenti deducit, cum id aliquando augustius pro-

provenisset: & illa a Numa Pompilio vult fuisse instituta, cùm alii a Romulo. Solinus, & alii a *partu* Iliæ volunt fuisse vocata. Propertius lib. 4. Eleg.

Urbi festus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

De die illo natali Genethliacon carmen extat non illepidum P. Marsi, & aliorum. Variæ verò eo die fieri solebant purgationes & expiamina: de quibus vide Ovid. in Fastis, Propertium, Persium, Tibullum, Dionys. Halyc. lib. 1. Servium in Georg. Plutarchum, Varronem, & alios. Cic. pro Flacco: *Hunc ego diem verè natalem hujus urbis, aut certè salutarem appellare possum.* Sueton. in Caligula: *Decretum autem, ut dies, quo cœpisset imperium, Palilia vocaretur, veluti argumentum rursus conditæ urbis.* Saltabatur in Paliliis per ignem, ut apud nos, inquit Lazius, die S. Ioannis Baptistæ fieri solet: item vulpibus ignis alligabatur, & lac potabatur, qui fructus pecoris est. Unde Propert. lib. 4. Mos saltandi per ignem in Paliliis.

Annua pro accenso celebrate Palilia fœno.

Ovid. in 4. Fast. *Dum licet apposita, veluti cratere canella,*
Lac niveum potes purpureamque sapam;
Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos,
Transilias celeri strenua membra pede.

Tibull. *Ille levis stipulæ solennes potus acervos*
Accendet flammas transilietque sacras.

Hinc *fumosa fœno* a Persio fuerunt dicta. Solinus scribit, observatum fuisse, ne qua hostia Palilibus cæderetur, ut dies iste a sanguine purus esset. Pharao tamen, & Herodes natales suos sanguinis humani profusione (ut Origenes inquit) cruentarunt. Idem scribunt Plutarchus in Romulo, Euseb. lib. temp. Censorinus cap. 1. de die natali, recenset Varronis verba: *Id moris*, inquit, *institutique Majores nostri tenuerunt, ne diem, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent.* Unde liquet, non in Palilibus tantùm, sed aliis quoque diebus natalibus nullam hostiam fuisse mactatam: id quod ex illis Virg. verbis, *Cùm faciam vitula*, &c: videtur posse colligi. Hostiam in Palilibus cædere nefas.

Romani similiter Calend. Martias, quod eo die natum crederent Romulum, qui fundamenta imperii jecerat, ad tantaque rerum incrementa semina dederat, celebrarunt: nec non Nonas Ianuarias, quòd ea die Ser. Tullius in lucem editus existimaretur. Alexandri quoque Severi, & ejus matris dies natalis magna festivitate, religiosissimeque fuit a Romanis cultus, ut testis est Æl. Lampridius. Octavius quoque Augustus Iulii natalem maximis honoribus decoravit. Sic apud Syracusanos Timoleontis natalis publicè cultus, quod insignes victorias semper suo natali reportârit patriæ. Adoptionis quoque natalem a Romanis celebrari fuisse solitum illa Æl. Spartiani testantur de Hadriano: *Quinto iduum Augusti die legatus Syriæ literas adoptionis accepit, quando & natalem adoptionis celebrari jussit. Tertio iduum earundem, quando & natalem imperii statuit celebrandum, excessus ei Trajani nuntiatus est.* Natales Romuli, Ser. Tullii, Julii.

Ex his ergo adhuc commemoratis satis constat, cùm privatim & promiscuè cujusque conditionis & fortunæ homines, vitæ suæ auspicia, atque natalem, non uno sacri genere pro suis facultatibus, invocato priùs genio, cui nascentes committi arbitrabantur, ad redintegrandam ejus lùcis memoriam, quam primam aspexerint, diversis rationibus honorificè ornasse: tum publicè quoque universum populum eorum, qui bene de repub. fuissent meriti, & vivorum, & mortuorum natalem diem egisse, & memoriam eorum præconio solenni celebrasse, cùm suæ erga illos gratitudinis testificandæ, tum alios cupiditate laudum, ad similis virtutis, atque beneficentiæ imitationem, inflammandi causa. Illa porrò sive privata, sive publica natalitia cùm sacris nonnullis, (unde Plin. lib. 18. c. 8. *hodie*, inquit, *sacra prisca, atque natalium pulte fritilla conficiuntur*) tum conviviis plerunque luxuriosis, (quæ *natalitia* a Cic. appellantur) omnique voluptatum, atque libidinum genere celebrari fuerunt solita: ac proinde cùm superstitionis, tum luxuriæ plenissima fuerunt. Natalitia cùm publica, tum privata. Natalitia quomodo celebrata.

Soliti etiam fuerunt illis diebus Junonem præsertim, & Genium, ceu deos vitæ hujusce, atque lucis almæ largitores, potissimùm colere, unde etiam *natales* a poëtis fuerunt cognominati. Tibullus: Dii natales.

Natalis Juno sanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenerâ docta puella manu.

Idem de Genio: *At tu natalis quoniam Deus omnia sentis.*

Græci γενέθλιον, quo nomine etiam Jovem, & Lucinam appellarunt. Pindarus in Olymp. εἰδ. η. Alcimedonti & Timostheni, ait,

Τιμόσθενες ὔμμε δ' ἐκλάρωσεν πότμος
Ζηνὶ γενεθλίῳ.

Timosthenes, nos autem conciliavit fortuna Jovi generationis auctori. Idem in Olymp. εἰδ. ιγ. Xenophonti Corinthio, meminit τοῦ γενεθλίου δαίμονος, penè sub finem. Cic. lib. de Nat. Deor. ait: *Natio quoque dea putanda est: cui, cùm fana circuimus in agro Ardeati, rem divinam facere solemus: quæ, quia partus matronarum tueatur, a Nascentibus Natio nominata est.*

Quamobrem mirum profectò non est, ob hanc Ethnicorum cùm superstitiosam, tùm luxuriosam natales suos celebrandi consuetudinem, Christianos primitivæ Ecclesiæ a natalium suorum celebratione prorsus abstinuisse, imò abhorruisse: de quo operæpretium mihi videtur esse, aliquot ex Origine luculenta admodum testimonia proferre, quæ ad antiquitatis cognitionem faciunt. Is igitur lib. 3. in Iob, inquit: *Animadvertamus* Christiani primitivæ Ecclesiæ cur a nata-

 ô homi-

lium celebratione abhorruerint ex Origene indicatur. Christianis non nativitatis, sed mortis dies fuit celebris.

ô homines, quæ immutatio facta est in hominibus. Nam priores diem nativitatis celebrabant, unam vitam diligentes, & aliam post hanc non sperantes. Nunc verò nos non celebramus diem nativitatis, cum sit dolorum, & tentationum introitus: sed diem mortis, utpote omnium dolorum depositionem, & omnium tentationum effugium: quia non moriuntur, sed perpetuò vivent hi, qui mori videntur. Idem homil. 8. super Levit. Primò quærit, *quid causa sit, cur mulier non modò cum susceperit, sed etiam cum pepererit, pro expiatione sua jubeatur offerre pullos columbinos, atque turtures pro peccato?* & respondet, *id non carere mysterio: hoc enim significari, & illam esse immundam, & tanquam peccati ream, piaculari hostia indigere: & ipsum quoque infantem, etiamsi unius diei sit vita ejus, tamen, teste Sacra Scriptura, non mundum esse a sordibus.* Deinde subjicit: *Nemo ex omnibus sanctis invenitur diem festum, vel convivium magnum egisse in die natalis sui. Nemo invenitur habuisse lætitiam in die natalis filii, vel filiæ suæ.*

Pharaonis, & Herodis Natalitia funesta.

Soli peccatores super hujusmodi nativitate lætantur. Invenimus enim in veteri quidem Testamento, Pharaonem regem Ægypti diem natalis sui cum festivitate celebrantem: in novo vero Testamento, Herodem: uterque tamen eorum, ipsam festivitatem natalis sui, profusione humani sanguinis cruentavit. Ille enim præpositum pistorum: hic Sanctum Iohannem prophetam, obtruncavit in carcere. Sancti verò non solùm non agunt festivitatem in die natalis sui: sed & spiritu sancto repleti, execrantur hunc diem: subiicit Jeremiæ, & Jobi exempla quorum uterque diem nativitatis suæ diris devovit. Unde concludit nativitatem nostram corpoream esse immundam: undè & maledictione digna sanctis viris visa sit, & expiationis indiga. Idem lib. 3. in Iob: *Plerique*, inquit, *hominum sub cœlo, hac sola se oblectantes vita, solaque terrena, quæ fragilia sunt atque caduca, respicientes, diem nativitatis suæ summa cum delectatione celebrare student, eoque die splendidè jocundantur. Nam hanc existimant portionem, & hæreditatem suam, & per hæc sperant se diutiùs victuros in corpore*, &c. Et paulò post: *Meritò terrenam hanc, atque carnalem vitam solam diligentes, celebrant diem nativitatis suæ: diem verò mortis nec nominari patiuntur: Iob contra odio carnalis hujus vitæ adductus, pro celebratione diei natalis sui, eum maledicit, quia sit peccatorum & delictorum principium.* Hieron. in comment. in Matth. lib. 2. *Nullum*, inquit, *alium invenimus observasse diem natalis sui, nisi Herodem & Pharaonem, ut quorum erat par impietas, esset & una solennitas.*

Natalitia Christianorum nostris temporibus.

Nostris verò temporibus natalitiæ hujusmodi festivitates, atque convivia apud multos populos Christianos sunt in usu, ita ut, cùm, decurso anno, natalis dies redierit, tum ferè amicos quisque cognatosque suos convivio excipiat: a quibus vicissim ille munera quædam, ut supra dictum est, accipere solet, quæ idcirco munera *natalitia* appellantur. In primis verò magnæ dignitatis auctoritatisque homines, ut reges, principes, optimates, magna sæpè cum pompa, atque splendore dies suos natales agunt, atque celebrant.

Mos celebrandi Natalitia non videtur omnino improbandus. Natalium eorum qui mortui sunt celebratio superstitionis fuit causa.

Nec equidem hujusmodi diem natalitium celebrandi morem, ut olim apud omnes ferè gentes, ita hodie quoque apud nonnullos usitatum, per se & simpliciter improbarim, modò pia adhibeatur modestia, absit luxus atque superstitio. Nam cùm ingens sit Dei donum hominem nasci, vitæ lucisque hujus jucundæ, atque salutaris participem fieri, non alienum, meo judicio, est a pii honestique viri officio, de eo gratias Deo agere, & animi hilaritatem in gratiis agendis, modesti alicujus convivii quasi externo symbolo, testificari. D. quoque Aug. lib. 2. de ord. cap. 1. fatetur se diem natalem suum celebrasse, & non parvam de hac re disputationem cum convivis suis habuisse, eamque in libellum contulisse: qua nihil aptius veræ Philosophiæ sibi videretur. Et lib. 1. Retract. cap. 2. ex occasione diei natalis, se scripsisse refert librum de Beata vita. Quoad verò mortuorum natales, qui olim ab Ethnicis, uti supra dictum est, magna cæremoniarum epularumque magnificentia fuerunt celebrati, multis illi superstitionibus maximas occasiones præbuerunt, dum nimirum illos, quorum dies natales egerunt, non tam humanis, quam divinis honoribus coluerunt. Et huc facit verissimum illud antiquissimi sanctissimique martyris Justini dictum in lib. de monarchia: οἱ μὲν γὰρ τὸ κατ' ἀρχὴν εἰς τιμὴν τῶν ὑπερεχόντων τελετὰς, καὶ λειτουργίας τελοῦντες, ἀμνηστίαν τοῖς μετ' αὐτοὺς τῆς καθολικῆς δόξης ἐνέβαλον, hoc est, *Illi, qui primùm festa sacraque in honorem magnorum hominum instituerunt & peregerunt, posteris oblivionem attulerunt catholicæ* seu *universalis opinionis*, nimirum de uno vero Deo mundi Monarcha.

Mos celebrandi Sanctorum natales. B. Rhenani de his judicium. Natalis S. Felicis.

Hodie quoque Christiani sanctorum dies γενεθλιακοὺς non tam religiosè, quàm superstitiosè, luxuriosèque colunt, ita ut Ethnicis illis hac in parte nihil inferiores esse videantur. Tertullian. lib. de corona militis: *Oblationes*, inquit, *pro defunctis Natalitiis annua die facimus.* In quæ verba sic B. Rhenanus: *Hoc*, inquit, *tametsi Ethnicorum aliquandiu toleravit Ecclesia: Concilium Nicenum, & sequentia, apertè damnant, ut primorum Conciliorum Canones ostendunt. Author est Pontius Paulinus populum, qui ad Natalem D. Fœlicis Nolam confluebat, epulari solitum in æde sacra: ac proinde ipse picturis ex Vet. Test. desumptis templi parietes ornari curavit, quibus accumbentes in mensa temperantiæ admonerentur. Id quod propterea duxi referendum, ut mos comessandi in dedicationibus templorum, & natalibus divorum diebus, antiquus esse cognoscatur. Opus autem erat olim multa Christianis indulgere, qui plerunque jam senes de paganismo ad nostram religionem convertebantur, difficulter ea relinquentes, quibus per omnem vitam assueverant. Secus est hodie. Porrò in celebrando natali die, genialis Ethnicorum lætitia, de qua Macrinum suum Persius admonet,* Funde merum genio, *a præsulibus Christianis rectè in oblationes, quæ in Eleëmosynam pauperum conferebantur, mutata est, quum ad nostram religionem illi transiissent:* Hæc ille. Ex quibus constat sanctorum natales epulas agitandi consuetudinem Ethnicam esse, & ab antiqua Ecclesia aliquandiu toleratam, a Concilio Niceno, & aliis sequentibus damnatam fuisse. Damnat hanc eandem etiam Augustinus de pœn. med. cap. 4. Inquiens: *Attende animo tot Martyrum millia. Cur enim te Natalitia eorum conviviis turpibus celebrare delectat, & eorum vitam sequi honestis moribus non delectat?*

Jam verò quid dicam in universum de natalitiis Christianorum privatis, publicisque festivitatibus, annon illa plena sunt, ut illa antiqua Ethnicorum, libidinis, superbiæ, luxuriæ, voluptatum; ita ut non natalia, sed mor-

mortualia potiùs dici mereantur? Debebant illi in recolenda dierum ſuorum natalium memoria, primò debitas meritaſque Deo, ceu vero Natali ſive Genethlio, gratias agere pro accepta jucundiſſimæ ſaluberrimæque hujus lucis uſura, proque felici in hanc vitam introitu. Deinde illi ardentibus votis ſupplicare, ut & brevem lubricumque caducæ hujus vitæ curſum, piè honeſteque ad ipſius gloriam, proximique ſalutem conficiendi: & cum vera fide, certa exploratáque æternæ illius vitæ atque lucis ſpe hinc rurſus emigrandi ſibi facultatem largiatur. Adhæc animis ſuis reputare debebant, quàm funeſti ſint dies illi ſui natales, ob originalem nimirum illam labem, qua nos omnes, ab ipſo ſtatim conceptu, infecti atque polluti naſcimur, quamque in ipſo ætatis progreſſu peccatis, uti vocant, actualibus magis augemus. Quæ ſanè cogitatio nobis ad Dei gratiam, atque veniam tanto ardentiùs implorandam, eique pro ſanctiſſimo filii ſui unigeniti natali, quo impuros noſtros natales expiavit, gratias agendum: denique ad ſpiritualia illa γενέσια, ſeu potius παλιγγενέσια per totum vitæ noſtræ curriculum tanto majori cum ſtudio agendum moliendumque, ſtimulus acerrimus eſſe deberet. Hæc verò, meo judicio, optima eſſet, utiliſſimaque dies noſtros natales agendi, celebrandique ratio, cui ſi epulæ modeſtæ moderatæque adjungantur, non tam ferculorum, quàm ſermonum piorum honeſtorumque quaſi condimentis refertæ, cùm ad ſe ſuoſque lætificandum, tum ad pauperes quoque atque inopes paſcendum comparatæ, illas equidem minimè culpandas eſſe exiſtimarim. Verùm, proh dolor, hodie Chriſtianorum plerique, ut nihil de externis, barbariſque nationibus loquar, Ethnicorum illorum priſcorum more & imitatione dies ſuos natales cum ſumma Dei, lucis hujuſce datoris ac largitoris, contumelia, totos libidinibus, pompis epuliſque luxurioſiſſimis tranſigunt, ita ſe cibo potuque immoderato ingurgitant, ut nihil pii, honeſtique cogitare poſſint, ſeque lucis hujuſce, quam a Deo acceperunt, uſura indigniſſimos eſſe oſtendant. Quinimmò ſemetipſos, quantum in ſe eſt, hac luce privant, diemque ſuum natalem, ut ille apud Plautum loquitur, ſibi emortualem faciunt. Hæc ſunt Chriſtianorum non Chriſtiana profectò, ſed Herodiana potius natalitia, ethnicorumque illorum natalitiorum ſimillima. Nec verò ſuos tantùm natales, verùm etiam noctem illam natalem Joannis Baptiſtæ, qui Chriſti præcurſor extitit, ſuperſtitioſè ſimul & tumultuoſè celebrant, qua Mauri quoque Mahometani & Gotthi utuntur, teſte Levino Lemnio lib. 3. de Mirac. nat. c. 8. Imò quod vel cogitatu eſt horrendum, ſacroſanctum illum, illum, inquam, omnium natalium principem, & luſtratorem (quem Chryſoſt. *omnium feſtorum metropolim* in orat. de Philog. appellat,) Chriſti, imò totius mundi natalem, ſalutaremque diem, quem omnes piis meditationibus, divini Numinis collaudationibus, gratiarumque actionibus, colere ac venerari optimo jure debebant, plurimi hodie Chriſtianorum diurnis nocturniſque compotationibus, comeſſationibuſque contaminare non dubitant, ita ut non Chriſti natalia, ſed Bacchanalia potiùs, atque Lupercalia agere videantur. Quò etiam fit, ut nox illa, cujus memoria celebratur, ob Chriſtum in illa natum, hoc eſt, ſancta vernaculo noſtro ſermone appellata, ob fœdum illius abuſum potiùs Weinnacht / hoc eſt, ***nox vini***, Epicureorum illorum reſpectu, ſit dicenda. Gregorius Nazianzenus veram juſtamque natalitia Dominica celebrandi rationem his verbis docet in præclara illa ſua oratione in Natalem Domini. Feſtivitatem primò hanc & θεοφάνια, & γενέθλια rectè dicit appellari, ὅτι ἐφάνη θεὸς ἀνθρώποις διὰ γεννήσεως, hoc eſt, ***quia apparuit Deus hominibus per nativitatem.*** ἐπιφάνια quidem διὰ τὸ φανῆναι, διὰ δὲ τὸ γεννηθῆναι γενέθλια. ***Hanc igitur feſtivitatem celebremus***, μὴ πανηγυρικῶς, ἀλλὰ θεϊκῶς, μὴ κοσμικῶς ἀλλ' ὑπερκοσμίως, &c. hoc eſt, ***non panegyrico, ſed divino, non mundano, ſed ſupermundano modo. Verùm quo pacto id perficiemus?*** μὴ προθύρας στεφανώσωμεν, μὴ χοροὺς συστησώμεθα (obſerva hic tritam olim & uſitatam quævis feſta celebrandi conſuetudinem) μὴ κοσμήσωμεν ἀγυιάς, μὴ ὀφθαλμὸν ἑστιάσωμεν, μὴ ἀκοὴν καταυλήσωμεν, μὴ ὄσφρησιν ἐκθηλύνωμεν, μὴ γεῦσιν καταπορνεύσωμεν, μὴ ἁφῇ χαρισώμεθα ταῖς προχείροις εἰς κακίαν ὁδοῖς, καὶ εἰσόδοις τῆς ἁμαρτίας· μὴ ἐσθῆτι μαλακισθῶμεν ἁπαλῇ καὶ περιρρεούσῃ, καὶ ἧς τὸ κάλλιστον, ἀχρηστία, μὴ λίθων διαυγείαις, μὴ χρυσοῦ περιλάμψεσι, μὴ χρωμάτων σοφίσμασι ψευδομένων τὸ φυσικὸν κάλλος, καὶ κατὰ τῆς εἰκόνος ἐξευρημένων, μὴ κώμοις, καὶ μέθαις, οἷς κοίτας, καὶ ἀσελγείας οἶδα συνεζευγμένας, id eſt, ***Nequaquam fores coronemus*** (de hoc more alibi pluribus) ***non choros inſtauremus, non compita viarum exornemus, non oculos paſcamus, non auditum oblectemus, non odoratum effœminemus, non guſtui lenocinemur, non tactui obſequamur***: (hæc enim ingreſſus ſunt ad peccatum, & viæ pronæ) ***non veſtimentis teneris ac fluidis, ex quibus id quod pulcherrimum, planè eſt inutile, molliter induamur, non gemmarum ſplendoribus: non auri fulgoribus, non colorum fucis naturalem mentientibus pulchritudinem, & propter imaginem repertis: non comeſſationibus, & ebrietatibus, quibus cubilia atque libidinem ſcimus eſſe conjunctam.*** Addit, ***non thoros altos, veluti delitias concinnantes, ſternamus, non*** οἴνων ἀνθοσμίας, ὀψοποιῶν μαγγανείας, μύρων πολυτελείας, ***vini fragrantiam, coquorum commenta, unguentorum ſumptus honoremus.*** Et hæc de dierum natalitiorum & ſacrorum, & prophanorum fœdiſſimo abuſu: cujus Luithprandus quoque meminit lib. 6. c. 3. & 4. indicans, convivia hoc die Chriſti natalitio celebrata fuiſſe apud Conſtantinopolitanos: quo tempore 19. menſas apponi ſolitas, in quibus Imperator pariter & convivæ non ſedendo, ſed recumbendo epulentur: nec argenteis, ſed tantum aureis vaſis miniſtrari. Quin ludos quoque eo tempore exhibitos ibidem teſtatur, ubi unum etiam admiratione dignum deſcribit.

Vera & pia ratio celebrandi Natales, quæ.

Mos Natalitia celebrandi a pietate Chriſtiana alienus.

Chriſti natalem quomodo hodie Chriſtiani celebrent.

Natalitiis porrò conviviis non ineptè, mea quidem ſententia, accenſeri adiungique poſſunt uſitata illa apud Germanos convivia Würgeten vulgò appellata, quæ cum antiquis illis Græcorum ὀνομαστηρίοις magnam videntur affinitatem habere. Moris namque eſt apud Germanos nonnullos, ut tàm viri, quàm mulieres ſanctorum illorum, qui in Calendario ſcripti reperiuntur, ſibi cognominum diebus, veluti natalibus ſuis, a familiaribus & amicis ſuis collo obtorto, tamdiu ſtrangulentur, donec illis ſtipulantibus cibi aliquid, potúſve, aut etiam juſtum epulum, ceu λύτρον, promittant; quod quidem idcirco Würgeten / ceu dicas *ſtrangulatoria*, appellant: quique illud exhibent, *ſtrangulatoria* vulgò dicuntur *dare*, ut Cicero dixit *natalitia dare.*

Würgeten.

dare. Sæpè etiam accidit, ut idem dies alicui fuerit natalis, quippe cùm secundùm antiquum morem, & consuetudinem infantes sæpenumero illius sancti, in cujus die nati fuerunt, nomine fuerint insigniti. Quò fit ut non immeritò hoc quoque epuli genus ad natalitia convivia videatur esse referendum. Atque hæc de natalitiis, & puerperalibus conviviis satis sint dicta: quibus tamen illud quoque adjiciendum, silentioque minimè videtur esse prætermittendum, quod de Thracum consuetudine, reliquarum gentium consuetudini planè contraria, scriptum legimus. Nam cùm, quemadmodum suprà pluribus explicatum est, omnes ferè gentes suorum natales lætitia, conviviisque celebrarint, Thraces soli, ut testis est Herod. lib. 5. infantem recens natum circumsedentes ploratu, atque lachrymis fuerunt prosequuti, commemorantes quot, & quantæ illi, vitam hanc ingresso, clades atque calamitates subeundæ sint, atque perferendæ. Contrà autem hominem defunctum cantu, tripudiis, omnique lusus lætitiæque genere fuerunt prosequuti, narrantes quantis malis, atque ærumnis ille sit liberatus. Valer. Max. lib. 2. *Thraciæ verò illa natio*, inquit, *meritò sibi sapientiæ laudes vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebrans, sine ullis doctorum præceptis, verum conditionis nostræ habitum prævidit. Removeatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo vitæ, quæ multa & facere, & pati turpiter cogit, si ea mortua, aliquantò ejus felicior, & beatior reperietur finis.* De hoc ipso Thracum more vide & Solinum & Melam Pompon. lib. 2. quem etiam Archias eleganti carmine Græco expressit. Cic. lib. 1. Tuscul. *Hac sententia*, inquit, *in Ctesiphonte usus est Euripides:*

Thraces Natales suos non lætitia, sed luctu fuerunt prosequuti.

Nam nos decebat, cœtus celebrantes, domum
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala.
At, qui labores morte finisset graves,
Omnes amicos laude, & lætitia exequi.

Sed quid dico de Thracibus? Ipsum quoque Jobum, atque Jerem. sanctissimos viros legimus natalia sua fuisse execratos: & Solomon quoque mortuos vivis prætulit: utrisque autem eos, qui nunquam nati, miserias hujus vitæ experti non essent. Unde etiam, ut suprà ex Origene probatum est, non nativitatis dies, sed mortis potiùs, sive exitus ex hac vita, Christiani primitivæ Ecclesiæ sibi celebrandos esse duxerunt. Et hinc, id quod observatione sanè dignissimum est, dies illos, quibus olim martyres pro Christo mortem fortissimè oppetierunt, γενέθλια, hoc est, *natalia*, seu *natalitia* ipsorum fuisse vocatos, propterea quòd per mortem in Christo ad vitam verè vitalem, hoc est, æternam & immortalem transirent, atque renascerentur, secundùm illud Christi Joan. 11. de Lazaro, *Non est mortuus, sed vivit.* Item, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*, unde etiam cœlestis patria vocatur regio viventium. Orig. lib. 3. in Job: *Non maledicatur*, inquit, *dies mortis, neque dies finis, neque exitus ex hac vita. Est enim consummatio, & requies, & dolorum omnium transitus ac depositio. Sed dies nativitatis, ceu omnium angustiarum, ærumnarum, dolorum, peccatorum, atque impietatum initium atque introitus.* Sic apud Euseb. lib. 4. cap. 14. Ecclesia Smirnensis scribit, se diem martyrii Polycarpi, tanquam natalitium, cum gaudio & exultatione, coacto cœtu Ecclesiastico, celebraturam: & additur finis εἴς τε τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησιν, καὶ ἑτοιμασίαν, hoc est, *ad memoriam eorum, qui certamen illud iam certarunt: & ad eorum, qui idem certamen sunt subituri, exercitationem & præparationem.* Tale est illud, quod Herodotus lib. 5. scribit, Trausos, Thraciæ populos, quos Causios & Causianos esse puto, natos luctu excipere solere, mortuos verò lætitia prosequi. De Massiliensib. quoque idem proditum est, conviviis ornare funera, non fletu eos fuisse solitos. Verùm de his in funebribus conviviis plura forsan dicentur. Postremò, ut hunc de natalitiis locum concludam, notandum est, *natalem sacrorum* ab Apuleio lib. 11. appellari illum diem, quo quispiam consecratur, fitque sacris initiatus, quem non minus religiosè celebrare debemus, quàm diem nativitatis: quoniam ex illo vita tantùm, ex hoc verò vita religiosa producitur. Hæc Beroaldus interpres. Ipsius verò Apulei verba hæc sunt: *Exhinc festivissimam celebravi natalem sacrorum, & suaves epulas, & faceta convivia.* Verùm hæc pertinent ad illud conviviorum genus, quod in alicuius muneris susceptione celebratur.

Iob & Ierem. suos dies natales execrati sunt.

Martyrum dies, quibus mortem pro Christo oppetierunt, γενέθλια dicti, & cur.

Dies mortis non maledicendus, sed dies nativitatis, Origeni.

Natalis sacrorum dies ab Apuleio quis dicatur.

CAPUT

CAPUT XVII.

SECUNDUS VITAE HUMANAE ACTUS EST EDUCATIO: DE VARIIS CONVIVIORUM GENERIBUS, QUAE IN ILLUM CADUNT. DE CONVIVIO *ABLACTATIONIS* HEBRAEORUM, *DENTITIONIS* FESSANORUM. DE INFANTUM NUTRICATIONE, LACTATIONE, (QUAE MAGNA SUNT DEI MIRACULA) ABLACTATIONE, ATQUE VICTU. QUIBUS DE CAUSIS MATRES, SI ULLO MODO FIERI POTEST, SUO LACTE INFANTES ALERE DEBENT. EXEMPLA EPULARUM PUERILIUM, UT IN COMAE ET BARBAE DEPOSITIONE, VESTITUS MUTATIONE, &c. IN GENERE DE PUERORUM ET ADOLESCENTUM DIAETA ATQUE VICTU VEL PROBO, VEL MALO.

Sequitur secundus vitæ humanæ actus, nimirum educatio, qui quidem reliquorum trium, qui sequuntur, quasi basis est, & fundamentum. Nam qualis præcessit educatio, talis plerunque & muneris cujuslibet, & matrimonii & mortis denique ratio conditióve, sive bona, sive mala consequi solet. Nolo autem hîc de ipsius educationis, institutionisve puerilis vi, quæ in bonam pariter atque malam partem maxima est, deque vera illius legitimaque ratione disputare, de qua præ cæteris & Plutarchus in aureolo illo suo libello περὶ τῆς ἀγωγῆς τῶν παίδων, & Plato in lib. de Repub. de Legibus, nec non in Dialogo, qui *Laches* inscribitur. Item *Aristoteles* Pol. lib. 8. cap. 17. & lib. 9. sapientissimè differuerunt. Verùm de conviviorum tantùm nonnullis generibus, quæ ex multarum gentium more, & consuetudine cum puerili hac educatione sunt conjuncta: deque ipsa puerilis diætæ ratione, atque consuetudine, quæ apud gentes quasdam olim obtinuit, & adhuc obtinet, proprius hîc mihi videtur esse differendi locus. Sunt autem convivia, quæ in teneram illam ætatem incurrunt, duplicis ferè generis: alia, quæ a majoribus natu in illorum gratiam celebrantur: alia, quæ ab ipsismet pueris agitari solent.

Convivia puerilia duplicia.

Quoad prioris generis convivia, primum meritò inter illa locum obtinet antiquissimum illud, Iudæis olim usitatum, *Ablactationis* convivium: cujus duo illustria in sacris litteris exempla habemus. Primum est Gen. 21. ubi Abrahamus eo die, quo Isaacus filius ejus a lacte fuit depulsus, magnum convivium dicitur adornasse: de quo sic Origenes Homil. 7. in Genes. *Hujus pueri diem natalem non celebrat Abraham, sed celebrat diem, quo a lacte fuit depulsus, magnumque convivium facit.* R. Selomoh tradit Saram, ut supposititi partus suspicionem, quæ vulgò increbuerat, amoliretur, omnibus convivarum infantibus, quos illi secum adduxerant, lac exhibuisse: atque hoc tam largo lactis fonte, qui omnibus potuit satisfacere, fidem fecisse, se non supposititio, sed vero partu gaudere. Verùm hoc, quoniam de eo nihil affirmant sacræ litteræ, eadem facilitate, qua affertur, rejici ac repudiari potest. Quæritur autem a nonnullis, cur potiùs convivati sint, quando puer a lacte fuit depulsus, quàm ubi est circumcisus: & respondetur, propterea quòd circumcisio & infanti, qui vulneratur, ac spectantibus quoque parentibus, cognatis atque aliis, molestiam afferat: deinde quòd amor parentum non tantus sit ab initio erga infantes, quantus postea. Verùm primò supervacanea videtur illa esse quæstio, nec certò potest affirmari circumcisionis die nullum convivium ab Abrahamo fuisse celebratum, licet sacræ literæ nullam ejus mentionem faciant: quippe cùm non omnes semper rerum gestarum circumstantiæ in sacris litteris exprimantur, & ex supra commemoratis constet, circumcisionis diem hodie a Judæis, atque Mahometanis magnificis conviviis celebrari. Deinde ratio, quæ redditur, admodum videtur esse levis: quippe quum & ablactatio non minus quàm circumcisio, infanti pariter atque parentibus dura sit atque molesta: & convivia non solùm in læto, verùm etiam in tristi rerum statu, ut in funeribus, nonnunquam agitari soleant, ad illos, qui mœrore sunt consternati, nonnihil erigendum atque consolandum.

Ablactationis convivium. Primum exemplum convivii ablactationis.

Quæstio, cur olim Judæi potiùs convivati sint, quando puer a lacte fuit depulsus, quàm ubi est circumcisus.

Alterum exemplum est 1. Sam. 1. ubi Hannah scribitur filium suum Samuelem, posteaquam eum a lacte depulit, cum juvencis tribus, & modio uno farinæ atque utre vini ad domum Jehovæ in Silo adduxisse. Ibi R. David Kimchi existimat ex tribus illis juvencis unum sacrificio fuisse destinatum, reliquos verò duos epulo, quod sacrificium fuit consequutum, quæ sententia doctis quibusdam videtur esse verisimilis: quidam tamen unum juvencum ad holocaustum, reliquos duos ad pacifica volunt fuisse destinatos. Ex duobus ergo illis locis constat, tempus ἀπολακτισμοῦ (quod Moschion in gynæciis anno, & mensibus sex, aut biennio integro post partum definivit, cùm nimirum infantis dentes jam solidiores, solidiorem cibum facilius dividere atque manducare possunt:) de quo tempore plura apud Fr. Vallesium vide de sacra Philosophia pag. 634. sacrificiis conviviisque fuisse apud Judæos celebratum, quorum finis ususque partim gratulatorius seu eucharisticus, partim consolatorius, partim denique typicus, seu mysticus videtur fuisse. Nam primò parentes læti, quod infantes sui eò ætatis jam progressi, tantumque viribus aucti essent, ut jam non ampliùs lacte indigerent, sed solidiore cibo uti possent, hujusmodi sacrificiis atque conviviis, ceu externis symbolis, animi sui lætitiam, atque εὐχαριστίαν erga Deum, vicinis, amicis, atque cognatis suis declarabant, quò nimirum illi unà secum, non modò ad gaudendum, verumetiam ad gratias Deo pro tanto beneficio agendum, incitarentur. Deinde quoniam hæc infantum a maternis uberibus maternoque lacte, ceu naturali jucundissimoque cibo atque potu, repentina avulsio atque abstractio, & ipsi infanti & matri φιλοστόργῳ, magnos animi

2. Secundum exemplum.

Ablactationis tempus.

Convivii ablactationis finis ususque triplex.

1. Eucharisticus.

2. Consolatorius.

animi corporiſque dolores conciliat, hujuſmodi conviviis, mutuisque amicorum cognatorumque ſuorum colloquiis, illos proculdubio lenire atque mitigare tentabant. Poſtremò, quoniam omnes veteris Teſtam. cæremoniæ atque actiones rerum ſpiritualium, eorum quæ novi Teſtamenti temporibus futura atque eventura erant, typi atque figuræ fuerunt, dubium profectò non eſt, quin ablactatio quoque ſpiritualium quorundam myſteriorum imago fuerit, ita ut mirum non ſit, illam a veteribus ſacrificiis, conviviiſque fuiſſe celebratam.

3. Typicus ſeu myſticus.

Quæ myſteria corporea illa ablactatione ſignificentur. Primum myſterium.

Primò igitur ablactatione iſta corporea ſpiritualis ablactatio adumbrata fuit, qua nimirum veri, & ſpirituales Iſaaci, hoc eſt, fideles, & electi, Sancti Spiritus vi atque virtute, a lacte materno atque naturali, hoc eſt, ab originalis labis pravitate, quam unà cum lacte materno ſuxerunt, depelluntur, ut ſolidi cibi, hoc eſt, veræ ſolidæque pietatis & innocentiæ, ſeu ipſius potiùs Chriſti, compotes fiant. Deinde eadem quoque ſignum fuit admirabilis illius, quæ poſt Chriſti adventum extitit, futuræ ablactationis, qua nimirum Iſaaci ſpirituales lac infantiæ illi veteris Teſtam. convenientiſſimum, hoc eſt, legis elementa ac rudimenta cum ſolido cibo, hoc eſt, cum euangelio commutarunt. Adhæc infantium, qui modò a materno lacte remoti fuerunt, imagine egregiè in ſacris literis veri Iſaaci ſecundum ſpiritum, hoc eſt, electi depinguntur, qui, ut infantes ad matrem, ad Deum ſolùm reſpiciunt, in illo ſolo mentis, cordiſque ſui oculos defixos habent, ſecundum illa Davidis carmina a Buchanano elegantiſſimè his verſibus Latinis expreſſa:

Secundum.

Qualis puer tenellus
Vix lacte pulſus, unam
Suſpirat in parentem,
Hanc ſpectat, hac ab una
Dependet, ambit unam.
Æterne rector orbis,
Te mens mox intuetur
Unum, uni adhæret, unum
Te vindicem ſalutis
Agnoſcit.

Tertium.

Eadem metaphora utitur quoque Iſaias cap. 28. Præterea hac eadem ablactatione ſignificatum fuit, Spirituales Iſaacos in hac vita, ceu infantia inſcitiæ ignorantiæque plena, lacte tantùm, hoc eſt, caduco cibo ſuſtentari, qui quidem poſt hanc vitam ſolido æternoque quaſi nectare, atque ambroſia paſcentur. Poſtremò, ut Iſaacus, atque Samuel a lacte matrum ſuarum fuerunt depulſi, ita futurum erat, ut illorum poſteri, juſto Dei judicio, a terra Canaan, ceu matris ſuæ lacte & melle fluentis uberibus depellerentur, & exterarum gentium craſſis, ſordidiſque cibis veſci cogerentur. Hæc atque alia hujuſmodi myſteria, quùm corporea illa ablactatione ſignificentur, quid mirum eſt illam tanta a veteribus ſacrificiorum conviviorumque feſtivitate fuiſſe decoratam?

Quartum.

Spartanorum τιθωίδια, ſimilia feſtivis ablactationis epulis.

Hiſce autem feſtivis *ablactationis* epulis, ſimilia videntur fuiſſe illa Spartanorum τιθηνίδια, quaſi dicas *nutricalia*, pro pueris celebrari ſolita, quorum Athen. lib. 4. meminit. Illo enim tempore nutrices infantes mares in agros exportabant ad Dianam Corythalliam cognominatam, cujus ædes erat juxta Tiaſſum in locis vicinis Cletæ. Tunc igitur Copidas (genus id erat Spartani convivii) agitabant, ſacrificabant præterea γαλαθηνοὺς ὀρθαγορίσκους, hoc eſt, porcellos adhuc lactentes, & in convivio apponebant panes furnaceos. Hæc ille. Veriſimile igitur eſt, eo tempore, quo infantes erant ablactandi, illud ſacrificii epulique genus celebrari fuiſſe ſolitum. Cato Eduſam, & Potinam vocavit deas præſides puerorum: has enim nutrices invocare ſolebant, cum pueri lac dimittere incipiebant.

Eduſa & Potina Deæ præſides puerorum.

De infantum nutricatione, lactatione, & ablactationis tempore. Infantes eloquentiſſimi divinæ gloriæ præcones. Menſtruo ſanguine infans in utero materno alitur.

Nunc & loco huic, & propoſito in univerſum noſtro videtur eſſe conſentaneum, ut de infantum nutricatione atque lactatione, nec non ablactationis tempore atque victu, quædam dicamus. Veriſſimè David Pſal. 8. cecinit, Deum in infantum atque lactentium ore laudem ſuam fundaſſe, ita ut infantes adhuc lactentes, licet ne verbulum quidem adhuc fari poſſint, tamen eloquentiſſimi vocaliſſimique ſint divinæ laudis atque gloriæ præcones. Nam ut alia omittam, quid quæſo admirabilius, & ad divinam laudem illuſtrius, quàm illud epulum, quod Deus infantibus adhuc utero materno incluſis adornat præbetque? quod quidem, ut Hippoc. & Galenus, Medicorum facilè principes, teſtantur, menſtruo ſanguine, quo nihil fœdius ac pernicioſius, conſtat: cujus quidem ex venis defluxu infans alitur, ac incrementa ſuſcipit. Hæc ſunt infantum illorum fercula, hæ cupediæ atque delitiæ, quæ cùm ſuapte natura ſint virus monſtrificum atque pernicioſum, ut Plinius & alii Phyſici, atque adeò ipſa experientia teſtatur, excrementum, admirabili Dei virtute atque potentia in utile, alendoque fœtui accommodum alimentum, convertuntur. Hujuſce epuli conſideratio diligens & accurata, nos & ad ipſius Dei potentiam benignitatemque cognoſcendam ac collaudandam, & ad faſtum, ſuperbiam, luxuriamque noſtram compeſcendam ac coërcendam, meritò invitare deberet.

Jam verò poſtquam infans ex illis materni uteri tenebris, atque tetro fœdoque carcere in lucem hanc almam atque jucundam evaſit, ecce aliud illi a Deo epulum apponitur, quod quidem eodem ferculo conſtat, quo in utero adhuc incluſus, nutritus fuit, nempe ſanguine illo, qui quidem ſingulari Dei virtute atque potentia in lac commutatus in mammillas ſurſum fertur, ad infantem recens natum alendum atque nutriendum, de quo ſic egregiè Phavorinus apud Gellium diſſerit: *Nónne hac quoque in re ſolertia naturæ evidens eſt, quòd poſteaquam ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit, adventante jam partus tempore, in*

ſupernas

supernas se partes profert, & ad fovenda vitæ atque lucis rudimenta præstò est, & recens natis notum, & familiarem victum offert? Cogitatu quoque, ne dum dictu est admirabile, quanta sit tenelli illius oris dexteritas, ac promptitudo ad lacteum illud suum alimentum ex maternis uberibus sugendum atque deglutiendum; ex quo ipso quoque singularis Dei virtus elucet atque apparet. Philo in lib. περὶ τῆς φιλανθρωπίας scitè admodum eleganterque inquit, divinæ providentiæ duo esse maxima munera: nimirum & γένεσιν, δι' ἧς τὸ μὴ ὂν ἄγεσθαι εἰς τὸ εἶναι, hoc est, *generationem, qua id, quod non est, in esse producitur*, & τὴν τοῦ γάλακτος ἐπίρροιαν, hoc est, *lactis affluxum*, quo quidem, ceu mollissimo nutrimento infans ἀρτίγονος, hoc est, *recens natus* alitur atque nutritur. Nam, ut ibidem addit, singulari Dei providentia fit, ut unum idemque nutrimentum partim aqueum, partim crassum infantibus cibi simul potionisque usum præstet, & ad illorum sitim pariter atque famem uno eodemque tempore restinguendum optimum sit efficacissimumque pharmacum.

Promptitudo infantum ad lac sugendum.

Providentiæ divinæ duo maxima munera secundum Philonem.

Unum idemque nutrimentum infantibus cibi, potionisque simul usum præstat.

Cùm itaque, ut ex pauculis his, quæ attigi apparet, hæc infantum nutricatio atque lactatio ingens sit Dei miraculum, & illustre divinæ potentiæ atque clementiæ documentum, vel hæc sola ratio omnes matres ad illa sua viscera suo proprio lacte alendum nutriendumque optimo jure impellere debebat. Quam enim quæso majorem voluptatem simul ac utilitatem capere possint, quàm ex jugi assiduaque tanti miraculi divini inspectione & consideratione, si, inquam, tantum Dei miraculum consideratione admirationeque dignissimum non oculis solùm atque auribus: verùm etiam tactu cæterisque sensibus assiduè usurpent? An non hoc ad illarum animos cùm divini amoris atque laudis studio inflammandum: tum adversus innumeras molestias, curas, solicitudines, dolores atque ærumnas, quibus matrimonialis vita obnoxia est, vera fide fiduciaque muniendum plurimum valeret? Pudeat ergo mulieres multas suæ ignaviæ atque mollitiæ, quæ semetipsas tanto fructu privant, dum partum suum aliis committere, quàm illum alere malunt. Verùm præter illam a me commemoratam rationem, multæ aliæ validæ admodum, & efficaces, ab Hippoc. Galeno, Phavorino apud Gellium, Macrobio, Quintiliano, Plutarcho in lib. de liberorum educatione, rationes afferuntur, quæ docent matrum munus atque officium esse, ut infantes suo lacte nutriant atque educent: siquidem illis liberorum suorum salus curæ est atque cordi. Prima ratio est, quia infans jam in utero, uti supra dictum est, nutrimento illi assuevit: quamobrem illius mutatio infanti non parum periculi creabit. Non decet igitur, ut bene pieque Christoph. a Vega dixit, infantem orbari sua hæreditate, qua Creator summa clementia, liberalitate & providentia ipsum donavit. Quod enim per umbilicum intra uterum capiebat, id sibi tradi voluit in mammis confectum, ad easdem traductum per venas utero, ipsisque communes. Secundò, matres συμπαθέστερον, ut Plutarchus inquit, hoc est, majori cum affectu atque etiam jure infantes suos alunt, ut quos ex intimo corde, atque ex unguiculis, ut dicitur, amant, quàm nutrices, quarum benevolentia non naturalis, sed adventitia est, atque supposititia, ex mercede, qua conductæ sunt, promanans. Tum illa quoque non levis est ratio, quæ matres ad infantes suos lacte suo alendum impellere debet, quòd periculum est, ne illorum & animi & corpora alieno nutricis alicujus lacte corrumpantur. Nam, ut eleganter Phavorinus apud Gellium disputat, non frustra creditum est, sicut valet ad fingendas animi corporisque similitudines vis, & natura seminis, non secus lactis ad ingenia & proprietates valere. Egregiè id quoque docet Aristoteles Pol. 9. inquiens: ἡ δὲ γάλακτος κληθεῖσα τροφὴ μάλιστα οἰκεία τοῖς σώμασιν. ἀοινοτέρα γὰρ διὰ τὰ νοσήματα. Hinc Lactantius imitatus Paulum eleganter hoc simili utitur lib. 5. cap. 4. *Nam sicut infans solidi ac fortis cibi vim capere non potest, sed liquore lactis, ac mollitudine utitur, ita*, &c. Verùm id non in hominibus solùm, sed etiam in brutis animadversum. Nam si ovium lacte hœdi, caprarum agni alantur, constat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. Compertum quoque est, canem lacte cati nutritum perinde mures capere, atque catum. Hinc poëtæ hominum quorumvis crudelitatem depingentes, illos fingunt tigridum, leænarum, aliarúmve ferarum mammas suxisse. Habidem Justinus narrat, quòd ei cerva ubera admoverit, summa pernicitate præditum, inter cervorum greges, saltus montesque peragrasse. Sic Tiberii bibacitas, Caligulæ crudelitas, illorum nutricibus accepta fertur: quarum altera temulenta mulier fuit, Tiberiumque ablactando vinolentis offis pavit: altera cùm suapte natura crudelis fuit, atque barbara: tum mammillæ extremitatem sanguine imbuit, ut illam Caligula sugeret. Ac omnino constat, nutricum cùm animi, tum corporis vitia in infantum animos, atque corpora derivari. Unde Alaidem S. Bernhardi matrem, illustrem fœminam, legimus septem suos liberos non alienis uberibus nutriendos commisisse, quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. Quamobrem non ignaviæ modò atque mollitiæ, verùm etiam inhumanitatis immanitatisque nomine accusandæ sunt matres istæ, (si matres sunt appellandæ, ac non potiùs duræ, tristesque novercæ) quæ misellos suos infantulos a se ablegant, & alienis nutricibus cum illorum maximo animi corporisque periculo tradunt, seu produnt potiùs atque prostituunt. Præterea si matres suo lacte infantes suos alant, id ad mutuum matris atque infantis amorem augendum & confirmandum plurimùm valet: de quo, si secus fiat, multum detrahi atque diminui est necesse. Nam ut scitè admodum vereque Plutarchus inquit, ἡ συντροφία ὥσπερ ἐπιτονόν ἐστι τῆς εὐνοίας, hoc est, *convictus est incrementum, seu quasi intentio quædam benevolentiæ*: ita ut ipsas quoque feras, ab illis, quarum convictu usæ sunt, abstractas, illarum desiderio tangi videantur. Hinc Phavorinus apud Gellium, *Quis, inquit, illud etiam negligere, aspernarique possit quòd quæ partus suos deserunt ablegantque a sese, & aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulumque animi, atque amoris quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt, aut certè quidem diluunt deteruntque? Nam ubi infantis aliorsum dati, facta ex oculis amolitio est, vigor ille maternæ flagrantiæ sensim atque paulatim restinguitur, omnisque impatientissimæ solicitudinis strepitus consilescit. Neque multò minor amandati ad nutricem aliam filii, quàm morte amissi oblivio est. Ipsius quoque infantis affectio animi, amoris, consuetudinis in ea sola, unde alitur, occupatur: & proinde (ut in expositis usu venit) matris,*

Lactatio infantum ingens Dei miraculum.

Infantes matrum lacte alendi.

Matrum munus est infantes lacte nutrire & educare.

Ratio prima.

Secunda.

Tertia: in qua simul de lactis materia vi & efficacia.

Quarta.

quæ

quæ genuit, neque sensum ullum, neque desiderium capit. Ac propterea obliteratis & abolitis nativæ pietatis elementis, quicquid ita educati liberi amare patrem atque matrem videntur, magnam ferè partem non naturalis ille amor est, sed civilis & opinabilis: Hæc ille. Jam vero ipsa quoque natura, ut inquit Plutarchus, docet matribus lactandam esse atque alendam suam progeniem: quæ idcirco unicuique animanti parienti alimentum lactis suppeditavit, ac proinde sapienter bina mulieribus ubera dedit, ut si gemellos edidissent, uterque suum lactis fontem haberet. Hinc Phavorinus, *An tu quoque*, inquit, *putas naturam fœminis mammarum ubera, quasi quosdam nævulos venustiores, non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? Sic enim pleræque istæ prodigiosæ mulieres fontem illum sanctissimum corporis generis humani educatorem arefacere & extinguere, cum periculo quoque aversi corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis sibi insignia devenustet.* Idem auctor prodigiosas istas, uti vocat, mulieres, quæ partum suum alere detrectant, parricidii reas facit. His adde, quòd cùm ipsa quoque animalia bruta, quantumvis fera, suos fœtus vel ipsius naturæ impulsu alant, nutriant, foveant diligenter ac delicatè, mulieres illas, quæ idem officii infantibus suis præstare recusant, vel ipsis feris immaniores ac deteriores esse. Reprehendit idem Chrysostomus Homil. in Matth. 83. sic scribens: *Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes suos dederunt, quod ipse* (Christus) *facere noluit: sed proprio corpore nos alit, & sibi conjungit atque conglutinat.* Præterea legimus, Reginas quoque Galliæ olim infantes suos lactasse: unde tradunt, Reginam quandam Galliæ, ex Hispaniis oriundam, cùm illius infanti, quem ipsa die lactaverat, vagienti miserabiliter matrona quædam in gynæceo honesta, misericordia commota, mammas præbuisset, factum id indignissimè tulisse, ita ut etiam infantem, quicquid suxerat lactis evomere coëgerit, quasi indignum, ac ipsi naturæ contrarium judicans, infantes alio quàm materno lacte ali. Atque hoc legimus apud gentes non Christianas modò, sed quantumvis non religionis modò veræ expertes, verùm etiam barbaras atque feras, moris fuisse, ut matres infantes suos lactarent. Nobilissimas Romanorum matronas suis uberibus liberos lactare solitas legimus: quo nomine cùm aliæ, tum Catonis Censorii insignis uxor laudatur, quòd non passa est alio quàm suo lacte infantem ali. Idem de Germanis memoriæ prodidit Cornelius Tacitus: *Sua*, inquit, *quemque mater uberibus alit, nec ancillis, ac nutricibus delegantur.* Quòd si ergo mulieres Ethnicæ a vera religione alienæ, natura duce atque ministra, sobolem suam omnino sibi lactandam esse duxerunt, pudeat mulieres Christianas se hoc pietatis officio ab illis superari. Denique in populo Dei & Saram, & Annam, & Elisabetam, Iohan. Baptistæ matrem, confectæ jam ætatis mulieres (ut taceam de aliis) legimus hoc lactationis officium filiis liberisque suis fidelissimè præstitisse, a quarum pietate se alienissimas esse illæ produnt, quæ idem officii charis suis pignoribus præstare gravantur. Atque hæc satis sint dicta de mollibus illis & delicatis mulieribus, quæ cùm per ætatem, & valetudinem illo maximè naturali, pio, honesto, debitoque infantes suos lactandi officio fungi possent, illud vel superbia, vel ignavia atque mollitie quadam (dum lactationis labores atque molestias fugiunt) turpiter cum summo liberorum suorum periculo atque pernitie deserunt, & catulos sæpe potiùs melitæos ac delicatos, quàm naturales illos suos amores atque delitias in sinu gremioque suo fovere malunt. Ut autem hæ meritò sunt culpandæ: ita excusandæ sunt piæ & honestæ quædam matronæ, quæ quum libenter hoc officii charis suis liberis præstarent, illud vel ob ægritudinem, vel conceptum, vel aliam denique necessariam ob causam facere non possunt. Illæ tamen dabunt operam, ut non temere obvias quasvis, sed, ut Plutarchus monet, & Quintilianus libro 1. cap. 1. de Sermone, delectu habito, maximè σπουδαίους, hoc est, probas & honestas nutrices infantibus suis asciscant: quæ nimirum sint moribus verecundæ, castæ, sobriæ, hilares, placidæ, sermone expedito, blando & verecundo, a garrulitate alienæ, corporis bona & inculpata valetudine, lacte bono præditæ, quod nimirum & substantia mediocre sit, nec tenue nimis, nec nimis crassum, sed ex omni parte æquale & colore, vel, ut vult Galenus, candidum, vel, ut Aristotel. ad livorem tendens: & sapore dulce, non salsum, acidum, aut amarum: odore denique non ingratum, neque fœtidum, aut putrilaginem redolens. Hæ sunt bonæ nutricis (cujusmodi olim Lacænas fuisse tradunt, quarum opera etiam exteri usi sunt, teste Plutarcho in Alcibiade) animi corporisque virtutes: quibus opposita vitia in nutricibus maximè vitanda, ne illa contagione quadam in infantes transfundantur. Porrò de nutricatione, lactatione & ablactatione infantum ejusque modo, sicut etiam de cytisi usu, quo lac augetur, si plura cupis cognoscere, lege Medicorum libros, & in primis Zuinggerum in Polit. Aristotelis, & Christophorum a Vega, qui lib. 2. de arte medendi, de his omnibus bene sapienterque scripsit. Ex Homero, ut idem auctor annotat, videtur colligi posse, Trojanos olim infantes suos medulla, aut pinguedine ovilis lactis, quam butyrum appellamus, aluisse, ferè simili more Hebræorum, qui nato puero, priusquam lactetur, mel & butyrum præbere solent, ut testatur Mollerus in Esa. cap. 7. v. 15. de Christo. Porrò versus Homeri sunt hi Ιλ. χ.

Quinta, quæ est, quod mulieribus ideo bina a natura data sint ubera.

Officium mulierum, quæ ipsæ necessarias ob causas infantes suos lactare non possunt.

Nutrices quales infantibus asciscendæ.

Lactis boni conditiones.

Trojani quo cibi genere infantes suos aluerint.

> Ἀστυάναξ, ὃς πρὶν μὲν ἑοῦ ἐπὶ γούνασι πατρὸς
> Μυελὸν οἶον ἔδεσκε, καὶ οἰῶν πίονα δημόν.

Hoc est, *Astyanax qui solebat ante in genibus patris solam medullam edere, aut ovium pingue.* Hujusmodi cibum sexto ætatis mense infantibus concedendum esse arbitratur.

Dentitionis convivium.

Ablactationis porrò convivio, Hebræis usitato, non absimile videtur esse *Dentitionis* convivium, quod apud Fessanos in usu fuisse legimus. Parentes enim, ut testis est Leo Affricanus, ubi primùm infans dentes edere incipit (quod Græci ὀδοντιᾷν, & φύειν, Latini *dentire* vocant: quodque nonnullis quinto mense, ut vult Moschion: plurimis septimo mense accidit, ut Macrob. testatur lib. 1. de somn. Scip.) lautum convivium parant, quod ὀδοντιάσεως, sive ὀδοντοφυΐας, Latine *dentitionis* convivium commodè appellare possis.

Quoniam

Quoniam autem hanc infantum dentitionem plerunque dolores gingivarum (quibus non ſecus vexantur, ac ſi aculeis pungerentur) nec non febres, ventris immodicum profluvium, aliaque incommoda atque pericula conſequuntur, ut Hippoc. 3. Aph. 25. & Celſus lib. 2. cap. 1. teſtantur, veriſimile eſt, Feſſanos ad ſeſe, ex illis dentitionis infantum moleſtiis, moleſto odioſoque illorum ploratu, nonnihil reficiendum atque recreandum, convivia hujusmodi uſurpare: ut nihil dicam, quòd inexplebile hominum abdomen quavis ex re, etiam minima, convivandi epulandique occaſionem captat.

Athenienſium κυρεῶτις.

Nunc ad alias quoque feſtivitates pueriles cùm ſacris cæremoniis, tum conviviis celebrari ſolitas, accedamus. Inter illas autem non poſtrema eſt illa Athenienſium κυρεῶτις, ſcil. ἡμέρα, ſive ἑορτὴ, quæ fuit tertia dies Apaturiorum, in qua κύρυς, hoc eſt, pueros triennes quadriennesve (unde κυρεῶτις, id eſt, *puerilis* dicta) ſodalitati aſcribebant, & in claſſes tributim dividebant, teſte Suida. Eodem quoque die pueri, ut quiſque ingenio valebat, certatim poëmata recitabant, alter alterum ſuperare contendens: cujus conſuetudinis Plato in Timæo mentionem facit, cùm inquit, parentes in illo die pueris certaminis loco rapſodias fuiſſe proponere ſolitos. Totum verò illud ἀπατυρίων feſtum, 4. diebus diſtinctum, Suidas ſic deſcribit: ἀπατύρια, inquit, celebritas Athenis celebrabatur, in qua Sitalci Thracum regis filius civitati fuit aſcriptus. Quatuor autem dierum ea fuit. Primum diem δορπίαν appellabant, quòd ſodales ad veſperam in unum coacti epularentur. Secundum ἀνάρρυσιν, a ſacrificando: nam Jovi Sodali, & Palladi ſacrificabant. Tertium κυρεῶτιν, id eſt, *puerilem* ſive *puellarem* vocabant, quòd κύρυς & κύρας, id eſt, *pueros*, & *puellas* ſodalitati aſcribebant. Quartus dies ἐπίβδη dictus eſt. De hoc feſto vide plura apud Herod. lib. 2. Xenoph. 1. Hellan. Tertul. Simplicium in Phyſicis, Ariſtot. Heſych. Euſeb. in lib. de Temporibus, & alios.

Feſti ἀπατυρίων deſcriptio.

Solennes feſtivitates puerorum, ludum literarium frequentantium: & inter hos Baſilienſium, Tigurinorum, Bernenſium.

Huic verò κυρεώτιδ☉ feſtivitati videntur ſimiles eſſe quædam noſtris temporibus apud Chriſtianos uſitatæ feſtivitates puerorum, ludum literarium frequentantium, quæ certis anni temporibus illis, animos ſuos a ſcholaſticis pulveribus relaxandi recreandique cauſa, parentum præceptorumque indulgentia, conceduntur. Sic, exempli gratia, apud Baſilienſes die S. Georgii omnes pueri literarum tyrones militari habitu atque pompa, cum tympanis atque tibiis extra urbem in latum & amœnum quendam campum progrediuntur, ibique ad aliquot horas, propoſitis illis præmiis quibuſdam, currendo, luctando, jaculando, aliisque ludis inter ſe certant: tandemque ſub veſperam illis, ſcholam ſuam reverſis, veſperna, pane mulſoque conſtans, præbetur. Similiter apud Tigurinos, æſtivo tempore quotannis ſingularum ſcholarum pueri, omni militarium armorum genere inſtructi, cum vexillis, tympanis atque tibiis in pratum hortúmve aliquem ſpatioſum atque amœnum excurrunt, præceptoribus ac ludimagiſtris illos comitantibus: ibique cum variis ludis puerilibus ſeſe mutuò oblectant: tum unâ epulantur, quæ epulæ, quoniam lacte potiſſimùm atque pane conſtant, hinc tota illa feſtivitas vernaculo ſermone *Profectio in lac* appellatur, In die mulch ziehen / quod Græcè non incommodè γαλακτοπορεία vocari poſſet. His Bernenſium puerorum ſolennis feſtivitas (quæ Tiſchlintag appellatur) poteſt annumerari. Similium feſtivitatum epularumque puerilium, dubium non eſt, multa apud alios quoque populos exempla reperiri. Apud Ethnicos olim ſeptima menſis cujuſque die, propter Apollinis natalem, ſcholaſticis feriæ erant, ut Muſas magis haberent propitias: & per ſeptimanam dies Mercurii, quòd eloquentiæ ſit antiſtes: eidem 4. cujusque menſis dies ſacer erat. De puerorum ſcholaſticorum more a ſcholis vacandi Quinquatribus (ut etiam Saturnalibus & Calendis) ſic ſcribit Horatius in extrema epiſtola:

> *Ac potius puer ut feſtis Quinquatribus olim,*
> *Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.*

Item Ovid. in Faſtis:

> *Nec vos turba feri cenſu fraudata magiſtri,*
> *Spernite, diſcipulos attrahet illa novos.*

Apud nos in autumno ferè, & diebus canicularibus vacationes dantur ſcholaſticis.

κυρόσυνον, feſtivitas Athenienſium.

Legimus præterea in antiquis literarum monumentis, & comæ barbæque depoſitionem, & veſtitus mutationem (quæ circa pubertatis ferè tempus fieri ſolita eſt, cum pueri jam ex ephebis exceſſiſſent) multis cum cæremoniis, ſacrificiis, atque epulis fuiſſe a veteribus celebratam. Hinc κυρόσυνον, ut a Suida, ſive κυρόσυνα in plurali numero, ut a Greg. Nazianzeno in oratione de Baptiſmo, appellatur, feſtivitas fuit Athenienſium aliorumque Græcorum celebris, qua illi, qui ex ephebis exceſſerant, capillum barbamque primam tondebant, illiusque primitias & Apollini, (qui idcirco κυρότροφ☉ dictus fuit) & fluminibus conſecrabant, propterea quòd corporea illa excrementa ex humore, & caliditate conſtent. Scholiaſtes Ιλ. ψ. ἔθ☉ ἦν τοῖς ἀρχαίοις μετὰ τὸ παρακμάσαι τῆς νεότητ☉, τὰς κόμας ἀποκείρειν τοῖς ποταμοῖς· τούτους γὰρ ἐνόμιζον τῆς ἀνατροφῶν αἰτίους εἶναι. Idem Tarrhæus in 4. Odam Pythiorum, & Euſtath. ἔθ☉ ἦν τρέφειν κόμην τοὺς νέους μέχει τῆς ἀκμῆς, εἶτα κείρειν αὐτὴν τοῖς ἐγχωρίοις ποταμοῖς, &c. Athenis, ubi puberes facti erant, publicè illis oſtendebantur artium omnium inſtrumenta, quæ ſi quis apprehendiſſet, illam artem, tanquam invitante natura exercebat. Mox primam barbam comamque deponebant: priùs tamen certa vini menſura in Herculis templum illata, quam libabant, & his, qui convenerant, propinabant: unde illa feſtivitas οἰνιστήρια, quaſi dicas Latinè *Vinalia*, fuit appellata, ut teſtis eſt Heſychius, & Pollux, qui ἡ δὲ οἰνίστρια, inquit, οἴνου δόσις ὑπὲρ τῶν παίδων ἐν τοῖς φράτορσιν. Cœlius idem tradit lib. 7. cap. 32. Et Perionius lib. 2. de Græc. magiſt. Lacedæmonii, ut teſtis eſt Plutarchus in Apophthegmatis Lacon. comam alebant, idque Lycurgi inſtituto, qui comam formoſis pulchritudinem augere, deformes terribiliores reddere affirmabant. Iidem tamen poſtea comam deponere, illamque Apollini in Delphis conſecrare conſueverunt, ut auctor eſt Plutarchus in Theſeo, ubi etiam Theſeum Delphos iviſſe, ibique Apollini comam ſuam dedicaſſe ſcribit, anteriore capitis parte abraſa. Nam alii

Capillus Deo dicatus, quomodo ab Æſchylo dictus.

temporum comam offerebant, alii poſteriorem, ut eſt apud Pollucem. Apud Homerum Achilles Sperchio fluvii deo comam ſuam vovit: apud Sophoclem Oreſtes comam in patris tumulum depoſuit. Capillus autem ille Deo dicatus, θρεπτήριος ab Æſchylo fuit appellatus, forſan quod ceu præmium nutricationis Diis offerretur, quod θρεπτήρια Græci vocant, ut reliquus πενθητήριος a luctu, ut Cœlio videtur, quòd uſitatiſſimi moris apud Græcos fuerit in luctu comam recidere, & inter navigandum, tempeſtate urgente, eam evellere fuſis precibus, ut teſtis eſt Libanius in lib. de ſua vita. Longobardos quoque, teſtis eſt Gregorius Romanus, primam barbam apud amiciſſimos depoſuiſſe, futuræ in poſterum amicitiæ ſymbolum. Romani quoque altero & vigeſimo anno, convivio acceptis amicis, comam barbamque attondebant, & numini alicui offerebant. Hinc *arbor capillata*, vel *capillaris* ſic dicta, teſte Feſto, quòd in illa capillum tonſum ſuſpendebant, vel, ut Plin. lib.16.c.43. quod Veſtalium Virginum capillus ad eam deferebatur, quam ibidem 450. annis antiquiorem, atque adeò incertam ejus ætatem eſſe, teſtatur. Nota ſunt etiam Nazaræorum κουρόσυνα, Num. 6. Jud. 16. qui, quamdiu voto illo ſuo erant obligati, comam nutriebant: quo ſoluto, vel interrupto, adhibitis ſacrificiis, illam deponebant, & in ignem abjiciebant, coramque Domino concremabant. Ab illis autem & Græcorum, & Romanorum, Veſtalium præſertim, & Nazaræorum κουροσύνοις, videntur ſacerdotum, atque Monialium apud Chriſtianos κουρόσυνα, quæ & ipſa multis cum cæremoniis, atque conviviis celebrantur, promanaſſe: Concil. Carthag. cap. 44. In veteri Teſtamento (Levit. 21.) Leviticis ſacerdotibus capitis barbæque tonſura fuit interdicta, cúm contra, ut ex lib. Baruch conſtat, cap. 6. Babylonii ſacerdotes raſis eſſent capitibus, ſciſſiſque veſtibus.

Veſtitus mutatio.

Ut autem comæ barbæque depoſitio circa pubertatis tempus a Veteribus fuit ſacrificiis epulisque celebrata: ita etiam veſtitus mutatio. Tertullianus, uti ſupra dictum, in lib. de idololatria, nominalium, ſponſalium, atque nuptialium ſolennitatibus addit Togæ puræ ſolennitatem, quam poſtea *veſtitum virilem* appellat, & addit: *Nullum denique cultum a Deo maledictum invenio, niſi muliebrem in viro. Maledictus enim*, inquit, *qui muliebribus induitur. Toga verò etiam appellationis virilis eſt*: Hæc ille. Ex quibus conſtat, illam togæ puræ ſive virilis ſumptionem feſtivam apud Romanos fuiſſe. Idem patet ex illis Suetonii verbis de Claudio Cæſare: *Et togæ virilis die, circà mediam noctem, ſine ſolenni officio* (hoc eſt, ſine pompa, & magnificentia in illo die uſitata) *lectica in Capitolio latus eſt.*

Puerorum impuberum apud Romanos inſignia.

Puerorum porrò apud Romanos impuberum & ingenuorum, duo fuerunt inſignia, quibus ad 14. uſque ætatis ſuæ annum (quo vel Muſarum, vel Martis tyrocinio initiabantur) uti ſolebant: poſtea quaſi pueritiæ atque nucibus, ut ita loquar, renunciantes, (quod nos vernaculo noſtro proverbio vocamus, *pueriles calceos exuere*) illa deponebant, & cum alio veſtitu commutabant.

Primum inſigne Bulla aurea.

Primum inſigne fuit bulla aurea, ut inquit Feſtus, quæ dependebat eis in pectore, ut ſignificaretur, eam ætatem alterius regendam conſilio. Dicta autem eſt a Græco ſermone βουλή, quod *conſilium* dicitur Latinè: vel quia eam partem corporis bulla contingat, id eſt, pectus, in quo naturale manet conſilium. Aſconius Pæd. in 3. Verr. *Simul cum prætexta etiam bulla ſuſpendi in collo infantibus ingenuis ſolet aurea, libertinis ſcortea, quaſi bullientis aquæ ſinus communiens, pectuſque puerile.* Macrob. lib. 1. Satur. cap. 6. *Nonnulli*, inquit, *credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inſpicientes ita demùm ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent.* Hanc pueri pueritiæ annos egreſſi apud lares familiares ſuſpendebant: quemadmodum puellæ virginitati renunciantes, Veneri puppas donabant: Perſius Satyr. 2.

Nempe hoc, quòd Veneri donatæ a virgine puppæ.

Et Satyr. 5. *Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit.*

Alterum inſigne toga prætexta.

Alterum inſigne puerorum impuberum fuit toga prætexta, veſtis ſic dicta, quòd, ut inquit Macrobius, ei prætexebatur purpura: ex cujus rubore, ut idem teſtatur, monebantur, ut ingenuitatis pudore regerentur. Hinc pueri dicti ſunt *prætextati*, quos olim Senatores ſecum in curiam ducebant, teſte Macrobio: & puerilis amicitia, *prætextata* a Martiale dicta eſt:

Tu mihi ſimplicibus Manui dilectus ab annis,
Et prætextata cultus amicitia.

Origo & uſus horum inſignium.

De utriuſque origine, & uſu ſic ſcribit Macrob. lib. 1. Satur. cap. 6. *Tullus Hoſtilius, rex Romanorum tertius, debellatis Hetruſcis, ſellam curulem, lictoreſque & togam pictam, atque prætextam, quæ inſignia Magiſtratuum Hetruſcorum erant, primus, ut Romæ haberentur, inſtituit. Sed prætextam illo ſeculo non uſurpabat puerilis ætas. Erat enim, ut cætera, quæ enumeravi, honoris habitus. Sed poſtea Tarquinius Demarati exulis Corinthii filius, Priſcus, Rex tertius ab Hoſtilio, quintus a Romulo, de Sabinis egit triumphum. Quo bello filium annos 14. natum, quòd hoſtem manu percuſſerat, pro concione laudavit, & bulla aurea prætextaque donavit, inſigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis & honoris. Nam ſicut prætexta magiſtratuum, ita bulla geſtamen erat triumphantium, quam in triumpho præ ſe gerebant, incluſis intra eam remediis, quæ crederent adverſus invidiam valentiſſima. Hinc deductus mos, ut prætexta & bulla in uſum puerorum nobilium uſurparentur ad omen, & vota concilianda virtutis ei ſimilis, cui primis in annis munera iſta ceſſerunt:* Hæc ille; & adhuc plura, quæ ibi legere poteris: ubi dicit, Libertinis & peregrinis olim non fuiſſe licitum prætextam & bullam geſtare: at poſtea illis propter caſum quendam, & prætextam, & lorum in collo, pro bullæ decore, geſtare conceſſum fuiſſe. Poſtquam igitur 14. annum attigerant, & ex ephebis exceſſerant, & bullam illam auream deponebant, & togam puerilem, ſive prætextam commutabant cum alio togæ genere, quæ & *virilis*, & *pura* ſive *candida* fuit dicta. Perſius Sat. 5.

Cum primùm pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit.

Hoc

Hoc eſt, poſtquam ex ephebis exceſſi, depoſita bulla atque toga. Gell. lib. 18. cap. 4. *Cùm jam adoleſcentuli Romæ prætextam, ac puerilem togam mutaſſemus, magiſtroſque tunc nobis exploratiores quæreremus.* Dicta eſt *virilis*, & *pura*, ſeu *candida*, ad diſcrimen togæ *puerilis*, & quod non eſſet purpura prætexta. Nonnulli etiam non malè, meo judicio, volunt pura illa candidaque toga adoleſcentes fuiſſe admonitos, ut puerilibus nugis atque ineptiis valedicentes, vitæ morumque candori, ac puritati, nec non Muſis ſtuderent. Huic togæ puræ ſolennitati comparari poſſunt illa Monialium veſtialia, ut ita loquar, quibus quando initiantur, veſtibus certis induuntur ceu inſignibus vitæ Monaſticæ. De hoc Monialium habitu ſic Alcimus:

Toga puerilis cur pura, & candida.

Monialium veſtitus mutatio.

Sed tibi cùm geminum tetigerunt tempora luſtrum,
Mox ſtola ſyncero velat te candida cultu.
Virginis os habitumque, decens quæ mater amictu
Religioſa ſuis manibus confecerat, &c.

Unde Plin. lib. 8. *Tanaquil*, inquit, *prima texuit rectam tunicam, qua ſimul cum toga pura induuntur tyrones, novæque nuptæ.* Cic. 9. epiſtol. ad Atticum, *Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potiſſimùm togam puram dedi, idque municipibus noſtris fuit gratum.* Et iterum alio loco: *Quinto ſororis tuæ filio togam puram jubeo dari.* & lib. eodem: *Neque me Arpini hoc tempore abdam, niſi Ciceroni meo togam puram cum dare Arpini vellem, hanc eram ipſam excuſationem relicturus cum Cæſare.* Et ſic intelliguntur loca poëtarum, Lucani ſeptima Pharſalia:

Togam puram dare quid.

---- *Pura venerabilis æque*
Quàm currus ornante toga.

Catulli ad Mallium: *Tempore quo primùm veſtis mihi tradita pura eſt*
Jucundum cum ætas florida ver ageret.

Perſii Satyra 5. *Cum primum pavido cuſtos mihi, &c.*

Et paulò poſt: *Cum blandi comites, totaque impune Suburra.*
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.

Hîc umbonis candidi nomine quidam interpretum candidam illam & virilem togam intelligunt, & idcirco umbonem volunt dictam, ut vult Britannicus interpres, quia ut ſcuto adverſus hoſtem audacius inſurgimus, & omnia pericula ſubimus: ita pueritiam egreſſi, ſumptaque toga virili licentius liberiuſque omnia facimus, ſecundùm illud Terentii,

Umbo candidus quid.

Nam is poſtquàm exceſſit ex ephebis Soſia,
Liberius vivendi fuit poteſtas.

Unde contrà purpura illa *puerilis cuſtos* dicta, quia illa induti, erant ſub cuſtodia magiſtrorum: ut contrà virilis *libera*, & *liberior* dicta. Alii, ut Cœl. lib. 14. cap. 15. *quoniam Gabino habitu recurris, ad humerum ſiniſtrum veſtis umbonis formam repræſentat.* Aſcenſius verò ejuſdem Perſii interpres, non veſtem vult intelligendam umbonis candidi nomine, ſed breve ſcutum, & album, quod tyronibus, id eſt, novis militibus dabatur, quum primùm militiæ ſacramento obſtringerentur. Sic apud Germanos, teſte Corn. Tacito, *arma ſumere non ante cuiquam moris, quàm civitas ſuffecturum probaſſet. Tum in ipſo Concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaque donavit:* Hæc Tacitus. Idem mos hodie quoque in Principum German. aulis obtinet, in quibus non licitum eſt adoleſcentibus gladios geſtare, quàm id illis a Principibus fuerit conceſſum, quod vernacula lingua weerhafft / id eſt, *armorum capacem facere*, vocant. Hadrianus Junius in ſuo Calendario Faſtor. tradit pueros ingenuos virilem togam induere fuiſſe ſolitos 17. die Martii. Atque hæc quidem de conviviis puerilibus ſint dicta, quæ partim puerorum gratia, partim ab ipſiſmet pueris celebrari ſolent.

Nunc conſequens eſſe videtur ut in genere de puerorum, atque etiam adoleſcentium victu atque diæta, cujus varia apud alios atque alios populos, ut olim, ita hodie ratio eſt ac conſuetudo, nonnulla dicamus. Victus autem, ſive diæta puerorum, ut uno verbo dicam, optima atque ſaluberrima illa eſt, quæ in mediocritate conſiſtit, hoc eſt, quæ moderata eſt, ſimplex, atque frugalis: nec nimis exquiſita, auſtera, atque jejuna, nec nimis etiam mollis, delicata atque copioſa. Duo igitur hîc extrema puerorum & animis & corporibus infeſta vehementer, atque inimica ſunt fugienda.

De puerorum atque etiam adoleſcentum victu atque diæta.

Duo vitanda extrema.

Unum extremum eſt, ne illorum corpora vel nimia fame, inedia atque jejuniis macerentur, atque conficiantur, vel cibis crudis, inſalubribus, atque noxiis repleantur: quorum utrumque cum magno valetudinis roboriſque illorum detrimento fieri eſt neceſſe. Nam primò corpora quæ creſcunt, ut ſunt juvenum, adoleſcentum, & maximè puerorum, ob nativi caloris abundantiam, copioſiore cibo alimentoque indigent, quo ſi deſtituantur, illa marceſcere, atque tabeſcere eſt neceſſe. Unde jejunia ante 16. annos, aut circiter, in pueris non admodum eſſe requirenda, Hieronymus ad Lætam docet. Deinde alimenta nimis craſſa, κακόχυμα, difficiliſque concoctionis, tenellis adhuc puerorum corporibus pravos vitioſoſque humores, (ex quibus omnis generis morbi naſcuntur) & animis ſtuporem ſtoliditatemque ingenerant. Nam qualis eſt cibus, talis ſanguis eſſe ſolet, qui quidem ſervit ſpiritui: ſpiritus ſenſibus: ſenſus rationi & intellectui. Sanguinis enim tenuiſſima pars, ut Medici docent, in cordis fontem fluit, ubi vitalis virtus viget: indeque creati ſpiritus, in cerebri arcem aſcendunt, in quibus ſentiendi movendique virtus dominatur. Itaque ut Marſilius Ficinus lib. 1. cap. 2. de Medicorum placitis, tradit, talis ferè eſt contemplatio, qualis ſenſus: taliſque ſenſus, qualis ſanguis:

1. Extremum.

quoniam τὸ αἷμα πλεῖστον συμβάλλεται μέρος συνέσιος, ut Hippocrates dicit. Alimentis igitur humidioribus & mollioribus, & vino aquoſo, minimeque frigido alendos eſſe pueros, Hippoc. & Galenus docent. Hujusmodi autem victus maximè convenit illis hominibus, qui Muſis, Reique publicæ adminiſtrationi ſunt deſtinati. Nam quod ad illos attinet, qui vel rei militari, vel rei ruſticæ, vel artibus ſordidis atque illiberalibus, quas vulgò *manuarias* vocant, addicuntur, illi minimè tam exquiſito victus atque diætæ generi aſſuefieri debent. Et hæc ſint dicta de primo extremo.

2. Extremum.

Alterum extremum, in quo hodie præſertim & frequentiùs, & periculoſiùs peccatur, in exceſſu qualitatis quantitatiſque alimentorum conſiſtit.

Pueri non aſſuefaciendi delicatis cibis.

In qualitate peccatur, dum pueri a teneris ſtatim annis lautiſſimis atque delicatiſſimis quibuſque cibis aſſuefiunt, cum maximo & valetudinis ipſorum, & rei familiaris, ubi ad ætatem virilem pervenerint, incommodo. Nam hujuſmodi ciborum cupediis atque delitiis, primò peregrinis in locis, ad quæ literarum cauſa mittuntur, difficulter magnaque cum moleſtia, atque etiam cum valetudinis ſuæ damno atque periculo, exoticis, & inuſitatis, præſertim groſſioribus alimentis utuntur, vel certè vulgaribus cibis non contenti, omnes exoticas delitias atque lautitias ſtudioſiſſimè conſectantur, cum maxima temporis, ſtudiorum, rei pecuniariæ, valetudinis denique ſuæ jactura. Deinde ubi domum redierint, & patresfamiliâs facti fuerint, cùm domeſticarum, tum externarum delitiarum, quibus aſſueverunt, ſtudio, patrimonium paulatim abliguriunt, & ſe, familiam, remque familiarem omnem perdunt. Satius itaque fuerit illos, præſertim quibus negotioſum laborioſumque vitæ genus erit ſubeundum, peregrinationeſque ſuſcipiendæ, niſi corporis valetudiniſque infirmitas obſtiterit, duriuſculo parabilique cibo aſſueſcere, varioque victus generi, quò faciliùs ſe, ſi ita res & neceſſitas poſtularit, cuivis diætæ, quantumvis duræ & inuſitatæ, ſine moleſtia magna, valetudiniſque ſuæ incommodo, accommodare poſſint, ut Celſus quoque libro primo, capite primo, ex Hippocratis aphoriſmo videtur præcepiſſe his verbis, quæ ſequuntur: *Sanum*, inquit, *hominem vitæ genus varium habere oportet: modò ruri eſſe, modò in urbe: ſæpiuſque in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentiùs ſe exercere. Siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. Nullum cibi genus fugere, quo populus utatur: interdum in convivio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere: modò plus juſto, modò non amplius aſſumere: bis die potiùs, quàm ſemel cibum capere.* Hæc ille. Hujuſmodi victus atque diætæ generi ab ineunte ſtatim ætate ſi homines aſſuefierent, faciliùs poſtea quemvis victum, quantumvis durum, quoſvis labores, famem etiam atque ſitim, ſi id vel honeſtas, vel neceſſitas flagitaret, tolerare poſſent. Hinc ille, qui S. Bernhardi vitam deſcripſit, Monachus Clarevallenſis, Alanus nomine, teſtatur Axalaidem S. Bernhardi matrem, piam religioſamque fœminam, ſeptem ſuos liberos, quos non tam viro, quàm Deo genuerat, non paſſam eſſe delicatioribus cibis aſſueſcere, ſed groſſioribus, & communibus paviſſe, & ſic ad Eremitarum durum atque auſterum vitæ genus præparaſſe. De educatione & diſciplina puerorum a Numa inſtituta vide Plutarch. in ejus vita ſub finem.

Varium vitæ genus ſanis convenit.

Vinum pueris vel omnino non dandum, vel parcè.

Quoad potum, Galenus vinum aquoſum, minimè tamen frigidum, pueris dandum eſſe ſuadet. Pueris certè vel a vino omnino abſtinendum, vel parciore certè illo, & meraciore videtur eſſe utendum. Ab aliis quoque potionibus fortioribus atque calidioribus, arte confectis, ut aromatite, trimmate, ſibi temperare debent. Nam cùm ſucci ſint pleni, ſiti non graviter admodum vexantur: & quia calidiores ſunt natura, ſi calidior illis potus, vel etiam cibus præbeatur, perinde eſt, ac ſi oleum igni infundatur, unde plurima & maxima valetudinis incommoda conſequi eſt neceſſe. Quamobrem mirum non eſt, in Gallia, Italia, & Hiſpania pueros vinum ante adoleſcentiam non guſtare, niſi vehementer dilutum, & perparcè. Plato quoque ante annum decimum octavum ætatis a vino planè abſtinendum exiſtimat. Germanos priſcos, teſtis eſt Cornel. Tacitus, olim vini uſu omnino caruiſſe, cereviſiaque tantùm uſos eſſe, id quod de aliis quoque nationibus hiſtoriæ teſtantur. Puerorum potus apud Perſas olim fuit, ut teſtis eſt Xenophon lib. 1. de educatione Cyri, aqua, qua Spartanorum quoque pueri olim uſi fuerumt, ut ex hiſtoriis colligere licet. Eodem potu Danielem ejuſque ſocios, repudiato, quod illis offerebatur, vino regio, contentos fuiſſe, ſacræ hiſtoriæ docent. At hodie non modò apud Germanos, verùm alias quoque nationes, vini uſus, ſeu potius abuſus ita invaluit, ut ipſi quoque pueri ab ipſis ſtatim incunabulis, atque adoleſcentes vinum non dilutum, parcè, ac moderatè, ſed meracum ad ebrietatem uſque hauriant, atque ita ætatis, corporis, ingenii, memoriæque ſuæ florem atque vigorem in ipſa ſtatim herba, ut ita loquar, opprimant ac extinguant. Atque hæc de cibi potuſque quoad qualitatem, exceſſu.

Puerorum potus apud Perſas aqua.

Pueri non obruendi immoderato cibo atque potu.

Nunc de quantitatis exceſſu dicamus. Pueri licet, quemadmodum dictum eſt, ob caloris naturalis copiam copioſiore alimento indigeant, ac proinde non ſint inedia nimia, rigidiſque jejuniis affligendi, ut a nonnullis puerorum non tam educatoribus, quàm tortoribus atque carnificibus lucri quæſtusque gratia fieri conſuevit: tamen cavendum quoque eſt, ne iidem immodico immoderatoque cibo atque potu ingurgitentur, atque obruantur, unde maxima in illorum corpora animeſque vitia atque incommoda redundant. Modus itaque, ut in aliis rebus, ita in hoc quoque puerorum victu eſt adhibendus. *Nec ſatietas*, inquit Hippoc. 2. aphoriſ. 4. *nec fames, nec aliud quicquam bonum eſt, quod naturæ modum excedit.* Idem, πόνοι, σιτία, ποτὰ, ὕπνος, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια, hoc eſt, *labor, cibus, potus, ſomnus, Venus, moderata debent eſſe omnia.* Inſigne ejuſdem hoc quoque eſt eandem in ſententiam dictum, 6. Epidem. ἄσκησις ὑγιείας, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων, hoc eſt, *valetudinis exercitatio atque ſtudium optimum eſt non impleri cibo, ſed citra ſaturitatem edere, & eſſe ad laborem impigrum.* Hæc utinam aurea doctiſſimi illius Medici præcepta, cuivis ætati convenientia cùm pueri & adoleſcentes, tum illorum nutricatores, & educatores ſibi ſemper ante mentis oculos haberent propoſita, & ad auream illam

illam mediocritatem puerilem victum, atque diætam accommodarent. Eodem spectat Celsi simile superioribus dictum lib. 1. cap. 2. *Ubi ad cibum ventum est, nunquam utilis est nimia satietas: sæpe etiam inutilis nimia abstinentia.* Meritò itaque Cynicus ille philosophus irridebat eos, qui pro sanitate sacrificarent, & interim immodico cibo & potu se ingurgitarent. Athenæus quoque Dipnosoph. 1. quantum cibi potusque moderatio animi corporisque viribus ac incremento prosit: intemperantia contrà eidem obsit, eleganti hac similitudine docet: Nam quemadmodum plantæ si nimio imbre, & inundatione obruantur, non possunt in altum surgere, neque opportuno tempore fructum producere: contrà si moderato, naturæque accommodato liquore aspergantur, & lætiores crescunt, & maturos uberesque fructus edunt: ita & corpora nostra moderato cibo atque potu optimè aluntur, crescunt & augentur: contrà verò immoderata cibi potusque ingurgitatione corporis simul atque mentis vigor debilitatur atque opprimitur. Ab hac autem cibi potusque intemperantia cùm omnes pueri atque adolescentes, tùm verò atque in primis artium liberalium atque sacrarum tyrones arcendi, temperantiæque contrà, ceu optimæ mentis corporisque custodi ac conservatrici, sunt assuefaciendi. Nam cibi potusque redundantia non modò cruditatem efficit, corporisque vires enervat atque debilitat: verumetiam mentis aciem obtundit, languorem animis affert, desidiam, ignaviam, stuporem tarditatemque ingenerat, ac proinde homines ad literarum studia, & ad quodvis utile honestumque vitæ munus obeundum exequendumque ineptos reddit. Huc facit Gellii Noct. Att. lib. 4. cap. 19. dictum: *Pueros,* inquit, *impuberes compertum est, si plurimo cibo nimioque somno uterentur, hebetiores fieri: advertimusque hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minusque adolescere.* Idem plerique alii medicorum philosophorumque, & M. Varro in Logistorico scripsit, quæ inscripta est *Capis*, aut *de liberis educandis.* Eandem ob causam Plato Siculos & Italos scientiæ atque virtutis minimè capaces esse censuit eo tempore, quo ille eas oras peragravit, propterea quod se bis in die extructis epulis satiarent: quippe cùm corpus cibis expletum saginaque gravatum, non solùm virtutis impetum sequi non possit: verùm etiam mentis altitudinem deprimat, ac de sanitate sua dejiciat. Hinc Sophocles

Cibi potusque intemperantia quàm noxia.

Quotquot, inquit, *philosophantes excludunt aliquid,*
Ante omnia ventri ut dominentur decet:
Quo sine nihil pulchrum est dicere, & facere.
Magistra consiliorum frugalitas est prudentium.

Cùm itaque tantùm sit in moderato legitimoque puerorum & adolescentum victu momenti, mirum profectò non est, in omnibus bene moratis, & constitutis civitatibus atque Rebuspub. magnam illius & publicè, & privatim curam rationemque fuisse habitam. Persarum legibus, ut testatur Xenophon lib. 1. περὶ Κύρου παιδείας, pueri discebant ἐγκρατεῖς εἶναι γαστρὸς, καὶ ποτοῦ, id est, *ventris potusque esse continentes.* Ad id autem, eodem teste, plurimùm conferebat, & quòd pueri seniores videbant non priùs ventris causa discedere, quàm a principibus fuissent dimissi, & quòd non apud matres cibum capiebant, sed apud præceptorem illis a principibus præfectum. Cibus autem, quem domo secum afferebant, erat panis, obsonium, nasturtium: nec non ad bibendum cothonem, (vas fictile) quo urgente siti, ex fluvio aquam haurirent, secum afferebant. Addit deinceps, ephebos ad venationem exeuntes ἄριστον, hoc est, *jentaculum*, sive *prandium* copiosius quidem, ut par erat puerorum cibo, sed illi simile secum portare fuisse solitos, quod venationi intenti non statim sumebant: sed si vel feræ alicujus gratia, vel aliàs animus illis erat diutiùs in venatione commorari, prandio illo pro cœna quoque sumpto posterum etiam diem in venationibus consumebant ad cœnam usque unico per biduum cibo contenti. Id autem faciebant, quò faciliùs in bellis quoque, si ita esset necesse, inediam ferre possent. Obsonium autem illis erat id, quod venando ceperant: quòd si nihil cepissent, nasturtio utebantur. Quòd si verò quis existimat, illos aut nasturtii solius esu insuaviter edisse, aut aquæ potum minus jucundè bibisse, is animo secum reputet, quàm & maza atque panis esurienti, aqua sitienti suavis sit vehementer atque jucunda. Atque hæc quidem fuit puerilis victus atque diætæ apud Persas olim ratio atque consuetudo, dura admodum atque severa, qua non tenuis modò, verùm etiam summæ equidem regiæ sortis conditionisque homines, tractari educarique consueverunt. Hac eadem ille sacris atque prophanis litteris celebratissimus totius ferè orbis terrarum domitor atque moderator, secundæ mundi monarchiæ auctor atque fundator Cyrus, diligentissimè innutritus & educatus fuit: qui quidem eximiæ suæ temperantiæ præclarum specimen edidit in lauto magnificoque illo convivio, quo unà cum Mandave matre ab Astyage avo materno fuit exceptus: cujus lautitias atque cupedias omnes aspernatus est, atque contempsit. Ejus descriptionem prolixam vide apud eundem authorem eodem in libro. Persicæ verò illi puerorum nutricationi atque diætæ similis ferè apud Spartanos diæta ac disciplina extitit: cujus meminit Cicero lib. 5. Tusc. Apud illos enim Lycurgi institutis atque legibus pueritia atque juventus laboribus, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo æstuandoque studiosissimè exercebatur. Lycurgus cùm videret apud Græcos pueros pro ventris capacitate repleri, ipse in Repub. sua instituit, ne pueri crapula gravarentur, & inediam ferre discerent: ac proinde illos jussit se decimo quoque die ephoris ostentare, quò ab illis cæderentur, si molliores pinguioresve essent. Hac disciplinæ severitate atque duritia illos ab immoderata cibi potusque cupiditate arcere est conatus, qua sæpe adeps & arvina (unde *obesus*, quasi *ob esum*) non modò noxia, & incommoda, verùm etiam deformis aspectu contrahitur. Sic Gallorum olim proprium fuisse, Strabo testatur, laboribus exerceri, ne crassi & ventrosi fierent: juvenemque, qui zonæ modum excessisset, plecti & mulctari, cui illud Romanæ censuræ simile fuit, obesum equitem publico equo privari. Judæorum quoque consuetudo laudabilis fuit, quòd pueri, qui litteris operam navabant, cibum sumpturi, gymnosophistas magistros suos adibant, & referebant eo die, quæ bona fecissent: qui nihil habebat, quod diceret,

Persarum educatio.

Cyri educatio.

Spartanorum puerorum educatio & obesorum apud eosdem atque Romanos pœna.

Judæorum educatio.

Romanorum educatio. diceret, impransus ad opus mittebatur; Sardus de gentilium ritibus. Romani quoque, ut docent historiæ, severa admodum disciplina, ac tenui frugalique diæta pueros atque adolescentes suos educabant, apud quos Principum liberi, & alii ejusdem ætatis nobiles, sedentes in propinquorum conspectu, propria & puriore mensa cibum capere fuerunt soliti. Disciplina Claudii Imp. Rom. Claudius Imperator, teste Suetonio, adhibuit omni cœnæ & liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veterum ad fulcra lectorum sedentes vescebantur. Hæc consuetudo utilis sanè, cùm apud Germanos, tum alios quoque populos obtinet, ut nimirum pueri & adolescentes vel in eadem cum parentibus, ac præceptoribus suis mensa epulentur, vel mensam habeant propriam quidem, & separatam, sed in parentum præceptorumque conspectu positam, quòd faciliùs ab ipsis illorum omnia dicta, facta, gestus moresque observari: & si sint indecori, inciviles, incompositi atque agrestes, (cujusmodi sanè illius ætatis esse consueverunt) ab iis partim verbis, partim etiam verberibus, prout res ratioque postularit, corrigi ac emendari possint. Educatio Alexandri Imp. Danielis, & ejus sociorum egregium puerilis diætæ atque disciplinæ exemplum. Alexander quoque Imperator, adhuc puer a matre in poculentis, & esculentis magna diligentia custodiebatur, ut testatur Herodianus lib. 5. In sacris literis puerilis diætæ egregium sane exemplum extat apud Danielem cap. 1. Rex Nabuchodonosor principi eunuchorum, Aspenazio nomine, mandarat, ut cùm ex Judæis, tum ex Chaldæis pueros sibi deligeret liberali forma, eximiaque indole præditos, qui omni artium disciplinarumque liberalium genere excolerentur, ut illorum opera uti posset. His autem certum cibi vinique regii dimensum constituit, quod illis singulis diebus daretur. Daniel unà cum sociis ac popularibus suis, qui tres erant numero, leguminibus vesci, & aquam bibere maluerunt, quàm regiis delitiis atque vino frui, ne illis pollucrentur. Trienno exacto, quod temporis spatium a rege puerorum illorum institutioni constitutum ac definitum fuerat, Daniel ejusque socii & corporis robore, ac pulchritudine, & sapientia atque scientia Chaldæis illis, qui regio cibo potuque usi fuerant, decuplo, hoc est, longè superiores extiterunt, cujus periculum Nabuchodonosor interrogationibus suis fecerat. En optimam pulcherrimamque puerilis educationis atque diætæ ideam sive formam, quam utinam Christiani nostrorum temporum sibi ad imitandum proponerent. Multa hîc nobis sub Nabuchodonosoris Regis, nec non magistrorum discipulorumque persona, laude, admiratione, imitationeque dignissima proponuntur, quæ paucis perstringemus. Nabuchodonosor quales sibi consiliarios atque ministros comparare studuerit. Ipse Nabuchodonosor totius ferè mundi domitor atque Monarcha egregium sanè speciosumque singularis suæ sapientiæ atque prudentiæ specimen in hac actione edidit, quam omnes mundi reges atque principes sedulò imitari debebant. Nam primò ministros atque consiliarios sibi comparare studuit sapientia, linguarum doctrinarumque scientia probè instructos, quorum & consuetudine, ac familiaritate, & opera in amplissimi sui regni administratione uteretur. Hæ enim sunt amplissimæ regum opes, præsidia & ornamenta. Hodie contrà plerique Christianorum regum atque principum moriones, scurras, adulatores, homines omni scientia doctrinaque vacuos secum habere volunt, horum consuetudine & colloquiis stultis atque scurrilibus delectantur, pios contrà, sapientes doctosque homines consuetudine sua indignissimos, & in ultimas potiùs terras ablegandos censent. Nabuchodonosoris diligentia in puerorum educatione. Ejusdem sapientia in puerorum delectu. Deinde Nabuchodonosor cùm sapienter animadvertisset, quantum in pueri educatione vel ad bene, vel ad malè agendum esset momenti, pueros quosdam a teneris statim annis omni artium doctrinarumque genere imbui atque institui voluit, quibus postea, ceu optimis fidelissimisque ministris in Monarchiæ suæ administratione uteretur. Nec verò, quod ipsum quoque singularis illius sapientiæ est argumentum, quosvis pueros eligi voluit, qui ad regia & ardua illa munera educarentur, sed illos potissimùm, qui & genere essent honesto ac illustri, & corporis specie atque forma liberali, & ingenio docili scientiæque capace præditi. Hodie contrà citra ullum delectum ferè, atque temerè ignobilissimi, deformosissimi, stupidissimi & ineptissimi quique pueri deligi, & ad gravissima munera tum Politica, tum Ecclesiastica suo tempore obeunda educari consueverunt, cum maximo, ut ipsa experientia quotidie docet, Reipub. Ecclesiæque Christianæ dedecore atque damno. Non populares tantùm, sed etiam peregrinos pueros delegit. Observatione etiam dignum, quòd non suæ tantùm nationis, hoc est, Chaldæos atque Babylonios, sed externos quoque atque adeo captivos ex Judæis pueros, qui quidem regia educatione sint digni, & in quibus aliqua virtutis species appareat, eligi jubet. Unde colligimus id, quod ipsa quoque experientia docet, utile esse non modò illos, qui nostræ sint patriæ atque nationis, verùm etiam peregrinos nonnunquam & externos pueros, in quibus eximia aliqua indoles & virtutis spes elucet, in alumnorum, qui ad futura munia atque officia educantur, numerum asscisci ac cooptari.

Nabuchodonosoris cura in alumnorum suorum educatione adhibita. Jam verò id, quod maximè ad nostrum propositum pertinet, consideratione digna est singularis, quam Nabuchodonosor suscepit, educationis horum puerorum cura, nec non modus ejus atque ratio sanè optima, quam constituit. Primò vult illos non otio ac voluptatibus indulgere, sed litterarum atque artium liberalium, atque adeo Philosophiæ, quæ illarum omnium mater est ac procreatrix, præceptis & institutis, nec non linguæ Chaldaicæ, cujus usus tunc latissimè patebat, cognitione institui & erudiri. Deinde magistros illis atque doctores artium atque morum aptos & idoneos præposuit. Tum certum illis discendi tempus, triennium nimirum, præscripsit ac definivit, quo & magistrorum ad docendum, & discipulorum ad discendum alacritas atque diligentia tantò magis incitaretur. Præterea certum quoque pueris victum atque diætam præscripsit, in quo ipso modum optimè tenuit. Nam illum nec nimis parcum, atque sordidum esse voluit, sed liberalem: nec Nabuchodonosoris exemplum omnibus Rerumpub. atque Ecclesiarum rectoribus imitandum. etiam nimis copiosum & effusum, sed dimensum, certisque quasi terminis circumscriptum ac definitum. Denique triennio exacto ipsemet pueros illos interrogationibus suis examinavit, illorumque in litteris atque artibus progressum exploravit, id quod illius cùm scientiæ atque intelligentiæ (qua si caruisset, illos non potuisset bene interrogare, ac istorum scientiæ periculum facere) tum industriæ atque diligentiæ singularis fuit documentum. Quàm pauci sunt, proh Deum immortalem! hodie Christiani reges atque principes, qui non dicam tantam, quantam Nabuchodonosor, sed levem solùm atque exiguam suorum alumnorum tum Politico-

rum,

rum, tum Ecclesiasticorum, qui patriæ Ecclesiæque maximo vel commodo, vel incommodo esse possunt, curam suscipiant atque gerant? Hæc de Nabuchodonosore.

Ipsius porrò principis Eunuchorum Aspenazii nomine, cui rex educationis puerorum curam commiserat, laude digna est egregia sanè in regiis mandatis conficiendis alacritas atque diligentia. Quoad verò Danielis ejusque condiscipulorum pædagogum, cui Melsar nomen fuit, in illo boni sapientisque pædagogi atque magistri luculentum habemus exemplum. Nam primò quanta ab illo in pueris illis, suæ fidei commissis, erudiendis instituendisque adhibita fuerit diligentia, ipse eventus, hoc est, eximia illorum eruditio atque doctrina docuit. Deinde illum sese discipulis illis suis (id quod cujusvis pædagogi est officium) nec nimis facilem & indulgentem, nec nimis acrem & severum præbuisse, illud non levi est argumento, quòd illorum petitioni de abstinentia a regio cibo & potu, ab ipso rege præscripto, nec nisi periculo priùs per decem dies facto cedere voluit, nec postea, cùm id ratio illorumque salus postularet, illam pertinaciter repudiavit. Danielis verò ejusque sodalium laudanda est cùm pietas, tum temperantia atque frugalitas eximia. Pietatis indicium fuit, quòd alimentis lege divina prohibitis vesci, ac proinde ipsam legem divinam violare noluerunt. Nam cibi illi regii procul dubio maxima ex parte erant ex illorum numero, quorum esum Deus Iudæis interdixerat, vel certè ex illorum more & consuetudine Diis erant primò libati, quibus vesci nefas omnino erat. Vinum quoque libatum illis degustare non licuit. Adde quòd, ut Abenezra ex patris sui traditione docet, omnino vinum gentilium bibere nefas ducebatur. Unde Iuditham quoque piam religiosamque fœminam Holophernis cibaria atque vinum sibi ab illo oblatum, repudiasse legimus. Frugalitatem autem illorum atque temperantiam quis satis admirari, nedum prædicare potest, qui non modò regii cibi atque potus delitias sunt aspernati, verùm etiam vilissimo tenuissimoque cibo atque potu, leguminibus nimirum & aqua uti voluerunt, cùm meliore delicatioreque frui potuissent? Pudeat ergo nostri seculi pueros atque adolescentes insignis effrænatæque suæ intemperantiæ, qua ne liberali quidem cibo potuque contenti, omnis generis delitias, cupedias atque lautitias, quantumvis corpori animoque noxias, avidissimè appetunt, & ad illas devorandum omni impetu feruntur.

Boni pædagogi præclarum exemplum.

Danielis, & sodalium illius pietas atque temperantia.

Admiranda denique hoc in loco & prædicanda est immensa Dei clementia atque potentia, qui & pædagogi illius animum ad Danielem ejusque socios amandum, illorumque precibus piis atque honestis satisfaciendum flexit: & ipsum Danielem ejusque commilitones tenui duroque illo leguminum (a quibus, ceu corpus animumque inflantibus, Pythagoræi abstinendum esse duxerunt) cibo & aquæ potu usos, quasi contra naturam non modò corporis robore atque pulchritudine, verùm etiam sapientia omniumque divinarum humanarumque rerum cognitione mirabiliter ornavit & instruxit.

Dei clementia atque potentia, quæ in hac Danielis, & illius sociorum educatione eluxit.

Hæc volui de hoc puerilis educationis atque diætæ exemplo paulò uberius dicere, propterea quòd valdè præclarum est & illustre, imitationeque dignissimum: a quo cùm mentem animumque meum ad mollem, delicatam, immò perditam profligatamque puerorum educationem atque diætam nostris temporibus usitatam converto, non possum non vehementer animo meo cohorrescere, maleque universæ Reipub. Christianæ ominari. Pueris & adolescentibus nostris hodie nihil est petulantius, libidinosius, intemperantius, qui sive sint in patria, sive peregrinis in locis atque scholis, in omni libidinum, delitiarum ac voluptatum cœno volutantur: cujus duplex caussa afferri potest. Una est parentum, præceptorum ac pædagogorum supina negligentia, languidaque indulgentia, certissima pueritiæ pestis atque pernicies. Nam, ut verè Quintil. inquit, Lib. 1. cap. 3. *mollis educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit.* Altera caussa est eorundem, quos paulò antea nominavi, ac quibus puerorum salus curæ esse debet, libidinosæ flagitiosæque vitæ exemplum, quod quidem pueris & adolescentibus, qui suapte natura a labore ad otium, a virtute ad vitia valdè propensi sunt atque proclives, maximum est & efficacissimum ad similis vitæ impuritatem calcar & incitamentum. *Omne convivium,* ut Quintiliani verbis utar Lib. 1. cap. 3. *obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura: discunt hæc miseri, antequam sciant esse vitia. Quando itaque pueri & adolescentes suos vel parentes, vel præceptores ac pædagogos sæpè vel plerunque ebriosos, ac per ebrietatem multa turpia & obscœna dicentes atque facientes vident & audiunt, paulatim ad similis intemperantiæ imitationem deducuntur.* Iuvenalis similiter Satyr. 14. Statim ab initio docet quomodo plerunque filii suapte natura ad aleam, ad ludos turpes, ad luxuriam & voluptates proclives pravis parentum suorum exemplis ad vitia illa atque flagitia magis incitentur.

Educatio atque diæta puerorum nostri temporis planè corrupta.

Plurima sunt, Fuscine, & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec de se melius cuiquam sperare propinquo
Concedit juvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,
Et cana monstrante gula. quum septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato,

Barbatos licet admoveas mille inde magiſtros,
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper, & a magna non degenerare culina.

Huc adde, quod in Academiis atque Scholis publicis feriarum atque feſtivitatum maximus eſt ob doctorum præceptorumque ignaviam atque negligentiam numerus, quæ quidem a ſcholaſticorum turba ludis epulisque intemperantiſſimis agitantur. Eorundem quoque ſi quotidiana συσσίτια, hoc eſt commilitonum & contubernalium, quos *burſales* vocant, convivia ſpectes, illa ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ita ſunt luxus, luxuriæ atque petulantiæ plena, ut verè *Suſſitia*, ſi ita liceret loqui, hoc eſt, ſuum conciliabula atque convivia dici poſſint.

CAPUT XVIII.

TERTIVS VITAE HVMANAE ACTVS EST MVNVS QUALECVNQUE, SIVE OFFICIVM: IN QVEM MVLTA CONVIVIORVM GENERA CADVNT. AC PRIMO DE CONVIVIIS, QVAE IN SACRORVM, RELIGIOSORVM ATQVE SCHOLASTICORVM MVNERVM SVSCEPTIONE, SIVE INITIATIONE ADHIBENTVR.

Actus tertius vitæ humanæ.

Atque hæc quidem de ſecundi actus vitæ humanæ, hoc eſt, educationis, (cui quidem pueritia & adoleſcentia ſubiecta eſt) propriis conviviis atque diæta ſint dicta. Sequitur nunc tertius & quidem maximus humanæ vitæ actus, qui quoniam eſt ampliſſimus, latiſſimeque patet, multa conviviorum genera complectitur. Is autem eſt muneris officiive qualiſcunque ſuſceptio atque functio, quæ educationem naturali ordine conſequitur, imò ad quam ceu ad finem ſuum ipſa educatio accommodari atque dirigi ſolet & debet. Eſt itaque hic omnium ferè populorum & antiquus & hodiernus mos ac conſuetudo, ut ob muneris qualiſcunque honorifici præſertim vel ſuſceptionem ſeu initiationem, vel benè feliciterque adminiſtrati laudem, vel denique depoſitionem convivia, quaſi gratulatoria, lautiſſima ſplendidiſſimaque celebrentur, quæ quidem ſecundum ipſa, in quorum gratiam fiunt, varia vitæ munia commodiſſimè videntur poſſe dividi. Verùm de his antequam dicere aggrediamur, prius illud quoque, de quo ſupra, cum de conviviorum abuſu ageremus, dictum eſt, hìc videtur eſſe repetendum: quod nimirum ut olim, ita hodie quoque peſſimus hic pernitioſiſſimuſque invaluit mos, ut multi epulis dandis exhibendiſve ad munia honorifica præſertim atque fructuoſa viam affectent. Fuit hoc olim Romanis valdè familiare & uſitatum, ut ex multis hiſtoriis patet, qui cùm aliis muneribus, tum epulis ſplendidis atque magnificis popularis benevolentiæ auram ſibi comparare ſtudebant, cujus afflatu tanto facilius atque commodius ad quoſvis honores ſive munera honorifica proveherentur. Ad hanc pernitioſam ſanè honores ambiendi conſuetudinem coërcendam multa a Romanis utiles laudabileſque leges latæ fuerunt. Sed quid dico de Romanis? Hodie apud Chriſtianos nihil ferè magis tritum eſt & uſitatum: quò fit, ut ineptiſſimi & indigniſſimi quique ad optima & honeſtiſſima & fructuoſiſſima quæque munera provehantur, quibus illi deinde cum maximo patriæ ſuæ damno atque dedecore ad libidinem, ad luxuriam, ad uſuram, denique ad turpem & inhoneſtum quemvis quæſtum (dum ſumtus, quos in muneribus epuliſque illis fecerunt, reſarcire ſtudent) turpiſſimè abutuntur. Eſſet itaque vehementer optandum, ut turpis hæc atque nefaria ambiendi ratio atque conſuetudo ſeveris legibus coërceretur.

Mos pernitioſus munera atque honores ambiendi epularum largitione.

Munera vitæ humanæ duplicia.

Sed de hoc hactenùs, de quo ſuprà quoque nonnulla fuerunt dicta. Ipſa porrò munera atque officia quoniam duplicia ſunt, alia quidem ſacra & religioſa: alia verò prophana: primo quidem loco illorum conviviorum exempla videntur eſſe proponenda, quæ in illorum honorem & gratiam, qui ſacris, religioſis, Eccleſiaſticis atque etiam ſcholaſticis muneribus ornantur atque initiantur, agitari conſueverunt. Apud Judæos olim, ut inde exordiar, Pontificis ſummi reliquorumque ſacerdotum conſecratio, ſive inauguratio in loco ſacro per ſeptem dies integros (quibus tabernaculum templumve egredi illis nefas erat) partim ſacrificiis, partim epulis celebrari fuit ſolita, uti ab ipſo Deo inſtitutum atque præceptum fuerat. Sacrificia erant tria, primum fuit vitulus pro peccato ad ipſum altare holocauſti expiandum: ſecundum arietis holocauſtum: tertium arietis ſimiliter fuit ſacrificium pacificum ſive gratiarum actionis, qui aries מלאים *Milluim*, hoc eſt, *impletionum* ſeu *plenitudinum* dicitur. Chaldæus vertit, *ſanctificatorum*: vulgatus interpres, *conſecrationis*: propterea quòd in conſecratione manus ſacerdotum partibus ſacrificii implebantur. Ex hujuſce autem ſacrificii *impletionis* reliquiis, carnibus nimirum, quæ eodem in loco ſacro coquebantur, nec non panibus in caniſtro oblatis, convivium adornabatur, quo non niſi iis, qui ex ſacerdotali ſive Aaronica erant familia, frui licebat: alienigenis enim, ſicut ſcriptum eſt, hoc eſt, ut Abenezra interpretatur, qui non erant ex Aaronis ſemine, illius aditus erat interclusus. Reliquias porrò illarum epularum ſequenti die non audebant comedere, ſed illas igne jubebantur concremare. De his vide Exod. 29. Levit. 6. & 8.

Sacrificia atque epulæ Pontificis Max. atque ſacerdotum inauguratione apud Judæos quæ.

Apud Romanos olim magnificentiſſima ſplendidiſſimaque fuerunt convivia Pontificalia atque Augurulia. Ac Pontificalis quidem cœnæ vetuſtiſſimæ, omnique lautitiarum genere inſtructiſſimæ deſcriptionem habes apud

Cœna Pontificalis.

apud Macrobium lib. 3. Saturn. cap. 13. hujuscemodi: *Accipite*, inquit, *inter gravissimas personas non defuisse luxuriam. Refero enim Pontificis vetustissimam cœnam, quæ scripta est in indice quarto Metelli illius Pontificis maximi, in hæc verba: Ante diem nonam Calendas Septembris, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, domus ornata fuit. Triclinia lectis eburneis strata fuerunt. Duobus tricliniis pontifices cubuerunt Quint. Catulus, M. Æmilius Lepidus, D. Syllanus, C. Cæsar rex sacrorum, P. Scævola Sextus, Quint. Cornelius, P. Volumnius, P. Albinovanus, & L. Julius Cæsar augur, qui eum inauguravit. In tertio triclinio Popilia, Perpennia, Licinia, Aruncia vestales virgines, & ipsius uxor Publicia flaminica, & Sempronia socrus ejus. Cœna hæc fuit. Ante cœnam echinos, ostreas crudas quantum vellent, peloridas, sphondylos, turdum, asparagos, subtus gallinam altilem, patinam ostrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos. Iterum sphondylos, glycomaridas, urticas, ficedulas, lumbos capragines, aprugnos, altilia ex farina involuta, ficedulas, murices & purpuras. In cœna, sumina, sinciput aprugnum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia assa, amylum, panes picentes. Ubi luxuria tunc accusaretur, quando tot rebus farta fuit cœna pontificum?* Cœnam Pontificalem bis in anno dari solitam fuisse legimus, nimirum nono Calend. Augusti, & 13. Calend. Novemb. teste Lazio. Cœnæ quoque Auguralis, quam Q. Hortensius paravit, magnificæ seu potius luxuriosæ crebra fit a scriptoribus mentio, quam Plinius lib. 10. cap. 10. *cœnam dapalem* (nonnulli legunt *æditialem*) *sacerdotii* appellat, quam dabant capescentes sacerdotium. Varro Auguralem *dapalem* cœnam appellat, in qua Hortensium primum pavones (id quod antea factum non est) posuisse Varro & Plinius testantur. *Hoc*, inquit Euangelus apud Macrobium, *potius factum tam luxuriose, quàm severè boni viri laudabant. Quem citò secuti multi extulerunt eorum pretia, ut ova eorum denariis veneant quinis, ipsi facilè quinquagenis*, &c. Vide ibidem plura de monstrosa Oratoris istius luxuria. Hujus cœnæ Cicero meminit lib. 7. Epist. ad Gallum: *In eos cum incidissem in cœna augurali apud Lentulum.* Plura de hac re scribit Varro lib. 3. de re rustica. Hæ Pontificales Auguralesque cœnæ quoniam valde sumptuosæ luxuriosæque fuerunt, hinc factum est, ut proverbii loco pro quibusvis luxuriosis magnificisque cœnis synecdochiκῶς crebrò apud auctores usurpentur. Horat. Od. 14. Cœnā Auguralis.

Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus, & mero
Tinget pavimentum superbo
Pontificum potiore cœnis.

Hoc est, vino meliore, quam quòd adhibetur in Cœnis Pontificiis, quæ solent esse magnificentissimæ atque apparatissimæ, ὑπερβολικῶς dictum. Ex hoc ergo loco, ut interpres admonet, apparet prælautas cœnas proverbio *pontificales* appellari solitas. *Ab eo, quod scripsit Horatius*, inquit Erasmus in suis adagiis, *non abhorret quod hac tempestate apud Parisios vulgari joco vinum theologicum vocant, quod sit validissimum minimeque dilutum. Et festivè admodum quidam hujusce proverbii causam rogatus, respondit, a Jureconsultis occupari quas vocant præbendas decanatus, & archidiaconatus, theologis nihil reliquum fieri, præter curata, ut vocant, sacerdotia. Cæterùm quoniam de pastoribus scriptum est: Peccata populi comedetis, nimirum ad cibi tam duri concoctionem opus esse vino efficacissimo. Atque hinc esse natum vulgi dictum.* Hæc ille. Salii quoque (quod vetustissimum sacerdotum genus fuit apud Romanos, sic dicti, quòd Ancylia, quæ credebantur cœlo delapsa, saltantes ferrent) quoniam opiparis lautisque conviviis fuerunt usi, hinc opiparum quodvis magnificumque convivium *Saliare* dicitur. Horatius in Odis: Vinum theologicum. Salii. Cœnæ saliares.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc saliaribus
Ornare pulvinar Deorum,
Tempus erat dapibus sodales.

Erasmus existimat Horatium *saliares* pro *pontificales* dixisse, hoc est, speciem pro genere. Apulejus lib. 4. *Ut equus quidem meus tanta copia, & quidem solus potitus, saliares cœnas cœnasse crederet*, hoc est, ut Beroaldus interpretatur, *lautas & opulentas*: nam a Saliis sacerdotibus cœnæ appellantur amplæ & esculentæ, amplissimique apparatus, quia per festos dies Salii luxuriosas cœnas facere dicebantur: unde in proverbio est, *Saliares cœnas* dicere opiparas, & copiosas, quarum mentio apud omnes.

Sacerdotum porrò initiationes seu consecrationes cùm aliarum cæremoniarum, tum conviviorum festivitatibus fuisse celebratas manifestè apparet ex illis Apulei verbis lib. 11. *Exhinc festivissimum celebravi natalem sacrorum: & suaves epulas, & faceta convivia. Dies etiam tertius pari cæremoniarum ritu celebratus, & jentaculum religiosum & teletæ legitima consummatio*: in quæ verba sic eleganter Beroaldus commentatur. *Natalis sacrorum dicitur ille dies, quo quispiam consecratur, fitque sacris initiatus: quem non minùs religiose celebrare debemus, quàm diem nativitatis: quoniam ex illo vita tantùm, ex hoc verò vita religiosa, & sancta producitur. Natalem autem solitum antiquis solenniter coli, quis ignorat, quo lautiora convivia & festa fiebant, quæ M. Tullius natalitia appellat a natali celebratione natalis diei, quo & munera missitabantur? Sic qui initiantur sacris dicere possunt: Hic nobis natalis erit: Et illud: Hæc vitæ genitalis est origo. Jentaculum addit religiosum. Quàm multa (dii boni) in nostra religione consimilia sunt religioni Ethnicorum? quàm multi ritus propè germani? de quibus plura aliàs, quorum jam magna quoque pars superiùs explicata est, ex quibus & hoc est: Nam quando nostri sacerdotes consecrantur (quoniam sacerdotium aliquod adipiscuntur) consuevere jentaculo non tam religioso, quàm guloso accipere Symmystas, id est, consacerdotes, ut auspicentur introitum sacerdotalem.* Hæc ille: quibus similia sunt illa Polydori Virgilii, lib. 5. cap. 1. *Quin etiam jam usu venit, ut non censeatur esse solennitas, nisi sit opiparo* Sacerdotum initiationes epulis celebratæ. Natalis sacrorum. Inauguratio sacerdotum nostri tem-

comitata

comitata convivio. Est & illud ab iisdem Ethnicis, ut sacerdotes nostri cùm primùm rem divinam faciunt, hoc est, primam celebrant missam, consacerdotes & amicos convivio excipiant, eundemque diem non minùs religiosè quàm natalem colant, uti bene auspicantes sacerdotalem introitum. Et id quidem non immeritò, quoniam ex illo vita tantùm, ex hoc verò vita sancta producitur, &c. Huc referuntur Monachorum quoque atque Monacharum initiationes, quæ non secus atque nuptiæ (quo nomine etiam appellantur) luxuriosissimis profusissimisque epulis, necnon ludis tripudiisque petulantibus atque lascivis celebrari solent. Sed præ cæteris omnibus insigne est Pontificis Romani solenne convivium, quo ille in die coronationis, & feria quinta in Cœna Domini Cardinales, Episcopos atque alios excipit, magnificeque tractat, ita ut cum priscis illis Pontificalibus Auguralibusque epulis merito comparandum esse videatur. Ejus descriptio in sex illis cæremoniarum Romanæ Ecclesiæ libris hujusmodi extat. Sed quoniam majores nostri consueverunt in die coronationis, & feria quinta in Cœna Domini solenne convivium celebrare iisdem fermè cæremoniis, aliquid etiam de solenni Papali convivio hoc loco dicemus; maximè cùm etiam nostra ætate factum sit a Pio secundo, & Paulo item secundo summis Pontificibus.

[poris cum luxuria conjuncta.] [Epuli Pontificalis descriptio.]

Parabitur igitur aula convivii aulæis, & pannis sericeis, aureisque pro temporis & loci conditione. In capite aulæ erit suggestus, ad quem triplici gradu ascendetur, longus pro latitudine aulæ: in medio surget quadratus thalamus palmi altitudine: super quo mensa paratur Pontificis: apud parietem erit sedes Papalis, ad quam parvo, & deinde magno scabello ascendetur, ornabitur sedes cum panno aureo pendente supra caput: mensa erit alta ad justam proportionem sedentis a sinistra super suggestum. Parabitur alia mensa pro credentia Papæ cum vasis aureis, & argenteis vino, & aqua, & aliis consuetis. Credentiam appellant mensam, supra quam vasa argentea, sive aurea ad convivium opportuna præparantur. Et similiter in divinis supra quam ad sacrificandum necessaria continentur. Dicitur & credentia actus ipse prægustationis cibariorum & aliarum rerum. Hæc exponere volumus, quoniam crebrò de credentia mentionem facturi sumus: antiqui cæremoniarum codices *Dressatorium* dixerunt. A dextra parte aulæ, infra suggestum parabuntur mensæ pro Episcopis & Presbyteris Cardinalibus: & paulò inferiùs pro aliis Prælatis: & pro Cardinalibus erunt aliquanto altiores, & sedilia habebunt gradum unum, super quem tenebunt pedes Cardinales. A sinistra e regione mensæ Cardinalium parabitur mensa pro Diaconis Cardinalibus, ejusdem altitudinis, & cum gradu. Et inferiùs aliæ mensæ pro oratoribus, nobilibus, & Officialibus. In fine aulæ, vel in aula præcedente, si erit commoda parabitur magna credentia cum pluribus gradibus ad magnificentiam: & alia super longam mensam cum vasis, quibus in communi utitur.

[Aulæ apparatus.] [Mensa Papæ.] [Credentia Papæ.] [Dressatorium.] [Mensa Diaconorum, Cardinalium.] [Mensa oratorum, nobilium.]

Si huic convivio interesset Imperator, alia paratur pro eo sedes ad dextram Pontificis, & mensa super plano suggesta, super quam solus comedet Imperator. Sedes habebit scabellum parvum viride, & erit ornata panno aureo, non tamen habebit pendentem supra caput: similiter parabitur pro eo credentia juxta credentiam Papæ a sinistris, & ibi erunt familiares Imperatoris pro suo servitio. Si verò adesset Rex aliquis, paratur credentia pro eo paulò remotior ab ea. Sedes verò nulla paratur: quia sedet in mensa post primum Episcopum Cardinalem. Imperator sive Rex habebunt tot servitores, quot eis opportunum videbitur. Cardinalibus verò singulis sufficiunt quaterni ministri, quorum unus vinum propinet, alter carnes concidat, alter de cultello fercula inferat, quartus prægustet vinum, & aquam & alia subministret. Pontifici servire solent nobiliores, qui sunt in curia, Laici, etiam si sint fratres aut filii Regum, præsertim in illorum præsentia. Pontifex igitur cum paramentis Pontificalibus si celebravit illa die usque ad Dalmaticam inclusivè, & cum sandalis indutus supra Dalmaticam manto rubro aperto a parte anteriori, & mitram habens in capite supra favonem, medius inter Diaconos ducitur ad mensam. Cardinales, & Prælati omnes habent superpelliceum super rochettum, sive supra vestes sui ordinis, si sint religiosi, & mitram albam in capite supra superpelliceum. Cardinales & Prælati Seculares habent mantellum sine cauda apertum a parte anteriori violacei sive obscuri. Religiosi verò coloris sui ordinis, sed eodem modo apertos. Cæteri omnes in suo habitu quotidiano. Aderunt familiares Pontificis, & alii servitores in copia. Aderunt etiam servientes armorum bene ornati, cum suis baculis argenteis, qui præire debent ante portantes fercula, & removere multitudinem a via.

[Credentia Imperatoris Sedes.] [Sedes regis nulla.] [Ministri Pontificis.] [Cardinalium vestitus. Ministrorum habitus.]

Magister sacri hospitii, & magister domus provideant in tempore de modo, & ordine ferculorum, de servitoribus, qui priùs & qui posteriùs, & quot quælibet mensa habeat præfectos suos: quæ verò prius, quæ deinceps, & per quos ferenda, & sic de aliis rebus opportunis. Pontifex remota prius mensa ad partem, sedeat in sede cum mitra, & mantum post collum apertum, ut nihil ante pectus dependeat. Cardinales, Principes & Prælati, & alii convivæ stent ante mensas paratas. Nobilior Laicus, etiam Imperator aut Rex, aquam ad lavandas Pontificis manus primo ferat hoc ordine. Magister sacri hospitii cum clerico cæremoniarum, quem adesse oportet in ordinandis his rebus omnibus, cum servientibus armorum; & si Imperator aut Rex, aquam ferre debet cum aliquibus etiam principibus sociatis, Imperatorem aut Regem ad credentiam ducit. Si est nobilis inferior, solus erit, & in credentia aquam priùs a ministris probatam accipit in pelvibus, fertque consuetis cæremoniis ad Pontificem, præeunte uno ex auditoribus cum mantili ad tergendum manus. Prior Episcoporum Cardinalium, & duo Diaconi assistentes, depositis in manibus servitorum mantellis & mitris, sic in rochetto serviunt Papæ dum lavat, Episcopus aquam cum portante infundendo: & Diaconi mantile, quod ab auditore acceperant, hinc inde tenendo. Dum Papa lavat manus, Prælati & Laici omnes genu flectunt, Cardinales & Prælati stant capite detecto. Cùm Papa laverit reaptatur mensa ante eum: & tres Cardinales, qui illi servierant, capiunt suos mantellos & mitras, & vadunt ad loca sua, & Imperator apud sedem suam primo stans lavetur suis cæremoniis: deinde domini Cardinales laventur stantes ante mensam

[Magister sacri hospitii & ejus officium.] [Pontificis habitus.] [Manuum ablutio.]

mensam cum mitris in capite, post eos laventur Prælati stantes sine mitris, & Seculares (si qui sunt) detectis capitibus. Stabant ante mensas lavantes eo ordine, quo sedere debent in mensa, Prior Episcoporum in capite ad dextram: si aderit Rex aliquis, erit in secundo loco, si plures Reges, mixti erunt cum primis Cardinalibus: primò Cardinalis, deinde Rex successivè. Si erunt mixtim Principes, aut filii, vel fratres Regum; si non serviunt Papæ, debent sedere inter Diaconos Cardinales, vel post eos pro eorum dignitate & conditione. Primogenitus autem Regis, quia Rex futurus putatur, post primum Presbyterum Cardinalem erit. Sed nullo modo inter Episcopos. Et hoc tam in conviviis, quàm aliis publicis actibus: quamvis nostro tempore aliquorum sive ambitione sive ignorantia aliquando sit servatum contrarium. Convivarum ordo.

Consueverunt antiqui ponere Patriarchas quatuor Ecclesiarum principalium inter Episcopos & Cardinales mixtim: nostro tempore ponuntur immediatè post Cardinales. Deinde assistentes Papæ, tum Oratores Prælati, inde Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates, Subdiaconi, Auditores, Clerici cameræ, Acoluthi. Ad sinistram verò erunt, & cum eis Principes, quos priùs diximus (si aderunt) post eos autem si præsentes erunt, & alii principes inferiores, illi tamen qui solent præcedere Oratores Regum. Deinde erunt Oratores Laici & non Prælati, & cum eis Senator, & tres Conservatores urbis. De aliis autem Laicis, qui sunt extraordinarii, nihil ponimus, nam admitti solent ad voluntatem Pontificis, & non ordinariè.

Advertat tamen magister domus ut priùs cum Clerico cæremoniarum ponat in scripturis nomina, & ordinem invitatorum ad convivium, & maximè Laicorum: & si quæ sunt contentiones de præsidentia, componantur priùs, quod si ibi orirentur, si nolunt componi, ambo contendentes honestè jubeantur exire, si tamen esset colorata contentionis causa, & non temeraria, quia tunc solus temerarius ejiciendus esset. Convivarum nomina, & ordo in libello.

Quod autem de Imperatore dicimus, intelligimus de Imperatore Romanorum, non autem Græcorum, nam ille ut Rex tractatur. Poterunt lavare post primos plures eodem tempore. Postquam omnes laverunt, Pontifex benedicit mensam, stans sine mitra: & tunc Diaconi assistunt: finita benedictione sedet, imponitur mitra, & Diaconi vadunt ad loca sua, & sedentibus omnibus ordine, in quo steterant, portantur fercula. Primum ferculum portabit nobilior Princeps, sive Imperator, sive Rex sit. Secundum alius dignior post eum, & sic successivè; & si erunt ex illis, qui debeant sedere in mensa, portato ferculo, sedeant in loco suo. Et notandum, quòd Imperator, Rex, seu maximus Princeps capit ferculum, quod portare debet ad Pontificem, extra portam aulæ convivii ab aliquo familiari Pontificis illuc apportatum. Alii inferiores pro ferculo ad coquinam vadunt: magister sacri hospitii, & magister domus baculos in manibus tenentes, & in habitu sibi condecenti deducunt, portantes fercula, quæ quidem fercula ad Pontificem, & Imperatorem tantùm cooperta portari debent: aliis autem, etiam Regibus detecta, & similiter vinum: possunt tamen portari, & debent maximis Principibus usque ad aulam convivii, & deinde, antequàm appareant in conspectu Papæ, detegi. Item in præsentia Pontificis nulli omnino fit publicè prægustatio nisi ipsi Pontifici, & Imperatori tantum: pro Rege autem aut maximo Principe poterit fieri a suis, si voluerint, in credentia, vel ubi capiunt fercula. Pro Pontifice & Imperatore fiunt ibi, ubi capiuntur a dantibus & in mensa a portante, & sic de omnibus rebus. Cùm primùm convivium incipietur in loco convenienti, ponatur pulpitum: & Diaconus, sive Capellanus Papæ aliquid de sacra scriptura legat usque in finem convivii. Interim cum silentio, & sine strepitu omnia administrentur quàm diligentissimè. Cum Pontifex biberit, consueverunt omnes astantes præter Episcopos, & superioris dignitatis viros genu flectere, quod servari nostris temporibus vidimus, quamvis in nullo cæremoniarum libro id legerimus. Epulis abundè subministratis fit secunda lotio manuum, & tunc secundus nobilis Laicus portat aquam consuetis cæremoniis. Prior Episcoporum, Cardinalium, & duo Diaconi dimissis mantellis & mitris, ut supra, serviunt: deinde revertuntur ad loca sua: lavantur & alii ordine suo, quo supra, sedentes tamen, & dum Cardinales lavant, unus servit alteri de mantili, illud explicando, & tenendo dùm alius lavat, & sic successivè. Ponuntur deinde vinum & confectiones, sive species, ut habent antiqui codices: & demùm finito convivio lector dicit: *Tu autem Domine miserere nobis*: nisi sit in Cœna Domini: quia tunc non profertur: tunc autem surgit Pontifex sine mitra, assistunt ei Diaconi, & redduntur gratiæ, ut in ordinario. Omnibus completis reducitur Pontifex ad cameram suam, & alii ad propria divertuntur. Benedictio. Fercula. Prægustatio. Lectiones. Manuum lotio secunda. Mensa secunda Gratiarum actio.

Si autem solenne convivium hujusmodi fiet in die quo Pontifex sacra publicè non celebraverit, omnia, ut prædicta sunt, servabuntur nisi de sacris vestibus. Papa indutus amictu, alba longa, cingulo, stola pretiosa, & manto rubro cum parvo caputio subtus: sive, si calores erunt, sine manto cum caputio tantum ducetur ad mensam. Cardinales, & Prælati erunt in mantellis consuetis sine superpelliciis, & sine mitris: alia omnia, ut supra. Advertendum tamen, quod nunquam in convivio Pontificis admittuntur mulieres, etiamsi Imperatrix, Regina, vel Pontificis consanguinea esset.

Atque hujusmodi quidem sunt sacerdotum summæ, mediæ, infimæ sortis nostris temporibus usitatæ initiationes, seu, ut vulgò appellantur, consecrationes atque purificationes luxus luxuriæque plenissimæ, quæ quidem quantum a pietate religioneque Christiana sint alienæ, quid est multis verbis? res ipsa loquitur. Debebant illi qui tam gravi, difficili, arduo periculosoque munere, quo Dei gloria, ipsorum totiusque gregis æterna salus agitur, initiantur, jejuniis potiùs atque precibus ardentissimis Deo supplicare, ut sibi tanti muneris benè feliciterque ineundi obeundique largiretur facultatem, quæ sanè optima esset inaugurationis ratio, olim & in Veteri Testamento, & in primitiva Ecclesia usurpata. At hodie contrà plerique illum initiationis inaugurationisve diem, & sæpè etiam duos sequentes immanissimis compotationibus commessationibusque consumunt, ita ut illi dies non natales, sed emortuales, nec initiatio, sed vinitiatio potiùs (si ita liceret loqui) dierum illorum De sacerdotum nostri temporis luxuria.

rum actio dici mereatur. O auſpicia inauſpicata! ô inaugurationes infauſtas! ô conſecrationes (ſeu pergræcationes potiùs) diras! ô purificationes impuras! quæ quidem ad Dei iram atque furorem inflammandum maximè faciunt. Ac talis quidem cum ſit ſacerdotalis muneris initiatio, quid miri eſt, ſi talis quoque ejuſdem progreſſus, curſus atque finis conſequatur? Nam in omnium rerum initio ac fundamento multum momenti eſſe ponendum quis dubitet: cùm qualia ſunt rerum principia, tales plerunque exitus conſequantur? Mirum itaque profectò non eſt, totam quoque reliquam plurimorum ſacerdotum vitam talibus initiis ſive initiationibus ſimilem, hoc eſt, non religioſam, quàm guloſam, ebrioſam flagitioſamque exiſtere, ita ut & ipſi antiquis illis Romanorum Pontificibus, potitiis, Septemviris epulonum, Saliis atque Lupercis, & illorum cœnæ luxurioſiſſimæ illis antiquis Pontificalibus, Auguralibus, Cerealibus atque Saliaribus cœnis optimo jure comparandæ eſſe videantur.

S. Bernhardi invectivæ in luxuriam ſacerdotum.

In hunc inſanum ſacerdotum luxum, qui jam ab illo ſtatim tempore in Eccleſiam Chriſtianam invaſit, quo illa primum a Tyrannorum vi atque latrociniis reſpiravit, & pacis atque tranquillitatis luce frui cœpit, acerrimè graviſſimeque S. Bernhardus cùm aliâs, tum in primis in Remenſi concilio invectus eſt hiſce ferè verbis, quæ eadem etiam ſuis in Cantica Cant. doctiſſimis commentariis Serm. 34. ſub finem inſeruit. *Sic ſerpit*, inquit, *hodie putrida tabes per omne corpus Eccleſiæ, quò latius, eò deſperatius, eoque periculoſius, quò inteſtinius.* Et paulò pòſt: *Et quæ ſua ſunt, quærunt omnes. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto; honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Unde hinc eſt eis, quem quotidie videmus, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frænis, aurum in ſellis & in calcaribus. Plus nitent calcaria, quàm altaria. Inde menſæ ſplendidæ & cibis & ſcyphis. Inde comeſſationes & ebrietates. Inde cythara & lyra & tibia: redundantia torcularia & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia. Hujuſmodi ſunt, & volunt eſſe Eccleſiæ Præpoſiti, Decani, Epiſcopi & Archiepiſcopi.* Et paulò pòſt: *Pauci admodum ſunt, qui, quæ ſua ſunt, non quærant. Diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, qui manus dederunt Mammonæ. Intuère quomodo incedunt nitidi & ornati, circumacti varietate, tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo. Unde verò hanc illis exuberare æſtimes rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam, congeriem vaſorum aureorum & argenteorum, niſi de bonis ſponſi? Inter hæc eſt quòd illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida & exanguis: propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere: non eſt defendere, ſed exponere: non eſt inſtruere, ſed proſtituere: non eſt paſcere gregem, ſed mactare & devorare, dicente Domino de iſtis (Pſal. 52. 15.) qui devorant plebem meam, ut cibum panis: & iterum, Quia comederunt Jacob, & locum ejus deſolaverunt: Pſal. 79. 1. Et in alio propheta: Oſe. 4. 8. Peccata populi comedent, quaſi dicat, peccatorum pretia exigunt, & peccantibus ſolicitudinem non impendunt.* Idem ad paſtores in Synodo quadam: *Dicite ergo Archidiaconi, dicite Presbyteri, dicant etiam Pontifices, in frænis, in ſellis quid facit aurum, & in veſtimentis tantus ornatus? In cibis tam ſuperfluus apparatus? Eſcæ ventri & venter eſcis: Deus autem & hunc & has deſtruet. Multus erat nitor veſtium, & delicatus ciborum apparatus apud illum divitem Euangelicum, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè: mortuus tamen eſt & ſepultus in inferno. O dirum, & execrabile, & horrendum ſepulchrum! ubi eſt fletus & ſtridor dentium, ubi ſunt aquæ nivium, ubi vermis, qui non moritur: ubi ignis, qui non extinguitur, &c.* Hæc ſancti religioſique illius viri fuit de luxurioſa ſui temporis ſacerdotum vita, juſtiſſima graviſſimaque querela, cùm tamen non adeò corrupti & depravati eſſent illorum temporum mores, quales noſtris temporibus experimur. Quantò igitur graviorem juſtioremque idem ſanctus Pater, ſi nunc viveret, de perdito profligatoque Antiſtitum Eccleſiæ luxu, qui hodie graſſatur, & ad extremum gradum perveniſſe videtur, conquerendi, illumque unà cum piis omnibus, qui rari ſunt in hoc vaſto mundi gurgite, deplorandi deteſtandique cauſſam haberet? Similes multæ Auguſtini quoque in ſacerdotum gulam & ebrietatem acerrimæ graviſſimæque invectivæ extant.

Monachorum & Monacharum initiationes, atque vita luxu perdita.

Qualis porrò ſacerdotum atque paſtorum Eccleſiæ, tales Monachorum quoque atque Monacharum hodie ſunt initiationes, quibus & ipſis nihil ferè intemperantius, luxurioſius, petulantius, libidinoſius dici fingíve poteſt. Totus ille dies nuptialis, ut illum vocant, initiationis dies helluando, potando atque tripudiando conſumitur, quod quam ſit non modò a religione, ſed ab omni ratione alienum quis non videt? Profitentur, monaſticum illud vitæ genus ineundo, velle ſe mundo, ejus pompæ, delitiis ac voluptatibus omnibus valedicere, ſeque totos Deo ejuſque cultui conſecrare: ſed unde quæſo ſtatim ſanctum illud vitæ ſuæ genus, quod verbis præ ſe ferunt, auſpicantur? Ab ipſo certè mundo, hoc eſt, ab impuris & immundis helluationibus atque tripudiis, quæ, uti dixi, ab illis ſtatim incredibili cum luxu atque laſcivia exercentur. Quôd ſi quis verbis præ ſe ferret atque jactaret, ſe velle corpus ſuum ab omnibus ſordibus purum conſervare, ac mox ſe in volutabrum cœnoſum aliquid atque lutulentum totum ad mentum uſque immergeret, nonne is cùm mendacii, tum inſaniæ quoque meritò argueretur? Quid igitur dicemus de illis, qui, dum monaſticam vitam ingrediuntur, ſanctè religioſeque adfirmant ſe velle corpus animumque ſuum ab omnibus vitiorum peccatorumque ſordibus, quantum quidem fieri poſſet, per omne vitæ ſuæ tempus, purum putum conſervare, ac mox ſeſe eodem die ebrietatis atque gulæ graviſſimorum peccatorum cœno lutoque totos immergunt atque polluunt, an non hi quoque levitatis, inconſtantiæ, perjurii, ſummæque dementiæ nomine ſunt accuſandi? Simili luxuriæ atque intemperantiæ morbo legimus olim Iudaicos quoque ſacerdotes, poſtquam purior religio paulatim in deterius ruere, multiſque ſuperſtitionibus contaminari cœpit, graviſſimè laboraſſe: unde meritò a S. Prophetis Dei inſtinctu atque impulſu acerrimè acerbiſſimeque fuerunt objurgati. In primis verò Ezech. c. 34. & Iſa. c. 56. illorum & ignorantiam brutam, & ſocordiam, atque ſecuritatem diſſolutam, & avaritiam inexplebilem, & inglu-

& ingluviem atque voracitatem caninam, & libidinem insatiabilem, & denique diurnas nocturnasque perpotationes atque helluationes, ad quas alios quoque verbis exemploque suo invitare fuerunt soliti, suis quasi coloribus depinxerunt, gravissimeque perstrinxerunt. Quæ si cum nostris temporibus, nostrorumque Ecclesiæ pastorum moribus conferas, non tam ovum ovo simile reperies.

Ab hujusmodi itaque initiationibus impuris & immundis mirum profectò non est impuram quoque atque immundam vitam sequi, qualem hodie plerosque monachorum atque monacharum transigere luce meridiana clarius est. Mundo profitentur se renunciasse: sed ubi quæso mundus, hoc est, (ut in S. literis accipitur) luxus atque luxuria, pompa, ambitio, avaritia, gula, ebrietas, libido, invidia, odia, inimicitiæ, calumniæ, discordiæ, ac in primis diurnæ nocturnæque potationes magis dominantur, quàm in plerisque monasteriis sive cœnobiis? Exiguum est sanè illud tempus, quod rei divinæ se impendere jactitant, si cum illo conferatur, quod in helluationibus, potationibus atque libidinibus consumunt. Quod si mundus pro puro accipiatur, rectè dicunt se mundo, hoc est, vitæ morumque puritati renunciare, ut impurissimis cupiditatibus atque voluptatibus serviant. Quamobrem pleraque nostrorum temporum monasteria, proh dolor atque pudor, quæ olim doctrinarum atque virtutum ἀσκητήρια atque γυμνάσια, Ecclesiæque Christianæ seminaria, hodie multorum scelerum atque flagitiorum sunt officinæ: ita ut non monasteria, sed οἰναστήρια, nec tam κοινόβια, quàm ablata litera κ, οἰνόβια, hoc est, popinæ, dici possint. Nec verò ab hac culpa immunes reperiuntur plurimi Ecclesiarum reformatarum Euangelici ministri, ut vulgò appellantur, quorum similiter & initiationes intemperatissimis sæpe epulationibus potationibusque celebrari consueverunt, & vita quoque uvida, madida atque luxuriosa ab Euangelica Apostolicaque, quam profitentur atque docent, doctrina δὶς διὰ πασῶν, hoc est, longissimè diffidet ac discrepat. Inter utrosque autem, Catholicos inquam, & Euangelicos hujusmodi (uti vulgò appellantur) Ecclesiarum præsules (pransores veriùs) unde Germani pfaffer (seu præsultores dixeris) gravissima licet acerbissimaque sit de religione dissensio atque contentio, tamen ad symposia ubi est ventum, ibi cessat omnis de Deo religioneque quæstio, ibi potiùs de exiccandis exhauriendisque multis fœcundis poculis acerrimè certatur, ibi denique concordissimam inter germanos hujusmodi fraterrimosque fratres ad se invicem plurimo vino obruendum concordiam, seu conspirationem potiùs est videre. Hæc autem, quæ adhuc cum summo profectò animi mei dolore a me dicta sunt de pastorum Ecclesiæ, nec non monasticæ vitæ sectatorum impuritate, iis dicta velim, qui ejusmodi culpæ atque vitiis, a me commemoratis, sunt affines, ut tandem aliquando, si ipsis & sua & Christianæ plebis salus cordi est, ut certè esse debet, resipiscant, & verè atque reipsa, id quod verbis profitentur, mundo immundo, hoc est, immundis impurisque cupiditatibus atque voluptatibus renuncient, seque totos Deo, sacris atque divinis meditationibus actionibusque addicant & mancipent. NOTA.

Atque hæc quidem sint dicta de conviviis, quæ in sacerdotum atque monialium inaugurationibus celebrari consueverunt. His autem annumerari debent Scholastica, hoc est rectoralia, magistralia atque doctoralia convivia, quæ in omnibus ferè litterarum Academiis atque Scholis valde trita sunt & usitata, quæque omnem plerunque modum excedunt, & magno cum luxu, eorumque, qui illis honoris insignibus decorantur, detrimento atque sumptu celebrantur. Quas enim pecunias par erat in libros, in vestes, in res alias utiles & necessarias conferri, hæ in luxuriosa atque supervacanea illa convivia ab honorum illorum Candidatis profunduntur, unde æris sæpe alieni ab illis tantum contrahitur, cui solvendo vix vel ipsi, vel illorum parentes pares unquam esse possunt. Quamobrem hunc quoque conviviorum istiusmodi luxum sumptumque supervacaneum, qui litterarum studiosos, illorumque parentes sæpe ad æris alieni atque paupertatis scopulos detrudit, a Christianis magistratibus, penes quos illarum Scholarum est potestas, vel omnino tolli, vel certè imminui, & ad mediocritatem revocari vehementer sanè esset optandum. Atque hæc satis sint dicta de sacris, hoc est, Ecclesiasticis Scholasticisque conviviis, quæ ob munerum atque honorum Ecclesiasticorum atque Scholasticorum adeptionem inaugurationemve celebrantur. Convivia rectoralia, doctoralia, magistralia.

CAPUT XIX.

DE DECIMIS, STIPENDIIS ATQUE SALARIIS EORUM, QUI ECCLESIIS SCHOLISQUE PRAESUNT.

Commodissima & iis, quæ modò posita sunt, peraccommodata hîc se videtur offerre occasio differendi in genere de stipendiis atque salariis sive alimentariis, sive pecuniariis eorum, qui sacris, hoc est, Ecclesiasticis atque Scholasticis muneribus funguntur. Constat igitur cùm ex sacris, tum ex profanis literarum monumentis, antiquissimam hanc omnium ferè gentium laudabilissimamque fuisse consuetudinem, ut iis, qui rem divinam administrabant, honesta atque liberalia ad illos alendum stipendia essent constituta. Nam, ut ab antiquissimis illis Patriarcharum temporibus exordiar, quis vel mediocriter in sacris litteris versatus, ignorat priscis illis seculis, quæ legem latam, & constitutam politiam Judaicam præcesserunt, primogenios sacerdotali munere fungi fuisse solitos, quibus jure suo duplex hæreditatis portio obveniebat, quæ quidem illis stipendii loco erat ad illorum vitam tanto honestiùs atque commodiùs sustentandam? Deinde iisdem temporibus legimus Genes. 14. Hebr. 7. Abrahamum sanctissimum illum celeberrimumque omnium gentium patrem, post insignem illam Stipendia antiquissima eorum qui sacris operantur. Hinc Primogenii olim fuerunt sacerdotes.

Abrahamus decimas Melchiſedecho dedit.

illam qua potitus eſt victoriam, Melchiſedecho ſacerdoti Dei altiſſimi, ipſius nimirum Dei afflatu impulſuque omnium eorum, quæ recuperaverat, decimas obtuliſſe.

Jacobus votum fecit de decimis.

Decimæ etiam ante legem dari ſolitæ.

Ethnici prædæ partem diis ſuis vovere ac ſolvere ſoliti.

Jacobus ſimiliter (uti Geneſ. 28. ſcriptum eſt) votum Deo ſanctiſſimum fecit, decimas ſe ei ex omnibus bonis, quæ ab illo acccpiſſet, daturum, quæ nimirum, ut rectè Theologi colligunt, vel ad pauperes, vel ad rei divinæ adminiſtros, vel etiam ad utroſque alendum atque fovendum conferrentur. Hinc apparet conſuetudinem decimas dandi etiam ante legem fuiſſe uſitatam. Veriſimile etiam eſt Ethnicos ab illis commemoratis exemplis tritum illum ſuum & uſitatum prædæ, ſpoliorum, & quicquid ab hoſtibus captum eſſet, decimam Jovi (unde is *Prædator* fuit cognominatus) cæteriſque diis vovendi ſolvendique morem traxiſſe, cujus multa ſanè illuſtria exempla extant apud Alexand. ab Alex. lib. 3. Genial. cap. 22.

Decimæ Leviticæ tribui aſſignatæ.

Poſtea conſtituta politia Moſaica, cùm populus univerſus in duodecim tribus fuiſſet diſtributus, & tribus Levitica cultui divino deſtinata ac mancipata, nullos agros, vineas, poſſeſſioneſve proprias haberet, quò nimirum Levitæ atque ſacerdotes omni rei familiaris cura atque ſolicitudine liberi & ſoluti, tanto commodius faciliusque rei divinæ vacare poſſent, conſtitutum eſt lege divina, ut ſacrificiis, primitiis, & decimis omnium rerum, quæ offerebantur, a reliquis undecim tribuum hominibus alerentur.

Decimæ quadruplices. Primum genus. Secundum. Tertium. Quartum.

Decimæ porrò, quibus quidem potiſſimùm victus ſacerdotum conſtabat, quadruplices erant. Primæ & communes, quas Levitis omnis populus ſolvebat, dicebantur *decimæ primæ*. Secundæ, quas Levitæ ex ſuis decimis ſummo Pontifici & ſacerdotibus dabant: quæ quidem ab Hebræis מעשר מין מעשר *Maaſar min maaſar*, id eſt, *decima de decimis*, aliquando מעשר שני, *Maaſar ſchani*, id eſt, *decimæ ſecundæ*, ab Hieronymo δεϑτεροδεκάδες Græcè appellantur. Hæ decimæ omnino erant ſanctæ, quæ nec extra Hieroſolymam commodari, nec vendi, nec commutari ſalva religione poterant. Tertium genus decimarum erat, quas unuſquiſque de populo ſeorſim tertio quoque anno remiſſionis reponebat, ut profectus Hieroſolymam ex his convivia, quibus Levitæ & ſacerdotes excipiebantur, celebraret, Deut. 14. Quartum genus erat, quas advenis, viduis, pupillis, pauperibus alendis ac fovendis tertio quoque anno colligebant, quæ ab Hebræis מעשר עני *Maaſar aani*, id eſt, *decimæ pauperum*, Græcè ab Hieronymo πλωχοδεκάδες, id eſt, *decimæ mendicorum* appellantur, Deut. 14. Harum etiam deſcriptionem accuratam vide Levitici 18. & 27. Num. 18. Deut. 14. & 26. De decimarum ſolutione habes quoque teſtimonia illuſtria Tob. 1. & Eccleſiaſtici 25. Vide de iiſdem Hieronymum in 45. caput Ezechielis.

Ezechiæ edictum de decimis.

Ezechias quoque rex ſanctus atque juſtus univerſo populo mandavit edicto publico, ut decimas ſacerdotibus ſolverent. Quo facto, maxima dicitur fuiſſe conſequuta Dei benedictio, hoc eſt frugum atque fructuum abundantia, ſicuti 2. & 1. Paralipom. 31. cap. ſcriptum eſt. Poſt reditum quoque ex Babylone populus adigebatur ad decimas dandum, ſicuti Nehem. 10. & 13. eſt traditum. Verùm cùm populus ea in re officio ſuo deeſſet, nec, qua par erat fide, decimas debitas ſolveret, Malachias Propheta Dei impulſu eo nomine illum graviſſimè objurgavit, ut cap. 13. eſt ſcriptum. Ac primo quidem non ſacerdotes & Levitas modò, ſed multò magis ipſum Deum, quem loquentem inducit, jure ſuo defraudari, graviſſimaque ab illis injuria affici docet. Item oſtendit hanc eſſe potiſſimam cauſam maledictionis, hoc eſt, caritatis annonæ & egeſtatis extremæ,

Decimarum officium a Judæis neglectum.

qua vexentur & affligantur. Deinde illos ad officium ſuum adhortatur, dum ait, *Decimationem omnem inferte in domum theſauri* (id eſt, in horrea, loca decimis deputata) *& ſit cibus in domo mea*, id eſt, ad ſacerdotes & pauperes alendum. Id ſi præſtent, ſpem illis facit fertilitatis maximæque frugum abundantiæ, quæ ſit ſequutura. Hodie quoque Judæi ſunt religioſiores, decimam ex omnibus ſuis bonis & facultatibus conferunt ad pauperes alendum, uſurpantes vulgò dictum illud תעשר בשביל שתעשר *Theaſſer biſchvil ſchetheaſcher*, id eſt, *da decimas, ut diteris.*

Ethnici quoque ſuos ſacerdotes alere ſoliti.

Ut autem antiquitus (ſicuti jam explicatum eſt) apud Judæos lege divina certa hæc erant rei divinæ miniſtris ſalaria aſſignata, quibus alerentur: ſic Ethnicos quoque legimus partim Judæorum, ut veriſimile eſt, imitatione, partim ipſa natura duce & magiſtra vel decimas, vel alias etiam penſiones falſis ſuis ſacerdotibus dediſſe. Sic Ægyptii (ut Geneſ. 47. traditur) ſuos magos, Babylonii ſuos ſacerdotes, Jeſabel ſacrificulos ſuos Baaliticos, aliæ gentes itidem ſuos myſtas aluerunt. Plinius lib. 12. c. 14. memorat Arabes Deo, quem *Sabin* vocant (forſan a Deo *Sebaoth* nomine deducto) decimas perſolviſſe, quæ procul dubio in ſacerdotum uſum cedebant. Exempla vide apud Alexandrum ab Alexandro libro 3. cap. 22. Exempla etiam illuſtria extant Jud. 17. & Gen. 27.

Decimæ etiam Chriſti temporibus dari ſolitæ.

Chriſti quoque temporibus decimarum ſolutionem in uſu fuiſſe conſtat ex Matth. 27. ubi Phariſæos reprehendit, quòd decimas quidem ex omnibus etiam herbis & oleribus diligenter ſolverent (id quod illos debuiſſe facere docet) ſed interim majoris momenti officia, nempe judicium & charitatem negligerent. Decimas porrò illas impia illa ſacerdotum cohors poſſidebat & occupabat, ita ut nullus illarum fructus in Chriſtum, & illius diſcipulos, id eſt, veros doctores redundaret. Legimus etiam impios illos ſacerdotes tandem nefarii hujuſce ſui decimarum abuſus juſtas & atroces pœnas dependiſſe. Nam, ut ſcribit Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 2. cap. 10. Nerone imperante, Felice Judææ præſide, Pontifices ſacerdotibus decimas ex atriis abſtulerunt, eaque de cauſa multi fame interierunt, motuſque inde tragici fuerunt conſequuti.

Chriſti & Apoſtolorum victus unde.

Chriſtus igitur ſummus doctor atque ſacerdos, & illius diſcipuli atque Apoſtoli cùm decimis illis, quas impii illi ſacerdotes acerbiſſimi illorum hoſtes in ſua poteſtate tenebant, frui non poſſent, piorum quorundam hominum opibus ac facultatibus nutriti ſuſtentatique fuerunt, ut paſſim ex Euangelica hiſtoria conſtat. Habuit Chriſtus pecunias a piis illius temporis hominibus tributas, habuit proprium earum quæſtorem ac diſpenſatorem, perfidum nimirum illum Judam. Quin etiam cùm diſcipulos ſuos primùm ad

Euan-

Euangelium in Judæa promulgandum, & ad miracula edendum emisisset, victum illis necessarium dari præcepit, cùm inquit operarium τροφῆς (ut Matt. 10. scriptum est) hoc est, *alimento*, sive (ut Luc. 10. legitur) μισθοῦ, id est, *mercede sua*, dignum esse. Ubi Theophilactus in vocem τροφῆς eleganter annotat, τροφῆς, inquit, *non* τρυφῆς· οὐ γὰρ δεῖ τρυφᾶν τοὺς διδασκάλους, id est, *cibo*, dixit, *non delitiis*: *non decet enim doctores delitiis indulgere*. Idem (ut Luc. 10. est scriptum) ad LXX. illos suos discipulos ait: *In ea autem ipsa domo manete edentes & bibentes, quæ apposita sunt.* Et mox hoc ipsum repetens ait, *Sed & quamcunque in urbem ingressi fueritis, & excipient vos, edite quæ vobis apponuntur.* Paulus quoque Apostolus licet sæpe manuum labore, tentoriis nimirum conficiendis, sibi victum compararit, quò minori Ecclesiis quibusdam oneri esset (ut ex 20. Act. 1. Cor. 4. & 2 Cor. 11. & 2. Thess. 3. apparet) tamen & ipse a Philip. (uti ex 4. cap. epistolæ ad illos constat) ad victum necessaria accepit, & stipendia atque salaria Euangelii Ecclesiæque ministris justa debitaque persolvenda esse 1. Cor. 9. militum, vinitorum, pastorum, boum triturantium, sacerdotum atque Levitarum veteris Testamenti similibus atque exemplis egregiè docet. Idem etiam 1. Tim. 5. & ad Gal. 6. firmis rationibus probat.

Apostolica & primitiva Ecclesia aluit verbi divini præcones atque ministros privatis sumptibus. Piæ familiæ dabant victum, alii boni viri illis suppeditabant viaticum, amictum & alia necessaria. Item bona in commune conferebant, quæ a fidis ministris dispensabantur in usus necessarios pauperibus. Erat hæc ratio illis temporibus & Ecclesiæ conditioni accommodata, quia Ecclesia carebat publicis magistratibus & agebat inter privatos parietes, unde de privatis prospiciebat suis pastoribus. *Mos primitivæ Ecclesiæ.*

At postquam principes & magistratus, & politiæ integræ Christianam religionem fuerunt amplexatæ, tunc magistratus ceu Ecclesiæ alumni curam hanc ad se transtulerunt, ut sub quorum manibus sunt bona communia, ut vectigalia, census, decimæ, ærarium publicum. Multi itaque pii reges, imperatores ac magistratus, Ezechiæ sanctissimi regis exemplo & imitatione, Ecclesiarum ministris atque pastoribus decimas, aliosque reditus, & salaria ad illos alendum, assignarunt. Hac in re in primis liberales ac munificos sese præstiterunt, & Constantinus ille, & Carolus & re & nomine Magni Imperatores. Carolum M. scribit Cranzius in sua Metrop. lib. 1. cap. 8. tributa populo Christiano remisisse, & decimas Ecclesiis & Episcopis assignasse. Idem princeps Vindekindo superato, cùm Saxonibus Episcopum Vibonem constituisset, suum in sustentando salarium ordinavit. Decimas autem Carolus Magnus jussit dividi in 4. portiones: quarum una Episcopis, altera clericis, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis in fabricis applicetur, sicut in decretis Gelasii Papæ continetur. In jure Canonico causa 12. quæst. 2. citatur ex Gregorio fragmentum epistolæ, in quo similiter horum bonorum usus ita describitur. Vocatur stipendium Ecclesiæ, idque in quatuor portiones distribuebatur. Una portio dabatur Episcopo, hoc est, ministro & familiæ ejus in usus suos & advenarum, hospitales enim debebant esse & advenas suscipere. Altera clero, hoc est, scholasticis impendebatur, ex quibus alerentur futuri ministri. Tertia pauperibus cedebat. Quarta Ecclesiis reparandis, scholis & ædificiis ministrorum. Hic certè optimus censeri debet bonorum Ecclesiasticorum usus. Hæ decimæ atque census, sive bona Ecclesiastica posteà, collapsa veteris Ecclesiæ disciplina, partim fuerunt vendita, partim per nobiles Ecclesiis erepta, multa principum decretis aliò translata, id quod hodie quoque fieri consuevit, & ea in re gravissimè peccatur. *Magistratus Christiani decimas aliaque stipendia constituerunt.* *Decimarum usus quadruplex.*

Ut ergo impiè agunt illi magistratus, qui bona Ecclesiæ dicata vel ad se rapiunt, vel ad alios usus transferunt: ita impii & sacrilegi sunt privati homines, qui non modò nihil pro suis facultatibus conferunt ad ministerii Ecclesiastici, & scholarum conservationem, sed decimas & census debitos, jam antea Ecclesiæ dicatos, vel omnino non solvunt, vel non ea, qua par est fide. Unde S. August. 16. q. 1. Decimas dicit ex debito deberi, & eos qui dare noluerint, alienas res invadere. Idem, *Si decimas* (ait) *dederis, non solùm sanitatem fructuum, sed & sanitatem corporum consequeris.* Item, *Cum decimas dando cœlestia ac terrena possis promereri, pro avaritia duplici benedictione fraudaris. Hæc est enim Domini justissimi consuetudo, ut, si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam revoceris: dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti.* Et eadem quæst. *Non Deus noster*, inquit, *postulat præmium, sed honorem, & qui dignatus est nobis totum dare, decimum dignatur a nobis recipere, non sibi, sed nobis procul dubio profuturum.* Et 16. quæst. 7. cap. major. *Quod*, inquit, *non accipit Christus, accipit fiscus.* Hæc ille. Itaque mirum non est, multa quotidie cùm privata, tum publica mala, annonæ præsertim caritatem ingruere, cùm decimæ aliique census ad Ecclesiarum scholarumque conservationem pertinentes vel negentur, vel malignè persolvantur. *Graviter peccari, cùm non solvuntur qua par est fide.*

Denique ipsorum etiam ministrorum Ecclesiæ religionisque gravissima est culpa, qui hujusmodi bonis ad necessarium, vel etiam liberalem vitæ usum, victum, cultumque corporis collatis impiè nefarieque ad fastum, ad pompam, ad superstitionem, ad libidinem, ad gulam & ebrietatem, ad corporis voluptatem, ad avaritiam, usuras & fœnerationem abutuntur, ut hodie vulgò fieri videmus. De quo impio bonorum sacrorum abusu, qui hodie maximè viget, Hieron. quoque in suis temporibus gravissimè conquestus est in 2. Epist. ad Nepotianum, ubi contra luxum clericorum agit, qui jam tum invaluerat: *Nonnulli*, inquit, *sunt ditiores monachi, quam fuerant Seculares, & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallaci diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.* Idem paulò post de eodem luxu, *Turpe est*, inquit, *ante fores sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum & milites excubare, judicemque provinciæ melius apud te prandere, quàm in palatio.* Et hæc quidem de eorum, qui Ecclesiæ scholæque inserviunt, victu, alimentis, decimis, stipendiis atque salariis satis sint dicta. Qui autem plura vult de decimis legere, legat August. 16. quæst. 1. Thomam Aquinatem 1. 2. quæst. 87. Johannem Wolphium in Neëmiam, Martyrem in 7. Judic. Bulling. de functione Episcop. lib. 2. cap. 9. *Decimarum abusus.*

CAPUT XX.

DE CONVIVIIS REGUM, IMPERATORUM, QUAE IN ILLORUM CREATIONE, CORONATIONE INAUGURATIONEVE FIERI CONSUEVERUNT. DE CONVIVIIS CONSULARIBUS ROMANORUM. DE CONVIVIO CAESARIANO, SEU IMPERATORIO NOSTRIS TEMPORIBUS.

Nunc de illis dicendum conviviis, quæ ob civilium seu prophanorum munerum, sive illa sint urbana, sive provincialia, sive togata, sive militaria, sive liberalia, sive mechanica, vel initiationem, vel felicem laudabilemque functionem, vel etiam eorundem depositionem celebrari consueverunt. Inter hæc autem Monarcharum, Regum atque Imperatorum convivia, quæ suprà κλητώρια propriè a Suida & Cedreno dixi appellari, principem facilè locum obtinent, ita ut ab illis omnino exordiendum esse videatur. Ac apud Judæos quidem convivia in regum inaugurationibus fuisse usitata, argumento esse potest illud convivium, quo Samuel Saulem excepit, cùm esset inaugurandus, 1. Samuel. cap. 9. Item illud Davidis convivium, quod in illius inauguratione per triduum summa cum lætitia ab universo populo celebratum fuit, cujus hæc est descriptio: 1. Paral. 12. *Fueruntque ibi*, scilicet in Hebrone, *cum Davide diebus tribus comedentes & bibentes: præparaverant enim eis fratres eorum. Quin etiam qui illis vicini erant usque ad Isaschar & Zabulon & Nephthali afferebant panem in asinis, & camelis, & mulis, & bobus escam, farinam, palathas, uvas passas, & vinum, & oleum, & boves, & oves plurimas: lætitia enim erat in Israële.* Fuit triduanum hoc convivium cùm ipsius Regis Davidis, quo nullus in terris sanctior religiosiorque rex extitit, inauguratione: tum ipsius populi ceu convivarum, & numero ingenti (fuerunt enim ex omnibus tribubus circiter 340822.) & unanimi concordissimoque consensu, quo Davidem regem crearunt, & denique singulari erga Davidem regem suum pietate atque liberalitate, qua cibaria, quæ tantæ hominum multitudini cibandæ sufficerent, libenter ac sua sponte plurima advexerunt, sanè celeberrimum, perpetuaque memoria atque prædicatione dignum. Idem porrò postquam arca Domini ex alieno solo advecta, & pristinæ suæ sedi dignitatique restituta fuit, liberali seu munifico potiùs epulo universum populum excepit atque tractavit, 2. Sam. 6. Idem fecit Salomon in templi Hierosol. dedicatione, de quo suo in loco, 1. Par. 16. Sic Adonias Davidis filius cùm regnum, quod jure forsan primogenituræ ad se pertinere existimabat, invadere vellet, more eorum qui regno inaugurantur, sacrificium epulare & quidem magnificum, mactatis ovibus, bobus, altilibus animantibus in loco celebri juxta fontem Rogel, ad lapidem Zohéleth adornari curavit, ad quos omnes regis filios, excepto Salomone, nec non ministros, regni proceres, qui illius factionis erant, invitavit, qui quidem illum faustis & usitatis acclamationibus (*Vivat rex*) fuerunt prosequuti. Quod cum David rescivisset, ille continuò Salomonem regem ungi ac proclamari voluit: cujus rei fama simul atque ad Adoniæ & ejus convivarum aures pervenit, illi metu perculsi & consternati illicò dilapsi sunt, & huc atque illuc diffugerunt. Ipse Adonias in templum se, ceu in asylum tutissimum recepit, & altaris cornua apprehendit, 1. Reg. 1. Atque hic quidem læti illius convivii initialis tristissimus exitus fuit.

Convivia in regum inauguratione apud Judæos.

Jam verò apud Persas quoque regiam inaugurationem conviviis magnificentissimis fuisse celebratam, cùm ex sacris, tum prophanis quoque literis constat. Artaxerxes Persarum rex post susceptum imperium, & constitutos ab India in Æthiopiam usque, qua regnum illius patebat, 127. satrapas, anno regni tertio amicos & duces gentium Susis accepit epulo, centum octoginta dierum apparatum ostentans, cui plurimæ gentes, earumque legati interfuerunt. Id autem erat instructum in hunc modum: Tabernaculum fixit aureis & argenteis columellis suffultum, prætextum telis linteis & purpureis, multorum millium capax. In eo ministrabatur aureis, & argenteis, & gemmatis poculis, quæ ad delectationem simul & admirationem affabrè erant elaborata. Mandavit etiam ministris, ne quem more Persarum ad bibendum cogerent, sed quemque pro arbitratu suo apposito cibo potuque frui finerent. Dimissis quoque per totam suam ditionem nuntiis edixit, ut omnes feriati ab operibus festivitatem pro regis incolumitate celebrarent. Regina quoque Vasthi pari modo mulierum in regia celebravit convivium. De his Estheræ cap. 1. & apud Josephum lib. 1. cap. 6. plura invenies. Inter inaugurationis coronationisve convivia illud quoque videtur ponendum, quod Assuerus rex Persarum Estherâ, quam repudiata Vasthi sibi matrimonio junxerat, in palatium suum recepta, regioque diademate illius capiti imposito, principibus atque ministris suis magnificè instruxisse fertur, additis præterea largis effusisque pro regia potentia munerum largitionibus, uti cap. 2. historiæ Estheræ scriptum est. Maximus D. Dionysii interpres Hilaria dicit fuisse appellata cùm alias festivitates privatas, tum publicas celebrari solitas ob regis alicujus creationem. Verba ejus observatione digna hæc sunt, ἦσάν τινες ἡμέραι τοῖς εἰδωλολάτραις, ἃς ἱλαρείας ἐκάλουν, καὶ αἱ μὲν ἦσαν ἰδίαι καὶ ἱλάρειοι, ὡς ὅταν τὶς ἐγήματο, ἢ υἱὸν ἐκτᾶτο (en nuptialia & natalitia) αἱ δὲ κοιναὶ καὶ δημόσιαι ἱλάρεια ἐκαλοῦντο, ὡς ὅταν βασιλεὺς ἀναγορευόμενος τὰς δημοσίας ἱλαρείας παρεῖχε, καὶ οὔτε πένθιμα ἐν ταύταις φέρειν ἐξῆν, ἀλλὰ καὶ θέαι, καὶ θυσίαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν διετελοῦντο δημόσιαι, καὶ οἱ πενθοῦντες ἐπαύοντο, καὶ ἐθεώρουν, καὶ ἐν εὐωχίαις ἀπαύστοις διῆγον τὰς ὡρισμένας ἡμέρας τῶν τοιαύταις ἱλαρείαις,

Convivia in regum Persicorum inauguratione. Artaxerxis inter hos magnificentissimum.

Assueri epulum.

Id

Id est, *Erant quædam dies idololatris, quas Hilaria seu festivitates vocabant. Harum aliæ erant privatæ & festivæ, ut cum quis uxorem duxerat, aut alicui filius natus erat. Communes autem & publicæ festivitates Hilaria dicebantur, ut cùm quis rex creatus erat, is publicas festivitates populo exhibebat. In his nulla erat licitum luctus insignia gestare, luctus omnis cessabat, spectacula, ludi, sacrificia, epulæ per totos illos dies agitabantur.*

Legimus præterea semel quotannis apud Persas eo die, quo quis Rex creatus fuerat, magnificam splendidamque cœnam adornari fuisse solitam, quæ idcirco illorum lingua *Tycta*, Græcè τέλειον, id est, *perfecta*, omnibusque suis quasi numeris absoluta, dicta fuit, in qua Rex solo capite ornatus erat, Persasque strenis donabat. Itaque quoniam quavis cœna regia apposita nefas veteri instituto ducebatur orantem, & a rege suo aliquid petentem, non exaudiri, hujusce diei festivitatisque occasione captata, Amestris a rege Xerxe petiit, ut se Masistis germani sui uxore, quam deperibat, donaret: cujus petitioni turpi & inhonestæ Xerxes, quamvis invitus, ne patrium morem violaret, satisfecit. Testis est Herodotus libro nono. Sic Hestera heroicæ virtutis pietatisque fœmina, in dissimili causa, pia nimirum atque honesta, captata convivii occasione, ad quod Assuerum regem atque Hammanum invitaverat, petitione sua, cui Rex satisfecerat, Judæos certissimo præsentissimoque mortis interitusque periculo liberavit. Cœnæ illius *Tyctæ* nomine Athenæus quoque ex Herodoto meminit libro quarto, ubi verbum illud ἐγένετο videtur esse ambiguum, & dubium an significet *natus est* (& ita ad natalitia convivia fuerit referendum) an verò *creatus* sive *designatus est*. Ibidem plura Athenæus de portentoso regiarum cœnarum apud Persas luxu differit, qui & homines Græcos opulentissimos, & civitates integras (a quibus reges illi convivio excepti fuerant) ad extremam egestatem atque penuriam redegit, atque adeò solum mutare coëgit. Quamobrem, ut idem refert, si bis Xerxes in eadem civitate cibum sumpsisset, illa continuò extorris efficiebatur. Addit tamen Athenæus, cœnam illam, quæ regi apparabatur, fama quidem fuisse splendidam & sumptuosam, sed si attentiùs consideretur, fuisse οἰκονομικῶς καὶ ἀκριβῶς συντεταγμένην, propterea quòd illius simul multi Persarum principes atque proceres participes fierent, ut ibidem pluribus explicat. Cum hoc Persicorum regum victu non ineptè forsan possis conferre Salomonis regis sapientissimi locupletissimique victum quotidianum, qui fuit 30. cori similæ, & 60. cori farinæ, 10. boves pingues, & 20. boves pascuales, 100. oves, præter cervos, capreas, bubulos & gallinaceos saginatos, 1. Reg. 4. Sed quid opus est de Persicorum regum luxu multa dicere, cùm hodie quoque Christianorum regum atque principum, qui opibus atque divitiis Persarum regibus longè sunt inferiores, monstrosus sit in conviviis luxus, quo quidem ceu gurgite quodam immanissimo miserorum subditorum opes absumuntur, ipsique ad sitim, ad famem, ad extremam mendicitatem atque exilium detruduntur.

Tycta Persarum.

Regum Persicorum luxus.

Salomonis victus quotidianus.

Apud Romanos quoque, ut ad propositum redeam, moris fuit, ut magistratus designati atque creati populo cùm alia munera, tum magnificas splendidasque epulas exhiberent. C. Julius Cæsar teste Plinio lib. 14. cap. 15. epulum in tertio suo consulatu populo dedit, in quo vinum Falernum, Chium, Lesbium & Mamertinum fuit appositum, quo primum tempore quatuor genera vini apposita constat. Ac in primis Ædiles hujusmodi munerum conviviorumque magnificentia populi animos demulcendo viam sibi ad altiores dignitatis gradus atque magistratus muniisse legimus. Cic. lib. 2. Off. in civitate Romana inveterasse scribit jam bonis temporibus (veriùs dixisset, malis) ut splendor Ædilitatum ab optimis viris postuletur, & subjungit atque commemorat aliquot exempla præstantissimorum virorum, ut fuerunt L. Crassus Dives, Q. Mutius, C. Claudius Appii filius, Lucullus, Hortensius, Silanus, P. Lentulus, Pompejus, qui maximis & magnificentissimis Ædilitiis functi sunt muneribus, ut ad majores honores ac dignitates pervenire possent. Oresti quoque nuper prandia in semitis decimæ nomine magno honori fuisse, Mamerco contrà homini ditissimo Ædilitatis (hoc est, Ædilitiorum hujusmodi munerum atque epularum) prætermissionem consulatus repulsam attulisse scribit. Idem tamen hujusmodi largitiones multis nominibus damnandas esse dicit. *Prodigi*, inquit, *sunt, qui epulis, & visceratiοnibus, & gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam sunt relicturi omnino.* Idem scribit Philippum præclarè in epistola quadam Alexandrum filium suum accusasse, quòd largitione benevolentiam Macedonum consectetur: *Quæ te (malum)* inquit, *ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles fore putares, quos pecunia corrupisses?* Præclarè etiam largitionem *corruptelam* dixit. *Aristoteles quoque Alexandri magister*, ut idem inquit, *has pecuniarum effusiones, quæ ad multitudinem deliniendam fiunt, dixit nos non debere admirari.* Et paulò pòst: *Hanc multitudinis delinitionem ad breve tempus exiguumque durare dixit, & a levissimo quoque animo.* Hæc Ethnicus ille de istis epularum munerumque largitionibus, quibus Romani quondam ambitione impulsi populum delinire, seu potiùs corrumpere conabantur, quò faciliùs honores atque munera adipiscerentur, & sensit & scripsit. Quàm turpe est igitur Christianos hodie iisdem uti epularum munerumque largitionibus ad honoribus suis velificandum, id quod hodie a plerisque superbis ambitiosisque hominibus fieri videmus?

Consulum Rom. epulæ.

Ædilium epulæ.

Epulæ ambitiosorum.

Hunc porrò munera epulasque post magistratuum adeptionem largiendi morem posterioribus quoque temporibus, cum Romana Respub. ad pristinam formam, hoc est, ad monarchicam rediisset, usitatissimum fuisse historiæ satis testantur. C. Caligula, teste Suetonio, qui quatuor consulatus gessit, & duos novissimos conjunxit, *congiarium populo bis dedit trecentos H-S. toties abundantissimum epulum senatui, equestrique ordini, etiam conjugibus ac liberis utrorumque. Posteriore epulo forensia insuper viris, pueris ac fœminis fascias purpuræ ac conchylii distribuit.* Ejus exemplum illustre extat apud Flavium Vopiscum in epistola Valeriani Augusti ad Ælium Xifidum ærarii præfectum, cùm Aureliano, qui postea Cæsar factus est, consularem dignitatem detulisset, cujus hæc sunt verba: *Aureliano, cui consulatum detulimus ob paupertatem, qua ille magnus est, cæteris major, dabis ad editionem Circensium aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in*

ære H-S. quinquagies, tunicas multicias viriles decem, lineas Ægyptias viginti, mantilia Cypria paria duo, tapetia Afra decem, ſtragula Maura decem, porcos centum, oves centum. Convivium autem publicum edi jubebis ſenatoribus, equitibus Romanis: hoſtias majores duas, minores quatuor, &c. Obſervatione quoque digna ſunt ipſius Vopiſci hiſtorici verba, quibus paulò pòſt hunc munerum epularumque luxum ſuis temporibus dominantem deplorat. *Poſui*, inquit, *ſuperiùs epiſtolam, qua ſumptus Aureliano ad conſulatum datus eſt. Vidimus proximè conſulatum Furii Placidi tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari aurigis, ſed patrimonia viderentur, cùm darentur tunicæ ſubſericæ lineæ paragaudæ, darentur etiam equi, ingemiſcentibus frugi hominibus. Factum eſt enim, ut jam divitiarum ſit, non hominum conſulatus: quia utique ſi defertur virtutibus, editorem ſpoliare non debent. Perierunt caſta illa tempora, & magis ambitione populari peritura ſunt.* Hæc ille.

Convivium Decurionale. Conſulari autem illi ſive ſenatorio convivio, quo nimirum conſul deſignatus ſenatores excipiebat, ſimile vult Lazius eſſe Decurionale convivium ſive epulum. Qui enim Romæ ſenatores & Conſtantinopoli, hi in cæteris coloniis municipiiſque Decuriones nominabantur, qui in cauſis civilibus judicabant. Manet hujuſce convivii apud nos Vienenſes umbra quædam. Solent enim in feſto Petri & Pauli, cùm naumachia hìc editur in Danubio, ſimul epulari Senatores & Conſul. Porrò illud ſilentio tranſeundum non eſt, hujuſmodi convivia teſtamento morientis in memoriam fuiſſe inſtituta, ut apud nos quæ fundatione fiunt. Meminerunt verò hujuſce convivii ſubinde inſcriptiones vetuſtatum.

Convivia ſenatoria, ut conſularia Viennæ.

Mediolani, in Lombardia.

Epuli Decurionalis monumenta aliqua.

AESCVLAPIO ET HYGIAE SACRVM COPIVS C. F. LEONAS VIVIR ET AVG. HONORATVS IN TRIB. C. L. PATRVM ET LIBERVM CLIENTIVM ET AD CENSVS PATRONI SANCTISSIMIS COMMVNICIPIBVS SVIS DD. QVORVM DEDICATIONE SINGVLIS DECVRIONIB. * II. AVGVSTALIBVS ET COLONIS COENAM DEDIT.

Auximi, in Italia.

L. SALENO T. F. VEL. SEDATO VETERANO AVG. GG. ACEPT. HONEST. MISSION. EX COH. XLII. VRBAN. PR. QQ. QVAESTORI R. P. AVXVMAT. PATRONO COLLEG. CENTONARIOR. MANSVETA LIBERTA PATRONO OPTIMO, CVIVS DEDICATIONE DECVRIONIB. SINGVLIS IIIIII. N. ET COLONIS SINGVLIS IIII. N. DEDIT L. D. D. D.

Florentiæ, in Italia.

TI. CAESARE TERT. GERMANICO CAESARE ITER. COS. CN. ACCEIO. CN. F. ARN. RVFO. LV. TATIO T. PETILLIO. P. F. QVI IIVIR AEDICVLAM ET STATVAS HAS HOSTIAM DEDICATIONI VICTIMAE NATALI AVG. VIII. KAL. OCTOBR. IMMOLENTVR. ITEM NATALI TI. CAESARIS PERPETVE ACTVRI DECVRIONES ET POPVLVS CENARENT. QVAM IMPENSAM Q. CASCELLIO. LABEONE IN PERPETVO POLLICENTI VT GRATIAE AGERENTVR MVNIFICENTIAE EIVS EOQ. NATALI VT QVOTANNIS VITVLVS IMMOLARETVR.

Ibidem.

L. AVRELIO MARCIANO AVG. LIB. EXCEPTORI AVXVMATES D. D. M. AVG. LIB. PROC. PATER. H. A. I. REMISIT, CVIVS DEDICATIONEM DECVRIONIBVS XIIII. COLONIS. * II. DIVISIT.

Lazius lib. 3. de Repub. Rom.

Cœnæ Imperatoriæ. In primis autem mirum, imò monſtroſum in morem ſumptuoſa luxurioſaque planè extiterunt illa hiſtoriis celebratiſſima convivia, ſive cœnæ Imperatoriæ, quas Romani vel ubi primùm a militibus & ſenatu populoque Rom. Imperatores erant appellati, vel etiam aliis certis & ſolennibus diebus, conſulibus, ſenatoribus, univerſæque nonnunquam multitudini dare fuerunt ſoliti. Harum exempla multa in hiſtoriis occurrunt. Pertinax Imperator Commodi ſucceſſor, cùm, ut teſtis eſt Julius Capitolinus, *eodem die ſimul & Auguſtus fuiſſet appellatus, & Flavia Titiana uxor ejus Auguſta, & patris patriæ nomen, nec non imperium proconſulare, & denique jus quartæ relationis recepiſſet, ad palatium profectus eodem die etiam ad convivium magiſtratus & proceres ſenatus rogavit, quam conſuetudinem Commodus prætermiſerat.* Hinc ergo colligimus Imperatorum Rom. conſuetudinem fuiſſe, quam Julius a Commodo neglectam fuiſſe ſcribit, ut magiſtratus atque ſenatum ad convivium vocarent. Idem colligitur ex eo, quòd Hadrianum ſcribit Ælius Spartianus ſtatim ſolitum fuiſſe ad convivium venientes ſenatores excipere. Verùm de Imperatoriis iſtis Rom. Cæſarum cùm quotidianis & ordinariis, tum ſolennibus & feſtivis epulis multa apud hiſtoricos videre licet. Quidam, ut Julius Cæſar, Auguſtus, Hadrianus, Pertinax, Severus modicis & temperatis: alii verò intemperantiſſimis luxurioſiſſimiſque uſi ſunt, ut Caligula, Nero, Otho, Vitellius, & qui omnes luxuria vicit Antoninus Heliogabalus, qui nunquam minus C. H-S. hoc eſt, argenti libris triginta, aliquando autem tribus milibus H-S. cœnavit, ſupputatis omnibus,

bus, quæ impendit, ut testis est Ælius Lampridius, qui multa sanè de incredibili illius Imperatoris luxu prodidit, quæ ferè omnem fidem superant.

Hic verò in Imperatorum, regum, principum atque magistratuum creatione atque inauguratione mos convivia agitandi nostris quoque temporibus cùm apud Christianos, tum alios quoque populos sanè est usitatissimus. Ac apud Germanos quidem illustre inprimis atque magnificum est convivium Cæsarianum sive Imperatorium, quod post Imperatoris alicujus electionem his ferè cæremoniis celebrari consuevit, cujus exemplum nobis suppeditat præclarum Maximiliani Austrii II. Rom. Regis electio & inauguratio, quæ Francofurti ad Mœnum anno 1562. facta est. Celebratis in fano omnibus cæremoniis, in Curiam inde ad prandium pro Cæsare, Rege ac reliquis Imperii ordinibus sumptuosissimè apparatum proceditur. Ponè tres regii stipatores insequuntur, qui equis insidentes, in vulgus missilia jactant, nummos scilicet aureos & argenteos, ita utrinque signatos, ut in altera parte *Maximilianus D. G. Bohemiæ rex*: in altera, *Coronatus est in regem Romanorum anno* 62. legeretur. In Curiam ut ventum est, ubi Cæsar & Rex suæ mensæ, omnibus aliis septem gradus editiori, considere cœperunt, Electores singuli sua ex aureæ Bullæ ordinatione officia obeunt. Et quidem omnium primò Brandeburgicus, qui pocillatoris munere fungitur, Curia descendens, in generosum equum ascendit, & ad mensam quandam medio foro stratam properans, auream inde pelvim & mappam accipit, iisque in Curiam rediens Cæsari & Regi ut manus lavent & abstergant, administrat, post pelvi, mappa & equo Comiti Zollerano ex jure antiquo cedentibus. Deinde Saxo, qui ensiferum & Mareschalcum agit, in equum agillimè insiliens, eo in avenaceum acervum propè Curiam effusum incitato celerrimè fertur, indeque modium implet argenteum, semper modio & equo inferiori Mareschalco, Friderico Pappenheimio attributo, avena autem pro derelicto habita vulgique direptioni concessa. Postea Palatinus Archidapifer, ad coquinam extra Curiam propter Franciscanorum ædem constructam expeditus in equo aspirat, indeque assumptis ferculis Curiam versus reditum maturat: ibi equo relicto, fercula ad mensam Cæsaris, ei Saxone nigrum bacillum præferente, defert. Ejus equum unà cum argenteis, quibus fercula gestabantur, patinis jure quodam peculiari dominus Seldekius adipiscitur. Consecrant mensam Archiepiscopi, Treverico verbis præeunte, cui reliqui duo respondent. A consecratione Moguntinus, se comitantibus Treverico & Coloniensi, codicillos Imperiique sigilla ex oblongo argenteo bacillo, plus minus duodecim marcarum pretio, dependentia Regi affert, Rex sigilla allata Moguntini collo accommodat, recipiens se sibi tum ipsos Archicancellarios, Electoresque reliquos ac universos imperii ordines quàm commendatissimos habiturum: tum jura atque privilegia ipsorum non modò ab omni defensurum violatione, sed cùm res ita feret, etiam amplificaturum esse.

Epulum in coronatione Maximiliani II. Francofurti celebratum.

Electorum singulorum munera in illo epulo.

Brandeburgicus pocillator.

Saxo ensifer, & Mareschalcus.

Palatinus Archidapifer.

Archiepiscopi tres mensam consecrant.

Hisce officiis posteaquam Electores solenniter sunt defuncti, singuli separatim mensis in eadem aula splendidissimè instructis dispositisque, ad utrumque Cæsaris & Regis mensæ latus discumbunt. A latere dextro primam occupat Moguntinus, alteram Palatinus. Ad sinistram positarum primam tenet Coloniensis, secundam Saxo, tertiam Brandeburgicus. Contra Cæsarem & Regem mensa posita erat, cui Trevericus juxta legis Carolinæ formulam accumbit. Hæ autem mensæ omnes tam Cæsarum quàm Electorum aureis adornatæ stragulis magnificentissimè nitebant, suprà etiam & a tergo aureis aulæis affabrè sumptuosissimoque opere confectis dependentibus. Præter jam dictas mensas aliæ duæ oblongæ in eadem stabant aula, ad quas collocantur Teutonicæ familiæ magister, Wirtziburgicus & Spirensis Episcopi; item Bavarus, Juliacensis & plures alii duces atque principes viri. In contiguo aulæ hypocausto etiam quatuor aliæ mensæ instructæ erant, quarum primæ legati Colonienses, secundæ Aquisgranenses, tertiæ Norici, quartæ Francofurtenses accumbebant. Mensis singulis singuli abaci, omnis generis aureis atque argenteis vasis in tricliniis expositis opulentissimi, adjecti. Mensam Cæsarianam procurabant præter cæteros duodecim præcipui imperii Comites, Electorum vicem obeuntes. Habebant quoque Electores, & Principes suos singuli Comites, nobiles, qui illis a dapibus & poculis erant. Legatis quatuor civitatum certi etiam attributi ministri. Cæterùm licet convivium insigni magnificentia, ingentique epularum apparatu instructissimum senis sic præberetur ferculis, ut dena simul edulia apponerentur: inter ea tamen plurima non esui apta, digna solùm erant, quæ cum admiratione oculos pascerent. Bellariis etiam secundæ præsertim mensæ conquisitissimis, vinisque pretiosissimis fuerunt instructæ. Interim dum sic

Regificè extructis celebrant convivia mensis,

ante Curiam album & rubens merum, duabus fistulis per speciem bicipitis Aquilæ, editæ columellæ impositæ, subterranea derivatione profundebatur: (sic Neapoli in Frederici Cæsaris adventu pluribus diebus nobilissima vina in speciem aquæ extemporariis fontibus ubertim fluxere; Sab. lib. 8. cap. 7.) Veteri etiam consuetudine bos integer, multis aliis animalibus fartus, ligneo veru in foro torrebatur, ex quo parte alia ad inauguratum Romanorum Regem delata, reliquum multitudinis direptioni cessit. Mensis remotis Trevericus gratias egit: postea Cæsar & Rex suis ornati insignibus ab Electoribus cæterisque principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus & anteambulonibus domum deducuntur, quibus deductis singuli in sua se receperunt palatia.

Bos integer multis aliis animalibus fartus assatur, & distribuitur.

Simile Imperatorium sive Cæsarianum epulum in Caroli V. Cæs. coronatione apud Aquisgranum magnificentissimè celebratum plenius Hartmannus Maurus, ceu testis oculatus, hunc in modum descripsit. Regia Majestas Imperiali habitu atque ornatu induta, delatis ante se Imperii insignibus maximo Electorum cæterorumque Principum comitatu, palatium tota Germania celeberrimum, cujus latus forum spectans Imperatorum marmoreis statuis est spectabilissimum, ascendit, ubi omnia ad splendorem gloriamque magnificentissimè, aureis peristromatibus, stragulisque aureis sic adornata fuere, ut maximam rationem publicæ digni-

Epulum in coronatione Caroli V. Aquisgrani celebratum.

tatis habitam fuisse dixisses, solennique convivio, præter Principes Germanos Statusque Romani Imperii nemo interponebatur.

Statim atque Rex ascendisset, minor Imperii Marescalcus Ulricus de Pappenheim, equo cui insidebat in cumulum avenæ usque ad pectus adacto, argenteo modio duodecim marcarum, publicè in foro, ex more vice ducis Saxoniæ, avenam demetiebatur. Aqua deinde aurea pelvi Regiis manibus a Marchione Ioanne de Brandenburg, & minore Imperii Pincerna dabatur, tenuitque Comes Palatinus & alii astantes Principes mappam, qua aspergebantur manus Regiæ.

Comes deinde Palatinus Archidapifer, præcedente Submarescalco gestante elevatum bacillum, cum D. de Roy magno, & aliis minoribus magistris Curiæ, ad coquinam descenderunt Regiam.

Antequam reverterentur Electores, Ecclesiastici benedictionem mensæ legerunt. Quamvis autem hoc antiquæ annotationes Archiepiscopo Coloniensi coronatori saltem illa die tribuerunt, tamen Treverensis sibi hoc competere condendebat ob causam, quod senior in consecratione foret. Archiepiscopus meus Coloniensis ob ea, quæ in aurea bulla continentur, cujus authoritas in dubiis merito sequenda, æquo animo cessit.

Post benedictionem Archiepiscopus Moguntinus, associatis duobus Archicancellariis Coloniensi a dextris, Treverensi a sinistris, sigilla Regia a baculo argenteo duodecim marcarum pendentia, regiæ mensæ oblata, cum retraderentur, Moguntinus ea collo aptavit, totaque die publicè inde dependentia gestavit. Tametsi Treveri contendebant, Aquisgranum esse Archicancellatus Gallici.

Ante dapes venêre tubicines atque æneatores Regis: Heroldi quoque insigniter ornati: inter quos Anglicus quoque Heroldus, cum insignibus Regis sui honoris causa conspiciebatur.

Tubicines præcinentes ubi ad medium atrii pervenêre, substitêre: tubis tamen omnia personabant, quousque Dominus Palatinus per devexum ascendendo septem gradus, primum ferculum coopertum Regiæ Majestati reverentissimè apposuisset. Controversia erat inter Legatum Regis Bohemiæ & Subpincernam Imperii N. de Limpurch, uter eorum Regi vinum aqua dilutum ex more propinaret. Sed excussum pridie fuit, pro Friderico agnomine, & officio Pincerna, cum ille semel & primo propinasset. Post durante prandio Palatinus Fridericus pocillator Regis fuit.

Omnibus Principum Electorum officiis solenniter defunctis, ad mensas ipsis præparatas Principes sese reposuere. Singuli suos Comites atque nobiles habuere, quibus inter epulas ministris utebantur.

Hic opportunum de ordine mensarum relationem facere. Regia mensa posita latere dextro, quod forum respicit inter columnas, in meditullio aulæ, & parietem substructas, elevataque fuit fastigio septem pedum. Electorum verò mensæ modicis intervallis positæ, pedalis altitudinis fastigium habuere, & tam Regis quàm Electorum mensæ aureis stragulis stratæ. Aulæa quoque aurea supra, & a tergo propendebant magnificentissimi operis. Licet prandium prælautum, omnibusque cupediis ciborum instructissimum abundantissimè quinquaginta scilicet ferculis sic præberetur, ut dena semper edulia apponerentur, inter ea tamen multa non esui apta, digna solùm erant, ut cum admiratione spectarentur. Licebat enim videre species castellorum, arborum, leonum, aquilarum, unde Romani Imperii regnorumque Hispaniæ vexilla dependebant, mensis singulis singuli abaci ordinatim dispositi, primis primi ministri quoque fuêre.

Marchio Casimirus structor, sive prægustator Regiæ Majest. fuit. Regem sedentem in aurea sella circumstabant dexteriore latere D. Marchio de Arschot, & Episcopus Leodiensis, sinistro latere Comes de Zorn sceptriger, pluresque alii Principes, atque Comites Germaniæ atque Hispaniæ. A sinistro erat abacus regius, ornatus spectabilissimis vasis veteris cælaturæ, omnis usus, duo præsertim unicornua, admirandæ prodigiosæque magnitudinis. Vas item aureum ingentis capacitatis, Regiæ Majestati dono a Rege Anglorum gratulandi causa missum, ut ferebatur, visebatur.

Latere dextro, duobus passibus infra regem primæ mensæ assedit Archiepiscopus Coloniensis. Qui secus contenderunt, ob annotationes imperitorum scilicet, quòd primus discubitus Regi Bohemiæ deberetur, illi auream bullam, normam cæremoniarum Principum non viderunt, quæ his rebus statum modum præfinit, morisque imperii non satis gnari, cæcutierunt. Tametsi secundo loco mensa Regi Bohemiæ strata præparataque fuisset, vacua tamen edulio mansit.

Tertia mensa pro duce Saxoniæ vacua. In quarta prandium sumpsere Episcopi Wormatiensis, Ratisponensis, Dux Otto Heinrici Bavariæ. Quinta ad tempus fuit vacua: post occupabatur a regiis consiliariis. Sextæ assidebat Magistratus Aquisgranensis. Nuremburgenses Legati, qui Imperialia ornamenta advexerunt, ad septimam mensam collocati fuêre. Reliquæ duæ mensæ convivarum vacuæ mansêre.

Latere sinistro prope columnam, prima mensa Moguntini Archipræsulis. Secunda D. Palatini. Marchionis de Brandeburg tertia, sed esculentorum vacua, ob Marchionis absentiam. Quarto loco duces Braunsvicenses & Juliacenses accubuêre. Quintam occuparunt missi a civitate Coloniensi.

E regione Regis directè posita fuit mensa Treverensis Archiepiscopi. Paulùm infrà mensa Coloniensis atque Moguntini Archiepiscoporum. Convivium regium opiparum lautissimumque quatuor propè horis quasi regali cum silentio agebatur.

Expleto prandio, gratiisque a Treverensi dictis, omnia tubis tympanisque personabant, strictoque Divi Caroli gladio, iterum Regia Majestas viros equestris ordinis creavit.

Omnibus absolutis, Rex Imperialibus ornamentis indutus, cum Electoribus suo quoque peculiari habitu vestitis, ingentique Principum frequentia atque comitatu, præcedentibus æneatoribus, hospitium intravit: Regeque deducto singuli Principes ad sua quoque hospitia diverterunt. Archiepiscopus Moguntinus statim regi

regi sigilla cum argenteo illo baculo, cujus antea mentio facta, insuper candidum eximiumque equum dono misit. Quæ omnia a Cæsare mox remittebantur, Rege subjungente, se fidem Moguntini adeò exploratam perspectamque habere, ut sigilla regia nulli tutiùs quàm ejus fidei credi possint. Regem insuper futurum suæ personæ gratiosissimum Dominum, Episcopatumque Moguntinum potenter efficaciterque protecturum. Moguntinus fidei ejus commissa sigilla quidem retinuit, argenteum autem baculum equumque D. Nicolao Ziegler homini solerti, suo Vicecancellario pro honorario liberaliter dedit.

His porrò addere libet tertium epuli Cæsariani exemplum, quod in ejusdem Imperatoris Caroli V. coronatione apud Bononiam celeberrimam Flaminiæ urbem, præsente Clemente VII. Rom. Pont. magnifico apparatu agitatum fuit, & a Corn. Agrippa eleganter admodum literis memoriæque proditum. *Epulum in coronatione Caroli V. Bononiæ celebratum.*

Hac magnificentissima pompa inclinante se jam die, reversus ad Palatium Imperator desiliens equo, primùm eos, qui signa & vexilla præferebant, tum umbraculum gestaverant, & alios plerosque cùm nobiles, tum cives & scholasticos equestris ordinis auratos milites procreavit. Deinde Basilicam amplissimam aulam auratis laqueariis, & Babylonicis peripetasmatibus suspensam tapetisque instratam, principibus comitantibus ascendit. Cernebantur ibi appensi laquearibus argentei polymyxi, pensiliaque candelabra, quæ luminosis cereis redolentibusque lychnis referta, lumina latè profundebant. Conspiciebatur ibi etiam extructus amplissimus abacus, varii generis aureis escariis & poculis, puta lancibus, & lebetibus, œnophoris, amphoris, phialis, scyphis, cyathis, pateris, tragemataris miro artificio cælatis, gemmatisque calicibus, & id genus epitrapeziis confertus. Ad caput autem Basilicæ sub aureo conopæo Imperatoris mensa sita erat, & juxta non longè altera mensa, qua magnificentissimus Sabaudiæ dux, cæterique principes, qui coronationis insignia portarunt, recubituri essent. Erant etiam cæteris principibus ac Prælatis primoribusque satrapis suspensa peristromatibus & instrata aulæis, suisque abacis & mensis magnificè parata cœnacula. Jam hora aderat convivii, & instructis mensis accumbebat summum thronum Imperator, ac deinde per ordinem cæteri principes suas mensas accumbunt. Dantur aquæ manibus & solenni oratione mensæ benedicitur. Tunc primores Satrapæ (*Dapiferos* idcirco vocant) præeuntibus cum suis scipionibus architricliniis, argenteis canistris panem, & auratis patinis naria tuceta, leucophaga, frictellas, tortas, & quicquid præclarum ars Apitia excogitare potuit, inferunt. Deinde secundis mensis grandioribus lancibus exquisitissimas per ordinem epulas copiose apponunt, assa, elixa, jusculenta, frixa, pastilia, promulsidaria, pultaria, crustulenta, aliaque lautissimorum eduliorum genera sapidissimis succorum multijugis condimentis suffusa, multa quoque supra appetentiam discumbentium magnificentiæ causa illata sunt. Porrò tertiis mensis, quæ cœnam clauderent, variegata coquinariis artificiis multarum figurarum tragemata, bellariaque ministrabantur: nec deerant toto convivio varii generis generosissima vina, stabantque præsto pincernæ pocula singulis pro libito ingerentes, propinatoresque ad omnes epulas & pocula prægustabant. Illud quoque magnificæ liberalitatis spectaculum multis admirationi fuit, quòd post singulas dapes levatæ mappæ & mantilia, unà cum argenteis auratisque patinis & lancibus, cumque cibariis e fenestris in forum præda plebi projiciebantur: structoribus interea alia supra alia imponentibus. Cumque jam absoluta esset cœna, dilutis, pro more, odoratissima aqua manibus, remotis mensis, iterum solennibus precibus redditæ sunt Deo gratiæ. Tunc Imperator accepto in manus gladio sacro, plurimos rursus cùm nobiles tum consulares viros ad equestris ordinis honorem dignitatemque provexit. Magna denique parte noctis transacta principes singuli consalutato Imperatore ad sua diversoria cubitum facessunt, populo Bononiensi adhuc pluribus florulentis diebus ignitisque noctibus festivitatis celebritatem jugiter continuante. Ejusdem festivitatis sanè magnificentissimæ Jovius quoque meminit lib. 37. de Caroli V. coronatione. *Is, inquit, dum Bononiæ coronabatur, e lacubus, qui in summo prætorianæ porticus fornice fuerant fabrefacti, per siphones rubra & alba vina fundebantur, panes ab alto in subjectos milites spargebantur, torrebaturque in machina versatili bos integer, ingens, hœdis, vervecibus, ac omni fere volucrum genere fartißimus, ut in tanta festa hilaritate milites sub armis in acie stantes, ad manum paratis obsoniis cum jucunditate vescerentur.* Talis fuit porcus Trojanus veteribus, farctus aliis animalibus, in cujus ventre erant turdi aliæque aviculæ, suminis, vulvæque frusta, aliaque complura, ut est apud Athen. lib. 9. cap. 6. & Macrob. Satur. lib. 3. cap. 13. Nam Cincius in suasione legis Fanniæ, objicit sæculo, quòd porcum Trojanum mensis inferat. Quem illi ideò sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille Trojanus equus gravidus armatis fuit. Hæc de regiis, & imperatoriis, & quæ se illis æquarunt, magistratuum Romanorum conviviis in illorum initiatione sive creatione agitari solitis.

Apud plerosque Helvetiorum pagos bis ferè in anno ab universo populo in honorem novorum senatorum atque magistratuum convivia publica tributim celebrantur, quæ vulgò Schencken/ quasi dicas dona sive donaria, appellantur, quo vocabulo omnia ferè honoraria convivia, quæ in alicujus gratiam quacunque de causa fiunt, appellantur. Moris etiam est, ut cùm nummi argentei, tum etiam nuces & alia hujusmodi pueris distribuantur, ad usurpationem nimirum vetustæ consuetudinis, qua olim (id quod etiamnum hodie in regum & imperatorum coronatione fieri consuevit) Romani magistratus & imperatores omnis generis munera, missilia, (donativa vulgò atque congiaria dicta) ut vestes, unguenta, cibaria omnis generis multitudini atque militibus largiri fuerunt soliti. *Convivia apud Helvetios in honorem novorum magistratuum.* Huc præterea pertinent convivia judicialia, quæ a judicibus novis toti collegio exhibentur, quæ idcircò vulgò Richtermaal / id est, *judicialia convivia* appellantur. Item convivia quæstoria, & ut ita loquar, rationalia omnis generis, quæ a quæstoribus ærarii publici, nec non præfecturarum, provinciarumque rectoribus, postquam muneris pecuniæque administratæ rationem reddiderunt, consulibus atque senatoribus præberi solent. *Convivia judicum, quæstorum, &c.* Huc denique referuntur omnia illa convivia, quæ ob civilia munera atque magistratus celebrantur, quæ quidem varia sunt atque multiplicia.

CAPUT

CAPUT XXI.

DE CONVIVIIS MILITARIBVS, DIAETA ATQUE VICTV MILITARI VETERVM. DE EPVLIS ANTE ET POST PRAELIVM, DE COENIS VICTORIALIBVS, TRIVMPHALIBVS. DE DONATIVIS ATQVE CONGIARIIS.

Quoniam verò illa ipsa munera civilia atque prophana partim sunt togata sive pacis: partim bellica sive militaria, partim etiam mixta, ut sunt regum, imperatorum, principum (*quorum majestatem*, ut rectè Iustinianus Imperator inquit, *non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus bellorum & pacis rectè possit gubernari*) atque etiam magistratuum nonnullorum: idcirco de iis quoque conviviis nobis dicendum, quæ ob bellicas actiones, ac præsertim ob victorias partas, ab imperatoribus atque ducibus ob Imperatorum appellationes militibus exhibentur. Ac omnino militaria seu castrensia convivia, quæ στρατιωτικὰ & παρεμβολικὰ Plutarchus 2. Probl. 10. appellat, sunt duplicia, alia quidem quotidiana & ordinaria: alia verò extraordinaria, solennia sive festiva.

Convivia militaria alia ordinaria, alia extraordinaria: qualia esse debeant ordinaria.

Quotidiana & ordinaria ea voco, quæ quotidie inter milites agitantur, quorum ipsos quidem Imperatores seu duces summam decet curam suscipere atque gerere. Ac primò quidem dabunt operam, ut milites non singuli seorsim, sed in certas quasdam turmas atque cohortes divisi simul cibum potumque capiant, quæ quidem militum συσσίτια ad mutuam animorum conjunctionem plurimum faciunt. Huc facit Pescennii Imperatoris institutum, qui, teste Spartiano in ejus vita, *jussit, ne milites in zonis ad bellum aureos & argenteos nummos portarent, sed potiùs ut publicè commanducarent*, (*commendarent* in nonnullis exemplaribus legitur.) Iosephus quoque in historia belli Judaici de castrorum Rom. forma ac dispositione verba faciens, testatur non fuisse in cujusvis potestate prandere atque cœnare seorsim, cùm ipse vellet, sed simul & unà prandendi, cœnandi atque etiam dormiendi certa fuisse & statuta tempora. Cænæ autem illæ atque prandia in tentoriis per contubernia decorè ordinateque apparabantur, cùm singula sua certa haberent ministeria. Deinde danda opera ut illa militum convivia sint admodum liberalia atque copiosa, quibus nimirum illorum vires multis bellicis laboribus atque vigiliis fractæ reficiantur. Nam militares labores atque vigiliæ abundantiorem aliquantò copiosioremque victum requirunt, cujus inopia atque defectu illorum vires debilitari est necesse. Quam sanè ob causam Romanos Imperatores summam legimus curam adhibuisse, ne milites fame, & commeatus reique cibariæ penuria premerentur, ac id quidem C. Julium Cæsarem in primis curasse, ex illius commentariis satis liquet. Alexander Severus, teste Spartiano, dicere est solitus, *militem non timere imperatorem, nisi sit vestitus, calceatus, armatus, & satur, habens aliquid in zonula.* Nihil enim profectò magis militum animos viresque frangit, quàm fames, nec est aliud, quòd illos magis abalienet ab imperatore, quàm ejus rei negligentia. Unde multa in Romanorum historiis de illorum frumenta atque annonam largè liberaliterque militibus distribuendi dimetiendique consuetudine legimus.

Verùm ut militibus de liberali sufficientique victu est prospiciendum: ita contrà summopere cavendum ne illorum victus atque convivia nimis sint delicata atque luxuriosa, quæ quidem ad illos emolliendum effœminandumque plurimum faciunt. Atque hanc quidem ob causam Homerica illa convivia bellica, Plutarchus 2. Probl. 10. ὑπολιμώδη & διψαλέα, hoc est, *a fame atque siti non omnino libera* appellavit: credo quòd prisci illi Heroes ac bellatores belli tempore moderato atque frugali victu uterentur, nec se ad saturitatem extremam usque immodico cibo potuque onerarent. Nam cibi potusque luxuria cùm in pace, tum in primis in bello valdè est periculosa, maximarumque sæpe cladium atque calamitatum causa, quemadmodum plurimis exemplis probari posset. Quamobrem fortis sapientisque ducis officium est, ut se primùm, deinde milites suos, quoad ejus fieri potest, ab immoderata cibi potusque ingurgitatione contineat atque cohibeat, nec delitiis atque cupediis, sed duro potiùs victui se militesque suos assuefaciat. Hac in re Romanorum potissimùm, qui omnium ferè gentium victores extiterunt, eluxit sapientia ac fortitudo, historicorum literis celebratissima, qui quidem milites suos austera, arcta, duraque disciplina continuerunt, minimeque molli delicatoque victu emolliri atque languefieri passi sunt.

Cibi militares.

Cibi militares sive castrenses, ut vulgò vocabantur, erant laridum, caseus, posca, (teste Aelio Spartiano in vita Hadriani) & buccellatum atque acetum, teste eodem in vita Pescennii, quem Imperatorem scribit jussisse vinum in expeditione neminem habere, sed aceto universos esse contentos, & pistores expeditionem sequi prohibuisse, buccellato jubens milites & omnes contentos esse. Ejusdem victus militaris luculenta mentio seu descriptio potiùs extat in lib. 1. C. de erog. milit. annona, his verbis: *Repetita consuetudo monstravit expeditionis tempore buccellatum ac panem, vinum quoque atque acetum, sed & lardum, carnem etiam vervecinam milites nostros ita solere percipere. In duobus diebus buccellatum, in tertio die panem. Uno die vinum, alio die acetum: uno die lardum, biduo carnem vervecinam.* Hæc ille.

Buccellatum.

Buccellatum est panis ad usus diuturnitatem excoctus, quo milites pasci in castris solebant, uti scribit Marcellinus lib. 17. Idem panis ab Hippocrate

crate δίεφθος & διπυρίτης, a Suida δίπυρος, a nonnullis ξηρὸς ἄρτος, Romanis priscis, auctore Suida, παξαμάδιον, sive παξαμάς fuit appellatus, qua voce Leo utitur de re militari, & deducitur ab inventore Paxamo coco. Hieron. adversus Jovin. *Elaboratas carnes ad jura Apitii, & Paxami:* a Gallis, Italis & Hispanis bis coctus, sive bis assus, aliàs panis cibarius, panis nauticus (propterea quod nautæ eo utuntur) & *rubidus* quoque *panis* a Plauto appellatur in Casina. Festus interpretatur, *parum coctum.* Hermolaus Barbarus & apud Festum, & apud Plautum *ruidum*, Lambinus *ruvidum* legendum putat. *Ruidum* autem sive *ruvidum* Lambinus interpretatur, *rude*, *scabrum & impolitum*, quales sunt panes non bene pisti, alii tamen panem *rubidum*, sive *ruidum* bis coctum esse volunt. Martialis: *Oret caninas panis improbi* (buccellatum videtur intelligere) *buccas:* id est, *buccellas.* Hinc *Buccellarii* equites cataphracti per Orientem, auctore codicis præfecturarum Scoto Buccellarii. ad Theodosium Augustum, nominantur, hoc est, qui minima annona vivebant. Erant autem natione ἑλληνογαλάται, *Gallogræci*, ut auctor est Suidas. Panis militaris duo fuisse genera ex Valeriani Imperatoris epistola, quæ est apud Fla. Vopiscum in ejus vita, apparet: petit enim duci Romam misso dari panes militares mundos sedecim: castrenses quadraginta. Utebantur Romani pane ex tritico tanquam validissimo, & saluberrimo pane ex hordeo antiquis usitato, damnato, & usui jumentorum destinato, quòd minùs alere videretur. Milites sæpe ob aliquod delictum hac pœna afficiebantur, ut hordeaceis panibus vesci cogerentur, ut ex Polyb. lib. 6. & aliis constat, ut nimirum non tanquam homines, sed tanquam bestiæ tractarentur, cùm hordeum brutorum potiùs, quàm hominum cibus æstimetur. Hæc possunt accommodari, meo judicio, ad illustrandum illum locum Hoseæ 3. v. 2. ubi propheta Dei personam sustinens, uxorem sibi comparat 15. argenteis, & sesquicoro hordei: quibus verbis indicatur, rudem ac quasi brutum illum populum tenuissimo vilissimoque cibo tractandum atque alendum esse, nempe hordeo modico, quo antiquitus vix servi, nedum homines ingenui vel uxores, sed jumenta potiùs ali solebant. Vilis igitur, abjecta, dura & austera populi illius conditio in servitute describitur. Item Imp. Constant. lib. 12. Cod. tit. *de Salgamo hospitib.* &c. Salgama in- Salgama. ter cibos castrenses numerat, quæ quidem, ut vult Lazius sub se continebant oleum, butyrum, & omnes condituras & ligna, denique cuncta in dies necessaria: ad quod Ausonius alludit hoc carmine:

Salgama non hoc sunt, quod balsama, cedite odores.

Et Columella in carminibus de cultu hortorum:

Tempore non alio vili quoque Salgama mærent.

L. unica. C. *de Salgamo hospitibus non præbendo*, hæc est: *Ne quis comitum, vel tribunorum, aut præpositorum, aut militum nomine, Salgami gratia, culcitras, lignum, oleum a suis extorqueat hospitibus.* Cujacius ibi: *Salgami nomine scio significari conditas herbas, veluti enulam, braßicam, betam, quæ etiam a Turcis condiri solent. Sed hujus nominis obtentu exigebant etiam transeuntes milites culcitras, ligna, oleum, quod hæc constitutio tollit.* Hinc *vas Salgamarium*, & *Salgamarii venditores.*

Laridum est caro suilla salita: unde Macrob. lib. 7. Saturnal. *Sæpè apposita salita carne, quam Laridum vo-* Laridum. *camus, opinor quasi largè aridum.* Eam Cicero in lib. de Senect. *Succidiam* appellavit. Varro in lib. 2. rerum rusticarum: *Et qui non audierit patres nostros dicere ignavum & sumptuosum esse, qui Succidiam in carnario suspenderit, potiùs e laniario, quàm domestico fundo.* Et M. Cicero, *Jam hortum agricolæ ipsi succidiam vocant. Succidiam* alii a suibus cædendis (nam id pecus primùm occidere, & salire, ut servarent, patresfam. cœperunt, auctore M. Varrone) alii, quòd paulatim succiditur, appellatam volunt. Lardum militarem esse cibum Nazianzenus quoque in Athanasio testatur; ὑείων κρεῶν ἀποδοχέα, οἷς τὸ στρατιωτικὸν τρέφεται. Quoad poscam Posca. (cujus Spartianus in vita Hadriani meminit, & cujus loco idem in vita Pescennii acetum videtur ponere, cujus etiam lex illa Constantini meminit) illa est potio ex aceto parte modo majori, modò minori aquæ mixto confecta, qua vini loco messores uti, Christophorus Vega testatur lib. 2. de arte medendi: *cui*, ut idem inquit, *si oleum & panem addas, cibum conficies refrigerantem, utilem laborantibus & iter agentibus sub æstu Solis.* Ejusdem in Italia quoque messis tempore in magno æstu usus esse fertur. Unde licet nobis intelligere, cur cap. 2. historiæ Ruth, Booz jusserit Rutham cum messoribus cibum capere, & buccellam suam in acetum tingere, ut Lud. Lavaterus in doctissimis suis in illum libellum commentariolis annotat. *Poscam*, inquit Brodæus lib. 1. Miscell. cap. 11. *plurimi Grammatici lorum esse suspicantur, ego semper apud Plin. oxycratum. Qui zythum apud eum esse existimant, nugantur: ipse enim poscæ & zythi, ut diversarum potionum, mentionem infert.* De aceti natura (quod Hebæi חמץ *Homez*, Chaldæi & Syri חלא, *Hala*, Græci ὄξον vocant) vide Plin. lib. 23. Acetum. cap 1. Servius,

Et potu & fotu stomacho conducit acetum.

Et Dioscor. vim aceti dixit esse εὐστομαχικόν. Cùm igitur acetum, sive potiones atque cibi ex aceto confecti maximam habentes vim refrigerandi laborantibus, ut messoribus atque militibus valdè sint accommodati atque utiles, mirum profectò non est illo Romanos in expeditionibus suis plurimum uti fuisse solitos. Hinc Julianus Imp. in epistola ad Libanium Sophistam & quæstorem, expeditionem suam Persicam describens, sub finem scribit, se naveis frumento, pane cocto & aceto implevisse. Mirum quoque non est (id quod nonnulli mirantur) cur Suetonius scribat Asiaticum Vitellii Imperatoris libertum Puteolis poscam vendidisse, cùm is potus non solùm medicum in usum, ut nonnulli opinantur, intus & extra adhiberetur, sed etiam cùm milites, tum vilis plebecula illo in quotidiano victu in magnis præsertim caloribus uterentur. M. Catonem in militia semper aquam bibisse ferunt, nisi quando ardenter sitiebat, tunc enim acetum potasse legimus.

Mirum

Mirum itaque non est milites Rom. Christo sitienti acetum præbuisse. Hodie quoque milites semper secum acetum ferunt. Sciendum enim, nec vinum per se, quia calidum, nec acetum, quia siccum, nec aquam, quia tardius permeat & distribuitur, mistam autem aquam alterutri horum certa potione sitim probè extinguere. Nam hæc vini caliditatem, & aceti siccitatem sua frigiditate & humiditate corrigit. Tam vinum autem, quàm acetum essentiæ suæ tenuitate ipsi aquæ celeritatem, & permeandi promptitudinem impertit. Quare prudenter quidam aquam insalubriorem admisto aceto corrigunt: præterquam enim quòd, ut celeriùs hypocondria aqua transeat, præstat: etiam contra venena valet, & a putrefactione tuetur. Apud Plautum in Rudente Grippus piscator parcum & tenue prandium, quale militibus convenit, exprimit his verbis: *Hic rex cum aceto pransurus est atque sale.*

Allium. Allium quoque meritò inter cibos militares est referendum, quod veteribus militiæ fuit hieroglyphicum. Hinc proverbium ἵνα μὴ φάγῃ σκόροδα, μηδὲ κυάμους, id est, *ne edas allia, & fabas*: quo, teste Suida, significabatur, tranquillæ vitæ amatoribus, & a bellis (in quibus allii maximus erat usus) & a judiciis, atque actionibus civilibus (cùm & fabis olim in suffragiis ferendis uterentur, & fabas esitarent ad somnum arcendum) ceu otio atque tranquillitati planè contrariis omnino esse abstinendum; de quo vide etiam Erasm. in Adag. Athenienses quoque (auctore Suida) ad navigationes & expeditiones suas allia potissimùm commercari fuerunt soliti: unde proverbium σκόροδον ἐν δικτύοις, *Allium in retibus*, de vili commeatu, Erasmo interprete. Hinc Aristoph. in Equitibus, milites coëmptis prius alliis & cepis naves ἱππαγωγοὺς, id est, equis transportandis aptas alacriter conscendisse dicit. Et ibidem chorus Alantopolam incitans ait, ἵν' ἄμεινον, ὦ τᾶν, ἐσκοροδισμένος μάχῃ, id est, *ut, ô amice, inalliatus strenuè magis pugnes.* Nam allium creditur bellatorum vires excitare, unde gallinaceos allio prius dato ad pugnam præmuniri atque incitari ajunt, quod Græcis est σκοροδίζειν. Plinius contra pituitam & gallinæ & gallinaceis prodesse mixtum in farre testatur lib. 20. cap. 6. In obsidionibus similiter urbium allium olim in magno fuisse pretio Suidas testatur, quò pertinet illud, ἀπόλλυμαι τὰ σκόροδα πορθούμενος, id est, *Perdo allia in obsidione.* Thraces idem auctor frigidam regionem incolentes meritò σκοροδοφαγεῖν, id est, *alliis vesci* ait, eò quòd allium calefaciendi vim obtinet. Romanis quoque nautis allii esum familiarem fuisse indicant illa Anthemonidis militis Punicè loquentis apud Plautum in Pœnulo,

Cœlius lib. 4. cap. 14. idem de Celtis testatur.

----- Tum autem plenior
Allii, ulpicique, quàm sint Romani remiges.

Ulpicum, teste Plinio lib. 19. cap. 6. Græci appellavere allium Cyprium, alii antiscorodon, præcipuè Affricæ celebratum inter pulmentaria ruris, grandius allio. Ut autem militum & nautarum, ita quoque rusticorum & olim & hodie, usitatus cibus fuit. Hinc Galenus allium rusticorum *theriacam* appellavit, lib. 12. meth. med. cap. 8. Et Plinius lib. 19. cap. 6. ait, *Allium ad multa ruris præcipuè medicamenta prodesse creditur.* Huc faciunt Plautina illa in Mostell. Tranio servus urbanus ad Grumionem rusticum;

----- At te Juppiter
Diique omnes perdant, oboluisti allium
Germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis, &c.

Cui respondet Grumio;

Quid tu vis fieri?
Non omnes possunt olere unguenta exotica.

Et paulo post: *Sine me alliato fungi fortunas meas.*

Id est, Sine me fortunis meis, quæ in alliato (panis est allio intinctus, atque perunctus) consistit, contentum vivere. Contrà Vespasianus Imp. teste Suetonio, *adolescentem fragrantem unguento, quum ei pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit, Maluissem allium oboluisses: literasque revocavit.* Allii gravis est sapor atque odor, unde & allium Latinè ab olendo, & σκόροδον Græce, ut vult Suidas, quasi σκαιόν τι ῥόδον ὄν, παρὰ τὸ σκαιὸν ὄζειν, id est, *sinistro odore*, & Hebraice שומים *Schumim* Num. 11. (quo solo in loco vox hæc reperitur, quam alii Chaldaicam, alii Ægyptiam esse putant) a שמם *Schamem*, quod ejus afflatum aspernamur, dictum volunt. Plinius, *Asperi est saporis, tædium quoque huic halitu, ut cœpis, nullum tamen coctis.* Hinc mirum non est Horatium allium fuisse execratum his carminibus Od. 3.

Edat cicutis allium nocentius,
O dura messorum ilia,
Quid hoc veneni sævit in præcordiis?

Vitia allii, inquit Plin. lib. 20. cap. 6. *sunt, quòd oculos hebetat, inflationes facit, stomachum lædit copiosiùs sumptum, sitim gignit. Mirum est*, inquit Ambrosius, *allio delectari homines, quod fugit leopardus: nam sicubi parietes litu infeceris, exilit protinus, nec resistit. Cujus tamen venenata fera odorem non patitur, in mensam admittunt plerique, ac internis infundere visceribus non desinunt. Sed doloribus, dicat aliquis, medetur quandoque: sit ergò medicamentum, non cibus.* Allium comedentibus templum Matris deorum ingredi nephas erat. Itaque cum Stilphon hoc neglecto templum intrasset, per quietem oblata est ei deæ species, illum ob hanc legis violationem objurgantis: cui ille: *Da quo vescar, & alliis abstinebo*, teste Athen. lib. 10. Ægyptii contrà, ut auctor est Plinius lib. 20. cap. 6. allium cepasque quæ apud illos feliciter provenerunt (ut ex cap. 11. Num. patet) inter deos jurejurando habebant. Idem lib. 2. scribit Ægyptios per cibos fœtidos, & alia similia jurare

fuisse

fuiſſe ſolitos. Et tamen iidem, teſte Perſio, alliorum capita guſtare fuerunt ſoliti, cùm id ad multarum noxarum depulſionem valere vetuſtas crederet. Verſus Perſiani hi ſunt:

Incuſſere deos inflantes corpora, ſi non
Prædictum ter mane caput guſtaveris alli.

Eadem allii capita ovis, quæ incubantur, ſubſterni utiliter adverſus tonitrua Columella putavit. *Ne allii quidem caput dat*, apud Ariſtoph. in Veſpis, proverbium eſt de homine ſordido, nimiſque parco, Eraſmo interprete. De allii generibus, ſatione, cura, Plin. lib. 19. cap. 6. Allii, ut idem docet lib. 20. cap. 6. magna vis eſt, & utilitas contra aquarum, & quorumlibet locorum mutationes, ſerpentes abigit & ſcorpiones odore, &, ut aliqui tradiderunt, beſtiarum omnium ictibus medetur potu, vel cibo, vel illitu. Illius ſuffitu ſecundos partus evocari Hippocrates exiſtimavit. Valet contra hæmorrhoïdas, araneorum atque canum morſus, venenatos ſerpentum ictus, morbum regium, ſacros ignes, tenaſmum, phthiriaſes, dentium atque temporum dolores, pectorum ſuppurationes, capitis ulcera manantia, ilium, anginam, diſtillationes, raucitatem. Medetur inſanis, phreneticis, phthiſicis, hydropicis, ſuſpirioſis, ut Plinius loco ante citato teſtatur.

Allii odorem fœtidum edentibus extingui teſtatur Plinius lib. 19. cap. 6. ſi vel cruda faba, vel ſecundum Menandrum, radicem betæ in pruna toſtam quis ſuperederit. Idem præſtat apii vulgò Petroſelini dicti radix eodem modo ſumpta: ruta poſt manducata. Et pedoariæ etiam radix allii fœtorem ab ore pellit. Denique ut odore careant omni, ſeri debent cum luna eſt ſub terra: colligi, cùm eſt in coitu, ut Plin. teſtatur.

Alliis annumerandæ cepæ, quæ ſimiliter bellatorum vires exacuunt, ut teſtis eſt Socrates in Xenophontis Sympoſio. Eaſdem ſanitati conducere Aſclepiades docuit, unde proverbium vetus, σῶος γένῃ κρόμμυον μόνον λαβὼν, id eſt, *ſanus eris, ſi cepe tantum ſumpſeris*, κρόμμυον Græcè dictum Euſtath. vult Ιλ. π. δι' οὗ τὰς κόρας μύομεν, ut & σίναπι ibidem ἐπειδὴ σίνεται τοὺς ὦπας ἐν τῇ ὀδμῇ. Hodie quidam præcipiunt, ut viginti vaſa, qualia ſalſamentaria harengorum ſunt, alliis repleta, totidemque cepis referta, inter menſtrua cibaria mille militibus ad navalem pugnam abducendis ſatis futura navi ferantur. Hoc illorum præceptum a veterum conſuetudine videtur promanaſſe. Cepæ.

Cibi caſtrenſes, qui militibus dabantur, etiam *Cœnatica* fuerunt appellati, ut lib. 3. tit. *de erogat. militar. annonæ*, in Cod. *Cœnaticorum nomine milites, & ſuper his ſtantes, nihil penitus a provincialibus accipere audeant*: Cujacius ibi, *Ne provinciales militibus conferant cœnatica, quod quaſi pro cœna novum nomen expilandarum provinciarum cauſa excogitarant.* Cœnatica.

Hic igitur Romanorum militum vilis, aſper duruſque victus atque diæta fuit, qua non ſolùm milites, ſed ipſos quoque duces ſeu Imperatores uſos fuiſſe legimus, quò nimirum ſuo exemplo, quod in omni re eſt efficaciſſimum, milites tantò faciliùs in officio continere, & temperantiæ aſſuefacere poſſent, quorum exempla quædam ſubjiciam. Scipionem tradunt cum amicis ambulantem ſolo cibario pane veſci ſolitum. Sic etiam de Maſiniſſa ſcribunt, qui nonageſimum ætatis annum agens, ſtans adhuc ante tabernaculum, vel ambulans cibum capiebat. Hadrianum Imperatorem ſcribit Spartianus militem ſuum, quaſi bellum immineret, ſemper exercuiſſe, & tolerantiæ documentis imbuiſſe, ipſum quoque inter manipulares vitam militarem magiſtraſſe (id eſt, moderatum eſſe) cibis etiam caſtrenſibus in propatulo libenter uſum, hoc eſt, larido, caſeo & poſca, exemplo Scipionis Æmiliani & Metelli, & auctoris ſui Trajani, delicata omnia undique ſummoviſſe: multa ibidem de militari diſciplina omnibus ducibus bellicis cognitu factuque utilia ſubjicit. Eadem de Peſcennio Imperatore idem auctor tradidit. Is enim cùm & vinum in expeditione bibere, & piſtores expeditionem ſequi prohibuiſſet, omnes aceto & buccellato volens eſſe contentos, noluiſſeque tota in expeditione quenquam in commanipulatione (id eſt, contubernio, ſic *commanipulones* Spartiano, *commanipulares* Tacito, Cic. *contubernales* dicti) focum facere, vel unquam recens coctum cibum ſumere, ſed pane & frigidis veſci, quo faciliùs hac in re milites haberet morigeros ſibique obſequentes, ipſemet ante omnes militarem cibum ſumpſit ante papilionem, nec ſibi unquam vel contra ſolem, vel contra imbres quæſivit tecti ſuffragium, ſi miles non haberet. Alexander quoque & re & nomine Severus, teſte Ælio Lampridio, *in procinctu atque in expeditionibus apertis papilionibus prandit atque cœnavit, cùm militarem cibum cunctis videntibus atque gaudentibus ſumeret, &c.* Idem ſub finem de eodem: *Pranderat fortè publico, ut ſolebat, convivio, id eſt, apertis papilionibus cibo militari accepto: neque enim aliud a diſcumbentibus militibus in tentorio eſt repertum.* Solebant quoque milites cum Imperatoribus, vel certè in illorum conſpectu cibum capere, id quod ex illis Trebellii Pollionis verbis de vita Salonini ſive Gallieni Imperat. videtur colligi poſſe; *Mos fuit*, ut ille inquit, *ut cingula ſua plerique militantium, qui ad convivium venerant, ponerent. Hora itaque convivii Saloninus puer ſive Gallienus, militibus auratos conſtellatoſque baltheos rapuiſſe perhibetur, & cùm eſſet difficile in aula palatina requirere quod periiſſet, ac taciti militares viri detrimenta pertuliſſent, poſtea rogati ad convivium cincti accubuerunt. Cumque ab his quæreretur, cur non ſolverent cingulum, reſpondiſſe dicuntur, Salonino deferimus. Atque hinc tractum morem, ut deinceps cum imperatore cincti diſcumberent. Negare non poſſum*, addit idem auctor, *alium pleriſque videri hujus rei ortum eſſe morem. Dicunt enim militare prandium, quod dictum eſt prandium ab eo, quod ad bellum milites paret, a cinctis initum: cujus rei argumentum eſt, quod a diſcinctis etiam cum imperatore cœnatur. Nec tamen ſemper, ſed nonnunquam milites videntur cum imperatoribus ſuis cibum ſumpſiſſe. Omnino autem optandum eſſet, ut duces ſuorum militum convivia diligenter inſpicerent: cùm oculus domini optimus ſit & præſtantiſſimus officii magiſter.*

Imperatorum victus, atque diæta dura.

Milites cum imperatoribus, vel certè in illorum conſpectu cibum capere ſoliti.

Prandium militare unde dictum.

Verùm ut hæc Romanorum militum, & Imperatorum etiam quorundam cibi potuſque tenuitas atque frugalitas, qua uſi ſunt, ipſis gloriam victoriaſque opimas & præclaras peperit: ita contra cùm ipſorum militum,

Imperatorum, & militum luxuria pernicioſa.

 tum

tum ducum seu imperatorum sive Romanorum sive aliorum etiam, intemperantia atque luxuria illis ignominiosissima simul atque pernitiosissima plerunque extitit, ut historiæ testantur. *Annibalem ejusque exercitum armis invictum Campana luxuries voluptate vicit*, ut Cicero inquit Oratione 2. Agraria: de quo sic Livius Decad. 3. lib. 3. *Capuam in hyberna concessit, ibique partem majorem hyemis exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana mala sæpe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum. Itaque quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicæ, & eò impensius, quò avidius ex insolentia in eas se immerserant. Somnus enim & vinum, & epulæ & scorta, balneaque & otium consuetudine indies blandius ita enervaverunt corpora animosque, ut magis deinde præteritæ victoriæ eos, quàm præsentes tutarentur vires.* Idem de Romanis scribit Sallustius in Conjurat. Catilin. Nam *L. Sylla*, ut ille inquit, *exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriosè nimisque liberaliter habuerat. Loca amœna, & voluptuaria facilè in otio feroces militum animos molliverant. Ibi primùm insuevit exercitus populi Rom. amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim ac publicè rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere*, &c. Verùm ante Syllam Cn. Manlius Volsco qui de Gallis, qui Asiam incolunt, triumphavit, disciplinam militarem, teste Livio, a L. Scipione, cui successerat, severè conservatam successor ipse omni licentiæ genere corruperat. Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est. Ii primùm lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ suppellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam advexerunt: tunc psaltriæ, sambucistriæque, & convivialia ludorum oblectamenta addita epulis: epulæ quoque ipsæ & cura & sumptu majori apparari cœptæ: tum coquus vilissimum antiquis mancipium, & æstimatione & usu in pretio esse, & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. Vix tamen illa quæ tum conspiciebantur, semina erant futuræ luxuriæ. Atque hanc quidem ob causam cum in jus esset vocatus, judices illi infensiores fuisse, Livius testatur. In eandem sententiam digna sunt memoratu illa Decad. 4. lib. 4. M. Portii Catonis verba legem Oppiam suadentis: *Sæpe me querentem de fœminarum, sæpè de virorum, nec de privatorum modò, sed etiam magistratuum sumptibus, audistis, diversisque duobus vitiis, avaritia & luxuria civitatem laborare, quæ pestes omnia magna imperia everterunt. Hæc ego quò melior lætiorque indies fortuna Reipub. est, quò magis imperium crescit, & jam in Græciam Asiamque transcendimus, omnium libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus opes, eò plus horreo ne illæ magis res nos ceperint, quàm nos illas.*

Disciplinæ Romanorum bellicæ instauratores.

Ex his ergo omnibus patet corrupta Græcis Asiaticisque delitiis militari disciplina, ab exercitu luxuriam in ipsam civitatem Romanam penetrasse, ac majora indies incrementa sumsisse. Sed tamen hæc ipsa disciplina bellica postea ab imperatoribus nonnullis, ut C. Julio Cæsare, Pompejo, Augusto, Trajano & aliis, quorum supra facta est mentio, ad pristinam severitatem frugalitatemque fuit revocata, quò etiam factum, ut ab illis ipsis imperatoribus pristinæ disciplinæ instauratoribus, maxima difficillimaque bella gesta atque confecta, potentissimæ gentes atque reges devicti, populique Rom. imperium latissimè dilatatum fuerit, ut ex hist. patet. Egregia ea in re & Pescennii & Severi Impp. opera emicuit, ut Ælius Spartianus testatur. Extat epist. Severi, quam scripsit ad Rogonium Cels. Gallias regentem, severa & vehemens, qua illi militaris disciplinæ corruptelam gravissimè hisce verbis exprobrat. *Miserum est*, inquit, *ut imitari ejus disciplinam non possimus, quem per bellum vicimus. Milites tui vagantur, tribuni medio die lavant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria: saltant, bibunt, cantant*, (Hæc Christianorum est, præsertim German. militum disciplinæ militaris forma) *& mensuris conviviorum vacant, cum sine mensura potent. Hæc si ulla vena paternæ disciplinæ in nobis viveret, fierent? Emenda igitur primùm tribunos, deinde militem, quem quandiu timueris, tamdiu timeberis.* Pescennius autem tantæ severitatis fuit, ut cum milites quosdam in caveo (*catino* forsan) argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, jusserit omne argentum submoveri de usu expeditionali, addito eo, ut ligneis vasis uterentur. Suvatoslaus Rutenorum princeps, Helenæ primæ inter Rhutenos Christianæ filius (ut hoc obiter interponam) tantæ severitatis fuit, ut in bello nulla impedimenta, ne vasa quidem coquinaria exercitui suo permiserit, ut testis est Sigismund. Baro. Sequuntur plura de austera disciplina, qua Pescennius milites a delitiis & voluptatibus, quibus Commodi potissimùm luxuriosissimi Imp. temporibus assueverant, ad pristini victus atque diætæ militaris tenuitatem frugalitatemque traducere sedulò est conatus, quorum suprà facta est mentio. His adde quod idem Imperator, ob surreptum gallinaceum, ea epulones affecit ignominia, nequid cocti obsonii sumerent, sed pane, & frigidis vescerentur. Hac ille sua severitate, ut testis est Spartianus, sibi vivo quidem odium & invidiam apud milites capitalem, at mortuo laudem & gloriam magnam comparavit. Avidius quoque Cassius, ut testis Vulgatius Gallicanus, dissolutam militum Rom. licentiam magna severitate refrænavit. Præter laridum, buccellatum, atque acetum militem in expeditione portare prohibuit, & si aliud quippiam reperit, luxuriem non levi supplicio affecit. Extat de eodem epistola D. Marci ad præfectum suum talis: *Avidio Cassio legiones Syriacas dedi, diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes, quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vectilianus scripsit, & puto me non errasse, siquidem & tu notum habeas Cassium hominem Cassianæ severitatis & disciplinæ. Neque enim milites regi possunt, nisi in veteri disciplina. Scis enim versum a bono poëta dictum, & omnibus frequentatum:*

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Tu tantùm fac adsint legionibus abunde commeatus, quos, si bene Avidium novi, scis non perituros. Marco præfectus hunc in modum respondit: *Rectè consuluisti, mi domine, quòd Cassium præfecisti Syriacis legionibus. Nihil enim tam expedit, quàm homo severior Græcanicis militibus. Ille sanè omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo* (hypothymiades dictæ sunt corollæ collo circumpositæ) *& sinu militis excussit. Annona militaris omnis parata est,*

est, neque quicquam deest sub bono duce: non enim multum quaritur, aut impenditur. Plura deinceps subjungit de habitus, cultus & exercitationum militarium disciplina, tandemque id quod est animadversione dignum, concludit: *Ergo correcta disciplina* (en quanta sit bonæ disciplinæ vis & efficacia) *& in Armenia, & in Arabia & in Ægypto res optimè gessit: amatusque est ab omnibus orientalibus, & spectatim ab Antiochensibus, qui etiam imperio ejus consenserunt.*

In hac epistola *Daphnicis moribus agentes* videtur idem esse quod libidinosis luxuriosisque moribus viventes: a Daphni Syracusio, Mercurii filio, sive, ut alii volunt, amasio formosissimo atque amoribus turpissimis infami, Bucolici carminis auctore, qui postremò luminibus captus est, quòd ebrius cum aliena fœmina congressus esset, ut prædictum ei fuerat a Nympha, auctor Suidas; de eodem vide plura apud Diod. Siculum lib. 5. & Ælian lib. 10. Var. historiæ. Vel, ut mihi verisimilius videtur, a Daphne ingenti luco, & opaco, aquis fontanis irriguo, distante 40. stadiis ab Antiochia Syriæ: in cujus medio phanum fuit, & asylum Apollinis, auctore Strab. lib. 15. Hujus in hac ipsa epistola paulò post fit mentio his verbis: *Programma* (edictum) *in parietibus fixit, ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnem, discinctus rediret.* Et apud Julium Capitolinum in vita M. Antonii Imp. *Et Verus quidem postquam in Syriam venit, in delitiis apud Antiochiam & Daphnen vixit.* Ammianus Marcell. lib. 19. sub finem, Daphnen *amœnum & ambitiosum Antiochiæ suburbanum* vocat. Sozomenus histor. ecclesf. lib. 5. cap. 19. ejusdem suburbii amœnitatem insignem copiosè admodum describit, ubi inter alia scribit, Daphnen adire turpe & ignominiosum fuisse judicatum ab hominibus probis, cum natura loci atque situs, nec non, quæ ibi exercebantur, superstitiones ad ignaviam, ad libidines ac voluptates homines invitarent. Ejusdem loci idem auctor meminit lib. 3. cap. 14. ubi Julianum Apostatam illo ipso in loco per 7. dies superstitionibus, atque epulis vacasse scribit. Quoniam ergo in Daphne loco amœnissimo delitiis & voluptatibus indulgebant, hinc *Daphnicis moribus agere*, est libidinibus & voluptatibus inservire.

Per excaldationes videntur balneæ intelligendæ, quibus forsan in Daphne indulgebant, ut Romani in Bajis civitate Campaniæ, situs amœnitate & aquarum cum frigidarum, tum calidarum salubritate celeberrima, unde Cic. pro M. Cœlio: *Bajis acta convivia, comessationes, cantus, symphonias, navigia jactant.* Vox *excaldationis* etiam a Spartiano ponitur in Albino, cujus hæc sunt verba: *Nam cùm Cæsariana familia hoc speciale habuerit, ut parvuli domus ejus in testudineis alveis lavarentur, nato infantulo testudo ingens patri ejus munere piscatoris allata est, quòd ille homo litteratus omen accipiens, & testudinem libenter accepit, & eam curari jussit, atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari.* Hinc quoque apparet voce *excaldationum* significari lavationes sive calidis, sive frigidis in aquis, cùm præpositio *ex* in compositione aliquando privandi, aliquando intendendi vim obtineat.

Atque hæc de militari sive Castrensi potentissimi illius populi, totius ferè orbis terrarum domitoris atque domini, victu atque disciplina sint dicta, quæ ut non minùs eleganter, quàm verè Valerius Max. lib. 2. cap. 3. de militari disciplina, scripsit, *acriter retenta illi principatum Italiæ peperit, & multarum urbium, magnorumque Regum, validissimarum gentium regimen largita est: fauces Pontici sinus aperuit: Alpium Taurique montis convulsa claustra tradidit: ortumque e parvula Romuli casa, totius terrarum orbis fecit columen, ex cujus sinu omnes triumphi manarunt.* Hæc ille de militaris Romanorum diætæ atque disciplinæ fructibus egregiis præclarè disseruit, quæ quidem aliis quoque gentibus accommodari possunt. Sic enim exempli gratia quandiu Persæ illo suo nasturtio (quod a narium tormento dictum esse volunt, *Kressich* Ger.) & aquæ potu in pace pariter atque bellis fuerunt contenti, & cæteris quoque in rebus disciplina acris apud illos viguit, tamdiu illorum imperium magis magisque amplificatum fuit atque floruit: at verò simulatque illi sese delitiis, voluptatibus atque luxuriæ dediderunt, florentissimum illorum imperium brevi tempore deletum fuit atque extinctum. Idem de Spartanis dici potest, qui & ipsi quamdiu duro illo suo horridoque victu atque cultu & in pace & in bello usi sunt, opibus, potentia atque divitiis floruerunt; at verò simulatque voluptuariam luxuriosamque vitam consectari cœperunt, illorum robur atque potentia paulatim diminui cœpit, donec tandem omnino corruerit. Idem de Atheniensibus, Cretensibus, & innumeris aliis populis dici potest, quos sobrietatis temperantiæque studium, & cùm pacificæ, tum militaris disciplinæ severitas opibus atque divitiis auxit & amplificavit, contrà verò intemperantia, luxus, disciplinæ militaris remissio atque dissolutio afflixit atque perdidit.

Sed quid opus est diutius veterum exemplorum commemorationi immorari? Veniamus ad nostra tempora, & exemplorum satis habemus. Turcæ, quorum imperium longè lateque patet, severa rigidaque (ut testis est Bartholomæus Georgeviz de moribus Turcarum) in bellis disciplina utuntur, a vino abstinent, cibo exiguo vilique sunt contenti, videlicet lacte coagulato & aqua temperato, & immisso pane vel recenti, vel bis cocto, nec non caseo, & carnibus siccis, *Pastarma* dictis. Hi sunt militares sive castrenses illorum cibi, quibus pacis quoque temporibus assuefiunt, quibusque in expeditionibus bellicis non servi modò, verùmetiam domini atque duces utuntur. Hac itaque illi sua abstinentia disciplinaque militari gravissima bella feliciter administrant, victoriis maximis potiuntur, imperiique sui fines quotidie latiùs extendunt. Confer nunc cum illis Christianorum mores, victum atque disciplinam, belli pacisque temporibus usurpatam, dissimillimam profectò reperies, qua nihil mollius, delicatius, languidius atque dissolutius dici potest. Mirum itaque profectò non est, cùm luxu luxuriaque Turcas tantum vincamus ac superemus, nos armis contrà bellisque ab illis, plerunque cum maximo nostro dedecore atque detrimento vinci ac superari. In Turcarum castris viget sobrietas, temperantia, parsimonia, castitas, continentia, vigilantia, fidelitas & summa obedientia. Contrà in Christianorum castris versatur luxus & omnis luxuriæ commeatus, gula, crapula, libido, ita ut major ferè adsit meretricum,

Turcarum disciplina victusque militaris.

Christianorum disciplina atque diæta bellica.

retricum, quàm militum turba. Germani illi prisci simplici, tenui duroque victu pacis bellique temporibus usi fuerunt. Is fuit, ut Cæsar scribit, lac, caseus, caro: ut Cornelius Tacitus, potus ex ordeo aut frumento, poma agrestia, fera, recens lac concretum, quibus Plinius addit pultem avenaceam, *habermüß/ quo victu*, ut Tacitus eleganter inquit, *sine apparatu, sine blandimentis famem expulerunt.* Tunc temporis igitur Germani opibus, robore, potentia, victoriis floruerunt, cæterisque ferè omnibus populis terrori fuerunt. At hodie cum plusquam Sybariticis delitiis ac voluptatibus toti sint immersi, famis sitisque impatientissimi: mirum profectò non est, illorum potentiam atque imperium Turcarum, Moscovitarum, Tartarorum aliarumque barbararum gentium famis sitisque patientissimarum crebris irruptionibus imminui quotidie atque labefactari. Nam ut Turcarum, ita Moscovitarum atque Tartarorum tenuis, imò horridus est victus, qui quidem ut olim, ita hodie quoque cadaverosis carnibus victitare dicuntur. De Moscovitarum victu militari sanè tenuissimo, vide Sigismundum Baronem in Comment. rerum Moscovit. Tartaros idem testatur lacte equino plurimum delectari, quòd eo homines & fortes & pingues fieri credunt, unde *Hippomolgi* olim dicti sunt. De eorundem victu immani vide plura apud eundem.

Judæorum victus militaris.

De Judæorum quoque antiquo victu atque diæta militari hîc quædam postremò adjicienda, quæ ex 1. lib. Samuelis cap. 17. videntur posse colligi. Nam cùm Saul primus rex Judæorum bellum adversus Palæstinos gereret, Isai Davidis pater, qui tres filios in Saulis castris habebat, Davidem ad illos misit, ut illis epham polentæ ac decem panes, tribuno autem decem caseos adferret. Hinc primò apparet moris fuisse apud Judæos, ut non stipendia a rege acciperent, sed singuli a suis alerentur. Jam verò quoad ipsa alimenta, quorum hîc fit

Kali Heb. quid.

mentio, primò ponitur קלי *Kali*, quæ vox etiam reperitur 2.Reg.17. Lev.23. Ruth 2. sine *Aleph* finali. Rabbi Salomon, *far tostum in fornace* interpretatur. Hieronymus *polentam* vertit. Derivatur a קלה *Calah* (unde forsan *calidum & calefacere*) quod est *torrere, frigere*: unde etiam קלחת *Calachat*, id est, *caldare*. Primò enim torrebant grana, deinde frigebant, postremò coquebant pultem.

Polenta.

Polenta est farina tosti frictíve hordei, a polline, ut nonnullis videtur, dicta: cujus variam & multiplicem conficiendæ rationem vide apud Plin. lib.18. cap. 8. ubi etiam hordeum antiquissimum in cibis esse dicit, sicut ex Atheniensium ritu, Menandro auctore, apparet, & gladiatorum cognomine, qui *hordearii* appellabantur. Vide etiam Galenum de Aliment. facultat. lib. 1. ubi docet laudatissimam polentam fieri ex recenti hordeo mediocriter frixo, & tosto. De polenta vide Manardum lib. 3. epist. 3. Quoniam autem ut hordeum, ita polenta quoque ex eo confecta, teste Galeno, exiguum alimentum præbet, idcirco & panibus hordeaceis & polenta Romani milites abstinuerunt. Rabbi Salomon, ut dixi, *Kali* interpretatur *far tostum in fornace*, quod Latini pultem vocant.

Puls.

Puls enim est cibus ex farre in farinam comminuto redactus, quo diu veteres Romani pro pane usi sunt. (πολτὸν & πολτάριον vocant more Latinorum.)

Romani pultiphagi.

Plautus in Mostellaria:

> *Non enim hæc pultiphagus opifex opera fecit*
> *Barbarus,*

Id est, *Italus*, Et in Pœnulo: Latinè *Plaveus, patruus pultiphagonides*, id est, Romanus, sive Latinus, ut & Lambinus interpretatur, & Turnebus Advers. lib. 19. cap. 11. Persius Satyra quarta:

> *Ingemit, hoc bene sit tunicatum cum sale mordens*
> *Cepe, & farratam pueris plaudentibus ollam.*

Hoc est, ut Hegendorphinus annotat, *Pueri oppidò læti sunt, si eis ollam pulte ex farre facta refertam quis adponat.*

Far primus Latii cibus.

Plin. lib. 18. cap. 8. *Far primus antiquis Latio cibus, magnoque argumento in adoreæ donis. Pulte autem, non pane longo tempore vixisse Romanos manifestum, quoniam inde & pulmentaria hodie quoque dicuntur. Et Ennius antiquissimus vates obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat. Et hodie sacra prisca, atque natalium pulte fritilla* (quæ frigebatur in sartagine, Græcè ὀπλὸν ἄλευρον, Plinßen) *conficiuntur: videturque tam puls ignota Græciæ fuisse, quàm Italiæ polenta. Tritici semine avidius nullum est, nec quod plus alimenti trahat.* Valerius lib. 2. cap. 1. Erant autem (Romani antiqui) adeò continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus, quàm panis esset. Hinc promanavit proverbium, *Inter os & offam*: quasi dicas, *inter os & cibum*, de quo Gellius ex oratione Catonis: *Sæpe audivi inter os & offam multa intervenire posse. Verùm inter offam & herbam ibi verò longum intervallum esse.* Festus ita refert, *Inter manum & mentum*.

Pultis genera.

Puls veteribus parabatur ex diversis farinis, tritici puto, alicæ, zeæ, & ut Columella lib. 18. cap.17. ait, *quolibet frumento*. De pulte Punica, quæ ex farina, caseo, ovo, melle, aqua conficiebatur, vide Catonem de re Rustica cap. 85. Puls simplex ex farina tritici sæpiùs crassiore, rariùs tenuiore, & sale & aqua parabatur. Hac pulte augebatur corpus, auctore Plinio, triticum enim abunde alit; lib. 22. c. 25. Simili ferè cibo Helvetios quoque olim usos fuisse, ex Cæsaris Commentariis libro 1. belli Gallici, videtur conjici posse. Scribit enim ipsos finitimis Gallis bellum illaturos, trium mensium molita cibaria sibi quenque domo efferre jussisse.

Puls avenacea.

Puls avenacea, ut olim (teste Plinio, qui lib. 18. cap. 17. sic scribit: *Primum vitium frumenti avena est, & hordeum in eam degenerat, sicut ipsa frumenti fit instar: quippe cùm Germaniæ populi edant eam, neque alia pulte vivant*) ita hodie quoque Germanis est usitata, quæ ex avena densa, butyro ac sale condita, in magno aheno super ignem cocta in vasis ponitur, ac cum reliquo commeatu in bellum ducitur, nec ad pulmentarium quicquam additur, quàm aqua calefacta esurientibus militibus dulce condimentum. Hebraicè בריה *Biriah cibum & pulmentum* interpretantur: 2. Reg. 13. bis ponitur; a בר *Bar*, sive ברי, *Beri*, id est, *frumento*, sive ברה *Barah, comedere.* Sic ערס *Aaris* dicitur massa, seu pasta ex farina & aqua conspersa. Hieronymus *pulmentum* vertit, Num. 15. cap. Ezechielis 44. Pulmentorum usus apud Hebræos frequens videtur fuisse.

De

De pultibus, offis, & variis illarum generibus vide Wilichium de arte Magirica. Hæc de pulte ſeu pulmento, quod David jubetur fratribus ſuis adferre. Notanda porrò menſura, quæ fuit Epha ſive Ephi. Epha autem continet decem gomer: gomer autem (גמר עשרון *Iſharon*, id eſt, *decimam* vocarunt) dimenſum fuit unius diei, id quod patet ex hiſtoria Exodi 16. ubi quiſque accipiebat gomer mannæ, id quod cuique ſatis erat in diem. Gomer ergo reſpondet Græcorum ſemodio, quæ χοῖνιξ appellatur, quæ quidem ſimiliter ea eſt frumenti menſura, quam unus homo quotidie abſumere poteſt, capitque duas libras & quadrantem, pauloque minus uncia. Unde Herodotus lib. 7. de copiis Xerxis Græciam invadentis verba faciens, ſingulis militibus chœnicem frumenti in ſingulos dies ſtatuit. Hæc ſi quis deligentiùs conſideret, omnino conveniunt cum ordinaria militum Romanorum annona. Nam ut Polybius de Caſtrametatione Romana ſcribens auctor eſt, *triticum* (obſervandum hîc obiter, militibus qui parum profeciſſent, hordeum pro tritico & frumento datum fuiſſe) *dabatur peditibus, Attici medimni ex tribus duæ fermè partes: equitibus hordei ſeptem medimni ſingulis menſibus, tritici duo: ſociis, pediti æqua portio, equiti tritici medimnus, & tertia pars, hordei quinque medimni.* Hæc ille. Sunt autem in medimno Attico, ut & Romano ſeni modii: & in modio octonæ chœnices: & chœnix cibarium diurnum: itaque medimno duodequinquaginta homines quotidie ſatiantur. Non idem autem pondus eſt panificio & tritico, quod aliquid humoris in pane reſidet. Certa verò lex naturæ eſt, auctore Plinio, ut in quocunque genere frumenti pani militari tertia portio ad pondus grani accedat. Ideo modius tritici vicenas libras & unam, ſi quis granum ipſum penderet, pendens, panis militaris pondo viginti octo reddet. Plura de hujus menſuræ Gomer quantitate qui velit, legat ea, quæ doctiſſimè de menſuris Hebraicis a Georgio Agricola conſcripta ſunt. Sunt qui Ephi volunt fere reſpondere Medimno Attico: quod ſi ita ſe habet, Gomer erit paulò plus ſextariis Atticis, atque pariet Chœnicas ferè quinque, ſi Chœnix ſextarius cum dimidio. Verùm ſi videntur juſto majores facere Hebræorum menſuras, id quod ex hoc loco colligi poteſt, cùm Gomer hîc ſtatuatur menſura diurni victus. Non eſt autem veriſimile, Deum, qui liberalis fuit in populum ſuum, voluiſſe illum triplicare vel quadruplicare victum, qui ſufficiens erat, quum non voracitati ſeu frugalitati ſuos aſſuefacere voluerit. Quare arbitror Chœnica & Gomer etſi non prorſus æquales, tamen non omnino impares menſuras fuiſſe: quibus certè reſpondet ex noſtris menſuris ein ganzer oder ein halber vierling. Habemus ſimiles conjecturas de capacitate menſurarum. Ruth uno die colligens ſpicas in agro Booz collegit Epha. Quod ſi Epha, ut volunt, Medimnus eſt Atticus, qui facit 6. Romanos modios; & nimia opera non credibilis videtur illi tribui; ei nimium pondus imponitur, nimirum anderhalben mütt. Sara venientibus tribus hoſpitibus, tria ſata farinæ accipit, & facit panes ſubcinericios. Sunt autem tria ſata idem, quod Ephi. Quorſum pro tribus viris medimnus Atticus pinſeretur, & quomodo matronæ & matrifamiliâs imponeretur labor tantum farinæ ſubigendi?

Epha. Gomer dimenſum unius diei. Chœnix Græcorum militum dimenſum quotidianum. Militum Rom. annona ordinaria.

Porrò præter polentam ſive pultem, adfert David fratribus ſuis decem panes. In regione illa fertiliſſima optimi frumenti, delicato pane veſcebantur: ac proinde panis ille Ezechiel. 4. partim ex tritico & hordeo, partim ex leguminibus, ut faba, lente, milio, vicia conflatus (qui ibidem עגה *Agah*, id eſt, *panis piſtus*, ſeu *ſubcineritius*, ſeu (ut alii vertunt) *placenta hordeacea* appellatur, quem Propheta coquere jubet, ſymbolum fuit magnæ inopiæ atque famis, quæ illis in futura urbis obſidione fuerit ſubeunda. Panis illius deſcriptioni aliquo modo congruunt illa Apulei libro ſexto, ubi frumentum, hordeum, milium, papaver, cicer, lens, faba acervatim comminuta, & in unum glomulum confuſa fuiſſe dicuntur. Vox *glomus* & pro glomere, ſive glomeratione, & quadam quaſi acervatione accipitur, & in ſacris ſignificat cruſtulum, cibi figura, quod obſonii genus eſt. Tertio Chiliarchæ ſive tribuno (vox Hebræa ſonat eum, qui præeſt mille) mittit Iſai per Davidem decem caſeos lactis, ſeu lacteos, idque vel donarii ſive muneris gratuiti, vel etiam forſan debiti, ſeu tributi loco. Caſei lactis dicuntur forſan quia recentes fuerunt, qui quidem (teſte Varrone, Plinio, Avicenna) boni ſunt ſucci, magis alunt, ſtomacho ſunt utiliores quàm veteres. Aliâs caſeus *lactis filius* appellatur, quoniam ex lacte conficitur. Galenus libro 3. de alimentis, recentem caſeum veluti omnium probatiſſimum ſaluberrimumque laudat, quem vocari ait a Pergamenis municipibus ſuis *oxygalacticum*. Caſeus aliâs ab illis animalibus, quorum lacte formatus eſt, cognominari ſolet: ut *bubulus*, (qui maximi eſt cibi, quoque Octavius Auguſtus veſci eſt ſolitus, teſte Suetonio) *ovillus*, *caprinus*, *aſininus*, *equinus*, Græcè ἱππακή, &c. Iſraëlitica regio ut pecorum, ita lactis (unde *lacte melleque fluens* ſæpe in ſacris literis appellatur) fuit abundantiſſima, ac proinde mirum non eſt caſeorum quoque frequentem apud illos uſum fuiſſe. Ex hoc quoque loco videtur poſſe colligi, caſeos magno in pretio atque in delitiis fuiſſe habitos, cùm Iſai non filiis, ſed ipſi duci decem hoſce caſeos ceu munus honorarium miſerit. Omnino autem caſeum cibum eſſe militarem, & ex hoc loco poteſt colligi, & ex 2. Samuel. 17. ubi ſimiliter inter cibos caſtrenſes caſeus recenſetur. Apud Romanos quoque militaris cibus fuit habitus, unde Spartianus de Hadriano: *cibis etiam caſtrenſibus in propatulo libenter utens, hoc eſt, larido, caſeo, & poſca, exemplo Scipionis Æmiliani, & Metelli, & auctoris ſui Trajani.*

Caſei lactis. Caſeus recens. Caſeus cibus militaris.

Aliud exemplum victus atque diætæ caſtrenſis habes 2. Samuel. 17. ubi Iſraëlitæ trans Jordanem habitantes, Davidi, cum quo Abſolomus bellum gerebat, in Maſanaim commoranti munera miſiſſe leguntur: nempe lectum, cratera, ſive phialas (Kimchi voce Hebraica *Sippoth* generatim omnis generis vaſa domeſtica, præſertim vinaria intelligit) vaſa figulina; deinde frumentum, hordeum, farinam ex quolibet ſcilicet frumento, polentam ſive pultem (*Kali*) fabam, lentem, פול *Pol*, (unde forſan *puls* derivata eſt) genus leguminis, quod alii fabam, alii piſum eſſe volunt. Lentes Hebraicè עדשים *Aadaſchim* dicuntur Ezech. 4. Geneſ. 25. ubi mentio fit pulmenti confecti ex lentibus, cum quo ſibi a fratre oblato Eſau primogenituræ ſuæ jus commutavit. Ex lentis & ptiſanæ commixtione optimum edulium dicitur componi, quod Aſiatici, auctore

Faba. Lens. Edulia ex lente.

 Galeno,

Galeno, φακοπτισάνην nominarunt. Heraclides quoque Tarentinus τευτλοφάκην compoſuit apud Græcos ex beta & lente: in cujus tamen eſu vel ſaturejam vel pulegium admiſcendum eſſe volunt, ne ventriculus ſuffletur. Jacobus edulium hoc ex lente dicitur coxiſſe, quò referri poteſt illud Stoïcum dogma, cujus Athen. meminit lib. 4. *Quod ſapiens omnia bene faciet, lentem quoque* φρονίμως ἀρτύσει *ſapienter condiet.* Unde Timon Phliaſius dixit, *Zenonium etiam eſſe* φακῆν ἕψειν, *lentem coquere.* Ibidem φακὴ ἥδιστον ὄψον, *ſuaviſſimum obſonium* dicitur: & φάκινον βρῶμα & ἄρτος, appellatur cibus & panis ex lente. Sunt qui æquanimitatem lente veſcentibus fieri exiſtimant, unde *Lentulorum* nomina.

Lens aciem oculorum obtundit, & ſtomachum inflat, ſed alvum ſiſtit in cibo, magisque diſcocta cœleſti aqua. De lentis uſu in funeribus vide infrà.

Frumentum triticum. Frumen.

Hittim frumentum ſeu triticum ſignificat. Frumentum Latinè aliquando generatim ponitur: ut cùm Plinius duo prima frugum genera facit: frumenta, ut triticum & hordeum: legumina, ut faba & cicer. Aliquando frumentum ſpeciatim pro tritico uſurpatur. *Frumenta* autem & *fruges* a *fruendo* dicta: *Frui* eſt veſci, a *frumine*, quæ eſt ſumma pars gulæ, per frumen enim eſculenta delabuntur.

Lac & caſei bubuli.

Addit poſtremò mel, butyrum, (fuit enim regio Iſraëlitica melle lacteque fluens) & caſeos bubulos. Plinius libro vigeſimo octavo; *E lacte*, inquit, *fit butyrum, plurimum ex bubulo, & inde nomen.* Idem ait alvum maximè ſubduci bubulo lacte: & bubulum lac caſeo fertilius eſſe, quàm caprinum ex eadem menſura penè altero tantò. Sextius eoſdem effectus equino caſeo tradit, quos bubulo.

Butyrum.

חמאה *Hamah* butyrum dictum, a *chamam* calere, quia ſemper calet, & nunquam frigeſcit, aut congelatur. Rabbi Solomon *Schoman Habalaf*, id eſt, *pinguedinem lactis* interpretatur Prov. cap. 30. *Qui exprimit lac, educet butyrum, & mel comedet.* Deut. 32. *butyro boum, & lacte ovium.* Iſajæ cap. 7. *Butyrum & mel comedet:* Eſt pueritiæ ſeu infantiæ periphraſis, quæ lactea & dulcia appetit, acria autem & acetoſa aſpernatur. Abrahamus Gen. 18. præter alios cibos butyrum & lac hoſpitibus ſuis appoſuit. Verum de lacte & butyro humano, camelino, caprino, aſinino, bubulo, ovillo, verno, æſtivo, variis denique generibus, medicamentis, multa Plin. lib. 28. cap. 9. De mellis natura, quod hic quoque inter cibos caſtrenſes numeratur, generibus, probatione, vide Plin. lib. 11. c. 12. 13. 14. 15. 16. Idem lib. 22. cap. 24. *Mellis*, inquit, *natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat, jucundo ſapore atque non aſpero, alia quàm ſalis natura. Faucibus, tonſillis, anginæ, omnibusque oris deſideriis utiliſſimum, areſcentique in febribus linguæ. Jam verò peripneumonicis, pleuriticis decoctum. Item vulneribus a ſerpente percuſſis: paralyticis in mulſo. Mel auribus inſtillatum cum roſaceo prodeſt, lendes & fœda capitis animalia necat.* Verùm & de mellis, & aquæ mulſæ cùm recentis, tum inveteratæ, melititis (quod ex muſto & melle conficitur) denique ceræ natura, medicamentis, uſu vario & multiplici, vide ibidem plura. Primo Sam. 14. in bello illo, quod Saul geſſit adverſus Palæſtinos, cùm Saul gravi edicto prohibuiſſet militibus ante veſperam & partam victoriam cibum ullum capere, Jonathan edicti ejus ignarus, fame impulſus mel, quod in ſylva quadam decurrebat, cæteris ab eo abſtinentibus, deguſtavit, cujus eſu oculi ejus fuerunt illuminati, hoc eſt, totius corporis vires inedia fractæ atque debilitatæ, fuerunt inſtauratæ.

Mellis mulſique utilitas.

Nam ut inedia oculi excæcantur & caligant, ita cibo reficiuntur, ac quaſi illuminantur. Mel quidem, & præſertim mulſum, corporis animique viribus reficiendis & augendis peraccommodatum eſſe Plin. ſcribit lib. 22. c. 24. & Pollionis, Romuli & Auguſti Imperatoris exemplis probat. Ut autem lactis, ita mellis terra Iſraëlitica abundantiſſima fuit, ut Exod. 33. Num. 13. Deut. 6. 8. Hierem. 11. 32. & multis aliis in locis ſcriptum eſt. Quod autem mel hoc, quod Jonathan edit, in ſylva dicitur fluxiſſe, notandum apes mellificare in locis ſylveſtribus, in cavis arboribus atque petris (unde Deut. 32. Pſam. 81. mellis de petra fit mentio) quò ſæpe examina confugiunt, niſi cuſtodiantur atque præveniantur. Sed id in terra Chanaan potiſſimùm fieri tradunt. Forſan igitur vel ventus cavas aliquas arbores perrupit, vel Sol ſuo ardore favos reſolverat in cava arbore, aut petra exiſtentes, unde mel fluxiſſe dicitur. Aliàs mellis & butyri torrente hyperbolicῶs rerum utilium copia ſignificatur, Jobi 21. c. Mel ſylveſtre, quo Johannes Baptiſta in deſerto veſci fuit ſolitus, de vero melle intelligi poteſt, quod in ſylva ab apibus fuerit congeſtum. Eſt tamen etiam genus apium, quæ vocantur *ſylveſtres*, & mellificant plerunque in cavernulis ſub terra, ſed mel hoc & inſipidum eſt & pravum.

Mel ſylveſtre.

Zon Hebræorum.

Adduntur etiam hìc *Zon*, qua voce ſecundùm Grammaticos propriè animalia minora paſcualia, ut ſunt oves & capræ, intelliguntur, ſicut nomine בקר *Bakar* ſignificantur omnia animalia majora paſcualia, ut ſunt boves, vaccæ, vituli, cameli, aſini. Ex his autem duobus locis colligi poteſt, non delicatum nimis atque luxurioſum, ſed tenuem, frugalem, moderatumque fuiſſe Judæorum priſcorum militarium victum atque diætam.

Aqua.

Notandum poſtremò, quòd utroque in loco nulla fit vini, ſiceræ, aut cujuſque alterius potus mentio. Veriſimile eſt potum illorum in militia fuiſſe aquam, non vinum. Unde 1. Sam. 26. Scyphus aquæ (Hebraicè צפחת *Zaphahat*, unde forſan ſcyphus dictus) ad caput Saulis ſtetiſſe dicitur, non vini, ut hodie ſæpenumero magni viri noctu quoque ad lectum ſolent habere vini cantharos, atque pocula ad potandum, & inexplebili illi ſuæ ſiti, quam ſibi aſſidua immoderataque vini ingurgitatione compararunt, ſatisfaciendum. David cùm in bello, quod gerebat cum Philiſtæis, graviſſima ſiti torqueretur, ac proinde aquæ, quæ erat in ciſterna quadam ad portam urbis Bethlehem, deſyderio æſtuaret, tres viri per Philiſtæorum caſtra irruptione facta, aquam inde hauſtam Davidi attulerunt: quam ille bibere noluit, cùm diceret nefas ſibi videri aquam illam cum tanto virorum illorum vitæ diſcrimine comparatam potare, ac proinde illam Domino libavit. Aquam illam, quod obiter notandum, vocat ſanguinem virorum illorum, eò quòd cum periculo ſanguinis effundendi erat acquiſita. Ut aqua Baptiſmi ſanguis Chriſti a veteribus appellata eſt, quia eſt ſymbolum ſive ſigillum ſanguinis Chriſti, qui nos quidem ab omnibus ſanguinibus, id eſt, peccatis mundat.

Ac

Ac omnino in regione illa calidissima, in qua major vini quàm aquæ bonæ atque salubris copia extitit, aquæ potus in communi quotidianaque vitæ consuetudine, tam in pace quàm in bello, videtur fuisse usitatissimus: vini autem usus rarior, ita ut illud non nisi festivis ac solennibus in epulis adhiberetur. Unde passim in sacris literis quoties ciborum epularumque fit mentio, aqua plerunque adjungitur, non vinum. Id autem cùm prisci illius sæculi hominum sobrietati est tribuendum, tum quod in calidissima illa regione quo rarior, tantò carior majorique in pretio habita fuit bona atque salubris aqua. In Esthere autem historia & alibi *Misthe jain*, hoc est, *epulum* seu *compotatio vini*, liberalioris seu copiosioris videtur esse epuli periphrasis, in quo vinum præter communem ac quotidianam consuetudinem fuerit adhibitum. Aquæ potus apud Judæos communis.

In bellis porrò vini usum vel omnino nullum, vel parum certè moderatumque esse debere, satis constat. Carthaginensium milites militiæ tempore a vino omnino feruntur abstinuisse, id quod faciendum esse Plato quoque lib. 2. de legibus, præcipit. Megarenses cùm Apollinis oraculum consuluissent, quinam Græcorum essent præstantissimi, responsum est illis: *Viri qui bibunt sacræ Arethusæ aquam*: id quod multò meliùs sacris oraculis comprobari potest. Apud Homerum Iliad. 6. Hector, qui heros fuit fortissimus, vini poculum sibi a matre Hecuba oblatum, accipere noluit, cùm diceret: Vini usus in militia.

Μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα πότνια μήτηρ·
Μή μ' ἀπογυιώσῃς μένεος, ἀλκῆς τε λάθωμαι.

id est,

Ne mihi, ne veneranda parens, huc dulcia vina
Protuleris, ne me enerves, animique vigorem
Obtundas potiùs, roburque a corpore demas.

Pescennius Imperator, teste Spartiano, *militibus suis vini potum omnino interdixit, universosque voluit aceto esse contentos. Illis item vinum flagitantibus respondit: Nilum habetis, & vinum quæritis?* Mahumetes, ut in Alcorano scriptum est, non solùm vini potu sectatores suos prohibuit, verumetiam in ebrios 80. plagarum pœnam constituit. Contrà Constantinus voluit vinum dari militibus, quod & Imperatores Honorius & Arcadius probasse videntur, dum censent militibus & Novembri mense de novello vino dari, quòd veteris dispendiosa videretur erogatio: ita tamen ut & vinum & acetum alternis diebus concedantur. Omnino vini potus non videtur prorsum militibus denegandus, cùm animi corporisque viribus augendis recreandisque sit aptum. Moderatum enim utilissimum esse testantur & Hecubæ verba apud Homerum Iliad. 6.

Ανδρὶ δὲ κεκμηκότι μένος μέγα οἶνος ἀέξει.

Id est,

----- *corpora magna virorum*
Dulcia vina levant, animisque & viribus augent.

Unde Plato in Legibus dicit: πιόντα ἄνθρωπον ἵλεων ἢ πρότερον γίνεσθαι, ἀγαθῆς δ' ἐλπίδος καὶ δυνάμεως πληροῦσθαι, παῤῥησίας τε μεστὸν εἶναι καὶ ἐλευθερίας, ἀφοβόντ' εἰπεῖν, καὶ πρᾶξαι ἄοκνον, hoc est, *hominem postquam bibit hilariorem fieri, spe bona atque viribus augeri, & ad dicendum liberum, & ad agendum impigrum atque alacrem reddi.* Quam ob causam Lacedæmonii bibendo armabantur, ut testatur Eustathius. At verò immoderatus vini usus, seu potiùs abusus cùm in pace, tum in bellis potissimùm periculosissimus pernitiosissimusque solet esse, maximarumque cladium & calamitatum causa, ut & veteres historiæ, & nostrorum temporum experientia quotidiana locupletissimè testatur: de quo infrà pluribus dicetur. Atque hæc quidem de quotidiano ordinarioque ducum militumque victu atque conviviis satis sint dicta. Extat etiam Antonii Schnebergeri Tigurini, Medici & Philosophi libellus doctissimus *de Sanitate militum tuenda*, in quo pluribus de militum victu atque diæta disserit.

Venio nunc ad extraordinaria atque festiva convivia in bellis usitata, cujusmodi sunt illa, quæ vel in ducis alicujus, alteriusve personæ principis electione, vel quæ ante prælium, vel etiam post prælium (sive clades aliqua sit accepta, sive parta victoria) majori solito cibi potusque abundantia atque lætitia celebrantur. Ac primò quidem hoc semper moris fuisse legimus, ut qui vel Imperatores appellati, vel aliud aliquod honorificum munus militare erant adepti, militibus vel suæ erga illos benevolentiæ atque gratitudinis pro accepto beneficio testificandæ, vel animos illorum sibi magis magisque conciliandi gratia, magnificum aliquod splendidumque epulum exhiberent, exempla passim apud auctores occurrunt. Huc quoque referri potest epulum prætorium, quod, ut Lazius lib. 3. cap. 3. scribit, dabatur in exercitu vel limite, Prætore sive Præfecto prætorio designato. Atque id vocatur *Munus septem solidorum*, de quo omnes Jureconsulti intellexere locum in duodecimo Codicis, in l. secunda, ubi septem solidorum functionis fit mentio, & glebæ & follis & clavis: nam ista ut solennia recens electo dabantur. Instituebatur verò hujusmodi convivium partim sumptu provincialium, partim sumptu legionum limitanearum. Alludunt porrò ad hujusmodi epulum inscriptiones monumentorum quorundam, quæ Romæ eruta sunt, &c. Epulæ militares festivæ & extraordinariæ: & quibus illæ datæ.

Deinde ante prælium præsertim periculosius, quod imminere videbatur, dederunt operam Imperatores, ut milites priùs epulis paulò liberalioribus atque copiosioribus corroborarentur atque animarentur, quo majoribus nimirum viribus, animorumque alacritate pugnam capesserent. Hinc & a Latinis *prandium militare* dictum, ut Trebellius Pollio testatur, quod ad bellum milites paret, a cinctis nimirum iniri solitum, & Græcis ἄριστον μεθ' ὃ δεῖ ἀριστεύειν, & δεῖπνον μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν, uti suprà pluribus fuit explicatum. Hujusmodi autem paulò liberalioribus epulis militum animos corporaque ad mox futuram pugnam præparanda esse, Home- Epulæ ante prælium.

 rus

rus omnium officiorum atque virtutum sapientissimus magister pluribus in locis docet, cujusmodi & illud, ut ex multis unum proferam, quod Ulysses ad Achillem verba faciens, illumque admonens, ne Græcos jejunos ad pugnam educeret, Ιλ. τ. inquit:

------ Τρωσὶ μαχησόμενος
Ἀλλὰ πάσασθαι ἄνωχθι θοῆς ἐπὶ νηυσὶν ἀχαιοὺς
Σίτου, καὶ οἴνοιο. Τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή.
Οὐ γὰρ ἀνὴρ πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα
Ἀκμηνος σίτοιο δυνήσεται ἄντα μάχεσθαι.
Ηπερ γὰρ θυμῷ γε μενοινάᾳ πολεμίζειν,
Ἀλλά τε λάθρῃ γυῖα βαρύνεται, ἠδὲ κιχάνει
Δίψα τε καὶ λιμὸς, βλάβεται δέ τε γούνατ' ἰόντι.
Ος δέ κ' ἀνὴρ οἴνοιο κορεσσάμενος καὶ ἐδωδῆς,
Θαρσαλέον νύ οἱ ἦτορ ἐνὶ φρεσίν. οὐδέ τι γυῖα
Πρὶν κάμνει, πρὶν πάντας ἐρωῆσαι πολέμοιο.

Id est,

----- Sed nunc age corpora curent
Intra castra jube, quo viribus auctior omnis
Sufficiat sibi susceptis exercitus armis.
Quis consistat enim decertans Solis ab ortu
Usque sub occasum jejuno corpore miles?
Nam licet excellant generoso in corpore vires,
Membra tamen si fluxa sitique fameque laborent,
Languescunt, genua ægra labant, & crura vacillant.
At si pasta cibo vinoque refecta suavi
Corpora sint, tolerant æstus, pugnæque laborem.
Vulnifico totis stratum sub Marte diebus,
Crescit, & accedens vires audacia firmat.

Huic simile est illud, Ιλ. β.

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα.
Εὖ μέν τις δόρυ θηξάσθω, εὖ δ' ἀσπίδα θέσθω,
Εὖ δέ τις ἵπποισιν δεῖπνον δότω ὠκυπόδεσσιν,
Εὖ δέ τις ἅρματος ἀμφὶς ἰδὼν, πολέμοιο μεδέσθω,
Ως κε πανημέριοι στυγερῷ κρινώμεθ' ἄρηϊ.
Οὐ γὰρ παυσωλή γε μετέσσεται οὐδ' ἠβαιόν.

Id est,

Nunc autem venite ad cœnam, ut conducamus Martem.
Bene quidem aliquis hastam acuat, bene & scutum ponat:
Bene & aliquis equis cœnam det veloces pedes habentibus:
Bene & aliquis currum utrinque videns, belli curam habeat,
Ut per totam diem sævo decernamus Marte:
Non enim cessatio postea erit, neque paululum.

Eustathius hoc in loco ait etiam alibi poëtam inducere milites prandentes ante pugnam. Nam δεῖπνον esse veteribus jentaculum matutinum, quod ante justum & ordinarium tempus sumitur, ὡς ἂν ἐν τῷ πονεῖν στηρίζοιντο τῇ τροφῇ, id est, *ut ad laborandum cibo firmentur atque fulciantur*, unde etiam δεῖπνον sit dictum. Onosander Platonicus in suo libello *de optimo Imperatore, & ejus officio*, inter alia milites primo mane cibo potuque ad pugnam capessendam, muniendos esse docet, ne fortè præventi, jejuni arma capere, & prælium inire cogantur. Miles enim mediocri cibo potuque, non tamen ad satietatem usque, firmatus, robustior alacriorque arma capit, & in aciem procedit: contrà coactus, priusquam corpus cibo firmaverit, subitò raptimque in aciem prodire, sæpissimè procedente die viribus deficit, ad id etiam insidiosè sæpenumero diem extrahente hoste, ut sera pugna sit, atque ita milites æstu meridiano & laboribus standi sub armis, denique fame sitique confecti atque defatigati, tanto facilius vincantur. Hoc quidem strategemate Scipio usus, milites Asdrubalis pedes referre coëgit, tandemque in castra compulit, ut testis est Livius Decad. 3. lib. 1. & 8. Leo itaque Imperator jubet eo die, quo pugnandum sit, unumquenque militem gestare ad sellam suam secum aquam, non vinum, in lagenis, & panem bis coctum in clitellis, ut tempore & necessitate flagitante hæc habeant, ad se aliosque in animi corporisque defectum aliquem incidentes, reficiendum atque recreandum. Lacedæmoniis Spartam contra Pyrrhum defendentibus, adstabant mulieres cibum potumque indigentibus porrigentes, ut testis est Plutarchus in vita Pyrrhi. In hisce tamen conviviis summa adhibenda cautio, ne milites atque duces ita sese nimio cibo potuque obruant, ut si manus cum hostibus sint conferendæ, neque mens neque corpus officium suum amplius

plius facere poffint, atque ita ab hoftibus opprimantur. Unde Euftath. Ιλ. τ. ante pugnam ad fatietatem ufque prandere vituperandum effe dicit, idque Ephippi teftimonio comprobat, qui cùm dixiffet, Argivos femper ebrios prælium inire, addit, eofdem quoque femper turpi fefe fugæ mandare. Jam verò finito prælio rurfus opus Epulæ finito prælio. eft militum, qui fuperftites remanferunt, corporis animique vires largioribus lautioribusque epulis refici & inftaurari, quò ad pugnam fi ita neceffitas poftularit, denuò capeffendam atque redintegrandam fufficere poffint: id quod ipfum quoque Homerus fub Vlyffis perfona Achillem hunc in modum alloquentis docet, Ιλ. τ.

Γαστέρι δ' οὔπως ἐστὶ νέκυν πενθῆσαι Ἀχαιούς.
Λίην γὰρ πολλοὶ καὶ ἐπήτριμοι ἤματα πάντα
Πίπτουσιν, πότε κέν τις ἀναπνεύσειε πόνοιο·
Ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν μεταθάπτειν ὅς κε θάνῃσι,
Ὅσσοι δ' ἂν πολέμοιο περὶ στυγεροῖο λίπωνται
Μεμνῆσθαι πόσιος, καὶ ἐδητύος, ὄφρ' ἔτι μᾶλλον
Ἀνδράσι δυσμενέεσσι μαχώμεθα.

Horum verborum fumma eft, mortuos lugendi finem effe faciendum poftulante id ventre, illofque qui ex prælio fuperftites evaferint, mortuis humo mandatis, debere cibum potumque capere, quò rurfus fi ita fit neceffe, cum hoftibus prælio contendere valeant. In eandem fententiam & Pififtratus Neftoris filius Οδ. δ. Menelaum atque Telemachum Vlyffis calamitatem deflentes, & Οδ. η. Vlyffes Alcinoum atque reliquos Phæaces alloquitur, idemque uterque fuadent. Similis convivii poft pugnam exemplum habes 1. Sam. 14. Nam Ifraëlitæ parta de Palæftinis victoria atque præda, oves, boves, vitulos humi mactaffe, & cum fanguine (hoc fanè contra legem divinam) comediffe dicuntur. Sed ut in epulis quæ ante prælium, fic in his quæ poft agitantur, durante præfertim adhuc bello, fummoperè cavenda eft atque vitanda effufa immoderataque cibi potufque fumptio, quæ victoribus fæpe fecuris, & lætitia gaudioque nimio geftientibus, luctuofam ex improvifo cladem calamitatemque adfert, id quod & multa litterarum monumenta, & ipfa experientia quotidiana teftatur.

In primis verò communis & pervagata omnium ferè gentium confuetudo femper fuit, & adhuc eft, ut Epulæ victoriales. præclaræ nobilefque victoriæ omni lætitiæ genere omnique cùm facrificiorum atque cæremoniarum facrarum, Mos Judæorum parta victoria. tùm ludorum epularumque pompa atque magnificentia celebrarentur. Apud Judæos quidem hunc fuiffe morem facræ litteræ teftantur. Nam univerfus populus cum mulieribus, virginibus atque pueris ex urbe effufus magna cum lætitia, cum cantu, inftrumentis muficis atque tripudiis, victoribus obviam procedebat, illorum laudes carminibus celebrabat, illofque tandem in templum ufque deducebat atque comitabatur, ubi facrificia fiebant, Deoque gratiæ pro parta victoria agebantur. Hinc fequebantur convivia lætiffima, quæ fæpè per dies aliquot durabant. Exemplum hujufce confuetudinis habes Gen. 14. v. 17. ubi fcriptum eft Melchifedecum Regem Salem, Abrahamo patriarchæ ex præclara illa victoria de Regibus quibufdam Orientalibus parta, cum copiis fuis revertenti panem & vinum præbuiffe, partim fcilicet ei de præftantiffima hac victoria gratulandi, partim ipfum & ejus exercitum, ex pugna & itinere fatigatum, reficiendi & inftaurandi gratia. Hic panis & vini nomine, ut fæpe in S. litteris etiam panis & aquæ nomine, cœna fimul five epulum integrum poteft intelligi, quod inter epulas vel hofpitales, vel adventitias, vel etiam victoriales poffumus numerare. De Hoc fic Flavius Jofephus: *Miniftravit*, inquit, *Melchifedecus Abrahami exercitui xeniam, & magnam rerum opportunitatem.* Ejufdem & Tertullianus adverfus Judæos, & Ambrofius libro *de Sacramentis* meminit, vinum & panem Abrahamo revertenti datum fuiffe in commeatum. Similia ferè exempla extant 1. Sam. 30. 26. Jud. 16. 1. Reg. 18. 2. Par. 20. Judith. 15. Apud Chaldæos idem moris fuiffe ex facris litteris conftat. Nabuchodonofor enim Rex Chaldæorum Arphaxado Medorum rege interfecto, captis Ecbatanis Mos Chaldæorum. metropoli, Ninivem reverfus, cum omni exercitu otia atque convivia per centum viginti dies agitaffe fcribitur Judith. 1. Græci hujufmodi feftivitatem atque epulas poft victorias ufurpari folitas, ἐπινίκια, quafi dicas Græcorum ἐπινίκια. *poftvictorialia*, appellarunt, quorum paffim plurima apud hiftoricos exempla reperiuntur, cujufmodi funt illa, quæ ab Athen. lib. 1. Dipnofoph. & Diodorum Siculum commemorantur. Philippus, Rex Macedonum, victis ad Chæroneam Athenienfibus, militibus fuis epulum victoriale dedit. Sic cum Conon (non Alexand. ut vult Suidas) apud Cnidum Lacedæmonios bello navali fuperaffet, Pyræeumque mœnibus muniiffet, centum boves mactavit (vera hæc, non ficta fuit victima) atque omnes Athenienfes ad convivium convocavit. Alcibiades cùm in Olympicis primus, fecundus & quartus curru viciffet (quarum victoriarum epinicium fcripfit Euripides) Iovi Olympio facris factis, univerfo populo congregato convivium magnificentiffimum exhibuit. Idem fecit Leophron in Olympiis, cujus epinicii auctor eft Simonides Cæus. Empedocles fimiliter Agrigentinus cùm equeftri certamine Olympico viciffet, bovem ex myrrha, thure, & pretiofiffimis aromatum generibus compofuit, eumque fpectatoribus occurrentibus diftribuit, quippe qui Pythagoricus erat, & ab animatis omnibus abftinebat. Antiochi Epiphanis triumphus, & victoriale, feu triumphale convivium magnifici, feu potiùs infani luxus pluribus defcribitur ab Athen. lib. 12. Sic Agathonis epulum victoriale a Platone, & in S. litteris Ptolomæi epulum, quod dedit ob Antigonum navali prælio victum, cui interpretes LXX. interfuerunt, tefte Ariftea in libello de LXX. Legis Hebraicæ interpretatione. Tale epulum fuit cohortis prætoriæ, quod Maximini Hetrufci Imperatoris exercitus apud Agaunos, cæfa ab illa Imperatoris juffu fanctiffima clariffimaque illa Thebæa Chriftianorum legione, quæ fuit cognominata, & fpoliis ejus direptis quafi re bene gefta, eo ipfo in loco celebravit. Illac cùm fenex quidam, Victor nomine, forte tranfiret, & admiratus epulas inter

acervos

acervos cadaverum, quæsivisset a militibus, a quibus ad communes epulas invitabatur, quinam hîc cœsi essent; & audivisset, Christianos esse, qui Deos patrios, & sacra Imperatorum contempserint; indoluit senex, se adeò provectæ ætatis non etiam cum his occisum esse, quos beatissimos judicaret. His auditis milites quæsivisse a sene, num se quoque Christianum profiteretur: qui cùm annuisset, mox, ut optaverat, ab illis cœsum, & cæterorum acervo additum esse. Hæc Simlerus de Vallesia.

Triumphus atque epulum triumphale Romanorum.

Verùm Romanus ille omnium terrarum princeps populus, ut victoriis, ita victorialium honorum, præmiorum conviviorumque magnificentia cæteris omnibus populis atque regibus longè videtur antecelluisse. Fuerunt autem duo præcipui honoris genera, quibus Imperatores, rebus in bello fortiter præclareque gestis, victoriisque partis decorari consueverant, quorum unum *Triumphus*: alterum *Ovatio* dicebatur. Utrumque autem consequebantur splendidissimæ magnificentissimæque epulæ, de quibus antequam dicam, de ipso Triumpho atque Ovatione operæpretium fuerit quædam breviter atque summatim dicere, de quibus passim multa apud Livium, Dionys. Halicarn. Cor. Tacitum, Plin. Pomp. Lætum, & innumeros alios Romanarum rerum scriptores, cognitu jucundissima leguntur. Triumphum Pomp. Lætus vult primò omnium a Bacho (qui idcirco *Bachus Triumphus*, teste Varr. dictus est) post Indicam victoriam fuisse usurpatum, sic dictum, quod milites ejus foliis ficorum, quæ θρία dicuntur, vultus cooperuerunt, jambos & scommata canentes, quæ sunt licentiosè dicta mixta salibus in eum, qui triumphat. Unde clamabant omnes: *Iō triambe Bacche Iō.* Alii triumphum scriptum dicunt ἐκ τῶν τελῶν, hoc est, tribus velut ordinibus, senatorio, populari, & militum, a quibus celebris est triumphus. Primus Romanorum, qui triumpho usus est, perhibetur fuisse Priscus Tarquinius. Illius autem talis ferè forma fuit. Is cui senatusconsulto vel a populo comitiis centuriatis hic honor erat decretus, qui idcirco *triumphalis* est dictus, corpus habens minio illitum (quo etiam Jovis ipsius simulachri facies diebus festis illini solebat) coronam in capite auream, aliquando lauream, in collo bullam auream, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima, indutus tunica palmata (aurea tunica Tarquinium Priscum triumphasse Verrius tradit; Plin. lib. 33, cap. 3. gemmata Diocletianum, teste Pomponio Læto) supra quam toga picta injiciebatur, dextra scipionem eburneum & sinistra auream pateram, necnon digitis annulos aureos gestans, sedens in sella curuli eburnea, curru inaurato (Diocletianus aureo gemmatoque usus est) quatuor equis albis eum ducentibus, in quibus triumphantium filii prætextati sedere solebant, per portam Capenam in urbem invehebatur, perque viam Appiam 8. millia passuum amplam, in Capitolium recto & amplo itinere vehebatur, in quo lignei primùm continuique arcus, post marmorei columnis suffulti erant, unde multitudo satis commodè triumphum spectare posset. Templa Deorum immortalium tota urbe patebant, ornata sertis atque floribus, spirantia Arabicos odores; itinera ubique repleta pinguibus mensis & lætis poculis, ut festi victores se recrearent. Præferebantur fercula fabricata cum signis & monumentis victoriæ, quæ possent manibus militum ferri, antè præcinentibus & saltantibus lætitia militibus, quibus libertas erat scommata effundere in ipsos triumphantes, omnesque clamabant, *Iō triumphe, Iō triumphe.* Præferebantur etiam in vehiculis omnis generis spolia, argentum, aurum & purum & signatum, arma, vasa, suppellex, vestes, thesauri. Aderant tibicines bellicum clangorem intonantes, boves quoque auratis cornibus, quorum medios vittæ cingebant, & frontibus vittati ad sacrificium succincti popæ, hoc est, ministri agebant. Hostes devicti currum sequebantur, quorum colla catenis erant onerata. Sic præeunte Senatu in Capitolium ascendebat ad templum Jovis Opt. Max. ubi mactato tauro albo, qui *triambos* dictus est, laureaque corona in Jovis gremio posita, eadem comitatus pompa domum revertebatur. Corona triumphalis, cujus suprà facta est mentio, quæ Imperatori ob honorem triumphi mitti solebat, *aurum* quoque *coronarium* dicta est, pro quo soliti erant in Italia populi & provinciales quasi tributi vice pecuniæ summam Imperatoribus persolvere. Hinc laudatus Adrianus, quod aurum coronarium Italiæ remiserit. Corona olim ex lauro, postea ex auro fieri cœpta. Hæc ex Pomponio Læto & aliis scriptoribus uno quasi fasciculo collegi. Idem Ovationis ritum his verbis describit: *Cùm hostes sine pugna & sanguine cum ducibus nostris convenissent, quoniam res peracta sine cœde esset, Ovatio erat. Pedes ingrediebatur urbem, qui sic vicisset, sine ferculorum pompa, myrto coronatus unà cum militibus, quia ea arbor, dicata Veneri, quiescere ab armis ostendit. Tibicines ovantem præcedebant, quæ pacifera choreæ instrumenta sunt. In sacris mactabantur oves, unde ovationis nomen. Prima ovatio data est P. Posthumio Tuberto de Sabinis triumphante, Plin. lib. 18. c. 29. In triumpho clangor tubarum, in ovatione concentus tibiarum: ille Martis, hic Veneris est.*

Itinera repleta mensis pinguibus atque poculis.

Ovationis ritus.

Cœnæ triumphales.

Hujusce porrò triumphi magnificentiæ atque pompæ non minima pars erant cœnæ triumphales (sic enim vulgò dicebantur) quibus Imperatores, ut testis est Plutarchus, post victoriam populum Romanum in loco publico excipiebant, a quo deinde cœna peracta honoris ergô domum deducebantur, qui honos, ut idem scribit, quoniam Consulibus præsentibus Imperatoribus tribui non poterat, idcirco illi consules ad convivium quidem invitabant, sed postea illos rogabant, ne accederent. Cœnas autem hasce insani fuisse immanisque luxus ex historiis constat, quæ ut testis est Varro, ut & epulæ collegiorum frequentes annonam incendebant. In iis testis est Plinius lib. 33. cap. 7. minium unguentis fuisse additum, quo & corpora triumphantium & ipsius Jovis simulacri facies diebus festis illini fuit solita. Verùm operæpretium fuerit epularum hujusmodi triumphalium atque victorialium subjicere exempla, inter quæ antiquissimum est illud epulum victoriale, quod L. Paulus Æmilius devicto Perseo exhibuit: in quo admirantibus Græcis, quòd in magno splendidoque apparatu curiosus esset, dicere solebat: *Ejusdem esse animi, & aciem & convivium instruere; illam quiden ut formidolosus hostibus, hoc ut amicis gratus esset*: testis est Plutarchus in Rom. Apoph. & in Æmilio, nec non Livius. Idem auctor de bello Macedonico, facta mentione triumphi Manlii, *Epulæ quoque,* inquit, *ipsæ & cura & sumptu*

& sumptu majori apparari cœpta, &c. C. Julii Cæsaris cœna triumphalis a Suetonio, Plinio & aliis auctoribus maxime celebratur, quam ille in Africano triumpho exhibuit. Nam in illa, præter obsonia apparatissima, uno die in duobus & viginti millibus tricliniorum instructis paratisque mensis, & vini Falerni amphoras centum, & Chii cados totidem populo dedisse fertur, & sex murænarum millia, quas C. Hircus in pondo mutuò dedit. Plinius lib. 14. cap. 15. Quid non & Cæsar Dictator triumphi sui cœna vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit? Idem Hispaniensi triumpho Chium & Falernum dedit. Suetonius in ejus vita, illius 5. triumphos commemorans primum & excellentissimum Gallicum, secundum Alexandrinum, tertium Ponticum, huic proximum Affricanum, novissimum Hispaniensem, dicit illum adjecisse semper epulum & viscerationem, & post Hispaniensem victoriam duo prandia. Nam quum prius parcè, neque pro liberalitate sua præbitum judicaret, quinto pòst die aliud largissimum præbuit. Donativum præterea, & congiarium ejusdem Cæsaris in triumpho memorabile fuit, pecuniarum illatarum summam ad sexaginta quinque talentum millia fuisse ferunt. Tiberius Cæsar eo die, quo triumphum Germanicum egit, prandium populo mille mensis, & congiarium tricenos nummos viritim dedit, ut testis est Suetonius in ejus vita. Athen. lib. 5. sub finem testatur triumphantes duces in Herculis templo convivia illa civibus exhibuisse, cujus rei testes sunt multi poëtæ atque historici. Idem lib. 4. ex Posidonio Stoico: ὅταν, inquit, εὐωχῶνται ἐν τῷ τοῦ Ἡρακλέους ἱερῷ, δειπνίζοντος τοῦ κατὰ καιρὸν θριαμβεύοντος, καὶ ἡ παρασκευὴ τῆς εὐωχίας Ἡρακλεωτική, id est, *quando in Herculis templo convivantur Romani a triumphante convivio excepti, ipse quoque convivii apparatus est Herculeus.* Nam potus est οἰνόμελι, hoc est, *mulsum*; cibi autem sunt panes magni, & carnes fumosæ elixæ, nec non recens mactatarum victimarum carnes assatæ multæ. Mulsum porrò, quod veteres Romani in delitiis habebant militibus in triumphali pompa dari consuevisse, illa Livii manifestè testantur lib. Annal. 48. *Ad hunc prætorem Q. Terentium Culleonem adeò amicum Corneliæ familiæ, ut qui Romæ mortuum, elatumque P. Scipionem (est enim ea quoque fama) tradunt, pileatum, sicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum isse memoriæ prodiderunt, & ad portam Capenam prosecutis mulsum dedisse*, &c. His verbis significat Culleonem in Affricani funere renovata memoria triumphi ejus pileatum dedisse mulsum. Ad hanc consuetudinem Chrysalus ille Plautinus alludit in Bacchid.

Sed spectatores vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho, pervulgatum est, nihil moror:
Veruntamen accipientur mulso milites.

Atque hæc quidem satis sint dicta de victorialibus atque triumphalibus cœnis. Quoniam autem præter epulas, de quibus dictum est, dona quoque atque munera quædam & alimentaria, & pecuniaria, cùm in magistratuum atque Imperatorum inaugurationibus, tum post victorias populo militibusque distribui fuerant solita (quorum creberrima apud historicos fit mentio) non alienum a nostro proposito erit de illis quædam subjicere. Fuerunt autem illa duplicia, alia quæ populo, alia quæ militibus fuerunt data, quorum illa quidem, *congiaria*, hæc verò, *donativa* propriè fuerunt appellata: id quod vel ex illis locis satis patet, quæ subjiciam. Lampridius in Alexandri Cæsaris historia: *Conciones in urbe multas habuit, more veterum tribunorum & consulum. Congiarium populo dedit, donativum militibus, ter carnem populo addidit.* Quô alludit & Capitolinus: *Congiarium*, inquit, *populo dedit, militibus donativum.* Et Plinius in Panegyrico Trajanum laudat, quòd congiarium dedisset populo, quo locupletatæ essent tribus, & militibus exhibuisset donativum. Ex his ergo locis satis patet, donativum propriè fuisse donum militare, militibus datum vel post victoriam, vel cum aliquis creabatur Augustus, pecunia scilicet, quæ ultra stipendium, quô magis essent addicti, adjiciebatur. Congiarium autem propriè dictum illud, quod populo easdem ob causas dabatur, sive essent liquores, sive pecunia. Nomen autem illud, quod idcirco Quintil. lib. 6. Instit. *commune & liberalitatis & mensuræ esse* dicit, ductum est a *congio*, quo pecunia mensurari, & in populum distribui spargique consueverat. Unde Fabius Max. perstringens Augusti congiariorum, quæ amicis dabantur, utilitatem, *heminarium* dixit esse, alludens ad alterum mensuræ genus. Ac primò quidem hujusmodi congiaria in magistratuum inauguratione dari fuisse solita, ex his testimoniis patet. Tit. Liv. lib. 5. Dec. 3. *Ædilitia*, inquit, *largitio hæc fuit, ludi Romani pro temporis illius copiis magnificè facti, & diem unum instaurati, & congii olei in vicos singulos dati.* Hæc videtur congiariorum esse origo. Idem lib. 7. Decad. 4. cùm multi & clari viri Censuram petiissent, dixit in M. Acilium Glabrionem, qui Antiochum ad Thermopylas, Ætolosque vicerat, quòd multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, favorem populi se inclinasse. Sic Heliogabalus, Herodiano teste, libro 5. diviso congiario in populum, ut mos est imperium suscipientibus, spectacula omnifariam edidit magnificentissima. Septimius Severus, eodem teste, lib. 3. initio imperii peractis in templo Jovis omnibus sacrificiis reversus in palatium, magno congiario populum Romanum Vidforiæ nomine prosequutus est, & nummos militibus largitus est. Idem auctor de eodem Imperatore scribit lib. 2. illum ante expeditionem in Orientem, & populo congiarium uberrimum dedisse, & militibus abunde multa donasse. Caligula, teste Suetonio, in consulatu suo congiarium populo bis dedit tricenos sestertios, præter epulum abundantissimum. Sic cum Nero vicesimo ætatis anno Consulatum inijsset, atque interim designatus, proconsulare imperium extra Italiam haberet, ac *princeps juventutis* appellaretur, additum nomine ejus donativum militi, & congiarium plebi, ut testis est Corn. Tacitus lib. 12. Sic Julius Capitolinus in Marci & Veri Antoninorum inauguratione: *Actis igitur quæ agenda fuerant in senatu, pariter castra prætoria petiverunt, & vicena millia nummûm singulis ob participatum imperium, militibus promiserunt.* Ad hujusmodi donativum alludit & Claudianus poëta lib. 2. in Ruffinum, hoc carmine:

De congiariis & donationib.

Nunc

Nunc epulas tempus ſocii, nunc larga parare
Munera, donandumque novis legionibus aurum.

Congiariorum autem & donativorum, quæ poſt victorias fuerunt data, paſſim multa exempla reperiuntur. Tiberius de Germanis triumphans præter prandium mille menſarum,& congiarium, tricenos nummos viritim dedit. De his plura licet videre apud Lazium lib. 4. cap. 9.

Convivia in muneris alicujus depoſitione.

Quemadmodum autem in munerum quorumvis ſuſceptione, & inauguratione convivia ſive epulæ celebrantur, ſic in eorundem depoſitione ſive abdicatione idem fieri conſuevit. Sic L. Sylla depoſita Dictatura, cùm univerſi ſui patrimonii (quod rapinis, cædibus, proſcriptionibus civium, alijſque ſceleribus auxerat) decimam Herculi conſecraſſet, populo epulum per multos dies præbuit adeò copioſum, ſeu potiùs luxurioſum, ut quotidie magna cibariorum copia in amnem projiceretur, vinum quoque 40. annis vetuſtius populo dari curavit, teſte Plutarcho in Sylla. Hoc modò ille populi animos ſibi ob injurias, quibus illum per multos annos vexaverat, infeſtiſſimos lenire rurſus atque placare eſt conatus. Syllæ ſimillimi hodie multi principes atque magiſtratus Chriſtiani reperiuntur, qui poſtquam publici fiſci, ærarii, totiusque populi ſpoliis atque rapinis ingentes ſibi opes atque divitias injuſtè nefarieque compararunt, ac proinde & Deo & populo univerſo infenſiſſimo utuntur, ipſum quidem Deum vanis quibuſdam adumbratæ religionis cæremoniis, populum verò luxurioſis epulis, munerumque largitionibus ſibi conciliare rurſus atque placare contendunt.

CAPUT XXII.

DE CONVIVIIS ARTIFICUM, OPIFICUM SERVORUMQUE PROPRIIS: NECNON DE SERVORUM VICTU ATQUE DIAETA.

Atque hæc quidem de magiſtratuum & munerum honorificorum, ſive pacis ſive belli conviviis ſint dicta. Nunc conſequens eſſe videtur, ut de munerum vitâ inferiorum, ſordidorum, illiberalium viliorumque, quæ partim ſunt urbana, partim ruſtica, partim mixta, propriis & peculiaribus epulis dicam, quæ ipſa quoque varia ſunt & multiplicia. Nam primò quidem artificum, mercenariorum, opificum, omnium denique illorum, quorum vita manuum opere atque labore conſtat, certæ ſunt feſtivitates, certæ peculiareſque epulæ, quas vel ipſi inter ſe agitant, vel illis præbentur ab iis, qui illorum operis uſi fuerunt: quarum exempla quædam ſubjiciam. Apud Phœnicas fuerunt convivia quædam publicanorum ἀσκυρόβαλα dicta, ut teſtis eſt Varinus Heſych. inde ἀσκυροβάλλειν, eodem teſte, idem quod δειπνεῖν. Addit mercedem quoque, in portu exigi ſolitam, eodem nomine fuiſſe appellatam. His adde θυννεῖον, ſacrum, quo piſcatores Neptuno thynnum immolabant in ſpem felicioris capturæ, Cælius lib. 15. cap. 7. Apud Chriſtianos præter publicas & communes feſtivitates, ſinguli ferè artifices atque opifices certos quoſdam habent divos atque divas, ceu vitæ artificiique ſui patronos atque tutores, ut pictores Lucam, fabri Eulogium, calcearii Criſpinum & Criſpinianum, ſarctores Gutmannum, figuli Goarem, venatores Euſtathium, in quorum honorem dies illis ſacros comeſſationibus compotationibuſque, uti fit, celebrare conſueverunt. Deinde alias quoque habent ſinguli opifices ferias proprias & uſitatas, quibus epulis genioque indulgent, quas enumerare omnes longum foret. In Germania communis ferè eſt & pervagatus opificum artificumque mos, ut quo die primùm noctu ad candelam ſive lucernam, vel incipiunt vel rurſus deſinunt operari, unà liberaliùs ſolito epulentur, quæ convivii genera vernacula lingua liechtbraaten / felbraten & ſcheidwecken appellantur. Huc quoque pertinent omnes illæ epulæ, quæ artificibus vel quibuſcunque operariis,poſt operis alicujus perfectionem abſolutionémve exhibentur. Hujuſmodi eſt illud,quod poſt erectam domus alicujus contignationem fabris exhibetur, vulgò appellatum das aufrichtmaal. Item quod mulieribus poſt veſtium ablutiones, vulgò wäſchermaal & beſtreychmaal dictum, & alia hujuſce generis innumera. Mos quoque eſt admodum laudabilis artificum nonnullorum, quo peregrinos ad ſe adventantes, & ὁμοτέχνους hoſpitio conviviiſque liberalibus excipere humaniterque tractare ſolent. Verùm ut in genere de hujuſmodi mechanicorum hominum epulis quid ſentiam, dicam, illorum nonnulla, quæ ad honeſtam recreationem a laboribus, vitæque conjunctionem ſpectant, non videntur eſſe culpanda, ſed modus in illis, ut omnibus in rebus, eſt adhibendus, ut nimirum nec nimis crebra ſint atque frequentia, nec nimis ſumptuoſa atque luxurioſa. Hodie namque plerique illorum hominum, ut eſt omnium hominum ingenium a laboribus ad otium atque voluptates proclive, plerunque in popinis volutantur, & quævis data & oblata vel minima occaſione epulantur cum maxima temporis, reique familiaris jactura. Interea illorum liberi, uxor atque familia, quam alere debebant, fame, ſiti, rerumque aliarum ad victum cultumque corporis neceſſariarum inopia premitur. Sæpe uno die, vel uno convivio multorum dierum lucrum atque mercedem, quam ad familiæ ſuæ ſuſtentationem conferre debebant, profundunt atque dilapidant. Hanc illorum hominum luxuriem, quæ ad multarum familiarum ruinam pertinet, magiſtratus omni ſtudio atque opera ſua refrænare debet.

Artificum atque opificum convivia.

Ἀσκυρόβαλα Phœnicum.

Opificum atque mercenariorum luxuria.

Servilia convivia.

Ad hoc porrò conviviorum genus non ineptè, meo judicio, referuntur ſervilia convivia, quæ a dominis olim ſervis atque famulis adornari conſueverant, quorum exempla aliquot ab Athenæo ponuntur lib. 4. Dipnoſoph. Apud Romanos Saturnaliorum diebus moris fuit, ut domini famulos ſuos convivio exciperent, ipſique ſervo-

rum officio fungerentur. Hanc consuetudinem Græcam fuisse, exemplis quibusdam probat. Nam in Creta, festo Mercurialium, convivantibus servis domini ministrant. Idem mos fuit apud Trezœnios, apud quos mense Geræstione per aliquot dies multæ festivitates celebrantur, quorum in uno servi cum civibus astragalis ludebant, & servis domini convivium præbebant. Idem auctor Berosi atque Ctesiæ historicorum testimoniis comprobat, 16. Cal. Septemb. festum *Saccan* dictum in urbe Babylone 5. dierum spatio celebrari fuisse solitum, quibus moris fuerit, ut servi dominis imperarent, & illorum aliquis stola regiæ simili indutus (quem *Zoganem* appellabant) universæ familiæ præesset. Sic apud Gallos die Jovis pridie Veneris magnæ, uti vocant, rex Galliæ 12. mendicis epulum lautum præbet, illorum pedes lavat, illis unà cum aulicis suis ministrat, primum ferculum ipsemet apponit, singulis apophoreti loco dat vestem. Item die Epiphanii aliquis aulicorum ministrorum rex eligitur, cui rex ipse cæterique inter epulandum ministrant. Verùm in sacris quoque litteris hujus rei nobis ab ipso Christo exemplum proponitur Luc. 12. ubi inquit: *Beati servi illi, quos quum venerit dominus, inveniet vigilantes: amen dico vobis præcinctus faciet ut discumbant, & prodiens ministrabit eis*, hoc est, interprete Theophylacto, *promptus & paratus erit ad servis suis dandam plenam & perfectam quietem animi atque corporis* (ὁ γὰρ ἀνακεκλιμένος ὅλον τὸ σῶμα ἀναπαύει.) *& ad illorum fida officia atque ministeria remunerandum*, δαψιλῆ αὐτοῖς παρέχων τράπεζαν, καὶ τὴν τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων τρυφὴν χαριζόμενος, hoc est, *lautam illis mensam atque spiritualium donorum delitias largiendo.* Hæc ille. Non est ergo absurdum, quòd Christus hic Deum Opt. Max. dominum dominorum hominibus ceu vilissimis & abjectissimis servis servientem ac ministrantem inducit. Nam si rem verè æstimare voluerimus, inveniemus revera non homines Deo, sed Deum potiùs hominibus licet ingratissimis assiduè servire & ministrare, imò homines pii licet fida, tamen imperfecta sua ministeria Deo præstare non possunt, nisi illis Deus ejus facultatem subministret. Huc quoque referri possunt Eleutheria, quæ erant dies festus, & epulæ lætiores, quas servi libertate donati celebrabant. Harum mentio fit apud Plautum in Persa: *Basilicè agito Eleutheria.* Dicta sunt etiam ἐλευθέρια sacra quædam apud Samios τῷ ἔρωτι, hoc est, *amori Deo*, dedicata. Hujusmodi commemoratæ festivitates atque epulæ tantò sunt admirabiliores, quò vilior & abjectior olim servorum fuit conditio, quibus ex communi omnium ferè gentium more ad herilem mensam, & ad ingenuorum liberorumque convivia atque sacrificia accedere minimè licebat, ut in sequentibus Athenæus docet, & ex multis historiis patet. Itaque apud Romanos servi quando ad dominorum suorum mensam admittebantur, id erat manumissionis signum ex lege Junia Norbana. Ad quod alludit Tertull. lib. de resurrect. carnis, his verbis: *At qui* (servus manumissus) *& vestis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine, ac tribu mensaque honoratur.* Verùm de his plura suo in loco, quando de convivarum qualitate atque delectu tractabimus. Fuit etiam apud Romanos peculiare quoddam ancillarum festum, dictum *Nonæ Caprotinæ*, quod epulis fuit ab illis celebratum, teste Plutarcho in Camillo sub finem.

Sacean festum Babyloniorum.

Eleutheria.

Quoniam verò de servorum festivis quibusdam atque solennibus epulis dictum est, nunc in universum de servorum famulorumque victu atque diæta quædam videntur esse adjicienda. Hic, ut plerisque aliis in rebus, aurea est adhibenda mediocritas. Primò igitur cavendum, ne servi atque ancillæ molliter nimis & delicatè tractentur, ne, id quod plerunque fieri consuevit, non modò languescant atque torpescant, verùm etiam equorum instar bene saginatorum insolescant, & adversus dominos suos insurgant. Nam, ut verissimè Salomon dixit, (id quotidiana docet experientia) *qui servum suum nimis delicatè nutrit a pueritia sua, illum tandem sentit contumacem.* Itaque Athenæus lib 6. (ut etiam Plato lib. 6. de Legib.) minimè vult dominos cum servis & ancillis suis jocari atque nugari, sed illorum verba, quæ cum illis faciunt, mera esse jussa atque mandata: ne & illis parendi serviendique, & sibi imperandi conditionem difficiliorem reddant. Apud Romanos, teste Polybio, ut mulieres liberæ, ita servi quoque a vino abstinebant, necnon ephebi omnes ad annum vitæ tricesimum. Aristoteles similiter in Oecon. lib. 1. cap. 6. quoniam vini potus multos etiam liberos sæpenumerò ad injurias inferendum impellit, multæque liberæ gentes a vino abstinent, ut Carthaginenses in bellis, servis quoque vel nihil prorsus, vel parum admodum vini dandum esse existimat. Sed contrà cavendum est, ne iidem nimis durè contumelioseque tractentur, illisque debitus ac necessarius victus denegetur, quò fit, ut & laboribus ferendis minimè pares esse possint, iisque succumbant, & siti atque fame malesuada ad furta aliaque tetra scelera atque facinora impellantur. Quamobrem Græcos olim atque Romanos, ut de aliis taceam, diligentem olim accuratamque servilis victus atque diætæ curam gessisse legimus. M. Cato in libro suo *de re rustica*, mensuram cibariorum, vini atque pulmentarii familiæ dandi diligenter accurateque præscripsit hunc in modum: *Familiæ cibaria, qui opus facient per hyemem, tritici modios* IIII. *per æstatem modios* IIII *S. vilico, vilicæ epistatæ, opilioni modios* III. *Compeditis per hyemem panis* P. IIII. *Ubi vineam fodere cœperint, panis* P. 5. *usque adeo dum ficus esse cœperint: deinde ad* P. IIII. *redito. Vinum familiæ, ubi vindemia facta erit, loram bibant menses* III. *Mense quarto heminas in dies, id est, in menses, congios* II. *S. Mense quinto, sexto, septimo, octavo in dies sextarios, id est, in menses, congios quinque: nono, decimo, in dies heminas ternas, id est, amphoram. Hoc amplius Saturnalibus & Compitalibus in singulos homines congios. Summa vini in homines singulos inter annum cum compeditis, uti quicquid operis facient, proportione addito. Eos non est nimium in annos singulos vini quadrantalia* 10. *ebibere. Pulmentarium familiæ oleæ caducæ quàm plurimum condito. Postea oleas tempestivas, unde minimum olei fieri poterit, eas condito, parcito, uti quàm diutissimè durent, ubi oleæ comesæ erunt, halecem & acetum dato. Oleum dato in menses unicuique sextarium, id est, salis unicuique in anno modium satis est.* His subjungit descriptionem vestimentorum, quæ familiæ sint danda. Certum igitur servis, & quidem largum satis copiosumque victum quotidie suppeditarunt. Hunc Græci Chœnice olim illis distribuerunt, ut illi vicissim operis pensum persolverent: unde & Chœnix, ἡμερότροφις ab Alexarcho, quia in diem victum continet: & ἡμερήσιος τροφὴ, hoc est, *diurnus* sive *diarius cibus* teste Suida, dicitur,

Servorum victus atque diæta.

Chœnix.

 & idcirco

& idcirco Apollo Pythius Corinthios, quòd servos possiderent quadragies sexies mille, χοινικομέτρας appellavit, ut testis est Athenæus lib. 6. Dipnos. Item apud Homerum quoque Chœnix pro demenso ciboque diurno usurpatur Οδ. τ.

Οὐ γὰρ ἀεργὸν ἀνέξομαι, ὅσκεν ἐμῆς γε
Χοίνικος ἅπτηται.

hoc est,

Namque operæ immunem haud patiar, quicunque meam unquam
Chœnica contigerit.

Eustathius, *Chœnix hîc est*, τροφή, id est, *cibus: nam vox Chœnicis cùm ipsum vas, quo, tum rem, quam dimetimur significat.* De hac voce, & mensurarum generibus variis vide plura apud eundem P. 686. De Pythagorico proverbio (*Chœnici ne insideas*: quod Hieronymo est, *de victu non debere quenquam esse solicitum in diem crastinum*: Plutarcho in Sympos. *Non indulgendum otio, sed victum industria prospiciendum, ne desit in posterum*: Demetrio Byzantio apud Athenæum: *Non in diem vivendum, sed crastinum expectandum*; Erasmo denique: *Non alienam per otium sectandam mensam, sed proprium labore victum esse comparandum*) vide Erasmum in Adagiis. Apocal. 6. in vaticinio illo de futura summa annonæ difficultate atque caritate scriptum est: *Chœnix tritici denario uno, & tres Chœnices tritici denario uno*, &c. Ομοχοίνικας Plutarchus in Sympos. ejusdem mensæ participes appellat. De Chœnice vide Cœlium Rhodigin. lib. 16. cap. 16. & Simlerum in Exodum.

Demensum, & Diaria. Victus ille certus, & definitus servorum a Rom. *demensum*, necnon *diaria* fuit appellatus. Hinc illud apud Terentium in Phorm. *Quod ille unciatim vix de dimenso suo, Suum defraudans genium comparsit miser.* Donatus in illa verba notat, servos in mensem quaternos modios frumenti accipere solitos fuisse. Juvenal. Satyr. 14.

Servorum ventres modio castigat iniquo.

Quô alludit Antipho apud Plautum in Stycho, cùm servos suos alloquens inquit:

Vos meministis, quot (id est, *singulis*)
Kalendis petere dimensum cibum,
Qui minus meministis, quod opus sit facto, facere in ædibus?

Demensum a *dimetiendo* est dictum, non a *mense*, ut nonnulli putant. Menstrui servorum Seneca quoque meminit epistola 81. *Servus est*, inquit, *accipit quinque modios, & quinque denarios.* Hinc colligimus servos singulis Kalendis, hoc est, primo die mensium demensum illum cibum petere fuisse solitos. Horatius lib. 1. epist. ad Villicum:

Cum servis urbana diaria rodere mavis.

Diaria idem quod victus diurnus, quem etiam δίαιταν a Græcis appellari testatur Cælius Rhodig. lib. 12. cap. 18. In Euangelio Lucæ cap. 12. œconomus ille parabolicus dicitur toti servitio fuisse præpositus, ut tempore certo & opportuno daret conservis σιτομέτριον, hoc est, *dimensum*, destinatam singulis mensibus sive diebus frumenti mensuram. Ad hunc morem Christus alludit, cùm in oratione illa sua, quam nobis præscripsit, ceu optimam & præstantissimam precandi formulam, ut inter alia nos ceu servi atque famuli a summo & cœlesti illo Domino atque patrefamiliâs panem nostrum ἐπιούσιον, hoc est, *quotidianum*, ut vulgò verterunt, sive, ut alii, *supersubstantialem* (Syriaca versio panem דסונקנן, *desunkanan*, id est, *necessitatis*, habet) dari nobis petamus σήμερον, id est, *hodie*, ut Matth. 6. 11. sive καθ' ἡμέραν, id est, *in diem*, ut Luc. 11. 3. scriptum est, ceu diaria atque dimensum nostrum, quo indigemus ad vitam hanc nostram fragilem atque caducam sustentandam. Sic Salomon, Prov. 30. 8. petit a Deo sibi nec paupertatem dari, nec divitias, sed ali cibo sibi statuto, justo ac necessario. Verùm sapientissima, ut alia, hæc Syracidis præcepta extant, quibus docet, quomodo servi tractari debeant cap. 33. *Asino*, inquit, *pabulum debetur, & flagellum, & onus, ita servo panis, castigatio, labor.* (hoc proverbium a Gregorio Palamo Thessalonicensi quoque commemoratur) *Servo tuo injunge laborem, & pacem habebis. Si otio assueverit, contra te insolescet.* Pluribus deinceps docet, quomodo servi contumaces baculis, & virgis sint castigandi, & pœnarum metu, qui bonus nonnunquam est officii custos, in officio obsequioque continendi, arcendi ab otio, laboribus exercendi, nec tamen omninò opprimendi, ab injuriis alienis defendendi. Eòdem pertinent quæ sequuntur, quorum hæc ferè est summa, *Servos, si sint contumaces, baculis virgisque esse castigandos, pœnarumque metu, qui quidem bonus sit officii custos, in officio obsequioque esse continendos.* Adhæc laboribus quidem exercendos, ne otio ignaviaque torpescant, non tamen nimiùm onerandos, ne illis succumbant, ab alienis denique injuriis esse defendendos. His simillima sunt, quæ Aristoteles tradit in suis œconomicis, ubi inter alia tria dicit servis deberi, nimirum ἔργον, κολασίαν καὶ τροφὴν, hoc est, *opus, punitionem & alimentum*: quæ debeant esse conjuncta. Nam si neque operentur, neque castigentur, sed cibum habeant, id illis ad injurias esse incitamentum. Si verò & pœnas & labores habeant, sed cibo sint destituti, id violentum esse, illorumque vires frangere. Reliquum igitur esse, ut illis & labores imponantur, & τροφὴ ἱκανὴ, id est, alimenti quantum sat sit suppeditetur. Difficile enim iis esse, qui mercede carent, imperare, servi autem mercedem esse cibum. Denique concludit, & cibi, & vestitus, & otii, & castigationis modum pro illorum meritis atque dignitate vel intendendum, vel remittendum esse. Huc quoque facit illud Catonis dictum, qui interrogatus, quid maximè in re familiari expediret, respondit, *Bene pascere*: quid secundum, *Satis bene pascere*, &c. Cicero Offic. lib. 2. sub finem. Memorabile quoque est illud Ciceronis lib. 1. Offic. *Meminerimus*, inquit, *& adversus infimos justitiam esse servandam. Est autem infima conditio & fortuna servorum: quibus non malè præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis ad operam exigendam & justa præbenda.*

Servi quomodo tractandi.

Per

Per justa heic victum cultumque corporis necessarium videtur intelligere. Notandum etiam est apud populos nonnullos famulos, & ancillas dominorum mensis adhiberi, apud alios verò ab illis longissimè arceri, & reliquiis mensæ herilis pasci. Sunt multi Christianorum, qui famulos, & ancillas suas quantumvis fideles multò duriùs & contumeliosiùs tractant, vexant & affligunt, quàm vel olim vel hodie Ethnici sua mancipia. Laboribus illos diurnis nocturnisque penè intolerabilibus fatigant, inedia, siti, algore, atque æstu mirificè excruciant, verbis verberibusque durissimis tantùm non enecant, ita ut illos non hominum, sed pecorum potiùs loco habere videantur. Imò pecora sæpe sua meliùs tractant atque curant, quàm illos. Hi cogitent quod scriptum est in Levitico cap. 25. *Servum tuum ne affligas per potentiam, sed metuito Deum tuum.* Item quòd Ecclesiasticus inquit cap. 7. *Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas eum.* Et eodem in cap. *Servum ne lædas in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.* M. Cato in libro de re rustica differens de villici officiis, inter alia inquit, *Familiæ malè ne sit, ne algeat, ne esuriat, opera bene exerceat, faciliùs malo & alieno prohibebit.* Idem paulò post: *Villicus ne sit ambulator, sobrius siet semper. Ad cœnam ne quò eat, familiam exerceat,* &c. Sed ut culpanda est hæc dominorum quorundam in ministros suos sævitia & asperitas, cujus Deo, omnium inopum & oppressorum tutori atque vindici justissimo, justas debitasque pœnas exsolvent: ita contrà servorum & ancillarum plurimarum damnanda est ignavia, mollities, contumacia atque perfidia, cujus & ipsi acerbas gravesque pœnas luent. De illorum autem officio multa præclarè & Paulus 1. Tim. 6. Ephes. 6. Colos. 3. & Petrus 1. Epist. 2. cap. disseruerunt.

CAPUT XXIII.

DE CONVIVIIS RVSTICIS.

Ad hanc postremam conviviorum secundum varia vitæ genera atque munera divisionem, rustica quoque convivia pertinent. Fuit autem olim rusticum ac pastoritium vitæ genus apud Judæos præsertim atque Romanos magno in pretio & honore, atque adeò regum, principum atque magistratuum felicissimum extitit seminarium, quemadmodum ex sacris atque prophanis historiis constat: de quo vide Aristotelem lib. 1. Pol. cap. 5. & lib. 7. Polit. cap. 4. & 1. Oecon. cap. 2. Item Xenophontem in Oecon. Virgilium lib. 2. Georg. sub finem, Hieron. Osorium de Regum Institutione & disciplina, Platonem in Epinomide, Euthyphane, & Euthydomo, Stobæum sermone 22. Ciceronem in Offic. lib. 1. & in oratione pro Roscio Amerino, & lib. de Senectute, Plinium lib. 18. cap. 3. M. Varronem de re rustica lib. 1. statim ab initio, Columellam lib. 2. cap. 1. de re rustica, & multos alios, qui de vitæ illius laudibus multa scripserunt. Verùm illis omissis, cùm de certis ac peculiaribus quibusdam rusticorum conviviis, tum in universum de eorundem victu atque diæta, quæ ad propositum nostrum faciunt, explicabo. Ut olim igitur, sic hodie quoque rustici (sub quibus agricolas atque pastores comprehendo) certa quædam atque festiva habent convivia, quæ ab illis post operum præsertim atque laborum perfunctionem, animi recreandi reficiendique causa agitantur. Hujusmodi fuit illud apud Hebræos in ovium tonsura tritum & usitatum convivii genus, cujus aliquot illustria sanè exempla in S. literis occurrunt. Absolomus certè eo tempore quo oves suas in Baalhasor Ephraimiticæ ditionis tonderi curavit, magnificum servis suis convivium adornasse, & ad illud Davidem patrem fratresque suos omnes invitasse legitur, in quo Amnonem fratrem, ob stuprum Thamari sorori biennio antè illatum, obtruncari curavit. Similis convivii mentio fit 1. Sam. 25. Nabal enim Ziphæus, vir dives, cui tria ovium millia, & mille capræ fuisse dicuntur, (nam veterum res erant in pecore, & in locorum possessionibus, ex quo *pecuniosi*, & *locupletes* dicti. Cic. lib. 2. de Repub. & Plin. lib. 18. cap. 3.) oves suas, quas in Carmelo (qui locus fuit tribus Judæ) habebat, totondisse legitur. Id cùm David in deserto, fame sitique graviter conflictatus resciviset, servos suos ad illum misit, qui commemoratis suis in illum ejusque pastores beneficiis collatis, humanissimis verbis ab illo peterent, ut se quoque nunc festivitatis illius atque convivii participes faceret. *In die bono*, inquiunt illi, hoc est, læto atque festivo, *ad te venimus.* At verò Nabal & re & nomine stultus, justæ huic Davidis petitioni satisfacere noluit, simulque durum illius nuntiis, & inhumanum responsum dedit. *Tollamne*, inquit, *panem meum, & aquam meam, & victimam meam, quam mactavi tonsoribus meis, ut dem illam viris, quos non novi, undenam illi sint?* Hujusce ille sui inhumani contumeliosique responsi, nisi Abigaëlis uxoris ejus deprecantis intercessisset pietas atque prudentia, graves sanè justasque pœnas dedisset.

Rusticum vitæ genus olim honorificum.

Convivium Judæorum in tonsura ovium.

Ex his autem omnibus colligimus, id quod nostri est propositi, convivia hujusmodi tonsoria, ut ita loquar, magnifica fuisse. Sequitur enim eodem in capite convivium hoc Nabalis fuisse quasi regium, id est, valdè luxuriosum, in quo videlicet ille se vino nimio obruit. Sic Judas, ut in libro Genesis scriptum est, animi sui ex dolore ob amissam uxorem reficiendi recreandique caussa, unà cum quodam amico suo ad ovium tonsuram ivisse dicitur. Hujusmodi quoque festivitatis occasione Jacob unà cum Rachele uxore sua fugam arripuit, ut constat ex 31. cap. Genesis, ubi sic scriptum est: *Laban autem abierat ad tondendum oves suas, furata est interim Rachel simulachra patris sui. Hos triduo pòst Labanus fuit insecutus,* &c. Apud Latinos oves tondere, ut & sementem facere omnino non fuit licitum, priusquam catulatio (Græcis est σκυλακισμός) hoc est, ex cane sacrum fieret: ut Gyraldus testatur de Diis Gentium. Ex his ergo omnibus constat illam ovium tonsuram (quam luna decrescente a veteribus fieri fuisse solitam M. Varro testatur: de tempore autem oves lavandi atque tondendi vide Plin. lib. 18. cap. 17.) magna cum festivitate, lætitia atque conviviis fuisse celebratam: id quod mirum non est. Nam, quemadmodum paulò antea attigi, prisci illi Hebræi, ut ex multis sacræ Scripturæ locis

Convivia tonsoria magnifica.

 constat,

constat, pastoritiæ rei mirum in modum fuerunt dediti, ac proinde illorum etiam opes atque divitiæ cùm aliorum pecorum, tum in primis ovium, quarum maxima est fœcunditas, atque utilitas, multitudine æstimabantur. Nam, ut verè eleganterque M. Varro lib. 1. de re rustica inquit, *In animalibus primùm non sine causa putant oves assumptas, & propter utilitatem, & propter placiditatem: maximè enim hæ natura quietæ, & aptissimæ ad vitam hominum. Ad cibum enim lac & caseum adhibitum: ad corpus vestitum, & pelles attulerunt.* Itaque cùm in illis tot præsertim numero tondendis plurimùm pastoribus atque famulis esset laboris exantlandum, justa profectò de caussa patresfamiliâs atque domini illos conviviali hujusmodi lætitia recreare rursus atque exhilarare voluerunt. His adde, quòd illa ovium tonsura typus videtur fuisse atque figura futuræ illius tonsuræ, hoc est, mortis atque passionis salutiferæ Domini nostri Jesu Christi, ceu ovis puræ & immaculatæ, quæ cùm tonderetur atque mactaretur, nullam vel minimam vocem impatientiæ testem edidit, secundum illud Isaiæ cap. 53. vaticinium: *Ovis instar ductus est ad victimam, & quasi agnus coram tonsoribus suis obmutuit*, ad hominum scilicet convitia, *& os suum non aperuit*, ad convitia scilicet regerendum. Tonsura ovium, ut illud obiter addam, Germanis insignem aliquam cùm miseriam, tum lætitiam videtur significare trita illa ac pervulgata dicendi phrasi: Das Schaaffschären wirt angon / hoc est, *ovium tonsura incipiet.*

Daps ejusque faciendæ ratio.

Huc quoque videtur referenda daps, quæ, teste Festo, res erat apud antiquos divina, quæ fiebat aut hyberna semente, aut verna: quod vocabulum ex Græco deducitur, apud quos id genus epularum δαῖς dicitur. Dapis faciendæ rationem M. Cato sic describit lib. de re rustica: *Dapem*, inquit, *hoc modo fieri oportet: Jovi dapali culignam vini quantumvis polluceto. Eo die feriæ bubus & bubulcis, & qui dapem facient. Cùm pollucere oportebit, sic facies. Jupiter dapalis quod tibi fieri oportet, in domo familiaque mea culignam vini dapi ejus rei ergo. Macte vino inferiori esto. Macte hac illate dape pollucenda esto. Manus interluito. Postea vinum sumito. Jupiter dapalis macte istace dape pollucenda esto. Macte vino inferiori esto. Vestæ si voles dato. Daps Jovi assaria pecuina urna vini Jovi caste, profanato sine contagione. Postea dape facta, serito milium, panicum, allium, lentem.* Ibidem vide rationem porcæ præcidaneæ ante faciendæ, antequam messem facerent. Ethnici antequam vel sementem vel messem facerent, habuerunt sua sacrificia, libationes atque precationes, quibus falsorum deorum gratiam & favorem demereri studebant, quò & semente & messe felici uterentur, quantò magis nos Christianos decet verum Deum veris sacrificiis, hoc est, seriis & ardentibus votis placare, ut nobis & sementem atque messem secundam uberemque largiri velit?

Hujusmodi porrò conviviis, in ovium tonsura apud Hebræos antiquitus celebrari solitis, videntur similia esse illa, quæ apud nos cùm in urbe, tum in pagis post pecorum quorundam ut ovium, boum ac præsertim suum mactationem summa cum lætitia agitari solent, quæ idcirco Wurstmäler / hoc est, *farciminum convivia*, vulgò appellantur. Hujusmodi videntur fuisse & μηλοσφαγίαι, hoc est, sacrificia ab ovibus jugulandis nuncupata, teste Hesychio: & ὑστηρία Athenæo sacra, quæ de sue fiebant.

Wurstmäler / sive farciminum convivia.

Μηλοσφαγίαι, ὑστηρία.

Sacrificia & convivia antiquitus agricolis usitata.

Jam verò apud Græcos atque Romanos legimus antiquitus & sacrificia & convivia hilariora agricolis, maximè collectis jam & reconditis frugibus perquàm usitata fuisse, cujus rei testis est Aristot. lib. 8. de Moribus ad Nicomachum, his verbis: Αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γίγνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς, οἷον ἀπαρχαὶ, μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζοντο καιροῖς. Tale est illud Virgilii Georg. 1.

Frigoribus parto agricolæ plerunque fruuntur,
Mutuaque inter se (unde *mutitandi*, id est, mutua convivia agitandi, de quo Justus Lipsius lib. 1. Saturnalium cap. 1. scribit, antiquum vocabulum videtur promanasse)
----- *læti convivia curant.*
Invitat genialis hyems, curasque resolvit,
Ceu pressæ cùm jam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Cereri item primitias dabant, eamque venerantes epulabantur, & convivia agitabant inter se, quod declarat locus Theocriti in θαλυσίοις:

----ἦ γὰρ ἑταῖροι
Ἄνδρες ἀπερχόμενοι, μάλα γάρ σφισι πίονι μέτρῳ
Ἁ δαίμων εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν.

Eundem morem Horatius quoque exprimit lib. 2. Epist. ad Augustum his verbis:

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem
Cum sociis operum, & pueris & conjuge fida,
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus, & vino Genium memorem brevis ævi.
Fescenina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit, &c.

Ἁλωά.

Ἁλωὰ hujusmodi agricolarum festivitas dicta fuit, ut testis est Philochorus, quæ subvectis ex agro frugibus in honorem Cereris & Bacchi Athenis celebrabatur, sic dicta, quòd in areis, quæ Græcè ἅλως dicuntur, præcipuè moras traherent homines: unde & Cererem ἀλωάδα nuncupatam legimus, quæ & ἀλωὶς, & *Euhalosia* cognominata est. Sic Vacunæ Deæ apud Romanos, quæ præesse vacantibus & otiosis credebatur, agricolæ

cùm

cùm a laboribus vacarent, post perceptos fructus, & agrorum cultus per hyemem sacra faciebant, de quibus Ovidius 6. Fastorum:

Nam quoque cùm fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.

His similes apud Hebræos festivitates atque convivia fuisse legimus, a quibus etiam illa & Græcorum atque Romanorum, & Christianorum quoque solennitates atque convivia nonnulla videntur esse profecta. Sic enim festum Pentecostes, quod etiam hebdomadum atque primitiarum festum dicitur, sexto die mensis Sivan, cui Majus noster respondet (quo Mense Plinius lib. 8. cap. 18. auctor est in Ægypto & in Syria ei vicina messem peragi) messe confecta celebrari consuevit summo cum gaudio, & epulis, cum panes novis e frugibus pro gratiarum actione Deo offerrentur, de quo vide Deut. 16. Num. 28. Levit. 23. Exod. 34. Præterea ex Dei instituto atque jussu messe vindemiaque peracta, omnibus jam terræ fructibus conditis, a die decimo quinto mensis Thisri, (qui Septembri vel Octobri nostro respondet, a *Thirosch*, hoc est, *musto* dictus, quod in illo vindemia fieret) Judæi per septem continuos dies simul feriari, summaque cum lætitia convivari consueverunt: quæ quidem *Tabernaculorum festivitas* dicta fuit. Levit. 23. Deut. 16.

Judæorum convivia in festo Pentecostes & Tabernaculorum.

Plutarchus quoque Sympos. 4. Probl. 5. in quo disputat de Judæorum abstinentia a carne suilla, festivitatis hujusce Tabernaculorum luculentam mentionem facit, illamque τελεθερικῇ πανελεία hoc est *festo illo triennali*, quod in Bacchi honorem olim agitabatur, comparans, inde probare conatur, Judæos Bacchi sacris initiatos ejusque cultores esse. Operæpretium itaque fuerit illam Plutarchi descriptionem hujusce festi cum ea quæ in sacris literis continetur, conferre. Primò itaque festivitatem illam μεγίστην & τελειοτάτην, maximam & perfectissimam vocat, & quidem meritò. Nam festum illud Judæorum festivissimum sanè lætissimumque fuit, quod collectis jam repositisque omnibus terræ frugibus atque fructibus, summa cum lætitia gaudioque celebratum fuit. Quod *maximum* vocat, illud congruit cum eo quod Joan. 7. dies octavus & ultimus festi, qui fuit 22. mensis, *dies magnus* appellatur: qui etiam vocatur dies *Azarath*, id est, *retentionis*. *Perfectissimum* etiam ratione mensis septimi, in quo celebrabatur, dici potest: est enim numerus septenarius secundum sacros & prophanos auctores perfectissimus, perfectionis atque quietis symbolum. Quòd autem festum hoc Νηστείαν, hoc est, *jejunium* appellat, in eo, nisi sit mendum in ipsa voce, hallucinatus est. Non enim jejuniis, sed epulis lætissimis, quemadmodum ipsemet confitetur, in illo festo indulgebant. Verùm notandum est ejusdem mensis septimi, quo hoc festum celebrabatur die 15. diem tertium sacrum fuisse jejunio ob interitum Godoliæ strenui herois, unde *Zom Godoliah*, hoc est, *jejunium Godoliæ* fuit dies ille dictus. Atque hæc quidem Plutarcho erroris videtur fuisse caussa, ut quoniam eodem in mense festivissimo Deus forsan ad temperandam populi sui lætitiam jejunium die tertio interponi voluit, Plutarchus hoc ipsum festum, quod 15. ejusdem mensis die agitabatur, jejunium existimet fuisse appellatum. Idem tamen diem hujusce festi priorem σκηνὴν, id est, *Tabernaculum*, dicit fuisse appellatum, in quo propius ad veram hujusce festi appellationem accedit. Dictum enim est *Hag Hassuccoth*, hoc est, *festum tabernaculorum*, sive *tentoriorum*, eò quod septem dierum spatio sub tabernaculis degebant ad recolendam memoriam suæ peregrinationis in deserto horrido atque inculto, in quò 40. annis vitam egerunt sub tentoriis, & curâ protectionis divinæ. Levitici 23. cap. primùs dies festi & octavus *Sabbatum* appellatur.

Descriptio festi tabernaculorum ex Plutarcho.

Ratio porrò sive forma illius festi, quam Plutarchus proponit, cum sacris literis benè admodum congruit. Nam ἀκμάζοντι τρυγητῷ, id est, *fervente vindemia* (die nimirum 15. mensis septimi, qui ob vindemiam *Thisri* a *Tirosch*, hoc est, *musto* fuit appellatus) τραπέζας προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας, hoc est, *mensas proponunt plenas omnis generis frugum*. Sic enim in S. litteris legimus Judæos per 7. dies unà fuisse epulatos. Et sub σκηναῖς, id est, *tabernaculis* degunt ἐκ κλημάτων μάλιστα, καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις, hoc est, *ex palmitibus potissimùm, & hedera contextis*. Ex qua potissimum materia tabernacula illa, sive umbracula fuerint composita, non disertè exprimitur. Levit. 23. vers. 40. jubentur primò die (quem σκηνὴν Plutarchus vocat) sumere fructum arboris decoræ, (Hebræam vocem *Hadar* quæ aliâs *formosam* significat, *citrum* interpretantur) & spatulas sive frondes palmarum, & ramum arboris densæ sive perplexæ (Chald. *Hadaschim*, id est, *myrtos* exponit) & salices torrentis: sed non additur ad quem usum. Is tamen videtur colligi posse ex historia Nehemiæ cap. 8. v. 10. ubi ejusdem festi, & earundem ferè arborum, additis frondibus olivæ, fit mentio, & adjungitur, ut fiant sive conficiantur (scilicet ex commemoratarum arborum pulcherrimarum, & fragrantissimarum frondibus) tabernacula illa: de qua re plura vide apud I. Wolphium in Nehemiam. Judæi addunt ex his quatuor, hoc est, ex pomis citreis, frondibus palmarum, myrtis atque salicibus confectum fuisse fasciculum, quem manè 7. illis diebus gestarunt, nec cibum cuiquam sumere fuisse licitum, nisi priùs eum fasciculum portasset. Hoc congruit cum eo quod Plutarchus dicit fuisse apud Judæos festivitatem quandam, κρατηφορίαν & θυρσοφορίαν, in qua nimirum θύρσους gestantes templum ingrediebantur. Ab hac ergo fasciculorum gestatione festum illud κρασφορίαν & θυρσοφορίαν vocat. In priore membro videtur esse mendum, & pro κρατηφορία legendum κραδηφορία, ἀπὸ τῆς κράδης. Est autem κράδα sive, κράδη medicis ramus ficulnus, sive folliculus caprificorum, vel etiam Nicandro ficus, & summum ficorum germen, quod plantari consuevit. Quid si κισσοφορία legendum? Ergo Plutarchus hanc quoque fasciculorum, qui ex ramis arborum fuerunt contexti, gestationem exprimit. Vel forsan etiam quoniam hoc peculiare quoddam festum videtur fuisse a Tabernaculorum festo separatum, significat festum Palmarum, quod ejusdem mensis die octavo magna cum pompa fuit celebratum. Illud vocatum est ערבה חג *Hag Aaraba*, hoc est, festum palmarum, in quo sumebantur optimi ar-

borum fructus, quos *citra* vocabant, & spatulas palmarum, ad significandum quod Deus illos per desertum squallidum ad amœnam omnique delitiarum genere refertam terram deduxisset. Circumibant etiam septimo die septies altare portantes palmas, ad memoriam refricandam excisæ urbis Hierichuntis. Et hoc est quod Plutarchus dicit illos festo illo, manibus tenentes thyrsos seu fasciculos frondium, templum intrare fuisse solitos, quid autem ibi egerint, sibi non constare: verisimile tamen esse Baccho sacra fecisse. Dicit præterea hoc ipso in loco Judæos μικραῖς σάλπιγξι, ut Argivi in Dionysiis suis, usos fuisse ad Deum evocandum, & Levitas citharas pulsasse, quos sic vult dictos fuisse, quod ad λύσιον sive εὔιον, hoc est, *Bacchum* (qui sic cognominatus fuit) colendum homines cithararum clangore incitarent. Alludit hic Plutarchus cùm ad morem communem Levitarum & sacerdotum, qui tubarum clangore non ad Bacchi, ut ipse mentitur, sed ad veri Dei cultum atque sacra celebrandum, populum convocabant: tum ad festum illud tubarum, quod primo die mensis hujusce septimi factum fuit in memoriam liberationis Isaaci ab immolatione, ut Hebræi volunt. Festi hujus fit mentio Levit. 23. vers. 24. Num. 29. v. 1. ac זכרון תרועה *Sikron theruáh*, id est, monumentum clangoris vocatur.

Hæc Plutarchus de celebri illa Tabernaculorum festivitate scripsit, quorum quædam sacris literis congruunt, quædam non item. Quòd autem ex festo illo colligit, Judæos Bacchum coluisse, id primùm ignorantia rerum Judaicarum accidit. Credidit enim ipse sabbatum, quo festum illud celebrabant Judæi, a Græco Σαβάζειν deductum, quod significat *debacchari* & *tripudiare*. Nam Bacchus Σαβάσιος, vel Σασάζιος a Græcis dictus reperitur. Deinde videtur ideo potissimùm factum, quòd Judæi festo illo ad immoderatas epulationes compotationesque fuerunt abusi, atque ita speciosam sanè Plutarcho, & reliquis Ethnicis sui calumniandi ansam præbuerunt. Huc quoque facit, quod Sabbatum quoque illorum (unde Judæi a Martiali & aliis *Sabbatarii* fuerunt appellati) dicit non esse ἀπροσδιόνυσον, propterea quòd in illo se mutuò ad bibendum, & ebrietatem denique ad merum gustandum invitarunt. Augustin. Tract. 4. in Joan. *Judæi*, inquit, *serviliter observant diem Sabbati, ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius fœminæ eorum lanam facerent, quàm ut illo die in Neomeniis saltarent.* Hinc Sidonius lib. 1. epist. ad Agricolam, luxum Sabbatarium eleganter vocat *nimis profusum.* Quoniam illi Sabbato ad Dei cultum & honorem, ad rerum sacrarum meditationem, ad virium recreationem instituto (unde *Sabbatum quietis*, & *convocatio sancta* dicitur Levit. 23.) ad voluptates, ad gulam & ebrietatem, ad saltationes lascivas abusi sunt, inde Ethnici suspicati sunt illos Bacchum colere. Et ut de Judæis taceam, annon nos quoque Christiani hodie luxurioso illo nostro libidinosoque sacrorum dierum abusu non dico speciosam & probabilem, sed justam & idoneam gentibus, a religione Christiana alienissimis, similium suspicionum occasionem præbemus, ita ut nos non Deum, sed ventrem, Venerem, Bacchum atque Cererem colere existiment? Sed quoniam hîc in Sabbati mentionem incidi, observandum est poëtas Ethnicos Judæis superstitiosum quoque illius diei cultum carminibus suis exprobrasse: Juvenal. Satyr. 6.

Sabbata Judæorum plena luxuriæ.

Luxus Sabbatarius.

Superstitiosa sabbati observatio.

Observent ubi festa mero (nudo) *pede Sabbata reges.*

Hinc colligitur Judæos sacra sua pedibus nudis peregisse, quæ a Tertull. & Hier. *Nudipedalia* appellantur, id quod Josephi hist. de Cerenice regina lib. 2. belli Judaici, testatur. Idem poët. Sat. 14.

Quidam sortiti metuentem Sabbata patrem.
Et paulo pòst: *Sed pater* (Moyses) *in causa, cui septima quæque fuit lux*
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.

Jejunia Sabbataria.

Superstitiosam quietis, & otii observationem perstringit, unde Judæi Christum accusabant, quod in Sabbato cœcum sanasset. Nec verò operum omnium intermissione tantùm, sed etiam jejuniis superstitiosis Sabbata Judæos coluisse Martialis indicat, dum vocat *jejunia Sabbatariorum*, id est, Judæorum Sabbatum colentium. Jejunii hujus Tranquillus quoque meminit in Augusto: *Et rursus*, inquit, *ne Judæus quidem, mi Tiberî, tam diligenter Sabbati jejunium servat, quàm hodie ego servavi, qui in balneo demum post horam primam noctis duas bucceas manducavi, priusquam ungi inciperem.* Hujusce jejunii hanc Ethnici finxerunt causam. Moses enim Damascena patria antiqua repetita, montem Sinai occupavit, quò septem dierum jejunio per deserta Arabiæ cum populo suo fatigatus, cùm tandem venisset, septimum diem more gentis Sabbatum, id est, diem quietis appellatum, in omne ævum jejunio servavit, & quiete, quoniam illa dies famem eis erroremque finierat. Sic Justinus, Tacitus & alii veræ antiquitatis ignari tradiderunt: aliter Moyses & Josephus. Lact. Firm. lib. 4. cap. 16. scribit a Judæis iræ atque invidiæ plenis Christum accusari, quòd legem Dei per Mosem datam solveret, id est, quòd Sabbatis non vacaret operans salutem hominum, quod circumcisionem vacuefaceret, quòd abstinentiam suillæ carnis auferret. Pers. similiter Sat. 5. Sabbati luculentam mentionem facit his verbis:

Herodis venere dies (sabbata, & alia Judæorum festa) *unctaque fenestra,*
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Enneamyxon intelligit, id est, lucernam novem lychnorum, quam Judæi in fenestella sub lumina prima diei præcedentis sabbatum, in ipso limine domus ponebant, quam fenestram unctam vocat propter oleum, quod ex lucernis exsudabat: addit,

Portantes violas, rubrumque amplexa catinum,
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
Labra moves tacitus (dum oras) *recutitaque sabbata palles,*

Id est, veneraris, colis: perinde ac si diceret, Judaica sabbata. A Circumcisione enim dicti sunt Judæi *Recutiti.*

Hujus

Hujus Jejunii Strabo etiam meminit, dum ait, Pompejum M. Hierosolymam cepisse observato jejunii die, dum videlicet Judæi ab omni opere cessarent. Cur autem jejunium sabbati nominatur, cùm nefas esset Judæis sabbatis jejunare? (Nam R. Mose Ægyptius expressè testatur, vetitum fuisse Judæis sabbato jejunare, nec aliqua afflictione fuisse licitum indicere jejunium sabbato tradit, nisi uno casu tantummodo, cùm videlicet ab hostibus civitas esset obsessa, pœnamque ait fuisse statutam, ut, qui sabbato jejunaret, sequenti etiam die jejunare deberet: id quod & Judithæ exemplo confirmatum fuit, quæ omnibus diebus vitæ suæ jejunabat, præter sabbata & Neomenias, & festa domus Israël) de hoc, inquam, vide Cæsarem Baronium tomo ejus primo Annalium Ecclesiasticorum, in annum Christi 34. Tiberii autem Imp. 18. Eundem vide quæ de jejunio *Purim* scribat: de festo autem Tabernaculorum, quæ Tremellius in Joan. cap. 7. & Matth. 21. Vide etiam Crinit. lib. 3. cap. 15. de Sarabaytis sacerdotibus Ægyptiis maximis hypocritis, qui August. & Hieron. temporibus Hierosolymam proficiscentes, hoc festum sic celebrare fuerunt soliti. Huic festo simillima fuerunt Lacedæmoniorum Carnia, de quibus Athen. lib. 4. Demetrius Scepsius scripsit Carniorum festivitatem apud Carnia. Lacedæmonios, Μίμημα εἶναι στρατιωτικῆς ἀγωγῆς, hoc est, *militaris vitæ atque instituti similitudinem habere.* Τόποι enim, id est, loci novem numero erant (sic enim σκιάδες, id est, *umbracula* ab illis vocabantur) scenis simillimi: in quibus singulis viri novem cœnabant, quæ omnia ex mandato per præconem pronuntiabantur. Unaquæque autem scena habebat tres φρατρείας, celebrabaturque hoc Carneorum festum per novem dierum spatium.

Hinc Saturnaliorum illa festivitas apud Ethnicos suam videtur traxisse originem, cujus meminit & Julianus Saturnaliorum festivitas. Imperator, (quem merito Suidas παραβάτην καὶ ἀποστάτην, id est, *transfugam & apostatam* vocat) in libello illo suo, quem *Cæsares* inscripsit, in quo cunctos ante se Imperatores Sileni persona sugillans, Romulum fingit τὰ κρόνια ἄγοντα, saturnalia celebrantem, cùm Deos, tum Cæsares Romanos ad epulum illud subsaturnalitium vocasse. Nam Macrobius lib. 1. cap. 10. probat Philochori testimonio, *Cecropem primum Saturno & Opi, ceu frugum atque fructuum repertoribus, aram in Attica statuisse, eosque Deos pro Jove & Terra coluisse, instituisseque ut patresfamiliâs & frugibus & fructibus jam coactis, passim cum servis vescerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverant: delectari enim Deum honore servorum contemplatu laboris.* Hæc ille. Idem auctor Luc. Accii vers. de hac festivitate hujusmodi profert: lib. 1. cap. 7.

Maxima pars Grajûm Saturno, & maximæ Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Cumque diem celebrant per agros, urbesque ferè omnes
Exercent epulis læti, famulosque procurant
Quisque suos, nostrique itidem, & mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

His sementinas illas Romanorum ferias comparare possis, quarum meminit M. Varro de re rust. lib. 1. cap. 2. ubi & cœnæ fit mentio expressa. Et Stilo, *Num cœna comesa*, inquit, *venimus?* ut nos dicimus, nach dem man das gebrattens gibt?

Apud Germanos porrò multa sunt hodie rusticorum propria convivia, quorum exempla nonnulla subjiciam. Propria rusticorum convivia apud Germanos. Ut convivium post sementem factam fieri solitum, a nonnullis Saathasen / id est, *leporis satio*, appellatur. Sic convivium post papaveris sementem quibusdam in locis usitatum dicitur, Eyer in ancken / a cibo nimirum, qui in illo dari consuevit, is sunt ova frixa in butyro. Convivium post fœnisectionem a nonnullis Kräyhanen / id est, *Gallicinium*, appellatur. Convivium item absoluta messe tritici & avenæ summa cum lætitia ab agricolis agitari solitum, (cujus exempla tibi Ruthæ historiola suppeditat) a nonnullis Sichellöse / hoc est, *falcium solutio*: ab aliis Sichellege / id est, *falcium depositio*: a quibusdam Schnitthanen / hoc est, *galli messis sive sectio*, ab aliis Kräyhanen / hoc est, *gallicinium*, appellatur, & a Gallis *Ripaille*. Hujusmodi autem festivitati atque epulis similis fuit illa Pentecostes festivitas Judæis usitata, de qua paulò antea. Huc quoque referenda sunt antiqua illa rusticorum apud Romanos festa, Compitalia dicta, in quibus rustici, finitis sationibus, in compitis suspensis ibi aratris magna cum animorum relaxatione, sacrificia atque convivia ganeata, & opipara in deorum larium honorem agitare solebant, de quibus sic Persius Satyr. 4.

Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit,
Id est, suspendit, *Seriolæ veteris metuens deradere limum,*
Ingemit, hoc bene sit: tunicatum cum sale mordens
Cæpe, & farratam pueris plaudentibus ollam.

Ventidii avaritiam perstringit. De sacrificiis atque conviviis, & ante messem, maturis jam segetibus, & peracta messe a Borussis, Lituanis & Rutenis celebrari consuetis, vide Jo. Meletii epistolam ad Georg. Sabinum *de religione & sacrificiis Veterum Borussorum.* Aristophanis interpres scribit, rusticos in Attica τὴν προηρόσιον θυσίαν, id est, *sacrificium ante arationem, & sationem*, mense Pyanepsione, (quem Plutarchus πόθεμον μηνα vocat, & qui Novembri respondit) immolare fuisse solitos.

Convivia præterea vindemialia summa cum hilaritate, imò ut verius dicam, cum lascivia in uvarum collectione agitantur. Nam pueri atque puellæ uvas legentes, qui vindemiatores olim dicti sunt, post prandium quod ferè pulmento quodam constat confecto ex millio, ludere inter se ac lascivire solent, puerique puellarum mammas denudare conantur: qui sanè lusus a Christiana castitate pietateque alienissimus vulgò den

Hirßdöuwen / hoc eſt, *milium concoquere*, nominatur. Galli epulas vindemiales vocant, *Les choux de vendange*, id eſt, *olera vindemiæ.*

Abſoluta autem uvarum calcatione & expreſſione, totaque vindemia confecta, lætiſſimum convivium fieri conſuevit, quod vulgò Drummen / a nonnullis etiam Herſtbad / id eſt, *balneum vindemiale*, vocatur. Hujusmodi convivii vindemialis exemplum in ſacris quoque literis habemus Jud. 9. cap. Sichemitæ enim dicuntur collegiſſe uvas in vindemiis ſuis atque calcaſſe, & indulſiſſe lætitiæ, ingreſſique domum Dei ſui (is fuit Baal) comediſſe, bibiſſe, regemque Abimelechum convitiis proſcidiſſe. Chald. Paraph. hîc chorearum quoque mentionem facit, quæ convivii laſcivi ſolent eſſe comites. Utebantur autem antiquitus, ut hodie quoque fit, magna licentia atque laſcivia in vindemiis, ex qua quidem conſuetudine tragœdiæ atque comœdiæ apud Græcos natæ creduntur: Bacchus quoque cum victor ex India rediiſſet, populus in illius honorem choreas ad torcularia duxiſſe fertur. Athen. lib. 2. Ἀπὸ μέθης καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις, ἐν ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη. καὶ κατ᾽ αὐτὸν τῆς τρύγης καιρόν. ἀφ᾽ οὗ καὶ τρυγῳδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη ἡ κωμῳδία, id eſt, *Ab ebrietate comœdia atque tragœdia inventa in Icario urbe Atticæ, idque ipſius vindemiæ tempore, unde etiam Trygœdia ab initio fuit appellata.* Arnobius quoque lib. 7. teſtatur vindemiatores, & qui torcularibus vinum expreſſerant, finita vindemia & vini expreſſione, Æſculapio diem feſtum egiſſe, in quo nova vina guſtabant, (ut

Aeſculapii vindemia. apud nos in Martinalibus fieri ſolet) quod feſtum ab illo *Æſculapii vindemia* appellatur. Hæc enim illius ſunt verba: *Æſculapii geritur celebraturque vindemia. Colunt enim Dii vineas, & ab ſuaſionibus contracti vindemiatores exprimunt vinum. Qualis autem olim Ethnicorum, talis hodie Chriſtianorum quoque in vindemiis ſolet eſſe petulantia atque laſcivia, qua quidem Deus ad graviſſimam juſtiſſimamque iram atque vindictam provocatur. Non itaque mirum nobis videri debet, ſi vindemiæ nobis ſæpe vel nullæ prorſus ſint, vel admodum miſeræ & infelices, cum nos ingratiſſimi erga Deum, non modò illi debitas meritasque pro acceptis beneficiis gratias non agamus, verùm etiam per ſummum nefas atque contumeliam, ſacroſanctum illius numen effrænata noſtra laſcivia petulantiaque violemus.*

Epulæ poſt triturationem. Jam verò poſt triturationem quoque epulæ nonnullis in locis apud ruſticos agitantur, quæ vernacula lingua Pflegelhencke / hoc eſt, *flagellorum*, quibus triticum excutitur, *ſuſpenſio*: ſive Pflegellege / id eſt, *flagellorum depoſitio*, vel denique Pflegelrecke / id eſt, *flagellorum requies*, a nonnullis appellantur. Hujuſmodi autem omnibus conviviorum generibus, quæ finita meſſe, vindemia, collectis reconditiſque frugibus ab agricolis agitantur, reſpondent illæ Tabernaculorum feſtivitates atque epulationes, de quibus ſuprà dictum eſt. Sed præter hæc a me commemorata epularum ruſticarum genera, plura ſunt alia ſingulis pagis peculiaria. Sic, exempli gratia, convivii quoddam genus Grünauff appellatum, quibuſdam in pagis die proxima ante Chriſti natalem celebratur. Mulieres per totam noctem fila ducentes, media nocte panem butyro frixum comedunt. Sic quibuſdam in locis vere ineunte ruſtici unà epulantur, farcimen quoddam, quod tota hyeme de fumario dependit, comedentes, quod idcirco, ut & ipſas epulas, Inhenckel appellant. Eſt quoque apud ruſticos nonnullos convivii admodum inhoneſti genus, quod Schebetan/ & quidem rectè a *ſcabendo* dicitur. Ut cum quis ære alieno obſtrictus, cui non ſit ſolvendo, & ita per amicitiæ ſpeciem juſto majora a convivis ſymbola exigit, ut lucrum faciat. Verùm infinitum eſſet omnia hujuſmodi ruſticorum convivia perſequi. *Illud profectò ſummoperè eſt dolendum, non modò in urbibus, in quibus*, ut eleganter admodum ſciteque Cicero in Orat. pro

Ruſticorum luxuria. Roſcio inquit, *luxuries creatur, ex qua deinde avaritia exiſtit, & ex avaritia erumpit audacia, indeque omnia ſcelera atque flagitia gignuntur: verùm etiam in agris, in vita ruſtica & agreſti, quæ*, ut idem inquit, *parſimoniæ, juſtitiæque quondam magiſtra extitit, immoderatam hujuſmodi conviviorum frequentiam atque luxuriam graſſari.* Et quidnam quæſo a Chriſtianorum hominum munere atque officio magis abhorret, quàm quòd eo ipſo tempore, quo perceptis nimirum jam repoſitiſque fructibus Deo, ceu munifico illorum datori gratias agere debebant, illumque precari, ut illis benè feliciterque frui poſſent, illi contrà omni luxuriæ, laſciviæ, petulantiæque genere Deum graviſſime offendunt? Nec tamen hæc mea verba ita accipi velim, quaſi omnia hujuſmodi ruſticorum convivia, poſt exantlatos labores animi relaxandi recreandique cauſſa fieri ſolita, damnanda exiſtimem. Nam ipſe quoque Deus, qui nihil mali præcipit, voluit populum ſuum collectis de area & torculari fructibus, per ſeptem dies lætitia epuliſque mutuis indulgere, nec liberos ſolùm atque cives, verùm etiam ſervos, ancillas, peregrinos, ipſos adhæc Levitas, pupillos atque viduas voluit lætitiæ illius epularumque eſſe participes: eôdem quoque pertinet Pentecoſtes feſtivitas, de qua ſuprà. Hinc colligimus, hodie quoque agricolis, poſtquam magnis perfuncti ſunt laboribus, licitum eſſe conviviis ſeſe mutuò recreare atque exhilarare, modò abſit luxus, luxuria, dictorum factorumque petulantia, quæ hodie plerunque cum illis ſuprà commemoratis conviviorum ruſticorum generibus ſunt conjuncta.

Ruſticorum victus antiquus. At ut nunc in univerſum de ruſticorum victu quædam dicam, is olim facilis, ſimplex, tenuis atque frugalis fuit, quem nimirum ipſa terra, φερέβιος & ζείδωρος a poëtis ideò appellata, proferebat. Unde Heſiodus lib. 1. Opere & dierum, inquit,

----- Καρπὸν δ᾽ ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον· οἱ δ᾽ ἐθελημοὶ,
Ησυχοι, ἔργα νέμοντο σὺν ἐσθλοῖσι πολέεσσιν.

Huc facit illud Virgilii lib. 2. Georgicorum:

O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint,
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis

Fundit

Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Atque hujusmodi quidem victu olim Romanorum nobilissimi quique proceres atque principes fuerunt contenti. Unde Juvenalis Satyr. 11. qui in suorum temporum luxuriam gravissimè, invehitur, postquam fercula quædam enumeravit, *nullis*, ut ipse loquitur, *ornata macellis*, ut sunt hœdus, asparagi, ova, uvæ, pyra, poma; subjungit,

Hæc olim nostri jam luxuriosa senatus
Cœna fuit. Curius parvo quæ legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat holuscula, quæ nunc
Squallidus in magna fastidit compede fossor,
Qui meminit calidæ sapiat quid vulva popinæ.
Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis, titulo ter consulis atque
Castrorum imperiis, & dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem, &c.

Hæc Juvenalis de prisca Romanorum frugalitate, inter quos fortissimi, ac virtutibus rebusque gestis clarissimi quique, ut rei rusticæ maximè fuerunt dediti, ita rusticano quoque, hoc est, tenui duroque victu optimè fuerunt contenti. Illis itaque temporibus Respub. Romanorum opibus atque divitiis magis magisque aucta & amplificata fuit, quæ simul atque in illam immigravit luxuria, paulatim in deterius labi, imminui atque deformari cœpit, donec tandem omnino interiit. Hodie inter Christianos, id quod vehementer est dolendum, rusticani homines urbanis conviviorum luxuria nihilo sunt inferiores, unde multarum locupletissimarum familiarum ruinæ atque naufragia consequuntur, id quod experientia quotidiana satis superque testatur. Atque hæc quidem sint dicta de rusticorum cùm solennibus & festivis conviviis, tum quotidiana victus ratione; quæ quidem a prisca illa majorum nostrorum parsimonia atque frugalitate longissimè recessit. Ac omnino hic finis esto dicendi de variis conviviorum generibus secundum varia vitæ genera atque munera, quorum alia quidem sacra, alia prophana: alia pacifica, alia militaria: alia liberalia, alia illiberalia & sordida: alia urbana, alia rustica esse diximus, unde totidem quoque conviviorum genera, & antiquitus & hodie usitata, existunt.

Anacephalæosis eorum, quæ dicta sunt de variis conviviis secundum varia vitæ genera.

CAPUT XXIV.

QVARTVS VITAE HVMANAE ACTVS EST MATRIMONIVM: DE CONVIVIIS MATRIMONIALIBVS, QVAE VEL ANTE NVPTIAS, VEL IN IPSIS NVPTIIS, VEL POST NVPTIAS AGITANTVR.

Sequitur nunc quartus vitæ humanæ actus, Matrimonium nimirum sive connubium, (quo, ut inquit Plato lib. 5. de Leg. maxima fit humanæ vitæ mutatio) quod ut nostro sæculo, ita omnibus ferè temporibus, & apud omnes gentes plurimis cæremoniis, sacrificiis, ludis, spectaculis, epithalamiis, tripudiis, magnificentissimis denique splendidissimisque conviviis celebratum fuit. Ex quo sanè apparet, connubium justum præsertim atque legitimum in maximo semper apud omnes ferè gentes pretio atque honore extitisse. Hujusmodi porrò matrimonialia sive connubialia convivia, quæ ab Hebræis משתה התנות *Mishhe Hathonoth* appellantur, omnium ferè sæculorum gentiumque consuetudine usitata, non incommodè trifariam mihi videntur dividi posse, quorum alia quidem ante nuptias: alia verò in ipsis nuptiis: alia post nuptias fiunt.

Sponsalitia, sive convivia ante nuptias Judæorum.

Convivia ante nuptias, *sponsalitia* dicuntur, quæ tempore sponsaliorum, quibus mutua futurarum nuptiarum fit repromissio, aguntur. Sponsalia ab Hebræis & קדושים *Kiddushim*, appellantur a sanctitate & castitate, & החפה *Hachuppah*: ipsæ nuptiæ, חפה *Chippah*, nimirum a חפה *Chaphah*, quod *operire* sive *tegere* significat, a quo nomen חפה *Chuppah*, *operimentum*, *tectio*: item, *cubiculum*, in quo se sponsus cum sponsa abscondit, Νύμφων Græcè propterea quòd sponsæ erant velatæ: unde etiam *Nuptæ* sunt dictæ a *nubendo*, quod *tegere* significat. Hujusmodi convivium fuit illud Gen. 24. quod in Nahor urbe Aram Neharaim, hoc est, *Mesopotamiæ* sive *Syriæ Interamnis*, in ædibus Bethuëlis celebratum fuit, postquam nimirum Bethuël Rebeccam filiam suam Isaaco Abrahami filio, ambiente stipulanteque Abrahami servo, despondit. Nam cum ante sponsionem Abrahami servus pro egregia sua erga dominum fide, cibum sibi oblatum capere noluisset, peracta sponsione & dona atque munera pretiosa, ut vasa aurea & argentea, atque vestes Rebeccæ (quæ quidem a Græcis προγάμια, a Latinis jurisconsultis *sponsalitiæ largitiones* appellantur) necnon fratri ejus atque matri domini sui nomine

mine dediſſe, ipſique omnes unà cibum potumque ſumpſiſſe leguntur. Hujuſmodi ſponſaliorum meminit & Matthæus cap. I. inquiens: *Cum deſponſata eſſet Maria Joſepho, inventa eſt uterum ferre ex ſpiritu ſancto:* ubi ex more Hebræorum loquitur Euangeliſta: qui deſponſatas Virgines non ſtatim ad viros ſuos ducebant, ſed inter ſponſalia & nuptias tempus aliquod intercedere volebant, quo ſponſa a parentibus ſuis domi cuſtodiebatur, cujus moris ſive inſtituti rationes duæ afferri poſſunt. Prima, ut in gente zelotypa, & in qua uxores vulgo inhumaniùs tractatas fuiſſe, divortiorum licentia, quam illis ob cordis duritiem conceſſam fuiſſe Chriſtus Matthæi decimo nono teſtatur, abunde docet, virginitatis ſigna obſervari poſſent, quæ poſtea, ſi quam calumniam maritus moveret, in judicum conſeſſu proferrentur: qua de re Moſes ſcribit in Deuteronomio capite vigeſimo ſecundo. Altera, honeſtas publica, cujus curam decet eſſe præcipuam inter eos, qui Dei populus ſive peculium cenſeri volunt. Nec enim par eſt, ut, qui homines ſunt ratione præditi, brutorum inſtar in libidinem ruant, perinde ac ſi non alius ipſis ſit conjugii finis propoſitus, quàm ut illi ſatisfaciant, cujus non immerito pudet omnes, qui ſerio virtutis ſtudio tenentur. Apud gentes prophanas ferè hunc morem receptum fuiſſe, ex Comœdiis apparet, ut eadem hora vel eodem die conjugium promitteretur, & ſponſa deduceretur non ſine carminibus laſcivis, & verſibus obſcœnis, quos *Feſceninos* dicebant. Id verò in ſuo populo Deus fieri Tob. 6.7.8. noluit, & quam mos iſte diſplicuerit piis & ſanctis viris, Tobiæ hiſtoria memorabili exemplo docet. Et dolendum eſt, hodie inter Chriſtianos homines in ſponſalibus & nuptiis ethnicam licentiam paſſim conſpici, quæ mihi non poſtrema cauſa eſſe videtur, ut conjugia ferè ſint inauſpicata. Cur enim benedictione ſua eos dignetur Deus, qui nihil minus quàm ipſum reſpiciunt, primum conjugii authorem? Simile exemplum extat in Tobiæ hiſtoria. Nam cum Raphaël angelus, & Tobias in Ecbatanis a Raguële humaniſſimè fuiſſent excepti, & epulæ illis liberales lautæque fuiſſent appoſitæ, Tobias nihil quicquam cibi potusve guſtare voluit, antequam Sara ſibi deſponderetur. Raguel itaque bene primùm precatus, ut felix fauſtumque eſſet hoc matrimonium, Saram filiam ſuam ad ſe vocavit: quæ cùm veniſſet, apprehenſa illius dextera, dextræ Tobiæ tradidit hac precatione uſus: *Deus Abrahami, & Deus Iſaaci, & Deus Jacobi vobiſcum ſit, & ipſe conjungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.* Poſtea advocata Edna uxore, accepto libello ſyngrapham conſcripſit, & conſignavit. Quibus peractis, unà epulari cœperunt benedicentes Deum: poſt epulum ipſa primùm Sara ſponſa in thalamum Raguëlis juſſu adornatum ab Edna matre, cum fauſta precatione, deinde Tobias quoque ſponſus ad illam introductus fuit.

Judæorum ritus in ſponſalibus.

Notandæ autem ſimul ſunt obiter in utriuſque matrimonii commemoratis exemplis cæremoniæ atque ritus a Judæis in ſponſalibus olim uſurpati. Ut quòd vel patres, vel ſervi pro filiis ac dominis ſuis, vel ipſi filii ſponſas ambierunt, quòd puellarum conſenſus quæſitus, quòd arrhæ, & munera quædam a ſponſo & ſponſa & fratribus ejus atque parentibus data, quòd patres apprehenſa utriuſque dextera, fauſtaque uſi precatione, illo matrimonio conjunxerunt, quòd ſyngraphæ matrimoniales confectæ, epulum celebratum, poſt illud ſponſæ primùm a matre eam conſolante, eique fauſta precante, deinde ſponſus in thalamum introducti fuerunt. Poſtremò quòd diſcedentibus patres bene fuerunt precati. Hujusmodi ritus a Chriſtianis quoque hodie ferè uſurpari, experientia quotidiana teſtatur. Verùm quoad ipſas epulas ſponſalitias, & Iſaaci & Tobiæ nomine celebratas, obſervatione dignum eſt, quod nulla in illis cantus, ſymphoniæ, tripudiorum epithalamiorum, geſtuum atque ludorum levium, ſed benedictionis, hoc eſt, gratiarum actionis, tantùm ſit mentio. Quod autem poſt epulas ſponſus atque ſponſa in thalamum fuerunt introducti, inde colligimus ex antiquo more & conſuetudine veſperi fuiſſe celebratas. Sequitur deinde nuptialis convivii deſcriptio: de quo ſuo loco.

Græcorum ſponſalitia. Προπλεια.

Græci ſimiliter habuerunt ſua προγάμια, qua voce cùm dona, quæ ante nuptias dabantur, tum ſacrificia atque convivia, quæ ante nuptias celebrabantur, ſignificantur, quod ſacrificii genus etiam προτέλεια, id eſt, *initiatio*, dictum eſt, teſte Polluce. Προτέλεια apud Pauſaniam, ἡ πρὸ τῶν γάμων θυσία, ἴσως τὰ λεγόμενα θεώρηθρα, inde etiam τέλειοι οἱ γεγαμηκότες, & τελειωθῆναι, τὸ γῆμαι. Euſtathius Ἰλιάδ. λ. Scaliger libro tertio poëtices. Poſt auſpicia ſacra faciebant, porcumque Junoni immolabant, quam τέλειαν fas erat nuncupare, ut & Jovem τέλειον, quod nonnulli minus ſanè bene interpretati ſunt *Jovem & Junonem adultam.* An quia non niſi adultis nubere, atque etiam uxorem ducere liceret? Alii τὸ προτελεῖν, quod verbum attribuit Pollux ſponſalibus ſacrificiis, *initiari* Latinè dixerunt. Τελεταὶ enim ſic dicebantur. Verùm haud ita eſt. Τέλος veteres ajunt idem fuiſſe, quod γάμος, propterea quòd humanæ vitæ perpetuatio nuptiarum merito perficeretur. Idcirco τέλειον nuptiale ſacrificium, & nuptiarum diem æquè dixerunt: atque etiam tum a nuptiis, cum ab earum numine idem ſacrificium ἡρατέλειαν, ut ait idem Pollux: προτέλεια vero ſacrificium pridianum: quam vocem etiam apud Lucianum habes, περὶ τῶν ἐν τῷ μισθῷ συνόντων. Erit igitur Ζεὺς τέλειος, Juppiter nuptialis. Cælius ipſas quoque nuptias vult τέλειον dici, & qui uxorem duxêre, protelos poſſe dici: addit enim προαύλια dici diem, qui nuptias præcedit, ut ἐπαύλια, dies, qui nuptias ſubſequitur. Scaliger libro 3. poët. *Nuptiarum dies legitimi erant tres. Primus a Græcis dicebatur προαύλια, non peſſimè a nobis Latinè, Deſponſalia: in eo enim deſpondebatur virgo. Alter dies appellabatur ἐπαύλια, in quo nuptiæ fiebant, Latinè potes Decubationem appellare. Sic enim erat in Legibus Flaminis Dialis; De lecto ſuo trinoctium ne decubato. In ſoceri namque ædes tranſibat ſponſus, ubi fiebant nuptiæ, qui eum illò deducebat, dicebatur Paranymphus: alii νυμφευτὴν, alii πάροχον vocant. Diem tertium ἐπαύλια, Latini repotia, in quo ſponſi affines de ſuo faciebant convivia.*

Apud Romanos quoque illa in uſu fuiſſe ſatis conſtat. Unde ſponſalia dicuntur, cum ipſa promiſſio ſive contractus ſtipulationis futurarum nuptiarum, tum convivia, quæ illis ex more Romanorum adhibebantur. Cicero ad Quintum fratrem: *Ad* VIII. *iduum Aprilis, ſponſalia Craſſipedi, cui convivio Quintus tuus defuit.* Idem ad Atticum: *Certos homines ad mulieres miſeram factis ſponſalibus.* Tertullianus quoque in libro de Idololatria,

lolatria, ut togæ puræ & nominalium, de quibus suprà: ita sponsalium quoque & nuptialium solennitatum, (e quibus Plautus *Candidatos* sponsos appellat) mentionem facit, & addit: *Neque annulus* (in sponsalibus scilicet dari solitus) *neque conjunctio maritalis de alicujus idoli honore descendit.* Eorundem exemplum illustre extat apud Plinium libro 9. cap. 35. *Lolliam Paulinam*, inquit, *quæ fuit Caji principis matrona, nec serio quidem, aut solenni cæremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidi smaragdis, margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus digitisque, quæ summa quadringenties H-S. colligebat, &c.* Adhæc sponsalia interpositis quoque sacrificiis contrahi solita fuisse, vel ex illo Festi dicto apparet, qui vult sponsum & sponsam dictam esse, *quòd* σπονδὰς *interpositis rebus divinis facerent.* Hujusmodi convivia sponsalitia apud Germanos quoque frequenti sunt in usu, quæ idcirco ab illis Heyratmaal appellantur. Ad illa, apud nos noctu potissimùm agitari solita, eodem die, quo sponsalia fuerunt contracta, proximi sponsi sponsæque agnati, cognati atque affines vocantur, qui nimirum ipsis sponsalibus interfuerunt, & viri quidem plerunque in sponsi ædibus, illiusque impensis: mulieres autem atque puellæ in sponsæ domo, illius similiter impensis, cibum potumque unà capiunt.

Jam verò quoad convivia, quæ in ipsis nuptiarum festivitatibus celebrantur, illorum plurima passim & in sacris, & in prophanis litteris extant exempla. Ac primo illa apud Hebræos in usu fuisse, exemplis quibusdam cùm veteris, tum novi Testamenti satis fit manifestum. Inter illa autem antiquissimum est, quod Labanus in nuptiis filiæ suæ Leah atque Iacobi, vocatis ad illud omnibus ejus loci viris, hoc est, vicinis, apparavit, post quod vesperi ipsum Labanum filiam suam ad Iacobum introduxisse legimus. Volunt nonnulli Iacobum ita sese vino nimio obruisse, ut Leam illi a Labano pro Rahaële suppositam non agnoverit, donec manè illuxit. Celebre quoque est illud Samsonis nuptiale convivium, quod ille in Thamnatha Palæsthinorum urbe, postquam Palæsthinam quandam in uxorem duxerat, ex more juvenum celebrasse legitur, quod quidem 7. diebus duravit, & in quo sociis suis, qui triginta fuisse dicuntur, ænigma quoddam obscurum sanè *(De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo)* proposuit, proposito ei, qui id intra 7. dies solvisset, triginta linteaminum, & totidem vestium mutatoriarum præmio. Præterea insigne quoque fuit illud Tobiæ nuptiale convivium, quod Raguël socer ejus adornasse scribitur. Nuptiæ illæ 14. diebus fuerunt celebratæ, jussitque Raguël uxori suæ, ut convivium instrueret, omniaque quæ iter facientibus ad victum essent necessaria præpararet. Duas itaque vaccas pingues, & quatuor arietes mactari, epulasque omnibus vicinis, & amicis suis parari curavit, quas, id quod observatione imitationeque est dignissimum, cum timore Domini agitatas fuisse sacræ litteræ testantur. Dies ergo nuptiarum Samsonis quidem septem: Tobiæ verò duplo plures, hoc est, quatuordecim fuerunt. Augu$t$. lib. 1. quæst. super Gen. 989. nuptias vult olim 7. dies durasse. Nonnulli verba illa Labani ad Iacobum: *Imple hebdomadam istam*: volunt esse intelligenda de 7. diebus, qui ex communi more nuptiarum celebritatibus fuerint destinati. Sed aliis (in qua sententia etiam fuit Mercerus, piæ memoriæ, ut ex ipsomet aliquot ante annis audivi) videtur illo in loco annorum potiùs numerus septenarius esse intelligendus. His addere libet convivium illud, quod Assuerus Rex, postquam Estheram, quam, Vasthi repudiata, uxorem duxerat, in palatium suum recepit, ejusque capiti regium diadema imposuit, omnibus principibus atque servis suis instruxisse, & pace omnibus suis provinciis concessa, magnifica pro regiis suis opibus dona atque munera dedisse legitur. Hoc tamen exemplum ad Persarum potiùs hac in re consuetudinem comprobandam facit. Potest etiam idem exemplum ad inaugurationis regiæ convivia referri, de quibus suprà. Celeberrimum porrò in sacris novi Testamenti litteris est illud, quod in Cana Galileæ celebratum fuit, cui Christus unà cum sanctissima sua matre atque discipulis interfuit, nec interfuit solùm, verùm etiam illud primo illo suo, & quidem insigni aquæ in vinum conversæ miraculo decoravit. Ad eandem verò nuptialium epularum consuetudinem, apud Iudæos usitatam, Christus quoque Lu. 14. alludit, cùm inquit: *Quum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias*, hoc est, ad nuptiale convivium, *ne accumbas primo loco*, &c. Sic Christus Matth. 22. *regnum cœlorum* dicit *simile esse regi, qui nuptias*, id est, nuptiale convivium, *filio suo apparavit, multos ad illud invitavit, inter quos cum sordidatus quidam nec nuptiali veste indutus, unà cum reliquis accubuisset, a ministris regis jussu, pedibus manibusque colligatus, in exteriores tenebras fletu dentiumque stridore funestas, exturbatus fuit.* Harum nuptiarum epulique nuptialis imagine Christus spirituales nuptias atque convivium adumbravit, de quo sic eleganter Theophylactus: γάμος πνευματικὸς ἡ πρὸς Χριστὸν συνάφεια καὶ ἑστίασις, τούτου ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀποτυγχάνουσιν οἱ ἄνθρωποι διὰ δύο. ἢ διὰ τὰς σωματικὰς ἡδονάς, ἢ διὰ τὸ τῆς φιλοκερδείας πάθος, hoc est, *Spirituales nuptiæ sunt conjunctio atque convivium cum Christo. Hoc plerunque homines duabus de causis frustrantur, vel ob corporeas voluptates, vel ob avaritiæ affectum.* Quoniam igitur nuptiarum, præsertim regiarum, nuptialiumque conviviorum maxima semper fuit, ut hodie quoque est, celebritas, pompa atque lætitia, mirum non est Christum regni cœlorum magnificentiam atque lætitiam illorum imagine expressisse. Idem alia quoque fecit parabola a decem virginibus ducta, quarum quinque prudentes spirituale illud fidei charitatisque oleum in cordibus suis, quasi in lampadibus gestantes, unà cum sponso ad nuptias ingressæ sunt: reliquæ verò quinque fatuæ, ejusdem olei expertes, exclusæ fuerunt. Apocalypseos quoque 19. cap. arctissima illa indissolubilisque Christi ceu sponsi, & Ecclesiæ ceu sponsæ conjunctio nuptialis festivitatis imagine exprimitur, ubi inter alia dicitur: Μακάριοι οἱ εἰς τὸ δεῖπνον (γαμικὸν) τοῦ ἀρνίου κεκλημένοι, id est, *beati, qui ad cœnam nuptialem agni sunt vocati.*

Convivia nuptialia Judæorum.

Apud Græcos similiter nuptiæ cum aliis cæremoniis, tum epulis splendidissimis celebratæ fuerunt, quarum innumera passim apud scriptores exempla reperiuntur, de quarum primò nominibus quædam dicam. Γάμος generalissimum nomen (quod nonnulli ἀπὸ τοῦ γάνυσθαι ἅμα, id est, *simul gaudere*: alii ἀπὸ τοῦ γονᾶν ἅμα,

Epulæ nuptiales Græcorum.

id

id eſt, *ſimul generare, dictum volunt*) cùm pro ipſo matrimonio, tum pro univerſa celebritate nuptiali: tùm denique pro convivio nuptiali, ceu præcipua illius celebritatis parte, μετωνυμικῶς ſæpe uſurpatur. Quoniam nuptiæ non modò conviviis, verumetiam ſacrificiis celebrari fuerint ſolitæ, hinc γάμοι ἄθυτοι & ἄγαμοι dicuntur nuptiæ, quibus non adhibetur res divina, teſte Suida. Θεογάμια dicebantur Proſerpinæ feſta, cum Plutoni nupſiſſet. Euſtath. Ὀδ. α. pag. 50. ubi pluribus diſſerit de vocibus ἐράνε, εἰλαπίνης, γάμον definit ὁμίλε συνέλευσιν ἐπὶ νυμφίων συναρμογῇ. Homerus: εἰλαπίνη, ἠὲ γάμος Ὀδ. α. Joan. 2. cap. γάμος ἐγένετο, Syriacè vertitur *Maſchtuta*, id eſt, *convivium*. Sic etiam Matth. 22. ὁ μὲν γάμος ἕτοιμός ἐστιν, id eſt, *cœna nuptialis*. Et ibidem γάμος משתותא *Maſchtuta*, id eſt, *convivium*, vertitur. Ibidem paulò pòſt: καὶ ἐπλήσθη ὁ γάμος ἀνακειμένων, Syriaca tranſlatio γάμον interpretatur, *domum convivii*. In octavo tamen exemplari pro γάμος legitur νυμφών, quod melius convenit. Hinc igitur γάμον ποιεῖσθαι, γάμες ἐπιτελεῖν, γάμες ἑστιᾶν Athenæo, δαινύναι γάμον Homero. Ὀδ. Δ. δαίνυσθαι ἐν γάμῳ, Ιλ. α. γάμες δαίειν Euripidi, ſicut & ὑμεναίες δαίειν, Athenæo & nuptias, & convivia nuptialia agitare ſignificat. In eadem ſignificatione vox quoque γαμηλίων uſurpatur. Gregorius Nazianzenus in oratione de Baptiſmo: Καὶ γὰρ ἔπρεπε χαρμόσυνα θέσθαι σωτηρίας τῆς ἡμετέρας, καὶ πολὺ μᾶλλον ἢ γαμήλια καὶ γενέθλια καὶ ὀνομαστήρια, τοῖς σαρκὸς φίλοις κηρύσσονται καὶ καλοιαίσια καὶ ἐτήσια, ὅσατε ἄλλα πανηγυρίζεσιν οἱ ἄνθρωποι, id eſt, *Etenim ob ſalutem noſtram lætari decebat, & longè magis quàm ob carnalium amicorum nuptialia aut natalia, aut nominalia, aut comæ primitias, domeſticalia & anniverſaria, aut ob quaſcunque alias feſtivitates, quæ ab hominibus celebrari ſolent.* Hinc γαμηλιῶν menſis ab Athenienſibus dictus eſt a ſtatis nuptialium dierum feſtivitatibus, quem volunt eſſe Januarium noſtrum. Et γαμήλιος ὁ εἰς τὲς γάμες προσφερόμενος πλακὲς, id eſt, *nuptialis placenta*, dicitur Heſychio, necnon Philetæto poëtæ apud Athen. lib. 7. Οὐδ᾽ ἐν νεκροῖσιν πέπτεται ὁ γαμήλιος, Euſtathio γαμηλιῶν dicitur: Ariſtoph. in Pace ἡ παῖς (ſponſam intelligit) λέλεται, καὶ ὁ πλακὲς πέπεπται, σησαμῆ ξυμπλάττεται. Scholiaſt. *Hæc dicit ſecundum morem nuptialem. Nam in nuptiis moris erat* σήσαμον *dare. Eſt autem* σήσαμος *ſive* σισάμη πλακὲς γαμικὸς ἀπὸ σησάμε (eſt frumenti ſpecies) πεποιημένος διὰ τὸ πολύγονον, *teſte Menandro.* His ſimiles videntur fuiſſe muſtacei, ſive muſtacea apud Romanos, de quibus infrà. Γαμηλία ἡ διδομένη τοῖς φράτορσιν ἐπὶ γάμοις, ἢ τῶν γυναικῶν ἡ εἰς τὲς φράτορας εἰσαγωγή. Sic Didymus Grammaticus: & hinc proverbium γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν, quando quis duxerat uxorem πρὶν γενέσθαι παῖδα, ἔτος μαρτυρέμενος περὶ τῆ γάμε κατὰ τὲς γάμες ἀπεδίδε τι τοῖς φράτορσιν εἰς λόγον εὐωχίας. Et hoc eſt, γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν. Hujus meminit Demoſthenes in Oratione ad Eubulidem: *nam pater meus quando uxorem duxit,* καὶ γαμηλίαν τοῖς φράτορσιν εἰσενήνοχε. Γαμηλία quoque ſportulæ nuptiales ſunt Demoſtheni. Dicuntur etiam ὑμέναιοι, unde ὑμεναίες δαίειν, id eſt, *convivia nuptialia celebrare.* Ab Athenæo quoque γάμων συμπόσια; a Plutarcho γαμικὰ δεῖπνα, γαμήλιος τράπεζα; item ἑστιάσεις φιλικαὶ & συγγενικαὶ appellantur. Libro 4. Symp. problem. 3. Ariſtoteles libro 4. de Moribus ad Nicom. βάναυσος, *inquit*, hoc eſt, *operarius, ſive inſolens in ſumptu faciendo,* λαμπρύνεται παρὰ μέλος οἷον ἐρανιστὰς γαμικῶς ἑστιῶν, id eſt, *præter decorum ſplendidus eſt, ut qui ſodales ſymbolum conferentes nuptiali ritu*, hoc eſt, ſplendidè & magnificè *excipit.* Hinc ergo colligimus nuptialia illa Græcorum convivia & magnifica fuiſſe, & ἀσύμβολα, unde & hoc in loco, & apud Homerum ἐράνῳ opponuntur. Apud Homerum nuptialium hujuſmodi conviviorum quibuſdam in locis fit mentio. Menelao nuptias celebrante ſponſus Megapenthes vinum propinat, ut obſervavit Athenæus lib. 1. cap. 11. Homerus Ὀδ. δ. ab initio:

Placenta nuptialis.

Τὸν δ᾽ εὗρον δαινύντα γάμον πολλοῖσιν ἔτησιν
Υἱέος ἠδὲ θυγατρὸς ἀμύμονος, ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

Paulo poſt,

Ὡς οἱ μὲν δαίνυντο καθ᾽ ὑψερεφὲς μέγα δῶμα
Γείτονες ἠδὲ ἔται Μενελάε κυδαλίμοιο
Τερπόμενοι. μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδὸς
Φορμίζων, δοιὼ δὲ κυβιστητῆρε κατ᾽ αὐτὲς
Μολπῆς ἐξάρχοντες ἐδίνευον κατὰ μέσσον.

Hinc colligimus epulas illas nuptiales invitatis ad illas vicinis, necnon ſponſi ſponſæque ſociis & æqualibus, qui Marc. 2. & Luc. 5. *filii thalami* a Chriſto appellantur: item Symplatores (cujuſmodi fuerunt triginta illi ſocii in Samſonis nuptiis, de quibus ſuprà) cum muſica atque ludis celebrari fuiſſe ſolitas. Similis convivii deſcriptio habetur Ιλ. ω. ferè ab initio, cui omnes Deos interfuiſſe, & in quo Apollinem citharam pulſaſſe, poëta fingit. Scaliger lib. 3. poët. *Parata ergo cœna nuptiali ex Hethruſca diſciplina porcum mactabant: qui etiam ad acuendam Venerem bulbos, pineos, nucleos, erucas, piper, præter cæteras epulas apponebant, ab Hethruria*, &c.

Carani Macedonis epulum nuptiale luxurioſiſſimum, cui tamen viginti tantum convivæ interfuerunt, qui omnes pretioſiſſimis donis fuerunt cumulati, pluribus deſcribit Athen. lib. 4. ſtatim ab initio. Eſt quoque ibidem alia deſcriptio nuptialis convivii, quod Cotys Rex Thraciæ luxurioſiſſimus in filiæ ſuæ nuptiis apparari curavit. Alexandri quoque nuptialium conviviorum, quæ quidem immaniſſimo cum ſumptu atque luxu celebrata fuerunt, amplam deſcriptionem habes apud eundem auctorem lib. 12.

Convivia nuptialia Romanorum.

Romanorum ſimiliter in nuptialibus conviviis ſummam olim magnificentiam ſeu luxuriam potiùs fuiſſe, paſſim prophani auctores teſtantur, ita ut exemplorum, quæ paſſim plurima occurrunt, commemoratione mihi ſuperſedendum exiſtimem. Varro lib. 5. c. 2. Apud Apulejum lib 6. cœnæ nuptialis, & quidem magnificæ hujuſmodi quædam extat deſcriptio: *Nec mora, cum cœna nuptialis affluens exhibetur, Accumbebat ſummum torum maritus, Pſychen gremio ſuo complexus: ſic & cum ſua Junone Juppiter, ac deinde per ordinem tori Dei.*

Dei. Tunc poculum nectaris, quod vinum deorum est, Jovi quidem suus pocillator ille rusticus puer (Ganymedes) *cæteris verò Liber ministrabat. Vulcanus cœnam coquebat. Horæ rosis, & cæteris floribus purpurabant* (purpureo colore nitentia reddebant) *omnia. Gratiæ spargebant balsama. Musæ quoque canora personabant.* In repotiis & nuptiis lex Julia sestertii millies insumi permittebat, sumptusque harum cœnarum fuit propagatus. Cœnarum nuptialium sumptus illa quoque Juvenalis arguunt Satyr. 6.

---- *Ducendi nulla videtur*
Causa, nec est quare cœnam, & mustacea perdas,
Labente officio, crudis donanda.

Mustacea, sive, ut Cato in re rustica in genere masculino protulit, *mustacei* fuerunt panes, sive placentæ delicatæ, quarum confectionem Cato describit. Eorundem & Palladius, & Caper Grammaticus meminerunt. Hæc, teste Juvenale, *labente officio*, id est, in fine nuptiarum, & cœnæ nuptialis donabantur convivis, adhuc discumbentibus. Nam *officium* dicitur sæpe nuptiarum celebritas apud auctores Latinos.

Apud Sudinos, Curonenses, Samogitas & Lituanos nuptiæ hoc more celebrantur. Sponsa ducitur ter circa focum. Deinde in sellam ibi collocatur: sedenti super sellam pedes lavantur. Ea verò aqua, qua sponsæ lavantur pedes, conspergitur lectus nuptialis ac tota suppellex domestica. Consperguntur item hospites, qui ad nuptias invitati sunt. Postea sponsæ os oblinitur melle, & oculi teguntur velamine, velatis oculis ipsa ducitur ad omnes ædium fores, quas jubetur contingere ac pulsare dextro pede. Ad singulas fores circumspergitur tritico, siligine, avena, hordeo, pisis, fabis & papavere. Qui enim sequitur sponsam, gestat saccum plenum omni frugum genere: cumque illam circumspergit, ait, *nihil horum defuturum sponsæ, si religionem rite coluerit, remque domesticam curaverit ea diligentia, qua debet.* His actis, aufertur sponsæ velamen ab oculis, & convivium celebratur. Hæc Jo. Meletius tradit in epistola ad Georg. Sabinum, *de religione & cæremoniis veterum Borussorum.* Celebratio nuptiarum apud quosdam Septentrionales.

Quoad celebrationem nuptiarum apud nos, ea hujusmodi ferè est, ut sequitur. Antequam eatur in templum, jentaculum sponsæ & invitatis apponitur, serta atque corollæ distribuuntur. Postea certo ordine viri primùm cum sponso, deinde puellæ atque mulieres cum sponsa in templum procedunt, finita concione fit matrimonii consecratio sive initiatio. Peracta re divina sponsa ad sponsi domum deducitur, indeque panis projicitur, qui a pueris certatim rapitur. Paulò post prandetur, prandium sequitur merenda sive vesperna, quæ vulgò Schencke / id est, *donatio*, dicitur, propterea quòd in honorem novorum conjugum atque peregrinorum, qui ad nuptias venerunt, a civibus publicè agitatur. Hanc sequitur cœnam comessatio, quas epulas omnes tripudia atque saltationes comitantur. Postremò sponsa abrepta ex saltatione subitò, atque sponsus in thalamum deducuntur. Hæc porrò ipsa convivia modò in sponsi ædibus privatis, modò in publicis tribuum ædibus, vel etiam in diversoriis agitantur. Adhæc modò sunt symbolica, in quibus sua quisque confert symbola, unde Urtenhochzeyt / hoc est, *symbolicæ nuptiæ*, vulgò appellantur, (Galli vocant *les nopces contees*) quæ ferè in diversoriis fiunt: modò nullum quidem certum symbolum datur, sed statim a prandio singuli, qui sunt invitati, pro facultate vel etiam liberalitate sua novis conjugibus nuptialia dona atque munuscula, apud Lesbios ἀθρήματα dicta, largiuntur, quæ inde Gaabete hochzeyt / a donorum nimirum collatione vocantur. Convivarum denique numerus modò certis definitus est legibus, modò liber relinquitur. Apud Judæos ad nuptiales epulas tot licet invitare, quot aliquis vult, ita tamen ut decem ad minimum illis intersint. Nam aliàs non possent hac precationis formula in nuptialibus conviviis uti, נברך אלהינו *Nebarek Elohenu, &c.* His omnibus adde & illam cœnam, quæ pridie nuptiarum peregrè advenientibus apponitur. & illam quæ (Hesychio ἔδνα, dicta, ἡ ἀπὸ τῶν ἔδνων ἐδηλὺς, quæ acceptis muneribus sponsalibus paretur) post nuptiarum dies (qui duo ferè sunt) in peregrinorum similiter honorem publicè ab omnibus civibus agitantur, quæ & ipsa Schencken, hoc est, *donativa*, sive *honoraria convivia* appellantur: cujusmodi ferè illa Regum Persarum convivia fuerunt, quibus cùm uxorem ducerent, vel natalem suum celebrarent, Persas strenis ac muneribus donare fuerunt soliti: cujus generis nuptiales strenæ illæ fuerunt, quarum fit mentio Esth. 2. *Et Rex magnum convivium fecit principibus suis & servis suis, convivium, inquam, Estheræ, & immunitates provinciis largitus est, & munera pro copia regia dedit* Verba clara. Quod ait, *Fecit convivium*, valet, cœnam nuptialem & convivium Estheræ. Hoc enim modo apud Syrum N. Testamenti vox Hebraica accipitur. Atque hæc observat Drusius. Ritus atque epulæ nuptiales Tigurinorum.

Convivia deinde post nuptias ut hodie, ita olim quoque admodum fuerunt usitata. Hujusmodi videntur fuisse illa Græcorum γάμβελα, quæ alii dona, alii convivia a genero dari solita interpretantur, Hesychius δεῖπνα exponit. Item ἀνακαλυπτήρια, *Anacalypteria*, dies fuit festus post nuptias, cùm sponsa revelabatur, ut ab omnibus conspiceretur. Eodem quoque die viri domestici atque amici sponsæ munera contribuebant, quæ quidem & ipsa a Philostrato ἀνακαλυπτήρια vocantur ἀπὸ τοῦ ἀνακαλύπτειν, id est, *revelare*, eò quòd sponsa tunc primùm retecta facie se visendam præberet. Scaliger: *Ad lectum*, inquit, *genialem*, (*qui a Græcis* παρέβυσος *dictus fuit, quòd velo esset obtectus*) *sponsa perducta a sponso detegebatur, ablato velo, quo illius caput atque faciem operiri solebat, quod a Græcis* ἑανὸς & καλύπτρα, *a Latinis Flammeum fuit appellatum, propterea quòd lutei coloris esset.* A sponso etiam detectionis causa dona accipiebat, sicut hodie pro ablata virginitate ea, quæ vernaculè morgen gaaben appellamus. Inde autem ἀνακαλυπτήρια a detectione, & quia tunc ab eo quasi primùm videretur, ὀπτήρια quoque: & quòd cum alloqueretur, προσφθεγκτήρια dicta sunt. Nam sanè ὀπτήρια apud Callimachum dona sunt affinium & parentum, cum primùm vident infantes: sicuti μαίωτρα, quæ darentur obstetricibus, & σῶστρα servatoribus, & λύτρα sive ἄποινα servatoribus, & δί- Convivia post nuptias. Ἀνακαλυπτήρια. Προσφθεγκτήρια.

διδάσκαλοις præceptoribus. *Hinc ſunt qui Pindarum putent*, inquit Cælius libro vigeſimo primo, capite vigeſimo ſexto, *Agrigentum ideo in Olympiis nuncupaſſe ſacrum, quòd olim eſſet Proſerpinæ contributum ab Jove* εἰς τὰ ἀνακαλυπτήρια. *Nam & in Timoleone Plutarchus ſcribit, eſſe Proſerpinæ ſacram Siciliam,* ἣ ἐν τοῖς γάμοις ἀνακαλυπτήριον αὐτῇ δοθῆναι, *id quod ſexto Bibliotheces opinor indicaſſe Diodorum, etiamſi aliud præfert Latina tranſlatio.* Hæc Cælius. Idem libro 28. cap. 18. dona illa ab aliis θεώρετρα vult dici. Idem quoque alio in loco ex Suida Græcorum morem fuiſſe dicit, ut poſtriduano nuptiarum die ſponſæ pater pompæ cujuſdam imagine quadam, ſponſo atque ſponſæ proferret munera egregia, quæ illi nuncupabant δῶρα ἐπαύλια, id eſt, *dona epaulia*, quòd in ſponſi aulam tum primùm divertiſſet ſponſa. Puer præibat veſte indutus candida, & lampadem geſtans accenſam: poſt hunc κανηφόρος puella caniſtrum gerens. Hanc deinceps ſequebantur aliæ, quæ dona illa portabant. Illa autem erant plerunque aurea, pelves, veſtes, ſmegmata, pectines, alabaſtri, ſandalia, thecæ, myraliptra. Pollux τὰ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς διδόμενα δῶρα, id eſt, *dona quæ a marito dantur*, vult & ἕδνα & ὀπτήρια & ἀνακαλυπτήρια dici: & addit, *Non ille ſolùm dies quo ſponſa retegitur, verùm etiam dona, quæ illo die conferuntur, ſic appellantur. Anacalypteria* autem etiam προσφθεγκτήρια nominari idem teſtatur. Ἀνακαλυπτήριον (inquit Heſychius) ὅτε τὴν νύμφην πρῶτον ἐξάγουσι τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, id eſt, *quando primum ſponſam educunt, id quod fit tertio die.* At ἀνακαλυπτήρια plurali numero, dona quæ dantur ſponſæ a marito, & a propinquis & amicis, quando primùm retecta, in virorum conſpectum prodit. Sunt qui *epaulia* diem ipſum poſt nuptias ſecundum appellari opinentur, in quo ſponſo primum ἐπαυλίζεται ἡ νύμφη. Idem Cælius lib. 28. cap. 24. *Qui* (inquit) *anteit nuptias dies, proaulia, qui ſubſequitur, epaulia vocatur. Sunt quibus placeat oblata ſponſæ dona dici epaulia.*

Repotia. Apud nos quoque dona atque munera poſt nuptias novis conjugibus a parentibus, neceſſariis & amicis conferuntur, quæ Hanßſteüren vulgò appellantur, illis Græcorum *anacalypteriis*, *hednis*, *opteriis*, *theoretris* & *epauliis* meo judicio non diſſimilia.

Apud Romanos *Repotia*, teſte Feſto, dicebatur *dies poſtremus a nuptiis, quo ad novum maritum cœnabatur, quia quaſi reficiebatur*, hoc eſt, *reparabatur potatio.* Ad hujusmodi convivii genus alludit Horatius hoc carmine Satyr. lib. 2.

Ille repotia, natales aliosve dierum
Feſtos albatus celebret, &c.

Repotia a Græcis ποδοστροφία dicitur, de quo utroque vocabulo animadverſione digna ſunt, quæ Cujacius Juriſconſultus doctiſſimus in ſuis Obſervationum Commentariis annotavit lib. 16. cap. 39. Ἀλληλοκληρονομία, *eſt conventio mutuæ ſucceſſionis, quæ legibus reprobatur*: & paulo pòſt, *Mirum eſt autem hanc* ἀλληλοκληρονομίαν, *viri & uxoris, quod Suidas ſcribit, Latinè appellari* ῥεδζωρίαν. *Hæc enim ſunt verba Suidæ*: ῥεδζωρία παρὰ ῥωμαίοις ἡ μετὰ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἀλληλοκληρονομία. *Sed ut ſolent Græci Latina quæcunque efferre depravate, ita Suidam illo loco depravato nomine arbitror ſignificaſſe Repotia, quæ poſt dies nuptiarum agitabant inter ſe vir & uxor unà cum adfinibus, quaſi reficientes compotationem, & inde nomen Græci id deducebant a pedibus, & repotia vel repedia dici arbitrabantur, quaſi repedationes, ideoque Acroni & gloſſis repotia eſt* ποδοστροφία, *id eſt, repedatio, &* ἐπίποδα *ſcilicet* ἀναστροφή, *eodem errore quo iiſdem profectitia dicitur* ἀποδημητική, *quaſi a profectione, id eſt, peregrinatione & adventitia* παραγινομένη, *quaſi ab adventu & præſentia perſonæ. Invenio & in iiſdem gloſſis, eodem ferè errore, quo apud Suidam, ſcriptum, Reoria* ἡ τρίτη τῶν ἀγάμων ποδοστροφία, *pro, Repotia* ἡ τρίτη τῶν γάμων ποδοστροφία. *Et ex his jam, ut arbitror, liquet apud Suidam pro* ἀλληλοκληρονομίᾳ *eſſe reponendum* ἀλληλοκλητήρια, *quo nomine ſignificantur mutuæ invitationes ad convivia, & convivia ipſa, ut apud Cedrenum in Leone Baſilii F.* τὰ κατὰ τύπον ἐκτελεῖν κλητήρια· *& in Juſtiniano,* τὰ ἐξ ἔτους κλητήρια *ſit legendum. Nam & Anaſtaſius, prandia quæ ex more fiunt interpretatur, & ita Acro, quem manuſcriptum habeo. Repotia dicuntur dies, qui ſequuntur nuptias, quoniam mutuis conviviis ſe frequenter invitant, quæ Græcè* ποδοστροφία, *aut mutuæ invitationes.* Hæc ille. De voce *Repotia* in alia ſignificatione, ſuprà quoque ex Turnebo dictum eſt.

Ποδοστροφία.

Ut autem olim apud Græcos & Romanos, ſic apud nos quoque convivia quædam poſt nuptias celebrantur, quæ duplicis ſunt generis. Alia quæ poſtridie ejus diei, quo nuptiæ fuerunt celebratæ, agitantur, quæ Nachhochzeyt / id eſt, *poſtnuptiæ*, ſive *poſtnuptialia* vernaculo ſermone appellantur, ad quæ pauciores, nimirum proximi novorum conjugum agnati, cognati atque propinqui plerunque invitantur. Alia deinde ſunt, quibus ſponſi primùm, deinde etiam ſponſæ conſanguinei atque affines proximi novos conjuges, ſeque mutuò excipere ſolent, quæ quidem vernacula noſtra lingua Brautmäler / id eſt, *ſponſæ convivia*, appellantur. Videntur illa in novorum conjugum & affinium gratiam & honorem eſſe inſtituta, quo nimirum major inter illos omnes notitia amicitiaque contrahatur. Hæc autem commemorata conviviorum genera illis Græcorum *gambriis*, *anacalypteriis*, *epauliis*, & Romanorum *repotiis* antiquis videntur eſſe perſimillima.

Feſſanorum epulæ nuptiales. Apud Feſſanos quoque & nuptiarum & epularum nuptialium ante, in, & poſt nuptias inſignis eſt celebritas, cujus accuratam deſcriptionem, quæ eſt Leonis Affricani lib. 3. cap. 34. deſcript. Affr. mihi ſubjiciendam putavi. *Ubi pater filiam cuidam deſpondit proco, mox ad templum itur, ſponſum ac ſponſam comitantur parentes, & conſanguinei, duo item accerſuntur notarii, qui præſentibus omnibus dotem pactaque conſcribunt. Quibus ita peractis, quotquot utrinque interfuerunt, ad cœnam vocantur, quæ ut ſit ſuis delitiis optimè referta, panis adfertur frixus, quem antea melle temperatum diximus, cui adduntur carnes aſſæ, idque primò ſponſi ſumptibus, deinde & ſponſæ pater ſuum apparare jubet convivium.* Interponit auctor longam enumerationem dotis, quæ a patre datur, atque munerum pre-

pretiosissimorum, quæ ab eodem doti adduntur, quæ, ut idem testatur, sæpe nobiles ad paupertatem redigunt. Continuat deinde nuptialis pompæ epularumque descriptionem hoc modo: *Sponsus suam ducturus domum sponsam, primò tabernaculum ligneum octogenale serico tectum, intrare jubet, in quo a bajulis defertur, comitantibus parentibus & affinibus multo cum tubarum ac tibiarum sonitu, tympanorumque strepitu, necnon maximo facum numero. Præcedunt sponsi affines cum facibus, sponsæ verò sequuntur: sicque maximum itur ad forum, temploque præterito, sponsus socerum & reliquos omnes salutat, domumque quantum potest properat, atque in cubiculo sponsæ adventum præstolatur. Pater, frater & patruus sponsam ad cubiculi ingressum deducunt, eamque pariter omnes sponsi matri tradunt. Quàmprimùm verò sponsa cubiculum ingreditur, maritus pede suo uxoris pedem tangit, statimque ambo recluduntur. Interim apparatur convivium, & fœmina quædam præ foribus expectat, donec sponsa devirginata linteolum sanguine tinctum illi porrigat, quod manu gestans hospitibus ostendit, alta voce clamans, virginem hactenus incorruptam fuisse. Hanc cum aliis quibusdam fœminis primò sponsi, deinde sponsæ quoque parentes excipiunt splendidè. Quòd si fortasse non virgo esse deprehendatur, mox maximo cum dedecore, nuptiisque infectis, ad parentes relegatur.*

Tria ferè parari solent convivia, quorum primum eodem celebratur die, quo marito conjuncta est puella: secundum postridie mulieribus tantùm paratur. Tertium septimo a celebratis nuptiis die, cui omnes sponsæ necessarii & parentes intersunt, quo etiam sponsæ pater pro facultatum ratione magnifica ad generum deferri curat edulia. Ac quamprimum maritus domum egreditur (quod septimo ferè fit die) bonam emit piscium copiam, quos aut per matrem, aut quamvis aliam mulierem super pedes uxoris projicere jubet: id enim ex antiqua consuetudine pro bono habent auspicio. Solent & alia præterea duo in soceri ædibus apparari convivia, alterum pridie quàm elocetur filia, quo tempore totam noctem saltando atque ludendo transigunt. Postridie, cùm mulieres ad exornandam sponsam veniunt, capillos comunt, genas minio tingunt, manus verò ac pedes nigros reddunt (quæ tinctura & elegantia mox perit) alterum exhibetur eodem die convivium. Sponsam autem loco quodam eminentiore collocant, ut ab omnibus facile conspici possit, & illæ quæ sponsam adornarunt, lautè excipiuntur. Ubi ad viri domum est deducta, solent mariti parentes grandia quædam vasa oleo frixo mulsoque referta, ad sponsam mittere, cum aliis quibusdam eduliis, quæ omnia ab amicis a sponso vocatis, absumuntur. Hæc ita geruntur quando sponsa est virgo. Viduarum autem nuptiæ minore cum pompa sumptuque peraguntur. Coquunt bubulam, arietinam, gallinas elixas, quibus varia interponunt edulia. Convivis apponunt vice quadræ duodecim scutellas rotundas, adhibitis in convivium saltem decem aut duodecim: estque hic inter nobiles & mercatores mos receptus. Qui tenuioris sunt fortunæ, offulas quasdam ex pane lagani persimili vorant, quem carnium jure madidum digitis tantùm, non cochlearibus ex majusculo vase liguriunt, quorum singulis non plures, quàm duodecim circumstare solent.

Detestandus fuit incolarum Hyberniæ mos in conviviis nuptialibus, siquidem vera sunt, quæ de illis Bœmus de variis gentibus litteris memoriæque prodidit. In illis, quæ quidem cum domesticis & amicis celebrabantur, singuli convivæ ex ordine secundum ætatem novam nuptam cognoscebant, ultimus sponso locus ad uxorem dabatur. Herodotus lib. 4. testis est, hunc Nasamonibus morem fuisse, cùm quis primam duxerat uxorem, ut prima nocte sponsa singulos convivas obiret Veneris in gratiam, ut, quisque cum ea concubuerat, donum illi aliquod daret, quod domo secum attulisset. Mos Hybernorum inhonestus in epulis nuptialibus.

Nec verò tantùm in nuptiis, contracto jam matrimonio, convivia celebrari fuerunt solita, qui mos hodie quoque passim obtinet: verùm etiam apud gentes quasdam in ipsis conviviis, sive per convivia connubia contrahendi morem fuisse legimus. In Bosphoro proci solebant in conviviis puellas ambire, genus ac virtutem suam proferentes, simulque in mensa vinum spargebant. In convivio Jalchlenes Lybici se vicissim cavillabantur, & cui arriserat puella, illi nubebat, ut apud Segoregios Ligures, cui aquam præbuisset. Apud Massilienses similiter Athenæus lib. 13. ex Aristotelis libro de Repub. Massiliensium, probat nuptias hoc modo fieri fuisse solitas: Oportebat puellam post cœnam ingredi in triclinium, phialam miscere, & illam cuicunque vellet convivarum atque procorum præsentium porrigere, cui porrexerat, is sponsus erat. Hoc pacto Euxenus hospes & peregrinus Nani regis filiam adeptus est, cùm ille fortè fortuna ad convivium nuptiale, quod rex Nanus filiæ suæ adornarat, vocatus esset. His adde, quòd apud Græcos moris fuisse legimus, ut in nuptiis, quæ ante aras Deorum celebrabantur, genero socer in convivio auream phialam traderet, quo arctiore vinculo conjungerentur, ad quem morem manifestè Pindarus alludit Od. 7. his carminibus. Mos matrimonii contrahendi in conviviis.

Φιάλαν ὡς εἴ τις ἀ-
φνειᾶς ἀπὸ χειρὸς ἑλὼν,
ἔνδον ἀμπέλου καχλάζοι-
σαν δρόσῳ, δωρήσεται
Νεανίᾳ γαμβρῷ, προπίνων,
οἴκοθεν οἴκαδε, πάγ-
χρυσον κορυφὰν κτεάνων,
Συμποσίου τε χάριν, κᾶδός τε τιμά-
σαις ἑόν. ἐν δὲ φίλων
Παρεόντων, θῆκέ μιν ζα-
λωτὸν ὁμόφρονος εὐνᾶς.

Phialam ut si quis a divite ma-
nu sumptam, intus rore uvæ
bullientem, donet
juveni genero præbibens, è
domo in domum, totum au-
reum verticem possessionum,
conviviique decus, affini-
tatemque honore prosequu-
tus suam, amicisque præ-
sentibus, fecit eum beatum
prædicari ob concordem
thorum.

CAPUT XXV.

DE EPULARUM NUPTIALIUM USU ET ABUSU, DEQUE CONJUGUM SYSSITIIS.

Verum ut in genere adhuc quædam de connubialibus conviviis dicam, non videntur illa omnino & ſimpliciter eſſe improbanda, cùm & in veteri Teſtamento ſanctos religioſosque homines illis uſos fuiſſe legamus, & in novo Teſtamento ipſe Chriſtus unà cum matre & Apoſtolis ſuis nuptiali convivio non modò intereſſe, verùmetiam illud miraculorum ſuorum primitiis conſecrare minimè dubitârit. Non damnanda ergo ſunt nuptiarum convivia, quæ quidem etiam ſymbola ſunt juſtæ debitæque lætitiæ. Præcipit enim nobis Paulus Apoſtolus non ſolùm ut fleamus cum flentibus, ſed etiam ut cum gaudentibus gaudeamus. Quæ autem juſtior gaudii lætitiæque cauſa eſſe poſſit, quàm & virum tutam & fidelem ærumnoſæ hujuſce vitæ ſociam & adjutricem: & mulierem caput, quo regatur, atque opitulatorem nactam eſſe? Ad quam lætitiam teſtificandam ſi agitentur convivia, id a Chriſtianorum atque piorum hominum officio minimè videtur abhorrere. Major etiam quidam ſplendor & elegantia in illis meritò videtur poſſe adhiberi. Nam id primò ipſius matrimonii requirit excellentia atque dignitas. Deinde, quo rariores (ut Pontanus inquit in ſuo libello de Conviventia) in unaquaque domo ſolent eſſe nuptiæ, tantò magis ſplendori in illis eſt ſtudendum. Adhæc, ut verè idem ſapienterque monet, ſi qui in illius conviviorumque celebritate nimis reſtricti ſunt atque ſordidi, avaritiæ ſibi ſuſpicionem pariunt, ac proinde cùm in publicum populi univerſi, tum in privatum cognatorum, affinium, familiarium atque amicorum contemptum odiumque incurrunt. Atque huc quidem facit illud Plutarchi libro 4. Sympoſ. problem. 3. Διὰ τί πλεῖστοι τῶν ἄλλων ἐπὶ τὰ γαμικὰ δεῖπνα παραλαμβάνονται, id eſt, *Cur in nuptiis quàm plurimi ad cœnam invitentur?* Ex hoc problemate ſatis conſtat antiquitus nuptialia illa convivia magna hominum frequentia celebrari fuiſſe ſolita. Unde Iuvenal. Satyr. 5.

> *Signatæ tabulæ, dictum, feliciter, ingens*
> *Cœna* (id eſt, convivarum multitudo) *ſedet, gremio jacuit nova nupta mariti.*

Nota etiam hîc obiter tritam in nuptiis acclamationem, de qua etiam Tranquillus in Domitiano: *In reducenda poſt divortium uxore acclamari audiit libenter, Domino & dominæ feliciter.*

Sed animadverſione quoque dignum eſt illud, cujus Callimachus alicubi meminit: nuptiarum initiis, antiquis regibus porcum mactare morem fuiſſe. Et potentiores quique viri in Hetruria nuptialibus conviviis novæ nuptæ maritique Diis tutelaribus porcum immolabant, quod etiam priſci Latini, & Græci in Italia factitabant. Unde is, qui ſponſam ducturus cùm omnia apparaſſet, & ſpe ſponſæ fruſtratus eſſet, exclamavit:

> Ἀπώλολε γ' ὗς, καὶ τάλαντον, καὶ γάμος.
> *Periit quidem ſus, & talentum & nuptiæ.*

Hyſteria feſta erant quibus ſus Veneri mactabatur Argis inſtituta. Vide Pierium in Hieroglyphicis lib. 9.

In primis autem obſervandæ ſunt rationes illius convivarum multitudinis, quæ apud Tranquillum adferuntur, quarum hæc prima ſub Hecatæi Abderitæ antiqui Philoſophi perſona proponitur: *Ut ſponſus atque ſponſa plures habeant libertatis ingenuitatisque ſuæ teſtes atque conſcios.* Hæc tamen ratio aliis minùs videtur probabilis, propterea quòd contrà Comici τοὺς πολυτελῶς καὶ οὐ βαρῶς λαμπρότητι δείπνων καὶ παρασκευῇ γαμοῦντας, hoc eſt, *eos qui magno conviviorum ſplendore & apparatu nuptias celebrant*, ſuſpectæ libertatis nomine perſtringunt. Sic hodie, ut illud addam, multi ut magna amicorum cognatorumque nobilium copia abundare videantur, plurimos ad nuptias invitant, qui quidem contrà hujuſmodi multorum invitatorum turbâ, genus ſuum magis ſuſpectum reddunt. Secunda ratio, quam Plutarchus affert, eſt, quòd nullius convivii cauſa ita manifeſta ſit atque celebris, ut nuptiarum. Nam rem divinam facere, & amicum vel peregrinaturum, vel peregrè redeuntem excipere licet convivio, quamvis multi neceſſariorum id ignorent. At nuptialis menſa latere non poteſt, quæ indicem habet Hymenæum, alta voce perſonantem, & facem atque tibiam, quæ quidem Homerus ait mulieribus ad fores ſtantibus eſſe admirationi. Itaque cum nuptiale convivium celari non poſſet, præ pudore verecundiaque omnes familiares, omnesque quacunque neceſſitudine junctos coguntur invitare. In hac ſecunda ratione notabis obiter a Plutarcho uno quaſi faſciculo comprehendi præcipua ferè nuptialium cæremoniarum genera, quæ ab omnibus ferè gentibus fuerunt uſurpata: ea fuerunt Hymenæus, fax atque tibia. Hinc Plato libro 5. de Repub. *Igitur feſti quidam dies erunt legibus conſtituendi, in quibus ſponſos & ſponſas congregemus, & ſacra & hymni, qui nuptiis illis conveniunt, a poëtis noſtris inſtituantur.* Primum autem nuptialium ceremoniarum genus eſt, ὑμὴν & ὑμέναιος, quod Pollux ᾆσμα τὸ γαμήλιον, id eſt, *cantum nuptialem.* Item τὸ τοῖς γαμοῦσιν ἐπαυλούμενον: Athenæus lib. 14. ὕμνον γαμικὸν, & τὴν ἐν γάμοις ᾠδὴν, Heſychius ᾠδὴν ἐπιγάμιον, & ἐπιθαλάμιον, quod nimirum ad thalami fores decantari ſolet. A Latinis carmen nuptiale, *epithalamium*, *hymnus* & *hymenæum* appellatur. Hujuſmodi autem carminis creberrima paſſim apud Græcos & Latinos auctores, poëtas præſertim, fit mentio. vide Statii Epithalamium Stellæ, Catulli epithalamium Juliæ. Athen. lib. 1. & 14. Homerum Ιλ. ο. Heſiodum, &c. Secundum eſt *fax*, quæ nuptæ præferebatur, cujus Homerus meminit Ιλ. σ.

Cæremoniæ nuptiales veterum.

Νύμ-

Νύμφας δ᾽ ἐκ θαλάμων δαΐδων ὑπολαμπομενάων
Ηγίνεον ἀνὰ ἄστυ, πολὺς δ᾽ ὑμέναιος ὀρώρη.

Cicero pro Cluentio: *O audaciam singularem, non timuisse, si minùs vim deorum, hominumque famam, at illam ipsam noctem facesque nuptiales!* Livius de bello Punico lib. 10. *Illis nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam conquerebatur.* Plinius lib. 16. cap. 18. *Spinam nuptiarum facibus* dixit *esse auspicatissimam*, quoniam inde fecerint pastores, qui rapuerunt Sabinas, ut auctor est Massurius. Nunc facibus carpinus, & corylus familiarissima. Apud Romanos fax, quæ nuptiarum majestatis, & æternitatis, quam Græci ἀντέρωτα dixerunt, index erat, a prætextato puero patrimo matrimoque præferebatur, duobus aliis ejusdem ordinis & conditionis nuptam deducentibus. Noctu autem prima aut secunda hora ducere mos erat ominis causa, quòd optima & secundissima eventura sibi promittebant, quod nonnulli existimant in honorem Cereris institutum. In hoc autem sacro ea superstitio vana & anilis accesserat, ut fax ea ab utrisque amicis certatim raperetur peracto munere, ne aut uxor eam sub viri lecto poneret, aut vir in sepulchrum comburendam curaret, siquidem utraque mors propinqua alterutrius captari putabatur. De antiquis autem nuptiarum ritibus vide Scalig. lib. 3. poët. Hæc de facibus nuptialibus. Hinc in Euangelica quoque illa parabola lampadum fit mentio, quibus sapientes illæ virgines sponso dicuntur præluxisse. De tibiarum quoque usu in nuptiis multa passim apud scriptores extant. Cicero ad Herennium: *Non illæ te nuptiales tibiæ ejus matrimonii commovebant?* Hujusmodi autem cæremoniarum commemorata genera, ut taceam alia, hodie quoque in Christianorum nuptiis usurpari notius est, quàm ut de eo multa dici sit opus. Tertia porrò, ut ad propositum redeam, apud Plutarchum ratio est, quòd nuptialia hujusmodi convivia latiùs pateant, nec ad amicos tantùm, verùmetiam ad cognatos pertinent, affinitate alterius familiæ in gentem ascita. Quamobrem cùm duæ familiæ in unam coëant, hinc fieri, ut & ille, qui uxorem ducit, illam sibi despondentis amicos atque familiares, & ille, qui despondit, ducentis sibi comiter excipiendos esse existimet: ac proinde, id quod est consequens, majoris humanitatis gratia invitatorum numerus duplicatus augeatur. Quarta postremò ratio additur, quòd cùm multa, imò pleraque in nuptiis factu necessaria per mulieres peragantur, ubi adsunt mulieres, viros quoque illarum adhiberi sit necesse. Hæ sunt Plutarchi rationes, propter quas non alienum a decoro esse videatur, si nuptiæ earumque convivia majori hominum frequentia fiant: quod ut antiquitus, ita hodie quoque apud omnes ferè gentes in more videmus esse positum.

Verùm ut in omnibus conviviis atque adeò omnibus in rebus: ita in nuptialibus quoque hisce epulis mediocritas, ceu optima rerum actionumque omnium norma atque regula, est adhibenda, ratioque habenda temporis, personarum atque facultatum. Nam ut splendor aliquis & elegantia solito major in illis concedatur, tamen vitanda est summopere effusa illa immoderataque luxuria, quæ ut olim apud Ethnicos: ita hodie quoque apud Christianos in nuptialibus illis festivitatibus dominatur, ac multorum malorum atque damnorum funestissimorum causa existit. Novis conjugibus præsertim ab initio pecuniis maximè, ceu nervis rei familiaris, opus est ad supellectilem multaque necessaria rei familiaris instrumenta, & ad ea, quæ ad quotidianum corporis victum cultumque pertinent, sibi comparandum. At illæ, ut plerunque fieri solet, in vestium, epularum, aliarumque rerum luxum inutiliter conferuntur, ita ut paucorum ille dierum splendor atque pompa mox in egestatem summamque ignominiam desinat. Quamobrem valde sanè esset optandum, perditum hunc profligatumque nuptiarum conviviorumque nuptialium luxum, qui passim hodie apud Christianos dominatum tenet, & cùm ad universæ Reipub. tum singularum familiarum ruinam pertinet, severioribus legum sanctionibus a Christianis magistratibus coërceri, id quod olim a bene moratis & constitutis Rebuspub. sapientissimorum illorum rectorum ductu auctoritateque factitatum fuisse legimus. Sic Naucratitarum olim legibus prohibitum fuerat ova atque μελίπηκτα, id est, *mellitas placentas*, nuptialibus conviviis inferre, teste Athenæo libro 4. de Naucratitarum victu. Plutarchus libro 4. Sympos. 3. dicit legumlatores eos, qui omni conatu luxum oppugnant, numerum maximè eorum, qui ad nuptias vocarentur, certis terminis definiisse. Sic Jabensibus (ut docet Cælius lib. 27. cap. 17.) lege lata indictum erat, ne in conviviis celebrandis plures vocarent, quàm decem viros, & totidem mulieres, neque nuptiarum celebritatem ultra biduum producerent, teste Heraclide in Politicis. Lege quoque Julia in nuptiis & repotiis H-S. millies sumptus fuerunt definiti, ut Gellius lib. 2. cap. 24. scriptum reliquit. De iisdem Plato quoque Philosophorum facilè princeps, sic sanxit lib. 5. de Legibus: *Quod autem ad nuptiale convivium attinet, non plures quàm quinque amici totidemque amicæ ex parte patris vocentur: ex cognatis & propinquis totidem. Impensæ ex facultatum modulo & ratione fiant: ditissimus minam impendito: alius dimidiam minam, & sic deinceps, servata illa proportione, & ut minor est census, ita minor sit impensa. Qui legi paruerit, ab omnibus laudatur: qui non paruerit, legis custodes in eum animadvertunto, eumque veluti disciplinæ expertem, importunum hominem, connubialiumque legum auspicibus musis sacratum imperitum denuntianto.* Quod si itaque Ethnici homines, hoc est, religionis Christianæ expertes, tantum operæ studiique in coërcendo effrænato isto epularum nuptialium luxu posuerunt, quantò magis Christianos magistratus decet enixè dare operam, ut immanes has jacturas, & infinitos sumptus inutilesque, ex quibus rerumpub. familiarumque opulentissimarum ruinæ consequuntur, circumcîdant, & ad mediocritatem revocent. Sed quid? Leges quidem habemus bonas & salutares, quibus & convivarum numerus, & impensarum modus egregiè est definitus, verùm nulla illarum est sanctio, sine qua profectò quævis leges vanæ sunt atque irritæ quasique mortuæ.

De insano nuptialium festivitatum epularumque luxu.

Jam verò quid dicam de potationibus immanissimis, saltationibusque lascivissimis, quæ nuptialia illa nostra convivia plerunque comitantur? Fuit olim vetus hæc Ethnicorum opinio in nuptialibus festivitatibus potissimum

De potationibus & saltationibus nuptialibus.

Bacchus cur dictus Hymenæus.

mum vino esse indulgendum, unde etiam Bacchum volunt dictum esse *Hymenæum*, propterea quod in nuptiis maximè potationi sit opera danda. Sed quid dico de Ethnicis? Eadem sanè perversa impiaque opinione hodie Christianorum quoque mentes pleræque sunt imbutæ, ut indecorum, & a liberalis ingenuique hominis officio alienissimum, atque adeò quasi nephas esse existiment, nuptiali tempore non inebriari, vulgatum illud Terentii impuris suis sermonibus usurpantes: *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Quidam etiam eò usque progrediuntur impudentiæ atque dementiæ, ut ad impiæ hujusce suæ nefariæque opinionis defensionem primum insigne illud Christi miraculum in Cana Galilææ, in nuptiali illo epulo editum, detorquere minimè dubitent. Nam idcirco postquam vinum defecit, aquam a Christo in vinum conversam fuisse dictitant, quo uberior nimirum convivis illis vino genioque indulgendi facultas suppeditaretur, indeque volunt effici, nobis quoque idem in nuptiis licitum atque concessum esse. Verùm impia hæc absurdaque opinio, ne dicam verbo Dei, vel ipsorum Ethnicorum, qui sapientiores inter illos extiterunt, testimoniis egregiè refelli potest, qui quidem vel in nuptiis potissimum sobrietati studendum, & ab ebrietate prorsus abstinendum esse censuerunt. De quo sic Plato, gravissimus auctor, libro sexto de Legibus disserit: *Bibere ad ebrietatem usque nec alibi usquiam decet (nisi id indulgendum sit in solenni illius Dei sacro, qui vini usum largitus est hominibus) neque sanè tutum est.* Mala hæc & impia est Platonis exceptio, duplici nomine damnanda. Primùm quòd Bacchum & Deum appellat, & ei vini inventionem fert acceptam. Deinde quòd in illius festivitatibus, quæ *Bacchanalia* appellantur, licitum vult esse vini potum vel ad ebrietatem usque. Reliqua bene, ut & illa quæ sequuntur, quæ quidem Christianæ pietati religionique sunt consentanea. Nam cùm nec alibi usquam ad ebrietatem usque bibere deceat ac tutum sit, tum verò atque in primis id in nuptiarum celebratione est cavendum, propter causas, quas subjungit, sanè gravissimas.

In nuptiis sobrietati maximè studendum.

Platonis testimonium.

Nam in primis sponsus atque sponsa mentis compotes tum debent esse maximè, quum non levem vitæ mutationem subeant, & ut ex prudentibus hominibus proles suscipiatur. Ferè enim incertum est, ecquanam dies vel nox eam prolem, Dei beneficio, sit genitura. Deinde in sequentibus docet pluribus τὴν παιδουργίαν, id est, liberorum suscipiendorum primordium, non debere fieri corporibus vino madidis atque diffluentibus, unde postea animi corporisque vitia a parentibus in ipsum fœtum promanent eique imprimantur. Tandem itaque concludit: *Hæc quidem in universa vita adhibenda est cautio viro bono & prudenti, tum verò ab illa intemperie abhorreat maximè, quum procreandis liberis operam dabit, ne sciens & volens morbosam prolem suscipiat, & in qua turpes & inhonesti mores inserantur. Hæc enim vitiorum semina in eorum, qui generantur, animis & corporibus imprimi atque informari necesse est, ac proinde deteriores omnino fœtus hujusmodi nasci. A quibus peccatis nox illa præcipuè immunis esse debet, quæ conjugio auspicium facit. Nam principium & numen divinum in hominibus sedem habens, omnia conservat, siquidem legitimum sibique debitum convenientemque honorem sortiatur.* Platoni Athenæus quoque hac in re adstipulatur, qui quidem eadem hæc Platonis verba libro 10. sui operis citat. Hac de re vide etiam Plutarchum in libro *de Liberorum educatione*, statim ab initio. Quod si igitur Ethnici illi philosophi, vel solo naturæ ductu, existimarunt nuptiali illo tempore sponso atque sponsæ ebrietatem maximè esse vitandam, pudeat nos Christianos nostræ insaniæ atque dementiæ, qui in illo potissimum tempore ebrietati maximè inserviendum esse existimamus.

Animadversione quoque dignum est elegans illud scitumque Athenæi lib. 5. statim ab initio, de Nuptialium hujusmodi conviviorum fine: *ὡς νενόμισται ἄγειν συμπόσια περὶ τοὺς γάμους τοῦ τε γαμηλίων θεῶν ἕνεκα, καὶ τῆς οἱονεὶ μαρτυρίας*, hoc est, *Sic lege sancitum est, ut symposia nuptiarum tempore celebrarentur, idque cùm Deorum nuptialium, tum testimonii cujusdam causa.* Duas ille adfert rationes, cur nuptialia illa convivia legum sancito sint celebranda. Prior est, ut id fiat in honorem Deorum nuptialium, quos Ethnici plures mentis errore finxerant. De his sic August. lib. 3. de Civit. Dei: *Deis*, inquit, *conjugalibus quid opus erat commendare nubentes, ut bene conjugarentur, &c.* Hi erant apud Romanos, teste Plutarcho, quinque numero, nimirum Jupiter τέλειος, qui etiam γαμήλιος est dictus, & Juno τελεία, nec non γαμηλία cognominata, & Venus, & πειθώ, id est, *suadela*, & Diana: itaque idcirco quinque etiam in nuptiis adhibebantur cerei. Junoni autem, quoniam præ aliis jugalia vincla curæ esse credebant, idcirco varia illi nomina imposuerunt. Dicebatur enim *Pronuba*, & *Interduca*, quòd sponsam ad mariti domum deducere crederetur: *Nuptialis*, quòd illius auspiciis nuptiæ celebrarentur: *Unxia*, quòd sponsæ mariti domum ingressuræ, postes axungia vel oleo, vel lupino adipe inungerent, ut inde mala omnia procul arcerentur, unde etiam uxores, quasi *unxiores*, Isidorus vult dictas, (quòd sit uxor potiùs quasi *junxor* a *jungendo* sic dicta, ut quæ sit juncta viro.) *Cinxia* item, a Græcis λυσιζώνη, quòd in thalamo cingulum ponentes protegeret: *Socigena*, quod nubentes consociare & copulare putaretur. Dicta est etiam *Juga*, quòd matrimonia conjungat, unde vicus *Jugarius* Romæ dictus, in quo ejus fuit ara. His adde & Hymenæum, qui apud Græcos, & Thalassum sive Thalassium, qui apud Romanos peculiares Dii. Hos ergo Deos conjugales sive nuptiales cùm precationibus, tum sacrificiis venerari atque placare studebant, de quo inter alios scriptores multa tradiderunt Dionysius Halicarnass. περὶ τῶν γαμηλίων, & Plato lib. 5. de Legibus, ubi dicit, nuptiarum inaugurationem fieri debere per sacerdotes, adhibitis sacrificiis atque precibus, ut ex bonis meliores, & ex utilibus utiliores nascantur: ac paulò pòst, dies festos, sacra & hymnos nuptiis dicandos esse dicit.

Numina nuptialia.

Alter finis nuptialium conviviorum secundum Athenæum est testificatio cùm libertatis & ingenuitatis utriusque conjugis (de quo suprà dictum est) tum mutui inter novos conjuges atque affines amoris & benevolentiæ.

Nota.

Eundem duplicem hunc finem multò magis Christiani debebant in nuptiarum suarum, epularumque nuptialium

ptialium celebratione sibi ante mentis oculos proponere, qui profectò illis optimus modestiæ sobrietatisque magister esset. Nam primò cum omnia nostra dicta & facta ad Dei gloriam optimo sint meritissimoque jure referenda, ipsas quoque nuptias epulasque nuptiales in ejusdem, ceu unici verique nuptiarum matrimoniique auctoris atque custodis fidelissimi, honorem celebrandas esse, quis quæso dubitet? Illum itaque ceu nuptiarum conviviorumque illorum, ut & omnium dictorum factorumque nostrorum oculatissimum testem, si nobis, uti par erat, ante mentis nostræ oculos proponeremus, majori profectò cum reverentia, pudore, castitate sobrietateque nuptiales illos dies ageremus, quàm hodie fieri quotidiana experientia testatur. Ac in primis quoniam illa vitæ cœlibis cum matrimoniali commutatio cum plurimis maximisque animi, corporis, famæ fortunarumque omnium periculis sit conjuncta, ac plurimi gravissimique in novo illo vitæ genere subeundi sint labores, ærumnæ atque pericula, illius exordium par erat non a divini Numinis offensione, sed illius potiùs seria & ardenti imploratione venerationeque duci: id quod Ethnici quoque duce & magistra natura sibi faciendum esse judicarunt. Nam quemadmodum dictum est, illi statim ab initio sacrificiis, hymnis atque precibus operam dederunt, iisque fictitiorum illorum suorum Deorum favorem atque gratiam sibi conciliare sedulò studuerunt, quo nimirum illorum fulti ope atque gratia, tantò faciliùs omnia matrimonialis vitæ onera, labores atque ærumnas perferre ac superare possent.

Verùm, proh dolor, hodie pleraque Christianorum, ut nuptiæ, ita convivia quoque nuptialia non Deo Opt. Max. sed iisdem, quos Ethnici quondam coluerunt, Diis seu potiùs dæmonibus, nimirum Veneri, Cupidini, Priapo, Cereri, Baccho atque Como sunt consecrata. Hi sunt Dii seu potiùs dæmones, quibus Christianorum plerique in illis nuptiarum celebritatibus turpissimè serviunt. Et ut olim apud Ethnicos nuptis faces præferebantur, ita tartareæ illæ furiæ funestas dirasque illas suas pravarum cupiditatum libidinumque faces nuptialibus hominibus intentant, quibus inflammati ad quævis scelera atque flagitia rapiuntur. Ex inauspicatis ergo istis initiis mirum non est inauspicatissima quoque funestissimaque connubia consequi, cùm, ut verissime Æolus ille poëta dixit: ἀρχῆς κακῆς τέλος κακόν, hoc est, *mali principii malus soleat esse plerunque & infelix exitus.* Sæpe quoque numerò fit, ut in his ipsis Christianorum nuptialibus celebritatibus, ob insanas nimirum luxuriosasque compotationes, necnon lascivas petulantesque saltationes, gravissima odia, inimicitiæ, atque adeò tragicæ funestæque cædes existant, quæ quidem *Ægypti nuptiæ* proverbiali sermone dicuntur. Sumptum est proverbium a notissima Ægypti fabula, qui filios quinquaginta totidem fratris filiabus maritos dedit, qui præter unum omnes a sponsis jugulati sunt. Erasmus Chiliad. 3. Cent. 1. Non incommodè, ut illud quoque addam, inauspicatæ hujusmodi nuptiæ *Raguëlis* quoque (qui Tobiæ socer fuit) *nuptiæ* dici possent, qui cum septem viris filiam suam in matrimonio collocasset, omnes ea nocte, qua erant cum illa concubituri, interierunt, a dæmone Asmodæo interfecti. Is cacodæmon cum pio Tobiæ idem exitium moliretur, singulari Dei beneficio cohibitus, & in extremas Ægypti partes pulsus relegatusque fuit. Hinc quoque verisimile est illam poëtarum de Ægypto vero fabulam promanasse, qui ex regione Ægypti virum ejusdem nominis finxerunt. Multas enim constat poëtarum fabulas ex veris, & quidem sacris historiis profluxisse, illarum circumstantiis variè mutatis.

Nuptialium epularum luxuria.

Ægypti nuptiæ.

Ad hujusmodi porrò (ut ad propositum redeam) nuptiarum festivitatem conviviorumque libidinem atque luxum coërcendum Ecclesiastica quoque nonnulla decreta extant. Hormisda Episcopus Romanus nuptias publicè, non occultè fieri præcepit, multa nimirum scelera atque flagitia, quæ nuptiarum tempore designari consueverunt, ac parietum domesticorum integumentis facilius occultantur, evitandi gratia. Extat quoque Synodi Ilerdensis decretum, ut in Christianorum nuptiis non saltetur, sed modestè cœnetur, atque prandeatur. Tempus quoque nuptiarum celebrandarum certum a veteribus definitum & constitutum esse invenio. Concilii Ilerdensis 33. quæst. 4. *Non oportet in 70.* Et in decreto Ivonis lib. 6. *Non oportet a septuagesima usque in octavam Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quòd si factum fuerit, separentur.* Plura de nuptialium istorum epulorum luxu coërcendo vide apud Guil. Zeppeum lib. 1. cap. 13. de Eccles. Politia. Sic apud Romanos olim mense Majo nubere inauspicatum habebatur: unde Ovid. in Fastis:

Ecclesiastica decreta ad coercendam nuptiarum luxuriam.

Majus mensis nuptiis inauspicatus.

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora: quæ nupsit, nec diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt,
Mense malas Majo nubere, vulgus ait.

De hac Romanorum consuetudine, ejusque causis, vide plura apud Erasmum in Chiliadibus. Denique cum olim quoque (licet non tantus, quantum hodie videmus esse) magnus nuptialium solennitatum conviviorumque luxus extiterit, mirum non est Ecclesiasticis olim hominibus, hoc est, iis qui Ecclesiæ rebusque divinis præsunt, earum frequentatione fuisse interdictum. Ac Monachis quidem & Abbatibus Concilii Anthissiodorensis canone 25. penitus fuit nuptiarum solennitatibus interdictum. At hodie nullæ ferè celebrantur nuptiæ, quibus illi non intersint. De reliquis verò Ecclesiastici ordinis hominibus hujusmodi extat Concilii Agathensis decretum, distinct. 34. cap. *Presbyteri. Presbyteri, diaconi, subdiaconi vel deinceps, quibus ducendi uxorem licentia non est, etiam aliarum nuptiarum evitent convivia, nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, & obscœni motus corporum choreis, & saltationibus efferuntur, ne auditu & contuitu sacris ministeriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.* Hæc vero non eo animo atque consilio profero, quasi nefas esse existimem Ecclesiastici ordinis hominibus nuptiis interesse, quibus ipse quoque Christus,

illius

illius mater ſanctiſſima, Apoſtoli intereſſe minimè dubitarunt; ſed ut intelligatur, quanta proh dolor! jam à multis ſæculis Chriſtianarum nuptiarum conviviorumque nuptialium (ut nihil de aliis dicam) prophanatio extiterit, ita ut & olim Eccleſiaſtico ordini Conciliorum decretis prohibitum fuiſſe, ne illa adirent, non ſit mirandum: & hodie quoque illa verè piis religioſiſque hominibus fugienda potius, quàm frequentanda eſſe videantur. Huc pertinent Cypriani verba in libro *de habitu Virginum: Nuptiarum feſta improba, & convivia laſciva utentur, quorum periculoſa contagio eſt, &c.*

Atque hæc ſatis ſint dicta de connubialibus epulis, quæ in ipſo matrimonii contractu ante nuptias, in nuptiis, & poſt nuptias agitantur, quibus pauca quædam de quotidiano conjugum convictu ſive ſyſſitiis videntur eſſe adjicienda. Primò igitur omnium hinc, ut ſuprà quoque dictum, origo omnium ſyſſitiorum conviviorumque videtur eſſe petenda. Primos namque illos conjuges Adamum atque Evam, ceu primos generis humani parentes, Deus victus quoque ejuſdem communione conjunctos eſſe voluit, ad quos poſtea alii ex illis prognati convictores dulciſſimi acceſſerunt, chariſſima nimirum illorum pignora. Ut ergo conjugium ipſum, ita conjugum quoque ſyſſitia omnium ſunt antiquiſſima, ex quibus reliqua omnia ſyſſitia conviviaque ſuam originem traxerunt. Ut verò antiquitate, ita jucunditate quoque omnia reliqua ſyſſitia atque convivia longè videntur ſuperare. Nam quid quæſo quotidiana illa menſæ victusque communione, quæ eſt inter conjuges, ſuavius aut dulcius cogitari dicive poteſt, quæ quidem ad illorum animos amore mutuo magis magiſque conglutinandum incredibilem vim obtinet? Hoc cum ita ſit, meritò damnanda eſt ſummoperè ac improbanda cùm uxorum, tum maritorum quorundam conſuetudo, qui jucundiſſimum hunc utiliſſimumque convictum mutuum faſtidientes, omnem foris cœnitandi epulandique occaſionem captant, unde multæ pravæ & ſiniſtræ ſuſpiciones, odia, ſimultates, plurimaque rei familiaris incommoda ac detrimenta plerunque conſequuntur, ut id quotidiana experientia ſatis ſuperque docet.

De conjugum ſyſſitiis.

Sæpè quoque numerò fit, ut quando mariti foris ſæpè cœnitant in popinis atque cauponis volutantes, uxores interea vel ipſæ quoque ex ædibus ſæpè excurrant, huc atque illuc vagantes, vel domi intra privatos parietes cum minus probatæ fidei probitatiſque mulierculis convivia agitent, atque ita maritorum ſuorum bona abliguriant. Sic igitur fit, ut conjuges mutuas quaſi operas non ad conſervandam atque tuendam, ſicuti par erat, ſed ad profligandam potius ac evertendam familiam remque ſuam familiarem, ſibi invicem tradant. Ut autem maritorum improbitas ſæpè uxoribus cùm externarum, tum internarum, & quidem damnoſiſſimarum hujuſmodi cœnitationum occaſionem præbet: ita contrà uxorum ſæpiſſimè moroſitas morumque difficultas maritos vel invitos ædibus extrudit, foriſque cœnitare atque pranſitare cogit. Quamobrem ſi utriſque cordi eſt, ut certè eſſe debet, mutua utriuſque necnon liberorum, totiuſque familiæ ſalus & incolumitas, danda eſt illis opera, ut mutuam hanc non lecti ſolum, verumetiam menſæ & quidem ſuaviſſimam dulciſſimamque ſocietatem, & communitatem ſartam tectam tueantur, ſine qua nulla domus familiave quantumvis potens ac opulenta diu conſiſtere poteſt. Sit denique mutuus hic conjugum convictus cùm tenuis & frugalis, tum maximè communis, ita ut non alio cibo potuque vir, aliò uxor utatur, niſi forſan id vel valetudinis vel alicujus neceſſitatis ratio poſtulet. Atque hæc quoque de mutuo conjugum convictu ſatis ſint dicta.

CAPUT XXVI.

DE CONVIVIIS FUNEBRIBUS, FERALIBVS, EXEQVIALIBVS, SIVE SEPVLCHRALIBVS.

Funerationis duo ſunt membra.

Exequiæ.

Vltimus reſtat vitæ humanæ actus, mors nimirum, quam non malè poëta ille *ultimam rerum*, ſcilicet humanarum, *lineam* eſſe dixit, &, quæ mortem ſequitur, funeratio, ſeu parentatio, quæ quidem, ut nonnulli volunt, duabus partibus conſtat, exequiis nimirum, & luctu. Exequiæ ſunt officium funebre, quod in funere exequimur, & (ut Cicero vocat) *celebritas ſupremi diei, quæ ab amicis, atque etiam aliis, quibus id muneris eſt impoſitum, præſtatur.* Atque hæ quidem exequiæ, ſive juſta, magis amicorum ſunt ſolatium, quàm mortuorum ſubſidium. Non eſt autem mihi nunc propoſitum de variis parentationis funerationisve ritibus atque cæremoniis (de quibus Gyraldus in illo ſuo *de ſepulchris, & vario ſepeliendi ritu* libello, nec non Jacobus Pontanus in ſuo, & Sardus *de variis gentium ritibus*, & alii ſcriptores paſſim multa tradiderunt) ſed de epulis tantum ſcribere, quæ ut olim, ita hodie parentationis ſolent eſſe quaſi comites. Nam ut dies nativitatis, ita mortis quoque atque funerationis, principum præſertim utriuſque ſexus perſonarum, cùm aliis cæremoniis atque ritibus, ſacrificiis, ludis, ſpectaculis, tum epulis quoque celebrari antiquiſſimo ſanè omnium ferè gentium more, qui hodie quoque obtinet, receptum fuit. Hæ autem vel ſtatim poſt mortem, ut in ipſa funeratione, vel finito luctu agitari conſueverunt, idque partim ad amicorum ſolatium, partim in defunctorum gratiam atque memoriam, partim denique in Deorum Inferorum (cujuſmodi fuerunt apud Ethnicos Pluto, Libitina, Proſerpina, Venus Epitymbia cognominata, & alii) factitatum fuiſſe legimus. Verùm hæc omnia exemplorum appoſitione illuſtriora erunt.

Judæorum convivia exequialia.

Ac primò quidem apud Judæos (ut ab illis potiſſimùm pro meo more exordiar) in funeribus, poſtque funera convivia agitandi conſuetudinem fuiſſe, ex quibuſdam ſacræ ſcripturæ locis videtur poſſe colligi. Sic enim

enim post Abneris sepulturam atque exequias, populus Davidem dicitur fuisse sequutus τȣ͂ περιδειπνῆσαι ἕνεκα (ut Græcus interpres vertit) hoc est, *ut funebre convivium* (quod quidem περίδειπνον propriè a Græcis appellatur) *cum eo iniret*, cùm David prius jurejurando interposito affirmasset, se ante Solis occasum nihil quidquam cibi capturum 2. Sam. 3. vers. 33. Idem quoque Hieremiæ ille locus satis manifestè ostendit. *Ne adeas*, inquit Deus ad Hieremiam מרזח *Martzeach* (τὸ θίασον 70, Hieron. *domum convivii* verterunt, de qua voce supra satis) *& ne eas ad plangendum*, hoc est, ne te sacrilegis istis commisceas, in publicis illis epulis funeralibus (quas *Mirzeach* propriè ab Hebræis appellari, suprà dictum est) *neque plangas defunctos, eorumque propinquos consoleris.* Et paulò post, *Et morientur in terra ista magni & parvi, neque sepelientur, neque plangentur. Nemo se pro illis incidet, aut radet*, hoc est, neque vestium corporisve aliarum partium dilaceratione, neque capillorum evulsione, sive capitis tonsura aut rasura (quæ apud veteres pro mortuis fieri consueverunt) ullum luctus signum præ se ferent. Hinc Hieron. lib. 3. in Hierem. *Mos*, inquit, *hic fuit apud veteres, & usque hodie in quibusdam permanet Judæorum, ut in luctibus incidant lacertos, & calvitium faciant: quod & Jobum fecisse legimus.* Hæc ille. Hujusmodi porrò luctus signa a Deo prohibita fuisse ex Levit. 19. & Deut. 14. satis constat. Sequitur in Hieremia, *Non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo* (sive, ut est in Hebræo, *divident*, quod alii ad stipem, alii ad panem referunt) hoc est, amici defuncti non convenient more consueto, ad capiendum cum eo cibum, cujus propinquus defunctus est, nec erunt qui lugenti huic cibum præparent ad illum, ob propinqui mortem tristem mœstumque, consolandum. *Nec* (addit) *propinabit illi* כוס תנחומים *Cos Thanechumim*, id est, *poculum consolantium*, hoc est, consolatorium, propter patrem ejus, & matrem ejus, hoc est, ad illos consolandum, qui parentibus suis sunt orbati. Hinc Hieronymus in suis Commentariis, in hæc ipsa commemorata verba Hieremiæ, dicit, *Moris olim fuisse lugentibus cibos ferre, conviviumque apparare, quod Græci περίδειπνον, Latini parentalia vocent, eò quòd parentibus justa celebrentur.* Atque hunc quidem ipsum morem illis quoque verbis, quæ extant Proverb. 31. cap. probat; *Mœrentibus*, inquit, *date siceram, & vinum his, qui amaro sunt animo, ut poti obliviscantur inopiæ suæ, & lugentes nonnihil obliviscantur dolorum suorum.* Ex Bereschit Rabba fol. 31. col. 1. הבראה *Habiraah* appellatur primus pastus, qui fit ab iis, in cujus domo aliquis mortuus est. Prohibitum namque est, ne domestici atque contubernales de suo aliquid edant, sed vicinos oportet de suo cibum illis afferre, & unà cum illis capere.

Luctus signa apud Judæos.

Atque hic quidem laudabilis videtur esse funebrium hujusmodi conviviorum finis, ob quem instituta, non omnino videntur esse improbanda, ut nimirum illis lugentium animi mœrore afflicti & consternati, consolatione aliqua alleventur. Ad eundem morem alludit Tobias, cùm inquit, *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam justi constitue* (nimirum ad lugentium consolationem) *& noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Hinc patet moris fuisse, ut in ipsis sepulchris mortuorum epulæ ponerentur, atque celebrarentur, idque partim ad consolationem superstitum, partim ad testimonium honestatis eorum, qui defuncti fuerunt, qui mos a gentilibus (ut plerique volunt) profectus, tandem (ut suo in loco dicetur) ad Christianos transiit. Ad illum manifestè alludit Ecclesiasticus 30. cap. cùm inquit, *Tolerabilior est mors ipsa, quàm valetudo adversa, & morbus perpetuus. Perinde enim est ut ferculum splendidum, quod palato ægroto proponitur, & sicut cibi positi ad bustum sepulti*, &c. Huic simile est illud Socratis apud Stobæum, ὁ τȣ͂ φιλαργύρου βίος ἔοικε νεκρȣ͂ δείπνῳ. πάντα γὰρ ἔχων, τὸ εὐφρανθησόμενον ȣ̓κ ἔχει. Sic Baruch quoque de sacerdotum Babyloniorum habitu (cujusmodi fuerunt tunicæ scissæ, capita & barba rasa, capita nuda) aliisque cæremoniis verba faciens, inter alia inquit, *Vociferantes* (scilicet sacerdotes) *coram Diis suis rugiunt, quasi ἐν περιδείπνῳ νεκρȣ͂*, id est, *cœna mortui*, hoc est, quæ ad memoriam mortuorum adhibetur, aut ad consolationem propinquorum celebratur, Baruch. cap. 6. vers. 27. Ezechielis quoque 24. cap. allusio videtur fieri ad funebria hujusmodi convivia, ubi prohibetur liberorum interitum lugere, ac ullum omnino luctus signum dare. Ibi igitur inter alia luctus signa, quæ commemorat, *Panem quoque*, inquit, *Enaschim*, hoc est, *hominum calamitate afflictorum, ne comedas*, id est, ne lugentium conviviis intersis. Lavaterus in illum locum, *In luctu*, inquit, *divites excipiebant pauperes conviviis, vel, ut hodie quoque solemus, mittitabant eis fercula, ut eos recrearent.* Item divites aliosque funebri epulo excepisse, probabile est, ut illi, qui suos amisissent, dolorem suum hominum consuetudine lenirent. Fieri potest, ut ditiores apud Judæos etiam hujusmodi convivia haberent. Josephus lib. 2. de Bello Judaico a principio, scribit, Archelaum Herodis filium septem diebus defuncti patris mortem Hierosolymis luxisse, & exhibuisse populo lautum epulum ferale (quod ἐπιτάφιον ἑςίασιν nominat) & addit, hanc epulandi consuetudinem circa luctus multos Judæorum ad inopiam redegisse, quia vulgus necessariò adesse cogebatur quod qui neglexisset, pro impio habebatur. Atque hæc de conviviis funebribus, quorum in sacris literis fit mentio, quæque apud Judæos videntur fuisse in usu. His adde Judæorum traditionem, qua affirmant antiquitus eos, qui erant in luctu, lente potissimum vesci fuisse solitos, cujus traditionis Hieronymus quoque meminit ad Paulam, de Blesillæ obitu his verbis, Judæorum simul superstitionem perstringens: *Flentes*, inquit, *usque hodie Judæi nudis pedibus in cinere volutati, sacco induti, ex superstitione Pharisæorum, prius cibum lentis accipiunt signantes quasi quo edulio primogenituram perdiderunt.* Hæc ille. Hanc itaque iidem ob causam Jacobum (Gen. 25.) edulium ex lentibus coxisse fabulantur, in Abrahami luctu funebri, juxta veterem traditionem atque consuetudinem: cujus quidem hanc rationem reddunt, quòd leguminis illius esus homines æquanimes reddat. Plin lib. 18. cap. 13. *Invenio apud auctores æquanimitatem fieri vescentibus ea.* Hinc *lentum* & *lentitudinem* nonnulli volunt dici, teste Cælio lib. 23. cap. 23. Paulus Ægineta lib. 1. scribit, lentem esse κακόχυμον καὶ μελαγχολικήν. Idem Rasim, Dioscoridem, Galenum tradere, Cælius loco antè citato testatur. Vide Plinium lib. 22. cap. 25. Auctor est Plutarchus in Crasso, a Romanis quoque lentem ac salem πένθιμα credi, hoc est, *lugubria*,

Funebrium conviviorum finis laudabilis.

Mos epulas imponendi ipsis sepulchris.

lugubria, ac proinde apponi mortuis consuevisse: hincque ingruentium malorum præsagium Crasso factum, quòd militibus duo hæc prima in necessariorum distributione sint data. Idem auctor, quod etiam huc pertinet, in prob. Rom. testatur, in genere olim omnium leguminum maximum fuisse apud Romanos, circum περίδειπνα, καὶ προκλήσεις τῶν νεκρῶν, hoc est, *epulas funebres, atque mortuorum evocationes*, usum.

De Græcorum epulis feralibus. Nomina epularum feralium.

Apud Græcos quoque funera cùm multis aliis cæremoniis, sacrificiis, libationibus, tum epulis quoque atque cœnis magnificis celebrari solita fuisse legimus, de quarum primò nominibus, deinde exemplis dicam. Nomen maximè commune, quo feralis cœna ab illis appellatur est περίδειπνον. Suidas, περίδειπνον τῶν νεκρῶν. καὶ τοῦτο ἐδείπνουν τὸ ἀττικὸν περίδειπνον. Pollux, περίδειπνον ἡ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσιν ἑστίασις, id est, *epulum, quod ob defunctos celebratur.* Item ἡ ἐπὶ τῷ πένθει σύνοδος. Periander, νεκρὸν δεῖπνον, *cui* dicit *similem esse hominis avari vitam. Cùm enim habeat cætera, id, quo se exhilaret, non habet.* Budæus ex Luciano, ἐπὶ πᾶσι τούτοις τὸ περίδειπνον, καὶ πάρεισιν οἱ προσήκοντες, καὶ τοὺς γονέας παραμυθοῦνται τοῦ τετελευτηκότος. *In omnibus his est parentale epulum: & adsunt propinqui, qui parentes consolantur ob defunctum.* Ad hanc vocem allusit Græcus interpres, 2. Sam. 3. v. 35. ubi sic scriptum est, *Sequuti sunt Regem* (Davidem) *post Abneris exequias*, τοῦ περιδειπνῆσαι, id est, *funebre convivium agitandi gratia.*

Appellatur etiam δαὶς ἐπιτάφιος, id est, *epulum sepulchrale.* Τάφος ἐπιδόρπιος, & τάφος simpliciter, ut Homerus Ιλ. ψ. ab initio de funere Patrocli verba faciens,

----- αὐτὰρ ὁ τοῖσι τάφον μενοεικέα δαίνυ.

At ille his epulum sepulchrale præbebat.

In quæ verba sic commentatur Eustath. 1393. 70. τάφος, id est, *sepulchrum*, non est τὸ περίδειπνον, id est, *epulum parentale, quod post sepulturam fieri consuevit, sed simpliciter quod super mortuo fiebat, Nam Patroclo nondum sepulto hujusmodi* τάφος, id est, *epulum sepulchrale celebratum fuit, quod, quia sub vesperam fieri consuevit, etiam* δόρπος *a poëta appellatur, ut ex illis verbis constat:*

---- δορπήσομεν ἐνθάδε πάντες,

id est,

Omnes hic cœnabimus.

Τάφου & περιδείπνου differentia.

Ex his Eustathii verbis constat, τάφον a περιδείπνου, secundum nonnullos ita distingui, ut τάφος propriè dicatur illud epulum, quod in ipsa sepultura, sive sepulchro; περίδειπνον autem quod post sepulturam agitari solitum fuit. Suidas tamen, τάφος, inquit, καὶ τὸ παρὰ τοῖς θύταις σημεῖον, καὶ τὸ περίδειπνον. ὅμηρος, τάφον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο, οὐ τὸν τύμβον. Hesiodus lib. 2.

Μηδ᾽ ἀπὸ δυσφήμοιο τάφου ἀπονοστήσαντα
Σπερμαίνειν γενεήν.

Proclus τάφον ibi interpretatur, περίδειπνον, ἐπιτάφιον δεῖπνον, Synesius *funebre epulum* vocat, quod etiam ἐντάφιον dici potest, tametsi ἐντάφιον, & in plurali ἐντάφια, totæ exequiæ, sive inferiæ appellantur.

Varia conviviorum funebrium nomina.

Jam verò nomina alia, quibus Græci cùm in universum totam parentationis festivitatem atque pompam, tum speciatim (quæ quidem potissima illius sunt pars) sacrificia atque convivia funebria appellant, hæc sunt, quæ a Polluce commemorantur, ἐναγίσματα, κτερίσματα, ἔνατα, τριακοντάδες, γενέσια, νεκύσια, ταῦτα γὰρ ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν ἀπηλλαγμένων νενόμισται.

Εναγίσματα.

Εναγίσματα sicut ἐναγισμὸς Hesychio & Suidæ sunt ὁλοκαυτώματα. Plato, ποιεῖσθαι ἐναγισμοὺς τοῖς τεθνηκόσι, *parentare mortuis.* Herod. 4. ἐκαλόμεθας τε οὖν κελεύειν παραγενόμενον ..., ἐναγισμούς τε παντοδαπούς, id est, *parentationis omne genus*, Politiano interprete. ἐναγίζειν inquit Suidas. Herod. χοὰς φέρειν, ἢ θύειν τοῖς κατοιχομένοις, ἢ τὸ διὰ πυρὸς δαπανᾶν. Sic καθαγίζειν quoque *justa solvere, exequias peragere, offerre mortuo sacrificium, aut epulum super sepulchro.* Lucian. de luctu, τρέφονται τῶν παρ᾽ ἡμῖν χοαῖς, καὶ τοῖς καθαγιζομένοις ἐπὶ τῶν τάφων, id est, *nostris libationibus inferiisque, quæ sepulchris inferuntur*, unde καθαγισμὸς, *parentatio.*

Κτέρισμα.

Sic κτέρισμα & κτέρος, εος, *parentationem, funus, justa*, quicquid denique in mortuorum honorem fit, significat.

Ἔνατα.

Ἔνατα, hoc est, *nona*, sive *nonæ*, erant cæremoniæ, sacrificia atque epulæ, quæ in defuncti honorem nono post illius obitum die, celebrabantur, cujusmodi fuerunt Romanorum Novendialia, de quibus postea.

Τριακοντάδες.

Τριακοντάδες, quæ & τριακάδες *tricesimæ*, id est, sacra, quæ post trigesimum diem Mercurio, a quo animas, ut a tellure corpora, suscipi credebant) offerebantur. *Nam*, ut inquit Gyraldus in suis Sepulchralibus, *cùm nonnulli suorum vel propinquorum, vel amicorum minus desiderium ferre possent, tertium, septimum, nonum, & quidem trigesimum, & quadragesimum, non sine quadam numerorum religione, dies defunctorum manibus, & memoriæ statuerunt: quorum dierum non modò apud gentes mentio, & summa observationis cura, sed etiam in præsens a nostris ii magna diligentia custodiuntur.*

Γενέσια.

Γενέσια similiter teste Ammonio, dies, quo quis fato est functus, & ejus festivitas appellatur, sicut γενέθλια, quo quis est natus. Sic Christiani quoque primitivæ Ecclesiæ dies, quibus Martyres pro Christo mortem oppetierunt (quorum memoriam quotannis celebrarunt) *natales*, & *natalitia* appellarunt.

Νεκύσια.

Νεκύσια cùm generatim omnia justa, sive parentalia, tum speciatim, teste Eustathio, festum quoddam certum in Bithynia usitatum, quo εὐωχούμενοι τρὶς ἐκάλουν τῶν ἐπὶ ξένης ἀποθανόντων ψυχὰς, id est, *Convivantes ter animas eorum, qui in peregrina regione fato defuncti fuerant, evocabant.*

Ταριχήματα & Ἔγκνισμα.

His adde, ταριχήματα, sive τάριχεα, sive τάριχας, τὰ ἀπονενομισμένα τοῖς νεκροῖς πρὸς κηδείαν ἀπὸ τῆς ταραχῆς, id est, *a perturbatione dicta*, teste Eustath. (quæ vox justa, sive exequias significat) & ἔγκνισμα Argivorum,

de

de quo sic Plut. in prob. Græcis, Probl. 24. *Quid est Encnisma Argivorum? Qui cognatum, aut familiarem amisisset, solebat statim a luctu rem sacram Apollini facere, & 30. post diebus Mercurio. Existimabant enim sicut corpora mortuorum a terra, ita a Mercurio animas excipi. Apollinis autem ministro hordeum dantes, carnem hostiæ accipiebant, ignemque ut pollutum extinguentes, aliunde novum accendebant, quo carnem eam coquebant, eamque ἔκνισμα appellabant, a nidore ducta voce.* Ἀποφράδες quoque, teste Suida, Græcis dicti fuerunt dies, quibus defunctis choas inferebant. Atque hæc de nominibus, quibus cùm parentalia in genere, tum sacrificia atque epulæ a Græcis insigniuntur. Nunc sepulchralium, sive funebrium hujusmodi epularum exempla subjiciam, ac ea primo loco, quorum apud Homerum fit mentio, quæ quidem splendida admodum atque magnifica fuerunt.

Conviviorum funebrium exempla.

Achilles igitur in honorem Patrocli demortui, splendidissimum convivium apparari curavit, quod Homerus his verbis describit Ιλ. ψ. statim ab initio.

Achillis in honorem Patrocli defuncti convivium.

Κὰδ δ' ἵζον παρὰ νηῒ ποδώκεος Αἰακίδαο
Μυρίοι· αὐτὰρ ὁ τοῖσι τάφον μενοεικέα δαίνυ.
Πολλοὶ μὲν βόες ἀργοὶ ὀρέχθεον ἀμφὶ σιδήρῳ
Σφαζόμενοι, πολλοὶ δ' ὄϊες, καὶ μηκάδες αἶγες.
Πολλοὶ δ' ἀργιόδοντες ὕες θαλέθοντες ἀλοιφῇ
Εὑόμενοι τανύοντο διὰ φλογὸς Ἡφαίστοιο.
Πάντῃ δ' ἀμφὶ νέκυν κοτυλήρυτον ἔῤῥεεν αἷμα.

Id est,

Discubuerunt apud navem velocipedis Æacidæ
Infinitè, at hic illis epulum funebre lautum instruxit.
Multi quidem boves candidi mugiebant circa ferrum
Dum jugularentur: multæ etiam oves & balantes capræ,
Multæ etiam albis dentibus sues fluentes pinguedine
Ustæ, extendebantur per flammam ignis,
Undique autem circum cadaver multus fluebat sanguis.

De epuli hujusce funebris magnificentia sic disserit Eustath. pag. 1393. *Notandum est hic Homerum in sepulchri, id est, sepulchralis hujusce convivii apparatu eadem ferè commemorare, quæ nuptiali festivitati publicæque panegyri conveniunt. Observandum præterea hæc eadem, quæ hic de funebri isto epulo narrantur, nequaquam convenire priscæ illi heroum* εὐτελείᾳ *&* ἀφελείᾳ, id est, *frugalitati atque tenuitati, verùm sepulchrale hoc epulum ipsis personis esse accommodatum. Achilles enim qui Græcorum facilè fuit princeps, illud in Patrocli, quem quidem singulari amore fuerat prosequutus, honorem curavit celebrari. Et tamen hæc ipsa epuli hujusce magnificentia, si cum illorum temporum magnificentia conferatur, quæ Homerum fuerunt consecuta, pro minimo reputabitur. Nam ut author Dipnosophistarum, præter alia, quæ ab illo commemorantur, testis est, Persarum regi mille quotidie victimæ mactabantur. Hæ autem non erant Græca Chiliombe, sed, ut idem inquit, equi, cameli, boves, asini, cervi, plurimæ oves. Præterea omnis generis aves, struthiones Arabici (quod magnum est animal) anseres, galli gallinacci, quorum tamen eduliorum maxima pars satellitibus impertiebatur, & in illorum usum cedebat.* Hæc Eustathius de hoc epulo funebri, quod in Patrocli obitum celebratum fuit.

Aliud quoque Hectoris epulum sepulchrale ab eodem poëta his verbis describitur, in fine Ιλ. ω.

Hectoris epulum sepulchrale.

Χεύαντες δὲ τὸ σῆμα πάλιν κίον. αὐτὰρ ἔπειτα
Εὖ συναγειρόμενοι, δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα
Δώμασιν ἐν Πριάμοιο.

Hoc est,

Aggesto à tumulo redibant, ac deinde
Benè collecti convivabantur splendidum convivium
Ædibus in Priami.

Apollonius quoque in suis Argonauticis magnificum describit epulum funebre, sive sacrificium, quod Argonautæ propter Idmona mortuum celebrarunt: ejus verba hæc sunt lib. 2.

Argonautarum.

Ἤματα δὲ τρία πάντα γόων (Argonautæ Idmona) ἑτέρῳ δὲ μὲν ἤδη
*Τάρχυον μεγαλωστὶ (μεγαλοπρεπῶς interpreti) συνεκτερέιζε δὲ λαός.
Αὐτῷ ὁμοῦ βασιλῆϊ Λύκῳ. παρὰ δ' ἄσπετα μῆλα
Ἣ θέμις οἰχομένοισι ταφήϊα λαιμοτόμησαν.

*Ταρχύειν & ταρχύειν Eustathio idem est, quod ἐνταφιάζειν μετὰ σεμνότητος παράχυ.

Triduò ergo post obitum defuncti, ut & hinc apparet, & Sardus testatur lib. 1. *de moribus gentium*, Græci apparabant cœnam necessariis, qui coronati lugentes adhortabantur, ut cibum caperent, quod quidem ipsi cunctanter faciebant, ne post charissimorum mortem vitam exoptare viderentur. Quare & sæpius cibum recusat Achilles apud Homerum, interfecto Patroclo. Idem author (Apollonius) alterius quoque sacrificii meminit, quod ad Dolopis, (qui Mercurii filius fuit) sepulchrum celebratum fuit, lib. 1. Num. 23.

Καί μιν (Dolopa) κυδαίνοντες ὑπὸ κνέφας ἔντομα μήλων
Κεῖαν, &c.

Ibi interpretes annotant moris fuisse, ut mortuis in occasu Solis justa peragerentur, cœlestibus verò in Solis ortu,

ortu: ἔντομα autem propriè σφάγια esse τὰ τοῖς νεκροῖς ἐναγιζόμενα, id est, *pecora quæ mortuis jugulabantur*; sic dicta propterea quod humi illorum capita in terram conversa amputabantur, qui quidem τοῖς χθονίοις inferis & mortuis sacrificandi mos fuit, nam cœlestibus sacrificantes victimarum colla sursum vertebant: alii ἔντομα volunt dicta, quasi castrata, quod mortuis ac inferis ὡς ἀγόνοις ἄγονα, cœlestibus autem diis ἔνορχα, id est, *testiculata*, sive coleata sacrificabant.

Mos aliorum Græcorum in epulis sepulchralibus.

Conviviorum porrò funebrium apud alios quoque authores Græcos crebra admodum fit mentio. Athen. lib. 7. Hegesandri poëtæ citat testimonium, apud quem coquus quidam jactabundus hoc modo inducitur loquens, ὅταν ἐν περιδείπνῳ τυγχάνω διακονῶν ἐπὰν τάχιστ' ἔλθωσιν ἐκ τῆς ἐκφορᾶς, *quando fortè ministro in funebri cœna, quum celerrime ex funere redierint.* Idem lib. 8. meminit Dioclis cujusdam opsophagi: qui cum uxori suæ defunctæ περίδειπνον celebrasset, multum simul cum fletu obsonii devoravit, id quod illi Theocritus Chius poëta his verbis exprobravit,

Παῦσαι κλαίων ὦ πονηρέ· οὐδὲν γὰρ πλέον ὀψοφαγῶν ποιήσεις.

Noli flere, ô improbe, nihil enim obsonia comedendo proficies.

Athenis per funeris præfectos epulum apud defuncti necessarios dari consuevisse, testis est Alex. ab Alexandro.

Massilienses inter Gallos olim eruditissimi, utpote a Græcis oriundi, eodem die quo funus esset elatum, domestico sacrificio adhibito, necessariorum & cognatorum convivio celebrato, luctum finire consueverunt, eodem teste.

Epiphanius in sermone *Ancora*, testatur Græcos (id quod Romani quoque & alii, ut postea dicetur, factitarunt) solitos fuisse cibum potumque ad monumenta ferre additis insolentibus clamoribus. Nam ad sepulchra accedentes, nomina sepultorum alta voce proferentes, *Resurge* (dicebant) *tu, comede, & bibe.* Similis ferè mos hodie fertur esse in Livonia. Nam quando funus effertur, ad portam paratæ sunt epulæ, convivæ defunctum alloquuntur hujusmodi ferè prosopopœia utentes: *Quæ tibi causa fuit moriendi? Quin surgis & unà nobiscum comedis, & bibis*, &c.

Platæenses manibus peremptorum civium dabant inferias, præcedente tibicine, vehicula lauro, & myrto fusca cum cortynis sequebantur, tum lactis, vini, & olei libationes succedebant, mox princeps indutus purpura, servis ejectis, taurum ante pyram immolabat: Jovemque ac Mercurium deveneratus, eorum matres, qui pro patria occubuissent, ad cœnæ epulas convocabat, cratere libans vinum, idque se defunctorum manibus propinare affirmabat, atque ita apud eos fiebat expiatio: testis est Gyraldus.

Sic Alani (teste Sardo *de Moribus gentium*) qui Samagithiam incolunt in ea Sarmatiæ parte, quæ Lithuania dicitur, rogo extructo in sylva, parataque cœna, qua ali dicunt defunctum, parentant. Non est quoque silentio prætereundum, quod cum in feralibus illis cœnis moris fuerit nomina mortuorum exprimere, eorum contrà qui sibimet gulam laqueo fregerunt, nomina fuerunt a domesticis iisdem in cœnis supprimi solita, ac proinde exitii præsagium cuidam fuisse, quod is nomen se amisisse somniarat. Hæc Cæl. Rhod. lib. 17. cap. 22. testatur Artemidorum scribere lib. 1. *Onirocriticorum.* Denique Lucianus in lib. *de Luctu*, cùm aliorum rituum atque cæremoniarum, tum ad extremum cœnæ quoque exequialis luculentam mentionem his verbis facit: *Posthæc omnia*, inquit, *restat* περίδειπνον, id est, *cœna funebris. Jamque adsunt necessarii, ut defuncti parentes consolentur, suadentque uti cibum capiant, quanquam illi per Jovem non inviti ad id compelluntur, cum perpetuum jam triduum enecti sint fame. Quod si tibi deliberatum est omnino flere, vel ob hoc ipsum cibus est capiendus, quò tanto luctui par esse possis. Tum denique ex omnibus contexuntur duo versus Homerici:*

Nam cœpit meminisse cibi Niobe auricapilla.

Tum illud, *Vita defunctos flere haud sinit alvus Achivos.*

At capiunt quidem illi, sed initio pudebundi verentesque, ne post charissimorum obitum videantur adhuc affectibus humanis commoveri. Meminit quoque suprà libationum & inferiarum, quas sepulchris inferebant. Summatim in illo opusculo complectitur omnes ferè cæremonias olim in exequiis adhiberi solitas. Idem auctor in lib. *de Mercede conductis*, parasitos, qui sæpe unguentis obliti, coronisque redimiti esurire atque sitire coguntur, columnis sepulchralibus vetusti cujuspiam cadaveris comparat, quibus unguenta infundi, ac coronæ, nec non alia, quæ manibus inferebant, imponi consueverant, cum interim alii epulis paratis atque appositis vescerentur.

Romanorum funebria convivia.

Apud Romanos quoque funebrium hujusmodi sacrificiorum epularumque frequentem multiplicemque usum fuisse legimus, de quorum etiam nominibus primò dicam. Tum de exemplis.

Feralia.

Feralia, inquit Festus, *sunt diis manibus sacrata festa, a ferendis epulis* (scilicet ad tumulum) *vel a ferendis pecudibus appellata.* Hinc Ovid. 2. Fast.

Hanc quia justa ferunt, dixere Feralia lucem,
Ultima placandis manibus illa fuit.

Turnebus in suis Adverf. lib. 4. cap. 22. in illa Virgilii,

Infernum tepido spumantia cymbia lacte,

Inde, inquit, *inferiarum nomen ortum est, quod mortuorum sepulchris inferuntur*, χοαὶ *a Græcis vocantur. Fundebant autem lac, mel, aquam, vinum, olivas, flores etiam spargebant.* Id probat Æschili testimonio illustri. Ipsa quoque cæna, quæ ad tumulum ferebatur, dicta est *feralis.* Juvenal.

Ponitur exigua feralis cœna patella.

Beroal-

Beroaldus in illa verba, *Cœna qualis mortuis dabatur, unde Apulejus in 4. Florid. Exclamavit, vivere hominem, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem a tumulo ad mensam referrent. Feram enim veteres mortem appellavere.* Hinc *feralem pompam* Apulejus lib. 8. *de asino aureo*, id eſt, exequialem, quæ cadavere ferendo, & defuncto funerando exhibebatur: & *officia inferialia* ibidem, necnon *feralia* lib. 9. quæ exhibentur defunctis funerandis, & manibus condendis, & *ferales vittas* Ovidius, hoc eſt, funeri accommodatas, dixit. Plinius *epulum ferale*, & *epulas ferales*; Cicero *epulum funebre* hujusmodi convivium appellavit. A Catullo vocatur *funeris cœna.*

Sed cœnam, inquit, *funeris hæres*
Negligit iratus.

Hujusmodi cœnam Catullus intellexit, cum inquit: *Vidiſtis ipſo carpere è rogo cœnam.* Sic illud Terentii, *E flamma cibum petere*: Turnebus cenſet referendum ad epulas, quæ pro inferiis in rogum mittebantur.

Parentalia quoque dicuntur cum univerſa officia feralia ſive inferialia, ut ab Apulejo nominantur, tum ſpeciatim convivia quæ in parentum, aut propinquorum mortibus fieri conſueverunt, ut teſtis eſt Perottus in ſuo Cornucopiæ. Unde *parentare*, juſta celebrare, & ſacra facere ad ſepulchrum, vel a *parendo*, quod ita *parerent* mortuis, qui viventes ita juſſerant facere, vel quod filii parentibus hoc præſtarent. M. Tullius 1. Philip. *ut cujus ſepulchrum nuſquam extet ubi parentetur, & publicè ſupplicetur.* Annua parentatio dicta ſacrificium, quod quotannis fieri ſolitum fuit in honorem mortuorum. Macrobius & Cato tradunt, *Laurentiam annuæ parentationis honore dignatam.* Parentalia. Parentare. Parentatio.

Juſta quoque vocabantur, quod jure fierent iis, qui de nobis viventes benè meriti fuerant, de quibus Virgilius, Juſta.

Quique ſui memores alios fecêre merendo.

Silicernium, inquit Donatus, *cœna eſt, quæ infertur Diis manibus, vel quod eam ſilentes cernant umbræ, id eſt, umbræ poſſideant: vel quòd, qui inferunt, cernant, ſed non deguſtent. Nam de his, quæ libantur inferis, quiſquis ederit, aut biberit, funeſtabatur.* Nonius *ſilicernium* dicit *eſſe convivium, quod apud veteres ſenibus exhiberi ſolebat, dictum, quod cum ſilentio edentes cernerentur, vel propter defuncti memoriam, vel quod cogitarent ſe mox illum ſecuturos, quapropter abeuntes convivio, veluti ſe amplius non viſuri mutuò ſe ſalutabant.* Varro, *Funus executi lautè ad ſepulchrum antiquo more ſilicernium confecimus, id eſt, convivium, in quo pranſi diſcedentes, dicimus alii aliis, Vale.* Mortuis in fine ſacrorum feralium, alta voce dicere ſolebant, *Salve æternùm, Vale æternùm*, quod & Virgilius in Pallantis funere Æneam protuliſſe ait: Silicernium.

----- Salve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque vale.

Cui ſimile illud Achillis in Patrocli funere Iλ. ψ.

Χαῖρέ μοι ὦ πάτροκλε καὶ εἰν ἀΐδαο δόμοισι.

Et de Polydoro, ---- *Animamque ſepulchro*
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

Ideo autem Varro mortuis ſalve, & vale dici ſolitum ait, non quod valere & ſalvi eſſe poſſint, ſed quod ab iis recedimus, eos amplius nunquam viſuri. *Hinc ortum*, ait Servius, *ut etiam maledicti ſignificationem interdum, vale, obtineat*, ut Terentius, *Valeant qui inter nos diſſidium volunt*, hoc eſt, *Ita a nobis diſcedant, ut nunquam ad noſtrum revertantur aſpectum.* Ergo ea ratione, *Vale* mortuis dicebatur, quaſi a nobis recedentibus. Feſtus ſilicernium ſcribit fuiſſe *genus farciminis, quo familia a fletu in luctu purgabatur, ſic dictum, quia cujus nomine ea res inſtituebatur, is jam ſilicem* (alia exemplaria *ſilentium*, alia *ſolum* habent) *cerneret.* Cæcilius, Silicernium.

Credidi me ſilicernium ejus eſſe eſurum.

Silicernium quoque Terentius ſenem vocat atque decrepitum, hoc eſt, dignum vel cui ſilicerninm fiat, vel qui ad ſilicernium vocetur. Donatus dicit ſilicernium eſſe *ſenem, qui jam jamque ſilentibus umbriſque ſit cernendus*: nec putat ſilicernium dici ſenem, quaſi qui ſilicem cernendo ſit incurvus: at Placiades id probat, ſilicerniique vocabulum inde deducit, quod ſanè etymon Beroaldus in ſuis in Apulejum commentariis lib. 4. probat. Hæc de ſilicernio.

Circumpotatio quoque, quam Cic. lib. 2. de Legibus, jubet a funeribus aufferri, funebris cœna dicitur, quæ vox reſpondet Græco περιδείπνου vocabulo. Circumpotatio.

Dicta quoque eſt cœna funeralis *pollinctura*, ſive *pollinctus*, quo tamen nomine etiam tota funeris curatio intelligitur. Et *pollinctor* qui antequam efferebatur cadaver, illud ungebat odoriferis aromatibus, & unguentis, vel a *liniendo* dictus, vel a *polluendo*, quaſi *pollutorum unctor*, id eſt, cadaveris curator, vel quod in funeribus cœnas opiparas celebrabat, & panes ex polline comparabat. Plautus in Sticho: Pollinctura & pollinctus.

Dum quidem hercle quiſque veniat cum vino ſuo, nam hinc quidem
Hodie pollinctura, præter nos jam dabitur nemini.

Martialis, *Jam ſcrobe, jam lecto, jam pollinctore parato,*
Hæredem ſcripſit me Numa, convaluit.

Plautus, *Carthaginenſes fratres duo fuere, eorum alter vivit, alter eſt mortuus.*
Propterea apud vos dico confidentius, quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

In pollinctu cœna funebri apium, lentem atque sal lugubria fuisse, Alex. Sardus testatur in lib. 2. *de Moribus gentium*, ex Plutarcho. Mulsum ii qui funus efferebant, prius in funesta domo bibebant, lib. 1. Propriè tamen, ut illud quoque obiter addam, pollinctor dicitur quicunque mercenarius operarius, præsertimque in pistrino: unde *pollincere* est farinam in pistrino lucrifactam dividere, & *pollinctio* ipsa divisio dicitur.

Exequiari quoque est in exequiis convivari, & epulari. Varro, *Ipsum propter jus liberti semitracti exequiantur.*

Hæc de nominibus. Veniamus ad rem. Ante omnes igitur omnium maximè illustrem & speciosam cœnæ sepulchralis speciem nobis depinxit atque descripsit nobilis simul & eruditus vir, Marcus Velserus, Matthæi F. augustissimæ illius urbis Augustanæ Patricius: cujus ad antiquum cœnæ sepulchralis monumentum, Bergæ in cæmiterii muro marito ab uxore positum, hæ sunt notæ: Cubat quidam cœnatoriâ veste indutus, effultus suberectusque in cubitu, in scimpodio pluteis utrimque munito, torali pulvinisque strato, ad pedes catellus ludens, cujusmodi delitias adhibebant. Parasitus in Plauti Sticho:

Tantillum loci, ubi catellus cubet, id mihi sat est loci.

Ante lectulum escaria, *cibilla* Varroni, qualem Tigellius apud Horatium optat,

Modò sit mihi mensa tripes.

Utrinque famulæ ministrantes, quod & in aliis lapidibus observo; earum altera manibus ferculum prætulisse videtur. Paulò remotior poculorum mensa, sic enim appellat Servius 1. Æneid. *Cylibantum* Varro lib. 4. de lingua Lat. Græca origine ἀπὸ τῆ κύλικος, cœteroquin vulgus *abacum*, Juvenalis sat. 3.

------ *urceoli sex*
Ornamentum abaci, nec-non & parvulus infra
Cantharus, & recubans sub eodem marmore Chiron.

In quem locum vetus Scholiastes *abacum* interpretatur, quod nos *Delphicam* dicimus, Martialis lib. 12. Epigr. 67.

Argentum atque aurum non simplex Delphica portat.

Chiron mensam sustinuit, quomodo Gryphus hanc nostram, & aliam apud Juvenalem Sat. 11.

------ *Magno sublimis pardus hiatu.*

Sed & Cantharus infra, uti videre est, nostræ convenit: cantharus siquidem vas ansatum Virgilio Eclogâ 3.

Et gravis attritâ pendebat cantharus ansâ.

In ipso abaco fortassis crater primo loco, si verè Isidorus lib. 20. cap. 5. *Cratera calix est, duas habens ansas*; deinde urceolus, quem *ministratorium* vocat Martialis lib. 14. Epigr. 110. calicis demum quoddam genus aliud, sive ampullam potoriam, cujus Martialis quoque meminit, & quam Isidorus similem ait rotunditate bullis, quæ ex spumis aquarum fiunt, sive orcam, sive cymbium, sive quodcunque tandem divinare malumus. E regione autem abaci, vas grande uno tantùm pede fultum, est loco, opinor, tertiæ Varronis mensæ, quam ille *urnarium* vocatam tradit, quòd urnas cum aqua positas haberet, nam hujus vice sinus iste aquarius rectè fungi potuit. Aviculas ei insidentes bibentesque aut turtures, aut cornices, conjugum symbolum accipio, & monumentum marito ab uxore positum autumo. Hactenus ille; quibus præmissis, veniemus nunc ad Romanorum funebria convivia, qui, ut constat ex multis historiis, in funeribus suorum præter alios ritus atque cæremonias, cùm sacrificia atque libationes, tum epulas adhibere fuerunt soliti, idque partim in ipsa sepultura, partim post illam. Livius lib. 9. Decad. 4. testatur P. Licinii funeris causa viscerationem datam, & gladiatores 120. pugnasse, ludosque funebres per triduum factos: post ludos epulum, in quo cùm toto foro strata triclinia essent, tempestas cum magnis procellis orta coëgere plerosque tabernacula statuere in foro. Huc alludit & Tacitus lib. 14. historiæ Augustæ, loquens de morte Agrippinæ Neronis matris, *Cremata est nocte eadem convivali lecto, & exequiis vilibus.* Huc pertinent, quæ de tali convivio lib. 3. & 5. Æneidos, scribit Virgilius,

Romanorum funebria convivia.

Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes.
Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui, miroque incensus pectus amore
Compellare virum, & casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes & littora linquens.
Solennes tum forte dapes & tristia dona
Ante urbem in luco falsi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache, manesque vocabat.

Et iterum lib. 5. *Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat.*
Anchisæ magni, manesque Acheronte remissos.
Nec non & socii, quæcunque est copia, læti
Dona ferunt, onerantque aras, mactantque juvencos.
Ordine ahena locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt verubus prunas, & viscera torrent.

Fera-

Feralis præterea alterius sacri descriptionem admodum copiosam habes apud eundem authorem, lib. 6. Æneidos,

Quatuor hîc primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos, &c.

Porrò & Statius lib. 5. Theb. Archemori exequias describit, qui item in quarto Tiresiam inducit ferale sacrum facere, his verbis,

Tum fera cæruleis intexit cornua sertis,
Ipse manu tractans, notæque in limine sylvæ, &c.

Silius quoque Italicus lib. 13. *Punicorum*, Scipionem inducit similiter patri apud Avernum hujusmodi ferale sacrum peragere, Autonoe Grynea Phœbade monente.

Fuit apud Romanos sacrum sive sacrificium *Novendiale*, quod ex priscorum instituto factum est pro mortuis nono die post obitum, quo quis sepultus fuisset. Hinc Apulejus lib. 6. *Jamque nono die ritè completis apud tumulum solennibus erat.* Horat. in Epod. Romanorum Novendialia.

Novendiales dissipare pulveres.

Servius Virgilianus interpres, enarrans illud ex 5. Æneidos,

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, &c.

Morem fuisse apud majores exponit, *ut ubicunque quispiam extinctus fuisset, ad domum suam referretur, ubi dies septem servatus, octavo die incenderetur, nono sepeliretur.* Ludi quoque, qui in honorem mortuorum celebrabantur, *novendiales* fuerunt dicti. Donatus quoque in Commentario Phormionis tradit, in funere nonum diem voti instaurationem habere. Hæc Beroald. in Apulejum, & Polyd. Virgil. lib. 6. cap. 10. *Hinc igitur*, addit uterque, *apud nos hodie solennia defunctorum septimo die a funere, demptis ex veterum instituto illis duobus diebus, peraguntur, ideoque in Canonicis decretis distinct.* 44. *præcipitur, ut nullus presbyter ad septimana defuncti solennia celebranda vocatus, se inebriari ullatenus audeat, quandoquidem tunc largiter epulantur. Apud Anglos hoc fit vigesimo nono die, postquam defunctus est sepultus. Nos videmur septimo die sacrificium pro mortuis facere, sicut in nuptiis apud priscos septima dies instaurationem voti habebat, ut quemadmodum hoc die initium propagandi generis celebre erat, sic etiam eodem die finis cujusque solennis haberetur.* Hæc illi. Cælius Rhod. lib. 17. cap. 21. *Ethnicorum*, inquit, *moris erat, diebus novem mortuos flere, undè & Novendialium sacrorum enata consuetudo. Ex qua & Cottam Messalinum quandoque coargutum legimus, quòd, quum die natali Augustæ inter sacerdotes epularetur, Novendialem eam cœnam dixisset, ceu lessum planè tunc foret factum.* Idem quoque in sequentibus rationem reddit cur pro Novendialibus hodie septimana a Christianis celebrentur, de quibus partim jam dictum, partim plura dicentur, quando de Christianorum consuetudinibus dicetur. His porrò Romanorum sacris atque cœnis Novendialibus, Græcorum ἔννατα, de quibus suprà, & re & nomine videntur respondere. *Novendiales feriæ*, inquit Festus, *a numero dierum sunt dictæ.* His adde, quòd ut nonus dies nascentium, qui *lustricus* dictus est, fuit celebris, ita quoque nonum diem morientium similiter festivum veteribus fuisse. Gyrald. Syntag. 17. *Novendiale sacrum*, inquit, *dupliciter actum apud Romanos observavimus, uno modo cum defunctis parentabant, seque lustrabant, ut in sepulchralibus docui: altero, cùm prodigium aliquod accidisset, quod Novendiali sacro expiare solebant, ut est frequenter cùm apud alios, tum maximè apud Livium observatum, ita verò perficiebatur, ut video doctis placere. Novem dies assiduè deis sacrum faciebant, quod sacrum indici solebat vel a Pontifice Max. vel a Prætore urbano & Senatus decreto.*

Fuerunt etiam apud priscos feriæ *Denicales* nominatæ, quæ, teste Festo, colebantur, cùm hominis mortui causa familia purgabatur. Græci enim νεκρὸν mortuum dicunt, quanquam non ineruditè fortassis, ut Gyraldo videtur, a denarii numero deriventur. Post nonum enim diem, quo tumulo cineres condebantur, decimo peragebantur. Harum feriarum meminit Columella his verbis, *Nos apud Pontifices legimus, feriis tantùm Denicalibus multos jungere non licere, cæteris licere.* Sed & Marcus Tullius in libris *de Legibus*, earundem meminit, licet locus ille parum sincerè legatur. Feriæ Denicales.

Februa quoque apud Romanos dicta sunt defunctorum piamina, quòd Sabinorum lingua *februum* purgamentum significaret: vel, ut alii volunt, *a femore*, quoniam adolendo, & flammis ferventibus fierent. Unde & *Februarius* mensis nomen invenit a *februando*, eo enim mense populus, *februabatur*, id est, purgabatur. Nam per dies duodecim continuos februa celebrabantur pro defunctorum manibus, hisque diebus pro impetranda mortuorum animabus quiete, omnis populus piaculis sacrificiisque circa sepulchra accensis facibus cereisque intentus erat. Huc facit quod Plutarchus Februarium mensem Græcè καθάρσιον, id est, *expiatorium*, sonare annotat, in vita Romuli. In quam sententiam Juba Manusius nomen ei esse a tollendis atque abolendis spectrorum terriculamentis, maniumque, quibus parentabant, phantasmatis scripsit, Athenæo teste. Hæc Adrianus Junius *de annis & mensibus*, & Gyrald. Syntag. 17. *de Diis*, & *in libro de Annis & mensibus* ex Sexto Pomp. Plutarcho in Numa, & Ovid. Februa.

His Romanorum Februis persimilia videntur esse illa Christianis usitata omnium animarum solennia, & anniversaria justa, quæ postridie Calendarum Novemb. fiunt, de quorum origine (licet aliter tradant) vide Polyd. Virgil. lib. 6. cap. 9. qui sub finem capitis sibi (scribit) *verisimile videri, Odilonem Monachorum Cluniacensium morem hunc, anniversarias defunctorum exequias celebrandi instituisse, ad imitationem veterum ethnicorum apud quos mos iste ad sepulchrum parentandi jampridem inoleverat.*

Lemuria. *Lemuria* quoque, quæ a nonnullis *Lemuralia* dicuntur, Romani diis inferis instituerunt, ad placandos in primis Remi manes, unde & quidam *Lemuria* quasi *Remuria* dicta putavere, ut ait Porphyrion. De his vide & Gyrald. Syntag. 17. & Had. Junium *de annis & mens.* &c.

His adde *Exverras*, quæ sunt purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quæ fit per everriatorem (is fuit, teste Pompejo, *qui accepta hæreditate justa facere defuncto debet*) certo genere scoparum adhibito, ab *extra verrendo* dictas volunt.

In parentalibus porrò, ut Gyraldus docet, fabas assumere moris fuit, sicut & in pervigiliis cicer, & ad ferales cœnas, lentesque & offas ad sepulchra illorum ferre, quibus parentare jus erat, quæ & *feralia* à ferendis epulis dicta putantur, ut ait Festus: seu a feriendis pecudibus, quas in defunctorum sepulchris super nuda silice apponebant. In his cœnis præter legumina, & apium quoque apponi solitum observavi, quod contra ebrietatem facere existimaretur. De his feralibus sive parentalibus, eorumque tenuitate sic Ovidius,

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes, pietas pro divite grata est
Munere, non avidos styx habet ima deos.
Tegula porrectis satis est vallata coronis,
Et sparsæ fruges, parvaque mica salis.
Inde mero mollita Ceres violæque solutæ,
Hæc habeat, media testa relicta via.

Et idem mox; *Hanc, quia justa ferunt, dixère feralia lucem,*
Ultima placandis manibus illa dies.

Observatione quoque dignum est, quod Plinius lib. 9. cap. 10. dixit milvum, rapacissimam & famelicam semper alitem, nihil esculenti rapere unquam ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex aris.

Hisce autem sacrificiis, libationibus epulisque sacris vulgò sibi persuadebant mortuorum animas plurimum adjuvari atque relevari, & ex Stygiis paludibus ad campos Elysios in requiem, & refrigerium deduci. Illas verò animas, quæ viventium orationibus atque sacrificiis essent destitutæ, in cruciatibus torqueri, vel vagam miseramque vitam agere. Ita Elpenoris umbra conqueritur apud Homerum Odyss. 12. & Palinurus apud Virg. Æneid. 6. De hujusmodi autem sacrificiis, & libamentis, si vis, vide plura apud Gyraldum *de diis gentium*, Lazium, & alios. Hìc de epulis potissimum, quæ cum sacrificiis ferè semper fuerunt conjunctæ, proprius est dicendi locus. Multi apud Romanos testamento quoque legaverunt epulum quotannis ad sepulchrum rosis, & variis respersum floribus atque odoribus pro hæredum facultatibus exhibendum. Juvenal. Sat. 3.

Unde epulum possis dare centum Pythagoreis.

Cicero pro Muræna, *Q. Tubero, cum epulum Q. Maximus Africani patrui sui nomine populo Romano daret, rogatus est a Maximo, ut triclinium sterneret: cum esset Tubero ejusdem Africani sororis filius. Atque ille homo eruditissimus, ac Stoicus, stravit pelliculis hædinis lectulos Punicanos, & exposuit vasa Samia, quasi verò esset Diogenes Cynicus mortuus, & non divini hominis Africani mors honestaretur*, &c. Idem in Orat. pro L. Plancio, *Sepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audacissimorum, ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est.* A. Vitellius, teste Suetonio, *medio Martio campo, adhibita publicorum sacerdotum frequentia* (hic ferè mos est Christianorum) *inferias Neroni dedit*, id est, Neroni sacrificavit (inferiæ enim dicuntur exequiæ, & sacrificia, quæ diis manibus inferuntur) *ac solenni convivio citharœdum placentem palàm admonuit, ut aliquid de Domitiano diceret, inchoantique Neroniana cantica* (in Neronis laudem edita, vel ab ipso Nerone inventa, & usurpata) *primus exultans etiam plausit*, id est, plausu excepit, & approbavit. Lazius lib. 3. *de Republica Romana*, hoc genus epuli duobus vetustatis exemplis confirmat, quorum alterum Ravennæ, alterum Romæ erutum est.

Ravennæ.

OB MEMORIAM PATRIS SVI. DEC. VII. COLLEGII FABR.
M. R. HS. 8. N. LIBERALITATE DONAVIT, SVB HAC CONDITIONE VT QVOTANNIS ROSAS AD MONVMENTVM EIVS
DEFERANT ET IBI EPVLENTVR DVNTAXAT IN V. IDVS
IVLIAS, QVOD SI NEGLEXERINT TVNC AD VIII. EIVSDEM
COLLEGII PERTINERE DEBEBIT CONDITIONE SVPRA DICTA.

Romæ. O. M.

P. CORNELIA ANNIA NE IN DESOLATA ORBITATE SVPERVIVERET, MISERA VIVAM ME VLTRO IN HANC ARAM
CVM VIRO DEF. INCOMPARABILI AMORE DIL. DAMNAT.
DEDO CVM QVO VIXI. ANN. XX. SINE VLLA DO. LIB. LIBERTATIBVSQ. NO. VT QVOTAN. SVPER ARAM NO. PLOTONI ET OXORI
PROSERPINAE OMNIBVSQ. SACRIFICENT ROSISQ. EXORNENT
DE RELIQ. IBI EPVLENTVR.

Hujus-

Hujusmodi autem epulas funebres apud Romanos magna cum pompa, ac magnificentia celebrari fuisse solitas, Cic. in sua illa interrogatione in Vatinium clarissimè testatur, in qua epuli funebris, quod a Q. Ario fuit exhibitum, mentionem facit: ejus verba hæc sunt, *Atque illud etiam scire ex te cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arii familiaris mei cum toga pulla accumberes? quem unquam videris? quo exemplo, quo more feceris?* Et paulò post, *Cedò, quis unquam cœnavit atratus? ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epulæ quidem ipsæ dignitatis. Sed omitto epulum, populi Romani festum diem, argento, veste, omni apparatu ornatuque visendo: quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla unquam data est: cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli dominus Q. Arius albatus esset, tu in templum Castoris te cum C. Figulo atrato cæterisque tuis furiis funestum intulisti, quis tum non ingemuit?* Paulò post mentionem facit epuli magnificentissimi Fausti adolescentis, tandemque concludit hunc locum, his verbis: *Quæ te tanta tenuit amentia, ut tu, nisi id fecisses, quod fas non fuit, nisi violasses templum Castoris, nomen epuli, oculos civium, morem veterum, ejus qui te invitarat authoritatem, parum putares testificatum esse, supplicationes te illas non putare?*

Ex his Cic. verbis quoque colligimus epulas hasce funebres partim fuisse publicas, partim privatas atque domesticas. Præterea Romanos in epulis illis albis usos fuisse vestibus, quas quidem in luctu usurpatas fuisse ex aliis quoque authoribus constat. Argivi ex Græcis omnibus, in funeribus albis vestibus, ablutis aqua, teste Socrate, soli induebantur. Plutarchus in Problemat. testatur, fœminas in luctu purpuram atque aurum deposuisse, albasque vestes induisse, idemque propinquos factitare voluerunt, quemadmodum & mortui corpus albis vestibus velabatur. Alba autem veste idcirco corpus exornabant, quia solus albus color syncerus ac purus, minimeque inquinatus est, & ob id mortuis aptissimus Sic in Euangelio legimus corpus Domini sindone indutum fuisse, quo vocabulo lineum velamen significatur. Mox eandem purpuram, & aurum, cum eluxissent sumebant; author Livius. Hinc arbitror natum ut hodie reginæ Francorum post mortem viri, albis tantum induantur vestibus, & si qua vidua sit, *regina alba* vulgò vocitetur. Hæc Polyd. Virgil. lib. 6. cap. 9. Albæ vestes in epulis funebribus usitatæ.

Porrò, ut ad propositum redeam, epularum hujusmodi funebrium magnificentia inde quoque patet, quòd in illis institutum fuit, ut omnia carius vænirent, quare *ad pollinctum emere* sermo percrebuit. Ferturque Numæ edictum *ne pisces, qui squamosi non essent, ad pollinctum emere fas esset*, scilicet ne nimis magno in funeralibus cœnis mercarentur, quam cœnam *pollincturam* dixère. In qua etsi nihil deesset, omniaque affatim suppeditarent, lætari tamen minimè decebat, fuitque institutum ut per vini cibique lenimen defuncti desiderium levaretur, ut testis est Alex. ab Alexandro. Operæpretium quoque hinc erit addere illa Julii Pauli verba lib. 1. *Sententiarum*: sub titulo *De sepulchris & lugendis*: *Qui luget*, inquit, *abstinere debet a conviviis, ornamentis, & alba veste.* Fuit hic Julius Paulus Papiniani discipulus, & floruit L. Septimii Severi temporibus.

Nunc de ferarum quarundam gentium epulis funebribus monstrosis sanè quædam dicamus. Herod. libro 4. de Scytharum epulis funeralibus sic scribit: *Illos cùm decesserunt, proximi quique in palustris collocant, ad amicos per quadraginta dies circumferunt. Eos singuli amicorum excipientes, epulum cadaver comitantibus præbent tam propinquis, quàm cæteris. Ad hunc modum privati homines* (de regum sepultura paulò antea dixit) *circumaguntur, dehinc humantur.* Hæc ille. Epulæ funebres monstrosæ.

Thracum Herodotus hanc sepeliendi consuetudinem prodidit. *Triduo*, inquit, *cadaver proferunt, mactatisque quotidie victimis comessantur*, &c. Thraces.

Persæ in regum funere solebant sacrum ignem extinguere, regisque cadaver indutum armis in suggestu locare inter decem lectos mortuorum, sustinentes simulachra, septem dies divisi in contubernia milites epulabantur næniasque canebant, testis est Sardus lib. 1. Persæ.

Massilienses, teste Valerio Max. *liberorum atque servorum corpora ad sepulturæ locum plaustro vehere sunt soliti, sine lamentatione, sine planctu, sine luctu funeris, dies domestico sacrificio adjectoque necessariorum convivio finiebatur.* Addit Valerius, *Etenim quid attinet humano dolori indulgere? aut divino numini invidum fieri, quòd immortalitatem suam nobiscum partiri voluerit?* Massilienses.

Essedones Scythiæ & ipsi populi, parentum suorum funera cantibus læti prosequi fuerunt soliti, convocatisque propinquorum cœtibus, cadavera ipsa (ô horrenda parentalia!) dentibus laniarunt, pecorumque visceribus, mixta convivis inter epulas apposuerunt. Osse autem capitis, quod cranium vocamus, & calvarium, poculi loco usi fuerunt, quod & auro circumornarunt, ut Solinus author est, & Mela. Alii Celtis hoc attribuunt, quod modò de capitis osse dixi. Unde Silius Italicus libro 13. *Punicorum*, Essedones. Celtæ.

At Celtæ vacui capitis circundare gaudent
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.

Plinius & Paulus Ticinensis testantur, Germanos calvam auro cælare solitos fuisse. Hinc teste Liv. Decad. 3. lib. 3. Boii caput Posthumi ducis sui in prælio cæsi præcisum ovantes templo, quod sanctissimum apud eos erat, intulerunt. Purgato inde capite calvam auro cælaverunt, idque sacrum iis vas erat, quo solennibus libarent, poculumque idem sacerdotis, ac templi antistitis erat. Aventinus lib. 1. *annal. Bojorum*: *Vidi*, inquit, *ego nostrates ex ossibus capitum humanorum bibere, & divorum capitibus pro pateris uti.* Aliter ab Herodoto traditur, ait enim: *Defuncti caput denudatum purgatumque inaurant, eoque pro simulachro utuntur, agentes illi quotannis majores & hostias & cæremonias.* Hæc filius patri facit, quemadmodum Græci natalitia.

Indorum quoque, quorum multiplex variaque sepeliendi consuetudo fuit, nonnulli, qui Calati nominantur, Indi.

tur, parentes suos priusquam annis, aut morbo aliquo in maciem seniumque abirent, velut Deorum hostias mactare, cæsorumque visceribus epulari fas maximeque pium judicabant. Quamobrem Darius accitos (qui in sua ditione erant) Græcos percontatus est, quanta pecunia vellent defunctis parentibus vesci. Illis negantibus, ulla se pecunia hoc esse facturos, Darius deinceps Græcis præsentibus, & quæ dicebantur, per interpretem dicentibus, interrogavit illos Indos, quantum accipere pecuniarum vellent, ut patres defunctos comburerent, Indi vehementer reclamantes, meliora illum ominari jubebant: unde Herodotus horum omnium testis addit, *Rectè Pindarum dixisse, morem omnium esse regem.*

Padæi. Padæos gentem Indicam, pecuariæ rei deditam, scribit Herodotus ægrotantes interimere, ac epulari, mulieresque mulieribus idem officii præstare, etiamsi se negent ægrotare. *Qua causa*, inquit, *pauci apud eos ad senectutem pervenire dicuntur, & si perveniant, mactati itidem comeduntur.*

Massagetæ. Sic Massagetæ quoque Scythica gens, eos miserrimos, ac infelicissimos putabant, qui infirmitate ac morbo decumbentes morerentur, talesque feris bestiisque vorandos projiciebant. Unde cùm parentes & propinqui in senium vergerent, jugulabant eos & in frusta concisos, & ovium pecudumque carne permixtos in mensa appositos absumebant, satius rati a se illos, quàm a vermibus consumi. Languore extinctos non edebant, sed terra operiebant, damni loco putantes, quòd ad immolationem non venissent, testis est Herod. lib. 1.

Ponticæ gentes. Idem Ponticis quoque gentibus ascribit Tertullianus in libris adversus Marcionem: *Parentum*, inquit, *cadavera cum pecudibus cæsa convivio convorant: qui non ita decesserat, ut escatilis esset, maledicta mors existimabatur.*

Derbices. Derbices similiter gens Scythica, Hyrcanis proximi, eos qui septuagesimum annum jam excessissent, jugulabant, & in conviviis appositos, necessarios, & propinquos ad epulas convocabant, abstinebant verò vetularum carnibus, eas tantum præfocatas condebant. Atqui si ante id temporis spatium aliquis fato cessisset, non esse, sed terra condere solebant. Lucianus in libro de Luctu: *Græcus*, inquit, *cadaver exurit, Persa defodit, Indus adipe suillo oblinit, Scytha devorat, muria condit Ægyptius. Atque hic quidem (rem a me visam narro) desiccatum cadaver, convivam & compotorem adhibet.* Atque hæc de Androphagorum, sive Anthropophagorum illorum antiquorum ferissimis immanissimisque epulis funebribus, quarum fercula potissima fuerunt demortuorum carnes, quas pecoribus permixtas devorare consueverunt.

Americenses. His persimilia sunt Americensium aliorumque nostri temporis Anthropophagorum convivia immanissima, in quibus hostium suorum, quos præsertim in bello ceperunt, per dies aliquot priùs bene saginatorum cadavera assata, ceu suavissimas delitias magna cum lætitia, lascivia atque tripudiis devorare consueverunt. De Americensium hujusmodi conviviis funestissimis vide quæ scribit Johannes Leryensis Gallus, oculatus testis, in sua illa Navigationis historia, recens Gallico sermone in lucem edita. Atque hæc de antiquis Judæorum, Græcorum, Romanorum aliarumque gentium barbararum funebribus epulis satis sint dicta.

Christianorum funebria convivia. Ab illis porrò cùm aliæ cæremoniæ exequiales, tum varia & multiplex in funeribus, postque funera convivandi epulandique consuetudo ad Christianos promanavit. Græci, Romani, atque etiam Judæi gentilium illorum, ut nonnulli volunt, imitatione, statis quibusdam diebus, cùm alia quoque quædam sacra pro mortuis obirent, epulas dapesque ad sepulchra deferebant ibique epulabantur, ex quibus commodum aliquod sive solatium in mortuos redundare sibi persuadebant, unde sunt apud authores *ferales cœnæ*, *silicernia*, *funerum fercula*, de quibus suprà. De hoc more scribunt & Beleth & Durandus *in rationali divinorum*, & alii, nempe *morem fuisse gentilium singulis annis mense Februario, hac die præsertim, quæ est 22. ejus mensis, vinum & epulas offerre Diis supra sepulchra parentum & cognatorum suorum, quos ab animabus circa sepulchra oberrantibus, quas Umbras vocabant, devorari putabant.*

Adrianus Junius, & Gyraldus in libro *de annis & mensibus*, indicant ex Ovidio & Valerio Max. die 19. Febr. ab Ethnicis celebrata esse charistia, quæ ipsi interpretantur *sacra pro defunctis cognatis.* De eadem consuetudine sic scribit Jacobus de Voragine: *Error quidem erat*, inquit, *quòd credebant animas defunctorum circa monumenta suorum corporum morari. Superstitio autem erat, quòd cibaria & vina super tumulos Charorum suorum ponebant, credendo, quòd animæ talibus indigerent. Illusio autem, quòd Dæmones (imò sacerdotes) nocte omnia absumebant. Hunc errorem Veteres tollere ac penitus extirpare volentes, instituerunt festum de cathedra Petri, tam de illa, quæ Romæ, quàm quæ Antiochiæ fuit.*

Verùm ne sic quidem a superstitione & crapula illa abduci potuerunt omnino, quin subinde ad vomitum redirent, quod ex Synodi Turonensis anno 570. celebratæ juxta Danvinium cap. 23. colligitur, ubi sic sancitum: *Sunt qui in festivitate Cathedræ Petri Apostoli cibos mortuis offerunt, & post Missas redeuntes ad domos proprias, ad gentilium revertuntur errores, & post Corpus Domini sacratas Domini escas accipiunt*, &c. Ab his epulis tam gentilium, quàm Christianorum festum hoc etiam appellari consuevit, *Festum B. Petri epularum.* Hoc festum superstitiosum simul & luxuriosum, quod jam antiquitus in Rom. Ecclesia exoleverat, Paulus IV. Pontifex anno 1556. ad 15. Cal. Febr. restituit, teste Onuphrio Danvinio in appendice ad Platinam, in vita Pauli IV.

Origenes quoque lib. 3. in Johan. docet, Christianos suo tempore ad defunctorum memorias cibos aliaque donaria contulisse, quas *Collationes* Tertullianus libro *de Monogamia*, & *de Corona militis*, *Oblationes* vocat. Testatur & Theodoretus lib. 8. de Martyrib. suo tempore Sanctorum Martyrum solennitates populari epulo celebratas fuisse. Idem Serm. 15. de Sanctis, hanc Silicernia, id est, super tumulos defunctorum cibos & vina conferendi consuetudinem graviter reprehendit: eam *errorem perniciosum, & superstitiosum fideique contrarium*

rium appellans. Animas enim & spiritus egressos de corporibus, cibos, epulas & refectiones carnales non requirere, iis non indigere, iis non delectari; quanquam Augustini tempore Sacramenta fuerunt etiam defunctis porrecta atque collecta. Sed contra hoc Concilium Carthaginense III. cui etiam Augustinus interfuit, statuit, nec Baptismum nec cœnam defunctis esse dandam. Hunc morem Christianorum nonnulli primitivæ Ecclesiæ strenuè fuerunt imitati, qui ad martyria, id est, martyrum sepulchra non modò precari, vigilias agere, verumetiam liba offerre, & epulari consueverunt, in quo compescendo vetusti patres plurimum laborarunt. Augustinus lib. 8. de Civitate Dei, cap. 27. *Nec tamen*, inquit, *nos eisdem martyribus, templa, sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus*: & paulò post; *Quicunque etiam epulas suas eò* (scilicet ad martyrum monumenta) *deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo, tamen quicunque id faciunt, quas cum apposuerint, orant, & auferunt ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt, per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Non autem ista esse sacrificia martyrum novit, qui novit unum, quod Deo illic offertur sacrificium Christianorum. Nos itaque martyres nostros nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, sicut colunt illi deos suos, nec sacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum sacra convertimus.* Ejusdem moris idem pater mentionem facit lib. 7. *confessionum*, ubi luxum ejusmodi epularum sepulchralium graviter reprehendit, nec non Psalm. 64. & in sermone quodam de cathedra Petri, epistol. 119. & 64. ubi hunc morem sublatum & abolitum esse cupit. *Comessationes*, inquit epist. 64. ad Aurelium Episcopum, *& ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, ut in honorem beatissimorum martyrum, non solùm per dies solennes, quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit, sed etiam quotidie celebrentur*: & paulò post, *Sed feramus hæc in luxu & labe domestica, & eorum conviviorum, quæ privatis parietibus continentur, accipiamusque cum eis corpus Christi, cum quibus panem edere prohibemur: saltem de sanctorum corporum sepulchris, saltem de locis sacrorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare privatim, quod cum frequentatur in sanctis locis, honor martyrum nominatur?* Et paulo post, *Sed quoniam istæ in cœmeteriis ebrietates, & luxuriosa convivia, non solùm honores martyrum a carnali & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum, &c.* Idem de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 34. *Nolite*, inquit, *consectari turbas imperitorum, qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt. Novi multos esse sepulchrorum, & picturarum adoratores: novi multos, qui cum luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliunt.* Ambrosius quoque in lib. *de Helia & jejunio* cap. 17. eandem consuetudinem his verbis perstringit: *Sicut illi qui calices ad sepulchra martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placare, qui jejunio passiones sustinere didicerunt.* Hæc ille. Cyprianus *de duplici martyrio. Temulentia*, inquit, *adeò communis est Africæ nostræ, ut propemodum non habeant pro crimine. Annon videmus ad martyrum memorias Christianum a Christiano cogi ad ebrietatem? An hoc levius crimen esse dicimus, quàm Baccho hircum immolare?*

Epulæ sepulchrales Christianorum primitivæ Ecclesiæ.

Augustinus.

Ambrosius.

Cyprianus.

Similis consuetudo, quam antiquissimam esse, & non modò Ethnicis a vera religione aversis, verumetiam Christianis primitivæ Ecclesiæ familiarem fuisse, testimoniis quibusdam probatum est, hodie quoque apud Turcas, & Americenses obtinet. De Turcis sic scribit Bartholomæus Georgevizius in sua historiola, quam conscripsit de Turcarum moribus vitæque consuetudine: *Sæpius*, inquit, *ad monumenta mortuorum cum luctu redeunt, & inferias ciborum monumento superposito, panes, carnes, caseus, ova, lac, Novendialis cœna, more Ethnicorum pro anima defuncti, devoratur a pauperibus, aut avibus cœli & formicis. Dicunt enim æquè gratum esse Deo offerri eleëmosynam tam brutis animantibus, quàm hominibus, cum ob amorem Dei offertur. Multos vidi, qui aviculas data pecunia, quanta illæ æstimabantur, evolare jusserunt, alios panem piscibus in flumen projicere amore Dei, cum dicerent, se pro tali officio pietateque erga egentes amplissimam a Deo mercedem consecuturos. En quo homines nonnunquam progrediantur amentiæ, quando quicquid bona, uti loquuntur, intentione Deique nomine agunt atque moliuntur, id Deo, sive id verbo ejus consentaneum sit, sive non, gratum & acceptum esse, ejusque illum se remuneratorem habituros esse sibi persuadeant.*

Turcæ.

De Americensibus autem hæc litteris memoriæque recens prodidit Johannes Leryensis testis αὐτόπτης (de quo paulò ante dictum est) *A prima statim nocte, postquam cadaver defuncti, eo quo dictum est, ritu terræ fuit mandatum, magnas patinas farinæ, volucrum, piscium aliorumque ciborum prius bene coctorum plenas unà cum potu, cacum dicto, defuncti sepulchro imponunt, idque more planè diabolico tandiu facere continuant, donec ipsum cadaver putrefactum esse existimant. Id autem faciunt, quia hujusmodi mentis errore sunt imbuti, ut existiment diabolum, (quem sua lingua Ayguam appellant) nisi alios cibos, quos devoret, ibi præsentes habeat, ipsum cadaver effossurum rursus atque devoraturum esse. Ab hoc errore*, addit author, *Illos abducere eo nobis fuit difficilius, quod Nordmanni quidam interpretes, qui ante nos in regionibus illis versati sunt, sacerdotum Belis imitatione, cibos illos sepulchris impositos, noctu clam surripuerunt, quos miseri illi homines a diabolo illo suo devoratos fuisse crediderunt. Hæc itaque Nordmannorum fraus ita illos in suo illo errore obstinatos reddidit, ut quantumvis vel ipsa experientia summo studio illis demonstrare simus conati cibos illos, quos vesperi in sepulchro collocarant, crastino die illibatos adhuc reperiri, vix tamen paucis quibusdam id persuadere potuerimus.*

Americenses.

Atque hic quidem agrestium illorum hominum error parum admodum a Rabbinorum, hoc est, Doctorum Judaicorum, necnon Pausaniæ deliriis videtur differre. Rabbini enim, quorum multa alia sunt errorum opinionumque falsarum monstra atque prodigia, defunctorum corpora credunt diaboli cujusdam potestati esse permissa, quem illi *Zazelum* aut *Azazelum* appellant, quemque in Levitico ajunt *deserti principem* appellari. Atque ad hanc quidem impiam absurdamque suam opinionem confirmandam, quædam sacrarum litterarum loca,

Rabbinorum error.

loca, ut Lev. 16. Isa. 65. & in primis illa Dei verba ad serpentem Gen. 3. (*vesceris pulvere toto vitæ tuæ tempore*) impiè impudenterque detorquent. *Quoniam enim*, inquiunt illi, *corpus humanum ex terræ pulveribus atque luto (qui quidem diaboli est cibus illi a Deo assignatus) est conflatum, idcirco illud ejus potestati esse subjectum, donec in spiritualem naturam fuerit conversum.* Pausanias similiter dæmonis cujusdam mentionem facit, cui nomen *Eurinomus*, a quo oraculorum Delphicorum interpretes mortuorum carnes omnino devorari, nec quicquam ab illo præter ossa reliquum fieri constanter affirmarunt. His adde quod Græci μελιτῦτταν, id est, *placentam mellitam*, mortui ori statim imposuerunt, quam objiceret latranti Cerbero, sicuti δανάκην *Charontis naulum*, teste Alexandro Sardo, Ferrar. lib. 1. *de Moribus gentium.* In Peruanorum similiter exequiis, cùm multa alia absurda, tum hoc maximè, quod aliquot sui liquoris (quem illi *Cicha* appellant) pocula in sepulchrum invergentes, eum per calamum usque ad mortui os pertinentem seu infundibulum transmittunt, auctor est August. Zarat. historiæ Peruan. lib. 1. cap. 12. Sic mortuis quoque olim Eucharistiam a Christianis nonnullis dari fuisse solitam, videtur posse colligi ex Antisiodorensis Concilii canone 12. quo decernitur, *ne mortuis Eucharistia aut osculum detur, nec velo, aut palliis corpora eorum involvantur.*

Christianorum error. Præterea ut olim Ethnici, præsertim Romani congiaria, visceratione, sportulas in funeribus populo largiri consueverunt, ita quoque Christiani primitivæ Ecclesiæ ad defunctorum memoriam cibos, & alia donaria in pauperum, & clericorum usum contulerunt, ut ex Origenis lib. 3. in Joëlem colligitur: hinc qui ea conferebant, *sportulantes* vulgò vocabantur. Hujusmodi porrò sportularum collationes in pauperum atque clericorum usum, *oblationes* quoque sæpenumerò a patribus appellantur. Ut Tertullianus in libro *de Monogamia: Enimvero pro anima ejus orat, & refrigerium interim postulat, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus* (annuè recurrentibus) *dormitionis ejus. Hinc*, inquit B. Rhenanus, *Anniversariorum sacrorum cum eleëmosynis origo, quæ apud nos perpetua instituuntur. Sed in conciliatione matrimonii fiebat oblatio.* Nam sic scribit in calce secundi libri ad uxorem suam: *Unde sufficiam*, inquit, *ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, Pater ratò habet?* Idem pater in exhortatione castitatis ad maritum (quem librum Hieronymus adversus Ecclesiam scriptum esse dixit) inter alia inquit, *Et jam repete apud Deum, pro cujus spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas*: has orationes oblationesque paulo post *sacrificium* appellat. Idem de corona militis. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis annua die* (singulis annis recurrente) *facimus.* In hæc posteriora verba sic B. Rhenanus commentatur: *Hoc tametsi Ethnicum aliquandiu toleravit Ecclesia, Concilium Nicenum & sequentia apertè damnant, ut primorum Conciliorum canones ostendunt, qui in pluribus adhuc Bibliothecis extant digni, qui in lucem emittantur. Author est Pontius Paulinus, populum qui ad natalem D. Fœlicis Nolam confluebat, epulari solitum in æde sacra. Proinde ipse parietes templi picturis ex veteri Testamento desumptis, ornandos curavit, ut accumbentes in communi mensa spectandis illis occupati, temperantius convivium exigerent. Id quod propterea duxi referendum, ut mos comessandi in dedicationibus templorum, & natalibus divorum diebus antiquitus esse cognoscatur. Opus autem erat olim multa Christianis indulgere, qui plerunque jam senes de paganismo ad nostram religionem convertebantur. Porrò in celebrando natali die genialis Ethnicorum lætitia a præsulibus Christianis rectè in oblationes (quæ in eleëmosynam pauperum conferebantur) mutata est, quum ad nostram illi religionem transiissent.* Hæc Rhenanus, qui illam martyrum natales epulis celebrandi consuetudinem Ethnicam esse, & aliquandiu a Christianis toleratam, sed tamen Concilii Niceni aliorumque sequentium canonibus damnatam fuisse confitetur. Sed quod ille de natalitiis affirmat, idem quoque de anniversariis illis Christianorum sacris atque oblationibus pro defunctis dici posse, nemini cui Ethnicorum varia sacra atque sacrificia pro defunctis fieri solita, de quibus suprà, nota sunt, dubium esse potest, quin illorum quoque origo ad Ethnicos sit referenda. Notabis quoque non omnes consuetudines antiquitatis solo nomine approbandas esse. Adhæc, id quod ad propositum præsens maximè facit, observatu dignum est, oblationum nomine, B. Rhenano Ecclesiasticarum antiquitatum peritissimo teste atque interprete, ea quæ in pauperum eleëmosynam conferuntur, intelligenda esse, id quod ex Canone quoque illo Carthaginensi & Vafrensi 13. q. 2. clarissime constat, *Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut difficulter reddunt, illi tanquam egentium voratores, qui pauperes consolatione, alimonia, & necessaria sustentatione defraudant, habendi sunt.* Hujusmodi autem sportularum oblationumque mos antiquus hodie quoque apud multos Christianos cum funeribus epulisque funebribus est conjunctus, quæ partim in pauperum, partim in sacerdotum usum cedunt.

De diebus defunctorum memoriæ destinatis. Præterea olim Græci atque Romani, sicuti suprà dictum est, certos quosdam ac definitos dies, in tertium, septimum, nonum, & quidem trigesimum & quadragesimum, non sine quadam numerorum religione defunctorum manibus, atque memoriæ statuerunt, illosque partim sacris nonnullis (de quibus suprà dictum) partim epulis celebrarunt. Hujusmodi fuerunt Græcorum quidem Necysia, Ennata, Enagismata, Cterismata, Encnismata, Tarchymata, Triacontades: Latinorum verò Justa, Exequiæ, Inferiæ, Parentationes, Novendialia, Denicalia, Februa, Feralia, & alia hujusmodi, de quibus suprà dictum. Eundem ferè morem atque consuetudinem hodie Christianorum quoque quàm plurimi diligenter studioseque observant. Habent enim & illi certos quosdam dies, quos mortuis dedicatos, partim sacris quibusdam atque cæremoniis, partim lautissimis epulis celebrant. Apud Germanos quidem illi, qui se Catholicos profitentur, hoc ferè more utuntur. Primò quidem illo ipso die, quo defuncti corpus inhumatur, peractis ad sepulchrum justis & funeralibus, domi convivium lautum atque splendidum amicis, propinquis atque sacerdotibus, qui funeralia procurant, in quo & demortui laudes, & viventium solatia a sacerdotum aliquo, vel etiam ab alio post epulas funebri oratione referuntur; sportulæ quoque cùm pauperibus, tum sacerdotibus ad funeralia vocatis erogantur. Deinde septimus

mus dies post defuncti obitum eodem ferè modo, nempe missæ administratione, precularum quarundam ad sepulchrum demurmuratione, & aquæ lustralis inspersione, sportularum largitione, denique lautissimo convivio, vocatis ad illud similiter cognatis, necessariis atque sacerdotibus celebratur. Hæc solennia vernaculo sermone sibenden / hoc est, *septimana*, appellant, quæ quidem a Romanorum Novendialibus, immutato parum dierum numero, promanasse Polyd. Virgil. lib. 6. cap. 10. & Cæl. Rhod. lib. 17. cap. 22. testantur, sicuti suprà dictum est. Illorum hanc Cæl. Rhod. rationem reddit, *Dei cultores, inquit Strabus, septem diebus exequias celebrant, unde Ecclesiast. 22. Luctus mortui septem dies, luctus autem fatui omne tempus vitæ ejus. Septenarius quippe quietem significat, unde septimana dies sabbatum, id est, requies dicitur. Celebrant ergo septimum diem mortuorum, optantes illos cum domino conquiescere, exantlatis vitæ hujusce ærumnis impatibilibus. Dici quoque illud potest, sicuti tertia dies mortui agitur a fidelibus, ut anima quæ est triplicis naturæ requiescat, ita septimus celebratur dies, ut anima corpori reconcilietur, quæ carne illiciente peccavit. In septenario enim tria sunt & quatuor: ternarius pertinet ad animam, quæ irascibilis, & concupiscibilis ac rationalis est: quaternarius corporis, quod ex quatuor consurgit elementorum potestatibus.* Hæc ille de septimana hac solennitate scripsit, quæ ut olim, ita hodie quoque comessationibus potissimum celebratur, ita ut mirum non sit presbyteris fuisse canonicis decretis præceptum, ne in illa ebrietati indulgeant. Septimana.

Septimana porrò sequuntur trigesima (hujusmodi fuerunt Græcorum τριακοντάδες, & Argivorum ἔκνισμα, quod sacrum similiter 30. die post mortem Mercurio factum fuit) quæ & ipsa partim missæ celebratione, atque aliis nonnullis cæremoniis, partim epulationibus effusis agitantur, quæ vulgò der dreyssigest / id est, *trigesimus*, sive *trigesima* appellantur. Postremò anno elapso anniversaria (vulgò jarzeyt vocant) simili modo celebrantur. Verùm quoad dierum horum funebrium atque solennium numerum, notandum est illum non similiter & antiquitus fuisse observatum, & hodie quoque observari. Nam, ut Ambrosius in libro de Theodosii obitu scriptum reliquit, *alii etiam diem tertium* (de quo paulò antea ex Cælio) *alii tricesimum (quoniam filii Israël Mosem 30. dies luxerunt) alii septimum (quoniam Josephus 7. dies patris mortem luxit) alii etiam quadragesimum diem observarunt, propterea quod 40. dies Jacobo mortuo completi fuerunt.* Apud Russianos, teste Boëmo lib. 2. qui amplioris sunt fortunæ, quadragesimo die a funere convivantur in defuncti memoriam, quorum autem res sunt angustiores, quinquies hoc temporis intervallo solenni modo epulantur, observant etiam dies obitus, quos anniversariis celebrant epulis. Trigesima. Anniversaria.

Ac omnino quoad commemoratas illas Christianorum epulas atque convivia funebria (quæ Germanicè vulgò todten oder leychmaal appellantur) incredibile dictu est, quanta illa cum luxuria, lascivia, sumptibus effusis, immanibus pecuniarum jacturis agitentur. Rectè itaque a nonnullis per jocum Rappenmaal / hoc est, *corvorum cœnæ*, nominantur, propterea quod cum cæteri convivæ, tum verò atque in primis sacerdotes, in quorum usum illæ potissimum cedunt, quibus etiam finito epulo sportulæ pecuniariæ dantur, ceu corvi quidam ad cadaver advolantes, demortui quasi carnes, hoc est, bona atque fortunas devorant & absumunt. Unde Gyraldus in quodam suo *Hendecasyllabo*, rudes, inertes, & ebriosos hujusmodi sacerdotes semper sepulturis & cadaveribus quasi vultures inhiantes, sacerdotes *Novendiales*, & *vulturios* nominat, quos sanè eandem ob causam & illis Bactrianorum Hyrcanorumque canibus sepulchralibus, quibus mortui devorandi olim objiciebantur, & illis Antropophagis, qui suorum defunctorum carnes devorabant, non ineptè forsan comparare possis. Vulgò etiam illi qui hujusmodi epulis feralibus fruuntur, tàm Laici (uti vocant) quàm sacerdotes dicuntur, den todten vertrincken / hoc est, *mortuum potando absumere*, sive *perdere*, & quidem verè, quoniam illius bona hæredibus relicta, vel certè magnam illorum partem, quantum in se est, immanissimis illis suis potationibus absumunt atque perdunt. Simili dicendi forma, & eandem ob causam, uti suprà dictum est, in puerperalibus, sive natalitiis conviviis ipsi convivæ infantes quoque dicuntur vertrincken / hoc est, *potando abalienare*, quasique perdere. Hujusmodi vero convivia exequialia, in quibus gulæ, ebrietati, insanis & immanibus propinationibus, dictis gestibusque lascivis indulgetur, utinam hodie magistratus & principes nostri, ceu luxuriem sumptuosissimam ac perniciosissimam coërcerent, exemplo Imperatoris istius Juliani, qui postquam magnificentiam, seu potius luxuriem hujusmodi funebrium & natalitiorum populo Antiocheno in suo Misopogone exprobrasset his verbis: καὶ γενέθλια μὲν τοῖς ἑστιῶν ἱκανῶς παρασκευάζει δεῖπνον καὶ ἄριστον ἐπὶ πολυτελῆ τράπεζαν τοὺς φίλους παραλαμβάνων, addit, *se apud Antiochenos* (in quos libro illo invehitur) *neque agrum, aut hortum coëmisse, neque domum apud eos ædificasse, neque uxorem ab illis duxisse aut dedisse, neque ea, quæ apud ipsos pulchra sunt amâsse, neque Assyrias opes expetisse, neque præfecturas depastum esse, neque abuti potestate sua erga ipsos magistratum aliquem passum esse, neque populo splendidorum conviviorum theatrorumve auctorem fuisse, non aurum imperâsse, non argentum exegisse, neque tributa amplificâsse, sed præter residuum nondum persolutum quintam de consuetis vectigalibus partem remisisse.* Hæc Imperator ille sive verè sive falsò de seipso prædicavit (nam testis in sua re, & de seipso nemo est idoneus.) Optandum sanè esset, ut dixi, eodem modo nostræ ætatis Reges & Principes erga subditos suos se gerere. Nam, ut de exsequialibus conviviis pergam, quàm ea sint, non dico a religione Christiana, sed a ratione, adeoque ab ipso sensu communi aliena, quis quæso, nisi ipsius sensus communis expers, non intelligit? Funera luctum (cum tamen moderatum) requirunt. In luctu autem ita effrænatè immoderateque epulari, inebriari, & id, quod est consequens, jocari, cantare, cachinnari, aliosque hujusmodi indecoros, incompositos petulantesque gestus edere, quî convenit? Annon quæso Christiani in hoc barbaris temulentisque illis Thracibus sunt comparandi, qui invita quasi repugnanteque natura suorum natales luctu, mortuos autem atque funera effusa futilique lætitia, omnique petulantiæ atque lasciviæ gènere fuerunt prosecuti? Nec verò nuper tantum hæc Epularum funebrium luxuria.

luxuria

luxuria in Christianam Rempublicam invasit, sed aliquot ante annis, id quod ex Conciliorum quorundam canonibus atque decretis ad illam moderandam pertinentibus satis superque constat. Arelatense Concilium tertium in titulo *De his, qui vanitates in excubiis exercuerint*, ita statuit, *Laici, qui excubias funeris observant, cum timore, terrore & reverentia hoc faciant: nullus ibi diabolica carmina præsumat cantare, nec joca, nec saltationes facere, quæ Pagani docente diabolo adinvenerunt. Quis enim nesciat diabolicum esse, & non solùm a religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturæ esse contrarium, ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora dissolvi, & omni pietate, & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte exultare, ubi luctus & planctus fidelibus vocibus debuerit resonare pro amissione chari fratris*, &c. Extat quoque in decretis Canonicis Distinct. 44. Canon. *Nullus ex Concilio Nauclensi. Nullus presbyterorum, quando ad anniversarium diem, trigesimum, aut septimum, aut tertium alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam convenerit, se inebriare nullatenus præsumat, nec rogatus amore sanctorum, vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus & risus inconditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præsumat.* Hujusmodi decretis atque statutis veteres isti conviviorum funebrium luxuriæ modum aliquem statuere voluerunt, quibus neglectis hodie tàm sacerdotes, quàm Laici, ut quotidiana docet experientia, in illis ipsis lugubribus funestisque epulis maximè potando, helluando lasciviendoque insaniunt, ita ut non funeralia, sed Bacchanalia potiùs celebrare videantur. Nec tamen idcirco omnem funebrium hujusmodi conviviorum usum improbarim, siquidem illa sint frugalia, & moderata, nec ad gulam, ebrietatem, luxuriam atque lasciviam, sed ad mutuam potiùs animorum recreationem atque consolationem, luctusque mitigationem adhibeantur, quem ob finem antiquitus illa & instituta, & usurpata esse crediderim. Atque hæc quidem satis sint dicta de Christianorum epulis funebribus, quas illi post defunctorum suorum obitum tanto plerunque cum luxu atque luxuria agitare solent, ut verè quidem funestæ atque ferales dici, ac cum antiquis illis Græcorum, Romanorum, ne dicam Scytharum feralibus immanissimisque cœnis optimo jure comparari possint. Verùm de his abrogandis vide plura apud Guil. Zepperum libro 1. cap. 13. *de Politia Ecclesiastica.* Recens etiam *Imperii Romani constitutio, & Recessus Augustanorum Comitiorum* anno 1530. ut Puerperalia, Nuptialia & Nundinarum festa, quæ templorum dedicationes vocant, unà cum funeralibus hisce conviviis & impensis abrogentur, laudabili quadam lege sumptuaria sancivit, rectamque in illis rationem & ordinem præscripsit.

Martyrum festa.

Non incommodè quoque, meo judicio, ad funebres cœnas referendæ sunt illæ epulationes, quæ in Martyrum diebus festis hodie a Christianis agitari solent. Illi namque dies festi, dies sunt beatæ gloriosæque illorum mortis, quam illi pro Christo veraque religione fortissimè constantissimeque oppetierunt; qui quidem a veteribus diligenter annotati, & quoniam per mortem illam suam in Christo, veritatis testem locupletissimam, ad verè vitalem æternamque vitam renascebantur, γενέθλια, id est, *natalitia*, dicti, & quotannis multis partim precibus, partim cohortationibus ad similem pietatis religionisque constantiam, circa ipsa plerunque martyrum sepulchra atque monumenta culti & celebrati fuerunt. Hodie verò quanta illi ipsi dies a Christianis non modò superstitione, verumetiam cibi potusque intemperantia, omni libidinis ludorumque obscœnorum atque flagitiosorum genere celebrentur, imò ut verius dicam, polluantur, quid opus est multis verbis, res & experientia ipsa quotidiana satis loquitur. Verum de his forsan plura dicentur in sacrarum epularum conviviorumque explicatione.

Nunc de aliarum quoque gentium a Christiana religione abhorrentium cœnis epulisque funebribus hodie usitatis, quædam adjiciamus. Judæi hodie jejuniis potiùs, quam conviviis die septimo, trigesimo atque anniversario vacant, & primis septem diebus non nisi humi cibum capiunt. De ijsdem eorumque more ex S. Hieron. suprà dictum est. Alex. Sard. lib. 1. *de Moribus gentium*, dicit inter alia, *Judæos populo dare epulas ferales.*

Judæi.

Turcæ.

Turcarum luctus (de quorum consuetudine epulas ad sepulchra deferendi, suprà dictum est) tertiò plerunque die finitur, & nonnunquam octavo, vocatis ad epulas & convivia amicis & propinquis, ubi & sermones habentur tempori & rei congrui. Non ideò tamen fœminæ, matres scilicet & uxores sororesque ac reliquæ ejusmodi mulieres a luctu cessant, quoniam frequentiùs sepulchrum adeunt, suamque sortem deflent, ejulatum nostratium non parum imitantes, testis est Gyraldus in libello *de Sepulchris.*

Fessani.

Apud Fessanos moris est, ut aliquo mortuo omnes quotquot adsint amici atque propinqui accedant, mœstam solentur viduam, variosque ad illam cibos mittant. Non enim in funebri domo culinam curare nisi peracta funeratione licet, teste Africano.

Indi.

Indi Caranganoræ urbis incolæ, ut Josephus Indus in suæ navigationis historia scribit, si quis illorum diem suum obiit, mox quàm plurimi conveniunt, & diebus octo continuis comessantur. Quid apud Russos moris sit in epulis hujusmodi funebribus, vide epistolam scriptam ad Chytræum *de Russorum moribus.*

Epulæ funestæ ante mortem agitari solent.

His porrò epulis funebribus post mortem alicujus agitari solitis, merito quoque videntur esse annumerandæ epulæ illæ funestissimæ quæ nonnunquam paullò ante mortem agitantur. Sic olim in Ceo insula (Theophilus *Chium* vocat, Menander *Julidem* Cei urbem) sexagenarii (qui olim Romæ e ponte dejiciebantur) cum se non amplius ad rempublicam administrandam viderent esse utiles, lege convocatis necessariis post sacrificium & convivium coronati cicutam bibebant, atque ita vitam suam finiebant.

Sic Benjaminus Judæus, qui ante 400. ferè annos maximam orbis terrarum partem perlustravit, in suo *Itinerario* scribit insularum Chenerag incolas, qui ignem colunt, & *Dugbiin* appellantur, nonnunquam sese vivos igni devovere, atque id quidem a magnatibus illius regionis plerunque fieri. Quo igitur die votum, quo se quis obstrinxit, exolvendum est, magno convivio primum exceptus, si dives fuerit, equo vehitur: sin

vero

vero pauperior, pedes suorum aliorumque turba comitatus ad campi usque initium deducitur (in quo ingens ignis omnibus diebus ardet, quem ipsi *Elbota* vocant, per quem filios quoque suos transmittere expiandi causa, & in quem mortuos suos conjicere solent) inde cursu inito in ignem insilit, tumque familiares cognatique omnes & consanguinei tympanis, & choreis summa cum lætitia exultant, & ludunt, quoad ille omnino combustus fuerit. Triduò autem post (ut hæc quoque addam, ex quibus tartarei illius serpentis fraus perspicitur) duo ex præcipuis sacrificulis illius domum adeuntes, familiæ omni præcipiunt domum parari patri ipsorum eadem die ipsis affuturo, atque quid ipsos facere oporteat declaraturo. Advocantur igitur ex civitate testes aliquot, & ecce Satan (qui non modo hominum, sed Angelorum quoque formam, teste sacra scriptura, nonnunquam homines decipiendi causa induit) illius speciem imitatus adest, quem uxor & filii rogant, quemadmodum cum illo in altero sæculo agatur? quibus ille respondens, *Veni*, inquit, *ad socios meos, a quibus non excipior, donec ea exolvam, quæ familiaribus & propinquis meis debeo.* Extemplò filiis res distribuit suas, jubetque debita omnia creditoribus persolvi, & a debitoribus quicquid debeatur exigi, testibus omnia ipsius verba excipientibus atque describentibus, a quibus tamen non videtur: tum verò se viam suam repetere dicens, evanescit. Hujusmodi itaque errore, mendacio, & fraude sacrificulorum illorum calliditate, & artibus magicis extructa, vanitatem suam gens hæc tuetur, ac mordicus retinet, seque nationum omnium terræ beatissimam esse jactat. Hæc Benjaminus ille de ignicolis illis, ex quibus constat rectè Athanasium quæstione 11. qua quærit, *Cur Deus non permiserit animas defunctorum redire, & enarrare quis status apud inferos, & qualis ibi necessitas?* respondisse, *Quoniam multi inde errores orirentur.* Dæmones enim formas humanas induere possent, & dicere a mortuis se resurrexisse, & inde multas res ementitas, & falsa dogmata de iis, quæ ibi fiunt, spargere, idque ad seducendum nos atque perdendum. Vide quæ eandem in sententiam a Chrysostomo Homilia 29. in Matth. & concione 4. de Lazaro, pie prudenterque differuntur, ex quibus quantum mortuorum spectris, visionibus atque revelationibus sit tribuendum, quantaque in illis adhibenda cautio satis constat.

Verum, ut ad propositum redeam, epulis hujusmodi funestis mortis quasi prodromis accenseri possunt illæ epulæ atque dapes, quæ illis qui mox capitis supplicio sunt afficiendi, exhibentur, quas vernacula nostra lingua, Henckermaal/ hoc est, *carnificis epulas*, appellamus, quæ quoniam lautiores nonnunquam esse solent, hinc fit, ut eadem vox Synecdochicôs aliquando pro quavis lauta cœna usurpetur. Hisce epulis non malè, meo judicio, comparari potest extrema illa cœna, quam bestiarii sumebant in publico, quam Tertull. in Apolog. cap. 42. his verbis perstringit: *Non in publico liberalibus discumbo, quod bestiariis suprema cœnantibus mos est.* Atque hæc quidem satis habui quæ dicerem de funebribus epulis, de reliqua vero pompa exequiali, deque varia & multiplici Judæorum, Romanorum, Græcorum aliarumque nationum cùm antiqua, tum hodierna funerandi ratione, ritibus atque cæremoniis qui plura cognoscere cupit, is legat Gyraldi libellum *de sepulchris, & vario sepeliendi ritu*, Lazium *de Repub. Ro.* Polydorum Virgil. lib. 6. c. 19. & 10. Cœlium Rho. lib. 17. c. 19. 20. 21. &c. Brunonem *de Cæremoniis* cap. 2. 3. 4. 5. Alexandr. Sardum Ferrariensem *de moribus ac ritibus gentium* lib. 2. De antiquo Judæorum sepeliendi ritu, vide Tremell. in Testam. nov. p. 139. Hæc de tertia conviviorum divisione secundum quinque vitæ humanæ actus.

CAPUT XXVII.

QVARTA CONVIVIORVM DIVISIO SECVNDVM PERSONAS, ITA VT ALIA DICANTVR ESSE CIVIVM, SIVE POPVLARIVM, ALIA QVAE CVM PEREGRINIS, HOSPITIBVS ET ADVENIS AGITANTVR. DE JVDAEORVM, GRAECORVM, ROMANORVM, ANTIQVO HOSPITII JURE ATQVE NECESSITUDINE: EJUS CONTRAHENDAE COLENDAEQVE MODO. DE POPVLORVM ALIORVM MIRIFICA ERGA PEREGRINOS LIBERALITATE.

Quarta conviviorum divisio non incommodè secundum personas hoc modo videtur posse fieri, ut alia dicantur esse civium sive popularium, hoc est, quæ inter eos, qui ejusdem sunt civitatis, agitantur, de quibus partim jam multa dicta sunt, partim plura dicentur: alia verò quæ cum hospitibus, peregrinis & advenis ineuntur, quæ Græcè Athenæus lib. 5. statim ab initio συμπόσια ξενικὰ, & συμπόσια περὶ τοὺς ξένους: Pindarus, τραπέζας ξενίας appellavit: appellantur etiam δοχαὶ & ὑποδοχαί. Latinè *hospitalia* possunt dici, ut Cicero *hospitalem mensam* dixit. Laudatissimum sanè hoc convivii genus, quo advenæ atque peregrini excipiuntur, existimari debet. Virtus namque, unde hoc proficiscitur, nobilissima præstantissimaque est, *hospitalitas* Latinis, Græcis ξενία & φιλοξενία dicta, qua nimirum peregrinos & advenas quocunque possumus humanitatis, benignitatis benevolentiæque genere prosequimur, illis ædes domosque nostras patefacimus, cibum potumque liberaliter præbemus. Hinc Cicero lib. 2. Offic. *Rectè etiam*, inquit, *a Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim ut mihi videtur, valdè decorum patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus, idque etiam Reipub. est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere.* Huic simi-

Conviviorum hospitalium nomina.

Hospitalitatis laus.

simile illud Pontani: *Est autem non modò privatorum civium, verumetiam urbium ipsarum summa laus, privatas domos patere peregrè venientibus.* Ambrosius lib. I. Off. cap. 21. *Commendat*, inquit, *plerosque etiam hospitalitas. Est enim publica species humanitatis, ut peregrinus hospitio non egeat, suscipiatur officiosè, pateat advenienti janua. Valdè id decorum totius orbis existimatione, peregrinos cum honore suscipere, non deesse mensæ hospitalitatis gratia, occurrere officiis liberalitatis, explorare adventus hospitum, Abrahami atque Lothi exemplo.* Virtuti huic præstantissimæ contraria est inhospitalitas, quæ secundum Cic. definitionem, *est opinio vehemens eaque inhærens, & penitus insita, valdè fugiendum esse hospitem*, Græcè ἀξενία, ἀμιξία, κακοξενία & ἀλεξενησία dicta, non legi modò divinæ, verùm ipsi quoque naturæ contraria & inimica. Aristoteles in Polit. dicit, ad tyrannidis conservationem pertinere τὸ χρῆσθαι συσσίτοις καὶ συνημερεύειν ξενικοῖς μᾶλλον ἢ πολιτικοῖς, id est, *familiares habere, & ad convivia potius admittere peregrinos quàm cives.*

Inhospitalitas.

Hospitalium epularum exempla.

Ac in sacris quidem literis, ut inde pro more nostro exordium ducamus, hospitalitatis conviviorumque hospitalium illustria sanè extant exempla patriarcharum aliorumque sanctissimorum hominum, qui peregrinos & advenas, & inter hos sæpe angelos: imò ut Theologi nonnulli volunt, ipsum Dei filium, ἀνθρωποειδῆ, id est, *humana specie atque forma præditum*, in ædes suas humanissimè invitarunt, receperunt, omnique officiorum genere fuerunt prosequuti. Sic namque magnus & illustris ille omnium gentium pater Abrahamus Gen. 18. circa meridiem, quo ferè tempore propter vim æstus in calidis præsertim illis regionibus viatores divertere solent, ad tabernaculi sui ostium sedisse scribitur, *hospites scilicet*, ut benè Basilius inquit, *quasi venandi aucupandique gratia.* Is itaque cum sublatis oculis tres angelos, quos ille homines peregrinos esse putabat, conspexisset, illis illicò magna cum celeritate obviam occurrit, illosque honorificè humaniterque partim demisso humilique corporis gestu, partim verbis hujusmodi non modò salutavit, verumetiam in ædes suas invitavit. *Mi domine*, inquit, *si gratiam inveni in oculis tuis* (dominum in singulari numero tres illos appellando sacrosanctæ Trinitatis ὁμοούσιον unitatem Theologis nonnullis innuere videtur) *ne quæso transeas à servo tuo. Capiatur obsecrò parum aquæ, & lavate pedes vestros, & recumbite sub arbore. Interim accipiam buccellam panis ad fulciendum cor vestrum, quò facilius postea iter vestrum perficere possitis.* Hæc fuit humana pariter atque honorifica illius salutatio, invitatio, officiorumque hospitalium promissio. Cùm verò illi precibus illius satisfacerent, ipse confestim summa cum celeritate ad uxorem suam sese in tabernaculum recepit, illamque festinanter ex tribus satis farinæ similagineæ panes subcineritios conficere jussit. Ipse interim ad armenta cucurrit, indeque vitulum tenerum & opimum accipiens, illum puero, hoc est, famulo suo mactandum coquendumque tradidit. Deinde butyrum, lac vitulumque, quem parari curarat, illis apposuit, stansque sub arbore illis cibum capientibus ministravit. Postremò illos è mensa surgentes, & ad iter suum redeuntes deduxit.

Abrahami hospitalitas.

Amplificatio hospitalitatis Abrahami.

Annon hoc quæso perfectæ omnibusque suis numeris absolutæ hospitalitatis exemplar est, quod Spiritus sanctus nobis non modò ad diligenter attenteque contemplandum, verumetiam ad imitandum proposuit? Nam primò quasi occasionem omnem peregrinos excipiendi captans potissimùm circa meridianum tempus, quo (uti suprà dixi) viatores ob summam caloris vim tecta atque diversoria quærunt, non intra domesticos tabernaculi parietes latitans (ut multi solent) sed stans foris, *quasi speculabatur*, ut Ambrosius inquit, *ne fortè præteriret peregrinus aliquis, & diligenter prætendebat excubias, ut occurreret, & præveniret, ut rogaret.* Sic Tegesdelti, oppidi Africæ, incolæ custodibus portarum mandant, simul ac peregrinus quispiam appulerit, inquirant ab eo, habeatne certum aliquem in civitate amicum: quòd si habere se neget, ab iis ad hospitium deducitur, testis est Cæl. Augustinus Curio, in Marochensi regni descriptione. Deinde cum tres illos conspexisset, non expectavit donec illi ad se venirent, multò etiam minùs fugiens sese intra tabernaculum suum recepit, sed ultrò ac sponte sua illis alacriter honoris gratiâ obviam processit, illosque cùm gestibus tum verbis honorificis atque humanissimis invitavit. Præterea aquas illis ad pedes abluendum pro more illius regionis adferri, illosque sub arbore, ceu opaco & amœno in luco, requiescere jussit. Postea cibos illis suaves admodum & delicatos summa cum celeritate apparari curavit. Tum cibos illos coctos jam paratos illis apposuit, ipseque in tanta famulorum copia, qua abundavit, solus stans illis dapiferi atque pincernæ officium gnaviter præstitit. Postremò, ut amicè, benevolè honorificeque illos exceperat, invitârat, tractârat, eodem modo abeuntes humaniter deduxit aliquò usque atque comitatus est, secundum illud Homeri præceptum:

Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

Hoc est, *Hospitem oportet præsentem liberalitate excipere atque tractare,*
Abire autem volentem amicè dimittere atque deducere.

Lothi hospitalitas.

Hujusce verò egregiæ suæ hospitalitatis fructum statim uberrimum accepit, lætissimum nimirum nuntium de futura sobole, sive, ut Ambrosii verbis lib. 2. Offic. utar, *pro hospitalitatis mercede, fructum posteritatis recepit.* Similis omnino atque germanæ hospitalitatis exemplum habemus in Lotho Abrahami nepote, Genes. cap. 19. Is enim in porta Sodomorum sedens, ac duos angelos, quos putabat esse homines, conspicatus, surrexit statim, illisque obviam processit, deinde illos amicè honorificeque hujusmodi verbis alloquutus est, & ad se invitavit: *Obsecro vos, mei domini, ad domum servi vestri divertite, ac mecum pernoctate, lavate pedes vestros, ut manè consurgentes persequamini iter vestrum.* Cui illi: *Non*, inquiunt, *sed in platea pernoctabimus.* At cum ille vehementius & acrius instaret & urgeret, ut apud se diversarentur, illi tandem domum illius sunt ingressi, quibus cœnam admodum liberalem instruxit, placentas infermentatas apposuit, illosque noctu adversus Sodomitarum vim atque violentiam cum summo vitæ suæ, filiarumque suarum pudicitiæ periculo tutatus fuit. Hanc quoque insignem sanctissimi illius viri hospita-

hoſpitalitatem Deus inſigni beneficio remuneravit, dum illum unà cum tota ſua familia angelorum illorum opera ex horrendo funeſtoque illo Sodomorum incendio clementiſſimè liberavit atque eripuit.

Illuſtria ſanè hæc duo ſunt atque præclara hoſpitalitatis exempla, de quibus egregiè S. Ambroſius Officiorum lib. 2. cap. 21. hunc in modum diſſerit: *Tanta eſt*, inquit, *apud Deum hoſpitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ a præmiis remunerationis immunis ſit. Vides quia Abraham Deum recepit hoſpitio, dum hoſpites quærit? Vides quia Loth Angelos ſuſcepit? Unde ſcis an & tu cum hoſpitem ſuſcipis, ſuſcipias Chriſtum? Licet in hoſpite ſit Chriſtus: quia Chriſtus in paupere eſt, ſicut ipſe ait. In carcere eram, & veniſtis ad me: nudus eram, & operuiſtis me. Suave eſt igitur non pecuniæ, ſed gratiæ ſtudere.* His ſimilia ſunt illa Auguſtini: *Diſce*, inquit, *Chriſtiane, ſine diſcrimine exhibere hoſpitalitatem, ne fortè cui tu domum clauſeris, cui humanitatem negaveris, ipſe ſit Chriſtus. Melius igitur eſt malum ſub ſpecie boni etiam recipere quàm hominem excludere: melius fertur bonus, quàm excluditur malus: tolerabilius eſt ingratum recipere, quàm Chriſtum excludere.* Huc quoque faciunt illa Pauli Apoſtoli verba ad Hebr. 13. *Hoſpitalitatis ne ſitis immemores: per hanc enim quidam inſcientes excepere Angelos hoſpitio.* Sic Gedeon Jud. 6. quoque Angelo, quem prius invitarat, quique procul dubio hominis ſpeciem referebat, ſacrificium, hoc eſt, magnificum convivium adornaſſe ſcribitur. Nam & hœdum caprarium coxit, & ex modio farinæ panes azymos confecit, hæcque omnia cocta atque parata illi appoſuit. Hanc hoſpitalitatem quoque commendat Plautus in Bachide inquiens:

Patrum eximium hoſpitalitatis.

Gedeonis hoſpitalitas.

> *Hoſpitium & cœnam pollicere, ut convenit*
> *Peregre advenienti.*

Duo hic ciborum genera ponuntur, de quibus operæpretium fuerit quædam dicere, quæ ad hunc & alios quoſdam ſacræ ſcripturæ locos illuſtrandum facient. Primò hœdi caprarii fit mentio. Heſiodus lib. 2. περὶ ἔργονος, &c. ἐρίφων πρωτογόνων, hoc eſt, *hœdorum primogenitorum*, carnem maximè commendat, nec id ſanè immeritò. Eſt enim εὔχυμος καὶ εὔπεπτος, id eſt, *ſucci boni & concoctionis*, quin etiam multi nutrimenti. Ibidem lac quoque caprinum, quæ primùm deſinunt lactare, commendat, quod putatur plus & ſalubrius nutrire, quàm alia lactis genera.

Hœdi hoſpitibus appoſiti.

Secundò, Angelo hoſpiti ſuo dicitur Gedeon appoſuiſſe (ut etiam ſuprà ſuis hoſpitibus Lothus) מצות *mazoth* confectos ex epha (menſura aridorum ſecundum Hebræos, decima pars cori, tria ſata capiens: ſatum verò 144. ova) farinæ. מצה *mazah* autem in plurali מצות *mazoth* Hebræis eſt placenta, ſive panis azymus, non fermentatus (Auctor *faſciculi myrrhæ*, panem afflictionis & incompletum vocat) ſic dictus, vel a נצה *nazah*, id eſt, *acceleravit, maturavit*, quòd celeriter conficeretur in uſum præſertim hoſpitum, ſeu peregrinantium: vel, ut alii volunt, a מצץ *mazaz, expreſſit*, (a quo, ut hoc obiter dicam, μύζω, ἀμύζω, & μυζέω Græcorum ejus ſignificationis eſt natum. Item μαζὸς papilla, Germanis zäze & ſchmatzen) quòd farina puriſſima extraheretur atque educeretur ex viliore. Veteres igitur, quò hoſpites ſuos laſſos citiùs reficerent, azymis placentis, quas ex tempore coxiſſent, utebantur. Quidam Rabbinorum hoc in loco, ut & ſuprà, fabulantur, azymorum idcirco mentionem fieri, quod hæc paſchali tempore acciderint. Verùm ex ſacris literis conſtat azymos panes legis divinæ præſcripto ad ſacrificia, non in Paſchate ſolùm, verùm etiam aliis temporibus fuiſſe adhibitos, præſertim eos qui ad Altare Domini comburendi erant. Itaque frivola admodum eſt hæc Rabbinorum conjectura. Ac quoniam in panum azymorum mentionem incidimus, obſervandum eſt ex veteri Lege in pleriſque ſacrificiis atque feſtis fermenti atque fermentatorum panum uſum fuiſſe prohibitum, ut Exod. 12. Deuter. 16. de feſto Paſchatis jubentur ſeptem continuis diebus omne fermentum eliminare. Unde Suidas ait: *Ab hora ſexta diei decimi quarti, menſis primi ad clangorem tubarum panes* ζυμῖται, id eſt, *fermentati, qui Judæis reliqui erant, concremabantur.* Exodi 34. *Non mactabis ſuper fermento.* Levit. 2. *Omne munus quod offertur Domino, non facies cum fermento.* Nec vero apud Judæos ſolùm, ſed etiam apud Gentes panem azymum in ſolennitatibus fuiſſe adhibitum, vel illa Galeni lib. 1. de Alim. facultat. ſatis indicant, ubi de azymis loquens, ait: *Panis purè azymus nulli eſt utilis, etiamſi caſeus admiſceatur, quemadmodum apud nos in agris parare ſolent hi, qui feſta celebrant.* Quibus verbis ſignificat, circa Pergamum ruſticos Aſiaticos etiam azymo uſos pane diebus feſtis. Notandum porrò apud Judæos & fermentata nonnunquam in ſacrificiis, & infermentata etiam profanis in epulis ſæpe fuiſſe adhibita.

Mazoth Hebraice quid.

Panum ſeu placentarum azymarum uſus apud Hebræos.

Quod ad primum attinet, certum eſt Levitici ſeptimo, in ſacrificio pacifico placentam addi fermentatam, & Levitici vigeſimo tertio, in feſto Pentecoſtes panes fermentatos offerri in ſacrificio. Quare dicunt nonnulli fermentata in aliis ſacrificiis prohiberi, quòd in certis admittatur, & præcipiatur: deinde prohiberi in his, quæ ſuper altare Domini debebant incendi, non autem ut offerrentur ſacerdoti, qui fermentatis etiam panibus utebatur ad uſum carnium. Deinde azymorum uſum non ſacrum ſolùm, ſed etiam profanum fuiſſe ex duobus ſuprà commemoratis, & aliis ſacræ ſcripturæ locis patet. Panem autem azymum copioſioris quidem, ſed deterioris eſſe nutrimenti, & ad Venerem magis incitare, ex variis item componi, ut melle, lacte, caſeo, tritici farina aliiſque conſtat: cùm fermentatus panis laudatior ſit, melioris ſucci, vires melius reficiat, ſimplicior ſit ejus conficiendi ratio. Hæc de panibus azymis, & infermentatis ſint dicta.

Porrò Hebræorum מצה *mazah* videtur Græcorum voci μᾶζα (quam Megarenſes μάδδαν vocant) & nomine & re reſpondere. Nam primò nominis utriuſque magna eſt affinitas, ita ut Græcum omnino ab Hebræo videatur profluxiſſe. Deinde quoad rem ipſam magna videtur utriuſque eſſe ſimilitudo. Primò enim Hebræorum *mazah* (ut ex hoc loco apparet) ex farina ſcilicet vel aqua, vel lacte, vel oleo, vel alio liquore mixta, dicitur fuiſſe confecta. Tales ferè ſunt *mazæ* Græcorum deſcriptiones. Athenæus lib. 14. ſcribit, initio μάζαν vocatam

Mazah Hebræorum comparatio cum *maza* Græcorum.

catam esse δημοτικήν τινα καὶ κοινὴν τροφὴν ἐκ τῶν ἀλφίτων, *popularem quendam, & communem cibum ex farina.* Hesychius exponit, ἄλφιτα πεφυρμένα ὕδατι καὶ ἐλαίῳ. Levitici 8. & Exod. 29. placentarum mixtarum oleo fit mentio. Et Erotianus apud Hippocratem, φύραμα ἐξ ἀλφίτων γινόμενον, ποτὲ μὲν μετ' ὀξυμέλιτος, ποτὲ δὲ μετ' ὀξυκράτου ἢ ὑδρομέλιτος, ἢ μεθ' ὕδατος, *farina hordei aliquo liquore subacta, sive oxymelite, sive mulso, sive posca, sive aqua pura.* Xenophon Pæd. 6. ὅστις ἀλφιτοσιτεῖ, ὕδατι μεμιγμένην ἀεὶ τὴν μάζαν ἐσθίει, id est, *Qui libenter farina vescitur, is mazam aqua mixtam edit.* Et Aristoph. interpres in illa Aristophanis Pace: οὐδεὶς γὰρ ἂν φαίη με μάττοντα ἐσθίειν: *Soliti*, inquit, *sunt famuli* μάττειν, *hoc est*, παρασκευάζειν ἐκ τῶν ἀλφίτων μάζαν, id est, *conficere ex farina mazam, eamque comedere.* Ἄλφιτον enim quanquam Græcorum vulgo quamlibet farinam atque adeò omnium fructuum molitorum molituram significat, tamen Hippocrates & medici propriè sic appellant hordei tosti sive fricti farinam, quæ Latinè *polenta* dicitur. Quæ si liquore quopiam subacta est, ab eodem Hippocrate μάζη appellatur. Eustath. quoque Ιλ. λ. Ἄλφιτον, inquit, οὐχ ἁπλῶς τὸ ἄλευρον, ἀλλὰ κυρίως τὸ κρίθινον, id est, *propriè farinam hordeaceam significat.* Et paulò post, *Nonnulli simpliciter ajunt*, Ἄλφιτον τὸ ἐκ πεφυρμένων κριθῶν παρὰ τὸ ἀλφῶ τὸ πρῶτον ἐφευρηθὲν, id est, *propriè dicitur quod ex hordeis subactis fit ab inveniendo, quod primò sit inventum.* Aëtius auctor est, mazam appellari polentam hordeaceam, quæ sit humido conspersa. Plutarchus, ἐκ τῶν κριθῶν τούτων μάζαν φαγόντες, ἢ ἄρτον, *qui mazam ex eo hordeo comederint, aut panem.* Observabis etiam hîc (id quod Judic. 7. scriptum est) tortæ sive placentæ hordeaceæ ad Madianitarum castra devolutæ, ac illud evertentis somnium fuisse præsagium victoriæ, quam Judæi, duce Gedeone, de Madianitis & Amalechitis essent reportaturi. Nam panis sive placenta illa hordeacea, quæ inter viles cibos numeratur, symbolum fuit Gedeonis atque populi Judaici, cujus vilis tunc erat, & abjecta conditio, eversuri Madianitarum castra, ut bene Josephus interpretatur. צליל *zelil* autem vocem Hebræam, quæ ibi ponitur, Grammatici exponunt *tortam* seu *panem super cineres sive carbones coctum*, vel a צלה *salah*, id est, *assare*, vel a צלל *zalal*, quod *strepere* & *sonare* significat, propterea quod dum super prunas coquitur, magnum strepitum edit, qui & ipse militaris strepitus atque crepitus imago fuit. Aristophanis Scholiastes, & Suidas μάζαν volunt propriè significare τὴν τροφὴν τὴν ἀπὸ γάλακτος καὶ σίτου, *cibum ex lacte & frumento confectum.* Hinc Hesiodus μάζαν ἀμολγαίην, hoc est, *lacteam*, vocat. Athenæus lib. 3. ἀμολγαίην interpretatur ποιμενικὴν καὶ ἀκμαίαν, id est, *pastoralem & maturam*: nam ἀμολγὸν τὸ ἀκμαιότατον. Sunt qui *caseum pinguiorem* exponunt. Hæc de materia utriusque mazæ Hebræorum & Græcorum. Deinde ut maza Hebræorum fuit placenta recens, subitò & ex tempore facta, unde etiam nomen videtur esse sortita a festinatione, sicuti dictum est: ita etiam μάζαν Græcorum Theocriti interpres, νεομάλακτον καὶ νεοφύρατον ψωμίον, id est, *bucellam recens pistam atque subactam* vocat. Unde Aristophanis interpres in Pluto, ἄρτον καὶ μάζαν hoc vult a se invicem differre, quòd panis jam pridem μεμάλακται, id est, *subactus est*, maza autem recens. Constat etiam viliorem fuisse μάζαν quàm ἄρτον, & illam ex hordeo plerunque, hunc ex tritico confici solitum. Unde apud Athenienses Solon in Prytanæo vescentibus mazam jussit apponere, in festivitatibus autem addere panem. Unde & proverbium apud Zenodotum: *Bona etiam maza post panem.* Præterea ut *mazah* Hebræorum dictus est panis afflictionis: ita Aristoph. interpres in Pace, in illa verba: μᾶζα καὶ πανδαισία, mazam vocat στρυφνὸν ἄρτον, id est, *rigidum panem.* Nonnulli hoc nomine panem nauticum, vulgò bis coctum intelligunt. Ac omnino μάζαν rudem quendam ac tenuem cibum a Veteribus fuisse judicatum, ex antiquis monumentis constat. Unde est apud Athen.

Πεινῶντι γὰρ ἀνδρὶ μᾶζα τιμιωτέρα
Χρυσοῦ τε καὶ ἐλέφαντος,

Id est, *Esurienti maza pretiosior auro & ebore.* Xenophon Pæd. ἡδὺ μᾶζα καὶ ἄρτος πεινῶντι φαγεῖν, id est, *maza & panis esurienti suavis est esu.* Apud Plutarch. οὐκ ἔστιν ἐν μάζῃ καὶ φακῇ τὸ ἥδιστον, *Non est in maza & lente jucunditas.* Idem indicant Proverbia illa: *Maza esurienti, Mazam Scarabæo, Maza post panem bona*: de quibus vide plura apud Erasmum. Sunt tamen qui hanc inter delicatiora edulia numerarunt. Unde μαζῶντες Suidæ, τρυφῶντες, & ὑπερμαζᾶν Athenæo atque Luciano τὸ τρυφᾶν κατ' ὑπερβολὴν, id est, *supra modum delitiis indulgere*: ὑπερμαζᾶν quoque proverbium de iis, qui delitiis diffluunt. Cælius lib. 9. cap. 12. Quod igitur maza modò pro vili, modò pro delicato cibo usurpatur, ideo factum puto, quoniam, ut testis est Athenæus lib. 14. cibum hunc tenuem atque necessarium ex farina ferè hordeacea confectum, posteri pro sua intemperantia, variis artibus ad delitias transtulerunt: unde etiam nomen ipsum μᾶζα in ματτύην fuit commutatum: quo nomine πᾶν τὸ πολυτελὲς ἔδεσμα, id est, *omne edulium pretiosum*, significatur. Et ματτυάζειν idem est, quod parare hujusmodi delitias, sive sint pisces, sive aves, sive olera, sive victimæ, &c. iisque frui ac indulgere. De adagiis, *Mazam pinsuit a me pistam*, & *albam mazam pinso tibi*, vide Erasmum. His adde, quòd ut Hebræorum *mazah* in sacrificiis quoque fuit usitata, ita Athenæus lib. 1. testatur, μάζαν τὴν διδομένην ἐν ταῖς θυσίαις, ἵνα ἀπογεύσονται, id est, *mazam, quæ dabatur degustanda in sacrificiis* ὑγιείαν, id est, sanitatem fuisse appellatam, forsan quia putarent illam ad sanitatem conferre. Pollux quoque ὑγιείαν mazæ sacræ dicit esse speciem. Ibidem mazas facit duplices, alias quidem sacras deorum, alias verò profanas, quibus homines utuntur. Quod ad sacras attinet, alias facit communes omnibus Diis, quæ ab illo γέλανοι appellantur, alias proprias atque peculiares certis Diis, ut erant ἀμφιφῶντες, quæ Dianæ, affixis circum quaque accensis cereis in ipsius templo *Munychia* dicto (teste etiam Pausania apud Eustath. Ιλ. λ.) offerebantur. Ut ὀβελίαι quæ Dionysio erant sacræ, & a certis ministris, qui inde ὀβελιαφόροι dicti, in illius templum ferebantur. Item βοῦς placentæ genus fuit ab cornuum forma sic appellatum, quod Apollini, Dianæ, Hecatæ atque Lunæ offerebatur. Similiter μελιτοῦττα, id est, *placenta mellita*, quæ etiam πρεσβὴς & ὑγίεια dicta, Trophonio fuit sacra,

Ἀλφιτον. quid.

Maza modò pro vili, modò pro delicato cibo accipitur.

Maza sive placentæ sacræ.

Ορθοσά-

Ὀρθοςάτης quoque panis ſacri ſpecies fuit. Hujuſmodi fuerunt placentæ illæ quas Iſraëlitæ Ethnicorum imitatione reginæ cœli (alii *Solem*, alii *Lunam* interpretantur) obtulerunt, ut Jerem. 7. & 44. ſcriptum eſt. כונים *Cavanim* Hebraicè vocantur a כוה *Cava*, id eſt, *exurere*, *comburere* (unde forſan Græcum verbum καίειν *comburere*, & inde καυςὸν *quod comburi poteſt*, &c.) ſic dictæ quod ad ignem torrefactæ triangulari erant forma, ut quidam volunt. Epiph. lib. 3. contra Hæreſ. Tomo 2. cap. 78. & 79. cum hac Iſraëlitarum ſuperſtitione antiqua comparat hæreticorum quorundam in Arabia idololatriam, qui *Collyridiani* fuerunt nuncupati: eò quòd certæ quædam mulieres in curru ſellave ornata, ac velo paſſo obducta collyrida ſive placentam illuſtri quadam die per aliquot dies proponere, ac Mariæ ἀειπαρθένȣ ϗ̀ Θεοτόκȣ nomine offerre ſolebant, quo ſimul omnes congregatæ participabant. Hoc ille *impium*, *nefarium*, *ac planè diabolicum opus*, *& impuri ſpiritus doctrinam* vocat: ita ut illud Apoſtoli vaticinium ipſo eventu fuerit comprobatum: *Deficient quidam a ſana doctrina*, *attendentes fabulis & doctrinis dæmoniorum. Erunt enim*, inquit, *mortuis divinum cultum præſtantes, quemadmodum etiam in Iſraël coluerunt. Et ſanctorum juxta tempus in Deum gloria facta eſt*, *aliis non videntibus veritatem*, *in errorem*. Hæc ille. Apud Hebræos olim (unde forſan Arabicæ iſtæ mulierculæ ſuæ ſuperſtitionis occaſionem ſumpſerunt) fuit certum quoddam placentæ genus חלה *Challah* dictum (Hiero. *collyridam*, alii *cruſtulam*, alii *placentam* rotundam verterunt) quam mulier volens conficere & pinſere panes, prius de ſubacta farina, ſeu maſſa frumenti tollere & ſacerdoti offerre tenebatur. Hodie quum non ſit amplius templum, nec ſacrificiorum uſus, hujuſmodi placentam Judæorum mulieres exurere ſolent, eò quòd, ut ajunt, nefas ſit inde aliquid utilitatis capere. Cæterum quum tollunt illam maſſam hujuſmodi benedictione utuntur, *Benedictus ſit Dominus Deus noſter rex mundi*, *qui ſanctificavit nos*, *& præcepit nobis ſeparare placentam de paſta*. Omnino autem hujuſmodi panes ſive placentas diis conſecrandi, ac in illorum honorem offerendi conſuetudinem Ethnici κακοζηλίᾳ quadam a priſca Judæorum religione traxiſſe videntur, qua legis divinæ præſcripto placentæ quædam atque panes Deo offerebantur. Hujuſmodi fuerunt præ cæteris inſignes illi *propoſitionis panes* vulgò dicti. Hodie quoque in Chriſtianorum templis panis ſacer ponitur, qui vulgò *panis benedictus* appellatur.

Collyridiani.

Challah placentæ genus.

Quod ad etymon hujus vocabuli attinet, mihi omnino ab Hebræo מצה *mazah* videtur derivatum. Apollodorus apud Athenæum derivari ſcribit ἀπὸ τȣ̃ μάζαι. Suidas παρὰ τὸ μάζειν. Ipſe Athenæus a μάττειν deducit παρασκευάζειν αὐτήν. Euſtath. illum ſequitur, μάττειν exponens φυρᾶν ἄρτȣς, μάζαν quoque Heſych. eſt *mazas pinſere* ſeu *coquere*. Ab eodem verbo etiam μαγὶς, μάγος, μάγειρος, μάκτρα videntur derivari. A μάζα porrò & μαζοπέπτης dicitur, *qui mazas coquit* Heſychio: & μαζονόμον, ſive μαζονόμιον Polluci, *diſcus quo diſtribuebantur maza*: Heſych. *orbem*, vel *lancem ligneam*, Athenæus κάνεον χαλκιν, id eſt, *caniſtrum* ſeu *lancem æream*, Acron apud Horatium 2. Serm. Sat. ult. *lancem grandiorem* exponit, qua voce etiam Varro *de Re ruſtica* cap. 4. utitur. Μαζαγόας Heſychio, ὁ ἐπὶ μάζῃ μεμψίμοιρος, *qui ob mazam flet*: μαζοφορὶς eidem *ciſtella ferendis mazis*: μαζίσκη diminutivum (ut & μάζιον apud Athen.) ἐκ τῶν ὅλων μεμαγμένη apud Ariſtoph. Equit. Scholiaſtes interpretatur ἄρτον πεφυραμένον. Idem teſtatur mulieres olim mazas confeciſſe rotundas, ne viderentur πολυφάγοι, ſed ὀλιγοφάγοι, hoc eſt, *non multi*, *ſed pauci cibi*. A μάζα nonnullis *Marcipanis* vulgò notus videtur eſſe dictus, ut Hermolaus in quadam Epiſt. ad Cardinalem Senenſem ſcribit. Alii tamen *Marcipanes* ab auctore principe dictos volunt, quando & *Martiatum* legimus *unguentum*, & *Marci paſtillos* in medendi ratione celebrant Græci. Μάζωνες, teſte Ath. lib. 4. Arcadibus dictæ fuerunt cœnæ atque congreſſus Dionyſiaci a juvenibus celebrari ſoliti, in quibus jus, mazæ atque panes affatim apponebantur. Addit, θαυμαςὸν γὰρ ϗ̀ περιβόητον παρ' αὐτοῖς πολυφαγία: *Amazones*, inquit Cæl. lib. 9. c. 12. *pro pauperioribus*, *& tenuiori vulgarique victu utentibus*, *apud Græcorum ſcientiſſimos reperias*, *veluti qui mazam non habeant*. Sed & Amazones fœminæ bellicoſiſſimæ, Euſtathio & aliis videntur dictæ ab α & μάζη, eò quòd non maza ſive pane, ſed lacertis & teſtudinibus & id genus beſtiis veſcerentur, unde etiam *Sauromatidas*, ſive *Sauropatidas* (nam σαῦροι ſunt lacertæ) dictas volunt. Hæc de μάζα Hebræorum atque Græcorum ſint dicta. Verùm in genere de panum, placentarum, tortarum, ciborum, ſeu collyridarum variis ac penè innumeris generibus, qui plura cupit cognoſcere, is legat Athen. lib. 3. & 14. Polluc. lib. 6. cap. 11. & lib. 2. cap. 12. Cælium Rhodiginum lib. 9. cap. 16. Villichium *de Arte magyrica*, Bruyërium Capegium *de Re cibaria*, Mercurialem lib. *Variarum lectionum*, & multos alios.

Μάζης etymon & derivata.

Marcipanis.

Mazones cœnæ Arcadicæ.

Amazones unde dictæ quorundam opinione.

Inſigni porrò, ut ad propoſitum redeam, hoſpitalitate Rebecca quoque atque Labanus illius frater Abrahami ſervum fuerunt proſequuti, cujus ipſius quoque egregia fuerunt ſtatim a Deo præmia conſequuti, Gen. 24. Rebecca enim paleas & pabulum multum domi eſſe peregrinis promittit: Laban ipſe non minus hoſpitalem ſe præbet, egreditur obviam, ſalutat amicè, jubet ingredi, parata omnia offert, officioſè ſtatim ſubminiſtrat aquam & panes, amicè tandem dimittuntur. Non eſt etiam ſilentio prætereunda ſenis illius Ephraïmitæ in Gabaa habitantis inſignis hoſpitalitas, qua erga Levitam quendam uſus eſt, quem quidem unà cum famulis illius atque aſinis in domum ſuam humaniſſimè recepit, illiſque omnibus largè copioſeque cibum potumque præbuit. Deteſtanda contrà fuit Gabaonitarum inhoſpitalitas atque immanitas, qua eundem omni contumeliarum injuriarumque genere dilacerarunt, cujus illi tandem graves & atroces pœnas luerunt. Magnam quoque laudem præmiaque conſequuta eſt Rachab illa Joſ. 2. quæ exploratores illos hoſpitio excepit, illorumque ſaluti diligentiſſimè conſuluit, quo quidem ſuo facto totius ſuæ familiæ ſaluti optimè conſuluit. Quid dicam de Sunamitide illa vidua, quàm illa ſe erga Heliſæum prophetam hoſpitalem præſtitit, quem vel invitum retinuit, ut cibum ſecum caperet? annon illa quoque pro hac ſua hoſpitalitate magnis a Deo muneribus fuit affecta, 2. Reg. 4. Moſes etiam, ut Exod. 18. ſcriptum eſt, ſocerum ſuum ad ſe venientem in deſertum hoſpitali convi-

Hoſpitalitatis exempla in veteri Teſtamento.

vio

vio excepit. Item hoſpitalis convivii exemplum extat 1. Sam. 9. quo Samuel Saulem excepit, & 2. Par. 18. quo Achabus Joſaphatum generum belliqueſocios ſplendidè accepit.

Salomon quoque ille vel ipſius Dei judicio omnium hominum ſapientiſſimus rex, idem hoſpitaliſſimus quoque fuiſſe fertur, qui quidem, uti ſacræ teſtantur literæ, non modo familiæ ſuæ per ſuos miniſtros de victu quotidiano optimè proſpexit, verùmetiam peregrinis quotidie adventantibus largas honorificaſque epulas apparari curavit. Multi namque divinæ illius ſapientiæ fama, quæ paſſim percrebuerat, permoti, ex multis & quidem longinquis regionibus ad eum confluebant, ut illius conſpectu colloquioque frui, illumque de rebus divinis & civilibus conſulere poſſent. Præfecti itaque rei cibariæ non ipſis ſolùm advenis menſas inſtruebant, verùmetiam illorum equis, mulis atque jumentis pabulum atque paleas affatim ſubminiſtrabant, idque non uno tantum in loco, ſed ubicunque opus erat. Salomon enim non eodem ſemper in loco ſedem ac domicilium ſuum habebat, ſed ex uno loco in alium, prout uſus & neceſſitas poſtulabat, (qui hodie quoque regum mos eſt) commigrabat. De hac eximia Salomonis hoſpitalitate, vide plura, ſi vis, 1. Reg. 4. Plura his commemoratis exempla hoſpitalitatis epularumque hoſpitalium in veteris Teſtamenti libris reperiuntur, quibus addere licet præcepta quoque divina de peregrinis excipiendis, alendis, humaniter benigneque tractandis, quæ extant Levit. 23. Deut. 2. & 10. cap. Sic Jobi 31. cap. ſcriptum eſt: *Peregrinus non foris negligendus, viatori oſtium pateat piorum.*

Hoſpitalitatis præcepta ibidem.

Hoſpitalitatis exempla in novo Teſtamento.

Non minus verò clara & inſignia ejus virtutis conviviorumque hoſpitalium exempla atque præcepta novi Teſtamenti liber complectitur. Hujuſmodi namque fuerunt illa convivia, quibus Zachæus, Matthæus, Petrus, Lazarus cum ſororibus ſuis, Maria atque Martha, Chriſtum exceperunt, eique omnia hoſpitalitatis humanitatiſque officia præſtiterunt. Sed in Martha Luc. 10. hoſpitaliſſima ſanè fœmina, vitia ſimul quædam obiter animadvertenda, quæ iis, qui hoſpitio alios ſuſcipiunt, ſummoperè ſunt vitanda, quæ quidem Chriſtus reprehendere minimè dubitavit, Johan. 11. Primum eſt, quod præ nimia rei familiaris atque cibariæ cura verbum Dei negligit, & ab ejuſdem auditione attenta Mariam ſororem ſuam abſtrahere conatur. Hîc Theophilactus, *Magnum quidem*, inquit, *hoſpitalitas eſt bonum*, *ſed majus eſt bonum ſpiritualibus ſermonibus eſſe intentum*, *propterea quod illo corpus paſcitur*, *hoc autem anima vivificatur.* Hoſpitalitas ergo colenda tantiſper, donec nos non avocat a rebus magis neceſſariis, hoc eſt, cœleſtibus atque divinis. Deinde culpat in illa μέριμναν, hoc eſt, nimis anxiam curam atque ſolicitudinem de victu, cum inquit, ἵνα τί μεριμνᾷς; *quid nimis anxia es atque ſolicita?* Hinc μεριμνοφροντισταὶ eleganter a Græcis dicuntur, homines nimis anxii. Tum addit, καὶ τυρβάζῃ περὶ πολλά, id eſt, περισπᾷ καὶ ταράττῃ, id eſt, *diſtraheris & perturbaris?* τύρβη, quæ & σύρβη (unde Jureconſultus *turbæ* nomen deducit) Theophilacto interpreti eſt περισπασμὸς & ταραχὴ, id eſt, *diſtractio & turbida opera ſolicitudo.* Addit Chriſtus, *Uno autem opus eſt*: quod Theophilact. dupliciter interpretatur: *vel cibo opus eſt idoneo tantùm, non delicato & opiparo, ut etiam diſcipulos ſuos jubet*, ὑποδοχῇ λιτῇ, hoc eſt, *tenui victu eſſe contentos.* Vel, τοῦ προσέχειν τῇ διδασκαλίᾳ, *attendere animum ad doctrinam*: quod magis videtur appoſitum, & hoc ſtudium vocat bonæ partis electionem. Contrà Samaritani inhoſpitales ſeſe illi præbent, Luc. 9. die *palmarum* inhoſpitalis eſt Jeroſolyma, ut Chriſtus ſub veſperam cogatur Bethaniam petere. Bethlehem quoque naſcituro Chriſto vix angulum conceſſit apud jumenta, Luc. 2. quem locum poſtea publico hoſpitio exornavit Paula, teſte S. Hieron. Bethlemitæ illi ſtatim inhoſpitalitatis illius ſuæ graves & atroces pœnas dederunt, illorum infantibus ab Herode immaniſſimè trucidatis. In primigenia quoque illa atque Apoſtolica Eccleſia hoſpitalitas multis officiis egregiè culta fuit, ut ex Actis Apoſtolorum ſatis conſtat. Talis enim & Lydiæ illius purpurariæ erga Apoſtolos, & Publii erga Paulum hoſpitalitas extitit, quæ quidem non caruit egregiis ſuis commodis atque fructibus, qui narrantur. Ad hoſpitalitatem denique non minus novi, quàm veteris Teſtamenti literæ nos paſſim invitant. *Hoſpes eram*, dicet Chriſtus in extremo illo ſuo judicio, *& me collegiſtis*, ſuos in univerſi mundi conſpectu hoſpitalitatis nomine commendaturus: contrà verò reprobos ad ſiniſtram collocatos ob inhoſpitalitatis culpam condemnaturus. Idem Luc. 7. ad Simonem verba faciens, præcipua hoſpitalitatis officia in illis ferè regionibus uſitata complectitur, quæ ſunt *non modò illos paſcere atque nutrire*, *verùm etiam humaniter primùm oſculo illis dato ſalutare*, *illorum & pedes aquis abluere*, *& caput oleo*, *ſive unguentis fragrantibus perfundere*, &c. Sic Paulus jubet nos τῆς φιλοξενίας μὴ ἐπιλανθάνεσθαι, διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες τοὺς ἀγγέλους, hoc eſt, *hoſpitalitatem ſummo ſtudio atque diligentia colere*, *quippe cum per eam nonnulli præter omnem ſuam opinionem atque ſpem Angelos hoſpitio exceperint*, id quod illis maximo non ſolùm uſui atque emolumento, verùm etiam honori ornamentoque fuit. Sic Petrus alter ille circumciſionis Apoſtolus, πρὸ πάντων δὲ (inquit: Epiſt. 4. cap.) τὴν εἰς ἑαυτοὺς ἀγάπην ἐκτενῆ ἔχοντες, ὅτι ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν. Φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους ἄνευ γογγυσμῶν. *Ante omnia verò vos invicem firma conſtantique charitate complectimini*: *charitas namque peccatorum multitudinem tegit. Hoſpitales eſtote alii erga alios ſine murmurationibus.* Epiſcopum Paulus jubet eſſe φιλόξενον 1. Tim. 4. & ad Titum cap. 1. Idem cap. 5. diaconiſſas vult eligi, *quæ fuerint hoſpitales*, *ſanctorum pedes laverint*, *afflictis ſubvenerint.* Lege tamen Conſtantini Clerici non tenentur hoſpitem recipere, l. 1. C. *de Epiſcopis & Clericis.* Ubi Imp. Conſtantinus Clericis his verbis ſcribit: *Juxta Sanctionem*, *quam dudum meruiſtis & vos*, *& mancipia veſtra nullis novis collationibus obligabimini*, *ſed vacatione gaudebitis*, *præterea neque hoſpitem ſuſcipietis. Dat. 6. Cal. Novemb. Placido & Romulo Coſſ.*

Hoſpitalitatis præcepta ibidem.

Ethnicorum hoſpitalitas.

Nec verò tantum in populo Dei, qui ipſo Deo ceu optimo familiariſſimoque omnium virtutum doctore atque magiſtro uſus eſt, ac plurimis ſaluberrimiſque vitæ morumque præceptis atque documentis per illius miniſtros inſtitutus & informatus fuit, multa præclara hoſpitalitatis exempla reperiuntur: verùm etiam, id quod multò magis eſt admirandum, alias quoque gentes, vera licet Dei notitia veraque religione caruerint,

tamen

tamen vel ipsius naturæ ductu impulsuque præ cæteris ferè virtutibus omnibus hospitalitatem præcipuè summo studio religioneque coluisse, & advenas atque peregrinos humanissimè officiosissimeque excepisse atque tractasse legimus.

Græci hospitalissimi.

Ac in primis quidem Græcos, ut ab illis potissimum omnium ferè liberalium artium atque virtutum moralium inventoribus atque doctoribus sapientissimis exordiar, hospitalitatis officia non solùm egregiè docuisse, verùm etiam reipsa & privatim & publicè præstitisse, ex antiquis literarum monumentis liquidò constat. Id ipsum vel ipsa quoque nomina multa pulchra & elegantia, ad munus hoc hospitalitatis pertinentia, satis superque testantur, de quibus operæpretium mihi facturus videor, si quædam dixero. Ac generalissimum quidem nomen, quo & is qui hospitio alios excipit, & is qui excipitur, vulgò appellatus est ξένος, cui respondet Latinum *Hospitis* vocabulum, quod similiter & activè & passivè pro excipiente, & pro eo qui excipitur, passim apud auctores usurpatur: (ut ἱκέτης & ἱκετεύσας & ἱκετευθείς. sic ξένος & δεχόμενός τινα εἰς ξενίαν, & δεχθεὶς Eustath. Ιλ. δ. p. 369.) qua ipsa profectò utriusque vocabuli ambigua, & quasi reciproca vi & potestate mutuum atque commune hospitalitatis officium, quo omnes homines (cum omnes simus in hoc mundo peregrini & advenæ) sibi invicem obligati sunt atque obstricti, videtur significari. Clemens Alexan. Strom. lib. 2. hospites qui excipiuntur, ἐπιξένους quoque appellat, eosdemque *amicos & fratres* nominat. Eustath. φιλικὴ λέξις ὁ ξένος apud Homerum: aliis ξένος est ἀλλότριος, id est, *alienus*. Herodotus testis est Lacedæmonios ξένους appellasse τοὺς βαρβάρους. Ab Homerico ξένος derivatur ξενία, ξεινοδόκος & τὸ ξενίζειν: ab altero τὸ ἀποξενοῦσθαι, in Iliad. p. 321. Præterea ab iisdem hospitum receptor sive susceptor ξενοδόχος quoque, & ξενοδόκος dicitur: & is qui hospitibus sive peregrinis dux est viæ ad visenda singula urbium loca, ξεναγὸς sive ξεναγωγὸς, hoc est, interprete Polluce, ὁ τῶν ξένων ἡγούμενος, Suida, ὁ τῶν ξένων ἡγεμὼν, id est, ***hospitum dux*** sive ***ductor*** appellatur, unde ξεναγεῖν & ξεναγωγεῖν ***hospitem*** ad ea, quæ sunt visenda, ***ducere***. Item is cui privata erat hospitalis amicitia cum aliquo, & non cum tota civitate communis, ἰδιόξενος fuit dictus. Unde Suidas ἰδιόξενος ὁ ἰδίᾳ καθ' ἑαυτὸν ξένος ὤν. Ammonius, ξένος & ἰδιόξενος ὁ εἷς ἑνός: & ἰδιοξενία Suidæ privata hujusmodi hospitalis amicitia. Ιδιόξενος Eustath. ὁ ἰδίᾳ, ἢ πατρόθεν ξένος, ut Menelao Telemachus & Mentes fabulosus (id est, Minerva) Telemacho, Ιλ. δ. p. 370. Lucianus: οὔτε ἀκραγαντίνων πρόξενος ὤν, οὔτε ἰδιόξενος αὐτοῦ Φαλάριδος. Is verò qui peregrinos hospites excipiebat, non suo peculiariter, sed totius civitatis nomine, necnon qui excipiebatur, πρόξενος fuit appellatus. Ammonius, πρόξενος πόλεως καὶ ἔθνους. Thucydides: ξένος ὁ καὶ ἰδιόξενος ὁ εἷς ἑνός. Suidas: προξένους ἐκάλουν τοὺς τεταγμένους εἰς τὸ ὑποδέχεσθαι τοὺς ξένους τοὺς ἐξ ἄλλων πόλεων ἥκοντας, καὶ προξενία ἡ τῶν ξένων ὑποδοχή. Ælius dionysius: πρόξενοι οἱ ὅλης πόλεως ξένοι, παρ' οἷς καὶ πρέσβεις κατάγονται, καὶ αὐτοὶ πρεσβείας προστάττουσι πρὸς τὸ δημόσιον. Eustath. Ιλ. δ. p. 369. ὁ ὑπὸ πόλεως ἠξιωμένος ἐν τῇ σφετέρᾳ προΐστασθαι ξένων, qualis Antenor apud Trojanos, & quales οἱ βασιλικοὶ διοικηταί. Sic ἐθελοπρόξενος, qui ultro non jussus hospites recipit. His adde ἀστόξενον, ὁ φύσει μὲν ξένος, τιμῇ δὲ ἀστὸς Polluci, id est, ***qui peregrinus cum sit eodem est in honore, quo civis***, vel ut alii volunt, eodem teste, ὁ φύσει μὲν ἀστὸς, δόξῃ δὲ ξένος, id est, ***qui cum natura sit civis, hominum opinione est peregrinus***. Eustath. Ιλ. δ. p. 370. ἀστόξενος. ὁ ἐκ προγόνων τισὶν ἐπιχώριος, ut Atreus Phrygibus, & Teucer Trojanis: ἀπὸ γὰρ προγόνων Phryx quidem Peloponnesius Atreus, Trojanus autem Teucer Salaminius; & δορύξενον quoque adde τὸν ἐκ τῆς κατὰ τὸν πόλεμον ἐπιμιξίας τὴν γνῶσιν πεποιημένον Polluci, hoc est, ***qui hospes in bello, & amicus ex hoste factus est***, ut Glaucus & Diomedes apud Homerum. Eustath. Ιλ. δ. p. 370. δορύξενος ὁ πολέμου χάριν, ἢ ἐκ πολέμων φιλιωθεὶς, ***qui belli gratia vel ex bello diligi cœpit***, ut Glaucus & Diomedes.

Nomina ad hospitalitatem pertinentia.
Ξένος vocabulum ambiguum.
Επίξενοι.
Ξενοδόκος.
Ξενοδόχος.
Ξεναγωγός.
Ιδιόξενος.
Πρόξενος.
Προξενία.
Εθελοπρόξενος.
Αστόξενος.
Δορύξενος.

Hospitio excipere Græce quid.

Jam verò hospitio excipere vel suscipere Græcis est ξενοδοχεῖν, & ξενίζειν, quod posterius, teste Polluce, veteribus idem fuit quod ἑστιᾶν, id est, ***convivio***, scilicet hospitali, ***excipere***, recentioribus est idem quod peregrina uti lingua, teste Polluce & Suida. Υποδέχεσθαι quoque & ξενοῦν idem est, quod ξενοδοχεῖν, & ξενοτροφεῖν Demosth. ***hospites alere***, unde ξενοτροφία Polluci. Item ξενοῦσθαι & προξενοῦσθαι τὸν ξένον ὄντα εἰς ἄλλην πόλιν ἐλθεῖν.

Hospitum susceptio.
Hospitalis.
Hospitalitas.
Munera hospitalia.
Loca hospitalia.

Jam verò ipsa actio, hoc est, hospitum exceptio, ξενοδοκία, ξένισις & ξενισμὸς appellatur. Et hospitalis necessitudo ξένισις, ξενισμὸς, ξενία, προξενία, ξενοσύνη poëticè dicitur. Hospitalem, hoc est, ad hospites excipiendum benignè liberaliterque tractandum proclivem atque propensum, ξένιον, εὔξενον sive εὔξεινον, φιλόξενον & πολύξεινον, vel πολύξενον (tametsi hoc posterius ab Hesiodo vitio vertitur) appellant. Contrà inhospitalem ἄξενον, μισόξενον, &c. Ipsa verò virtus sanè pulcherrima in hospitibus peregrinisque humaniter officioseque tractandis occupata, ξενία & φιλοξενία, eique contrarium vitium inhospitalitas ἀξενία, & aliis vocabulis suprà commemoratis insignitur. Munera porrò atque dona hospitalia, hospitibus dari solita, ξένια, & ξενήϊα, necnon δῶρα ξένια, Latinè ***xenia*** atque ***lautia***, necnon epulæ iisdem exhiberi solitæ, συμπόσια ξενικὰ, & πρὸς τοὺς ξένους appellantur, uti suprà dictum est. Locus postremò hospitibus destinatus, ξενοδοκεῖον, ξενοδοχεῖον & ξενὼν Hesychio, & καταλυμα, qui etiam annotat ξενῶνας a Phrygibus dici ἀνδρῶνας. Athenæo lib. 5. significat etiam ξένων νοσοκομεῖον. Suidas ξενῶνα interpretatur δόμον ὑποδεχόμενον τοὺς ξένους καὶ ἀρρωστοῦντας. Pollux καταγωγὴν, sive καταγώγιον. Καλάλυμα, ὁ τῆς ξενίας τόπος, ἐν ᾧ δηλαδὴ τὰ ὑποζύγια ἢ τὰ φορτία λύονται, a καταλύειν ἀντὶ τοῦ ξενοδοχεῖσθαι, Eustath. in Οδ. δ. statim ab initio, pag. 148. Item ξενίστασις apud Sophocl. Inacho. πανδόχος ξενίστασις, id est, locus in quem recipiuntur peregrini sive hospites. Item πανδοχεῖον cauponam sive diversorium publicum significat, in quod quivis divertit. Stratonicus Citharœdus, teste Æliano lib. 14. cap. 14. ἀμφιλαφῶς, hoc est, perhumaniter & lautè a quodam exceptus, mirum in modum gavisus est invitatione. Neque enim hospitem aliquem habuit (καταγωγὴν) quippe qui in peregrinam regionem venisset. Proinde maximas homini gratias habuit, quòd ipsum sui tecti participem fecisset. Cum

verò

verò mox alium videret introire, iterumque alium, atque hoc modo nulli divertere volenti domum illius non patere, *Facessamus, ô puer, hinc*, inquit ad famulum suum, *Etenim pro columba palumbum nacti esse videmur, cum pro hospitio pandochæum sive cauponam invenerimus.*

Homerus optimus hospitalitatis magister.

Hospitalitatis exempla in Odyssea.

Atque hæc quidem de nominibus, quæ & ipsa argumento sunt non levi Græcos illos antiquos studiosissimos hospitalitatis cultores extitisse. Verùm id magis adhuc docent plurima & pulcherrima præcepta atque exempla, quæ ab illis literis memoriæque tradita sunt, quorum nonnulla subjiciam. Ac præ cæteris quidem scriptoribus omnibus Homerus omnia justa legitimaque hospitalitatis officia egregiè sanè mihi expressisse, ac suis quasi coloribus depinxisse videtur in præclaris illis suis literarum monumentis, quæ quidem aliorum quoque officiorum vitæ humanæ præclara documenta atque præcepta continent. Odyssea quidem hospitalitatis conviviorumque hospitalium exemplis quàm plurimis scatet. Nam libro 1. Telemachi erga Minervam, quæ Mentoris regis Paphiorum habitu ad illum Ithacam venerat, singularis hospitalitas describitur. Tertius Nestoris & illius filiorum humanitatem, qua Minervam, quæ similiter Mentoris personam induerat, atque Telemachum hospitio exceperunt, tradit. Quartus & 15. testis est singularis hospitalitatis, qua Menelaus Telemachum atque Pisistratum ad se venientes fuit prosecutus. Quintus docet quomodo Calypso, cùm Ulyssem naufragum, tum Mercurium a Diis ad se missum hospitio exceperit. Sextus Nausicaæ, septimus & aliquot sequentes libri Alcinoi regis Phæacum: decimus quartus, & aliquot sequentes Eumæi pastoris, necnon Telemachi atque Penelopes hospitalitatem eximiam, qua omnes erga Ulyssem peregrini atque mendici specie atque forma præditum usi fuerunt, luculenter admodum expresserunt. Libro 14. fit mentio Thesprotarum regis, qui Ulyssem naufragum hospitio excepit, vestivit, cibavit, &c. Ilias quoque similium nobis exemplorum copiam suppeditat, in qua & Achillis erga Agamemnonis, licet a se alienati, legatos, & Jobatis erga Bellerophonta, & aliorum atque aliorum hospitalitas vehementer commendatur. Athenæus quidem Jobatis regis Lyciæ hospitalitatem, qua Bellerophonta prosequutus est, summopere laudat, quem quidem suo exemplo docuisse scribit lib. 5. cujusmodi convivium, quo hospes excipitur, esse conveniat, Bellerophonta μεγαλοπρεπῶς δεξάμενος secundum poëtam,

Hospitalitatis exempla in Iliad.

Ἐννῆμαρ ξείνισσε καὶ ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν.

Hoc est, *Excipit hospitio peregrinum fortè diebus*
Ille novem totidemque boves mactavit ad aras.

Inhospitalitatis exempla Homerica.

Ut autem sub commemoratis personis Hospitalitatis virtus pulcherrima: ita sub procorum seu porcorum potius illorum Ithacensium, atque in primis Antinoi persona, libro præsertim 17. necnon Polyphemi atque Cyclopum personis lib. 10. inhospitalitatis vitium turpissimum graphicè describitur.

Hospitalitatis officia. Salutatio humana.

Hospitalitatis porrò officia hæc ferè laude imitationeque dignissima locis antè citatis a poëta proponuntur. Primum est ἀσπασμὸς, hoc est, salutatio atque exceptio, sive invitatio peregrini blanda & humana partim verbis, partim gestibus quibusdam constans. Ejus exemplum habes illustre in Telemacho Minervam excipiente, quod his verbis a poëta describitur, Ὀδ. α.

----- Νεμεσσήθη δ' ἐνὶ θυμῷ.
Ξεῖνον δηθὰ θύρῃσιν ἐφεστάμεν. ἐγγύθι δ' στὰς,
Χεῖρ' ἕλε δεξιτερὴν, καὶ ἐδέξατο χάλκεον ἔγχος.
Καί μιν φωνήσας, ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.
Χαῖρε ξεῖνε, πὰρ ἄμμι φιλήσεαι. αὐτὰρ ἔπειτα
Δείπνου πασσάμενος, μυθήσεαι ὅττεό σε χρή.

Ἐπιστάτης.

Dexteræ apprehensio.

Δεξιοί.

Δεξιοῦσθαι.

Telemachus igitur primò quidem ægrè fert peregrinum procul a foribus stare. Utitur Homerus verbo ἐφεστάναι, quod, ut testatur Eustathius, sæpè mendicantibus tribuitur, unde ἐπιστάτης aliquando ἱκέτην ἢ προσαίτην, id est, *supplicem sive mendicum* significat. Deinde manum illius dexteram apprehendit: unde Eustathius, ὅτι τὸ τῆς δεξιᾶς ἅπτεσθαι ὅπερ καὶ νῦν τοῖς πολλοῖς ἐπιχωριάζει, δεῖγμα φιλοφροσύνης ἦν ἀσφαλέστατον. ὅθεν καὶ δεξιοὶ λέγονται οἱ ἀγαθοὶ καὶ δεξιοῦσθαι μέχρι νῦν τὸ φιλοφρονεῖσθαι λέγεται. Et paulò post, Λαιᾷ μέν τοι χειρὶ, οὐκ ἔξην ἅπτεσθαι ἀλλήλων τοὺς φιλουμένους. Διότι ἐν κακῇ μοίρᾳ οἱ ἔλαβεντο τὰ μὴ δεξιά. Paulò post, τὴν δεξιῶν χειρῶν συμβολὴν putat a Græcis ad Latinos, & ad alias gentes promanasse: ut & τὸ προπίνειν ἀλλήλοις δεξιουμένους ἐκπώμασι. Huc videtur alludere Cicero pro rege Dejotaro: *Per dextram oro, quam regi Dejotaro hospiti porrexisti. Hanc, inquam, dexteram non tam in bellis & in prœliis, quàm in promißis & fide firmam.* Tituli honorifici, quibus hospites insigniunt: Eumæus Ulyssem ξεῖνον δαιμόνιον, & ξεῖνον πατέρα crebrò appellat. Minervam præterea

Χαῖρε.

Telemachus hujusmodi oratione humanitatis plenissima alloquitur: Χαῖρε ξεῖνε πὰρ ἄμμι φιλήσεαι: in quæ verba sic Eustathius commentatur, Ὅτι ἔθος ἦν ἐπιφωνεῖν τοῖς ξενιζομένοις τὸ, χαῖρε ξεῖνε, id est, *quia moris erat hospites qui excipiebantur, hujusmodi verborum formula affari, Salve hospes.* Inde verbum χαίρειν vult idem auctor ad epistolarum inscriptiones fuisse traductum hoc modo, ὁ δεῖνα τῷ δεῖνα χαίρειν, id est, *hic illi salutem dicit.* Nomen autem φιλεῖν addit idem, καὶ ἐπὶ ξενοδοχικῆς φιλοφροσύνης usurpari, ut χαῖρε ξεῖνε, πὰρ ἄμμι φιλήσεαι, pro ξενοδοχήσῃ φιλικῶς, cujusmodi est & illud, χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν.

Ἀσπασμὸς quid.

Quoad verò illam hospitalem dextræ apprehensionem similia exempla alibi quoque eundem apud poëtam reperiuntur. Sic enim Nestor & ejus filii,

Ὡς δ' οὖν ξείνους (Minervam & Telemachum) ἴδον, ἀθρόοι ἦλθον ἅπαντες
----- χερσίν τ' ἠσπάζοντο, &c.

Hoc

Hoc est, Interprete Eustathio, ἐπεφάνοντο, καὶ εἷλκον διὰ δεξιώσεως εἰς ἑαυτοὺς, καὶ τοιοῦτον ἀεὶ τοῖς παλαιοῖς ὁ ἀσπασμὸς, γινομένης τῆς λέξεως ἀπὸ τοῦ σπᾶσθαι μετὰ πλεονασμοῦ τοῦ α, & dicitur τὸ χερσὶν ἀσπάζεσθαι *manibus salutare*, ad differentiam τῶν λόγοις ἀσπαζομένων, id est, *eorum qui verbis salutant*, quemadmodum idem verbum ad osculum significandum adhibetur, quod quoniam olim non erat in usu, idcirco veteres id hoc modo exprimebant: ἀσπάζεσθαι ἀλλήλους φιλήμασι. Sed est etiam observatione dignum, quod Eustathius ibidem addit: *Licet autem*, inquit, *etiamnùm hodie apud multas gentes videre moris esse* ἐν τῷ ἀλλήλοις συναντᾶν διατείνοντας τὼ χεῖρε, καὶ τά τε στήθη πελάζοντας, καὶ τὰς χεῖρας ἐπικυρτοῦντας, καὶ εἰς κύκλον περιάγοντας, καὶ περιπλεγνυμένους ἠρέμα. *atque hoc illis est* ἀσπασμός. Hæc Eustath. Nestoris porrò filius Pisistratus, ut inquit Homerus,

------ ἐγγύθεν ἐλθὼν,
Ἀμφοτέρων ἕλε χεῖρα, καὶ ἵδρυσεν παρὰ δαιτί.

Id, quod inquit Eustath. vel sic intelligi potest, quod ἰδίᾳ τὴν ἑκατέρου ἔλαβε χεῖρα ἑκατέρᾳ τῇ ἑαυτοῦ χερσὶν ὡς ἔν τινι τύπῳ τοῦ χοροῦ, ἢ μίαν καὶ μίαν ἐξ ἑκατέρων τὰς δεξιὰς, τῇ ἑαυτοῦ δεξιᾷ δηλαδή· λαιᾷ γὰρ οὐκ ἦν ἅπτεσθαι.

Est deinde hospitalitatis quoque officium, onera si quæ gestant & in his arma quæque, iis illos statim liberare. Sic enim Telemachus Minervam excipiens, non solùm χεῖρ' ἕλε δεξιτερὴν, verùm etiam ἐδέξατο χάλκεον ἔγχος, id est, *accepit ensem illius æneum*, quo erat accincta, & illum ut postea sequitur, intro portavit & certo quodam in loco collocavit; Hospitalitatis officium hospites oneribus quæ gestant liberare.

Ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρὴν
Δουροδόκης ἔντοσθεν ἐϋξόου· ἔνθαπερ ἄλλα
Ἔγχε' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἵστατο πολλά.

Præterea hospitalitatis est, si peregrinus aut hospes in equo curruve veniat, equos curru solvere, in stabulum ducere, illis pabulum affatim præbere. Hoc quoque officium Homerus Ὀδ. δ. egregiè expressit sub Menelai persona, qui Telemachum atque Pisistratum in curru ad se venientes hospitio excepit. Nam cum Eteoneus nuncians primò hospitum adventum, dixisset Menelao, Hospitum equi curandi.

----- Εἰ σφῶιν καταλύσομεν ὠκέας ἵππους
Ἦ ἄλλον πέμπωμεν ἱκανέμεν ὅς κε φιλήσῃ.

Respondet Menelaus inter alia:

Ἀλλὰ λῦ' ἵππους ξείνων.

Eustath. Καταλύσομεν *subintellige* τοῦ ἅρματος, *unde* τὸ καταλύειν, *pro* ξενοδοχεῖσθαι *usurpatur*, *& inde* κατάλυμα, *id est*, *hospitii locus*. Idem, φιλοξένου, inquit, λόγος, ἀλλὰ λῦε ἵππους. Et paulò post sequitur quomodo famuli domini sui imperium fuerint executi:

* hoc, inquit Eustathius, καταλύσεως ξενικῆς φραστικόν.

Οἱ δ' ἵππους μὲν λῦσαν * ὑπὸ ζυγοῦ ἱδρώοντας
Καὶ τοὺς μὲν κατέδησαν ἐφ' ἱππείῃσι κάπῃσι *,
Πὰρ δ' ἔβαλον ζειάς, ἀνὰ δὲ κρῖ λευκὸν ἔμιξαν.
Ἅρματα δ' ἔκλιναν πρὸς ἐνώπια παμφανόωντα.

* id est, φάτναις.

Eustathius: Ἔθος ἱπποκομικὸν τὸ ζειὰς ἀναμιγνύειν κριθῇ. Sed hic animadversione quoque dignissima est Menelai summa promptitudo atque propensio ad peregrinos quantumvis sibi ignotos excipiendum, qui Eteoneo famulo suo hospitum adventum nuncianti, & dominum suum interroganti, an illi excipiendi essent vel dimittendi, indignabundus respondit:

Οὐ μὲν νήπιος ἦσθα Βοηθοΐδη Ἐτεωνεῦ
Τὸ πρὶν, ἀτὰρ μὲν νῦν γε πάϊς ὡς νήπια βάζεις·
Ἦ μὲν δὴ νῶϊ ξεινήϊα πολλὰ φαγόντε
Ἄλλων ἀνθρώπων δεῦρ' ἱκόμεθ' αἴκέ ποθι Ζεὺς
Ἐξοπίσω περ παύσῃ ὀϊζύος.

Eustath. Λόγος δ' οὗτος εὐχαρίστου πλάνητος, ὁμολογοῦντος τὴν ξενίαν. Primò ergo famuli sui dubitationem, num peregrini essent recipiendi, stultitiæ nomine condemnat, docens peregrinos sine ulla dubitatione recusationeve esse recipiendos. Deinde argumenta duo observanda, quæ veluti stimuli quidam ut Menelaum, ita omnes ad peregrinos alacriter prompteque recipiendum, & benignè humaniterque tractandum incitare debent. Primùm est animi gratitudo sive jus talionis, quod cùm olim peregrinando multis beneficiis ab aliis hominibus fuerit affectus, ipse quoque eadem officia peregrinis præstare teneatur. Alterum est spes remunerationis a Jove accipiendæ. Hac enim ratione sperat se ærumnis, in quibus erat constitutus, fortassis esse liberandum.

Hospes præterea sive peregrinus comiter leniterque est in domum introducendus, id quod a Poëta multis in locis exprimitur. Sic Telemachus Minervam postquam salutavit, Ὀδ. α. Hospes in domum introducendus.

Ἡγεῖθ', ἡ δ' ἕσπετο Παλλὰς Ἀθήνη.

Sic Menelai famuli domini sui jussu & imperio, Ὀδ. δ.

Αὐτοὺς δ' (Telemachum & Pisistratum) εἰσῆγον θεῖον δόμον·
Οἱ δ' ἰδόντες, &c.

Sic Telemachus ξεῖνον (Ulyssem patrem suum) ταλαπείριον ἦγεν ἐς οἶκον. Huc faciunt proverbia: Ἀεί τις ἐν Κύδωνος, id est, *semper aliquis in Cydonis domo*. Cydon enim Corinthius quispiam erat adeò insignis hospitalitate,

tate, ut huic proverbio locum fecerit. Item, *Haud unquam arcet ostium*: In eos qui impendio sunt hospitales, quorum fores semper patentes neminem excludunt. Eleganter potest accommodari vel ad credulum, qui quodvis mendacium admittat auribus: vel in mulierem nulli negantem.

Hospites molliter collocandi.

Nec verò hospites tantùm introducere, veùm etiam de via plerunque defessos benè & molliter collocare decet: id quod ipsum quoque Homerus pluribus in locis docet. Sic enim Telemachus Ὀδ. α.

Αὐτὴν δ᾽ (Minervam) ἐς θρόνον εἷσεν ἄγων, ὑπὸ λῖτα πετάσσας,
Καλὸν, δαιδάλεον· ὑπὸ δὲ θρῆνυς ποσὶν ἦεν, &c.

Sic Nestoris filii cum Minervam atque Telemachum convivio supervenientes conspexissent:

Χερσίν τ᾽ ἠσπάζοντο, καὶ ἑδριάασθαι ἄνωγον·

Et paulò post de Nestore verba faciens, inquit:

Ἀμφοτέρων ἕλε χεῖρα, καὶ ἵδρυσεν παρὰ δαιτί.
Κώεσιν ἐν μαλακοῖσιν, ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσι, &c.

Sic Ulysses, cum in foco in cineribus sederet Echeneus heros Phæacum facilè nobilitate, prudentia atque eloquentia princeps, hunc in modum Alcinoum regem alloquitur:

Ἀλκίνο᾽, οὐ μέν τόδε κάλλιον, οὐδέ ἔοικε
Ξεῖνον μὲν χαμαὶ ἧσθαι ἐπ᾽ ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσιν·
Ἀλλ᾽ ἄγε δὴ ξεῖνον μὲν ἐπὶ θρόνου ἀργυροήλου
Εἷσον ἀναστήσας, &c.

Hoc est,

Alcinoe, non sanè tibi hoc honestum, neque convenit
Hospitem quidem humi sedere ad focum in pulveribus.
Sed agedum hospitem in sede argentea clavo distincta
Colloca erectum.

Et paulò post Alcinous benè monenti obtemperans:

Χειρὸς ἑλὼν Ὀδυσῆα δαΐφρονα ποικιλομήτην.
Ὦρσεν ἀπ᾽ ἐσχαρόφιν, καὶ ἐπὶ θρόνου εἷσε φαεινοῦ·

Id est,

Manu prehensum Ulyssem prudentem varium consilio
Levavit à foco, & in sedem locavit spendidam.

Hospites supplices ad focum sedebant.

Notabis hîc simul obiter moris fuisse apud antiquos, ut illi, qui ad aliquem opis gratia confugiebant, ad focum sederent, quemadmodum Coriolanus apud Actum Tullium Volscum: Themistocles apud Admetum Molossorum regem, ejus liberis manu sumptis. Eodem planè modò Ulysses auxilium petens ab Arete Alcinoi uxore, manibus elatis ad ejus genua stetit, mox sedet humi inter cineres, quem sublatum Alcinous ad mensam cum filio Laomedonte collocavit, uti dictum est. Sic Nestor ad Patroclum:

Ἐς δ᾽ ἄγε χειρὸς ἑλὼν, κατὰ δ᾽ ἑδριάασθαι ἄνωγε.

Sic Calypso Mercurium: Ὀδ. ε. — Ἐν θρόνῳ ἱδρύσασα φαεινῷ σιγαλόεντι.

Sic Eumæus Ulyssem. — Εἷσεν δ᾽ εἰσαγαγὼν, ῥῶπας δ᾽ ὑπέχευε δασείας.
Ἐστόρεσεν δ᾽ ἐπὶ δέρμα ἰονθάδος ἀγρίου αἰγὸς
Αὐτοῦ ἐνεύναιον μέγα καὶ δασύ· χαῖρε δ᾽ Ὀδυσσεὺς
Ὅττι μιν ὣς ὑπέδεκτο.

Hospites lavabant & ungebant se.

Fuit præterea moris in Orientalibus illis regionibus, sicuti supra ex sacris literis dictum est, hospites lavare & ungere: ad quem similiter morem Homerus pluribus in locis alludit. Sic enim famulæ Nausicaæ illius jussu Ulyssi peregrino:

Δῶκαν δὲ χρυσείῃ ἐν ληκύθῳ ὑγρὸν ἔλαιον.
Ἤνωγον δ᾽ ἄρα μιν λοῦσθαι ποταμοῖο ῥοῇσι.

Et paulò post: Αὐτὰρ ἐπειδὴ πάντα λοέσσατο, καὶ λίπ᾽ ἄλειψεν.

Nam cum famulæ ipsæ, uti moris erat, illum lavare atque ungere vellent, Ulysses id fieri non passus est, sed ipse semetipsum lavit & unxit. Sic Telemachus a Nestore hospitio exceptus lavatur & ungitur Ὀδ. 3. Ulysses similiter ab Eurynome Ὀδ. 23. Aliud exemplum hospitalis hujusmodi officii habes Ὀδ. δ.

Ἐς ῥ᾽ ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας (Minerva atque Telemachus) λούσαντο.
Τοὺς δ᾽ ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.
Ἀμφὶ δ᾽ ἄρα χλαίνας οὔλας βάλον ἠδὲ χιτῶνας.

Hospites liberaliter tractandi.

Sequuntur epulæ hospitales, quibus peregrini atque hospites liberaliter sunt tractandi, quarum plurima exempla apud Homerum occurrunt. Telemachus ad Minervam Ὀδ. α.

----- Αὐτὰρ ἔπειτα
Δείπνου (cujus descriptio paulò post sequitur) πασσάμενος, μυθήσεαι ὅττεό σε χρή.

Hospites post cœnam interrogandi.

Notabis hîc quod post prandium demum cupit ex illis cognoscere, cujus rei caussa venerint, aut quanam re indigeant, id quod partim humanitatis singularis, partim prudentiæ cujusdam esse videtur. Humanitatis, quod

quod peregrinos jam antea lassos & defatigatos non vult quæstionibus suis adhuc magis defatigare, quàm illi cibo potuque prius sint refecti atque recreati. Prudentiæ quoque hoc ipsum videtur esse singularis, quoniam ex iis liberaliter pastis potisque facilius se atque commodius vera elicere posse arbitrabatur, quàm si omnino fuissent jejuni. Sic Nestor post prandium demum Telemachum atque Minervam interrogat, qui sint, unde venerint. Nam cum illi cibo potuque fuissent satiati: Οδ. 2.

Νῦν δὴ κάλλιόν ἐστι μεταλλῆσαι καὶ ἐρέσθαι
Ξείνους οἵτινές εἰσιν, ἐπεὶ τάρπησαν ἐδωδῆς
Ω ξεῖνοι, τίνες ἐστὲ, &c.

Sic Calypso Dea Mercurium Jovis nuntium primùm quidem quid nuntiatum venisset interrogavit, sed ipsius tamen postulata non prius audivit, quàm eum convivio excepisset, ac mensam eidem Ambrosia refertam apposuisset Οδ. ε. Similiter Achilles legatos Agamemnonis comiter excepit, & prius quàm mandata eorum audiret, & in sellis eos inter purpurea tapeta collocavit, & Patroclo, ut splendidum illis convivium appararet, mandavit Ιλ. θ. Sic Legato Abraham ad Bathuelem misso filio suo uxorem ambiendi conciliandique gratia appositus fuit panis, sed illo legatus non antea vesci voluit, quàm mandata sua exposuisset. *Non comedam*, inquit, *donec loquar sermones meos*, Gen. 24. Quidam etiam temulentos reddunt, ut per eam occasionem secreta eorum percunctentur, id quod Bonosum Imperatorem admodum vinosum facere fuisse solitum, Fl. Vopiscus testatur. Sic Menelaus Telemacho atque Pisistrato convivium jussit apparari, quo demum peracto, illos interrogavit, quinam essent & unde venissent. Eustathius tamen annotat, Telemachum statim post prandium voluisse rem omnem, propter quam venerant, cognoscere, cujus etiam in sequentibus exempla inveniuntur, cum tamen sæpè 9. dies in hospitalibus hujusmodi interrogationibus consumpti fuerint, quæ tamen non similia videantur iis, quæ in Iliade scripta reperiuntur, ubi Jobates, cum per 9. dies Bellerophonta hospitio excepisset, decimo demùm die illum interrogavit, Ιλ. ζ.

Προφρονέως μιν τῖεν ἄναξ λυκίης εὐρείης
Ἐννῆμαρ ξείνισσε, καὶ ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν.
Ἀλλ' ὅτε δὴ δεκάτη ἐφάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς.
Καὶ τότε μιν ἐρέεινε, καὶ ᾔτεε σῆμα ἰδέσθαι.
Promptè ipsum honoravit rex Lyciæ spatiosæ
Per novem dies hospitatus est, & novem boves sacrificavit.
Sed quando jam decima apparuit roseis digitis aurora,
Et tunc ipsum interrogavit, & petiit literas videre.

In hunc locum annotat Eustathius, *id factum esse, quia antiqua fuerit secundum quorundam opinionem consuetudo, hospites decimo demum die post illorum adventum interrogare, id quod etiam in Alexandro factum fuisse tradunt, quando a Menelao hospitio exceptus, Helenam rapuit.* Hæc ille. Sed in primis observatu digna, quæ Athenæus lib. 5. Dipnosoph. statim ab initio hac eadem de re disserit, hujusce ipsius hospitii mentione facta: Δοκεῖ γὰρ ἔχειν πρὸς φιλίαν τι ὁ οἶνος ἑλκυστικὸν, παραθερμαίνων τὴν ψυχὴν καὶ διαχέων· hoc est, *videtur enim vinum vim quandam habere ad amicitiam alliciendi, cum animum calefaciat & diffundat.* Subjungit deinde: *Atque idcircò non primo statim interrogabant quinam essent, sed postea*, ὡς τὴν ξενίαν αὐτὴν τιμῶντες, Hoc est, *quasi amicitiam hospitalem ipsam venerantes, non autem hospites singulos.* Verùm epularum hujusmodi hospitalium passim plurima apud Homerum exempla occurrunt.

Nec verò cibo tantum potuque liberaliter fovendi sunt hospites, verùm etiam danda opera, ut mollibus & delicatis in lectis stratisque recubent somnumque capiant. Sic enim Alcinous Ulyssi hospiti lectum a famulis optimè parari curavit, de quo vide plura sub finem Οδ. η. Sic Nestor quoque Telemachum atque Minervam voluit omnino in ædibus suis cubare Οδ. γ. Vestes quoque peregrinis atque hospitibus si iis indigeant nonnunquam subministrandas esse, idem poëta docet, dum Ulyssem a multis vestitum fuisse indicat. Telemachus ad Eumæum de Ulysse sibi ignoto Οδ. π.

Hospitibus post cœnam lecti molles parandi

Vestes hospitibus nonnunquam dandæ.

Ἀλλ' ἤτοι τὸν ξεῖνον ἐπεὶ τεὸν ἵκετο δῶμα
Ἕσσω μιν χλαῖνάν τε, χιτῶνά τε εἵματα καλά.
Δώσω δὲ ξίφος ἀμφηκὲς, καὶ ποσσὶ πέδιλα.

Nota etiam quòd non modò cibum potumque hospitibus atque peregrinis apponere decet, verùm etiam illos blandis verbis ad cibum potumque capiendum adhortari, ut Eumæus facit, sic Ulyssem sibi ignotum allocutus, Οδ. ξ.

Ἔσθιε δαιμόνιε ξείνων καὶ τέρπεο τοῖσδε
Οἷα πάρεστι, θεὸς δὲ τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' ἐάσει,
Ὅττι κεν ᾧ θυμῷ ἐθέλῃ, δύναται γὰρ ἅπαντα.

Præter epulas autem alia quoque hospitibus atque peregrinis dona atque munera, ut vestes & vasa aliaque hujusmodi nonnunquam danda esse Homerus multis in locis docet, quæ quidem ab illo ξεινήια appellantur. Hinc frequentissimè apud illum legitur, παραθέσθαι ξεινήια καλά. Sic Telemachus Minervæ dona atque munera offert his verbis, Οδ. α.

Munera hospitibus danda.

Ἀλλ' ἄγε νῦν ἐπίμεινον ἐπειγόμενός περ ὁδοῖο
Ὄφρα λοεσσάμενός τε τεταρπόμενός τε φίλον κῆρ

Δῶρον

Δῶρον ἔχων ἐπὶ νῆα κίῃς χαίρων ἐνὶ θυμῷ
Τιμῆεν, μάλα καλὸν ὅ τοι κειμήλιον ἔσαι
Ἐξ ἐμεῦ. οἷα φίλοι ξεῖνοι ξείνοισι διδοῦσι.

Hîc annotat Eustath. *non omnem peregrinum amicum esse*: respondet qui accepit, σοὶ δ' ἄξιον ἔσαι ἀμοιβῆς, ita munerantem remuneratur. Sic Calypso ad Mercurium, Οδ. ε.

Ἀλλ' ἕπεο προτέρω ἵνα τοι πὰρ ξείνια θείω.

Ita Patroclus Ιλ. λ. Ξείνιά τ' εὖ παρέθηκεν ἅ τε ξείνοις θέμις ἐστίν.

Menelaus similiter Telemachum atque Pisistratum magnificis donis hospitalibus affecit, quæ δῶρα ἐπιδίφρια appellat: & memorabilis est illa Homeri sententia sub Pisistrati persona Οδ. ο.

Τοῦ γάρ τε ξεῖνος μιμνήσκεται ἤματα πάντα
Ανδρὸς ξεινοδόκου, ὅς κε φιλότητα, (hoc est, δῶρα φιλικὰ Eustathio interprete) παράσχῃ.

Hospites ab aliena vi atque injuria sunt defendendi.

Nec verò peregrini atque hospites solùm humaniter sunt & excipiendi & tractandi, verùm etiam ab aliorum vi atque injuriis fortiter sunt defendendi: id quod ipsum quoque Homerus egregiè docet. Sic Telemachus cùm Minervam hospitio excepisset, separatim illi epulas instruxit, ut nequid illi a procis molestiæ exhiberetur. Verba Homeri sunt hæc Οδ. α.

Πὰρ δ' αὐτὸς κλισμὸν θέτο ποικίλον, ἔκτοθεν ἄλλων
Μνηστήρων. μὴ ξεῖνος ἀνιηθεὶς ὀρυμαγδῷ, Id est, θορύβῳ sive ὁμάδῳ)
Δείπνῳ ἀδήσειεν (ἀηδισθῇ) ὑπερφιάλοισι μετελθών.

Idem quoque quàm de Vlysse patre suo sibi ignoto sollicitus fuerit, ne is convitiis incesseretur a procis, facilè judicat, dum illum vult apud Eumæum pastorem commorari: sic enim inquit Οδ. π.

Κεῖσε δ' ἂν οὔ μιν ἔγωγε μετὰ μνηστῆρας ἐῷμι
Ἔρχεσθαι, λίην γὰρ ἀτάσθαλον ὕβριν ἔχουσι
Μή μιν κερτομέωσιν, ἐμοὶ δ' ἄχος ἔσσεται αἰνόν.

Hospites non inviti retinendi, sed dimittendi, & deducendi

Postremò hospitem non invitum esse retinendum, sed quando ita illius fert usus atque voluntas, humaniter dimittendum atque etiam deducendum esse Homerus præclarè sanè docet sub Menelai persona, qui hujusccemodi verba ad Telemachum dimissionem petentem facit, Οδ. ο.

Τηλέμαχ' οὔτι σ' ἔγωγε πολὺν χρόνον ἐνθάδ' ἐρύξω
Ἱέμενον νόστοιο. νεμεσσῶμαι δὲ καὶ ἄλλῳ
Ανδρὶ ξεινοδόκῳ, ὅς κ' ἔξοχα μὲν φιλέῃσιν
Ἔξοχα δ' ἐχθαίρῃσιν. ἀμείνω δ' αἴσιμα πάντα
Ἶσον τοι κακόν ἐσθ' ὅς τ' οὐκ ἐθέλοντα νέεσθαι
Ξεῖνον ἐποτρύνῃ, καὶ ὃς ἐσσύμενον κατερύκει.
Χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

Hoc est,

Telemache non ego te multum tempus hîc detinebo
Cupientem reditus, irascor autem & alii
Viro hospitali, qui eximiè quidem diligit,
Eximiè autem odit: meliora autem moderata omnia.
Æquale malum est, qui & nolentem redire
Hospitem impellit, & qui ruentem retinet.
Hospitem oportet præsentem diligere, volentem autem dimittere.

Hirundo hospitis imaginem gerit.

Hinc Ælianus lib. 1. c. 52. scitè admododum dicit homines hirundinem (quæ cum sit avis φιλάνθρωπος, & idcirco ei ad tempus aliquod ὁμωρόφιος, id est, *contubernalis*, hospitis imaginem gerit) secundum Homericam hospitalitatis legem excipere, quæ quidem præcipit hospitem præsentem esse diligendum, discedere verò volentem amicè dimittendum. Nam ut hirundinis adventum (quæ Veris est prænuntia, suoque garritu totam æstatem suaviorem reddit) hilari vultu excipimus, illiusque discessum minimè impedimus: sic eodem modo nos erga hospites & peregrinos, qui commorandi, non habitandi locum apud nos habent, gerere debemus.

Hospitis dimittendi ratio quæ.

Dimittendi autem hospitis ratio consistit partim in verbis blandis & humanis, partim in epularum apparatu, partim in munerum quorundam largitione, partim denique in eorùm deductione & comitatu. Hæc omnia in hoc exemplo exprimuntur. Quoad verba inquit Pisistratus ad Telemachum expectandum sibi nec discedendum esse, priusquàm Menelaus, qui illos hospitio exceperat,

Καὶ μύθοις ἀγανοῖσι (μειλιχίοις) παραυδήσας ἀποπέμψῃ.

Deinde Menelaus epulas illis curat adornari:

Αὐτίκ' ἄρ' ἣ ἀλόχῳ ἠδὲ δμωῇσι κέλευσε
Δεῖπνον ἐνὶ μεγάροις τετυκεῖν ἅλις ἔνδον ἐόντων.

De cujus apparatu vide ibidem plura. Tum dona Telemacho præclara dantur, a Menelao quidem crater argen-

argenteus, ab Helena illius uxore peplus, vestis pretiosa: quæ vocat Telemachus κειμήλια πολλὰ καὶ ἐσθλά.

Sequitur postremò ipsum convivium, libatio, mutuæ salutationes & discessus. Alcinous ad Phæacum principes de Ulysse deducendo sic loquitur Ὀδ. η.

Ξεῖνον ἐνὶ μεγάροις ξεινίσσομεν, ἠδὲ θεοῖσιν
Ῥέξομεν ἱερὰ καλὰ, ἔπειτα δὲ καὶ περὶ πομπῆς
Μνησόμεθ' ὥς χ' ὁ ξεῖνος ἄνευθε πόνου καὶ ἀνίης
Πομπῇ ὑφ' ἡμετέρῃ ἣν πατρίδα γαῖαν ἵκηται
Χαίρων καρπαλίμως, εἰ καὶ μάλα τηλόθεν ἐστί.

Nestor Telemacho filium suum & alios comites itineris attribuit, qui illum Lacedæmona usque deducerent: quo pertinet etiam illud Pauli ad Titum sub finem sic scribentis: Ζηνᾶν τὸν νομικὸν καὶ Ἀπολλὼ σπουδαίως πρόπεμψον, ἵνα μηδὲν αὐτοῖς λείπῃ, id est, *Zenam legisperitum & Apollo studiosè deducendum curato, ne quid illis desit.*

Præter hæc autem præclara hospitalitatis præcepta, quæ ab Homero sub multorum personis proponuntur, extant præterea apud eundem multæ egregiæ sententiæ, quæ ad ejusdem virtutis commendationem plurimùm faciunt. Nam primò ut in sacris literis Deus Opt. Max. crebrò dicitur peregrinorum esse atque hospitum tutor, patronus atque defensor, id quod partim ipsos peregrinos præsertim inopes & mendicos consolari, partim quosvis ad humaniter se benigneque erga peregrinos gerendum incitare debet: ita Homerus quoque Jovi (quo nomine illi summum Numen intelligebant) peregrinos, mendicos atque supplices curæ cordique esse fingit. Atque hanc quidem ob caussam Jovem sæpe ξένιον, id est *hospitalem*, appellat, ceu hospitum custodem, tutorem atque præsidem: quem Herodotus ἐπίστιον vocat. Ut Eumæus Ulyssem, quem ignorabat suum esse dominum, interrogans, ait Ὀδ. ξ.

Sententiæ Homericæ Hospitalitatem commendantes.

Juppiter dictus ξένιος & peregrinorum ac mendicorum patronus.

Καὶ σὺ γέρον πολυπενθὲς, ἐπεὶ σέ μοι ἤγαγε δαίμων
Μή τί μοι ψεύδεσσι χαρίζεο, μή τέ τι θέλγε.
Οὐ γὰρ τοὔνεκ' ἐγώ σ' αἰδέσσομαι, οὐδὲ φιλήσω.
Ἀλλὰ Δία ξένιον δείσας αὐτόν τ' ἐλεαίρων. (alii ἐλεήσας.)

Et tu senex multa passus, postquam te ad me duxit Dæmon
Ne mihi mendaciis gratificeris, neque mulceas.
Non enim ob id ego te honorabo, neque diligam:
Sed Jovem hospitalem veritus, teque ipsum miseratus.

En, quem nobis ut in omni actione nostra, ita in hospitalitate quoque exercenda finem proponere debemus, ipsum scilicet Deum, quem nos colere ac venerari decet. Idem Ὀδ. ξ.

---- Δὴ γὰρ κεχολώατο λίην.
Ἀλλ' ἀπὸ κεῖνος ἔρυκε. Διὸς δ' ὠπίζετο μῆνιν
Ξεινίου, ὅστε μάλιστα νεμεσσᾶται κακὰ ἔργα.

Hoc est,

---- *Namque irati erant valde*
Sed ille (rex Ægyptiorum) *eripuit: Jovis autem veritus est iram*
Hospitalis, qui maximè ægrè fert mala opera.

Ulysses similiter verba sua quæ ad Eumæum fecit de suo reditu hujusmodi jurejurando per Jovem scilicet hospitalem, per mensam hospitalem atque Ulyssis focum concepto, confirmavit:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσι
Γίνεται, ὃς πενίῃ εἴκων, ἀπατήλια βάζει.
Ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα θεῶν, ξενίη τε τράπεζα.
Ἱστίη τ' Ὀδυσσῆος ἀμύμονος ἣν ἀφικάνω
Ἦ μήν τοι τάδε πάντα τελείεται ὡς ἀγορεύω.

Hoc est,

Inimicus enim ille mihi non minus Ditis janua
Est, qui egestate coactus fallacia loquitur.
Sciat nunc Juppiter primùm deorum, hospitalisque mensa
Penatesque Ulyssis irreprehensi, quos adibo:
Certè quidem hæc omnia perficientur, sicut dico.

Mensa hospitalis.

Hinc apparet ipsam quoque mensam antiquis sacrosanctam visam, per quam jurarunt. Idem Ulysses ad Polyphemum Cyclopa Ὀδ. ι.

Ἡμεῖς δ' αὖτε κιχανόμενοι τὰ σὰ γοῦνα
Ἱκόμεθ' εἴ τι πόροις ξεινήϊον, ἠὲ καὶ ἄλλως
Δοίης δωτίνην, ἥ τε ξείνων θέμις ἐστίν.
Ἀλλ' αἰδεῖο φέριστε θεοὺς, ἱκέται δέ τοι εἰμέν.

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
Ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Hoc est,

Nos autem rursus tua procumbentes ad genua,
Supplicamus, si quid præbeas hospitale, sin etiam aliter
Donum dares, quod hospitibus dari fas est.
Sed verere optime Deos: supplices enim tibi sumus.
Jupiter autem vindex est supplicumque hospitumque
Hospitalis, qui hospitibus simul verecundis opitulatur.

Juppiter supplicum hospitumque vindex.

Sic Echeneus ad Alcinoum regem Phæacum:

---- Σὺ δὲ κυρήκεσσι κέλευσον
Οἶνον ἐπικρῆσαι, ἵνα διῒ τερπικεραύνῳ
Σπείσομεν, ὅσθ' ἱκέτῃσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Juppiter ἱκέσιος.

Sequitur deinde libatio. Eustath. Διὰ δὲ τὴν θεόθεν ἐφορείαν ταύτην τῶν ἱκετῶν καὶ ὁ ἱκέσιος ἐρρήθη καὶ ὁ ξένιος θεός. Sic Penelope ad Antinoum dixit Οδ. φ.

---- Οὐ μὲν καλὸν ἀτέμβειν, οὐδὲ δίκαιον
Ξείνους Τηλεμάχου ὅσκεν τάδε δώμαθ' ἵκηται.

Præclara quoque est & planè divina ejusdem poëtæ sententia, quæ non semel ab illo usurpatur: ut sub Nausicaæ Ulyssem excipientis persona, quæ his verbis famulas suas alloquitur:

Peregrini, & mendici Jovi sunt cordi.

Ἀλλ' ὅδε τις δύστηνος ἀλώμενος ἐνθάδ' ἱκάνει
Τὸν νῦν χρὴ κομέειν, πρὸς γὰρ διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοί τε πτωχοί τε. δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε.
Ἀλλὰ δότ' ἀμφίπολοι ξείνῳ βρῶσίν τε πόσιν τε.
Λούσατέ δ' ἐν ποταμοῖο, &c.

Hoc est:

Verùm huc aliquis infelix errans venit
Quem nos oportet curare. A Jove enim sunt omnes
Hospites & egeni, donum autem quantumvis exiguum, gratum tamen.
Quare date ancillæ hospiti cibum & potum,
Et lavate in fluvio, &c.

Αἰδοῖος μέντ' ἐστὶ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι
Ἀνδρῶν ὅστις ἵκηται ἀλώμενος, ὥσπερ ἐγὼ νῦν.

Nam divis reverendus & immortalibus ille est,
Quicunque appulerit multis erroribus actus: nunc uti ego.

Hæc oratio, inquit Eustath. Φιλοξένου ἔθους λόγος ἐστί. Sic Ulysses cum ab Eumæo pastore comiter fuisset exceptus, ei his verbis fausta precatur a Jove nimirum Xenio, Οδ. ξ.

Ζεύς τοι δοίη ξεῖνε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
Ὅττι μάλιστ' ἐθέλεις, ὅτι με πρόφρων ὑπέδεξο.

Cui Eumæus hunc in modum respondet:

Hospes non est ignominia afficiendus.

Ξεῖν' οὔ μοι θέμις ἐστ', οὐδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι,
Ξεῖνον ἀτιμῆσαι. πρὸς γὰρ διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοί τε πτωχοί τε. δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε
Γίνεται ἡμετέρη.

Huc quoque facit illa Ulyssis imprecatio cum ab Antinoo scabello fuisset petitus, Οδ. ρ.

Ἀλλ' εἴπου πτωχῶν γε θεοὶ καὶ ἐριννύες εἰσίν
Ἀντινόου πρὸ γάμου τέλος θανάτοιο κιχείη.

Imprecationes in eos qui peregrinos injuriis afficiunt.

Huc etiam facit Menelai imprecatio adversus Alexandrum ingratum hospitem:

Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι ὅ με πρότερος κακ' ἔοργε
Δῖον Ἀλέξανδρον, καὶ ἐμῆς ὑπὸ χερσὶ δάμασσον
Ὄφρα τις ἐρρίγησι ὀψιγόνων ἀνθρώπων
Ξεινοδόκον κακὰ ῥέξαι, ὅκεν φιλότητα παράσχῃ.

Hoc est,

Juppiter rex, da ulcisci, qui me prius injuria affecit
Nobilem Alexandrum, & meis sub manibus doma
Ut aliquis timeat & posterorum hominum
Hospitem injuria afficere, qui amicitiam præbuerit.

Similis ferè imprecationis exemplum Livius tradit Decad. 4. libro 9. Annibal enim cum se a Prusia rege Bithy-

Bithyniæ hoſpite ſuo nefariè proditum animadvertiſſet, execratus in caput regnumque Pruſiæ, & hoſpitales Deos violatæ ab eo fidei teſtes invocans, poculum veneni, quo ſibi mortem conſcivit, exhauſit.

Porrò ut in ſacris literis, uti ſuprà dictum, ſæpe angelos atque adeò ipſum Deum peregrinorum hominum ſpecie atque forma oberraſſe, & ad pios quoſdam viros divertiſſe legimus, id quod maxime nobis ad hoſpitalitatis benignitatiſque erga peregrinos & inopes ſtudium incitamento eſſe debet. Sic Homerus quoque ſæpe fingit Deos ſuos humana ſpecie latentes oberraſſe ac peregrinatos eſſe, quò nimirum peregrini & inopes homines cunctis ſacroſanctiores videantur, ac proinde nulla contumelia injuriave afficiantur, ſed potius humaniter ab omnibus tractentur. Atque hoc quidem ipſum juvenis cujuſdam perſona expreſſit, qui cum miſer Ulyſſis mendici habitu atque ſpecie oberrans cùm a cæteris procis, tum verò atque in primis ab Antinoo contumeliis verberibuſque læderetur, hujuſmodi verbis Antinoum eſt alloquutus:

Homerus fingit deos oberrantes peregrinorum, & mendicorum habitu.

Ἀντίνο᾽, οὐ μὲν καλ᾽ ἔβαλες δύστηνον ἀλήτην
Οὐλόμεν᾽ εἰ δή πού τις ἐπουράνιος θεός ἐστι,
Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι
Παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας
Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.

Hinc Plato in dialogo qui *Sophiſta* inſcribitur, cum Theodorus dixiſſet ſe peregrinum adducere, ſic Socratem reſpondentem inducit, Ἆρ᾽ οὖν ὦ Θεόδωρε οὐ ξένον, ἀλλά τινα θεὸν ἄγων κατὰ τὸν Ὁμήρου λόγον λέληθας, ὅς φησιν ἄλλους τε θεοὺς τοῖς ἀνθρώποις, ὁπόσοι μετέχουσιν αἰδοῦς δικαίας, καὶ δὴ καὶ τὸν ξένιον οὐχ ἥκιστα θεὸν συνοπαδὸν γιγνόμενον, ὕβρεις τε καὶ εὐνομίας τῶν ἀνθρώπων καθορᾶν. Τάχ᾽ οὖν ἂν καὶ σοί τις οὗτος τῶν κρειττόνων συνέποιτο, φαύλους ἡμᾶς ὄντας ἐν τοῖς λόγοις ἐποψόμενός τε καὶ ἐλέγξων, θεὸς ὤν τις ἐλεγκτικός. Hinc Θεοξένια ſacra a Deorum hoſpitalitate & commercio ſic dicta videntur profluxiſſe, quæ a Caſtore & Polluce inſtituta, in omnium Deorum honorem celebrabantur, de quibus vide plura apud Heſychium, Pollucem, necnon Pindari interpretem. Apollo quoque *Theoxenius*, id eſt, hoſpitalis Deus, a Pellenenſibus in Achaia vocatus cultuſque, apud quos ejus Dei templum fuit, ad quod certamen *Theoxenia* nomine celebratum fuit, victoriæ ejus præmium fuit argentum, teſte Pauſania, ſive ut Pindari interpretes volunt, chlæna veſtis. Vide Cælium lib. 18. cap. 5. Pythagoras, Ξένος ἀνὴρ δίκαιος, οὐ μόνον πολίτου, ἀλλὰ καὶ συγγενοῦς διαφέρει, id eſt, *Peregrinus vir juſtus, non modò cive, ſed etiam cognato majoris faciendus eſt.* Verba quibus Homerus utitur ad ſingularem amorem humanitatemque exprimendum, qua peregrinum ſive hoſpitem tractari oportet, ſunt φιλεῖν, ἀμφαγαπάζειν, κομίζεσθαι, ſive κομεῖν, ὑποδέχεσθαι οἴκῳ, φιλότητα παρασχεῖν, &c.

Platonis eadem de re teſtimonium.

Θεοξένια.

Apollo θεοξένιος.

Nec vero, ut hoc quoque addam, ξενοδόκου tantum, hoc eſt, ejus qui hoſpites atque peregrinos excipit, verùm etiam eorum qui hoſpitio excipiuntur, officia paſſim tradit ſub Ulyſſis præſertim perſona, qui erga ξενοδόκους ſuos ſe valdè gratum, humanum atque benevolum exhibuit, iis fauſta precatus eſt. Huc faciunt præclara hæc illius verba, quibus ſe cum Phæacenſibus quibuſvis, a quibus provocabatur, pugnare paratum eſſe oſtendit, præterquàm cum Laodamante, hanc rationem egregiam ſubjungens, Ὀδ. θ.

Officia eorum qui hoſpitio excipiuntur.

Ξεῖνος γάρ μοι ὅδ᾽ ἐστί. τίς ἂν φιλέοντι μάχοιτο.
Ἄφρων δὴ κεῖνός γε καὶ οὐτιδανὸς πέλει ἀνὴρ
Ὅς τις ξεινοδόκῳ ἔριδα προφέρηται ἀέθλων
Δήμῳ ἐν ἀλλοδαπῷ, ἑοῦ δ᾽ αὐτοῦ πάντα κολούει.

Hoc eſt,

Hoſpes enim ille mihi eſt, quis cum amico pugnaret?
Inſipiens ille & nullius pretii eſt vir,
Quicunque cum hoſpite contentionem obtulerit certaminum
Populo in alienigena, ſui ipſius omnia perturbat.

Simillimum huic exemplum habes apud Val. Max. lib. 5. cap. 1. de Quintio Criſpino. Is enim *cum a Badio Campano, quem hoſpitio benigniſſimè domi ſuæ exceperat, & adverſa valetudine correptum, attentiſſimâ cura recreaverat, poſt illam nefariam Campanorum defectionem, in acie ad pugnam fuiſſet provocatus, cùm & viribus corporis & animi virtutibus aliquanto eſſet ſuperior, monere ingratum, quàm vincere maluit. Nam quid agis, inquit, demens? aut quò te prava cupiditas transverſum rapit? Unus tibi Romanorum videlicet Quintius placet, in quo ſceleſta exerceas arma, cujus penatibus & honoris viciſſitudinem & ſalutem tuam debes? At me fœdus amicitiæ diique hoſpitales, ſancta noſtro ſanguini, veſtris pectoribus vilia pignora, hoſtili certamine congredi tecum vetant. Quin etiam ſi in concurſu exercituum fortuitò umbonis mei impulſu proſtratum agnoviſſem, applicatum jam cervicibus tuis mucronem revocaſſem. Tuum ergo crimen ſit, hoſpitem occidere voluiſſe, meum non eris hoſpes occiſus: proinde aliam qua occidas dextram quære, quoniam mea te ſervare didicit.* Præclarum hoc ſanè, & eximium eſt exemplum & hoſpitalitatis fideliſſimæ in Criſpino, & perfidiæ atque ingratitudinis in Badio. *Utrique autem* addit Valerius, *cœleſte numen debitum exitum dedit, ſiquidem in eo prælio Badius obtruncatus eſt, Quintius inſigni pugna clarus evaſit.* De eadem hiſtoria vide Livium Decad. 3. libro quinto. Officia peregrinorum, ſive eorum qui hoſpitio excipiuntur egregiè ſane Menander his carminibus expreſſit:

Ξένος πεφυκὼς τὸν ξενοδόχους σέβου,
Ξένος ὢν ἀκολούθει τοῖς ἐπιχωρίοις νόμοις.
Ξένος ὢν ἀπράγμων ἴσθι, καὶ πράξεις καλῶς.

Ξένῳ μάλιστα συμφέρει τὸ σωφρονεῖν.
Ξένον δὲ σιγᾶν κρεῖττον ἢ κεκραγέναι.
Χρὴ δὲ ξένον μὲν κάρτα προσχωρεῖν πόλει.
Peregrinus si sis, hospitio te excipientes cole.
Peregrinus moribus illius loci pareto.
Peregrinans ne curiosus sis, & bene vives.
Hospiti maxime conducit temperantia.
Peregrinum decet silentium magis, quam vociferatio.
Valde se accommodare civitati peregrinus debet.

Sic Christus sese modestum, frugalem, gratum iis præbuit, a quibus hospitio fuit exceptus, ac in primis utilia ac salutaria vitæ documenta illis tradidit, ut Luc. 11. & 13. & alibi scriptum est. Idem Apostolos suos noluit de domo in domum cursitare, sed mandavit ut in quam domum essent ingressi, in eadem manerent edentes quæ apponuntur, hoc est, contenti essent tenui victu, & modestè sese gererent.

Hospitii porrò jus & quasi hæreditarium fuisse, ita ut a parentibus ad posteros traduceretur, & quænam illius vel contrahendi vel etiam renovandi & instaurandi ratio fuerit, Homerus egregiè docet sub Diomedis atque Glauci persona, qui in ipso prælio paternam hospitii necessitudinem renovarunt, de quò sic canit: *Nam cum illi manus inter se conferre vellent, Diomedes prius Glaucum interrogavit, quonam esset genere oriundus, quod cum Glaucus Diomedi exposuisset, Diomedes illum paternum esse hospitem agnovit, atque idcirco hasta humi fixa illum verbis hujusmodi* μειλιχίοις, id est, *blandis, est affatus.*

Ἦ ῥά νύ μοι ξεῖνος πατρώϊος ἐσσι παλαιός·
Οἰνεὺς γάρ ποτε δῖος ἀμύμονα Βελλεροφόντην
Ξείνισ' ἐνὶ μεγάροισιν, ἐείκοσιν ἤματ' ἐρύξας,
Οἳ δὲ καὶ ἀλλήλοισι πόρον ξεινήϊα καλά.
Οἰνεὺς μὲν ζωστῆρα δίδου φοίνικι φαεινόν,
Βελλεροφόντης δὲ χρύσεον δέπας ἀμφικύπελλον
Καί μιν ἐγὼ κατέλιπον ἰὼν ἐν δώμασιν ἐμοῖσι.

Et paullo post: Τῷ, νῦν σοι μὲν ἐγὼ ξεῖνος φίλος Ἄργεϊ μέσσῳ
Εἰμὶ, σὺ δ' ἐν Λυκίῃ, ὅτε κὲν τῶν δῆμον ἵκωμαι.
Ἔγχεσι δ' ἀλλήλων ἀλεώμεθα καὶ δι' ὁμίλου.

Hoc est,

Certè mihi hospes paternus es antiquus.
Oeneus enim olim nobilis eximium Bellerophontem
Hospitatus est in ædibus viginti dies detinens.
Hi verò etiam sibi mutuò dabant xenia pulchra,
Oeneus quidem baltheum dedit purpura lucidum.
Bellerophontes autem aureum poculum utrinque cavum,
Et illud ego reliqui proficiscens in ædibus meis.
Quare nunc quidem tibi ego hospes amicus in Peloponneso media
Sum, tu verò in Lycia quando eam ad gentem venero.
Hastas autem mutuas evitemus etiam in turba.

Postea antiquam hanc hospitii necessitudinem renovandi stabiliendique gratia & verbis inter se pacti sunt, se non amplius inter se dimicaturos, & arma inter se commutarunt, & denique de equis desilientes:

Χεῖράς τ' ἀλλήλων λαβέτην, καὶ πιστώσαντο.
Manusque mutuas apprehenderunt, fidemque dederunt & acceperunt.

Hospitalis amicitia etiam posteris veneranda.

Eustath. Πίστιν ἀλλήλοις ἐποίησαν διὰ τῆς συνήθους δεξιώσεως, πιστώσεως γὰρ δηλωτικὸν τῶν δεξιῶν χειρῶν συμβολή. Addit idem id, quod observatione est dignissimum, hospitii amicitiam non iis modò, qui illam primò inter se contraxerant, sed etiam illorum posteris per successionem quandam αἰδέσιμον, hoc est, *venerandam sanctamque* fuisse. Sic enim cum Bellerophontes olim atque Oeneus se mutuò hospitio excepissent, Glaucus quoque atque Diomedes illorum posteri hospitii bonum reveriti, εἰρηνικὰ σπένδονται, id est, *pacem inter se contrahunt.* Imò τοῦ συγγενικοῦ δεσμοῦ κρείττων τοῖς παλαιοῖς ἦν ὁ κατὰ τὴν ξενίαν, hoc est, *prior ac potior fuit veteribus hospitii, quàm sanguinis conjunctio.* Teucer enim Trojanus cum Priamo esset sanguine junctus, tamen non dubitavit cum Trojanis pugnare, seque popularium sanguine inquinare. At Glaucus & Diomedes quia paterni erant hospites in media etiam acie atque turba a mutuo congressu abstinent sibique temperant. *Consuetudo erat apud majores,* inquit Servius in Virgil. Æn. lib. 9. *ut inter se homines hospitii jura mutuis muneribus copularent, vel in præsenti, vel per internuncios.* Hinc Virgil.

Hospitii conjunctio melior sanguinis communione.

Mos hospitalem amicitiam muneribus contrahendi.

Euryalus phaleras Rhamnetis & aurea bullis
Cingula, Tyburti Remulo ditissimus olim,
Quæ mittit dona, hospitio cum jungeret absens,
Cedicus.

Hoc

Hoc eſt, Cedicus quidam Remulo, cum eum ſibi abſens hoſpitio vellet jungere, miſit phaleras & cingula bullis aureis, hoc eſt, clavis inſignita.

Hiſce ergo cùm præceptis, tùm exemplis (quæ quaſi viva ſunt præcepta) Homerus ſuis illis fabularum quaſi involucris hoſpitalitatis jura atque officia tradidit atque ſanxit, ex quibus ipſis planè conſtat hoſpitii jus apud Græcos cùm antiquiſſimum, tùm ſanctiſſimè religioſiſſimeque cultum fuiſſe. Nec verò eos tantùm peregrinos, cum quibus amicitia nobis eſt contracta, vel vinculum neceſſitudinis intercedit, ſed quosvis etiam ignotos vel ſolius Dei nomine humaniter comiterque excipiendos, tractandos atque dimittendos eſſe (quæ quidem vera hoſpitalitas cenſeri debet) idem multorum exemplis ſuprà commemoratis ſatis ſuperque docuit.

Platonis teſtimonium de hoſpitalitate.

Poſt Homerum autem optimo ſanè præſtantiſſimoque cùm reliquarum virtutum atque diſciplinarum, tùm hoſpitalitatis quoque doctore atque magiſtro Græci uſi fuerunt divino illo ſuo Platone, quem Cicero non dubitavit *Philoſophorum deum* appellare. Is igitur lib. 5. *de Legibus* præclarè hunc in modum diſſerit: πρὸς δ' αὐτοὺς ξένους διανοητέον ὡς ἁγιώτατα συμβόλαια ὄντα, hoc eſt: *Cum ipſis verò peregrinis ſanctiſſimum nobis pactum commerciumque intercedere eſt exiſtimandum. Omnia namque*, addit ibidem, *vel ipſorum peregrinorum, vel civium peccata atque delicta adverſus peregrinos admiſſa in ipſum potiſſimùm Deum ceu ultorem ac vindicem redundant. Nam cum peregrinus ſociis ſit atque cognatis deſtitutus: ideo hominum pariter atque deorum miſericordia magis videtur dignus. Quò quis igitur majori vindicandi poteſtate pollet, tantò is promptior eſt ad opem ferendam. Atqui poteſtate longè omnibus antecellit* ὁ ξένιος ἑκάστων δαίμων καὶ θεός, τῷ ξενίῳ συνεπόμενοι Διΐ, id eſt, *ſingulorum hoſpitalis dæmon atque deus. Quamobrem ſumma cuivis, qui vel minimum ſapit, adhibenda eſt cautio atque diligentia, ne per totum vitæ ſuæ curriculum quicquam in peregrinos peccet, ullave re illos offendat.* Subjungit poſtremò omnium peccatorum, quæ vel contra peregrinos vel populares atque cives deſignantur, graviſſimum illud eſſe, quo quis in ſupplices peccat. Nam poſtquam is qui alicui ſupplex eſt factus, Deum teſtem eſt nactus, profectò injuria affecti cuſtos eſt atque vindex graviſſimus, ita ut ille non inultus exiſtat.

Peregrinorum quatuor genera.

Idem porrò Philoſophus lib. 12. *de Legibus*, quatuor peregrinorum genera facit. Primum genus eſt mercatorum atque negotiatorum, qui avium inſtar trans mare volitantium quæſtus & lucri gratia certis anni temporibus ad nos veniunt. Secundum eorum, quos ὀνομάζων ὄντας θεωρούς appellat, qui nimirum res peregrinas viſendi ac diſcendi, multaque cognoſcendi cauſa veniunt. Tertium eorum, qui publicè a populo aliquo miſſi legativè veniunt. Quartum eorum, qui fortuna aut caſu aliquo ad nos deferuntur. Singuli hi quonam modo hoſpitio ſint excipiendi atque tractandi, diligenter docet. Sed tandem in genere totam hanc rem ita concludit: *Secundum has leges excipere nos decet omnes peregrinos peregrinantesve* τιμῶντας ξένιον Δία, hoc eſt, *hoſpitalem Jovem colendi venerandique cauſa.* Vides quomodo Plato non ſecus atque Homerus, de quo ſuprà dictum eſt, veriſſimè ſapientiſſimeque ſummum hoſpitalitatis finem, ad quem illa ſit referenda, ipſum Deum ſtatuat. De officiis autem hoſpitis activi & paſſivi copioſè diſſerentem vide Zuingerum in *Methodo Apodemica*.

Mos Græcorum hoſpites excipiendi.

De Græcorum porrò antiquo hoſpites excipiendi more atque conſuetudine ſic ſcribit Vitruvius lib. 6. cap. 9. *Nam cùm Græci*, inquit, *fuerint delicatiores, & opulentiores a fortuna, hoſpitibus advenientibus inſtruebant triclinia & cubicula, cum penu, cellas: primoque die ad cœnam invitabant, poſtea mittebant pullos, ova, olera, poma reliquasque res agreſtes. Ideo pictores ea, quæ mittebant hoſpitibus, picturis imitantes, xenia appellaverunt. Ita patresfamiliâs in hoſpitio non videbantur eſſe peregrè, habentes ſecretam in hoſpitalibus libertatem.* Hæc ille. Ad illum autem hoſpitibus munera eſculenta miſſitandi morem Apulejus alludit lib. 2. his verbis: *Commodum meridies acceſſerat, & mittit mihi Byrrhena xeniola, porcum optimum, & quinque gallinulas, & vini cadum in ætate precioſi.*

Munera eſculenta emittendi conſuetudo.

Apud Xenophontem quoque multa extant teſtimonia, ex quibus conſtat, non privatos modò homines privatim, verumetiam civitates publicè hoſpitia inter ſe contrahere, eaque ſanctè religioſeque colere fuiſſe ſolitos. Huc faciunt illa Ageſilai verba ad Pharnabazem: *Non te latere*, inquit, *arbitror homines in civitatibus Græcis conſueviſſe hoſpitalitatem inter ſe contrahere. At cum bellum inter urbes ortum eſt, illi quoque pro communi patria etiam contra hoſpites pugnare non dubitant, & ſi ita evenit, etiam illos obtruncant.* Idem teſtatur lib. 7. *rerum Græcarum*, Phliaſios Pellenenſium victores, ſummam laudem fuiſſe conſecutos eo, quòd Pellenenſem πρόξενον in poteſtatem ſuam redactum, quamvis ſumma rerum premerentur inopia, abſque pretio dimiſere. *Nonne meritò hi*, inquit Xenophon, *qui id fecerunt, generoſi ac fortes appellandi ſunt?* Ita contrà apud eundem lib. 4. Anabaſ. Thiſſaphernis perfidia vehementer culpatur, qui Clearchum ipſum ὁμοτράπεζον ſuum, nihil Jovem hoſpitalem veritus, per ſummum ſcelus perdiderat. Nota heic quòd hoſpitem ὁμοτράπεζον, hoc eſt, ejuſdem menſæ, quæ & ipſa hoſpitalis dicta eſt, communione conjunctum appellat.

Hoſpes ὁμοτράπεζος.

Ut autem Græci, ut hoc quoque addam, hoſpitaliſſimi, & in xeniis, hoc eſt, muneribus hoſpitalibus mittendis largiendisque liberaliſſimi fuerunt: ita mirum non eſt illos aliorum quoque populorum ſimilem beneficentiam expertos fuiſſe. Sic enim eodem Xenophonte teſte lib. 3. *de Cyri expeditione*, & Armenius Cyro, ejusque exercitui ξένια miſit, & Trapezuntii Græcos hoſpitio acceperunt, donis etiam hoſpitalibus datis bubus, farina, vino. Sinopenſes quoque Mileſiorum coloni, iiſdem farinæ medimna ter mille, vini amphoras M D. & Heracleënſes farinæ medimnum M M M. vini amphoras M M. Boves X X. oves C. xeniorum loco miſerunt, ut idem auctor teſtatur lib. 5. & 6. *de Cyri expeditione*.

Προξενία munus publicum hoſpites & peregrinos excipiendi.

Munus in oppidis Græciæ fuit quoddam publicum recipiendorum hoſpitio ſenatorum, legatorum & magiſtratuum peregrinorum, quod, ut ſuprà dixi, προξενία appellabatur, quique eos recipiebant, qui hoſpitio publico cum civitate erant conjuncti, πρόξενοι dicebantur, quos Budæus *publicos hoſpites* vertit. Iidem propterea civitatum προστάται dicebantur & φροντισταί. *Proxeni* appellationem poſt Homerum irrepſiſſe ſcribit Euſtath. eligi porrò ſolitos vel a populo, vel a rege. Inde Herodotus tradit: *Spartanis fuiſſe decorum regibus quem*

Πρόξενοι. *voluiſſent demonſtrare, qui proxeni obiret functionem.* Cæl. lib. 11. cap. 1. Hujuſce muneris atque moris luculenta apud Ciceronem in Verrinis fit mentio, ubi Philodamus Lampſacenus, cùm Verres Rubrium ad illum deduci juſſiſſet, hujuſmodi apud Verrem excuſatione uſus eſt: *Munus illud ſuum* (προξενίας) *non eſſe: ſe, cùm ſuæ partes eſſent hoſpitum recipiendorum, tum ipſos tantùm prætores & conſules, non legatorum aſſeclas recipere ſolere.* Ibidem & de Janitoris, apud quem Verres diverſatus erat, & de Philodami hoſpitalitate, qui Rubrio magnificè & ornatè convivium comparavit, plura videre licet. Πάροχοι quoque & Græcè & Latinè dicti ſunt ii, quorum munus erat peregrinis, iis præſertim qui publicè mittebantur, Πάροχοι. ligna & ſalem & ſimilia præbere & ſuppeditare, ſic dicti ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod valet *præbere.* Hinc Horat. Satyr. 5. lib. 1.

---- Et parochi, quæ debent, ligna ſalemque.

Copiarii. Hos Porphyrius *copiarios* a Latinis vocatos eſſe tradit, qui victum, ſalem & ligna iis præſtabant, qui Reipub. cauſâ peregrè ibant, de quo vocabulo etiam infrà. Sub horum autem nomine omnia hoſpitibus neceſſaria intelliguntur, teſte Acrone & Lambino, qui Satyr. ult. lib. 2. *parochum* volunt ab Horatio per translationem poni pro eo, qui cœnam præbet, & pro convivatore:

---- Vertere pallor
Tum parochi faciem vel ſic metuentis, ut acres
Potores, &c.

πάροχοι, ut tradit Turnebus in ſuis Adverſariis, *non ſolùm dicuntur, qui præbenda magiſtratibus redemerunt,* Ξενοπάροχοι. *verumetiam equi, qui curſus publici cauſa præbentur,* &c. Dicti quoque ſunt ξενοπάροχοι illi, qui peregrinis res ad victum neceſſarias præbebant, quos Acro inter eos, qui perſonalibus muneribus funguntur, numerat. Et paulò pòſt §. 2. inquit: *Elemporia* (ſive elæemporia olei coëmendi cura) *& oſpratura* (vocabulum fictum ex Græco ὄσπριον, quod varias fruges minutas & legumina ſignificat) *apud Alexandrinos patrimonii munus exiſtimatur, id eſt, minutarum frugum publicè coëmendarum cura.* Suſceptores quoque vini per provinciam Africam patrimonii munus gerunt. Eodem quoque nomine *paranymphus* appellatur a παροχεῖσθαι. Pauſanias enim ſcribit in Græcia moris fuiſſe, ut in nuptiali curru, quo ſponſa vehebatur, tres duntaxat ſederent, & media ſponſa, a lateribus ſponſus, & quem vocant πάροχον, qui amicitia vel ſanguine conjunctus eſſet, & cui plurimum deferrent. Idem Suidas tradit. Hinc, ut illud quoque obiter addam, Eccleſiæ antiſtites *parochos* volunt dictos ab exhibitione ſacramenti, & *parochias* quibus ſinguli miniſtri deſtinati ſunt. Budæus autem non *parochias* primùm, ſed *parœcias* appellatas eſſe cenſet. *Parochi* ſignificationem rectè Lavaterus in Ezechielem miniſtris Eccleſiarum ideò pulchrè convenire exiſtimat, quòd ipſi hominibus, qui hoſpites & peregrini ſunt in hoc mundo, menſam verbi Dei apponunt, & Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrant: deinde ſponſam Chriſto adducunt. Æſchines quoque quàm ſanctum hoſpitii jus apud veteres Græcos fuerit, ac quomodo id ſalis & menſæ conſortio contrahi fuerit ſolitum, egregiè ſanè his verbis oſtendit in illa ſua oratione *de perperam obita legatione:* τοὺς γὰρ τῆς πόλεως ἅλας, καὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν πλείστου δὴ φησὶ ποιεῖσθαι, hoc eſt, *Etenim civitatis ſalem publicamque menſam ait ſe plurimi facere.* Quod autem Æſchines ſalis mentionem facit, ideo fit, quia hoſpitibus olim ſal ante cibos alios apponebatur, ceu amicitiæ ſymbolum, ut teſtis eſt Euſtath. in Ιλ. α. Cæl. lib. 12. c. 1. Sic, teſte Eraſmo, apud Germanos acceptus a propinante cyathus adimit omne jus agendi injuriam. Unde Euſtath. quoque in illa Ulyſſis verba ad Antinoum: Οὐ σύγ' ἂν ἐξ οἴκου τῷ ἐπιστάτῃ οὐδ' ἅλα δοίης, exponit, οὐδὲ τὸ ἅλας τὸ ἐπὶ ξενίᾳ διδόμενον, hoc eſt, *neque ſal, quod hoſpitalitatis nomine dari conſuevit:* addit deinceps, ὅτι δὲ τὸ ξένιον ἅλα θεῖον ὁ ποιητὴς οἶδε, ἐδήλωσε ἐν τῇ λιταῖς, *quod autem ſal hoſpitale divinum agnoverit poëta, apparet ex ſupplicationibus,* in quibus quædam ſcribit ex ſale fuiſſe compoſita. Vide infrà de Fœderalibus conviviis. Ut autem ſal primò omnium apponi hoſpitibus conſuevit: ita Germani convivantes hoſpiti ſive peregrino advenienti poculum vini primò porrigere ſolent, ex quo ſi bibere is recuſet, inhumanus & incivilis habetur. Moris quoque eſt apud nobiles præſertim, ut a patrefamiliâs hoſpiti, qui nunquam antea in illius domo fuit, poculum ſatis amplum proponatur, quod illi eſt exhauriendum: quod quidem Willkom, hoc eſt, *ſalutatorium* poculum, nominatur, quo novus hoſpes excipitur, & quaſi hoſpitalis amicitia cum illo contrahitur.

Paranymphus etiam πάροχος dictus.

Parochi cur dicti eccleſiæ antiſtites.

Hoſpitii jus ſalis, & menſæ conſortio contrahi ſolitum.

Sal hoſpitibus olim ante omnia appoſitum.

Sal hoſpitalitatis ſymbolum.

Atque hæc quidem de Græcorum hoſpitii hoſpitalitatiſque cùm publicæ, tum privatæ jure, more atque conſuetudinibus in genere ſint dicta: nunc de ſingulorum quorundam Græciæ populorum hoſpites excipiendi more atque conſuetudine quædam adjiciamus. Hoſpitaliſſimi olim fuiſſe feruntur Cretenſes, hodie *Candiotæ* dicti, qui quidem, ut teſtis eſt Athen. lib. 4. paſſim per totam ſuam inſulam binas habuerunt ſemper in illis ſyſſitiis extructas domos, unam, quam ἀνδρεῖον appellarunt, alteram, in qua hoſpites diverſari atque dormire ſolebant, quam idcirco κοιμητήριον (quaſi dicas *dormitorium*) nominarunt. In domo autem convivali (συσσιτικὸν οἶκον vocant) in qua convivabantur, duæ ſtratæ erant menſæ, ξενικαὶ, id eſt, *hoſpitales*, dictæ, propterea quòd hoſpites, qui aderant, iis primò aſſidebant. Poſt illas verò aliæ ordine quæque ſuo repoſitæ erant menſæ. Adhæc erant & ſedilia hoſpitalia & menſa tertia, quæ a dextra ingredientibus ἀνδρεῖα occurrebat, quam ξενίου τε Διὸς ξενίαν τε, hoc eſt, *menſam Jovis hoſpitalis, & hoſpitalem*, vocabant. Heraclides ſimiliter in *Politiis*, Cretenſium hoſpitalitatem commendans, ait, *Illos eorum, quæ in conviviis apponebantur, partem peregrinis & hoſpitibus primùm dediſſe: pòſt hoſpites principi quatuor portiones præbuiſſe, unam quam etiam reliquis, alteram principalem, tertiam familiæ, quartam utenſilium.* Idem auctor tantam Cretenſium erga peregrinos humanitatem extitiſſe dicit, ut ad magiſtratus quoque gerendos illos ſæpe vocarint.

Cretenſium hoſpitalitas.

Domus, menſæ, ſellæ hoſpitales.

De

Megarensium & Corinthiorum hospitalitas.

De Megarensibus atque Corinthiis litteris memoriæque proditum est, illos cùm de imperio certaretur, captivos in bello velut hospites invicem humaniter tractasse, illosque sine pretio dimissos *Doryxenos* appellasse. Illis enim Jupiter ξένιος in præcipuo cultu erat. Quare etiam milites cum hostibus extra aciem familiaria jura servabant, in acie verò pugnabant vehementissimè. Testis est Alexander ab Alex. lib. 4. c. 10.

Lacedæmoniorum erga hospites benignitas.

Celebris est Lacedæmoniorum liberalitas, qui legatos & peregrinos in suis Phiditiis, necnon Copidibus atque Æclis, de quibus suo loco, ut Cretenses in Syssitiis excipere & benignè liberaliterque tractare consueverunt. Unde Cratinus apud Athenæum cœnæ *copis* dictæ mentionem faciens, inquit:

Ἆρ' ἀληθῶς τοῖς ξένοισιν ἐστιν, ὡς λέγουσ' ἐκῆ
Πᾶσι τοῖς ἐλθοῦσιν ἐν τῇ κοπίδι θοινᾶσθαι καλῶς.
Verè, ut ferunt, quivis potest ibi advena
Convivium lautum, bonamque hinc copidem
Qui accesserit, sumpsisse, &c.

Paulò pòst Æcli, quæ & ipsa fuit quædam convivii Spartani species, mentione facta libro 4. dicit, non incolis solùm atque civibus, sed omnibus peregrinis hospitibus ad illud aditum patuisse. Plura passim apud auctores præclara græcanicæ hospitalitatis exempla reperiuntur, quæ omnia colligere nimis longum ac operosum foret. Hæc quæ dicta sunt, sufficiunt opinor ad antiquam ξενίας, id est, hospitii & hospitalitatis publicæ pariter atque privatæ rationem Græcis usitatam demonstrandam: id quod mihi hoc in loco fuit propositum.

Hospitalitas a Romanis religiose fuit culta.

Hospitia publica & privata.

Nec minor verò hac in parte Romanorum laus censeri debet, ad quos ut omnium ferè gentium atque populorum monarchia, omnesque artes liberales & disciplinæ: ita hospitalia quoque jura, mores atque consuetudines ab ipsis Græcis fuerunt devolutæ. Unde Roma *omnium patria* dicta est, teste Athenæo lib. 1. cap. 1. Nam primò, ut apud Græcos, ita apud Romanos quoque erant & publica & privata hospitia, ita ut hospitii necessitudo non modò inter privatos, sed etiam inter populos contraheretur, neque id quidem modò, sed etiam inter singulos privatosque homines & civitates. Deinde ut hæc cùm publici tum privati hospitii necessitudo Græcis sacrosancta visa est, quam violare nefas esset: ita Romanis quoque, qui idcirco non minore cultu atque religione Jovem Xenium, id est, *hospitalem*, quàm Græci coluerunt. Unde Cicero in oratione pro Dejotaro: *Si veneno, Jovis illius quidem hospitalis numen nunquam celare potuisset, homines verò fortasse celavisset.* Idem ad Q. Fratrem: *Non faciam ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis hospitalis.* Apulejus lib. 3. *Sed prob Jupiter hospitalis, & fidei secreta numina,* &c. Et Virg. Æneid. 1.

Jupiter Xenius seu Hospitalis a Romanis cultus.

Juppiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.

Dicit illum dare hospitibus jura, & idcirco ἐπιτιμήτωρ, id est, *ultor* sive *vindex* supplicum atque hospitum ab Homero fuit appellatus. Eò pertinet illa Lycaonis fabula, qui cum hospitio susceptus hospites necaret, a suscepto Jove, postquam ei epulas humanas apposuit, versus in lupum exemplo suo ostendit, hospitii jura non esse violanda. Ut autem Jupiter ξένιος a Cicerone *hospitalis*, ita ab Ovidio *Hospes* dictus est, Metamorph. 10.

Lycaonis fabula.

Ante fores horum stabat Jovis hospitis ara.

Hospes autem apud Latinos, ut apud Græcos ξένος, tam is qui recipit, quàm qui recipitur, dici solet. Ovid. *Non hospes ab hospite tutus.* Cicero pro Dejotaro; *Per dexteram istam, quam hospes hospiti porrexisti.*

Jupiter hospes dictus.

Hospitis nomen æquivocum.

Hospitum quanta apud Romanos observantia.

Officiorum gradus apud Romanos.

Quanta fuerit veteribus Romanis hospitum observantia, Gellius quoque egregiè docet lib. 5. cap. 13. ubi de Officiorum gradu atque ordine, moribus populi Romani observato, agit: *Cumque quæreretur*, inquit, *quibus nos ea* (officia) *prioribus potioribusque facere oporteret, si necesse esset in opera danda faciundoque officio alios aliis anteferre, non constabat. Conveniebat autem facile constabatque ex moribus populi Romani. Primum juxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque nostræ creditos. Secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dederant. Tum in tertio loco esse hospites, postea esse cognatos affinesque.* Hæc ille. Vides hîc in opera danda obsequioque præstando hospites & peregrinos ipsis quoque cognatis & affinibus fuisse præpositos. Unde patet verum esse id, quod suprà ex Eustathio protulimus, nempe hospitalitatis necessitudinem antiquis vel ipsa sanguinis conjunctione sanctiorem augustioremque visam esse. Addit præterea Gellius eodem in loco: *Massurius autem Sabinus in libro Juris civilis* III. *antiquiorem locum hospiti tribuit, quàm clienti, cujus hæc sunt verba: In officiis apud majores ita observatum est, primùm tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini. Firmum atque clarum isti rei testimonium perhibet auctoritas C. Cæsaris Pont. Max. qui in oratione, quam pro Bithynis dixit, hoc principio usus est: Vel pro hospitio regis Nicomedis, vel pro horum necessitate, quorum res agitur, refugere hoc munus non potui. Nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin proximis retineatur, neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam a propinquis nostris opem ferre instituimus.*

Hospitalitatis necessitudo sanguinis conjunctione prior apud veteres.

Romani religiosi fuerunt hospitalitatis cultores.

Livii testimonium.

Cic. Verrem violati hospitii perstringit.

Quanta hospitii religio & necessitudo Romanis fuerit, Livius quoque indicat lib. 7. de Bello Maced. *Princeps legationis, expositis amicitiæ officiis cum pop. Rom. meritisque Rhodiorum: Nihil*, inquit, *nobis tota nostra actione P. C. neque difficilius neque molestius est, quàm quòd cum Eumene nobis disceptatio est: cum quo uno maximè regum, & privatum singulis, & (quod magis nos movet) publicum civitati nostræ hospitium est.* Cicero quoque in suis invectivis in Verrem inter alia crimina illi sæpe hospitii violationem exprobrat. Ut in actione ult. *Pater*, inquit, *aderat Dexio Tyndaritanus, hospes tuus: cujus tu domi fueras, quem hospitem appellaveras: eum cùm illa auctoritate, & miseria videres præditum, num te ejus lachrymæ, num senectus, num hospitii jus atque nomen a scelere aliquam*

quam ad partem humanitatis revocare potuit? Sed quid ego hospitii jura in hac tàm immani bellua commemoro, qui Sthenium absentem hospitem suum in reos retulerit. Fuerunt etiam nonnullæ aliquando domus sceleſtæ, quas non licuit amplius habitare (ut ex probatis scriptoribus patet) quod ibi violata fuerint hospitia. In ff. *de nautis & cauponis* lib. 1. datur actio duplex contra hospitem, *si quid ex hospitio subtractum sit.*

Domus sceleſtæ ob violatum jus hospitii.

Peregrinus olim hostis dictus.

Quanta Romanorum erga peregrinos quosvis humanitas fuerit, inde quoque videtur posse colligi, quod peregrinum antiquitus, teste Cicerone, Varrone atque Festo, *hostem* appellarunt, ab *hostiendo*, ut nonnulli volunt, hoc est, *æquando*, propterea quod inter cives & peregrinos debeat esse æquabilitas. Cicero: *Hostis apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus, indicant* 12. *tabulæ. Aut status dies cum hoste: Itemque adversus hostem æterna auctoritas.* Romanos verò tantum humanitatis peregrinis præstitisse non videtur esse mirum, cum ipsi quoque, ut ex historiis patet, ex peregrinis & advenis undique confluentibus in unum coaluerint. His adde quòd Romæ externis & peregrinis magistratus dabatur regius, consularis & prætorius, ut Numæ & Tarquinii temporibus, Consules multi peregrini & externi fuerunt. Habebant & prætorem peregrinum, qui peregrinis jus dixit. Hujusmodi magistratus creandos & instituendos esse in usum peregrinorum, Plato quoque in sua Repub. suasit, de quo vide suprà.

Prætor peregrinus.

Hospitalia Romanorum.

Præterea ut apud Græcos certæ quædam erant ædes peregrinis hospitibusque recipiendis destinatæ, de quibus etiam Plato in lib. *de Legibus* præcipit, quæ ab illis ξενοδοχεῖα, ξενῶνες, καταγωγαὶ sive καταγώγια, καταλύματα, a Phrygibus peculiari nomine ἀνδρῶνες, a Cretensibus κοιμητήρια fuerunt appellatæ: sic quoque Romani domos habuerunt certas in peregrinorum atque hospitum usum extructas, quas *Hospitalia* vocarunt: de quibus sic Vitruvius lib. 6. *Præterea dextra ac sinistra domunculæ constituantur, habentes proprias januas, triclinia & cubicula commoda, ut hospites advenientes non in peristylia, sed in hospitalia recipiantur.* Eodem modo nostra ætate, quæ ædes publicæ parantur ad egenos recipiendos, *hospitalia* appellantur. Nam illæ quæ viatoribus peregrinisque mercede patent, *cauponæ diversoriaque* vocantur. Hospitium quoque & pro domo ubi diversamur, nonnunquam accipitur, & frequentius pro ipsa consuetudine amicitiaque hospitali. Huc quoque facit quod Cic. lib. 1. Off. in privatarum ædium ædificatione hospitum quoque rationem censet esse habendam, sic enim inquit: *Ut in cæteris habenda ratio non sui, sed etiam aliorum: sic in domo clari hominis, inquam, & hospites multi recipiendi, & admittenda hominis cujusque generis multitudo, adhibenda est cura laxitatis.*

Hospitii contrahendi quæ ratio apud Romanos.

Hospitii porrò morem inter privatos conjungendi hunc fuisse, quem Zanchus in suis in Sallustium commentariis tradit, ex scriptoribus passim colligi potest. Cum quis peregrè proficiscebatur è servis aliquot præmittebat ad urbem eam, ubi diversurus esset, qui inquirerent, an domini hospes amicusvè paternus ibi quisquam esset. Si nullus erat, quærebant diversorium. Si nullum erat, magistratum adeuntes, hospitalitatem postulabant, sibi verò quamque a magistratu datam accipiebant. Nonnunquam tamen usu veniebat, ut utriusque hospitum voluntate hospitium jungeretur, cum uterque alterius virtute illectus hanc hospitalitatem postulabat, & hujus privati hospitii nota pignusque erat tessera hospitalis, de qua postea pluribus. Populus Romanus cum aliis vel populis vel regibus vel etiam privatis hominibus Senatusconsulto legitur aliquando hospitium contraxisse. Liv. lib. 5. de Tisimatheo Liparensi loquens: *Qui legatos Romanorum hospitio exceptos, ad Delphos usque deductos, retro in urbem hospites reduxerat, Hospitium,* inquit, *S. C. factum est, donaque publica data.*

Munera Hospitalitia.

Munerum hospitalium, ut apud Græcos, sic apud Hebræos crebrum usum fuisse legimus. Hujus certè illustre exemplum extat 1. Sam. 25. 8. ubi, cùm tonsores ovium & diem bonum (erat autem is, quem conviviantes cum lætitia traducebant, sive is festus fuerit sive non) Nabal haberet, servi Davidis, *Die bono*, inquiunt, *venimus*, quasi dicerent: Quia tonsores habes & diem luculentum, par est, & consuetudo postulat, ut nobis & Davidi, servo tuo, aliquid largiaris. Quippe moris erat, ut illis diebus munera (*apophoreta* vocant) & partes ciborum mitterent: juxta illa, quæ leguntur Esth. 9. 19. Quòd autem tonsuram eo die fecerit Nabal, probatur ex versu 4. illius capitis. Hilaria verò celebrasse liquet ex illo ipso loco, quem produximus. Si tamen is non faciat satis, sciat in more positum fuisse, ut cùm oves tonderent, solenne instituerent convivium ad quod invitabant parentes & agnatos qui mos eruitur ex 2. Sam. 13. 23. Hæc Drusius in Quæsitis per epistolam.

Apophoreta, Xenia, Xeniola.

Lautia.

Eundem usum munera hospitibus mittendi frequentem fuisse etiam apud Romanos legimus, quæ ab illis similiter *xenia* & *apophoreta* fuerunt dicta: tametsi apophoreta, ut rectè monet Beroaldus in suis in Apulejum Commentariis, non tam dicta fuerint munera, quæ remittebantur ab his, qui xenia acceperant, quàm vasa & id genus alia, quæ convivis apponebantur, ut secum post convivium aufferrent, donaque haberent, de quibus plura suo in loco. *Xeniola* Apulejus munera hospitalia appellavit per deminutionem. Xeniorum Jurisconsulti quoque crebram mentionem faciunt, ut Politianus docet in Miscellaneis, & eum sequutus Budæus. Ulpianus pro muneribus, quæ provincialibus magistratibus eorumque comitibus dari solent, usurpat l. 6. §. 3. ff. *de Offic. Proconſ.* Notabis quoque munera illa, quæ legatis peregrinis per quæstores dabantur, *Lautia* fuisse dicta, de quo sic Plutarchus in Quæstionibus Romanis: Quæstio est, *cur legati undecunque Romam missi, ad Saturni ædem primò accesserint, ibique nomina sua dederint præfectis ærarii?* Respondet: *Aut hoc fit eò quod Saturnus cùm fuerit peregrinus, hospitibus gaudeat. Aut historia potius quæstionem solvit. Antiquitus enim, ut apparet, quæstores legatis mittebant, quæ Lautia dicebantur, ægrotantium curam suscipiebant, mortuisque funus e publico faciebant. Nunc autem ob multitudinem legatorum, qui veniunt, sumptu omisso, tamen moris antiqui hæc servantur vestigia, ut Legati accedant præfectos ærarii, qui eorum nomina in tabulas referunt.*

Romanorum hospitalitas erga legatos.

Hinc apparet insignem antiquitus Romanorum erga legatos potissimum hospitalitatem liberalitatemque extitisse, quibus per urbanum quæstorem publicum hospitium, & munera, quæ *lautia* dicebantur, sæpe etiam com-

commeatus largè & hoſpitaliter, & veſtimenta publico nomine præſtabant, id quod ex uno atque altero exemplo, quæ ſubjungam, melius adhuc patebit. Sic enim Senatus, cum ad gratulandum ſibi Pruſiam Bithyniæ regem, Perſe defuncto, venire audiſſet, obviam illi Pub. Cornelium Scipionem Quæſtorem Capuam miſit, cenſuitque ut ei domus Romæ quàm optima conduceretur, & copiæ non ſolùm ipſi, ſed etiam comitibus ejus publicè præberentur: teſtis eſt Valerius Max. lib. 5. c. 1. Rex ſimiliter Ptolemæus, eodem teſte, a minore fratre regno ſpoliatus petendi auxilii gratia, cum paucis adeò ſervis ſqualore obſitus, cùm Romam veniſſet, ac ſe in hoſpitium Alexandri Pictoris contuliſſet: Senatus ubi hoc reſcivit, accerſito juvene, quàm potuit accurata excuſatione uſus eſt, quod nec quæſtorem illi more majorum obviam miſiſſet, nec publico hoſpitio eum excepiſſet: eaque non negligentia ſua, ſed ipſius ſubito & clandeſtino adventu facta dixit. Et illum ſubitò e Curia ad publicos Penates duxit hortatuſque eſt, ut depoſitis ſordibus, adeundi ipſius diem peteret. Quin etiam curæ habuit, ut munera ei quotidie per Quæſtorem darentur. Vide aliud exemplum apud eundem libro 5. cap. 1. de Muſitano Maſiniſſæ filio. Exempla.

Quemadmodum præterea apud Græcos, uti ſuprà dictum eſt, hoſpitii neceſſitudo atque jus ad poſteros tranſibat: ita apud Romanos idem moris fuiſſe legimus. Cicero Famil. epiſt. 13. *Avitum mihi hoſpitium eſt cum Liſone Liſonis filio Lilybitano.* Plurima exempla paſſim occurrunt. Poſteri itaque parentum ſive majorum ſuorum hoſpitia ſibi ſanctè religioſeque tuenda atque conſervanda exiſtimabant, atque idcirco teſſeram hoſpitalem, quæ quidem amicitiæ ejus ſymbolum erat atque pignus, diligenter obſervabant. De quo more Græcis quoque uſitato ſic ſcribit Euripidis Scholiaſtes in Hippolyto: Οἱ μὲν ξενούμενοι ἴσιν ἀστράγαλον κατατέμνοντες, θάτερον μὲν κατελίμπανον τοῖς ὑποδεξαμένοις, ἵνα εἰ δέοι πάλιν αὐτοὺς, ἢ τοὺς ἐκείνων ἐπιξενοῦσθαι, πρὸς ἀλλήλους ἐπαγόμενοι τὸ ἥμισυ ἀστραγάλιον ἀνενοῦντο τὴν ξενίαν, hoc eſt, *Qui hoſpitio excipiebantur teſſeram incidentes, dimidiam ejus partem relinquebant iis, a quibus erant excepti, ut ſi opus eſſet, vel ipſos vel ipſorum poſteros & amicos eodem rurſus uti hoſpitio, dimidiata illa prolata teſſera, hoſpitii jus atque neceſſitudo renovaretur.* Nam quemadmodum apud Græcos mutua quædam munera ultrò citroque data & accepta, hoſpitalis fœderis cùm paterni & aviti, tum recens contracti erant notæ atque pignora, uti ex illo Diomedis atque Glauci exemplo ſuprà citato ſatis apparet. Ita quoque Romani teſſeram ſolebant dare hoſpitibus dimidiatam, quam quicunque attuliſſet ad hoſpitem, continuò agnoſci poſſet, & hoſpitio accipi tanquam amicus & vetus hoſpes. Fiebant autem hæ teſſeræ ex ligno longiuſculo, & utrinque exæquato & complanato: ut Lambinus in Plautum, & Beroaldus in Sueton. ſcribunt. Omnino autem quatuor ferè teſſerarum genera apud Latinos auctores invenio. Erat enim teſſera frumentaria, hoc eſt, ſignum frumentarium, quo exhibito unuſquiſque frumentum pro portione accipiebat a principe: de qua Juvenalis: Teſſera hoſpitalis. Teſſerarum quatuor genera apud Romanos. Teſſera frumentaria.

Summula ne pereat, qua vilis teſſera venit
Frumenti.

Et Perſius: ---- *Scabioſum teſſerula far*
Poſſidet, &c.

Iſidorus, *Teſſeræ ſunt, quibus frumentorum numerus deſignabatur.* Erant teſſeræ nummariæ, quas Auguſtum duplicaſſe, Suetonius teſtatur in ejus vita. Erant illæ ſimiliter ſigna, quibus exhibitis unuſquiſque nummos pro portione accipiebat. Erat etiam teſſera militaris (ut nihil de ludicra dicam, qua in alveolo ludi conſuevit, ſic dicta, Iſidoro teſte, *quia quadra ex omnibus partibus*, Græcè κύβος) ut eam Beroaldus definit, præceptum ducis, quo vel ad aliquod opus, vel ad bellum exercitus movebatur: unde a Vegetio *teſſerarii* nominantur, qui teſſeras per contubernia militum nuntiabant. Servius autem explanans illud 7. Æneid. *In bello teſſera ſignum*: dicit *intelligi ſymbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur confuſionis ſcilicet evitandæ gratia*, quam Vegetius duplicem facit, *vocalem & mutam.* Denique teſſeræ fuerunt hoſpitales ſive hoſpitii, de quibus nunc agimus, quas hoſpites eorumque liberi ſecum ferebant, ut facilius a veteribus & paternis hoſpitibus agnoſci poſſent. Hinc Hanno Pœnus apud Plautum in Pœnulo, cum Antidamo hoſpite eſſet uſus, apud Agoraſtoclem Antidami filium adoptivum divertere non dubitavit: nam Teſſeræ nummariæ. Teſſera militaris. Teſſerarii. Teſſera hoſpitalis.

Deum, inquit, *Hoſpitalem, ac teſſeram mecum fero.*

Et poſtea idem Pœnus ipſum Agoraſtoclem ſibi ignotum affatus:

Ego, inquit, *hìc hoſpitium habeo, Antidami filium*
Quæro.

Cui cum Agoraſtocles reſpondiſſet, ſe illum ipſum eſſe, quem quæreret, dicit ille:

---- *Si ita eſt, teſſeram*
Conferre ſi vis hoſpitalem, eccam attuli:

Cui Agoraſtacles, *Agedum huc oſtende: eſt par probè: nam habeo domum.*

Pœnus igitur, *O mi hoſpes ſalve multum* (χαῖρε ξεῖνε Homerus, de quo ſuprà) *nam mihi tuus pater,*
Pater tuus ergo hoſpes Antidamas fuit.
Hæc mihi hoſpitalis teſſera cum illo fuit.

Cui Agoraſtocles, *Ergo heic apud me hoſpitium tibi præbebitur.*
Nam haud repudio hoſpitium, &c.

Sic is, qui jus hoſpitii violaverat, *teſſeram hoſpitalem confregiſſe* dicebatur. Plautus in Ciſtel, Teſſeram hoſpitalem confringere.

 Abi

Abi quærere, ubi tuo jurejurando satis sit subsidii.
Hic apud nos fidei jam confregisti tesseram.

(hast das habermuß verschütt) hoc est, interprete Lambino, *jus hospitii violasti, & amicitiam consuetudinemque pristinam, quæ tibi nobiscum erat dissolvisti, natum ex veterum consuetudine, qui hospitibus tesseras quasdam dabant, quibus ostensis eos, vel eorum filios longo intervallo venientes agnoscerent.* Vide Erasm. in Adag.

Hospitium renunciare.

Ut autem certa fuit hospitii contrahendi ratio, quæ tesseris ultrò citroque datis, uti dictum est, fiebat: ita si quem contracti hospitii pœnituisset, renuntiare hospitium solebat, tesseram confringendo, ne hospitii jus violaret. Cicero in Verrem act. 4. *Itaque vehementer iste Sthenio infensus, hospitium ei renunciat, domo ejus emigrat, atque adeò exit: nam jam ante emigrarat.* Sic Badius ille Campanus, de quo suprà, Q. Crispino Rom. in conspectu duorum exercituum hospitium solenniter renuntiavit, ut cum eo hostili animo congredi posset, teste Liv. Decad. 3. lib. 5.

Hæc de Romanorum hospitalitate satis sint dicta in genere. Nam singulorum hominum exempla persequi, esset infinitum, nec etiam id propositi mei ratio postulat, quod est ritus tantùm atque consuetudines varias hospites excipiendi significare. Ut autem Judæi, Græci atque Romani illi antiqui, sicuti adhuc explicatum est, hospitalitatem summo studio coluerunt, seque erga hospites atque peregrinos valde comes, humanos atque beneficos præbuerunt: sic alios quoque populos licet non tanta vel potentia præditos, vel morum disciplinarumque humanitate excultos, tamen hospitalitatis studio illis ipsis nihilo inferiores fuisse legimus, quorum exempla quædam maximè illustria proponam.

Leucanorum hospitalitas.

Leucanorum hospitalitas literis antiquorum vehementer celebratur, apud quos hujusmodi fuisse legem, Ælianus lib. 4. de Varia historia cap. 1. scribit: *Si sub occasum Solis venerit peregrinus volueritque sub tectum alicujus divertere, & is hominem non acceperit, mulctetur, &* κακοξενίας, id est, *inhospitalitatis, pœnas luat, ut mihi quidem videtur,* addit Ælianus, *& venienti & Jovi* ξενίῳ, id est, *hospitali.* Idem tradit Heraclides in Politiis. Cæl. lib. 21. cap. 48. *Lucanos, vel (uti enuntiant Græci)* λδικανὺς *esse ferunt* φιλοξένυς, id est, *hospitum amantes & justos.* Eosdem Nicolaus *de moribus gentium*, ut aliorum criminum ita ἀσωτίας ϗ ἀργίας, id est, *luxuriæ & otii*, causas agere testatur, ita ut si quis homini luxurioso mutuasse aliquid convincatur, mutuo dato privetur.

Gallorum hospitalitas.

Galli, Diodoro teste, tanta humanitate olim fuerunt præditi, ut hospites statim ad epulas vocarent, qui essent, quáve causa advenissent, postea rogantes. Similia exempla suprà ex Homero protuli quorundam, qui hospites non prius interrogarunt, quinam essent, aut quæ illorum adventus causa esset, quàm illos convivio liberaliter excepissent.

Celtæ hospitales.

Celtæ quoque, qui fuerunt populi Galliæ comatæ, inter Garumnam & Sequanam fluvios, graviùs in illum animadverterunt, qui peregrinum, quàm qui civem occidisset. Huic enim exilium, illi mortis pœna statuebatur. Ac januas ædium nunquam claudebant, testis est Nicolaus *de Moribus*, & Stob. serm. 145. Gallos adhuc antiquum obtinere, singularique humanitate peregrinos prosequi, & ipsemet expertus sum, & experiuntur omnes, qui in illorum regionibus commorantur. O utinam non istis civilibus bellis efferati, peregrinorumque armis atque fraudibus miserrime vexati, ab antiqua illa sua insitaque erga peregrinos humanitate nonnihil deflexissent!

Germanorum aliquorum hospitalitas.

Gallorum porrò Germanos antiquos ut aliis quoque moribus (unde Strabo Germanos *quasi legitimos fratres cognatosque Gallorum legibus, moribus, lingua* interpretatur) ita hospitalitatis quoque studio cultuque simillimos fuisse, veteres historici abundè testantur. Cornelius Tacitus in suo illo *de Germania & Germanorum moribus* libro: *Convictibus & hospitiis,* inquit, *non alia gens effusius indulget. Quemcunque mortalium arcere nefas habetur, pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modò hospes fuerat, monstrator hospitii, & comes proximam domum non invitati adeunt. Nec interest, pari humanitate accipiuntur, notum ignotumque quantum, id jus hospitis nemo discernit. Abeunti si quid popósceris, concedere moris, & poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis.. Statim a somno, quem plerique in diem extrahunt, lavantur, sæpiùs calida, ut apud quos plurimum hyems occupat. Lauti cibum capiunt, separatæ singulis sedes, & sua cuique mensa.* Confer singula hæc cum Homericis illis hospitalitatis exemplis, summam profectò affinitatem similitudinemque reperies. Ejusdem Germanorum antiquorum hospitalitatis Julius quoque Cæsar testis est, de quibus sic scribit lib. 6. *Germani hospitem violare phas non putant, qui quaque de causa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, sanctos habent: iisque omnium domus patent, victusque communicatur.* Et Mela lib. 3. *Tantum hospitibus boni mitesque supplicibus.* In primis verò notandum est, quod Tacitus dicit hospitia apud Germanos notis ignotisque fuisse communia, ita ut notum ignotumque, quantum ad jus hospitis, nemo discreverit, cui affine est illud Eumæi pastoris ad Ulyssem sibi ignotum Od. ξ.

Ξεῖν᾽ οὔ μοι θέμις ἔστ᾽, οὐδ᾽ εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι
Ξεῖνον ἀτιμῆσαι. πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοίτε πτωχοίτε

Huc quoque facit pium illud sanctumque Augustini dictum: *Disce Christiane sine discrimine exhibere hospitalitatem, ne fortè cui tu domum clauseris, cui humanitatem negaveris, ipse sit Christus. Melius igitur est malum sub specie boni etiam recipere, quàm bonum excludere: tolerabilius est ingratum recipere, quàm Christum excludere: melius fertur malus, quàm excludatur bonus.* Huc quoque pertinet antiquissimum Christianissimumque illud Epigramma Xenodochio Constantinopolitano olim inscriptum, quod Latinè sic a quodam est versum:

Qui

Qui prius errabas tota male notus in urbe,
Sive solo venias advena, sive salo;
Ponito nunc curas, metus exulet anxius, & nunc
Siste pedem, domus est, ecce, parata tibi.
Tecta tamen si fortè velis cognoscere, quisquam
Struxerit hæc primus, præsul erat Phares.

Et paulò post: *Civis & hospes erat gratus, nam qualis, & unde*
Natus es, hospitii quærere jura vetant.

Germanorum hospitalitatem sanctus quoque Athanasius expertus est, apud quos duobus ferè lustris hospitio clàm exceptus, Imperatoris ab Ario seducti furores evasit, atque fidei symbolum aliaque apud eosdem conscripsit. De Germanorum hospitalitate vide plura apud Crantzium lib. 1. cap. 4. Metrop. ubi Lenderici Episcopi Bremensis inhospitalitatem vehementer culpat: verùm quod Gallicæ nationi magis, quam Germanicæ id se deputare ait, ut ille loquitur: in eo ipso Crantzius mihi videtur esse reprehendendus, cum ex historiis suprà citatis constet, antiquorum Gallorum insignem benevolentiam humanitatemque in peregrinos fuisse Germanorum hospitalitate nihilo inferiorem, qualis etiamnum cernitur. Alexand. quoque ab Alexandro de eadem Germanorum hospitalitate scribit lib. 4. cap. 10.

Laudatur præterea a veteribus Calabrorum hospitalitas, qui hospites comiter & benignè invitare, pyra, quibus abundabant, illis apponendo, solebant, cum majora non haberent. Itaque in proverbium abiit: *Calabri hospitis dona*, pro nullius pretii muneribus, quæ donanti oneri magis sunt, quàm usui. Vide Eras. in Adag. Hanc rusticam Calabrorum hospitalitatem sallè irridet Horatius in epistolis ad Mecœnatem, ut Mecœnatis erga se beneficentiam exaggeret. Sed tamen grata est, ut vulgò dicitur, in muneribus mens: Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 10. Calabrorum hospitalitas.

Mosyni quoque (quos Orpheus μοσύνες, Plinius *Mossynos*, Strabo, Xenoph. Apollonius & alii Μοσυνοίκες, *Mosynoecos*, hoc est, *turricolas*, vocant, nam Mosyni sunt turres lignei) non sunt silentio prætereundi, qui proveniens ipsis frumentum æqualiter distribuerunt, partem aliquam communiter pro hospitibus advenientibus seponentes. Stob. serm. 145. ex Nicolai *de Gentium moribus* historia. Observabant scilicet præclarum illud præceptum proverbii quoque loco usurpatum: λεῖπέ τι καὶ ξένοις ἐπελθοῦσιν, id est, *relinquito aliquid & hospitibus advenientibus*, cujus Plutarchus meminit, in Sympos. id quod etiam vulgò hodie dictitant, ut Erasmus in suis Proverbiis monet. Mosynos tamen inhumanos erga peregrinos extitisse, Strabo & Xenophon testantur, de quo vide mea Comment. in Periplum Ponti Euxini. Mosynorum hospitalitas.

Sed hæc satis de priscorum hominum atque populorum hospitalitate sint dicta, ex quibus quænam illius ratio atque modus fuerit, quamque sanctè religioseque ab illis fuerit culta, facilè colligi potest. Quod si autem populi illi antiqui, uti explicatum est, vera fide religioneque vacui, vel solo naturæ ductu & impulsu hospites & peregrinos tanto amore, benevolentia officiisque fuerunt prosequuti, hospitiique contracti jus atque fidem tanta religione coluerunt: quantò magis nos Christianos verissimis verbi divini documentis institutos, sanctissimisque sacris initiatos, tam certis nobis amplissimisque non hujusce solùm, sed alterius quoque vitæ præmiis propositis, cùm in primis inter nos mutuò, tum etiam cum externis populis atque hominibus quantumvis a Christiana religione alienis hospitalitatem exercere atque colere decet? Nota.

Verùm ut a priscis illis temporibus ad nostra veniamus, primò quidem negari non potest, quin cùm apud Christianos, tum etiam alios populos a Christiana religione aversos, antiquæ illius hospitalis necessitudinis atque consuetudinis vestigia quædam reperiantur. Nam Judæi quidem, qui post illud horrendum urbis templique excidium a patria sua extorres, & per totum terrarum orbem dispersi ac dissipati, jam per aliquot secula vagam miseramque vitam persequuntur, mutuam erga se invicem hospitalitatem summo studio exercent, ita ut simul atque peregrinus aliquis Judæus in ædes alicujus advenerit, illi statim mensa (ceu hospitalitatis symbolum antiquitati quoque usitatum) apponatur, & cibus, potus cæteraque hospitalitatis officia illi exhibeantur. Ac est omnino gens illa ad mutuam inopiam egestatemque sublevandam ac sustentandam promptissima, ita ut raro Judæum mendicantem reperias, memor scilicet adhuc tenaxque antiqui illius præcepti divini, quo illorum majoribus interdictum fuit, ut ne quem inter se mendicandi gratia oberrare paterentur. Judæorum mutua hospitalitas. Mensa hospiti statim apponitur.

In Germania quoque nostra antiquæ illius hospitalitatis, cujus majores nostros multis ante seculis studiosissimos fuisse historici testantur, non pauca, nec levia adhuc vestigia extant. Nam & nobiles multis in locis, & Ecclesiastici ordinis homines, & mercatores & artifices quoque, cum in peregrinam civitatem venerint, non in publica diversoria divertunt, sed apud se invicem diversantur, atque ita mutuum hospitii jus atque officia inter se studiosè exercent. Hospitii antiqui vestigia apud Germanos.

Memorabile quoque laudabileque mihi in primis videtur esse illud Tednestanorum Affricanorum institutum, quod quidem ad antiquæ illius hospitalitatis similitudinem proximè accedere videtur. Nulli illi in suo oppido (quod quidem antiquissimum, amplissimum amœnissimumque esse fertur) diversorium, nullum hypocaustum aut œnopolium habent. Quod si quis igitur peregrinus aut mercator illuc appulerit, ad notum aliquem se conferat necesse est. Si verò hujusmodi non occurrat, nobiles inter se sortiuntur, quisnam ignotum hunc mercatorem hospitio excipiat, ita ut nemini quamvis barbaro hospitium aut humanitatem suam deesse patiantur, qua peregrinos quosvis splendidè honorificeque excipere solent. Qui autem hospitio exceptus fuit, is discedens hospiti suo munus aliquod ceu gratitudinis symbolum dare consuevit, quo gratior illi in poste- Tednestani Africani antiqui hospitii similitudinem retinent.

posterum reditus pateat. Si verò advena ille non fuit mercator, illi licitum est, quamcunque voluerit procerum alicujus domum sibi hospitio deligere, nulla doni aut mercedis cujuscunque persolvendæ necessitate astrictus. Denique si mendicus aliquis peregrinus illac transeat, huic mox apparatur cœna in quodam Xenodochio, quod in pauperum usum extructum publico fovetur ære. Testis est Leo Africanus lib. 2. de Africa.

Gothorum & Suecorum insignis hospitalitas. Huic Africanorum hospitalitati simillima est, vel etiam major Gothorum atque Sueonum sive Suecorum hospitalitas, quam Saxo Danicæ historiæ scriptor, & Cranzius Hamburgensis in principio suarum historiarum, & Olaus lib. 4. cap. 2. maximis laudibus efferunt. Nam quamvis omnes hyperboreæ gentes hospitalitate sint insignes, tamen Gothi atque Sueones non illis modò, verum omnibus Europæis populis hac virtute longè videntur antecellere. Nam advenas quosvis non solùm alacriter humaniterque admittunt & excipiunt, verùm etiam omnia, quæ ad liberalem victum cultumque corporis pertinent, illis, quandiu apud illos commorantur, gratis sine ulla mercede promptissimè liberalissimeque exhibent, illosque omni humanitatis officiique genere prosequuntur. Discedentes autem equis vel jumentis ad vicinos deducunt, & amicis in itinere, quod instituerunt, commorantibus commendant. Fit etiam non rarò inter illos contentio, quis advenam peregrinumve hospitio excipiat. Quò quis enim plures advenas hospitio excepit, tantò ille majorem laudem meretur: contrà autem is, qui cibum, potum hospitiumque peregrino denegaverit, communi odio probroque dignissimus judicatur. In ipsis quoque pagis agricolæ advenis omnia alimenta gratis largiuntur, majorique hospites, quàm filios suos liberalitate prosequuntur. His namque in mensa viliora apponunt, pretiosiora advenis reservantes.

Hanc verò singularem Gothorum atque Suecorum erga peregrinos humanitatem Olaus Carolo regi Gothorum trigesimo primo existimat potissimùm acceptam esse ferendam. Is enim omni virtutum genere ornatus, quibus populo illi præluxit, cùm alias præclaras leges, tum illam quoque tulit, qua sancitum erat, ut Gothi & Sueci & inter se, & in omnes advenas atque peregrinos hospitalitate uterentur, summumque nefas ducerent viatorem quemcunque a tecto arcere. Id si quis fecisset, & idoneis testibus ter hospitium negasse fuisset convictus, illius ædes subjectis ignibus comburi jussit, ut ædibus propriis justè privaretur, qui earum aliis usum inhumanissimè denegasset. Addit idem auctor lib. 5. cap. 1. Suiceros Suecorum colonos esse non modò historiis posse probari, verumetiam summa illorum humanitate, qua Suecos ad se venientes prosequi soleant, quam se quoque expertum esse confitetur.

Pœna eorum, qui peregrinos tecto arcent. Suitzeri Suecorum coloni.

Sclavorum hospitalitas. De Sclavorum mira hospitalitate, vide Hermolaum cap. 83. qui inter alia indicat, *Si quis, quod rarissimè fieri consuevit, peregrinum hospitio removisse convictus fuerat, illius ædes & facultates incendio consumere licitum erat, atque in id omnium vota conspirabant.* Contrà de hospitum Spartanorum in Scedatium Leuctricum, a quo humaniter accepti fuerant, immani ingratitudine vide & Sorium de Reg. instit. lib. 7.

Helvetii hospitales. Ac Helvetiorum quidem omnium (qui vulgò a Germanis, Gallis, Italis, Hispanis & aliis nationibus Suitzii sive Suitzeri appellantur) summam & antiquitus, & etiam nunc in peregrinos atque advenas humanitatem existere, cùm historiæ, tum ipsa experientia quotidiana satis opinor superque testatur. Nam ut de Tiguro patria mea potissimùm loquar, illius incolas hospitales esse, & mirifico erga peregrinos quosvis amore benevolentiaque affici, nemo (credo) qui ibi commoratur atque aliquando fuit, inficiabitur. Nam primò quidem peregrinis sæpenumerò cum armis, fistulis, buccinis atque tympanis partim pedibus, partim in equis honorificè procul admodum ab urbe obviam procedere, illos in latissimo aliquo campo circumcursare, verbis honorificis salutare, in urbem magna cum pompa, cum tubarum clangore atque tormentorum bellicorum sonitu strepituque introducere, & ad diversorium usque publicum, sive aliam civis alicujus domum comitari atque deducere consueverunt. Hoc modo & sponsæ peregrinæ huc primùm advenientes unà cum suo comitatu, necnon principes viri, & regum nonnunquam legati excipiuntur.

Tigurinorum hospitalitas.

Jam verò quoad reliquas cæremonias atque ritus, quibus peregrini, illi præsertim, qui illustris sunt fortunæ atque dignitatis, quique vel privatim animi atquè negotiorum privatorum causa, vel cum mandato sive legatione aliqua ad nos veniunt, excipi atque tractari consueverunt, illi ferè sunt hujusmodi. Primò quidem deliguntur a Senatu viri nonnulli boni gravesque, & illi potissimum, qui cum peregrinis illis vel moribus, vel vitæ genere atque professione, vel etiam alia aliqua notitia quodammodo sunt conjuncti: adsunt sæpè etiam consules. Hi magistratus atque Reipub. nomine illos honorificè salutant, omnia illis humanitatis hospitalitatisque officia prolixè deferunt ac pollicentur, unà cum illis cibum capiunt, illosque honestis humanisque suis colloquiis exhilarare student. Deinde mox in convivii principio adsunt publici ministri sive apparitores, qui cantharos aliquot vini plenos (quod Schenck weyn / id est, *donatarium* sive *honorarium vinum* vulgò vocatur, illis magistratus nomine offerunt. Eundem morem vinum hospitibus donandi apud Romanos quoque fuisse, ex hisce Isidori verbis potest intelligi: *Honorarium vinum, quod regibus & potentibus honoris gratia offertur.* Cato de Innocentia sua: *Cùm essem in provincia legatus, quàm plures ad prætores & consules vinum honorarium dabant: nunquam accepi, ne privatus quidem.*

Vinum honorarium.

Præterea si diutiùs commorentur sæpissimè publico atque magnifico convivio in publicis quibusdam locis atque ædibus excipiuntur, cui urbis proceres atque optimates, necnon Ecclesiastici atque scholastici ordinis homines intersunt, quod convivium summa cum lætitia atque gaudio celebratur, & vulgò ein schencke / id est, *donatio* (quia peregrini omnes sunt ἀσύμβολοι) appellatur. Ad illud autem convivium, & a diversorio honorificè ab honestis & primariis viris deduci, & illo peracto rursus ad diversorium reduci solent. Ludi quoque sæpenumerò & omnis generis spectacula in illorum gratiam eduntur. Præterea per totam urbem ad loca, ædificia resque alias visu dignas spectandum deducuntur. Sæpe quoque per lacum admodum piscosum, qui

Lima-

Limagus dicitur, & urbem interfluit, navi tecta, omni alimentorum genere instructa, vehuntur. Cives, qui in navi sunt, cum piscatoribus obviis quibusque, ad quos deferuntur, de futura piscium captura licitantur atque paciscuntur. Piscatores impigri rete in lacum ejiciunt, & quicquid ceperunt piscium licitatoribus tradunt, & in illorum navem exonerant, quos mox craticulæ impositos torrent atque comedunt. Sæpe quoque fit, mirabile simul atque jucundum visu, ut pisces ipsa craticula ex aquis excipiantur, & in eadem prunis statim imposita vivi adhuc atque salientes torreantur. Hoc modo itaque per horas aliquot animi gratia in lacu vagantur, epulantur, seque vario instrumentorum musicorum genere oblectant. Hujusmodi autem nauticæ deambulationis atque convivationis lacustris sanè jucundissimæ genus vulgò Tracht / hoc est, *ferculum*, a piscium nimirum ferculis, quæ ibi sunt potissima, sive potiùs retis piscium que tractu, denominatur. Hoc ferè modo peregrini præsentes publicè tractari atque honorari consueverunt.

Jam verò non desunt privati quoque homines, qui eosdem, si qua illis vel minima cum iis intercedat notitia, vel in privatis suis ædibus convivio excipere, vel certè vini honorarii munere afficere consueverunt. Nec verò viri tantùm, verùmetiam fœminæ, nec politicæ solùm, verùm etiam Ecclesiasticæ sortis conditionisque homines, doctrinæ præsertim laude præstantes atque clari, iisdem honoribus afficiuntur, quibus etiam plerunque a doctorum collegio convivium exhibetur, convenientibus eò non modò scholæ Ecclesiæque ministris, verùm etiam politicis viris.

Ut autem præsentes hospites amare atque honorare, ita discedentes quoque honorificè sæpenumerò aliquò usque comitari atque deducere consueverunt. Sæpe quoque impensæ, quas in diversorio fecerunt, ex publico ærario solvuntur, & principibus quidem non modò vina, verùm etiam frumenta, avenæ, carnes atque pisces donantur. Quid dicam de illis xeniis & donis honorariis, quæ & publicè a magistratu, & privatim a multis civibus iis, qui ad thermas nostras Badenses quatuor horarum spacio ab urbe distantes, valetudinis gratia ex multis peregrinis atque remotis locis accedunt, mitti consueverunt? Incredibile sane dictu est, quanta sit quàmque effusa in ejusmodi munusculis, quæ carnibus ferè atque piscibus constant, missitandis nostrorum liberalitas. Non solùm autem claris & splendidis viris, ut principibus, comitibus, baronibus, legatis, magistratibus, nobilibus, mercatoribus opulentis atque aliis hujusmodi huc venientibus plurimùm honoris exhibetur, verùm etiam si qui tenuioris sortis conditionisque homines, ut artifices atque opifices, huc veniunt, iis quoque non deest nostrorum, ac eorum præsertim, qui eodem vitæ genere utuntur, humanitas hospitalitatisque officia. Atque adeò non vilis modò & abjectæ, verùm etiam miseræ afflictæque fortunæ hominibus patria nostra apertissima fuit, & adhuc est. Nam ut peregrinos quosvis, religione quantumvis a se discrepantes, humaniter officioseque excipere, fovere atque tractare consuevit: ita illis quoque, qui ejusdem religionis communione cum illa sunt conjuncti, ac propter illam nonnunquam natale suum solum mutare atque exulare coguntur, tutum fidumque hospitium præbet. Hujus rei testes esse possunt multi Angli, Germani, Itali exules, supplices miseri & afflicti, quos patria nostra sinu gremioque suo excipere atque fovere minimè dubitavit.

Jam verò inopes, mendici, valetudinarii, quorum magna quotidie copia ad nos ex plurimis peregrinis locis confluit, sua habent in urbe agroque nostro receptacula atque domos, (quæ a Græcis ξενοδοχεῖα, πτωχεῖα, πτωχοδοχεῖα, πτωχοτροφεῖα, νοσοκομεῖα, l. ult. C. *de sacros. Eccles.* Latinè *hospitalia* appellantur) in quibus humaniter admodum benigneque excipiuntur, curantur atque foventur, in quos incredibile est dictu, quantos magistratus noster quotidie sumptus faciat. Iisdem quoque per urbem ostiatim mendicandi facultas plerunque est concessa. Hæc de patriæ meæ charissimæ erga quosvis externos atque peregrinos hospitalitate humanitateque sint dicta, qua illa sibi magnam apud multos populos laudem atque gratiam peperit. Etsi autem insignis sit atque celeberrima cæterorum quoque Helvetiorum omnium erga peregrinos liberalitas atque benignitas: tamen patriæ meæ, cum illorum pace atque venia, libenter hac in parte palmam dederim, nisi forsan naturalis amor, qui plerunque cæcus est, me fallit ac decipit.

CAPUT XXVIII.

DE MERCENARIA PEREGRINOS EXCIPIENDI RATIONE, DE STABULIS ET DIVERSORIIS MERCENARIIS. DE LUXURIA ET AVARITIA, QUAE IN PUBLICIS DIVERSORIIS INTER CHRISTIANOS EXERCETUR, COERCENDA. QUAE CAUTIO IN PEREGRINIS EXCIPIENDIS, ET IN CONVIVIIS, QUAE CUM ILLIS INEUNTUR, SIT ADHIBENDA. DE PRAEPOSTERA ET PERVERSA HOSPITES TRACTANDI CONSVETUDINE. CUR IN ILLIS EPULIS, QUAE CUM PEREGRINIS INEUNTUR, SOBRIETATI POTISSIMUM STUDENDUM, QUAM PERICULOSA SIT IN ILLIS EBRIETAS.

Nunc proposito meo congruere omnino ac consentaneum esse videtur, ut quoniam satis jam multa de illa & antiquitus potissimùm, & hodie quoque apud nonnullas gentes non parùm usitata hospitii amici atque

que gratuiti ratione atque consuetudine dixi: nunc de altera quoque illa mercenaria, olim quidem rarius, nunc verò crebriùs, meo judicio, usurpata, peregrinos & advenas excipiendi consuetudine, & de utriusque discrimine dicam. Nam duplex omnino, mea sententia, videtur posse statui peregrinos & advenas excipiendi ratio. Una, de qua jam multa dicta sunt, quave certi quidam homines ex certo quodam pacto atque conventu vel recens inito, vel paterno & avito sese mutuò in peregrinationibus amoris & benevolentiæ ergò gratis hospitio excipiunt, ita ut non alienæ, sed suæ domi esse videantur. Et hoc quidem propriè hospitium dicitur, hospitalis nimirum illa necessitudo & amicitia, unde hæ natæ sunt, quæ apud Ciceronem & alios auctores crebrò occurrunt, dicendi formulæ, *hospitium cum aliquo facere*, *hospitio conjungi*, *hospitium esse alicui cum aliquo*, *hospitio aliquem accipere*, *hospitio invitare*, *hospitium renunciare*. Tametsi eadem vox crebrò etiam pro loco domus, quæ gratis liberaliterque venienti hospiti patet, usurpatur. Qui verò hujusmodi necessitudine consuetudineque sunt conjuncti, illi propriè hospites dicuntur, unde etiam videtur fieri, ut *hospitis* nomen non secus atque Græcum ξένος vocabulum, tam pro eo qui excipit, quàm qui excipitur (sunt enim hæc correlata) crebrò apud auctores usurpetur. *Hospitis* quoque nomen differre a *peregrino* & *advena*, illa Ciceronis verba satis demonstrant: *Nos autem jam non hospites, sed peregrini atque advenæ nominabamur.* Hanc autem amicitiam & necessitudinem partim publicam, partim privatam fuisse diximus: de cujus utriusque ratione satis dictum est.

Duplex peregrinos excipiendi ratio, gratuita & mercenaria.

Altera verò illa peregrinos & advenas excipiendi ratio, de qua nunc dicendum est, est qua certi quidam homines vel in agro, vel in urbibus commodi atque lucri sui causa viatores atque peregrinos quosvis pro mercede accipiunt, illisque vel tecti solius usum, vel etiam alimenta præbent. Utriusque exemplum habes illustre apud Ciceronem lib. 1. de Divinat. *Cùm duo quidam*, inquit, *Arcades familiares iter unà facerent, & Megaram venissent, alterum ad cauponem divertisse, ad hospitem alterum. Qui ut cœnati quiescerent, concubia nocte visum esse in somniis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quòd sibi a caupone interitus pararetur*, &c. En duplicem hîc habes diversandi rationem, alteram hospitalem, alteram cauponariam sive mercenariam, unde constat utramque apud veteres olim fuisse in usu. Illi igitur qui advenientes quosvis viatores pro mercede accipiunt, illisque cibum potumque præbent, a Latinis *caupones* sive *copones* dicuntur, a rerum (hoc est, esculentorum poculentorumque, quas *cauponarum merces* Apulejus lib. 1. vocat) copia, quas vendunt, ut Grammatici volunt. *Caupones* etiam sive *copones* dicuntur non hi tantum, qui statam habent in urbibus cauponam, sed etiam qui aliàs *copiarii* appellantur (in quibus erant etiam *parochi*, qui lignum etiam salemque præbebant) qui nimirum magistratibus præbenda, & eorum familiæ præstabant publicè conducta, qui peregrinantes principes & magistratus sectabantur, vinum cibariaque vendentes. De utriusque nonnulli intelligunt illud Flacci, *Perfidus hic copo*. Item illud Ciceronis in Commentario de Petitione consulatus: *In petitione autem consulatus copones omnes compilare per turpissimam legationem maluit, quàm adesse, & populo Romano supplicare. Coponis nomen*, inquit Turnebus in suis Adversariis, *de copiariis intelligi fortasse posset, nisi omnes universitatis particula officeret.* Illud autem Flacci 2. Satyr.

Utriusque exemplum.

Caupones.

Caupona.

Differtum nautis, cauponibus atque malignis,

Apertissimum est de iis intelligi, qui certam statamque uspiam habent cauponam, quos *malignos* vocat, propterea quòd malignè & illiberaliter ferè victum præbent. Ipsa verò domus sive taberna, cui caupo præest, & in quam viatores divertunt, *copona* sive *caupona* dicitur. Cic. in Pisonem: *Tibi solitudo erat pro frequentia, caupona pro oppido.* Idem Philip. III. *Cùm hora diei decima ferè ad saxa rubra venisset, delituit in quadam cauponula, atque ibi se occultans perpotavit ad vesperum. Caupona* quoque mulier, quæ tabernæ præest, dicitur, ut docet Priscian. 5. Dicitur etiam a Latinis, *Hospitium mercenarium*, *taberna meritoria*, *diversoria*, & simpliciter *taberna*, & is qui illam exercet, *tabernarius*: quò cuique sive civi sive peregrino & advenæ introire licet danti mercedem. *Tabernas* Isidorus vult olim vocatas, *ædiculas plebejorum parvas, & simplices in vicis, axibus & tabulis clausas, unde & tabernariæ, quòd ibi soleant consedere. Dictas autem tabernas, quod & tabulis ligneis erant constructæ.*

Taberna.

Stabulum quoque non solùm significat receptaculum equorum & jumentorum, ut vulgò dicitur, sed etiam pro caupona & hospitio accipitur a *stando*. Apulejus lib. 1. *Ego verò quòd primùm ingressus stabulum conspicatus sum, accessi, de quadam anu caupona illico percontor.* Et ibid. *Ego tibi solus hoc pro isto credam, & quòd ingressus primùm fuerit stabulum prandio participabo, id est, mecum prandebis asymbolos, & immunis: ego enim pro te solvam, & stabulario satisfaciam.* Tertullianus in Apologet. cap. 42. *Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis.* Cypr. epist. 13. lib. 3. *Aut si*, inquit, *in via stabulum aliquod obsideri, & teneri a latronibus cœperit, ut quisquis ingressus fuerit, insidentium illic infestatione capiatur, nonne commeantes, hac opinione comperta, stabula alia in itinere appetunt tutiora, ubi sint fida hospitia, & receptacula commeantibus tuta?* Augustinus Tract. 41. in Joan. piè sciteque disserens, *Utere*, inquit, *mundo, non te capiat mundus. Quod intrasti iter, agis, exiturus venisti, non remansurus. Iter agis, stabulum est hæc vita. Utere nummo, quomodo viator in stabulo utitur mensa, calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus.* Hinc *stabularius* idem qui caupo. Tertullianus in Apologet. cap. 39. *Herculanarum decimarum, pollinctorum sumptus stabularii supputabunt*, id est, diversoriorum magistri. Ulpianus Jurisconsultus: *Caupones*, inquit, *& stabularios eos accipimus, qui cauponam vel stabulum exercent.* Vitellius *per stabula & diversoria mulieribus ac viatoribus præter modum comis, ut manè singulos jámne jentassent sciscitaretur, seque fecisse ructu quoque ostendebat.* Suetonius in vita Vitellii. Petronius: *Sed nec viam diligenter tenebam, quia nec quò stabulum esset sciebam.* Idem: *Cùm errarem*, inquit, *per totam civitatem, nec invenirem, quo loco stabulum reliquissem.* Plautus,

Stabulum.

Stabularius.

Pallium

Pallium ſtabulario dedi. Apulejus: *Et ut*, inquit, *immeritò ſtabularios hos omnes hoſpites deteſtamur.* Idem, *Sume ſarcinulam, & pretio manſionis ſtabulario perſoluto capeſſamus viam. Stabulum*, *ut illud quoque addam, ſæpe pro quacunque habitatione & loco, ubi quis ſtare conſuevit, accipitur: hinc veſtibulum volunt dictum Grammatici*, &c. Et Cajus ait: *Stabularium accipere mercedem, ut permittat jumenta apud eum ſtabulari, cuſtodiæque nomine tenetur.* Juriſconſultus titulo *pro ſocio*: *Viatica meritoriorum & ſtabulariorum* ait *rectè imputaturum, ſi quis ex ſociis iter fecerit.* Auguſtinus libro de Civit. Dei 8. *Stabularias* vocat mulieres, quæ exercent ſtabulum & viatores mercede paſcunt. *Stabularii* ſunt Catoni famuli villatici, qui ſtabulo præſunt. Sic enim inquit: *Oportet habeat villicus ſtabularios. Stabularium* Græcè dici πανδοχέα Beroaldus exiſtimat colligi poſſe ex illo Joſephi lib. 3. Antiquitatum: *Neque ancillam neque captivam eis nubere voluit, & eas quæ de cauponibus & pandochibus vitam agunt.* Hinc *ſtabulo* quoque ſive *ſtabulor*, id eſt, *ſto, diverto, commoror*, & quaſi *ſtationem habeo*: & *ſtabulatio*, *manſio in ſtabulo.* Unde & *proſtibulæ proſedæque* meretrices dictæ, quòd quæſtus copioſioris gratia concurrentibus illuc advenis manſiones ante ſtabula habuere.

Stabulariæ mulieres.

Stabulor. Stabulatio.

Diverſorium quoque locus, ad quem viatores divertunt, dicitur. Iſidorus *diverſorium* vult eſſe dictum, *quòd ex diverſis viis ibi conveniatur.* Cicero Fam. 7. *Næ ego libentiùs emerim diverſorium Tartarinæ, ne ſemper hoſpiti moleſtus ſim.* Idem de Orat. II. *Perpauca quidem mihi reſtant*, inquit, *ſed tamen defeſſus jam labore atque itinere diſputationis meæ, requieſcam in Cæſaris ſermone, quaſi in aliquo peropportuno diverſorio.* Idem de Senectute: *Ex vita iſta diſcedo, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo: commorandi enim natura nobis diverſorium, non habitandi dedit.* Idem VI. Fam. *Nam & villa & amœnitas illa commorationis eſt, non diverſorii.* Diverſorium itaque vel eſt publicum, ut taberna meritoria, vel privatum. *Diverſari* eſt manere apud aliquem hoſpitii jure, vel alio modo, & *diverſor* pro eo, qui diverſatur. Cicero de Invent. lib. 2. *Caupo non multò poſt clamat, hominem eſſe occiſum, & cum quibuſdam diverſoribus illum, qui antè exierat, conſequitur.*

Diverſorium.

Diverſari, diverſor.

Græcè verò hujuſmodi hoſpes publicus, qui advenas & viatores quoſvis mercedis ergò recipit, dicitur πάνδοχος, ὁ πάντας ὑποδεχόμενος, interprete Suida, & πανδοχεὺς, Ionicè πανδοκεὺς, in fœmin. πανδοκεύτρια, id eſt, *caupona.* Item κάπηλος, & in fœmin. καπηλὶς παρὰ τὸ κακύνειν τὸν πηλὸν, id eſt, *a corrumpendo vino* (qui mos eſt cauponum) nam πηλὸς idem quod οἶνος, unde ἄμπελος quaſi ἔμπελος ἡ ἐν ἑαυτῇ ἔχουσα πηλὸν, Suida teſte. Ξενοδόκος quoque, teſte Euſtathio Οδ. θ. poſteris dictus eſt ὡς ξυνὸς, hoc eſt, κοινὸς ὑποδοχεὺς, id eſt, communis viatorum ſive peregrinorum quorumvis receptor. Item στεγανόμος caupo dicitur, unde στεγανόμιον merces, quæ cauponi datur. Hoſpitium porrò ſive diverſorium mercenarium ξενοδοχεῖον, ξενοκομεῖον, & propriè πανδοχεῖον dicitur, quod Suidas τὸ πάντας ὑποδεχόμενον οἴκημα interpretatur. Ἀσώτιον quoque a Græcis ganea & popina appellatur. Stratis apud Athen. lib. 4. εἰς ἀσώτιον τρέπεσθαι, *in popinam divertere.* Germanicè vulgò Wirtshauß / ſive Herberg: Gallicè, *hoſtelerie*, *logis*: Italicè, *hoſtaria*, *allogiamento*, *albergo*: Hiſpanicè, *taverna*, *poſada*. *aluegneria* appellatur. Ipſa actio πανδοκεύειν & πανδοκεία latiùs *cauponatio* & *ſtabulatio* appellatur. Illi, qui in publica & mercenaria hujuſmodi hoſpitia divertunt, κατάγλαι, id eſt, *diverſores*, teſte Polluce, dici poſſunt. Hæc de nominibus: nunc de ipſa re.

Πανδοχεύς. Κάπηλος. Ξενοδόκος.

Hoſpitia Græcè.

Καπήκται.

Ac primò quidem antiquitus cùm apud Græcos, tum apud Romanos hujuſmodi cauponationem, id eſt, cauponam exercendi faciendive artem ac conſuetudinem illiberalem atque ignominioſam fuiſſe exiſtimatam paſſim ex prophanis auctoribus conſtat. Lydos omnium primos caupones inſtitoreſque extitiſſe, aliqui ex Græcis memoriæ mandarunt, a quibus etiam aleæ, teſſerarum atque pilæ luſum (qui quidem in cauponis & diverſoriis illis mercenariis maximè dominatur) volunt fuiſſe excogitatum: quo argumento *ludi* a Lydis videri poſſunt appellati. Sunt qui ſcribunt Cyrum Lydis ſuperatis ademiſſe arma, & talares geſtare veſtes juſſiſſe, qua de cauſa ipſos emollitos atque effœminatos cauponariam factitare cœpiſſe: teſtis eſt Herodotus lib. 2. De horum monſtroſo ac portentoſo luxu atque libidine, qui uxores ſuas caſtrare, & quibuſvis proſtituere atque exponere conſueverunt, vide Athen. lib. 12. Celſ. lib. 29. cap. 14. Quales igitur Lydi fuerunt primi rei cauponariæ auctores, tales & olim & hodie quoque plerique ſolent eſſe caupones, homines nimirum molles, delicati, libidinoſi, ludis turpibus & obſcœnis dediti, quique lucri ſui & emolumenti cauſa non vinum modò adulterare, verùm etiam uxores nonnunquam atque filias ſuas adulterandas atque corrumpendas quibuſvis proſtituere ſolent. Plato lib. II. *de Legibus*, interdicit civibus ſuis cauponationem tanquam rem illiberalem, quæ per peregrinos ſit exercenda, vel certè, enumeratis pluribus cauponum maximis vitiis, eos ex viliori civitatis gente tanquam pravos omnino futuros creari mandat. Juriſconſultus tit. *de Nundinis*, meminit Platonicæ ſententiæ de cauponationibus. Plutarchus 2. Problem. Sympoſiac. 19. Italos caupones pravitatis & avaritiæ accuſat, cum dicit Homericis cœnis, quæ quidem a fame & ſiti non ſint omnino liberæ, præeſſe reges Italicis cauponibus δεινοτέρως, id eſt, *ad rem attentiores.*

Cauponatio apud veteres ignominioſa habita.

Lydi primi caupones.

Cauponum mores.

Noſtris temporibus, in orbe præſertim Chriſtiano, ut nihil de externis & barbaris nationibus loquar, mercenariorum hujuſmodi diverſoriorum atque hoſpitiorum ſive pandochæorum maximus eſt & frequentiſſimus uſus. Sunt autem illa triplicis ferè generis. Nam in aliis tecti tantùm ſive domicilii uſus: in aliis eſculenta tantùm atque poculenta: in pleriſque honeſtioribus præſertim & amplioribus, utrunque viatoribus atque peregrinis exhibetur.

Diverſoriorum publicorum triplex ratio.

Apud Hiſpanos, qui aliâs erga peregrinos humaniſſimi eſſe perhibentur, audio in diverſoriis nihil præter tectum viatoribus præberi, edulia ipſi peregrini in foro atque iis in locis, in quibus venduntur, emere coguntur, quæ quidem hoſpiti ſuo dant coquenda.

In urbe Feſſa totius ferè Africæ celeberrima, ducenta ferè hoſpitia eſſe dicuntur: quæ quamvis magna admodum ſint & ampla, ſordidiſſimè tamen hoſpites in iis excipiuntur. Nullus enim ibi neque lectus, neque

Feſſanorum ſordes in excipiendis hoſpitibus.

lectica reperitur, hospes lodicem saltem quandam cum storea exhibet. Quod si cœnam tibi parari velis, necesse est ut macellum ipse adeas, atque tuo hospiti des coquendum, quod inde tibi comparaveris. Foventur & in his hospitiis viduæ Fessanæ, quæ neque bona habent, neque propinquos, a quibus alantur. Horum singulis aut interdum binis cubicula assignantur, proque egregio hoc hospitio mulieres lectorum & coquinæ curam gerunt. Hæc Leo Affricanus lib. 3. cap. 24. ubi de pandochæorum Fessanorum stirpe *Elchena* dicta (ex qua omnes originem habent) de illorum vestitu, sermone atque moribus planè fœmineis, barbæ rasura, meretricibus, cum quibus ceu cum uxoribus vivunt, de illorum consule certo, de tributis, quæ urbis rectori pendunt, summaque vitæ improbitate videre licet plura. Hinc fieri dicit, ut diversoria illa ganeonum tantùm, & nebulonum sint receptacula, in quibus majori cum licentia atque impunitate flagitiis indulgent. Quamobrem viri probi, literati atque mercatores a pandochæorum illorum commercio atque adeò colloquio quoque abhorrent, ac illis vicissim interdictum, ut ne templum aut mercatorum collegium aut balneum intrent. O utinam non tales plurimi hodie inter Christianos pandochæi reperirentur, qui tamen apud plerosque magno sunt in pretio & honore.

Verùm quod de Hispanicis suprà diversoriis dixi, id etiam in Gallia, Italia & aliis in locis moris est, ut nimirùm peregrini cum pandochæo vel stabulario de habitatione tantùm paciscantur, cibum potumque ipsi pro sua voluntate sibi aliunde comparent. Ac omnino diversam ac dissimilem esse apud alios atque alios populos in diversoriis illis publicis sive pandochæis peregrinos excipiendi atque tractandi rationem, optimè norunt illi, qui multùm peregrinantur. Alibi enim hospites atque peregrini humaniùs & lautiùs: alibi sordidiùs atque illiberaliùs tractantur.

De Gallicorum & Germanicorum hospitiorum discrimine.

De Gallicorum atque Germanicorum hospitiorum diversitate vide festivum elegantemque Erasmi Dialogum, qui *Diversoria* inscribitur, tametsi Germanicorum hospitum mores ab illo tempore multùm immutati, & ad humanitatem propiùs accessisse videantur. Est tamen hodie quoque, id quod ipsemet expertus sum, non parva inter utriusque regionis pandochæos dissimilitudo. Galli enim viatores & advenas, quos adventare norunt, illis ultrò vel ipsimet obviam procedentes, vel servulos mittentes suos, blandissimis verbis atque promissis ad se invitant & alliciunt. Sæpè etiam, qui tamen Italorum magis mos est, vini cantharum illis degustandum offerunt, & opimos delicatosque anseres, columbas, gallinas, pullos manibus gestant illisque ostentant, quo facilius nimirum ad divertendum apud se commoveri possint. Deinde ubi illos verborum suorum humanitate in hospitium suum pertraxerunt, illis & cubiculorum & vini optionem dant, coquinam atque cellam vinariam adeundi, indeque esculenta potulentaque quibus potissimum delectantur, pro arbitrio eligendi potestatem faciunt. Hæc quæ commemoravi, quàm sint a Germanicorum hospitum moribus aliena, norunt optimè qui illa sunt experti.

Jam verò quoad ipsas epulas, illæ certè apud Gallos, apud quos etiam major est omnis generis delitiarum cupediarumque copia, longè sunt lautiores atque delicatiores, quàm apud Germanos. Equos autem aliaque jumenta quibus viatores utuntur, melius & commodius in Germanicis, quàm in Gallicis hospitiis tractari vel tritum & pervulgatum illud dictum satis ostendit, quo Gallia *hominum paradisus, & equorum infernum esse* dicitur.

Denique quod ad pretii sive mercedis atque symboli solutionem attinet, magna quoque est dissimilitudo, quòd nimirum in Gallia, Italia, ut etiam aliis regionibus de illa inter activum, ut ita loquar, & passivum hospitem disceptatur, & ita graviter quidem sæpenumerò atque vehementer, ut res ad convitia, ad verbera, ad judicium denique deveniat. De cauponibus Italis scribit Polybius, eos plerunque accipere viatores atque hospites (καταλύτας) non pluris semisse, sive dimidio assario. At in Germania pretium atque symbolum omnino hospitis, qui excepit, judicio arbitrioque est permissum, ut quantum ille petierit, sive æquum illud sit sive iniquum, diversori sine ulla recusatione sit persolvendum. Plura de diversis hospitiorum atque diversoriorum moribus atque consuetudinibus apud alias atque alias gentes usitatis dici possent, quæ persequi omnia (præsertim cum illa indies immutentur) longum nimis operosumque foret.

Diversoriorum usus utilis & necessarius.

Nunc in universum quædam de mercenariorum horum diversoriorum ratione adjiciamus. Ac illorum quidem usum in oppidis atque agris propter viatores atque peregrinos utilem, imò necessarium esse ipsa vitæ communis consuetudo omniumque seculorum experientia satis docet. Nam antiquis quoque illis temporibus, quibus amici gratuitique hospitii usus maximè floruit: tamen cauponæ quoque atque diversoria meritoria sive mercenaria in usu fuerunt, ad quæ viatoribus atque peregrinis quibusvis aditus patuit, ut in iis cibo, potu atque quiete refecti, iter suum postea tantò facilius atque commodius peragere atque perficere possent. Verùm ut & utilis & necessarius est hujusmodi diversoriorum usus, ita pernitiosissimus est eorundem abusus, qui non minus hodie passim inter Christianos, quàm olim inter Ethnicos, regnat atque dominatur. Quamobrem pii atque prudentis magistratus est officium, cui populi suæ fidei commissi salus atque incolumitas curæ est, ut certè esse debet, ut omni studio, cura atque consilio, bonis legibus atque institutis hunc abusum corrigere, coërcere atque tollere omnino conetur. Primò itaque dabit operam ut diversoria atque cauponæ sint quàm paucissimæ, earumque numerus viatorum peregrinorumque frequentia definiatur. Nam ut ipsa docet experientia quotidiana, quò plures sunt cauponæ atque diversoria, tantò major solet esse scelerum omnium atque flagitiorum occasio atque licentia. Nam cum ipsa hominum ingenia maxima ex parte a negotiis actionibusque honestis ad otium, ad voluptates atque luxuriam proclivia sint atque propensa, tum ipsi caupones atque tabernarii plerunque sui lucri causa quosvis ad se allicere & invitare consueverunt. Sic itaque fit, ut illæ domus non tam viatorum atque peregrinorum, quàm civium & indigenarum sint plenissimæ, in quibus illi res fortunasque suas absumunt

Diversoriorum atque cauponum abusus ejusque corrigendi ratio.

Diversoria sint pauca.

atque

atque perdunt. Mirum itaque profectò non eſt, & Claudium Cæſarem, teſte Dione, olim potatorum cauponas Romæ ſuſtuliſſe, & hodie Tedneſtanos, teſte Leone Africano, nulla in urbe ſua diverſoria mercenaria pati.

Cauponarum multitudo perniciosa.

Verùm hodie, proh dolor, apud Chriſtianos paſſim & in pagis & in urbibus maxima eſt cauponarum copia, in quibus non modò viatores atque peregrini ad certum tempus diverſantur, verùm etiam cives atque indigenæ in illis dies noctesque volutari, helluari, aleæ, ſtupris aliisque ſceleribus atque flagitiis indulgere conſueverunt, cum maximo & totius Reipub. & ſuæ famæ, exiſtimationis, ſalutis, rerum fortunarumque ſuarum omnium diſpendio & detrimento. Sunt itaque pleraque hodie Chriſtianorum diverſoria omnis generis ſceleratorum flagitioſorumque hominum receptacula, omnis nequitiæ, libidinum improbitatisque officinæ, adeò ut non tam hominum diverſoria, quàm pecudum ſtabula, imò dæmonum domicilia appellari poſſint. Quamobrem pii magiſtratus officium fuerit, hujuſmodi diverſoriorum & cauponarum magnam accuratamque curam ſuſcipere atque gerere, ac quoad ejus fieri poteſt, ſeveriſſimis legum ſanctionibus cives ſuos ab illarum frequentatione deterrere. Deinde ſi propter peregrinos & advenas vel neceſſitatis vel honoris ergo (ut ſæpenumerò fit) vel etiam alias honeſtas ob cauſas diverſoriis illis uti cogantur, ut ne illis vel inter ſe, vel etiam cum viatoribus atque peregrinis totam ibi noctem perpotare ac pergræcari, aleæ, tripudiis aliisque inhoneſtis ludis operam navare liceat. Prandii quoque atque cœnæ tempus certis horarum terminis definiatur, ultra quos ſi potationes comeſſationesque producantur, in ipſos caupones atque tabernarios animadvertatur. Præterea ut in tabernis illis caupones ruſticis atque aliis plebeis nihil credant, ſed ſymbolum ſtatim peractis epulis exigant, id ſi neglexerint, non habeant jus exigendi. Denique cum diverſoria illa publica non in civium & incolarum, ſed peregrinorum potiſſimùm uſum ſint inſtituta, ut illis tectum, cubicula, lecti, alimenta neceſſaria pro juſta legitimaque mercede præbeantur, magiſtratus omnem dabit operam, ut hæc omnia juſto legitimoque modo atque ordine fiant. Ac imprimis cum mercenarii illi hoſpites ſæpè peregrinos & advenas pro ſua avaritia decipiant, inhumaniter ſordideque tractent, juſto majora ab illis pretia atque ſymbola (quæ *locaria* dici Varro teſtatur, Græcè ϛεγανόμια appellantur) exigant, ac proinde non ſibi ſolùm, verumetiam univerſæ civitati maximum odium, invidiam, ignominiam atque dedecus apud peregrinos concilient, magiſtratus prudens hanc illorum avaritiam ſeveriſſimis legibus atque pœnis coërcere ſtudebit, ac illis certum pro annonæ ratione cœnæ exhibendæ, ſtabulandique pretium præſcribet. Apud Bernates quidem certum eſt prandii atque cœnæ pretium conſtitutum. His itaque atque aliis hujusmodi legibus & inſtitutis magiſtratum decet hoſpitia illa publica regere atque moderari, quod ni fiat, plurima inde mala, incommoda ac detrimenta in univerſam rempub. plerunque redundant.

Luxuria quæ in diverſoriis exercetur coërcenda.

Cauponum avaritia coërcenda.

Hæc de hoſpitiorum, hoſpitalitatis conviviorumque hoſpitalium ratione varia atque multiplici ſatis ſint dicta, quibus operæpretium erit nonnulla de iis, quæ hoſpitalitati veræ repugnant, adjicere, quorum alia exceſſus, alia defectus nomine ſunt improbanda. Nam primò quidem ut hoſpitalitate nihil eſt juri divino, naturali atque gentium convenientius, nihil cùm univerſis civitatibus, tum ſingulis hominibus glorioſius, ornatius, jucundius: ita inhoſpitalitate nihil eſt tetrius & immanius, nihil legi divinæ atque naturali magis contrarium & inimicum, nihil quod & univerſæ civitati, & ſingulis hominibus majus hominum odium & invidiam majoremque ignominiam atque dedecus pariat. Hæc à Græcis generali nomine & ἀξενία, id eſt, *inhoſpitalitas*, & ξενηλασία, id eſt, *hoſpitum expulſio*, & κακοξενία, id eſt, *hoſpitum mala tractatio*, & ξεναπάτη ſive ξεναπασία, id eſt, *hoſpitum deceptio*, dicitur. Et qui tales ſunt, ἄξενοι ſive ἄξεινοι, ἀπόξενοι, κακόξενοι, ξενηλάται & ξεναπάται nominantur. διφρωνόξενοι quoque dicti ſunt hoſpitum deceptores Ariſtoph. Nota eſt Samaritanorum inhoſpitalitas erga Chriſtum, Luc. 9. Hujuſmodi fuerunt, exempli gratia, Ægyptii (quos Plato lib. 22. de Leg. eo nomine perſtringens, *Nili pecora* appellat) qui, ut teſtis eſt Strabo lib. 17. peregrinos non admittebant, ſed ex finibus ſuis pellebant, vel etiam illos per ſimulationem & ironiam decipere fuerunt ſoliti, unde *Dyronoxeni* a Comicis fuerunt appellati. Cæl. lib. 18. cap. 5. Item Lacedæmonii, quorum ξενηλασία hiſtoriis celebratur: ſiquidem non omni tempore peregrinis licebat Spartam adire, ſed certis ac ſtatutis diebus: eoſdem etiam jure illo ſuo nigro, & pane igne durato ſordidè admodum tractabant, teſtis eſt Cælius lib. 18. cap. 5. Alex. ab Alexand. lib. 4. cap. 10. tametſi ab aliis eorundem hoſpitalitas celebretur, uti ſuprà dictum eſt. His adde Indos, apud quos niſi triduò hoſpiti diverſari non licebat: Apollonitas, qui Spartanorum ritu peregrinos omnes urbe expellebant, teſte Æliano lib. 13. ex varia hiſtoria. Eratoſthenes auctor eſt ξενηλασίαν, id eſt, peregrinos expellendi conſuetudinem communem fuiſſe omnibus barbaris gentibus.

Inhoſpitalitatis vituperatio.

Exempla inhoſpitalitatis. Samaritani. Ægyptii. Lacedæmonii.

Indi. Apolloniatæ.

Sed non opus eſt multa antiqua exempla commemorare, cum noſtra hæc perdita profligataque tempora plurimorum non barbarorum, ſed Chriſtianorum (ſiquidem illi Chriſtiani ſunt appellandi) exempla nobis ſuppeditent, qui peregrinos & advenas acerbiſſimè oderunt, vexant, affligunt, convitiis atque opprobriis dilacerant, omni injuriarum atque contumeliarum genere afficiunt, dolis atque fraudibus circumſcribunt, qui quidem ſummi ac verè hoſpitalis illius Jehovæ iram atque furorem tandem experientur.

Nonnullos etiam priſcis illis temporibus legimus eò immanitatis fuiſſe progreſſos, ut peregrinos & advenas quoſvis trucidare, vel etiam Diis ſuis immolare ſoliti fuerint. Sic enim Carthaginienſes immani quodam peregrinorum odio flagrantes, quoſvis qui in Sardiniam, aut ad Herculis columnas appulerant, mari demergebant. Nota eſt Tauroſcytharum crudelitas, qui Dianæ hoſpites atque peregrinos immolarunt: notiſſimæ ſunt Buſyridis immaniſſimi Ægyptiorum regis aræ funeſtiſſimæ, peregrinorum ſanguine cruentari ſolitæ. Denique Lycaonis, Fauni, Geryonis, Byxis, Lyci ξενοφονίαι, id eſt, peregrinorum cædes atque

Ξενοκτονία. Carthaginienſes. Tauroſcythæ. Buſyris.

latro-

latrocinia plurimis poëtarum fabulis decantata, quis ignorat nisi in poëtica omnino sit hospes & peregrinus? Talis est hodie Americensium aliorumque anthropophagorum nostri temporis consuetudo. Vide Ælianum libro 2. *Variæ historiæ*, de Macareo, & Herodotum lib. 6. de Glauco, duas pulcherrimas historias, quas hîc recensere nimis longum esset. Sed quid de barbaris cùm antiquorum, tum nostrorum temporum ξενοκτόνοις loquar, cùm inter Christianos quoque plurimi reperiantur, qui peregrinos & advenas vel aperta vi, vel dolo ac veneno, juris quoque sæpenumerò atque religionis prætextu & specie è medio tollere minimè dubitant. Ac ut Tauroscythæ quondam aliæque gentes feræ atque barbaræ rem se fictitiis illis suis Diis seu potius dæmonibus gratissimam facere existimabant, si iis peregrinos immolarent: sic quoque Christianorum nonnulli peregrinorum a religione sua diffidentium cædibus atque suppliciis verum ac supremum illud Numen se optimè placare atque venerari posse credunt.

Christianorum ξενοφονίᾳ.

Porrò illis suprà commemoratis hospiticidis sanè immanissimis accensenda, ac ejusdem cum illis sceleris affinitate conjungenda videtur esse Jahel illa Hebri Kenæi uxor, de cujus facinore commodè hîc quæri potest, in laudéne, an in vitio illud sit ponendum, de quo sic scriptum legimus Judicum 4. cap. Sisera imperator exercitus Jabini regis Chenaan (cujus immani dominatu Hebræi diu graviter oppressi afflictique fuerunt) tùm a tribu Nepthali atque Zabulon, Baraci ductu, seu ipsius potiùs Dei auspicio atque beneficio, ad torrentem Kison prælio victus fuisset, universo ejus exercitu internecione deleto, ipse solus vix elapsus, fuga ad Jahelis tabernaculum contendit, ceu ad tutum asylum, cùm inter Jabinum regem & Hebri Kenæi familiam pax atque fœdus intercessisset. Jahel itaque Siseræ fugienti obviam occurrit, illum ceu confœderatum, hospitem atque supplicem humaniter honorificeque ad se in tabernaculum suum & invitavit & recepit, illum metu consternatum, bono esse animo omnemque metum deponere jussit, data illi quasi securitatis fide, integumentis diligenter cooperuit, denique illi sitienti, ac proinde aquam postulanti, lac abunde potandum præbuit, quæ quidem omnia egregia videntur fuisse hospitalitatis officia. Sed quid? dirus tandem ac tragicus exitus fuit consecutus. Nam eundem, quem hospitali modo invitarat atque exceperat, tandem gravi arctoque somno correptum transfixis clavo illius temporibus, terræque affixis hostili planè modo è medio sustulit. Annon igitur quæsò, doli mali, violati fœderis, hospitii, fidei promissionisque recens datæ, ac proinde summæ impietatis crudelitatisque nomine accusanda meritò videtur esse atque damnanda? Et tamen hoc illius facinus a Deborah vate sanctissima, summum tunc temporis apud Hebræos magistratum gerente, & prædictum antea sancti Spiritus afflatu, & postea in carmine epinicio, quod cecinit, summopere collaudatum fuit. Dubium itaque non est, quin hoc quod fecit, ipsius Dei instinctu impulsuque fecerit, quo quidem aliquid jubente nonnunquam vel arctissimarum necessitudinum jura optimo jure solvi possunt. Quamobrem non vituperationem, sed laudem potius meretur, ut quæ voluntatem divinam, cui sine ulla recusatione semper est parendum, necnon Hebræorum religionem, libertatem atque salutem (quæ vivo & superstite Sisera hoste populi Dei infestissimo, rursus periclitata fuisset) omni necessitudini sibi longè anteponendam duxit. Ac proinde non hospiticidii nomine damnanda, sed potius hosticidii, imò tyrannicidii, atque adeò singularis erga Deum patriamque suam pietatis nomine juxta ipsa sacrarum literarum testimonia, meritò summis laudibus efferenda est atque celebranda. Nobis verò hoc singulare illius fœminæ, & extraordinarium factum non est temerè ad imitationem trahendum, sed potius, fœderis hospitiique jura sanctè inviolateque sunt servanda, quemadmodum divina humanaque jura nobis præcipiunt.

Quæstio, An Jahel ξενοκτονίας nomine damnanda.

Verùm, ut unde digressus sum, revertar, quemadmodum hospitum atque peregrinorum odia, expulsiones, deceptiones, atque circumscriptiones, cædes denique non Christianæ modò charitati, sed ipsi quoque humanitati repugnantes planeque diabolicæ summoperè sunt fugiendæ: ita quoque in peregrinis admittendis excipiendisque summa adhibenda est cautio atque vigilantia, vitanda nimia negligentia atque socordia, quæ civitatibus atque rebuspublicis magno sæpe malo damnoque consuevit esse. Multi enim sæpe latrones, prædones, incendiarii, exploratores atque proditores amicitiæ speciem præ se ferentes, ac mendicorum sæpe habitu tecti (quorum hominum nostris temporibus, ut Plauti verbis utar, *vel uberrimam segetem licet metere*) urbes intrare, ac iis pestem perniciemque moliri tentant. Ad horum itaque insidias præcavendum bene moratæ & constitutæ civitates habebunt suos vel in turribus, vel in portis, vel etiam per totam urbem excubitores, vigiles atque custodes, qui nundinarum præsertim aliisque periculosis temporibus peregrinorum primò adventum significabunt, quinam sint, unde veniant, cur veniant, quo cogitent uti in urbe diversorio, diligenter studioseque exquirent: illorum quoque vestes, sarcinas, currus atque jumenta, quibus vehuntur, nonnunquam excutient, num quæ in illis arma atque instrumenta infesta occultentur. Singulorum numerum, atque etiam, si fieri potest, nomina eorum præsertim, qui in urbe pernoctant, vel etiam diutius aliquantò commorantur, magistratui indicabunt. Præterea eosdem per plateas urbis oberrantes noctu præsertim diligenter observabunt, ac ipsi præsertim hospites publici illos observabunt, ac noctu, quoad ejus fieri potest, intra diversorii sui parietes continere studebunt. Mimi, histriones & qui se mentiuntur Ægyptios, item ursos saltantes ac feras exoticas circumducentes, quia horum sodalitio exploratores nonnunquam atque proditores continentur, & civibus pecunias emulgent, non sunt tolerandi.

Cautio adhibenda in excipiendis peregrinis.

Prudenter itaque Imperialibus sanctionibus cautum est, ut hoc hominum genus proditionis suspectum non toleretur, sed ditionibus expellatur, sicut & plani illi atque errones, qui militum titulo se venditant, pagatim grassantes, ac stipem per villas postulantes, qui intolerabili petulantia gentem rusticam vexant. Magna itaque severitate cohibendi sunt, & ad laborem compellendi. Ac omnino externi ignoti non tolerandi, nisi certis testimoniis testentur se dignos esse quibus detur.

Constitutio Imp. August. anno 1500.

Massi-

Massiliensium quoque & laudanda, & omnibus civitatum atque rerumpub. rectoribus imitanda videtur esse prudentia, qui omnibus, teste Valerio Maximo lib. 2. cap. 1. per aliquam religionis simulationem inertiæ alimenta quærentibus urbis suæ portas intercludebant, mendacem atque fucosam superstitionem summovendam esse existimantes. Apud eosdem similiter (id quod etiamnum hodie apud nonnullos populos, in belli præsertim periculis atque suspicionibus, moris est) intrare oppidum nulli cum telo licebat, præstoque erat, qui id custodiæ gratia acceptum exituro reddebat, *ut hospitia sua*, addit Valerius, *quemadmodum advenientibus humana erant, ita ipsis quoque tuta essent.* Sic ergo una eademque opera civitates atque respub. & hospitalitatis, & salutis atque incolumitatis suæ rationem debent ducere.

Massiliensium prudentia in cavendis peregrinorum insidiis.

Quamobrem ut Spartanorum, Epidamniorum aliorumque populorum culpanda ξενηλασία, qui sine discrimine peregrinos quosvis certis præsertim temporibus urbe sua expellebant: ita Apolloniatarum contrà damnanda esse videtur socordia nimia atque securitas, qua illi cum magno civitatis suæ periculo atque discrimine peregrinis quibusvis urbem suam immigrandi incolendique potestatem faciebant, ut testis est Ælianus *de Varia historia* lib. 13. cap. 16. Nec vituperanda solùm, verumetiam detestanda est Indorum Babyloniorumque antiquorum insania, qui, teste Sardo libro *de Variis gentium moribus*, hospitibus atque peregrinis non solùm ædibus suis cedebant, verumetiam uxoribus suis aliisque rebus omnibus pro sua libidine abutendi facultatem concedebant. O utinam non hodie quoque Christianorum multi reperirentur, qui lucri quæstusque gratia uxores liberosque suos & civibus & peregrinis prostituerent, atque ita execrandum lenocinium facerent! In publicis Academiis atque scholis, ad quas ex omnibus orbis partibus plurimi peregrini litterarum ergò confluunt, quàm id frequenter fiat, tam notum est, quàm quod notissimum.

Apolloniatarum nimia socordia.

Verùm ut in peregrinis admittendis adhibenda est, ut dixi, cautio prudens atque diligentia: ita quoque in eorundem tractatione delectus videtur esse habendus, nec pari omnes modo liberalitateque tractandi. Considerandum est diligenter & attentè, qui qualesve illi sint, & quibus de causis ad nos veniant. Alii enim sunt privati, & privatas ob causas atque negotia veniunt: alii sunt magistratus, vel legati a principe populove aliquo publicas ob causas missi. Item alii vel amicitia & familiaritate antiqua, vel cognatione & affinitate, vel ejusdem muneris, gentis religionisve societate, vel quacunque denique necessitudine magis minusvè nobiscum sunt conjuncti, vel nulla prorsus. Quamobrem non eadem & similis omnibus peregrinis a nobis exhibenda est benevolentia atque benignitas, sed circumstantiarum hujusmodi diligens & accurata habenda est ratio.

In peregrinis tractandis delectus habendus.

Duo autem in primis peregrinorum genera sunt, qui a civitatibus quibusvis & publicè & privatim honorificè, officiosè humaniterque excipi & tractari debent. Primi sunt legati, aliique illustris fortunæ, dignitatis auctoritatisque homines cùm politici, tum Ecclesiastici, quibus meritò omnis generis honores sunt deferendi. Secundi sunt homines pauperes, inopes, egeni, mendici (inter quos tamen sæpe multi latent illustris dignitatis atque fortunæ homines) omnes denique qui nostra ope atque auxilio indigent. His igitur tanquam ipsius Christi legatis atque vicariis omnia pro nostra virili justa debitaque humanitatis atque beneficentiæ officia & publicè & privatim promptissimè libentissimeque præstare debemus, non hujusce modò animalis, sed æternæ quoque vitæ præmiis amplissimis nobis propositis.

Peregrinorum duo sunt genera.

Nunc postremò (ut locum hunc totum concludam) de conviviorum hospitalium, quæ in peregrinorum usum & honorem adornantur, abusu est dicendum, qui quidem duplex est. Alius qui in defectu consistit, cujusmodi fuit Lacedæmoniorum smicrologia atque sordes, qui peregrinos sanè illiberaliter sordideque exceperunt. In conviviis igitur illis, quæ peregrinis, præsertim dignitate auctoritateque aliqua præditis vel publicè vel privatim exhibentur, splendori in primis est atque magnificentiæ studendum, fugienda Laconica illa parsimonia atque illiberalitas.

Epularum hospitalium abusus duplex.

Nimiæ sordes.

Alter abusus, qui hodie in Germania præsertim est pervulgatus, luxuria atque immanissimis illis propinationibus continetur, quæ cùm semper, tum in hujusmodi præsertim conviviis, quæ cum peregrinis agitantur, pernitiosæ periculosæque esse consueverunt. Sunt igitur hodie quàm plurimi, qui dum perhospitales atque benigni erga peregrinos videri volunt, inhospitalissimi funestissimique peregrinorum hostes atque inimici meritò sunt habendi. Hi verò sunt vinipotentes illi potatores, qui peregrinos partim multis verborum blanditiis atque illecebris, multisque dolis & imposturis, partim etiam minis atque nonnunquam vi ad immodicam vini ingurgitationem impellunt atque cogunt. Nec contenti illis in ipsa mensa hospitali immanissimis illis suis propinationibus plurimum molestiæ negotiique exhibuisse, illos præterea, postquam è mensa consurrexerunt, ad iter sese accingentes, atque adeò ipsis jam equis insidentes, ut fit, illis benedictionis, uti vocant, poculis (maledictionis veriùs dixeris) magis adhuc onerant ac defatigant. Hi sanè, incredibile est dictu, quantum mali atque periculi peregrinis concilient. Nam primò summam illis, quantum in se est, ignominiæ atque dedecoris labem aspergunt, dum illi mentis suæ, *quam vinum*, ut Hoseas ait, *adimit*, non amplius compotes, dictis, factis atque gestibus sese plerunque non modò ridiculos, verumetiam turpes exhibent, occulta atque secreta pectoris sui arcana vitiaque produnt & exerunt: unde non modò contemptus, verumetiam odia, inimicitiæ, dedecora magnaque sæpe vitæ pericula illis creantur. Ut nihil dicam, quòd iidem sæpe amicorum atque patriæ suæ arcana produnt, quibus patefactis plurima in amicos patriamque suam mala atque pericula redundant. Deinde morbos iisdem, ac sæpenumerò mortem repentinam violentamque mortiferis atque lethalibus illis suis poculis conciliant. Nam cùm omnis generis cibi potusque intemperantia plurimorum sit atque mortiferorum morborum effectrix atque conciliatrix, tum verò atque inprimis peregrinos ejus vini cibique, cui non assueverunt, immoderato usu gravissimè lædi, & in adversæ valetudinis discrimen adduci est necesse: quippe cum omnis cibi potusque subita ac repentina mutatio pernitiosa vehementer periculosaque esse soleat.

Jam

Jam verò quot quæſo nobis quotidiana ferè experientia eorum exempla ſuppeditat, qui nimio vino obruti vel in ipſo hoſpitio, vel in itinere aliquo caſu, lapſu, errore (qui varii ſunt atque multiplices) vel repentè interierunt, vel graviſſimè læduntur? Annon ergo hi, qui peregrinis cyclopicis illis ſuis propinationibus tot ac tantorum malorum ſunt auctores, non hoſpitales, ſed ἄξενοι, κακόξενοι & ξενοπάται, atque adeò Tauroſcythis illis hoſpiticidis immaniores ſunt exiſtimandi, quippe quum quantum in ſe eſt, illos in ſummum famæ, exiſtimationis, vitæ non hujuſce modò temporalis, verumetiam illius æternæ diſcrimen adducant. Nam quæ ſpes ſalutis de illo eſſe poſſit, qui ebrius repentina morte extinguitur, omni ferè Deum invocandi, pœnitentiamque agendi facultate deſtitutus, cùm præſertim, teſte Paulo, ebrietas hominibus ad cœlum viam aditumque intercludat. Et tamen hæc apud multos Chriſtianos optima cenſetur humaniſſimaque peregrinos tractandi ratio, qua nihil inhumanius eſt atque periculoſius.

Verùm præter jam commemoratas cauſas, aliæ quoque ſunt, propter quas in hujuſmodi conviviis, quæ cum peregrinis ineuntur, ab ebrietate abſtinendum, atque ſobrietati ſtudendum eſſe videatur. Multi namque ſæpe ad nos veniunt peregrini vel negotiorum quorundam cùm privatorum, tum publicorum, vel etiam amicitiæ cujuſdam prætextu, revera autem noſtræ civitatis reique pub. ſtatum explorandi atque prodendi cauſa. Periculum itaque eſt ne nos nimio vino obruti, arcana noſtra illis prodamus, unde illi (ſi maligni ſint atque malevoli) nobis patriæque noſtræ plurimam nocendi occaſionem arripere poſſint. Ac omninò ſæpe fit, ut ipſi cives intemperantiſſimis illis ſuis potationibus atque propinationibus & ſe & rempub. religionemque ſuam peregrinis atque exteris hominibus non modò irridendam atque calumniandam, verumetiam graviſſimè lædendam, ac omnino quantum in ſe eſt, delendam propinent.

Legatis cur vitanda ebrietas.

Ut autem cives, ſic quoque peregrinos legatos præſertim, quorum fidei res atque negotia publica ſunt commiſſa, quique totius civitatis atque patriæ ſuæ perſonam ſuſtinent, in hoſpitalibus illis conviviis ſummam cautionem adhibere decet, ne ſe vino nimio obrui patiantur, unde maxima, de quibus ſuprà, non in illos modò, verumetiam in illorum patriam damna atque detrimenta redundent. Nam præter quàm quòd (vino nimirum illorum memoriæ ingeniique vires debilitante) negotia atque mandata ſua minus commodè feliciterque conficiunt, multa quoque ſæpè temerè inconſiderateque effutiunt, quæ & ipſis & patriæ maximam ſæpè ignominiam atque damnum pariunt. Vinum namque tormenti inſtar eſt ad arcana quævis eliciendum atque extorquendum validiſſimi: unde Bonoſus ſeu Vinoſus potius ille Imperator, teſte Fl. Vopiſco, legatos ad ſe miſſos temulentos reddere ſtudebat, ut illa occaſione ſecreta & arcana quævis tanto faciliùs expiſcari atque cognoſcere poſſet. Quamobrem ſapienter ſane fidelis ille Abrahami ſervus ad uxorem filio ſuo ambiendam miſſus, noluit quicquam prius cibi potusve ſumere, quàm domini ſui mandata fuiſſet executus, quod exemplum omnes legati, ſi ſapiunt, & cùm ſuæ, tum patriæ ſuæ exiſtimationi atque ſaluti optimè conſultum volunt, ſedulò imitari conabuntur.

Etſi igitur omnibus in conviviis ebrietas, ceu præſentiſſima animi corporiſque peſtis ſummoperè eſt vitanda, tamen in illis potiſſimùm, quæ cum peregrinis agitantur, ab illa eſt cavendum, cum quemadmodum dictum eſt, & ipſa quotidiana experientia docet, plurima & civibus & peregrinis pericula atque damna conciliet. Atque hæc quidem de hoſpitalitate, hoſpitii antiqui jure atque neceſſitudine, varia atque multiplici hoſpites peregrinoſque accipiendi ratione, hoſpitalibus denique conviviis eorumque abuſu ſint dicta: quibus illud poſtremò adjiciatur, quod quemadmodum cives peregrinos, ſic peregrini cives atque incolas, illorum nimirum amicitiæ benevolentiæque ſibi conciliandæ gratia ſæpenumerò conviviis excipere ſolent, in quibus mutua debet eſſe, quaſique ἀντίστροφος inter cives atque peregrinos humanitas.

CAPUT XXIX.

DE CONVIVIIS, QVAE VEL ANTE, VEL POST QVAMCVNQVE PROFECTIONEM, PEREGRINATIONEM, LOCI DOMICILIIVE MVTATIONEM AGITANTVR.

Convivia ante profectionem.

Hebræorum epulæ ante migrationem.

Hiſce porrò epulis, quæ cum iis, qui revera peregrini ſunt, agitari illiſque adornari conſueverunt, illæ quoque annumerari debent, quæ in civium gratiam atque honorem ante & poſt peregrinationem, boni omnis gratulationiſve ergò agitantur. Nam ut hodie, ita olim quoque ſplendida atque magnifica convivia fuerunt acta in illorum gratiam atque honorem, qui in peregrina loca atque regiones vel privatis vel publicis de cauſis atque negotiis erant profecturi, quæ convivia partim publica, partim privata ſolent eſſe. Hebræi olim ſuos diſceſſuros cum gaudio, cum canticis, tympanis & cithara deducere conſueverunt, id quod apparet ex 31. cap. Gen. ubi Labanus Jacobum generum ſuum alloquitur: *Cur clàm me, & me inſcio fugam capeſcere voluiſti? Quin mihi indicaſti, & te cum gaudio amandaſſem deduxiſſemque cum canticis, cythara & tympanis.* Sub his verò canticis atque inſtrumentis muſicis videntur convivia quoque poſſe intelligi, quorum, ut ſuo loco amplius dicetur, apud veteres quaſi individua comes fuit Muſica. Huc quoque videtur referendum eſſe illud Eliſæi epulum, quod diſceſſurus, & Eliam ſecuturus populo dedit, duos enim boves mactavit, populoque comedendos appo-

appofuit, 2. Reg. 19. Similis epuli illuftre habes exemplum 1 Sam. 28. 24. & 25. Maga mulier, cujus opera impia Saul ufus fuerat, illi vehementer perculfo & confternato ob oraculum, a Samuele illo imaginario redditum, nec non ejus fervis epulum fumma feftinatione apparavit, quod partim vitulo faginario, partim placentis ex farina confectis conftabat. Hoc fumto furrexiffe, & illa ipfa nocte abiiffe dicuntur.

Propter viam facrificium profectionis caufa.

Apud Romanos moris fuit, ut peregrinationis ergô & facrificia, & cœnæ atque etiam vota fimul fierent. Hinc Feftus: *Propter viam*, inquit, *fit facrificium, quod fit proficifcendi gratia Herculi aut Sanco*, qui fcilicet idem Deus eft. Et ftatim pôft: *Profecturi viam Herculi aut Sanco* (alii *Sancto*, alii *Sango*, quidam *Sanio*, nonnulli *Fauno* legunt) *facrificabant.* Sic Plautus in Rudente: S. *Ut mea eft opinio, propter viam illi vocati funt ad prandium.* P. *Qui?* S. *Quia poft cœnam credo laverunt.* Macrobius teftis eft facrificium fuiffe apud veteres *protervia* dictum. In eo mos erat, ut fi quid in epulis fuperfuiffet, igne confumeretur. Hinc Catonis jocus eft. Namque Albidium quendam, qui fua bona comediffet, & noviffimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiffet, *protervíam feciffe* dicebat, quod comeffe non potuerit, combuffiffe. Turnebus in fuis adverfariis, *Propter viam* legendum putat, quafi *protervia* fuerit illud facrificium atque epulum, quod, tefte Feſto, itineris ineundi gratia fieri folitum fuit. Huic facrificio *propter viam* comparari poffunt illa Græcorum διαβατήρια, id eft, facrificia, quæ ob tranfitum alicujus loci difficilem atque periculofum fiebant. Plutarchus in Lucullo: ἔθυσε τῷ Εὐφράτῃ διαβατήρια, id eft, *facrificavit Euphrati facra pro tranfitu.* Sic quoque moris fuit, ut vota fufciperentur a Romanis pro principibus in expeditionem euntibus, ut fofpites incolumesque irent & reverterentur. Hinc ait Seneca, *olim Rufum fenatorii ordinis virum inter cœnam optaffe, ne falvus rediret Cæfar ex ea peregrinatione, quam parabat, & adjeciffe, idem omnes & tauros & vitulos* (qui fcilicet facrificabantur) *optare.* Horatius voto profequitur Cæfarem profectionem parantem in ultimos Britannos. Sic Sueton. de Tyberio Cæfare: *Ad extremum vota pro itu & reditu fuo fufcipi paffus.* Dii, quos olim Ethnici peregrè profecturi, & ad viam fe accingentes, invocare folebant, a Græcis θεοὶ ἐνόδιοι dicti funt, quo cognomento etiam Mercurius colebatur. Sic Charinus apud Plautum in Mercatore difceffum parans, *Lares viales* invocat, ut illum benè juvent, ceu viæ præfides. Hodie Chriftiani *Miffæ* facrificium iter aliquod inituri ac fufcepturi, fibi fieri curant.

Διαβατήρια.

Vota, & facrificia itineris ineundi caufa.

Helvetiorum mos.

Apud Helvetios quoque moris eft, ut in illorum gratiam, qui vel privatas ob cauffas, ut ftudiorum aut negotiationum cauffa, vel publicas, ut cum legatione publica, aut cum imperio ac poteftate peregrè funt profecturi, & publicè ab omnibus civibus, & privatim ab amicis, vicinis atque propinquis convivia celebrentur. His autem partim peregrinaturi cives & amicos & vicinos fuos excipiunt, partim ab illis excipiuntur, idque vel publicè, vel privatim, quæ vernaculo fermone Legemahl & Legecffen / quafi dicas, *valedictoria*, appellantur. Non videntur autem hujufmodi convivia ratione carere, cùm boni quafi ominis ergô peregrinaturis ac proinde plurimas moleftias, labores atque pericula fubituris valedicendi, iifque benè ominandi atque precandi caufa fieri videantur. Huc adde, quod ad mutuam amicorum confolationem faciunt, qui futura vel perpetua, vel ad tempus aliquod corporum diftractione, mutuique confpectus, colloquii confuetudinisque privatione plurimum contriftari folent. Verùm cum valedictoria hujufmodi convivia (ut ita loquar) magna plerunque cum luxuria atque lafcivia agitentur, inaufpicati potius atque diri, quam faufti atque felicis ominis vim videntur obtinere.

Legemahl.

Convivia ob reditum.

Jam verò illi quoque, qui peregrinis ex locis in patriam redierunt, magnificentiffimis olim conviviis gratulationis inftar obtinentibus & publicè & privatim excipi fuerunt foliti. Hujufmodi convivia a Græcis ὑποδεκτικὰ fuerunt appellata, apud quos illa fuiffe in ufu, cùm ex multis aliis literarum monumentis, tum ex Græca illa Plutarchi Quæftione: (*Quinam fint illi, qui in Ægina Monophagi appellantur*) faciliime colligi poteft. Nam in illius quæftionis explicatione hæc funt Plutarchi verba: *Æginetarum, qui ad bellum Trojanum funt profecti, magna pars in prœliis, major in mari vi tempeftatum periit. Cum itaque paucos fuperftites in patriamque reduces neceffarii recepiffent, viderentque reliquos cives in luctibus atque mœrore effe, rati funt, neque gratulandum publicè, neque palàm Diis facrificandum: fed domi fuæ finguli eos, qui fervati erant, conviviis comiter excipientes, patres, cognati, fratres aut familiares ipfi menfis miniftraverunt, alieno nemine in domum admiffo. Eam rem repræfentantes, Sacrificium Neptuno celebrant, quod Thiafi dicitur, ubi feorfim per 16. dies convivia agitant, nullo adhibito fervo: deinde Veneri operantes finem feriis imponunt: hinc Monophagi, hoc eft, feorfim comedentes nominantur.* Hæc ille. Ὁδοιπόριον quoque Græcis dictum eft convivium, quod dabatur pro itinere confecto. Telemachus apud Homerum Οδ. ο. fub finem focios fuos, quibufcum in patriam redierat, ita alloquitur:

> Ἠῶθεν δέ κεν ὔμμιν ὁδοιπόριον παραθείμην,
> Δαῖτ' ἀγαθὴν κρειῶν τε καὶ οἴνου ἡδυπότοιο.

Euftath. ὁδοιπόριον interpretatur μισθὸν, ἢ ἀμοιβὴν ὑπὲρ τοῦ πλεῦσαι. Addit ibidem: *Sciendum autem* πᾶν δῶρον τὸ ὑπὲρ συνοδεύσεως *rectè* ὁδοιπόριον *poffe appellari.*

Cœnæ hypodecticæ, viaticæ, adventitiæ apud Romanos.

Apud Romanos quoque hujufmodi cœnæ ufitatiffimæ fuerunt, quibus cùm principes, cùm amici peregrè longo intervallo reverfi excipiebantur, quæ ab illis & *hypodecticæ*, tefte Plutarcho in Sympofiacis, & *viaticæ*, necnon *adventitiæ* five *adventoriæ* fuerunt appellatæ. Plut. lib. 5. Sympof. prob. 6. ὑποδοχὰς, inquit, *faciebant finguli amicorum invitantes nos redeuntes ex Alexandriâ.* Plaut. in Sticho:

> *Sorori meæ cœnam hodie dare volo viaticam*
> *Salvos cum peregrè advenis cœna detur.*

Item: *Et magis par fuerat me dare vobis cœnam advenientibus.*

In illa comædia multa hujusmodi cœnarum, cum Epignomus peregrè domum rediisset, exempla occurrunt. Apud eundem in Epidico:

----- EP. Dii dent quæ velis.
Venire salvom gaudeo. TH. quid cæterum? EP. quod adeo assolet.
Cœna tibi dabitur. TH. Spondeo. EP. quid? TH. me accepturum si dabis.

Eodem referendum est illud, quod est in Curculione:

----- Salve salvos cum advenis
In Epidaurum, hîc hodie apud me nunquam delinques salem.
MIL. Benè vocas.

Et illud in Bachid: *Venire tu me gaudes, ego credo tibi, hospitium & cœnam*
Pollicere, ut convenit, peregrè advenienti, ego autem venturum annuo.

Et in Truculento: *PH. Salve; hîcne hodie cœnas, salvus cum advenis?*

In Mercatore; *Jam redii exsilio, salve mî sodalis Euryce*
Ut valuisti? quid? parentes mei valent? cœna dabitur.
EU. Benè vocas.

In Pœnulo; *Patruo advenienti cæna curetur volo.*

Eodem alludit Sosia in Amphitruone:

Ita peregrè adveniens hospitio publicitus accipiar.

Alludit, inquit Lambinus, *ad eos, qui peregrè venientes honoris causa hospitio publice accipiuntur.* Fortassis id quoque spectavit, quod civibus in patriam redeuntibus cœna dabatur. Et apud Terent. Heaut. Act. I. Scen. *Advenientem è navi egredientem ilico, Adduxi ad cœnam.* Suetonius in Vitellio: *Famosissima super cæteros fuit cœna ei data adventitia a fratre, in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita traduntur.* Martialis eleganter *adventoriam epistolam* appellavit, quæ adventanti amico obviam mittitur. Ejusmodi convivii genus illud est in Euangelio, quo pater filium suum prodigum peregrè redeuntem excepit, quod quidem summa cum lætitia, vocatis ad illud vicinis celebratum fuit. Viaticis hisce cœnis illæ quoque Christianorum antiquorum *Agapæ*, de quibus suo in loco, similes videntur esse.

Apud Helvetios quoque cum privati homines, tum præfecturarum præsides, ubi domum reversi sunt, & publicè & privatim lætissimis conviviis excipi consueverunt, quæ a Germanis willkummaal/ a Gallis *La bien venue* vulgò appellantur.

Huc quoque videntur referri posse illa convivia, quæ ob migrationem ex una domo in aliam, novæque domus inhabitationem celebrantur. Apud Græcos fuerunt καλοικέσια, quorum Nazianzenus in oratione *de Sancto lavacro* meminit, quæ Bilibaldus *domesticalia* vertit, quæ videntur fuisse feriæ celebrari solitæ ob loci alicujus inhabitationem, sive festa, quæ quotannis agebantur eo die, quo quis habitatum aliquò venerat.

Haußroucketen. Apud nos moris est, ut quando quis in novam aliquam domum atque viciniam migrat, novos suos vicinos unà cum amicis & propinquis convivio excipiat, quod nos vulgò haußröuchetcn/ quasi dicas, *Domus suffumigationem* appellamus, ob fumum nimirum atque nidorem, qui ex culina exit, & quòd quis novum fumum nactus est. Nam *fumi* nomen sæpe pro domo sive habitatione accipitur. Hinc ὁμόκαπνοι eleganter a Græcis vocantur *contubernales*, quasi unius ejusdemque fumi participes. Et vernacula nostra lingua, ein eignen rauch haben/ hoc est, *proprium habere fumum*, idem significat quod propria domo atque victu uti, non alterius esse convictorem ac contubernalem.

Solent quoque apud nos amici atque necessarii novis conjugibus in domum novam immigrantibus munuscula quædam, ut vasa omnis generis atque instrumenta conferre, quæ vulgò haußsteür nominantur. Illi contrà tenentur eos, a quibus munuscula hujusmodi acceperunt, convivio excipere, quod similiter hauß-röucketen dicitur, quasi dicas, *domus initiatio:* sicuti *Encœnia* ædis sacræ initiationes appellantur, quæ & ipsa conviviis, ut suo in loco dicetur, celebrari solent. Huc quoque refer illas in Academiis usitatas scholasticorum compotationes, ob domicilii mutationem fieri solitas. Nam quando scholasticorum aliquis in novam domum migrat, condiscipulis suis merendam çœnámve dare cogitur, quam vulgò tischrucketen/ hoc est, *mensæ conversionem* mutationémve appellare consueverunt, quæ plerunque magno cum luxu atque petulantia ab illis celebratur. Hujusmodi ergo Germanis usitatæ epulæ ob domus habitationisve mutationem illis Græcorum catœcesiis simillimæ videntur esse.

CAPUT

CAPUT XXX.

DE CONVIVIIS, SACRIFICIIS, ET ALIIS ETIAM CAEREMONIIS, QVAE QVIBVSVIS PACTIS, CONVENTIS, FOEDERIBVS ADHIBENTVR. APVD VETERES DVO FVERVNT IN PRIMIS INSIGNIA, ET MAXIME VSITATA FOEDERIS AMICITIAEQVE SYMBOLA, PANIS NEMPE ET SAL: DE VTRIVSQVE VSV PLVRA.

Porro quoniam cum hospitalibus conviviis, quibus amicitiam cum hospitibus atque peregrinis vel primùm contrahi, vel instaurari atque confirmari dixi, magnam affinitatem videntur habere illæ epulæ atque compotationes, quæ quibusvis contractibus, pactis, conventis atque fœderibus ut olim, ita hodie quoque interponi & adhiberi solent, idcirco consequens videtur esse, ut nunc de illis verba faciam.

Ac primò quidem omnium satis constat, hanc & olim fuisse & nunc quoque esse omnium ferè gentium consuetudinem, ut partim sacris quibusdam cæremoniis, libationibus atque victimis: partim symposiis adhibitis fœdera atque contractus, quibus ineantur, stabiliantur atque confirmentur. Nam ut ab Hebræis incipiam, apud illos in fœderibus faciendis victimas simul atque convivia in usu fuisse, cùm ipsius nominis Hebraici notatione, tum exemplis quibusdam probari potest. Fœdus enim ab Hebræis ברית *Berith* appellatur, quasi כרית *Cerith*, ut nonnullis videtur, quod in fœderibus ineundis victimæ cædebantur, ac proinde sæpe construatur cum verbo כרת *Carath*, id est, *feriit*, *percussit*. Sic *fœdus* quoque Latinè nonnulli a feriendis victimis volunt esse dictum. Alii vocabulum Hebræum a בתר *Batar*, quod *divisionem* significat, deducunt, literarum tantùm facta transpositione; & sic volunt *fœdus* dictum ab illa divisione victimæ in duas partes & paciscentium per illas transitu olim usitato, de quo mox dicetur. Sunt qui ita volunt dictum ברה *Barah*, quod *cibum capere* significat, ab epulis nimirum atque conviviis, quæ adjungebantur. Nonnullis tamen, ut hoc quoque addam, magis placet vocabulum *Berith* derivari à ברר *Barar*, quod & *eligere* & *purum esse* sive *purgare* significat; idque vel quòd in fœderibus ineundis voluntatum consensus requiratur: vel ab electione tum personarum, cum quibus amicitiam inire volumus, tum capitum fœderis, quæ sanctè religioseque sint servanda, tum victimarum, quæ adhiberi debent: vel denique quòd ingenuè atque candidè & sincerè sine omni fuco atque dolo fœdera & iniri & servari debeant.

Hebræi in fœderibus pangendis victimas epulasque adhibuerunt. Berith unde dictum.

Hæc de nomine: nunc de exemplis, ex quibus clariùs adhuc patebit & victimas & epulas ab Hebræis fœderibus contrahendis fuisse adhibitas. Antiquissimum sanè & clarissimum est illud fœdus, quod Deus (qui verus est fœderum auctor, non Theseus, ut vult Plinius: aut Mercurius, ut Diodorus lib. 6. tradit) cum Abrahamo & tota illius progenie hujusmodi ferè cæremoniis percussit: *Sume*, inquit Deus, *mihi vaccam triennem*, *& capram atque arietem triennes: turturem quoque & pullum columbarum.* Abrahamus itaque Dei jussu & mandato animalia illa accepit, & terrestria quidem mactavit, ac in duas partes divisit, & unamquamque e regione alterius posuit: aves autem non divisit: cumque super cadavera illa cœli volucres descendissent, illas abegit. Postea cum Sol occubuisset, sopor atque terror Abrahamum invasit, eique Deus per insomnium sobolis illius cùm servitutem Ægyptiacam, quæ annis 400. sit duratura, tum liberationem significavit. Tandem caligo exorta est, & fumus ingens apparuit, ac post illum lampas ignea affulsit per divisiones, hoc est, partes illas hostiarum divisas, sibique e regione oppositas transiens. Ex hoc exemplo satis constat, hujusmodi olim apud Hebræos fœderis ineundi ritum fuisse. Dividebant mactata quadrupeda, illisque dissectis frusta ponebant in duo latera, unum contra alterum, in medio tantum spatii relinquentes, ut qui fœdus inibant, per illas carnium partes transire possent: a qua cæremonia, ut paulò antea explicatum est, nonnulli ipsum fœdus ab Hebræis volunt fuisse dictum.

Exemplum fœderis quod Deus cum Abrahamo iniit. Sacrificium.

Ad eundem morem Hieremias quoque cap. 34. perspicuè alludit, dum Deum ipsum loquentem, & populo suo fœderis violationem his verbis exprobrantem inducit: *Viros*, inquam, *istos*, *qui fœdus meum transgressi sunt*, *neque rata habuerunt verba pacti coram me in templo meo initi*, *quando mactatam buculam in duas dividentes partes inter ipsas*, *inita pacta confirmaturi transierunt principes regni Judaici*, *& proceres Hierosolymorum*, *eunuchi*, *sacerdotes & omnis populus*, *qui inter divisas buculæ partes pro more confirmandi pacti transierunt.* Hanc cæremoniam sic explicat Petrus Martyr in Genes. *Primò videntur in eo transitu malum imprecari violantibus fœdus*, *ut scilicet ita discerpantur*, *uti dissecta erant illa animalia*, *quorum frusta utroque ex latere jacebant*: *quemadmodum fœciales veterum gentilium porcam mactantes*, *ut ita ferirentur*, *precabantur*, *qui pactis non starent. Præterea cùm pactum ineatur minimùm inter duos*, *idcirco frustorum carnium duplex ordo struebatur*, *ut transeuntes per medium*, *denotarentur se recipere*, *quod pro sua parte facturi essent*, *quicquid tunc promittebant. Adhæc animal*, *quod erat unum*, *sic aperiebatur*, *ut cùm ineuntes fœdus per ejus medium transirent*, *viderentur quodammodo conjungi atque colligari in uno & eodem corpore. Hoc ergo symbolo significabant*, *velle se arctißimè conjungi.* Hæc ille. Similis autem cæremoniæ exemplum Dictys lib. 1. de bello Trojano refert. Nam cùm Græcorum principes de repetenda Helena consultaturi Argis convenissent, Chalcas Thestoris filius futuro-

Aliud exemplum ex Jeremia.

rum

rum præscius, porcum marem in medium forum afferri jubet, quem in duas partes dissectum Orienti Occidentique divisit, atque ita singulos nudatis gladiis per medium transire jussit. Deinde mucronibus sanguine ejus oblitis, adhibitis etiam aliis ad eam rem necessariis, inimicitias sibi cum Priamo per religionem confirmant, neque prius se bellum deserturos, quàm Ilium totumque regnum evertissent. Quibus perfectis Martem atque Concordiam multis immolationibus sibi conciliarunt.

Convivii fœderalis. exemplum. Convivii autem fœderalis, ut ita loquar, exemplum illustre extat Gen. 26 ubi Isaacus cum Abimelecho ejusque amicis fœdere percusso convivium magnum apparasse, & unà cum illis cibum potumque sumpsisse dicitur. Similis epuli fœderalis fit mentio Jos. 9. 14. Ita David inito fœdere cum Abnere, & ejus sociis, convivium illis adornasse dicitur, quod quidem fœderis illius indicium fuit, 2. Samuel. cap. tertio, ver. vigesimo. Hujusmodi illud quoque Labani & Jacobi convivium fuit, de quo sic scriptum est Gen. 31. *Erecta statua, nec non lapidum tumulo excitato, super eum unà panem*, hoc est, cibum sumpserunt ad mutuam nimirum animorum reconciliationem significandam. Illum autem tumulum, qui illis mensæ loco hospitalis fuit, Laban quidem lingua sua Syriaca *Jegar Schachadatha*, Jacob autem sua *Galeed*, hoc est, *tumulum testimonii*, nec non *Mispah*, hoc est, *speculam*, appellavit, propter causas quæ ibi commemorantur. Ac paulò post vers. 54. jurejurando ad fœderis confirmationem ab utroque facto, Jacob in illo monte (is fuit mons Mizphah) mactationem mactasse, hoc est, convivium instruxisse, & ad illud fratres suos vocasse dicitur, qui unà & cibum illo in loco ceperunt & pernoctarunt. Abrahamus cum Abimelecho fœdus iniens septem agnas statuit in testimonium, quod is numerus absolutus & juramenti instar esset, ut Gen. 21. scriptum est. Nomine autem זבח *Sebach* prophanam mactationem seu convivium Gen. 31. intelligendum esse, memini me ex D. Mercero piæ memoriæ, Hebraicarum literarum professore regio, præceptore meo observando olim audivisse, in qua quidem significatione idem vocabulum crebrò in sacris literis accipitur. Nec tamen meo judicio absurdum, & a ratione alienum fuerit, sacrificium quoque illo in loco intelligi, quod in fœderibus pangendis usitatissimum fuit, quoque peracto veteres convivari consueverunt.

Sebach & sacrificium, & epulum significat.

Ac quoad sacrificia apud Hebræos in fœderibus adhiberi solita, non est silentio prætereundum illud sacrificium, quo Deus per Mosen fœdus cum universo populo Israëlitico pepigit, illumque ad legi suæ obediendum obligavit & obstrinxit, cujus descriptionem habes in Exodo. Nam cum Moses ad radices montis Sinai altare ædificasset, & duodecim titulos secundum 12. tribus excitasset, juvenes Mosis jussu holocausta, victimas pacificas, ac duodecim vitulos Domino immolaverunt. Tunc Moses dimidia sanguinis parte crateras implevit, reliquam partem effudit super altare. Deinde sumpto legis volumine, illud populo audiente legit, qui dixit: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus eique obtemperabimus.* Tunc ille populum sanguine aspersit, talia fatus: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super omnibus sermonibus istis.* Ex his ergo commemoratis exemplis satis liquet Hebræos olim fœdera partim sacrificiis, partim epulis atque conviviis inire atque sancire solitos fuisse. Unde etiam *fœdus salis*, hoc est, firmum atque perpetuum dicitur 1. Reg. 15. propterea quod in fœderibus ineundis sacrificia adhibebantur, quæ quidem sine sale non fiebant, ut scriptum est Lev. 2. cap. Hæc autem fœdera veteris Testamenti omnia, & sacrificia atque convivia, quæ illorum fuerunt quasi symbola atque sigilla, typi fuerunt atque figuræ universalis illius ac sacrosancti firmissimique fœderis, quod Deus cum universo electorum cœtu unigeniti sui filii sanguine in crucis ara profuso, ceu vera piaculari hostia iniit atque sancivit.

Fœdus salis.

Græci similiter victimis atque epulis fœdera contrahebant. Σπονδαί.

Illum verò Judæorum morem ritumque fœdera sacrificiis, libationibus atque compotationibus ineundi, aliæ quoque gentes sedulò fuerunt imitatæ. Ac apud Græcos quidem illum fuisse usitatissimum, ex multis scriptoribus satis constat, id quod etiam ipsa nomina testantur. Sic enim σπονδὰς vocant & libationes & fœdera, pacta atque inducias, quæ libatione intercedente sanciebantur. Hinc σπένδεσθαι, & σπένδεσθαι σπονδὰς, ποιεῖσθαι σπονδὰς, σπενδοποιεῖσθαι illis idem est, quod fœdus inire: σπονδὰς contrà λύειν sive παραβαίνειν, id est, *fœdus solvere, transgredi*: item ἄσπονδος, *fœderis expers*, ἔκσπονδος, *a fœdere exclusus*, ἔνσπονδος & ὁμόσπονδος, *fœderatus, confœderatus*, seu ut antiqui, teste Festo, loquuti sunt, *confœdustus*, παράσπονδος, *fœdifragus*. Similiter ὅρκια ταμεῖν, quod frequens est apud Herodotum & Homerum, idem valet, quod mactata hostia fœdus sancire, quod Latine eandem ob causam *fœdus icere*, *ferire* atque *percutere* appellant: qua phrasi, ut suprà dictum est, Hebræi quoque utuntur. Eustath. in illum Homeri versum:

Οἱ δ' ἄλλοι φιλότητα, καὶ ὅρκια πιστὰ ταμόντες.

τὸ φιλότητα καὶ ὅρκια ταμεῖν ἀντὶ τοῦ φιλίαν καὶ ὅρκους ποιῆσαι διὰ ἐντόμων, ἤγουν θυσιῶν, hoc est, *amicitiam, & jusjurandum sive fœdus secare, est amicitiam atque fœdus contrahere, inire, partibus incisis sive hostiis.* Sic Livius: *Fœdus cum eo atque amicitiam jungit his legibus.* Item, τὸ τάμνειν ὅρκια apud Homerum & Herodotum. τὸ θῦσαι τὰ ἐπὶ ὅρκῳ σφάγια δηλοῖ. Est autem Jonica dictio τὸ τάμνειν ἀντὶ τοῦ θύειν, &c. Notabis etiam ipsas victimas, vinum, craterem atque pocula ab Homero ὅρκια, id est, *fœdera*, appellari Ιλ. γ.

ὅρκια τάμνειν. Victimæ ipsæ ab Homero ὅρκια appellantur.

Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστά,

Hoc est, interprete Eustathio. σύναστον ὅρκια, ut alibi Homerus loquitur, sive συνῆγον τὰ ἐν ὅρκοις χρειώδη; id est, quæ in fœderibus, ac jurejurando erant necessaria. Sequitur enim,

Ἄρνε δύο καὶ οἶνον ἐΰφρονα καρπὸν ἀρούρης
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ. φέρε δὲ κρητῆρα φαεινὸν
Κῆρυξ Ἰδαῖος, ἠδὲ χρύσεια κύπελλα.

Et paulò post: ---- Ἵνα ὅρκια πιστὰ τάμῃ.

Item

Item: Οἱ δ' ἄλλοι φιλότητα, καὶ ὅρκια πιστὰ ταμόντες.

Et Paulò post: ---- Αὐτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ

Ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον (sic Livio *fœdus agere* idem quod *facere*) κρητῆρι δὲ οἶνον
Μίσγον ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

His verbis quasi præparatio describitur ad sacrificium, ut quòd hostias & alia eò pertinentia adduxerunt, vinum quo libaturi erant, miscuerunt, manus abluerunt. Notabis heic obiter ab Homero agnos atque vinum, quæ fœderis duntaxat symbola seu instrumenta erant, ὅρκια, hoc est, *fœdus*, appellari, non secus ac (si licet sacra miscere prophanis) vinum in cœna Dominica, sive poculum vinum continens dicitur ipsum novum Testamentum, sive fœdus, quum sit fœderis, aut ejus potius, quo fœdus sancitur, nimirum sanguinis Dominici symbolum ac tessera.

Sequitur deinceps apud Homerum sacrificii, libationis atque imprecationum, quibus execrabantur eos, qui pactis non starent, descriptio, de quibus ex ordine. Ac quoad sacrificium, primo quidem de more solito (de quo alibi pluribus) pilos ex immolandorum agnorum capitibus absciderunt, illosque Trojanorum atque Græcorum optimatibus per præcones seu ministros publicos distribui curarunt. De cujus cæremoniæ significatione sic Eustathius disserit: *Ut hoc pacto omnes viderentur* συνεφάπτεσθαι τῆς θυσίας, hoc est, *sacrificio conjungi atque copulari. Symbolum autem hoc erat, omnia mala conversum iri in capita eorum, qui fœdus violassent. Et ut apud Sophoclem hujusmodi est imprecatio*: κακῶς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονὸς γένους ἅπαντος ῥίζαν ἐξημημένος, αὕτως ἥγουν οὕτως ὅπωσπερ τὸν δ' ἐγὼ τέμνω πλόκον. *Malè malè inhumatus ex terra exterminetur, ut ego hunc abscindo cirrum.* Sic etiam Homericus Agamemnon tunc dicebat: *Sic e vita exscindantur omnes ii, qui fidem datam fregerint, ut ego hos victimæ capillos abscindo.* Nunc ipsius Homeri verba subjungam:

Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν.
Ἡ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο.
Ἀρνῶν ἐκ κεφαλῶν τάμνε τρίχας. αὐτὰρ ἔπειτα
Κήρυκες Τρώων καὶ Ἀχαιῶν νεῖμαν ἀρίστοις.

Sequitur deinceps ejusdem imprecatio, qua deos ceu testes & custodes fœderis omnium nomine invocat, ut fœderis violatores ulciscantur:

Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε.
Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.
Καὶ ποταμοὶ καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
Ἀνθρώπους τίνυσθον (τιμωρεῖτε) ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.
Ὑμεῖς μάρτυροι ἐστέ, φυλάσσετε δ' ὅρκια πιστά.

Sequitur deinde agnorum jugulatio.

Ἠ καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ
Καὶ τοὺς μὲν κατέθηκεν ἐπὶ χθονὸς ἀσπαίροντας.
Θυμοῦ δευομένους. ἀπὸ γὰρ μένος εἵλετο χαλκός.

Sequitur libatio: Οἶνον δ' ἐκ κρητῆρος ἀφυσσάμενοι δεπάεσσιν
Ἔκχεον.

Sequitur precatio: Ηὔχοντο θεοῖς αἰειγενέτῃσιν cujus formulam subjungit hujusmodi:

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι
Ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν
Ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος
Αὐτῶν καὶ τεκέων, &c.

Eustathius addit, sibi verisimile videri, illos in pilorum amputatione simili huic imprecatione uti fuisse solitos, ut malum in fœdifragorum capita devolveretur, vel sic e vita exscinderentur, vel aliud quid hujusmodi.

Libationes porrò in fœderum contractu valde usitatas fuisse ex illo quoque Homeri loco constat:

Πῆ δὴ συνθεσίαι τε (συνθῆκαι) καὶ ὅρκια βήσεται ἡμῖν
Ἐν πυρὶ δὴ βουλαί τε γενοίατο, μήδεά τ' ἀνδρῶν
Σπονδαί τ' ἄκρητοι, καὶ δεξιαί, ᾗς ἐπέπιθμεν.

Hic fit mentio partim libationum, quæ vino mero fiebant ad significandum τὸ τῆς γνώμης ἀμιγὲς ψιλὸν, καὶ ἄδολον, id est, *mentis puritatem & sinceritatem* significandam, teste Eustathio: partim δεξιώσεων, id est, mutuarum dextrarum apprehensionis, quæ eodem interprete, φιλίας καὶ εἰς ἓν ἀποκαταστάσεως, τὰ οἷον ἑνώσεως, id est, *amicitiæ atque unionis signum erat.* Has cæremonias, nimirum sacrificia, libationes, dextras, execrationes in fœderibus pangendis antiquitus a Græcis adhiberi solitas, Euripides in Iphigenia Aulidensi, his verbis uno quasi fasciculo complectitur:

Ὅρκους συνάψαι, δεξιάς τε συμβαλεῖν
Μνηστῆρας ἀλλήλοισι, καὶ δι' ἐμπύρων
Σπονδὰς καθεῖναι, κἀπαράσασθαι τάδε·

Victimæ ab Ethnicis in fœderibus jungendis adhibitæ. Pili ex hostiarum capitibus cur abscissi ac distributi.

Imprecatio.

Agnorum jugulatio.

Libatio.

Precatio.

Libationes in fœderum contractu usitatissimæ.

quæ

Quæ verba sic Eras. vertit:

Ut coirent jurejurando proci,
Atque inter ipsos jungerent dextras, adhæc
Adolenda divûm ponerent aris sacra.
Ac semetipsi adstringerent, diris ad id
Caput obligantes execrationibus.

Dexteræ in fœderibus contrahendis jungi solitæ.

Livius lib. 1. *Dextera data fidem futuræ amicitiæ sanxit: idem fœdus ictum inter duces, inter exercitus salutatio facta.* Sic Hyrcani quoque & Medi junctis manibus dexteris, & Parthi apud altaria complexi dextras, tanquam Diis testibus & arbitris, postquam sacra libassent, pacem inire, fœderaque percutere solebant, teste Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 3.

Sacrificium in fœdere feriendo adhibitum. Mos instrumentis bellicis fœdera pangendi.

Græci, qui cum Cyro adversus Persas ascenderunt, fœdus, teste Xenophonte lib. 2. *de Expedit. Cyri*, cum Ariæo percusserunt, capro, tauro, lupo & ariete super scuto mactatis, in quorum sanguine Græci enses, Barbari hastas tinxerunt jurejurando interposito, neutram partem alteram proditurum, & firmam stabilemque inter ipsos belli societatem futuram. Iidem, eodem auctore teste, cum Babylone redeuntes Macronum fines fuissent ingressi, cum illis fœdus hujusmodi ritu pepigerunt: Barbari Græcis lanceam barbaricam, hi contrà illis Græcam lanceam tradiderunt, Deos utrinque suos attestati. Hæc enim sibi a majoribus barbari dicebant instituta ad fœdus jungendum tradita, rectissimaque ea esse fidei mansuræ signa. Verùm hic Macronum, non Græcorum mos fuit. Hic obiter notabis alios quoque populos lanceis aliisque instrumentis bellicis fœdera fuisse facere solitos. Sic enim Pannonii olim pacem cum hoste facturi, eductis mucronibus, quos pro numine colebant, jurabant se in amicitia mansuros, ut testatur Aventinus libr. 2. *Annalium Bojorum.* Sic Tartari, ut auctor est Cromerus lib. 30. cum Joan. Alberto Polonorum rege anno 1501. fœdus ferientes, more suo, juramentum dederunt, aqua strictis frameis infusa & sorpta, mala imprecantes ei, qui fœdus violasset.

Romani mactatione porcæ fœdera jungebant. Fœdus unde dictum.

Romani quoque porcæ mactatione fœdera solebant facere, unde fœdus ipsum nonnulli, teste Festo, volunt dictum a *feriendo*, ut alii volunt, a *fœdando*, id est, fœdè cædendo porcam, quæ immolabatur, secundum illud Virg. lib. 8. Æneid.

Post îdem inter se posito certamine reges
Armati, Jovis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & cæsa jungebant fœdera porca.

Hinc *fœdus ferire, icere, percutere* tritis apud Latinos dicendi formis metonymicis pro *agere, facere, jungere, pangere, inire, &c.* cùm non fœdera propriè, sed pecora, quæ fœderum erant symbola, ferirentur. Alii tamen *fœderis* vocabulum a Fœcialibus, id est, sacerdotibus derivant, per quos olim apud Romanos fœdera fiebant. Alii a *fide*, quæ in fœderibus interponebatur. Fœderis autem pangendi hæc fuit apud Romanos olim consuetudo atque cæremonia: Si quando fœdus feriendum erat, fiebat senatus consultum in hæc verba: *Ut privas verbenas, privosque lapides Prætorem fœciales poscerent* (sancire enim aut pacta concipere Fœciales non aliter poterant, quàm si Consulis aut Prætoris auctoritate intercedente, S. C. jussuque populi permissum esset) *qui verbenam ex arce, & sagmina* (herbæ genus est) *ac lapidem silicem ex templo Jovis Feretrii daret, Fœcialesque ea secum ferrent. Ac porca adhibita, vetere præfatione, priscis carminibus ad præstitutum diem in foro, seu ubi convenerat, enunciatis, Fœcialis sceptrum manu tenens, pro Jovis simulachro, tanquam is fœderi adhiberetur, filo lanæ capite velatus & verbena coronatus, Jovem, Martem, cæteros obtestari Deos, & dira obsecratione precari solebat, ut si quis eorum fœdera violasset, aut illa sciens falleret, ita illum Juppiter feriret, quemadmodum ipse porcam percuteret.* Quibus obtestationibus quàm sanctissimè prolatis, secundum rem divinam precationemque lapide silice porcam percutiebat: mox aqua & igne in sacris adhibitis illam immolabat: qua cæsa jura pacis & fœdera conventa icta ritè esse putavere: hancque fidem socialem & sanctissimum fœdus esse arbitrabantur, quo nihil firmius esset. Nam post meridiem eas precationes facere, aut fœdus percutere non licebat.

Fœdera pangendi quis mos apud Romanos.

Fœdera percutiebantur ante meridiem. Pro verbena myrtus olim in fœderibus adhibita.

A principio conditæ urbis, in fœderibus pacis pactionibusque pro verbena myrtus sumebatur. Fœdera pactionesque postquam cum exteris & ultimis gentibus inita erant, Romani in templo Capitolini Jovis, columnæ aut æneis tabulis insculpta, ut perpetua monumenta extarent, nonnunquam in fastos & annales referebant.

Jurisjurandi mos vetustissimus. Lapide fœdus & jusjurandum fieri solitum.

Hæc de Romanorum antiquo fœderis percutiendi more, quem ex Livio (Dec. 1. lib. 1. ubi fœdus inter Albanos & Rom. initum describit: & lib. 10. de bello Punico II.) Dionysio & aliis auctoribus colligere licet. Claudius Cæsar cum regibus, teste Suetonio, fœdus in foro icit, porca cæsa, & vetere Fœcialium præfatione adhibita. His addere licet vetustissimum jurisjurandi morem a Livio & Dionysio prætermissum, quem Polybius lib. 3. his verbis describit: *Carthaginenses Deos patrios attestati sunt: deinde Romani per lapidem, secundùm vetustissimum ritum, Martis Quirinique nominibus additis, jusjurandùm præstiterunt. Ritus lapidis fuit hujusmodi: Fœcialis populi Romani sumpto in manu lapide, postquam inter patres de fœdere convenit, sic loquitur: Si rectè & sine dolo malo fœdus hoc atque jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præstent. Si aliter aut ago aut cogito, cæteris omnibus salvis in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris solus ego peream, ut hic lapis e manibus meis decidit. Nec locutus plura, lapidem manibus dejicit.* Ejusdem meminit Sab. lib. 6. Enn. 6. Gellius lib. 1. cap. 21. Jovem lapideum, quod sanctissimum jusjurandum est habitum, paratus sum jurare: Macrobius.

Nunc

Nunc ut de aliarum quoque gentium fœderis contrahendi moribus atque cæremoniis uſitatis dicam, illas quoque partim ſacrificiis atque libationibus, partim ſympoſiis in fœderum pactionibus uſas fuiſſe, ex hiſtoriis ſatis patet. Moloſſi, ut teſtis eſt Suidas, fœdera inituri bovem in multa minuta fruſta diſſecabant: unde natum proverbium, *βοῦς ὁ μολοττῶν*, *Bos Moloſſorum*, de iis, qui multis negotiis implicati tenentur. Apud Scythas, ut teſtis eſt Lucianus in Toxaride, ſi quis fortè læſus erat, nec ſuppetebat ulciſcendi facultas, immolato bove carnes minutim ſectas coquebat, ipſe in tergore humi ſtrato ſedebat, manibus in tergum reductis. Id quod maximum ſupplicandi apud illos genus habebatur. Accedebat quicunque vellet opitulari, & carnium portione guſtata, dextroque pede tergori impoſito, pollicebatur pro viribus auxilio futurum. Atque hoc fœdus apud Scythas ſanctiſſimum habebatur. Hinc natum proverbium, *ἐπὶ βύρσης ἐκαθέζετο*, id eſt, *in tergore bovis deſedit*, id eſt, ſupplex implorat auxilia. Eraſ. in Adag.

Mos reliquarum gentium in fœderibus ineundis. Moloſſi. Bos Moloſſorum. Scytharum mos. In tergore bovis deſedit, proverbium.

Perſas, teſtis eſt Herodotus, inter vinum & epulas frequenti convivio, uxoribus & liberis cæterisque, quos charos habebant, adhibitis, inter ſacra menſæ velut inter hoſpitales Deos fœdera amicitiamque contraxiſſe. Hoc more Germani quoque olim fuerunt delectati, teſte Corn. Tacito, qui de pace & bello, deque fœderibus, ſocietatibus, amicitiis, ſponſalibus & pactis in conviviis inter pocula plerunque decreverunt: quem morem etiamnum hodie obſervant. Jam verò vini libationibus non modò, verùm etiam propinationibus mutuis amicitias fœderaque jungere ut olim, ita hodie quoque admodum eſt uſitatum. Naſamones, qui ſunt Lybiæ populus, teſte Herod. lib. 4. porrecto vini poculo, ac de manu alterius ſumpto, & ſibi invicem propinato, fœdus pacemque componere fuerunt ſoliti. Quod ſi nihil habebant humoris, ſumptum e terra cinerem lingebant. Sic Thraces & Ægyptii è cornibus boum (quæ veteribus poculorum loco erant) vina ſibi invicem propinantes, id firmiſſimum contracti fœderis vinculum eſſe putabant, teſte Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 2.

Perſæ inter epulas fœdera contraxerunt. Germanorum mos ſimilis. Propinationibus mutuis fœdera amicitiæque initæ. Naſamones, Thraces & Ægyptii.

Idem hodie Germanorum mos eſt pervulgatus, mutuis nimirum vini potationibus inimicitias quaſvis dirimere, pacem componere, fœdera atque contractus quoſvis inire, unde vulgò den friden trincken / hoc eſt, *pacem bibere*, illis idem eſt, quod compotationibus interpoſitis pacem reconciliare: & den weynkauff trincken / idem, quod vini potu emptionis contractum ſancire atque confirmare. Verùm, ut quotidiana docet experientia, immoderatæ hujuſmodi compotationes plerunque non pacem, amicitiam atque fœdera, ſed diras potiùs atque funeſtas inimicitias diſcordiaſque pariunt.

Germanorum conſuetudo.

Ut autem illi *οἰνοποσίαις*, ſic Indi *ὑδροποσίᾳ*, id eſt, *aquæ potu*, amicitiam contrahebant. Illis namque firmiſſima arctiſſimaque ſocietas erat de Tantali aqua potare: de qua ſi qui unà bibiſſent, ea obteſtatione tenebantur, ut ejuſdem fati & fortunæ fœdus iniiſſe cenſerentur: teſtis eſt Philoſtratus, Alex. ab Alexand. lib. 5. cap. 2. Sed & *αἱματοποσίαις*, hoc eſt, mutuis ſanguinis humani, quem ex corporibus ſuis eliciebant, propinationibus legimus gentes quaſdam amicitias atque fœdera iniiſſe. Sic enim Medi atque Lydi, teſte Herodoto, feriendo brachia, qua illa humeris connectuntur, ac mutuum ſanguinem delingendo fœdera ſanciverunt. Carmani ſimiliter in epulis percuſſa faciei vena, profluentem cruorem vino miſcere, ac ſibi invicem propinare in jungendis fœderibus conſueverunt: ſummum amicitiæ fœdus exiſtimantes, mutuum guſtaſſe ſanguinem: Alexand. ab Alexand. & Cæl. lib. 18. cap. 32. Poſidonius tamen apud Athenæum lib. 2. cap. 2. hoc Germanis tribuit, qui addit eos poſt hujuſmodi potum ſanguinis caput unguentis perungere fuiſſe ſolitos, maximè roſaceo, nonnunquam melino oleo, vel irino vel nardino.

Indi ὑδροποσίᾳ amicitiam contrahebant. αἱματοποσίαι in fœderibus adhibitæ. Medi atque Lydi. Carmani.

Similis Scytharum olim, teſte Herodoto lib. 1. & Luciano lib. *de Amicitia*, cum quibuſvis gentibus fœderis paciſcendi conſuetudo fuit. Infuſo namque in grandem calicem fictilem vino, commiſcebant eorum ſanguinem, qui fœdus feriebant, percuſſa cultello, aut inciſa gladio aliqua corporis parte. Deinde in calicem tingebant acinacem, ſagittas, ſecurim, gladium. His peractis ſeſe mutuis verbis devovebant, ac poſtea vinum illud humano cruore permixtum epotabant, non ii ſolùm, qui fœdus fecerant, ſed etiam illorum comites, qui maximæ erant dignitatis. Simili ferè modo Catilina populares ſuos conſpirationis contra patriam fœdere fœdiſſimo devinxit. Nam cùm eos ad jusjurandum ſceleris ſui adduxiſſet, humani corporis ſanguinem vino permixtum in pateris circumtulit. Inde cum poſt execrationem omnes deguſtaſſent, ſicuti in ſolennibus ſacris eo tempore fieri conſueverat, dicitur eis conſilium ſuum aperuiſſe. Teſtis eſt Salluſtius. Florus lib. 4. *Additum eſt*, inquit, *pignus conjurationis*, *ſanguis humanus*, *quem circumlatum in pateris bibere*, *ſummum nefas*, *niſi amplius eſſet*, *propter quod biberunt*. Plutarchus in Cicerone: *Καὶ καταθύσαντες ἄνθρωπον, ἐγεύσαντο τῶν σαρκῶν*, id eſt, *mactato homine*, *carnes guſtarunt*, *ac ita fidem inter ſe firmarunt*. Dio. lib. 37. *Παῖδα γάρ τινα καταθύσας, καὶ ἐπὶ τῶν σπλάγχνων αὐτοῦ τὰ ὅρκια ποιήσας, ἔπειτα ἐσπλάγχνευσεν αὐτὰ μετὰ τῶν ἄλλων.*

Scythæ. Catilinæ conſpiratio ſanguinis propinationib. ſancita.

Armenii ſimiliter & Iberi, teſte Corn. Tacito lib. 12. Auguſt. hiſt. manuum pollicibus conjurantium invicem connexis atque arctiſſimo nodo perſtrictis levique ictu collecto ſanguine expuncto ac deinde guſtato, fidem ſanctiſſimam ſocietatemque confirmarunt. Hujuſmodi fœderis contrahendi prætextu Mithridates a Rhadaniſto deceptus, & proditus fuit. Idem teſtatur Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 3. & Cælius lib. 17. cap. 12. Princeps Saracenorum & Byzantinus Imperator amicitiam contrahentes, uterque vena in pectore inciſa, ſuum alteri ſanguinem propinaverunt, ut teſtis eſt Nicetas lib. 2. *de Imperio Iſaacii Angeli*.

Armenii & Iberi.

Nec verò ſanguinem tantùm bibendo, verùm etiam veſtibus, armis atque corporibus aſpergendo fœdera quidam populi ſancire fuerunt ſoliti. De Græcis atque Barbaris ſuprà ex Xenoph. dictum eſt, qui hoſtiarum ſanguine enſes haſtaſque tinxerunt. Item de Scythis, qui in vino ſanguine permixto, antequam illud haurirent, acinacem, ſagittas, ſecures atque gladios tingere fuerunt ſoliti. His adde ſimilem Arabum morem, de quo ſic Herod. lib. 3. & Sabellicus lib. 7. Ennead. 2. Polyd. Virg. lib. 2. cap. 15. *Quoties fœdus volebant inire*, *alius quidam medius inter utrunque ſtans*, *acuto lapide feriebat volam juxta majores digitos eorum*, *qui fœdus*

Fœdera ſancita ſanguine veſtibus, armis atque corporibus aſpergendo. Arabum mos.

dus inibant. Deinde sumpto flocco ex utriusque vestimento, inungebat eo sanguine septem lapides in medio positos, inter inungendum invocans Dionysium & Vraniam. Hoc peracto idem, qui fuit sequester foederis inter amicos contrahendi, vadatur hospitem aut fortè civem, si cum cive res agatur. Quod foedus & ipsi, qui amicitiam contraxerunt, servare justum censent. Sic Hispani ductu Ferdinandi Magellanis per fretum Antarcticum ad Moluccas penetrantes, dum Moluccarum legunt insulas, cum Calamaro rege Calemandi insulæ societatem inierunt, more gentis sanguinem de brachio sinistro mittentes, eoque os & linguam illinentes: teste Petro Cieza Tom. 2. hist. Pern. cap. 94.

Panis & sal duo fuerunt insignia apud veteres foederis & amicitiæ symbola. Panis. Panes propositionis. Macedonum ritus.

Fuerunt præterea apud antiquos duo maximè insignia foederis & amicitiæ symbola, panis nimirum atque sal, quorum quidem usu esuque foedera atque amicitiæ olim contrahi solebant. Nam ut de pane primò loquar, cui dubium est, quin sacri & mystici illi veteris Testamenti panes *propositionis* sive *facierum* symbola fuerint cùm Christi, tum foederis illius, quod est inter Deum atque homines? Apud Macedones patrio ritu foedus, quod sanctissimum vellent haberi, sic inibant, ut panem gladio divisum uterque libaret. Itaque Alexander M. totius ferè Orientis victor ac domitor, cùm erga Roxanem Satrapis barbari filiam, in convivio visam, amore exarsisset, panem sibi (quod ritu Macedonico sanctissimum coëuntium pignus erat) afferri jussit, quem cùm gladio dissectum uterque libasset, illam sibi matrimonio junxit: testis est Q. Curtius lib. 8. Cæl. lib. 28. cap. 15.

Panis cæremonia in nuptiis adhiberi solita.

Apud nos similis ferè mos est: nam panis, postquam sponsus atque sponsa cum suo comitatu e templo post nuptiarum consecrationem ad sponsi ædes pervenerunt, ex ædibus affertur in frusta dissectus, ex quo sponsus primò frustum accipit, ac degustat, deinde illum sponsæ porrigit, quæ & ipsa postquam similiter partem accepit, & degustavit, reliquum panem post tergum rejicit, qui a pueris ac reliquis nuptialis pompæ spectatoribus certatim arripitur. Huc quoque facit Pythagoræ symbolum, Ἄρτον μὴ καταγνύειν, hoc est, *panem ne frangito*, quo admonebat non dirimendam esse amicitiam, quæ antiquitus pane conciliabatur. Sic Galatinus, Erasmus interpretantur & alii. Panis enim, ut Galatinus inquit, *mysterium est amicitiæ. Unde & Christus*, inquit Erasmus, *princeps noster distributo pane, perpetuam inter suos amicitiam consecrabat.* Præter panem autem illum mysticum coenæ dominicæ, qui quidem expressum est & luculentum, ut Paulus Apostolus pluribus docet, Christianæ φιλαδελφίας symbolum. Hinc Origenes in Matthæum sic loquitur de Iuda, *Neque salis ejusdem neque panis communicati memor.* In primitiva Ecclesia in usu fuit panis quidam sacratus, qui Catechumenis dabatur, antequam illi ad Eucharistiæ communionem admitterentur, quem Latini *bucellatum*, Græci ἀντίδωρον & εὐλογίαν vocabant. Augustin. epist. 36. *buccellatum fraternitatis* vocat. Erat ergo hic panis Catechumenorum proprius bis coctus (abhorrebant enim Christiani a delitiis) ita ut Christianæ non charitatis solùm, verumetiam frugalitatis esset symbolum.

Panem ne frangito, Pythagoræ symbolum. Panis amicitiæ symbolum. Panis coenæ dominicæ. Panis sacratus.

Apud Moscovitas panis amicitiæ symbolum.

Apud Moscovitas quoque hodie panis amicitiæ atque benevolentiæ est signum. Nam ut Sigismundus ille Baro in suis rerum Moscoviticarum commentariis testatur, rex Moscovitarum eo maximè suam erga aliquem benevolentiam atque gratiam testatur, si illi in convivio de sua mensa panem atque sal mittat, idque maximi honoris loco habetur, quo honore se quoque cùm primò Maximiliani Imperatoris, ac iterum ejus nepotis Rom. regis Ferdinandi fuisset legatus, a Basilio rege affectum fuisse scribit. Ac in priori quidem sua legatione dicit se juxta illorum consuetudinem hujusmodi dicendi forma ab illo Moscovitarum rege ad prandium fuisse invitatum: *Sigismunde comedes sal & panem nostrum nobiscum.* En hîc salis potissimùm atque panis meminit, quorum unum alimenti, alterum condimenti instar obtinet: utrunque verò amicitiæ atque benevolentiæ signum est atque tessera.

Sal mutuæ pacis, amoris, & amicitiæ signum. Sal in sacrificiis. Sal foederis.

Ut de pane adhuc est dictum, nunc de sale dicamus. Certè illud quoque cùm in sacris, tum in prophanis litteris mutuæ pacis, amoris & amicitiæ est symbolum. Jam antea dictum est, sal olim Dei jussu in omnibus sacrificiis fuisse adhibitum, unde etiam sal dicitur foederis Dei, hoc est, foederis divini symbolum. Sic namque scriptum est Levit. 2. *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec facies cessare*, id est, nunquam deerit, *sal foederis Dei tui de sacrificio tuo, sed in omni munere tuo sal adhibebis.* Item Num. 18. *omnes devotiones tradidi tibi, ac filiis tuis atque filiabus in statutum perpetuum, foedus salis perpetuum sit coràm Domino*, id est, firmum, stabile, quasi non putrescens vetustate. Ut ergo in Levitico sal dicitur *sal foederis*, cujus erat symbolum: sic vicissim Num. 18. foedus sale, hoc est, sacrificiis salitis, percussum, *salis foedus* appellatur, ut & 2 Par. 13. Deus Davidi, & ejus filiis regnum salis foedere, hoc est, firmo inviolabilique pacto dedisse dicitur, ubi similiter allusio fit ad sal illud in sacrificiis adhibitum, quod cùm vitæ morumque puritatem, tum divini foederis cum populo suo firmitatem stabilitatemque adumbrabat. Eòdem quoque Christus spectavit illis suis verbis, quæ Marc. 9. extant: *Omnis*, inquit, *homo igni salietur* (δοκιμασθήσεται, hoc est, *explorabitur*, Theophylactus exponit) *& omnis victima sale salietur.* Sensus videtur simplicissimus esse: Ut olim ex Dei præscripto omnis victima sale condiebatur: ita omnes homines igne atque sale illo coelesti, hoc est, Spiritu sancto condiri atque mundari oportet, ut Deo grata sint & accepta victima, & ut mutui amoris charitatisque foedere atque vinculo conjuncti, alii alios saliant, hoc est, pro virili juvent. Tandem concludit: *Habete in vobis ipsis salem, & pacem inter vos invicem colite*: ubi *salem habere* per epexegesin videtur interpretari εἰρηνεύειν, id est, *pacem colere*, cùm ipsum sal pacis atque foederis sit symbolum. Hinc idem etiam iis in aquis fuit adhibitus, quæ propter viri Zelotypiam uxori, quæ suspectæ erat pudicitiæ, propinabantur, ut nimirum sale conjugalis amoris & amicitiæ fides probaretur.

Omnis victima salietur.

Salis usus in Ethnicorum sacrificiis. Mola salsa.

Ut autem apud Hebræos, sic etiam apud Ethnicos κακοζηλίᾳ quadam perpetuus ferè salis in sacrificiis usus fuit: de quo sic Plin. lib. 31. cap. 7. *Maxima autem*, inquit, *salis auctoritas e sacris veterum intelligitur*, *apud*

apud quos nulla sacra sine mola salsa conficiebantur. Sic enim vocabant far tostum sale conspersum, quod comolito hostia aspergeretur. Omnino mola trita inspergebantur ignis, caput victimæ, cultri. Unde Juvenal. Satyr. 11.

Sertaque deluoris, & farra imponite cultris,

Id est, molam, quæ ex farre tosta, & sale constabat. Tibull. lib. 3. Eleg. 4.

At vanum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

Idem lib. 4. ad Messal. *Parvaque cœlestes placavit mica, &c.*

Horat. lib. 3. Od. 23. *Farre pio, & saliente mica.*

Tales erant apud Græcos οὐλοχύται, hoc est, ut Eustathius interpretatur Iλ. α. κριθαὶ μεθ' ἁλῶν, ἃς ἐπέχεον τοῖς βωμοῖς πρὸ τῆς ἱερουργίας, hoc est, *hordea salibus mixta, quæ altaribus imponebantur ante sacrificium.* Talia hordea salita atque sacra propriè ὀλαὶ sive οὐλαὶ dicta sunt, quæ victimis infundebantur. Hujus cæremoniæ ab Eustathio rationes aliquot afferuntur. *Nam vel id faciebant* ὡς πολυπλήθειαν τῶν καρπῶν οἰωνιζόμενοι, hoc est, *fructuum abundantiam ominandi gratia, quorum ceu quædam primitiæ hordea illa offerebantur. Vel id faciebant suæ erga Deum gratitudinis testificandæ gratia, cujus munere atque beneficio ab antiquo illo & aspero glandium victu, ad mitiorem, hordeorum nimirum victum fuissent traducti. Atque hanc quidem ob causam hordea rectè* κριθὰς *dici, propterea quod illis inventis* διεκρίθησαν τῶν ἀλόγων ζώων ἄνθρωποι, id est, *homines a brutis animantibus fuerunt distincti ac sequestrati. Ad gratam igitur memoriam antiqui victus hordea in victimas projiciebantur, quæ quoniam nondum molendi usu reperto integra fuerunt devorata,* οὐλαὶ *dicta sunt, assumpta litera* υ *quasi* ὅλαι, id est, *tota seu integra.* Hæc ille de hordeis. Ουλοχύται. Hordea sale conspersa. Hordea cur adhibita. Hordea cur κριθαὶ dicta.

Quoad autem sales, quos hordeis illis permiscebant, id dicit factum esse non solùm διὰ γονιμότητα, καὶ τὸ ἐν ταῖς τροφαῖς χάριτος νέσιμον· ἀλλὰ διότι φιλίας οἱ ἅλες σύμβολον, hoc est, *non solùm propter fertilitatem, & repetitam in alimoniis gratiam, verùm etiam quia sales sunt amicitiæ symbolum. Quam ob causam,* addit idem, *iis, qui hospitio sunt excepti, ante omnes alios cibos apponi consueverunt: idque vel* διὰ τὸ τῆς φιλίας νόστιμον καὶ παράμονον, hoc est, *ob amicitiæ redintegrationem, & firmitatem. Sal enim multis corporibus firmitatis atque durationis causa existit. Vel etiam ut sit symbolum* τῆς κατὰ φιλίαν ἑνώσεως, hoc est, *unionis & amicitiæ:* ὡς γὰρ ἅλς ἐξ ὑδάτων πολλῶν ῥυτῶν καὶ φυτῶν παγεὶς, ἔντι στερεὸν γέγονε σῶμα, οὕτω καὶ οἱ συνελθόντες εἰς ξενίαν ἐκ διεστώτων εἰς ἓν τῷ τε τόπῳ, καὶ τῇ φιλικῇ διαθέσει συνήχθησαν, hoc est, *ut sal ex multis aquis liquidis atque fusilibus in unum corpus solidum coalescit, sic etiam qui ex diversis locis longè a se invicem dissitis in unum hospitium conveniunt, non loco solùm, verum etiam affectu amico uniuntur atque copulantur.* Cur hordea sale conspersa. Sales cur hospitibus ante omnia appositi. Nota.

Hæc Eustathius præclarè sanè de salis usu in Ethnicorum sacrificiis differit, ubi simul indicat non in sacrificiis tantùm, verùm etiam extra illa in victu quotidiano ac præsertim in hospitiis sal fœderis amicitiæque symbolum fuisse. Quò alludit etiam Aeschines in illa sua oratione *de perperam obita legatione* hisce verbis: τοὺς γὰρ τῆς πόλεως ἅλας, καὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν περὶ πλείστου δεῖ, φησὶ, ποιεῖσθαι, hoc est, *Etenim civitatis sales publicamque mensam ait se plurimi facere.* Huc quoque facit illud Pythagoræ symbolum, τὸν ἅλα παρατίθεσθαι, hoc est, *Salem apponito*, quo cùm justitiæ, & æquitatis, ut vult Erasmus: tum, ut mihi videtur, amicitiæ hospitalitatisque admonemur. Eodem pertinent proverbia illa: *Salem & caseum edere*, quod est apud Plinium. Item, *Salem & fabam:* & *salem & mensam ne prætereas*: de quibus vide plura apud Erasmum in Adag. Quibus adde tritum maximè & pervagatum illud proverbium, cujus & Aristoteles lib. 8. Moral. & Cicero lib. *de Amicitia* meminit. *Verùm illud est,* inquit Cicero, *quòd vulgò dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit.* Salem apponito, Pythagoræ symbolum. Proverbia de sale.

Ex his omnibus constat sal antiquitus in communi hominum consuetudine atque victu fœderis amicitiæque signum fuisse. Unde Esdræ quoque lib. 1. cap. 4. sic scriptum legimus: *Nos ergo memores salis, quod in palatio comedimus, quia læsiones regis videre nephas ducimus.* Veteres mensam salis appositione consecrare fuisse solitos, ex illis Arnobii verbis videtur posse colligi: *Sacras,* inquit, *facilè mensas salinorum appositu, & simulachris deorum.* Eòdem nonnulli referunt illud Horatii: Sal hospitalitatis signum.

Splendet in mensa tenui salinum.

Sed Turnebo videtur potissimùm significare tenuem, & pauperem parcumque victum hominum pro obsonio salem lingentium, quod pauperes olim faciebant, ut apud Persium:

Varro regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages.

Item Satyr. 3. *Est tibi far modicum, purum & sine labe salinum.*

Hic quoque *salini* nomine victum tenuem & sufficientem significat. Huc referri potest sententia illa Rabbini: *Bucellam panis cum sale edas, & aquam in mensura bibas, super terram dormias, vitam miseram agas, modò operam navare possis.* De Moscoviticorum regum legatos ad salem panemque suum invitandi, & illis hæc eadem de mensa sua mittendi more & consuetudine, antiquæ illi hospitibus ante omnem cibum sal apponendi consuetudini simillima, jam dictum est, quibus adde quod Sigismundus inquit: *Pane ipso princeps suam erga aliquem gratiam, sale verò amorem ostendit. Neque verò majorem honorem potest alicui exhibere in suo convivio, quàm si alicui sal de sua tabula mittit.* His adde, quod apud Germanos salis effusio in mensa mali & infausti ominis loco habetur, unde illum qui casu aliquo fortuito salinum in mensa evertit salque effudit, bellum habiturum, hoc est, rixam, jurgium atque contentionem aliquam subiturum esse vulgò dictitant. Hoc inde natum esse puto, quòd sal amoris amicitiæque symbolum, ut olim, ita hodie quoque habetur. Per salem, Salis effusio in mensa mali ominis.

 ut

ut etiam per aquam, panem, terram, cœlum, æthera, ventum jurandum esse Elxai (qui Ossenorum hæreticorum sectator, Trajani temporibus vixit) docuit atque præcepit teste Epiphan. lib. 1. Tom. 1. *contra Hæres.* quem errorem refutans, per solum Deum jurandum esse ait secundum illa in Lege scripta: *Non erunt tibi dii alii præter me. Non assumes nomen alterius alicujus in jusjurandum.* Hæc de panis salisque in fœderibus, hospitiis amicitiisque jungendis & antiquo & hodierno usu satis sint dicta. De salis usu in sacris vide multa pulchra apud Fagium in cap. 3. Lev. vers. 13. Salis usum multis gentibus Trojano sæculo incognitum fuisse Hom. Eustath. & Paus. testimoniis probat Brod. Miscel. lib. 6. cap. 3.

Ut autem & Judæi olim, sicuti dictum est, & perversa illorum imitatione reliqui quoque populi sacrificiis (quæ omnia fuerunt salita) atque libationibus interpositis fœdera inire fuerunt soliti: sic Christiani quoque Principes nonnunquam sacrosanctæ Eucharistiæ communione fœdera atque pacem initam solent confirmare. Verùm cùm compositis inter Vladislaum Ungariæ regem & Amurathem Turcarum Imperatorem rebus omnibus, de modo sanciendæ pacis ageretur, Turcæ juramentum in Eucharistiam a rege postularunt, id quod Gregorius Savocæus, sive ut alii illum appellant, Sanicæus minimè faciendum esse docebat, ne arcana mysteria, quæ nulla ratione, nisi fide tantùm pura munita sunt, infidelibus prodantur, multis quoque aliis allatis rationibus. Conventum tandem utrinque est, ut in Euangelium Christiani, in Alcoranum Turcæ jurarent. Scriptis igitur eodem argumento, lingua tamen duplici, conditionibus pacis, eas inter se perpetuas inviolatasque fore, sanctissimo utrique juramento asseverarunt. Testis est Bonfinius lib. 6. Decad. 3. & Publ. Callimachus lib. 2. *de Clade Varnensi.* Ex hoc quoque exemplo facilè colligi potest, quanam tuta atque secura inter populos religione a se invicem discrepantes fœderis pacisque, si ita opus sit, conciliandæ ac juramenti concipiendi ratio iniri possit, si nimirum utrique parti secundum suam religionem atque conscientiam, per sua numina jurandi fidemque dandi libera potestas permittatur: id quod ab Ethnicis quoque sæpe factitatum fuisse legimus.

Epulum Dominicum inter convivia fœderalia principem meritò locum obtinet.

Nota.

Cæterùm inter omnia convivia fœderalia principem meritò locum augustissimum religiosissimumque illud epulum Dominicum obtinet, in quo quidem Christiani partim ejusdem panis vinique externa corporeaque degustatione, partim unius ejusdemque corporis sanguinisque Christi spirituali, quæ per fidem fit, communione, sacrosanctum illud suum inviolabileque fœdus, quo & cum Deo & inter se sunt conjuncti, ipsius Christi pretiosissimo sanguine percussum, testari sanctè religioseque solent. Et quænam sanctior, religiosior, augustior fœderis, amicitiæ charitatisque nostræ, qua cum Deo & nobiscum invicem conjuncti sumus, attestatio sanctiòve dici aut excogitari posset? Unde apparet quàm diro inexpiabilique perfidiæ crimine sese obstringant omnes ii, qui datam hanc publicè in sacrosancto illo convivio Deo hominibusque fidem impiè nefarieque frangunt, & cùm ipsum Deum scelerata flagitiosaque vivendi consuetudine, tum homines quosvis quavis data & oblata occasione injuriis violandi, odia, contentiones, inimicitias excitandi, ac pacem concordiamque cùm publicam, tum privatam perturbandi, nullum finem faciunt. Quod si Christiani ea, qua par erat, reverentia assiduè sacrosanctum illud epulum animis suis revolverent, non tot tantisque odiis & inimicitiis mutuis flagrarent, & fœdera, pacem, amicitiam, fidem concordiamque mutuam, etiamsi nulla alia juramenta sanctionesque intercederent, sanctissimè religiosissimeque observarent atque colerent.

Conviviorum in fœderibus atque contractibus quibusvis abusus.

Etsi autem illa quoque, de quibus suprà dictum est, prophana convivia atque epulæ, quæ ut olim, ita hodie quoque quibusvis fœderibus pactisque sanciendis ac confirmandis adhiberi solent, minimè sunt reprehendendæ, si moderatæ sint atque frugales: tamen culpanda vehementer & improbanda est luxuria atque temulentia, quæ in illis plerumque exerceri solet, qua fit ut ad infirmanda potiùs, quàm confirmanda pacta atque fœdera valeant. Interea igitur dum fœdera homines contrahere secum invicem cogitant, Dei fœdus legemque violant, & cum Baccho atque Cerere, hoc est, cum ipsis dæmonibus fœda feraliaque fœdera immanissimis illis suis compotationibus atque helluationibus feriunt, & corpora animosque suos turpissimè fœdant.

Jam verò quid dicam de crebris illis immoderatisque compotatiunculis, quæ apud Germanos quibusvis vel minimis levissimisque pactis atque contractibus adjungi solent, quibus, ut experientia quotidiana docet, plus sæpe pecuniæ absumitur, quàm quanti res illa, de qua contractus fuit initus, constiterit? Ut nihil dicam de rixis, jurgiis, dimicationibus atque fraudibus, quibus pacta, quæ satis firma videbantur esse atque rata, inter immania illa pocula rursus vel omnino rescinduntur, vel infirmantur, ac in dubium revocantur: indeque forenses lites, controversiæ, mulctæ, omnis denique generis damna consequuntur. Quàm multa quoque sæpe inter ipsas compotationes iniqua, injusta illegitimaque pacta contractusque fiunt, dum astuti quidam fraudulentique homines alios, qui simpliciores sunt, compotatiuncularum hujusmodi occasione circumscribere ac circumvenire, & amicitiæ specie atque simulatione bonis fortunisque suis spoliare conantur? Testantur id fora atque judicia, in quibus plurima quotidie hujusmodi pacta atque contractus inter scyphos initi, tandem cum maximo utriusque partis dedecore atque damno tractari disceptarique consueverunt.

Denique ut homines ad honesta legitimaque fœdera atque conventa sancienda, honestis moderatisque symposiis uti solent, & etiam possunt salvo officio atque religione: ita contrà homines athei & Epicurei sæpenumerò inter immanes suas epulas, postquam vino nimio obruti, omnem ferè mentis rationisque usum amiserunt, sese invicem impiis nefariisque contra Deum, religionem, patriam omnemque honestatem pactis fœderibusque obstringunt, unde maxima mala atque damna nascuntur. Atque hæc quidem de illo conviviorum genere, quæ in fœderibus atque contractibus adhibentur, illorumque abusu satis sint dicta.

CAPUT

CAPUT XXXI.

QVINTA CONVIVIORVM DIVISIO IN PVBLICA, ET PRIVATA. CONVIVIORVM PVBLICORVM NOMINA. DE SYSSITIORVM QVOTIDIANORVM FINE. DE ITALORVM, CRETENSIVM, LACEDAEMONIORVM, CARTHAGINENSIVM, ATHENIENSIVM SYSSITIIS. DE ATHENIENSIVM PRYTANEO, ROMANORVM COLLEGIIS ET SODALITATIBVS, PYTHAGOREORVM CONVICTV. DE CHRISTIANORVM ECCLESIAE APOSTOLICAE COMMVNIONE VICTVS. DE GERMANORVM, HELVETIORVM, ARGENTINENSIVM, SCHOLASTICORVM, GYMNOSOPHISTARVM INDORVM VETERVM SYSSITIIS.

Convivia porrò non incommodè hoc quoque modo videntur poſſe dividi, ut alia dicantur publica, alia privata.

Publica convivia videntur illa eſſe, quæ vel ab univerſo populo, ſive civitate, vel certa illius parte in publicis locis, ſive ſacra illa ſint, ſive prophana, cùm ſymbolis collatis, tum ex ærario publico, cum unius pluriumve liberalitate atque magnificentia agitari conſueverunt. Hæc a Græcis ἑστιάσεις ſeu δεῖπνα δημόσια, & δημοτικὰ, hoc eſt, *publicæ, ſive populares cœnæ*, necnon δημοθοινίαι, πανδαισίαι, εὐωχίαι, θαλίαι, συσσίτια, teſte Polluce, & Cælio Rhodig. appellantur. Addit Pollux, σιτίσεις quoque non incommodè forſan eaſdem poſſe dici. Athenæus ſub initium lib. 5. δεῖπνα φυλετικὰ, & φρατρικὰ, ſive, ut alii legunt, φατρικὰ, hoc eſt, *tribulia atque curialia*, necnon θιάσους, & ὀργεωνικὰ (de quibus ſuo loco pluribus) inter publica videtur recenſere, quæ quidem omnia ad conviviorum privatorum, quæ inter amicos privatim fiunt, imitationem a legislatoribus dicit fuiſſe inſtituta. Latini convivium publicum, quod in propatulo exhibetur, proprie *epulum* vocant, veteres *epulam* quoque dixere in ſingulari numero. Paulus l. 22. *D. de Legat. & Fideicom.* lib. 30. epulum *convivium plebi datum* eſſe dicit.

Publica convivia. Nomina Græca conviviorum publicorum. Epulum, ſive epula.

Publica porrò ſive popularia hujuſmodi convivia rurſus ſunt duplicia. Alia enim ſunt, quæ quibuſdam tantùm temporibus atque feſtivitatibus ſive ſacris, ſive prophanis, ſive ſolennibus, ſtatis atque ordinariis, ſive extraordinariis cùm ab univerſo populo, ſive civitate, tum certa illius parte agitantur, de quibus partim jam dictum eſt, partim plura dicentur. Alia verò ſunt quotidiana atque perpetua, quæ vel ab univerſo populo atque civitate in certas partes (cujuſmodi fuerunt Græcorum ἑταιρεῖαι, φυλαὶ, atque φρατρίαι, Latinorum quæ illis reſponderunt, *collegia, ſodalitates, tribus, atque curiæ*) diviſo: vel ab una aliqua illarum partium quotidie celebrari conſueverunt.

Publica convivia duplicia.

Ac legislatores quidem ſapientiſſimi olim publica hujusmodi & quotidiana convivia, συσσίτια Græcis vulgò dicta, inſtituerunt, quò faciliùs cives omnes in officio, in parſimoniæ frugalitatisque ſtudio, ac in primis in mutuo amore, benevolentia concordiaque continerent. Hinc Plato in illa ſua, quam ſibi finxit, optima Repub. cùm bonorum omnium, tum victus quoque communionem quotidianam inſtituit. Is in lib. 5. de Legibus, καθ' ἑκάστους, inquit, τόπους δεῖ εἶναι συσσίτια, ἐν οἷς κοινῇ τὴν δίαιταν ποιητέον ἅπασιν, hoc eſt, *ſingulis in locis oportet eſſe ſyſsitia, in quibus ſimul eſt omnibus convivandum.* Ariſtoteles illam Platonicam quidem bonorum omnium atque uxorum communionem ceu abſurdam, & a ratione alienam, ac diſcordiarum potius, quàm concordiæ effectricem pluribus argumentis in Politicis ſuis refellit atque refutat, ac docet uſum, non poſſeſſionem bonorum debere eſſe communem, operamque dandam, ne quis civium victu indigeat. Idem tamen περὶ συσσιτίων, inquit, συνδοκεῖ πᾶσι χρήσιμον εἶναι ταῖς εὖ κατεσκευασμέναις πόλεσιν ὑπάρχειν, hoc eſt, *ſyſsitia communi omnium conſenſu bene conſtitutis civitatibus videntur eſſe conducibilia.* Et eodem in libro, δεῖ τὸ μὲν πλῆθος τῶν πολιτῶν ἐν συσσιτίοις κατανενεμῆσθαι, hoc eſt, *multitudinem oportet in ſyſsitia ſive ſodalitates eſſe diſtributam.*

Syſſitia cur a legislatoribus inſtituta. Plato quoque in ficta ſua Rep. victus communionem inſtituit. Lib. 7. Polit. Ariſtoteles quoque ſyſſitia approbat.

Nec verò utilem ſolùm, verùm etiam antiquam eſſe τὴν συσσιτίων τάξιν, Ariſtoteles probat, quorum omnium antiquiſſima vult fuiſſe Italica, a quibus reliquorum populorum ſyſſitia fuerint deducta. Ferunt enim Italum quendam nomine, regem fuiſſe Oenotriæ (a quo poſtea Itali dicti ſint, qui prius Oenotrii vocati fuerint) ac ab illo littus Europæ, quod intra Scylleticum, & Lameticum ſinum eſt, Italiæ nomen accepiſſe. Hic Italus Oenotrios, qui antea Nomades atque paſtores erant, agricolas effecit, ac inter cæteras leges etiam ſyſſitia illis conſtituit: unde etiam nunc ſyſſitiis atque legibus nonnullis ab illo latis utuntur.

Syſſitiorum antiquitas. Syſſitia Italica Ariſtot. lib. 7. Polit. cap. 10.

Poſt Italica antiquiſſima vult fuiſſe Cretenſium ſyſſitia a Minoe illorum legislatore inſtituta, quæ quidem illi ἄνδρια appellarunt, de quibus ſic Doſiadas lib. 4. *Rerum Cretenſium* ſcripſit, teſte Athenæo lib. 4. *Lyctii* (Lyctus urbs fuit Cretæ, edito in loco ſita, unde & Lython quidam appellarunt, teſte Stephano de Urbibus, & Strabone lib. 10.) *ſic* τὰ κοινὰ συσσίτια συνάγουσι, hoc eſt, *communia convivia celebrant. Singuli decimam partem fructuum naſcentium conferunt* εἰς τὴν ἑταιρείαν, hoc eſt, *ſodalitatem*, ſive *collegium*, *& ad civitatis*

Cretenſium ἄνδρια.

σπεσόδους, id est, *ingressum* (forsan vel *reditus*, vel *conventum* meliùs verteris) *quas civitatis præsides postea in singulorum domos distribuunt. Divisi autem sunt cives omnes in* ἑταιρείας, hoc est, *sodalitates, sive collegia, & syssitii quidem curam gerit mulier, quæ tres quatuorve ex popularibus in ministerium sibi assumit, quorum singulos duo sequuntur servi ligna ferentes, quos* καλοφόρους *appellant. Sunt autem ubique in Creta binæ domus syssitiis destinatæ, quarum unam quidem* ἀνδρεῖον, *alteram verò, in qua hospites dormire solent,* κοιμητήριον, quasi dicas, *dormitorium, appellant. In domo autem, in qua convivantur, quæ primæ ponuntur mensæ* ξενικαὶ, *hoc est, hospitales, dictæ, ad quas peregrini sive hospites, qui adsunt, accumbere solent, deinde mensæ collocantur aliorum. Æqua singulis præsentibus portio apponitur, at junioribus dimidium tantùm carnis apponitur, qui nihil præterea ex aliis attingunt. Poculum deinde singulis in mensis aqueo humore mistum adponitur, ex quo communiter omnes bibunt, qui communi mensa utuntur, ac post cœnam aliud quoque apponitur. Omnibus* (πᾶσι, quidam παισὶν, id est, *pueris*, legunt) *communis miscetur crater, senioribus autem plus, si voluerint, bibendi potestas est permissa. Mulier* προεστηκυῖα τῆς συσσιτίας, *quæ convivationi publicæ est proposita, optima ac delicatissima eorum, quæ fuerunt apposita, ex mensa palàm aufert, & iis, qui vel bellica virtute, vel rerum prudentia excellunt, apponit. Post cœnam de rebus publicis primùm consultare solent, deinde rerum in bello gestarum mentionem faciunt, eosque qui viri & boni & fortes extiterunt, summis laudibus efferunt, juvenesque ad probitatis atque fortitudinis studium exstimulant.* Hæc Dosiadas de Cretensium syssitiis.

Pyrgionis testimonium de Cretensium syssitiis.

De iisdem Pyrgion quoque lib. 3. νομίμων, id est, *legitimorum* Cretensium, hæc teste Athenæo scripta reliquit: *Cretenses sedentes cibum aptè atque decenter capiunt, cùm quia orphanis* ἀβαμβάκευστα, *non cocta in furno apponuntur, tum quia his juniores stantes ministrant, tum quia cum laudibus facta Diis libatione, omnibus ea, quæ fuerunt apposita, distribuunt. Dant autem filiis, qui juxta patrum sedilia assident, dimidiam ejus partem, quod viris est appositum. At verò ut orphani æquam portionem sortiantur, apponuntur* ἀβαμβάκευστα, hoc est, *non in furno cocta, justa mistione singulorum legitimorum. Aderant & sellæ peregrinæ, sive hospitales, & mensa tertia, quæ a dextra occurrebat ingredientibus* ἀνδρεῖα, *quam Jovis xenii, & xeniam, hoc est, hospitalem, mensam appellarunt.* Hæc duo illi historici Dosiadas atque Pyrgion, teste Athenæo, de Cretensium antiquis syssitiis litteris memoriæque prodiderunt.

Spartanorum syssitia.

A Cretensibus porrò ad Spartanos syssitiorum hujusmodi consuetudinem promanasse inde vult colligi posse Aristot. lib. 2. Polit. cap. 8. quod Spartani antiquitus illa non φιδίτια, sed ἄνδρια (qua voce sua, uti dictum est, syssitia Cretenses olim insignierunt) appellarint. Idem Strabo quoque testatur lib. 10. Spartani igitur sua illa syssitia antiquitus voce Cretica *Andria* nominarunt, postea φιδίτια, cujus quidem posterioris appellationis a Plutarcho in vita Lycurgi triplex affertur notatio.

Phiditia unde dicta.

Syssitia, inquit, *Cretenses Andria, Lacedæmonii* φιδίτια *nominant, vel quòd amicitiam & benevolentiam concilient, quasi* φιλίτια ἀπὸ τῆς φιλίας καὶ φιλοφροσύνης, λ *in* δ *commutato*: (unde Dionys. Halicar. lib. 2. illa non φιδίτια sed φιλίτια vocat, nisi sit mendum) *vel quod ad frugalitatem & ad parsimoniam assuefaciant, a dictione* φειδῶ *deducentes: vel etiam priori diphthongo aliunde adjecta, ut nonnulli volunt, quasi* ἐδίτια a diæta, & ἐδωδῇ, id est, *esu fuerunt appellata.*

Phiditiorum auctor Lycurgus.

Hæc autem a Lycurgo, ut testis est Plutarchus in ejus vita, & in Laconicis institutis, nec non Strabo lib. 10. & Aristot. in Politicis, Athenæus lib. 4. primùm fuerunt Lacedæmone instituta, partim ad mutuam civium amicitiam atque benevolentiam tuendam atque fovendam, partim ad illos frugalitati atque temperantiæ assuefaciendum, quorum rationem hoc modo Plutarchus describit.

Syssitiorum apud Lacedæmonios ratio.

Quò magis, inquit, *luxuriam reprimeret, & divitiarum æmulationem tolleret, tertium hoc & quidem pulcherrimum Syssitiorum institutum excogitavit. Voluit namque simul omnes in publico communibus, & præscriptis obsoniis atque cibis vesci, non autem domi cibum capere, & in lectis atque ad mensas sumptuosas accumbentes, voracium instar pecudum semetipsos saginare, atque ita simul cum corporibus animos moresque simul emollire atque corrumpere. Deinde hac victus communione atque frugalitate effecit*, ut πλοῦτος ἄσυλος, *seu potius* ἄζηλος, *ut Theophrastus loquitur*, καὶ ἄπλουτος *efficeretur, hoc est, divitiæ & opes non modò a rapinis tutæ essent atque liberæ, verumetiam despectæ ac contemptibiles haberentur cùm illarum usu ac ostentatione sublata ad unam eandemque mensam pauper simul atque dives convenirent. Quamobrem cæcus in sola hac civitate Plutus, juxta illud Proverbium: Cæcus jacuit, picturæ instar inanimus, & immotus. Neque enim licebat sumpta prius domi cœna repletos ad syssitia illa accedere, cùm cæteri illum, qui non secum edisset atque bibisset acriter observarent, ac illum ceu intemperantem, & communis illius diætæ impatientem, malè mulctarent. Itaque hoc instituto Lycurgus sibi maximum divitum odium invidiamque conciliavit, & in vitæ discrimen fuit adductus altero amisso oculo, quem illi fugienti quidam Alexander nomine baculo excussit. Cœtus erant quinûm denûm, aut aliquantò his pauciorum vel plurium. Singuli convictorum conferebant unoquoque mense farinæ medimnum, vini congios octonos, casei quinas libras, ficuum binas libras, & selibras: præterea ad esculenta parum admodum pecuniæ conferebant. Adhac qui sacrificaverat primitias, vel qui venatus erat, mittebat portionem ad convivium: nam ei qui sacrificasset, vel venatus esset, liberum erat domi cœnare, reliqui adesse cogebantur.*

Hanc conviviorum consuetudinem diu mordicus retinuerunt. Quamobrem cum rex Agis ex bello, quo Athenienses devicerat, reversus domi apud uxorem cœnare vellet, portionem postulanti non miserunt Polemarchi: cui, quia postridie solennia sacra offensus non fecit, mulctam dixere. Syssitia illa pueri quoque frequentabant veluti gymnasia temperantiæ omnisque civilis disciplinæ, assuescere ibi urbanis sermonibus, jocarique comiter, ac sine scurrilitate cavillari atque aliorum cavilla sine offensione excipere. Videbatur enim in primis Laconicum cavillum posse sustinere, impatienti autem licebat deprecari, cui parcebatur. Ut quisque intrabat, natu maximus commonstratis foribus, His, inquit, verba non egrediantur. Qui admitti desyderabant ad convivium, hoc modo probari ajunt solitos. Quisque convictor frustillum pastilli manu tenebat, id in vas, quod ferebat in capite minister, tacitus ut calculum jaciebat: qui probaret, simpliciter, qui reprobaret, manu valde compressum. Nam compressum perforati calculi vim

habe-

habebat, nec ſi unum tale reperiſſent, recipiebant adventitium, volebant enim ut epularentur inter ſe læti. Eum qui ita erat rejectus, κεκαδδίσθαι *dicebant,* καδδὸς *enim vas nominabant, in quod fruſta illa conjiciebant. Inter pulmenta prima laus erat juri nigro, ita ut neque carnes majores natu peterent. Fama eſt quendam regem Ponti* (Plut. in Lacon. inſtitutis Dionyſium Siciliæ tyrannum nominat) *hujus juris gratia coquum Laconicum comparaſſe, ac illi juſſiſſe, ut nulli parcens impendio jus illud coqueret, coctum autem cum guſtaſſet indignatum expuiſſe, tumque ei cocum dixiſſe, Hoc jus parandum rex eſt iis, qui in Eurota lavarunt. Poſtquam verò mediocriter biberunt, ſine face domum ſe recipiunt. Non enim iis permittitur tunc, neque etiam aliás ad lumen quoquo verſus incedere, quò aſſueſcant noctu ac in tenebris confidenter, & intrepidè ambulare.* Hæc Plutarchus de Laconicis ſyſſitiis, in vita Lycurgi, necnon in libro de Lacon. Apophthegmat. & inſtitutis.

De eorundem origine & uſu præclarè eleganterque Dionyſ. Halicar. lib. 2. Antiquitatum, hunc in modum diſſerit. Nam de Curiarum ſingularum & ſacris, & epulis communibus a Romulo inſtitutis, verba faciens, τοῦτο τὸ πολίτευμα, inquit, δοκεῖ μοι λαβεῖν ἐκ τῆς λακεδαιμονίων ἀγωγῆς περὶ τὰ φιλίτια κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐπιχωριαζούσης, ὃν Λυκοῦργος εἰσηγήσασθαι δοκεῖ παρὰ κρητῶν μαθὼν, καὶ μεγάλα τὴν πόλιν ὠφελῆσαι, ἐν εἰρήνῃ μὲν εἰς εὐτέλειαν ἀνάγων τοὺς βίους, καὶ σωφροσύνην τῆς καθ' ἡμέραν διαίτης, ἐν πολέμῳ δ' εἰς αἰδῶ, καὶ πρόνοιαν καταστήσας ἕκαστον τοῦ μὴ καταλιπεῖν τὸν παραστάτην, ᾧ καὶ συνεστίαζε, καὶ συνέθυε, καὶ κοινῶν ἱερῶν μετεῖχεν, hoc eſt, *Hoc inſtitutum mihi videtur deſumpſiſſe a Lacedamoniis Philitia ſua* (nota Philitia dici, quæ Phiditia vulgò nominabantur) *ex more frequentantibus, quem Lycurgus a Cretenſibus* (idem Ariſtot. viſum fuit) *mutuatus videtur, magno ſuæ civitatis commodo. Nam hoc pacto cives pacis tempore ad frugalem vitam, & moderatum victum inſtituit, in militia verò pudorem eis ingeſſit, ne quis manipularem ſuum deſereret eorundem libaminum atque ſacrorum ſocium.* De iiſdem Athenæus lib. 4. ex Dicæarchi libro, qui *Tripoliticus* fuit inſcriptus, hoc habet: *Cœna primum ſeorſim unicuique fuit appoſita, quæ nihil cum alio habebat commune, poſtea & placenta, quantam quiſque volebat, & potus, quoties cuique lubebat, datus fuit. Obſonium autem omnibus unum & idem erat caro ſuilla elixa, aliquando autem exiguum præterea aliquid obſonii, ac præter id nihil aliud niſi jus, aut forſan etiam oliva aliqua, vel caſeus, aut ficus. Conferunt autem ſinguli in Phiditia farinæ tres ſemimedimnos Atticos, vini autem choas undecim, vel duodecim, libram inſuper caſei, & ficuum, in obſonium obulos circiter decem Æginæos.* Quomodo autem hæc phiditiorum antiqua frugalitas atque tenuitas tandem in luxum paulatim atque delitias deſierit, pluribus ibidem explicat.

Dionyſ. Halic. de origine & uſu Syſſitiorum. Φιδίτια ſcribitur.

Præter Phiditia autem duo præterea fuerunt Laconicarum cœnarum genera, quorum unum Κοπὶς, alterum αἶκλον dictum fuit, quæ pluribus ab Athenæo deſcribuntur.

Κοπὶς, teſte Molpi in lib. *de Lacedæm. politia*, cœna fuit maza, pane, carne, olere crudo, jure, ficubus ſiccis, bellario atque lupino conſtans, ut eſt apud Athen. lib. 4. In copidibus capras mactari, nec aliud præterea ſacrum animal, adhæc carnes unà cum appellato *phyſicillo* diſtribui ſolitas fuiſſe, Athenæus Polemonis teſtimonio confirmat. Erat autem phyſicillus panis ἐγκρίδι, id eſt, bellario ex oleo melleque confecto perſimilis, forma tamen magis rotundus. Copidas in Tithenidiorum feſto, de quo ſuprà, agitari fuiſſe ſolitas, ibidem Athenæus teſtatur. Hinc κοπίζειν idem quod κοπίδας ἄγειν, hoc eſt, *copidas celebrare.* Vide Athen. lib. 2. & 4. & Cæl. lib. 27. cap. 25. Videntur autem dictæ ἀπὸ τοῦ κόπου, id eſt, *labore*, quo ſe ante exercere ſolebant. Copis. Phyſicillus quid.

Αἶκλον a Lacedæmoniis necnon a Dorienſibus omnibus δεῖπνον, id eſt, *cœnam*, fuiſſe appellatum, Polemon teſtatur, ut eſt apud Athen. lib. 4. unde & συναικλείας vocarunt τὰ συνδείπνια· ἐπαίκλα erant τὰ μετὰ τὸ δεῖπνον τραγήματα, ſive ἐπιχορηγήματα τοῦ συντεταγμένου τοῖς φειδίταις αἴκλου. Horum epæclorum duplicem fuiſſe apud Lacedæmonas apparatum Athen. ibidem docet: verùm de his ſuo in loco, ubi de ſecundis menſis atque bellariis agitur. Acelon.

Phiditiorum autem Cicero quoque luculentam mentionem facit lib. 6. *Tuſcul. quæſt.* hiſce verbis, *Quid*, inquit, *victum Lacedæmoniorum in phiditiis nónne videmus? Ubi cum tyrannus cœnaviſſet Dionyſius, negavit ſe jure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum: tum is qui illa coxerat, Minimè mirum, inquit, condimenta enim defuerunt. Quæ tandem? inquit ille, labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota, fames, ſitis. His enim rebus Lacedæmoniorum condiuntur epulæ.* Quanquam hæc fabula aliter a Plutarcho narratur, uti ſuprà explicatum eſt. Ariſtoteles lib. 2. cap. 7. hæc Lacedæmoniorum Phiditia reprehendit, iiſque Cretenſium ſyſſitia ſive andria anteponit. Nam apud Laconas quilibet viritim conſtitutam partem conferre cogebatur, aut a Repub. prohibebatur. Quamobrem multi pauperes, quibus auguſta nimis erat res familiaris, a politiæ communione repellebantur, id quod erat contra legiſlatoris inſtitutum atque propoſitum, qui convivia hujuſmodi volebat eſſe democratica, ad cives tantò arctiore amoris vinculo inter ſe conſtringendum. Verùm apud Cretenſes ratio erat communior. Nam ex proventu fructuum & pecorum, ex vectigalibus publicis, & tributis, quæ Periæci conferebant, una pars ad res divinas, & publica munera deſtinata erat: altera tribuebatur ſyſſitiis, ita ut ex publico omnes & mulieres, & viri, & pueri alerentur. Cicero in Oratione pro Muræna, ſimul & Laconicæ & Creticæ diætæ auſteritatem, his verbis perſtringit, *Neque tamen Lacedæmonii authores iſtius vitæ atque orationis* (auſteræ) *qui quotidianis epulis* (ſic Phiditia appellat) *accumbunt, neque verò Cretes, quorum nemo guſtavit unquam cubans* (nam ut Athenæus inquit lib. 4. ex Pyrgione, ἐν συσσιτίοις καθήμενοι δειπνοῦσι) *meliùs, quàm Romani homines, qui tempora voluptatis laboriſque diſpertiunt, Reſpub. ſuas retinuerunt, quorum alteri uno adventu exercitus noſtri deleti ſunt, alteri noſtri imperii præſidio diſciplinam ſuam legeſque conſervant.*

Phiditiorum a Cic. fit mentio. Ariſtot. Lacedæmoniorum phiditia perſtringit. Cic. de Lacedæmon. & Cretenſium ſyſſitiis.

Celebria quoque fuerunt Carthaginenſium ſodalitatum & collegiorum ſyſſitia, quæ Ariſtoteles in Politicis, Carthaginenſium ſyſſitia.

P 4

ticis, Laconicorum phiditiorum simillima fuisse testatur. Idem tres hasce politias, Cretensem, Laconicam & Carthaginensem valde inter se similes fuisse, & cæteris longè præstitisse affirmat.

Atheniensium syssitia. Convivia Prytanensia. Apud Athenienses quoque publica hujusmodi quotidianaque convivia (de quibus Scaligerum vide *de emendatione temporum*) in usu fuerunt, quorum alia politica fuerunt, alia sacra. Politica, cujusmodi fuerunt illæ quotidianæ Prytanensium senatorum, necnon aliorum quorundam epulæ in Prytaneo, quarum crebra apud authores fit mentio, de quibus antequam dicam, operæpretium propositoque nostro admodum erit conveniens, de senatus illius Prytanensis ratione quædam præmittere. Ac duplex omnino fuit Atheniensium senatus, unus Areopagiticus sine certo senatorum numero perpetuus, alter Prytanensis quingenarius, seu quingentorum virorum senatus (βȣλὴ πεντακοσίων) vulgò dictus, qui quidem in decem classes quinquagenarias, seu quingentorum virorum fuit divisus. Universus namque populus Atheniensis in decem φυλὰς, hoc est, *tribus*, distributus fuit, id quod cùm multis aliis ex locis, tum perspicuè ex illis Herodoti verbis lib. 4. colligi potest, μετὰ δὲ τετραφύλȣς ἐόντας ἀθηναίȣς δεκαφύλȣς ἐποίησε. Hoc est, Clistenes (de quo ibi loquitur) *Athenienses cum priùs fuissent quatuor tribuum, fecit 10. tribuum.* Tandem duabus additis, duodecim extitisse Pollux testatur lib. 8. Sect. 452. Singulæ autem hæ tribus (ut Romanorum tribus, quæ tres ab initio fuerunt, in decem curias) in tres rursus partes fuerunt divisæ, quarum una τριττὺς (quod vocabulum Latino *tribus* respondet) secunda ἔθνος, tertia φατρία, sive φρατρία fuit appellata, teste Polluce: vel potiùs unaquæque illarum partium tribus illis nominibus fuit insignita, id quod ex illis Suidæ verbis colligitur, ἑκάστη δὲ φυλὴ πάλιν εἰς τρία διῄρητο. ὧν ἕκαστον μέρος, τριττὺς, καὶ φατρία ὠνομάζετο. Item, φασὶ δὲ τὸ αὐτὸ ἔθνος εἶναι τριττὺν, ἤτοι τὴν φρατρίαν, ἢ φρατορίαν, *Eadem autem gens, trittys, phratria, sive phratoria dicitur.* Idem etiam Pollux videtur innuere, cùm inquit, εἰς τρία μέρη ἑκάστη φυλὴ διῄρητο, καὶ τὸ μέρος τȣ̃το τριττὺς, ἔθνος, φρατρία vocabatur, id est, *In tres partes unaquæque tribus divisa erat, atque pars illa tertia* τριττὺς, ἔθνος, φρατρία vocabatur. Singulæ porrò decem illæ tribus successione quadam atque vicissitudine, quæ sortitò fiebat, per quinquaginta viros ex se delectos Rempublicam administrabant, idque 35. dierum spatio, & amplius postquam nimirum duodecim tribus effectæ sunt. Tribus itaque illa, cujus 50. viri erant in imperio (quod illi πρυτανεύειν appellabant) προεδρεύȣσα, & πρυτανεύȣσα, Senatores autem ipsi 50. πρυτάνεις, tempus denique 50. dierum & amplius, quo illorum imperium fuit definitum, πρυτανεία fuit appellatum, ut Suidas & Pollux testantur. Suidæ verba hæc sunt, πρυτάνεις τὸ δέκατον μέρος τῆς βȣλῆς τῶν πεντακοσίων· πεντήκοντα ἄνδρες ἀπὸ μιᾶς φυλῆς οἱ διοικȣ̃ντες ἅπαντα τὰ ὑπὸ τῆς βȣλῆς πραττόμενα· ἐπρυτάνευον δὲ ἐκ διαδοχῆς ἀλλήλαις αἱ δέκα φυλαὶ, κλήρῳ λαχȣ̃σαι.

Tribus πρυτανεύȣσα. προεδρεύȣσα. Senatores πρυτάνεις. πρυτανεία. Prytanensium ἐπιστάτης. πρόεδροι τῶν πρυτανέων.

Præterea 50. illi Senatores unum aliquem ex se sortiebantur principem, qui ἐπιστάτης τῶν πρυτανέων fuit dictus, qui quidem ærarii publici claves atque Reipublicæ sigillum custodiebat, unius tantùm diei munere fungens. Hic verò Prytanensium ἐπιστάτης ex unaquaque novem reliquarum tribuum, quæ non in imperio erant, unum aliquem sortiebatur, qui simul omnes novem numero πρόεδροι τῶν πρυτανέων dicebantur, quoniam προεδρεύȣσι τῶν ἄλλων ἁπάντων, ut Suidas inquit, hoc est, *primùm in sedendo locum occupabant, qui septenos dies imperabant, & ex his ipsis novem proedris unum aliquem ἐπιστάτην sortiebantur, qui dabat operam, ut omnia secundum legem fierent, & judices de omnibus rectè edocerentur. Itaque duo erant ἐπιστάται, unus qui ex Prytanensibus, alter qui ex proedris ab illo Prytanensium epistate sorte eligebatur.* Hæc Suid.

Prytanensium senatorum convivia. Tholus. Prytanenses igitur hi senatores, penes quos summa Reip. judiciorumque erat potestas, singulis diebus in Prytaneo simul convivari solebant, in domo quadam rotunda, quæ θόλος fuit appellata. Suidas, θόλος ὁ τόπος ἔνθα ἐδείπνȣν οἱ πρυτάνεις διὰ τὸ οἰκοδομεῖσθαι αὐτὸν στρογγύλον· & Pollux, θόλος ἐν ᾗ συνεδείπνȣν ἑκάστης ἡμέρας πεντήκοντα τῆς τῶν πεντακοσίων βȣλῆς πρυτανεύȣσα φυλὴ, hoc est, *Tholus est locus, seu ædificium rotundum, in quo singulis diebus Prytanenses illi 50. senatores simul cœnabant.* Nec verò Prytanenses tantùm hos senatores, verùm etiam alios quosdam in Prytaneo quotidie epulari solitos fuisse ex multorum scriptis constat. Πρυτανεῖον, inquit Pollux, καὶ ἑστία τῆς πόλεως παρ' ᾗ ἐσιτȣ̃ντο οἵτε κατὰ δημοσίαν πρεσβείαν ἥκοντες, καὶ οἱ διὰ πρᾶξίν τινα σιτήσεως ἀξιωθέντες, καὶ εἴ τις ἐκ τιμῆς ἀείσιτος ἦν. Et Suidas, Πρυτανεῖον, θεσμοθέτιον, θόλος. Παρὰ δὲ τοῖς ἀθηναίοις οἰκίσκος δημόσιος ἔνθα ἐσιτοῦντο δημοσίᾳ τῆς τοιαύτης τιμῆς παρ' αὐτοῖς τυχόντες. Περισπȣ́δαστον δὲ ἦν τῆς τοιαύτης δωρεᾶς τυχεῖν· ἐπὶ γὰρ μεγάλοις κατορθώμασι τὴν τοιαύτην ἀπεδίδοντο χάριν· ἢ πυρὸς ταμεῖον, ἔνθα ἦν ἄσβεστον πῦρ. Hinc Cic. lib. 1. de Orat. *Socrates*, inquit, *in judicio interrogatus, quam quasi æstimationem commeruisse se maximè confiteretur: respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus, & præmiis decoraretur, & ut ei victus quotidianus in Prytaneo publicè præberetur, qui honos apud Græcos maximus haberetur.*

Prytaneum quid & quinam quotidie in illo epulari fuerint soliti. Hinc *Prytanei digna alimentis*, Cælius libro 3. cap. 32. existimat dici proverbialiter posse, quæ cum virtute sunt perpetrata. Aristophanis Scholiastes in *Pace* Lamponis testimonio probat, ὅτι χρησμόλογοι μετεῖχον τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως, id est, *oraculorum interpretes victus illius Prytanensis fuisse participes.* Aristoteles in libro *de Mundo* celebris hujusce in Prytaneo convictus luculentam mentionem facit, ubi diversas civium in eadem urbe uni legi, seu imperio ac potestati legitimæ parentium, actiones atque munia hisce verbis eleganter sanè describit: Ἑπόμενοι γὰρ αὐτῷ (νόμῳ) δηλονότι ἐξίασιν, ἄρχοντες μὲν ἐπὶ τὰ ἀρχεῖα, θεσμοθέται δὲ εἰς τὰ οἰκεῖα δικαστήρια, βȣλευταὶ δὲ καὶ ἐκκλησιασαὶ εἰς συνέδρια τὰ προσήκοντα, καὶ ὁ μέν τις εἰς τὸ πρυτανεῖον βαδίζει σιτησόμενος, ὁ δὲ πρὸς τȣ̀ς δικαστὰς ἀπολογισόμενος, ὁ δὲ εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀποθανȣ́μενος. γίνονται δὲ καὶ δημοθοινίαι νόμιμοι, καὶ πανηγύρεις ἐνιαύσιοι, θεῶν τε θυσίαι, καὶ ἡρώων θεραπεῖαι, καὶ χοαὶ κεκμηκότων· Hoc est, *Et cives quidem eam consectantes eique obtemperantes, in medium, seu in publicum prodeunt. Principes quidem ad prætorium se conferunt, Legislatores autem ad propria tribunalia: senatores denique atque concionatores ad consessus sibi contributos conveniunt. Rursus is in Prytaneum it, cui scilicet id datum est, in eo publico ut victu epuletur: alter rapitur ad judicium, causam ut ibi dicat: in carcerem alius compingitur, ut supplicio illic afficiatur. Tum verò epulones*

lones in civitate celebres ad epulas legitimas conveniunt. Jam verò aguntur dies festi, jam ludicra solennia jam anniversaria sacrificia fiunt divis, heroesque ritu suo coluntur: postremò inferiæ mortuis inferuntur. Prytaneum nonnulli dictum volunt, quòd in eo triticum (quod πυρὸν Græci vocant) servaretur, quasi πυρῦ ταμιεῖον, teste Cæl. lib. 13. cap. 32. Plutarchus 4. Symp. prob. 4. eleganter sanè scribit Cimonem Atheniensem liberalissimum domum suam fecisse πρυλανεῖον κοινὸν, hoc est, *publicum Prytaneum*, quoniam illos munificeque crebroque domi suæ epulo excipiebat, atque adeo domus illius omnibus patebat. Athenæus lib. 5. statim ab initio, συνεδείπνουν ὁσημέραι οἱ περὶ πρύτανιν σώφρονα, ἢ σωτήρια τῆ πόλεων σύνδειπνα, hoc est, *Cœnabant quotidie ii, qui in Prytaneo versabantur cœnas moderatas, ac civitatibus salutares*, ad quod symposium Demosthenes dixit Elatææ occupationem fuisse relatam: nam vesperi accessit quidam ad Prytanes Elatæam occupatam esse nuncians. Solon, ut idem testatur lib. 4. Prytanensibus illis convictoribus mazam, hoc est, placentam jussit dari, diebus autem festis panem insuper apponi, Homerum, ut ille vult, imitatus, qui optimatum apud Agamemnona convivium commemorans, φύρτο δ' ἄλφιτα, hoc est, *miscebatur autem farina*, inquit. Idem paulò antè dicit Athenienses, quando Dioscuris in Prytaneo prandium parabant, mensis imponere fuisse solitos caseum, φυστὴν (fuit placentæ species) olivas maturas, atque porros, antiqui victus memoriam revocantes. Plutarchus in vita Solonis hanc in publico epulandi consuetudinem proprium Solonis institutum fuisse scribit, quod ille παρασιτεῖν appellavit: addit etiam illum non permisisse eidem frequenter illic epulari, ei verò, qui illam epulandi licentiam sibi oblatam fuisset aspernatus, pœnam inflixisse, ratus illud quidem esse avaritiæ, hoc verò contemptus atque fastidii publicorum. Hæc de syssitiis Atheniensium politicis.

Prytaneum unde dictum.

Cimonis Atheniensis domus dicta est Prytaneum publicum civitatis.

Sed sacra quoque atque religiosa quædam apud illos fuerunt syssitia, cujusmodi fuerunt illa φρατρικὰ, hoc est, *Curialia*, & ὀργεωνικὰ, quorum Athenæus initio libri quinti meminit. Φρατρία autem (quæ etiam φατρία, ab Homero & Dionysio Halicarnass. φράτρη, a Suida & aliis φρατορία fuit dicta) pars tribus (unde etiam τριττὺς dicta est, uti supra est dictum) est quædam societas, sive sodalitas hominum iisdem sacris communiter utentium, qui quidem φρατριεῖς, φράτορες, φρατριστῆρες, & φρατριασταὶ fuerunt appellati, quos Cicero lib. 2. *de officiis, curiales* videtur vocare, dum Cimonem, teste Theophrasto, in suos Curiales Laciadas hospitalem fuisse scribit. Hinc & capra, quæ ab iis immolari consuevit teste Polluce, & ipse Juppiter apud Aristoph. φράτριος, id est, *Curialis*, fuit dictus, & locus ipse templumque, in quo sodales illi sacris suis operandi gratia convenire solebant, φράτριον, sive φάτριον fuit appellatum: & pueri, quorum nomina primùm ascribebantur curiæ, (id quod teste Suida die tertio Apaturiorum, κουρεῶτις dicto fieri consuevit) εἰς τοὺς φράτορας εἰσάγεσθαι, & ἐγγράφεσθαι, hoc est, *ascribi, & nomen profiteri inter Curules*, sive Curulium albo ascribi vulgò dicebantur: & parentes, qui filii nomen apud Phratoras, hoc est, Curiales, ascribi curabant, εἰσάγειν εἰς τοὺς φράτορας παῖδα, & ἐγγράφειν apud Demosthenem & alios dicuntur. Ipsam autem sodalitatem φατρίαν, sive φρατρίαν alii quidem, ut Orus apud Etymologum, & Suidas volunt dictam quasi πατριὰν, sive πατριωτικὴν, quod ejusdem essent familiæ, alii vero ἀπὸ τοῦ φρέατος, hoc est, *a puteo*, quòd uno quasi puteo uterentur, unde etiam pagum ἀπὸ τῆς πηγῆς (quem πάγα Dores vocant) hoc est, ob unius ejusdemque fontis usum volunt fuisse appellatum. Φρατρίαν *Curiam* Latinè possumus vertere, quoniam Dionysius Halicarnass. lib. I. comparans morem Romanorum Atheniensium instituto, *Tribum* quidem Græcè φυλὴν τριττὺν, *Curiam* autem φρατρίαν & λόχον, *tribunos plebis* φυλάρχους & τριττυάρχους, *Curiones* denique, hoc est, Curiarum præfectos φρατριάρχους ἢ λοχαγοὺς verti posse existimat. In hoc autem est dissimilitudo, quòd tribus Romanorum in decem Curias, quarum unaquæque rursus in decurias, quarum præpositi *Decuriones* fuerunt dicti, tribus autem Atheniensis in tres solum partes fuit distributa, quarum φρατρία una, aut etiam unaquæque diceretur.

Syssitia Atheniensium sacra.

φρατρία.

Capra φράτριος.

Juppiter φράτριος.

φράτριον.

φρατρία, sive φατρία unde dicta.

φρατρίαι Atheniensium respondent Curiis Romanorum.

Quemadmodum igitur apud Romanos ex Romuli instituto, & Græcorum imitatione, ut testis est Dionysius Halicarnassæus, singulæ Curiæ peculiaria sua habuerunt & sacra, quæ communiter ex publicis ærarii sumptibus fecerunt, *Curionia* sacra, teste Festo, dicta, (unde *Curionium æs*, eodem teste, quod dabatur Curioni ob sacerdotium Curionatus) quibus ipsi Curiones præfuerunt, & peculiares Deos atque dæmonas, quos coluerunt perpetuò, & convivia publica, quæ singulis diebus festis simul agitarunt, peculiares denique focos atque cœnacula (quæ singulis Curiis destinata & ipsa *Curiæ* fuerunt appellata) in quibus partim rei divinæ, partim epulis operam dederunt: sic apud Athenienses quoque (nam a Græcis hic mos Dionysio videtur ad Romanos promanasse) singulæ phratriæ communia quædam simul & sacra, & convivia (quæ Athenæus φρατρικὰ δεῖπνα appellat) obire consueverunt, incertis focis atque cœnaculis, quæ supra dixi *phatria*, sive *phratria* a Græcis appellari, quæ quidem a Dionysio πρυτανεῖα appellantur. Nam præter Atheniense illud omnium celeberrimum Prytaneum, omnia in genere loca atque ædificia publicis sacris epulisque destinata atque consecrata, πρυτανεῖα appellat, τά γε τοι καλούμενα πρυτανεῖα, inquit, παρ' αὐτοῖς (Ἕλλησι) ἐστὶν ἱερὰ, ἢ θεραπεύεται περὶ τῶν ἐχόντων μέγιστον ἐν τῇ πόλει κράτος. Hoc est, *In his enim Prytanea quæ vocantur sacra sunt, & ad summum magistratum cura eorum pertinet.* Ab his autem & Curialibus Romanorum, & Phratricis Atheniensium sodalitatibus, Perionio & aliis illæ Gallorum *Confrairies* (quod nomen a φρατρίας voce, cum qua soni similitudine omnino congruit, videtur derivatum) hoc est, opificum privatis sactis communiter utentium collegia atque sodalitates videntur promanasse.

Phratriarum Atheniensium cum Curiis Rom. comparatio.

Δεῖπνα φρατρικά.

Quemadmodum autem Curiæ Romanæ a Romulo rursus in decurias fuerunt distributæ, quarum unicuique suus præerat decurio, uti eum nominant, teste Dionys. Halicarnass. ita singulæ phratriæ Athenienses (quæ Curiis Romanis respondent) ut Suidas testatur, rursus divisæ fuerunt in triginta γένη, uti vocabant, hoc est, genera sive familias, quarum unaquæque triginta viris constabat, qui γεννηταὶ fuerunt dicti, hoc est, οἱ τοῦ αὐτοῦ γένους κοινωνοῦντες, sive οἱ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἢ πρώτου γένους τῆ τριάκοντα γενῶν, sive οἱ νόμῳ τινὶ ἔχοντες κοινωνίαν, inter-

Ut Curiæ Romanæ in Decurias, ita Phratriæ Athenienses in γένη fuerunt distributæ.

γεννηταί.

Ὁμογάλακτες. Ὀργεωνικὰ δεῖπνα. Ὀργεῶνες. Ὀργιάζειν quid & unde dictum.

interprete Suida, quos etiam ὁμογάλακτας antiquis fuisse appellatos, idem author Philochori testimonio probat. Habuerunt ergo γεννῆται quoque illi communia quædam & sacra, quæ Suidas ἱερὰ γεννικὰ vocat, & convivia, unde ὁμογάλακτες forsan, id est, *collectanei*, quasi ejusdem lactis participes fuerunt appellati.

Quoad δεῖπνα ὀργεωνικὰ, quorum similiter Athenæus meminit lib. 5. ὀργεῶνες quidem in genere omnes qui sacris reique divinæ præsunt, dicuntur οἱ ἐπὶ τιμῇ θεῶν, ἢ ἡρώων συνιόντες, interprete Suida, cum ὀργιάζειν, ut idem inquit, sit τὸ θύειν, καὶ τὰ νομιζόμενα δρᾶν, ἢ παρὰ τὸ ὀρέγειν τῷ χεῖρε· ἢ παρὰ τὰ ὄργια, (quæ alii ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est, furore, alii ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est, *montibus*, in quibus præcipuè celebrabantur, alii ἀπὸ τοῦ εἴργειν, id est, *arcendo*, quod a sacris prophani arceri debeant, dicta volunt) ἢ διὰ τὸ ἐν τοῖς ὀργάσι καὶ τοῖς ἄλσεσι δρᾶν, hoc est, *Qui ob deorum atque heroum honorem conveniebant* ab orgiis, hoc est, sacris mysteriis dicti, vel a verbo ὀργιάζειν, quod *sacrificare*, & *sacra instituere* significat, vel quia inter sacrificandum porrigant, & extendant ambas manus: vel denique quod in orgadibus, in terris alicui deo sacris, aut lucis rem divinam facerent, qui etiam ὀργιασταὶ fuerunt appellati. In specie autem ut ὄργια Bacchi sacra appellantur, ita ὀργεῶνες Bacchi sacerdotes, & ipsa cùm sacra, tum epulæ ab illis communiter celebrari solitæ, ὀργεωνικὰ ab Athenæo videntur dicta.

Δημοτικὰ δεῖπνα. Δῆμοι quid. Κῶμαι. Δημόται.

His adde δημοτικὰ δεῖπνα, quorum Athenæus meminit, καὶ ἱερὰ, id est, *sacra*, quorum Suidas mentionem facit, cum inquit, δημοτικὰ ἱερὰ διέφερον ἀλλήλων, καὶ τῶν ὀργεωνικῶν, καὶ τῶν γεννικῶν. Δήμους Athenienses vocabant τὰς περιοικίδας, id est, *conjuncta ædificia* vicina urbibus, vicos, sive pagos, quos Megarenses κώμας appellabant, teste Aristot. de poëtica, unde comœdiæ ab illis primùm, ut nonnulli volunt, inventæ nomen suum fuerunt sortitæ. Hinc δημόται qui ejusdem fuerunt pagi, sive vici, & ἐγγράφειν εἰς τοὺς δημότας apud Demosthenem in oratione contra Bœetum, *in paganorum numerum ascribere*, ex qua ipsa oratione constat apud Athenienses in nomine profitendo hunc fuisse servatum ordinem, ut primùm, Apaturiorum nimirum tertio die, in Curialium sive Phratorum numerum, deinde εἰς τοὺς δημότας, hoc est, paganorum numerum ascriberentur. Nam ut apud Romanos fuerunt tribus urbanæ, & rusticæ, ita φρατρίαι, & δῆμοι apud Athenienses. Δημόται ergo, ut ex his omnibus liquet, communia quædam & sacra, & symposia habuerunt, quæ δεῖπνα καὶ ἱερὰ δημοτικὰ a Suida, & Athenæo appellantur.

Philosophorum syssitia.

His porrò adhuc commemoratis Phratricis, Genicis, Orgeonicis atque Demoticis Atheniensium syssitiis, illa quoque philosophorum syssitia sunt annumeranda, de quibus sic Athenæus initio libri quinti disserit: *Sunt & aliæ*, inquit, *multæ philosophorum synodi, hoc est, conventus, atque symposia in civitate, ut Diogenistarum, Antipatristarum, & Panætiastarum, quæ publicis sumptibus eorum qui huic vel illi sectæ favebant, ejusque propagandæ studio tenebantur, agitari consueverunt. Legavit* Theophrastus *in ejusmodi conventum, non ut intemperanter agerent unà convivantes, sed ut moderatè eruditeque in symposiis disserere liceret. Curæ erat præterea ipsis philosophis, ut juvenes statuto quodam ordine ad convivium secum adducerent: nam & Xenocratis lex erat in Academia, & Aristotelis convivialia quædam instituta.*

Philosophorum conviviorum frugalitas & modestia.

Hujusmodi autem convivia cùm philosophicis disputationibus, tum frugaliter celebrari fuisse solita ibidem docet atque confirmat partim Antipatri, Arcesilai, Zenonis atque Socratis exemplo, quorum ille convivas de Sophismatis disserere jussit, hic voraces quosdam liberè reprehendit, partim quòd illa Lacedæmoniorum Phiditiis, atque Cretensium Andriis (quorum ibidem meminit) videtur comparare. Hæc eadem porrò convivia cùm in Academia, tum in Lycæo, quæ duo fuerunt celebria Athenis loca philosophicis disputationibus destinata, celebrari fuisse solita, idem testatur lib. 4. *Itaque cum quondam coquus ollam ad alium quendam usum in Academiam intulisset, omnes* τοὺς ἱεροποιοὺς, *id est, sacerdotes, fictile illud fregisse narrant, cùm ollam inferri ipsis a decoro alienißimum esse videretur. Adhæc cùm alius quidam in Lycæo carnem salsam in salsamento parasset, is tanquam improbè desiperet, loris cæsus fuit.* Ex his similiter cœnarum illarum frugalitatem colligere licet. Tametsi dubium hic videtur, an per duas has non admodum antiquas cœnas, quarum unam in Academia, alteram in Lycæo dicit celebrari fuisse solitam, illas philosophorum, an alias quasdam solennes & sacras cœnas intelligat. Atque hæc quidem de Atheniensium cùm politicis, tum sacris & philosophicis syssitiis sint dicta, de quorum in genere cœnis atque conviviis ob nimiam tenuitatem a poëtis irrideri solitis, vide plura apud Ath. lib. 4. cap. 3.

Loca hisce conviviis destinata.

Naucratitarum syssitia.

Apud Naucratitas quoque (Naucratis, teste Stephano, Ægypti fuit civitas a Milesiis condita, qui tum mari potiebantur, teste Strab. lib. 17.) cùm quotidiè, tum solennibus quibusdam festisque diebus cœnas in Prytaneo celebratas fuisse, testis est Athenæus lib. 4. Nam primò genethliis Vestæ Prytanidos atque Dionysiacis, necnon Apollinis Cumæi celebritate albis vestibus, quas *Prytanicas* nominabant, induti, sacrificia cœnasque in Prytaneo simul agitabant, quarum modum rationemque certis legibus cibisque definitam Athenæus ibidem describit: *Deinde verò cæteris diebus omnibus totius anni licebat unicuique eorum, qui in Prytaneo pascebantur, siquis in Prytaneum ad cœnam accedere vellet, etiam alios, quos illi libitum esset cibos* (id quod in paulò ante commemoratis festivitatibus prohibitum fuerat) *nec non vini cotylam domo secum afferre. Mulieri autem præterquam soli tibicinæ in Prytaneum ingredi, ac ne matulam quidem in illud inferre licitum fuerat.* Ex his ergo constat apud Naucratitas quoque publica quotidianaque hujusmodi syssitia in usu fuisse.

Collegia quid sint.

Illis porrò Græcorum syssitiis, de quibus adhuc dictum est, non ineptè Romanorum sodalitatum, sive collegiorum epulæ videntur comparari posse. Sunt autem collegia, sive sodalitia, sive sodalitates (nam hæc vocabula plerunque confunduntur, unde lege 1. Digest. *de colleg. collegia, sodalitia*, & simili forma a Dione lib. 38. collegia ἑταιρικὰ, id est, *sodalitia*, appellantur, & Cajus jurisconsultus sodales definit, *qui ejusdem sunt collegii, quam sodalitatem Græci* ἑταιρείαν *vocant:* lib. 4. Digest. *de colleg.*) certorum hominum eodem aliquo munere, officio, artificio, sive vitæ genere atque instituto utentium societas, cœtus atque coitiones, quæ

quæ a Græcis ἑταιρεῖαι, & in libris βασιλικῶν, ἑταιρικὰ συςήματα appellantur. Illa autem ſunt duplicia, alia quidem politica & prophana, alia verò ſacra & religioſa.

Collegia politica.

Politica atque prophana collegia ſunt, quæ ob civilem aliquem uſum ſunt inſtituta, cujuſmodi ſunt, exempli gratia, magiſtratuum atque judicum, mercatorum, militum, agricolarum, artificum denique atque opificum certam aliquam artem factitantium, ut piſtorum, fabrûm, naviculariorum & aliorum hujuſmodi collegia, quæ quidem poſterioris generis hominum collegia a Numa fuiſſe inſtituta Plutarch. in ejus vita, Valer. lib. 1. Plin. lib. 34. cap. 1. teſtantur, de quibus etiam Cicero in oratione *pro domo*, & in Sextiana mentionem facit.

Sacra collegia.

Sacra autem ſive religioſa collegia illa ſunt, quæ religionis ergò ſunt inſtituta, cujuſmodi fuerunt ſacerdotum atque augurum collegia, ſive ſodalitates, quæ quidem variæ fuerunt atque multiplices, quibus addi poſſunt doctorum, philoſophorum atque poëtarum collegia. Nec verò communibus tantùm gentium Diis, verùm etiam ſingulis Auguſtis, & imperatoribus ſuis, qui quidem a Senatu divinos habere honores meruerunt, certos ſacerdotes Romani ſacrarunt, qui perpetuò tali divo Auguſto ſacra facerent, qui quidem *ſodales* cognominati ſunt a nomine illius, cui dicabantur. Hinc *ſodales Auguſtales*, quos primos imperio conſtituto extitiſſe legimus, qui Juliæ genti, *Aureliani*, qui, teſte Julio Capitolino, Hadriano, *Antoniniani*, qui, eodem teſte, Antonino pio, *Helviani*, qui Helvio Pertinaci, *Alexandrini*, qui, ut teſtis eſt Lampridius, Severo Alexandro fuerunt conſecrati. Horum ſimilitudine hodie *ſodales* appellari poſſunt, quos vulgò *fratres* vocant, ut *ſodales Dominicales*, *ſodales Franciſcani*. Tale ſacerdotium olim Tatio regi a Romulo fuiſſe dedicatum, teſtis eſt Cornel. lib 18. Verùm de his vide plura apud Lazium lib. 3. *communis Reipub. Roma.* cap. 14. ubi ſodales antiquiſſimos nominat Titios a Titiis avibus, quas in auguriis obſervabant, dictos *ſecundos Diales, Quirinales, & Martiales: tertios Auguſtorum*, de quibus modo dictum eſt.

Romani ſuis imperatoribus certos ſacerdotes ſacrarunt. Sodales Auguſtales, Aureliani, Antoniniani.

Collegia & ſacra & prophana ſua habuerunt convivia. Sodales unde dicti.

Omnia porrò illa collegia ſodalitiáve ſive ſacra, ſive prophana, communia plerunque habuerunt ſympoſia atque convivia cùm ſolennia, tum etiam quotidiana. Hinc *ſodales* Auguſtinus vult dictos quaſi *ſimul edales*, quod ſimul ederent, vel quod ſimul ſederent in menſa, quod hodie in cœnobitis eſt videre: (hinc Apulejus aſinum ſuum *ſodalem*, quaſi ſimul eſitantem vocat) nonnulli tamen volunt ſic dictos quod ſimul *ſuaderent*, quod commodum eſt, Iſidoro *ſodales* dicuntur qui ad ſymbolum convenire conſueverunt (Zechgeſellen) quaſi *ſuadentes*, aliàs quaſi *ſedales*. Hinc συσσίτια Græcè dicta nonnulli *ſodalitates*, & συσσίτες *ſodales* vertunt. *Collegas* autem nonnulli Juriſconſultorum eos propriè dici opinantur, qui ſimul habitant, quaſi unà ſe colligant. Alii, quod Alciato magis placet, ab *eligendo* volunt eſſe dictos, quaſi in idem munus collectos diceremus, Alciat. *de verborum ſignificatione:* Varro, *collegæ, qui unà lecti ſunt.*

Curialium ſacrorum convivia.

Ac antiquiſſima quidem fuerunt illa Curiarum ſingularum (quæ etiam collegia & ſodalitia dici poſſunt) ſacra atque convivia a Romulo inſtituta, de quibus ſupra dictum eſt. Cato ſenior apud Ciceronem in lib. de ſenectute, *ſodalitates*, inquit, *me Quæſtore conſtitutæ ſunt ſacris Idæis Magnæ matris acceptis. Epulabar igitur cum ſodalibus modicè.* Tertullianus in lib. ad uxorem, *Diſcumbit*, inquit, *cum marito in ſodalitiis, ſæpe in popinis*, quo loco Rhenanus *collegia*, inquit, *gentilium innuit. Eadem menſa ſodales utuntur, unde & Græcis συσσίτια dictæ ſodalitates.* Quint. *Et tempeſtiva convivia, & pervigiles jocos, advocata ſodalium turba ſolutus atque affluens agerem.* Ac omninò conſtat, ut Cujacius lib. 7. cap. 30. obſervat. annotat, *cùm ob factionum metum, tum verò atque in primis ob comeſſationum & compotationum intemperantiam ceu maximorum malorum procreatricem, non quævis a Romanis collegia fuiſſe admiſſa, ſed illorum alia quidem licita, & legitima, alia verò illicita fuiſſe judicata, nonnulla quoque fuiſſe abrogata, qua de re & vetus fuit lex 12. tabularum, & innumeræ conſtitutiones, leges, S. C. extant.*

Romani non quævis collegia admiſerunt.

Numa rex primus author collegiorum artificum.

Numa rex primus collegia artificum Romæ inſtituit, ac tibicinum quidem, aurificum, architectorum, tinctorum, coriariorum, fabrorum, figulorum (unde Plin. 35. lib. de plaſtice & figulinis ſcribens, ſubjungit, *propter quæ Numa rex ſeptimum collegium figulorum inſtituit*) collegia ſingularia eſſe voluit, reliquos verò artifices omnes in unum collegium coëgit, ſingulis autem collegiis peculiares communiones, conciliabula conviviaque ſacra aſſignavit. Hoc illius inſtitutum ad civitatis factiones tollendum, omneſque cives inter ſe conciliandum accommodatiſſimum fuiſſe fertur, teſtis eſt Plutarchus in vita Numæ. Hæc autem collegia a Tarquinio Superbo primùm ſublata ſunt, teſte Dionyſio Halicar. qui omnes populi cœtus prohibuit, atque etiam ipſum ſenatum tollere eſt conatus, verùm illo expulſo rurſus fuerunt in integrum reſtituta, ac diu durarunt: donec tandem ſenatus, & numero (erant enim circiter 500. & amplius) & poteſtate auctus pleraque collegia L. Cæcilio & Q. Martio Coff. ſuſtulit, quæ adverſus Rempub. eſſe credebant. Poſt novem deinde annos, quàm fuerant ſublata, P. Clodius, ut eſt apud Pædianum, legem tulit de collegiis reſtituendis, noviſque in civitate inſtituendis. Unde Cicero, *collegia*, inquit, *non ſolum quæ ſenatus ſuſtulerat, ſed innumerabilia quædam ex omni fœce urbis, ac ſervitio concitata.* Poſtea imperio conſtituto, de his collegiis atque ſodalitatibus variæ Imperatorum Rom. conſtitutiones, ac S. C. extiterunt. Lib. 47. Digeſtorum tit. *de collegiis illicitis*, præcipitur, ut collegia illicita, & nova diſſolvantur: ibique Martianus ſcribit, collegium fieri non poſſe niſi ex ſenatus conſulti authoritate, vel Cæſaris. C. Julius Cæſar ſimul atque dictatura fuit potitus, collegia evertit, teſte Suetonio in ejus vita, ſuæ potentiæ tuendæ, & populi vires infringendi cauſa, quæ Auguſtus poſtea, cum poteſtatem ſuam ſtabiliviſſet, ac in tuto, ut ſibi videbatur, collocaſſet, reſtituit, quibuſdam tamen, quæ non erant antiqua, & legitima, diſſolutis. Nero, teſte Tacito lib. 14. illa omnia abolevit, cui omnes cœtus hominum atque convivia ob illius tyrannidem fuerunt ſuſpecta, ita ut noctu ſæpe per urbem oberrans obvios quoſvis ex amicorum cœnis domum redeunteſ ferire atque vulnerare ſit ſolitus. Sic omnibus tyran-

Tarquinius Superbus primus hæc collegia ſuſtulit. Pub. Clodius eadem reſtituit. Illicita collegia diſſolvuntur. C. Julius Cæſar collegia evertit. Nero omnia collegia abolevit.

Tyrannis populorum cœtus invisi sunt. Collegia religionis causa permissa. Collegia patriæ religionis. Dendrophori.

tyrannis populorum cœtus, societates, collegia valdè invisa sunt atque suspecta, unde Dionysius quoque tyrannus, teste Plutarcho, omnem civibus amicos suos visendi facultatem adimere fuit conatus, illos, qui id officii amicis præstitissent, domum redeuntes diripiendi violandique licentia quibusvis permissa. Et religionis quidem causa, ut Cujacius libro 7. observat. cap. 30. refert, tam exteræ, quam patriæ plerunque collegia senatus, & principes P. R. permiserunt, libro 1. Dig. *de collegiis*. Patriæ religionis collegium fuit Dendrophororum (qui arbores cædebant, & torrebant, Alciat. *de verb. signif.*) & collegium Centonariorum, de quibus est tit. in C. Theodosiano. Et ne quis an ad religionem Paganam ea pertinuerint amplius dubitet, hæc verba sufficient ex constitutione Honorii, & Theodosii ad populum Carthaginensem de Paganis sacrificiis abolendis, quæ est l. 20. C. Theod. *de pag. sacrificiis & temp. Omnia loca, quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ singula quoque nomina & professiones gentilitiæ tenuerunt ephodia, vel sumptibus deputata, fas est hoc errore submoto compendia nostræ domus sublevare. Chiliarchas insuper vel Centonarios, vel qui sibi plebis distributionem usurpare dicuntur, censuimus removendos.*

Chiliarchæ. Centonarii.

Chiliarchis junguntur Centonarii. An igitur Centonarii pro Centenarii, ut l. 162. C. Theod. de decur. & Hecatontarchæ synodi sextæ in Trullo c. 61. *Centonarios* Alciatus de verb. significat. vocat, qui vilia artificia exercent, quorum artificum quàm plures alibi nominantur. *Permissa etiam sunt*, addit ibidem Alciatus, *Mastigophororum, quos disciplinatos vocant, collegia, quod rei sacræ causa conveniant, ea & scholæ, & confratriæ appellantur. Exteræ autem religionis*, addit Cujacius loco paulo ante citato, *fuit Judæorum collegium, quod inter legitima habuisse Cæsarem ex actis publicis Josephus* ἀρχαιολογίας *decimo quarto his verbis refert*, καὶ γὰρ Γάϊος Καῖσαρ ἐν τῷ διατάγματι κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὰ πόλιν μόνους Ἰουδαίους οὐκ ἐκώλυσεν οὔτε χρήματα συνεισφέρειν οὔτε σύνδειπνα ποιεῖν. Ait *non prohiberi Judæos stipem conferre, aut agitare convivia.* Hæc collegiorum conditiones sunt.

Mastigophororum collegia. Exteræ religionis collegium fuit Judæorum.

Collegia propter comessationes dissolvuntur.

Itaque l. 1. Digest. ab eodem tenuioribus, quorum collegia illicita non sunt, stipis collatio conceditur, & nominatim a Trajano apud Plin. libro 10. epist. de petitione Amisenorum: & authore Dione, a Claudio dum collegia dissolvuntur, nominatim de comessationibus exprimitur ne fiant, & ea re ne sint popinæ, ne caro elixa assave, ne calida publicè væneant. Cui consequenter Nero quoque & Vespasianus ne quid væneat in popinis præter olera, & legumina. Et in eundem finem Ampelius Antiochensis urbis præfectus apud Marcellinum libro decimo octavo, gulæ irritamenta, & ganeas tetras aliqua ex parte correxit. Namque statuerat ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, néve aquam vulgarium calefaceret quisquam, vel usque ad præstitutum diei spatium lixæ coctam proponerent carnem, vel honestus quidam mandens videretur in publico. Fuit autem hoc collegiorum semper maximum vitium, quam ob causam etiam Franciscus rex Gall. edicto artificum collegia sustulit. Philo in Flaccum de Alexandrinorum collegiis, θίασοι κατὰ τὴν πόλιν εἰσὶ πολυάνθρωποι ὧν κατάρχει τῆς κοινωνίας οὐδὲν ὑγιὲς ἀλλ᾽ ἄκρατος, καὶ μέθη, καὶ παροινία· & initio libri primi, τάς τε ἑταιρείας καὶ συνόδους, αἳ αἰεὶ ἐπὶ προφάσει τῶν θυσιῶν εἱστιῶντο τοῖς πράγμασι ἐμπαροινοῦσαι, διέλυε. Ex his apparet collegia atque sodalitates ob comessationum & compotationum potissimùm intemperantiam aliquando dissolutas atque sublatas fuisse. Hinc Augustus apud Philonem collegia, & coitiones Judæorum (*synedria quædam* lex Codicis vocat, qua voce & Judæorum doctores suis libris utuntur) ideò se permittere testatur, quod non sint crapulæ primùm, & vinolentiæ, deinde quod non seditionum nutriculæ, sed scholæ temperantiæ, & justitiæ hominum summo ardore animi omne virtutis genus amplectentium. Ac omnino ut collegia atque sodalitates bene constitutæ atque moratæ civitatibus atque Rebuspublicis utiles sunt ac salutares, & ad mutuam civium amicitiam benevolentiamque fovendam plurimum habent momenti. Ita contrà si modò ratione atque ordine certo legitimoque carent, iis nihil est perniciosius. Ex illis enim compotationes intemperantissimæ, factiones, seditiones, monopolia, conspirationes nascuntur, quas consequitur plerunque universæ Reipublicæ ruina atque interitus.

Ganearum correctio. Judæorum collegia cur permissa. Collegia quomodo perniciosa sint.

Collegia religionis specie quanta scelera pepererunt. Bacchanalium sodalitas. Liv. Decad. 4. lib. 9. Nota.

Quàm multa præterea collegia religionis specie atque simulatione execrabilem impietatem ac detestanda scelera atque flagitia concepisse atque peperisse legimus. Exempli luculentissimi loco nobis esse potest Romana illa Bacchanalium sodalitas, in qua circiter 7000. hominum teterrimorum scelerum atque flagitiorum fuerunt convicta, quæ quidem Romanis illam sodalitatem festivitatemque Romæ atque in universa Italia abolendi causa justissima sanè fuit, id quod longo ante tempore Atheniensibus vir sapientissimus suaserat, cum nocturnos cœtus sibi mirum in modum suspectos esse diceret. Est autem observatione dignissima illa consulis Romani, qui illam Bacchanalium abolitionem suaserat, sententia, *Nihil*, inquit, *in speciem fallacius prava religione, ubi Deorum numen prætenditur sceleribus, &c.* Paulò ante Livius de sacrorum illorum in Italia origine verba faciens, inquit: *Additæ voluptates religioni vini & epularum, quo plurimum animi illicerentur: cum vinum & nox & misti fœminis mares, ætatis teneræ majoribus discrimen omne pudoris extinxissent.* Sic Pythagoreorum in Italia collegia plurimarum tandem corruptelarum atque malorum causæ extiterunt, ut historiæ testantur. Hujusmodi quoque fuit fera illa & planè pastoritia atque agrestis Romanorum Lupercorum sodalitas, quorum coitio illa sylvestris ante est instituta, quàm humanitas atque leges, ut Cicero dixit in oratione pro M. Cælio. *Sic ab nullo genere*, ut Cato censor apud Livium inquit, *non summum periculum est, si cœtus, concilia, & secretas consultationes esse sinas.* Atque hæc quidem de Romanorum collegiis atque sodalitatibus, illarumque syssitiis sint dicta. Huc quoque militum convictus, qui contubernium dicitur, referri potest, de quo suprà dictum est.

Pythagoreorum collegia causæ malorum. Sodalitas Lupercorum. Cœtus secreti, & nocturni periculosi.

Collegium Christianorum Apostolicæ Ecclesiæ.

Verum ut dira & immanis fuit illa antiqua & superstitiosa Lupercorum, Bacchicolarum, uti suprà dictum est, sodalitas: ita contrà pietatis, humanitatis charitatisque plenissima fuit illa Christianorum primigeniæ illius & apostolicæ Ecclesiæ non sacrorum modo religionisque, verùm etiam honorum victusque com-

Epulæ communes Christianorum.

communio atque ſocietas, cujus ſæpe in actis Apoſtolorum fit mentio: de qua ſic Lucas cap. ſecundo. Πάντες δὲ οἱ πιστεύοντες ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, καὶ εἶχον ἅπαντα κοινὰ, καὶ τὰ κτήματα, καὶ τὰς ὑπάρξεις ἐπίπρασκον, καὶ διεμέριζον αὐτὰ πᾶσι, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχε, καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον μετελάμβανον τροφῆς, ἐν ἀγαλλιάσει, καὶ ἀφελότητι καρδίας αἰνοῦντες τὸν Θεὸν, καὶ ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν· Id eſt, *Omnes autem qui credebant, conveniebant, ſive conjungebantur.* Nam ut ſcitè Theophylactus interpretatur, erant ἐπὶ τὸ αὐτὸ, οὐ τόπῳ ἀλλὰ διαθέσει, καὶ γνώμῃ, καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους ἀδιασπάστῳ στοργῇ, hoc eſt, *erant ſimul non loco, ſed ut animi, ita locis quoque animorum affectionumque conjunctione, & concordia atque inſeparabili benevolentia.* Tametſi ut animis, ita locis quoque erant conjuncti. Præterea, ut Lucas addit, *habebant omnia communia, & poſſeſſiones ac facultates vendebant, & diſpertiebant ea omnibus prout cuique opus erat. Et quotidie perdurantes concorditer in templo, ac panem frangentes domi, ſive domatim* (Theophylactus tamen οἶκον hoc loco ἱερὸν interpretatur, id eſt, *templum*, ibi enim cibum capere eos ſolitos fuiſſe teſtatur) *capiebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis laudantes Deum, & habentes gratiam apud populum.* Item ſuprà dixit verſu 42. ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, καὶ ταῖς προσευχαῖς, hoc eſt, *Erantque perdurantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus.* ἡ κλάσις τοῦ ἄρτου Hebraica phraſis eſt in ſacris literis trita & uſitata, quæ diſtributionem, & uſum cibi ſignificat; & illud, quod paulò poſt ſequitur, κλῶντες ἄρτον, id eſt, *frangentes panem*, inquit Theophylactus, τὴν πολλὴν αὐτῶν ἐγκράτειαν καὶ λιτότητα δηλοῖ τῆς τροφῆς. Μετελάμβανον γὰρ τροφῆς, ἀλλ' οὐκ ἐτρύφων, id eſt, *Magnam continentiam ipſorum, & parſimoniam indicat cibi. Cibum enim illi quidem capiebant; ſed non delicatum neque opiparum.* Hinc profectæ ſunt, quæ huc omnino referri debent, illæ Chriſtianorum Eccleſiæ primitivæ Agapæ, quæ illis Romanorum Chariſtiis ut nomine, ita re quoque ipſa aliquo modo comparari poſſunt, verum de his ſuo in loco plura. Hæc de ſyſſitiis antiquorum temporum.

Agapæ.

Collegia ſive ſodalitates Germanorum.

Noſtris verò temporibus eorundem exempla quædam non pauca reperire licet. Ac in Germania quidem ſuperiore in democraticis præſertim Rebuspublicis, comeſſationes publicæ & quotidianæ frequenti admodum ſunt in uſu, ubi Baſilicæ cum amplis cœnaculis publicæ in hoc extructæ cernuntur, quas vulgò a potatione gentilitia appellant Trinckſtuben / hoc eſt, *ſtufæ* ſive *hypocauſta potationi deſtinata.* Vocantur quoque Geſellenhauß / hoc eſt, *ſodalium domus.* Apud Helvetios quidem hujuſmodi ſyſſitia quotidiana magno ſunt in uſu, apud quos non feſtis tantùm atque ſolennibus diebus, ſed quotidie magna civium pars poſt meridiem in tribuum publicis ædificiis ad compotandum convenire ſolet: quæ quidem Sympoſia a tempore Abendfürten / hoc eſt, *veſpertina*, appellantur. Hujusmodi quotidianæ civium coitiones atque compotationes, quia non modo ad luxum & ebrietatem, verùm etiam ad ambitionem ſuffragiorumque corruptelam plurimùm faciunt, tolli potiùs, quàm tolerari debebant. Plurimi namque civium hujuſmodi convivia obeunt, quò faciliùs ſeſe in multorum gratiam inſinuantes, publica aliqua munera atque honores adipiſcantur, cùm interea non modò res atque fortunas ſuas, verùm etiam tempus, corpus ingeniumque ſuum perdant, ac ſe, uxorem liberosque ſuos extremæ egeſtati ignominiæque immergant.

Helvetiorum ſyſſitia.

Argentinenſium ſyſſitia quotidiana.

Sed in primis illuſtria, ac antiquis illis perſimilia ſunt quotidiana illa Argentoratenſis Reipublicæ atque civitatis ſyſſitia in publicis illis ædibus, quæ vulgò Ammeiſter ſtuben / hoc eſt, *ſtufæ* ſive *hypocauſta magiſtri populi*, (qui ſummus eſt apud illos magiſtratus) appellantur. Singulis namque diebus prandia atque cœnæ publicæ in publicis illis cœnaculis, quæ ad *Ammeiſteri* tribum pertinent, apparantur, ad quas quibusvis tam civibus, quàm peregrinis patet aditus, ſingulis certum datur vini dimenſum, certum quoque ac definitum eſt ſymbolum, quod ſinguli eorum, qui ibi convivantur, pendere ſolent. Illis ſemper Ammeiſter atque Stettmeiſter (quorum ille plebejus, hic nobilis eſt magiſtratus) & quidem vel ambo ſimul, vel alteruter certè illorum intereſſe cogitur, ut nimirum illorum præſentia convivæ in officio, atque modeſtia contineantur, omniſque motus & tumultus cohibeatur. Nam, quemadmodum rectè ſapienterque dixit Ariſtot. libro 7. cap. 12. polit. ἡ ἐν ὀφθαλμοῖς τῶν ἀρχόντων παρουσία μάλιστα ἐμποιεῖ τὴν ἀληθινὴν αἰδῶ, καὶ τὸν τῶν ἐλευθέρων φόβον, *Magiſtratuum præſentia maximè verum pudorem atque ingenuorum metum efficit.* Peracto prandio, ſive cœna, collectiſque ſymbolis ſurgitur atque diſceditur.

Collegia ſcholaſtica.

Huc quoque referenda ſunt collegiorum ſcholaſticorum συσσίτια in Academiis uſitata, quæ Burſæ appellantur, unde illud vulgò jactatum,

> *Regula burſalis eſt omni tempore talis;*
> *Prandia fer tecum ſi vis comedere mecum.*

Optandum ſane eſſet ut illa ſcholaſticorum ſyſſitia, quæ plerunque ſunt intemperatiſſima, ad temperantiam frugalitatemque ab Academiarum moderatoribus revocarentur.

Gymnoſophiſtarum apud Indos ſyſſitia.

Apud Indos ſimilia videntur fuiſſe illa Gymnoſophiſtarum ſyſſitia, apud quos omnes adoleſcentes diverſis ex locis atque officiis ad prandium convenire quotidie ſolebant. Magiſtri itaque antequam cibus caperetur, unumquemque interrogabant quidnam boni a lucis ortu ad id uſque diei egiſſet, qui nihil proferre poterat, is impranſus ad opus foras extrudebatur. Laudabilis ſane hic fuit illorum mos imitatione digniſſimus. His adde Monachorum κοινόβια, de quibus ſuprà dictum eſt. His poſtremò conviviis publicis, & quotidianis meritò videtur eſſe annumeranda illa Solis menſa Æthiopum, quæ veterum hiſtoriis celebratur. Illa teſte Herodoto libro 3. fuit pratum omnium quadrupedum aſſa carne refertum, quam per noctem ſinguli civium magiſtratus ſumma feſtinatione ponebant, & ubi illuxiſſet, cuilibet licebat illuc accedere epulatum. Indigenæ exiſtimabant copiam epularum divinitus ſuppeditari, & hanc idcirco *Solis menſam* nominabant, ad quam inſpiciendam

 olim

olim Cambyses misit legatos in Æthiopiam. Hanc Solinus *Heliotrapezam* vocat. De eadem sic scripsit Pomponius Mela: *Est locus in Æthiopia paratis semper epulis refertus, & quia ut libet, vesci volentibus licet, Heliotrapezam appellant, & paßim apposita sunt, quia affirmant innasci subinde divinitus.* Ejusdem mensæ & S. Hieronym. in prologo veteris Testam. Pausanias in Attica meminerunt. Atque hæc quidem de antiquis, & hodiernis syssitiis satis sint dicta.

CAPUT XXXII.

DE CONVIVIIS PRIVATIS AMICORUM, ET FAMILIARIUM, QUAE PER VICES AGITANTUR.

Privata convivia.

Convivia porrò alia dixi esse publica, alia privata, de publicis dictum est, nunc de privatis. Privata convivia illa voco, quæ inter paucos amicos, familiares & propinquos versantur, & cum quadam familiaritate victusque suavitate fiunt. Fuit enim hic mos antiquus, qui hodie quoque obtinet, ut amici, familiares, cognati atque vicini inter se *mutitarent* (ut antiquo vocabulo utar) hoc est, mutua inter se quasdam vices convivia amicitiæ tuendæ & conservandæ gratia læti agitarent. Hæc a Græcis φιλετικὰ, id est, *amica*, dicta sunt, Germanicè Freünd mäle / eò quod nulla alia de causa, nisi mutui amoris amicitiæque testificandæ atque fovendæ gratia agitentur, necnon ἐξαμοιβαῖα, id est, *vicißitudinaria*, propterea quòd per vices plerunque fiunt. Nonnulli etiam volunt hujusmodi convivii genus a Latinis *circumpotationem*, a Græcis ἐγκυκλοποσίαν appellari, cùm tamen utroque vocabulo potiùs circularis illa potatio, sive in orbem potandi consuetudo ut olim, ita hodie usitata significari videatur, de qua Cic. de legibus: quidam etiam περίδειπνον, hoc est, *funebre convivium*, volunt circumpotationem a Cic. dici, de quo suprà. Ad harum autem cœnarum, quæ inter amicos & necessarios agitantur, imitationem testis est Athenæus lib. 5. publica illa convivia, atque syssitia a legumlatoribus esse instituta, de quibus suprà.

Convivia filiorum Jobi.

Hujusmodi porrò convivii exemplum admodum illustre extat in Jobi historia. Pii enim illius patientissimique viri liberi hujusmodi sese mutuò conviviis per vices excipiendi consuetudine usi fuerunt, de qua sic cap. 1. scriptum est, *Solebant autem ipsius filii apparare convivia, quisque domi suæ per vices dierum, ac misso nuncio* (accersebant) *suas tres sorores, ut unà ederent, ac biberent. Quumque per vices convivii exhibendi circulum absolvissent, Job misso nuncio*, &c. Sunt Hebræorum nonnulli, qui existimant hæc verba non ita esse accipienda, quasi singulis diebus per vices symposia inter se agitarent, neque enim id patrem permissurum fuisse, sed semel quoque anno id factum esse. *Quare enim*, inquiunt illi, *pro iis sacrificia semper obtulisset, veritus ne peccarent, si crastina die reparatum semper esset convivium?* At Chaldæus, Nicolaus Liranus, & alii septem hebdomadæ dies volunt designari agentibus illis convivia, donec hebdomada expleretur, septem diebus septem filiis adjudicatis. Chrysostomus præterea, & Olympiodorus mirabilem eorum fuisse charitatem testantur, quòd non ad alios, sed ad suos diverterent, nulla inter illos esset dissensio, ac nullus eorum sibi primatum usurparet. Quòd autem sorores vocarent, id argumentum esse illorum probitatis ac temperantiæ, quòd non alienas mulieres introducerent. Verùm mihi potiùs, pace tantorum virorum dixerim, ex quotidianis illis Jobi sacrificiis, & ex gravi atque horrenda illa pœna, qua a Deo fuerunt affecti, certò videtur colligi posse illos luxuriæ atque petulantiæ potiùs, quàm probitati temperantiæque in illis suis symposiis operam dedisse. Plura de his vide apud Lavaterum in pulcherrimis illius in Jobum Commentariis.

Hujusmodi conviviorum apud Homerum quoque luculenta fit mentio: Οδ. α.

- - - - ἄλλας δ' ἀλεγύνετε δαῖτας,
Ὑμὰ κτήματ' ἔδοντες ἀμειβόμενοι κατὰ οἴκους.

In quem locum sic Eustath. annotat: ὅτι παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἦσαν κατ' οἴκους συμπόσιά τινα ἐκ τῶν παρ' ἑκάστοις κειμηλίων, ut indicat poëta his verbis. Et hoc erat ἔρανος, ad quod convivii genus Telemachus procos adhortatur, quasi diceret, ἐὰν διὰ φιλίαν ὁμονοητικὴν ἢ φιλαλληλίαν ποιεῖσθε τὰς συνελεύσεις ἔστιν ὑμῖν ἄλλως τοῦτο ποιεῖν ἐκ τῶν ὑμετέρων· αἱ γὰρ τοιαῦται δαῖτες κοινωνίαν ἐποίουν τῶν καλουμένων δαιταλήων, οἵπερ εἰσὶ δαιτυμόνες, θιασῶται, συμπόται.

Charistia Romanorum.

Ad amica hæc convivia etiam solenne illud Romanorum convivium 11. Kalend. Mart. celebrari solitum, quod a suo fine *Charistia* nominarunt, referri poterit, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur, teste Val. Max. lib. 2. cap. 1. Ovid. in Fastis:

Proxima cognati dixêre Charistia patres,
Et venit ad socios turba propinqua Deos.

Mutitare.

Eodem pertinere videntur mutua illa principum civitatis Rom. convivia, quæ inter se antiquo ritu ludis Megalensibus agitare consueverunt. Et hoc est *mutitare*, id est, mutua agitare convivia ut Gellius exponit lib. 2. cap. 24. quod Ovidius circumloquutione quadam poëtica expressisse videtur 4. Fastorum, ubi historiam Cybeles memorans ait,

Cur

Cur vicibus factis ineant convivia quæro.

Sic apud Maronem, *Mutuaque inter se læti convivia curant.*

Turnebus in suis Adversariis pro *mutitare* (quod & infrequens, & insolens verbum) *mutuitare* existimat legendum, ut *mutuitare* sit mutuò convivia agitare. *Mutitare* tamen quidam retinent, quòd epulas inter se *mutarent*, & vicissim convivia conviviis.

Hujusmodi quoque fuerunt illa nobilitatis Rom. procerum atque doctorum virorum convivia, quæ in feriis Saturnalibus sibi invicem mutua comitate, ac grata quadam vicissitudine præbuerunt, cùm per omne feriarum spatium meliorem diei partem seriis disputationibus tribuentes, cœnæ tempore genio indulgerent, & conviviales sermones plenos salium atque jocorum inter se consererent, ut testis est Macrobius lib. 1. Saturnal. de quibus plura infrà.

Nobilium & doctorum convivia.

Huc quoque referri possunt illæ antiquæ Philosophorum Atheniensium cœnæ, quæ non tam compotandi, quàm simul philosophandi studio celebrari consueverunt, ut Athen. scribit lib. 5. Nostris temporibus hujusmodi convivia apud Germanos præsertim frequenti admodum sunt in usu, quæ vulgò schlegel appellantur, a nonnullis etiam kränzle / ut a Gallis *le bouquet*, hoc est, *corolle*, propterea quòd a convivatore *corolla* ei imponi solet, ad quem cæteros convivio excipiendi vices pervenerunt. Habent hæc convivia plurimum & jucunditatis, & utilitatis, sunt enim quasi vincula quædam mutuæ benevolentiæ atque amoris, modò illa sint temperata atque frugalia, caveatur nimius sumptus, luxus atque petulantia. Atque hæc de quinta conviviorum divisione in publica, & privata.

Philosophorum cœnæ. Schlegel. Kränzle.

CAPUT XXXIII.

SEXTA CONVIVIORUM DIVISIO IN SACRA, ET PROPHANA. DE EPULIS SACRIS JUDAEORUM VETERIS TESTAMENTI, ET CHRISTIANORUM NOVI: DE SUPERSTITIOSIS ETHNICORUM EPULIS ATQUE SACRIS: DE HORRENDO FESTORUM EPULARUMQUE FESTIVARUM APUD CHRISTIANOS ABUSU.

Sextò illa dividemus in sacra & prophana, de prophanis ferè adhuc dictum est, nunc de sacris. Convivia porrò sacra sive religiosa illa appello, quæ vel in veri & unius Dei, vel etiam in falsorum, & alienorum Deorum honorem, cùm religionis, tum superstitionis ergò diebus potissimum festis, & quidem in locis sacris & religiosis celebrantur. Hæc rursus convivia duplicis sunt generis, alia quidem verè sacra, & religiosa, alia verò superstitiosa.

Convivia sacra.

Verè sacra & religiosa illa sunt, quæ ab ipso Deo sunt instituta, & ad illius præscriptum atque mandatum celebrantur, quæ quidem non tam ad ventrem, quàm ad ipsam mentem salutaribus documentis, ceu suavissimis alimentis condimentisque pascendum oblectandumque pertinent. Hæc verò rursus sunt duplicia: alia enim sunt veteris Testamenti, alia novi.

Verè sacra convivia quæ & quotuplicia sint.

Quoad porro illa, quæ sunt veteris Testamenti, illa fuerunt partim anniversaria atque solennia certis quibusdam atque statutis temporibus, partim quotidiana, quæ vel quotidie ac quovis tempore fieri sunt solita.

Convivia veteris Testamenti.

Inter solennia & anniversaria convivia facilè primum, & principem locum obtinet celeberrimum illud Paschatis epulum, cujus descriptionem amplam habes Exodi 12. & alibi: quo quidem quotannis magna cæremonia instaurato, partim accepti beneficii, hoc est, liberationis ex Ægypto memoria in Judæorum animis imprimebatur, partim mentes illorum incendebantur ad beneficii multò amplioris expectationem, quod Christi beneficio erat conferendum. Fuit ergo duplex potissimum sacri illius epuli usus. Nam & specialis illius Judæorum ex Ægyptiaca servitute redemptionis monumentum, & (qui quidem usus longè fuit præstantior) futuræ illius atque universalis redemptionis generis humani per Christum factæ, necnon piæ sanctæque vitæ documentum fuit, de quo posteriore operæpretium fuerit quædam dicere.

Solennia seu anniversaria convivia. Convivium Paschale, & quotuplex ejus usus.

Agnus ergo ille Paschalis quem ἐν πρώτῃ τῶν ἀζύμων feria 6. Jesus & omnes Judæi immolarunt & manducarunt, quod dicitur θύειν καὶ φαγεῖν τὸ πάσχα, agnum illum Dei ἁγνὸν καὶ ἅγιον, hoc est, *castum sanctumque*, & ut eundem Petrus vocat, ἄμωμον καὶ ἄσπιλον, id est, omnis nævi maculæque expertem, a Joanne Baptista digito demonstratum, tollentem peccata mundi, hoc est, Christum præsignificabat, secundum etiam illud Pauli, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Agni autem illius Paschalis sanguis liminibus aspersus, qui sævientem gladium ab ædibus fidelium arcebat, Christi sanguinem preciosissimum pro salute omnium profusum significabat; quo quidem omnium hominum, quorum ille cordibus per fidem aspergitur, sanguines, hoc est, scelerum flagitiorumque sordes eluuntur, cœlique templa primorum nostrorum parentum peccato clausa, rursus aperiuntur, & immanis ille divinæ severitatis atque iræ gladius, hoc est, mors æterna, in omnes infideles intentus arcetur. Agni porrò ejusdem carnes non aquis elixæ, sed ardentibus prunis assæ Christi cùm passionem atque cruciatum, tum eximium charitatis ardorem designabant. Erant autem cum celeritate comedendæ, ut docerentur Christum ceu verum animi pabulum inflammata fide atque animo esse comedendum, ardentissimaque quasi cupiditate vorandum, & in intimis animi visceribus condendum, ut in illius similitudinem rapiamur. Ossa nefas erat conterere, ut esset testatum, posse quidem Christum mortem oppetere, non posse autem

Agnus Paschalis typus Christi. Agni sanguis Christi sanguinem significabat. Agni carnes assæ Christi mortem præfigurabant. Cur celeritas adhibenda in edendo agno Paschali. Quare ossa nefas fuerit confringere.

autem virtutem illius atque robur infringi. Erant ossa cum reliquiis in ignem conjicienda, nihilque in posterum diem reservandum, ut videmus ea, quæ mente capere nequimus, eò quod intelligentiam nostram superent, esse fidei quasi flammis, & incendio committenda, & simul intelligeremus, non esse tutum aliquid, quod ad veram animi sinceritatem pertineat, differre atque procrastinare. Azymi panes animi innocentiam, & integritatem significabant, secundum illud Pauli 1 Cor. 5. *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* Septem continui dies, quibus vesci fermentato nefas erat, perpetuum vitæ cursum atque spatium (quod numero septenario non incommoda ratione designatur) ab omni criminis contagio purum conservandum esse demonstrabant. Herbarum agrestis amaritudo est dolor ex flagitiorum recordatione susceptus. Calcei induti, vestes accinctæ, & reliquus itineris confestim ineundi apparatus, & susceptæ in epulo celeritates docebant, nihil esse in re tanta cunctandum, nihil de die in diem differendum, sed omnem nobis quasi in procinctu stantibus celeritatem adhibendam, ut peccati fines relinquamus, & Pharaonis illius spiritualis, hoc est, diaboli hostis immanissimi nos pertinaciter insequentis sævitiam fugiamus, & contento studio cursuque ad felicissimam justitiæ vitæque æternæ hæreditatem properemus. Hæc atque alia hujusmodi rerum maximarum mysteria sacrosanctum illud epulum continebat. Hodie quoque a Christianis festum illud Paschale, licet non iisdem cæremoniis, quibus antiquitus, ad gloriosæ Christi resurrectionis memoriam gratis animis recolendam celebratur. Unde Ostern a Germanis contracta voce, hoc est, Orstende / *resurrectio*, appellatur. In illo similiter convivia agitantur, quæ a Germanis Ostermaal vulgò appellantur, quæ ferè ovis, & mellitis quibusdam libis coctis atque placentis constant. Et plerisque in locis cùm scholastici, hymnum illum canentes, *Christe qui lux*, &c. tum cætera quoque puerorum atque puellarum turba ostiatim ova colligentes illa simul comedunt, id quod vulgò össerlen vocant. Ipsa verò ova quæ ab illis colliguntur ac simul comeduntur zumpfeltag appellantur, quasi symboltag/ propterea quod illis ovis ceu symbolis collatis atque collectis unà epulari consueverunt. Huc referri debet convivium sive cœna illa insignis Christi & discipulorum ejus Bethaniæ celebrata in domo Simonis leprosi, cui etiam Lazarus, a Christo e mortuis excitatus, interfuit, quem nonnulli Simonis illius filium perhibuerunt: quæ cæna sex diebus ante Pascha fuit agitata. De illo convivio sic Theophylactus: *Die mensis decimo agnum deligunt, qui feriis Paschalibus mactetur, & tunc incipiunt præparare pertinentia ad illam festivitatem.* Et ante feriam die sexto, qui est nonus mensis, solebant lautiora convivia agitare, quasi illius diei festi procemia, quem morem Jesum tunc cum ipsis servasse ait, Matt. 26. Mar. 14. Joh. 12.

[Margin: Azymi panes. — Herbæ amarii. — Calcei, vestes. — Cur hodie festum Paschale a Christianis celebretur.]

Pentecostes festivitas. Paschale porrò illud festum atque epulum vernum secuta fuit æstiva illa Pentecostes festivitas, quæ in sacris litteris etiam *hebdomadum*, necnon *primitivorum* sive *primitiarum festum* appellatur, cujus descriptionem habes Num. 18. & Deut. 16. Illud similiter partim sacrificiis, ac novarum frugum oblationibus, partim lætissimis epulis fuit celebratum. Ethnici quoque fictis suis numinibus soliti sunt fructuum primitias, quas Græci vocabant ἀπαρχὰς, offerre. Unde Tibullus lib. 1. eleg. 1.

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.

De quibus Porphyrius in libro περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων secundo ait: ῥᾴων γὰρ ὁ πόρος τῶν καρπῶν, καὶ ἀπὸ γῆς, ἢ ὁ τῶν ζώων.

Festi Tabernaculorum festivitas. Tertium deinceps secutum fuit festum autumnale *Succoth*, Græcè σκηνοπηγίας, hoc est, *Tabernaculorum*, dictum, quo septem diebus sub Tabernaculis degentes unà summo cum gaudio atque lætitia convivari consueverunt, cujus mentio fit Lev. 23. & Joan. 7. de hoc suprà pluribus.

Encæniorum epulæ. Hisce verò & Paschæ, & Pentecostes atque Tabernaculorum conviviis adde si placet *Encæniorum* sive *repurgationum* festivitates atque epulas, quæ in templi, quod Antiochus polluerat, recuperati atque repurgati memoriam agitatæ fuerunt die 25. mensis *Cisleu*, qui partim Novembri, partim Decembri nostro respondet. Huc referendum epulum, quod Salomon die dedicationis templi populo dedit 1 Reg. 8. Idem moris fuisse apud Ethnicos, vel illud C. Plinii Secundi satis in epistola lib. 4. epistolarum ad Faratum docet: *Templum,* inquit, *pecunia mea extruxi, cujus dedicationem cùm sit paratum, differre longiùs irreligiosum est. Erimus ergo ibi dedicationis die, quem epulo celebrare constitui.*

Item hisce addere potes epulas diei 14. & 15. mensis *Adar* (qui partim Februario, partim Martio nostro respondet) qui dies *Purim*, id est, *sortium*, appellantur, propterea quod impius ille Aman sortilegiis usus, universos Judæos illis diebus delere cogitarat, ex quo periculo Deus illos mirabiliter conservavit. Itaque ad tanti beneficii divini memoriam conservandam a Mardochæo atque Estera institutum fuit, ut illi dies in posterum a Judæis tàm in urbibus quàm in pagis summa cum hilaritate atque epulationibus mutuis, necnon donis ultro citroque missis celebrarentur. Hinc dies decimus quartus μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα, id est, *Mardochaicus dies*, appellatur a Mardochæo nimirum. De his vide Esteræ historiam cap. 9. nec non 2 Machab. cap. ult. Hodie quoque hi dies *Purim* sunt Judæorum Bacchanalia, in quibus epulis atque voluptatibus solent indulgere. Illis diebus legunt historiam Esteræ in synagogis, ac quoties mentio fit Amani, pugnis atque malleis scamna pulsant. Quidam Hyberniæ populi arbitrantur obsequium se præstare Deo, dum per anni circulum furto & rapinâ congerunt, quod in Paschali solennitate profusissimis, tanquam ad honorem Domini, absumeretur conviviis: eratque inter eos ingens concertatio, ne fortè quis ab alio immoderatissimis ferculorum præparationibus vinceretur. Testis est Ecclesiastica historia centuria 12. cap. sexto. Ut autem hoc vituperatione dignum, ita illud laude est dignissimum, quod de Tarasio Archiepiscopo Constantinopolitano, qui floruit circa annum 770. litteris est memoriæque proditum. Is enim hoc ipso die Paschali communione finita sacris indutus

[Margin: Dies fortium.]

vestibus

veſtibus ad Baſilicæ veteris locum, qui vocabatur *Eſtia*, egentibus parabat convivium, iiſque diſcumbentibus miniſtrabat, vinum infundebat ac diſtribuebat. Ignatius in vita ejus apud Metaphraſten.

Denique & diei ſeptimi, & *Novilunii* epulæ huc ſunt referendæ. Nam primò diem ſeptimum cùm otio, tum lautioribus epulis celebrare conſueverunt. Philo in libro de vita Theoretica, vitam quorundam, qui rerum divinarum contemplationi erant dediti, deſcribens, inter alia diem ſeptimum illis dicit πανίερον, καὶ πανέορτον fuiſſe, in quo poſtquam curarunt animam, corpus quoque ex aſſiduis laboribus reficere atque recreare conſueverunt victu perquàm tenui: is fuit panis frugalis, obſonii loco ſal, cui delicatiores addebant hyſſopum, potus erat aqua ex flumine. Verùm Judæos olim quoque vulgò legimus ſeptimum diem cùm epulationibus luxurioſis, tum tripudiis laſcivis agitaſſe, de quo alio in loco pluribus.

Præterea in Calendis menſium cum victimas pacificas Judæos Deo obtuliſſe, tum convivia inter ſe agitaſſe, ex ſacris litteris patet. Vnde Pſal. 81. v. 3. *Clangite in Novilunio tuba: in operimento, in die* (in honorem diei) *feſtivitatis noſtræ.* Hic notandum diem conjunctionis Solis & Lunæ, unde menſes ſuos inchoabant, & חדש dici, quòd tunc Luna quaſi renovetur, & novum lumen hauriat a Sole, qua de cauſa dies ille a Græcis νεομηνία dicitur. Deinde eundem diem primum vocat operimentum, propterea quod in conjunctione illa Luna tegitur a Sole, ne conſpiciatur. Sic Prov. 7. *Ad diem operimenti*, id eſt, Novilunii, *veniet domum.* Quanquam alii non incommodè de tabernaculo & teguriolis, quæ frondibus tegebantur, intelligendum affirmant. Iſidorus: *Neomenia apud nos Kalendæ.* Erant enim apud Hebræos ipſi dies Kalendarum ex legali inſtitutione ſolennes, de quibus in Pſalm. *Canite initio menſis tuba, in die inſigni ſolennitatis veſtræ.* Ejus rei illuſtre in primis teſtimonium extat 1. Sam. 20. v. 5. *Ecce cras*, inquit David, *Calendæ ſunt, & ſedendo ſedere ſoleo apud regem ad veſcendum.* Et mox v. 15. *Cras ſunt Calendæ*, inquit Jonathan, *itaque remoraberis, vocabitque ſeſſio tua.* Legimus autem v. 27. poſtridie quoque Calend. epulas à Saule exhibitas, cùm tamen in Novilunio dies ſecundus Dei verbo non fuerit feſtus. Ejus duæ à Martyre in Comment. afferuntur cauſæ: una eſt, quod Levit. cap. 7. præcipitur, ut ſiquid de ſacrificiis pacificis ſupereſſet, in poſterum diem ex eo aliud convivium inſtitueretur. Veriſimile itaque eſt regem ſplendidè ſacrificaſſe, cumque omnes illæ epulæ conſumi non potuerint priori die, ex illius reliquiis poſtridie fuiſſe convivatum. Altera cauſa erat, ut religioſiores, & ſacrorum obſervantiores eſſe viderentur, quàm lex ipſa poſtulabat. Saul ergo, quamvis David priore die non adfuiſſet, quod illum arbitraretur eſſe immundum, tamen poſtero die ſperabat illum adfuturum. Nam ſi quis aut immundus fuiſſet, aut in itinere, cùm oporteret Paſcha celebrare, is jubebatur menſe ſecundo ſeorſim habere Paſcha ſuum. Id illi tranſtulerunt ad alios feſtos dies. Adhæc eadem convivia ſeu epulas, in templis ad aras celebrari ſolitas, alludit Amos cap. 2. *Et ſuper veſtimenta in pignus accepta* (quæ illis ſtragulorum & tapetum loco erant) *diſcumbebant* ſcilicet epulantes, *juxta unumquodque altare & vinum pœnis mulctatorum potabant in æde Deorum ſuorum.* Calendæ.

Obſervabis hîc præterea apud Græcos quoque olim ſingulis menſibus certa quædam ſacrificia atque convivia fieri fuiſſe ſolita, quæ ἐπιμήνια fuerunt appellata, quorum Athenæus meminit. Suidas, ἐπιμήνια τὰ ὑπὲρ ὅλου μηνὸς ἅπαξ ποτὲ γινόμενα θύματα. Turnebus Adverſ. libro 3. cap. 4. in illud Virgil. Eπιμήνια.

Biſſenos cui noſtra dies altaria fumant:

In magna, inquit, *religione velut numinis potentiſſimi, & præſentiſſimi dictum eſt. Nam menſtrua ſacra Diis maximis celebrari ſolebant, atque eæ erant feriæ religioſiſſimæ, cùm ſolemnibus & anniverſariis non ſatis eſſe putarent defungi ſacris, ſed memoriam cultus quoque Calendis, aut Idibus renovandam putarent: ea ſacra Græci vocant* ἔμμηνα. *Sophocles:* ταύτῃ χοὰς ἵστησι, καὶ μηλοσφαγεῖ. Θεοῖσιν ἔμμην' ἱερὰ τοῖς σωτηρίοις. *Obſervabis etiam hîc Neomenias ab Horatio triceſima ſabbata dici: eò quòd Judæorum menſes ut Athenienſium, erant 30. dierum. Sabbatum autem ab Horatio ponitur pro die feſto, & Neomeniæ triceſima ſabbata vocantur, ad diſcrimen ſabbati ſeptimi.* Hæc notat Turnebus lib. 15. Adverſ. c. 19. Idem lib. 24. cap. 45. In illa Horatii:

Da Lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ.

Lunæ autem novæ, inquit, *cyathum poſcit, quod menſis Calendis veſperi epuletur, quæ feſtæ ſemper erant. Menſes enim Luna olim ducebat, primaque primus menſis dies habebatur: poſtea tamen ad curſum Solis ex Juliani correctione exacti ſunt, quod tametſi obtinebat Horatii ætate, tamen is è prima & naſcente Luna menſis principium, ut mihi videtur, lib. 3. intellexit, cum ait:*

Cælo ſupinas ſi tuleris manus,
Naſcente Luna ruſtica Phidile.

Quod eſt, ſi Calendis deos precibus, & ſacris placaris. Quod autem ait: Da noctis mediæ, id verò facit, quia & Lunæ meminerat & ad mediam uſque noctem epulari decreverit, & Nox ritu Romano dea cenſebatur. Extat apud Heſychium proverbium, σεαυτῷ νουμηνίαν κηρύσσειν, id eſt, *Tibi ipſi Novilunii diem*, aut *Calendas edicito:* quod ductum eſt ab antiqua illa conſuetudine, qua ſacerdotes (penes quos olim omnis erat poteſtas, & a quibus omnis feriarum ratio petenda erat) præconis publici voce diem initialem menſis, quem feriatum habebant, in vulgus edere ſolebant Vide Junium in Adagiis. Adhæc Novilunio ſolebant olim thura ſimulachris imponere. Teſtis eſt Ariſtophanis Scholiaſtes in illa in *Veſpis:* ὥσπερ λιβανωτὸν ἐπιτιθεὶς νουμηνίᾳ, id eſt, *tanquam imponens pro ſacrificio ſtatuæ.* Iiſdem temporibus apud Athenienſes, teſte Suida, ſervi vendebantur, bellique duces creabantur, erantque dies illi honorati, id quod Ariſtoph. teſtimonio probat. Sed ex eodem poëta colligi poteſt die 30. ſive ultimo menſis, quem ἔνην καὶ νέαν appellat, moris fuiſſe eos qui non maturè fœnus aut

 debitum

debitum persolvebant, ceu ὑπερόρους in jus vocare. Hæc Scholiastes in illa verba:

> Εἶθ' ἦν ἐγὼ μάλιστα πασῶν ἡμερῶν
> Δέδοικα καὶ πέφρικα καὶ βδελύττομαι,
> Εὐθὺς μετὰ ταύτην ἔστ' ἔνη τε καὶ νέα.

Sic apud Romanos moris erat Calendis pecuniam & collocare in fœnore aut quæstu, & exigere. Unde *tristes Calendæ* ab Horatio appellantur lib. 1. Sat. 3. nempe debitori. De hoc more & Calendis, & Idibus (unde *Kalendariorum*, & *Iduariorum corpora* videntur dicta) pecuniam exigendi consuetudine, vide P. Pithœum Adversf. lib. 2. cap. 4. Sic rustici Martinalia maximè timent, horrent, execrantur, quibus ad debitorum persolutionem coguntur. Ad Calendarum porrò sive Novilunii epulas Hebræis, & Græcis usitatas, non incommodè meo judicio retuleris epulas Nundinarias, quarum mentio fit in l. *Cùm societas.* LXIX. ff. *pro socio*, ubi sic legitur: *Cum societas ad emendum coiret & conveniret, ut unus reliquas Nundinas, id est, epulas præstaret*, &c. Cujacius in aliis editionibus sic legi affirmat, *ut unus reliquas nundinarias epulas præstaret.* Et cap. x. hic fit nundinariarum epularum mentio, quales autem fuerint non explicat glossa. Nundinariæ epulæ fuerunt forsan, quas Germani vocant weynkauff. Hîc quoque simul notabis, ut prima mensis cujusvis dies propter Novilunium, sic quarta etiam, & septima sacra erat propter natalem Apollinis, hinc Scholasticis feriæ, ut Musis uterentur propitiis. Atque hæc quidem de solennibus illis atque festivis Judæorum epulis sacris sint dicta.

Epulæ Nundinariæ.

Convivia sacra quæ vel quotidie ac quovis tempore fieri sunt solita. Sacrificia ipsa fuerunt epulæ quædam sacræ.

Jam verò omnia in genere veteris Testamenti sacrificia, quæ non modò solennibus illis suprà commemoratis, verum aliis quoque diebus offerebantur, nihil aliud fuerunt, quàm epulæ quædam sacræ Deo hominibusque communes, ad mutuam Dei hominumque communionem atque societatem designandam perquàm accommodatæ. Nam cùm semper inter eos, qui communi mensa uterentur summa fuerit necessitudo, Deus ad suam cum populo illo familiaritatem consuetudinemque arctissimam testificandam, sibi ab illo carnes, sanguinem, fruges in altari atque mensa offerri voluit, non quod his indigeret, sed ut ostenderet se quasi communem in illo populo habere mensam, esse illius convivam perpetuum, atque ita familiariter cum ipsis habitare, & illorum consuetudine, & officiis delectari. Vicissim etiam se illis benignè velle facere, a quibus tam piè atque amanter ad communem mensam invitetur. Hinc & mensa sive altare, in quo dapes illæ Deo offerebantur, *Domini mensa*, & ipsæ dapes, *Domini panis atque cibus* a Malachia appellantur. Deinde cum plerisque sacrificiis conjuncta erant convivia, mutuæ hominum conjunctioni tuendæ atque fovendæ destinata. Hæc quo facilius intelligantur, operæpretium fuerit pauca quædam de his sacrificiorum, sive sacrarum epularum generibus dicere.

Sacrificiorum divisio.

Fuerunt itaque illa duplicis omnino generis. Alia enim erant ἱλαστικά, hoc est, *propitiatoria*, alia εὐχαριστικά.

Sacrificia propitiatoria quare sic dicta & quotuplicia sint.

Quoad priora, illa sic dicta sunt, non quod ipsa per se peccata expiandi, iramque divinam placandi vim obtinerent, sed quòd essent typi illius verè ἱλαστικοῦ, hoc est, *piacularis*, victimæ Domini nostri Jesu Christi, qua generis humani peccata deleta sunt, ac proinde Deus nobis reconciliatus fuit. Hæc verò rursus fuerunt duplicia. Alia enim offerebantur pro peccatis hominum vulgarium & privatorum, alia pro peccatis vel sacerdotis vel totius populi.

Quoad illa, quæ pro peccatis vulgarium hominum & privatorum fiebant, in iis totum quod offerebatur cedebat in usum sacerdotum, quod in atrio in ipso die sacrificii comedebant, præter adipem, qui coram Domino incendebatur, & sanguinem, qui circa altare fundebatur. Hæc verò ipsa in duo rursus genera secari possunt. Aliud enim erat quod חטאת *Hathat* dicebatur, quod genus sacrificii offerebatur pro peccatis ἀκουσίως ex errore, aut ignorantia commissis. Interpretes Græci θυσίαν περὶ ἁμαρτίας, Nazianzenus θυσίαν ἀγνοήματος, Theodoretus ὑπὲρ ἀγνοίας ἱερουργίαν, Germani sündopffer appellant. Alterum dicebatur אשם *Ascham*, Græcis θυσία περὶ πλημμελήματος, quod offerebatur pro peccatis ἑκουσίως, καὶ ἐκ προαιρέσεως, hoc est, *data opera, sive de industria commissis.*

Jam verò quoad sacrificium, quod vel pro universi populi, vel sacerdotis peccato offerebatur, illud ab Hebræis עולה *olah* dictum est, ab *ascendendo*, quòd elevaretur super altare, odorque ejus in altum ascenderet in Dei conspectum, & *Calil* Psal. 51. a *Celil*, id est, *consummatum est*, eò quòd totum igne consumeretur. Unde a Græcis ὁλόκαυστον, ὁλοκαύστωμα, ὁλοκαύτωμα dictum est, sacrificium, ut Isidorus definit, *quod totum igne consumitur dum offertur.* Secundum hunc sensum hoc sacrificium nomine הבהבי *habhabai* interpretes Hebræi, inter quos est R. David Kimhi, insigniunt, quod apud Talmudistas, apud quos frequens est, carnes assas ab הבהב *habhaf*, id est, *exustulavit*, *torrefecit igni*, significat. Sic etiam usurpatur in Paraphrasi Chaldæa Hierosolymitana Exod. 12. 9. Quo sensu erit periphrasis holocaustorum, seu exustulatorum sacrificiorum. Græcè hoc sacrificium a Greg. Nysseno ἱερεῖον vocatur διὰ θυσίας ὁλοκαυτουμένον. Apollinaris θύματα πυριφλεγέθοντα vocat: quibus respondet Romanorum *Protervia*, & Græcorum τελετή. Germani brandopffer appellant.

Sacrificia Eucharistica. Cibarium sacrificium.

Sacrificia porrò εὐχαριστικά erant tria. Primum מנחה *minha*, id est, *cibarium sacrificium*, quod erat multiplex, sed semper e frugibus constabat, non tamen eodem modo paratis. Ejus species tres commemorantur Lev. 2. Offerebatur enim far tostum in spicis aut farina sive simila munda nondum cocta, aut certè paratus ex farina panis: qui sanè triplici forma sive ratione parabatur. Vel enim coquebatur in furno aut clibano: vel in cacabo aut sartagine: vel in frixerio, crustularum pleno. Accedebat his sal, oleum, thus, velut auctarium & condimentum. Removentur autem generali canone ab omnibus sacrificiis mel & fermentum. Non enim

enim admittebantur libæ melleæ. In epulo tamen Euchariſtico admittebatur panis fermentatus ad eſum. Proinde ſiquis offerret farinam, ungebatur ea priùs a ſacerdote oleo & condiebatur ſale, mox ei imponebatur thus: inde volam plenam accipiebat ſacerdos (in ſacrificio pro ſacerdote comburebatur totum) & adolebat in ara, reliquum ſibi conſervabat: & in omnibus quidem cibariis oblationibus ponebatur thus, præterquam in ſacrificio pro peccato, & in ſacrificio *Zelotypiæ*. Sacrificio cibario connumerari poſſunt libamina. His enim vinum Domino fundebatur in ſacrificiis. Eſt autem Chriſtus vinum, potus & gaudium noſtrum ad vitam æternam. Cibariis item oblationibus annumerari poſſunt ſacrificia primitiarum, primogenitorum, & decimarum. Græci interpretantur δῶρον θυσίαν. Germani ſpeyßopffer.

Secundum erat זבח שלמים *zebach ſchelomim*, *ſacrificium pacis*, ſive *pacificum*, quo gratitudo propter accepta beneficia (quæ pacis nomine Hebraicè exprimuntur) declarabatur, Græcis θυσία σωτηρίας, vel θυσία εἰρηνική, Germanis Danckopffer. Fiebat cæſis vel bobus maſculis, aut fœmellis ſine diſcrimine, vel ovibus, vel agnis, vel capris. Sacrificium pacificum.

Tertium erat תודה *thodah*, Græcis θυσία αἰνέσεως. Germanis Lobopffer / quod differebat ab hoſtia pacificorum, quod ſimul fiebat in hoc ſacrificio & pecudum mactatio, & oblatio libamentorum confeſſionis cauſa. θυσία αἰνέσεως.

Quod autem ad hæc gratulatoria, ſive pacifica ſacrificia attinet, illorum pars una, renes nimirum & reticulum epatis, agnæ item cauda & omnis adeps coràm Domino comburebatur, pars altera nimirum pectuſculum, armus dexter, maxillæ ſacerdoti cedebant, ut iis hilari animo coràm Domino veſceretur, reliqua ad offerentem redibant, & mox illo ipſo die debebant comedi. Quia verò non ſemper ad ea comedenda cum ſuis ſufficiebat, qui illa obtulerat, ſolebant ferè ad epulas ejusmodi invitari vicini & amici, quibus omnibus liberius etiam lætari licebat, modò id coràm Domino cum gratiarum actione facerent, & interea pauperum non obliviſcerentur. Neque myſterio mos iſte carebat. Scimus enim Chriſtum in ſacrificiis omnibus adumbratum fuiſſe, qui ut pro nobis hoſtia aut victima expiatoria factus eſt: ita unicus eſt omnium, quæ a Deo nobis obtingunt, bonorum mediator. Dum ergo ex victimis convivia inſtruere jubebat Deus, non obſcurè teſtabatur, quod ſua menſa cultores ſuos dignari, & eoſdem per filium ſuum, promiſſum humani generis ſervatorem ad vitam æternam alere vellet. Idem ergo veteribus in ſacris epulis adumbratum eſt, quod nobis cœna Dominica repræſentat, & ideo illi eandem eſcam ſpiritualem nobiſcum ediſſe dicuntur. Quòd verò ad ſacerdotem, habuit ille, ut ajunt Hebræi, ex tribus victimæ partibus aliquam portionem. Nam ex trunco pectuſculum habuit, ex cruribus armum dextrum, ex capite maxillas cum lingua. Neque contemnenda eſt hac de re ſatis elegans Origenis allegoria, qui pectuſculum, ubi ſedes cordis eſt, ſignificaſſe ait, ſacerdotum oportere ſapientiam egregiam eſſe: maxillam & linguas, oportere illos recta & ſana loqui, ac populum vera, & utilia docere: armum verò dextrum, qui manus quædam eſt victimæ, ut bene agerent, & ſanctè viverent, atque ita doctrinæ ſuæ ſalutarem authoritatem conciliarent. Quod ſi fuiſſet ſacrificium pacificum pro Nazaræo dabatur inſuper ſacerdoti fœmur. Hæc de ſacrificiis ſive hoſtiis veteris Teſtamenti, quæ ipſæ, uti dixi, fuerunt ſacræ quædam epulæ cùm Dei cum hominibus conjunctionis teſtes & indices, tum Chriſti, qui verus, ſalutaris atque vivificus noſter eſt panis, typi & figura.

Quæ partes ex his ſacrificiis ad ſacerdotes, & ad offerentes redierint.

Myſterium hujus conſuetudinis.

Origenis de partibus, quæ ad ſacerdotes ex ſacrificiis redibant, elegans allegoria.

Porrò cum pleriſque ſacrificiis conjuncta erant convivia (unde crebò in ſacris litteris *immolationis* ſive *ſacrificii* vocabulum pro convivio etiam prophano uſurpatur) quæ quidem fuerunt duplicia.

Alia quæ a ſolis ſacerdotibus fiebant. Nam, uti ſuprà dictum eſt, & conſtat ex 6. c. Levit. ſacrificia illa, quæ offerebantur pro peccatis vulgarium hominum, & privatorum, tota cedebant ſacerdotibus, ex pacificis autem partes quædam, ut ſimiliter ſuprà fuit explicatum. His itaque ſacerdotes in atrio in ipſo ſacrificii die ſimul veſcebantur. In illis autem ſacrificiis filii Heli ſacerdotis duplici nomine graviter peccarunt. Primò quod legitimis & debitis portionibus lege divina præſcriptis non contenti ea accipiebant, quæ illorum animi libido ſuadebat. Deinde quòd partem ſuam præripiebant antequam adeps adoleretur. Convivia ſacrificialia & ſacerdotum.

Alia verò fuerunt convivia, quæ a populo ſive offerentibus ſumma cum hilaritate atque lætitia, ſicuti Deus juſſerat, celebrabantur. Ad illa amicos & vicinos invitabant, & in iiſdem Deus pauperum atque peregrinorum, pupillorum atque viduarum rationem haberi, omnesque has perſonas ad conviviorum illorum communionem admitti voluit, ut ſcriptum eſt Deut. 14. & 16. 12. & Lev. 7. Convivia ſacrificialia populi.

Hujuſmodi autem epularum ſacrificialium, ut ita loquar, plurima paſſim in ſacris literis exempla occurrunt, ut 1. Reg. 1. Helcana dicitur ſacra feciſſe, & uxori atque filiis partes dediſſe 1. Reg 16. Samuel Bethlehemitas ad ſacrificium invitavit, in quo tamen noluit prius accumbere, quàm Davidem regem conſecraſſet. 1. Reg. 9. mentio fit & ſacrificii & convivii, quo Samuel Saulem, quem poſtea inauguravit, honorificè excepit atque tractavit, in quo duo obſervanda. Primò quod v. 13. ſcriptum eſt, invitatos non ante cibum capere fuiſſe ſolitos, quàm ciborum facta eſſet conſecratio. Deinde quòd v. 22. Samuel Saulem ejusque puerum in cœnaculum introduxiſſe, & cùm locum eis in capite invitatorum, qui erant 30. numero, aſſignaſſe, tum coquo juſſiſſe dicitur, ut Sauli armum apponeret. Duplici ergo illum honore affecit, primum loci, deinde cibi. Dat enim illi primum & ſupremum in convivio. Deinde armum illi jubet apponi, cujus rei duplex ab interpretibus affertur ratio. Prima, quòd cùm armus in ſacrificiis pars eſſet ſacerdotum propria, Samuel illum hoc ſymbolo admonere voluit, ut rex factus cum ſacerdotibus conjunctè viveret, ita enim beatum & florens futurum ipſius regnum. Secunda, quòd cum armus maximè valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret ſe non ad jocum, ad luſum, ad voluptates, ſed ad maxima onera ferenda atque ſuſtinenda vocari. 3. Reg. 8. Salomon in templi dedicatione cum ſacrificia, tum convivia 14. diebus celebravit. 1. Par. 16. David cum holocauſta atque pacifica offerendi finem feciſſet, benedixit populo in nomine Domini, & ſingulis diſtribuit toſtam

Exempla hujuſmodi conviviorum ſacrorum.

Armus cur Sauli in epulo datus.

ſtam panis, & partem carnis bubulæ, & frixam oleo ſimilam. Similium epularum mentio fit Eſd. lib 2. c. 8. & lib. 3. c. 9. Nehem. quoque 8. c. ſimilis convivii ſacrificatorii fit mentio, in quo pinguia comediſſe, mulſum bibiſſe, & partes miſiſſe magna cum lætitia dicuntur. Voluit namque Deus illa convivia magna cum animorum hilaritate, remoto omni mœrore atque triſtitia agitari, ut eodem ex loco, & ex multis aliis manifeſtè colligi poteſt.

De tempore & loco hujusmodi conviviorum.

Nec verò niſi peracta re divina illis convivari licebat. Quamobrem impii illi Eli ſacerdotis filii cùm in aliis, tum in hoc quoque graviter peccaſſe dicuntur, quod partem ſuam prærapiebant, priuſquam Domino adeps adoleretur. *Curabant*, inquit R. Ben Genſon, *prius ſuam menſam, quàm Dei.* Nam ſacrificium erat quodammodo menſa Domini, convivium quod ſequebatur, menſa ſervorum. Ut autem ſacrificia, ſic convivia quoque eodem in loco, nempe coram Jehova, ut ſacræ literæ loquuntur, hoc eſt, in tabernaculo ſive in templo agitabantur, id quod conſtat ex Deut. 12. ubi prohibentur intra portas, hoc eſt, intra privatos parietes illa celebrare. De reliquiis quoque illorum conviviorum eadem die comedendis, non reſervandis in craſtinum, atque etiam concremandis nonnunquam, diligenter eadem lege divina cautum fuit, ut apparet ex Levit. 7. c. de quo ſuo in loco pluribus. Huc quoque referenda illa convivia, quæ ab Iſraelitis, Hieroſolymam ad feſta ſolennia proficiſcentibus, in ipſa urbe, & in templi veſtibulo celebrari ſolebant ex decimis, quas unuſquiſque de populo ſeorſim in ſuis horreis, cum ad uſum ſeparabat ac reponebat: ad quæ convivia Levitæ atque ſacerdotes invitabantur, ut teſtis eſt Hieron. in cap. 45. Ezech.

Conviviorum ſacrorum finis & uſus.

Fuerunt autem hæc convivia amoris Dei erga humanum genus maximi ſignum, quod nempe nullum ab hominibus officium exigit, cujus non in illos ipſos aliquis fructus redundet, ita ut cum illis ceu amicis ſuis omnia ſua velit eſſe communia. Hæc autem meritò inter ſacras epulas videntur referri, partim quia ſacrificiorum erant appendices, partim quia non niſi ſacris in locis fiebant, quibus reſpondent illæ Chriſtianorum primitivæ Eccleſiæ ἀγάπαι, de quibus mox dicetur. Hæc ſint dicta de ſacris epulis ſive conviviis veteris Teſtamenti, ſequuntur convivia novi Teſtamenti.

Convivia novi Teſtamenti. Cœna Dominica.

Quemadmodum in vetere Teſtamento principem facile locum, uti dictum eſt, inter omnia alia convivia ſacra obtinuit ſolenne illud epulum Paſchale, ſic in novo Teſtamento Dominicum illud noſtrum convivium auguſtum ſanè atque magnificum, quod ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto in illa ipſa nocte, qua a Juda proditus fuit, poſt Paſchale epulum inſtitutum ac celebratum fuit, quodque rectè Chryſoſtomus σεβσφορὸν, & φρικωδεστάτην τελετὴν καὶ θυσίαν· item μυστήριον φρικτὸν vocat, ſua dignitate utilitateque facilè omnia veteris Teſtamenti ſacrificia atque convivia vincit ac ſuperat. Ejus deſcriptionem claram, illuſtrem, & ἐμπερίσαλον habes Matth. 26. Mar. 14. Luc. 21. & 1 Cor. 11. Quomodo autem hoc epulum novi Teſtamenti veteri illi ſucceſſerit, egregia ſunt hæc D. Cypriani verba:

Cyprianus de Cœna Domini.

Cœna itaque depoſita inter ſacramentales epulas obviarunt ſibi inſtituta antiqua & nova, & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum magiſter apponit diſcipulis, nec jam ad elaborata impenſis & arte convivia populi invitantur, ſed immortalitatis alimonia datur a communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis divinæ inviſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Sub finem ejuſdem epuli uſum fructumque his verbis egregiè depingit: *Hæc in Chriſti commemoratione retractantur a fidelibus, & defæcata animis carnis ejus edulium non eſt horrori, ſed honori, potuque ſancti & ſanctificantis ſanguinis ſpiritu delectatur. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſincera panem ſanctum frangimus, & partimur, dum quod divinum & humanum eſt diſtinguimus & ſeparamus, itemque ſimul ſeparata jungentes, unum Deum & hominem fatemur, ſed nos ipſi corpus ejus effecti, ſacramento, & re ſacramenti capiti noſtro connectimur & unimur, ſinguli alter alterius membra, miniſterium dilectionis pro invicem exhibentes communicamus charitate, participamus ſolicitudine, eundem cibum manducantes, & eundem potum bibentes, qui de petra ſpirituali profluit, & emanat, qui cibus & potus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* Hæc divinus ille Cyprianus divinitus ſanè de ſacroſancto ac myſtico hoc noſtro epulo ſcripſit, quæ utinam nos Chriſtiani diligenter attenteque conſiderantes illo ad mutuam noſtram cum Deo, & nobiſcum invicem communionem (qui quidem verus eſt illius finis atque uſus) tuendam & confirmandam uteremur, nec, quemadmodum hodie proh dolor fieri conſuevit, illo pacis concordiæque ſymbolo ad odia potiùs, diſcordias, factiones, rixas atque inimicitias mutuas impiè nefarieque abuteremur.

Ἀγάπαι Chriſtianorum primitivæ eccleſiæ.

Quemadmodum porrò in veteri Teſtamento pleriſque ſacrificiis adjuncta fuerunt convivia læta, ſicuti ſuprà eſt explicatum, ita quoque Apoſtolicæ & primitivæ Eccleſiæ Chriſtiani cum cœna Dominica conjunxerunt convivia, quæ quidem ab illis dicta ſunt ἀγάπαι, hoc eſt, charitates, eò quòd Chriſtianæ erant charitatis ſymbola atque teſſeræ. Ad illa ditiores conferebant panes, vinum, pecunias, & alia neceſſaria, & in illis divites cum pauperibus promiſcuè diſcumbebant, abſentibus etiam mittebantur partes tanquam eleëmoſynæ. Harum epularum cùm in ſacris litteris, tum in ſcriptis patrum crebra admodum fit mentio. Ac primò quidem illas Apoſtolorum quoque temporibus fuiſſe in uſu, cùm ex Act. Apoſt. tum ex Petri, Judæ atque Pauli ſcriptis ſatis conſtat, qui illarum abuſum, qui in Eccleſiam irrepſerat, graviter perſtrinxerunt.

Ἀγάπαι hujuſmodi Apoſtolorum temporibus in uſu fuerunt.

Harum mentio fit Act. 2. & 4. quæ a fidelibus Hieroſolymitanis fuerunt uſurpatæ. Dubitant illis in locis interpretes num panis fractione atque communione, Euchariſtiæ ſive cœnæ Dominicæ communio, an prophani cibi participatio ſit intelligenda: meo judicio cum epulæ fuerint cum cœna Dominica tunc temporis conjungi ſolitæ, rectè utrumque intellexeris. Judæ autem Apoſtoli hæc ſunt de iiſdem verba, οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνευωχούμενοι ἀφόβως, ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες, *hi ſunt veluti maculæ* (Oecumenio *cautes occultæ*) *in Agapis veſtris, dum vobiſcum convivantur abſque ullius metu, ſeipſos paſcentes impudenter*, abſque ulla vel Dei vel Eccleſiæ reverentia. De iiſdem ſic Petrus 2. Epiſt. cap. 2. ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν, σπίλοι καὶ μῶμοι, ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀγάπαις αὐτῶν, συνευωχούμενοι ὑμῖν, *Qui pro voluptate ducunt quotidianas delicias,*

cias, labes ac maculas, qui fraudibus suis se oblectant, dum vobiscum epulantur. Vetus interpres & Erasmus in conviviis suis verterunt, ac si ἀγάπαις pro ἀπάταις esset legendum. Sed videtur pulchra potius & elegans esse vocum allusio, quæ significat illos ἀγάπαις, hoc est, fraternis illis conviviis πρὸς ἀπάτας, hoc est, *ad fraudes & deceptiones* mutuas abusos fuisse. Paulus similiter in 1. epist. 11. Corinthios acriter reprehendit eo nomine, quod in illis ipsis conviviis non charitati, cujus quidem testificandæ exercendæque causa fuerant instituta, sed potius æmulationibus, odiis, dissidiis, gulæ ventrique studerent, adhæc pauperes contemnerent. Dubitari tamen potest an hoc convivii genus præcesserit apud Corinthios, an consecutum sit sacra mysteria. Chrysost. quidem apertè scribit consecutum fuisse, id quod veterum moribus atque consuetudini videtur esse consonum, quia jejuni ante cibum communem Christiani antiquitus sacramentum accipere consueverunt. Unde Tertull. ad uxorem, *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes.*

Agapæ post Apostolorum tempora usitatæ.

Hæc porrò convivia post Apostolorum quoque tempora frequenti fuisse in usu ex patrum scriptis liquet. Tertul. in suo Apolog. c. 39. ea his verbis describit: *Cœnulas nostras* (Agapas intelligit) *præterquàm sceleris infames ut prodigas sugillatis:* & paulò post, *Comeditur quantum ad famem valet depellendam, tantùm bibitur, quantum satis est pudicis & castis, oratio auspicatur & claudit cibum; confabulantur inter se quasi Dominum præsentem habeant, qui audiat, cumque ventum est ad aquam manualem, & lumina posita sunt, tum provocatur unusquisque, ut quantum è sacris literis novit, aut de suo ingenio potest, cantet & disserat. Inde non egrediuntur ad vagationes, aut libidines, ut qui sciant noctu quoque orandum esse, sed est, quasi comederint aut biberint disciplinam.* Ex his Tertulliani verbis satis constat illa convivia antiquitus inter Christianos summa cum pietate, castitate atque modestia acta fuisse, a quibus quantum nostra convivia hodie discrepent, quid opus est multis verbis? experientia quotidiana id satis superque testatur.

Quibus calumniis Ethnici cœnam Dominicam, & agapas ejus appendices infamarint.

Et tamen Ethnici ut ipsam cœnam Dominicam Christianorum, sic has quoque epulas illius appendices tetris calumniis atque conviciis infamarunt. Ac ipsam quidem cœnam infanticidii crimine, ceu Thyesteam cœnam traduxerunt, hoc verò epulum solenne Christianorum promiscui incestique concubitus nomine perstrinxerunt. Unde Tertul. lib 2. ad uxorem: *Quis ad convivium Dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione admittet?* Idem ex Cæcilii illius impudentissimi Christianorum calumniatoris verbis apparet. Quoad cœnam Dominicam, de illa sic loquitur: *Jam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda, quàm nota est: infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuatur. Is infans a tirunculo farris superficie quasi ad innoxios ictus provocato cæcis occultisque vulneribus occiditur. Hujus (pro nefas) sitientes sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hac fœderantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur, hæc sacra sacrilegiis omnibus tetriora.* Hac igitur calumnia Ethnici sacrosanctam cœnam Dominicam deformare sunt conati, quæ quidem paulò post Trajani tempora cœpit, & ad Constantini ætatem perduravit. Tam tetri autem criminis suspicio ex perversa atque præpostera (qualis olim fuit Capernaitarum) verborum cœnæ Domini intelligentia atque interpretatione videtur nata esse, sicut e diverso narrat August. quosdam aliquando existimasse, a Christianis adorari Cererem, & Bacchum, cum audirent in eorum mysteriis tanti fieri panem, & vinum, neque rem benè intelligerent. Ut nihil dicam, quod Epiphanius narrat, quosdam hæreticos, qui *Gnostici*, & *Cataphryges*, & *Pepuziani* appellabantur, se verò Christianos mentiebantur, commisisse, quod Cæcilius hic omnibus Christianis objicit. Sequitur nunc altera calumnia de honesto, religioso, pudico castoque Christianorum solenni convivio, quod ἀγάπην appellant. *Et de convivio* (*Agape* intellige) *notum est*, inquit ille, *passim omnes loquuntur, id etiam Cirtensis nostri testatur oratio. Ad epulas solenni die coeunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines, & omnis ætatis. Illic post multas epulas, ubi convivium caluit, & incestæ libidinis ebrietate fervor exarsit, canis qui candelabro nexus est, jactu offulæ ultra spacium lineæ, qua vinctus est, ad impetum, & saltum provocatur. Sic everso, & extincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum sortis, etsi non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti*, &c. Hæc impudens ille canis in illud Christianorum epulum convitia evomuit, quæ M. Minutius Felix in sua Apologia, quam *Octavium* inscripsit, sic refellit: *Convivia non tantùm pudica colimus, sed & sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus casto sermone, corpore castiore, plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quàm gloriantur. Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio.* Eandem calumniam Tertullianus quoque antea refutavit in sua illa Apologia, de qua suprà: nec non Plinius in quadam sua epistola ad Trajanum, ubi inquit inter alia, Christianos convenire solitos ad captandum cibum, promiscuum tamen, & innoxium.

M. Minutius Felix hæc convitia refellit.

Agapæ Christianorum ex collectis mutuis agitabantur.

Hæc convivia, uti suprà quoque attigi, constat ex collectis (quæ & ipsæ ἀγάπαι, nec non *oblationes* fuerunt appellatæ) hoc est, contributis donationibus fuisse agitata. Id ipsum ex illis quoque Cypriani verbis colligi potest, quibus in sermone de Eleëmosynis viduam reprehendit locupletem, & avaram, quod de oblationibus Domino factis comederet, & ipsa nihil, ut loquitur, in Dominum inferebat. Hinc liquet pauperes, & divites simul comedisse de his quæ Domino, hoc est, pauperibus ceu Domini vicariis offerebantur, sive ex mutuis donis, quas *collectas* & *oblationes* appellabant. Hoc nomine Lacedæmoniorum Phiditiis comparari possunt, quæ & ipsa ex mutuis collectis promiscuè inter summæ, & infimæ sortis homines agitari consueverunt. De iisdem luculenter sic scribit Zonaras in Can. 74. Concilii Laodiceni: *Antiquus mos erat post communionem divinorum mysteriorum* συσσίτια, & συμπόσια, hoc est, *coëpulationes, & compotationes fieri, divitibus epulas suppeditantibus, & præterea pauperiores invitantibus.* Idem in Can. 2. Concilii Gangrensis docet *hujusmodi epulas, quæ per charitatem, & dilectionem fraternam præparabantur pauperibus, Agapas fuisse appellatas, quod essent mutuæ charitatis tesseræ atque symbola. Sic & omnia munera sive dona, quæ charitatis ergò exhibentur, eleëmosynæ,*

Agaparum descriptio ex Zonara & aliis.

hoc

hoc est, misericordiæ, & Agapæ, id est, *charitates*, *appellantur: unde mendici hac stipem petendi formula utuntur, ut faciamus ipsis charitatem.* Hæc Zonaras de Conviviorum horum nomine, fine atque usu. Eorundem quoque mentio fit in Constitut. Apost. Clementis lib. 2. cap 22. ubi pluribus explicatur, quomodo in illis sacerdotes, presbyteri, presbyteræ viduæ, diaconi, lectores, cantores, ostiarii sint portionum distributionibus honorandi. Eorundem meminit Clemens epist. 4. ad Ecclesiam Hierosolymitanam. Hujus consuetudinis Irenæus quoque meminit lib. 4. Justinus Apol. 2. Orig. lib. 3. Comment. in Jobum, quam suo quoque adhuc sæculo durasse August. testatur. Nam lib. contra Faustum Manich. 20. cap. 20. *Nec sacrificia gentium vertimus*, inquit, *in Agapas, sed sacrificium illud, quod paulò ante commemoravi, intelleximus, dicente Domino, Misericordiam potius volo, quàm sacrificium. Agapæ enim nostræ pauperes pascunt sive frugibus, sive carnibus. Pascitur enim creatura Dei de creatura Dei, quæ hominis dapibus congrua est.* Vincentius quoque scribit lib. 23. cap. 100. Ansbertum Rhotomagensem Episcopum, expletis cœnæ Dominicæ solennibus, cives in templum duci jussisse ad præparata convivia.

Agaparum abusus.

Hæc porrò convivia & bono animo atque zelo ab initio instituta, nempe mutuæ charitatis fovendæ atque pauperum inopiæ, famis sitisque sublevandæ causa, & diu summa cum modestia sobrietateque agitari solita, tandem pravum in abusum, in luxuriam, lasciviam atque petulantiam fuerunt conversa. Concilii Laodiceni cap. 28. cautum est, ne illa in templis fierent, ὅτι ἐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν τ͂ ἐκκλησίαις τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν, ἢ ἐν τῷ οἴκῳ ϛ θεϛ ἐσθίειν, ἢ ἀκκυβῖτα ςρωννύειν, hoc est, *Non oportet in basilicis seu ecclesiis Agapem facere, & in domo Dei manducare, vel accubitus sternere.* Idem postea Carthaginensi concilio statutum fuit. Temporibus August. in æde Felicis Martyris epulæ hæ parum sobriè celebrari fuerunt solitæ, a quo quidem luxu atque luxuria Pontius Paulinus Episcopus Nolanus historiam utriusque Testamenti, necnon sanctorum imaginibus in parietibus depictis, sui temporis atque diœceseos homines avocare est conatus. De iisdem extant quoque canones Constantinopolitani, qui quidem nunc omnino in desuetudinem & oblivionem abierunt. Hæc de Agapis, quæ quoniam & cœnæ Dominicæ fuerunt quasi comites, & sacris religiosisque in locis & quidem summa cum pietate castitateque celebrari solitæ (unde *disciplinæ* a Tertulliano appellantur) non dubitavi illas inter sacras religiosasque epulas referre.

Agapas in templis celebrari prohibitum.

De superstitiosis epulis.

Adhuc igitur de sacris & religiosis epulis dictum est, nunc de superstitiosis. Ethnici namque a veri Dei cognitione religioneque aversi Judæorum κακοζηλίᾳ, hoc est, perversa præposteraque imitatione, cùm sacrificia, tum epulas quasdam in fictitiorum suorum deorum seu dæmonum potiùs honorem instituerunt, quæ ab illis non modò vanissima superstitione, verùmetiam effrænata libidine atque luxuria diebus festis, sive feriis celebrari consueverunt. *Festis enim*, ut inquit Macr. lib. 1. Satur. c. 16. *insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ:* & paulò post: *Sacra celebritas est, vel cùm sacrificia diis offeruntur, vel cùm dies divinis epulationibus celebratur, vel cùm ludi in honorem aguntur deorum*, &c. Hinc ferias ipsas nonnulli, ut Festus, a feriendis victimis appellatas volunt, alii, ut Macrob. a ferendis epulis, propterea quòd in iis epulæ fiebant ex pecudum fructuumque proventibus. Ex his igitur constat Ethnicos certos quosdam instituisse in deorum suorum honorem dies, in quibus illos partim sacrificiis, partim epulationibus, partim denique ludis coluerunt. Verùm juvat hic paulò copiosiùs Judæorum morem cum Ethnicorum consuetudine conferre, ex quo epularum illarum superstitiosarum ratio meliùs patebit.

Feriæ unde dictæ.

Festivitatum Judaicarum, & Ethnicarum comparatio.

Primò igitur quemadmodum Judæi ex divinæ legis præscripto certos quosdam atque solennes habuerunt dies, quibus remoti ab omnibus aliis negotiis soli rei divinæ operam dederunt, sic Ethnici quoque commentitiorum illorum suorum deorum honori certos quosdam dies consecrarunt, ut paulò antea dictum est. Deinde ut apud Judæos sacri festique illi dies partim sacrificiis, partim epulis fuerunt celebrati, sic Ethnici quoque suas ferias partim sacrificando, partim epulando transegerunt, id quod duplex illa paulò antè allata vocis feriarum notatio satis indicat. Addiderunt autem ludos, ut ex Macrobii verbis constat, qui Judæis lege divina fuerunt prohibiti. Præterea ut & Judæi cum sacrificiis gratulatoriis epulas, & Christiani (Judæorum, ut videtur, imitatione) primogeniæ Ecclesiæ cum cœna Dominica (quæ sacrificiis illis successit) suas illas ἀγάπας, hoc est, *cœnas charitatis pietatisque plenas*, conjunxerunt, uti pluribus explicatum est, sic apud Ethnicos quoque sacrificiorum quasi individuæ comites fuerunt epulæ, ut passim ex plurimis litterarum monumentis constat, quas Paulus *dæmoniorum poculum* (quo libationes propriè intelligit) *atque mensam* appellat 1. Cor. 10. à quarum communione fideles acriter dehortatur. Ac ut de sacrificiis, de quorum variis generibus, atque tribus aliàs forsan dicetur, nunc taceam, epulas Ethnicorum sacras seu potius superstitiosas, cum Judæorum illis epulis libet comparare.

Collatio superstitiosarum epularum, quæ apud Ethnicos post sacrificia institutæ fuerunt, cum sacris Judæorum conviviis.

Primò igitur ut Judæi post peractum in altari sacrificium, de partibus seu reliquiis sacrificii instruere mensas atque solennes illas suas epulas consueverunt, sic Ethnici ex reliquis hostiæ partibus sive membris cœnam apparabant, quibus, qui sacris interfuissent, vesci licebat. Hæ partes, sive portiones a Græcis μερίδες, a Latinis interdum *Missæ* fuerunt appellatæ. Festus quoque testatur omnium carnium sacrificatarum partes *Strobula* Umbrorum lingua fuisse appellatas. Has autem cùm præsentibus distribuere, tum absentibus quoque mittere consueverunt. Et (ut testis est Aristoph. Scholiastes in Plutum, in illa verba, τϛτο ϳ τὸ κρεάδιον τ͂ ἔνδοθέν τις εἰσενεγκάτω λαβών) ἐκ θυσίας ἰόντες ἔφερον ἐξ αὐτῆς τ͂ θυσίας τοῖς οἰκείοις κατὰ νόμον τινα, hoc est, *ex legis præscripto illis, qui ex sacrificio domum redibant, portiunculam aliquam domesticis afferre, & impertiri fas fuit.* His adde, quòd sæpe carnes, quæ ex epulis illis sacris reliquæ fiebant, in macello publicè vendebantur, & ex his collecta pecunia ad sacerdotes redibat, cujus sanè moris August. in expositione propositionis 78. ex epist. ad Rom. meminit. Uterque mos colligi potest cùm ex illis Pauli verbis 1 Cor. 10. *Quicquid*

quid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam, tum ex illis quæ ſequuntur: *Quod ſi quis infidelium vos vocat, & vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. At ſi quis vobis dixerit, Hoc idolis immolatum eſt: ne edite propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam*, &c. Apud Judæos autem neutrum horum fuit conceſſum, nam in ipſo templo reliquias omnes abſumere, nonnunquam etiam comburere cogebantur.

Deinde apud Judæos nefas fuit re divina nondum peracta cibis veſci, quo nomine filii Eli graviter reprehenduntur: idem moris fuiſſe apud Ethnicos vel proverbium illud vulgò jactatum, *Haud immolata ſacra ſæpe devorat*, ſatis teſtatur, quod in intemperantes & ventri deditos dici ſolet. Hinc Plutar. in Sym. ſcribit, priſci ſæculi homines inter res ſacras menſas habuiſſe, & priùs *ἀπαρχὰς*, id eſt, *primitias*, diis conſecraſſe, quàm ad edendum accumberent. Tum ut Judæi, ita Ethnici quoque ad ſua illa ſacrificia atque epulas ſacras amicos, cognatos, familiares & vicinos, quos volebant invitabant, ad quas extraneis non patebat aditus. Præterea ut Judæi in templo ſimul & ſacrificare, & epulari conſueverunt, ſic idem ab Ethnicis factitatum fuiſſe legimus.

Re divinâ nondum peracta non licebat cibis veſci.

Amici & familiares ad epulas ſacras invitabantur.

Adhæc ſuprà dictum eſt, Deum præcepiſſe Judæis ut ſacras illas epulas, depoſito omni mœrore, cum ſummo animi gaudio celebrarent, id quod trita & uſitata in ſacris litteris loquendi conſuetudine eſt *lætari coràm Domino*: quo quidem gaudium non futile, laſcivum ac petulans, ſed pium, verecundum, modeſtum moderatumque exprimitur ceu Deo ipſo præſente omniaque audiente ac inſpectante. Eodem modo Ethnici in ſuis illis ſacrificiis epulisque ſacris cùm hilaritatem atque lætitiam, tum verecundiam atque modeſtiam adhibendam eſſe cenſuerunt, ceu diis ipſis, in quorum honorem illa fiebant, præſentibus, & auritis oculatisque omnium eorum quæ agerentur, teſtibus. Hujus rei luculentum teſtimonium Athen. perhibet lib. 8. Dipnoſoph. his verbis, *Antiqui*, inquit, *cum Deos ἀνθρωποειδεῖς*, hoc eſt, *humana ſpecie atque forma præditos eſſe ſtatuerent, his ea quæ in feſtis fiunt accommodarunt. Nam cum vidiſſent hominum impetum, quo rapiuntur ad voluptatem, non omnino reprimi ac cohiberi poſſe, utile autem in primis ac conducibile eſſe, ſi his ipſis εὐτάκτως, καὶ κοσμίως*, hoc eſt, *compoſitè moderateque uti aſſueſcerent, certo quodam definito ac conſtituto tempore, ac prius re divina facta, illos ad animi remiſſionem dimiſerunt, ita ut quiſque eorum perſuaſum habens, ipſos deos ad primitiarum oblationem atque libamina accedere, tanto majori cum pudore atque verecundia cœtus conviviaque illa concelebrarent. Hinc Homerus:*

Hilaritas atque lætitia modeſta in ſacris conviviis adhibebatur.

Ἦλθε δ᾽ ἀθήνη ἱρῶν ἀντήσουσα,

Id eſt,

Pallas venit obvia ſacris.

& alio in loco,

Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ᾽ ἐόντας

Ἀντιόων ταύρωντε, καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης,

Hoc eſt,

Æthiopas ad longinquos venit, adfuit ille
Mactatis agnis, ac tauris fortè ſacratis.

Item, ---- Καὶ ὁ ζεὺς
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοί τ᾽ ἅμα πάντες ἕποντο.

Id eſt, ---- *Et Juppiter*
Ivit ad heſternos convivia lauta, ſecuti
Pone Dei ſimul omnes.

Addit idem, *Si vir quiſpiam adſit provectioris ætatis atque honeſtatis ſtudioſus, pudet homines turpe quid dicere, aut facere, ſecundum illud Epicharmi*, ἀλλὰ καὶ σιγῆν ἀγαθὸν ὅκα παρέωσι κάῤῥονες, hoc eſt, *ſed & ſilere bonum eſt ſi meliores adſint. Quantò igitur magis cum ipſos Deos ſibi perſuaderent eſſe præſentes, feſtivitates illas* κοσμίως καὶ σωφρόνως, hoc eſt, *decorè temperanterque celebrabant. Unde neque accumbere moris apud antiquos, ſed ſedentes epulabantur, neque ad ebrietatem uſque bibebant, ſed libatione prius peracta tantùm quiſque bibebat, quantum illi ſuadebat animus, ac deinde ſinguli domum abibant.* Hæc ille. Hic nunc ſic animis noſtris reputemus. Quod ſi Ethnici impura atque ſacrilega ſua ſacra ob deorum ſeu dæmonum potiùs præſentiam ſibi magna cum reverentia atque modeſtia facienda eſſe duxerunt, quantò majori cùm animi corporisque ſynceritate atque caſtitate nos Chriſtiani vera illa noſtra atque ſalutaria ſacra, nobis ab ipſo Deo mandata, obire atque peragere debemus, ipſo Deo præſente, cui omnia noſtra non dicta ſolùm atque facta, verùmetiam cogitata atque adeò intimos animorum noſtrorum receſſus perſpectos penitus exploratosque eſſe certò ſcimus.

Veterum modeſtia in feſtivitatibus.

Veteres non accumbebant, nec ad ebrietatem bibebant.

Quantò major modeſtia Chriſtianis in feſtis adhibenda.

Verùm, ut ad propoſitum redeam, quemadmodum & ſacræ illæ Judæorum epulæ, & illæ Chriſtianorum Agapæ, ſicuti dictum eſt, tandem in luxurioſam laſciviam abierunt, ſic Athenæus quoque in ſequentibus conqueritur illa antiquorum Ethnicorum ſacra atque epulas in laſcivum luxurioſumque abuſum fuiſſe commutata. *At verò*, inquit ille, *qui nunc ſe diis ſacra facere ſimulant, vocatis ad ſacrificia illa ſua epularia amiciſſimis atque familiariſſimis, tandem* (ubi nimirum vino bene ſunt ſaburrati) *& liberos ſuos diris devovent, & uxores maledictis proſcindunt, & domeſticos atque ſervos malè verberibus tractant, & denique obviis quibuſque dira quævis minantur, tantùm non Homericum illud uſurpantes:*

Epularum ſacrarum & feſtivarum abuſus.

Νῦν

Festivarum Christianorum epularum luxuria.

Νῦν δ᾽ ἔρχεσθ᾽ ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα.

Hoc est,

Quod superest læti gestis bene corpora rebus
Procurate viri, & pugnam sperate parati.

Huc facit graphica illa festorum gentilium descriptio, facta a Juvenale Satyr. 14.

---- Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus, ac ducibus, ne
Lætum hilaremque diem, ne magna gaudia cœna
Sentirent positis ad templa, & compita mensis
Pervigilique thoro, quem nocte ac luce jacentem
Septimus interea Sol invenit.

Et paulo post: *---- Inde virorum*
Saltatus nigro tibicine (Æthiope scilicet) *qualiacunque*
Unguenta, & flores multæque in fronte coronæ
Hinc jejunum (id est, acre) *odium, sed jurgia prima sonare*
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ
Dehinc clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ:
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus
Integer: aspicies jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos
Indere se credunt ipsi tamen, & pueriles
Exercere acies, &c.

Ex his verbis nostrorum festorum atque conviviorum festivorum clarissimam habes expressamque imaginem, in quibus plurimi exuto omni ferè, non dicam Christiano, sed humano quoque sensu atque ratione in bestias quasdam feras, seu furias potius infernales ἀνθαιρέτου illius δαίμονος, ut eum Chrysostomus appellat, hoc est, Bacchi vi atque efficientia transformantur, ita ut non modò in alienos & extraneos, sed etiam in amicos, familiares atque domesticos, atque adeò in fidissimas suas thori consortes, in dulcissima sua pignora atque viscera, dictis factisque immanissimè debacchentur atque sæviant. Verùm quanta illa Ethnicorum convivia non modo superstitione, verùmetiam ἀσωτίᾳ καὶ ἀσελγείᾳ celebrari fuerint solita, Athen. lib. 2. Seleuci testimonio confirmat, qui litteris memoriæque prodidit, antiquitus hac opinione homines fuisse imbutos, ut neque vino neque voluptatibus sibi indulgendum esse existimarent, nisi id deorum gratia fieret, unde & θοῖναι, & θαλίαι, & μέθαι ab illis fuerunt dictæ: ac θοίνας quidam, ὅτι διὰ θεοὺς οἰνοῦσθαι δεῖν ὑπελάμβανον, hoc est, *quia deorum gratia fas esse putabant vino sese liberalius invitare.* θαλίας autem ὅτι θεῶν χάριν ἠλίζοντο, καὶ συνήεσαν, hoc est, *quia deorum gratia convenire solebant*, hoc enim esse δαῖτα θάλειαν, quod sæpe apud Homerum occurrit. Inde quoque, ut vult idem lib. 1. ἀπαθαλία, hoc est, *impietas*, dicta est, ὅτι ἐν ταῖς θαλίαις τὰ πρῶτα ἐξημάρτανον οἱ ἄνθρωποι εἰς ἀλλήλους, hoc est, *quia in splendidis illis deorum festivitatibus atque epulis primò homines cœperunt mutuis sese invicem injuriis afficere.* μεθύειν quoque, addit idem, Aristoteles vult dictum διὰ τὸ μετὰ θύειν αὐτῷ χρῆσθαι, hoc est, *post sacrificia liberalius se invitabant, ac mero genioque indulgebant*, εἰλαπίνας quoque, ut idem docet lib. 8. veteres appellarunt τὰς θυσίας, καὶ τὰς λαμπροτέρας παρασκευάς, hoc est, *sacrificia, & splendidiores apparatus*, quorum qui erant participes, dicti sunt εἰλαπινασταί, *coëpulones.* Sic idem eodem in loco & θιάσους ἀπὸ τοῦ θεοῦ, (quoniam Lacedæmonii deos σιοὺς appellabant) & εὐωχίας non ἀπὸ τῆς ὀχῆς, id est, *cibo*, sed ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν vult dictas, εἰς ἃς δὴ συνιόντες οἱ τὸ θεῖον τιμῶντες, καὶ εἰς εὐφροσύνην, καὶ ἄνεσιν αὑτοὺς μεθιέντες, τὸ μὲν ποτὸν μέθυ, τὸν δὲ τοῦτο δωρησάμενον θεὸν, Μεθυμναῖον, καὶ Λυαῖον, καὶ Εὔιον, καὶ Ἰήιον προσηγόρευον, hoc est, *Sed quod in iis bene haberent, ad qua convenientes, qui numen venerantur, & ad lætitiam animique remissionem sese demittentes, potum quidem* μέθυ (ἀπὸ τοῦ μεθιέναι) *ejus datorem Methymnæum, Liæum, Euium, & Jeïum appellarunt.* Eandem ob causam etiam ipsum Dæmonium ἵλεων, hoc est, *propitium* (quæ vox idem est quod ἱλαρὸς) sibi precabantur, acclamationibus vocis, *Io Io*, & ipsum locum, in quo hæc peragebantur, ἱερὸν, quasi ἵλεων, sive ἱλαρόν. Ex his omnibus apparet, Ethnicos in sacris illis seu sacrilegis potius suis epulis (quas idcirco θοίνας, θαλίας, εἰλαπίνας, θιάσους, & εὐωχίας appellarunt) existimasse sibi fas esse cùm in reliquorum deorum, tum in primis in Bacchi ceu vini lætitiæque datoris honorem, lætitiæ, lasciviæ atque petulantiæ effuse effrænateque indulgere. Unde Demetrius apud Livium Dec. 4. lib. 10. *Non est res qua erubescam pater, si die festo inter æquales largiore vino sum usus.* Hinc Plato lib. 2. Leg. statim ab initio, οἱ θεοὶ, inquit, οἰκτείραντες τὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ πόνον πεφυκὸς γένος, ἀναπαυλάς τε αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο τὰς τῶν ἑορτῶν ἀμοιβὰς τοῖς θεοῖς, καὶ μούσας, Ἀπόλλωνά τε, καὶ Διόνυσον ξυνεορτασὰς ἔδοσαν, ἵν᾽ ἐπανορθῶνται τάς γενομένας τροφὰς ἐν ταῖς ἑορταῖς μετὰ θεῶν, hoc est, *Dii idcirco genus humanum ad labores miseriamque natum miserati, laborum intermissiones atque relaxationes constituerunt, dierum videlicet festorum*

Quanta luxuria atque libidine Ethnici festa sua celebrarint.

θοῖναι. θαλίαι.

ἀπαθαλία.

μεθύειν.

εἰλαπίναι.

θίασοι.

μέθυ. Bacchi epitheta.

ἵλεως idem quod ἱλαρὸς. ἱερὸν quasi ἵλεων, sive ἱλαρόν.

Festivitatum finis secundum Platonem.

festorum celebritates in illorum honorem, & Musas, & Apollinem Musarum ducem, & Liberum patrem, quasi festivitatum illarum præsides tribuerunt, ut corrigerent, & ad modum mediocritatemque revocarent dapes illas, quæ fiunt post rem divinam. Idem potest colligi ex illis verbis Simonidis apud Xenophontem in Hierone, quibus probat, tyrannorum voluptates privatorum voluptatibus minores esse. Namque usitata & solennia superare, hoc præbet voluptates. Idcirco etiam omnes homines diebus festis delectantur, præterquam tyranni. Eorum enim mensæ omnibus epulis semper instructæ ac refertæ, nullum in diebus festis augendi apparatus relinquunt locum. Itaque hac primùm spei jucunditate privatis cedant necesse est. Huc quoque facit illud Epicharmi, quod ab eodem citatur, *Ex sacrificio*, inquit, *epulum, ex epulo potatio, ex potatione Comus, ex Como* θοινία, id est, *ludus, ex ludo judicium, ex judicio condemnatio, ex hac compedes, sphacelus, mulctatio provenit.* Notanda hic est tartarei illius serpentis astutia. Deus, ut suprà dictum est, voluit Judæos in epularibus illis sacrificiis coram se lætari, hoc est, piæ, castæ modestæque lætitiæ indulgere. Diabolus itaque ceu impura Dei simia, suos similiter ministros atque cultores fictæ religionis specie ad libidinem luxuriamque impulit, cum illis persuaderet, hoc modo sese maximam a vanissimis illis suis numinibus gratiam inire. Hinc præterea colligimus idololatriæ atque superstitionis comitem atque sociam perpetuam esse voluptatem, quam rectè Plato omnium malorum escam esse dixit.

Diaboli astutia.

Idololatriæ comes voluptas.

Nunc exempla quædam epularium hujusmodi sacrificiorum, sive epularum sacrificialium, quibus Ethnici usi sunt, ex innumeris pauca proferam, primò ex sacris, deinde ex prophanis litteris. Antiquissimum, cujus in sacris literis fit mentio, est illud Judæorum epulum, quod Ethnicorum imitatione, in illa sua moscholatria, hoc est, vituli aurei cultu, celebrarunt, in quo cantilenis, choreis, tripudiis lascivis atque petulantibus dicuntur indulsisse. Sic enim scriptum est Exod. 32. *Et summo mane surrexerunt sequenti die, atque obtulerunt holocausta atque hostias pacificas, seditque populus ut manducaret, & biberet, postea surrexerunt ut luderent.*

Epularum superstitiosarum & luxuriosarum exempla. Judæorum in vituli aurei cultu epulum.

Sic Israelitæ commorantes in Sittim cum Moabiticis mulieribus, a quibus ad sacrificium vocati fuerant, & cibum ceperunt, & idololatriam commiserunt, & turpissimam stupri consuetudinem habuerunt.

Israelitarum cum Moabitis scortis epulæ.

Judicum similiter 9. cap. Sichemitæ uvis collectis, & calcatis in Dei sui templum, sacra nimirum sua procurandi causa, ingressi fuisse dicuntur, & cibum potumque sumpsisse.

Sichemitarum convivia.

Sic (ut Judic. 16. scriptum est) Palæstinorum satrapæ convenerunt, ut Dagoni suo magnifica sacra (quæ ut testis est Athenæus τελεταὶ propriè a Græcis appellantur) facerent, & ut lætarentur, hoc est, ut rectè exponunt interpretes, ut convivia læta ludosque agitarent.

Palæstinorum convivia sumptuosa.

Antiochus Epiphanes cum in templo Hierosolymitano Jovis Olympii idolum collocasset, Judæos ad illud colendum impulit. In templo itaque partim comessationes luxuriosissimæ, partim stupra flagitiosissima committebantur, ut 2 Machab. 6. scriptum est.

His adde epulas Belo, & Draconi quotidie apponi solitas, quæ a sacerdotibus noctu clàm in templum introëuntibus fuerunt consumptæ, qui dolus tamen comprehensus & patefactus, ipsis mortem exitiumque attulit, ut Baruchi historiola testatur. Similia exempla habes 1 Corint. 10. cap. de quibus suprà dictum est.

Beli & Draconis epulæ.

In prophanis verò literarum monumentis innumera hujusmodi conviviorum exempla occurrunt, unus Homerus tibi innumera suppeditabit: ut Ιλ. α. magnificentissimi sacrificii Hecatombæi, quod rex Agamemnon per Chrysen sacerdotem Apollini pro Danais fieri curavit, necnon epuli, quod sacrificium illud statim fuit consecutum, mentio fit. Item Ιλ. β. idem rex Jovi bovem immolavit, ad quod sacrificium seniores Græcorum proceres dicitur vocasse. Idem (fuit enim φιλόθυτος) ut Ιλ. η. scriptum est, Jovi similiter bovem sacrificavit.

Agamemnonis sacrificia.

Οδ. γ. magnificentissimum sacrificium epulare 82. nimirum taurorum describitur, quod Nestor unà cum suis in littore maris Neptuno obtulit. De hoc sacrificio atque epulo sic Athen. differit lib. 1. *Nestor licet rex esset, multisque imperaret, tamen cum amicissimis tantùm atque familiarissimis suis liberis pretiosum sumptuosumque illud sacrificium atque epulum celebravit:* addit deinde sententiam observatu dignam, ὁσιοτάτη γὰρ αὕτη ἡ θυσία τοῖς θεοῖς, καὶ προσφιλεστάτη ἡ διὰ τῶν οἰκείων, καὶ συνήθων ἀνδρῶν, hoc est, *Sanctissimum enim diisque gratissimum est illud sacrificium, quod per illos fit, qui mutua familiaritate atque benevolentia sunt conjuncti.* Hæc Ethnicus ille naturæ instinctu sensit: quantò verius nos Christiani illud de sacrosancto illo nostro epulo Dominico & sentire & dicere possumus, illud nimirum tantò Deo gratius & acceptius esse, quo major est & ardentior eorum, qui illo simul participant, benevolentia mutua atque charitas.

Epulum sacrificiale Nestoris.

Nota.

Præterea, ut quò digressus sum, redeam, Οδ. θ. Alcinous Jovi dicitur bovem immolasse: quò pacto?

Alcinoi sacrificium.

---- δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα
τερπόμενοι, μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδός.

Hoc est,

Summa cum jucunditate, cantuque suavissimo
Gloriosum illud convivium celebrarunt.

Οδ. π. similiter Græci in umbroso loco in Apollinis honorem Hecatombem fecisse, ac post illam magnificum epulum agitasse leguntur. Verùm præ aliis memorabile in primis, & eximium fuit Nestoris illud & sacrificium, & epulum, quod Οδ. π. sub finem copiosè describitur.

Græcorum Hecatombe.

Convivii quoque sacri prolixam admodum descriptionem habes libro 1. Argonaut. apud Apollonium:

---- ἀθανάτοισι θυηλὰς
ῥέξαντες (Argonautæ) μέγα δόρπον ἐφωπλίζαν, &c.

Hoc est, *Cum diis rem divinam fecissent, magnam instruxerunt cœnam.* Similis epuli exemplum habes apud eundem lib. 2.

Etſi autem Ethnici omnium ſuorum deorum feſtos dies, partim ſuperſtitionibus vaniſſimis, partim comeſſationibus atque compotationibus immaniſſimis, quas illi ſacras appellabant, celebrarunt, tamen præ cæteris omnibus diis Bacchum, Cererem, Venerem atque Saturnum omni laſciviæ, petulantiæ, libidinum ac voluptatum genere ſibi colendos eſſe duxerunt, ac proinde in illorum feriis ebrietati, gulæ, ludis atque libidinibus religionis obtentu atque ſimulatione maximè indulſerunt.

Bacchi feſta. Nam primò quidem quoad Bacchum, Græci primùm, deinde etiam Romani illum multis cæremoniis, libidinibus atque ſympoſiis execrandis coluerunt. Nam cum illum (forſan pro Noacho Bacchum ſive Jacchum accipientes) primùm vini, quod quidem lætitiæ cauſa eſt, inventorem atque authorem eſſe ſibi perſuaſiſſent, meritò illum omni lætitiæ ac voluptatis genere ſibi honorandum eſſe ducebant. Et huc faciunt illa ſupra citata Athenæi verba, qui & convivia, ad quæ δαιμόνιον illud (ſic enim Bacchum appellat) colendi gratia homines

Græci ſuperſtitioſa & ebrioſa natio. conveniebant, εὐωχίας, ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν, & vinum illius donum μέθυ ἀπὸ τοῦ μεθιέναι αὐτοὺς εἰς εὐφροσύνην, καὶ ἄνεσιν, & ejus datorem Μεθυμναῖον, Λυαῖον, καὶ Ἰήιον nimirum a lætitia atque hilaritate nominabant: item Εὔιον a

ὄργια. ſymbolo Orgiorum, quod ſerpens fuit, qui a Syris εὔα dicitur, a quo eſt *evanteis* verbum contra ſententiam Servii apud Virgilium in ſexto Æneid.

Illa chorum ſimulans evanteis orgia circum,
Ducebat Phrygias.

Ubi *evanteis* cum Druſio expono εὐάζοντες καὶ τὸν εὔαν ἐπολολύζοντες. & addo σημεῖον ὀργείων βακχικῶν olim ſerpentem fuiſſe. De qua re, deque item vocabulo εὔα, quod in lingua Syrorum *ſerpentem* denotat apud Euſeb. lib. προπαρ. ſecundo fit mentio per hæc verba: Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι βάκχοις ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες. καὶ τελίσκουσι τὰς κρεανομίας τῶν φόνων ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν. ἐπολολύζοντες εὔαν ἐκείνην, δι' ἣν ἡ πλάνη παρηκολούθησε, καὶ ὁ θάνατος ἐπηκολούθησε. καὶ σημεῖον ὀργείων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος. αὐτίκα γοῦν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν ἑβραίων φωνὴν τὸ ὄνομα τὸ εὔα δασυνόμενον ἑρμηνεύεται ὄφις θήλεια. Hactenus Euſebius. Ex quibus verbis colligit Druſius verbum quod eſt εὐάζειν, a ſerpente deductum. Servio autem enarranti locum illum Virgilii ſuam relinquit ſententiam. Atque ita apparet Græcos ſuperſtitioſam, & ebrioſam nationem varia & multiplicia in Bacchi honorem ſacra ludos atque ſympoſia inſtituiſſe.

Hæc primò generatim dicta ſunt ὄργια (qua tamen voce, ut Grammatici docent, communiter omnis generis ſacra Græcis dicuntur, ut Latinis *Cæremoniæ*) vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id eſt, *a furore*, (teſte Euſebio de Præpar. Euang. unde & *Mænoles*, id eſt, totus furens, & *Mænalas* muliebri habitu amictus ab Origene contra Celſum, & μανικὸς ab Orpheo in hymnis dictus eſt) vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id eſt, *a montibus*, in quibus præcipuè celebrabantur, ſecundum illud Virgil.

----Qualis commotis excita ſacris
Thyas, ubi audito ſtimulant Trieterica Bacchi
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron.

Oreos Liber pater, ait Feſtus, *ut & Oreades nymphæ appellantur, quòd in montibus frequenter appareant: Hinc Phurnutus ait quoſdam dicere, in monte Nyſio Jovem primùm vitam produxiſſe, unde Dionyſii nomen.* Quid ſi *a monte*, quia *Bacchus amat colles*, ut Virgil. inquit?

διονύσια. Deinde appellata ſunt διονύσια, eò quod Bacchus ipſe appellatus eſt διόνυσος, & διονύσιος, vel (ut nonnulli volunt) a διὸς καὶ νῦσα, id eſt, Jove patre, & Nyſa urbe Arabiæ, in qua fuit à nymphis educatus, vel, ut Plato vult, & Heſiodi interpres, quaſi διδοίνυσος a διδόναι τὸν οἶνον, id eſt, *quia dator ſit vini*, vel, quod Phurnuto placet, ὡς διόνυξος ὤν, *quaſi nos adaperiens*, ſive παρὰ τὸ διαίνειν ἡμᾶς ἡδέως, *quia ſuaviter nos irriget*: vel quaſi διάλυσος inverſione α. in ο. & λ. in ν. *quod curis ſolvat modicis, & nimiis animum*, unde & *Alyſius* dictus, & *Lyæus*. Illi, qui Bacchum voluerunt eſſe Solem, ut phyſici, Dionyſium exiſtimarunt eſſe dictum, vel quaſi διὸς νοῦν, id eſt, *mentem Jovis*, ut Macrobius ſenſit, vel, quæ Orphei fuit ſententia, ἀπὸ τοῦ δινεῖσθαι καὶ περιφέρεσθαι, *quòd circumferatur in ambitum*, vel denique, ut Cleanthes, Artemidorus lib. 2. Onirecriticôn, & Suidas opinati ſunt, ἀπὸ τοῦ διανύειν, id eſt, *a perficiendo*. Dionyſia autem apud Athenienſes bina fuiſſe ſcribit Joſephus Scaliger de emendatione temporum: altera verna, quæ Διονύσια ἐν λίμναις a loco veteris oppidi: & ἀστικὰ, id eſt, *urbana*: & ἀνθεστήρια fuiſſe appellata Thucydidis teſtimoniis probat: quæque menſe Elaphobolione agebantur. Probat enim idem Scaliger authoritatibus Senecæ, Appiani, Plutarchi & Demoſthenis, Antheſteriona eſſe menſem vernalem. Altera fuerunt Hyemalia, quæ myſteria menſe Boëdromione quotannis fiebant, ut teſtis eſt Plutarchus in Camillo & Demetrio.

λήναια. Λήναια quoque fuerunt Bacchi ſacra dicta, quoniam ipſe ληναῖος *Lenæus* dictus, ut Euſebius, Diodorus, & alii teſtantur, quòd vindemiis & torcularibus præſit. Hinc *Lenæon* menſis Athenienſium dictus, in quo ſimiliter illius ſacra *Lenæa* peculiariter dicta celebrabantur, teſte Suida. Prima autem ejuſdem ſacra Athenis per agros a menſe Poſideone agi ſolita fuiſſe, ut Lenæa menſe Lenæone, Dionyſia Elaphobolione, Gyraldus in libris *de Diis gentium* ſe in Græcis reperiſſe dixit.

Omophagia. Ὠμοφάγια etiam quaſi dicas *crudivora*, Bacchi ſacra dicta fuiſſe, Arnobius his verbis teſtatur, *Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum eſt, in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus: atque ut vos plenos Dei numine ac majeſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Capri facit mentionem propterea quod Baccho antiquitus hircus, ſeu caper mactabatur, quod hoc animalis genus vites maximè rodat, ut Virg. 2. Georg. Ovid. in Faſtis, Prudentius contra Symmachum & alii teſtantur.

Θεοίνια similiter Hesych. fuerunt θυσίαι, id est, sacra Dionysii apud Athenienses, qui θεοίνιος fuit appellatus, id est, *Deus vini.* Θεοίνια.

Præterea æque Græcis & Latinis *Trietèrica* Bacchi sacra, hoc est, *Triennalia*, dicta sunt, ut Ovidii, Virgilii, Statii, & aliorum testimoniis facilè probari potest, & ipse dictus est *Trietericus.* Plutarch. Sympos. lib. 4. Probl. 5. festum *tabernaculorum* Judaicum τελετεραχῆ παντελεία confert, de quo suprà satis dictum est. Trieterica.

Jam verò quoniam detestanda illa sacra noctu antiquitus peragebantur, νυκτέλια, teste Servio in 4. Æneid. fuerunt nominata, hoc est, *nocturna*, & ipse Bacchus νυκτέλιος a Plutarcho, Ovidio, Pausania, hoc est, *nocturnus*, a νυκτελέω, id est, *in nocte perficio.* Unde Virgil. Νυκτέλια.

---- Ubi audito stimulant Trietèrica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.

Dictus quoque est eandem ob causam & φαυςήριος, id est, *Phausterius* & λαμπτήρ, cujus templum fuit apud Pallinenses, in quo celebritas agebatur, quam a deo illo λαμπτηρίαν vocabant, nimirum ἀπὸ τ̃ λαμπτήρων, id est, *a lampadibus atque facibus.* Nam, ut Pausanias author est, noctu ea solennitas celebrabatur, facesque ad templum ferebant, atque ita benè poti crateras per totam urbem statuebant, quò melius quisque deum coleret. Nam, ut Paulus inquit, *qui inebriantur, noctu inebriantur*, cui congruit illud:

Nox, & amor vinumque nihil moderabile suadent.

Hinc rectè Bacchanalia quæ hodie quoque a Christianis noctu potissimùm agitantur summo cum furore atque amentia, a Germanis Faßnacht corrupta voce, quasi *nox Bacchi*, appellatur, tametsi nonnulli dicta volunt Faßnacht / id est, *nox doliorum*, propterea quod plurima vini dolia in illa nocte exhauriantur. Poloni *Gody* a gaudio nimirum, Itali *Camevaille*, Galli *Carmentaran* vocant, id est, *carnisprivium.*

Αμβροσία quoque Dionysii festum apud Jonas fuisse Gyraldus scribit. Αμβροσία.

Præterea apud Athenienses mensis *Anthesterion* dictus (quem alii, ut Gaza, autumnalem faciunt, plures, ut Macrobius, & Philostratus, vernalem, sic dictum, teste Harpocratione, quod tum flores ex terra nascuntur) totus Baccho fuit sacer, in quo illius sacra quædam peragebantur, quæ ἀνθεςήρια, πιθοιγία, χόες, χύτροι fuerunt appellata. Theophilus scribit Anthesteria ab Atheniensibus *Dionysia* appellari. Thucyd. lib. 2. Baccho sacra fieri 10. mensis Anthesterionis; Apollodorus, teste Suida, in genere totam celebritatem Bacchi vult Anthesteria vocari, illius partes Pithœgiam, Choas, & Chytram. Verùm de singulis seorsim dicemus. Anthesterion mensis Baccho apud Athenienses sacer.

In Anthesteriis, ut a Latinis in Saturnalibus, servos conviviis liberalibus excipi solitos fuisse ex proverbio illo videtur posse colligi, *Ite foras Cares* (κᾶρες θύραζε, quasi dicat *servi*) *non amplius Anthesteria*, ut Gyraldus in suis annis, & mensibus annotat. Fuit & proverbium alterum, ἡ κίσσος μετ' ἀνθεςήρια, *hedera post Anthesteria*, cum serius quippiam fit & post tempus. Nam hedera Baccho fuit sacra, & in sacris Bacchi κιττοφόροι erant, id est, *hederigeri.* Anthesteria.

Πιθοιγία, inquit Suidas, ἡ τ̃ πίθε ἄνοιγη, (cujusmodi ferias ab apertione cadorum nominat Hesiodus) festum erat Bacchi, in quo dolia relinebant, & amicis potum præbebant. Cæl. lib. 15. cap. 25. & Hadrianus Junius in libro *de annis & mensibus* ex Plutarcho & Proclo. De eodem sic Plutarch. 3. Sympos. 71. *Athenis undecimo die mensis Anthesterionis primitias novi vini delibant, diemque illum a doliis reserandis* πιθοιγίαν (corruptè in quibusdam exemplaribus πιθοινία legitur) *vocant, utque apparet antiquitus de vino antequam gustarent libantes, vota faciebant, ut sibi usus ejus medicamenti salutaris, & innoxius foret. Apud nos mensis* προςατήριος *dicitur, quasi Patronalis, sextaque ejus die statutum est sacris bono genio* (ἀγαθῷ δαίμονι) *factis, gustare vinum post flatum Favonii, is enim ventus omnium maximè vina movet, ac mutat, & quod vinum hunc subterfugit, id putatur perduraturum.* His Pithœgiis respondent Romanorum Vinalia, & nostra Martinalia, quibus similiter cados musti resignamus, & vinum novum primò degustamus. Veteres enim hanc consuetudinem abrogare cupientes in ejus locum S. Martini, non Papæ, sed Episcopi Turonensis, qui obiit circa annum 382. sub Theodosio Imp. solennitatem 11. die Novembr. celebrandam instituerunt: quo tempore idem ferè mos observatur hodie apud Christianos, qui olim apud Gentes. Hoc festum instituit Martinus Papa anno 650. secundum Chronicon Martini. Ejusdem meminit & Vincentius lib. 25. cap. 54. Pithœgia.

Χόες, sive χῦς sacrum fuit institutum a Themistocle in honorem Bacchi a mensura seu vase vocabulo, ut videtur, deflexo, unde & ipse Dionysius *Choopotes* fuit cognominatus. De illo festo sic scribit Suidas: *Choes festum est, quod Athenis agebatur mense Athesterione, cujus hæc ratio atque origo traditur: Orestes cùm interfecta matre Athenas venisset, Athenienses illum hospitio convivioque exceperunt, nec tamen eodem cum illo vino participarunt, verùm choas illi vini plenas seorsim apposuerunt.* De eodem sic idem scribit, nec non Aristoph Scholiastes in Equitibus, in illa verba, οἴνε χοᾶ. χῦς, *Chus mensura est Attica capiens* ς *cotylas. Est præterea festum Atheniensium hac de causa sic appellatum: Orestes propter matris cædem profugus, Athenas se contulit ad Pandionem cognatum suum, Atheniensium regem. Is cùm publicum quoddam epulum eo tempore fortè celebrasset, & Orestem neque præ pudore dimittere, neque præ religione ad potus mensæque communionem admittere auderet, cùm nondum esset expiatus, ne ex eodem cratere biberet, singulis convivis choem, sive choam apposuit.* Ibidem Suidas testatur, festum hoc 12. mensis Anthesterionis die celebratum fuisse, & teste Apollodoro, solam quidem illam Bacchi festivitatem ἀνθεςήρια dictam fuisse, illius autem partem πιθοιγίαν. Epuli hujusce χοῶν apparatum Aristoph. in Αχαρνῆς egregiè his verbis describit, Festum χοῶν.

----- ἐπὶ δεῖπνον ταχὺ
βάδιζε, τὴν κίςην (ὀψοθήκην) λαβὼν, καὶ τ̃ χόα,

Ο τοῦ Διονύσου γὰρ σ' ἱερεὺς μεταπέμπεται.

Et paulò post: Τὰδ' ἄλλα πάντ' ἐστὶν παρεσκευασμένα,

Κλίναι, τράπεζαι, προσκεφάλαια, στρώματα,

Στέφανοι, μύρον, τραγήμαθ', αἱ πόρναι πάρα,

Αμυλοι, πλακοῦντες, σησαμοῦντες, ἴτρια,

Ορχηστρίδες, τὰ φίλταθ' ἁρμοδίου, καλαί.

Id eſt,

----- *Ad cœnam citò*

Te confer ciſtam accipiens atque choa.

Nam Dionyſii te ſacerdos accerſit.

Reliqua verò omnia ſunt parata,

Lecti, menſæ, pulvini, ſtrata,

Coronæ, unguentum, bellaria, ſcorta adſunt,

Amyli, placentæ, ſeſami, itria ſive liba (certa ſunt placentarum genera, de quibus poſtea.)

Saltatrices, Harmodii carmina, pulchræ.

His verbis uno quaſi faſciculo habes comprehenſa omnia, quæ cùm ad hujuſce χοῶν, tum cujuſvis alterius epuli antiqui apparatum pertinebant. Horum autem quædam ab invitatis afferebantur in illo epulo *choôn*, alia ab invitantibus ſubminiſtrari ſolebant, ut Scholiaſtes in hunc locum annotat. *Invitati enim ſecum adferebant* ἑψήματα, *cibos coctos, nimirum* ἀμύλους (βρῶμα τὸ μὴ πεπλωκὸς ὑπὸ μύλων, teſte Euſtath. Ιλ. π. id eſt, *placentæ genus* ἄθρυπτον, *in quo comminuendo dentes molares non laborant*) πλακοῦντας, *placentas*, σησαμοῦντας (σησαμοῦς εἶδος πλακοῦντος, σήσαμη τὴν καλοῦμεν σησαμίδα, teſte Scholiaſte) ἴτρια (τὰ πυρώδη πλάσματα.) *Afferebant præterea ſecum* κίστην, id eſt, ὀψοθήκην (unde forſan Latinum *ciſta*, & vernaculum noſtrum kiſten) nec non χοᾶ, *poculum, ne alio poculo communicarent, idque propter cauſam ſupra de Oreſte commemoratam. Illi verò, qui vocabant, ſolebant ſuppeditare, & apponere coronas, unguenta, bellaria, & alia hujuſmodi, nimirum lectos, menſas, pulvinaria, ſtragulas veſtes. His accedebant meretrices, ſaltatrices pulchræ,* & τὰ φίλταθ' ἁρμοδίου, hoc eſt, Scholiaſte interprete, τὰ εἰς ἁρμόδιον σκολιὰ ᾄσματα, ſecundum illud ſuprà ἁρμοδίου μέλος ᾄσεται.

χύτροι. Jam verò quoad feſtum χύτροι, id eſt, *ollæ*, dictum, de illo ſic ſcribit idem Ariſtoph. interpres in Αχαρνῆς in illa verba,

ὑπὸ τοὺς χόας γὰρ, καὶ χύτρους αὐτοῖσί τις, &c.

Chytri feſtum apud Athenienſes percelebre, in quo omne ſeminum genus in olla coquere ſolebant, Dionyſio & Mercurio operantes, ut Theopompus ſcribit, principium hujus ſacri a Deucalione uſque per manus traditum fuit. Ferunt enim illum, & qui cum eo ex diluvio illo ſuperſtites evaſerant, ſemina ita coxiſſe, unde feſtum exortum, & appellatum eſt: nam Chytra ollam ſignificat, nec ex coctis quicquam guſtabant, ſed Dionyſio & Mercurio Chthonius offerebant pro mortuis. Sunt qui hæc eodem peracta die affirment, quo & Choes agebantur, idque 13. Decemb. ſicut Ariſtoph. interpres Didymi teſtimonio confirmat. Ejuſdem Suidas quoque meminit.

προτρυγία. Sed & προτρυγία celebritas Dionyſio peragebatur, & Neptuno, ut ſcribit Heſychius, quam *Antevindemia* appellare poſſumus.

φαγήσια, & φαγησιπόσια. His adde φαγήσια, & φαγησιπόσια (φαγησία quoque & φαγησιποσία, ſubintellige ἑορτή, in ſingulari numero dicitur) quæ fuerunt feſtum, in quo cibo potuque ad ſatietatem uſque exhilarabantur. Hujus fit mentio apud Athen. lib. 7. ſub initium, ubi citat locum quendam ex Clearcho, & dicit hoc feſtum exoleviſſe, quemadmodum & feſtum ῥαψῳδῶν, quod & ipſum agebatur tempore Dionyſiorum, in quo ſinguli qui conveniebant, diis rhapſodias honoris loco afferebant. Videtur ergo utrumque hoc feſtum olim in Bacchi honorem inſtitutum ac celebratum fuiſſe. Apud nos Chriſtianos, ut nihil dicam de barbaris nationibus, hujuſmodi *phageſia*, & *phageſipoſia* quotidie ferè exercentur.

Huic ſimilia idem author Plutarchi teſtimonio comprobat fuiſſe λαγυνοφορίων *Lagenophoriorum* ſacra, quæ a Ptolomæo primùm, multarum aliarum quoque cæremoniarum ad Bacchi cultum pertinentium inventore, inſtituta, & ab Alexandrinis culta atque celebrata fuerunt. In illo autem feſto olivæ ramos geſtare, ac cœnantes in lectulis accumbere ſolebant, cùm quiſque lagenam ſecum domo (quod idem in feſto *Choôn* fieri ſolitum fuit) deferret, ex qua biberet, unde ipſum feſtum nomen ſuum ſortitum fuit. His ut nomine, ita reipſa reſpondent Chriſtianorum quorundam *Othmaria* (quæ etiam *Othmari lagena* vocantur) potationibus pervigilibus celebrari ſolita. Athenæus, ut illud quoque addam, ſcribit lib. 1. in loco quodam, qui octo ſtadiis ab Elia diſtat, incolas in Bacchanalibus ſolitos fuiſſe tres lebetes vacuos præſentibus externis recludere, quos iterum aperientes vini plenos inveniebant. Hæc fuerunt nomina atque genera feſtorum atque ſacrorum, quibus olim Bacchus a Græcis coli fuit ſolitus. Horum alia quidem a furore, qui in illis dominatus eſt, ὄργια, alia a Baccho, cui illa fuerunt conſecrata, διονύσια, θεοίνια, λήναια, alia a tempore, in quo fuerunt celebrata, Ανθεστήρια, νυκτέλια, λαμπτήρια, τριετηρικά, id eſt, *Triennalia*, quod tertio quoque anno in quibuſdam Græciæ civitatibus peragebantur, alia a vaſis & inſtrumentis, quæ in illis fuerunt adhibita, χόες, χύτροι, λαγυνοφόρια, πιθοιγία, alia denique a gula & ebrietate, quæ in illis regnavit, ὠμοφάγια, φαγήσια, & φαγησιπόσια fuerunt appellata.

λαγυνοφόρια. Othmaria Chriſtianorum. Anacephalæoſis feſtorum Bacchi.

A Græ-

A Græcis porrò immania, atque insana illa sacra, sceleris flagitiique plena ad Romanos promanarunt, quæ ab illis *Bacchanalia* atque *Liberalia* fuerunt dicta, quoniam ille, in cujus honorem illa agebantur, & *Bacchus* fuit dictus, & *Liber*. Hæc festa licet uni & eidem dæmoni fuerint consecrata, qui & *Bacchus* & *Liber* fuit vocatus, tamen secundum Romanorum consuetudinem, non eodem tempore fuerunt celebrata. Liberalia enim, in quibus etiam Annæ Perennæ sacra fiebant XVI. Kalend. April. fuerunt celebrata, quorum Cicero sæpe in Epistol. ad Atticum meminit. Et Varro sic vult esse dicta, quòd per totum oppidum eo die sederent sacerdotes Liberi, & anus hedera coronatæ cum libis, & poculo pro emptore sacrificarent. Ovidius lib. 3. Fastorum, illorum & originem, & morem atque cæremonias diligenter eleganterque descripsit. De Cæremoniis sic canit,

Romanorum sacra in Bacchi honorem celebrari solita. Bacchanalia. Liberalia.

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ
Non procul a ripis, advena Tybri, tuis.
Plebs venit, ac virides passim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quisque sua.
Sub Jove pars durat, pauci tentoria ponunt,
Sunt quibus e ramis frondea facta casa est.
Pars ibi pro rigidis calamos statuêre columnis,
Desuper extentas imposuêre togas.
Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos,
Illic & cantant quicquid didicere theatris,
Et jactant faciles ad sua verba manus.
Et ducunt posito duras cratere choreas,
Cultaque diffusis saltat amica choris.
Cùm redeunt, titubant, & sunt spectacula vulgi,
Et fortunatos obvia turba vocat.
Occurrit nuper, visa est mihi digna relatu
Pompa, senem potum pota trahebat anus.

Ex his constat Liberalia per agros sub dio, vel tentoriis cum largioribus poculis, libis mellitis seu Liberi bellariis, cantiunculis atque choreis impudicis fuisse celebrata: de quibus vide P. Pithoeum Adverf. lib. 1. cap. 9. Annon quæso hujusmodi Liberalia, seu illiberalia potius non modò festis, sed profestis quoque diebus a nobis Christianis, Germanis potissimùm assiduè agitantur? His ipsis porrò Liberalibus moris quoque fuit togas dari, de quo suprà.

Bacchanalia. Bacchanalium monstrosa intemperantia & libido.

Quod ad Bacchanalia attinet, illa, ut Gyraldus vult, singulis mensibus agebantur, ut Lazius, alia Martio, alia in Vindemia inter initia Septembris, & aliquando alio anni tempore. Quanta verò illa partim cibi potusque intemperantia, partim libidine, monstrosa certè, & execrabili agitari fuerint solita, pluribus describit Livius Decad. 4. lib. 9. Tacitus lib. 11. Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. & alii. Atque hanc quidem ob causam, ut iidem scriptores testantur, illa a Romanis fuerunt sublata. Augustinus lib. 6. de Civitate Dei, cap. 9. *Sic Bacchanalia*, inquit, *summa celebrantur insania, ubi Varro ipse confitetur, a Bacchantibus talia fieri non potuisse, nisi mente commota. Hæc tamen postea displicuerunt Senatui, & ea jussit auferri. Saltem sic tandem forsan senserunt, quid immundi spiritus, dum pro diis habentur, in hominum possint mentibus.* Idem lib. 18. cap. 13. *Tunc & Liber pater*, inquit, *bellavit in India, qui multas in exercitu habuit fœminas, quæ Bacchæ appellatæ sunt, non tam virtute nobiles, quàm furore. Aliqui sanè & victum scribunt Liberum, & vinctum, nonnulli & occisum in pugna a Perseo, sed ubi fuerit sepultus, tacent. Et tamen ejus velut Dei nomine per immundos dæmones Bacchanalia sacra, vel potius sacrilega sunt instituta. De quorum rabiosa turpitudine post tam multos annos sic Senatus erubuit, ut in urbe Romana esse prohiberet.* Eorundem turpitudinem Tertullianus quoque non semel in scriptis suis Ethnicis Christianorum cœnam Dominicam, & Agapas, uti suprà dictum est, calumniantibus exprobravit, quæ tamen *Liberalia* vocat. In libro de Spectaculis, *Duo ista dæmonia*, inquit, *Venus & Liber, conjuncta & conspirata inter se sunt, ebrietatis & libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus est. Nam & alios ludos Scenicos Liberalia propriè vocitabant, præterquam Libero devotos, quòd sunt Dionysia penes Græcos, etiam a Libero institutos.* Item eodem in libro, *Nam cùm & promiscuè ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi patris manifestè sonabant. Libero enim a rusticis primò fiebant, ob beneficium, quod ei ascribunt, pro demonstrata gratia vini.* Idem in Apolog. cap. 42. *Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis suprema cœnantibus mos est.* Idem de illorum abrogatione sic scribit cap. 6. ejusdem libri: *Liberum patrem cum mysteriis Consules* (Q. Martius Philippus, & Posthumius Albinus) *Senatus authoritate non modò urbe, sed universa Italia eliminaverunt. Idem tamen docet illos postea turpes, & otiosas illas superstitiones restituisse. Licet Baccho jam Italico furias vestras immolaritis.* Idem, ut hoc quoque addam, cap. 59. Apologet.

Bacchanalia a Romanis abrogata.

Apaturia.

Apaturiis Dionysii mysteriis Atticis coquorum delectum induci solitum fuisse scribit. Apaturiorum autem celebritas sic dicta ἀπὸ τῆς ἀπάτης, hoc est, *fraude*, quam Athenienses a Bœotiis passi fuerunt, quatuor continuis diebus durabat, quibus sacrificabant & epulabantur Athenienses publicè atque privatim, de quo suprà. Sed ex hoc Tertulliani loco colligimus illa ipsa in Dionysii quoque honorem celebrari fuisse solita. Idem Apologet. capite trigesimo septimo: *Quoties etiam præteritis vobis, suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus, & incendiis ipsis Bacchanalium furiis?* Scythæ, author est Herodotus in Melpomene, Græcis vitio verterunt Bacchanalia celebrandi consuetudinem, cùm a ratione omnino alienum esse existimarent, illum Deum cogitare, ac divinis honoribus afficere, qui homines ad insaniam adigat. Dionysius Epiphanes, seu potius Epimanes crudelissimus tyrannus miseros Judæos cùm alias superstitiones, tum Bacchanalia quoque celebrare, (quod *Bacchanalia facere* Plautus appellat) & hedera coronatos Baccho pompam ducere coëgit, ac eos, qui nefariis hisce suis jussis atque mandatis obtemperare noluerunt, immanissimè trucidari curavit, ut scriptum est lib. 2. Machab. cap. 6.

Scythæ Græcorum Bacchanalia vituperant. Dionysii Epiphanis in hujusmodi Bacchanalium contemptores Judæos crudelitas.

Hæc aliquantò latiùs atque copiosiùs de Bacchanalibus dicere volui, quò magis appareat Christianorum Bacchica planè, hoc est, insana ac furiosa impietas, qui tam immania, tam tetra, omnis sceleris flagitiique plena festa, ab ipsis Scythis damnata, a Romanis ob insignem illorum fœditatem sublata, non dubitarunt quasi postliminio jure in Ecclesiam introducere. O scelus, ô crimen horrendum & ingens, quo proculdubio gravem, & horrendam nobis iram atque furorem divinum conciliamus! Judæi olim, ut Machabæorum historia testatur, necnon Christiani primitivæ Ecclesiæ millies mortem quamvis acerbissimam oppetere maluerunt, quàm ut immanibus atque sacrilegis hujusmodi sacris sese polluerent. Romani illorum turpitudine cognita, illa ex urbe sua totaque Italia exterminaverunt. Scythæ gens barbarissima ipsius naturæ instinctu ab illis vehementissimè semper abhorruerunt. At nos Christiani, proh dolor atque pudor, illa mordicus retinemus, illis mirum in modum delectamur, illa non minore, quàm olim Ethnici, furore atque insania, diurnis nimirum nocturnisque discursibus, ludis spectaculisque obscœnis, clamoribus atque vociferationibus insanis, helluationibus atque compotationibus monstrosis, libidinibus vagis atque stupris agitamus, ita ut non homines, sed Stygiæ illæ Bacchæ, Furiæ atque Erynnies cum ardentibus suis facibus ex inferis excitatæ passim discursare videamur. Nec paucis tantùm hæc diebus fiunt, sed omne illud tempus, quod a Natali Domini nostri Jesu Christi ad quadragesimale usque tempus intercedit, sceleribus hujusmodi atque flagitiis impenditur. Itaque cùm ipsum vulgus turpissimis hujusmodi ludis deditum gravi sese scelere obstringit, tum verò longè gravissimo, quasique inexpiabili crimine sese populi duces atque præsides cùm politici, tum Ecclesiastici contaminant, qui tantam scelerum atque flagitiorum licentiam impunè cum summa Christiani nominis numinisque divini ignominia atque dedecore, cum extrema Reipublicæ Ecclesiæque pernicie grassari patiuntur. Quid dicam, quòd plurimi reperiuntur, qui furiosam hanc imperitæ multitudinis temeritatem atque audaciam exemplo atque authoritate sua magis adhuc incitant atque inflammant? Annon quæso Romani illi magistratus, in extremo & universali illo judicio, Christianos hosce nostros magistratus condemnabunt, quòd ipsi veræ licet religionis expertes, tamen vel naturæ solius ductu ac magisterio turpissima illa Bacchanalia prorsus sustulerunt; at verò hi Christianæ religionis sacris initiati, documentisque sanctissimis instituti atque imbuti, quibus Deus populi Ecclesiæque suæ salutem commisit, impuras, nephandas, ac planè dæmoniacas hasce Bacchanaliorum cæremonias atque ritus, fovent, alunt atque tuentur? Jam verò quid dicam, quòd plurimi eorum, qui se Christianos profitentur atque simulant, quotidie ferè Liberalia atque Bacchanalia vivunt, ut poëtæ illius verbis utar, hoc est, dies noctesque intemperantiæ, libidinibus atque voluptatibus turpissimis inserviunt? Idem igitur nobis Christianis hodie meritò objici & exprobrari potest, quod olim Julianus Imp. in libello illo suo, qui μισοπώγων, sive ἀντιοχικὸς inscribitur, Antiochenis exprobravit: *Tarentini*, inquit, *Romanis quondam graveis pœnas dederunt sua petulantia, quòd in Bacchanalibus per ebrietatem legatos eorum incuriosiùs tractassent. At vos omnino Tarentinis feliciores estis* (hæc per Ironiam) *qui pro diebus paucis annum integrum in delitiis consumitis: pro legatis principes ipsos contumelia afficitis.* Sic nos Christiani hodie non semel tantùm in anno, sed quotidie ferè Bacchanalia agitamus, hoc est, epulamur, comessamur, voluptuamur, totum annum in delitiis & voluptatibus consumimus, & cùm Deum ipsum Regem regum, & Principem principum, Dominum dominorum, tum magistratus Rerumquepub. Ecclesiarumque præsides, & nos denique mutuo omni injuriarum contumeliarumque genere afficimus.

Cereris sacra.

Ut autem Bacchum, quem vini datorem existimarunt, ita Cererem quoque, quam frumenti inventricem opinabantur, luxuriosis epulis nefariisque libidinibus coluerunt Ethnici. Illa autem sacra atque convivia a Græcis θεσμοφόρια atque δημήτρια, a Latinis *Cerealia* dicta sunt. His autem Romanos genio indulgere, & opiparè epulari solitos fuisse, vel ex Virgilio intelligere licet in Georg. ubi ita canit,

Inprimis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.
Extremæ sub casum hyemis, jam vere sereno:
Tunc agni pingues, & tunc mollissima vina,
Tunc somni dulces, densæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho, &c.

Cereales cœnæ.

Hinc *Cereales cœnæ* apud Plautum in Menæchmis, hoc est, opiparæ, & multis ferculis refertæ. Macrobius lib. 3. Satur-

Saturnal. cap. 11. affirmat in sacrificiis Cereris vinum non adhiberi solitum fuisse, idque Plauti testimonio confirmat, cujus hæc sunt in *Aulularia* verba,

> Staph. *Cererin', Strobile, istas facturi nuptias?*
> Strob. *Qui?* Staph. *Quia temeti nihil allatum intelligo.*

Sed contrà Cato de *Re rustica* cap. 134. in extremo: *Postea Cereri exta, & vinum date*: necnon Virgilius paulò ante citatis carminibus docet cum vino quoque fuisse celebrata. *Nodus*, inquit Lambinus in Plautum, *mihi inexplicabilis, nisi alium dicamus in hac re fuisse Græcorum, alium Romanorum morem. Nam* θεσμοφορίοις, id est, *Cerealibus, seu festis diebus Cereris, vini usu interdictum est, neque vinum libabatur, neque vinum in sacris adhibebatur, ex quo* θυσίαι νυμφάλιοι *sunt dicta. Tum mulieres ea sacra tractabant atque administrabant, quæ perpetuò apud Romanos temeto carebant, apud Græcos verò saltem iis diebus sese a vino abstinebant. Nonnulli sic solvunt, ut dicant Cererem eandem esse atque Vestam, seu potiùs Terram.* Hæc ille. Verùm de his sacris, si vis, vide plura apud Gyraldum *de Diis gentium*, & Lazium *de Republica Romana*, Dionys. Halicar. lib. 2. & alios.

Eleusinia quoque Græcis sacra dicta sunt, quorum immanis fuit turpitudo. Arnobius libro octavo, *Ceres* (Eleusinia.) *facibus accensis, & serpente circundata, errore subreptam, & corruptam Liberam anxia & solicita vestigat, hæc sunt Eleusinia.* Idem libro quinto, *Vultis enim consideremus mysteria, & illa divina, quæ Thesmophoria nominantur a Græcis, quibus gente ab Attica Sancta illa pervigilia consecrata sunt, & pannychismi graves.* Describit deinceps illorum originem atque fœditatem pluribus. Idem libro septimo, *Lectisternium Cereris erit proximis Idibus, habent enim dii lectos, atque ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur, & excitatur impressio.* Eorundem Eleusiniorum sanè turpissimorum Tertullianus quoque mentionem facit libro Adversus Valentinianos sub initium, *Nam & ipsa Eleusinia hæresis est ipsa Atticæ superstitionis* (nam Eleusis urbs est Atticæ) *quod tacent pudorem scilicet, propter occultum obscœni virilis.* Et paulò post, *Sequitur jam silentii officium, attentè custoditur, quod tardè invenitur. Cæterùm tota in adytis divinitas, tot siparia* (vela) *portarum, totum signaculum linguæ simulachrum membri virilis revelatur.* His verbis Tertullianus Valentinianorum turpes & obscœnos concubitus abditis & abstrusis illis, sed turpissimis Eleusiniis comparat, in quibus mentula colebatur. Ex his ergo constat Cererem a Gentilibus non luxuriosis modò epulis, verùmetiam nefariis libidinibus fuisse cultam. O utinam nos non quoque Christiani ut Bacchanalia, ita Cerealia quoque atque Eleusinia tam festis, quàm profestis diebus ageremus!

Tertia dea, quam Ethnici omni luxuriæ petulantiæque genere coluerunt, fuit Venus, quæ, ut ille inquit, (Sacra Veneris.) *sine Cerere & Baccho friget*, in cujus honorem Aphrodisia, Apaturia, & alia festa instituta ac celebrata fuerunt.

Quartus deus, quem & Græci, & Romani veteres cùm multis aliis cæremoniis atque ritibus, tum verò at- (Saturnalia.) que inprimis lætissimis lautissimisque epulationibus coluerunt, fuit Saturnus, cujus festi dies a Græcis κρόνια, a Latinis *Saturnalia* fuerunt appellata, de quibus, quoniam multa habent cum Christianorum moribus communia, paulò copiosiùs scribam. De his primò L. Accius poëta antiquissimus sic cecinit,

> *Maxima pars Grajùm Saturno, & maximè Athenæ*
> *Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.*
> *Cumque dies celebrant per agros, urbesque ferè omnes*
> *Exercent epulis læti, famulosque procurant*
> *Quisque suos, nostrique itidem, & mos traditus illinc*
> *Iste, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.*

Justinus similiter ex Trogo scribit, in Saturnalibus exæquato omnium jure passim in conviviis servos cum dominis recubare, ob memoriam exempli Saturni regis Aboriginum. Is enim tantæ justitiæ fuisse dicitur, ut neque servierit sub cœlo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit, sed omnia communia & indivisa omnibus fuerint, unum cunctis patrimonium esset. De illorum & origine, & tempore sic Macrobius scribit lib. 1. Saturnaliorum, cap. 10. (Saturnalium origo, & tempus quo celebrata fuerint.) *Apud veteres*, dicit, *opinionem fuisse septem diebus peragi Saturnalia*, id quod nonnullis testimoniis confirmat. Sed tandem concludit, *Saturnalia antiquitus uno tantùm die, id est, decimoquarto Calendarum Januariarum fuisse celebrari solita, quo solo die apud ædem Saturni convivio soluto, Saturnalia clamitabantur, qui dies nunc Opalibus inter Saturnalia deputatur, cùm primum Saturno pariter atque Opi fuerit ascriptus. Sed post in triduum propagata, primum ex adjectis a Cæsare huic mensi diebus, deinde ex edicto Augusti, qui trium dierum ferias Saturnalibus addixit. A decimo sexto igitur capta, in decimum quartum desinunt, quo solo fieri antea consueverant. Sed Sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum, & lætitiam religionis extendit.* Deinde rursus detractis duobus diebus, ad quinque dies Saturnalia redierunt. Hinc Martialis Saturnaliorum dies modò quinque nominat, modò septem. Cur autem uno eodemque in mense & Saturnalia, & Opalia egerint, (Cur Saturnalia & Opalia eodem in mense fuerint celebrata.) hanc idem author rationem reddit, quòd nimirum Saturnus ejusque uxor tam frugum, quàm fructuum repertores esse crederentur. *Itaque omni jam fœtu agrorum coacto, ab hominibus hos deos coli, quasi vitæ cultioris authores, quos etiam nonnullis cœlum, & terram esse persuasum est, Saturnumque a satu dictum, cujus causa a cœlo est, & terram Opem, cujus ope humanæ vitæ alimenta quæruntur, vel ab opere, per quod fruges fructusque nascuntur. Huic deæ sedentes vota concipiebant, terramque de industria tangebant, demonstrantes ipsam matrem terram esse mortalibus appetendam.* (Saturnus unde dictus.) Idem porrò Philochori testimonio probat *Cecropem primum Saturno, & Opi in Africa statuisse aram, eosque deos pro Jove, & terra coluisse instituisseque ut patres familiarum, & frugibus, & fructibus jam coactis, passim cum servis vescerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverant: delectari enim Deum honore servorum contemplatu laboris. Hinc est*, addit idem, *quod ex*

ex instituto peregrino huic deo sacrum aperto capite facimus. Hæc Macrobius.

Saturnalia videntur originem traxisse ex festo tabernaculorum.

Ex his autem omnibus diligenter perpensis videtur posse colligi antiquissimum hoc Saturnaliorum festum promanasse ex illo longè antiquiore *tabernaculorum*, sive *Scenopegias* festo, quod peracta messe atque vindemia, collectis jam reconditisque frugibus atque fructibus mense septimo a Judæis Dei jussu atque præcepto septem dierum spacio celebratum fuit, quo tempore tam servis, quàm liberis sub tentoriis feriari epularique summa cum lætitia fuerat concessum, ut constat ex Levit. 23. Deut. 16. Hic mensis septimus a Judæis dictus est cùm *Thisri*, a *thirosch*, id est, *musto*, quòd eo mense fuerit vindemia, tum האתנים *Ethanim*, id est, *fortitudines*, sive *mensis fortium*, vel quòd totus ferè fuit festivus, vel propter fruges & fructus in illo colligi solitos, qui sunt robur hominis, vel, ut alii volunt, quòd in illo mense arca fœderis in templum Salomonis recens extructum a viris fortibus translata sit, & tum validæ preces multaque sacrificia Deo oblata sunt. Appellatur etiam *Roschhaschana*, id est, *caput*, seu *initium anni* Ezech. cap. 40. v. 1. Veteres Hebræi primum vocabant a creatione mundi, quem eo mense conditum esse dicunt: ex quo autem ex Ægypto egressi sunt, *Tischri* mensem septimum, & *Nisan* primum cœpisse dici. Ergo ut Iudæis mensis *Tischri* Deo dicatus, ita Romanis December Saturno sacer, totus ferè festivus fuit, unde ab Ovidio *acceptus geniis*, hoc est, genialis, fuit dictus Fast. 4. quoniam in illo indulgebatur genio, hoc est, voluptatibus. Quoties enim voluptati operam damus, *indulgere* dicimur *genio*, teste Servio. Unde *genialis* nomen deducitur. Juvenal.

December genialis

---- *Genialis agatur iste dies.*

Gaudet enim noster genius voluptate, ad quam natura proclives sumus. Hinc & *genialia curare* dicitur, qui lautius vivit, & contrà *genium fraudare* dicuntur, qui necessaria & jucunda naturæ subtrahunt. Et quia December voluptatibus fuit consecratus, hinc forsan veteres illum pinxerunt in modum lanii jugulantis porcellum. Hieronymus in illa Esaiæ verba cap. 65. *Ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam. In cunctis*, inquit, *urbibus & maximè in Ægypto & in Alexandria vetus est consuetudo, ut ultimo die anni & mensis ejus, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis, & poculum mulso mixtum, Fortunæ vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes.* Ergo (ut ad propositum redeam) festum hoc olim in solius Dei Opt. Max. honorem ceu veri Saturni, atque Opis (quem Deum *Schaddai*, hoc est, *Cornucopiæ*, sacræ literæ appellant) ab ipso Deo institutum, ac celebrari solitum, postea gentiles cacodæmonis impulsu ad fictitiorum suorum deorum cultum transtulerunt.

Saturnaliorum consuetudo sive mos.

In hoc autem festo domini servos suos conviviis liberalibus & opiparis excipiebant, ipsi muneribus servilibus fungebantur, servis impunè, quicquid liberet, loqui licebat, teste Macrob. lib. 1. & Athenæo lib. 14. his verbis, ταῖς τῶν κρονίων ἡμέραις ἔθος ἐστὶν ῥωμαίων πᾶσιν ἑστιᾶν τοὺς οἰκέτας αὐτοὺς τὰς τῶν οἰκετῶν ἀναδεχομένους λειτουργίας, hoc est, *Saturnaliorum diebus moris est apud Romanos, ut servos suos conviviis excipiant, ipsique servorum munere fungantur.* Quale etiam festum fuerunt *Nonæ Capratinæ*, in quo ancillæ Romæ splendidè vestitæ urbem circumeunt, pugnam conferunt, tandem ἑστιώμεναι καθέζονται κλάδοις συκῆς σκιαζόμεναι, *epulantes consident ficulneis ramis obumbratæ*: Plutarchus in Camillo & Romulo. De festis diebus atque conviviis servorum & ancillarum Idibus Augusti apud Romanos, & de nonnullis apud Indos, vide Alex. ab Alex. 149. Hunc verò Saturnaliorum morem Macrobius eodem in loco Græcum esse dicit, cujus aliquot exempla commemorat. Nam in Creta in Mercurialibus idem fieri, εὐωχουμένων γὰρ τῶν οἰκετῶν οἱ δεσπόται ὑπηρετοῦσι πρὸς τὰς διακονίας, hoc est, *epulantibus servis domini serviunt atque ministrant.* Sic in Trœzene mense Geræstione conventus per multos dies celebrabantur, in quo servi unà cum civibus astragalis ludebant, & domini servis convivium exhibebant. Similiter in Babylone ad 15. Calend. Septemb. festum agi fuit solitum *Sacean* dictum, quinque dierum spacio, in quo moris erat, ut servi dominis imperarent, quorum unus indutus stola regia simili familiæ præerat, quem *Zoganem* appellabant. Idem author Batti Sinopensis testimonio confirmat, hoc Saturnaliorum festum omnino Græcum esse, cui simillima fit certa quædam Thessalorum festivitas *Peloria* dicta, cujus hæc fuit ratio. Jovi Pelorio dicto sacrificantes, eidem mensas splendidè paratas apposuerunt, ac omnino tanta cum humanitate jucunditateque festum illud celebrare fuerunt soliti, ut in illo peregrinos omnes convivio exceperint, vinctos solverint, & servi unà cum suis dominis summa cum licentia accubuerint atque epulati sint, atque adeò ipsis domini ministrarint. Similis moris in Atheniensium Anthisteriis supra facta est mentio, in quibus similiter servi conviviis liberalibus a dominis suis excipiebantur. Ad hunc porrò Saturnaliorum morem Horatius alludit lib. 2. Satyr. 2.

Saturnalia a Græcis. Mercurialia Cretensia. Conventus Trœzensium. Festum Babyloniorum. Thessalorum Peloria.

---- *Age, libertate Decembri*
(Quando ita majores voluerunt) utere, narra.

Servi pileos in Saturnalibus gestabant. Saturnalia cur optimus dies dictus.

Hinc & pileos, quod signum est libertatis, gestabant, & ingenuorum calceis induebantur, teste Porphyrio. Catullus ad C. Licinium Calvum, Saturnalia *optimum diem* appellat, propterea (opinor) quod aurei illius sæculi, quod Saturno regnante fuisse dicitur, imaginem referebat, memoriamque repræsentabat, quo nondum erat auditum nomen servitutis. Lucianus quoque ἐν τοῖς πρὸς κρόνον, de Saturnaliorum more plura tradit. In primo Dialogo ipsum Saturnum sic loquentem inducit, καὶ διὰ τοῦτο ἁπανταχοῦ κρότος, καὶ ᾠδὴ, καὶ παιδιὰ, καὶ ἰσοτιμία πᾶσι καὶ δούλοις, καὶ ἐλευθέροις. οὐδεὶς γὰρ ἐπ' ἐμοῦ δοῦλος ἦν, id est, *Atque idcirco ubique plausus, & cantus & ludus, & honoris æqualitas omnibus cùm servis, tùm liberis. Neque enim me regnante servus erat.*

Anglorum Saturnalia.

Quoad autem hunc Saturnaliorum antiquorum morem, quo nimirum servi, uti dictum est, dominis imperare, & epulis ab illis excipi consueverunt, eundem Polyd. Virgil. Lib. 5. cap 2. apud Anglos quoque obti-

obtinere his verbis tradit, *Est & illud ab iisdem* (Ethnicis) *profectum, quod nunc per Dominica natalitia nostri ministri potestatem in dominos habent, atque unus eorum dominus creatur,* (idem suprà de Babyloniis dictum) *cui cuncti familiares simul lascivientes parent, unà cum ipsis dominis, hoc est, patribus familiarum. Siquidem hanc libertatem servi apud Romanos, ut in Justini Epitome est, habebant. Institutum hoc apud Anglos præcipuè custoditur.* Hæc ille. Apud Germanos idem fieri solet in festo *trium Regum*, uti vocant. Sic quibusdam in locis die Paschatis, in aliis die Natali, Prælati cum suis Clericis ludunt, vel in claustris vel in domibus Episcopalibus, ita ut etiam descendant ad ludum pilæ, vel etiam choreas & cantus: quod olim apud Ethnicos vocabatur *Libertas Decembrica.* Hanc ludendi consuetudinem præcipuè observant magnæ Ecclesiæ, ut Remensis & aliæ, teste Durando Rat. lib. 6. cap. 56. & M. Johanne Beleth in suo *Rationali*, cap. 100. Reprehendit autem Athenæus hunc morem, libro 6. minimeque (ut vult etiam Plato libro 6. de legib.) dominos cum servis & ancillis suis ludere atque jocari, ne & illis parendi serviendique & sibi imperandi conditionem difficiliorem reddant. Quanto minus hodie Christianos decet, præsertim in Paschate & Natali Dominico, quando maximarum rerum memoria celebratur?

Bellum porro (ut Saturnaliorum descriptione pergam) in illo festo sumere nefas habitum, quoniam regni ejus tempora felicissima fuerant, nullis bellis vexata, nullis infestata latronibus, quæ sanè causa fuit, ut Romani ædem Saturni ærarium esse voluerint, quod nullum sub eo furtum in Italia fuisset commissum, sive quia sub illo nihil erat cujusquam privatum, nec signare solum, aut partiri limite campum, fas erat: testis Macrobius libro primo. Pœnas quoque iisdem diebus exigere piaculare erat, teste eodem libro primo capite decimo. Ut autem Domini Saturnalibus, sic matronæ mense Martio servis cœnas apponebant. Illæ, ut principio anni ad promptum obsequium honore servos invitarent, hi quia gratiam perfecti operis exsolverent; Macrobius libro primo capite duodecimo. Præterea in Saturnalibus non modò servi a dominis conviviis excipiebantur, verumetiam amici atque familiares inter se mutitabant, hoc est, mutuas inter sese cœnas epulationesque agitabant.

Bellare & pœnas exigere nefas Saturnalib. Aedes Saturni cur ærario destinata. Matronalia.

Adhæc munera sibi ultrò citroque mittebant, quæ Tertullianus *Saturnalitia* vocat, libro *de Persecutione* sub finem. *Scilicet enim*, inquit, *talem pacem Christus ad patrem regrediens mandavit a militibus per Saturnalitia redimendam.* Eadem ab Hieron. *Saturnalium sportulæ* vocantur, de quibus hæc sunt illius verba notatu digna in Epist. Pauli ad Ephesios, quæ etiam in Canonicis Decretis inveniuntur: *Legant*, inquit, *Episcopi atque Presbyteri, qui filios suos secularibus erudiunt litteris, & faciunt illos Comœdias legere, & mimorum turpia scripta cantare, de Ecclesiarum sumptibus forsan eruditos, & quod in corbonam pro peccato virgo, vel vidua, vel substantiam suam totam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc in Calendarum strenam, & Saturnalium sportulam, & Minervale munus e mercedula magistern a Scholasticis dari solita* (quæ etiam *Minerval* dicta) *Grammaticus & Rhetor aut in sumptus domesticos, aut in templi stipes, aut sordidum convertit in lucrum.* Dicta quoque sunt *Xenia*, & *apophoreta*, *sigillaria* sive *sigillaritia* scilicet munera, quæ Sigillaribus (quæ pars fuit Saturnaliorum) mittebantur. Ratio autem mittendorum Saturnalibus munerum hæc erat, ut viderentur sibi invicem gaudere, & gratulari, & Saturno atque Opi gratias agere, quòd fruges fructusque ad vitæ cultum necessarios percepissent. Mittebantur autem inter cætera munera Cerei (quæ consuetudo etiamnum hodie apud Christianos in festo *Purificationis* D. Mariæ observatur) & sigilla. Erant autem sigillaria parvæ imagines fictilibus descriptæ, a signis dicta. Martialis in Apophoretis:

Saturnalitia munera ultro citroque missa. Xenia. Cerei. Sigillaria quid.

Gloria tam parvi non est obscura sigilli.

Et rursus: *Sum fragilis, sed tu, moneo, ne sperne sigillum.*

Spartianus, *Saturnalitia, & Sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misit.* Suetonius in Vita Claudii, *Scripsit quadraginta aureos in Saturnalia, & Sigillaria misisse ei.* Sigillaria autem pueris in primis dari fuisse solita, ex illis Spartiani verbis videtur posse colligi, *Quæ a parentibus Sigillariorum gratia acceperat, id vel clientibus, vel magistris sponte donavit.* De his muneribus Martialis,

Omnia misisti mihi Saturnalibus, Imber,
Munera, contulerant quæ tibi quinque dies.

Hoc est, Saturnaliorum munera Saturnalitia. Sigillaria pro signis & sigillis usurpari, necnon hoc nomine locum fuisse Romæ, ubi libri resque aliæ promercales vænibant, & auctiones fiebant, testatur Turnebus in suis Adversariis.

Strenæ quoque hujusmodi munera vocabantur. *Strenam*, inquit Festus, *vocamus munus, quod datur die festo, ominis boni gratia, a numero quo significatur alterum, tertiumque venturum similis commodi, veluti trenam, præposita s litera, ut in loco & lite solebant antiqui, dicentes Slocum, & Slitem.* Nonnulli *strenas* a *strenuitate* volunt dictas, quod inferiores ditioribus ceu strenuis viris eas mitterent. Hæc strenarum origo, qua felicem ominamur annum ipsius auspicio & initio, a Tatio Rege manasse dicitur, qui primum Romuli hostis, deinde collega in regno Romano fuit, ut Turnebus in suis Adversariis annotat: idque Symmachi auctoritate probat. *Ab exortu penè urbis Martiæ strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ anni novi auspices primus accepit, D.D. Imperatores: nomen indicio viris strenuis hæc convenire ob virtutem.* Strenuam, ut alibi legitur, deam a strenuè agendo denominatam ait S. Augustinus. Suetonius testis est populum Romanum Calend. Januariis, hoc est, anni novi principio, ex ritu veteri Augusto strenam dedisse etiam absenti. Tyberius Cæsar, teste eodem, & quotidiana oscula prohibuit edicto, & strenarum commercium, ne ultra Calendas Januarias exerceretur. Strenarum commercium vocat vicissitudinem dandi,

Strena quid, & unde dicta. Mos donandi strenam initio novi anni.

dandi, & accipiendi strenas. Xenia enim mittebantur, & apophoreta remittebantur. Unde Martialis strenas Saturnalitias duobus libris distinxit nomine *Xeniorum*, & *Apophoretorum*. Cùm igitur strenarum dies legitimus foret Calendæ Januariæ, hoc est, principium anni, noluit Tyberius ultra illum diem strenas vicissatim dari. *Consueverat*, addit Suetonius de Tyberio, *quadruplam strenam* (hoc est, quadruplò majorem quam accepisset) *& de manu reddere, sed offensus se interpellari toto mense* (Januario) *ab iis, qui potestatem sui die festo* (Calendis Januariis) *non habuissent, ultrà non reddidit.* His adde, quòd Calendis Januariis Magistratum ineuntibus, lauri folia a populo dabantur cum ischadibus boni ominis ergò. Nam laurus efficax esse adversus venena, & sanitatem conciliare credebatur, ut testis est Cælius lib. 5. c. 7. Strenæ illæ veterum fuerunt quoque stipes æreæ. Unde Ovid.

Tu tamen auspicium cur sit stipis utile quæris.

Ausonius, *Curam pro strenis excubuisse tuis.*

Pomponius, *Asside, si qua ventura est alia strena strenæ.*

Calendæ Martiæ Saturnalia fœminarum. Suetonius de Vespasiano, *sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Calendis Martiis fœminis.* Calendæ Martiæ erant Saturnalia fœminarum, sicut ostendit Martialis ad fœminam,

Scio puto vestra jam venire
Saturnalia, Martias Calendas.

Plautus in Milite, *Da mi vir Calendis mittam, cum Martiæ venerint.*

Nam tunc fœminis munera missitabantur, quia Calendæ Martiæ, ut inquit Porphyrio, matronarum dies festus erat, & Matronalia dicebatur; quas eleganter Juvenalis *Fœmineas* vocat, perinde ac fœminis peculiariter dicatas. Sic enim ait,

Munera fœmineis tractas secreta Calendis.

In his Matronalibus matronæ servis cœnas apponebant, ut eo honore ad promptius obsequium provocarent, teste Solino. Tibullus ad Neream,

Martis Romani festæ venere Kalendæ
Perque vias urbis munera, perque domos.

Matronalium ratio. Causa autem cur Calend. Martiis Matronalia celebrarentur, & mulieribus munera mitterentur, fuit, quod eo die Junonis Lucinæ ædes coli cœpta sit, teste Sex. Pompejo, quæ in Exquilino monte posita fuit. Ovidius autem, & alii volunt, ob memoriam belli Sabini per fœminas compositi celebrari fuisse solita. De Kalendis Martiis, vide plura apud Lambinum in Horat. carm. lib. 3. Od. 8. Hæc de muneribus ultro citroque in Saturnalibus, Calendis Januariis, atque Martiis dari Romæ solitis.

Ut autem olim apud Romanos in Saturnalibus mense Decembri fœminæ viris munera missitabant, & hi vicissim mulieribus ipsis Martiis Kalendis, quas propterea *Fœmineas* Juvenalis appellat: sic apud Belgas (teste Hadriano Junio in historia Batavica) geniali mense, Januario scilicet, matronæ & nymphæ viris ac procis munuscula mittunt, postridie Eidus Januarias, qui dies Pontiano sacer est, eamque actionem nominant *Pontsonnen*, quasi dicas, *Pontiano Xenia: aut pondo mittere:* rursusque viri procique uxoribus ac nymphis eundem præstant honorem, octiduo pòst, idque *nyten* (quod *arietare* aut *cornupetere* sonat verbi vim reddenti) vocant a nomine Agnetis Virginis, quæ diem quoque illum sacrum habet.

Vestium permutatio. Synthesis vestis. Fuit præterea moris in Saturnalibus, ut servi sumerent vestitus dominorum, & contrà domini servorum. Sumebant omnes illis diebus togis depositis Synthesim, hoc est, vestem brevem, & negotiis aptam. Fuit ergo Synthesis vestis Saturnalitia, in Saturnalibus usurpari solita, ut constat ex illo Martialis Epigrammate, cui titulus est *Synthesis:*

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces (hinc collige per quinque dies Saturnalia agi fuisse solita)
Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Et iterum: *Synthesibus dum gaudet eques, dominusque senatus,*
Atque decent nostrum pilea sumpta Jovem.

Synthesis unde dicta. Hinc Seneca, *Voluptatis causa, ac festorum dierum vestem mutavimus.* Fortasse autem Synthesis, inquit Beroaldus in Sueton. dicta videri potest, quòd consuta contextaque esset compositione quadam versicolore. Turnebus in suis Adversariis existimat, Synthesin elegantiorem & lautiorem fuisse vestem, qua populo Romano certis diebus publicè, ut Saturnalibus, uti licebat, cùm Romæ quoquis vestitu vellet, uti non liceret, togasque ferre cogerentur, & idcirco Synthesim putat dictam, quòd cùm ea rarò uterentur, domi compositam habebant in arcis aut prelis. Martialis:

De palatinis dominæ quod serica prelis.

Prela sunt, quæ *pressoria* a Marcellino vocantur. Ea tamen domestica utebantur, ut cum convivium dabant. Martialis:

Undecies una surgenti Zoile cœna,
Et mutata tibi Synthesis undecies.

Et rursus: *Frigus enim magnum Synthesis una facit.*

Zoilus vester ostentabat, eas in convivio subinde mutans, & septenas aut octonas vestes in singulis arcis aut prelis habebat, quæ septenæ aut octonæ vestes Synthesses dicebantur propriè: sed & universa etiam vestis,

ut

ut Scævola scribit, quod, ut opinor, in vestiario composita erat. Alciatus lib. 2. Parerg. cap. 21. Synthesin vocat ordinem quendam, & conformem compositionem vestium cùm tunica, sagum, chlamys, caligæ ejusdem coloris sunt, vulgo *livream* vocant.

Hujusce mutationis vestium Lucianus quoque meminit in Dialogo, quem *Chronosolon* inscripsit, & Macrobius in Saturnalibus. Hinc Suetonius Neronem Synthesiatum discalceatumque fuisse per lasciviam prodit. Meminit hujus vestium mutationis consuetudinisque in Saturnalibus & Jureconsultus in l. *Titia §. ff. de auro & argento leg. Quare*, inquit, *an ex universa veste, id est, Synthesi, tunicas singulas, & palliola Sempronia eligere possit.* Hæc autem vestium mutatio non tantùm in Saturnalibus, verumetiam in quinquatribus minoribus, in Megalensibus, in Lupercalibus, in Bacchanalibus, & aliis festis fieri solita fuit. Illam ab Hercule defluxisse ostendit Naso libro 2. Fastorum, ubi Fauni sacra, quæ sunt Lupercalia, describit quo pacto cum Hercules cum Lyda puella in sacris Bacchi vestem mutasset, Faunus, qui puellam deperibat, in antro obscuro, nocte comprimere cùm puellam vellet, in Herculeum vestitum, quem mentita scilicet mulier erat, inciderat, & pudefactus aufugerat.

De Synthesi vide etiam Brodæum Miscell. lib. 6. cap. 7.

Vestium mutationis origo.

Nunc agedum cum illis antiquis Ethnicorum Saturnalibus, Christianorum Saturnalia conferamus, & maximam inter utraque affinitatem similitudinemque reperiemus. Nam ut olim in Saturnalibus frequentes luxuriosæque cœnationes inter amicos fiebant, munera ultro citroque missitabantur, vestium mutationes fiebant. Unde D. Hieronymus lib. 18. in Esajam indicat, *Apud Ethnicos in cunctis urbibus, maximè vero in Ægypto, & Alexandriæ, Idololatriæ veterem fuisse consuetudinem, ut ultimo die anni & mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis, & poculum mulso mistum vel præteriti vel futuri fertilitatem auspicantes.* Ita hodie etiam apud nos Christianos eadem fieri videmus a Natalibus dominicis usque ad festum *Epiphaniæ*, quod in Januario celebratur. Hoc enim tempore omni & crebrò convivamur, & strenas, hoc est, ut nos vocamus, novi anni donaria missitamus. Eodem tempore mutationes vestium, ut apud Romanos quondam, usurpantur, vicinique ad vicinos invitati hac ratione commeant, quod nos Germani hodie nostra lingua nimirum a Latina voce *mutare*, Mummerey vocamus, quibus etiam, qui ita larvati vicinos suos salutant, occilla & oscilla secum deferunt, & ita pecuniam extorquent, quod nos vernaculo sermone umbschang appellamus, & hoc ad imitationem ludorum sigillarium, oscillarium, & occillatorum, qui & ipsi pars, sive species erant Saturnaliorum, mense Januario passim in domibus privatim inter familias non publicè exerceri soliti. Cives enim sigilla, quæ erant parva signa sive simulachra ærea, argentea, aurea, fictilia sibi mutuo donabant. Rustici autem sive pagani oscilla, id est, ossa quibus oculi erant insculpti, ut apud nos in tesserulis est receptum, mutuò donabant. Sic apud Romanos circa festum *Epiphaniæ* & panibus dulciariis, & oscillis quibusdam amici sese mutuò honorant. De his ipsis vide plura apud Polyd. lib. 5. cap. 2. & Lazium lib. 10. cap. 9. de Rep. Rom. & Langium epist. 61. Sed quid opus est multis testimoniis? ipsa experientia quotidiana hujus rei testis est locupletissima. Nam ut Ethnici olim & in mense Decembri Saturnalia, & in Ianuario Sigillaria, & in Februario Lupercalia, & Bacchanalia immanissimo luxu atque lascivia celebrarunt, quem quidem luxum & lasciviam etiam Ambrosius indicat Serm. 17. Videlicet hanc solennitatem KL. Januariarum gentes epulis & saltationibus transegisse, nec non acclamationibus & cantionibus impiis. Ita apud nos quoque Christianos hi tres menses compotationibus, comessationibus ludisque turpibus atque obscœnis toti sunt dedicati, his & annum veterem terminamus, & novum auspicamur, inauspicatis sanè dirisque auspiciis. Ethnicam illam Kalendarum Januariarum solennitatem, quæ hodie a Christianis omni luxuriæ petulantiæque genere exercetur, Maximus Episcopus Turonensis olim tollere est conatus, in illa Homilia, quam in Circumcisione Domini, sive de KL. Ianuariis habuit. In Turonensi Synodo 2. circa annum 554. habita, statuitur Canone 23. *Ne Christiani censeantur, qui Kalendas Januarias colunt.* In Synodo Antisiodorensi anno 614. celebrata, idem sancitur, Canone 1. videlicet, *Non licere Kalendis Januariis Vecolo, aut Cervolo facere, vel strenas Diaboli, easque observare*, &c. Bonifacius Germaniæ Apostolus & reformator cùm improbaret ritus Ethnicos in Kalendis Januariis, objiciebant illi Germani, quòd iidem ritus & cæremoniæ etiam in ipsa urbe Roma usurparentur. Quapropter ille hac de re graviter conquestus est in quadam ad Zachariam I. Papam epistola, & petit, ut hujusmodi ritus Ethnici Romæ aboleantur, quò exteræ quoque nationes facilius in officio contineantur. Zacharias igitur convocata Synodo anno 742. hujusmodi decretum fecit: *Si quis Kalendas Januarias ritu Ethnicorum colere, aut aliquid plus novi facere propter novum annum, aut mensas cum lampadibus, vel epulas in domibus præparare, & per vicos, & plateas cantatores, & choreas ducere ausus fuerit, anathema sit.*

Christianorum Saturnalia.

Sigilla.

Oscilla.

Hellseten.

Zachariæ Pontificis de solennitate Calend. Jan. decretum.

Saturnaliorum porrò Tertullianus quoque crebram admodum luculentamque mentionem facit, ut Apologetici cap. 42. *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam. Attamen lavor honesta hora, & salubri, quæ mihi & colorem & sanguinem servet.* Item in libro de Idololatria, *Quid minus est inquinamenti, eo quem præstat quæstus, & nominibus, & honoribus idolo nuncupatis, quam Minervalia Minervæ, quam Saturnalia Saturni, quem etiam serviculi* (forsan *serviculis* legendum) *sub tempore Saturnalium celebrari necesse est? Etiam strenæ captandæ, & Septimontium* (dies Festus sic dictus, teste Festo, quod in septem locis faciebant sacrificium, Suetonius *Septimontialem diem* vocat, in quo Domitianus epulum Senatui, equitique panariis, plebi sportellis cum obsonio distributis dedit) *& Brumæ, & charæ cognationis honoraria* (charistia forsan intelligit) *exigenda omnia. Florescolæ coronandæ* (Floratia) *Flaminicæ & ædiles sacrificant, Cereatiscola honoratur feriis.* Eodem in libro, *Nimirum Saturnalia*, inquit, & *Kalendas Januarias celebrari hominibus placebat, an modestia, & patientia, an gravitate, an humanitate, an integritate?* Et paulò post, *Quis hoc sustinere, aut defendere potest? Judæis dies suos*

Tertullianus de Saturnalibus.

Tertullianus conqueritur Saturnalia, Januarias, Brumas, Matronalia a Christianis celebrari.

suos festos exprobrat Spiritus sanctus, Sabbata, inquit, vestra, & neomenias, & caremonias odit anima mea: nobis quibus Sabbata extranea sunt, & Neomeniæ, & feriæ aliquando a Deo dilectæ, Saturnalia, & Januariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur, munera commeant, strenæ consonant, lusus, convivia constrepunt. O melior fides nationum in suam sectam: quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vindicat, non Dominicum diem, non Pentecosten etiamsi nossent, nobiscum communicassent, ne Christiani viderentur. Nos ne Ethnici pronunciemur, non veremur. Tertul. his verbis acriter graviterque sui temporis Christianos reprehendit atque culpat, quod Ethnicorum festa mutuis muneribus, ludis atque conviviis celebrarent. Hujusmodi autem adversus illos argumentationibus utitur a minori ad majus efficacibus ad illos suæ amentiæ convincendum. Primum si Judæorum festa Deus odit (scilicet propter illorum abusum) quæ tamen ab illo præcepta ac instituta fuerunt, quantò magis odit Ethnicorum festa a diabolo instituta ad Dei contumeliam. Deinde si hæc ipsa Judæorum festa, quæ olim Deo grata fuerunt, nunc Christianis debent esse extranea, quantò magis iidem alieni esse debent, & abhorrere toto pectore ab Ethnicorum festis, quæ Deo non modò nunquam grata, sed semper invisa atque odiosa extiterunt. Postremò si Ethnici tam fideles sunt suæ sectæ cultores, ut nullam Christianorum solennitatem colant, ne Christiani esse videantur, quæ (malùm) hæc est Christianorum inconstantia, atque perfidia, qui dum Ethnicorum dies festos frequentant atque colunt, videntur esse Ethnici? Justa hæc gravisque Tertulliani reprehensio certè ad nos quoque Christianos, qui nunc sumus, optimo jure pertinet, ut qui sacrilega hujusmodi Saturnaliorum, Matronalium, Lupercalium, Bacchanalium, Floralium atque alia ejusdem generis festa cum magna Christiani nominis ignominia atque dedecore pertinacissimè colimus. Nunc alia quoque nonnulla festa epulationibus potissimum celebrari solita subjungamus. De Matronalibus suprà dictum est.

Tertulliani argumenta.

Tertulliani reprehensio ad nos quoque pertinet.

Herculis sacra.

Hercules quoque sacrificiis epulisque lautissimis cultus fuit, quò Tertullianus alludit Apologetici cap. 39. *Herculanarum decimarum*, inquit, *pollinctorum sumptus tabularii supputabant.* In quæ verba sic commentatur B. Rhenanus: *Loquitur de divitibus, qui decimam partem bonorum suorum Herculi pollucebant* (hinc *polluctorum* putat legendum) *epulo votivo, cujus lautitiam impensarum arguit magnitudo. Putabatur ea res homines fortunatos reddere. Proinde L. Sylla, M. Crassus, & L. Lucullus patrimonia sua polluxerunt.* In hujusmodi decimarum Herculanarum sacrificio epuloque suprà quam dici possit lauto, maximis sumptibus opus erat, quos a tabulis domesticis cujusque in diarium domini sui referebat, ad *Expensi* titulum, supputabatque. De Potitiis & Pinariis dapum, quæ Herculi offerebantur, procuratoribus, vide Dionys. Halicarnass. libro. 2.

Apaturia.

Ibidem quoque Tertullianus Apaturiorum meminit, *Apaturiis*, inquit *Dionysii mysteriis Atticis coquorum delectus inducitur.* Hæc autem celebritas quatuor continuis diebus durabat, quibus Athenienses publicè privatimque sacrificabant atque epulabantur. Addit Tertullianus cœnæ Serapicæ mentionem, *Ad fumum cœnæ Serapicæ sparteoli excitabantur.*

Cœna Serapica.

Magnæ deûm matris sacra.

Mater quoque illa magna Deûm (deß teüfels groß müter) a Romanis culta fuit mutuis epulationibus: Ovid. Fastor. 4.

Cum vicibus factis ineant convivia, quæro
Tunc magis indictas concelebrantque dapes.

Per *vices illas* mutuas sodalitates intelligit, de quibus Cicero in Catone majore, *Sodalitates enim me quæstore constitutæ sunt sacris Idæis magnæ matris acceptis.* Indictæ autem forsan fuerunt vel a Pontifice, vel a Gallis comitibus matris deûm, vel ab epulonibus. Idem,

Quod benè mutavit sedem Berecynthia, dixit
Captant mutatis sedibus omen idem.

Inquæ verba commentator, *Mutantur*, inquit, *a nobis sedes, cùm e conviviis discedimus, ad diversa convivia, quod Romani faciebant boni ominis causa, quoniam Cybele e Phrygia Romam translata benè ac feliciter sedem mutaverat.* In his sodalitiis sive syssitiis magnæ matris apponebatur moretum (Itali *Raviolo* vocant) e lacte, caseo, & herbis ob convenientiam ejus cibi cum dea. Lac enim & herbæ fuerunt veterum cibus, ipsam autem deam vetustissimam esse credebant, ut quæ esset deorum mater. Hinc Ovidius,

Non pudet herbosum, dixi, potuisse moretum
In Dominæ mensis? an sua causa subest?
Lacte mero veteres usi narrantur, & herbis
Sponte sua si quas terra ferebat ait.
Candidus elixæ miscetur caseus herbæ
Cognoscat primos ut dea prima cibos.

Moreti descriptionem vide apud Virg. Arnobius lib. 5. de Sacris matris deûm, *Quid temperatus fabæ alimento panis, cui rei dedistis nomen castus: nonne illius temporis mutatio est, quo se numen ab Cereris fruge violentia mœroris abstinuit.* Idem lavationis quoque deûm matris meminit, his verbis, *Lavatio*, inquit, *deûm matris est hodie. Sordescunt enim divi, & ad sordes eluendas laventibus aquis opus, atque adjuncta antiqua cineris frictione.*

Sordes ergo statuæ ejus aquis, adjuncta cineris frictione abluebantur. Sic hodie plerisque in locis apud Christianos feria *quintæ Dominicæ* (quem diem Germani den hohen donnerstag vocant) altaria lavantur vino & aqua, & ramis fricantur, præsertim cum ramis de sapina, teste Durando Rat. lib. 6. cap. 76.

Turnebus Adversar. lib. 24. cap. 45. Hilaria existimat fuisse Matris deûm ferias, quæ principio veris celebrabantur maxima populi lætitia, & nobilissima pompa, quovis e populo insignia cujusque dignitatis mentiente atque

atque ſimulante liberè, & impunè, ut internoſci magiſtratus a ſimulatore non poſſet, ut ab Herodiano in Commodo deſcribitur, ubi *Hilariorum* nomen deſideratur. Vopiſcus, *Hilaribus, quibus omnia feſta & fieri ſcimus, & dici.* Maximus D. Dionyſii interpres de iiſdem ſic ſcribit: ἦν δὲ ἱλάρια ἑορτὴ ἰδικὴ ῥωμαίων εἰς τιμὴν τῆς μητρὸς αὐτῶν, μᾶλλον δὲ δαιμόνων, ὡς φησὶ δημόφιλος ἐν τῷ περὶ τῶν παρ' ἀρχαίοις θυσιῶν.

Terminaliorum dies inſtitutus, ut per epularum feſtivitatem cæſis agnis fines ſervari faciat, ut teſtis eſt Acron. Terminalia.

Floralia quoque cùm maxima laſcivia, ludis atque jocis turpibus & obſcœnis, conviviis luxurioſis, coronis, ſaltationibus, cultu verſicolore, tum luminibus celebrari fuiſſe ſolita, conſtat ex Ovid. Faſtorum 5. Chriſtianorum cujuſmodi ſint hodie Floralia eodem menſe Majo Polyd. Virgilius docet lib. 5. cap. 2. Floralia.

Chariſtia 11. Kalend. Mart. convivio ſolenni inter amicos & conſanguineos celebrari fuerunt ſolita, Valer. Max. lib. 2. & Ovid. 2. Faſtorum: Chariſtia.

Proxima cognati dixere chariſtia chari,
Et venit ad ſocios turba propinqua Deos.

Et paulò poſt:

Diis generis date thura boni, concordia fertur
Illo præcipuè mitis adeſſe die.
Et libate dapes, ut grati pignus amoris,
Nutriat intinctos miſſa puella cibos.
Jam tibi ſuadebit placidos nox humida ſomnos,
Larga precaturi ſumite vina manu.
Et bene nos, bene tu patriæ pater optime Cæſar,
Dicite, ſuffuſo per ſacra verba mero.

Monophagorum quoque apud Æginenſes celebritas fuit, quam Plutarch. in Quæſtionibus Græcis his verbis deſcribit, *Cum in bellum Trojanum profecti eſſent multi Æginetæ, ac pauci inde diverſis de cauſis rediiſſent, clàm quiſque ſuos domi comiter excipiens, ipſimet conviviis miniſtrabant, nec alienum quenquam admittebant. Hoc igitur imitantes Neptuno rem divinam facere ſolebant, thiaſos exercebant, & ſexdecim dierum ſpacio ſilentio inter ſe convivia celebrantes, tandem ſolenne feſtum ſolvebant, inde* μονοφάγοι, id eſt, *ſolitariè veſcentes, fuerunt appellati.* Illorum ſacrorum epularumque præſes θυσιάρχης, & locus in quo convivia exercebantur, θιασῶν fuit appellatus, teſte Heſychio. Monophagiæ Æginetarum.

Celebria ſimiliter fuerunt Theſea feſta, in honorem Theſei inſtituta, in quibus dabatur populo congiarium, & convivia luxurioſiſſima celebrabantur, teſte Cæl. lib. 7. cap. 23. Ejuſdem feſti apud Ariſtoph. in Pluto mentio fit, ubi interpres dicit, omnes in illo feſto gratis ἀθάρην, id eſt, *farinam*, ſive *pultem*, & alia quædam comediſſe. Theſea ſacra.

Adhæc celeberrima fuerunt illa Athenienſium παναθήναια, Panathenæa, in quibus ſingulæ Athenarum coloniæ bovem mittebant, unde omnes propter carnium magnam copiam ſupra modum ſe cibis ingurgitabant, teſtis eſt Ariſtoph. interpres in νεφέλαις. Panathenæa Athenienſium.

Hecatæ quoque cœna non eſt ſilentio prætereunda, quam idem interpres in Pluto ita deſcribit, *Sub novilunium divites mittebant cœnam veſperi ceu ſacrificium Hecatæ in triviis, ubi culta fuit*, unde a Latinis *trivia*, a Græcis τριοδῖτις fuit cognominata: Macrobius, Hecatæ cœna.

Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes.

Pauperiores autem eſurientes diripiebant ac devorabant ea, quæ erant appoſita, cum dicerent, Hecatem ea comediſſe. Sic idem aliter eadem de cœna: *Mos fuit ut ſingulis menſibus divites panes atque alia edulia Hecatæ apponerent, quæ pauperes, qui ex ſacrificiis vivunt, ſumebant atque comedebant.* De eadem vide Brod. lib. 1. Miſcel. cap. 24. & 29. Utinam Chriſtiani ipſi Chriſto, hoc eſt, pauperibus illius vicariis multas hujuſmodi dapes atque epulas apponerent.

Huc referendæ quoque illæ primitiæ, quas olim in viis ponebant Mercurio, quibus viatores veſcebantur: unde ἑρμαῖον, id eſt, *Mercuriale*, Græci vocabant lucrum præter exſpectationem oblatum. Vide Eraſ. in Chiliad. Primitiæ Mercurii.

Memorabilis ſimiliter eſt illa Solis menſa apud Æthiopas, cujus Herod. lib. 3. meminit. Menſa illa fuit pratum quoddam in ſuburbanis omnium quadrupedum aſſa refertum carne, quam per noctem ſinguli civium magiſtratus apponere ſolebant, ad quam ubi illuxerat, cuilibet epulatum licebat accedere. Verum infinitum eſſet omnes feſtivas epulas perſequi, cum ut deorum, ita feſtorum quoque apud Ethnicos ingens fuerit numerus, quæ quidem omnia, paucis exceptis, epulationibus luxurioſiſſimis fuerunt celebrata, quarum exempla quædam maximè illuſtria poſui. Solis menſa.

His addere potes Encænia, quæ ut olim a Judæis menſe Octobri atque Ethnicis, ita hodie quoque a Chriſtianis cum ſuperſtitioſiſſimè, tum luxurioſiſſimè libidinoſiſſimeque agitantur. Encænia.

Hæ ipſæ porrò epulæ ſacræ ſeu potiùs ſuperſtitioſæ, in quarum explicatione verſamur, rurſus bifariam videntur poſſe dividi, ita ut aliæ ipſis diis, hoc eſt, illorum ſimulachris fuerint appoſitæ, quas non niſi ſacerdotibus deguſtare atque comedere conceſſum erat, aliæ quæ in ſacrificiis, ſeu potiùs poſt illa fiebant diebus præſertim feſtis, quarum omnes qui ſacris interfuerant, erant participes, de quibus adhuc dictum eſt. Hæc Alia ſacrarum epularum diviſio.

autem divisio ex illis Varronis verbis videtur posse elici, *Dapes*, inquit, *non sunt deorum duntaxat epulæ, aut nostræ in sacrificiis deorum, sed largiores & opipari apparatus.*

Epulæ Beli & Draconis.

Prioris generis epulæ fuerunt illæ, quæ Belo atque Draconi a Babyloniis fuerunt appositæ, quas noctu sacerdotes devorabant, cùm miseræ plebi persuasissent illas ab diis illis devorari, donec tandem illorum fraus Danielis prudentia detecta fuit, ut sacræ litteræ testantur.

Hecatæ epulas non licebat gustare.

Similis fuit illa Hecatæ cœna, de qua paulò antea dictum est. Plutarch. 7. Probl. Sympos. testis est, eos qui Hecatæ, & ἀποτροπαίοις (hoc est *Averruncis diis*, ut Apollini, & Herculi) epulas apponere consueverunt, neque ipsos, neque illorum domesticos ex illis quicquam degustasse, sed fumi tantum atque tumultus participes fuisse.

Jovis epulum,

Hujusmodi apud Romanos fuit Jovis epulum, & lectisternia, quæ reliquis diis parabantur. Jovis epulum, ut testatur Lazius, in publicis ludis celebrabatur, potissimum Natalitiis, & Circensibus, quotannis Idus Novemb. & ob Jovis ceu deorum regis ac principis excellentiam, propriam seorsim appellationem sortiebatur, cum reliqua convivia in cæterorum deorum ædibus habita, omnia una voce *lectisternia* dicerentur. Meminit hujus epuli crebrò T. Livius Lib. 5. Decad. 3. *Ludi plebei per triduum instaurati, & Jovis epulum fuit ludorum causa.* Et iterum lib. 7. ejusdem Decadis, *Eo anno primùm, ex quo Annibal in Italiam venisset, comitium tectum esse, memoriæ proditum est*, &c. & *Jovis epulum fuit ludorum causa.* Idem lib. 10. ejusdem Dec. *P. Ælius Tubero, & L. Lectorius ædilis plebis vitio creato magistratu se abdicarunt, cum ludos, ludorumque causa epulum Jovi fecisset, & signa tria ex multatitio argento facta, in Capitolio posuisset.* Idem lib. 1. Dec. 4. *Et plebei ludi ter toti restaurati ab ædilibus plebis L. Apustio Fullone, & Q. Minutio Ruffo, qui ædilitate prætor creatus erat, & Jovis epulum fuit ludorum causa.* Ejusdem epuli Arnobius meminit lib. 7. illudque irridet his verbis, *Jovis epulum cras est. Juppiter enim cœnat, magisque implendus est dapibus, jamdudum inedia gestiens, & anniversaria interjectione jejunus.* Ita Ecclesiasticus cap. 30. *Et quid idolo prosunt hostiæ? tamen nec edere potest, neque odorari.* Hinc Juppiter videtur dictus *dapalis* a Latinis, ut a Græcis εἰλαπιναςὴς, quod nimirum ei sacra dapali epulo fierent. Nam ut cœnam *dapalem*, Marcello teste, dicimus, quæ amplis dapibus plena est, & a Græcis εἰλαπίνη dicitur, ita & Juppiter *dapalis* videtur esse dictus. M. Cato in lib. de Re rustica, *Dapem*, inquit, *hoc modo fieri oportet, Jovi dapali culignam vini quantumvis polluceto: eo die feriæ bubus, & bubulcis, & qui dapem facient: cum pollucere oportebit sic facies: Juppiter dapalis, quod tibi fieri oportet, in domo familiaque mea, culignam vini dapi ejus rei ergò. Macte hac illace dape pollucenda esto. Minus interluito. Postea vinum sumito. Juppiter dapalis, macte istace dape pollucenda esto. Macte vino inferiori esto. Vestæ si voles dato. Daps Jovi assaria pecuina, urna vini Jovi castè. Profanate sine contagione. Postea dape facta serito milium, panicum, allium, lentim.* Hæc de ratione faciendæ dapis Jovi dapali. Erat autem daps antiquis, teste Festo, res divina, quæ fiebat aut hyberna semente, aut verna, quod vocabulum a Græcis deducitur, apud quos id genus epularum δαὶς dicitur. Nec verò Jovi tantum, verumetiam cæteris diis dapes fuerunt appositæ, quæ *lectisternia* fuerunt appellata. *Lectisternia*, inquit Lazius, *sacra erant convivia ex victimis & immolatis in templis deorum, a stratis lectis, quibus ordine discumbebatur, sic dicta.* Horum crebra a T. Livio fit mentio, ut lib. 9. decad. 3. libro secundo ejusdem decadis. Lectisternia tribus diis, Jovi, Junoni, & Minervæ, Romæ in Capitolio hoc modo fiebant. Jovis simulachrum statuebatur in lecto recubans: Junonis & Minervæ imagines in sellis considebant, unde Val. Max. colligit viros antiquitus in lectulis, mulieres verò in sellis decubuisse: deinde multa nocte appositis epulis, septem epulones introducebantur, qui cibos sacratos comedebant. Hujusmodi lectisternia impendente, aut jam premente atque urgente magno aliquo malo a Romanis fieri consueverunt, quorum crebra à T. Livio, & aliis scriptoribus fit mentio. Exempla si vis multa vide apud Lazium lib. 11. cap. 5. *Lectisternium facere, celebrare, habere, curare, deos stratis lectis placare*, tritæ sunt Livio dicendi formæ. Arnobius libro septimo, *Lectisternium Cereris erit Idibus proximis: habent enim dii lectos, atque ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impressio.* Christiani ab hujusmodi lectisterniis ita abhorruerunt, ut mortem oppetere, quàm illa celebrare maluerint, ut Marcelli Pontificis, ac multorum aliorum historiæ testantur.

Juppiter dapalis.

Dapem quomodo fieri oporteat.

Daps quid.

Lectisternia quid.

Ratio faciendorum lectisterniorum.

Pulvinaria deorum.

Hujusmodi porrò lectisternia atque epulæ *pulvinaria* quoque *deorum* appellantur a Cicer. lib. 4. Tusc. vel interprete Flacco, qui scribit,

Nunc saliaribus ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus sodales.

Sicuti annotat Turnebus in suis adversariis. Ut autem, addit idem, rei divinæ tibias, sic dapibus deorum, & pulvinaribus adhibebant fides, imitati, ut opinor, veterem poëtam, apud quem Iovi epulanti Apollo fidibus canit. Pulvinaria propriè, teste Servio in Virgil. erant lecti, qui in templis sterni consueverunt in honorem deorum: dicuntur autem *pulvinaria* quasi *pluminaria*, quia plumis replebantur. Synecdochicôs sive metonymicôs autem pulvinaria, ut & lectisternia pro toto illo sacrarum epularum apparatu atque celebratione accipiuntur.

Pulvinaria quid.

Triumviri epulones.

Hujusmodi autem epulas Jovi cæterisque diis indicendi instruendique potestatem qui habuerunt, ii tres primum belli Macedonici temporibus Romæ creati fuerunt, qui *triumviri epulones* fuerunt appellati, ut testis est Livius lib. 3. belli Macedonici. Hinc Cicero lib. 3. de Oratore, *Veteres*, inquit, *Pontifices propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti.* Idem in Oratione de aruspicum responsis, *Vosque pontifices, ad quos epulones Jovis Opt. Max. si quid est prætermissum, aut commissum, afferunt, quorum sententia illa eadem renovata, & restaurata*

rata

rata celebrantur. His autem tribus postea duo additi ut quinque essent, ac tandem theatralium ludorum, atque Circensium ambitione ad septem usque fuerunt producti, qui *Septemviri epulonum* fuerunt appellati. *Epulonos dicebant antiqui*, inquit Festus, *quos nunc epulones dicimus.* Datum autem est his nomen, quod epulas indicendi Jovi, cæterisque diis potestatem haberent, ut epulares qui in quibusdam ludis nocte epulabantur, teste eodem. Hos Arnobius libro secundo irridens: *Sacras*, inquit, *facitis mensas salinorum appositu, & simulachris deorum*: Augustinus de Civitate Dei, asseruit epulones perpetuos fuisse, qui ad auream Jovis mensam statuæ oppositam, perpetui erant convivæ, ut mimorum potiùs & parasitorum contubernia, quàm Dei sacra celebrarentur. Septemviri epulonum.

Animadversione quoque dignum est has ipsas epulas, quæ in honorem deûm in templis apponebantur, antiquitus apud Romanos tenues, & parabiles fuisse, non sumptuosas, neque splendidas, id quod Dionysius his verbis testatur libro secundo: ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεραῖς οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα θεοῖς ἐν τραπέζαις ξυλίναις ἀρχαϊκαῖς, ἐν κανοῖς, καὶ πινακίσκοις κεραμέοις ἀλφίτων μάζας, καὶ πόπανα, καὶ ζέας καὶ καρπῶν τινων ἀπαρχάς, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτά, καὶ εὐδάπανα, καὶ πάσης ἀπειροκαλίας ἀπηλλαγμένα. Hoc est, *Ego igitur vidi in sacris ædibus epulas diis appositas in mensis lapideis, antiquo opere elaboratis, in canistris atque patinis fictilibus, pultem, placentas, far atque fructuum quorundam primitias; aliaque hujusmodi tenuia, parabilia, omnisque magnificentiæ immoderatæ expertia.* Eodem spectat illud Valerii lib. 2. cap. 1. *Primitus*, inquit, *ex libamentis victus sui deos eò efficacius, quò simplicius placabant.* Hinc Horatius suas cœnas frugi atque modicas, sed jucundas & suaves, *cœnas deûm* appellat, illis scilicet antiquis cœnis eas comparans. Atque hæc quidem satis sint dicta de superstitiosis luxuriosisque Ethnicorum veterum epulis atque conviviis, quæ illi in ficulneorum suorum deorum honorem, diebus festis agitare consueverunt. Epulæ sacræ antiquitus tenues & parabiles fuerunt.

Nunc ut hunc tandem locum de sacris conviviis concludam, luce meridiana clarius est, nos Christianos hodie dies nostros festos cùm in Dei, tum in sanctorum honorem institutos, Ethnicorum planè more atque imitatione, partim ritibus atque cæremoniis quibusdam ineptis atque superstitiosis, partim epulationibus seu potius helluationibus immanissimis, partim denique ludis turpibus & obscœnis celebrare, seu potius, ut antiqua dicendi forma utar, *profestos facere.* Nam *profestum facere*, referente Festo, dicebatur, qui ferias vitiabat & profanabat, inauspicatasque reddebat & profanas. Non ergo Deo, non sanctis, sed potius id quod experientia quotidiana testatur, Baccho, Cereri atque Veneri, hodie plerique, proh dolor, Christianorum festa sua celebrant, ita ut antiquis illis Ethnicorum Saturnalibus, Bacchanalibus, Eleusiniis, Floralibus atque Lupercalibus simillima esse videantur. *Festa mundanorum*, inquit Thomas super Joannem 7. lect. 1. in fine, *sunt in epulis atque delitiis corporum, sed festa Spiritualium sunt in delectatione Spiritus. Unde constat nos Christianos, non spirituales, sed mundanos planè esse, quorum animi diebus illis toti sunt in patinis. Nam cùm deberemus sacris illis diebus animos nostros verbi divini nectare & ambrosia, ac rerum cœlestium meditationibus pascere, nos contrà corpora cordaque nostra immoderato cibo potuque ita aggravamus atque obruimus, ut neque corpus, neque mens nostra amplius officium suum facere, hoc est pii honestique aliquid vel agere, vel meditari possit.* De diei dominici prophanatione Gregorius suo quoque tempore conquestus, in epistola ad Augustinum Angloum, Distinctione 4. Canon. *Denique. De ipsa verò die dominica*, inquit, *hæsitamus, quidnam dicendum sit, cum omnes Laici atque Seculares illo die plus solito cæteris diebus accuratius cibos carnium appetant, & non nisi nova quadam aviditate usque ad medias noctes se ingurgitent.* Quantò justiorem bonus iste pater, si nostris hisce temporibus viveret, haberet conquerendi causam, quibus non Laici modò atque Seculares, ut ille loquitur, sed etiam clerici, verbique divini ministri, dominicum illum diem potando helluandoque consumunt. Verè sapienterque Isychius dixit lib. 4. in Leviticum, cap. 1. *dies festos animo, non corpore celebrandos esse: sic enim Christum festa eloquio sacro celebrasse.* At nos Christiani non animis, sed corporis potius deliciis ac voluptatibus, non sacris eloquiis, sed scurrilibus potius dictis factisque festa nostra celebramus, seu potius contaminamus atque polluimus. De comessationibus, quæ diebus festis exercentur, vide gravissimas justissimasque Augustini querelas epistola ad Aventinum Episcopum, Distinctione 44. Can. *Comessationes.* Item de Sabbato ad Bonifacium lib. 1. contra 2. epistolas Pelag. Idem in Psal. 91. Judæos reprehendit, quod sabbatis suis cessent a bonis operibus, non autem a malis, cùm, ut Chrysostomus quoque scitè admodum dixit Concione I. de Lazaro: *Sabbatum non otii, sed spiritualis negotii causa datum sit.* Ibidem *satius esse* dicit *arare in Sabbato*, *quàm saltare*: quemadmodum etiam idem lib. 10. de chordis, *satius esse* dicit *Judæos in sabbatis operari, quàm spectaculis interesse, & mulieres eorum die Sabbati nere, quàm tota die in neomeniis impudicè saltare.* Hæc sanctus ille pater de Judæis sui temporis conqueritur. De eodem & Patres in concilio Africano cap. 27. conqueruntur, nempe, *Convivia & saltationes in natalibus Martyrum in morem Gentilium celebrari.* Annon multò justius de nobis Christianis, si hodie viverent, conqueri possent, qui diebus dominicis cæterisque festis partim ludorum turpissimorum spectaculis, partim tripudiis atque saltationibus lasciviſſimis toti sumus intenti? Ac omnino Judæos sancto illo Sabbati ocio, quod a Deo institutum fuerat, ad Dei cultum celebrandum, ad voluptates atque delitias illicitas & inhonestas abusos fuisse, ex Plutarchi quoque illo prob. Sympos. l. 4. prob. 5. constat, ubi dicit illorum Sabbatum non fuisse ἀπροσδιόνυσον, id est, Baccho alienum, propterea quod illo die merum gustare, & ad bibendum ebrietatemque se invicem incitare fuerint soliti. Unde colligit, illos Bacchum coluisse, qui etiam *Sabbus* nonnunquam fuerit dictus, quod ipsum *Sabbi* nomen forsan ab Hebræo *Sebaoth* promanavit. Ethnici diebus festis saltationibus omnino fuerunt dediti: hinc Virgil.

Christianorum festa luxuriosissima.

Diei dominici prophanatio.

Sabbati abusus.

Pars pedibus plaudunt terras, & carmina dicunt.

Idem: *Immemores nostri festas duxêre choreas.*

Sic hodie quoque apud Christianos, ut Polyd. Virg. inquit, nulla aliâ de causa sit gratior dies festus juventuti, quam ut otium sit ad choreas ducendas, & id cum primis apud Italos. Cyrillus in Euan. Joan. lib. 8. cap. 5. in illa verba: *In Pascha insidias tendebant*: de hoc luxurioso festorum abusu gravissimè conqueritur his verbis: *O impietatem!* inquit, *quum magis virtuti est incumbendum, magis a sceleribus abstinendum, tum innocentem capere conantur. Sed, proh dolor, quàm plurimi inter Christianos hanc Judæorum improbitatem imitantur, qui diebus festis, aut ludis illiberalibus, crapulæ, choreis, aut aliis mundi vanitatibus dediti, quum Deo diligentius obsequium exhibere, quum templa Dei frequentare, orationibus insistere atque ecclesiastico interesse officio deberent, tunc maximè Deum dissolutissimis suis moribus irritant*, &c. Nec verò patres tantum, verumetiam Imperatores Christiani hunc feriarum abusum, qui paulatim magis magisque invaluit, severissimis suis edictis atque sancitis reprimere sunt conati. Extat hac de re lex Leonis & Antonini Impp. in Cod. *de feriis*; *Dies majestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vilium exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, ut a cunctis executionibus immunis habeatur.*

Cyrilli de abusu sacrorum festorum justa querimonia.

Imperatorum Christianorum studium tollendi festorum abusum.

Hujusmodi ergo & sancti illi patres monitis, & Imperatores edictis atque legibus sanctis certè atque severis impium hunc atque prophanum festorum abusum coërcere sunt conati, verùm ille nihilominus paulatim magis magisque crevit, ita ut nostris hisce temporibus ad summum impietatis improbitatisque gradum pervenisse videatur. Mirum itaque profectò non est, Christianum orbem hodie tanta malorum mole premi atque vexari, cum justum & æquum & justitiæ divinæ consentaneum sit, ut feriæ hæ nostræ feræ atque immanes, hæc inquam nostra festa, Deo hominibusque infesta atque funesta secundum Amos & aliorum prophetarum oracula, in luctum convertantur. Nam si ille, qui die sabbati ligna paucula ad vitæ necessitatem collegit, ipsius Dei jussu atque mandato lapidibus fuit obrutus, quàm gravem quæso & atrocem pœnam nos Christiani meremur, qui usuris, fœnorum injustorum exactionibus acerbis, qui gula, ebrietate atque libidinibus impuris hosce Deo consecratos dies assiduè polluimus atque contaminamus. Verùm colophonis loco Censoris longè me gravioris verba, Polydori nimirum Virgilii mihi subjicienda putavi, quibus ille de festorum & multitudine & abusu hoc modo conqueritur: *Deinde dies alii aliis, festi festis ex parvis quandoque causis accumulati sunt, id quod haud scimus an expediat, cùm præsertim videamus, eò rediisse Christianorum mores, ut quàm olim ex religionis usu erat, hæc instituere, tam nunc præstare videatur eadem antiquare, cum bona pars hominum otium illud festorum dierum non ad orandum, non ad divina scripta audienda, cujus rei causa datum est, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam, indies magis magisque impudenter consumat, dictitans se id animi gratia facere, quasi planè sentiens cum Platone, qui ob illud ipsum Deum ejusmodi sacra festa instituisse dicebat. Atque ita bellè Ethnicos perinde in hac re, ut in nimis multis aliis æmulamur, quod tantùm aberat, ut majores nostri facerent, ut etiam illud ipsum audacter iisdem Ethnicis vitio darent, teste Tertulliano in apologetico, cum de Cæsarum solennibus loquitur, ubi inquit: Propterea igitur publici hostes Christiani, quia Imperatoribus, neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant. Grande videlicet officium, focos & choros in publicum ducere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, certatim cursitare ad impudentias, ad injurias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? O nos meritò damnandos! aut enim vota & gaudia Cæsarum casti & sobrii & probi expungimus, &c. Non putavit Tertullianus futurum, ut ista omnia in nostros Christianos aliquando caderent, qui hoc loco ethnicos deridet, & tamen venit tempus, quum eas potius Cæsarum, quàm Christi solennitates celebramus. Faxit igitur Deus, ut pontifices nostri tandem aliquando istos festos dies utiles reddant, quod facient, si minuendos ac castè celebrandos curarint.* Similis huic de festorum & multitudine & abusu fuit olim Michaëlis Archiepiscopi Antisidorensis, Porti de Aliato, Gazæ aliorumque piorum ac doctorum virorum oratio & querela. His addere postremò juvat Gregorii Nazianzeni verba in Orat. 2. contra Julianum, quibus ille egregiè cùm ethnicam, tum veram Christianisque dignam festivitates celebrandi consuetudinem describit: πρῶτον μὲν ἀδελφοὶ πανηγυρίσωμεν, μὴ φαιδρότητι σώματος, μηδὲ ἐσθῆτος ἐξαλλαγαῖς καὶ ποικιλίαις, μηδὲ κώμοισι καὶ μέθαις, ὧν κοίτας καὶ ἀσελγείας τὸν καρπὸν ἔμαθες. Μηδὲ ἄνθεσι στέψωμεν ἀγυιὰς, μηδὲ μύρων αἰσχύναις τραπέζας, μηδὲ πρόθυρα καλλωπίσωμεν, μὴ τῷ αἰσθητῷ φωτὶ καταλαμπέσθωσαν οἰκίαι, μηδὲ συναυλίαις καὶ κρότοις περιηχείσθωσαν· οὗτος μὲν γὰρ ἑλληνικῆς ἱερομηνίας ὁ νόμος. *Primùm igitur, fratres, festivitatem peragamus non corporis hilaritate, neque vestimentorum cultu, & varietate, non comessationibus, & ebrietate, quarum fructum cubilia, & libidines esse didicimus. Non floribus vias coronemus, nec unguentorum opprobriis mensas neque fores ornemus, non lumine sensibili domus resplendeant, neque concentibus resonent ac plausibus. Hæc enim gentilium sollennitatum lex est.* Subjungit deinceps germanum atque genuinum dies festos piè sancteque celebrandi modum. *Nos autem*, inquit, *Deum honoremus*, ψυχῇ καθαρότητι, καὶ διανοίας φαιδρότητι, καὶ λύχνοις τοῖς ὅλον τὸ σῶμα φωτίζουσι τῆς ἐκκλησίας, θείοις λέγω θεωρήμασι, καὶ νοήμασι, id est, *Sed animæ potius puritate, mentisque hilaritate, lampadibus quoque, quæ totum corpus ecclesiæ illuminent, divinis inquam contemplationibus, & cogitationibus, quæ ad sacram suscitent lampadem, & universum terrarum orbem illuminant.* His addit unguenta, mensam, flores atque spirituales coronas, hymnos pro tympanis, psalmodiam pro carminibus atque cantilenis turpibus, plausum εὐχαριστήριον gratias agentem, pro plausu theatrico, ac manuum complosione benè resonante, gravitatem pro risu, sermonem ἔμφρονα, *prudentem* pro ebrietate, σεμνοπρέπειαν, *decorem venerandum* pro delitiis, denique tripudia non mortiferæ illi atque lascivæ Herodiadis, sed castæ religiosæque Davidis circa aram Domini saltationi similia.

Lib. 6. cap. 8.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

SEPTIMA CONVIVIORUM DIVISIO SECUNDUM SYMBOLAS. DE SYMBOLARUM NOMINIBUS GRÆCIS, ET LATINIS: DE CONVIVIIS SYMBOLICIS, SEU COLLATIVIS, ET ASYMBOLIS.

Symbola, sive collecta quid.

Symbolarum collatores.

Symbolam, non symbolum legendum.

Sequitur septima conviviorum divisio secundum symbolas. Συμβολὴν Græci, & *symbolam* Latini usucapto vocabulo, nec non *collectam* Latino & proprio vocant portionem sive pecuniariam sive penuariam, quam pro sua quisque parte confert in cœnam communem. Terent. in And. *ehò quid Pamphilus? quid? symbolam dedit.* Plautus in Sticho, *eadem nocte symbolam dabo, & jubebo ad Sagarinum cœnam coqui.* Idem in Curcul. *Symbolarum collatores apud forum piscarium*, id est, qui conferunt symbolas. Item in Epidico: *Sine meo sumptu paratæ jam sunt scapulis symbolæ.* Jocus est elegans a symbolis & cœnis collativis tractus, quo significat paratas esse suis scapulis plagas frequentes & crebras, quæ tanquam symbolæ, diversis ex partibus in suas scapulas conferrentur. *Symbolam* autem, non *symbolum*, ut vulgò legitur, in locis antè commemoratis & aliis legendum esse Turnebus, Lambinus & alii viri docti satis jam docuerunt. *Symbolum* tamen in eadem significatione dicitur apud Gell. lib. 6. cap. 13. *Talia apud Taurum symbola*, &c.

Συμποσιάσματα. Αἰτητά. Εἰσφοραί. Καταβόλαια. Collectæ vulgò collationes, & comesalia.

Συμποσιάσματα quoque (aliqui συμποσιάσματα legunt) apud Pachymerium lib. 1. cap. 2. hujusmodi collectæ sive symbolæ appellantur. Vocantur etiam a nonnullis αἰτητά, nempè quod a singulis peti sive exigi solent. Item ἔρανοι, de qua voce postea. Præterea cùm ipsa convivia, de quibus supra: tum portiones, quas singuli in illa conferebant, συσσίτια videntur fuisse appellata, secundum illud Ath. lib. 4. Οἱ δὲ λύκιοι συνάγουσι μὲν τὰ κοινὰ συσσίτια οὕτως. ἕκαστον τῶν γινομένων καρπῶν ἀναφέρει τὴν δεκάτην εἰς τὴν ἑταιρείαν. &c. Εἰσφοραὶ quoque & καταβόλαια a Proclo in Hesiodum appellantur. Latinè proprio vocabulo *collectæ* appellantur, a *colligendo*. Cicero de Ora. l. 2. *Ego verò*, inquit ille, *quoniam collectam conviva Crasse exigis*. *Collecta*, inquit Turnebus in suis Advers. *est pecunia, quæ exigitur.* Posset & eo nomine etiam censeri symbola, id est, collatio, quæ a convivis in cœnam aut prandium confertur, sive pecuniaria, sive penuaria sit. Est etiam collecta, cœna, quæ a Græcis ἔρανος vocatur, ut sodalium epulæ, & accubatio epularis juvenum, ut tetradistarum symbolam conferentium. Ausonius, *Aut parasitorum collectas Plautidorum.* Collectæ vulgò collationes & comesalia appellantur.

Cœnæ duplices.

Nomina quibus cœnæ collatitiæ Græcis insigniuntur.

Ἔρανος quid.

Animadvertendum porrò est cùm apud Græcos, tum apud Latinos, quemadmodum & hodie apud omnes ferè gentes, cœnas alias fuisse convivatoris sumptu apparatas & instructas, alias in quas suam quisque partem conferebat. Posterioris generis cœnæ, quæ olim fuerunt usitatissimæ, a Græcis hisce vocabulis appellantur. Primò appellantur ἔρανοι, de qua voce præter illa, quæ supra dicta sunt, hîc alia quædam adjiciam notatu digna. Suidas: Ἔρανος ἡ ἐκ κοινοῦ ἑστίασις. Eustath. ex Athenæo: Ἔρανος dicitur τὸ ἐκ συμβολῆς γινόμενον δεῖπνον. Idem Οδ. α. dicit veteres olim tribus ferè modis ad epulas convenisse, nimirum ἐν εἰλαπίνῃ, ἐν γάμῳ καὶ ἐν ἐράνῳ. Addit: Καὶ ὁ μὲν ἔρανος κόσμιος καὶ οὐδὲ πολυτελὴς, ἀλλὰ καὶ φειδωλῶς ἤσθιον, ὡς τὰ πολλὰ ἐρανίσαι, ἂν ἴδιον ἐσθίοντες ἕκαστος, hoc est, *cœna collatitia moderata erat atque frugalis, minimeque sumptuosa, plerunque etiam parcè eranistæ comedebant, cum quisque suo frueretur.* Deinceps ἔρανον definit τὴν ἀπὸ κοινῆς συμβολῆς ἤγουν καταβολῆς καὶ δαπάνης πολλῶν τινων εὐωχίαν, id est, *convivium multorum ex communi collatione atque sumptu.* Addit Hesiodi testimonium, de quo postea. Idem Οδ. λ. de voce θιάσου & ἐράνου ex Athenæo pluribus disserit, ubi συνερανὸς (in exemplari Athenæi legitur συνεράνων) unde Athenæus ἔρανον vult dictum, novam vult esse vocem. Idem Ιλ. π. 1113. *Sciendum est*, inquit, τὸ ἀπὸ συμβολῆς δεῖπνον, *cœnam ex symbola, Hesiodo idem esse, quod* ἐκ κοινοῦ, id est, *ex communi, quæ* ἔρανος *dicitur*, ἐν ᾧ συνέβαλλον ἕκαστος τὸ πρὸς ἰσχὺν εἰς χρείαν συνδείπνου συμβολιμαίου, *in qua quisque pro sua facultate conferebat ad usum convivii collatitii: quæ autem non erat hujusmodi*, ἀσύμβολος *dicebatur*, διὰ τὸ δωρεὰν δειπνεῖσθαι ἐκ δαπάνης. *Vocem* ἔρανον *non malè meo judicio deducunt* ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, id est, *amore, vel quia* ἐρασοὶ, id est, *amabilis, jucundi & suaves illis fruerentur: vel quia qui ad eas convenirent essent* ἐρασίνοοι, hoc est, *animorum ac voluntatum mutuo amore colligati.* Idem Eustathius Ιλ. ρ. de voce εἰλαπίνης, θιάσου, ἐράνου, ἔρανον definit τὴν ἀπὸ συμβολῶν συναγωγὴν, quæ etiam θίασος dicatur: & qui ita coëpulabantur, dicti sunt ἐρανισαὶ, θιασῖται & θιασῶται. De hac voce θίασος, quæ idem significat, quod ἔρανος, suprà satis est dictum, indè petas quæ huc pertinent.

Δεῖπνον ἐκ συμβολῆς. Σύνδειπνον συμβολιμαῖον.

Ερανος unde dicatur.

Ἑστίασις συμφορητός.

Δεῖπνον συναγώγιμον.

Δεῖπνον συμβλητόν, ἐκ συμβολῆς.

Δεῖπνον ἀπὸ σπυρίδος.

Dicitur præterea hujusmodi convivium ἑστίασις συμφορητός. Aristoteles in Politicis, ἑστίασις συμφορητὸς καλλίων μιᾶς καὶ ἁπλῆς. *Convivium e collectis instructum splendidius est uno coque simplici.* Idem συμφορητὰ δεῖπνα vocat cænas collatas, quarum mentionem facit lib. 3. de Rep. cap. 4. his verbis: *Multos namque, quorum unusquisque minimè studiosus vir est, tamen contingit, cùm coierint, esse meliores illis: non tamen ut singuli, verùm ut simul universi, non aliter atque cœnæ collatæ studio plurium, suaviores sint illis, quæ unius sumptu sumptæ fuerunt*, & δεῖπνον συναγώγιμον ἀπὸ τοῦ συνάγειν, teste Athen. lib. 8. sub finem & Eustathio. Idem verbum ponitur Apoc. cap. 19. ubi angelus invitans aves ad devorandum carnes occisorum, ait: δεῦτε καὶ συνάγεσθε εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ μεγάλου θεοῦ. *Adeste & congregamini ad cœnam magni Dei.* Item δεῖπνον συμβλητὸν, & ἐκ συμβολῆς & συμβολιμαῖον passim apud Athen. & Eustath. Vocatum etiam fuit δεῖπνον ἀπὸ σπυρίδος, id est,

cœna e sportula, teste Athen. lib. 8. sub finem: ὅταν τις αὐτὸς αὑτῷ σκευάσας δεῖπνον, καὶ συνθεὶς εἰς σπυρίδα παρά τινα δειπνήσων ἴῃ, hoc est, *quoties aliquis sibi parasset cœnam, eaque sportulæ imposita iret apud alium cœnaturus.* Arrianus in Epicteto id vocat σπυρίδι δειπνῆσαι. Hujusmodi cœnas veteribus notas fuisse probat illis Pherecratis versibus:

Συσκευασάμενος δεῖπνον ἐν τῇ σπυρίδι
Ἐβάδιζεν ὡς πρὸς Ὠφέλην.

Id est, *Cum præparasset cœnam in sportula, ibat ad Ophellum.* Idem tradit Eustath. Οδ. θ. 294. ubi dicit

Σπυρὶς unde dicta. cibaria quondam non solùm κανέοις καὶ πίναξι, verùmetiam σπυρίσιν fuisse composita, unde dicta sint δεῖπνα ἀπὸ σπυρίδων. Σπυρίδα autem dici παρὰ τὸ πυρὸν, quod significat σῖτον, unde & σῖτα, & Homerici πύρνοι deducuntur. Brod. lib. 6. Miscell. cap. 17. *Hoc genus*, inquit, *durat hodie inter locupletes aulicos: nam Gallicum vulgus cœnam coctam ac paratam, lancibus deferendam curat.* Athen. lib. 8. a veteribus etiam

Δεῖπνα ἐπιδόσιμα. ἐπιδόσιμά τινα δεῖπνα dicit fuisse appellata, quæ ab Alexandrinis dicta sint ἐξ ἐπιδομάτων: quæ forsan eadem sunt, quæ cœnæ ex symbolis, sive ex sportula dicuntur, tametsi hæ paulò post separatim ab Athenæo ponuntur.

Convivium ἐκ κοινοῦ. Denique hujusmodi convivium ab Hesiodo ἐκ κοινοῦ appellatur lib. 2.

Μηδὲ πολυξείνου δαιτὸς δυσπέμφελος (σκληρὸς, δυσαγωγὸς) εἶναι,
Ἐκ κοινοῦ πλείστη δὲ χάρις, δαπάνη τ' ὀλιγίστη.

Id est,

Neque ad convivium publicum graviter accesseris.
Nam ex communi plurima gratia, minimus sumptus.

Epularum collatitiarum usus. His verbis Hesiodus cœnarum hujusmodi collatitiarum dignitatem utilitatemque describit, ac proinde illas non fugiendas, sed adeundas esse docet: quemadmodum Proclus in suis commentariis id egregiè explicat. Tzetzes ibidem ἐκ τοῦ πολυξείνου δαιτὸς interpretatur ἐκ τῶν συσσιτίων, καὶ εἰσφορῶν, καὶ ἐράνων, καὶ ἃ καλοῦμεν καταβόλαια, ὅταν κοινῶς διδόντες δαπάνην τινὲς συμποσιάζωσιν. Hîc Tzetzes symbola συσσίτια, εἰσφορὰς, ἐράνους, & καταβόλαια vocat. Eustath. quoque idem epularum genus vehementer commendat, cùm alibi, tum verò atque in primis Οδ. α. in hæc verba Telemachi:

---- Ἄλλας δ' ἀλεγύνετε (πορίσατε, σκευάζετε) δαῖτας
Ὑμὰ κτήματ' ἔδοντες ἀμειβόμενοι κατ' οἴκους.

Quoniam apud veteres, inquit, *erant convivia quædam* ἐκ τῶν παρ' ἑκάστοις κειμηλίων, *quorum poëta his verbis mentionem facit.* Hujusmodi convivii genus ἔρανος dicitur, ad quod Telemachus procos adhortatur, quasi diceret: Quod si διὰ φιλίαν ὁμονοητικὴν καὶ φιλαλληλίαν ποιεῖσθε τὰς συνελεύσεις, hoc est, *propter amicitiam concordem mutuamque benevolentiam convivia agitatis, licet id vobis facere ex vestris bonis.* Addit: Αἱ δὲ τοιαῦται δαῖτες, κοινωνίαν ἐποίουν τῶν καλουμένων δαιταλέων οἵπερ εἰσὶ δαιτύμονες, θιασῶται, συμπόται. *Hujusmodi epulæ convivantium conjunctionem gignebant, qui coëpulones atque compotores appellantur.* Aristoph. interpres in Pace in illa verba: Ὡς καλὸν τὸ ξίφος αὐτῷ φαίνεται καὶ πυκνὸν καὶ γοργὸν, ὥσπερ μάζα καὶ πανδαισία. Ὅταν γὰρ εἰς κοινὸν ἐσιῶνται ἑκάστου φέροντος ἑαυτῷ δεῖπνον, πυκνὰ πάντα φαίνεται, πῇ μὲν τὰ προσφάγια φερόντων, πῇ δὲ αὐτῶν ἐσιωμένων. Ibidem δεῖπνον dici vult secundum quosdam, in quo unusquisque cibaria afferens, illa in commune deponit, & omnes omnium sunt participes.

Συμβολὴ unde dicta. Συμβολὴ autem dicitur ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν, id est, *conferendo*, quod Germani vocant zusammen schiessen oder tragen. Eustathius Οδ. α. 40. συμβάλλεσθαι idem quod συνεργεῖν καὶ βοηθεῖν ὁμοῦ ἰόντας. ὅθεν καὶ συμβολὴ ἡ ἐπὶ ἐράνου. Ibidem plura tradit de variis significatis vocabuli συμβολὴ & συμβάλλειν. Idem Οδ. λ. συμβολὰς συμποσιακὰς dicit per periphrasin ab Athenæo εἰσαγωγὰς ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων appellari, quibus verbis ille ἐράνους definit. Aristop. Scholiast. Dicitur συμβολὴ ἐπὶ δείπνου τοῦ ἐκ κοινοῦ συνειλεγμένου, quos ἐράνους Homerus vocat. Athen. lib. 8. sub finem, συμβολὴν dicit appellari τὴν εἰς τὰ συμπόσια ὑπὸ τῶν πινόντων εἰσφερομένην, id est, *symbolam dici, quæ a bibentibus in symposia inferretur.* Hinc etiam Theologi nonnulli, ut illud obiter addam,

Symbolum Apostolicum. insignem illam Christianæ fidei religionisque epitomen *Symbolum Apostolicum* volunt esse appellatum, ducta similitudine a collatitiis illis epulis. Nam quemadmodum ad illas singuli convivæ certas quasdam portiones vel pecuniæ vel esculentorum atque poculentorum conferre solent: sic ad hoc quasi spirituale fidei religionisque epulum instruendum singuli Apostoli certa quædam capita ceu symbola contulerunt. Unde etiam nonnulli Canonistarum, ut Durandus in Rationali divinorum, symbolum a σύν, quod est *simul*, & *bolus*, quod est morsellus, voluerunt esse derivatum: quia unusquisque Apostolorum suum quasi bolum sive morsellum, id est, partem suam apposuit. Alii tamen illam religionis Christianæ summam, *symbolum* volunt esse dictam, metaphora ducta a symbolis sive tesseris militaribus, eò quòd Christiani veri & orthodoxi, ceu spirituales Christi summi Imperatoris milites, ab exploratoribus atque hostibus, hoc est, idololatris atque hæreticis optimè dignoscuntur. His adde, quòd, ut Turnebus docet in suis Adversariis, tesseræ, quibus Græci in pactis conventisque uti solebant, σύμβολα fuerunt appellata, quæ loco tabularum & syngrapharum erant, atque ex his jus dicebatur, id quod Aristotelis, Demosthenis atque Suidæ testimoniis confirmat. Eodem modo civitatis Dei, hoc est, Ecclesiæ cives symboli hujusce Apostolici atque catholici communione conjuncti,

Missa. eodem jure fruuntur. Nec aliud vox illa *Missa*, *Missæ*, & *Missa*, *Missorum* neutro genere & numero plurali, quàm *Missiones*, sive res missas, *Oblationes* videlicet, declarat, quas in cœtum quisque afferebat.

χῶν Argivorum. Argivi, teste Athenæo, τὴν ἐπὶ συμποσίου συμβολὴν, appellabant χῶν, τὴν δὲ μερίδα, αἶσαν. Eustath. Ιλ. π. hæc citans, addit: χῶν derivari ἐκ χοός, quod quidem est vas conviviale, quod etiam χοεὺς Atticè appel-

pellatur, unde χοέως χοῦς, & Doricè χῶς, sicut βοῦς βῶς Doricè appellatur. Terentius in Eunucho: *Heri aliquot adolescentuli coimus in Pyræo in hunc diem, ut de symbolis essemus, Chæream ei rei præfecimus:* ἐρανάρχης dicebatur, qui symbolis colligendis præerat. Hîc obiter nota adolescentes in Pyræum (qui portus erat Atticæ) convivia agitandi causa convenire fuisse solitos. Est ejusdem nominis portus Corinthiacus, ubi consentaneum est majorem fuisse luxum. Hinc videtur tractum scomma illud proverbiale, quod Julius Pollux lib. 6. cap. 6. refert ex Aristotele, τὸ πειραιᾶ μὴ κεναγγίαν ἄγειν, id est, *Pyræum non vehere vasa inania*, in eos, qui gaudent semper cibo potuque distendi, ut Erasmus in suis Adagiis annotat.

Mos epulandi in Pyræo.

Hæc de Græcorum epulis συμβολιμαίοις, quas constat olim diligenter sanctèque ab illis coli plurimique fieri fuisse solitas, ceu optimas amoris amicitiæque mutuæ effectrices. Epulæ autem, quæ solius convivatoris sumptibus constabant, ab illis εἰλαπίναι & ἀσύμβολοι fuerunt appellatæ. Eustathio Οδ. α. δεῖπνον ἀσύμβολον, Athenæo τὸ δωρεὸν, καὶ ἄνευ ἐράνου. Convivæ similiter, qui illis fruebantur, dicti sunt ἀσύμβολοι (ut & βραχυσύμβολοι, parum ad convivia pro sua parte conferentes) quique hujusmodi cœnas nimis avidè consectabantur, ἀλλοτριοφάγοι per contumeliam fuerunt appellati: cujusmodi erant parasiti. Eustath. in hæc verba Telemachi de procis Οδ. α. ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσι. *Sciendum est*, inquit, ὡς οἱ ἀλλότριον βίον ἔδοντες, *dicuntur* ἀλλοτριοφαγεῖν, δειπνομανεῖς εἶναι. Et paulò post: Ἀλλοτριοφαγῶν *autem*, id est, *qui alienis vescitur*, *is dici possit* τεχνίτης τοῦ ἀσυμβόλως δειπνεῖν (Germanicè Schmoroßer) ἤγουν δωρεὰν, δίχα συμβολῆς, ἤτοι δαπάνης οἴκοθεν. Talis fuit Ctesibius ille Chalcedonensis, qui cùm interrogaretur, quidnam emolumenti ex Philosophia sua percepisset, respondit inde se habere τέχνην τοῦ ἀσυμβόλως δειπνεῖν, id est, *artem cœnandi sine symbolis*. Erat enim valde facetus atque festivus, unde sæpe a multis invitabatur. Athenæus lib. 1. parasitorum quorundam verba, qui cœnis hujusmodi asymbolis gaudent, recitat. Hujusmodi est illud Eubuli Comici:

Epulæ quæ solius convivatoris sumptibus constant. Δεῖπνον ἀσύμβολον. Ἀσύμβολοι. Ἀλλοτριοφάγοι.

Ἀσυμβόλου δείπνου γὰρ ὅστις ὑστερεῖ
Τοῦτον ταχέως νόμιζε καὶ τάξιν λιπεῖν.

Item illud Chrysippi:

Ἀσύμβολον κώθωνα (compotationem) *μὴ παραλίμπανε*
Κώθων δ' οὐ παράλειπτος ἀσύμβολος, ἀλλὰ διωκτός.
Compotationem asymbolon ne unquam deseras.
Compotatio asymbolos non relinquenda, sed appetenda.

Item illud Antiphanis:

Βίος θεῶν γάρ ἐστιν, ὅταν ἔχῃς πόθον
Τ' ἀλλότρια δειπνεῖν μὴ προσέχων λογίσμασι.
Vita Deorum est, quando potes
Alienis vesci, immunis a rationibus.

Hæc fuerunt verba Parasitorum (quorum hodie quoque magnus est numerus) qui ad alienas mensas cupidè advolabant, quibusque nihil erat prius, aut antiquius, quàm aliena comedere sine suo sumptu. At verò homines liberales & ingenui apud Græcos ab hujusmodi consuetudine maximè abhorrebant, contraque epulis illis communibus ac collatitiis summopere delectabantur.

Parasitorum mos.

Venio ad Romanos, apud quos similiter, ut Suidas egregiè testatur, antiquitus ὄνειδος ἦν τὸ ἐξ ἀλλοτρίων ἐσθίειν, καὶ ἕκαστος ἐν τοῖς συμποσίοις καὶ ἴδιον βρῶμα καὶ πόμα ἐκόμιζεν, πρὸς τὸ μὴ ἀκούειν ἀλλοτριοφάγος. Hoc est, *probro ducebatur aliena vivere quadra, & idcirco unusquisque suum & cibum & potum in symposia afferebat.* Hujusmodi infamiæ diluendæ, & simul majori sibi cives liberalitate obligandi causa, Brumalia, eodem teste, Romulus instituit, quibus a Rege Senatus & milites hyemis tempore, (quo vacabant a militia) alerentur. Nomen autem ἀρίστου, id est, *prandii*, vocavit βρουμάλιον, quod Romana lingua significat, ἐκ τῶν ἀλλοτρίων τραφῆναι, id est, *alieno victitare*. Hîc Suidas videtur lapsus linguæ Romanæ ignorantia. Nam Brumalia dicta sunt a Bruma, hoc est, *ab hyeme*, in qua convivia illa agitabantur, ita ut Brumalia idem sit quod hyemalia. Nam Bruma cùm propriè diem Solstitii hyemalem, qui est post Idus Decembris, significat, sic dicta, ut volunt Grammatici, quasi βραχὺ ἦμαρ, id est, *brevis dies*: tum Synecdochicôs sæpe pro hyeme usurpatur.

Apud Romanos similiter cœnæ collatitiæ erant in usu. Brumalia quid, cur instituta, unde dicta;

Ab hujusmodi porrò antiqua symbola conferendi consuetudine *jentacula*, necnon *comessationes*, sive *postcœnia*, *collationes* a posterioribus fuerunt appellatæ, quas voces Galli, Itali atque Germani usurpant. Beroaldus in Suetonium, *Vulgus*, inquit, *jentacula vocat collationes ab eo, quod unusquisque coëpulonum confert pecuniam ad cibaria coemenda, quæ & symbola vocantur.* Inde eleganti vocabulo *asymbolos*, & etiam *immunis* dicitur ab A. Gellio is, qui symbolum non dedit, & sine collatione accessit ad comessationem, lib. 6. cap. 13. *Ne omnino (ut dicitur) immunes & asymboli veniremus, conjectabamus ad cœnulam non cupedias ciborum, sed argutias quæstionum. Immunis* nomine Horatius quoque utitur lib. 4. Od. 12. *Immunem meditor tinguere poculis*, id est, inanem, nihil afferentem, asymbolon. Eodem nomine utitur Terent. in Phorm. *Tene asymbolum venire unctum atque lautum e balneis?* In Canonicis decretis distinct. 44. proditum est, non oportere clericos celebrare convivia ex symbolis, quæ vulgus *comesalia* vocat: eadem, teste Beroaldo in Apulejum, etiam *Conferta* dicuntur. A collationibus illis sacrificium quoque olim *conlativum* dictum est, teste Festo, quod ex conlatione offertur.

Jentacula cur dicta collationes. Asymbolos, & immunis.

Porrò collatitiarum hujusmodi cœnarum illustria exempla fuerunt ἀγάπαι illæ Christianorum primitivæ Ecclesiæ, de quibus suprà dictum est, quæ quidem inter divites & pauperes promiscuè agitari consueverunt

Sacrificium conlativum.

ex collectis sive symbolis, quæ a ditioribus in illum usum conferebantur: quas etiam *oblationes* nonnulli volunt fuisse appellatas. Huc quoque referenda antiqua illa *συσσίτια*, de quibus suprà, quæ quidem fuerunt collatitia.

Collatitiarum cœnarum usus hodiernus. Epulæ Paschales.

Hodie quoque apud omnes ferè gentes in usu sunt collatitiæ hujusmodi cœnæ amoris, benevolentiæ mutuæ plenissimæ, quæ ab amicis, propinquis, vicinis agitantur, singulis certas quasdam portiones ad illas conferentibus: id quod Germani *ollas conferre*, seu *comportare* vulgò vocant. Paschales similiter illæ epulæ, quæ apud Christianos nonnullos summa cum hilaritate lætitiaque quotannis celebrari consueverunt, sunt collatitiæ. Constant enim ex collectis sive symbolis, quæ a singulis conferuntur: unde Germanicè cùm ipsa festivitas, tum dona atque munera, ut sunt ova, placentæ, panes, carnes, vina, quæ ad illius celebrationem hinc inde colligi atque conferri solent, Zümpfeltag quasi symboltag / a symbolis nimirum, videntur appellari.

CAPUT XXXV.

DE COENA RECTA, ET EROGATIONIBUS, SIVE LARGITIONIBUS ALIMENTARIIS CUM PUBLICIS, TUM PRIVATIS.

Nunc postremo loco, quoniam crebra apud auctores Latinos cœnarum rectarum, & quæ illis opponuntur, sportularum fit mentio, non incommodè, meo judicio, octava conviviorum divisio in cœnas rectas, & in sportulas fieri poterit.

Cœna recta.

Cœnam rectam veteres appellaverunt, qua convivæ, seu convictores legitimo rectoque apparatu, & recto discumbentes ordine, lautè eisdemque epulis accipiebantur. Hanc Germani videntur appellare Ein gesetzt maal. Sueton. de Augusto: *Convivabatur aßiduè, nec unquam, nisi recta,* (cœna) *non sine magno ordinum hominumque delectu.* Vespasianus similiter, ut idem auctor testatur, *convivabatur aßiduè, ac sæpius rectè, & dapsile.* Huic opponuntur Sportulæ, Martial.

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Sportulæ propriè quid.

Sportulæ autem, *sportellæ*, & *sporta* propriè sunt, cùm pecuniarum, tum ciborum receptacula, sic dicta a *Sparto*, herba Hiberica, ex qua conficiebantur. Plautus in Menæchmis;

Sportulam cape, atque argentum. eccos treis nummos habes?

Asconius in Verrinas Cic. sportam, & sportulas dicit esse nummorum receptacula, ac spartea utensilia ad majoris summæ pecunias capiendas. Metonymicè autem eadem vox sæpe cùm pro cibis, qui vel publicè, vel privatim erogantur, tum pro pecuniis, quæ cibariorum loco quandoque dari solebant, usurpatur. Turnebus in Adversariis in illa Cic. verba: *Dediscendæ tibi sunt sportellæ & artolagani tui*, &c. *dicere eum puto*, inquit, *vitiles sportellas, quibus artolagani & bellaria ferebantur.* Sed & interdum sportulis obsonia cœnarum ferebantur, cum ad aliquem cœnatum ibant, & in cœnationem domesticam portabant. Nam & apud Pollucem sunt *κίσαι, ὀψοφόροι, & σπυρίδες.* Pro cibis, sportula accipitur, ut Juvenal. Satyr. 3.

Sportula pro cibis.

Nonne vides quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivæ, sequitur sua quemque culina.

His verbis divitum Romanorum arguit gulam, & sportulæ desyderium, servorumque miseriam narrat. Tanto enim studio atque concursu obsonia, quæ distribuebantur ex sportula, homines certatim excipiebant, ut illa cum foculis exciperent, ne intepescerent. De quo sic Seneca scribit lib. 11. ad Lucil. *Non tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium: hoc enim jam luxuria commenta est, ne quis intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum fieret, cœnam culina sequitur.* Hinc igitur ait poëta,

---- *Sequitur sua quemque culina.*

Turnebus in suis Adversariis in hæc carmina, *Jam non intelligo*, inquit, *centum quadrantes, sed cœnam, quæ, quòd initio in sportula dabatur, inde nomen meruit:* unde a Græcis *δεῖπνον ἐν σπυρίδι vocatur, id est, cœna in calatho. Item pro pecuniis sportula accipitur.* Martial.

Sportula pro Pecuniis.

Dat Bajana mihi quadrantes sportula centum,
Inter delitias quid facit ista fames?

Sic Juvenal. --- *Densissima centum,*

Quadrans.

Quadrantes lectica petit.

Idem sublatis a Domitiano sportulis, & revocata rectarum cœnarum consuetudine exultans, inquit Martialis,

Centum miselli jam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi,
Quos dividebat balneator elixus,
Regis superbi (Neronis) *sportulæ recesserunt.*

Quadrans autem nummus fuit (qui idem *triuncis*, sive *triunx*, & *teruncius* dicitur, a tribus unciis, ut Varro dicit) quarta pars assis, id est unciæ tres, idem quod Germanis pfenning. Mart.

Invi-

Invitas centum quadrantibus, & benè cœnas.

Quadrans merces balneatoris.

Notabis etiam hîc obiter, Quadrantem balneatori dare moris fuiſſe Romæ. Horat. lib. 1. Satyr. 3.

----Dum tu quadrante lavatum
Rex ibis.

Juvenal. Sat. 6. *Cedere Sylvano porcum, quadrante lavari.*

Teſtatur idem Hotomanus de re nummaria. Atque hinc eſt, quòd Seneca Balneum *rem quadrantariam* appellavit: *Cur*, inquit, *exornaretur res quadrantaria, & in uſum, non oblectamentum reperta.* Cicero item pro Cælio: *Niſi fortè mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori.* Vulgò Germani de paupere aliquo dicunt, Er hat nit drey haller in ein bad / hoc eſt, *deſunt illi tres oboli ad balneum*, quo ſumma paupertas exprimitur: forſan quia, ut apud Romanos tres unciæ, quibus conſtabat quadrans, ſic apud Germanos tres oboli erant merces balneatoria. Vocem κοδράντην depravato nomine Latino etiam Matth. 5. & Marc. 12. ſcriptam reperimus. Marc. 12. explicatur per δύο λεπτά. Plutarch. in Cic. ex ærario numiſmatis minimum ait κουαδράντην appellari. Ibidem quadrantes innuit fuiſſe proſtitutarum pretium, ubi dicit, Adoleſcentem quendam in Clodii ſororis loculos pro argenteis nummis, quadranteis immiſiſſe æreos, quo nomine deluſa puella, *Quadrans* eſt cognominata ex concubitus pretio. Hinc Hieronymus quoque proverbialiter dixit, *Rideo advocatum qui patrono indigeat, quadrante dignam eloquentiam nare ſubſanno.* Sportulæ quoque judicum pro honorario ſive ſalario uſurpantur, ſub Rub. *de Sport.* jud. c. & l. trigeſima prima, 8. *executorib.* c. *de Epiſc. & Cler.* Sic *Viſcerationem* Græci διανομὴν κρέως: Sportulam διανομὴν χρυσίου ἢ δ' ἀργύρου definiunt. Sic pecunia apud Græcos ab actore & reo conſtituendi judicii gratia contributa & depoſita, *Prytanea* fuit nuncupata, quæ *ſportulæ* reſpondet. Apul. l. 6 *ſportulam* vocat ſtipem, ſive pecuniam, quam conferunt qui in ſodalitii ſocietatem cooptantur. Omnino *ſportularum* nomine intelliguntur quævis erogationes, ſive cibariæ, ſive pecuniariæ, ſive publicæ, ſive privatæ.

Sportula pro honorario ſive ſalario judicum.

Pecunia Prytanea.

Fuit porrò apud Romanos moris, ut divites ſuis clientibus, ſalutatoribus, & affectatoribus modò cænas rectas darent, (unde Juvenal. *Votaque deponunt quanquam longiſſima cœna*) modò ſportulas tantùm, hoc eſt, munera alimentaria ſive pecuniaria. Hinc *Veſtibulum*, locus ſportularum, qui & ipſe ſportula dicebatur: ubi proponebantur eo die, quæ dono danda erant. Sportulæ illæ nonnunquam etiam ab alienis, & quidem divitibus rapiebantur. Unde Juvenal. Satyr. 1.

Salutatoribus atque clientibus modò cœnæ rectæ, modò ſportulæ datæ, Veſtibulum. Sportulæ etiam ab alienis & divitibus rapiebantur.

-----Nunc ſportula primo
Limine parva ſedet, turbæ rapienda togatæ.

Hoc eſt, Quam viliores, & pauperes clientes deberent capere.

Ille tamen faciem prius inſpicit (an ſcilicet ſit ex clientibus) *& trepidas, ne*
Suppoſitus venias, ac falſo nomine poſcas.
Agnitus accipies.

His verbis Juvenalis oſtendit tantam fuiſſe Romanorum avaritiam, ut & nobiles, divites, & magiſtratus non pudeat ſportulam captare (*ſportulantes* a Tertulliano eleganter appellantur ſportulis accipiendis operantes) quam olim pauperes tantùm captare erant ſoliti. Huc Tertullianus quoque alludit lib. 3. adverſus Martionem: *Nunc ſi nomen Chriſti, ut ſportulam furunculus captavit.* In quæ verba ſic commentatur B. Rhenanus. *Hîc verò arbitror Tertullianum de fure nummorum loqui, ſed ſportulam eam intelligere, quæ pauperculis, clientibus ſalutatoribuſque dabatur a divitibus olim apud Romanos*, &c. Sub Nerone imperatore, ut ſcribit Suetonius adhibitus ſumptibus modus, publicæque cœnæ ad ſportulas fuerunt redactæ. At Domitianus poſtea ſportulas publicas ſuſtulit, revocata cœnarum rectarum conſuetudine. Hinc Martialis ei aſſentiens, ait:

Veſcitur omnis eques tecum, populuſque patreſque.

Papinius quoque hoc nomine longo carmine principi gratias agit, ejuſque facilitatem laudat, quod cum populo Romano diſcumbere ſit ſolitus. Sic enim ait:

----- Tecum veſcitur omnis
Ordo Menſa.

Ordo, ſcilicet plebejus, equeſtris, ſenatorius. De eodem ſic ſcribit Suetonius: *Epulum largiſſimum dedit populo, Septimontiali ſacrorum quidem die* (quo feriæ agebantur *ſeptem montium*, de quibus Varro lib. 2.) *ſenatui equitique panariis, plebeis ſportellis cum obſonio diſtributis. Initium veſcendi primus fecit. Panaria*, quorum hîc fit mentio, dicuntur vaſa, quibus panes repoſiti inferuntur in menſa: ſicut *granaria* dicta, quibus granum reconditur. Papinius primo Sylvarum:

Septimontialis dies. Panaria.

Hi panaria, candidaſque mappas
Subnectunt. Indè *panariolum* diminutivum.

Martialis, *Cum panariolis tribus rediſſe.*

Mortuo Domitiano, veriſimile eſt pro rectis cœnis rurſus ſportularum uſum invaluiſſe, ut ex Juvenali apparet. In eundem porrò illum Suetonii locum de Domitiano hæc Turnebus in ſuis Adverſariis annotat, quæ ad ſportularum & cœnarum rectarum diſcrimen melius adhuc intelligendum ſpectant. Locum autem primò illum ſic legendum putat: *Et equiti panaria, plebi ſportellas cum obſonio diſtribuit.* Addit: *Ab hac conſuetudine dandi in ſportulis obſonii, aut cœnæ in ſportulis ferendæ, ſportulæ nomen ortum videtur eſſe, quòd obſonii, & cibi loco pecunia donaretur in victum, quæ cum cœnam ementiretur, & cœnæ loco daretur, rectæ cœnæ opponebatur, quòd*

recta sit cœna, cùm clientem lautè accipimus, & pascimus, non recta cœna, sed in locum cœnæ asses cœnæ causa numerari, id est, sportula data.

Porrò erogationes, sive alimentariæ, sive pecuniariæ apud Romanos erant partim publicæ, partim privatæ.

Erogationes publicæ. Frumentatio quid. Publicæ, quæ fiebant ex publico ærario, idque vel in pace, vel in bello: quæ quidem frumentationes fuerunt dictæ, de quibus operæ pretium fuerit hic addere, quæ Justus Lipsius Elect. lib. 1. cap. 8. scripsit ex variis authoribus collecta. *Frumentatio, est gratuita in plebem annona, Græcis σιτηρέσιον dicta. Frumentaria largitio antiquissima apud Romanos, & ferè semper conciliandæ plebi adhibita, statim post reges ejectos, teste Livio. Plinius ejus originem ad Manium Martium Ædilem refert, lib. 18. Postea divisum frumentum sæpius, & ferè semper ab ædilibus, quorum videtur fuisse ea cura. Hæc cùm largitio omnis voluntaria adhuc esset, &, ut videtur, in arbitrio senatus, exorti mox Tribuni, qui per hanc occasionem gratiam & opes sibi quæsiverunt apud plebem, legesque tulerunt, quibus non incerta, ut antea, sed perpetua stataque frumentatio esset. Prima fuit lex C. Gracchi, qua frumentum plebi e publico datum, modico aliquo pretio definito. Optimates postea aliam tulerunt placandæ plebis* Leges frumentariæ. De alimentis carceris diaria dicta. *gratia, qua Menstruum definiebat in capita, non plus quinque modios. De alimentis carceris, quæ Diaria item dicebantur, vide Senecam patrem lib. 9. controversia 4. Lex optimatum videtur irrita fuisse, quia non ita multò post alia frumentaria lata, cujus ferundæ auctor M. Cato, teste Plutarcho. Sed mox videtur irrita facta: Successit enim P. Clodii sub idem tempus Tribunitia, de qua Asconius in Miloniana. Imperatores legem Clodianam retinuerunt,* Frumentantium numerus. Recensus. Pueri alimentarii. *spreto nomine, & sub iis instituta Romæ perpetua frumentatio, non alibi tam effusè usurpata in ulla Repub. ullius ævi. Julius Cæsar dictator certum frumentantium numerum definivit,* teste Suetonio, Dione Caff. lib. 43. *Recensus, quem Julius Cæsar (teste Suetonio) egit, examen est, & disquisitio brevis in eos, qui jure aut injuria capiebant publicum frumentum. Augustus frumentantium numerum auxit. Crevit hic numerus multò magis sub Trajano optimo principum, qui etiam pueros admisit ad publica frumenta, teste Plinio in Panegyrico. Tabulæ publicæ, in quibus deberentur frumenta, depositæ fuerunt apud præfectum annonæ. Hadrianus exemplum Trajani sequutus est. Antoninus puerorum, & puellarum alimentariorum numerum auxit.*

Distributores frumenti qui, & quot olim fuerint. Ædiles Cereales. Præfectus annonæ. Præfectura annonæ. Quoad eos, qui distribuerunt, in antiqua Repub. frumenti distributio fuit penes Aediles, atque etiam custodiæ Curatores. Cajus Cæsar supra legitimum numerum creavit ædiles duos, qui frumento præessent: quos ea de re dicit *Cereales*, Pomponio de Orig. Juris, & Dione lib. 43. testibus. Sed non diuturna iis hæc cura fuit, successitque præfectus annonæ. Augustus duumviros, id est, duos curatores creari jussit, quorum esset annonæ divisio & distributio. Postea cum duo non viderentur huic functioni pares, quatuor viros sorte eligi jussit, eosque ordine præesse frumento publicè dividendo: postea ad 28. excrevisse videntur. Præfectura annonæ summæ fuit dignitatis, quam Cassiodorus facit proximam a præfectura urbis. Munera præfecti annonæ Cassiodorus explicat lib. 6. *variar.* & Seneca *de Brevitate vitæ* cap. 18. & 19.

Distribuendi modus. Porrò ratio distribuendi per tesseras erat. Non enim frumentum ipsum a Curatoribus (vile id, & magnarum molestiarum munus fuisset) sed tesseras frumentarias, sive symbola quædam in ligno aut plumbo capiebant: quibus acceptis, iis ire licebat ad horrea publica petitum frumentum. Frumento si non opus, tesseras eas vendebant. Harum tesserarum aliquot in locis Jurisconsulti mentionem faciunt: quas verisimile est ad certum locum, ut ad Minutiam Frumentariam dari fuisse solitas, ut ex Apuleio videtur posse colligi. Minutia frumentaria.

Distribuendi tempus. Tempus distribuendi eas tesseras, principium cujusque mensis. Jam inde a Graccho largitio ejus videtur fuisse menstrua: & Appianus aperte dicit, eum definivisse σιτηρέσιον ἔμμηνον, frumentationem menstruam. Annona. Ex Suida colligimus solitum id fieri sub ipsas Nonas: unde etiam *annonas* derivat a *Nonis*. Mutare eam consuetudinem tentavit Augustus, sed destitit propter advorsam populi voluntatem.

Numerus est incertus, nec in Græca nec in Latina historia usquam expressus. Si conjecturis agendum, verisimile est, ut minimum sex modios, sive medimnum Atticum accepisse eos in mensem.

Horrea. Horrea Romæ ad capiendum frumentum publicum in quaque regione urbis complura: cognomina etiam plerisque addita ab auctore. Frumenta hic reposita posterior ætas simpliciter appellavit. Condita militum in Frumentarii. horreis provincialibus, ut civium, in urbis. His horreis appositi *Frumentarii mensores*, qui populo admetiebantur. Lucilius:

> *Frumentarius est, modium hic secum, atque rutellum*
> *Vnum habet.*

Frumentarii etiam dicti, qui ultrò citroque cursitabant per provincias, per domos ad frumenta conquirenda, convehendave, quos Græci πυροφόρυς dixerunt: Latini alio nomine *Agentes in rebus*, de quibus Turnebus lib. 13. Et olim quidem frumentum ipsum datum civibus, postea cæpit panis; quia id commodius visum in egenam plebem, quæ hac ratione operas & impensas pistorias faciebat lucri. Hic panis, qui vicarius frumenti, distribui in gradibus solitus: unde *panis gradilis* dictus, de quibus Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

> *Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.*

Item,

> *Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira*
> *Sustinet? aut quæ Janiculo mola nota quiescit.*

Panis gradilis. Loquitur de pane gradili, & de molis pistrinorum, ubi pinsebatur. Videntur in singulis urbis regionibus gradus ad hanc divisionem fuisse erecti. Eodem modo Congiaria, & omnia donativa dari solita. Res ipsa suadebat, ut scilicet in altiori loco exempti, & secreti distributores essent a premente turba. Tanta autem vis frumenti e provinciis, e Sicilia, Sardinia, & præsertim Affrica, & Ægypto, quæ bina horrea populi Romani.

Modus

Modus porrò universæ hujus largitionis pro immensis populi Romani opibus immensus fuit. Certus autem frumenti numerus, qui in una aliqua urbe quotannis absorbebatur, *Canon* dictus est. Ita *Canon Alexandrinus*, *Canon urbis Romæ*, *Constantinopolitanæ*, passim apud historicos inferioris ævi, & Jurisconsultos. Canon.

Nec vero frumentum solum gratuitum civibus fuit, sed etiam oleum & caro. Olei creber usus Romæ propter balnea quotidiana: ideo largitio ea antiqua. Carnis dividundæ principium ab Aureliano, teste Flavio Vopisco in ejus vita: *Caro porcina divisa, & vinum idem Aurelianus dare cœperit.* Sic largitio non habet fundum neque finem. Non ergo mirum multos Romanam civitatem appetiisse. Oleum quoque & caro distribui solita.

His similes sunt in multis civitatibus atque cœnobiis hodie usitatæ frumenti, cibariorum pecuniarumque largitiones atque distributiones in pauperes fieri solitæ. Apud Basilienses, ut testis est Christ. Vurstisius in sua Epitoma historiæ Basiliensis, Xenodochium est Germ. Ellendherberg dictum, superiore seculo à Conrado zum haupt/ opulentissimo spectatæque auctoritatis cive, pro egenis hospitibus, votivas præsertim peregrinationes facientibus institutum, ita ut tum der Bilgern herberg vulgò diceretur. Hodie magistratus moderatione, omnis sexus ætatisque pauperes, stipem alioquin in plateis mendicaturi, hic excipiuntur hac lege. Quoniam per plateas ostiatim mendicare, solis leprosis exceptis, justas ob causas vetitum est, ideò egeni omnes hâc iter facientes, ante portas in domunculis ejus rei gratia factis, expectare jubentur, donec sub horam prandii cœnæve (fit enim id quotidie bis) quibus hoc mandatum, eos simul hunc in locum deducturi, adveniant. Mane accedentibus prandium datur, vesperi autem præstolantes per noctem foventur, ac pro cujusvis necessitate reficiuntur. Cibo sumpto cuilibet capiti (ne infantibus quidem exceptis) nummi aliquot dantur, & per præfectos singuli ad eas portas, per quas iter facere cupiunt, deducuntur. Inopum verò civium inquilinorumque liberis omnibus, & quotquot statuta hora eò convolant, magna indies panis copia distribuitur. Apud nos præter innumeras alias largitiones eleëmosynarias passim in agri nostri cœnobiis fieri solitas, in ipsa urbe, *Olla* est, (uti vulgò vocant) *pulmentaria*, (Müßhafen) ad quam ingens quotidie pauperum, & inopum cùm Laicorum, tum Scholasticorum turba confluit, & singulis pulmenti atque panis certa portio, nonnullis etiam pecuniæ nonnihil dari atque distribui solet. Huic similis est liberalis illa, seu potius munifica Schaffhusianorum in pauperes cibariorum pariter atque pecuniarum erogatio, singulis septimanis celebrari solita, quàm vulgò Spend vocant, quod vocabulum vel a *sportula*, vel Græco σπένδειν, vel, quod mihi videtur verisimilius, ab *expensa* est derivatum. Sic, ut hoc quoque obiter addam, panis ille, qui apud eosdem magistratibus atque senatoribus, nec non viduis quibusdam, quarum mariti de Repub. optime fuerunt meriti, singulis septimanis dari solet (quem tamen certa quadam pecuniæ summa, nempe 20. florenis redimere coguntur) Gredling appellatur, vocabulo, ut mihi videtur, deducto a *gradili* illo Romanorum pane, de quo alio in loco dictum est. Sigismundus Baro in Comment. rerum Moscovit. testatur in Moscovia præcipuum esse monasterium S. Trinitatis, quod admirabili populorum concursu celebratur, quoniam S. Sergius ibi sepultus, multa miracula edere dicitur. Eò Princeps ipse sæpe, vulgus verò quotannis, certis diebus confluit, monasteriique liberalitate alitur. Fertur ibi olla esse cuprea, in qua certi cibi, & plerunque olus coquitur. Fit autem ut sive pauci, sive multi eò venerint, semper tamen cibi tantum remaneat, quo ejus monasterii familia saturetur, ita ut nihil unquam desit, vel supersit. Olla Tigurinorum pulmentaria. Schaffhusianorum Spenda. Spend unde dicta. Gredling. Olla cuprea.

Privatæ porrò erogationes sunt, qua a civibus locupletioribus ex privatis bonis in pauperes fieri solent. Hujusmodi fuerunt illæ antiquæ Romanorum sportulæ, de quibus supra dictum: quæ quidem etiam in nuptiali festivitate dari fuerunt solitæ, ut testis est Apul. in Apologia: *Quippè ita placuerat*, inquit, *in suburbana villa potius ut jungeremur, ne cives denuò ad sportulas convolarent.* Sic hodie quoque plurimi Christianorum vel quotidie, vel certis diebus, cùm ordinariè, tum extraordinariè, in suos clientes, colonos atque etiam homines alienos, pauperes, inopes atque mendicos cibaria pecuniasque erogare solent, quæ quidem largitiones eleemosynariæ, uti appellantur, antiquis illis Romanorum sportulis optimè comparari possunt, ac diebus præsertim festis, in natalitiis, in nuptiis, in exsequiis magna cum liberalitate exerceri solent. Hujusmodi autem Christianorum liberalitas atque beneficentia erga pauperes, ut hoc postremo loco addam, quæ quidem Deo est gratissima, ab Hebræis צדקה *Zedaka*, id est, *justitia*: (1. Joan. 3. *qui facit justitiam*) Græcè ἐλεημοσύνη, hoc est, *misericordia*: (unde Gall. *ausmosne*, & German. Allmüsen) a Paulo λογία, quasi συλλογία, *collectio*, 1. Cor. 16. ibidem χάρις, hoc est *gratia*, διακονία, *officium*, Acto. 11. 2. Cor. 9. εὐλογία, *benedictio*, 2. Cor. 9. λειτουργία, 2. Cor. 9. Rom. 15. *ministerium*, seu *sacrificium*, κοινωνία, *communicatio*, 2. Cor. 9. a Christianis Primitivæ Ecclesiæ *collecta* (quia pecunia illa ex diversis personis, & locis esset *lecta*) fuit appellata; unde *collectarius* dictus, qui stipem illam colligebat. Erogationes privatæ. Christianorum sportulæ. Largitiones eleemosynariæ.

FINIS LIBRI PRIMI.

ANTI-

ANTIQUITATUM CONVIVIALIUM LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

DE IIS, QUÆ CONVIVIUM ANTECEDUNT, INTER QUÆ PRIMUM LOCUM OBTINET INVITATIO. DE INVITANDORUM DELECTU.

Adhuc de variis conviviorum nominibus atque generibus, de eorundem fine, usu, & abusu generatim lib. 1. est explicatum. Nunc speciatim ad singula, quæ ad illorum rationem pertinent, & ad varios atque multiplices cùm antiquos, tum qui hodie sunt usitati multarum gentium ritus atque cæremonias explicanda aggrediar.

Illa autem ferè sunt triplicia: alia enim sunt, quæ convivia antecedunt, alia quæ comitantur, alia quæ consequuntur.

Invitatio. Inter illa quæ convivium antecedunt, primum videtur locum obtinere *Invitatio*, ac proinde de illa primo loco dicemus, exordio ducto a nominibus variis, quibus actio illa exprimitur. Nomina Hebræa. Hebræi in hac significatione utuntur vocabulo קרא *Kara*, id est, *clamavit*, seu *vocavit*, Nu. 25. Hinc קראים *Keruim*, *invitati*, *vocati*: 1. Samuel. 9. Soph. 1. *Deus*, inquit, *paravit* זבח Sæbah id est, *mactationem*, *victimam*, seu *epulum*, & *sanctificavit*, hoc est, *vocavit* sive *præparavit*. קראיו *Keruaf*, id est, *vocatos*, sive *invitatos suos*. Syriacè הסמין *Hismin*, Luc. 14. 2. Reg. 13. idem significavit: inde מסנים sive צמינא *Misnaim*, sive *Saminaia*, id est, *invitati*. Græca. Græci idem exprimunt his ferè vocabulis, καλεῖν Luc. 14. unde κλητοὶ & κεκλημένοι ibidem, hoc est, *vocati*, *convivæ*, & κεκληκὼς, & καλέσας ibidem, *is qui vocavit* seu *invitavit*. Et ἀντικαλεῖν, id est, *vicißim aliquem ad convivium vocare*, quod Theophylactus vertit ἀνθεστιᾶν: καταγγέλλειν τινὶ δεῖπνον, *vocare aliquem ad convivium*, Einem zů dem ässen verkůnden, Item φωνεῖν eodem in cap. Μὴ φώνει τοὺς φίλους σου, *noli vocare tuos amicos.* κικλήσκειν Homero, κλῆσιν ποιεῖσθαι Plutarcho, παρακαλεῖν, unde παρακληθεὶς Athenæo lib. 5. idem significant. Ipsa actio κλῆσις, *vocatio*, seu *invitatio ad cœnam.* Xenophon in Sympo. ἐπαινοῦντες τὴν κλῆσιν, οὐχ ὑπισχνοῦντες συνδειπνήσειν, *collaudata invitatione, noluerunt promittere se unà pransuros. Plutarchus de Pericle* κλήσεις τε δείπνων, καὶ τὴν τοιαύτην πᾶσαν φιλοφροσύνην, καὶ συνήθειαν ἐξέλιπεν. καταγράφειν quoque (forsan quia, ut sæpe fit, invitandorum nomina scribebantur) & συνάγειν Plutarcho lib. 5. Probl. 5. nec non συναγαγεῖν, συμπόσιον συστῆσαι, πληρῶσαι, συγκροτῆσαι, συναθροῖσαι, συγκαλέσαι Polluci lib. 6. idem ferè significant. Latina. Latini in hac significatione potissimùm utuntur vocabulo *invitandi.* Isidorus, *Ad cibum*, inquit, *vocare*, *invitare*, *dicitur.* Cic. lib. 3. Officiorum: *Et simul ad cœnam homines in hortos invitavit in posterum diem.* Invitare. Invitare videtur propriè dici de conviviis, quasi *in*, sive *ad vitam vocare*: unde etiam *convivia* Latinis videntur dicta a *convivendo*, quòd tunc maxime simul vivatur. Hinc etiam pro liberaliore potu idem vocabulum usurpatur. Plautus in Amphit. de Sole: *Mirum est, si invitavit sese in cœna plusculum.* *Clamare* quoque Martiali, & *vocare* Latinis idem significat. Cicero Verrina 6. *Verrem ad Cœnam vocasse.* Martialis:

Cùm vocor ad cœnam, non tam venalis, ut ante.

In Gallum lib. 3.

Nunquam me revocas, venias cùm sæpe vocatus:
Ignosco nullum, si modò, Galle, vocas.
Invitas alios. Vitium est utriusque. Quod? inquis.
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.

Idem lib. 2. in Nasicam:

Invitas tunc me cùm scis, Nasica, vocatum.
Excusatum habeas me, rogo, cœno domi.

Vocationes. Suetonius in Tyb. *Quondam verò inter cœnam porrecta a se poma gustare non ausam etiam vocare desiit.* Inde *vocatores* dicti, qui alios vel suo, vel alterius nomine ad cœnam invitant. Quare Martialis in carmine Phaleucio:

Jam dices mihi vapulare vocator.

Vocatores. Et invitationes ipsæ *vocationes* nominantur. Catullus:

Quærunt in trivio vocationes.

Vocatum quoque Suetonius dixit, pro *vocatione* de Cajo Caligula: *Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus traderet, diceretque cœnaturum apud Cæsarem vocatu ipsius*, id est, vocatione, Condicere. & invitatione facta per ipsum Cæsarem. *Condicere* quoque quod, ut Festus, & Jurisconsulti in Digestis docent,

cent, prisca lingua *dicendo denuntiare* significat (unde *condictio* in diem certum ejus rei, quæ agetur, denunciatio) crebro ad convivia a veteribus accommodatur, vel cùm se quis apud aliquem cœnaturum prædicit atque denunciat, vel alium ad se invitat. Cicero: *Jam enim Crassus penè a meis laribus in provinciam profectus est. Nam cùm mihi condixisset, cœnavit apud me in mei generi Crassipedis hortis.* Suetonius in Tyberio: *Sexto Claudio cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret, aut demeret, atque nudis puellis ministraretur.* Idem in Claudio: *velut ad subitam condictamve cœnulam invitare se populum*, hoc est, interprete Beroaldo, ut inter privatos solet communiter, simulque constitutam ac determinatam. Plautus in Sticho: *Atque id ne vos miremini homines servulos potare, amare atque ad cœnam condicere.* Ibidem, *Eo condictum symbolum ad cœnam.* Idem in Menæchmo: *Hodie ducam scortum ad cœnam, atque aliquò condicam foras*, id est, denuntiabo alicui amico, me apud eum cœnaturum, vel denunciabo alicui scorto. Germanicè laden / berüffen: Italicè *invitar*: Hispanicè *combidar*: Gallicè, *inviter, convier, semondre*, sive *faire la semonce.* Hæc de vocabulis.

Jam verò, ut ad ipsam rem accedam, duæ nobis sunt considerandæ personæ, nimirum invitans, & quæ invitatur: ex quibus rectè Theophylactus in 14. cap. Luc. Omne convivium dicit esse compositum. Utriusque nobis munus, & officium est considerandum. In invitatione duæ considerandæ personæ.

Quoad eum qui invitat, illi quatuor sunt consideranda, videlicet quos vocet, seu invitet, quot, quando, quomodo. Invitanti 4. consideranda.

Primò ergo omnium convivatori seu invitatori habendus est delectus (Plutarchus αἵρεσιν vocat) eorum, quos invitare cogitat, sive quoad qualitatem, sive quoad numerum. Ac de primo quidem sæpe & multùm a veteribus quæsitum est, & adhuc quæri ac disputari solet, quinam, qualesve ad convivium a nobis invitari debeant. Invitare enim ad cænam, ut Arist. inquit, lib. 2. Rhetor. cap. 44. honorificum existimatur, undè Achilles apud Tenedum Græcis graviter succensuit, quod ab illis non fuit invitatus, eam enim ob causam se contemptum ab illis atque neglectum arbitrabatur. Non igitur quosvis temere ad convivium esse invitandos, cùm ipsa lex naturæ, & ratio sensusque communis, tum multa sapientum virorum præcepta atque monita docent. Athenæus lib. 5. statim ab initio Homerum dicit egregiè præcipere, quinam sint invitandi, nimirum ἄριστοι, καὶ ἔντιμοι, *viri optimi, & honorati*, sive *laudati*, secundum illud: Convivarum delectus. Quinam secundum Homerum vocandi.

Κίκλησκεν δὲ γέροντας ἀριστῆας παναχαιῶν.

Idem eodem in loco Hesiodum reprehendit, qui præ cæteris vicinos esse invitandos his verbis docet: An vicini præ cæteris invitandi secundum Hesiodum.

Τὸν φιλέοντ᾽ ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ᾽ ἐχθρὸν ἐᾶσαι.
Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν, ὅς τις σέθεν ἐγγύθι ναίει.

Hoc est.

Amicum ad convivium invita, inimicum dimitte.
Eum verò potissimùm voca, qui propè te habitat.

Hinc vicini quoque ut scriptum est, ad epulum paschale vocati & admissi fuerunt. Ac Persæ vicinos cùm in aliis tum in hisce epularum conventibus præcipuè colebant, juxta proverbium illud, *vicinus melior amico longinquo.* Si enim vicini socii nostrorum sunt malorum, incommodorum, periculorum, ergo etiam bonorum, ut epularum & similium sunt participes. Hujusmodi autem convivium Athenæus dicit revera βρωτικῆς cujusdam ἀναισθησίας, hoc est, *voracis stupiditatis*, esse, quodque proximè accedat ad odiosissimum illud proverbium vulgò jactatum: τηλοῦ φίλοι ναίοντες οὐκ εἰσὶν φίλοι, hoc est, *non sunt amici qui procul degunt.* Addit elegantissimam sententiam: πῶς γὰρ οὐκ ἄλογον τόπῳ τὴν φιλίαν, καὶ οὐ τρόπῳ κρίνεσθαι, hoc est, *Annon enim absurdum, & ab omni ratione alienum est, amicitiam locis, non moribus æstimari?* His adjicere libet ea, quæ in pulchra & eleganti illa sua epistola Julianus Imp. ad Eustochium, illum ad consulatus honorem invitans, sic scribit: *Hesiodus ille sapiens, vicinos ad convivia* (in Græco est ἐπὶ τὰς ἑορτὰς) *vocandos esse censet, ut communiter gaudeant: quandoquidem cùm perturbatio casusque aliquis inopinatus incidit, communem dolorem perferunt: at ego amicos, non vicinos vocandos existimo. Quamobrem? Quia vicinus potest esse aliquando inimicus: at amicus non magis id esse potest, quam quod album est nigrum, aut quod calidum frigidum.* Nota.

Verum ad hoc nostrum propositum de convivarum delectu, in primis facere videtur aureum illud Ciceronis præceptum, quo in beneficentia docet delectum esse debere dignitatis, in quo & mores ejus sint spectandi, in quem beneficia conferuntur, & animus erga nos, & communitas ac societas vitæ, & ad nostras utilitates officia ante collata. *Hæc ut concurrant omnia*, inquit idem, *optabile est, sin minus plures causæ majoresque plus ponderis habebunt.* Hæc quæ Cicero in genere de beneficentia præcipit, omninò mihi in hac quoque beneficentia atque liberalitate conviviali videntur esse observanda. Primò igitur omnium secundum Ciceronis præceptum mores sunt spectandi, ut nimirum invitemus homines καλοὺς κἀγαθοὺς, ut Græci loquuntur, pios, probos, modestos, temperantes, aliisque hujusmodi virtutibus præditos. Huc facit illud Ecclesiastici capite nono versu vigesimo secundo: *Viri*, inquit, *justi sint convivæ tui, & in timore Domini sit gloriatio tua.* Hinc Tobias, quem imitari debemus, viros Deum timentes, ad prandium dicitur invitasse. Homerus quoque, ut paulò ante dictum est, ἀρίστους καὶ ἐντίμους suadet esse invitandos. Pontanus libro *de Conviventia* capite sexto: *Sanè*, inquit, *in hoc genere laudis etiam delectus habendus est. Nam ubi ad convictum, præsertim frequentius vocati fuerint indigni homines, absque infamiæ nota fieri non potest. Arguitur enim morum similitudo, & eorundem vitiorum studium.* Huc facit sententia illa Rabbinorum: *Sit domus tua domus* Præcepta aliquot de convivarum delectu. Primò mores spectandi.

conciliabuli pro sapientibus, & esto pulverisans te in pulvere pedum eorum, atque bibe cum siti verba eorum: hoc est, consuetudo est habenda non cum potatoribus, helluonibus, & aleatoribus, sed cum sapientibus. Item: *Elonga te a vicino malo, ne associes te impio:* hoc est, vitanda est malorum consuetudo. Laudabile quoque est hac in re Ciceronis exemplum: *Utor* (inquit ille in epistola quadam ad Tyronem) *familiaribus, & quotidianis convictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illis probatissimis.* Atque idcirco idem Pisoni in gravissima illa sua interrogatione inter alia hoc quoque exprobrat, quod convictoribus uteretur Græculis, Epicureis, quos quidem illum dicit audire fuisse solitum in præsepibus, in stupris, in cibo, & vino. Sic Tyberius quoque, teste Suetonio, convictoribus Græculis levissimis, atque voluptuariis hominibus usus fuisse dicitur. Sit ergo hoc primum in præceptis, ut conviviali hujusmodi beneficentia erga eos potissimùm utamur, qui moribus sunt piis, probis, honestis atque modestis, impiorum contra consuetudinem omnem, ceu pestem maximam vitemus atque fugiamus.

Ciceronis exemplum.

Cur impii non vocandi ad cœnam.

Ac omnino ii, qui impios ad se invitare solent, multis nominibus graviter sunt reprehendendi, pessimeque famæ existimationique suæ consulunt. Nam primò beneficium piis debitum contra jus & æquitatem transferunt atque derivant in impios. Deinde periculum est, ne assidua hujusmodi impiorum familiaritate atque consuetudine illorum similes reddantur, hoc est, paulatim vitiosis flagitiosisque illorum moribus, ceu nigris quibusdam coloribus imbuantur. Nam cùm omnis, tum in primis convivialis hujusmodi consuetudo maximam hominum mores variè afficiendi commutandique vim obtinet. Adhæc impiorum convictu qui delectatur, is facilè sinistram sibi impietatis suspicionem atque famam conflat: talis enim existimatur, quales sunt illi, quos crebrò ad se invitat. Denique omne quod in impios confertur beneficium atque gratia revera χάρις est ἄχαρις, & δῶρον ἄδωρον, ut eleganter Græci loquuntur, hoc est, non modò irrita est atque vana, verumetiam pernitiosa. Nam quæ gratia ab impio expectanda, qui tantum abest ut gratus erga te esse cogitet, ut potiùs conviviali hujusmodi consuetudine omne tibi tuisque dedecus, ignominiam, omnisque generis damna conciliandi occasionem aucupetur? Quævis ille domus familiæque tuæ secreta atque arcana, quæ præsertim vitii aliquid atque culpæ habent, patefaciet atque in vulgus enuntiabit, & tibi ita aliquam dedecoris labem aspergere conabitur. Ut nihil dicam, quòd multa in ædibus tuis dicet atque faciet, quæ tibi familiæque tuæ perpetuam ignominiæ notam inurent. Non invitandi ergo facilè, sed vitandi potiùs omninò sunt impii. Pertinet hûc, quod antiquus auctor Polycratici *de nugis Curialibus* non ineleganter docet libro octavo, ubi de legibus conviviorum tractat, cap. nono; *Sicut autem dignis,* inquit, *liberalitatis ostia patent, ita sunt turpibus præcludenda. Nam & fatuæ virgines, licet pulsent ad januam, ob stultitiæ notam repulsam patiuntur, ne fortè ejiciantur admissæ. Et tamen sine nota ejicitur, qui sua turpitudine deformat convivium: siquidem & ille ejectus est, qui vestem non habuit nuptialem. Hæc autem licet mysticum habeant intellectum, nihilominus etiam in ipsa superficie civilitatis præferunt rudimenta. Nam & illud quidem fideliter sonat ad literam, quod Apostolus præcipit: si quis frater nominatus fuerit fornicator, aut avarus, aut idolis serviens cum ejusmodi nec cibum sumite. Ad hoc ergo liberali domui janua est, ut lascivos, criminosos & infames excludat. Ad hoc janitorem habet, aut ostiarium, ne quis insulsus irruat, & ut sit, qui dignos & admittendos reverenter excipiat, honestè alloquatur, solacietur ignotos, instruat novitatis ignaros, & cùm opportunitas fuerit, ad Dominum introducat.* Hactenus ille: quibus addi potest sententia R. Jose, qui filius fuit Joezer: *Sit domus tua domus conciliabuli pro sapientibus, & voluteris in pulvere pedum eorum* (sis eorum discipulus attentus, ut Paulus ad pedes Gamalielis, Maria ad Christi pedes sedit) *atque bibe cum siti verba eorum.* Hoc est, in domum tuam recipe & invita non potatores, helluones, aleatores, sed viros sapientes, quorum colloquiis & consuetudine melior ac doctior evadas.

Mos regum & principum adhibendi mensæ suæ aliquot honoris ergò. Exempla ex sacris literis.

Hoc autem præceptum etsi omnis generis atque conditionis homines, tamen principes præcipuè viri diligentissimè observare debent. Fuit hæc olim regum atque principum laudabilis sanè consuetudo, quæ etiam hodie est in usu, ut mensæ suæ nonnullos adhiberent, id quod summi honoris loco ducebatur. Apud Judæos id moris fuisse, sacræ literæ testantur. Sic enim David victo atque prostrato Goliatho gigante, id honoris atque præmii a Saule rege consequutus est, ut novilunii die cum illo in convivio accumberet. David postea Mephibosetho Jonathæ filio, Saulis nepoti eundem honorem concessit. Eodem honore Bersellaum quoque Galaaditem pro magnis ejus in se exulem beneficiis afficere voluit: quem cum ille recusasset, eum in illius filium, *Chimham* nomine, transtulit. Sic Nehemiæ cap. quinto legitur, tempore magnæ caritatis annonæ non solùm Judæos & magistratus centum quinquaginta viros, verùmetiam alios, qui de gentibus vicinis ad illum confluebant, in mensa sua adhibuisse. Sed hîc quæri potest, quomodo gentiles cum Judæis eadem mensa exceperit, cùm ob victus religionisque diversitatem id minimè licitum tunc temporis fuisse videatur. Respondeo, Illud *in mensa una* non ita accipi debere, quasi in una mensa consederint, & iisdem cibis usi fuerint, sed *in mensa* hîc idem est *ac impensis atque sumptibus Nehemiæ*, in seinem kosten. Convivia porrò, quibus Judæos & Gentes vicinas excipiebat, non erant sordida, sed splendida & copiosa. Nam singulis diebus bos unus parabatur, & arietes sex, præter volatilia, & decimo quoque die vina diversa (en sobrietatis exemplum, Non singulis diebus vina diversa potabant) multaque alia suis convivis impertiebat. Eandem liberalitatis laudem consequutus est Evilmerodachus rex Chaldæorum, dum Joachimum regem captivum mensæ suæ adhibuit Babylone, & eum honorificè tractavit: 4. Regum 25. cap. Idem mos Romanorum quoque Imperatorum fuit, a quibus ad mensam admitti valde honorificum existimabatur. Unde olim Vespasianus egit gratias principi apud Senatum, quòd se honore

cœnæ

cœnæ dignatus esset, ut Suetonius tradit. Augustus, eodem teste, *convivabatur assiduè, nec unquam nisi rectè, nec sine magno hominum ordinumque delectu.* Opilius Macrinus, teste Julio Capitolino, *adhibuit convivio literatos, ut loquens de studiis liberalibus, necessariò ab immoderato cibo potuque abstineret.* Et idem author in Caligula testatur, provincialem quendam locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus, (qui erant in familia principum, & opulentiorum, & quorum officium erat convictores invitare ad principis mensam, ut per fallaciam Caligulæ convivio interponeretur. Non tulerat autem molestè Imperator, tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Itaque provinciali illi postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus traderet, diceretque cœnaturum apud Cæsarem vocatu ipsius: quasi diceret Caligula, *Si tu vocatus a vocatore meo ad cœnam, dedisti ducenta, debes longè plura mihi ipsi persolvere, cùm meo ipsius vocatu ad cœnam Cæsaream fueris invitatus.* Sic L. Paulus, teste Valerio Maximo, libro quinto, capite primo, Persen regem captivum introductum in tabernaculum, lateri suo proximum in consilio sedere fecit, nec honore mensæ indignum judicavit. Ad hunc porrò regum atque principum honoris ergò quosdam ad mensas suas adhibendi morem, auctore Theophylacto, Christus quoque alludit Lucæ vigesimo secundo, *Ego dispono vobis, sicut disponit mihi pater regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo,* hoc est, sitis felicitatis, & omnium bonorum participes in altera vita. Nam, ut eleganter Theophylactus inquit, οἱ σύνδειπνοι τοῦ βασιλέως δοκοῦσιν πάντων πρωτεύειν. Cum itaque splendida illustris dignitatis auctoritatisque viri mensa, secundum illa exempla paulò antea commemorata, nunquam debeat esse sola, illos potissimùm in quibus ingenii aliqua vis inest, & virtutis opinio, singulis ferè diebus, nunc hos, nunc illos adhibebunt, quorum colloquiis atque sermonibus piis, doctis atque sapientibus, pietate sapientiaque augeri possint.

Contrà reges & principes hodie hoc beneficio atque honore afficere solent plerunque homines impuros, improbos, blandiloquos, adulatores, scurras, quorum conspectu colloquiisque turpibus, & impuris maximè delectantur: contrà homines graves, severos, doctrina atque virtutibus præstantes & mensæ communione, & omni consuetudine sua longissimè arcent atque repellunt. Ac omninò in genere homines leves, scurræ, histriones, cavillatores atque blasphemi omnium optimi, commodissimi jucundissimique convivæ, ac hominum convictu consuetudineque dignissimi habentur. Contrà ii, qui naturæ morumque gravitate, honestate probitateque præstant, non solùm conviviali hac consuetudine indigni, sed tanquam Timones quidam atque misanthropi, ab omni hominum commercio atque consuetudine repellendi, & ad Garamantas usque, ut ita loquar, atque Herculis columnas relegandi videntur.

Reges & principes hodie plerunque impios mensæ communione honorant.

Verùm operæ pretium fuerit subjicere, quibus epithetis Pollux boni commodique convivæ (quem δέξιον & ἐπιδέξιον appellat) naturam, mores, sermones atque gestus describat: nempe qui sit συμποτικός, εὔμικτος, εὐεπίμικτος, ἀξιοκοινώνητος, κοινωνικός, συνουσιαστής (Aristophani συμποτικός, καὶ συνουσιαστικός dicitur) hoc est, *Ad hominum societatem propensus atque proclivis*: cui opponitur ἄμικτος. Deinde qui sit ἀστεῖος, εὐαρμόνιος, εὐμελής, hoc est, *Urbanis, aptis atque decoris gestibus præditus*: cui opponitur ἄγροικος, βαρύς, φορτικός, ἐπαχθής, id est, *agrestis, gravis, durus, odiosus, importunus*, item qui sit ἐπιεικής, & εὐμενής, *mitis, æquus, mansuetus, civilis, moderatus*, non ἀλαζών, ὑπεροπτικός, κομπαστής, κομπώδης, *superbus, arrogans, suspitiosus, jactator*: φιλόφρων, non ὑπέρφρων, *humanus, non nimis altum sapiens*: σπουδαῖος, non tamen περίσπουδος, & ὑπέρσπουδος, *honestus & probus, non nimium rebus seriis gaudens.* Qui præterea sit ἐξομολογητικός, *apertus & ingenuus in dicendo*: non πεπλασμένος, σχηματοποιούμενος, εἴρων, *fictus, personatus, simulator, & dissimulator*: ἵλεως, non δυσόργητος, *placabilis, non implacabilis*: φαιδρός, non ἐπισκυθρωπάζων, *hilaris, non tristis, & tetricus*: φιλόγελως, nec tamen γελοιαστής & καγχαστής, *ad risum pronus, nec tamen futili immoderataque lætitia gestiens*: φιλοπαίγμων & φιλοπαίσμων, nec tamen φιλοσκώμμων & τωθαστής, hoc est, *Cavillator facetus, nec tamen scurrili dicacitate laborans.* Præterea qui non sit λάλος, λῆρος, φλύαρος, κυλικηγορῶν, hoc est, *Loquax, garrulus, nugator.* Deinde qui sit αὐταρκής, ὀλιγοδεής, ὀλιγόσιτος, νήφων, μετριώτατος, μετριόσιτος, hoc est, *Tenui atque frugali victu potuque contentus*: non ἄπληστος, πάροινος, ἔξοινος, μεθύων, κραιπαλῶν, id est, *Insatiabilis, vinosus, ebriosus, crapulæ deditus.* Ex hac descriptione apparet, & qualis debeat esse conviva, & quales convivæ, quoad vitam atque mores nobis sint deligendi. Cælius quoque lib. 30. cap. 36. docet, quales debeant esse convivæ. ἱλαρότητα ἐπιζητοῦσιν αἱ εὐωχίαι, σεμνόν, καὶ αὐστηρὸν συμπότην ἥκιστα προσδεχόμεναι, inquit Philo de convivio Josephi. Varro, teste Gellio lib. 13. cap. 11. bellos homunculos, & nec loquaces, nec mutos convivas legi oportere dicit.

Pollucis epitheta, quibus boni convivæ mores egregiè depingit.

Secundum Ciceronis præceptum est, *ut ei plurimùm tribuamus, a quo plurimùm diligimur, & ut referamus gratiam iis, a quibus beneficia accepimus. Sin erunt*, inquit, *merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia, major quædam cura adhibenda est: nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est.* Juxta hoc igitur Ciceronis præceptum, convivialem hanc beneficentiam exercebimus erga eos, a quibus diligimur, & a quibus cùm similibus, tum aliis quibusdam beneficiis affecti sumus, ut nimirum mutuum nostrum erga illos amorem, ac pium gratumque animum testificemur. Et huc facit illud Hesiodi:

Secundum Præceptum, ut invitemus bene de nobis meritos.

Τὸν φιλέοντ᾽ ἐπὶ δαῖτα καλεῖν.

Etenim si, ut Cicero inquit, in eos quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt? Et cùm duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi, demus necne, in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet, si modò id facere possit, sine injuria.

Tertium præceptum, ut invitemus eos, qui opis nostræ indigent.

Tertium Ciceronis præceptum pietati, & religioni valdè consentaneum est, quod his verbis exprimit: *Sed in collocando*, inquit, *beneficio, & in referenda gratia, si cætera paria sint, hoc maximè officii est, ut quisque maximè opis indigeat, ita ei potissimùm opitulari: quod contrà fit a plerisque: a quo enim plurimùm sperant, etiamsi his ille non eget, tamen & potissimùm inserviunt.* Hoc quoque præceptum ad convivialem hanc benignitatem maxime facit, cujus quidem & ipsum Christum gravissimum sanè auctorem habemus. Is enim in Euangelio Luc. 14. non amicos, fratres, cognatos, vicinos, divites, a quibus spes sit ἀντιμισθίας sive ἀνταποδώματος, sed potiùs pauperes, valetudinarios, claudos, cæcos, de quibus nulla sit spes recompensationis, nobis invitandos esse docet. *Beatus*, inquit ille, *eris, quia non possunt tibi reddere: rependetur enim tibi in resurrectione justorum.* Hoc præcepto minimè Christus amicorum, fratrum, vicinorum atque divitum invitationem simpliciter, & absolutè prohibet, sed liberalitatem potiùs benignitatemque erga pauperes, & inopes commendat ac præcipit, simulque illorum avaritiam ambitionemque perstringit, qui hujusmodi vitæ officia non ad Dei gloriam, & ad proximi utilitatem, sed ad suum potiùs quæstum emolumentumque referunt. Sic enim plerique hodie illos potissimùm invitare solent, a quibus commoda plurima sperant, quæ quidem non tam beneficentia, quàm fœneratio censeri debet, nec impietatis solùm, verumetiam stultitiæ nomine illi sunt accusandi. Plus namque illis & corporeorum & æternorum commodorum atque bonorum certò sperandum expectandumque esset, si pauperes, inopes, peregrinos ad convivia sua crebrius invitarent. Nam qui illos excepit, & invitat, is Christum ipsum excipit. Qui autem Christum habet in suis membris convivam, quid quæso illi deesse boni poterit? hunc (inquam) qui habet convivam, illi non hujusce modò vitæ commoda, quantum sat est, abundè & affatim affluent, verumetiam certa explorataque erit vitæ æternæ atque gaudiorum spes, & expectatio. Utinam hoc animis nostris penitus infixum persuasumque esset. Huc facit, quòd Deus ad sacrarum illarum epularum veteris Testamenti communionem viduas, pupillos, peregrinos atque inopes admitti minimeque excludi voluit.

Pauperes, inopes, peregrini invitandi sunt.

Quarto, habenda est ratio conjunctionis.

Quartum Ciceronis præceptum est, *ut societatis quoque & conjunctionis habeatur ratio: ita ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur.* Hoc præceptum ad convivialem quoque hanc liberalitatem optimè potest accommodari. Nam cives, amicos, propinquos, cognatos, vicinos, collegas aliave nobis necessitudine conjunctos potiùs nobis esse invitandos, quàm extraneos, alienos atque peregrinos, vel ipse sensus communis dictat. Sic Servius apud Plutarchum Sympos. 1. Problemat. 5. Hesiodo maximè obtemperandum esse dicit, qui amicos jubet ad convivium invitari, sin minus notos maximè atque idoneos esse vocandos ad hanc libationem mensæ, sermonumque qui in vino habentur, atque jocorum communicationem. Eodem pertinent illa Luciani verba in libro de Parasito: *Quoniam nemo inimicum hominem atque ignotum, sed ne mediocriter quidem familiarem ad cœnam vocat. Sed necessarium est, ut ante cum illo amicitiam contraxerit, quàm eum libationis atque mensæ participem fecerit*, &c. Nec hoc est contrarium illi Christi præcepto, sicuti paulò antea dictum est.

Quintò, invitandi qui amicitia morumque similitudine nobis sunt conjuncti.

Quintum præcedenti non dissimile est, *ut ergà illos simus liberales, qui nobis amicitia morumque similitudine sunt affines.* Jucundissima enim sunt illa convivia, quæ inter illos agitantur, quorum natura moresque inter se maximè congruunt.

Sextò, nonnunquam temporum habenda ratio in invitatione.

Sextum est, *quòd nonnunquam non tam necessitudinis, quàm temporum est habenda ratio.* Sunt enim officia, quæ aliis magis, quàm aliis debeantur: ut vicinum citiùs adjuveris in frugibus percipiendis, quàm aut fratrem, aut familiarem. Huc aliquo modo Hesiodi illud præceptum, quo vicinum potissimùm vult invitari, posse accommodari videtur. Hæc igitur Ciceronis præcepta generalia de beneficentia diligenter animadversa, ad justum debitumque convivarum habendum delectum, nobis usui esse possunt.

Invitandi illi, qui natura, moribus amicitiaque sibi invicem sunt conjuncti.

Præterea illud quoque sit in præceptis, ut illos invitemus, qui natura, moribus, & amicitia maximè inter se congruunt. Quod præceptum Lucius Lucullus tam diligenter observavit, ut cùm videret propter convivarum diversitatem, non unam conviviorum rationem sequendam esse, diversa in sua domo cœnacula instituerit, definito singulis certo pretio, & apparatu. Hac de re scitè admodum Plutarchus disserit. 7. Problemat. οὐ τοὺς τυχόντας, inquit, ἀλλὰ τοὺς προσφιλεῖς καλεῖν δεῖ, καὶ συνήθεις ἀλλήλοις, ὡς ἡδέως συνεσομένους, hoc est, *Convocare ad convivium oportet non quosvis, sed eos, qui sibi invicem amicissimi, moribusque simillimi existunt*: sic enim suavissimè convivabuntur. Nam, ut idem inquit paulò antea, οὔτ' ὄψον, οὔτε οἶνος, οὔτε μύρον οὕτως ἡδέως διατίθησιν, ὡς σύνδειπνος εὔνους, καὶ προσηνής, hoc est, *Neque obsonium, neque vinum, neque unguentum tanta dulcedine afficit, quanta conviva benevolus atque commodus.* Contrà verò, ut idem testatur, οὐδὲ τὸ συμπλεῖν, οὐδὲ τὸ συνδικάζειν μεθ' ὧν οὐ βούλεταί τις οὕτως ἀηδὲς, ὡς τὸ συνδειπνεῖν, καὶ τοὐναντίον ἡδύ, hoc est, *Neque navigationis, neque contubernii, neque judiciorum societas, cum iis, a quibus quis abhorret, tam odiosa est atque molesta, quàm victus communio.* Idem utitur ad hoc ipsum probandum hujusmodi quadam non ineleganti dissimilitudine: *Coqui quidem*, inquit, *obsonia sua præparant diversa ex diversis humoribus, austeris pinguia, dulcibus acria commiscentes: at verò convivium gratum & jucundum esse nequit, si ex hominum* μὴ ὁμοφίλων, & συμπαθῶν, id est, *amicorum sibi invicem, atque affectibus similium numero constet.* Quamobrem qui convivium suum vult gratum esse & jucundum, is det operam, ut eos potissimùm convocet, qui amore, moribus atque affectibus sibi invicem maximè cognati sint atque conjuncti. Nam & Horatius lib. 1. Epist. ad Torquatum idem his verbis suadet:

> ---- *Ut coëat par,*
> *Jungaturque pari.*

Signi-

Significat certè boni convivatoris esse operam dare, ut pares sint convivæ, aut sanè non admodum dispares. Nec tamen hoc præceptum strictè semper est observandum, aut etiam observari potest. Sæpe enim vel utilitate aliqua, vel honestate, vel ipsa quoque necessitate id postulante, illi nobis sunt invitandi qui moribus atque affectibus & a nobis, & a reliquis convivis toti dissident ac discrepant. Idem Plutarch. quoque docet lib. 7. Sym. Probl. 5. *Ut cùm*, inquit ille, *principes, aut peregrini invitantur, tunc simul oportet omnes eos, qui unà cum illis venerunt, illosque comitantur, invitare, sive illi grati sint, sive ingrati, sive commodi convivæ, sive incommodi atque molesti. Sæpe etiam vel nobis, vel convivarum alicui inimicissimos invitamus utiliter sanè, ac laudabiliter, pacis nimirum atque gratiæ reconciliandæ gratia.* Ut Julius Cæsar, teste Suetonio, Valerium Catullum inimicum cœnæ adhibuit: Christus Judam proditorem suum a cœna sua non exclusit. Et rex Salomon, qui divino oraculo mortalium sapientissimus est judicatus, *Si*, inquit, *esurierit inimicus tuus, cibum dato illi, si sitierit, dato ei potum.* Sic enim (ut primo libro est fusius explicatum, cùm de conviviorum fine ageretur) gravissimæ sæpe atque diuturnæ inimicitiæ, conviviali hujusmodi consuetudine, & hilaritate dissolvuntur, & in gratiam amicitiamque convertuntur.

Sæpe etiam inimici invitantur.

Nunc de aliis quoque nonnullis convivarum differentiis, & certis gentium quosdam ad convivium admittendi, vel non admittendi moribus dicemus. Ac primò quidem quoad mulieres, dispar fuit atque dissimilis Græcorum & Romanorum consuetudo. Sic enim apud Ciceronem Verrina 3. Philodamus hospes Rubrio petenti ut filiam suam ad se in convivium intrò vocari juberet, ut aliquid responderet, negavit moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. Idem ex nobilissimi Oratoris Isæi, quem veteres Demosthenicæ in dicendo facultatis fontem vocarunt, verbis cognosci potest: Ita enim loquitur in Oratione, qua de Pyrrhi cujusdam hæreditate contenditur: *καί τοι οὐδήπουγε ἐπὶ γαμετὰς γυναῖκας, οὐδεὶς ἂν κωμάζειν τολμήσειεν, οὐδὲ αἱ γαμεταὶ γυναῖκες ἔρχονται μετὰ τῶν ἀνδρῶν ἐπὶ τὰ δεῖπνα, οὐδὲ συνδειπνεῖν ἀξιοῦσι μετὰ τῶν ἀλλοτρίων, καὶ ταῦτα μετὰ τῶν ἐπιτυχόντων*, hoc est, (interprete Mureto) *Et verò non sanè quisquam ad nuptas mulieres comessatum ire audeat: neque nuptæ mulieres eunt cum viris ad convivia: neque æquum censent convivari cum alienis, præsertim cum quibuslibet.* Cujus Græcorum consuetudinis & Muretus rationem eleganter his verbis reddit: *In conviviis liberius & hilarius ferè loqui homines solent: neque quisquam ita severus est, qui non inter vinum & epulas tum jocetur interdum ipse, tum libenter jocantes alios audiat. Fieri autem vix potest, quin vacuo & soluto animo jocantibus nonnunquam parum verecundum aliquid excidat: quodque si alibi diceretur, reprehensione merita non careret. Quocirca prudenter olim Græcorum consuetudo muliebrem sexum a conviviis amoverat: neque ulla in virorum symposiis accumbebat mulier, nisi quæ quidvis non audire modo, verum etiam perpeti posset. Videbant enim alioqui fore, ut aut matronalem, virginalémve pudorem libertas jocantium offenderet, aut jocandi libertatem illius habita ratio retardaret.* Inde igitur est, quod cum apud Terentium Thraso introduci jussisset Pamphilam, indignata Thais *minimè*, inquit, *gentium. In convivium tu illam?* Quia enim satis integram eam, ac pudicam reddere cupiebat, vix id consequi posse videbatur, si hoc, quod postulabat miles, passa esset. His adde, quod secundum L. *consensa*, C. *de Repud.* mulier, quæ contra viri voluntatem, vel eo ignorante, extraneorum convivia petierit, repudiari poterit. Convivia enim Veneris præludia sunt. Accurs. in l. *quod ait lex*, ad l. Juliam *de adult.*

Apud Græcos mulieres non accumbebant in convivio virorum.

Ratio cur Græci mulieres non temerè ad convivia virorum admiserint.

Contra verò apud Romanos antiquitus id moris fuisse, vel ex illo Valer. Maximi Lib. 2. cap. 1. patet, cum dicit, fœminas cum viris cubantibus sedentes cœnitasse, quæ consuetudo, ut addit idem ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitabantur. Sic in cœna Pontificali Metelli Pontificis, quam Macrob. libro tertio Saturnal. cap. 13. copiosè describit, in tertio triclinio Popilia, Perpennia, Licinia, Aruncia virgines Vestales, & ipsius uxor Publicia flaminica, & Sempronia socrus ejus cubuisse dicuntur. Muretus in suo libro variarum lectionum, *Romani*, inquit, *innuptas modò virgines, quod quidem sciam, a conviviis amovebant: quod hæc Varronis verba ostendunt: Virgo de convivio abdicatur ideo, quod majores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.*

Mos Romanorum.

Cur innuptæ modo virgines à conviviis abdicatæ.

At Commodum quidem Imperatorem Romanum convivia cum meretricibus instituisse, Suetonius scribit. Illyrii verò, ut Athenæus libro 10. testatur, mulieres suas secum in convivium ducebant, iis propinabant, & ab iisdem ebrii jam facti, domum abducebantur. Apud Parthos, ut testatur Cælius lib. 28. cap. 5. fœminæ non modò a conviviis arcebantur, sed omni prorsus virorum conspectu illis interdictum erat. Idem scribit Justin. 4. Persæ (authore Plutarcho libro Sympos. 1. Prob. 1. & Macrobio, qui eos Parthos vocat, lib. 1. Saturnal. cap. 1.) non cum conjugibus, sed cum concubinis sive pellicibus suis convivia inire, & ebrietati atque tripudiis indulgere solebant, tanquam has & in vulgus produci, & lascivire quoque illas non nisi domi abditas tueri deceat tectum pudorem. Apud eosdem tamen pignus, ac fœdus hospitii, & jus familiaritatis habebatur, uxores & filias conviviis adhibere, si quando hospites lautè, ac splendidè excipere vellent: ut testis est Herodotus lib. 5 & Julianus lib. 7. sub finem. Nam cum Darii regis Persarum legati septem numero ab Amynta Macedonum principe (ad quem ad terram & aquam Dario petendam fuerant missi) hospitio convivioque magnifico fuissent excepti, postquam a cœna ad potum pervenerunt, suæ esse consuetudinis dixerunt, in magnificis epulis concubinas & uxores ad assidendum introducere: itaque ab Amynta petierunt, ut idem faceret. Quibus Amyntas: *Nobis*, inquit, *Macedonibus ista consuetudo non est, sed viros a fœminis semovendi.* Paruit tamen illis, & fœminas adesse jussit. Quæ e regione Persarum primò sederunt, deinde illis assiderunt. Persæ itaque vino madidi, & illarum mammillas tractare, & etiam nonnulli eas suaviari sunt conati. Quod Alexander filius Amyntæ ægrè ferens, callidè Persis persuasit, ut illas dimitterent: deinde viros muliebribus vestibus exornatos, pugionibusque sub vestibus armatos introduci, & singulis Persis assidere jussit: qui postquam ab illis fuerant attrectati, omnes illos obtruncarunt. Rex autem Persarum (ut testis est Athen. lib. 4.) ple-

Commodus Imp cum meretricibus epulari solitus.

Mos Persarum.

Persæ in epulis hospitalibus uxores & filias adhibuerunt.

Exemplum ejus rei.

plerunque solus cœnat, aliquando uxor cum illo, & nonnulli liberorum. Esthera in convivio illo, ad quod regem Asuerum maritum suum, atque Hamanum invitaverat, videtur unà cum illis accubuisse. Etenim sic scriptum est cap. 7. ejus Historiæ: *Ingressus est itaque rex, & Hamanus, ut biberent cum Esthera regina*, & paulò pòst: *Quum rex ex hortis Palatii rediisset in locum, in quo convivium vini erat, Hamanus cecidit super lectum* (tricliniarem) *super quo Esther sedebat* (forsan more Romanorum supra dicto, viri cubabant, mulieres sedebant) *Tum ait rex, Num & reginam comprimere vult in domo me præsente?* Quin Rutha (ut ejus Historiæ cap. 2. traditum est) cum messoribus Boazi cibum capiens, dicitur e latere illorum sedisse, non ex adverso eorum, ne inspiceretur: quemadmodum Ludovicus Lavaterus in suis in illam historiam Comment. bene observavit. Et Phæaces apud Homerum, μετὰ τῶν οἰκείων γυναικῶν, καὶ θυγατέρων ἐποιοῦντο τοὺς πότους, cum propriis uxoribus atque filiabus potabant. Athen. lib. 12. At verò Straton Babyloniæ præfectus vir luxuriosissimus, cum tibicinibus, psaltriis, citharistriis, saltatricibus, meretricibus convivia agitabat. Jobi filii ad sua illa symposia etiam suas tres sorores accersiverunt. Balthasar rex Babyloniorum luxuriosissimo illi suo convivio, uxores quoque & concubinas suas adhibuisse legitur. Judithæ, cùm noluisset Holofernis cibo vinoque uti religionis ergò, separatim mensa fuit apposita. In convivio illo nuptiali in Cana Galilææ Mariam virginem, & θεοτόκον unà cum Christo filio suo atque Apostolis accubuisse verisimile est. Et Benjaminus in suo itinerario testatur, in Oriente esse gentem quandam decem miliaribus a *Syadam* (quæ Sidon olim) distantem, cui nomen ipsorum lingua *Dogzijn*, aliis dicti Pagani, quia nullius sint religionis & sectæ. Apud hos festo annuo, quod solenne habent, tam viri quàm fœminæ omnes ad commune convivium conveniunt, ibique uxores invicem permutant. Hodie apud quasdam gentes, ut Germanos & Polonos, mulieres unà cum viris mensæ assident, apud alias verò id indecorum habetur, & uxores non modò mensas, verùm etiam cœnacula habent a viris separata. His adde quòd sæpe promiscua hujusmodi utriusque sexus hominum convivia matrimoniorum occasiones existunt, & ea de causa etiam sæpe agitantur, quo personis illis, quas connubio conjungi volumus, honesta mutui conspectus colloquiique occasio præbeatur. Apud Jalchlenenses Libyes mirus mos fuisse traditur a Nicolao de Mor. gent. Nam quando multi unam uxorem ambiebant, apud futurum socerum cœnabant, & singulis, præsente sponsa futura, varia dicteria narrantibus, cuicunque mulier arriserat, illi cohabitabat. Turpis ab eodem auctore & inhonestus mos narratur, qui apud Dapsolibyes fuit. Congregati enim omnes uno die uxores unà ducebant post Vergiliarum occasum. Nam post epulas mulieribus seorsim discumbentibus, extincta lucerna, viri ad ipsas ingrediebantur: & quilibet, quamcunque contigerat, ducebat. Hujusmodi ferè Anabaptistarum fertur esse consuetudo.

Phæacum mos. Job. 1. Dan. 5. Joan. 2. Mos mulieres in convivio permutandi.

Quantum ad servos attinet, Romani illos non admittebant ad mensam, nisi manumissos, ita ut mensæ communicatio esset manumissionis signum. Hinc Tertullianus libro de Resurrectione carnis: *Atqui* (inquit) *& vestis albæ honore, & annuli aurei nitore, & patroni nomine, & tribu, mensaque honorantur.* Iisdem tamen (ut testatur Plutarchus lib. 7. Symp. 4.) semper aliquid censebant relinquendum, ita ut reliquiæ in illorum usum cederent. Moris tamen fuit cùm apud Græcos, tum apud Romanos, ut in Saturnalib. servi exæquato cum dominis jure convivarentur, imò ut domini servis ministrarent: ut de hoc suprà pluribus in Saturnaliorum explicatione dictum est. Eundem morem & apud Cretenses in Mercurialibus, & apud Trœzenios mense Geræstione, & apud Babylonios in festo *Saceam*, quod mense undecimo *Loo* dicto celebratum fuit, & apud Thessalos in Peloriis fuisse, ut nimirum servi, non modò cum dominis in convivio accumberent, sed domini illis ministrarent, plurimis testimoniis Athenæus libro decimo quarto comprobat. Coos contrà, quando Junoni sacrificabant, servos ad sacrificium illud epulare non admisisse Athenæus libro decimo quarto Macarei historici, atque Plutarchi Poetæ testimoniis probat. Sic Hyacinthiorum die tertio (nam festum illud tres dies durabat) apud Spartanos, quo omnis generis spectacula, sacrificia atque convivia fiebant, cives omnes sibi notos, familiares atque proprios servos ad sacrificia epulasque invitabant. Nam aliàs, ut apud Romanos, ita apud Græcos servis ad sacrificia non patebat aditus. Sic Exodi duodecimo peregrinus & mercenarius sive operarius ab epulo paschali arcetur: ubi tamen non quivis mercenarius, sed tantum ex gentibus significatur: sic Deuteronomii vigesimo quarto duplices mercenarii ponuntur, nimirum cives & peregrini. Solebant enim gentiles ventitare ad Judæos eisque servire pro mercede. Persarum reges sicut fertur, non amicis modò & proceribus, & stipatoribus solebant de cœna portiones mittere, sed servorum quoque atque canum cœna in ipsorum mensa proponebatur, cùm, quantum omninò fieri poterat, omnes, quorum utebantur opera, suæ mensæ facerent participes: nam cibi communicatione etiam ferissima cicurantur animalia. Hodie in quotidianis, familiaribus, atque domesticis illis syssitiis apud Helvetios, & alios populos ministri, famuli atque ancillæ mensæ a patribus atque matribus familiâs adhibentur: apud alios populos, & quidem plerosque is mos non est.

Servi apud Romanos non admittebantur ad mensam. Quando, & ubi servi ad dominorum mensam admissi. Athenæus lib. 4. cap. 4. Plutarch. lib. 7. Probl. 4.

Quoad pueros, illi more veterum Romanorum ad fulcra lectorum sedentes cibum capiebant. Claudius Imperator (teste Suetonio) *adhibuit omni cœnæ & liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad lectorum fulcra sedentes vescebantur.* Mos enim erat (ut Cornelius Tacitus quoque testatur) ut principum liberi cum cæteris ejusdem ætatis nobilibus sedentes vescerentur in aspectu propinquorum, propria atque puriore mensa. Theophrastus in suis characteribus ἀρέσκειαν, id est, *blanditiem*, describens, ait, homines blandos ad cœnam vocatos rogare convivii dominum, quem ἑστιῶντα vocat, ut liberos suos arcessat. Deinde illis ingredientibus negabunt ficum ficui tam esse similem, quàm illi sint parentibus. Deinde eos ad se vocabunt, osculatique sibi assidere jubebunt, & cum aliis jocantes, *En utrem*, inquiunt, *en securim:* alios in sinum recumbere dormientes (quamvis onere hoc graventur) sinunt. Atque apud Arcadas (authore Athenæo lib. 4.)

Pueri apud Romanos ad fulcra lectorum sedentes epulabantur.

lib. 4.) liberi cum patribus suis lapidibus insidentes nudi convivabantur. Verùm pueros ad publica convivia De pueris epulis adhibendis vel non.
adhiberi cum decoro, tum illorum utilitati minimè videtur esse consentaneum. Nam & pueros stando potius
ministrare, quàm mensæ assidere convenit: & quoniam multa fiunt atque dicuntur in illis conviviis, quibus
tenera illa flexibilisque ætas corrumpi facilè ac depravari possit, illos abesse, quàm interesse ejusmodi convi-
viis longè videtur satius. Quocirca Clemens Alexandrinus libro secundo Pædag. cap. 7. adolescentes atque
adolescentulas vult ab iis conviviis, in quibus θεάματα, καὶ ἀκούσματα turpia & inhonesta versantur, prorsus
abstinere, cùm partim ob ætatis infirmitatem, partim ob fidei levitatem, & inconstantiam ad cupiditates fe-
rantur præcipites. Sed in privato atque domestico convictu patres matresque familiâs, nec non præceptores
atque pædagogi, qui illorum curam gerunt, pueros atque puellas vel mensæ suæ adhibebunt, vel certè in con-
spectu suo, mensula separata, illos vesci curabunt, quò facilius ineptos atque incompositos illorum mores gestus-
que inspicere, & partim verbis, partim verberibus corrigere, & emendare queant. Hinc Aristoteles lib. 8.
pol. cap. 17. vult pueros primo septennio domi cohibendos & educandos esse, οἴκοι τὴν τροφὴν ἔχειν, ut ipse
loquitur. Rationem reddit, Εὔλογον γὰρ ἀπελαύνειν ἀπὸ τῶν ἀκουσμάτων καὶ τῶν ὁραμάτων τῶν ἀνελευθέρων, id est,
Danda opera, ne quid illiberale audiant, videant. Athenæus auctor est lib. 5. Philosophos Athenienses ipsos
quoque juvenes ad modesta, & frugalia illa sua syssitia (de quibus supra) adducere solitos fuisse: in quibus
illos scribit πρὸς τεταγμένον νόμον, hoc est, *certa ac definita lege atque modo*, cibum sumpsisse. Ad hunc
pueros epulis adhibendi morem David quoque videtur alludere Psal. 128. 3. sic inquiens: *Filii tui similes
plantulis olivarum circa mensam tuam erunt.* Cujusmodi verò moderatis, frugalibus atque honestis piorum, &
doctorum virorum conviviis, teneræ illius ætatis homines adhibere consultissimum fuerit, quò faciliùs ejus-
modi exemplis atque colloquiis piis, & eruditis ad virtutem atque doctrinam formari, & institui possint. Hic
etiam dici posset de pueris, qui olim ad cœnæ dominicæ communionem admittebantur, temporibus Tertulliani
& Cypriani, ut etiam olim pueros ad paschale illud epulum fuisse admissos Judæorum libri non negant. Idem
etiam ex Philonis lib. 3. de vita Moysis colligi potest, ubi Judaicam Paschatis celebrandi consuetudinem de-
scribit. Hæc de invitandorum seu convivarum qualitate varia & multiplici.

CAPUT II.

DE NUMERO INVITANDORUM, SEU CONVIVARUM.

Nunc de numero dicemus, in quo veteres Ethnicos vehementer religiosos, vel superstitiosos potiùs fuisse
reperio. Marcus Varro (teste Gellio lib. 13. cap. 11. in libro quodam lepidissimo ex Satyris Menippæis,
qui inscribitur, *Nescis quid vesper serus vehat*) de convivarum numero, deque ipsius convivii habitu cultuque Numerus ternarius.
differens, dicit convivarum numerum incipere debere a Gratiarum numero, & progredi ad Musarum, id est,
proficisci a tribus, & consistere in novem: ut cum paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint quàm tres: cùm
plurimi, non plures, quàm novem. Nam multos esse non convenit, quoniam turba plerunque est turbu-
lenta. *Et Romæ quidem*, addit Gellius, *constat, sed & Athenis, nunquam autem plures cubabant.* Plinius libro Nota.
28. cap. 2. scribit, Servium Sulpitium hanc fuisse commentum causam, cur olim ominosum fuerit mensam
relinquere, nempe quòd illis temporibus nondum convivæ numerabantur plures tribus. Pausanias quoque
nunquam plures tribus antiquitus coiisse, priscorum Annalibus comprobat, ejusque causam affert, quòd hunc
numerum sacrum atque perfectum veteres crederent, idque vel propter Gratiarum, vel propter Furiarum
concentum. De ternarii numeri perfectione, religione, usu in sacrificiis veterum, plura vide apud Cælium
Rhodig. lib. 12. cap. 9. Nobis Christianis meritò numerus hic sacer, & augustus est, propter sacrosanctam Tres Abrahami convivæ.
nimirum illam, & credendam potiùs atque adorandam, quàm curiosè nimis scrutandam τριάδα, quæ Abra-
hamo olim, ceu patri omnium gentium, manifestè fuit patefacta, quando Jehova trium virorum (quos ille
hospitio, convivioque excepit) specie ad illum venit. Nam tres illi viri, quater aut quinquies *Jehova* appel-
lantur, quod nomen non nisi in Divinam naturam convenit. Unde constat non angelos (ut Judæi volunt)
sed ipsum Jehova essentia unum, hypostasi trinum fuisse Abrahami convivam. Hoc ergo trinitatis mysterium
quoniam Ethnicis quoque obscurè, & quasi per nebulam quandam atque caliginem innotuit, hinc factum pu-
to, ut ternario numero divinam quandam vim tribuerint, & eundem cùm in sacrificiis, tum in epulis quoque
suis, quæ & ipsæ illis sacræ visæ sunt, sibi observandum esse duxerint: præsertim cùm communis ille omnium
populorum pater, ipsum Deum trium virorum specie (de quo aliquid audire potuerunt) hospitali convivio
perhumaniter liberaliterque exceperit. Lege quoque Fannia, ut ad propositum redeam, extra domum non Lex Fannia de numero convivarum.
plures tribus, in foro non plures quinque licebat convivio excipere, ut testis est Athenæus libro sexto sub fi-
nem, ubi hanc legem a Mutio Scævola diligenter fuisse observatam scribit. Ejusdem legis Macrobius quoque
meminit libro tertio Saturnal. cap. decimo septimo. Huc quoque faciunt Poëtæ Archestrati Syracusani versus, Archestrati poetæ judicium de convivarum numero.
qui ab Athenæo libro septimo citantur:

Πρὸς δ᾽ ἦ μιᾷ πάντας δειπνεῖν ἁβροδαιτι τραπέζῃ,
Ἔστωσαν δ᾽ ἢ τρεῖς, ἢ τέσσαρες οἱ ξυνάπαντες.

Η τῶν πέντε γε μὴ πλείους, ἤδη γὰρ ἂν εἴη,
Μισθοφόρων ἁρπαξιβίων σκηνὴ στρατιωτῶν.

Id est,

Cœnare unà omnes homines hinc divite mensa,
Atque adsint illi vel tres, vel quatuor omnes,
Non plures vel quinque, foret nam cœna parata.
Militibus rapidè promptas rapientibus escas.

Hinc *triclinia* quoque veteribus dicta a tribus lectis, in quibus singulis antiquitus singuli convivæ accumbebant. Huc alludere etiam videtur Horat. Flac. cùm inquit:

Tres mihi convivæ propè dissentire videntur,
Poscentes vario multùm diversa palato.

Numerus septenarius. Olim septenarium quoque veteribus placuisse ex provulgato illo dicto constat, *Septem convivium, novem verò convitium*: cujus Julius Capitolinus in Vita Lucii Veri Imperatoris meminit. Hunc autem numerum veteres magni fecerunt, quòd esset virginitatis numerus Palladi sacer, quia nihil ex se pariat, quòd intra denarii limites potest coacervari duplicatum.

Denarius. Homero secundo Iliados denarius videtur placuisse. Nam in Decadas Symposiarcham distribuisse docet convivium, dignitatem fortassis denarii respiciens, quem circularem numerum Proclus vocat, & numerorum finem principiumque, quod dissolutus in monodum redit, & monodus coacervatur in denarium. Verba sunt Agamemnonis Iliad. 2.

Ἡμεῖς δ᾽ εἰς δεκάδας διακοσμηθῆμεν Ἀχαιοὶ
Τρώων δ᾽ ἄνδρα ἕκαστον ἑλοίμεθα οἰνοχοεύειν.

Duodenarius. Plures decem accumbere solitos, olim non fuisse moris, testis est Eustathius ibidem. Et Agamemnon quidem Ιλ. β. sex Græcorum præstantissimos ad convivium vocat, septimus sua sponte supervenit Menelaus, non tàm cibi causa, quàm ut fratri suo, sicubi opus esset, opera sua præstò esset. Et in Pythagoricis conviviis non interfuisse plures, Jamblichus auctor illustris prodidit: ut Cæl. lib. 18. cap. 8. Apud Judæos in conviviis nuptialibus tot licet invitare, quot vult aliquis, ita tamen ut decem ad minimum his conviviis intersint, aliàs uti non possunt hac formula precationis, quæ apud eos in conviviis illis usitata est, נברך אלהינו *Nebareck Elohenu.* Josephus lib. 7. de Bello Judaico indicat in Paschali epulo, ab hora nona decimi quarti diei usque ad undecimam, hoc est, secundum Germanorum observationem, ab hora tertia usque ad septimam, hostias mactatas: singulis verò edendis adhibitos convivas denos interdum & vicenos.

Julius Capitolinus Veri Imperatoris convivium notissimum describit, in quo primum duodecim accubuisse dicuntur, cùm sit notissimum dictum de numero convivarum, *Septem convivium, novem verò convitium.* Numerus duodenarius Jovis est numerus, quod cursum suum duodecim annis perficiat. Huc quoque referri potest δωδεκάθεος illa Augusti Imperatoris cœna, in qua duodecim convivæ Deorum Dearumque habitu accubuerunt, cujus Suetonius meminit in ejus vita. Huc referri potest quod apud Gallos numerus decimus tertius mali & infausti ominis habetur, ita ut unum aliquem convivam eo anno moriturum esse superstitioso mentis errore nonnulli sibi persuadeant, ut testatur Petrus Menenius in Eunucho Terentii. Quamobrem si quando accidit, ut tredecim ad unam mensam accumbant, unus illorum surgere atque discedere mali illius ominis evitandi causa cogitur. Non ergo minus hodie Christiani, quàm olim Ethnici in convivarum numero solent esse superstitiosi. De numeri duodenarii perfectione vide August. lib. 20. de Civitat. Dei cap. 5. ad illa Christi verba, Matth. 19. *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël*, ubi & judicum, & judicandorum numero duodenario universam quandam multitudinem dicit intelligendam. Plato ex viginti & octo rectissimè constare voluit convivium, pro Lunæ cursu, quæ vigesimo octavo die redit ad idem Zodiaci punctum, unde processit. Xenophon octo convivas vult, ut unà cum convivatore sint novem. Chærephon apud Athenæum lib. 6: & 20. rectum convivium ordinavit. Heliogabalus Imperator (ut scribit Ælius Lampridius in ejus vita) simul ad cœnam vocare est solitus octo calvos, octo luscos, octo podagrosos, octo surdos, octo raucos, octo insigniter nigros, octo insigniter longos, octo præpingues & obesos, & octo nasutos, delectatus illo Græcorum proverbio ἄπαντ᾽ ὀκτώ, id est, *omnia octo*, de quo vide plura apud Erasmum in Adag. Veteres ergo convivarum numerum diligenter observarunt, & alius aliis placuit, ut ex superioribus liquet. Verùm in genere numerorum veteribus tanta fuit observatio, ut omnia, sicut Boëthius Severinus ait, quæ a primæva rerum natura constructa sunt, numerorum ratione viderentur esse constructa. Pythagoræi in primis ea in re valde fuerunt superstitiosi, & Pythagoras (ut testis est Plutarchus in libro de placitis Philosophorum) numerum pro mente accepit.

Viginti & octo convivæ. Octonarius sive Nonarius. Triginta convivæ. Octonarius. Veteres numerorum observantissimi.

Convivarum numerus non ad vivum resecandus. Christi convivæ 5000. Modus servandus in convivarum numero.

Videtur autem convivarum numerus non esse nimis ad vivum resecandus, sicuti a veteribus legimus factitatum: sed omnino ad ipsius convivii, ad temporis, loci, alimentorum, facultatum aliarumque hujusmodi circumstantiarum rationes esse accommodandas. Christus convivas habuit quinque millia virorum præter mulieres atque parvulos, quos in deserto duobus piscibus, & quinque panibus pro infinita sua potestate satiavit. Cæterum hîc cùm circumstantiarum (ut modò dictum) habenda est ratio, tum ut omnibus in rebus, servandus modus, ut nec nimis paucos, nec nimis multos invites, peccatum tamen communiùs, & quidem periculosiùs committitur in excessu. Multi enim plures sæpe invitant, quàm vel locus possit capere, vel ciborum,

ciborum, facultatum aliarumque rerum ratio postulet, cum magno non solùm detrimento, & rei domesticæ naufragio, verumetiam dedecore atque ignominia sua. Veteres (ut intellectum est) a convivarum copia atque multitudine abhorruerunt, quoniam multitudo, quæ hodie plerisque arridet, plerumque paucis (ut eleganter Seneca loquitur) est inimica, & (ut vulgò dicitur) confusionem parit. Ita Archestratus convivas plures quinque, militum rapto viventium manipulo comparat. Et proverbium ante commemoratum huc maximè pertinet: *Septem convivium, novem convitium.* Ex quo Erasmus *convitium* pro clamore dixit, quasi *convocium*, cùm quavis in re turba confusionem excitet ac molestiam. Verùm hac de re præclarè sanè ac pluribus Plutarchus disserit lib. 5. Sympos. Probl. 5. sub Lampriæ & Onesicratis medici persona: Οὐ περὶ τὰ δεῖπνα μόνον, inquit Lamprias, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς κλήσεις δεόμεθα τῆς ἐγκρατείας, hoc est, *non in conviviis solùm, verùm in ipsis etiam invitationibus est moderatio adhibenda. Nam* (ut idem subjungit) *ipsius quoque* φιλανθρωπίας, hoc est, *humanitatis aliqua est incontinentia, neminem compotorem prætermittens, sed omnes tanquam ad spectaculum, aut acroama aliquod trahens. Absurda autem atque incommoda, quæ immoderatam illam turbam invitatorum consequuntur, ibidem commemorantur. Nam primò ejusmodi convivia* θορυβώδεις συμπεριφορὰς, καὶ ταχείας διαλύσεις, id est, *tumultuarias habent ciborum circumlationes celeremque finem. Deinde loci angustiæ, spatiique inopia magis sæpe, quàm panis vel vini defectus convivatorem omnibus deridendum propinat, ejusque socordiam ac imprudentiam manifestè arguit, cùm loci copiam semper oporteat paratam esse, non invitatis tantùm, sed etiam ultrò, forteque fortuna supervenientibus hospitibus atque peregrinis. Nam si panis atque vinum deficiant, culpam licet in servos conferre, tanquam illi furto rem minuerint, at verò loci defectus atque inopia invitantis socordiæ negligentiæque imputatur. Ac ut Hesiodi illud magnoperè laudatur, quod verbis illis:*

Convivarum multitudo vitanda, & cur.

Convitium.

Nota.

Incommoda multitudinis convivarum secundum Plutarch.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετο,

Hoc est,

Primò omnium quidem chaos extitit,

In Theogonia.

Locum prius sedemque rebus, quæ erant nascituræ, subjicit: Sic convivator quoque prudens de loco satis capaci, & idoneo convivis excipiendis primò omnium cogitare debet. Præterea cùm convivia sermonis potissimùm colloquiique mutui causa, quo amicitia mutua alitur & augetur, instituta sint atque celebrentur, ita ut vinum satius sit, quàm sermonem e convivio tolli: numeroso mediusfidius hujusmodi convivarum cœtu mutui colloquii facultas impeditur, seu potiùs tollitur, cùm sæpe ne videre quidem se invicem, nedum colloqui ob locorum intervalla convivæ possint. Duo enim aut tres proximi inter se confabulari possunt, longius remotos neque norunt neque aspiciunt. Quamobrem non rectè divites faciunt, qui domos τριακοντακλίνους, id est, *triginta lectorum capaces, & his laxiores adhuc amplioresque ædificant. Ac proinde* πολυάνθρωπα *hujusmodi*, hoc est, *populosa convivia eleganter* ἄμικτα, ἄφιλα & ἀπροσήγορα, *communionis, amicitiæ colloquutionisque mutuæ expertia appellantur: quorum apparatus Panegyriarcham potiùs*, hoc est, *solennis pompæ præsidem, quàm Symposiarcham requirat. Imò ne convivia quidem verè nominari posse dicit. Nam quemadmodum civitas, Platone auctore, certum habet atque definitum magnitudinis terminum, quem si transilierit, ne civitas quidem est amplius nuncupanda: sic convivium quoque certos suos habet magnitudinis fines atque terminos, ultrà quos nullam id amplius convivii formam rationémve obtinet, atque idcirco ne nomine quidem convivii amplius dignum censeri debet. Etenim in convivio justo, & legitimo tanquam in choro quodam opus est, ut* κρασπεδίτης τῷ κορυφαίῳ sit συνήκοος, id est, *ut postremus seu imus, primum vel supremum possit exaudire, minimeque opus sit velut in exercitu aliquo, internunciis, vel ut in triremi,* κελευστοῖς, id est, *proretis jussa gubernatoris renunciantibus, sed ut unusquisque pro se cum aliis colloqui possit.* Hæc sunt incommoda quæ Plutarcho, imò experientia ipsa teste, convivarum nimiam multitudinem atque turbam plerunque comitantur.

Nota:

Subjungit postremò duo præcipua in invitatione observatu digna, & ad hanc convivarum turbam evitandam perquam accommodata. Primùm est, *ut sæpe paucos invitemus. Qui enim raro admodum, & (quod ajunt)* διὰ χρόνου, hoc est, *cunctanter, sero, nimisque anxiè convivia instruunt, coguntur unumquemque eorum, qui illos quacunque necessitudine notitiáve attingunt, convivarum albo ascribere. Qui autem frequentiùs id faciunt, ternos aut quaternos vocando, illi convivia navium instar quibus amnes trajiciuntur laxa, & levia reddunt. Alterum præceptum est, ut ipsius convivii causam genúsve spectemus. Nam ut ad alias res atque negotia non omnis generis homines temerè vocamus, sed eos qui ad unamquamque rem maximè apti sunt, & idonei, ut ad consultationem prudentes, ad causam dicendam disertos, ad peregrinationem eos quibus victus est expeditus & otium: sic ad convivia alia atque alia, alii atque alii maximè idonei sunt vocandi. Sic enim exempli gratia principi convivium præbenti apti sunt principes, & civitatis proceres, si illi sint amici. In nuptiis autem, & natalitiis genere propinqui, quique Jovis homogenii sunt participes. Atque in ejusmodi conviviis, & festivitatibus maximè illi sunt convocandi, qui bona inter se invicem sunt in gratia. Neque enim cùm Deo alicui sacrificamus, omnibus etiam simul vota facimus, quantumvis eodem in templo, eodem altari colantur: sed cùm tres misceantur crateres, aliis e primo, aliis e secundo, sunt quibus e tertio libamus: invidia namque extra Deorum stat chorum. Divinus autem nimirum etiam est amicorum chorus, benevolè distributus in conviviis, sive conviviali circumpotatione.* Hæc Plutarchus de numero convivarum ad mediocritatem revocando, benè sapienterque mea sententia disseruit.

Plutarchi præcepta de invitatione convivarum.

Benè quoque moratæ, & scienter constitutæ civitates atque Respub. convivarum numerum sæpe certis quibusdam quasi cancellis atque finibus circumscribunt: cujusmodi fuit apud Romanos Lex Fannia, (de qua & suprà) nec non lex Orchia, quæ prima omnium de cœnis lex ad populum pervenit. Hanc tulit C. Orchius tribunus plebis de senatus sententia tertio anno antè quàm Cato Censor fuerat. Summa ejus præscribebat

Lex Fannia.

Lex Orchia. Macrob. l. 3. Satur. c. 17. Lex Jabensium.

bebat numerum convivarum. Et hæc eſt Lex Orchia, de qua Cato mox Orationibus ſuis vociferabatur, quòd plures quàm ejus præſcripto cavebatur, tum ad cœnam vocarentur. Sic Jabenſibus lege lata interdictum erat, ne in celebrandis conviviis plures vocarent, quàm decem, & totidem mulieres, ut author eſt Heraclides in Politicis. Apud nos quoque ſæpe feruntur leges, quibus in nuptialibus feſtivitatibus atque epulis invitandorum numero modus præſcribitur, ad nimios inutilesque ſumptus, quos tum novi conjuges, tum ii, qui invitantur facere cogantur, evitandos. Plutarchus quoque lib. 4. Sympoſ. Prob. 3. legumlatores dicit, qui ſumma contentione atque conatu luxum oppugnarunt, numerum modumque definiviſſe eorum, qui ad nuptias invitarentur. Nam ad nuptiales potiſſimùm feſtivitates atque epulas plurimi ſolent invitari, cujus rationes aliquas Plutarchus affert, de quibus priore libro eſt dictum. Regiæ tamen eſt magnificentiæ, maximam hominum multitudinem nonnunquam conviviis excipere, quorum exempla paſſim plurima occurrunt. Sic enim Pompejus, cùm circa Judæam res gereret, mille convivas totidem aureis potoreis mutantes vaſa cùm ferculis ſaginavit, ut Plin. lib. 33. cap. 10. Ptolomæi Varronis teſtimonio confirmat. Pythius Bithynus, qui platanum auream, vitemque nobilem Dario regi donavit, Xerxis copias, hoc eſt 88. millia hominum epulo excepit. Hujuſmodi in ſacris libris Davidis, Solomonis, Aſueri convivia commemorantur.

Ad nuptiales epulas plurimi invitantur. Reges maximam hominum multitudinem ſolent convivio excipere. Exempla. Plin. lib. 33. cap. 10.

Mos convivas numerandi. Athen. l. 6. γυναικονόμοι. Nomenclatores.

Nunc quoniam de convivarum numero egimus, illud quoque eſt adjiciendum, moris nimirum fuiſſe, ut invitati ſive convivæ poſtquam convenerant, numerarentur, & illi quibus id datum erat negotii, γυναικονόμοι fuerunt appellati. Ibidem narratur fabula non illepida talis: Paraſitus quidam, quum invitatus ad nuptias poſtremus accumberet, γυναικονόμοι numeratis convivis juſſerunt illum abire, quòd contra leges, ſupra numerum triginta ſequutus eſſet. At ille: *Numerate* (inquit) *denuò, & a me ſumite initium, hoc namque pacto non ero ſuprà numerum.* At a Latinis iidem appellati ſunt *Nomenclatores*, de quibus illuſtris locus extat apud Ammianum Marcellinum, cujus hæc ſunt verba: *Cùm autem intervallata temporibus convivia longa, & noxia cœperint apparari, vel diſtributio ſolennium ſportularum anxia deliberatione tractatur, an exceptis his, quibus viciſſitudo debetur, peregrinum imitari conveniet? Et ſi digeſto plenè conſilio id placuerit geri, is adhibetur, qui pro domibus excubat aurigarum, aut artem teſſerariam profitetur, aut ſecretiora quædam ſe noſſe confingit. Homines enim eruditos, & ſobrios, ut infauſtos & inutiles vitant quoque: accedente quoque quòd & Nomenclatores aſſueti hæc & talia venditare mercede accepta, cœnis quosdam & prandiis inferunt ſubdititios, ignobiles & obſcuros.* Hæc de invitandorum atque convivarum qualitate, & numero.

CAPUT III.

DE TEMPORE INVITATIONIS, NECNON VARIIS INVITANDI MODIS ATQVE FORMVLIS, DE SERVIS INVITANTIBVS.

Varia temporis obſervatio in invitationibus.

Nunc de tempore, quo fit invitatio, dicendum. Sybaritæ (ut teſtis eſt Plutarchus in convivio ſeptem ſapientûm) ante annum mulieres conſueverunt ad convivia invitare, quò ſatis haberent temporis (nam, ut ille inquit, *mulieres dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt*, cujus illuſtre exemplum habes lib. Eſth. cap. 2.) ad ſeſe pretioſis veſtibus ornandum. Ac omnino invitatio fit longè, vel paulò ante convivium, vel convivio jam parato & inſtructo ſecundum varias vel circumſtantias, vel mores atque conſuetudines, quibus eſt ſerviendum. In Euangelio Luc. 14. cùm illi, qui ad cœleſte illud epulum fuerant invitati, denuo vocati per ſervum venire recuſaſſent, convivator paratis jam omnibus per eundem ſervum, obvios quoſque ſubitò vocari curavit. Sic enim ſæpe fit, ut quando illi, quos aliquanto ante tempore invitavimus, venire vel nolunt, vel non poſſunt, alios quos nobis commodum eſt, in illorum locum vel ſubitò invitemus. Ipſa certè Eſthera (ſicut pluribus cap. 5. ſcriptum eſt) regina cum magno vitæ ſuæ periculo Aſuerum regem atque Hamanum eodem die, quo epulum adornaverat, invitavit. Apud nos verò ad convivia, præſertim lautiora, biduo ante fit invitatio. Judæi in Italia ad nuptiale convivium triginta, ad alia verò convivia octo ante dies invitare conſueverunt. Verùm quot fere ſunt populi, quot etiam circumſtantiæ, tot ſunt vel maturiùs, vel ſeriùs invitandi conſuetudines, quas omnes perſequi eſſet infinitum. Omnino (ut eſt in proverbio) *Lex regio*: ſerviat igitur unuſquiſque ſuæ civitatis atque gentis hac in parte conſuetudini.

Conſuetudini ſerviendum.

Modus & forma invitandi ad convivium.

Jam verò quoad invitationis modum ſive formam, illa quoque varia eſt, & multiplex. Nam vel invitamus abſentes, & peregrinos, vel eos, qui in eadem urbe locóve, in quo nos ſumus, verſantur. Item invitamus vel ἀμέσως per nosmetipſos, vel ἐμμέσως, idque rurſus bifariam, vel per literas, vel per miniſtros, famulos atque nuntios, vel utroque modo. Invitationis ἀμέσου illuſtre exemplum habemus in hiſtoria Eſtheræ. Ipſa namque Eſthera regina cum magno vitæ ſuæ periculo Aſuerum regem atque Hamanum invitat, cap. 5. Servi autem quorum opera olim beati lautique homines ad invitandum utebantur, a Græcis κλήτορες, & δειπνοκλήτορες, nec non ἐλέατροι, ſive ἐλείατροι, Athen. lib. 4. Ἐλέατροι autem, ut inquit Pamphilus, vocantur, qui ad regiam menſam vocant παρὰ τοῦ ἔλεος, id eſt, *menſa*. Artemidorus autem eos appellavit δειπνοκλήτορας. Latine eoſdem *vocatores* appellarunt. Plin. lib. 3. cap. 10. de Apelle: *Invitatus ad regis cœnam venit. Indignantique Ptolomæo, & vocatores ſuos oſtendenti, ut diceret, a quo eorum invitatus eſſet, arrepto carbone*

bone extincto e foculo, imaginem in pariete delineavit, agnoscente vultum plane rege ex inchoato protinus. Martialis:

Iam dices mihi vapuler vocator.

Sueton. in C. Caligula, *Comperecat provincialem locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur.* In Euangelio Luc. 14. convivator ille servo mandat, ut ad convivium homines vocet, quem similiter δειπνοκλήτορα, seu vocatorem appellare possumus. Apud Lucianum in Dialog. *de Mercede conductis* & famuli fit mentio, ad cœnam vocantis, & mercedis, quæ illi nonnunquam ab invitatis dari consueverat. *Primùm*, inquit, *adest tibi quispiam, qui te jubeat ad convivium accedere, famulus non incomis, qui tibi prius placandus datis in manum, ne videaris incivilis, ut minimum quinque drachmis. At ille recusans, seque, quum maximè cupiat, cupere dissimulans: Apage, inquit, Egone quicquam abs te? Addit & illa, Absit, Dii prohibeant. Tandem flectitur, & obtemperat atque discedit, te latè diducto rictu subsannans.* Apud nos ancillarum ferè id est munus, quæ comptius & nitidius solito vestitæ illud obeunt, mulieribus quoque ad nuptialia convivia invitantibus mercedula a sponso dari consuevit.

Porrò invitandi formulæ Hebræis usitatæ hujusmodi ferè fuerunt. Esthera regem Asuerum his verbis invitavit: *Si super regem bonum* (hoc est, si illi gratum atque commodum) *veniat rex & Haman hodie ad convivium, quod apparavi ei.* Item in ipso convivio utrunque rursus hoc modo in crastinum invitavit. Nam cùm rex dixisset: *Quæ est postulatio tua, & dabitur tibi? quæ petitio tua usque ad dimidium regni, & fiet?* Respondit illa: *Petitio mea, & postulatio hæc est: Si nacta sum gratiam in oculis regis, & si regi visum fuerit, ut annuat petitioni meæ, & præstet quod peto, Veniat rex & Haman ad convivium, quod parabo eis crastino die*, &c. Humana sanè, modesta atque honorifica fuit hæc invitationis forma. Simili usus est Abrahamus, cùm tres illos viros invitaret, ut Gen. 18. scriptum est. Nam cùm illis occurrisset, seque ad illorum pedes abjecisset, *Amabo Domine*, inquit, *si inveni gratiam in oculis tuis, ne quæso prætereas servum tuum*, &c. Similiter Lothus duos illos angelos pronus, facie terram versus demissa, his verbis invitavit: *En obsecro domini mei, divertite quæso ad domum servi vestri, & pernoctate, lavate etiam pedes vestros, & mane consurgentes proficiscemini viam vestram.* At illi dixerunt: *Non, sed in platea pernoctabimus.* Ille verò efflagitabat vehementius, ut ad se diverterent. Sic illi viatores, Emausum proficiscentes, Christum παρεβιάσαντο, id est, *vi coëgerunt*, ut apud se diverteret: Luc. 24. At Matthæi 22. cap. invitandi formula est simplex, qua servuli utuntur: δεῦτε εἰς τοὺς γάμους, id est, *Venite ad nuptias, nam omnia sunt parata.* Joan. 21. Christus ad discipulos dixit: Δεῦτε ἀριστήσατε, *Venite ad prandendum.* Hodie in Italia Judæi hac invitandi ad nuptias formula utuntur: *N. Orat te ut velis se honorare tua præsentia in convivio nuptiali suæ filiæ*, &c. tum מזל טוב *masal tob*, fausto omine dicit invitatus ei, qui invitat: cui ab invitatore respondetur ברוך תה יה *baruk tihe jah*, id est, *benedictus eris.* Et invitandi formulæ hodierno die apud alias atque alias gentes variæ sunt, & multiplices, quas operosum esset nimiùm recensere. Illud quoque olim videtur fuisse moris, ut invitandorum nomina in tabella inscripta vocatoribus darentur, id quod ex verbo καταγράφειν, quod Plutarchus pro *invitare* usurpat, videtur posse colligi. Apud nos quidem mulier unà cum puero aliquo ad nuptias invitare solet, puer manibus tenet chartam, cui invitandorum nomina sunt inscripta, & invitatione per mulierem facta, eos qui vel promittunt, vel recusant, puer diligenter notat. Præterea ut locus, ita tempus quoque atque hora convivii invitatis ut olim, ita hodie etiam significari consuevit. Olim qui vocabant ad cœnam, designabant, ad quam umbram solarii vellent adesse convivas. Itidem qui vocabantur, ne venirent ante tempus, rogabant, ad quam lineam esset veniendum: inde proverbium, *Decempes umbra*, de quo primo in libro, ubi explicatum pluribus, qua ferè hora diei veteres cibum capere sint soliti.

Prisca invitandi forma qualis.

Judæorum mos invitandi ad nuptias.

Invitandorum nomina olim in tabella scripta vocatoribus dabantur Helvetiorum mos.

Locus & tempus cœnæ in invitatione indicatus.

Invitatio porrò sive ea per nos fiat, sive per alios, sit humana, amica, non simulata, languida & remissa, sed seria, acris, ita ut is qui invitat, seriò rem & ex animo agere, non ludere videatur. Hujusmodi fuerunt illæ paulò ante commemoratæ Estheræ reginæ, Abrahami atque Lothi invitationes humanitatis, amoris officiique plenissimæ. Qui enim aliquem seriò, & ex animo invitant, ii *penulam scindere* dicuntur antiquo proverbio, hoc est, manu injecta in penulam, aliquem quasi vi retinere, & remorari, & ad manendum divertendúmve invitare. Cicero ad Atticum lib. 13. de Varrone verba faciens: *Venit*, inquit, *ad me, & quidem id temporis ut retinendus esset. At ego ita egi, ut non scinderem penulam. Memini enim tui, & multa erant, nosque imparati. Quid refert? paulò post Capito cum T. Carinate. Horum ego vix attigi penulam, tamen remanserunt.* Hujusmodi est apud Terentium: *Mida Getam resupinat pallio.* Et Apulejus id sæpe appellat, *injecta manu firmiter aliquem ad epulum trahere.* Cujusmodi seriæ vehementisque invitationis exemplum apud eundem habemus lib. 2. *Fortè quadam die mecum magnopere Byrrhena contendit, ut apud eam cœnulæ interessem, & cum impendio excusarem, negavit veniam*, id est, dixit se mihi non veniam daturam, *nisi promisissem, me apud eam cœnaturum.* Contrà igitur leniter, remissè atque languidè aliquem invitare, est *aliquem lacinia tenere*, non *scindere penulam*, vix attingere penulam. Cujusmodi dicendi formis nostrates quoque hodie utuntur: Einem den rack / oder den gehren nit zerreyssen / oder zerzerren. Omnino hic quoque adhibendus est modus, ut nimirum neque languida nimis & remissa, vel etiam ficta simulataque sit invitatio, nec etiam nimis importuna, odiosa, violenta, molesta, ita ut aliquem vel invitum, cum aliquo illius incommodo atque molestia ad epulas hospitiumque invitare, seu potius trahere, & diutius quam par sit, retinere conemur. Mirum simulatumque invitationis genus fuit, quo viri Triumphales olim apud Romanos usi fuerunt. Illi namque (ut testis est Plutarchus) consules ad epulum Triumphale invitabant, sed postea illos rogabant, ne accederent, idque ob eam causam, ut post epulum honoris ergò a populo Romano deduci possent: qui honos

Invitationem amicam, modestam & seriam esse oportere.

Penulam scindere, Proverb.

Lacinia aliquem tenere, non scindere penulam, Proverbium.

Quis modus in invitationibus tenendus.

Mirus virorum Triumphalium apud Romanos mos invitandi.

honos præsentibus consulibus non poterat ex populi Romani moribus ac institutis Imperatoribus tribui. Eadem de re sic scribit Val. Max. lib. 2. cap. 3. *Moris erat ab Imperatore triumphum ducturo Coss. invitari ad cœnam: deinde rogari, ut venire supersedeant, ne quis illo die, quo ille triumphaverit, majoris in eodem convivio sit imperii.*

CAPUT IV.

DE IIS QVI NON VOCATI IMPVDENTER SE QVIBVSVIS EPVLIS INGERVNT. DE PARASITORVM NOMINIBVS, NATVRA ATQVE MORIBVS.

De iis, qui non vocati, ad convivia accedunt.

Iam de iis, qui non vocati ad convivia accedunt, nec non de eorum, qui invitati sunt, munere & officio (quod ad invitationem) operæ pretium erit dicere. Quemadmodum igitur ii, qui invitati & vocati sunt κλητοὶ, & κεκλημένοι a Græcis appellantur: ita contrà μὴ κεκλημένοι, αὐτόκλητοι, (selbs gladen gest) & αὐτόματοι, sive αὐτομάτως ἐπελθόντες, ab iisdem dicuntur: qui Latinis *non vocati*, & *invocati* a Plauto & Cicerone appellantur, quique sua sponte ad convivium accedunt.

Duo genera non invitatorum.

Hi verò sunt duplices: alii, qui omnino non sunt vocati, alii, qui a convivarum aliquo sunt invitati: qui a Græcis ἐπίκλητοι, & σκιαὶ, a Latinis *umbræ* vocantur, & convivarum comites, ut eos Apulejus lib. 5. appellat. *Nam probè*, inquit, *disposita cænula balnea obeunt* (en balneandi consuetudinem ante epulas) *dehinc lauti quendam fortissimum rusticanum, industria laterum, atque imis ventris bene præparatum, comitem cœnæ secum adducunt.*

Non est temere, & injusta causa ad convivia accedendum.

Myconiorum more ad convivium venire, Proverbium.

Muscis comparantur non invitati convivæ.

Ac omnino hoc primò omnium sit in præceptis, ut ne quis, si non est invitatus, temere & sine justa causa ad convivium accedat: quod qui facit, multis nominibus malè audit. Hoc nomine Myconii olim fuerunt notati, quod ob tenuitatem alienas cœnas captarent: unde proverbium natum est, ut qui ἀκλήτως, id est, invocatè ad convivium venirent, *Myconii more venire* dicerentur. Hinc Archilochus apud Athenæum lib. 1. in Periclem invehitur, ὡς ἄκλητον ἐπιπλέοντα εἰς τὰ συμπόσια, μυκονίων δίκα, id est, *velut qui invocatus ingereret se ad convivia Myconiorum more.* Videntur enim Myconii propter paupertatem, quod infœcundam insulam incolerent, sordium & avaritiæ nomine fuisse accusati: unde Ischnomachum sordidum Cratinus Poëta Myconium appellat. Antiphanes Poëta Syracusius apud eundem, hujusmodi homines, qui in urbibus, ut sæpe fieri solet, non invitati ad convivia accedunt, muscis comparat, quæ in Olympiis advolantes bovem fœdè feriebant: quo simili illorum impudentiam perstrinxit. Versus ejus hi sunt apud Athen. lib. 1.

Αἐίθ' ὥσπερ ὀλυμπιάσι φασὶ τὰς μύας ποιεῖν
Βοῦς τοὺς ἀκλήτους περικατακόπτειν πανταχοῦ.

Id est:

Muscæ velut fœdè solent Olympicæ
Boves ferire non vocatæ, idque undique, &c.

Hinc apud Antiphanem Comicum Parasitus hoc modo inducitur:

Θύρας μοχλεύειν, σεισμός· εἰσπηδᾶν, ἀκρὶς
Δειπνεῖν ἄκλητος, μῦα· μὴ ἐξελθεῖν, φρέαρ.

Nec verò a Græcis tantùm, verùm etiam a Latinis impudens hoc genus hominum muscis comparatur. Plautus in Pænulo:

LYC. *Hospitium te ajunt quæritare.* COL. *quærito.*
LYC. *Ita illi dixerunt, qui hinc a me abierunt modò,*
Te quæritare a muscis. COL. *Minimè gentium.*
LYC. *Quid ita?* COL. *quia a muscis si mihi hospitium quærerem,*
Adveniens huc irem in carcerem recta via.

Quærebat ille adolescens hospitium a muscis, hoc est, ab arbitris, & adventoribus liberum, in quo ne muscæ quidem sint arbitræ, secundum illud: *Ne musca quidem.* Id enim suprà advocati dixerant:

Potare, amare volt. LYC. *Locum lepidum dabo.*
ADVO. *At enim clàm furtim hîc esse volt, ne qui sciant*
Neve arbiter sit, &c.

Hoc cùm Colabiscus aliorsum acciperet, quasi dictus sit a muscis quæritare hospitium, negat se a muscis quæritare. Nam si a muscis quærerem, inquit, rectà in carcerem ivissem, ubi solet esse magnus muscarum numerus. Ita Lambinus interpretatur. Posteriora autem verba Justus Lipsius in Antiquis suis lectionibus aliter interpretatur. Addit deinde, inquit, *ludens de carcere.* Nam certè in carcerem periculum non erat ne quis invocatus veniret. Atque idem Poëta in Mercatore:

Musca est, inquit, *meus pater, nihil potest clam illum haberi,*
Nec sacrum, nec tam prophanum quicquam, quin ibi sit illicò.

Ælianus

Ælianus lib. 11. de Animalibus cap. 8. testis est, in Leucade insula promontorium fuisse excelsum, & sacrum in eo Apollinis Actii fanum, cujus honori dedicatum tempus festum cùm instabat, in quo saltando etiam certabatur, bovem muscis feriebant, cujus illæ sanguine saturatæ recedebant, velut munere ad id faciendum persuasæ. Et cap. 17. quinti libri scribit, muscas Pisatides eo tempore, quo Olympiæ festum celebrabatur, inter tot sacrificia, & sanguinis passim fluentis copiam, & carnes suspensas, quasi Dei reverentia motas discedere, ac ultrà Alphæum flumen avolare consuevisse, ac soluto jam festo unà cum mulieribus (quæ & ipsæ lege & imperio aberant) tanquam decreto aliquo exules revocatas, in Elidem reversas esse. Sed quoniam musca (ut Ælianus lib. 7. cap. 19. & lib. 2. cap. 29. nec non experientia ipsa docet) impudens animal est, & importunum, & audax, & vorax, quodque non facilè repelli potest: mirum sanè non est, hujusmodi homines, qui sese conviviis temerè & audacter ingerunt, ac illa per flammam & ignem petunt, a Græcis pariter atque Latinis muscis comparari, ac muscas μεζᾶφοελκῶς appellari. Eandem enim ob causam, ut illud quoque addam, immanis ille animarum helluo, qui leonis instar feri atque famelici circumquaque cursitat, omnes homines devorandi atque perdendi occasionem captans, in sacris literis *Beelzebub*, hoc est, muscarum princeps, sive dominus appellatur. 4. Reg. cap. 1. Matth. 11. Marc. 3. Nam muscæ instar hominibus assiduè molestus est atque infestus, nullam illos tentandi vexandique intermissionem facit. Hic videtur esse ille Myodes, cui (ut testis est Plinius lib. 29. cap. 6.) in Olympiæ sacro certamine immolato tauro, muscarum nubes extra territorium illud abierunt. Eundem muscarum Deum, lib. 10. cap. 28. *Achorem* vocat (Gregorius Nazianzenus *Acaron*, ab *Acaron* urbe Palæstinæ, ubi præcipuè cultus fuit) cui Cyrenaicos (lib. 4. Regum cap. 1. Accaronitarum Deus dicitur) quibus muscarum multitudo pestilentiam afferebat, scribit sacrificare solitos, ac simulatque illi Deo litatum fuerat, protenus omnes interiisse. Appellatus etiam est, teste Cælio lib. 22. cap. 2. ἀπόμυιος, *muscarum abactor*, a fugandis pellendisque muscis. Jam verò, ut ad propositum regrediar, impudentes hi atque audaces epularum sectatores, qui non invitati sese quibusvis epulis non amicitiæ & honestatis, sed ventris sui causa immiscent, a Græcis δειπνομανεῖς, ἐπιθυμόδειπνοι, φιλόδειπνοι, δειπνοδιώκται, τρεχέδειπνοι, παράσιτοι, ἀλλοτριοφάγοι, (Sic Nicolaus poëta: τ' ἀλλότρια δειπνεῖν ἑλομένους ἄνευ πόνου, & τ' ἀλλότρια μασσωμένους, id est, *aliena sine labore devorantes*, vocat) φιλιστιάτορες Philoni, a Latinis cœnipetæ, mensarum omnium asseclæ, parasiti, Gnathones appellantur. Germani eosdem schmorotzer/ suppenfrasser/ tällerschäcker/ schmöckenbrätly/ so ein läckerbißle über die gassen riechend/ welche gern gest habend in ander leüten heüser/ & aliis hujusmodi nominibus notant. Proverbiis quoque sive dicteriis quibusdam salsis illos perstringunt, *ut*:

Ungladner gast/ Ist ein last. *Item*, Sich wie ein Landsknecht züschlahen In eines anderen Kochegreyffen/ das schämele mit jm bringen. De hoc hominum genere observatione dignissimum est illud Ecclesiastici verissimum sanè sapientissimumque dictum, quod extat 41. cap: *Qui aliena mensa vivere cogitat, is non moratur honestam victus quærendi rationem, cogitur enim propter alienum cibum peccare. Sed hoc studet cavere vir prudens. Panis emendicatus benè sapit ori impudenti, sed hinc tandem periculosa febri corripietur.* Huic non absimile est illud Augustini Hom. 1. *Quid est aliud loqui dolum, nisi aliud labiis promere, cùm aliud claudatur in pectore. Ad hoc maximè adulatorum exarsit negotium, qui penè semper, ne prohibeantur ab opimis mensis apparatisque conviviis blandiendo non tacent falsum, ne ab his prohibeantur, si amando dixerint verum.* His similia sunt illa Hesiodi:

Ἀλλ' ἐπεὶ οὖν δὴ ἔργα κάκ' ἔμμαθεν οὐκ ἐθελήσει
Ἔργον ἐποίχεσθαι, ἀλλὰ πτώσσων κατὰ δῆμον
Βούλεται αἰτίζων βόσκειν ὃν γαστέρ' ἄναλκον.

Hoc est,

Hic quoniam didicit sceleratè facta patrare
Non vult furtificis manibus perferre laborem
Ostia sed mavult per singula quærere victum
Pascere quò ventrem jejunus possit avarum.

Verùm operæ pretium mihi facturus videor, si de parasitorum nominibus natura atque moribus paulò verbosius dixero, cùm hi conviviorum individui soleant esse comites. Levit. 19. vers. 16. *Non comedas placentas in populo tuo*, ut Chald. paraph. habet. Hoc est, non parasiteris, non agas adulatorem, delatorem, & obtrectatorem, ventris & cibi causa. Nam, ut R. Salomo annotat in hunc locum, videtur moris fuisse, ut qui delectaretur adulatoribus, & delatoribus, conviviis illos exciperet, delicatosque cibos illis apponeret, quò promptiores essent ad calumniandum detrahendumque proximo. Verbum רכיל *Rachil*, (quo hîc Moyses utitur) a רכל *Rachal*, id est, *miscuit*, deductum, significat *susurronem*, *calumniatorem*, *criminatorem* teste Kimchi, *quem aliâs Hebræi* מלשין, *nominant, cujusmodi solent esse parasiti. Habet hoc verbum affinitatem magnam cum verbo* רוכל, *quò & pigmentarius, sive pharmacopola, & negotiator, seu mercator quivis significatur: ille a specierum aromaticarum, quas commiscet, in parandis & conficiendis pharmacis, hic a mercium varietate. Quemadmodum autem & pharmacopola varias miscet species aromaticas, & negotiator ventris lucrique causa huc atque illuc discursando, varias sibi merces comparat, quas postea rursus distrahit: ita etiam parasiti, sycophantæ, & susurrones ultro citroque cursitant, ut habeant quod dicant, & ingerant in aures suorum auscultatorum, atque ita homines quasi commisceant, hoc est, committant inter se, lites, jurgia, & discordias excitantes.* Hæc R. D. Kimchi in lib. Rod.

Pernitiosissimum porrò hoc hominum genus a Græcis duobus generalibus vocabulis est insignitum: appellantur enim παράσιτοι, & κόλακες.

Cur illi qui non invitati se epulis impudenter ingerunt, muscis comparentur.

Beelzebub muscarum princeps.

Myodes.

Achor.

Acaron.

Ἀπόμυιος.

Nomina quibus notantur qui non invitati sese conviviis immiscent.

De parasitorum nominibus, natura atque moribus.

Parasiti nomen olim honestum & sacrum.

Quoad primum, (quod componitur ex παρὰ, id est, *apud*, & σιτίον, *cibus*) Athenæus lib. 6. testatur, illud apud veteres σεμνὸν καὶ ἱερὸν, *grave, honestum atque sacrum* fuisse, ἱερόν δὲ χρῆμα, ἐν τῷ συνθοίνῳ παρόμιον, id quod Polemonis Samii testimonio probat. Prisci ergo Græci eum ita vocabant, cui sacrarum epularum eligendarum cura mandata erat (idem testatur Pollux, cùm inquit: ἐπὶ τῆς τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκλογῆς αἱρούμενος) cujusmodi apud Romanos erat Collegium Epulonum. Id colligi potest ex columna, quæ sita erat in Herculis fano, quod fuit in Cynosarge. In ea enim hæc legebantur, τὰ δὲ ἐπιμήνια θυέτω ὁ ἱερεὺς, μετὰ τῶν παρασίτων· & in Palænide donariis, ἄρχοντες καὶ παράσιτοι ἀνέθεσαν. Locum item, in quem sacrarum frugum primitias reponendas curabant, παρασίτιον est appellatum. Aristot. in Methonensium repub. *Principibus*, inquit, *bini erant Parasiti, ductoribus autem singuli.* Illud quoque annotatum est: eos exigere solitos tum certas a quibusdam aliis portiones, tum a piscatoribus opsonium. Lucianus in libello, quo probat artem esse parasiticam, docet veteres parasitos appellasse δαιτυμόνας, *convivas.* Idemque refert, Patroclum fuisse Achillis Parasitum, & Memnonem Idomænei, quos Homerus vocat θεράποντας, id est, *cultores & ministros.*

Parasition.

Nomen ergo hoc antiquitus honestum, imò sacrum fuit, cùm convivam, tum sacrorum administrum significans. Postea ἄδοξον *ignominiosum & inglorium* fieri cœpit, ut pluribus docet Athenæus lib. 6. Veteres Poëtæ primùm (eodem teste) τοὺς παρασίτους, *parasitos*, vocabant κόλακας, ut multis testimoniis ibidem probat. Pollux Epicharmum primò, deinde Alexim testatur parasiti vocabulum pro adulatore, & guloso homine usurpasse.

κόλαξ unde dicatur. Ψωμοκόλαξ. Ψωμοκόλαφος. Ψωμόλεθρος.

Κόλακα autem, teste Eustathio Ὀδ. ρ. nonnulli dictum volunt ἀπὸ τοῦ κόλου, quod τροφὴν, id est, cibum significat, cujus compositum est ψωμοκόλαξ, & ψωμοκόλαφος δραπέτης. Ψωμοκόλαξ verò apud Philemonem Comicum dicitur, quòd offulas adulabundus carpat, Apud Diphilum ψωμοκόλαφος, quòd offulas abligurriat. Alii ψωμόλεθρον appellant, tanquam offularum perniciem, ein suppenfrässer. Idem Ιλ. Ν. οἱ κόλακες, inquit, dicuntur ὡς σκώληκες τῶν ἐχόντων οὐσίας, id est, *Vermes eorum qui rem possident:* sic ab Anaxila Poëta dicti, teste Athenæo. Unde Plutarchus, *Lingua quidem augendo ignem ab ipso igne consumuntur: divitiæ autem cùm nutriunt adulatores, ab his ipsis perduntur.* Et, ut Phavorinus eleganter dixit, sicut Actæonem nutriti ab ipso canes occiderunt, ita devorantur ab adulatoribus illorum nutritores. κόλακες aliis (ut ibidem tradit Eustathius ex Athenæo) videntur dicti ἀπὸ τῆς κόλλης, sive ἀπὸ τοῦ προσκολλᾶσθαι τῆς ὁμιλίας, de quo vide etiam Cælium lib. 11. cap. 33. Androcides medicus, ut est apud Athenæum, dicebat κολακείαν nomen suum habere ἀπὸ τοῦ προσκολλᾶσθαι τῆς ὁμιλίας, vel (ut aliis videtur) διὰ τὴν εὐχέρειαν, ὅτι πάντας ὑποδύεται, ὡς δή τις ὑποσάλικος νωτογωγῶν, τῷ τῆς ψυχῆς ἤθει, καὶ οὐ βαρυνόμενος οὐδενὶ τῶν αἰσχρῶν, id est, *ob facilitatem, quòd omnibus se accommodat, quasi dorsum animis moribusque supponens, nullamque rem turpem graviter ferens.* Aliis κόλαξ videtur dictus, quasi κόλος, id est, mutilus, ταπεινὸς, καὶ μὴ ὁλόκληρος. Alii volunt deduci ἀπὸ τῆς κόλης, *a ventre*, cujus est mancipium: vel ἀπὸ τοῦ κολάζειν, id est, a *puniendo, cruciando:* sunt enim principium pœnæ atque pestes certissimæ. κόλαξ Suidæ videtur esse ἀπατεὼν, *deceptor*, κολακεία, hoc est, ἀπάτη, *deceptio, fraus.* κόλακες etiam mutatione unius literæ dicuntur, quasi κόρακες, *corvi:* inde tritum illud Diogenis, satius est εἰς κόρακας, ἢ εἰς κόλακας, id est, *in corvos, quàm in adulatores incidere, propterea quòd illi mortuos tantùm, hi vivos quoque devorant*, vel ut Antisthenes dixisse fertur, *quòd illi corpus mortui, hi verò animum viventis lædunt.* Alciatus 4. Parerg. cap. 16. ab ave colace nomen deducit, quam eandem existimat cum Melancorypho, parrhatiolam dici a ciborum appetentia. Μαλακοκόλαξ a Cleanthe dictus, (teste Athenæo) adulator: ab aliis παρασκωνιστής, a nonnullis σχηματοθήκης, propterea quòd in eorum gratiam quibus adulatur ὑποπλάττεται παρασκωνίζων, καὶ σπαργανῶν ἑαυτὸν τοῖς τελωνίοις. Subjungit Athenæus, quod est animadversione dignissimum: *Revera adulator Protei instar videtur esse* παντοδαπὸς οὐ μόνον κατὰ τὴν μορφὴν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τοὺς λόγους. οὕτω ποικιλόφρων τίς ἐστιν, id est, *sic enim non solùm forma atque facie, sed etiam sermonibus sibi est dissimilis, varius & inconstans.*

Μαλακοκόλαξ. παρασκωνιστής.

Alia epitheta græca, quibus adulatorum mores depinguntur.

Multis porrò aliis nominibus atque epithetis adulatores a Græcis eleganter designantur, quibus illorum natura atque mores egregiè exprimuntur. Nam & δειπνολόχοι, & κλεπτοφόροι, id est, *cœnipetæ, cœnarum insidiatores*, (sic δειπνολόχη ab Hesiodo dicitur mulier, quæ præter mariti voluntatem ad aliena convivia se confert,) τραπεζεῖς, ἐπιτραπεζίδιοι, & ab Eupolide οἱ περὶ τάγηνον, καὶ μετ' ἄριστον φίλοι, *ollæ amici, qui non ex animo*, sed cibi ventrisque causa alios colunt. Huc pertinet proverbium, χύτρης φιλία, id est, *ollæ amicitia*, de quo Erasm. in Chiliad.

Eandem ob causam etiam dicti sunt αὐτολήκυθοι, quòd sponte ad lecythum commearent, & invocati præstò essent in conviviis. Dicti sunt etiam, teste Eustat. Ὀδ. 2. τραπεζολοιχοὶ, *mensarum liguritores* Tällerschläcker) κνισολοιχοὶ, sive κνισσαλοιχοὶ, κνισσοφύλακες, Athen. catillones, qui nidore seu pinguedine delectantur. Sic καπνοσφράντης, *fumum olfaciens*, proverbialiter dicitur homo sordidus, ut annotat Eustat. Ιλ. Θ. aut etiam parasitus, qui nidore alienæ culinæ mensæve ducitur. Vide Junium in Adag. Braatenschmöcker) γάστρες, γαστρίμαργοι, γαστροπλῆγες, παντοφάρυγες, ventris mancipia, & gulæ inexhaustæ, ἐνθεσίδουλοι, ψωμόδουλοι, buccearum, sive bolorum offularumque mancipia: τένθαι, a voracitate, sive ciborum cupediarumque aviditate insatiabili, qua laborant.

Τραπεζορήτορες.

Appellati etiam sunt τραπεζορήτορες, a loquacitate futili, & a Cratete Cynico eleganter συγκαταινευσιφάγοι id est, *connivepolones*, sive ad nutum manducones, qui connivendo epulantur, dictisque omnibus ventris causa annuunt. Unde etiam a Plutarcho in symposiacis non minus eleganter, quàm verè τῇ γαστρὶ, τῇ ψυχῇ σύνδειπνοι vocantur. Huc facit illud Menand. πολλοὶ τραπέζης οὐκ ἀληθείας φίλοι, *Multi mensæ non veritatis amici sunt.* Greg. Nazianzenus in Athan. adulatorem eleganter vocat τραπέζης ἀλλοτρίας δοῦλον καὶ μάζης ὤνιον,

ὤνιον, πάντα καὶ ποιεῖν καὶ λέγειν μεμαθηκότα ἐπὶ τῇ γαστρὶ, id eſt, *Alienæ quadræ ſervum, mazaque venalem, ventris gratia quidvis & facere & dicere edoctum.* Inde etiam paraſitus eleganter ἐγγλωττογάστωρ dictus, ut qui lingua ſua nutrit, ſicut ἐγχειρογάστωρ qui manuum labore ſibi victum comparat. Euſtath. Οδ. 132. 346. Ιλ. 216. Iidem ab Eubulo Comico apud Athenæum λοπαδαγχόνοι, ſeu λοπαδάγχαι dicuntur, ceu ſartaginum peſtes, ac pernicies cuncta abligurientes: & ab eodem ἀνόσιοι, λάρυγγες, ἀλλοτρίων κτεάνων παραβλέπτιδες, id eſt, *gulæ exitiales, alienarum opum tubuccinatores*, appellantur. Τηγανοκνισοθήρας, apud Suidam paraſitus vocatur, quòd patellas venetur, & apud eundem pariter, & Athenæum κοιλιοδαίμων, quòd ventris ſtudio felicitatem metiatur, κοιλιόδουλος quòd ventri ſerviat, nec non ὀλβιογάστωρ. Talis etiam λεβητοχάρων vocatur a Cercida Megalopolitano, quòd lebetibus, id eſt, ferculis gaudeat. Item πατελλοχάρων, patellis gaudens. Ab Euſtath. Οδ. Σ. etiam θυρέπαξ (Junio videtur legendum θυρέτραξ quòd alienis foribus inſidietur, alienam quadram ambiens. Videtur & novo vocabulo κοσοτραπεζος apud Suidam paraſitus deſignari, veluti teredo & coſſus menſarum. Hipponax apud Athenæum, Bupaltum hoſtem ſuum μεσηγυδορποχέστην appellavit, tanquam qui voracitatis implacabilis ſtudio ſæpiùs inter cœnandum alvi ſuburram poneret, ut novo onere ventrem ſubinde impleat, voce compoſita a μεσηγὺς, καὶ δόρπος, καὶ χέζειν. Pindarus adulatores ψιθύρους appellavit, hoc eſt, *ſuſurratores*, & illorum dixit eſſe ἄμαχον κακὸν, id eſt, *malum inexpugnabile.*

Dicti ſunt etiam paraſiti γελοιασταὶ, γελωτοποιοὶ à ſtudio captandi riſum, apud Athenæum. Unde Gelaſimus dictus eſt paraſitus ille Plautinus in Sticho, ut ipſemet de ſe his verbis confitetur: *Hoc adeò nomen reperi, quia jam inde a puſillo puero ridiculus fui.* Celtæ, teſte Poſidonio, bella gerentes ſecum ſemper adducebant συμβιωτὰς, quos paraſitos vocant, ſua lingua βάρδους. Hi ſermonibus atque cantu illorum laudes paſſim apud omnes decantabant. κροκοδίζειν (Ariſtophani κροκίδας ἀφαιρεῖν) quoque verbum adulatoribus congruit, quando ſubblandiendo floccos piloſque ex veſtibus legunt (Germ. fäderläſen) quos vocant Græci κροκίδας, item γνάφαλα & θυλάς. Hinc & Theophraſtus in characteribus paraſitos dicit ἀπὸ τοῦ ἱματίου ἀφελεῖν κροκίδα. Similiter κερκωπίζειν verbum eſt adulatorum proprium, Germ. ſchwänzlen / fuchßſchwänzlen translatum a brutis, quæ caudam (quam dicunt κέρκον) moventes, ſubblandiri aſſueverunt, unde ipſi κέρκωπες dicuntur, κροκοδισμός. Heſych. κροκολεγμὸς, *palpatio.*

A Latinis hujuſmodi homines generalibus nominibus appellantur *paraſiti, paraſitaſtri, adulatores, aſſentatores.*

Paraſitum Scaliger in ceparum comœdia *Cœnaturionem* vocat, novo vocabulo. Hinc *paraſitari, ſupparaſitari, paraſitatio, ars paraſitica* apud Plautum. Paraſitus quis.

Adulari Sexto Pompejo videtur compoſitum ex *accedendo*, & *adludendo*. Quid ſi *adulator* ſit dictus, quaſi *adulterator* rerum & verborum? Verùm etymon maximè veriſimile videtur eſſe, quòd ſit a Græcis derivatum, quaſi ἅμα δουλεύειν, *ſimul ſervire*: nam qui aliis adulantur, ſimul iis turpiſſimè ſerviunt. At enim Græcis ſæpe idem quod ἅμα ſive ὁμοῦ in compoſitione, ut in voce ἀδελφὸς, & ἄλοχος cernere licet. Grammaticis etiam nonnullis *adulatio* dicta videtur quaſi *adaulatio*, eò quòd malum hoc in principum aulis potiſſimùm regnat, atque adeò ibi natum videtur, quò etiam alluſiſſe apparet Ovidium, canentem: Adulari quid.

Agmen adulantum media procedit ab aula.

In hac igitur velut arena ſe exercet adulator, Chamæleontem aut Polypum mutabilitate vincens.

Aſſentari eſt quaſi omnibus conſenſum præſtare: ut ille apud Terentium, *Ait, aio. Negat, nego.* Nonnulli tria hæc *aſſentari, adulari, blandiri* ſic volunt differre, quòd *aſſentari* propriè ſit voce, vel laudando, vel aſſentiendo captare. *Adulari* quoquo modo vel voce, vel geſtu favorem quærere, *Blandiri* propriè tactu. Veruntamen hæc ſæpe confunduntur. *Blandus* videtur dictus quaſi *planus*, id eſt, deceptor: hinc *blandiculus, blandicellus, blandidicus, blandiloquus*, quæ ſunt propria adulatorum epitheta. Aſſentari quid. Differentia horum vocabulorum.

Paraſiti etiam *ventris operarii* eleganter a Tertulliano in libro *de Patientia* appellantur: quos Græci γαστρὶ δουλεύοντας, *ventris mancipia*, vocant. Apud Plautum in Captiveis, *ridiculi* (Græcè γελοιασταὶ & γελωτοποιοὶ) appellantur, qui riſum movendo cibum quærunt: nec non *Lacones, imi ſubſellii viri, plagipatidæ, quibus ſunt verba ſine penu & pecunia.* Laconas appellat paraſitos, quia ut pueri Lacedæmonii in ara Dianæ ſe ultrò flagris concidere ſolebant, ſic & paraſiti plagas, & verbera perferre aſſueſcunt. Hinc paraſitus ille apud Terentium in Eunucho; *At ego infelix neque ridiculus eſſe, neque plagas pati poſſum.* Et Juvenal. Satyr. 5. eos qui divitum menſas ſectantur paraſitis comparans, ait: Ventris operarii. Ridiculi. Plagipatidæ. Lacones.

Ille ſapit, qui te ſic utitur, omnia ferre
Si potes, & debes: pulſandum vertice raſo
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis, & tali dignus amico.

Sic Nicolaus poëta: οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐπὶ τράπεζαν ἔσθ' ὁ πλοῦς, *non cuilibet licet ad menſam navigare.* Addit: *Nam hunc habere oportet* πρόσωπον ἰταμὸν, χρῶμα δαμόνιον, γνάθον ἀκάματον (unde *Gnathones* dicti) ἐπιθυμ δυναμένην πληγὰς φέρειν, hoc eſt, *Faciem impudentem, colorem ſtabilem, maxillam indefeſſam, quæ continuò poſſit alapas ſuſtinere.* Hæc vocat στοιχεῖα, id eſt, *elementa*, hujus artis. Qualis omnino apud Homerum Irus fuit, cujus antagoniſtam ſe Ulyſſes ſimulat. Hi etiam a flagris eleganter *flagrones*, ſive, ut in vetuſtis codicibus legitur, *flagriones* vocantur. Paraſiti etiam *ſcorta* vocati: ut apud Plautum in Captiveis Ergaſilus paraſitus loquitur: Paraſiti ſcorta vocati.

 Invcn-

Inventus mihi nomen indidit scorto mihi,
Eò quòd invocatus soleo esse in convivio.
Scio absurdè dictum hoc derisores dicere.
At ego ajo rectè. Nam scortum in convivio
Sibi amator talos quom jacit, invocat.
Est ne invocatum, an non? planissumè.
Verùm herclè, verùm nos parasiti planius.
Quos nunquam neque vocat, neque invocat.

Verùm parasiti etiam aliam ob causam scorta fuerunt appellati, de quo Turnebus in suis Adversar. Item vocantur scurræ: ut Horatius in Epistola 2. ad Lollium:

Scurra.

Si benè te novi, metues liberrime Lolli
Scurrantis speciem præbere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit, atque
Discolor, infido scurræ distabit amicus.

Habes in hac Epistola graphicam descriptionem. Scurram Græci βωμολόχον vocant. Neque verò multum interest inter scurram, & assentatorem: aut si quid interest, tamen hoc in loco scurram pro assentatore accipit. *Scurra*, inquit Isidorus, *qui sectari solet quempiam cibi gratia, a sequendo dictus, unde idem etiam assecla est appellatus.* Verrius similiter *scurras* vult *a sequendo* dictos, quòd ut tenuioris fortunæ homines, & cæteri alioqui, qui honoris gratia prosequerentur quempiam, non antecedere, sed sequi sint soliti. Mihi potiùs *scurra* vel a *discurrendo*, vel quasi *sine cura* videtur appellatus, eò quòd hujusmodi genus hominum securum atque socors esse solet, & huc atque illuc ventris causa modò ad hanc modò ad illam mensam *discurrere*. Hujusmodi fuit Mænius ille, sub cujus persona omnium scurrarum seu parasitorum mores Horat. lib. 1. epistola ad C. Nummænium graphicè sanè his verbis describit:

Mænius ut rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis, urbanus (εὐτράπελος, ut in risu movendo sibi ad divitum mensas aditum compararet) *cœpit haberi,*
Scurra vagus (rectè ergo scurra a discurrendo derivatur) *non qui certum præsepe teneret.*
Impransus non qui civem dignosceret hoste,
Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus,
Pernicies, & tempestas, barathrumque macelli,
Quicquid quæsierat, ventri donabat avaro.

Et paulò pòst, *Quicquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne*
Verterat in fumum, & cinerem, id est, confecerat, consumpserat.

Eorundem mores improbos Megaronides senex apud Plaut. in Trinummo his verbis exprimit:

Nihil est profectò stultius, neque stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturum sciunt.
Idque quod in aurem rex reginæ dixerit,
Sciunt, quod Juno fabulata est cum Jove
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ii sciunt
Falson', an verò laudent, culpent, quem velint
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant, &c.

Sycophantæ.

Nominantur etiam sycophantæ, ut Plaut. Amphit.

Nimis hìc situs est sycophanta
Observatote quàm blandè mulieri palpabitur.

Vernilitus.

Vernilitus quoque à veteribus pro adulatore usurpatur, quòd hæc vivendi ars vernarum propria sit, Cæcil. *Credo nimis tandem hic sit Vernilitus.* Vernæ propriè sunt servi domo nati, quorum quoniam propria est scurrilitas, hoc est, impudens quædam, & stolida dicacitas, hinc *verna* & *vernaculus* accipitur pro scurra, qui improba & servili dicacitate utitur. Mart. Vernaculorum dicta, *sordidum dentem* appellat. Tibullus inquit:

----- *Consuescit amantis*
Improbus in dominæ ludere verna sinu.

Vernas Festus, & Nonius volunt dictos vere ex ancillis, in villis natis, quòd tempus illud maximè naturale fœturæ est.

Plato

Plato in Phœdro κόλακα vocat δεινὸν θηρίον, καὶ βλάβην μεγάλην, id eſt, *feram pernicioſam, & magnam noxam.* Thales ſimiliter orta alicubi de beſtiis diſputatione pronunciavit, *Ferarum peßimam eſſe tyrannum, cicurum adulatorem*, ut eſt apud Plutarchum in convivio.

Unde Demoſthenes interrogatus, *quodnam animalium peßimum morderet*, dixit: *Ferorum quidem calumniator, cicurum autem adulator.* Et certè moleſtiſſimis pernitioſiſſimiſque animalibus comparantur, ut muſcis, de quo ſupra: item canibus ob audaciam, impudentiam, & voracitatem. A Diogene, Plutarcho, Epicteto, Demoſthene, Antiſthene corvis, (unde κόλακες, quaſi κόρακες) ab Anaxila tineis (unde κόρακες quaſi σκώληκες) fuerunt comparati. Corvi ut Plutarchus & Epictetus dixerunt, mortuorum oculos effodiunt atque corrumpunt: at adulatores vivorum animos, & quidem animorum oculos, hoc eſt, rationem atque mentem humanam excæcant atque corrumpunt.

Muſcæ. Canes. Corvi. Tineæ.

Apud Plautum in *Perſâ* eleganter muribus comparantur: quoniam quaſi mures ſemper edunt alienum cibum, neque edacitate eos quiſquam poteſt vincere. Sic in Captiveis; Mures.

Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum.

Unde ἀλλοτριοφάγοι a Græcis dicti: Homerus appellat ἀλλότριον βίοτον ἔδοντες. Terentius in Eunucho:

Viden' otium, & cibus quid faciat alienus?

Loquens de paraſito. Itaque facetè (ut multa alia) Diogenes Cynicus, qui cùm videret mures ad menſam ſuam ſubrepentes: *En ſibi*, inquit, *etiam Diogenes paraſitos alit.*

Plautus porrò eodem in loco paulò poſt paraſitos & cochleis comparat, & canibus his verbis: Cochleis paraſiti comparantur.

---- Quom rus homines eunt,
Ubi prolatæ res ſunt noſtris dentibus:
Quaſi cum caletur, cochleæ in occulto latent
Suo ſibi ſucco vivunt, res ſi non cadit.
Item paraſiti rebus prolatis latent,
In occulto miſeri victitant ſucco ſuo
Dum ruri rurant homines, quos liguriant.
Prolatis rebus paraſiti venenatici (id eſt tenues, macri, & ad cibum quærendum expediti)
Sumus: quando rure redierunt moloſſici (id eſt, pingues, obeſi, proceri, mordaces)
Odioſicique, & multum incommodiſtici.

Apud Plautum, & *Curculio* nomen eſt paraſiti proprium, ſic dictus quaſi *gurgulio*, a verme edaciſſimo frumenti, & alius dictus *Saturio* in Perſa per Antiphraſin a *ſaturitate*, quaſi qui nunquam expleri poſſet. Sic in milite glorioſo *Artatrogus* a devorandis panibus nomen ſortitur. Sic *Peniculus* in Menæchmo, quòd tanquam ſpongia menſam, ita ipſe reliquias omnes ciborum devoret. Atque omnino Plautus paraſitorum edacitatem, mores, facta & dicta ridicula graphicè paſſim in ſuis Comediis deſcripſit. Baſilius ille magnus in Commentariis de gentilium librorum lectione, adulatorem Polypo comparat, cujus verba mollia feriunt interiora ventris. *Nam ut Polypus*, inquit ille, *ad ſpeciem ſubjecti ſoli colorem commutat. Sic etiam aſſentator ad voluptatem audientium variabit ſermonem*: qua de cauſa ab Hieronymo *Blandus* dicitur inimicus. Ab Epicteto lupis comparantur cùm inquit: *Veluti lupus eſt animal cani ſimile: ita & adulator, & adulter, & paraſitus amico ſimilis eſt. Animum igitur advorte, ne canum cuſtodum vice pernitioſos lupos neſcius admittas.* Hûc accommodari poteſt illud Hegionis pueri apud Plautum in Captiveis de Ergaſilo paraſito: *Clades, calamitas intemperieſque modò in noſtram advenit domum, quaſi lupus eſuriens: metui ne in me quoque faceret impetum.* Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. I. dicit ἀγελαιτῶν παρασίτων φῦλα, *immane paraſitorum genus* eſſe, & ob illorum ingluviem μῦας, γάλας, μονομάχας, *muſcas, viverras, gladiatores* appellat, quorum alii ventris voluptate rationem, alii amicitiam, alii vitam ipſam vendunt. Eoſdem vocat θηρία ἀνδρείκελα, hominibus ſimiles, imaginem patris ſui ceu voraciſſimæ belluæ referentes, κολακείαν idem eleganter νόσον φιλίας, hoc eſt *amicitiæ morbum*, vocat, unde non minus ſcite Diogenes dixiſſe fertur, *in adulatione velut ſepulchro ſolum amicitiæ nomen eſſe inſcriptum.* Heliogabalus Imperator paraſitorum licet conſuetudine plurimùm ſit delectatus, ob animi ſui levitatem: tamen eoſdem miſeris ſæpe modis pro ſua ſævitia accepit. *Illis enim hominibus in ſecunda menſa ſæpe ceream, ſæpe ligneam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream etiam, vel lapideam exhibuit; ita ut omnia illis exhiberentur videnda de diverſa materia, quæ ipſe cœnabat, cùm tantùm biberent per ſingula fercula, & manus quaſi comediſſent, lavarent.* Hæc de illo ſcribit Lampridius. Et paulò poſt idem teſtatur, illum paraſitis miſiſſe per cellarios (qui penui aſſervando præerant quos hodie vulgò *Cellarios* vocant) cellaria annua, vaſa cum ranis & ſcorpiis & cum ſerpentibus & hujuſmodi monſtris. Claudebat in ejuſcemodi vaſis infinitum muſcarum numerum, *apes manſuetas* eas appellans. Hujuſmodi forſan donis miſeris illis homuncionibus ſuam naturam, nempe ranarum, ſcorpionum, ſerpentum, muſcarum ſimillimam exprobrare voluit. Exhibuit etiam paraſitis cœnas & de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in menſam mittebat, his edulibus picta quæ apponerentur, quot miſſus eſſet habiturus, ita ut de acu, aut de textili picturæ exhiberentur. Nonnunquam tamen & tabulæ illis pictæ exhibebantur, ita ut quaſi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur. Eoſdem quoque in tricliniis verſatilibus oppreſſit violis, & floribus ſic, ut animam aliqui efflaverint, cùm eripi ad ſummum non poſſent.

Paraſitus Polypo comparatur.

Clem. Alexan. quibus animalibus paraſitos comparet.

Heliogabalus paraſitos miſeris modis accepit.

Definitio artis parasiticæ.

Extat Luciani libellus de arte parasitica, ubi illam definit esse, τέχνην ποτέων, καὶ βρωτέων, καὶ τῶν διὰ ταῦτα λεκτέων, τέλος δ' αὐτῆς τὸ ἡδύ, id est, *Artem ciborum atque potuum, & sermonum, qui horum conquirendorum gratia dicendi sunt, cujus finis est voluptas.* Theophrastus similiter κολακείαν definiens ὁμιλίαν αἰσχρὰν, συμφέρουσαν δὲ τῷ κολακεύοντι, id est, *turpe colloquium, adulatori utile*, item ἀρέσκειαν assentationem ἔντευξιν οὐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ ἡδονῆς παρασκευαστικὴν, id est, *congressum affabilem, non virtutis atque probitatis, sed voluptatis gratia comparatum*, ipsorum adulatorum & assentatorum mores, gestus atque sermones graphicè depingit.

Pollucis epitheta, quibus parasitorum mores exprimuntur.

Sed à Polluce quoque multa epitheta collecta sunt atque congesta, quibus parasitorum natura, mores, gestus, sermones actionesque improbæ egregiè sanè depinguntur.

Nam primò quoniam mira sunt præditi calliditate atque astutia, qua in varias sese formas atque facies vertere, simulare atque dissimulare, & ita homines decipere atque fallere possunt, idcirco πανοῦργοι, γόητες, ἀπατεῶνες, ἀπατητικοὶ, εἴρωνες, hoc est, *callidi, astuti, veteratores, deceptores, præstigiatores, simulatores malitiosi* appellantur, Proteo atque Chamæleonti comparandi. Deinde quoniam blandiloqui sunt, & assentatores perniciosissimi, κόλακες, κολακεύοντες, ὑπερκολακεύοντες, πρὸς χάριν ἐντυγχάνοντες, χαριτιογλωττοῦντες, τωθασαὶ & τωθαστικοὶ, θῶπες, θωπεύοντες, κύνες προσσαίνοντες, *adulatores, ad gratiam loquentes, palpatores, canes adulantes*, vocantur. Præterea eorundem quosvis irridendi, cavillandi convitiandique studium his epithetis egregiè exprimitur, dum vocantur βωμολόχοι, χλευαστικοὶ, χλευασμοῦ γέμοντες, χλεύης μεστοὶ, τωθασαὶ, τωθαστικοὶ, σκωμμάτων συνθέται. Ad hæc & a gula atque ingluvie τραπέζης φίλοι, τενθεύοντες, λιχνοθένθαι, παράσιτοι, ἐπίσιτοι· & a superbia κομψοὶ, & a servili ingenio μόθωνες, θέραπες, θεραπεύοντες· & ab avaritia ἀσύμβολοι· & a dictis turpibus & obscœnis αἰσχρολόγοι, ποιηταὶ αἰσχρῶν ἀσμάτων· & a gestibus obscœnis κορδακίζοντες· & quoniam dictis, factis, gestibus ridiculis se ridiculos præbent, risum omnium captare student, γελοῖοι, καταγέλαστοι, γελώτων sive γελοίων ποιηταὶ, γελωτοποιοὶ, γελοιάζοντες, γελοιασταὶ, μῖμοι nominantur. Denique quoniam hisce commemoratis vitiis atque artibus pernitiosissimis præditi, certissima sunt cùm omnis generis hominum, tum verò atque in primis juventutis (in cujus gratiam se potissimùm insinuare student) pestis atque pernicies, idcirco τῆς νεότητος λυμεῶνες, & λυμαίνοντες τῆς νεότητος, *juventutis corruptores*, ab eodem vocantur.

Verum de parasitis, illorum nominibus, natura, moribus, pernicie qui plura videre cupit, legat Auctorem Polycrat. lib. 3. cap. 7. ubi parasitorum mores suis depingit coloribus, legat item Theophrasti characteres περὶ κολακείας καὶ εἰρωνίας, ubi κολακείαν definit ὁμιλίαν αἰσχρὰν, συμφέρουσαν δὲ κολακεύοντι, id est, *turpem vitæ quotidianæ consuetudinem, sed quæ adulatori conducat.* Eosdem videat περὶ ἀρεσκείας, id est, *de Blanditia*: item Athenæum lib. 6. cap. 6. Cæl. Rhodig. lib. 20. c. 33. Stob. Serm. 64. & 65. Franciscum Patritium lib. 4. tit. 2. de regno & regis institutione. Plutarch. libel. de discrimine amici & adulatoris. Osorium lib. 2. de Regum Institutione & disciplina, ubi parasitos chimæræ, harpyæ atque Sphingi egregiè comparat, & quàm pestiferum sit illud genus hominum regibus atque principibus pluribus demonstrat.

CAPUT V.

DE IIS QUI NON VOCATI, VEL HONESTATIS, VEL ETIAM NECESSITATIS CAUSA AD CONVIVIA ACCEDUNT. DE MENDICIS, DE CANIBUS NONNUNQUAM MENSÆ ADHIBERI SOLITIS.

Licet nonnunquam non vocatum ad epulum accedere.

Nonnunquam tamen non vitio vertitur, si quis ultrò ac sua sponte non invitatus ad convivium accedat. Nam, ut Athenæus lib. 1. inquit, *in civitatibus etiam ἄκλητοι, non invitati sæpe δεξιῶς πέτονται*, hoc est, *dextrè advolant ad epulas.* Idem lib. 4. Homerum dicit docuisse, quos non sit necesse vocari, sed qui sua sponte πρεπόντως, *decenter*, ad convivia accedant. Et unius quidem consanguineorum exemplo universam similium rationem patefacit, cùm inquit:

Αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.

Sponte sua venit vocem bonus hic Menelaus.

Manifestum est enim, quòd neque fratrem, neque filios, aut uxorem advocare oportet: esset enim ψυχρὸν, καὶ ἄφιλον, res absurda, & ab amicitia prorsus aliena. Subjungit deinceps proverbium, cujus Plato in symposiis meminit: εἰς ἄρα καὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν αὐτόματοι ἀγαθοὶ, id est, *Viri boni non vocati ad bonorum convivia accedunt.* Huic simile illud Bachylidis:

Αὐτόματοι δ' ἀγαθῶν δαῖτας εὐόχθοις
Ἐπέρχονται δίκαιοι φῶτες,

Id est: *Ultrò bonorum nam petunt convivia*
Viri boni.

Proverbium: Αὐτόματοι δ' ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν,
Sponte boni accedunt convivia læta bonorum.

Aliud,

Aliud, Αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν,

Sponte boni veniunt timidi ad convivia læta.

Ex his ergo liquet licitum nonnunquam, minimeque a decoro alienum esse, si quis invocatus ad epulas, præsertim bonorum amicorum atque familiarium accedat.

Mendici qui necessitate impellente ad convivia accedunt.

Nonnunquam etiam necessitas cogit homines, ut licet non sint invitati, tamen ultrò ad epulas accedant. Quo in numero sunt mendici, qui ostiatim stipem victumque sibi comparare coguntur, quos Homerus *pandemios* (Landfarer) vocat, Porphyrio interprete, qui tota vagantur urbe, non una contenti domo. Cæl. lib. 14. cap. 4. Dicti etiam sunt ἀγύρται, ἀπὸ τοῦ ἀγείρειν πύρνα, a colligendis panibus, sive buccellis, teste Eustat. in Οδ. ρ. Unde ἀγυρτεύειν idem quod πτωχεύειν, *mendicare*. Item μητραγυρτεῖν τὸ μετὰ τύμπανον, καὶ τινῶν τοιούτων παρεῖναι, καὶ ἐπὶ τῇ μητρὶ ἀγείρειν τροφήν. (Bättlen durch unser lieben Frauwen willen) ὅ ἐστιν ἐπὶ τῇ ῥέᾳ, ὡς δῆλον ἐκ τοῦ Διονύσιος μητραγυρτῶν, καὶ τυμπανιζόμενος, οἰκτρῶς τὸν βίον κατέστρεψεν. Hoc est, μητραγυρτεῖν *est cum tympanis atque aliis hujusmodi adesse, & nomine matris Rheæ cibum cogere, ut constat ex eo, quòd Dionysius stipem cogens, & tympana gestans dicitur miserabiliter vitam egisse.* Sic hodie cæcos, & alios mendicos videmus ostiatim oberrare, tympana gestantes, & pulsantes, & canentes. Eras. in prov. *Mitragyrtes* dici existimat, qui obambulant cum simulatis mysteriis, ac rudibus imponunt. Nam hoc genus hominum & olim fuisse declarat Apuleji Asinus, non dissimiles iis, qui hodie D. Antonii, Cornelii, aut Joannis Baptistæ reliquias ob quæstum circumferunt potiùs, quàm ob pietatem. Horum personam formamque apud Homerum gessit Ulysses atque Minerva, qui procorum mensas obeuntes, victum ab illis supplices petierunt. Melanthius impius Ulyssem πτωχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιον, mendici senis forma atque specie præditum diris convitiis proscindit: illum enim vocat μολοβρὸν, hoc est, ἀγύρτην καὶ μολόντα εἰς τὴν βορὰν, *erroneum, & cibi causa advenientem*, licet alii μολοβρὸν quasi μονοβρὸν, hoc est, μονοφάγον dictum velint. Idem πτωχὸν ἀνιηρὸν, δαιτῶν ἀπολυμαντῆρα, *mendicum molestum, & importunum*, τὰς δαῖτας διὰ λαιμαργίαν λυμαινόμενον, hoc est, *epulas sua voracitate corrumpentem*, sive τὰ τῶν δαιτῶν λύματα, ὅ ἐστι καθάρματα, οἷον ψιχία, καὶ ἔτι τοιοῦτον ἀποφερόμενον, hoc est, *cœnarum sordes, purgamenta, ut micas, & alia hujusmodi aufferentem*: sive τὰ λύματα τῶν δαιτῶν διὰ σπόγγων ἄροντα, ἢ δίκην σπόγγου, id est, *epularum sordes spongia, sive spongiæ instar abstergentem*. Sic Antinous eundem πῆμα, & δαιτὸς ἀνίην, *nocumentum & convivii tristitiam*, appellat. Nam inquit iratus:

Ἀγύρται. Μητραγυρτεῖν. Mithragyrtes qui. Mendicorum personam qui gesserint apud Homerum. Mendicorum epitheta Homerica.

Τίς δαίμων τόδε πῆμα προσήγαγε, δαιτὸς ἀνίην;

Item nominat θαρσαλέον καὶ ἀναιδέα προΐκτην, id est, *audacem & impudentem mendicum*. Nec verò conviviis tantùm, verùm etiam verberibus eum petiit, cujus suæ inhumanitatis justas tandem meritasque pœnas luit. Et Homerus his exemplis docere voluit, mendicos epulis nostris supervenientes non esse repellendos, & inclementer inhumaneque tractandos, sed potius cibi potusque aliquam illis portionem communicandam. Idem multò veriùs, & efficaciùs Christus docuit Luc. 16. Parabola illa mendici, cui Lazaro nomen, & epulonis divitis. Mendicus enim miser & ulcerosus, projectus erat ad vestibulum epulonis, desiderans saturari micis, quæ cadebant e mensa divitis, sed & canes veniebant, & lingebant pedes ejus. Contrà epulo ille purpura byssoque indutus quotidie magnificè splendideque epulabatur, nulla mendici illius tactus misericordia ad illi bene benigneque faciendum. Itaque tandem mendicus ille cùm diem suum objisset, & angelorum manibus in Abrahæ sinum deportatus, æternæque beatitudinis compos factus est: epulo contrà in tartaream plagam æternamque miseriam fuit deturbatus. Hac sive historia, sive parabola Christus inter alia demonstrare voluit, quàm atrox gravisque pœna illos maneat, qui pauperes, inopes atque mendicos negligunt, nec ullam illis benignitatem misericordiamque præstant. Quid ergo dicendum de illis, qui eosdem non modò non benignè atque humaniter, verùm duriter etiam contumeliosèque verbis factisque tractant? Nam & apud Homerum Ulysses mendici habitu inquit:

Humanitas mendicis præstanda. Lazari & epulonis parabola euangelica.

πτωχῶν γε θεοὶ καὶ ἐριννύες εἰσίν. Nota.

Hoc est,

Dii sunt mendicorum vindices.

Quoties ergo mendicos mensis epulisque nostris supervenientes, & oberrantes vel audimus, vel etiam videmus, toties nobis fidelissimæ hujusce Christi admonitionis in mentem veniat, Christumque ipsum clementer nos benigneque pascentem in hisce suis vicariis atque membris vicissim pascere minimè gravemur.

Sed juvat paululum Euangelici illius mendici descriptionem, cum Homericis mendicorum, (quales fuerunt Ulysses, Minerva, Irus) descriptionibus conferre.

Comparatio descriptionis Euangelici mendici cum Homerico.

Primò appellatur πτωχὸς, quod nomen Homero usitatissimum Grammatici derivari volunt ἀπὸ τοῦ πτώσσειν, quod Jonicè idem significat, quod πτήσσειν, id est, *timere, formidare*, quia mendici perpetuo metu atque formidine conflictantur, secundum illud Juven. Satyr. 5. de mendicis,

Et tremere, & sordes farris mordere canini.

Et Satyr. 6. *Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem.*

Unde πτὼξ, id est, *timidus & lepos*, quod animal est timidissimum. Illud volunt differre a vocabulo πένης, quod πένης ἀπὸ τοῦ πένεσθαι propriè dicatur, qui πονῶ, id est, *labore* manuum victum quærit. Hoc discrimen eleganter indicatur apud Aristoph. in Pluto. χρ. οὔκουν δήπου τῆς πενίας πτωχείαν φαμὲν εἶναι ἀδελφήν, & paulò post, πε. πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστι μηδὲν ἔχοντα· τοῦ δὲ πένητος ζῆν φειδόμενον, καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα. Vide ibid. Scoliasten.

ἐπισάται ab Homero vocati mendici.

Mendicos præterea Homerus appellat ἐπισάτας, παρὰ τὸ ἐφίστασθαι teste Eustath. ut ἐπισάτῃ οὐδ' ἅλα δοίης, *mendico ne salem quidem dederis.* Homerus,

Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ προΐκτῃ.

Pudor non est utilis indigenti, vel mendico viro adesse.

προΐκτης.

Προΐκτης Eustathio ὁ προϊκετεύων ὑπὲρ τοῦ λαβεῖν, ἢ ὁ προῖκα ζητῶν λαμβάνειν, παρὰ τὸ προΐκω, προΐξω, hoc est, *qui antè supplicat ut accipiat, vel qui gratis vult accipere.* Unde προῒξ τὸ δῶρον, quodvis munus secundum veteres, postea pro nuptiali munere usurpari cœptum. Hinc προϊκὸν, & καταπροΐξεσθαι τὸ δοῦναι τὶ δωρεὰν, *gratis aliquid dare.*

Ἀλῆται.

Ἀλήτης quoque & ἀλήμων & πανδήμιος, hoc est, *erro* seu *vagabundus*, ab eodem appellatur mendicus, quoniam vaga plerunque est mendicorum vita.

Ἐπαιταί.

Dicuntur præterea a Græcis ἐπαιταὶ, quod est, ἀπὸ τοῦ αἰτεῖν, a *postulando*, unde Latinum *peto*, & inde Germanicum nostrum bätten quod *petere*, & bättlen interposita l. quod propriè *mendicare* significat: sunt enim mendici *petaces.*

Ἀγύρται.

Item ἀγύρτης & μητραγύρτης, de quibus vocibus suprà.

Mendici notatio. Ἀχλώ.

Ἀχλὼ quoque mendicus dicitur: forsan ἀπὸ τοῦ ἀχεῖν, quòd est illorum proprium dolere, ingemiscere & suspirare.

Latinè *mendicus* dicitur vel (ut nonnulli volunt) quòd *mentem* ejus fefellerit fortuna, vel (ut alii) a *medendo*, quia precetur omnes, ut vitæ suæ medeantur cibo. Quid si *a mentiendo*, quia mendici plerunque mendaces, ut experientia quotidiana testatur, vel a *menda*, id est, errore, quia mendici multis & animi & corporis erroribus obnoxii, vel quia alios suis mendaciis in multos sæpe errores impellunt? Isidoro *mendicus* videtur dictus quasi *manu dicens*, propterea quòd mendici olim os claudere, genu atque manus extendere solebant.

Lazarus unde dicatur.

Nomen proprium euangelici illius mendici fuit *Lazarus*, quod Hebræi *Dei adjutorium*, quo mendici maximè indigent, & *atrium Dei*, in quo ille jacuit, interpretantur.

Irus binomius.

Homerus Ithacensem illum mendicum binomium facit: a matre enim illi Arnæi nomen statim a nativitate impositum fuisse, quid si moris fuerit, a matribus potissimùm infantibus nomina imponi? postea a junioribus Irum fuisse appellatum testatur. Is cum Ulysse, qui & ipse mendici formam induerat, certamen infeliciter iniit, secundum illud Hesiodi:

Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Et mendicus mendico invidet, cantorque cantori.

Ulcerosus Lazarus. Mendici quinam tolerandi atque fovendi.

Hic præterea mendicus Euangelicus ἡλκωμένος, *ulcerosus*, cujus ulcera, ut postea sequitur, canes linxerunt. Hîc observa, mendicos plerunque & animo & corpore malè esse affectos, & hi quidem potissimùm ferendi sunt atque fovendi. At mendici validi, & robusti, quique manuum labore facile sibi victum comparare possunt, coërcendi, & ad opera atque labores sunt compellendi, ut leges divinæ atque humanæ præcipiunt.

Priscus mendicorum vestitus qualis. Pera mendicorum.

Mendicorum præterea antiquum habitum, qualis procul dubio Lazari quoque hujus fuit, hîc considera. Is fuit, ut eum Homerus in Ulysse describit, primò πήρη ἀεικὴς, ἀρικελίη, πυκνὰ ῥωγαλέη, hoc est, *pera turpis atque rimosa, quæ humeris imponebatur loro*, quod ἀορτῆρα στροφὸν appellat, alligata, in quam cibos colligere atque recondere solebant, ut etiam hodie fieri consuevit. Hinc proverbia πτωχοῦ πήρα οὐ πίμπλαται, *mendici pera non impletur* (bättler sack ward nie voll) & illi simile, πτωχῶν ὄλαι (Erasmus ὀλάδας, quæ sunt vasa farinaria, putat legendum) ἀεὶ κεναὶ, id est, *mendicorum loculi, sive saculi semper sunt vacui*: cujus utriusque Suidas meminit.

Baculus.

Deinde ῥόπαλον, sive σκῆπτρον, *baculum*, quem manibus tenebant ad iter faciendum. Peram & baculum, & peram aliquando etiam Philosophi, sed inprimis Cynici. Christus discipulis suis, quos ad Euangelium inter Judæos prædicandum miserat, prohibet ne peram & baculum secum gestent ad iter faciendum, Matth. 10. Baculus est quoque paupertatis symbolum in sacris literis, ut cùm Jacobus patriarcha dicit se cum baculo transivisse Jordanem, id est, pauperem & absque comitatu: quo sensu Germani quoque baculum egestatis (bättelstab) pro mendicitate, & misera mendicantium conditione usurpant. Eodem sensu illud Juvenal. accipiendum Satyr. 9. *A tegete & baculo*, id est, mendicatione. Notabis quoque hîc Judæos olim ut pauperes & mendicos solitos fuisse cophinum gestare, quo stipem & reliqua erogata exciperent: unde Martial. lib. 5.

Dum te posse negas nisi lato Gellia clavo
Nubere, nupsisti Gellia cistifero,

Hoc est, Judæo: nam cophinus est corbis sive cistæ genus. Juvenal. Satyr. 6. *cophino fœnoque relicto.* Denique λυγρὰ περὶ χροῒ εἵματα, *miseræ laceræque vestes.* Similem Homericæ descriptionem habes apud Martialem Epigrammatum lib. 4.

Vestes laceræ.

Hunc, quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Pallados, & templi limina, Cosme, novi.
Cum baculo, peraque senem, cui cana putrisque
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.
Cerea quem nudum tegit uxor ab olla grabati,

Cui-

Cuique datis latrat obvia turba cibis.
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa,
Non est hic Cynicus, Cosme, quid ergo? Canis.

Hujusmodi procul dubio Euangelici illius mendici, siquidem revera extitit, habitus & vestitus fuit miser, deformis & lacerus: qui opponitur purpureis atque byssinis epulonis illius vestibus. Præterea, ut Lucas inquit, ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα τοῦ πλουσίου, *projectus erat ad vestibulum divitis.* Hunc fuisse mendicantium locum ex Homero quoque passim colligitur. Sic de Ulysse Ὀδ. ρ.

Sedes priscorum mendicorum.

Ἷζε δ' ἐπὶ μελίνου οὐδοῦ ἔντοσθε θυράων
Κλινάμενος σταθμῷ κυπαρισσίνῳ, &c.

Item, Αὖτις ἔπ' οὐδὸν ἰὼν προικὸς γεύσασθαι Ἀχαιῶν.
Item, Ἂψ δ' ἄρ' ἐπ' οὐδὸν ἰὼν κατ' ἄρ' ἕζετο.
Et Irus ad Ulyssem: Εἶκε γέρον προθύρου, μὴ δὴ τάχα καὶ ποδὸς ἕλκῃ.
Et Ulysses ad Irum, Οὐδὸς δ' ἀμφοτέρους ὅδε χείσεται, οὐδέ τί σε χρὴ
Ἀλλοτρίων φθονέειν.

Et Melanthius ad Eumæum atque Ulyssem, ὃς πολλῇσι φλιῇσι παραστὰς φλίψεται ὤμους αἰτίζων ἀκόλους. Quoniam inquit Eustath. οἱ πτωχοὶ προσερειδόμενοι φλιαῖς καὶ προσκλινόμενοι, ἢ καὶ ἐπ' αὐτῶν βιαίως ἑλκόμενοι θλίβονται τοὺς ὤμους, hoc est, *quia mendici adhærentes atque innixi liminibus, vel etiam vi ad illa pertracti humeris suis atteruntur.* Videtur autem Homerus alludere verbo φλίψεται ad notationem φλιᾶς, quasi dictum sit, ἀπὸ τοῦ τρίβεσθαι, id est, quoniam atteritur. Sedebant ergo in vestibulis atque liminibus & ad januas, unde canes, sues aliaque animalia abigere, & aditu arcere fuisse solitos, ex illis Ulyssis verbis ad Irum a se victum atque prostratum, videtur colligi posse. Nam cùm illum ad januam protraxisset illique sceptrum dedisset, inquit:

Ἐνταυθοῖ νῦν ἧσο κύνας τε σύας τ' ἀπερύκων.
Hinc nunc sede, canes suesque arcens.

Ex suo porrò illo loco consurgere, & ad mensas epulantium accedere solebant, ad cibum stipemque a singulis convivarum porrectis manibus petendum, quo accepto ad locum suum revertebantur. Sic enim Eumæus Telemachi jussu Ulyssi jubet:

Αἰτίζειν μάλα πάντας ἐποιχόμενον μνηστῆρας.
Et paulò post: Βῆ δ' ἴμεν αἰτήσων ἐνδέξια φῶτα ἕκαστον
Πάντοσε χεῖρ' ὀρέγων, ὡσεὶ πτωχὸς πάλαι εἴη.
Οἱ δ' ἐλεαίροντες δίδοσαν, &c.
Et paulò post: Οἱ δ' ἄλλοι πάντες δίδοσαν, πλῆσαν δ' ἄρα πήρην
Σίτου καὶ κρειῶν τάχα δὴ καὶ ἔμελλεν Ὀδυσσεὺς
Αὖθις ἐπ' οὐδὸν ἰὼν προικὸς γεύσασθαι Ἀχαιῶν.

Notabis etiam hîc obiter locum, ubi solent mendicantes sedere stipem petentes, *Proseucham* olim fuisse dictam ἀπὸ τοῦ προσεύχεσθαι Iuvenal. Satyr. 3. *In qua te quæro proseucha.* De hac tamen voce *proseucha*, vide plura apud Turneb. Adverſ. libro primo, cap. 23. Scribit præterea Lucas, Lazarum cupivisse χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου, id est, *saturari micis, quæ de mensa decidebant divitis.* Fames extrema Lazari exprimitur, quæ mendicorum comes perpetua esse solet, quæ illos ad stipem atque alimoniam a quibusvis audacter impudenterque postulandam, seu potiùs flagitandam impellit. Huc faciunt illa Homerica:

Cibus antiquorum mendicorum. Dura Lazari & extrema fames.

Γαστέρα δ' οὔπως ἐστὶν ἀποκρύψαι μεμαυῖαν
Οὐλομένην, ἣ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι δίδωσι.
Τῆς ἕνεκεν καὶ νῆες ἐΰζυγοι ὁπλίζονται
Πόντον ἐπ' ἀτρύγετον, κακὰ δυσμενέεσσι φέρουσαι.
Item: Γαστέρος εἵνεκα λυγρῆς
Οὐλομένης, ἣ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι δίδωσιν.
Item: Ξεῖνός τις δύστηνος ἀλητεύει (inde ἀλῆται, & ἀλήμονες dicuntur) κατὰ δῶμα.
Ἀνέρας αἰτίζων (inde ἐπαῖται dicti) ἀχρημοσύνη γὰρ ἀνώγει.

Venter causa multorum malorum.

Quòd præterea hîc fit mentio ψιχίων, *micarum*, notabis id, quod crebrò apud Homerum occurrit, mendicos panis atque carnium frusta, sive particulas a convivis petere atque colligere fuisse solitos. Hinc illa apud Homerum, αἰτίζων ἀκόλους, hoc est, Eustathio interprete, σμικρολάτους, καὶ ψιχιώδεις ψωμούς, *minimas atque tenuissimas panis particulas*, sic dictas vel ab α & κολούειν, quasi quod magis *frangi* atque *dividi* non possint, vel quòd κόλον quoque cibum significet. Hujusmodi ἄρτων θρύμματα panis particulæ, quarum aliæ majores, aliæ minores, a Græcis quoque πύρνα (unde Homero sæpe πύρνα ἀγείρειν de mendicis, & inde teste Eustathio, ipsi mendici ἀγύρται, quasi ἀγείροντες πύρνα, bucellas colligentes dicti) & ψωμοί, ψώθια, ἀτάρταροι, ἔγκαφοι, βλωμοί, κόλλαφοι appellantur: de quorum nominum notatione vide plura Eustath. in Ὀδ. ρ. 627. בבר לחם Chaldaicè בגהא דלחמא (bigen brot) *bucella panis*, appellatur.

Panis atque carnium frusta. Panis particulæ quomodo a Græcis appellentur.

Micis sub mensam cadentibus saturari. Cananæa mulier. Canum more sub mensa cibum colligentes. Adonibesekus Tyrannus. Franciscus Dindulus quomodo Pont. Max. supplex factus.

Sed observabis præterea, quòd non simpliciter micis panis, sed iis, quæ sub mensam ceciderant saturari cupiebat, quæ quidem in canum usum cedebant. Unde Cananæa illa muliercula Matt. 15. Cùm Christus dixisset, *non bonum*, hoc est, justum & æquum esse, *panem liberorum accipere, & illum canibus projicere*: respondit magno & excelso animo, *Et tamen catuli comedunt micas, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Hinc Athenæus quoque lib. 4. apud Parthos eos, qui ab illorum regibus erant invitati, humi sedentes, quæ a regibus erant objecta κυνιστὶ σιτεῖσθαι canum more rituque comedere fuisse solitos scribit. Simile ferè exemplum habemus in sacris literis Judicum cap. 1. ubi Adonibesekus tyrannus 70. reges manuum pedumque pollicibus mutilatos, (sic Athenienses Aeginensium juventuti pollices absciderunt, teste Val. Max. lib. 9. cap. 2.) cogebat canum more cibum sub mensa colligere. Hîc mihi in mentem venit Francisci Dinduli Veneti Oratoris, missi in Galliam ad Clement. Pontif. Max. ut eum Venetis propter Ferrariam receptam infestiorem placaret. Is multis ab initio frustra tentatis, tandem quo tempore Clemens cœnabat, quadrupes effectus, catenaque ferrea collo pressus, ad Pontificis pedes canum in morem sese prostravit. Quo novo spectaculo Pontifex attonitus illum in gratiam recepit, Venetisque veniam dedit. Unde idem postea Venetûm princeps factus, & *canis* cognominatus fuit. Testis Baptista Egnatius lib. 6. cap. 2. & Sabellicus. Eodem modo Lazarus quoque κυνιστὶ σιτεῖσθαι, hoc est, micis de mensa cadentibus canum instar vesci cupiebat. Et ut hi canes, (quorum hîc fit mentio) Lazari ulcera lingendo, divitum illum canem humanitate longè superarunt: sic Ithacenses quoque illi canes, Ulyssem dominum suum agnoverunt, illique blanditi sunt, cùm contrà à civibus & popularibus suis indignis modis acceptus atque tractatus fuerit. Ex quibus omnibus liquet, canes quoque antiquitus,

Canes mensales, Græcè τραπεζῆες, vocati.

id quod hodie quoque fieri solet, mensis fuisse adhibitos: qui quidem idcirco canes τραπεζῆες, & τραπεζεῖς, & τραπεζῆνες, hoc est, *mensales* a Græcis fuerunt appellati. Suidas τραπεζεῖτας κύων ὁ ὑποκάτω τῆς τραπέζης: τραπεζίτης δὲ, ὁ κολλυβιστής. Ἀργυραμοιβός. Homerus Iliad. χ. Οὓς τρέφον ἐν μεγάροισι τραπεζῆας πυλαωροὺς, id est, θυραωροὺς Eustath. τραπεζῆες κύνες, οἱ καὶ τραπεζεῖς, οὓς ἀγλαΐας ἕνεκεν κομέουσιν ἄνακτες: qui etiam παράσιτοι, οἰκοτραφεῖς appellantur (felices Spartæ catuli, canes Melitæi, gudtschen hündly / tisch hündly) horum periphrasis, οὓς τρέφον ἐν μεγάροισι.

Animalia, quæ præter canes in delitiis olim habita. Canes portarum custodes.

Nec verò canes tantùm, verumetiam alia animalia homines olim elegantiæ gratia alebant. Sic Ptolomæus Phasianum non gustabat: anseres Romanis, pavo Lybiis sacer erat, quem qui læserat, is mutilabatur. Dianæ cervus, & Solis boves Poëtarum fabulis decantantur. Ibis quoque sacra Lybiæ, ut Eustath. loco ante citato docet. Iidem canes appellantur πυλαωροὶ, id est, *portæ custodes*: unde paulò post, κείσονται ἐν προθύροισι Eustath. πρῶται θύραι. Homero αἱ αὔλειοι, ἃς ἔθος ἦν τηρεῖσθαι ὑπὸ τῶν κυνῶν, quas etiam πρόθυρα manifestius dicit.

Αὐτὸν δ' ἂν πυμάτον με κύνες πρώτῃσι θύρῃσι
Ὠμησταὶ ἐρύουσι, &c.

Ιλ. χ. & Οδ. ϱ.
Ἢ αὔτως οἷτε τραπεζῆες κύνες ἀνδρῶν
Γίνοντ' ἀγλαΐης δ' ἕνεκεν κομέουσιν ἄνακτες.

Eustath. τραπεζεὺς δὲ ὁ κύων ὁ μὴ ἐκ τοῦ ἀγρεύειν ζῶν, ἀλλ' ἐκ τῶν περὶ τραπεζῶν, qui non ex venatione, sed ex mensa victitat. Hujusmodi autem canes homines opulenti, elegantiæ & splendoris gratia alere solent, cujusmodi canes etiam Telemachus habebat.

Plutarchus lib. 7. Sympos. Prob. 4. Persarum reges dicit, in mensa sua non solùm servorum, verumetiam canum cœnam proponere fuisse solitos, ut omnes, quorum utebantur opera, quoad fieri poterat, mensæ suæ participes redderent, cùm illis esset persuasum, cibi communicatione ferissima quæque animalia cicurari.

Cur canes antiquitus mensis adhibiti. Canum fidelitas, & amor erga suos dominos.

Canes autem mensis adhiberi non est mirum. Nam (ut Plin. inquit lib. 8. cap. 40.) *fidelissimi ante omnia homini canes & equi.* Et (ut Columel. lib. 7. de Re rustica, cap. 12. eleganter disserit) *quis hominum clariùs, aut tanta vociferatione hostem, vel furem prædicat, quàm iste latratu?* (unde falsò dicit canem custodem mutum dici) *Quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior? quis denique ultor, aut vindex constantior?* Quare meritò Virgil. Geor. lib. 3.

Nec tibi cura canum fuerit postrema, sed unà
Veloces Spartæ catulos, acremque Molossum
Pasce sero pingui, nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, incursusque luporum,
Aut impacatos a tergo horrebis Iberos.

Hujus similia sunt illa Hesiodi:

Καὶ κύνα καρχαρόδοντα κομεῖν, μὴ δὲ φείδεο σίτου.
Μή ποτέ σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται.

Hoc est,

Et alas canem serratis dentibus præditum, nec parcas cibo,
Ne quando vir interdiu quiescens tibi detrahat res.

Eustath. Οδ. ϱ. *Quoniam*, inquit, *canis animal est* φιλάνθρωπον, id est, *hominis amans, inde etiam nomen suum est sortitus* ἀπὸ τοῦ κύειν, ὅ ἐστι φιλεῖν, *est enim animal* φιλητικόν. Hinc ab Horatio catuli *fideles* appellantur, & Cicero lib. 2. de Nat. deor. *Canum tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio*, &c. Lucr. lib. 5.

Et

Et levissima canum fido cum pectore corda:

Theoc. similiter Idyl. λο. hoc animal inprimis ad hominum convictum aptum esse ait, & ἐπίμηθες, id est, *providum*, unde vigiles ab Horatio vulgò *sagaces* dicti. Theocriti verba sunt hæc:

Οἷον τοῦτο θεοὶ ποίησαν ἄνακτες
Θηρίον ἀνθρώποισι μετέμμεναι ὡς ἐπίμηθες.

Idem Idyll. ε. canem eleganter φιλοποίμνιον, & Idyll. sequenti οἰῶν σκοπὸν vocat. Aelianus libro 7. cap. 10. κυνὸς, inquit, εἰς τοὺς τρέφοντας ἄμαχον esse εὔνοιαν, hoc est, *canis erga altores suos firmam constantemque esse benevolentiam:* idque duorum canum exemplo, uno Calvi Rom. socio ejus in bello, & altero quodam, qui sui domini defuncti corpus custodivit, egregiè demonstrat. Idem autor lib. 7. cap. 13. cani cuidam Athenis publice cibum præbitum fuisse docet ob vigilantiam, qua sacrilegum prodidit. Quoniam ergo canum fides, amor atque gratitudo erga dominos suos, a quibus pascuntur, magna consuevit esse, ac major sæpe quàm ipsorum hominum, idcirco mirum non est, illos ad mensam sæpe admitti. In quo etiam observandum venit, veterum hunc morem fuisse, ut peracta cœna panis frusto, sive, ut alii dicunt, adipe manus suas abstergerent, ac id deinde canibus devorandum abjicerent: quod quidem Græci μαγδαλίαν, & ἀπομαγδαλίαν appellarunt, ἀπὸ τοῦ μάσσειν vel μάττειν, id est, *abstergendo.* Lacedæmonii hujusmodi μαγδαλίαν vocabant κυνάδα, eò quòd canibus objiciebatur. Hinc σκύβαλα quasi κυσίβαλα sunt dicta: & natum est proverbium κύων ζῶν ἀπὸ μαγδαλιᾶς, *Canis vivens ex magdalia*, in gulosos & parasitos aliena victitantes quadra. Unde Juvenal. Satyr. 5. sectatores mensæ divitum comparans: Apomagdalia canibus objecta, unde Cynas dicta. Eustathius. Ιλ. ι. 362.

---- *Cùm possis honestius illic* (in loco mendicantium)
Et tremere, & sordes farris mordere canini.

Canis vivens ex magdalia. Proverb.

Id est, Panem sordidum canium, qui canibus objiciebatur: Varro in *Re rustica*, panem hordeaceum canibus dandum putat. μυστίλη quoque Græcè dicitur panis cavus, quo jus sorbetur, quique canibus objicitur. Latini, teste Pompeio, *canicas* quoque hujusmodi panes vocabant, Cæl. lib. 9. cap. 9. Sed de hoc vide multa infrà, in Titulo *de manuum ablutione.* Innuit ipsum hoc etiam Homerus illis versibus:

Ως δ᾽ ὅταν ἀμφὶ ἄνακτα κύνες δαίτηθεν ἰόντα
Σαίνωσ᾽ αἰεὶ γάρ φέρει μειλίγματα θυμοῦ.

Item canibus ossa semper projecta sunt: unde Diogeni cœnantes quidam e populo, ut cani, ossa projiciebant. At ipse propiùs accedens, illos, ut canis, comminxit. Varro lib. 2. cap. 9. *Cibatus canum*, inquit, *propior est hominis, quàm ovis: pascitur enim e culina, & ossibus: nec non ita panis hordeaceus dandus, ut non potiùs eum in lacte des nutritum, quòd eo consuevit cibo uti, a pecore non citò desciscunt.* Canibus ossa projiciuntur.

Verùm hac in re a multis graviter sæpe ac multipliciter peccatur. Sunt enim delicati quidam homines (præsertim mulieres) qui nimium operæ atque sumptus in delicatis quibusdam, ac Melitæis canibus collocant, illos non modò in mensa, verumetiam in lecto secum habent, in sinu quoque gremioque assiduè circumgestant. Atque adeò multi reperiuntur, qui majorem catulorum hujusmodi, quàm suorum liberorum curam gerunt. Cùm apud Romanos idem fieret, Cæsar morem illum graviter reprehendit, quemadmodum Plutarchus testatur in vita Periclis, statim ab initio, his verbis: Ξένους τινὰς ἐν ῥώμῃ πλουσίους, κυνῶν τέκνα, καὶ πιθήκων ἐν τοῖς κόλποις περιφέροντας, καὶ ἀγαπῶντας, ἰδὼν ὁ καῖσαρ ὡς ἔοικεν, ἠρώτησεν εἰ παιδία παρ᾽ αὐτοῖς οὐ τίκτουσιν αἱ γυναῖκες. ἡγεμονικῶς σφόδρα νουθετήσας, τοὺς τὸ φύσει φιλητικὸν ἐν ἡμῖν, καὶ φιλόστοργον εἰς θηρία καταναλίσκοντας, ἀνθρώποις ὀφειλόμενον. Hoc est, *Cæsar cernens divites quosdam peregrinos Romæ circumferre in sinu, & amplecti catulos canum & simiarum, fertur interrogasse, num mulieres non soleant parere apud ipsos liberos. Reprehendens, vel admonens pro officio principis, qui insumunt amandi facultatem, quæ natura nobis inest, & charitatem in bestias, quæ hominibus debebatur.* Quid dicam, quòd multi epulonis istius, de quo Christus loquitur, simillimi, canes vel animi, vel venationis, vel custodiæ causa diligentissimè nutriunt, alunt atque fovent, mensæque suæ participes faciunt, interim Christi membra, hoc est, inopes atque mendicos longissimè a se repellunt, illosque fame, siti atque frigore miserrimè cruciari, tandemque interire patiuntur. Grave certè, atrox & horrendum hoc esse scelus, quis inficiari audebit? Et tamen quis non intelligit, plurimos homines elegantes atque opulentos hodie reperiri inter Christianos, qui sceleri isti atque culpæ sunt affines? Multi etiam canum opera non tam ad domum atque corpus suum custodiendum, & alios usus bonos, quàm ad alios lædendum abutuntur. Canum immoderata cura.

Sed in conviviis solennioribus canes non tam adhibendi, quàm arcendi ac repellendi videntur esse, propter plurima incommoda atque molestias, quas illi pariunt. Nam cùm canis animal sit libidinosum, impudens, (de quo vide Eustath. Οδ. ρ. fol. 633) importunum, audax, vorax, latrabile, idcirco impuro crebroque suo coitu, vomitu, ventris crepitu, latratu, morsu, convivarum oculos, nares, aures cæterosque sensus graviter offendere, plurimumque illis negotii molestiæque concitare solet. Non supervacaneum etiam forsan erit addere hîc quod Plutarchus tradit 5. Sympos. Prob. 10. τοὺς φιλοστρόφους κύνας, id est, *eos qui canibus alendis dant operam*, cùm eos segniores ad coitum vident, salsis cibis salsamentisque carnium languentem eorum venerem excitare solent. Idcirco non sine causa communi nostrate ac pervagato proverbio præcipitur, ut quando ad aliorum convivia accedimus, canem (quem eleganter Eustath. Οδ. β. p. 75. φιλοκόλουθον animal vocat) domi relinquamus, multas nimirum molestias evitandi gratia. A majoribus & lautioribus conviviis canes esse arcendos. Canis domi relinquendus proverb.

Sed simul cùm canis ambigua voce sæpe μεταφορικῶς & in sacris, & in profanis literis pro impuro, & importuno homine accipiatur, præcipitur ut in conviviis non canum instar morosi, importuni, audaces, impudentes

dentes simus, sed potius cogitemus esse modesti, commodi, temperantes, jucundi atque festivi.

Heliogabalus Imperat. Leones, & Leopardos pro canibus ad mensas admisit.

Ut autem canes nonnunquam epulis adhibentur, sicuti dictum est: ita Heliogabalus (teste Lampridio) Leones & Leopardos exarmatos, id est, cicures factos habuit in delitiis, quos edoctos per mansuetarios (hi erant magistri, qui illos feritate sua exuebant) subitò ad secundam, & tertiam mensam jubebat accumbere, ignorantibus cunctis quòd exarmati essent, ad pavorem & risum excitandum. Atque idem canes jecinoribus anserum pavit.

Atque hæc quidem de convivis, qui non invitati conviviis cùm opportunè, tum importunè supervenire solent, iisque partim rationalibus, partim irrationalibus, cujusmodi sunt canes, satis sint dicta.

CAPUT VI.

DE VMBRIS, HOC EST, IIS, QVI NON A CONVIVATORE, SED CONVIVARUM ALIQUO INVITATI AD CONVIVIA ACCEDUNT. DE INVITATI OFFICIO, QUOAD IPSAM INVITATIONEM.

De comitibus convivarum, vel invitatis a convivarum aliquo. Cur umbræ dicti.

Nunc de iis dicendum, qui licet ipsi quoque non sint a convivatore, sive convivii domino invitati: tamen a convivarum aliquo vocati, unà cum illo ad convivium accedere solent.

Hi a Græcis ἐπίκλητοι atque σκιαὶ: a Latinis *comites* (ut ab Apulejo) & *umbræ* eleganter vocantur, propterea quòd vocatos, a quibus ipsi similiter sunt vocati, ut umbra corpus ultrò sequuntur. Horatius Epist. lib. 1. ad Torquatum:

---- Brutum tibi, Septimiumque
Et nisi cœna prior, potiorque puella Sabinum
Detinet, assumam, locus est & pluribus umbris:
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

Sensus est: Licet, si ita vis, plures tecum comites adducere: non enim defuturus est in accubitu locus, sed hoc est metuendum, ne a multitudine convivarum arctè sedentium existat alarum odor gravis, & teter. Brutum itaque, Septimium, & Sabinum umbras Torquati vocat, si veniant non ipsi quidem invitati, sed a Torquato, quem vocarat Horatius, ceu comites adducti: ita Erasmus. Lambinus in hæc ipsa verba dicit, se non assentiri iis, qui legi volunt *Brutam tibi, Septimiamque:* quasi significet Horatius se puellas aliquas in convivio adhibiturum. Nam primùm *Bruta*, & *Septimia* nomina sunt ingenuarum fœminarum. At neque ingenuæ conviviis intererant, nisi cum viris suis, neque scorta nominibus ingenuarum mulierum appellabantur, nisi fortè essent libertæ: sed, ut ferè erant servæ, sic & nominibus servilibus, & plerunque peregrinis afficiebantur. Sic Horat. lib. 2. Sat. 8.

---- Cum Servilio Balatrone
Vibidius: quos Mæcenas adduxerat umbras.

Plutarchi doctrina de umbris conviviorum.

Verùm de his umbris copiosè Plutarchus disputat lib. 7. Sympos. Prob. 6.

Ibi primò umbras definit esse οὐ κεκλημένους αὐτοὺς, ἀλλ' ὑπὸ τῶν κεκλημένων ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἀγομένους, hoc est, *qui non ipsi sunt vocati a convivatore, sed ab iis, qui invitati sunt, ad cœnam adducuntur.*

Umbræ qui. Socrates auctor existimatus moris umbras ad convivia ducendi.

Deinde consuetudinis hujusce quæ sit origo, patefacit. Videbatur ejus auctor esse Socrates, qui Aristodemo persuasit, ut non invitatus secum iret ad Agathonis convivium: & quidem ridiculum quid tum Aristodemo accidit. Nam cùm inter eundum is non sentiret Socratem a tergo relictum, prior ingressus est, planè velut umbra corpus præcedens, lumine a tergo sequente. Posterioribus autem temporibus in excipiendis convivio hospitibus, maximè principibus viris necesse fuit, cùm ignoraretur, quinam eos sequerentur, quosve ii magnifacerent, ipsi hospiti facultatem invitandi quos illi commodum esset, permitti, certo tamen constituto atque definito convivarum numero: ne id ei usu veniat, quod aliquando Philippum regem ruri invitanti accidit. Venit namque rex ad cœnam multis comitantibus, non multis apparatam hominibus. Itaque cùm vidisset hospitem valdè anxium esse, & sollicitum, cùm non satis alimentorum esse videtur, quæ tanti hominum multitudini sufficeret, hujusmodi dolum commentus est. Circummisit qui amicos clam moveret, ut locum placentæ relinquerent, cujus expectatione cùm illi cibis primò appositis parciùs vescerentur, cœna omnibus suffecit. Hujusmodi porrò invitationis exemplum egregium habes apud Ciceronem in Verr. 3. Nam cùm Philodamus Lampsacenus Rubrium in domum suam recepisset, & magnificè & ornatè convivium comparasset, rogat Rubrium, ut, quos ei commodum sit, invitet: locum sibi soli, si videatur, relinquat: ut etiam filium suum lectissimum adolescentem ad propinquum suum quendam mitteret ad cœnam.

Philippus rex umbras ad convivium adduxit.

Rationes quibus consuetudo adducendi non vocatos ad convivia improbatur.

Deinceps Plutarchus de hac umbrarum consuetudine, in utramque partem pluribus disputat sub alienis personis, quarum aliæ illam probant, aliæ improbant.

Ac primùm Cæsarinus rationes quasdam affert, ob quas illa videatur esse improbanda: nimirum quòd hoc pacto convivarum tollatur delectus: quòd videatur esse illiberale, & Gnathonicum non ab ipso convivii domino vocatum ad convivium accedere, quòd conviva hujusmodi μὴ γνήσιος ὢν, μηδὲ αὐτόκλητος,

ἀλλὰ

ἀλλὰ τρόπον τινὰ νόθος, καὶ παρεγγεγραμμένος εἰς τὸ συμπόσιον, hoc eſt, *non genuinus, neque vocatus, ſed ſpurius quodammodo, & qui in convivium irrepſit*, non poſſit illa in conviviis maximè conceſſa jocandi, atque dicteria jactandi libertate ſine calumnia uti. Denique quòd ipſum *umbræ* vocabulum leviculum videatur eſſe atque ſcurrile: periculoſum autem ſit homines turpibus & illiberalibus uti nominibus, quibus fit, ut paulatim etiam rerum turpitudini aſſueſcant. Itaque ſe alios invitantem, umbras quoque iis adhuc conceſſiſſe, cùm ἰσχυρὰ ſit τῆς πόλεως συνήθεια, *valida civitatis conſuetudo*: ſin verò ipſe umbræ loco ſit invitatus, minimè accedere.

Florus contrà ſic invitare neceſſe eſſe dicit, cùm peregrinis hoſpitibus convivium paramus, quia neque abſque amicis illos excipere par eſt, neque facilè ſcitu quibuſcum amicis hoſpes advenerit. Itaque hic invitationi, & convivarum delectui nullum eſſe relictum locum, ſed qui cum iis venerunt, accipiendos eſſe. Aliàs autem qui convivium præbet, amicitius eſſe, ſi ipſe convocet, quos ipſe novit maximè & ſibi & inter ſe amicos, notos atque familiares eſſe. De quo ſuprà pluribus. Deinde ad hanc rem totam facilius & commodius explicandam, perſonarum, quæ in illa ſunt ſpectandæ, diviſione diſtinctioneque utitur, & ſingulis ſuum decorum præſcribit. Nam quemadmodum Peripatetici docent, eſſe quoddam primùm movens, quod ipſum non moveatur, & extremum quod moveatur, neque vim ipſum movendi habeat, & denique intermedium, ac quaſi ſubalternum quod & motum aliis adferat, & ab aliis ipſum quoque moveatur: ita ratio docet, tres eſſe in hac convivandi re, & invitatione: unum qui invitet duntaxat, alterum qui duntaxat invitetur, tertium qui & invitetur & invitet.

Rationes quibus probatur.

Ac quoniam de primo, eo nimirum qui duntaxat invitat, primo loco dixit, deinceps de reliquis, quid ſibi videatur, exponit.

Ac quoad eum, qui ab alio ad convivium vocatur alios eidem invitat, primò vult illi vitandam eſſe multitudinem, ut ne tanquam ex hoſtico commeatum petens, omnes ſuos ad cœnam ſecum rapiat: neque inſtar eorum, qui oppida capiunt, multitudine nimia ſuorum amicorum regis amicos exturbet. Sic namque fieri, ut qui convivium præbet, eadem fortuna utatur, qua ii qui Hecatæ, & diis ἀποτροπαίοις, *averruncatoribus*, cœnas exponunt, de quibus nihil ipſi, aut familia guſtant, fumo interim & moleſtiis vexati.

Officium ejus qui ab aliquo invitatus, alios ſimul invitat, & adducit.

Secundum eſt, ut eorum, quos vult ſecum adducere, habeat delectum, hoc eſt, ut præcipue invitet convivatori amicos, notos atque familiares, vel certè moribus cum illo congruentes, ne illi moleſtiam quandam atque faſtidium pariat. Etenim oportet vocatum non minus convivium præbenti, quàm hunc vocato jucundum eſſe: quod fiet, ſi non modò ſe, ſed etiam quos ſecum adduxit, commodos comeſque præſtet.

Quod ad tertium attinet, qui nimirum ab alio ad alium eſt invitatus, ſi is *umbræ* nomen repudiat, & horret, omninò *umbram*, ut eſt in proverbio, *videbitur timere*. Magna tamen hac in re illi adhibenda eſt cautio. Nam cùm non temerè quemvis ſic vocantem comitari deceat, principiò conſyderandum eſt, a quo voceris. Nam ſi non admodum familiaris ſit, ſed divitum aliquis, & ſatrapicorum, qui veluti in Scena, opus habeat comitatu atque ſatellitio ſplendido, vel exiſtimet ſe magno admodum honore afficere, & præclarè demereri eum, quem ſecum ducere vult, ſtatim eſt recuſandum. Sin amicus invitet, & familiaris, ne tunc quidem facilè eſt aſſentiendum: ſed tum demùm cùm videbitur indigere colloquio aliquo, & communicatione, cujus non facilè alia poſſit inveniri opportunitas: aut ſi longo poſt tempore reverſus, vel diſceſſurus, oſtendat ſe benevolentia ductum, cupere ſocium te cœnæ ſibi habere, & neque multos, neque alienos, ſed vel ſolum te, vel cum paucis amicis adducat. Aut ſi præter hæc omnia id agat, ut vocato cum convivatore probo homine, & amicitia digno hujuſmodi occaſione aliquod conſuetudinis, & amicitiæ principium conciliet.

Umbræ officium.

Secundò conſyderandus quoque eſt is, ad quem vocaris. Nam ſi probus te ad non probum ducere cogitet, nequaquam eſt obſequendum, minimeque committendum, ut tanquam per mel ſumas venenum, hoc eſt, per amicum probum, improbum tibi pravumque amicum compares. Nam mali quantò magis nos apprehendere complectique ſtudent tantò magis illos ſentium inſtar amoliri atque vitare debemus. Deinde abſurdum eſt, & indecorum ad ignotum prorſus, & cum quo nulla tibi vel minima interceſſerit notitia, aut familiaritas, accedere, niſi quis fortè ſit virtute præſtans, qui amoris, & amicitiæ hoc ſtatuat exordium, ſi facilè & candidè cum alio ducente accedes. Atque adeò ad familiares quoque potiſſimùm eos eundum eſt umbræ conditione, quibus permiſſum eſt ad nos quoque adductis umbris venire. Philippo quidem ſcurræ jocularem videbatur magis movere riſum, qui invocatus, quàm qui vocatus ad cœnam veniret. At bonis viris, & amicis, ad bonos & amicos honeſtius eſt & ſuavius, ſi ad non vocantes inexpectati accedant cum aliis amicis. Ita enim ſimul & convivatori lætitiam, & ducentibus honorem pariunt. Sed minimè omnium ad duces, aut divites, aut potentes ire decet non invitatos ab ipſis, ſed ab aliis, ne in impudentiæ, audaciæ, ruſticitatis, aut etiam ambitionis ſuſpicionem incurramus. Hæc Plutarchus præclarè ſanè, meo judicio, ſapienterque de umbris diſſeruit, quando nimirum, & quatenus non a convivatore, ſed ab aliis invitatum liceat ad convivium accedere. Et hæc de iis, qui invocati ad epulas veniunt.

NOTA.

Nunc poſtremò de eorum, qui vocati ſunt, munere & officio, quod ipſam invitationem attinet, eſt dicendum.

Officium invitatorum quodnam.

Illi itaque vel promittunt atque condicunt (quæ duo idem ſunt, Græcis uno verbo ὁμολογεῖν, Germanis zu ſagen comprehenſa) vel recuſant, ſive abnuunt, ut Livius loquitur. Græcis eſt παραιτεῖσθαι, Germanis abſchlahen. Hebræis מאנים לבוא *Meanim labo*, qui recuſant venire, ſicut dicitur de Vaſthi regina Eſth. 1. In utroque ſumma prudensque adhibenda eſt cautio, ut ne temerè vel promittamus, vel recuſemus.

Primò omnium duo hic nobis vitanda extrema: unum eſt, ne nimis facilè crebroque ad quævis improborum, præſertim & intemperantium hominum (quorum conſuetudo periculoſa pernitioſaque eſſe ſolet) con-

Improborum vitanda conſuetudo.

Ambrosii testimonium lib. I. Off. cap. 10. de Vitandis extraneorum epulis.

vivia accedamus, id quod cum multis periculis, damnis atque suspicionibus est conjunctum. De hoc, quoniam suprà in conviviorum usus & abusus explicatione dictum est, nunc Ambrosii tantùm viri gravissimi testimonium adjungam: qui convivia extranea Christianis cavenda potiùs, quàm ineunda putat ob graves justasque rationes, quas affert: *Habet sanè*, inquit, *suos scopulos verecundia, non quos ipsa invehit, sed quos sæpe incurrit. Si intemperantium incidamus consortia, qui sub specie jucunditatis venenum infundunt bonis: hi si aßidui sunt, & maximè in convivio, ludo, ac joco enervant gravitatem illam virilem. Caveamus itaque ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Usus enim citò inflectit naturam. Unde quoque prudenter factis convenire ecclesiasticis, & maximè ministrorum officiis arbitror, declinare extraneorum convivia: vel ut ipsi hospitales sitis peregrinantibus, vel ut ea cautione nullus sit opprobrio locus. Convivia quippe extraneorum occupationes habent, cùm etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt etiam fabulæ frequenter de sæculo, ac voluptatibus, claudere aures non potes, prohibere putatur superbiæ. Surrepunt etiam præter voluntatem pocula, melius est tuæ domui semel excuses neceßitati satisfaciendo, quàm aliena frequentes, & ut ipse sobrius surgas.* Hæc Ambrosius de extraneorum conviviis, quantum fieri potest, vitandis docet. His similia sunt illa Epicteti philosophi præcepta Enchiridio cap. 41. Δείπνους τοὺς ἔξω, καὶ ἰδιωτικοὺς τὸ πολὺ ἀποτάξαι, ἂν δὲ γίνηται καιρὸς φυλάσσου. ἴσθι γὰρ ὅτι ἂν ἕτερος ᾖ μεμολυσμένος, καὶ τὸν ἕτερον ἐμπλησθῆναι ἀνάγκη, ὅταν γυμνοὶ συνδιατρίβωνται, id est, *convivia cum extraneis, & vulgaribus ut plurimùm declina: quod si quando tempus incidat, cave. Scias enim necesse est, qui cum inquinato conversatur, etiam si purus fuerit, etiam ipsum inquinari.* Huc quoque referenda sunt illa D. Gregorii in *Exposition. Moral.* lib. I. cap. 5. *Convivia quia vix carent peccatis, sobriè, & sanctè celebranda videntur*: idque Jobi exemplo docet: *Sed hoc nobis*, inquit, *solerter intuendum, quòd peractis diebus convivii purgatio per singulos adhibetur holocausti.* Vir quippe sanctus noverat, quia celebrari convivia sine culpa vix possent. Nonnulla quippe sunt vitia, quæ conviviis separari vix possunt, aut certè nequaquam possunt. Nam cùm corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Unde scriptum est: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, Exod. 32. Idem lib. 2. ejusdem cap. 10.

Christianorum epulæ pleræque impietatis sunt plenæ.

Nostris his temporibus Christianorum, proh dolor, convivia, ut nihil de extraneis, & barbaris nationibus loquar, ejusmodi sunt, ut verè pio & cordato homini illa similiter secundum D. Ambrosii præceptum, cavenda potiùs atque fugienda, quàm obeunda videantur esse. Nam quid illis quæso, sive dicta, sive facta spectes, intemperantius? quid scurrilius? quid libidinosius? quid impudentius? quid denique furiosius dici, aut fingi potest? Non opus est longa probatione, res est meridiano Sole clarior. Quamobrem mirum profectò non est, si verè pii Christianique homines ejusmodi convivia, ceu pietatis omniumque virtutum scopulos fugiunt, & ab iis maximè abhorrent. Ne dicam, quòd id Solomonis quoque sententia moti faciunt, qui Proverb. 23. cap. ita ait: *Ne edas cibum mali oculo*, id est, *invidi*, *neque desyderes edulia ejus. Nam intus in animo suo mentitur, idque faciens dicit tibi, Ede, & bibe: cor autem ejus non est tecum. Bucellam tuam, quam edisti evomes, & jucunda perdes verba.*

Secundum, ne aliquo rapti affectu amantium nos hominum convivia defugiamus.

Alterum extremum est, ne inhumanitate, morositate, avaritia, superbia, aut aliis pravis adducti affectibus, quævis etiam piorum amicorum atque familiarium hominum honesta convivia refugiamus, nosque invitantium humanitatem negligamus atque aspernemur. An verò, & quatenus etiam cum impiis, & a religione nostra alienis Christi, & Corinthiorum exemplo, nobis nonnunquam convivari liceat, de illo in primo libro est explicatum, in Titulo *de convivii usu & abusu.* Ut autem invitans, quemadmodum dixi, eorum, quos invitare cogitat, debet habere delectum: ita invitatus quoque cùm invitantis ipsius, tum cæterorum quoque, qui unà cum illo sunt invitati, seu invitandi rationem habebit, quò faciliùs quid sibi sit faciendum, dispicere possit.

Licere invitato de reliquis convivis percontari. Chilonis exemplum.

Rectè, inquit Plutarchus in septem sapientum convivio, *Chilon qui unus ex eorum numero fuit, pridie vocatus ad convivium, non prius* ὡμολόγησεν, id est, *promisit se venturum, quàm cognovisset singulos convivas. Dicebat enim* σύμπλουν καὶ σύσκηνον, hoc est, *vectorem, & contubernalem esse ferendum etiam ignotum, quibuscum navigare atque militare esset necesse: at verò in convivio quibuslibet se commiscere, non esse hominis prudentis.* Quamobrem sapientissimi illius viri exemplo, licebit nonnunquam ex vocatoribus percontari, quinam præterea sint adfuturi convivæ: quò faciliùs atque commodiùs, si illi insigniter sint improbi, intemperantes, vel etiam sibi inimici atque infesti, speciosa aliqua honestaque excusatione convivium detrectare possit.

Invitatus magnam humanitatem præ se fert.

Præterea ut convivator, sive ipsemet, sive per alios invitet, summam in verbis, & in gestibus humanitatem adhibere debet: sic invitatus quoque sive promittat, sive recuset, magnam verbis atque gestibus humanitatem benevolentiamque præ se feret, seque convivatori ob tam humanam benevolamque ejus invitationem magnas animo suo gratias habere ostendet, & ad referendum, si qua sese obtulerit occasio, illi sese minimè defuturum indicabit.

In recusatione quomodo quis se gerere debeat.

Adhæc si justis necessariisque de causis convivatoris petitioni tibi satisfacere non licebit, cùm magnas nihilominus illi gratias ages, teque voluntatem hanc illius propensam, invitationemque humanam perinde æstimaturum significabis, ac si conviviale hoc illius beneficium reipsa accepisses, tum diligenti accurataque recusatione uteris, (ut illi in Euangelio Luc. 14. ad servum vocatorem, *Rogo te, habeas me excusatum*) ne ille vel contemptu, vel malevolentia aliqua te petitioni suæ deesse suspicetur.

Si promisisti te venturum, omnino promissis standum.

Cavendum quoque summopere, ne si a quodam primò sis invitatus, atque recusaveris, postea alteri promittas, & ad illum venias, ne prior ille se a te contemptum existimet, atque ita in gravem illius offensionem odiumque incurras.

Denique ut omnibus piis & honestis: sic hoc quoque conviviali promisso tibi omnino standum esse existimes,

mes, nisi gravissima quædam justissimaque causa id impediat: quam etiam convivatori, cùm primùm poteris, significari curabis, quò ille vel operæ, vel impensis tantò magis parcere, vel etiam alios, quos illi lubitum commodumque fuerit, invitare possit. Nam cùm turpe est promissa vel minima non præstare, si id fieri possit, tum convivatori valde molestum est, & odiosum, si cùm ille plurimum operæ, laboris atque sumptus in convivii apparatu insumpserit, postea convivæ illi desint, atque ita operam oleumque (ut vulgò dicitur) perdere cogatur. Id ipsum Christus quoque Luc. 14. & Matth. 22. in illa cœlestis spiritualisque con- Nota.
vivii parabola docuit, ad quod, qui jam antea invitati fuerant, cùm denuò per servum vocati venire recusassent, multis utentes in speciem honestis justisque excusationibus, ipsum convivii dominum, sive patrem familiâs ad gravissimam iram provocarunt. Hi fuerunt nimirum Judæi, qui cùm a Deo multis seculis per Prophetas ceu optimos ἐλεάτρυς, & δειπνοκλήτορας, seu vocatores ad cœleste, & immortale illud convivium, hoc est, ad regnum cælorum fuissent invitati, ac postremò rursus per illius Filium unigenitum, qui humanam servilemque formam induit, summa contentione vocati fuissent, in recusando repudiandoque tanto munere valde se præfractos ac contumaces præbuerunt. Itaque justissima in illos gravissimaque ira divina exarsit, qua non modò multis corporalibus atque horrendis pœnis afflicti sunt, & adhuc affliguntur, verùm etiam æterni beatissimique illius epuli, hoc est, regni cœlorum communione sunt exclusi, & in illorum locum vocati Gentiles, qui quondam pauperes, claudi, cæci, mutili, hoc est, omni virtute religioneque vera vacui, cœlestium sacrarumque rerum cognitione destituti, multis tetris pestiferisque animorum morbis infecti contaminatique fuerunt.

Atque hæc quidem de primo membro eorum, quæ convivia antegrediuntur, hoc est, de invitatione, & cùm de invitantium, tum invitandorum partibus sint dicta.

CAPUT VII.

DE PRAEPARATIONE DVPLICI AD CONVIVIVM, CONVIVATORIS NIMIRVM, ET CONVIVAE. DE CONVIVATORIS, SEU MAGISTRI CONVIVII NOMINIBVS ATQVE MVNERE.

Nunc de convivii apparatu, sive præparatione dicendum. Nam ut rectè sapienterque monet Cicero, *ad* De apparatu
omnem rem præparatio est adhibenda diligens & accurata. convivii.

Est autem convivialis παρασκευὴ, *præparatio*, duplex, ut Plutarchus in convivio septem sapientum monet: Apparatus
una τοῦ ἑστιάτορος, hoc est, *convivatoris*, altera τοῦ δειπνήτορος, hoc est, *convivæ*: duplex.

De utroque dicam, exordio ducto a convivatoris apparatu, qui multum operæ, studii atque diligentiæ 1. Apparatus
requirit: unde non sine causa clarus ille Macedonum victor (teste Livio Decad. 5.) dicere solitus est, *&* convivatoris.
convivium instruere, & ludos parare ejusdem esse, qui vincere bello sciret. Quod si ut natura ita homines paucis essent contenti, non tam laborioso luxuriosoque apparatu esset opus. Nolo etiam hic pluribus disputare subtiliter de invitatione, An convivii apparatus prior existimari debeat, cùm diverso respectu atque tempore Quæstio: Invitatio an apparatus sit prior.
aliud alio prius, aut posterius dici, existimari & esse possit. Quod si convivatoris mentem consiliumque spectes, ille quidem primò omnium convivas sibi in animo suo proponit, illorum & numerum & qualitatem consyderat, ac deinde ad illos alimenta, locum, tempus totum denique convivii apparatum accommodat. Verùm si consilii exequutionem spectes, primò quidem alimentorum, loci, temporis aliarumque rerum, quæ ad convivium requiruntur, cura seu procuratio videtur locum habere, hanc deinde sequitur invitatio. Nam imprudenter contrà hi faciunt, qui invitant homines ad convivium prius, quàm certo exploratoque sciant, alimentorum aliarumque rerum (quæ ad convivas bene legitimeque tractandum sint necessaria) copiam sibi ac facultatem futuram. Et tamen temerè quoque ii faciunt nonnunquam, qui obsonant, & multum operæ sumptusque in convivio adornando collocant ante invitationem, cùm ignorent quinam, & quot sint venturi convivæ: quò fit, ut vanus & irritus sæpe sit omnis illorum labor atque sumptus. Euangelicus ac parabolicus ille convivator, quem Christus inducit Luc. 14. convivium magnum fecisse, & multos ad illud invitasse dicitur: ubi primò convivii apparatio, deinde invitatio ponitur: verùm multa in sacris καθ' ὕστερον πρώτερον dici notissimum est. Sed de his satis.

Nunc prius, quàm de ipso convivii apparatu dicamus, operæ pretium erit de convivatore, seu totius convivialis apparatus procuratore, & administratore quædam dicere.

Sunt autem eorum, qui epulis conviviisve procurandis, regendis & administrandis præsunt varia genera, De convivatore, seu rectore totius convivii.
differentiæ atque nomina. Extat Ecclesiastici cap 32 inter alia præcepta convivialia, quæ in illo capite & præcedente continentur, sententia atque præceptum illustre de convivii domino: quod licet de illo propriè, qui secundum tritam antiquorum consuetudinem (quæ etiamnum hodie nonnunquam obtinet) intelligi debeat, qui ab ipsis convivis sorte, sive voce eligi consueverat, ut totum convivium, ipsosque convivas pro suo arbitrio regeret, & gubernaret: tamen in genere ad quemvis convivatorem, qui alios convivio excipit & tractat, referri potest. Verba Ecclesiastici hæc sunt, ad quorum explicationem Plutarchi, Athenæi, & aliorum scripta accommodabimus: Ἡγούμενόν σε κατέστησαν, μὴ ἐπαίρου, γίνου ἐν αὐτοῖς, ὡς εἷς αὐτῶν. Φρόντισον καὶ οὕτω κάθισον

καὶ εὐδοκιμήσεως, sive (ut alia exemplaria habent) πᾶσαν τὴν χρείαν σου ποιήσας ἀνάπαυε, ἵνα εὐφρανθῇς δι᾽ αὐτούς, καὶ εὐκοσμίας χάριν λάβοις στέφανον, hoc est, *Si convivii dux, sive rector es constitutus, ne te supra alios efferas, sed quasi unum ex illis, hoc est, illis æquabilem te præbeas. Habeto curam eorum, atque ita conside. Et cùm ritè munere tuo omnium approbatione perfunctus fueris, acquiesce: ut læteris eorum causa, ornamentique gratia coronam accipias.*

Hic primò de nominibus, deinde de electione, tum de munere & officio, deinde de accubatione, postremò de præmio, sive corona domini convivii, Ecclesiasticus verba facit, quæ prophanorum scriptis egregiè illustrari poterunt.

Nomina varia eorum qui conviviis præsunt.

Quoad nomen, eum ἡγούμενον, *ducem* sive *præsidem*, scilicet convivii, appellat. Genes. 4. אשר על בית, *qui super domum*, is appellatur, quem Philo τῆς οἰκίας ἐπιμελούμενον, nec non ἐπιμελητὴν & δεσπότην, hoc est, *domus curatorem atque dominum* interpretatur: quo nomine licet propriè perpetuus familiæ atque apparatus convivialis præfectus significetur: tamen ad hunc quoque convivii, qui ad tempus erat constitutus, accommodari potest. Esth. cap. 1. in discriptione convivii Asueri רבבית *rabbeth*, id est, *magister domus* (Gall. *maistre d' hostel*) vocatur, cui rex totius convivii curam procurationémve mandarat. Daniel. 1. מלצר *malzar*, *dispensator*, sive *præpositus domus* appellatur, seu *archimagirus*. R. Selomoh Jarhi vertit *maistre des esquelles*: vide eadem de voce R. Kimhi in lib. *Radicum*. Quidam volunt nomen esse proprium. Joannis 2. cap. in nuptiali illo convivio, quod Christus sua præsentia atque potentia decoravit, ἀρχιτρικλίνου fit mentio, cui Christus aquas illas in vinum conversas afferri jussit, quique illas primus omnium degustavit. Hinc a Nonno Poëta, εἰλαπίνης μεδέων, εἰλαπίνης πρόμαχος, & δαιτὸς ταμίης eleganter appellatur. Syriacè ריש סמכא *risch schemaka*, hoc est, *caput sive princeps accubitus*, dicitur. Erhardus Schiegius, præclaræ eruditionis adolescens, in Hebraica sua Euangelii hujusce versione, vertit id nomine מלצר *Melzar*. Putat etiam verti posse בעל משתה *Baal misthe*, id est, *convivii dominus*. Ἀρχιτρίκλινος de verbo ad verbum dicitur, *triclinii dominus*, sive *princeps*: quem Theod. Beza putat cum eo a nonnullis confundi, qui a Latinis *magister convivii*, a Græcis συμποσιάρχης appellatus fuit, & eum potiùs esse, quem Græci ἐλέατρον vocabant, ἐπιστάτην τῆς ὅλης διακονίας, qui & προγεύστης erat, id est, *prægustator*, & προθέτης, id est, cujus officium erat dapes convivis apponere, ut Athenæus libro quarto testatur. Mihi quidem non incommodè (ut ex Syriaca & Græca Nonni interpretatione patet) pro convivii magistro, sive symposiarcha propriè dicto videtur posse accipi: cujus etiam munus erat vinum prægustare atque præbibere. Nomen ἀρχιτρικλίνου, quod sciam, nusquam alibi reperitur. Videtur autem idem planè fuisse, qui *Triclinarcha* a Romanis (ut & ipsum vocabulum sonat) fuit appellatus. Id nomen in antiqua quadam inscriptione inventum fuit, cujus Lazius in suis Commentariis de *Republica Romana* meminit, quæ sic se habet: *Theoprapen. Aug. lib. Proc. Domini nostri M. Aurelii Severi Alexandri Pii felicis Aug. Provinciæ Achaiæ, & Epiri & Thessaliæ rat. purpurarum proc. ab Ephemeride proc. a mandatis proc. & a præda Gallicana proc. Saltus Domitiani Triclinarcha in præpositum a Fiblis, præpositus a Crystallinis hominem incomparabilem*, &c.

Architriclinus.

Triclinarcha.

Nomina Græca quibus convivii magister, seu moderator exprimitur.

Apud Græcos nomina admodum multa & elegantia sunt, quibus cùm in genere quivis convivator, tum peculiaris ille convivii magister, quem Ecclesiasticus ἡγούμενον appellat, exprimitur. Pollux ὁ μὲν συνιστὰς τὸ συμπόσιον, inquit (hoc est, *qui convivium constituit*, sive *adornat*) ἑστιάτωρ (Suida interprete, ὁ εἰς εὐφροσύνην, καὶ εὐωχίαν καλῶν) ἑστιῶν, ἑστιοῦχος, secundum Aristophanem, ξενίζων, συμποσιάρχης, συμποσίου ἄρχων, ὁ τῆς συνουσίας ἡγεμών (quem Ecclesiasticus ἡγούμενον vocat) appellatur. Nam οἰκοδέγμων, *domo excipiens*, Tragicum est vocabulum. Προκλήτης, eodem Polluce interprete, dicitur ὁ τῆς ἑστιάσεως πρωτοστάτης, *convivii præses*. Ἑστιάμων & ἑστιοπάμμων (nam πάμματα idem quod κτήματα: unde πολυπάμμων) hoc est, *paterfamiliâs*, Æolicè, sive Doricè appellatur. Sic ἑστιάρχος, *domus princeps*, sive *custos* Juppiter appellatur. Δαιτυμόνες similiter, (ut Eustathius annotat Οδ. δ. & χ.) antiquitus dicti sunt οἱ τὴν δαῖτα ἑτοιμάζοντες, sive παρασκευάζοντες, hoc est, *adornantes*, secundum illud Οδ. δ.

Δαιτυμόνες δ᾽ ἐς δώματ᾽ ἴσαν θείου βασιλῆος.

Et paulò post:

Ὡς οἱ μὲν περὶ δεῖπνον ἐνὶ μεγάροισι πένοντο,

Ab Homero etiam οἱ ἁπλῶς δαινύμενοι, secundum Οδ. χ.

- - - - Τίς κ᾽ οἴοιτο μετ᾽ ἀνδράσι δαιτυμόνεσσι.

Δεσπότης.

A posterioribus κλητοὶ φίλοι propriè ea voce fuerunt insigniti, qui etiam δαιταλεῖς, θιασῶται, & δαιτυμόνες appellantur. Δεσπότης quoque in fœm. δεσπότης, δεσπότειρα, δέσποινα, videtur dici quasi δοὺς, sive θὴς πόσιν, quasi θεσπότης, hoc est, qui familiæ suæ cibum potumque præbet. Item ὑποδοχεὺς, qui excipit aliquem convivio, a ὑποδέχεσθαι. Apud Cretenses mulier erat, teste Athenæo lib. 4. προεστηκυῖα τῆς συσσιτίας, sive ut idem loquitur, ἐπιμέλειαν ἔχουσα τοῦ συσσιτίου, hoc est, *sodalitati præposita*, quæ cibos optimos quosque e mensa auferre atque iis, qui vel bellica virtute, vel rerum peritia excellebant, apponere consuevit. Sic apud nos quoque mulieres sæpe viduæ in publicis tribuum ædibus habitare solent, quæ ad publica, & solennia convivia invitant, obsonant, cibis coquendis convivioque adornando sunt intentæ: quam Stubenfrauw vulgò appellamus. Sed tamen singulis annis, vel etiam bienniis tribulium aliquis creatur, cui similiter tota illa conviviorum procuratio & administratio incumbit, quem Stubenmeister / id est, *magistrum stufæ*, sive *hypocausti* vocant.

Nomina

Nomina præterea, quibus ille propriè dictus conviviorum moderator antiquitus fuit a Græcis appellatus, hæc sunt: Συμποσίαρχος, sive συμποσιάρχης, qui (ut Pollux luculenter definit) ἄλλως καλεῖται ὁ ἐν ἰσοτελεῖ τινὶ κοινωνίᾳ κατὰ κλῆρον, ἢ κατὰ δόγμα προαιρεθεὶς τοῦ συμποσίου ἐπιμελητής, hoc est, *aliter sive peculiari modò is dicitur, qui in æquali aliqua convivarum societate, sorte vel suffragio electus, convivii curam gerit.* Idem a Plutarcho ἄρχων, ἐπιστάτης, ποσιάρχων, συμποσίου βασιλεὺς, ἑστιάρχης: ab Athenæo libro 5. ὀνομακλήτωρ, τῶν δείπνων ταξίαρχος: lib. 2. τῶν δείπνων ταμίας (qua voce Nonnus Poeta Euangelicum illum ἀρχιτρίκλινον nominat) nec non γαστρολόγος, & γαστρονόμος appellatur. Eundem Dores apud Siculos, teste Plutarcho lib. Sympos. 1. Problem. 1. μνάμονα vocarunt (quem Plutarchus ἐπιστάθμων interpretatur.) Itaque proverbium illud μισῶ μνάμονα συμπότην, *odi bibendi magistrum*, ad bibendi magistros, sive arbitros referendum putant, qui plerunque ea in re φορτικοὶ, καὶ ἀνάγωγοι, importuni sunt & molesti, & præter modum urgent & instant in conviviis, ad bibendum impellentes, exigentesque præscriptum poculi modum. Solent enim nonnulli (ut Erasmus in suis Adagiis ad hujusce adagii explicationem addit) non admodum avidum bibendi sic effugere, ut interjectis sermonibus, convivas in oblivionem avocent. Deinde si quis fortè memor exigat, mentiuntur jam ebibisse sese. Quoad autem vocabulum ἐπιστάθμου, quo Plutarchus μνάμονα interpretatur, mihi quidem, ut & Erasmo, hîc conviviorum, seu mensurarum præfecti videntur intelligendi. Aliâs vocabulum ἐπιστάθμου, ut Stephanus in suo Lexico annotat, præfectus τῶν σταθμῶν, *mansionum curator*, dicitur. Aliquando juxta Budæum ἐπίσταθμοι appellantur ii, qui super hospitia sunt in comitatu principis, aut legati ducisve exercitus, hodie *Mareschalli* hospitiorum a Germanis, & Gallis dicuntur: quos *designatores mansionarios* Latinè appellare possumus, & *cretarios designatores* a creta, qua utuntur. Apud Isocratem Satrapam intelligit, unde & Suidas huic loco hanc expositionem subjicit: ὃς οὐδὲν ὕστερος ἦν ἢ κατὰ σατραπείαν καρίας κύριος. Mihi cùm hæc scriberem in mentem venit, si forsan apud Plutarchum pro ἐπίσταθμον, ἐπιστάτην esset legendum, quo vocabulo Plutarchus ut paulò ante dictum, pro convivii magistro utitur. Alii eodem teste, adagium illud imperare censent ἀμνηστίαν, oblivionem omnium quæ inter scyphos dicuntur atque aguntur: Θυσιάρχης Hesychio dicitur festivitatum epularumque sacrarum præses. Οἰνόπτας, id est, *vini inspectores*, ab aliis ὀφθαλμοὺς, id est, *oculos*, dictos (quorum Athenæus lib. 11. Pollux lib. 6. cap. 3. meminit) volunt hos ipsos fuisse conviviorum magistros. Τραπεζοποιὸν, ut est apud Athen. lib. 4. vocarunt τὸν τραπεζῶν ἐπιμελητὴν, καὶ τῆς ἄλλης εὐκοσμίας, hoc est, *qui mensam curat, datque operam ut omnia decorè fiant.* ἐλέατρος, ut est ibidem, nunc ἐπιστάτης γέγονε τῆς ὅλης διακονίας. ἦν δὲ ἐπιφανὴς, καὶ ἔντιμος ἡ χρεία. Sic enim Ptolomæum Sotera dicit Alexandri ἐλέατρον fuisse declaratum. Verùm hæc γαστρολόγου & γαστρονόμου vocabula ad ministerium potiùs, quàm ad magisterium videntur referenda. A Latinis appellatur *magister*: Juvenal. Satyr. 3. *Dictata magistri.* Horatius libr. 2. Sermonum, Satyr. 2. scribit,

Symposiarcha. μνάμων. ἐπίσταθμος. οἰνόπται. ὀφθαλμοί. τραπεζοποιός. Ελέατρος. Magister.

Post hoc ludus erat cupa potare magistra.

Id est, nullo bibendi magistro adhibito, quàm ipsa cupa, potare. Sic Germani conviviorum aulæque præfectum Stubenmeister & Hofmeister: Galli *maistre d'hostel*: Scoti *Stuardum* vocant. Unde Marcolinus, Rex Scotiæ, Valterum nobilem, oriundum e Dania, virtutis caussa, quam adversus Saracenos in Syria ostenderat, ad hanc dignitatem evexit. Hinc igitur Stuarda familia, cùm Canicæ esset stirpis, a Saladini Sultani temporibus Scotiæ inserta est a Marcolino Rege. Porrò Rex quoque mensæ, sive conviviorum Græco more dicitur a Macrob. 1. Saturnal. cap. 1. & alibi: ut cap. 5. ejusdem libri: *Nullus*, inquit, *sodalitatem hanc, vel ipsum conventus regem repudiabit.* Sidon. lib. 9. Epist. *Dum rex convivii circa ordinandum moras nectit*, & cæt. Cui aliquo modo respondet Rex ille, quem Germani in festo *trium Regum* creant. Item *cœnæ pater* ab Horatio dicitur Satyr. 8. lib. 2. his verbis:

Rex mensæ. Cænæ pater.

In primis Lucanus aper, leni fuit austro
Captus, ut ajebat cœnæ pater.

In eadem herus, convivator, & parochus idem valent. Ut:

Tum parochi faciem nil sic metuentis, ut acreis
Potores.

Hic *parochum* vocat convivatorem, qui cœnam præbet. Aliâs *parochum* appellant παρὰ τὸ παρέχειν, eum, qui salem, acetum, oleum, ligna, & similia præbet legatis, ut magistratibus: ex quo *parochia*. M. Tull. Epist. ad Atticum lib. 13. Epist. 1. *Omnino eum Sextius noster parochiis publicis occupavit, quod quidem facilè patior. Veruntamen, quod mihi magno beneficio meo magna cum fratribus illius necessitudo est, invito eum per literas, ut apud me diversetur.* In eadem Satyra,

Parochus.

Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversæ nudare solent, celare secundæ.

Convivator.

Id est, quemadmodum Imperatoris ingenium in rebus adversis perspicitur & elucet, in secundis obscurum est: sic & convivatoris prudentiam declarat casus aliquis adversus, qui in convivio intervenerit. *Pater* quoque *domus* ab Horat. 2. Satyr. 6. idem appellatur, qui *cœnæ pater* Satyr. 7. Hinc Catullus Aurelium, qui parcè, & sordidè convivas accipiebat, *patrem esuritionum* salsè appellat: quasi cujus cœnæ potiùs esuritiones, quàm cœnæ sint vocandæ. Cicero *epuli dominum*, & Gellius *convivii dominum* lib. 13. cap. 11. vocat: quamvis Nonius prolatis testibus & citra adjectionem convivii Dominum a priscis vocatum ostendit. *Dominus*, inquit, *appellatur convivii exhibitor: unde & dominia convivia. Hunc Varro modiperatorem vocat* (quasi modum imperantem) *Rerum humanarum* lib. 20. *In conviviis qui sunt instituti putandi* (forsan *potandi*) *modiperatores*

Convivii dominus. Modiperator.

 magi-

Arbiter. Dictator. Strategus.

magistri. Horat. Od. 7. *arbitrum* quoque vocat. Plautus in Persa, *dictatricem* vocat *mulierem.* Et in Sticho *Strategum* vocat his verbis:

Strategum te facio huic convivio.

His adde quod *Thaliarchum* in Horatio aspiratè & anhelatè Turnebus in suis Adversariis scribendum censet, ut nomen proprium sit, in quo insit significatio magistri & domini convivii, qui & *Symposiarchus* vocabatur. Nam *Thalia* convivium etiam Græcis significat. Hæc de nominibus convivii præsidis, & quasi antistitis: nunc de ejusdem dicemus electione, seu creatione.

De electione, seu creatione magistri convivii. Sorte.

Ecclesiasticus inquit: ἡγούμενόν σε κατέστησαν, id est, *ducem te constituerunt*, subintellige, *reliqui convivæ.* Hunc partim suffragio, partim sorte fuisse electum, illa Pollucis συμποσιάρχου descriptio, paulò ante allata, ostendit.

Ac sorte potissimùm hos convivii magistros a convivis antequàm accumberent, vel cœnare inciperent, eligi fuisse solitos, multis testimoniis comprobari potest. Plutarch. in Apophtheg. Agesilaus magnus περὶ πότον ποτὲ λαχὼν συμποσίαρχος, &c. *In Symposio sorte electus symposiarcha.* Ad sortem adhibebantur tali, Od. 4. lib. 1.

Talorum jactu electus Symposiarcha.

Et domus exilis Plutonia, quò simul mearis:
Nec regna vini sortiere talis.

Regna vini.

Regna vini hæc magisteria appellat. Hujus moris multa extant testimonia apud Plautum: ut in Mostellaria, cùm Philomatium meretrix decumbere vellet, statim quærit:

Vide tali ubi sunt? ubi unguenta?

Et in Asinaria Argûs:

Jace pater talos, ut porrò nos jaciamus.
DEM. *Maxime. Te Philænium mihi, atque uxori mortem.*
Hoc Venereum est, pueri plaudite.

Hoc ergo in omni prorsus convivio observabant.

Talorum jactus varii. Veneris jactus.

Sed cùm varii talorum jactus essent, *Venus, Canis, Senio, Chius,* is qui primus e convivis Venerem jecerat, magister erat: Horat. Od. 7. lib. 2.

---- *Quis udo*
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicit bibendi?

De Venere autem, seu talo Venereo sic Marc. Tullius de Divinat. lib. 1. *Quatuor tali jacti casu Venereum efficiunt. Num etiam centum Venereos, si* CCCC. *talos jeceris; casu futuros putas?* Huc pertinet illud Plutarchi de Catone majore in ejus vita, ἐν δὲ τοῖς δείπνοις ἐκληροῦτο περὶ τῶν μερίδων. εἰ δὲ ἀπολάχοι, πρῶτον αἱρεῖν τῶν φίλων κελευόντων, ἔλεγε μὴ καλῶς ἔχειν ἀκούσης τῆς Ἀφροδίτης. Suetonius in Augusto: *Talis enim jactis, ut quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos denarios in medium conferebat: quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.* Casaubonus in illa verba Suetonii, *Inter cœnam lusimus* γεροντικῶς, *Liberaliores*, inquit, *potationes talorum insititiis lusionibus diffindebant: Plautus, Propertius, alii. Ideò inter alia apophoreta dati etiam tali: Martialis & Athenæus. Ait autem lusisse* γεροντικῶς: *hoc est, ut faciunt senes otio redditi.* Verùm de hoc talorum lusu infrà pluribus, quando de ludis convivialibus agemus. Plautus in Curculione Act. 2.

Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herem:
Jacto Basilicum, propino magnum poculum, ille ebibit.

Jactus Venereus cur Basilicus dictus. Magistri dicti sola corollæ impositione.

Hic Justus Lipsius benè meo judicio *Basilicum* Venereum esse censet intelligendum. Cùm enim Græci magistrum vulgò Βασιλέα dicerent. Quid causæ est, quin jactum illum proprium regi creando, *Basilicum* rectè vocarit? Idem auctor interdum sola corollæ impositione magistros dictos fuisse, illo Plauti e Persa testimonio comprobat:

Do hanc tibi florentem florenti, tu sic eris
Dictatrix nobis.

Hoc idem mihi ex illo Horatii videtur posse colligi:

---- *Quis udo*
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto?

Plautus in Cistellaria: *Iacit vulturios quatuor & mox.*
Herculem jacto basilicum.

Turnebus in suis Adversariis: *Quædam erat talorum species, in quibus effigies quædam sculptæ, vel pictæ erant, ut Vulturis, Herculis, & aliarum rerum. Vulturis autem jactus infelix erat, Herculis basilici, id est, regii faustus & felix. Ergo qui eum jecit, vicit.* Herculem autem Basilicum accipio, non qui laboribus erat blandis, aut leonis exuvio esset vestitus, sed qui omnibus laboribus perfunctus, cultu regio esset ornatus. Plutarchus quoque lib. 1. Symmposiῶn Problem. 4. ubi de magistro convivii disputatur: *Statim ab initio disputabant*, inquit, *me* στεφανοφοροῦντα, *corollam gestantem, non debere veterem negligere consuetudinem magistrum creandi.* Hinc Ecclesiasticus quoque noster hic coronæ mentionem facit.

De

De more in Sympofiis fortiendi quempiam, qui convivio præfideret, vide etiam Erafmum in Chil. 1. Cen. 10. Adag. 47. Similis ferè mos hodie in Gallia obtinet in fefto *trium Regum*. Placenta enim (*gaſteu* vocant) in qua eft inclufa faba, in partes aliquot dividitur, quæ fingulis diftribuuntur, ac is cui portio illa obtingit, in qua faba ineft, epuli futuri rex eligitur.

Hæc de conftitutione, five electione magiftri. Nunc de ejusdem munere atque officio dicendum eft. De munere magiftri convivii.

Ecclefiafticus primò ei præcipit, ne fefe efferat fuper alios convivas, fed iis fefe æquabilem gerat, deinde ut eorum curam habeat, fuoque munere diligenter fungatur.

De hoc pluribus difputat Plutarchus loco paulò ante citato. Ac primò quidem ipfum munus hoc, feu officium conviviale eleganter ab illo ἐπιστασία (ut ipfe magifter ἐπιστάτης) περὶ τὸ συμπόσιον νενομισμένη, καὶ διακόσμησις, hoc eft, *legitima convivii moderatio*, & ὀρθὴ συμπόσιος παιδαγωγία, quod idem fignificat, appellatur. Munere illo fungi Græcis eft συμποσιαρχεῖν, & ποσιαρχεῖν. Illius leges, decreta, juffa, præcepta, quibus erat parendum, vulgo νόμοι συμποτικοὶ, *leges conviviales*, nec non προστάγματα, & παραγγέλματα a Plutarcho, a Juvenale *dictata*, ab Horatio *vini regna*, a Cicerone *magiſteria* eleganter appellantur: unde *magiſtram* Plautus *dictatricem* vocat, fic *magiſtrum* rectè *dictatorem* dixeris. Magifterium. Magiftri juffa.

Quoad primum Ecclefiaftici præceptum, ne nimirum dignitate illa elatus infolentiùs fe gerat, fed potiùs cæteris fefe æquabilem præbeat, ei vicinum planè eft illud Plutarchi, illum debere οἰκείως ἔχειν, καὶ φιλικῶς πρὸς ἅπαντας, ὕπουλον δὲ μηδενὶ, μηδὲ ἀπεχθῆ εἶναι, hoc eft, *familiariter, amicè benevoleque erga omnes convivas eſſe affectum, nemini infenſum & inimicum: nam aliàs*, inquit idem, *neque imperando tolerabilis, neque diſtribuendo æqualitatis obſervans, neque colludendo inculpabilis erit.* Huc quoque pertinet illud Epicteti præceptum: Μὴ συγκεράσας ἅμα ὀργὴν πολυτελεία προσενέγκαι. πολυτελεῖα μὲν πληρώσαντα τὸ σῶμα, μετ' οὐ πολὺ οἴχεται, ἡ δὲ ὀργὴ ἐνδῦσα τῇ ψυχῇ ἐπὶ τὸ μήκιστον μένει, σκόπει τοιγαροῦν, ὅπως μὴ ὑπ' ὀργῆς ἐξαχθεὶς, τοὺς δαιτυμόνας πολυτελῶς ὑβρίσῃς, ἀλλὰ μᾶλλον μεθ' ἡμερότητος εὐτελῶς εὐφρανῇς. *Fac ne pretioſas epulas cum ira miſcens aſſumas. Eximiæ enim epulæ poſtquam brevi mora corpus tranſilierint, paulò poſt abeunt. At ira cùm animum ſubierit diutiſſimè immorabitur. Vide igitur ſis ne urgente ira in convivas eximiè injurius, ſed potiùs cum manſuetudine & ſimplicitate illos exhilares.* Item, quòd illum jubet συμποσίῳ πρυτανεύειν εὐσχημοσύνην καὶ ὁμόνοιαν, hoc eft, *convivio ornatum, decorum atque concordiam conciliare.* Ecclefiaftici atque Plutarchi præcepta de magiftro convivii inter fe conferuntur.

Sed operæpretium erit ad Ecclefiaftici illuftrationem alia quoque Plutarchi præcepta de hoc conviviali munere addere.

Primùm ergo, ut Plato vigilum præfectum vult effe vigilantiffimum: fic fympofiarcham quoque vult effe συμποτικώτατον, *compotationibus maximè aptum*, ita ut neque τῷ μεθύειν fit εὐάλωτος, hoc eft, *ebrietate facile obruatur*, neque fit πρὸς τὸ πίνειν ἀπρόθυμος, hoc eft, *ad bibendum impiger & alacer.* Nam & vinofus contumeliofus fuerit, & indecorus, & omnino fobrius injucundus, παιδαγωγεῖν μᾶλλον ἢ ποσιαρχεῖν ἐπιτήδειος, id eft, *moribus, quàm convivio regendo aptior.* Deinde ut Pericles (quoties prætor creatus chlamidem primùm indueret) fecum folebat colloqui, tanquam femetipfum commonefaciens: *Animum adverte Pericles, liberis hominibus imperas, Græcis imperas, Athenienſibus imperas:* ita convivii moderator fecum reputabit, amicis fe præeffe, ut neque permittat eos turpiter agere, neque voluptatibus omnino prohibeat. Itaque oportet eum cùm feriis bibentium ftudiis effe accommodatum, tum a jocis eorundem haud alienum, fed ad utraque probè temperatum: fic tamen ut boni inftar vini nonnihil ad aufteritatem ingenio fit propenfiore: ita enim vino emollietur, & ad mediocritatem redigetur. Atque ut Xenophon ait, lib. 2. de Expeditione Cyri, Clearchum hominem alioqui aufterum & agreftem, in præliis ob audaciam jucundum hilaremque fuiffe vifum: ita qui natura non eft πικρὸς, ἀλλὰ σεμνὸς καὶ αὐστηρὸς, ἐν τῷ πίνειν ἀνιεμένος, ἡδίων γίνεται καὶ προσφιλέστερος, hoc eft, *non moroſus, ſed gravis, auſterus, ille inter potandum miteſcens, jucundior ſit & amicior.* Hæc Plutarchus de magiftri natura atque moribus, quales illi effe debeant. Subjungit idem duo præcepta, quomodo is fe & in compotationibus, & in colloquiis convivarum (quæ duo fuerunt potiffima illius muneris membra) gerere debeat.

Nam primò quidem folebant magiftri illi conviviales, convivis bibendi modum præfcribere, legesque ferre, quas Horatius *inſanas* vocat, propterea quòd plerunque convivis omnibus æquales calices ebibendos dabant. Nam lib. 2. Satyr. 6. fcribit: Leges infanæ. In propinationibus quomodo fe gerere debeat.

Siccat inæqualeis calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis.

Hoc eft, bibit quifque quantum libet, five multum five parum. Nemo cogitur a bibendi magiftro calices æquales exhaurire, fed fuo quifque arbitratu bibit: nemo neceffe habet ex magiftri præfcripto bibere. De quo & prius dictum, cùm citatus effet hic ejufdem verfus;

Poſt hoc ludus erat cupa potare magiſtra.

Ad illam porrò modiperatoris fuam cuique vini portionem, quam hauriret, definiendi & præfcribendi confuetudinem, videntur referendæ illæ calicis metaphoræ in facris literis, quibus cùm bona, tum mala, quæ Deus cuique certò dimenfus eft atque conftituit, fignificantur. De hac autem modiperatorum confuetudine antiqua (de qua alio in loco copiofiùs) hæc extant Plutarchi præcepta. NOTA.

Debet is quàm maximè peritus effe, quam unicuique convivarum mutationem vinum afferat, & ad quod affectionis genus fit proclivior: ac quomodo merum ferat. Non enim vini quidem eft alius alia ad aquam contemperatio, quàm pincernæ regii habentes cognitam, aliàs plus aliàs minus fuffundunt aquæ: homo autem ad

 vinum

vinum non habet suum temperamentum. Sed & est, & magistro convivii cognitum esse debet, ab eoque observari, ut musici in morem aliorum animos potando contentiores, aliorum abstinendo remissiores reddens, diversitate æquabilitatem atque consonantiam efficiat. Non ergo κοτύλῃ καὶ κυάθοις, ἀλλὰ καιρῷ τινι μέτρῳ, καὶ σώματος δυνάμει, τὸ οἰκεῖον, καὶ πρόσφορον ἀπονέμηται, hoc est, *non hemina & acetabulis æqualitas æstimetur* (secundùm *leges insanas*, quas Horatius vocat) *sed modo quodam opportunitatis, & vi corporis sua cuique portio tribuatur.* Quod si hoc difficile est, ad minimum cognoscet, qui faciliùs, qui minus facilè inebrientur (sic enim senes faciliùs quàm juvenes, qui subinde moventur, quàm quiescentes, insomniis & curis vexati, quàm qui

Suum cuique dimensum quomodo tribuendum.

animo quieto sunt & hilari) quò faciliùs justum cuique vinum dimensum tribuere possit. Sic Deus quoque (ut ad illam tritam in sacris literis metaphoram redeam) ceu optimus magister atque modiperator, cum singulorum hominum naturas affectionesque optimè cognitas exploratasque habeat, optime singulis suum vel furoris, vel amoris justum convenientemque calicem temperare atque assignare consuevit. Hæc Plutarchus de magistri officio circa potum.

De magistri munere circa colloquia.

Jam verò, quoad sermones, jocos atque colloquia convivialia, quomodo illa quoque moderari magister debeat, egregiè præcipit. Primò ergo dabit operam, ut ii duntaxat sermones, spectacula atque ludicra in convivio adhibeantur, quorum usus ad convivii finem scopumque quàm proximè accedat. Is autem est, amicitiæ vel confirmationem, vel initium cum voluptate quadam inter convivas efficere. Ac quoniam ἄκρατον, hoc est, *simplex*, ac nulla alia re permixtum, omnibus in rebus fastidio est finitimum ac noxium, ipsa autem mixtio nisi debito tempore modoque adhibeatur, omnia turbat: idcirco convivii dominus sedulò dabit operam, ut seria jocis temperet, & ut jocantes serium quid sectentur, & seria agentes veluti e nausea reficiantur, & recreentur. Et quod vulgò dici solet, jucundissimam esse navigationem propè terram, & deambulationem juxta mare, id huc transferet, & seria jocis temperabit. Iocos præterea lususque futiles, & inanes, nihil serii habentes, vel etiam cum alterius contumelia conjunctos, prohibebit. Et ut rex Assyriorum præconis voce præmium ei pollicitus est, qui novam aliquam voluptatem excogitasset: ita rex convivii meritò honorem præmiumque ei deferet, qui παιδιὰν ἀνύβριστον, hoc est, *jocum contumelia carentem*, & oblectationem utilem, risumque non Momi atque contumeliæ, sed gratiæ, & comitatis socium in convivium intulerit. Denique illius προστάγματα, *dictata*, sive *mandata*, debent spectare ad voluptatem, & utilitatem, eaque imperare, quæ jusso sunt familiaria, & ab eo præstari possunt. Sic enim exempli gratia, musicos jubebit canere, oratores dicere, philosophos quæstionem aliquam obscuram solvere, Poëtas carmina recitare, &c. Facilè enim quisque, libenterque ad eam rem se duci patitur, in qua novit se excellere. Hæc Plutarchus de convivialis domini munere, Ecclesiastici præceptis brevissimis admodum consentanea disseruit. Atque (ut Tacitus scribit) Rex con-

Muneris convivialis descriptio ex Tacito.

vivii, regnum lusu sortitus, imperabat huic ut biberet, illi ut vinum misceret, alii ut abiret, alteri rursus, ut in Epicteto commemorat Arrianus, Saturnalium licentiæ eum morem tribuens, ut etiam Tacitus in Nerone: qui mos in Regalibus hodie observatur. Aristot. 2. Polit. legem circa ebrietatem esse dicit, τὸ τοὺς νήφοντας

Symposiarcha maximè debet esse sobrius.

συμποσιαρχεῖν, hoc est, *sobrios debere symposiarchos agere.* Unde Theophylactus in 2. Joannis: Christus, inquit, τῷ ἀρχιτρικλίνῳ ἐπιτρέπει τὴν γεῦσιν νήφοντι, καὶ γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοις οἱ τήνδε τὴν διακονίαν ἐμπεπιστευμένοι μάλιστα νήφουσι, ἵνα ἐν τάξει, καὶ εὐκοσμίᾳ τὰ πάντα διακελεύσματι αὐτῶν γίνωνται, hoc est, *Architriclino permittit degustationem vini sobrio. Nam in hujusmodi festivitatibus quibus ejusmodi munus est commissum, sobrietati maximè student, quo illorum jussu atque mandato omnia ordinate atque decenter agantur.* Et tamen hodie Germani vulgò cantillant in suis symposiis:

> Dert Wirt ist der aller beste /
> Dann er ist völler dann die geste.

Varronis sententia de magistro convivii.
Pollux epithetis egregiè describit, qualem deceat esse convivii præfectum.
Convivator scitus.

Gell. lib. 13. cap. 11. ex Varrone, *convivii dominum*, inquit, *esse oportet non tam lautum, quàm sine sordibus.* His addamus Pollucis epitheta, quibus elegantis splendidique convivatoris mores ingeniumque optimè depinxit. Ea sunt, λαμπρός, μεγαλοπρεπής, εὔξενος, φιλόξενος, δημοτικός, εὐτράπεζος, καθαρειότητι χαίρων, διηκριβωμένος, εὐδίαιτος, μεγαλόφρων, φιλοφροσύνης γέμων, εὐάρμοστος, φιλοπροσήγορος, πανηγυρικὸς τὸ ἦθος, ἁβρόβιος, ἁβροδίαιτος, hoc est, *splendidus, magnificus, hospitalis, hospitum amans popularis, lauté mensa excipiens, munditia gaudens, accuratus, bonæ diætæ, magnanimus, comitatis plenus, commodus, affabilis, popularis moribus, lauti delicatique cibi atque vitæ.* His adde, quòd *scitum convivatorem* Livius appellat elegantem & nitidum in conviviali apparatu: apud quem sic loquitur Titus Flaminius: *Est autem res simillima cœnæ Chalcidensis hospitis mei, & boni sciti convivatoris.* Huic contrarii sunt, τρυγόβιοι, κακόβιοι, μικροπρεπεῖς, ἀνελεύθεροι, hoc est, *duri sordidique victus, nimis parci, illiberales, &c.*

Quartum cujus Ecclesiasticus meminit, est, quòd illum, postquam munere suo perfunctus fuerit, sedere & requiescere, sive recumbere jubet. Ex quo videtur posse colligi, illum non solitum fuisse ab initio unà cum reliquis convivis accumbere, sed stantem, & huc atque illuc cursitantem dedisse operam, ut omnia ritè ordi-

Convivii magister convivas collocare fuit solitus.

neque peragerentur. Hic quoque notabis, illum convivas collocasse, ac unumquemque nomine suo appellando, singulis locum suum assignasse: unde etiam ὀνομακλήτωρ dictus est: verùm de hoc alio loco uberiùs. Sic hodie quoque is, qui in nobilium atque principum conviviis nuptialibus creari solet, convivii dominus, sive magister (quem Germani Hofmeister appellant) idem facere solet.

Corona convivii magistro imponi solita.

Postremò mentionem facit coronæ, ceu præmii, in quo similiter respicit ad antiquam consuetudinem conviviorum, in quibus convivæ coronas ex floribus confectas, capiti impositas gestabant, inprimisque is, qui symposio præfectus erat. Et huc facit, quod suprà quoque dictum est, coronæ impositione olim convivii dominum

minum creari fuiſſe ſolitum, ita ut corolla eſſet illius inſigne. Hujuſce conſuetudinis antiquæ veſtigia quædam hodie cernere licet apud Germanos & alios populos, in quorum nonnullis conviviis, præſertim viciſſitudinariis, convivator coronæ impoſitione creari atque inſigniri conſuevit.

Hæc in genere de convivatore, cujus quæ ſint partes, magis adhuc ex ſingulorum, quæ ad convivia pertinent, explicatione patebit.

CAPUT VIII.

DE ALIMENTORVM NOMINIBVS ATQVE GENERIBVS VARIIS.

His præmiſſis nunc de ipſo convivii apparatu dicemus, quem Varro apud Gellium dicit debere eſſe non neglectum, & in his quinque potiſſimùm videtur conſiſtere: nimirum in alimentis, loco, tempore, ſuppellectili & miniſterio, de quibus ex ordine agemus.

Convivii apparatus in quinque conſiſtit.

Primò itaque omnium convivatori alimentorum cura eſt ſuſcipienda, & ea quidem duplex: primò ut illa emat, aut quocunque alio modo ſibi comparet, deinde ut illa præparentur atque coquantur.

Convivatori primo alimenta comparanda.

Alimenta autem, ut illa hoc in loco accipimus, ſunt duplicia: alia eſculenta, alia poculenta.

Alimenta ſunt duplicia.

Eſculenta, ſive cibi ab Hebræis his ferè nominibus appellantur. Primò לחם *Lacham* propriè quidem *panem* ſignificat, ſed creberrimè in ſacris literis ſynecdochicῶs pro quovis cibo uſurpatur, propterea quòd panis cibus eſt præcipuus, maximè communis, parabilis ac neceſſarius, a לחם Lacham, quod *comedere* & *conſumere* ſignificat: ſive (ut alii volunt) propriè *cadere*, *incidere*, *concidere*, unde etiam *Milchama*, id eſt, *bellum*, dictum. Gen. 43. *Non potuerunt Ægyptii cum Hebræis comedere panem*, id eſt, cum iis cibum capere: φαγεῖν ἄρτον Luc. 24. cibum capeſſere, ut plura exempla paſſim extant. Sic מים *Maim*, id eſt, *aqua* (quæ ſæpe panis nomini additur) pro quolibet potu ponitur. Ut 2. Regum 6. *Pono panem & aquam coram eis, ut comedant*, id eſt, cibum & potum. Nam mox ſequitur: *Fecit eis convivium, aut prandium magnum*: unde colligitur, regem illos, Prophetæ juſſu, cibo potuque magnificè excepiſſe. Sunt hæc duo, panis nempe & aqua & maxime neceſſaria, & αὐταρκέσατα hominum alimenta ſecundum illud Menandri:

Eſculentorum, ſive ciborum nomina Hebræa.

Panis & aqua pro quovis cibo atque potu accipitur.

> Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνων
> Δήμητρος ἀκτῆς, πώματός θ' ὑδρηχόου
> Ἅπερ πάρεστι, καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν.

Id eſt: *Nam quid eſt, quod deſiderent homines, præter duo ſolum, nempe Cereris fruges, & aquæ potionem. Quæ in promptu ſunt, & nutrire nos poſſunt.* Aliquando etiam vox *panis* adhuc generaliùs res quasvis ad vitam hanc ſuſtentandam neceſſarias ſignificat. Ut cùm in precatione Dominica petimus a Deo panem quotidianum, hoc eſt, res omnes vitæ quotidianæ neceſſarias, vel ad victum cultumque corporis pertinentes. Germani quoque *panis* vocabulum a *paſcendo* dictum, teſte Nonio Marcello, brot (quod forſan a Græco βρῶσις, ſive βρῶμα derivatur) pro quibusvis vitæ neceſſariis uſurpant: ut cùm dicunt: **Einem das brot vor dem maul abſchneyden.** Idem: **Er kan ſein brot wol erwerben / oder gewünnen.**

אכל *Ochal*, Gen. 41. 42. ſive אוכיל *Ochil*, Oſeæ 11. ſive אכילה *Achilah*, 1. Regum 19. מאכל *Maachal*, Gen. 2. מאכלת *Maacholeth*, Iſaiæ 9. *eſcam* ſive *cibum* ſignificat, ab אכל, quod *abſumere*, ſive *conſumere* ſignificat (hinc, *fruges conſumere nati*) unde etiam מאכלת, *culter*, *enſis*, ab edendo, & quo aliquid abſumitur. Jud. 19. סעודה *Seudah* quoque Heb. idem quod paſtus, (Gallis *repas*, Græcis εὐωχία) a סעד *Saad*, quod propriè *fulcire*, per Metaphoram ſæpe *ſumere cibum* ſignificat. Ut Jud. 19. *Fulci cor tuum buccella panis.* Pſal. 104. *Et panis cor hominis fulciet.* Inde *panis & aquæ baculus*, ponitur pro quavis neceſſaria cibi potusque copia, propterea quòd victus perinde hominem fulcit atque ſcipio, ſive baculus. Hinc Virg. *Tum victu revocant vires*: & Livius ſæpe, *Cibo corpora refecta.* Unde *frangere baculum panis* (Levit. 26. Ezech. 5. 14. Pſal. 105. Eſaiæ 14.) id eſt, efficere, ut panis ſive cibus non habeat vim homines alendi, ſeu nutriendi. ארוחה *Aruchah* quoque (de qua voce ſuprà quoque dictum) cùm cibaria in genere, tum ſpeciatim diaria, viaticum, ſive dimenſum unius diei cibum ſignificat. Jerem. ultimo. *Et cibaria ejus cibaria perpetua tradantur ei*, a rege Babylonis ſtatuta per ſingulos dies. Proverb. 15. *Melior eſt cibus, ſive victus oleris* (*cœna terreſtris* a Latinis dicitur) *quàm vitulus ſaginatus cum odio.* שבר *Schabar* ſimiliter *eſcam* ſignificat: quaſi diceret, fractionem, ſive diſtributionem annonæ. Et fortaſſis frumentum ipſum, ſeu quævis alia annona ſic vocatur, quod famem frangat atque conterat, ut teſtatur R. David Kimchi in lib. Rad. ex eo quod dicitur Pſal. 104. ישברו *Iſchberu*, *conterent onagri ſitim ſuam.* Unde illud Geneſ. 42. שבר רעבון בתיכם *Schabar Raabon Battecham*, *fractionem*, ſive *frangendam famis domum veſtrarum*, id eſt, frumentum, annonam, qua famem frangatis. De voce שבר *Schabar*, *comparare*, *diſtribuere annonam* poſtea. מטעמים *Metaammim*, cibi propriè delicati, & delectabiles, palato grati (*cupediæ* Latinè) Geneſ. 27. Proverb. 23. *Non concupiſcas cibos ſapidos*, a טעם, *Taam*, *guſtavit*, *deguſtavit*, *ſapuit*, & eſt palati ac linguæ per metaphoram probare & experiri. Pſal. 34. Proverb 31. Hebræorum doctores ajunt, guſtantem non oportet benedicere: item jejunium guſtatione non frangi. Unde colligitur *guſtare* non eſſe propriè idem quod *comedere*: pro quo tamen aliquoties ſynecdochicῶs uſurpatur.

Culter Hebræis dictus ab edendo.

Cibus Hebræis dictus a fulciendo.

Baculus panis.

Frumentum cur dictum a frangendo.

ברה & ברות & בריה *Barah*, *Baruth*, *Biriah*, similiter *cibum* significant (quidam *carpsellum* sive *morsellam* vertunt) a ברה *Barah*, quod est *vesci*, *cibum capere*. 2. Sam. 12. & 13. ציד, ציד & צידה *Said*, *Sed*, *Sedah*, propriè venatio catachresticῶs, sæpe generaliter pro quavis esca, & viatico usurpatur. Kimhi vertit *sufficientiam cibi* in Hithpaël הצטיידנו Jos. 9. 12. *in venationem* seu *viaticum accipere* Jos. 1. *parate vobis cibum*: sic panem edere Hebræis idem est quod cibum capere, sive epulari Gen. 31. Luc. 14. Unde Deus promittens Judæis manna manè, quod erat illis loco omnis alimenti, ait *se illis demissurum pluviam panum*, Lev. 16. & Lev. 21. *Offerunt panem Deo tuo omni sacrificio cibario*, secundum Rabbinorum interpretationem. Sæpe item cum aqua conjunctim accipitur: similiter pro omni alimento, ut 2. Reg. 16. Elisæus jussit Regi Samariæ, ut exercitui Syriaco apponerent panem & aquam. Postea magna copia alimentorum illis dicitur fuisse apposita. Sic Exod. 34. ad significandum, Mosem ab alimento 40. dierum abstinuisse, dicitur *neque panem comedisse*, *neque aquam bibisse*, qua locutione sacræ literæ, vel potiùs Spiritus S. simul temperantiæ & frugalitatis nos admonet.

משאת, *Mascheb*, pro cibo positum videas 2. Sam. 11. 8. בג vel בג *Bag* vel *Bog*, Chaldæum videtur, & cibum significat: nec nisi apud Danielem occurrit cap. 1. & 11. ubi Hebræum פת *Path*, cum Chaldæo junctum cap. 11. פת בג Path Bag, *dimensum* significare videtur, quod Galli *l'ordinaire* vocant, quod etiam ארחה *Arucha* dicitur, de qua voce suprà.

פת *Path* quoque propriè *fragmentum*, seu *bucellam panis* significat, a פתת, *Patath*, id est, *frangere*, *dividere*: & in genere pro pane, seu cibo accipitur 2. Reg. 11. & Proverb. 23.

טרף *Taraph* (teste Kimchi) proprie *feræ prædam* significat: quæ ei pro victu est, & transfertur ad hominis victum significandum, quem ille feræ more sibi comparat, & accipit ab alio, tametsi vi non capiat ferarum instar. Alii simpliciter hoc nomine escam dici putant, quod carpatur. Malach. 3. Psal. 111. Proverb. 31.

רחנן *Rachanan*, Danielis 6. *cibum*, sive *cœnam* significat: tametsi Hebræi volunt significare musicum instrumentum.

נזיד *Nasid*, *ebullitio*, *efferbitio*, ut ita loquar, id est, quicquid ebullitione coquitur, gesottes. 1. Reg. 4. *Et coque ebullitionem pro filiis prophetarum.* Et iterum: *Et invenit vitem agrestem, & collegit ex ea colocyntidas agrestes, plenitudinem vestis suæ, & venit, & conscidit in ollam ebullitionis.* Et iterum: *Cùm ipsi comederent de ebullitione.* Hag. 2. *Quando tetigerit cum ala sua panem aut ebullitionem, aut vinum aut oleum, aut quemcunque cibum.* Gen. 25. *ebullitio lentium.*

Nomina Græca cibum significantia.

Græcè cibus variis nominibus appellatur: Ἐδεσμα, ἐδωδὴ, ἐδητύς, ἐδεσὸν ἀπὸ τοῦ ἔδειν. Ἐδεσμα νόσιμον dicitur (interprete Eustathio) τὸ ἡδὺ, διὰ τὸ ἡδὺ τοῦ τοιούτου νόσου, id est, *cibus redux*, hoc est, suavis, ob dulcedinem diei reducis.

Εἶδαρ similiter (qua voce crebrò Homerus utitur) dicitur quasi ἔδαρ, ab ἔδω, ut Eustath. annotat in Od. 666. 24. & 884. Idem in illa Homeri Οδ. α. Εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα· εἴδατα, inquit, videtur appellare κατ' ἐξοχὴν, τὰ ὄψα, ad differentiam frumentaceorum, sive panum.

Βρῶμα, sive βρώμη ἐκ τοῦ βέβρωμαι, & βρῶσις ἐκ τοῦ βέβρωσαι, & βρωτὸν atque βρωτὸς ἐκ τοῦ βέβρωται, *cibum* significant. Eustath. Od. 390. 40. Idem Od. 1521. βρῶσις quasi ῥῶσις τῷ ζῶντι, id est, *robur viventis*, ἐκ τοῦ βρῶ, quod forsan Pleonasmo literæ β. deducitur ἐκ τοῦ ῥῶ. Christus Joan. 4. ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν, ἣν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε. Et paulò post: Ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον. Quæ verba Nonnus sic vertit:

> Εἶδαρ ἐμὸν πέλε μῦθος, ἐμὸν ποτὸν ἔργα τοκῆος
> Εἶδαρ ἐμὸν πέλε μοῦνον, ὅπως ἀτρεπτον ἐέλδωρ
> Πατρὸς ἐμοῦ τελέοιμι, καὶ ἔνθεον ἔργον ἀνύσσω.

Ἐμβρωμα quoque Eustath. cibum sæpe nominat. Hinc forsan βροτὸς homo dicitur ω in ο verso: quia homo cibo indiget, & Brot panis.

Τροφὴ quoque alimentum quodvis significat, ἀπὸ τοῦ τρέφειν, id est, *alere*, *nutrire*. Plutarchus dici putat ἀπὸ τοῦ τηρεῖν τὴν φύσιν, *quod naturam sustentet*.

Ὀχὴν similiter teste Eustat. Iliad. β. 212. 37. Achivi vocant τὴν τροφὴν, cibum. Unde εὐωχία dicta, de qua voce suprà. Idem Iliad. 64. 45. Ὀχὴ idem quod τροφὴ, unde ζεὺς αἰγίοχος, qui (secundùm fabulas) simulatque natus est, in Creta insula, ἀπὸ τοῦ αἰγὸς εὕρηκε τὴν ὀχὴν, hoc est, τροφήν.

Φαγήματα, & προσφάγια Joan. 21. appellantur ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, id est, *edendo*, unde fagum volunt dictam, quod illius fructus primus fuerit mortalium victus, vel cibus.

Ὀψα quoque, & ὀψώνια, & πρωτοψήματα (de qua voce infra pluribus) generatim aliquando quivis cibi appellantur.

Ὀνείατα sæpe ab Homero cibi appellantur, ἐκ τοῦ ὀνεῖν τὸ ὠφελεῖν, *a juvando*, teste Eustathio. Od. 36. 29. ὅτι ὀνήσιμον ἡ τροφή. Unde Homerus Οδ. β.

> Ἔπειτα καὶ αὐτὸς ὀνήσεαι πιών.
> Ἄξεθ' ἓν τὸν ἄριστον ἵνα ξείνῳ ἱερεύσω
> Τηλεδαπῷ, πρὸς δ' αὐτοὶ ὀνησόμεθ'.

Eumæus ad servos subulcos. Eustath. λέγεται καὶ ὀνήσεσθαι, τὸ ὠφεληθῆναι ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, ἀφ' οὗ καὶ τὸ ὄνειαρ τὸ βρῶμα.

Πρόσαρμα quoque ἡ τῷ σώματι προσφυὴς τροφὴ, *alimentum corpori familiare, & adhærescens.* Idem Il. 500. 44. τὰ προσάρματα ἤγουν αἱ τροφαὶ ἀπὸ τοῦ ἀείρω τοῦ ..., inde etiam ἄρτος nonnullis videtur dici.

Μάσαξ

Μάσαξ (teste Eustath. Iliad. 1.655.8. idem est quod μάσημα, sive μεμασημένη τροφή, *cibus mansus*, sive *masticatus*. Inde Οδ. 168.47. sic appellatur, eò quòd sit causa τῆς μασήσεως.

Ἤϊα vox (ut testis est Eustath. Οδ. α. 96.52.) apud Homerum aliquando generatim significat quemvis cibum: aliquando τὰ ἐφόδια, ὅ ἐστι βρώματα εἰς ὁδὸν ἐπιτήδεια, παρὰ τὸ ἰέναι, *viaticum*, hoc est, *cibus ad iter necessarius*, *ab eundo*: (cui respondet Hebraicum ארחה *viaticum*, sive *dimensum*, ארח *Arach*, *iter facere*) aliquando paleas, nonnunquam etiam cibaria, quæ ad navigationem pertinent. Idem testatur Il. 890. ubi addit ἤϊα significare τὰς τροφάς, cibos, παρὰ τὸ εἶω, τὸ πορεύομαι, τὰ αἴτια τοῦ ζῆν καὶ περιιέναι ὡς διηκνούμενα ὅλου τοῦ σώματος, ὅθεν ἡ δαὶς εἴση, id est, *ab eundo*, *sic dicta propterea quòd vita atque motus*, *sive progressus sunt causæ*: **totum enim corpus permeant**, **unde etiam epulæ dictæ sunt** εἴση· vel etiam ἤϊα τὰ βρώματα, παρὰ τὸ ἔω ὑπάρχω, ὡς αἴτια τοῦ εἶναι.

Sic σιτία, σῖτα, ἐπισίτια, ἐπισιτισμοὶ Luc. 9. appellantur quævis cibaria, nonnunquam tamen σῖτος & σιτίον pro solo pane accipitur, ut *cibus* apud Latinos. Hom. Ιλ. τ.

Σίτου καὶ οἴνοιο· τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή.

Σιτιστὰ Matt. 22. *altilia*, a σιτίζειν *cibare*, *alere*: unde apud Irenæum legitur *Saginata*, & Luc. 15. τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν θύσατε, *vitulum saginatum mactate*.

Δαῖς, δαίσιον, δαίσιμον, ἐπίδαιτρον, *esca*, *cibus*, *edulium*, *esui aptum*.

Ἐπιτραπεζώματα teste Athen. lib. 4. olim dicebantur τὰ ἐπιτιθέμενα τῇ τραπέζῃ βρώματα, *cibi*, *qui mensæ imponuntur*. Eustath. Οδ. α. 35.6. in illud Homeri:

Εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα.

Hinc a veteribus ἐπιτραπεζώματα dicti sunt cibi mensis impositi, cui verbo Græco videtur probè respondere illud Jobi 36. v. 16. נחת שלחנך *Nachat Haschulchan*, *requies mensæ*, id quod exponitur ab Hebræis id quod requiescit super mensam pro cibo sive ferculo delicato. Sic *impomenta*, teste Festo, dicta sunt quasi *imponimenta*, quæ post cœnam mensis imponebant.

Βορὰ quoque Græcis est *pabulum*, *cibus*, *edulium*. Φορβὴ teste Eustath. Iliad. 408. 13. propriè cibus animalium brutorum, ut & ἐρέπτεσθαι verbum ἀλόγοις ζώοις οἰκεῖον, iisdem propriè tribuitur. Contra ἐδωδή, ἐδητύς, βρῶμα, cibus hominum proprius.

Latine *victus* (ut a generalissimo exordiar) Græcè βίος & βίοτος, significat omne id, quod ad cibum potumque pertinet, a *vivo*. Donatus *victum* a *cibo* sic vult differre, quòd *cibus* etiam delicatis præbeatur, *victus* in parvis aridisque alimoniis sit constitutus. Isidorus: *Victus*, inquit, *propriè vocatur*, *quia vitam retinet*. *Victare*, *& victitare idem quod vesci*, *& quasi victu uti*: *Ut Sarmatæ victitant lacte*. A Jurisconsultis verbum *victus* latiùs accipitur. *Victus verbo continentur*, inquit Ulpianus, *quæ esui potuique cultuique ad vivendum homini necessaria sunt*. Vestem quoque victus habere vicem Labes ait, *& cætera*, inquit Cajus, *quibus tuendi curandive corporis nostri gratia utimur*, *ea appellatione significantur* 43. & 44. ff. *De verb. signif.* Hinc Alciatus leg. 43. *de verbor. significat. si quis legaverit victum*, *censebitur omnia legasse quæ ei ad vivendum necessaria sunt. Ideo & vestiarium*, *& calcearium & habitatio & lectus debebitur. Idemque & si alimenta legata sint*, &c. Idem leg. 44. ibidem intelliguntur hoc Doct. *Ut qui victum debeat*, *etiam ægrotanti pharmaca suo sumptu præstare teneatur*: *sine his enim curatur nemo*: *qui verò cibaria debet*, *satis est*, *si ea præstat*, *quæ ad cibum pertinent*, *ut pullos*, &c. *Vivere verbum*, inquit Cajus, *quidam putant ad cibum pertinere*, *sed Offilius ad Atticum ait*, *his verbis & vestimenta*, *& stramenta continere*: *sine his enim vivere neminem posse* l. 234. §. 2. ff. *de verborum significatione*.

Latina nomina cibum significantia. Victus.

Alimentum quoque generatim significat omne id, quod datur ad sustentationem vitæ. Hinc (ut Jurisconsulti scribunt) legatis alimentis cibaria, & vestitus, & habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest. leg. ff. *de alim.* vel lib. leg. *aqua quoque emptitia alimentorum legato continetur*. l. 1. ibid. *Alimenta puero puellæve legata*, *in omnem ei vitam debentur*, *usque ad pubertatem*: *puero adusque annum* 18. *puellæ ad* 14. *debentur*. *Nam cùm de alimentis agitur*, *pubertas his finibus terminatur*. lib. 14. ibid. Hinc *alimentarii*, quibus alimenta legata sunt eadem ratione, qua *donatarii*, aut *legatarii*. Alimenta & cibaria Jurisconsulti ita volunt differre, quòd eorum nomine omnia continentur, sine quibus ali corpus non potest: horum verò tantum, quæ ad cibum pertinent. Itaque Javolenus alimentorum legato & cibaria, & vestitum, & habitationem contineri tradit l. 6. D. *de Alim. & cib.* Ulpianus autem cibariorum legato ea contineri negat. l. 21. D. eod. Alimonia Macrobio, & alimonium Varroni idem quod alimentum, seu nutrimentum. Isidorus: *Alimonia dicitur eò*, *quòd ejus sumptu corpus alatur*, *Hanc juvenes accipiunt ad incrementum*, *senes ad perseverantiam. Neque enim subsistere potest caro*, *nisi alimentis. Alimentum enim est quo alimur*, *alimonia alendi cura. Hinc puellæ alimentariæ*, *quæ publicè aluntur*. Penus & penu (unde cella penaria seu promtuaria, in qua cibi conduntur & unde depromuntur) similiter est omne, quo vescuntur homines, ait Cicero de Nat. Deorum lib. 2. Multaque in hanc sententiam Gellius libro 4. cap. 1. *Ut Penus*, *authore Q. Mutio*, *est quod esculentum aut poculentum est*: *quod enim ipsius patrisfam. aut liberorum patrisfam. ejusque familiæ*, *quæ circum eos*, *aut liberos ejus est*, *& opus non facit*, *causa paratum est*, *ut Mutius ait*, *penus videri debet*, *nam quæ ad edendum bibendumque in dies singulos prandii aut cœnæ causa parantur penus non sunt*, *sed ea potiùs*, *quæ hujusce generis longæ usionis gratia contrahuntur & reconduntur*, *ex eo*, *quod in promptu sint*, *sed intus & penitus habeantur*, *penus dicta sunt*. Hæc Gell. Cibus omne id, quo vescimur, Terentius in Eunucho:

Alimentum. Alimentarii. Alimenta & cibaria quomodo differant. Puellæ alimentariæ. Penus ea omnia continet, quæ esui potuique sunt l. ff. 3. de pen. leg. Cibus.

Viden' otium, *& cibus quid faciat alienus?*

Idem, *e flamma cibum petere* (in Parasitum) pro quidvis cibi causa pati, & facere. *Cibus* Isidoro dictus quia capiatur ore, sicut esca, quia eam os capit. *Cibatus* idem ferè quod *cibus*. Plautus in Milite glorioso:

Ciba-

Intercl ude inimicis commeatum, tibi muni viam,
Qua cibatus commeatusque ad te, & ad legiones tuas
Tutò poſſit pervenire.

Cibaria. Oleum cibarium. Leges cibariæ.

Apul. lib. 1. *Et aliquid cibatus refovendo ſpiritu deſidero. Cibaria* ſimiliter alimenta non modò hominum, verùmetiam quorumvis animalium. Cicero ad Atticum lib. 6. *Reſpondi, me non inſtituiſſe iis dare cibaria, quorum opera non eſſem uſus.* Idem pro Sexto Roſc. Amerino: *Anſeribus cibaria publicè locantur.* Hinc *leges cibariæ*, quæ & ſumptuariæ, quæ coërcebant ſumptum in emendis cibis. *Cibarium oleum* Columellæ, quo ad cibos utimur. Plin. lib. 22. *Nec ignoro, etiam cibarium oleum eſſe faciendum, hoc eſt, vile, parvique pretii. Sic cibarius dicitur, a quo furfur excretum non eſt, Græci αὐτόπυρον nominant, & vinum cibarium, pro ignobili ſumitur:* &c. *Cibale* Varroni quod ad cibum pertinet βρώσιμον (quæ vox Lucæ ult. ponitur) ſive ἐδώδιμον; *Lac*, inquit, *eſt omnium rerum, quas cibalis cauſa capimus, liquentium maximè altibale, & id ovillum, inde caprinum.*

Eſca. Vincula eſcaria. Eſculenta.

Porrò ab *edendo* derivatur *eſca*, cibus non ſolùm hominum, verùmetiam omnium animalium: unde *eſcarius, a, um*, quod ad eſcam pertinet. Ut *eſcaria vaſa* Plin. lib. 36. cap. 36. *Eſcaria menſa* Feſto quadrata, in qua homines epulantur. *Vincula eſcaria* Plauto cibi, quibus homines vinci atque vinciri nonnunquam ſolent. *Eſculenta* quoque dicuntur, quæ eſui ſunt apta, ut poculenta, quæ potui. Cicero lib. 2. de Natura Deorum: *Eſcale argentum, & potorium vulgò ſupellectilis nomine continentur.* Paulus in l. *Quum aquam, ff. ſuppellect. leg.*

Edulia dicuntur, quæ ad edendum parantur, præter panem.

Epulæ quoque, quaſi *edipulæ*, ſunt cibi in uſum hominum quotidianum comparati. Cic. 3. Phil. *Vino & epulis retentus, & alea eſt, ſi epulæ potiùs quàm popinæ nominandæ ſunt. Epulæ* etiam beſtiarum quotidianus cibus dicuntur. Virgilius Æneid. *Epulasque draconi, Quas dabat.* Horat. Serm. 2. Satyr. 3.

----- cui ſtragula veſtis
Blattarum, ac tinearum epulæ, putreſcat in arca.

A manducando quoque *obſonium* olim dictum eſt *manducum. Focula* etiam dicuntur nutrimenta. Plautus in Perſa,

At edes,
Nam jam intus ventris fumant focula.
Calefieri juſſi reliquias.

Hinc & *foculari* idem quod *facere*, teſte Nonio. Et hæc de variis ciborum nominibus. *Pappa* quoque & *bua* pro cibo & potu uſurpata ſunt a pueris. Unde Cato de liberis educandis, *cum cibum atque potionem, quas atque pappas vocent, & matrem mammam, & patrem tatham. Pappare* idem quod *comedere* Plautus in Epidico;

Novo liberto opus eſt quod pappet & comedat.

Diarium.

Diarium a die fit, & ſignificat victum quotidianum, id eſt, quod in unius diei cibum datur, ὁ σῖτος ἐφημέριος. Martial. lib. 11.

Sed lupus uſuram, puerique diaria poſcunt.

Horat. lib. 1. epiſt. *Cum ſervis urbana diaria rodere.*

Ulpian. lib. 21. ff. de ſupell. leg. *Diariis*, inquit, *vel cibariis relictis, neque habitationem neque veſtiarium deberi palàm eſt.*

Cupediæ.

Denique *cupediæ* ciborum deliciæ gularumque irritamenta dicuntur. Eadem a ſcito ſapore *ſcitamenta* vocantur. Hinc *Cupediarius*; qui delicatiora hujuſmodi eſculenta apparat.

Illorum porrò differentiæ ſunt innumeræ, quæ paucis percurram, uberiorem illorum tractationem Medicis relinquens.

Ciborum diviſio quadripartita ſecundum materiam. Cibi ex plantis.

Primò diſtinguuntur ſecundum materiam: nam cibi ſumuntur aut ex plantis, ſive terræ naſcentibus, aut ex animalium partibus, aut tandem ex iis, quæ ab animalibus prodeunt, nec illorum ſunt partes: ut ſunt ova, lac, mel, ſanguis.

Ex plantis: ut arboribus, fruticibus, aut ſuffruticibus, aut herbis. Arbores appellant, quæ ab radice ſimplici caudice, ut trunco procedunt. Frutices multiplici procedentes ab radice, ut rubus. Suffrutices herbæ ſunt, ſed fructum ferunt, ut melonum plantæ, & fragaria. Ex his edenda eſt aut tota planta, aut radix, aut folia, aut fructus, aut ſemen, aut flos. Tota planta, ut raphanus. Radix, ut napus, aut paſtinaca, aut bulbus. Folia lactucæ, braſſicæ, borraginis. Fructus pyri, cotonei. Semen eſt triticum, hordeum, legumina. Flores, borraginis, violæ, roſæ, citranguli. His adde, quæ terra ſponte ut ſupervacua projicit, tubera ac fungos. Tubera in cœnis apponi ſolita, cur illa a tonitru creſcere videantur, quære a Plutarcho Symp. Problem. 2. His omnibus ali animantium corpora perquàm commodè poſſunt, ut Galen. lib. *de Alim. facult.* de boni & mali ſucci cibis: & Iſaac Iſraëlita libris diætarum ampliſſimè docent.

יבול *Jebul* Hebraicè, generale nomen ad omne quod terra profert in uſum animantium, aut hominum, quaſi productionem dicas. Differt a פרי *Peri*, quòd פרי propriè de arborum fructu dicatur, & metaphoricè hominum vel animantium, & interdum rerum aliarum. יבול *Jebul* autem *terræ naſcentia* ſignificat, *gramen* aut *germen, plantam, fruges* pro loci ratione licebit reddere. Chaldæus vertit עללתא *Alalatha, proventum.*

Glandes hominum cibus.

Fructus autem arboreos primum & antiquiſſimum fuiſſe hominum victum, cùm ſacræ, tum prophanæ literæ docent. Atque inter hos quidem e glandibus primum fuiſſe mortalium victum vetuſtas credidit: unde φαγεῖν nonnulli ἀπὸ τῶν φηγῶν, a *fagis* volunt derivari, quoniam (teſte Servio) victus iſte in glandium genere fuit e fago.

fago. Hinc Arcades, quos, teste Pausania in Arcadicis, Pelasgus primus glandium usum docuit, βαλανοφάγοι fuerunt dicti a Pythiæ oraculo, ut Plutarchus testis est in Coriolano. Hinc tracta antiquorum Proverbia ἅλις δρυός, id est, *satis quercus*, cujus Cicero meminit ad Atticum, & ἄλλω δρῦν βαλάνιζε. Item, δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται. *Ex quercubus & saxis nati: quercum aliam excute: quercus bacchatur: quercus multis ictibus dejicitur: glandes mihi coquam, glande cassa, glande victitantes:* de quibus Erasmus in suis Adagiis. Tibullus lib. 2. Eleg. 3. — Arcadum cibus glandes.

Glans alat, & prisco more bibantur aquæ.
Glans aluit veteres.

Juvenalis Satyr. 6. *Et sæpe horridior glandem ructante marito,*

Id est, qui glande pascebatur rudi illa ætate. Vide Eustathium in Od. 494. Commentaria Ovid. Fast. 4. fol. 253. ubi docetur antiquorum victum fuisse herbas, & glandes. Unde Juvenal. Sat. 6. de Saturniis seculis:

Caulibus & pomis, & aperto viveret horto.

Horatius glandem *frugis* nomine appellat lib. 1. Epist. ad Quinctium:

Multa fruge pecus, multo dominum juvet umbra.

Cum tamen *glans* & *fruges*, ut Lambinus annotat, quodammodo videantur inter se opponi: ut apud Ciceronem in perfecto Oratore: *quæ est autem in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur?* Idem Verrina 6. *Nam & natas esse his in locis Deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrantur.* Verùm de hominum & etiam aliorum animalium victu ex glandibus, & aliarum arborum fructibus, cùm antiquo, tum recentiore, multa jucunda lectu legere licet apud Benedictum Curtium lib. 1. Hortorum, cap. 4. 5. 6. 7. 8. usque ad 19.

Julianus Imp. missis centum caricis Sarapioni amico suo cum epistola, in illa valde laudat ficus & numerum centenarium. Ficum docet non solùm sensu esse dulcem, verùm etiam odore antecellere. Præterea adeo utilem esse hominibus, ut præsidium ad quævis venena salutare Aristoteli videatur, ac mensis etiam inchoandis & claudendis non aliam ob causam adhiberi, tanquam hoc unum pro omnibus sacrum remedium adversus ciborum injurias adhibeatur. Addit, Ficum Diis consecrari, omnibusque aris adhiberi & quovis thure ad odores aptiorem esse. Ac paullò post. Quin & mensas regales ficus ornat atque ad omnium conviviorum ornatum adhibetur, & neque ἔνθρυπτον, id est, *intritum*, neque στρεπτὸν, id est, *scriblita*, neque νεήλατον, id est, *panis dulcioris*, neque aliud καρυκείας, id est, *condimenti genus*, pari suavitate unquam reperietur: adeò est mirabilis ille cibus præ aliis omnibus.

Fructus fugientes, hoc est, non durabiles, quos Græci ὡραίους nuncupant, ferè omnes (ut testantur Medici) paucis exceptis, vitiosi succi sunt, crudi comesti. Præstantissimi ab iisdem censentur uvæ, et ficus, hæ quidem probè maturæ, illæ verò et pensiles et maturæ: sic enim quicquid in ipsis flatuosum est pulchrè abjicitur, et omni tum vitio carent. Συκάσιος Ζεὺς apud veteres dicebatur ὁ καθάρσιος· nam ficu antiquitus utebantur ἐν καθαρμοῖς. Eustath. Od. 275. Cur Homerus μηλέαν, id est, *malum*· ἀγλαόκαρπον, & Empedocles μῆλα, id est, *mala* scil. Punica ὑπέρφλοια appellârint, vide Plutarchum in Problemate octavo lib. 5. Symposiorum. Cur item ficus arbor amarissimi saporis dulcissimum fructum producat, sequente 9. Problemate disquiritur. — Fructus fugientes. — Ficuum usus in lustrationibus.

Frugum porrò, uti propriè appellantur, duo sunt genera prima, frumenta & legumina. *Frumenta* a *fruendo* (auctore M. Varrone, & Donato interprete) dici possunt omnia, quæ spicas habent cum arista, aut spicam muticam. *Legumina* verò, quæ siliquis includuntur ceu thecis. Unde Calphurnius: — Frugum 2 genera. Frumenta.

---- tandemque legumina plenis
Vix resonant siliquis ----

Isidorus: *Prima ceres cœpit uti frugibus in Græcia, & habere segetes translatis abunde seminibus.* Unde Ovidius:

Prima Ceres voto glebam dimovit aratro.
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.

Frumenta sunt propriè quæ aristas habent: *Fruges* autem reliqua, utraque autem a *fruendo* dicta, id est, a vescendo: nam *frumen* dicitur summa pars gulæ quod alio modo *Rumen* dicitur: unde *rumino* & *numer.* Operæ pretium forsan hic fuerit, primùm varia Hebræorum nomina frumentum significantia inserere. Ut חטה *Hittah triticum*, *frumentum* quod ex folliculis protrudatur & promineat. Quidam tradunt hoc nomen esse generale, ut Latinis *frumentum* ad omnia frumentorum genera, præter hordeum & legumina, quæ e folliculis grana non protruduntur: sed speciale esse, ut Latinis *triticum.* דגן *dagan*, *Frumentum*, postquam excussum & ventilatum est. בר *bar* pro frumento propriè a paleis purgato, vel nitidiore & mundiore, a ברר *barar*, etsi Kimhi generaliter pro תבואה *Thebuah*, *frugibus*, exponat, sed dilatato nomine. עבור *abur*, est frumentum præteriti anni ab עבר *abar*, quod est *transire*, *præterire.* Proventus verò futuri anni vocatur תבואה *Thebuah*, item, זמרה הארץ *Simrah haaraz*, *optimi fructus terræ.* Gen. 43. 11. a זמר *canere*, sic dicitur eo quòd digni sunt qui omnium ore prædicentur, & decantentur גדיש *Gadisch*, fruges quæ postquam demessæ sunt congruuntur in area. בן גרני *ben garni*, Isaiæ 21. *filius areæ meæ*, id est, frumentum, vel palea sic appellata, quòd triturentur, & spargantur per aream.

Hordeum (Hebraicè שעורה *soerah*, fortasse quòd sit hirsutum, Græcè κριθὴ) in cibis antiquissimum, sic dictum Isidoro, quòd præ cæteris generibus frumenti aridum fiat (nam inter fruges primas demetitur) — Hordeum.

 vel

vel quòd ſpica ejus ordines habeat. Quid ſi *hordeum* dicatur, quaſi cibi manſuetioris *exordium*? Hinc ὄλβιος, *beatus*, quaſi ὁ ἐκ τῆς ὄλης, id eſt, *ex hordeo*, ut ex ſpecie genus, pro opum quarumlibet affluentia. Triplex eſt Iſidoro, *Hexaticon, diſtichon, trimenſe dictum: optimum candidiſſimumque, quod alii diſtichum, nonnulli Galatinum vocant*, de quo Columella lib. 2. Unde crebrò apud Homerum κρῖ λευκὸν, Euſtath. Ὀδ. ε.

Ex hordeo panis.

Ex hordeo & panis conficitur, qui veteribus fuit uſitatus, imbecillior, ac minoris nutrimenti (unde magis adhuc Chriſti divina potentia, qui quinque panibus hordeaceis, & paucis piſcibus ingentem hominum multitudinem pavit, elucet) & polenta olim a Græcis, & potus a nonnullis gentibus vini penuria laborantibus, Cereviſia (forſan a Cerere) a ζῦθος dictus, quem a Dionyſio primo monſtratum dicunt, & ex ejus humore ptiſana, de qua vide Langium Epiſtola 57. & Mercurialem Variarum lectionum lib. 4. cap. 18. Suidas δαιζάνη ἡ πτισάνη ἀπὸ τῆς ἑψημένης ἑψηθεῖσα. Dicta autem eſt παρὰ τὸ δαίσασθαι, id eſt, *ab epulando*, quòd primum cibum ante panis inventionem ſic conficiebant: & denique ex craſſiore ejus farina puls, & pulticula conficitur. Martialis:

Polenta. Cereviſia. Ptiſana. Puls ex hordeo.

Mutio quòd non det tacituris accipe mulis,
Hæc ego cauponi, non tibi dona dedi.

De hac plura vide apud Dioſcoridem, et Barbarum, Levin. Lemnium, de herb. ſacr. ſcript.

Far.

Far apud veteres de omnibus fructibus dici eſt ſolitum, quia id terra ferat. Unde *farcio*, quod propriè eſt ſaturo, quaſi farre impleo. Et *fertum* genus cibi, quod Diis in ſacrificiis offerebatur. Perſius:

Attamen hic extis & opimo vincere ferto.

Farreum genus cibi ex farre factum. Plin. Cùm et in ſacris nihil religioſius *confarreationis* vocabulo erat, novæque nuptæ farreum proferebant. Quibuſdam tamen ex veteribus, teſte Varrone, *far* dictum eſt ab *edendo* ut vult Iſidorus: quoniam primo eo uſi ſunt Romani (unde et *farina* a *farre* dicta) ſive quia in ſacrificio panis ex farre ad aras offerebatur: unde adorea ſacrificia dicta, ſicuti etiam adorea dicta laus, quòd glorioſum putabatur farre abundare. Vide Plinium lib. 18. cap. 8. Iſidorus ſic ait eſſe dictum, quod initio frangeretur. Apud antiquos enim molarum uſus nondum erat, ſed frumentum in pila miſſum frangebant, quod erat molendi genus. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. Antiquitatum: *Quemadmodum nos Græci*, inquit, *antiquiſſimam hordeaceam frugem rati, hordeo*, (quod ὀλὰς, id eſt, molam ſalſam vocant) *hoſtias initiamus: ſic Romani quoniam far, quòd nos ζέαν appellamus, fructum antiquiſſimum honoratiſſimumque eſſe exiſtimant, illo quodvis ſacrificium igne adolendum reſpergunt.* Ibidem nuptias ſacras *Farrea* a Romanis dicit fuiſſe appellatas, ob farris ceu ſacratiſſimi et primi cibi communionem, quæ inter conjuges erat. Feſtus et Boëtius ſcribunt, farreo libo adhibito, genus id matrimonii contrahi ſolitum, unde ſit dicta *farreatio*: ſicuti cùm diſſolverentur nuptiæ, *diffarreatio*. Vide plura apud Cæl. lib. 28. cap. 17. Dionyſius ζέαν vult idem eſſe Græcis, quod Latinis *far*. Quidam tamen diſtinguunt: unde Plinius: *Qui zea utuntur, non habent far. Zea Latinis dicitur Spelta, ex qua apud veteres fiebat Attica potio, ſic dicta quòd aleret corpus.*

Adorea. Farrea. Farreatio. Zea.

Triticum.

Triticum, quod principem inter fruges ſeu frumentacea locum obtinet, Varroni dictum, quod ſpicis *tritum* ſit. Iſidoro *triticum* vel a *tritura* dictum, quod puriſſimum horreo condatur: vel quia granum ejus commolitur et teritur. Siligo tritici flos, weiſzen / Plinio *tritici deliciæ* lib. 18. cap. 8. Homero ὄλυρα dicta, jumentis a Græcis dari ſolita, Euſtath. Ιλ. ε. Ex ſiligine laudatiſſimus panis confici ſolitus. Iſidoro genus tritici a ſelecto dictum, quòd in pane ejus ſpecies eſt præcipua, dinkelkorn. Avena Græcis βρῶμος, apud pleroſque eſt jumentorum cibus. Quædam nationes ex ea polentam conficiunt, quæ *avenacea* dicitur, qua Germani potiſſimùm delectantur. His adde milium, κέγχρον Græcè ſic dictum, ut volunt Grammatici, a granorum multitudine. *Oryzam* vulgò, et depravatè *ryzum*, Germanicè reyß / quod Theoph. ὄρυζον, nonnulli *ordeum Galeaticum* nominant. Item *Panicum* fenck a paniculis dictum, quibus ſemen ineſt, ſive, ut vult Iſidorus, quod in multis regionibus eo panis vice homines utantur, quaſi *panis vicium*. Græcis, ut Dioſcoridi, Theophylacto, Galeno eſt ἔλυμος & μελίνη. Item *Gith*, quæ Græcè μελάνθιον, vulgò nigrore nigella, aliàs papaver nigrum, cujus ſemine olim panem condiebant. Denique Seſamum, quòd ita paſſim ſeri deſiit, ut multis in locis nomen frugis ignoretur. De his vide etiam Levinum Lemnium in Explorat. Herb. lib.

Siligo. Avena. Milium. Oryza. Panicum. Gith.

Legumina.

Legumina, ſive (ut a nonnullis appellantur) *Legumenta*, ſive etiam *Legaria* voce Gallica (teſte Varrone) *a legendo* dicta ſunt, quòd non ſecentur, ſed vellendo legantur. Ab Hebræis צרועים *ſeroim* a צרע *ſara*, id eſt, *ſevit, ſeminavit* (*ſerere* ab Hebræo *Sara* videtur derivari) a Græcis χέδρωπα & ὄσπρια, a σπείρειν, unde ὀσπριῶναι qui coëmundis leguminibus præfecti ſunt, & ὀσπριωνία munus ipſum. Ex medicorum ſententia cacochymiam & flatus pariunt, excepto piſo, quod ſecundum Galenum inflatione caret. De more Idola conſecrandi leguminibus ſic ſcribit Ariſtophanis Scholiaſtes in illa in Pluto:

Mos conſecrandi leguminibus.

Καρ. Τὰς χύτρας αἷς τὸν θεὸν (Plutum) ἱδρυσόμεθα,
Λαβοῦσ' ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φέρε σεμνῶς.
Ἐχοῦσα δ' ἦλθες αὐτὴ ποικίλα.

Scholiaſtes: ἔθος ἦν ἐπὶ τῇ ἱδρύσει τῶν ἀγαλμάτων ὀσπρίων ἑψημένων χύτρας περιπομπεύεσθαι ὑπὸ γυναικῶν ποικίλως ἠμφιεσμένων, καὶ τούτων ἀπήρχοντο χαριστήρια τοῖς θεοῖς ἀπονέμοντες τῆς πρώτης διαίτης. Memini tamen Gilbertum Genebrardum virum doctiſſimum, & hiſtoriarum antiquitatumque peritiſſimum (quo olim Lutetiæ præceptore fideliſſimo humaniſſimoque uſus ſum) in Prophetiæ Danielis explicatione affirmare: Danielem cum ſuis ſociis cùm ſobrietatis, tum religionis quoque cauſa leguminum potiſſimùm eſu uti voluiſſe, eò quòd legumina non offerrentur idolis, ut nec olera. Quò videtur alluſiſſe Paulus ad Rom. 14. infirmus olera com-

comedit. Moris etiam fuit, ut servo primùm domini ædes ingresso, legumina super ejus caput spargerentur, boni ominis causa. Genera leguminum coctorum ad convivium propter luxuriæ continuationem raró vocabat Commodus Antoninus, teste Lampridio. Severum Imperatorem Romanum cibi parcissimum, patriique leguminis avidum fuisse, Ælius Spartianus testatur. Sergium Galbam ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti, paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse, testis est Suetonius in ejus vita. Moris fuit etiam novam nonam conspergere tritico, siligine, aveno, hordeo, pisis, fabis & papavere apud Borussos, de quo vide Tit. *de nupt.* Mos spargendi legumina super caput servorum.

Faba (ut ait Isidorus) *quasi plaga*, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, a *comedendo* dicta, quòd primùm homines hoc legumine usi sunt. Κύαμοι, olim πύαμοι, dictæ: unde πυανέψια festum a coquendis fabis dictum, quasi κυαμέψια, vide Eustath. Ιλ. χ. De Pythagorea abstinentia a Fabis passim multa extant. Erasmus in Adagiis: κυάμων ἀπέχεσθαι, *a fabis abstineto.* Fabarum esus, secundum Pythagoreos, sterilitatem, secundùm Galenum, fœcunditatem affert. De quo vide Mercurialem in libro Variarum Lectionum: ibidem de Fabæ Ægyptiæ pondere, de fabis Philipporum, de pane fabaceo vide plura. ἔτνος, (teste Aristophanis Scholiaste in Pluto) ὃ νῦν φάβα οἱ ἰδιῶται καὶ ἄγροικοι τὸ διαλελυμένον ἀπὸ τῆς ἑψήσεως, καὶ τῆς τορύνης. Gaza ἔτνος *fresum* vertit. Galenus, τὸ ἐκ τῶν ἐρυχθέντων ὀσπρέων τε καὶ χεδρόπων παρασκευαζόμενον, *edulium a leguminibus fractis fresisque concinnatum.* Clemens Alexandrinus, & Athenæus, & Mercurialis lib. 4. Variarum Lectionum cap. 5. docent fabam viridem post carnes loco bellariorum olim esitatam fuisse. Proverbia, *Faba alba*: *faba nummus*: *fabam & salem*: *fabarum arrosor*: *fabas ne comedas*: vide apud Erasmum. Κυρύβια ἐσθίειν, id est, *fabilibus victitare*, de homine nimis sordido: qui quibusvis cibis vilissimis, etiam fabarum furfuribus & repurgamentis (quæ κηρύβια & ἀποσεράσματα τῶν κυάμων Græcè dicuntur) præ nimia parsimonia vescitur. Fabarum una est alba, altera nigra. Illa quidem Athenienses felicitatem, hac verò infortunium significabant, ut Thraces albedine & nigredine calculorum. *Fabacia*, a veteribus dicebatur genus libi ex fabis, κυαμίτης· Plinius lib. 18. cap. 12. Quin & prisco ritu *Fabacia* suæ religionis diis in sacro est. Κυαμότρωξ, κυάμοις τρώγων dicebatur ὁ δικάζων, sive δικαστὴς δωροφάγος, judex qui victum habet a suffragiis, in quibus ferendis olim utebantur fabis, teste Suida. Sic Pericles fabis usus est ad sortem, cùm Athenienses milites in obsidione Samiorum tædio afficerentur. Nam quibus alba faba obvenerat, iis epulari atque in otio esse permisit, cæteris pugnantibus. Inde posteri diem, quo voluptatibus indulgebant, ab alba faba nuncuparunt, teste Plutarcho in ejus vita. *Lomentum* appellatur farina fabacea, quo ad eruganda corpora usa est antiquitas. Unde Epigrammatista:

Fabæ. Ετνος. Proverbia de faba. Fabilibus victitare. Fabacia. Lomentum.

Lomento rugas uteri quòd condere tentas.

Cicer Græcè ἐρέβινθος dicitur. *Ciceris emptor fricti, & nucis* ab Horatio de arte Poëtica appellatur aliquis de plebe pauper, & egens, qui vescitur cicere & nucibus. Emebat enim frictum cicer plebecula, ut eo interea dum agebantur fabulæ, & quovis alio tempore solaretur, ac levaret famem, ut annotat Lambinus, & Erasmus in Adagiis. Persius Satyra 5. Cicer.

---- & cicer ingere largè
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint.

Nam in ludis Floralibus missio quædam fiebat leguminum in ipsum populum, ab his qui honores peterent ad populi favorem promerendum. Hæc autem fieri videbantur in memoriam Floræ Deæ, cujus numine legumina & cæteræ fruges florescerent. Unde Horatius:

In cicere atque faba bonam tu perdesque lupinis.

Plautus in Bacchide:

Tam frictum ego illum reddam,
Quàm frictum est cicer, &c.

Id est, ego senem ita versabo, ut cicera coquus in sartagine versare solet, dum frigitur. A ciceris satione (si Plinio credimus) *Cicerones* dicti sunt, sicut a lente *Lentuli*, a faba *Fabii*, a piso *Pisones* cognomina traxerunt. *Lens, lenticula* (Græcè φακή, φακός) olim philosophis in cibo maximè placuit, & apud Græcos magno in pretio fuit, ut passim ex antiquis literarum monumentis colligi potest. Apud Athenæum Zenonem solitum fuisse coquere invenimus. Inde Stoicorum dogma erat (teste Athenæo lib. 4. *Sapientem omnia rectè agere, & lentem diligenter condire.* Pherecrates: μήμοι φακῆς, μὰ τὸν Δί' οὐ γὰρ ἥδομαι. ἢν γὰρ τρώγῃ τὶς, τοῦ σόματος ὄζει κακόν, Id est, *Ne mihi lentes, quæso per Jovem, non enim mihi placent. Si enim quis comederit, ore malè olet.* Martialis in Xeniis: Lens.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem,
Vilior est alica, carior illa faba.

Nam quidem optima nascitur circa Pelusium oppidum: a quo Nili ostium *Pelusiacum* dictum. Virgilius:

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Ex hoc legumine multa proverbia nata sunt: ut, *Lente gaudere desiit*: *Lenticulam angulo tenes*: *Lenti unguentum infundere*: *ante lentem augere ollam*, Zenonium est, & *lentem coquere*: de quibus Erasmus, Esau cum pane & ebulitione lentium commutavit suam primogenituræ dignitatem: Genesis 25. Sic pariter multi cibo potuque vendunt libertatem suam. His adde *pisum*, πίσον, a *Piso* dictum: viciam, faseolum, sive faselum, lupinum, θέρμον, ervum ὄροβον, ervitiam ὠχρὸν non dissimilem ervo, &c.

Ex herbis, sive oleribus (quæ λάχανα seu λαχανεῖα Græcè) Brassica (quamvis Catoni laudata; quippe quam esse illum oportet crudam ex aceto, qui velit in convivio multum bibere cœnareque libenter, teste Varrone Brassica.

rone lib. de re rustica, cap. 2.) flatu non vacat, & melancholicum succum gignit. Dicta est a Latinis veteribus privatum olus, a Græcis κράμβη, quasi κοράμβλη, quòd oculis inimica existimetur. Pupulas enim oculorum (quæ Græcis κόραι dicuntur) hebetare fertur. Unde Proverbium: *Crambe bis repetita mors est.* Κόρχορος ἐν λαχάνοις, *etiam corchorus* (oleris genus est vilissimi, teste Plinio) *inter olera:* Proverbium in homines nullius pretii, qui tamen in numero aliquo haberi volunt, teste Erasmo. *Brassicam jurare*, de quo idem. De Lactuca (quæ a lacte, auctoribus Plinio, & Varrone nominata est, & a Græcis θριδακίνη, apud Dioscoridem θρίδαξ vocatur) ejus natura, viribus, quibus illa prosit, vel officiat, vide Levinum Lem. lib. 2. *de miraculis naturæ*, *cap.* 42. *Similes habens labra lactucas*, Proverbium, de quo Erasmus. Lactucas Aristoxenus comedere fuit solitus sub auroram, eas placentas virides appellans, testibus Eustathio & Athenæo. Augustus pristinam olim valetudinem lactuca recuperavit, Musæ medici prudentia: cui idcirco Populus Romanus statuam juxta ædem Æsculapii erexit, teste Suetonio. Columella lib. 11. rei rusticæ,

Jamque salutari properet lactuca sapore
Tristiaque revelet longi fastidia morbi.

Tacitus similiter Imperator (teste Flavio Vopisco) in convivio præ omnibus oleribus affatim ministratis, lactucis impatienter indulsit. Somnum enim se mercari illa sumptus effusione dicebat: amariores cibos appetivit. Pertinax Imperator Romanus, cùm verbis esset affabilis, re erat illiberalis, ac propè sordidus, ut dimidiatas lactucas, & carduos in privata vita convivis apponeret, testis est Julius Capitolinus. De hac Virgilius in Moreto:

Grataque nobilium requies lactuca ciborum.

Lactuca ὑπνώδης, id est, soporifera, refertur inter ἀκραίπαλα, & compescit Venerem, συνουσίαν ἀποστρέφει, Dioscoride teste. Atque hæc est μυθολογία, quòd apud Callimachum Adonis in lactuca occultatur a Venere. Cur medium lactucæ a mulieribus non comedatur, Plutarchi fuit Problema 10. lib. 4. Sympos. cujus præter titulum nihil extat.

Cepa. Cepæ Ægyptiacæ בצלים *bezolim* laudantur, Num. 11. 5. De ceparum usu vide quædam observatu digna apud Mercurialem in libro Variarum lectionum. Κρόμμυα ἐσθίειν *cepas edere*, aut *olfacere* dicebantur joco proverbiali, qui lachrymari videbantur: de quo plura Erasmus in Chiliad. Cepa oculos mordet, unde a Græcis κρόμμυον dicta, quasi pupillam oculi comprimi cogat, ut scribit Aristoteles in Problematibus: inde etiam *lachrymosa* à Columella dicitur. θύμος cepa est agrestis, sive porrum: inde ἅλες θυμῖται apud Aristophanem, sales cum cepa contusi, teste Scholiaste. Malva ἄλιμος, & ἄδιψος, id est, *famem sitimque sedans*, ab Athenæo dicitur lib. 2. cap. 19. θύμος Aristophani est species herbæ vilis (ut videre est in Pluto) qualis μαλάχη, & ἀσφόδελος Hesiodo, ut testatur Scholiastes.

(margin: Corchorus. Lactuca. θύμος. Malva.)

Beta. Beta quoque notissima herba olim pauperum cibus fuit. Persius Satyr. 3.

Putre, quòd haud deceat plebeia radere beta.

Et Martialis: *Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ.*
O quàm sæpe potat vina, piperque cocus.

Hinc fatuum Bononienses videntur Betanum appellare. Sunt qui betam *blitum* quoque nominant, unde est Latinis pro stupido *bliteus*, in qua sententia hodie sunt quidam medici & pharmacopolæ, sed optimi quique auctores hæc discernunt. Græcè τεῦτλον, τεύτλιον, & σεῦτλον dicitur, Germanicè mangolt. Τευτλοφάκη edulium ex beta & lentibus Heraclidi. Apud Aristophanem commemoratur, anguillas cum beta coqui solitas, in Acharn.

Cœnæ ex leguminibus & oleribus. Hujusmodi porrò cœnæ tenues, frugales atque parabiles hominum pauperum & plebejorum, quæ leguminibus oleribusque terra enatis constant, a Plauto eleganter *cœnæ terrestres*, a Petronio *cœnæ cynicæ*, a Plutarcho τροφαὶ ἀναίμακτοι, *cibi sine sanguine*, ab Horatio *cœnæ sine sanguine*, & *dapes inemptæ* appellantur, cujusmodi cœnas etiam *Hecales cœnas* appellari ex Ovidio supra docuimus; quarum meminit quoque Julianus Imp. in epist. ad Jamblichum his verbis: *Theseus quidem certè mensam Hecales, licet tenuem, non est aspernatus: sed necessitati obsecutus exiguo contentus fuit.* Plautus in Captiveis ita facetè jocatur:

Æ. *Terrestris cœna.* E. *Sus terrestris bestia est.*
Æ. *Multis oleribus.* E. *Curato ægrotos domi.*

Hujusmodi autem cœnæ ut antiquissimæ, ita omnium videntur saluberrimæ. Unde Horatius lib. 1. Carminum, Od. 31.

---- me pascunt olivæ:
Me cichorea, levesque malvæ.
Frui paratis, & valido mihi
Latoë dones. At precor, integra
Cum mente: nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem.

Idem in Epod. Od. 2.

Dapes inemptas apparet.
Non me Lucrina juverint conchylia

Magisve

Magisve rhombus, aut scari:
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare:
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum:
Aut herba lapathi prata amantis, & gravi
Malvæ salubres corpori.

Huc quoque pertinet dictum celebratissimum: *Hortus pauperis est macellum.* Item, *Ex horto plebei macellum quanto innocentiore victu?* Apud Plinium, *Horti*, inquit ille lib. 19. cap. 4. *maximè placebant, quia non egerent igni, parcerentque signo, expedita res & parata semper: unde & acetaria appellabantur facilia concoctui nec oneratura cibo, & quæ minimè accenderent ad desideria panis*, &c. Hinc factum est, quòd & macellum foro olitorio competat, & horti ostia macellotæ juxta Varronem appellentur: quod est frugalitatis veterum argumentum. Inferorum quoque cibum tenuissimum finxerunt veteres malvam, & porrum, teste Erasmo in Chiliadibus. *Holerum appositiones*: de re nullius momenti proverbium, sumptum videtur, vel ab holeribus appositis in mensa, vili nimirum cibo, vel auctariis holerum, quæ nonnunquam emptores sordidi ac tenues requirunt. Hinc in sacris quoque literis olera ceu cibus tenuis atque vilis aliquando opponitur carnibus, ut Proverb. 15. *Ad olera vocari cum charitate melius est, quàm ad vitulum saginatum cum odio.* Et ad Rom. 14. *Alius quidem credit vescendum esse quibusvis, alius autem infirmus* (fide) *edit olera.* Didimus Julianus Imperator Romanus (teste Ælio Spartiano) tantæ parsimoniæ fuisse perhibetur, ut per triduum porcellum, per triduum leporem divideret: sæpe autem nulla existente religione, oleribus leguminibusque contentus, sine carne cœnavit. Persarum magi (ut testatur Eubulus, & Apollonius, teste Philostrato) non nisi oleribus ferè vescebantur. Prophetas quoque oleribus victitasse, ex illo loco colligi potest, 2. Reg. 4. *Elisæus in Gilgal, cùm magna tunc temporis esset fames, a Prophetarum filiis* (discipulis) *per famulum suum pulmentum ex oleribus in olla parari voluit.* In Hebræo est אורת *Oroth*, quam vocem interpretantur *olera.* Et cùm viridia sint, videntur confirmare atque illustrare aciem oculorum. Hebræis enim אור *or* est *lux.* Rabbinorum quidam *Erucam* peculiariter voluerunt significari, sic dictam, quòd vim habeat acuendi visum; alii cucurbitam sylvaticam, vulgò *colloquintidem* dictam interpretantur. Notandum etiam ibidem, quòd Elisæus pulmentarii illius esculenti amaritudinem in dulcedinem transtulit. Cùm enim convivæ degustassent pulmentum, clamaverunt: *Mors in olla*, hoc est, venenum nobis est exhibitum. Elisæus igitur non imperitus rerum naturæ, injecta ollæ farina saporem illum amarum correxit & emendavit. Nam farinæ polentaria, præsertim ordeacea, ex qua polenta conficitur, vim habet amarulentum saporem diluendi & abolendi, teste Levino Lemnio in expositione herbar. Bib. Olus aliàs Hebræis etiam ירק *jarak* dictum a viriditate. In hujusmodi porrò cœnam terrestrem extat elegans hujusmodi Ammiani epigramma apud Stobæum:

Hortus pauperis est macellum.
Inferorum cibus malva & porrum.
Holerum appositiones, prov.
Qui oleribus vesci soliti.
Catonis cibus e rapis.
Persarum magi.

Ὡς κῆπον τεθνηκὼς δεῖπνον παρέθηκεν Ἀπελλῆς,
Οἰόμενος βόσκειν ἀντὶ φίλων πρόβατα, &c.

Olera ferè coquuntur in olla (unde fortasse nomen habent) quòd & olim in usu fuisse indicat illud dictum ex paronomasia, *olla olera legit.* Olitorii convivii (eines krautmals) solennis exemplum est apud Tigurinos in pago quodam, quod solis oleribus constat, & a rusticis celebratur. Forum olitorium Græcè λαχανοπωλεῖον, Germanicè krautmarckt appellatur, ubi olera venduntur.

Alimenta porrò secundi ordinis ab animantibus petita, in tria omnino genera diducuntur: quadrupedum, volatilium, & natantium. Nam piscibus, alitibus, & gressibilibus animantibus alimur, eorumque partibus tum externis, tum etiam internis. Ac primò quidem pisces, ut ab illis exordiar, cùm apud Græcos, tum apud Romanos semper magno in pretio atque honore fuisse, eorundem multi libri satis superque testantur. Hinc Rhodii laudabant admiratores & amatores piscium, vituperabant carnium, agrestesque & ventres vocabant: illos autem ἐλευθερίους, id est, *ingenuos*, ut testis est Ælianus. Hinc etiam pisces ὄψα & ὀψάρια dicti κατ' ἐξοχὴν, eò quòd inter obsonia principatum obtinent, teste Plutarcho 4. Sympos. Probl. 4. Hinc ὀψοφάγοι, & tritones piscinarum pro gulæ proceribus apud Ciceronem lib. 2. Epistolarum ad Atticum. Vide Junium in Proverb. Δύο ὀψάρια. Nonnus (Joan. 6.) ἰχθύας ὀπταλέους vertit. Ἀνθρακίδες, teste Suida, minuti pisces assi dicuntur, & quæcunque in pruna assantur. Piscium esum Christo familiarissimum fuisse legimus. Post resurrectionem quoque (teste Luca cap. ultimo) piscem ὀπτὸν, id est, *assatum*, degustavit. Homeri temporibus piscium & avium esum fuisse usitatum Athenæus docet lib. 4. cap. 5. eorum tamen in conviviis heroum nullam mentionem facit, propterea quòd iis in dignitate constitutis non convenire hujusmodi alimentum existimabat. Eustath. Gadarei Melegni testimonio comprobat, veteres non fuisse appetentes piscium, sed eorum esum post Homeri tempora invaluisse. Homerus præterea, ceu Syrum natione, secundum gentis illius instituta Heroas fecisse abstinentes a piscibus. Quanto in pretio fuerint apud paulò vetustiores Romanos pisces, & præsertim muræna, Macrobius docet lib. 3. Saturnal. cap. 15.

Alimenta ex animalibus triplicia.
Pisces.

De acipensere, mulo, ecaro, lupo, vide eundem cap. 16. Hinc Horat. lib. 2. Satyra 2.

At mihi cùm longum post tempus venerat hospes:

Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus: bene erat, non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque hœdo, &c.

Cicero in Pisonem: *Extructa mensa non conchiliis, aut piscibus, sed multa carne subrancida:* quo loco Pisonis sordes ostendere conatur. Horat. lib. 2. Sermonum Satyra 2. de acipensere, qui olim nobilissimus habitus est piscium (teste Plinio) sic scribit:

Acipenser.

- - - - haud ita pridem
Galloni præconis erat acipensere mensa
Infamis.

Gallonii luxus.

Erat autem hic Gallonius præco, de quo sic M.T.C. in Oratione pro Quintio scribit: *Qui relicta bonorum virorum disciplina, & quæstum & sumptum Gallonii sequi maluerunt: atque etiam quod in illo non fuit, cum audacia perfidiaque vixerunt.* Et Lucillius apud M. Tull. lib. 2. *de Finibus*; *O Publi* (inquit) *o gurges Galloni: es homo miser, cœnasti in vita nunquam benè, cum omnia in ista consumis squilla, atque acipensere cum decumano.* Et ipse Tullius de eodem multa ibidem. Apparet autem ex iis versibus Lucillii, hunc Gallonium obsoniorum gurgitem acipensere, ut carissimo & suavissimo pisce ornasse instruxisseque convivium. Archestratus apud Athenæum lib. 8. existimat, γαλεὸν, eundem piscem esse, atque eum qui apud Romanos cum tibiis & coronis ad cœnas cum pompa quadam circumfertur, coronatis etiam iis qui eum ferunt: qui appellatur *acipenser.*

Acipenser cum tibiis & coronis illatus conviviis.

Verba Athenæi sunt hæc: Ἀρχέστρατος δ' ὁ τὸν αὐτὸν Σαρδαναπάλῳ ζήσας βίον, περὶ δὲ ἐν Ῥόδῳ γαλεοῦ λέγων, τὸν αὐτὸν εἶναι ἡγεῖται τῷ παρὰ Ῥωμαίοις μετ' αὐλῶν καὶ στεφάνων εἰς τὰ δεῖπνα περιφερομένῳ, ἐστεφανωμένων καὶ τῶν φερόντων αὐτὸν, καλούμενον δ' ἀκιπένσερα. Sed Appio Grammaticus (ut idem Athenæus refert) in libro *de Apicii deliciis & luxuria*, eum piscem quem ἔλοπα vocant Græci, acipenserem Romanorum dicit esse. Rob. Constantinus in suo *Supplemento linguæ Latinæ* de eodem sic scribit: *Acipenser, vel aquipenser Festo, nec* ἔλοψ, *licet ita Plinius lib. 9. cap. 17. nec* ὕκκα, *nec silurus, sed* ὀνίσκος *Dorionis apud Athenæum*, γαλαξίας, *sive* γαλεξίας *Galeni lib. 5. Aliment. (licet apud Athenæum* γαλεείδας, & γαλεείας, *vulgo Græcorum* ξύριχι, *sumpta voce ab* ὀξύρυγχος) Gallicè estourgeon, & creac Burdigalæ: *Italicè* sturio, *& qui minor porcelleto, qui porculus marinus Plinii. Is de acipensere lib. 9. cap. 71. Ex ejus ovis nigris, conditis, est illud edulium, quod Venetiis laudatissimum caniaco appellatur. Mihi inassueto nauseam movebat, ubi assuefactus sum gratissimum fuit. Ex ejus carne salita (ut etiam ex thunno) fit, quæ ibi Morona vocatur, &c.* De eodem illa quoque Ciceronis verba ex libro de Fato leguntur apud Macrob. lib. 13. Nam cum esset apud se ad Lavernium Scipio, unaque Pontius, allatus est fortè Scipioni acipenser, qui admodum rarò capitur: sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis. Cum autem Scipio unum & alterum ex iis, qui eum salutatum venerant, invitasset, pluresque etiam invitaturus videretur, in aurem Pontius, *Scipio*, inquit, *vide quid agas: acipenser iste paucorum hominum est.* Trajani temporibus non videtur magno fuisse in pretio, ut Plinius testatur de illo loquens, cum inquit: *Nullo nunc in honore est, quod equidem miror, cum rarus sit inventu.* Commendatur tamen a Martiale, qui Trajani & Plinii σύγχρονος fuisse creditur, hoc distico:

Acipenserem alii γαλεὸν, alii ἔλοπα dictum volunt.

Ad Palatinas acipensere mittite mensas,
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Pisces cur ægris antiqui medici facilè concesserint, & pisces antiquitus carnes vocatos, Mercurialis in suo libro *Variarum lectionum* testatur: et ibidem tradit quædam observatu digna, de pisce qui καπρεὺς dicitur, et de pisce ruminante, qui μήρυξ appellatur, nec non de stella, qui a Græcis ἔμπυρος fuit vocatus. Diodorus Ichthyophagos tradit, vitam totam ferè sine morbis vivere, quod uno piscium cibo (unde nomen adepti) utantur. Verùm de ichthyophagiæ incommodis vide Fr. Patritium lib. 7. de Rep. cap. 12. Quantis verò hodie in delitiis apud Orientales sint pisces, multi literis prodiderunt. Proverbia a piscibus ducta sunt: *Pisce sanior: piscem, aut florem olet: piscis magnus nullus, nisi malus: piscem natare doces: piscibus abstineto: piscis eget sale, piscis mutus, piscis nequam nisi recens, piscis primùm a capite fœtet, piscis repositus*: de quibus vide Erasmum. De Romanorum opsophagia, hoc est, immoderato luxuriosoque piscium appetitu, vide Historiam Batavicam Hadriani Junii & Juvenalem Satyr. 5. ubi inter alia inquit:

Et jam defecit nostrum mare dum gula sævit,
Retibus assiduis penitus scrutante macello, &c.

Ex eodem Romanorum luxu in piscibus natum est illud proverbium, quo ganeones et popinones (*quibus vitæ modulus culina erat*, ut lepidè Varro dixit olim) se mutuò ad indulgendam comessationi provocantes dictitabant, σήμερον ἀκτάσωμεν, id est, *hodie littorisemus*, volentes innuere gulam, cœnam piscibus explendam esse, ut a Plutarcho relatum est.

Pisces quinam saluberrimi.

Ex piscibus Galenus saxatiles (de quibus vide Langium in *Epistolis*) pelagicos, et littorales valdè probat, et squamigeros, minimeque viscidos. Contrà verò lentorem tenacem habentes, sunt pessimi: inter pisces anguillæ deterrimæ. Huc pertinet elegans illud Plutarchi Prob. 4. Sympos. lib. 4. *Utrum mare, an terra præstantiora obsonia præbeat?*

Caro suilla.

E quadrupedum genere animantium caro suilla (quæ præter cæteras animalium carnes cum humana maximam similitudinem habet) suavissima est, teste Mercuriali, et ad bonos gignendos humores aptissima a Galeno censetur: quam (si modò probè in ventriculo concoquatur) et probatissimum esse cibum, et probatissi-

mos

mòs item gignere ſuccos, idem affirmavit. Aſſa tamen ſalubrior eſt quàm elixa, & ſale inveterata melior quàm recens. Plutarchus 4. Sympoſ. Prob. 5. rationem reddit, cur Judæi carnibus ſuillis abſtineant. De illo loco, & ſimul de carnis ſuillæ natura: item de farciminibus & lardo vide Mercurial. lib. 3. *Lect. Antiq.* cap. 8. Et Langium Epiſt. 61. Varronem lib 2. de *Re ruſtica.* Suillum pecus donatum a natura dicunt ad epulandum. Et Cicero lib. 2. *de Nat. Deor. Sus*, inquit, *quid habet præter eſcam: cujus quidem caro ne viventi quidem putreſceret, animam ipſi pro ſale datam dicit eſſe Chryſippus: qua pecude, quòd erat ad veſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundiùs.* Juvenalis, Apri.

Quanta eſt gula? quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum.

Et ſub finem: *Semeſum leporem, atque aliquid de clunibus apri.*

Alludit Poëta ad P. Servilium Rullum (patrem ejus Rulli, qui Conſulatu Ciceronis legem Agrariam promulgavit) qui primus Romanorum aprum ſolidum epulis appoſuit. Idem lib. 3. Sat. 5.

---- Et flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper.

Grammatici quidam porcellos a ſervis olim edi ſolitos tradunt, quòd macri & ſtrigoſi ferè ſint, porci obeſiores: id colligunt ex illo Homeri Οδ. ξ.

Ἔσθιε νῦν ὦ ξεῖνε τάτε δμώεσσι πάρεστι
Χοίρεα.

Brodæus lib. 6. Miſcell. cap. 1. Apud Homerum in epulis celebrantur κρέα ὕεια, καὶ ἄρνεια carnes ſuillæ & agninæ: quæ teſte Euſtathio ferebantur ἀδιαπόνητοι, & ob pinguedinem corruptu faciles. Nec non carnes αἰγῶν *caprarum* (quæ ἀπὸ τοῦ ἀΐσσειν, *ab exultando*, dictæ ſunt) quas veteres dixerunt eſſe τροφιμωτάτας, id eſt, *maximam habere vim nutriendi.* Vide Euſtath. Οδ. ζ. Carnes quæ ab Homero celebrentur.

In carnium genere ſalubris quoque habetur boum juniorum, vitulorum atque hœdorum caro. Ac bubulæ carnis eſum Homeri temporibus fuiſſe uſitatum Athenæus probat libro 1. cap. 4. Et paſſim apud Homerum animantia, quorum carnibus veſci fuerunt ſoliti, occurrunt, Μῆλα, ἴφια, βοῦς, ἕλικες, σύες, εἰλίποδες, θαλέθοντες ἀλοιφῇ, ſive σύαλοι, αἶγες πίονες, μυκάδες, ἀνιέμενοι. Porrò carnes bubulæ præ aliis nationibus apud Polonos optimæ ſunt & plurimæ. De carne verò caprina cur injucunda, ſacerdotibus vetita, comitialem morbum adducat: nec non de leporina atque vulpina, vide Mercurial. libro ſecundo capite ſeptimo. Idem de hœdorum carne, quis fuerit hœdus ex Ambraria apud Gellium, ſcribit libro primo capite viceſimo quinto. Cur hœdorum e lupi faucibus ereptorum caro ſit jucundiſſima, ibidem. Caro bubula. Caro caprina.

Hieroſolymitanis & Samaritanis Amos cap. 6. exprobrat, quòd comederent *Carim*, id eſt, *agnos de grege*, hoc eſt, egregias, pingues, lectiſſimas ovium ex toto grege. Quanquam כר *car*, ex nonnullorum ſententia ſignificat, arietem jam ſcilicet adultiorem, כר *car*, quod locum paſcuum ſignificat: quaſi *paſcualem* dicas. Nec non vitulos de medio ſaginarii, id eſt, altiles & ſaginatos. Nam מרבק *Marbec*, locum ſignificat, ubi includuntur vituli ut ſaginentur: quod nomen atque adeò radix tota quater omnino in ſcriptura reperitur, ut Maſoreth notavit, nimirum præter hunc locum Malach. 4. 1. Samuel. 28. Jerem. 46. Caro aggnina.

Vituli olim opportunis in locis ſagina tenebantur, atque ad convivia paranda ſuaviores fiebant: (quamvis, teſte Cælio Rhodig. vitulina carne veſci nefas quondam fuit in Oriente.) Hujusmodi autem epulas incantatrix illa fœmina Sauli paravit, 1. Samuel. 28. Mulier autem illa habebat vitulum paſcualem in domo. Idem nomen *Marbeg* ibi eſt, quod ſaginarium locum ſignificat. Sic in Euangelio pater perdito filio vitulum ſaginatum mactari & apponi curavit. Vituli ſaginati.

Caro leporum (de quorum, ut etiam cochlearum ſaginatione vide Mercurialem) quoque olim in delitiis habita: unde Nero leporem marinum epulis miſcuit, & (teſte Ariſtophanis interprete) leporinis carnibus vivere dicebantur, qui ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς καὶ τρυφῇ, *lautè atque in delitiis* vitam agebant. Hinc etiam proverbia, *Tute lepus es, & pulmentum quæris. Leporem non edit*: de quibus vide Eraſmum. *Pulmentaria*, ex lumbis leporinis confecta, dicta ſunt a *pulte*: Horatius in Epiſtola ad Lollium: Caro leporina. Vivere carnibus leporinis Proverb.

Cœnes ut pariter pulmenta laboribus empta.

Mercurialis quoque libro primo capite ſeptimo *Lectionum Variarum*, multa de carne leporina tradit, animadverſione digniſſima: cur lepus inter quadrupedes primas obtineat; unde Martialis:

Inter quadrupedes gloria prima lepus:

Cur habeat coagulum: cur leporinus ſanguis omnium ſuaviſſimus, &c. Μίμαρκυς farcimen quoddam ex inteſtinis & ſanguine leporino confectum. Pollux libro 6. Alexander Severus Imperator Romanus (teſte Aelio Lampridio) quotidie in epulis leporem habuit, unde Poëta quidam ita in illum jocatur: Alexan. Sever. Imp. leporina carne delectus.

Pulchrum quod vides noſtrum eſſe regem
Quem Syrum ſua detulit propago.
Venatus facit, & lepus comeſtus,
Ex quo continuum capit leporem.

Hos verſus cùm ad eum quidam ex amicis detuliſſet, reſpondiſſe ille dicitur Græcis verſibus in hanc ſententiam:

Pulchrum quod putas veſtrum eſſe regem

 Vul-

Vulgari miserande de fabella:
Si verum putas esse, non irascor.
Tantùm tu comedas velim lepusculos
Ut fias animi malis repulsis
Pulcher, ne invideas livore mentis.

Hi versiculi compositi sunt ex opinione vulgari, qua existimabatur quis esu leporis per septem dies pulcher evadere: unde notus Martialis jocus in Gelliam. *Lepus* Grammaticis videtur dictus, quasi *levipes*, a pedum celeritate, inde *lepidus* videtur denominari venustus, ingenii acumine celeritateque præditus. Cervinam carnem olim esitasse horis matutinis principes fœminas ceu febris antipharmacum testis est Plinius.

Avium caro. Phasiani. Ex avium genere Phasiani (qui gallinis pares sunt quoad nutriendi & concoquendi vim: edendi verò suavitate superiores: de quorum quidem coctione ex Divo Hieronymo vide Mercurialem libro *Variarum Lectionum*, & Cælium lib. 23. cap. 8.) perdices, urogalli majores & minores, attagenes, columbi tenelli, merulæ, turdi, turtures, pulli cohortales, & juvenculæ gallinæ, non valetudini tantùm, verumetiam cerebro ingenioque conducere, passerculos item in libero aëre, dumetis & montibus victum quæritantes, optimi esse cibi Averrois atque Galeni testimoniis Valeriola probat in *Locis* suis *communibus*. Aves in stagnis, aut paludibus, aut lacustribus locis degentes malam & excrementosam habere carnem similiter Medici tradunt. Lege Fannia apud Romanos cautum erat, *ne quid volucrum in mensa proponeretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis.* Alexander Severus (teste Ælio Lampridio) ludis Januariis & Hilariis matris Deûm, & ludis Apollinaribus & Jovis epulo & Saturnalibus, & hujusmodi festis diebus Phasianum adhibuit. Anserem quoque ab eodem diebus festis adhibitum fuisse idem testatur, ut hodie apud Christianos in Martinalibus. Tacitus Imperator (teste Flavio Vopisco) phasianam avem nisi suo & suorum natali, & diebus festivissimis, non posuit.

Anser.

Pavo. Pavonem quoque sive pavum (quem Theocritus eleganter vocat ὄρνιν ἀγαλλόμενον πτερύγων πολυανθεῖ χροιῇ.) inter delicatissima edulia a veteribus habitum fuisse illa Senecæ ad Lucilium indicant: *Num*, inquit, *esuriens fastidit omnia præter pavonem rhombumque? Ambitiosa non est fames, contenta desinere est: quo desinat, non nimis durat.* Apud Romanos (teste Macrob. lib. 3. *Satur.* cap. 13. ex M. Varronis lib. 3. de *Agricultura*) primus pavones Quintus Hortensius augurali cœna dicitur posuisse. Quod potiùs factum tam luxuriosè, quàm severè boni viri laudabant. Hunc citò secuti multi, extulerunt eorum pretia: ut ova eorum denariis væneant quinis, ipsi facilè quinquagenis. Memorabile est, quod S. August. gravissimus auctor scribit lib. 22. *de Civit. Dei*, cap. 4. Pavonis carnem non putrescere, id quod se expertum esse dicit. Verba ejus hæc sunt: *Quis enim, nisi Deus creator omnium, dedit carni pavonis mortui ne putresceret? Quod cùm auditu incredibile videretur, evenit ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc avis. De cujus pectore pulparum quantum visum est decerptum servare jussimus. Quod post dierum tantum spacium, quanto alia caro quæcunque cocta putresceret prolatum atque oblatum, nil nostrum offendit olfactum: Itemque repositum est post dies amplius quàm triginta: idem quod erat, inventum est. Idemque post annum, nisi quod aliquantum corpulentiæ siccioris & contractioris fuit.* Hæc ille: Martialis turdum cæteris avibus anteponit, cùm inquit:

Pavonis carnes non putrescere. Turdus.

Inter aves turdus, si quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Græcè κίχλα sive κίχλη dicitur, cujus sæpe in Aristoph. fit mentio, & in Acharn. turdus seu cibus delicatissimus, ἀκρίσιν, id est, *locustis*, ceu omnium vilissimo obsonio opponitur. Inde κιχλίζειν *turdos edere*, immodestè & lasciviter ridere, & in genere gulæ atque delitiis indulgere.

Animalium partes quæ maxime delicatæ. Ex animalium partibus mammillæ, testes & alæ alimenti probitate primas tenent: jecuscula item, si ab laudatis aviculis aut animantibus sumuntur improbanda non sunt, teste Valeriola in *locis communibus.*

Armi leporis. Leporis armos reliquis partibus palato esse gratiores & suaviores illud Horatii ostendit libro 2. Satyr. 4.

Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos.

Cur hîc *fœcundum* leporem appellet, ex Aristotelis & Varronis & Plinii libro 9. cap. 55. lectione intelligere licet. Sic omasum bubulum in mensarum delitiis olim numeratum esse, ex illo Horatii versu constat lib. 2. Satyr. 5.

Omasum bubulum.

---- seu pingui tentus omaso
Furius hybernas cana nive conspuet Alpeis.

Plin. lib. 8. cap. 46. *damnatus est a populo Rom. die dicta, qui concubino procaci rure omasum edisse se negante, occiderit bovem, actusque in exilium, tanquam colono suo interempto.* Horat. lib. 1. *Epistolarum* ad C. Nummonium Vallam, omasum agninum contrà pro vili & plebejo cibo ponit, de Menio scurra loquens:

---- patinas cœnabat omasi
Vilis & agnini, tribus ursis quod satis esset.

Omasi tabulæ pro quadris & segmentis omasi frustulatim sectis. Anseris similiter jecur Athen. scribit lib. 9. tanto in pretio fuisse veteribus, ut essent apud eos χηνοβοσκοὶ, *anserum pastores*, qui anseres ita alerent, ut eorum jecur mirificè augeretur. Quod item tradit Plinius lib. 10. cap. 22. *Jecur*, inquit, *fartilibus in magnam amplitudinem crescit, exemplumque lacte mulso augetur.* Hoc inventum alii Scipioni, alii Marcello viro consulari, nonnulli Marco Sestio eadem ætate equiti Romano ascribunt. Huc alludit Horatius Sermonum lib. 2. Satyr. 8.

Anseris jecur.

---- *Non*

- - - - Non sine farre
Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi.

Id est, Jecur saginatum & auctum pinguibus ficis. Lambinus in Horatium, *Idem* (inquit) *In Italia vidi factitari: sed quomodo, aut qua arte id fieret, non quæsivi.* Et Martial. lib 13.

Aspice quàm tumeat magno jecur ansere majus,
Miratus dices: hoc rogo crevit ubi?

Vulva.

Vulva quoque suilla apud veteres, quanto in pretio fuerit, Mercurialis ex veterum monumentis docet lib. 2. cap. 5. *Var. lect.* In eodem capite de *Variis antiquorum eduliis*, multa jucunda lectu scripsit: v. c. de catulorum lactentium carnibus, de carne camelina, de ranis, de gruibus, de sumine, &c.

Lumbi apri.

Apri (quod animal *propter convivia natum* Juvenalis appellat) lumbus omnibus aliis partibus ejus præponebatur: quem Plautus, & Cato *aprugnum* vocavere: cujus tenera durities commendata, ipsi etiam *Calli* nomen dedit, propter quod etiam Horatius longa ova extollens *callosa* nuncupavit, tanquam compacta illa teneritudo in omnibus ciborum generibus, & dentibus, & palato, & omni corporis parti valdè grata sit. Hæc Mercurialis lib. 2. cap. 23. Ubi etiam addit: *Hodie in nonnullis Italiæ regionibus, ac Venetorum præsertim, suum domesticorum lumbos inter suavia æstimari. Capita equorum, ut apud nos aprorum, in delitiis apud Tartaros Hippophagos haberi, & præstantioribus tantùm apponi, testis est Sigismundus Baro in Comment. rerum Moscoviticarum. Verùm de his singulorum animalium partibus delicatioribus, vide Bruyerinum, Christophorum a Vega,* &c. item de carnium generibus conditaneis, salitis, muriaticis, de muria, de carnibus fumo duratis, jurulentis, seu jusculentis, assis, elixis, tostis, de morticinis, id est, carnibus animantium non jugulatarum, sed per se mortuarum, quæ medicina vel morticina, de pulpa & pulpamento, vide Jacobum Pontanum in suis *exercitationibus*, volumine 2.

Lac.

Sequuntur nunc postremo loco, quæ ab animalibus proveniunt: inter quæ lac & ova principatum tenent, de quibus similiter pauca quædam dicenda. Lac igitur (quod nihil est aliud quàm sanguis concretus, sive concoctus) inter cibaria omnia optimi probatissimique succi esse omnium judicio medicorum, Galenus affirmat, modò a probo sit animante desumptum: inter quæ caprinum ille præfert recens mulctum, & melle aut aqua, saleve modico (ne in ventre cogatur) respersum. Hac ætate nonnulli mellis loco saccharum immiscent. De lacte equino, & aliis ejus generibus vide Mercurialem lib. 5. cap. 26. & 27. *Var. lect.* & lib. 2. cap. 26. Item de gentibus lac potantibus equinum vide Brodæum *Miscell.* lib. 4. cap. 3. Ac Nicolaus *de moribus gentium* Galactophagos Scythicam gentem, solo lacte equino pro cibo potuque uti, & confectos inde caseos edere docet: unde illos dicit esse δυσμαχωτάτους, *difficiles impugnatu*, cùm victum semper secum habeant. Eorundem Homerus quoque sæpe meminit. Ut autem olim ita hodie quoque Tartari & Scythæ, apud quos lac equarum coagulatur, plurimum delectantur lacte equino, eoque homines & fortes, & pingues fieri credunt, ut testis est Sigismundus Baro, &c. Lacte mero, id est, solo, & herbis veteres usi (unde *herbosum moretum*) in epulis matris Magnæ deorum, ut docetur in *Commentariis in Ovidii Fast.* lib. 4. Aphricanos illos, qui olim *Numidæ* fuerunt dicti, neque cibo aliquo vel quoruncunque modo cocto vesci, sed solo camelorum lacte contentos esse solitos fuisse, testis est Leo Africanus. Pro jentaculo (ut idem testatur) ingentem lactis tepentis cyathum epotant: in cœnam nonnullæ carnes siccæ lacteo butyro conditi solent, ex his suam quisque potionem accipit, ac sic e manu vorat. In cœna rursus lactis pateram exhauriunt, & sic est cœnæ colophon. Pro aqua plerunque lactis potu utuntur. Sostratum, teste Plutarcho lib. 4. *Sympos. Prob.* 1. nullo alio cibo potuve, quam lacte usum ferunt totam vitam exegisse. De butyri (quod Hebraicè חמה *chemah* dicitur, quia semper calet, & nunquam frigescit, aut congelatur) variis apud veteres generibus, ejus usu cùm in cibo, tum in ungendis corporibus post balnea olei loco: de butyro Scytharum confecto ex lacte equino, vide digna lectu apud Mercurialem lib. 1. cap. 16. *Var. Lectionum.* Hujusmodi apud Belgas butyri esus hodie est usitatissimus: unde *Butyrophagi* vulgò appellantur:

Caprinum. Equinum. Lac camelorum. Butyrum.

Caseus.

Caseus a Judæis גבינה *Gebinah* dictus est, ab eminentia גב *excelsum*, sive *eminens* significat: & חריצ *charitz*, *compressione* (unde Virgilius: —— *Et pressi copia lactis.*) quod caseorum confectio triturationi, quæ fit tribulis non dissimilis videatur, teste Kimhi 1. Sam. 17. שפות *schepho* quoque pro caseo invenitur 2. Sam. 17. 19. sic dictus a שפה *schapha*, quod est *contundere*: quòd contundantur & comprimantur. Et quoniam שפה *scapha* etiam *elevare* significat, caseum volunt nonnulli dictum שפה *schapha*, a figura excelsiore. Græcè τυρὸς dicitur, & τυρίον diminutivum *caseolus* a τυρῶν *cogere*, *coagulare*, quòd lacte agitato coagulatoque conficitur. Eodem modo *caseus a coëundo*, vel (ut Varro inquit) *a lacte coacto* dicitur, quasi *coaxens*. Casei ut hodie ita olim frequentissimus fuit usus: maximeque eo delectantur remiges & nautæ, ut Aristophanes tradit. Virgil. in *Bucolicis*,

Pinguis & ingratæ premeretur caseus urbi.

Turneb. Adversf. lib. 5. cap. 15. apud Virgilium, *Pressi copia lactis*, Poëtica circumlocutione vult caseum significari, qui & coagulo cogitur & premitur, & ipsa interdum manu premitur, formatur atque figuratur. Tranquillus: *Et caseum bubulum manu pressum.* Columella: *Illa verò*, inquit, *notissima est ratio casei faciendi, quem dicimus manu pressum.* Premitur etiam (authore Columella) ne fistulosus fit, quod ei accidit, qui laxiùs remissiusque in formis suis habetur, nec satis cogitur. Suetonius de Octavio Augusto: *Secundarium panem & pisciculos minutos, & caseum bubulum manu pressum.* De quo sic Columella, quòd in mulctra dum est tepefacta, vel manu figuratur, vel buxeis formis exprimitur: *Caseus fit fistulosus si parum pressus fuerit.* Cicero in libro

de

de Senectute: *Villa quæ tota locuples est, abundat porco, hœdo, agno, gallina, lacte, caseo, melle.* Caseorum varia genera vide apud Plinium libro 11. cap. 24. Caseus quis purior, aut valetudini melior aptiorve: nec non de more condensandi apud veteres, vide Mercurial. lib. 2. cap. 26. *Var. Lectionum.* Ibidem lib. 4. cap. 11. de more veterum caseos fumo exiccandi, juxta illud Martialis:

Non quemcunque focum, nec fumum caseus omnem
Sed velabrensem (in velabro conditum) *qui bibit ipse sapit.*

Idem Poëta, caseum laudatissimum Lunæ imagine signatum his versibus exprimit:

Caseus Hetruscæ signatus imagine Lunæ
Præstabit pueris, &c.
Si sine carne voles jentacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Caseus recens singulis accumbentibus in copide Laconica dari fuit solitus, ut testatur Athenæus lib. 4. Hodie apud Germanos a nonnullis schreckt den gast / id est, *hospitum* seu *convivarum terror*, dicitur. Apud Helvetios quibusdam in locis caseus cœnæ prooemium, & terminus esse consuevit. *Xenocratis caseolus* proverbialiter dicitur de cibo, qui perquàm diu durat, priusquam absumatur: transferri etiam ad alia potest, de quo Erasmus in Adag. Zoroastrem legimus in desertis caseo vixisse annis 20. ita temperato, ut cariosam vetustatem non sentiret. Εἰ τυρὸν εἶχον, οὐκ ἂν ἐδεόμην ὄψου, *si caseum haberem, non desiderarem obsonium*, apud Plutarchum in *Laconicis*, Proverbium, ubi quis minimis, vilissimisque est contentus, Erasmo interprete. *Salem & caseum edere*, Proverbium. Ex veterum consuetudine (teste Varrone) pulmentarii vice salem cum pane, & caseos edere consueverunt, qui hodie quoque ferè Germanorum mos est quibusdam in locis. De caseorum Hollandicorum præsertim Edamensium, vide eandem historiam Batavicam Had. Junii.

Porrò quoniam mel quoque ab animantibus, licet non solis, provenit, idcirco hîc quoque de illo quædam breviter dicendi videtur esse locus, Μέλι ἄγριον, *mel sylvestre*, quo Joannes Baptista in deserto usus est pro cibo, Theophilactus 3. Mar. interpretatur, τὸ ὑπὸ ἀγρίων μελισσῶν γεωργούμενον ἐν δένδροις δ' εὑρισκόμενον ἢ πέτραις. Mel biliosis, utpote siccis obesse: corpora mortua melle, in quo olim sepeliebantur, optimè conservari, & alia quædam digna cognitu Mercurialis tradit lib. 2. cap. 23. *Var. Lect.* Ibidem etiam tradit ex Eudoxo Cnidio apud Apollonium, Gysanteras, quæ gens fuit Africæ, ex floribus collectis in illis locis mel confecisse ea copia, ut qualitate etiam apum æquaret mellificium. Eustathius similiter Ιλ. χ. docet mellis usum apud veteres plurimum fuisse, & mel esse τρόφιμον, Pythagoræ testimonio comprobat: qui cùm frugalissimè viveret, sæpe solo melle erat contentus. Lycus arbitratus est, Byrnios qui Sardiniam incolebant ideo diutiùs vivere, quòd perpetuum mel illis escarium erat. Valleriola in suis *locis Communibus* lib. 3. melle (quod detergendi calefaciendique potestatem habet) senibus plurimo utendum consulit, si modò suæ valetudinis rationem habere velint, illæsamque senectutem in multum ævi producere. Id probat cum Antiochi medici & Telephi Grammatici exemplis, qui senes annosi, Attico melle & pane, alicave excepto, plurimum utebantur, Galeno teste lib. 5. *de Sanitate tuenda*: tum Pollionis Romuli exemplo, quem excedentem annum centesimum, cùm Augustus Imp. interrogasset, *Quanam ratione maximè vigorem illum animi corporisque custodisset*, ille respondit: *Intus mulso, foris oleo.* Plin. lib. 2. cap. 24. Melle etiam plurimum delectatus est Democritus Abderites senex, quo vitam propagasse fertur. Idem interrogatus, *Quonam pacto quispiam sanè degeret?* Respondit, *Si interiora melle, exteriora oleo madefierent.* Christus quoque post resurrectionem spectantibus discipulis suis de pisce assato, & favo mellis comedit, ut Luc. 24. scriptum est: οὐ φυσικῶς (inquit Theophylactus) quoniam cibo amplius non indigebat, sed οἰκονομικῶς, nempe & resurrectionis & veri sui corporis confirmandi gratia. Favus autem ille ex apibus, interprete Theophylacto, γλυκέων τοῦ θεοῦ λογίων, id est, *dulcissimorum oraculorum divinorum* fuit symbolum. Nam ut κηρίον κηφηνῶδες favus ex

De mellis usu in sacris.

fucis, sapientiæ Græcanicæ, ita κηρίον μελίσσιον sapientiæ divinæ est symbolum. Plutar. 4. *Symp. Probl.* 5. docet, mel olim a Judæis sacrificiis idcirco non fuisse adhibitum, quòd ejus admixtione vinum corrumpi videatur. Ejus quoque olim ad libationes ebrietatemque usum fuisse antequam vitis extitisset. Hodie quoque,

Mulsum.

addit ibidem, barbari qui vino carent μελίτειον, *mulsum* bibunt, dulcedinem radicibus austeris & vini saporem æmulantibus medicantes. At Græci Nephalia, id est, sobria & μελίσπονδα, *libationes melleas*, diis offerunt, quod vino maximè adversam naturam mel habeat.

Libationes mellitæ. Nota.

Mulsum olim, contrà quàm Plutarchus tradit, in sacrificiis a Judæis fuit adhibitum, ad significandum τὴν τοῦ θεοῦ ἄφθαρτον φύσιν, id est, *nulli corruptioni obnoxiam naturam Dei.* Hoc ipsum volunt interpretes Nehemiæ 8. nomine ממתקים *mamtakim* exprimi, a verbo מתק *matak*, quod significat aliquod dulce efficere, deducto. Vide Wolphium in Nehemiam.

Mellificatio apum in cadavere leonis. Proverbia a melle sumpta.

De mellificatione apum in cadavere leonis planè admirabili ac mystica, quòd mel Samson unà cum patre & matre sua comedit, vide Judicum cap. 14. Plinius & Virgilius 4. Georgicorum, ex juvencis & bubus mortuis apes, & ex equo vespas, & ex asino crabrones nasci testantur. Plutarchus similiter in vita Cleomenis idem testatur, & ita ex hominis cadavere, & præsertim ex medulla & humore defluente in terram, scribit nasci serpentes, &c. *Melle litus gladius*, In perniciosam adulationem dici solitum adagium. *Melle temetipsum perungis*, Proverbium, id est, suaviter molliterque vitam agis, &c. *Mellis medulla*, Proverbium, de re majorem in modum grata dicitur: de quibus Erasmus. Atque hæc quidem de prima ciborum divisione

Nota.

sint dicta, secundum illorum materiam variam, multiplicem atque copiosam: quam præpotens ille cœli terræque conditor & Dominus nobis e summæ beneficentiæ suæ thesauro ad fluxam atque caducam nostram

naturam

naturam vitamque tuendam ac sustentandam est largitus. *Ipse* namque *est* (ut David canit Psal. 135. & 144.) *qui dat escam omni carni, & pullis corvorum invocantibus eum. Ipse est, qui implet omne animal benedictione, & quo manum aperiente bonis omnia satiantur. Ipse est, qui dat esurientibus escam*: Psal. 146.

Aliter quoque cibi dividi possunt, ut alia propriè dicantur alimenta, alia condimenta, id est, gulæ irritamenta, quæ ad condienda opsonia fiunt, Græcè ἀρτύματα, ἡδύσματα, ζωμώματα dicta. Optimum cibi condimentum est fames, potionis sitis, ut Cicero scitè scribit libr. 1. *de Finibus*. Condimenta varia & multiplicia, maxima solent esse valetudinis nocumenta. Principem verò inter illa locum tenent sal, saccharum, mel & acetum. Numidæ (teste Salustio in *Bello Jugurthino*) plerumque lacte & ferina carne vescebantur, & neque salem, neque alia gulæ irritamenta quærebant. Sal enim condimentum est jucundissimum, atque adeò τῶν ὄψων ὄψον καὶ ἥδυσμα, id est, *obsoniorum atque condimentorum reliquorum opsonium ac condimentum*, quibus suavitatem conciliat. Unde etiam *Gratiarum* nomen salibus a nonnullis impositum videtur esse, eò quòd sales cibi necessitatem in suavitatem convertant. Plutarchus 5. *Symp. Problemat.* 10. Ibidem adagium οἱ περὶ ἅλας καὶ κύμινον, id est, *qui circa salem & cuminum*, exponitur de amicis qui inter se sunt familiares, ut etiam sale & cumino solis propositis unà cœnent. Præterea, cur Homerus salem θεῖον, id est, *divinum*, dixerit, & Ægyptiorum sacerdotes castissimi a sale omnino abstineant, ita ut pane quoque insulso vescantur, denique de salis utilitate, de ejusdem vi ad generandum, & adversus putredinem admirabili, in eodem Problemate multa cognitu utilia atque jucunda continentur. De ejusdem natura, viribus & usu vide eundem auctorem 4. *Sympos. Prob.* 4. & Levin. Lem. lib. 2. cap. 36. *de miraculis naturæ*, item Bodinum *de Dæmonomania* lib. 2. cap. 2. & Justum Lipsium in *Saturnalibus*. Sal raphano liquescere, & stomachi fastidium tollere, id quod columbæ quoque noverunt, Langius probat Ep. 97. De adagio, *Salem & Fabam scilicet proposuerunt*, de iis qui simulant se scire quod nesciunt, ducto a divinis salem & fabam proponere solitis, vide Erasmum in *Chiliadibus*. Sal & nitrum a quibus solvantur, vide Mercurialem lib. 4. *Var. Lect.* cap. 9. De more Ægyptiorum mortuos sale condiendi atque ita a putredine conservandi (unde ταριχεύειν, id est, *salire corpora*, pro *condire* usurpatur) vide eundem libro 3. cap secundo. Sales extenuandi potiùs, quàm calefaciendi vim obtinere, idem probat lib. 5. cap. 4. ubi Plutarchi simul de salitis sententiam explicat & emendat. *Quod sal carni*, Proverbium, quo significatur aliquid proprium & peculiare alicui rei, ut Junius in Adagiis ostendit. *Sal fatuus*, de homine insipido dicitur. Unde Hecobolius Sophista legitur se humi prostrasse ante templi vestibulum, exclamasseque, πατήσατέ με τὸ ἅλας τὸ ἀναίσθητον, id est, *proculcate me salem insensilem*, teste Nicephoro Callisto. De salis usu sacro & prophano, ejus allegoria vide plura apud Pierium in *Hierog.* τάριχος omnis generis salsamentum, muria, jus piscis, caro sale condita. Proverbium, *Tarichus assus est simul ac viderit ignem*: Et *Tharichus boni consulitur ubi desunt carnes*, & *Tarichus non feret se digna*: de quibus Erasmus in Adag. Cibus militaris erat τάριχος, apud Aristoph. ταριχοπώλης salsamentarius: τάριχα opsonia pretiosa & probe condita. ὕρχαι vasa fictilia, quibus reconduntur salsamenta, duas ansas habentia.

De saccharo, quod & *sal Indicus*, & *mel Arundinaceum* dicitur, quia in India, & quidem in arundinibus nascitur, colore sal, sapore mel referens, vide plure apud Brod. *Miscel.* lib. 4. cap. 44. & in meis comment. in Periplum maris Eryth.

De melle & aceto suprà est dictum. Hîc tantùm addendum, quòd acetaria a quibusdam dicuntur herbæ seu cibaria, quæ ex aceto sumuntur ad excitandum appetitum, quales sunt herbæ virentes, quas aceto oleoque guttatim instillato concinnamus. Salat oder sauffen von essig. Fiunt & ex radicibus herbarum. Plin. libr. 20. cap. 30. *Stomachum in acetariis sumpta corroborat.* De portulaca loquitur, Græcè ὀξύβαφον appellata, quasi aceto tinctum, παρὰ τὸ ὄξος & βάπτω. Acetaria quoque dici possunt carnes minutim concisæ, quæ ex aceto sumuntur.

Tertiò alimenta non incommodè videntur posse dividi in naturalia & artificialia, quæ hominum ope & artificio constant, inter quæ quoniam panes, & quæ ad eos referuntur placentæ, primas tenent, de iis quoque breviter hîc quædam percurremus. Nam plura de panibus atque placentis qui cognoscere cupit, is legat Athenæum lib. 3. cap. 17. et 18. et lib. 14. cap. 19. Pollucem lib. 6. cap. 11. et lib. 2. cap. 12. Plin. lib. 18. cap. 7. 9. 10. 11. ubi de panis faciendi ratione, generibus, de pistoriis, pistura, molitura, quando primùm pistores Romæ fuerint, pluribus disputat. De medicinis ex pane lib. 22. cap. 25. Ex recentioribus de panibus atque placentis copiosissimè scripserunt Bruyerinus *de re cibaria*, Cæl. Rhodig. lib. 9. cap. 16. et 17. quæ partim in Athenæo, partim ex Plinio sunt deprompta. Isidorus libro 20. cap. 20. Perottus in *Cornucopiæ*. Nonius Marcellus *panem* a *pascendo* dici vult. Isidorus a πᾶν omne quod cum omni cibo apponatur, vel quod omne animal eum appetat. Plutar. 8. *Sym. probl.* 6. panem ὡς πεῖναν ἀνιέντα, id est, *quòd famem sedet*, Romanis vult esse dictum. Idem lib. 6. *prob.* 8. panem testatur ex omnibus alimentis maximè reficere non homines modò, sed jumenta quoque, ut vel minimo panis frustulo accepto confirmentur atque progrediantur. Sub pane & placentas intellige, quæ si ex amygdalis fuerint, vulgò *Marcepan*: si ex ijsdem & uvis passis κῶνος Græcis est: panis ex milio, *mileaceus*: ex panico *paniaceus*. Panis lingua Phrygia βέκ dicitur, Germanis weck / sed is tantùm, qui forma cunei est: & beck pistor. In furno coctus κλιβανίτης, qui dicitur & *testaceus*: ex melle, uvis passis, & odoramentis confectus, ναστός, *Marcepan*. *Subcineritius* ἐγκρυφίας, ex farina depurgata, σιτάνιος, ex Hordeo καχρυδίας. Illius frustum ψωμὸς est, & ψωμίον, & ἔνθεσις, id est, *buccea*, & *buccella*, pro qua & plerique offellam capiunt, nempe pro frusto panis, quod juri intinctum est. Hesiodus autem ἄρτον τετράτρυφον, ὀκτάβλωμον servo tribuendum esse admonet. Hic dicitur a materia *siligineus*. Græcè σιλιγνίτης, quem veteres cæteris præferebant. Unde Seneca ad Lucilium, *Malum panem*, inquit, *expecta*,

Alia divisio alimentorum. Condimenta.

Sal.

Sal divinus. Ægypti sacerdotes a sale abstinent.

Saccharum.

Acetaria.

Panis & placentarum genera.

expecta, etiam illum tene tibi, & siligineum fames reddet. *Triticeus*, πύρινος, *avenaceus*, *furfuraceus*, ut cui fur simul cum tritico commiscetur, qui alias dicitur αὐτόπυρος, seu συγκομιστός, cui nonnihil pollinis tenuissimo incerniculo adimitur, qui a Celso quoque atque Hippocrate laudatur: hic quoque *civilis* dicitur a frequenti civium usu, in autopyro nihil cribro excussum est, in quo triticum totum est, ideò & συγκομιστὸς dicitur, in quo omnia simul collata sunt. Apud Ciceronem *cibarius panis*, quem Budæus a *civili* segregat: apud Galenum πιτυρίας: aut a commixtione fermenti zymites, ζυμίτης, id est, *fermentatus*: ut *azymus* non fermentatus, qui tamen plus illo nutrit. *Acrizymus* leviter fermentatus, quasi *acroazymus* Isidoro. Aut ex ratione panificii nomen sortitur. Nam si sub cinere coctus fuerit, *encryphias* (qualis a similo pistus in Moreto Virgilii) seu *subcinericeus* (*Encryphiæ, azyma subcinericea*, inquit Ambrosius) a furno *furneus*, seu *artopticius*. Nam Græcis ἀρτόπτης furnus est, vel potiùs testus aut testum, id est, vas, in quo panis excoquitur. Ἀρτοπώλης autem caupo panarius dicitur. Sic *aquaticus*, qui per aquam trahitur. *Sfungia* sive *spongia* (ut alii legunt) Isidoro est panis aqua diutissimè laxatus, qui similam modicam & fermentum modicum accipit, humectationis plurimum habet, unde & *spongiæ* nomen accepit. Aut ab obsoniis, *ostrearius*: aut a delitiis, ἀρτολάγανος: aut ex novò frumento, quadrimestri, aut vix trimestri, *sitanius*: aut ab usu, ut *nauticus*. *Semidalites* autem panis est ex similagine confectus, unde nostrum videtur Germanicum esse deductum. Est autem similago seu simila, Græcè σεμίδαλις, tenuissima farina tritici: στρυφνὸς ἄρτος, *asper panis*: si nauticus, *bis coctus*. Ἄζυμος panis, id est, *infermentatus*. Παξυμᾶς Græcis, aut παξυμάδιον, (zwey backen) Suidæ Romana vox est, ἀντὶ τοῦ δίπυρος ἄρτος, id est, *bucellatum* Am. Marcellino. Hujusmodi cùm Ptolomæo regi, per Ægypti deserta fugi-

Panis conficiendi ratio. enti atque esurienti, in casula fuisset oblatus, *nihil illo pane jucundius unquam se comedisse* affirmavit. Hîc autem paululum libet exspatiari in panificii disciplinam, ut verba tantùm rectiùs percipiantur. Quoties triticum mola seu fractum, sive tritum cernitur tenuissimo cribro, tunc totum in tres partes secernemus. Tenuissimus enim pulvis, qui in molis, aut parietibus panificum ferè adhæret, *pollen* dicitur, Græcè γύρις. Eodem modo in siligine flos erit: hæc prima. Altera, quæ in cribro excussario subsidet, crassissimum & grumosum *furfur* nominatur. Tertia mediocri modo se habet, & in quoddam labrum secernitur, *similago* seu *simila* dicta, de qua sic Martialis:

Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus
Pistori toties cùm sit & apta coquo.

Hoc genus panis usitatissimum & Græcis erat, sicut *chondrites*, a chondro, id est, alica. Hîc tamen observare oportet illud quod dicitur, *Lex & regio.* Nam & Æthiopes ex orindio semine panem pinsebant, qui dicitur *orindes*, ex re, qua confectus èst. Et Oritæ Ichthyophagi ex piscibus (quos unguibus dissectos Sole torrebant) panes conficiebant, teste Plinio lib. 7. cap. 2. Et Ægyptii pastores ex semine loti, simili milio, maximè aqua vel lacte subacto, quo pane negatur quicquam & salubrius aut levius dum calet, ut idem auctor testatur lib. 22. cap. 21. Sicut a lente (φακῇ) *phacinus*. Sic & militaris panis in usu militiæ. *Panis amylus*, ex amylo (id est, molita farina) factus. *Sordidus*, id est, frumentaceus. Ita apud Budæum *primarius*, *secundarius*, *civilis*. Sunt & *obeliæ* (Spießküchen) vel a figura, vel a precio oboli. *Nastus* panis ex melle uvis passis ac aromatibus conficiebatur, unde erant *nastocopi*. *Mystile* panis excavatus est, quo jus sorbetur, ut in aulicis videtur, quoties cochlearia præsentia non adsunt, quem quoque & ipsis canibus objiciunt, ideo Pompejus *canicam* vocat. *Boves*, a præfixis cornibus dicti panes: *Selene*, a forma lunæ cornicularis, Hörner. *Bomilii* Latinè quadrati, Pomeln quibusdam Germanis, & sunt *Romboides*. Huc referuntur & formæ placentarum, velut quæ ex tritico est *pyramus*: ex sesamo *sesamus*. *Crepis* (κρηπὶς) ex melle & farina, & aliæ id genus, quas frequens authorum lectio suppeditabit. Nam has nostri panifices seu artopæi, quos Plato ἀρτοκόπους vocat, non facilè pinsunt. Pistores tamen dulciarii, qui etiam *crustularii* dicuntur, in quibusdam locis ex saccaro, pineis nucibus, aut amygdalis contusis panes conficiunt, qui ab aliis *massa panes*, quasi mazæ, ab aliis *Martii panes* dicuntur. Caligula Imperator Romanus *panes & obsonia ex auro conviviis apposuit*, teste Suetonio. Nostra quoque tempestate in cœnis saliaribus nonnunquam panes, bellaria, offulæ jussulatæ, carnes, & id genus cætera inaurata apponuntur.

Alia ciborum divisio secundum varias eorum vires & facultates. Quartò cibi dividuntur multifariam, secundùm varios & multiplices eorum succos, vires & facultates. Ex alimentis quædam sunt, quæ alendi tantùm corporis, non etiam alterandi potestatem habent: quæ eadem corpus ejus, qui sumpsit in qualitate non immutant: & hæc *alimenta* propriè dicuntur. Alia corpus non solùm alere, sed & alendo alterare ad unam quampiam qualitatem possunt, corpus aut calefacientia, aut refrigerantia, humectantia, aut exiccantia: quæ *alimenta nutrimentosa* a medicis appellantur.

Item cibaria alia sunt εὔχυλα, *boni succi*, ut carnes avium montanarum, & piscium saxatilium: alia κακόχυλα, quæ malum succum generant, ut caseus vetus, & salsamenta. Nam χυλὸς Græcis *succus* est, sive *liquor*.

Sic alia dicuntur εὐανάδοτα, quæ facilem digestionem habent: alia δυσανάδοτα, quæ difficilem.

Porrò cibi iidem varias quoque atque diversas, sæpe etiam contrarias sortiuntur facultates, pro locorum, temporum, repositionis atque præparationis diversitate: de quibus, quoniam id nimis foret longum atque operosum, dicere supersedeo. Et hæ quidem adhuc commemoratæ ciborum differentiæ ex ipsismet cibis petuntur.

Alia ciborum divisio. Jam verò secundùm illos quoque, qui cibis utuntur, variæ ciborum differentiæ divisionesque afferri possunt.

Prima

Prima & generalissima est, cibos alios esse deorum, alios hominum, alios animantium. Diis quoque suis fictitiis Ethnici cibos peculiares tribuerunt: ut Ambrosiam & nectar Diis cœlestibus, inferis malvam, & porrum ceu victum tenuissimum. Hinc proverb. θεῶν τροφή, id est, *cibus deorum*: & *cœna deûm* Horatio, & μακάρων εὐωχία, Aristoph. de quibus suprà.

Tria ciborum genera. Deorum. Hominum. Brutorum. Animalium.

De ambrosia, & nectare sic scribit Eustath. Ιλ. A. 121. *Nectar & ambrosia* sunt nomina τροφῆς θείας, *alimenti divini*. Nectar quidem alimentum est humidum, vino respondens, sic dictum a νε privativa particula & κλῶ τὸ κλῶμαι, *possideo*, tanquam ἄκτητον, quod nullius hominis mortalis potest esse κτέαρ, sive κτῆμα, id est, *possessio*. Ἀμβροσία autem, quæ est alimentum siccum, vel dicitur ab α. privativa & βροτὸς, quòd nullus homo illud habet, vel potiùs ἐκ τοῦ ὑπεραναβαίνειν βροτόν, ἤγουν ὑπέρτερον εἶναι φθορᾶς, *quòd mortem corruptionemque vincat, ac superet.* Alii contrà ambrosiam alimentum liquidum, nectar siccum vocant. Eundem de his vocibus vide Ιλ. E. fol.462. Plutarchus tamen in libello *de Homeri vita* annotat, Homerum finxisse, Deos non indigere cibo, quo animalium corpora indigent. Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον: idcirco sunt ἀναίμονες sanguinis expertes, & ἀθάνατοι immortales appellantur. De Poëtarum figmento, de conviviis piorum in campis Elysiis, vide Crinit. lib. 5. cap. 11. Sic Judæi somniant Dominum paraturum omnibus Israëlitis in paradiso convivium ex immani bove, & ingenti pisce, quem *Leviathan* vocant, ac optimo vino, de quo Rab. Salom. fabulatur in 1. cap. Genes. statim ab initio. Simile huic est Turcarum figmentum atque somnium. Nos certè scimus neque Deum nostrum verum, quem colimus, cibo indigere, neque etiam angelos atque mentes beatas, quæ ex hac vita migrarunt. Quibus si quando cibus tribuitur in sacris literis, cibus non corporeus, sed spiritualis & immortalis est intelligendus: qui nihil est aliud, quàm contemplatio atque fruitio beata Dei, rerumque divinarum atque cœlestium. De quo tamen Theologos consulere poteris. Quòd autem *Manna* a Davide appellatur *panis Abbirim*, hoc est (ut Septuaginta interpretantur) *Angelorum* (vox eadem potest reddi *principum*, aut *heroum*) non ita accipi debet, quasi angeli pane, aut alio cibo vescantur, sed vel quòd (ut Chaldæus Paraphrastes videtur exponere) Man fuerit demissum ex loco habitationis angelorum: vel (ut alii volunt) quòd eorum opera in nubibus productum fuerit: vel intelligitur panis nobilissimus, quo angeli uti potuissent, si pane vescerentur: ut vulgo dicimus de præstantissimis epulis, dominorum & principum victum Herren brot. Luc. 14. exclamat quispiam de turba: *Beatus qui comedet panem in regno cœlorum*, hoc est, qui fruetur æternis illis gaudiis, & voluptatibus: qua significatione etiam mensa accipitur, Luc. 22. de qua Christus dicit, discipulos suos comesturos ac bibituros esse. Augustinus in quæstionib. Veteris & N. Testamenti quæst. 9. & in lib. *de mirabilib. Scripturæ* 1. cap. 23. *Panem* vult *Angelorum* dici, vel quòd per Angelorum ministerium, ut & lex, & alia populo fuerit datus: vel quod illa virtute creatus est, qua angelorum natura subsistit & vivit. Kimhi voce *Abbirim* indicat notari nubes vel æthera.

Cibi deorum. De ambrosia & nectare.

Deum, angelos & beatos in altero seculo non uti cibo.

Quod ad animalium victum attinet, non satis admirari possumus singularem Dei clementiam atque benignitatem, qua cuncta animalia pascit, idque propter nos, ut nobis alendis atque pascendis sufficere possint. Fit tamen sæpenumero justo Dei judicio, ut homines cùm vivi, tum mortui ipsorum animalium brutorum fiant esca atque pabulum. Admiranda quoque est meritò atque prædicanda Dei sapientia atque clementia, qua singulis animantium generibus certos quosdam atque peculiares cibos assignavit, qua de re piè sapienterque Origenes Homil. 27. *super Numeros* disserit, illam alimentorum varietatem ad sacram scripturam ceu verum & salutare animi pabulum egregiè accommodans.

Quoad hominum alimenta, illa dividi possunt secundum vel illorum naturam, vel complexionem, vel ætatem, vel sexum, vel vitæ genus atque conditionem, vel consuetudinem, religionem, superstitionem, palatum, festivitates, epulas.

Cibi hominum variè dividi possunt secundum varias hominum qualitates.

Quoad primum, biliosis & siccis refrigerantia & humectantia conveniunt. Pituitosis calefacientia & exiccantia. Melancholicis quæ calefaciunt & humectant. Sanguineis refrigerantia & humectantia. Contrarii enim corporis habitus ad contrarium victum bene, similes ad similem malè se habent, ut Gal. Aphoris. Comment. testatur.

Quod ad secundum attinet, manifestum est, alia cibaria sanis, alia ægrotantibus convenire.

Quoad tertium, dubium non est, quin alii cibi infantibus, alii adolescentibus, alii senibus congruant. Delicatiores pueris, valentiores adultis, senibus utiliores, & labentis naturæ ceu fomenta quædam infirmitatem juvantia, magis sunt ex usu.

De quarto similiter medici diligenter præcipiunt, quæ edulia maribus, quæ fœminis magis congruant.

Jam verò si vitæ genus atque conditionem spectes, pro illa diversum quoque victum, ac proinde diversa quoque nomina victus esse constat. Sic enim (exempli gratia) alius est victus militaris, de quo multa præclarè Schnebergerus in peculiari libello: alius athleticus, olim ἀναγκοφαγία, teste Aristot. in *Politicis* 8. dictus: nec non σίτου τροφή, de quo Mer. lib. 1. *de re gymn.* alius servorum, nautarum, ut bis coctum, caseus, teste Aristoph. alius rusticorum, operariorum, alius iter facientium, qui ἐφόδιον, *viaticum*: alius denique literatorum, otio deditorum: & sic de cæteris. Hæc de esculentis.

Quod ad poculenta attinet, eorum quatuor sunt potissimum apud omnes nationes genera, aqua, uvarum succus *vinum* appellatus, pomorum succus *sidra* dictus, & ordei succus appellatus *cerevisia*, ac *zythum*, de quibus infrà quædam. De singulis porrò hisce alimentis tum esculentis, tum poculentis copiosè utiliterque disseruit Joan. Bruyerinus Campeg. libris 22. quos inscripsit *de Re cibaria*: nec non Christophorus a Vega Hispanus, Villichius *de Arte magyrica*, Francisc. Marius *de Partibus ædium*, & ante hos Galenus in libris *de Alimentorum facultatibus*, & libello *de Cibis boni & mali succi*: Theophrastus, Plinius, multique alii

Poculentorum 4 genera.

 Medici

Medici atque Philosophi. Itaque ego, cui mores in primis, ritus atque cæremonias conviviales persequi est propositum, de iis breviter quædam dicere volui, de quibus qui plura cupit cognoscere, ea ex modò commemoratis auctoribus haurire poterit.

CAPUT IX.

DE ABSVRDO AC FERE MONSTROSO POPVLORVM QVORVNDAM VICTV. DE JOAN. BAPTISTAE ACRIDOPHAGIA QVAESTIO. DE LOCVSTARVM SECVNDVM SACRAS LITERAS, RABBINOS ATQVE ETIAM GRAECOS GENERIBVS ATQVE NOMINIBVS.

Verum antequam hunc de alimentorum varietate atque generibus locum concludam, libet hîc postremò addere populorum quorundam, eorum præsertim qui Arabiam, Troglodyticam, Æthiopiam, Indiam, Scythiam incolunt, peculiarem, & quidem ferè absurdum atque monstrosum victum, a communi & usitato hominum victu abhorrentem: unde etiam cognominari consueverunt, qui constat vel plantis, vel animalibus. Ac prioris quidem generis sunt hi qui sequuntur. Βαλανοφάγοι, *glandivori*, ut Arcades olim, teste Pausania, Lusitani Boëmo, & in genere prisci seculi homines ante repertas fruges Cereales, Cæl. lib. 16. 3.

Φοινικοφάγοι, *palmivori*, ut Nasamones Pœni, teste Herod. lib. 4.

Λωτοφάγοι, Eusťath. qui loto arbore victitant. Apud quos Ulyssis socii, degustata loto, redire ad navem noluerunt, nisi verberibus adacti, Homer. Οδ. θ. Οδ. 337. ut Ægyptii Palustres, Herod. lib. 2. Plin. lib. 22. 20. Item Africæ populi. Herod. lib. 4. Prov. *Lotum gustavit*, de quo Eras. in Chil.

Σπερμοφάγοι, Æthiopes qui & seminibus quibusdam victitabant, & iis deficientibus pomis nutriebantur atque herbis. Diod. lib. 3. c. 3. Strabo 16. His vicini Ὑλοφάγοι teneris ramorum summitatibus victitantes. Diod. lib. 3. cap. 3.

Ῥιζοφάγοι qui etiam *Elii* dicti Arriano & Strab. quòd ex paludibus evulsis radicibus massulas conficiebant, illisque ad solem coctis vescebantur, quos Strabo Σπερμοφάγοις vicinos facit. Sic Osorius lib. 5. suæ historiæ, incolas insulæ Laurentii, quæ est in Æthiopia, radicibus variis, quas terra illa effert, panis loco vesci testatur.

Posterioris generis sunt hi qui sequuntur, κρεοφάγοι, *carnivori*, Straboni lib. 16. supra Antiphili portum hodie *Vella* dictum, cujusmodi erant, teste Eustath. plerique veterum μὴ φιλίχθυες, Οδ. η.

Μοσχοφάγοι, *carne vitulina victitantes*, Arrianus in Periplo maris Eryth. qui & Leonum ac Pantherarum carne vescebantur.

Ἐλεφαντοφάγοι, *Elephantivori*, Indi Philost. στρουθοφάγοι, Indi eidem struthionum carne victitantes.

Πιθηκοφάγοι, seu Κερκοφάγοι, *simiis vescentes*, ut gygantes Afri, Herod. lib. 4.

Ἱπποφάγοι, *carnis equinæ esu utentes*, qui etiam ἱππομολγοὶ, & γαλακτοφάγοι dicti equino lacte vescentes, Eustath. ΙΛ. Ν.

Φθειροφάγοι *pediculos esitantes*, Scythiæ populi Budini, olim etiam Salæ dicti, quorum Arrianus in Periplo Ponti Euxini, Ptolomæus in Sarmatica Asia, nec non Mela & Strabo mentionem faciunt. Sabell. lib. 6. sic dictos esse vult a sordibus & fame, quemadmodum nos vernacula nostra lingua hominem remque sordidam, lusig appellamus.

Κυνοφάγοι, *canivori*, qui canum, præsertim catulorum lactentium carnibus vescebantur, iisque hostiarum vice utebantur, ut Corsycæ insulæ accolæ, teste Card. *de Subtil.* lib. *de Plantis.*

Ἀγριοι, qui & Κυναμολγοὶ, Strab. lib. 16. Plin. lib. 6. cap. 30. & lib. 8. cap. 29. Æthiopes caninis capitibus vescentes.

Καμηλοφάγοι, *Camelorum carnibus atque lacte victitantes*, ut Arabes, Cæl. lib. 28. cap. 2.

Ἰχθυοφάγοι, *Piscivori*, de quibus Arrianus in Periplo maris Eryth. S. Hieron. *contra Jovinianum*, Strab. lib. 6. 15. 16. Plin. lib. 6. cap. 39. lib. 23. cap. 29. lib. 1. cap. 7. Arrian. lib. 8. Philost. lib. 5. *de Vita Apollonii.* Diod. Sic. lib. 4. Agathar. *de Rubro mari.* De Ægyptiorum Ichthyophagia vide Herod. lib. 4.

Χελωνοφάγοι, *Testudinivori*, ut Amazones, quæ & lacertis vescebantur, de iisdem vide eosdem auctores: Diod. Sic. lib. 3. cap. 3. Plin. lib. 9. cap. 10. lib. 6. cap. 24. Strab. 16. Agatarchidem.

Ὀφιοφάγοι, *Serpentivori*, Troglodyticæ populi *Candei* dicti, Plin. 6. cap. 29. Boëm. lib. de Asia. De viperinarum carnium esu, vide Diosc. lib. 2. cap. 16. Provinciæ quoque Mangi incolas serpentibus vesci cum maximis delitiis, testis est Nicol. Contius de *Indis.* Plin. lib. 7. cap. 2. Æthiopas, nec non Seras, & qui montem Athon incolunt, ab Isogono Μακροβίους, hoc est, *longæ vitæ*, existimari eam ob causam, quod viperinis carnibus alantur: itaque nec capiti, nec vestibus eorum noxia corpori inesse animalia.

Βατραχοφάγοι, *ranivori*, Itali olim ob ranarum esum fuerunt appellati, vide Mercurial. lib. *Variarum lect.*

Τεττιγοφάγοι, *Cicadis vescentes.* Ath. lib. 4. cap. 3. dicit veteres cicadis & cercopis εἰς ἀνασόμωσιν, id est, venarum aperiendarum causa vesci solitos.

Gliri-

Glirivori nonnulli fuerunt a Glirium esu. Nam Glires quoque veteribus fuisse in delitiis, veterum monumenta testantur. Hinc Pollux veteres γλιροτροφεῖα habuisse testatur, in quibus glires alere & saginare consueverunt. Hinc Plinius, *Glires censoriæ legis princeps M. Scaurus in consulatu non alio modo cœnis adimere, quàm conchylia, aut ex alio orbe convectas aves. Semiferum & ipsum animal, cui vivaria in doliis idem, qui apris, instituit.* Idem lib. 36. cap. 1. *Extant censoriæ leges glandia in cœnis gliresque & alia dicta minora apponi vetantes.* Isaias quoque cap. 66. v. 27. Judæis & carnis suillæ & murium seu glirium esum injucundum exprobrat.

Ἀκριδοφάγοι, *Locustivori.* Plin. lib. 6. c. 30. *Pars quædam locustis tantùm vivit, fumo & sale duratis in annua elementa, ii 40. vitæ annum non excedunt.* Idem lib. 7. c. 2. de iisdem tradit, & Agatharchidis testimonio comprobat eos populos a Clitarcho & Megasthene *Mandros* appellari. Item lib. 11. c. 29. Parthis quoque in cibo locustas gratas esse dicit, & eodem in cap. docet, quantùm illa insecta messibus damnum importent. De Æthiopibus Acridophagis hæc scribit Diod. Sic. lib. 3. c. 3. *Æthiopes Acridophagi, deserto contermini, homines cæteris paulò breviores, macilenti, ac supra modum nigri. Veris tempore Zephyrus, ac Lybicus venti infinitum penè locustarum ex deserto ad eos deferunt numerum. Hæ permagnæ sunt, sed colore alarum turpi, ac squalido. Æthiopes, ad id assueti, in quandam latam longamque multis stadiis convallem plurimum materiei ex propinquis ingerunt. Cum suo tempore locustarum tanquam nubes a ventis supra vallem defertur, materiem congestam, omnemque loci herbam antea succisam incendunt. Locustæ desuper volantes ingenti fumo enectæ paulum ultra vallem ad terram tanta decidunt copia, ut victum omni genti abundè præbeant. Has enim sale, quod regio plurimum fert, superinfuso, diutiùs servant, cibum gustu eis suavem. Hic est solus eorum per omne tempus locustarum victus.*

Leo quoque Africanus lib. 9. descriptionis Africæ c. 3. locustarum in Africa plerunque tantam frequentiam conspici tradit, ut volantes instar nebulæ Solis radios operiant, & arboribus atque segetibus magnam perniciem afferant: unde magnam annonæ caritatem relinquant. Verùm Arabiæ desertæ, & Lybiæ populi locustarum adventu felici omine gaudere: nam vel elixas, vel ad Solem siccatas in farinam tundunt atque comedunt.

Solinus similiter refert, confines Mauritaniæ Æthiopas locustas legere, inque vitæ præsidium servare duratas salsugine. Cui subscribens D. Hieron. lib. contra Jovinianum 2. cap. 6. Orientales tradit & Lybiæ populos, quia per desertum & calidam eremi vastitatem locustarum nubes operiant, locustis vesci solere. *Hoc verum esse*, inquit, *Joan. Baptista probat.*

Scaliger Exercitat. 191. contra Cardanum *de Subtilitate: Apud Africanos*, inquit, *Syros, Persas in cibum recipiuntur illæ, quæ carent alis.* Afraci & Oniscii a Dioscoride nominantur, a Plinio Attelabi. Mihi videntur quidvis potiùs quàm Asellorum vel speciem, vel lentitudinem referre, ad appellationem consequendam. Elixis vescuntur Arabes: tostas etiam redigunt in pollinem. Nostrates aliæ virides, aliæ fulvæ, aliæ colore squillarum marinarum. Æthiopicæ aut rubræ, aut luteæ sunt. Troglodytæ vocant *Ambat*, Arabes *Gierard*, ἀκρίδας Græci & eo, quo Plinius usus est nomine. De iisdem vide ibidem plura. Eust. Οδ. θ. 303. in illa Homeri σῖτον ἔδοντες. *Hoc*, inquit, *dictum est ad differentiam aliorum hominum, qui non tales sunt, cujusmodi Æthiopas Macrobios esse historia testatur, qui cùm panem vidissent, illum stercori compararunt.* Sunt etiam, qui locustis ac piscibus victitant, qui idcirco ἀκριδοφάγοι, & ἰχθυοφάγοι dicebantur. Scythica autem gens atque Massagetica carnibus victitans, ne ipsa quidem vult σιτοφαγεῖν.

Dioscorides quoque Aphros ad Leptim habitantes ἀκρίσιν abundè uti dicit, scilicet in cibo, ut Cornarius in Commentariis in eundem interpretatur & Matthiolus. Quin & Aristophanes in *Acharn.* facit hujus cibi mentionem, cùm inquit:

Δ. Οὐκ. ἀλλ' ἐγὼ χὠ παῖς ἐρίζομεν πάλαι βούλει περιδόσθαι,
Κἀπιτρέψαι Λαμάχῳ πότερον ἀκρίδες ἥδιόν ἐστιν ἢ κίχλαι;
Λα. οἴμ' ὡς ὑβρίζεις. Δι. τὰς ἀκρίδας κρίνει πολύ.

Id est, *Non. Sed ego & puer jam dudum contendimus. Vis pacisci, & Lamacho committere utrum locustæ suaviores sint, aut turdi. La. Eheu quàm me contumelia afficis. Di. Judica, locustas longè jucundiores esse.* Hinc & apud Plutarchum in Symposio Thales ita loquitur: γεωργοῦ γὰρ ἀκρίδας καὶ ὄρνιθας ἀντὶ πυρῶν, καὶ κριθῶν συγκομίζειν ἐθέλοντας οὐδὲν διαφέρει τύραννος, ἀνδραπόδων μᾶλλον ἄρχειν, ἢ ἀνδρῶν βουλόμενος. Id est: *Nihil enim esse discriminis inter colonum, qui loco tritici & hordei locustas comportare velit atque aves, atque tyrannum, qui mancipiis quàm viris malit imperare.*

Sed quorsum hæc, inquies, de locustarum esu tam multa? Ut quoniam cùm sacræ, tum prophanæ literæ testantur, locustarum esum olim populis nonnullis fuisse usitatum, non miremur insignem quoque Christi πρόδρομον Joannem Baptistam, qui duro omnino ac aspero corporis cultu victuque usus est, iisdem in deserto vesci fuisse solitum, quemadmodum S. Euangelistæ Luc. 3. Math. 3. Marcus 1. capite locupletissimè testantur. Quid ergo opus est nodum, ut ita loquar, in scirpo quærere, & quemadmodum nonnulli cùm veterum, tum recentiorum fecerunt, vocem ἀκρίδος, quæ in Euangelio ponitur contra omnem grammaticorum consensum in alienum sensum detorquere, vel etiam (quod videtur esse nephas) corruptam suspicari? Nonnulli enim (teste Theophylacto) ἀκρίδας voluerunt esse herbas, quas μέλαγρα appellant, alii etiam ἀκρόδρυα, sive ὀπώρας ἀγρίας, id est, *arborum gemmas*, aut fœtus, aut sylvestrium fructuum cibos, quibus Joannes usus sit. Sed vox ἀκρίδος nusquam in illa significatione apud ullos authores reperitur. Hieronymus Montius in libro

De Joannis Baptistæ acridophagia.

in libro *de tutela salubritatis*, putat ἀκρέμονας esse legendum, quæ vox turiones, asparagos, cymas, summitates arborum significat: Theophrastus similiter Paracelsus, ubi de melle scribit, & qui eum sectantur, Michael Toxites in Onomastro suo super Theophrastum, & Leonhardus Thurneysserus, per ἀκρίδας, sive locustas plantarum extremitates, non insecta illa venenosa intelligenda esse volunt. Nam, ut Toxites inquit, *etiam nos solemus lupulos, asparagos, & similium locustas cum oleo & aceto edere, veterum autem cibus olim herbis potiùs quàm carnibus constabat.* Hæc ille. Sed nusquam constat in ullo authore vel vocem Græcam ἀκρίδος, vel Latinam *locustæ* in illa significatione usurpari, quam illi fingunt linguarum forsan illarum ignoratione decepti. Sunt etiam qui ἀχράδας scriptum fuisse existimant exigua mutatione deflexo nomine, quas *pyrastros*, sive *pyros agrestes* interpretantur apud Theophrastum & Dioscoridem.

Ἐγκρίδες. Epiphanius contra Ebionæos annotat, nonnullos Judæos veritatis sermonem in mendacium convertentes depravatè pro ἀκρίδες legisse ἐγκρίδες, quod nomen interpretatur bellaria ex melle sive oleo, quorum fit mentio Exod. 16. ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι. Et Num. 11. ἦν ἡ ἡδονὴ τοῦ μάννα ὡσεὶ ἐγκρὶς ἐλαίων. Hinc ἐγκριδοπῶλαι apud Athen. lib. 14. hujusmodi bellariorum venditores, pro quo mendosè lib. 3. v. penult. ἐγνοδοπῶλαι legitur: ut apud eundem libro eodem φυλλοτρῶγες pro φιλοτρῶγες (quo epitheto Græci μικροτραπέζους ornarunt) legendum esse David Hœschelius, vir doctissimus, ex suo libro manuscripto in annotatiunculis ad Homilias Sanctorum Patrum, Augustæ editis. Redeo ad vocem ἐγκρὶς, de hac sic Eustath. Ιλ. σ. inquit, ἐγκρὶς πεμμάτιον ἑψόμενον ἐν ἐλαίῳ, εἶτα μελιτούμενον, id est, *bellarium in oleo, sive melle coctum.* Idem. Ιλ. 2. ἐγκρίδα, etiam panis speciem esse ex Epicharmo probat. Acceperunt etiam quidam hoc loco genus esse Cancrorum marinorum, qui ab Athenæo καρίδες, & ἀχαρίδες (nam utroque modo scriptum reperi) appellantur, quorum Apitium ita appetentem fuisse scribit, ut & Minturnis (quæ urbs est Campaniæ) plurimum sit commoratus, preciosos cancros, quorum ibi magna erat copia, comedendi gratia, & in Lybiam usque cùm ibi mira magnitudine nasci cognovisset, peregrinationem susceperit.

Quidam ἀκρίδες exposuerunt cancros. Καρίδες, id est squillæ.

Gaza in Aristotelem, *squillam* sive *squillum* vertit, de qua sic scribit Robertus Constantinus in *supplemento linguæ Latinæ*, inquiens, *Squilla*, καρὶς (*quia capite, quod* κάρη, *magno est, vel quia* ἀκρὶς *marina*) & καρὶς, & κωρὶς *apud Athenæum lib.* 3. Gallis *cheurette*, & Northmannis *crevete* est. Differentiæ plures. Est enim καρὶς πλατεῖα, *squilla lata*, Liguribus *Orchetta*, & *Massacara* Siculis, ac Neapolitanis. Magnitudine hæc locustarum multò latior. Altera est cælata, tota rubra, quæ τέττιξ ἐνάλιος Æliani lib. 13. Cap. 25. id est, *cicada marina*, *Cammarus*, sive *Gammarus* Columellæ ac Plinii. Tertia κράγγων, sive κραγγὴ. Arist. l. 4. C. 2. *Histor. Animal.* Cui crusta tenuis, candida, interdum rubescens, longitudo palmi majoris. Quarta, squilla gibba, καρὶς κυφή. Est & squilla parva, καρὶς μικρὰ (aliaque, quæ καρίδιον in pinnis) Monspeliis *Civade*, Italis *Gambarello.* Ultima squilla μάντις (a μάντις magnæ locustæ specie) dicitur. Cui duo brachia locustæ magnæ terrestris.

Verùm hæc quoque opinio a vero videtur esse aliena, cùm & cancri illi marini non ἀκρίδες, sed καρίδες, sive ἀκαρίδες appellentur, & desertum a mari procul absit, & cancri illi marini in delitiis habeantur, a quibus Joannem Baptistam constat omnino abstinuisse, duro, rigidoque victu contentum. Nos ergo repudiatis omnibus illis opinionibus simpliciter credamus Joan. Baptistam vesci locustis fuisse solitum, cùm & vox ἀκρὶς nusquam nisi pro locusta apud auctores Græcos accipiatur, & constet cùm olim, tum hodie quoque illas quorundam populorum cibum esse, & denique doctissimi quique cùm patrum veterum, tùm recentiorum interpretum in eadem sint sententia, quorum nonnulla exempla subjungam. Chaldaica versio pro voce ἀκρὶς, habet קמצא *Kamza*, quod *locustam* significat, Nahum 3. & Esajæ 40. sic dicta a colligendo. Suidas eandem vocem in Euangelio interpretatur εἶδος ζωϋφίου, id est, *genus animalculi.* S. Chrysostomus scribit parva fuisse animalcula, quorum in desertis Judææ maxima fuerit copia, oleo coqui solita, qui pauperum fuit cibus. S. August. quoque in Epist. ad Roman. Joannem Baptist. locustis vesci solitum dicit. Idem testatur Theophylactus, qui tamen simul esum illum locustarum allegoricῶs interpretatur, id quod etiam facit Adamantius (id est Origenes) *Homilia in Lucam* cap. 11. De S. Hieronymo suprà dictum est, qui & ipse simpliciter vocem ἀκρίδες *Locustas* interpretatur: de quo etiam Cælius lib. 28. cap. 2. Hieronymus Cardanus hac ipsa de re, & de locustarum in genere cùm pernitie, tùm utilitate atque esu lib. 9. *De Animalibus, quæ ex putredine generantur,* sic differit: *Adversus humanum genus contraria ratione Locustæ paratæ videntur, non passim abundant, sed Africa fermè sola hac peste, & quod magis mirum est, alternis fermè annis laborat. Cœlum, pro ostento in Italia ut vidimus, paucis abhinc annis, non secus ac densa nubes obtegebant. Provinciæ in quas calamitas hæc deciderit, satis ac germine omni una nocte spoliantur: diceres enim nivem decidisse nocte tota, si candidæ tam essent, quàm sunt nigræ. Forma earum est ut locustarum Italicarum, sed rubro obscuro colore, majores paulò, & volandi facultate præditæ. Sunt qui ventis illas ad nos ferri supra mare, non spontè, ob multitudinem, & regionis distantiam existiment. Gignuntur juxta paludes, & cùm in cultam Africæ terram volant, non generant, vel parum. Quæ in paludibus relinquuntur, non possunt adeò multiplicari, ut evolare ad pabulum necesse sit, sed contentæ sunt sarmentis algaque palustri, ob id cùm frequentissimè, non nisi alternis annis, plerunque etiam rariùs in provinciam grassantur. Quæ verò exeunt absumptis satis, cùm evolare cogantur quærendi cibi gratia, tandem a ventis præcipitantur in mare. Quandoque verò ventorum perseverantia, roboreque earum usque ad adversas Africæ regiones deferuntur: cujus mali Sicilia primùm, post Italia haud expers est. Experimento compertum est curam ad ova delenda ignibus profuisse: nam sobole privantur. Si tamen cura non adhibeatur, hoc malum visum est sequenti anno repullulare, non levi incommodo: præter enim certam sterilitatem periculum etiam pestilentiæ afferunt, ac omen ad futurum bellum.*

Quibus-

Locustarum esus. Bombycum esus. Mustelarum esus. Incommoda locustarum esus. Seleucides aves locustis vescuntur. Acridophagi pthiriasi laborant.

Quibusdam tamen utiles: adeò nihil ex quaque parte aut beatum, aut ingratum. Arabes enim, & Lybiæ populi siccatas sole redigunt in panes: recentes quoque edunt. Nec mirum, cùm Moses in seligendis cibis diligentissimus, locustas Hebræis ut salutares comedere permiserit. Et Joannes Baptista illis cum agresti melle in deserto vescebatur. Naturæ autem rerum imperiti ignarique de hoc admirantur, & multa perperam fabulantur, ne vir solitarius locustas ederet in deserto: cùm Germani quidam milites bombyces nostros in serici speciem nutritos, in tanta etiam rerum copia delitiarum causa frixos ederint, idque jure. Nam quæ innoxia sunt, & sapore, & odore tetro carent, sola opinione constant. Itali enim mustelas solo colore a vermibus distinctas, cùm hæ nigræ sint, vermes rubri, comedunt, atque inter cupedias ponunt, cùm tamen ex putredine, non ex ovis, quemadmodum locustæ, & bombyces, generentur. Simili ratione ostrea, conchyliaque tam avidè, ut etiam cruda devoremus, quæ ex putredine procreari scimus. Nec tamen scio præter hæc tria ullum animal, quod ex sola putri materia ortum habeat, in usu esse culinarum, &c. Mercurial. lib. 2. *var. lect.* cap. 20. de hoc ipso locustarum esu hunc in modum disputat: *Agatharchides & Diodorus scripta reliquerunt, quosdam populos ob frequentem locustarum esum non modò breviori cæteris vita esse, verumetiam sævissimo quodam pediculorum alatorum genere, nec admodum dracunculis prædictis dissimili morbo consumptos interire. Unde vehementer mirari soleo, quomodo Parthi, ac Judæi potuerint (ut Levit.* 11. *narratur) locustis victitare: nisi Dei immortalis beneficio id perinde factum est in ipsis, ac in Joanne Baptista observatum legitur apud Matth. Alioquin, ut Galenus* 5. *de loc. aff. nec non Suidas tradunt, Seleucidas aves in Asia locustis vescentes, statim ipsas excernere, & proinde nil ferè nutriri, sic par erat homines eo unico cibo haudquaquam diu superesse posse. Historiam ab Agatharchide relatam, quoniam medicos adjuturam ac delectaturam spero, eam Latino sermone expositam hic subjungam. A prædictis non multum differunt locustarum esores, gens quidem staturæ aliis brevioris, aspectu macilens, ac supra modum nigra. Sub æquinoctium vernum, quando apud ipsos Aphrici & Zephyri spirant, ex loco quodam incognito ineffabilis magnarum locustarum multitudo unà cum illis ventis ad ipsos pervehitur, quæ ab avibus volandi facultate parum, at corpore longè differunt. Ab hoc animalium genere toto corpore nutriuntur, iis salitis, atque alio modo paratis vescentes: venantur autem ipsas fumo ex aëre in terram dejicientes. Atque hi agilitate quidem & pedum velocitate pollere dicuntur, sed cùm valdè siccum nutrimentum capiant, ultrà quadragesimum annum vitam non producunt: imò vita miseriorem sanè mortem obeunt. Siquidem appropinquante senectute eorum corporibus alata pediculorum quædam genera innascuntur, figuræ quidem caninis muscis similium, sed alioquin minorum. Incipiunt a pectore ac ventre, brevique universam faciei cutem depascuntur. Atque horum alii primùm scabiosorum instar afficiuntur, deinde seipsos graviter dilacerant, tandemque morbo consistente nec non cum bestiolarum exortu tenuibus effusis humoribus intolerabiles cruciatus subire miseri coguntur, sicque vel ob succos, vel ob alimentum, vel ob aëris pravitatem intereunt*, &c. Stabulensis & Erasmus in suis commentariis in novum Testament. pluribus contendunt adversus Lyranum, Rabanum, Perottum & alios per ἀκρίδας locustas esse intelligendas, & his Joannem Baptist. vesci fuisse solitum, de quo etiam extat illud Ecclesiæ carmen:

Præbuit hic tum tegimen camelus,
Artubus sacris strophium bidentes,
Cui latex haustum sociata pastum,
Mella locustis.

Equidem an illis ipsis locustis, quæ apud nos sunt, populi olim nonnulli, et sanctissimus ille Christi præcursor vesci fuerint soliti, dubitandum esse puto, mihi potiùs aliud quoddam videtur fuisse locustarum genus, nostro dissimile. Deinde cùm plurimi regiones illas paragrarint, & adhuc peragrare soleant, mirum forsan alicui videatur neminem eorum vel talem aliquam locustam esui aptam secum attulisse, cùm multa alia nobis inusitata ex regionibus illis afferant, vel minimam aliquam in suarum peregrinationum libellis, quorum non pauci extant, hujusmodi locustarum, quas Joan. Baptista comedit, mentionem fecisse. Nam verisimile est regionem illam, in qua versatus est, adhuc animalculis illis, quibus in cibo usus est, abundare. Nunc quoniam de locustarum esu multa satis dicta sunt, non inutile forsan nec etiam injucundum fuerit, de earundem secundum sacras literas et Rabbinorum scripta generibus atque nominibus, nominumque interpretationibus variis quædam adjicere, quæ ad multa sacræ scripturæ loca illustranda non parum conducent. Secundum ergo sacras literas & Rabbinorum monumenta 7. ferè locustarum sunt genera: quatuor tamen inter aves mundas numerantur, quibus licebat Judæis vesci, ut Levit. 11. scriptum est.

Locustarum genera secundum sacras literas & rabbinos septem. Arbe.

Hæc 4. genera quadrupedia, quorum hæ sunt differentiæ atque nomina. Prima species ארבה *Arbe* dicitur a multitudine, a רבה *rabath*, id est, *augescere*, seu *multiplicari*. R. D. Kimhi super Joëlem sic putat nominari, quòd hæc locustarum species omnium sit maxima & copiosissima, unde nomen speciei pro genere usurpatur: vel quòd agminatim atque turmatim aggregentur. Id genus locustarum in Ægyptios agros Moysis tempestate divino judicio orientali vento immissum, horribilem illis vastitatem intulit, sicuti Exod. 10. scriptum est. Huic simile est, quod T. Livius Decad. 5. lib. 22. literis memoriæque prodidit: *Coss. Rom. Popilio Lænate & P. Ælio Ligure locustarum tantæ nubes a mari vento repente in Italiam illatæ sunt, ut examinibus suis agros latè operuerint. Ad quam pestem frugum tollendam Cn. Sicinius Prætor designatus cum Imperio in Apuliam missus ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumpsit.* Item eodem teste Decad. 3. lib. 10. statim ab initio, *Cn. Servilio Cepione, & Cn. Servilio Gemino Coss. circa Capuam omnem agrum locustarum vis ingens, ita ut unde venissent parum constaret, complevit.* Atque hæc inter prodigia ibi numerantur. Itaque mirum non est, numerosissimarum perniciosissimarumque hujusmodi bestiolarum similitudinibus crebrò in sacris literis hostium multitudinem, vim, impetum atque pernitiem quam adferunt, adumbrari, ut Jud. 6. Jerem.

 45. Na-

45. Nahum. 3. Prov. 20. Job. 31. Pſalm. 72. & alibi videre licet. Pſal. 109. ver. 23. *Sicut umbra*, inquit David deplorans miſerrimum rerum ſuarum ſtatum, *dum inclinat, tranſeo, excuſſus ſum quaſi locuſta*. Hanc ſimilitudinem alii ad corporis maciem nimio mœrore contractam referunt, quòd locuſtæ tenues ſint atque leves: alii ad injurias, quibus animalculum hoc eſt expoſitum, cùm ſæpe ventorum vi magna agmina locuſtarum abripiantur & præcipitentur vel in mare, vel in loca deſerta. Sunt qui hoc ſimili inſtabilem ejus conditionem exprimi volunt, quòd locuſtarum inſtar huc atque illuc migrare quaſique ſaltare cogatur, nec habeat certam aliquam & quietam ſedem. His locuſtis Apoc. 9. ψευδοδιδάσκαλοι comparantur.

Vocem porrò *Arbeh* nonnulli vertunt voce ἀκρίδος, quæ & ipſa videtur eſſe generalior ad quodvis locuſtarum genus ſignificandum: dicitur autem ἀκρὶς ſecundum grammaticos παρὰ τὸ τὰ ἄκρα τῶν σταχύων καὶ δένδρων νέμεσθαι, *quòd ſumma ſegetum & arborum depaſcantur*: unde ἀκρίδιον, *locuſtula* diminutivum, & ἀκριδοθήρα, *capſula ad venandas locuſtas*. Sunt qui βροῦχον vertunt, de qua voce infrà. Nonnunquam 70. & Hieronymus vertunt ἀττέλαβον (ſcribitur etiam ἀττέλεβος) quòd Aquila in comeſſorem vertit. Ἀττέλαβος Græcis genus eſt locuſtæ minutum, de quo ſic Hieronymus: *Attelabus parva locuſta eſt inter locuſtam, & bruchum, & modicis pennis reptans potius, quàm volans, ſemperque ſubſiliens. Et ob hanc cauſam ubicunque orta fuerit, uſque ad pulverem cuncta conſumit: quia donec creſcant pennæ, abire non poteſt.* Joel. 1. & Nahum 3. Chaldaicè *arbeh* vertitur גובא *Goba*, ab altitudine, ſive, ut alii volunt, *Goba* dicitur *collectio* a גבב *gabbeb*, id eſt, *congregavit*, quòd videlicet in magno numero veniat, atque, ut Prov. 3. legitur, veluti turmatim procedat. Eadem vox etiam Nahum 3. ponitur. *Parvuli tui Cegob gobai*, id eſt, *quaſi locuſta locuſtarum*. 70. ſimpliciter tranſtulerunt ἀκρίδα, Kimhi, Abraham, & Jonathan intellexerunt etiam eximiæ magnitudinis locuſtas: nam plerunque geminatio verbi ἐπιτάσιν habet. R. Sel. *exercitum locuſtarum* expoſuit. Amos quoque 7. v. 1. גובי *Gobai* ponitur, ubi per examen locuſtarum fœnum cordum ſeu autumnale depaſcentium, terræ ſanctæ futura depopulatio ac devaſtatio a numeroſiſſimo Aſſyriorum, Babyloniorum, & Romanorum exercitu deſignatur: 70. interpretes ἐπιγονὴν ἀκρίδων, id eſt, *fœtum locuſtarum* reddiderunt.

Porrò ut apud Hebræos *Arbeh*, apud Græcos ἀκρὶς, ſic apud Latinos *locuſtæ* nomen videtur eſſe generaliſſimum. *Locuſtam* autem volunt grammatici dictam eſſe ab uredine locorum, quaſi *loca urens*, ſive exuſtulans. Iſidoro & Lirano ſic videtur dicta, quòd longis ſit pedibus, quaſi *longa haſta*, unde & eam tamen tam maritimam quàm terreſtrem (addit Iſidorus) *Haſtago* appellant.

Secunda ſpecies eſt Levit. 11. סלעם *Salaam*, nuſquam alibi in ſacris literis reperitur. R. Abraham ben Ezra, & Hizkuni putant ſic Hebraicè dici, eò quòd aſcendat & ſaliat ſuper rupes & ſilices. Nam סלע *Sala* Latinè *ſilicem ſaxum*, ſive *rupem* ſignificat. Alii ſic volunt dici a סלם *ſullam* inſerta litera v. quod *ſcalam* ſignificat, a סלל *Salal*, id eſt, *viam complanavit*, ſeu *contrivit*, *exaltavit*, *conculcavit*. R. David Kimhi definit genus eſſe locuſtarum altum, gibboſum, & ſine cauda cum capite oblongo, quod a Chaldæis & rabbinis רשון *Raſchon* appellatur. 70. interpretes, & poſt illos Hieron. ἀττάκην *Attacum* verterunt.

Tertia ſpecies eſt חרגל *Chargol*. Hebraicum Chaldæus paraph. retinet, qui vocat חרגלא *Chargola*. Vetus interpres vertit ὀφιομάχον. Eſt autem *Ophiomachus*, ut quidam ſcribunt, genus volucris, aut lacertæ pugnantis cum ſerpentibus, unde nomen eſt ſortita. Sed *Chargol* probabiliùs eſt eſſe genus locuſtæ, ut Kimhi videtur.

Quarta ſpecies Hebraicè חגב *Chagab*, Chaldæis *Chargeba* dicitur: *Chagab*, Hieronymus Eccleſiaſt. ult. dicit eſſe ambiguum, quod & *locuſta* & ἀττέλεβος poteſt transferri, & metaphoricè illo nomine ſignificari ſenum crura tumentia, & podagræ tumoribus prægravata. Hæ 4. commemoratæ locuſtarum ſpecies Judæis concedantur in cibum, quibus veriſimile eſt Joan. Baptiſtam veſci fuiſſe ſolitum. R. Selom. in Levit. ſcribit Judæos non poſſe has 4. locuſtarum ſpecies a ſe invicem diſcernere.

Sunt præterea aliæ tres locuſtarum ſpecies, de quibus Joël ſcribit cap. 1. & Amos 4. Prima dicitur גזם *Gazam* à גזז *Gazas* quod *tondere*, *radere*, *excindere* ſignificat. Joëlis 1. & Amos 4. quòd omnia e terra naſcentia detondeat, depaſcat et abſumat. Chaldaicè Joël. primo זחלא *Zachala* vertitur, quod nomen eſt generale reptilium, a זחל quod *repere* ſive *ſerpere* ſignificat; inde זחלי ארעא *Sechale aratz*, id eſt, *reptilia terræ*, Apud Rabbinos paſſim ad ſignificandam Gazam uſurpatur. Kimhi quoque Joël. 1. Gazam ſcribit eſſe vermem, olera et præſertim braſſicas abrodentem, ſic dicitur quòd per humum rependo omnia abſumat et perdat. Mercerus Joël. 1. putat βροῦχον poſſe verti, de qua voce infrà. Quinquarboreus in Amos 4. cap. *dentibus*, inquit, *durioribus valet, ita ut arbores etiam comedere poſſit*, unde apud Amos ſcriptum eſt: *Et olivas veſtras comedet*. 70. verterunt κάμπην. Eſt autem κάμπη (qua voce etiam Latini utuntur) *vermiculus*, hortenſes maximè herbas et arborum frondes erodens, dicta a κάμπτειν, id eſt, *flectere*, quia in arcum arrependo incurvatur. Columella,

Nec ſolùm teneras audent arrodere frondes
Implicitus conchæ limax hirſutaque campe.

Porrò et vocem Græcam κάμπην, ut *Gaza*, et Heb. *Gazam*, ut Hieronymus et alii plerunque vertunt *Erucam*. Eſt autem *Eruca*, ut Liranus inquit, *propriè vermis in oleribus naſcens*. Idem, *eruca ab erodendo dicitur vermis, quòd erodit frondes, & maximè olera: unde eruca eroda.* Plin. lib. 17. cap. 24. *ſunt eadem cauſa naſcentes & erucæ dirum animal, erodunt que frondem, aliæ florem: olivarum quoque, ut in Mileto, ac depaſtam arborem turpi facie relinquunt. Naſcitur hoc malum tempore humido & lento. Fit aliud ex eodem, ſi Sol acrior inſecutus inuſſerit ipſum vitium, ideoque mutaverit.* Idem lib. 11. c. 32. *Multa autem inſecta & aliter naſcuntur, atque in primis ex rore.*

Attelabus. Gobà. Locuſta unde dicta. Salaam. Raſchon. Chargol. Chagab. Gazam. Eruca.

rore. Insidet hic raphani folio primo Vere, & spissatur Sole, in magnitudinem milii cogitur. Inde oritur vermiculus parvus, & triduo mox eruca, quæ adjectis diebus crescit, immobilis duro cortice ad tactum movetur aranei. Hæc eruca, quam *chrysalidem* appellant, rupto deinde cortice volat Papilio. Quomodo sata contra erucas & alia venenata animalia conservanda, vide eundem lib. 18. cap. 28. *Gazam* porrò quidam *locustam*, nonnulli *cicadam* (perperam meo judicio, cùm jucunda hæc magis sit æstatis nuntia, quàm nocens) Galli *chenille*, Ital. *erucho*, Hisp. *erugo*.

Secunda species apud Joëlem est ילק *Jalak*, quasi dicas *liguritio*, a לקק *lakak*, (unde lecken Germ. quod Jalak.
lambere et *lingere* significat) quia herbas lambant et devorent. R. D. Kim. in 1. Joël. definit *animalculum alatum instar crabronis, sed minoris quantitatis, quod arborum folia depopulatur, & in maxima multitudine vastat.* Joël. 1. *Ialak* Chaldaicè vertitur כורת *Coret*, id est, *incidens. Nah. 3. Gladius devorabit te: Caialak*, *congregare*, sive ut R. Abraham & Kim. interpretantur, *aggravare*, *Cajalak*: & v. sequenti *jalak*, *expansus est & avolavit.* Hic Chaldaica versio nomen *Jalak* interpretatur partim nomine זחלא *Sochala*, id est, *reptilis* sive *vermis*, partim nomine קמצא *Kameza*, quod & ipsum *locustam* sic dictam significat, de quo suprà, a collectione seu congregatione (unde & *Camez* punctum a collectione oris dictum volunt) quoniam gregatim sive agminatim volant. Syriaca quoque N. Test. versio eadem voce pro nomine ἀκρίδος utitur. Joël. 1. Eandem vocem *Jalak* Chal. Paraphrastes interpretatur nomine פרחא *Pirha*, quasi dicas *motatio* seu *cursitatio*, a פרח *Perah*, id est, *motum est*, *volitavit*, *cursitavit*, eò quòd huc atque illuc vastando fruges cursitet & subsiliat. Secundum commemoratas ergo illas Chaldæas interpretationes colligitur, *Jalak* locustæ genus esse quod præter copiam & numerum volatu etiam præstat celeriore, et latiùs quàm cætera extenditur, pluresque agros celeriùs conficit atque consumit: unde & Jer. 57. legitur, *Adducite equos quasi Jalak aculeatum*: & 51. *Nisi implevero te hominibus quasi locustis*, et Ps. 105. v. 34. de plagis Ægyptiacis, *Dixit & venit arbe vel Jalak absque numero.* Exod. 10. vox *arbe* tantùm ponitur, quæ est generalis. Et *locusta* absque numero. Hinc rectè grammatici *Jalak* definiunt genus esse locustarum numerosum, turmatim volans, quod aculeo tanquam lingua utitur, herbis et frugibus allabendis atque corrumpendis accommodato.

Porrò 70. interpretes vocem *Jalak* plerunque vertunt βροῦχον. Hieronymus et plerique græcum vocabulum retinentes *Bruchum* vertunt (unde forsan Germ. bruchen & brächen / quod *consumere* et *conficere* significat) Βροῦχος autem, vel, ut Hesych. scribit, Βροῦκος, alii, eodem teste, βροῦκα, est propriè χλωρὰ ἀκρὶς Βροῦχος,
virens adhuc locusta. Phavorinus inquit, ἡ νεογενὴς καὶ ἄπτερος ἀκρὶς, id est, *locusta recens nata, & pennis carens*, sic dicta παρὰ τὸ βρύκειν quòd ut et βρύχειν, et βρυκᾶν (unde forsan nostrum fressen) *comedere* significat. Liranus similiter Nah. 3. *Bruchum* dicit appellari fœtum locustæ antequam habeat alas, unde etiam βροῦχος quasi βραχὺς, id est, *brevis*, vel a βρύκειν, *consumere*, quòd consumat totum in circuitu suo: jacet enim uno in loco et radicitus consumit fructus, cùm autem volat appellatur locusta, quasi longa hasta, Græci verò *basticon* appellant. Idem paulò post: *Differunt autem locusta & bruchus ut perfectum & imperfectum in eadem specie. Fœtus enim locustæ antequam habeat alas vocatur bruchus, sed quando est alatus, dicitur locusta.* Secundum hanc Græcorum et qui eos sequitur, Lirani descriptionem, non rectè *jalak* vertitur βροῦχος, cùm *jalak*, ut suprà dictum est, secundum Grammaticos propriè sit genus locustæ aculeatum pennatum atque volans, βροῦχος autem locusta recens nata, pennarum adhuc expers. Mercerus Joël. 1. *jalak* vertit *erucam*, quod mihi magis placet, de qua voce suprà.

Tertia porrò locustarum species apud Joëlem est, חסיל *Chasil*, quasi dicas *perditio*, sive *absumptio*, sive Chasil.
depastio, a חסל *Chasal*, quod *absumere*, *perdere & devorare*, nec non *consummare* (unde *Chasal Hasepher*, id est, *finitus liber*) significat, quòd omnia vastet et perdat, ita ut nihil reliquum faciat: Deut. 28. *Sementem multam sparges in terra, & modicum congregabis, quia a locusta Jechhazilu*, id est, *devorabuntur omnia.* Chal. Paraphrastes Joël. 1. vertit שמוטא *Schemota*, vel, ut tradit Mercerus, quòd longa sit et subtilis (id enim hoc Schemeta.
nomen Thalmudicis significat, teste Aruch) vel quòd terram incultam reddat, qualis anno 7. qui annus est, שמיטא *Shemitha*, id est, *remissionis terræ* Exod. 25. a שמט *reliquit, remisit.* Sed quoniam eadem vox שמט *Shemat* etiam *rapere*, *evellere*, *extrahere*, in Tharg. Esther, nec non *exilire* Deut. 20. significat, *Schomota* inde videtur esse dicta locusta quòd huc et illuc saltando (unde etiam ab Italis *Cavalletta*, a Gallis *Sauterelle* vocatur) fructus & grana evellit atque perdit. 1. Reg. 8. *arbe & chasil* conjunguntur. Interpretes 70. Joël. 1. verterunt ἐρυσίβην per υ in antepenultima) nam ἐρισύβη per *jota* aliud est, etsi utrumque frugum est vitium) Ἐρυσίβη.
id est, *rubiginem* vel *robiginem*, forsan quòd nomen Hebræo respondens non invenirent. Res tamen ipsa communis videtur: ut sicut vermis sive locusta *Chasil* totum exhaurit et absumit, sic rubigo in segetibus nihil relinquat, quod sit usui. *Chasil* autem locustæ aut vermis noxii genus esse alia quoque scripturæ loca testantur. Rubiginem quidam recentiorum putant vermem esse, qui maximè rorem sequatur. Hieronymus, *Rubigo rorem noxium sequitur: qui cùm in folia depluit, Sole superveniente animatur & vivit, variaeque plantis nocet.* Μίλτος quoque dicitur rubigo segetem infestans, teste Pausania et Eustath. in *Bœoticis*: inde fortè Germ. miltau. Quarta species a Joële additur *Arbe*, de qua suprà. Hæc de nominibus atque generibus locustarum apud Hebræos & Chaldæos.

Græci plures species agnoscunt, quarum nonnullas paucis perstringam. ἄπτερος Diosc oridi & Æginetæ Locustarum species
dicta: ὄνος aliis, fortassè a motus segnitie, & μιζοχάσιμος. Deinde μάντις quasi *vatem* dicas, quod ubicunque appareat, famem portendat, quæ in stipulis enascitur, corpore viret, interioribus pedibus oblongis, secundum Græcos.
sed exilibus, (unde Theoc. *Idyl.* η. præmacram ac prætenuem puellam μάντιν vocat) & segetes depascitur. Dioscorides, *Noxii est molestique aspectus*, unde adagium: *Mantis te vidit*, in eos quibus fascinator oculis mali

mali quippiam objecit. Vide Eras. in *Chil.* μάσαξ quoque genus est locustæ, quod nonnulli *bruchum* vocant. Item κορνώψ & κορνῶπις: πάρνωψ, & πάρνοψ per o micron. Aristoph. in Acharn. ὅσον τὸ χρῆμα παρνόπων προσέρχεται. Scholiast. exponit speciem ἀκρίδων, aut κωνώπων, unde Apollo æneus Athenis παρνόπιον locustarum dictus, eò quòd locustas olim regionem infestantes expulsurum se dixerit. μολουρὶς quoque animal quoddam locustæ simile Nicandro frumentum depopulans, fortè gurgulio ἀττέλαβος locustarum minima pennis parens, κάραβος quoque insecti genus, quod Gaza aliâs *fullonem*, aliâs *scarabeum taurum* interpretatur. Est etiam κάραβος & καραβὶς Tralliano (quam & ἄσακον vocavit Archestratus, ut ex Epicharmo confirmat Athenæus) piscis, qui Latinis *locusta* dicitur, de quo vide Plin. lib. 9. cap. 51. & 32. Est etiam astacus sive Elephantus Plinio locustarum species.

Locustarum damna. Animalcula hæc minima sint licet atque tenuissima, tamen maxima sæpe Dei judicio herbis, segetibus atque arboribus damna important, unde dira sæpe horrendaque fames consequitur, id quod sacræ prophanæque literæ omniumque temporum experientia testatur. Unde Plin. lib. 11. cap. 29. *Longinqua etiam ab illis maria transeuntur, continuata plurium dierum profectione. Quod maximè miremur, famem quoque, quam propter externa pabula petiere, sciunt imminere. Ac deorum iræ pestis ea intelligitur.* Sic Ambrosius *pestem piæ vindictæ* vocat. Nota. *Nam & grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum stridore, ut aliæ alites credantur, Solemque obumbrent: sollicitè suspectantibus populis, ne suas operiant terras. Sufficiunt quippe vires, & tanquam parum sit maria transire, immensos permeant tractus, diraque messibus contegunt nube multa contactu adurentes, omnia verò morsu erodentes, & fores quoque tectorum. Italiam ex Africa maximè coortæ infestant, sæpe populo ad Sybillina coacto remedia confugere inopiæ metu. Sic incolæ Cassii montis contra terrestres locustas Jovis auxilium implorarunt, & Seleucidum avium, eas perimentium, adventum. Ubessali, Illyrii & Lemnii ab his etiam infestantur. Magnesii & Ephesii ordine militari in eas procedunt.* Plura tradit Plinius loco citato de illarum generatione, ortu & interitu, magnitudine præsertim Indicarum locustarum, illas oppugnandi enecandique consuetudine in regione Cyrenaica, in Lemno insula, in Syria.

Quàm graviter anno 1542. ex paludibus Mœotidibus profectæ Pannoniam, Germaniam, Italiam infestarint, Matthiolus Dioscorid. & anno 1545. Germaniam, Gualth. in Joël. & anno 1547. & 1548. Bæticam, Arias Montanus, in caput secundum Joëlis: & anno 1556. agrum Mediolanensem, & Helvetiam anno 1394. mense Augusto afflixerint, Lavaterus in Ezechielem testantur. Sic anno 594. tempore Gregorii Magni Pontificis cùm omne viride ex terra nascens absumpsissent, horrenda fames & pestis sequuta est, quæ totam Italiam toto biennio durissimè vexavit. Et postea Ludovici secundi Imperatoris tempore magnam Galliæ partem locustæ vastarunt. Unde mirum non est illas exercitum Dei magnum Joël. 2. appellari, & potentissimorum immanissimorumque hostium irruptiones tristes atque pernitiosas illarum similitudine sæpe adumbrari, de quo præter suprà commemorata testimonia vide Apocal. cap. 9. ubi locustarum imagine falsi doctores, seu potiùs seductores ac impostores, ut Mahometani & alii, videntur depingi. Hæc de locustis sint dicta, quibus ceu natis consumere fruges, Deus pro justitia sua atque clementia partim ad homines fame puniendum, partim etiam alendum atque pascendum utitur, ita ut unum idemque animalculum admirabili Dei potentia atque providentia hominibus nonnunquam alimentum, aliquando famis inediæque causa existat. Huc quoque pertinent illa Ambrosii observatione dignissima lib. 5. Hexamer. cap. 23. *Usque ad locustam quoque gratia divina penetravit. Quæ cùm agmine conferto regionis cujusce occupaverit latitudinem, innoxio primùm fertur habitaculo, nec fructus inhospitali incursione depascitur, nisi divinæ signum præceptionis acceperit. Etenim sicut in Exodo legimus eaque cœlestis ultionem offensionis exequitur, piæ ministra vindictæ. Hanc quoque avis devorat Seleucis, data ad remedium malorum, quod locusta consuevit inferre. Cui creator inexplebilem dedit devorandi naturam, ut insatiabili pastu plagam, quam suprà diximus, possit extinguere.* De locustis extat Jodoci Villichii dialogus (in quo tractat quæstionem illam de cibo Joannis Baptistæ) & Hadriani Junii collectanea, quorum neutrum vidi. Gesnerus quoque noster pia memoria de omni insectorum genere fœtum post se reliquit inchoatum ac imperfectum, quem & speramus et optamus D. D. Wolffii affinis mei observandi opera atque studio tandem aliquando perfici & absolvi. Denique hîc observandum est, *Locustam* apud Corn. Tacitum nomen esse mulieris veneficæ, quæ boletos venenis infecit, quibus Agrippina Claudium maritum suffocarit. Capitur etiam *locusta* pro quacunque venefica. Juvenal. Satyr. 1.

Instituitque rudes melior locusta propinquas.

Superioribus porrò addi possunt παμφάγοι, *omnia mandentes*, de quibus Plin. lib. 6. cap. 29. πυλτιφάγοι, *pultivori*, quo nomine olim Latini a Græcis fuerunt appellati, ob frequentem pultis esum. Σκατοφάγοι, *stercorivori*, medicorum epitheton apud Aristophanem: Gale. 10. *de Simp. med.* cap. 1. Xenocratem damnat, quòd stercora ægris voranda daret, ac probrum ait gravius esse κοπροφάγον, id est, *stercorivorum*, audire quàm follatorem, aut cynadum. ἀνθρωποφάγοι & ἀνδροφάγοι, *humana carne vescentes*, cujusmodi & olim & hodie multi populi reperiuntur, de quibus vide multa in meis comment. in Periplum Ponti Euxini, et maris Erythræi. De Carmanorum immani consuetudine occisorum capita suspendendi, et eorum linguis esitandis vide Crinit. lib. 6. cap. 13. Ἀλληλοφαγίαν Philo lib. περὶ ἱερῶν, ponit inter vindictæ divinæ species, qua nimirum homines nonnunquam fame dira atque funesta compulsi se invicem devorant, ita ut parentes quoque contra στοργὴν naturalem liberos suos aliquando devorasse legamus. Huic addere potes ἑαυτοφαγίαν, si ita loqui licet, cùm nimirum homines malesuada similiter rabiosaque fame concitati in semetipsos sæviunt, & brachia cæteraque membra sua carpunt ac devorant, cujus sanè horrendæ vindictæ divinæ non pauca in historiis exempla reperiuntur.

CAPUT

CAPUT X.

DE ALIMENTORUM QUORUMVIS RECEPTACULIS SEU PROMPTUARIIS, EA RECONDENDI ASSERVANDIQUE MORE AC CONSUETUDINE.

Hæc de alimentorum nominibus atque generibus variis ſint dicta, nunc conſequens videtur eſſe, ut de iiſdem, quatenus illa vel reponi atque cuſtodiri, vel coëmi, vel denique coqui ſolent, verba faciam, quæ quidem tripertita alimentorum conſideratio multa ad cognoſcendum utilia atque jucunda continebit. Quod ad primum attinet, pulcherrimum Horatius exiſtimavit onerare menſas dapibus inemptis, cujusmodi ſunt hortenſia, ſive olera, arborum poma atque baccæ: probro contrà vertit è macello vivere, et talis fuit antiqua ruſticorum vita. Quocircà nequam patremfamiliâs antiqui putabant illum, qui illa emeret, quæ fundus parare poſſet. Huc pertinet Judæorum proverbium זרא ולאה תבין *Sera velo Tisbin*, id eſt, *tantùm ſemines, quantùm ſufficit pro familia, neque cogaris emere.* Quamvis enim poſſis emere, & fortaſſe cum lucro, nihilominus præſtat id triticum, quod apud te naſcitur, eo quòd comparabis. *Quis*, inquit Varro, *non audivit patres noſtros dicere: Ignavum, & ſumptuoſum eſſe eum, qui ſuccidiam in carnario ſuſpenderit a lanio potiùs emptam, quàm a domeſtico fundo?* Verùm hodie non urbani modò, verumetiam ruſtici homines e macello victitant, cum ſummo rei familiaris diſpendio.

Primùm itaque patresfamiliâs dabunt operam, ut habeant penuarium omni eſculentorum genere inſtructiſſimum, unde illis cùm ſuæ familiæ quotidie alendæ ac nutriendæ, tum honeſtis ac neceſſariis conviviis inſtruendis facultas ſuppetat. Itaque cùm eſculenta, ac poculenta omnis generis, quæ habent domeſtica, vel ex pecoribus, vel ex agris, pomariis atque hortis ſuis diligenter colligent, recondent atque cuſtodient: tum illa quæ non habent domi ſuæ, nec ex proventibus ſuis colligere poſſunt, illis tamen ſunt neceſſaria, commodis & opportunis temporibus, in quibus moderato pretio vendantur, emere atque in locis, ut cellis armariis (unde German. armårgien) horreis promptuariis atque Apothecis commodis reponere atque recondere ſtudebunt, unde illa ſi opus fuerit, vel ad domeſticos vel ad familiares ſuos quotidie alendum, vel ad alios quoque conviviis excipiendum atque tractandum, proponere poſſint. Hæc præcipua patrum matrumque familiâs cura atque providentia eſſe debet.

Sic Chriſtus quoque in Euangelio Lucæ 12. boni & prudentis Oeconomi dicit eſſe officium, theſauros cibarios repoſitos habere atque reconditos, quos ſuo tempore ad familiæ ſuæ ſuſtentationem proferre atque depromere poſſit. Huic ſimillimum eſt illud M. T. Ciceronis: *Semper enim boni* (inquit) *aſſiduique domini referta cella vinaria, olearia & penuaria eſt.* Sed tamen hîc cavendum, ne vel nimis de victu cultuque corporis ſimus ſolliciti, quod Chriſtus expreſsè prohibet, vel cellis noſtris atque promptuariis plenis nimiùm confidamus ac gloriemur, inde helluandi & pergræcandi occaſionem captemus, ut voluptuarius ille, cujus in Euangelio Luc. 12. fit mentio: qui, ubi cellas ſuas omni cibariorum atque poculentorum genere repleverat, nulla inopum habita ratione, genio & voluptatibus indulgere ſtatuit: quem illius nefarium conatum atque propoſitum Deus inopinata morte fregit & ad nihilum redegit. Hîc operæ pretium fuerit in genere quædam dicere de nominibus atque generibus variis locorum, ſeu receptaculorum, quibus ea quæ ad victum ſunt neceſſaria, a frugalibus patribus atque matribus familiâs reponi, recondi atque cuſtodiri, & inde rurſus, ſi opus fuerit, depromi ſolent. Sunt hæc omnino duplicia, ſecundum duplex nimirum alimentorum genus quæ continent, quorum alia ſunt animata, ut animalia viva, alia inanimata, ut ſunt vinum, oleum, ſal, carnes, lac, ova, omnis denique generis fruges atque fructus.

Alimenta ut duplicia, ita duplicia illorum ſunt receptacula.

Prioris generis loca, ædificia, ſeu receptacula, in quibus nimirum animalia viva incluſa ſervari, paſci atque ſaginari ſolent, *ſtabula* generatim appellantur, a Græcis ςαθμοὶ, αὐλαὶ, κλείσια. De voce κλίσιον, quæ etiam domum ſervilem ſignificat, in qua cibum capiebant, nec non veſtibulum (ut κλίσιον dicatur quaſi κλίδιον) vide Euſtath. Οδ. Ω. Dicitur etiam *præſepe* Columellæ, *præſepium* Virgilio, non tantùm locus in quo jumenta cæteraque hujusmodi paſcuntur, ſed omnia loca clauſa, in quibus animalia continentur. Virgilius:

Animalium receptacula, quomodo in genere appellentur. Præſepe.

Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.

Idem: *Aut intus clauſos ſatura ad præſepia ſervant.*

Idem: *Stabant tercentum vituli è præſepibus alti.*

Quidam tamen præſepium propriè locum eſſe volunt, in quo pabulum animalibus porrigitur, ſive apponitur. Unde metaphorικῶς eleganter etiam de loco dicitur, in quo homines paſcuntur. Palinurus apud Plautum in Curculione de paraſito:

Tormento non retineri poterit ferreo,
Quin reciperet ſe huc eſum ad præſepim ſuam.

Huc referri poteſt Proverbium, quod eſt apud Suidam, de Epicureis, ἐκ τῆς αὐτῆς οἱωνεὶ φάτνης ἐδηδοκότες, *qui ex eodem quaſi præſepi ederunt*, de iis qui eandem doctrinam hauſerunt, in eodem ludo fuerunt inſtituti.

Colu-

Columella, *In stabulo sunt*, inquit, *ampla præsepia, super quæ transversi asseres in modum jugeri, a terra septem pedibus elati, configantur, ad quas religari possint juvenci.* *Præsepe* tamen propriè ipsum stabulum dicitur: lignum verò ad quod equos cæteraque jumenta capistris (ita enim ipsa lora dicuntur) religare solemus, non aliter quàm ad ansulam, vel uncinum, vacerra nominatur. Columella clatrorum genus *vacerras* appellat, quibus robore factis caveæ muniuntur.

Vacerra.

Φάτνη.

Φάτνη Græcè idem significat quod *præsepe* Latinis ἐκ τοῦ φαγεῖν mutata litera γ in τ, sive πάσσαλος teste Eustathio Ὀδ. ο. & Ἰλ. ε. & cùm pro stabulo generatim, tum pro loco in quo pabulum jumentis apponitur, usurpatur. Indè & superiorem & inferiorem partem dentium molarium conjunctim simul φάτνας vocant. Suidas φάτνην interpretatur τράπεζαν, est enim hæc jumentorum quasi mensa. Christus recens natus a sancta sua matre fasciis involutus, & ἐν τῇ φάτνῃ dicitur fuisse repositus, eò quòd non erat illi alius locus in diversorio: ibi φάτνη cùm pro stabulo, tum pro præsepi speciatim dicto potest accipi, κάπη etiam præsepium dicitur, & βουκάπη Pindari Scholiastæ, id est, *boum præsepe.*

אבוס *ebus*, Isaiæ 1. locus est, in quo & juxta quem calcant, & aluntur animalia, unde videtur derivatum אבוס *abus*, id est, *altus*, *saginatus*, seu *pinguefactus*. Vulgò vertunt *præsepe*. *Cognovit asinus præsepe suum*, Isa. 1. Præterea *saginarium*, hoc est, locus sive stabulum in quo vituli alligati saginantur, Hebraicè propriè מרבק *marbek* dicitur, 1. Sam. 28. Jer. 46. Amos 6. Malac. 4.

Animalium receptacula sunt triplicia.

Porrò M. Varro lib. *de re rustica* 3. villaticæ pastionis genera tria dicit esse, nempe ornithones, leporaria, piscinas. Animalium ergo ut tria sunt genera, nimirum quadrupedia, aves, pisces, sic tria sunt receptaculorum genera.

Quadrupedum receptacula, Equile. Ovile. Suile. Bubile. Caprile. Hœdile.

Quadrupedum primò ædificia in genere *stabula* & *præsepia* appellantur, in quibus greges & armenta tenentur, sive clauduntur: de quibus nominibus suprà. Hæc deinde secundum varias quadrupedum species, quas continent, speciales quoque appellationes sortiuntur. Exempli gratia *equile* Varroni, ubi equi stabulantur, Græcè ἱππών, ἱππόστασις, ἱπποστάσιον, ἱπποστασία. *Ovile* Ovidio, *caula* Virgilio, Græcè σηκὸς, ἔπαυλις, σταθμὸς, Hom. μέσαυλον. Hom. κλησίον, μηλιαυθμός. Lycophroni, αὔλιον. Theoc. μάνδρα, schaaffstal / ubi oves pascuntur, & tenentur. *Hara* Cic. *suile*. Colum. Græcè Sauw oder Schweynstal. Item χοιροκομεῖα vasa texta, in quibus porcellos vinctos saginabant, sive pertica cui alligati porcelli pascuntur. *Bubile* Columellæ & Varroni (*bovile* dictio minus Latina est) Græci βούσταθμον, βουστασία, βούστασις, βουαύλιον, βουκάπη, βουστάνη, Rinderstal / Küstal: a bobus. Varro *de re rust.* lib. 1. cap. 14. *In villa*, inquit, *faciunda stabula, ita ut bubilia sint ibi, hyeme quæ possint esse calidiora.* *Caprile* a capris, *hœdile* ab hœdis, *agnile* ab agnis nomina traxerunt.

Leporaria.

Leporaria Gellius lib. 2. cap. 20. vult accipi non ea tantùm, quæ majores dicebant, ubi soli lepores sunt (quæ Græcis λαγωτροφεῖα appellantur) sed omnia septa ædificia, quæ sunt & habent inclusa animalia, quæ pascuntur. Unde Varro, *Cùm*, inquit, *emisti fundum Thusculanum a M. Pisone, in leporario apri fuere multi.*

Roboraria. Vivaria.

Roboraria eadem a tabulis roboreis dicta sunt, quibus septa fuerunt, antequam macerias & mœnia noscerent, ut idem testatur ex Varrone. Dicuntur etiam *vivaria*. Græcè θηριοτροφεῖα, δρύφακτα, Thiergarten. Hujusmodi nostri temporis principes ad venationum voluptatem, raro ad pugnam, in harena antiquioribus usitatam parare consueverunt.

Alitum receptacula. Ornithones. Aviaria.

Loca omnium alitum quæ intra parietes villæ solent pasci, *ornithones* appellantur, ut ex M. Varrone scribit A. Gellius lib. 2. cap. 20. *Aviaria* quoque dici possunt, quod aves ibi pascantur inclusæ, quæ primus instituit, clausis omnium generum avibus, M. Lælius Strabo Brundusii equestris ordinis. *Ex eo cœpimus* (inquit Plinius) *animalia coërcere carcere, quibus natura cœlum assignaverat.* Loca in quibus aluntur apes μελιττῶνες & μελιττοτροφεῖα Græcè, Latinè *mellaria* dicuntur, teste Columella. Ubi verò opimabantur, *altilia*, Latinè *saginarium* a sagina dixere (Græcè σιτιστήριον, meststal.) Unde M. Varro scribit in *re rustica*, pullos anserinos includi saginario. Est & *cors*, quam cohortem quoque dicimus, locus cinctus parietibus, quo gallinas, anates, & id genus reliqua habere in villa solemus. Unde *cohortales* apud rei rusticæ scriptores gallinæ vocantur. Ovidius:

Saginarium. Cors sive cohors. Gallinæ cohortales.

Abstulerat multas illa cohortis aves.

Ὀρνιθοτροφεῖον.

Et Varro, *Cors*, inquit, *in qua pascebantur gallinæ:* Græci ὀρνιθοτροφεῖον nominant, a gallinis pascendis, quas ὄρνιθας nuncupant, præ cæteris in eo includi solitas. Hinc ὀρνιθογονία fuerunt dicti commentarii de avitii natura. In urbana quoque domo cortem facere poterimus, in qua pascere ciconias, grues, pavones, gallinas, anseres, & similes aves dabitur ad usus quotidianos.

Seclusorium. Cavea.

Excreta autem purgamenta tritici minuta ad cibos commodè dabuntur gallinis & cæteris avibus cohortalibus, & maximè cùm annonæ caritas fuerit. *Seclusorium* Varroni dicitur aviarium minus, quod alteri cum ostio conjungitur ad secludendas aves. *Cavea* quoque domuncula, seu carcer avicularum vocatur, ein kefe.

Gallinarium. Columbarium.

Præterea a singulis avium generibus, loca sive septa quæ illas continent, denominantur. Ut *gallinarium* Columellæ, *cors* sive *cohors* Varroni locus parietibus inclusus ad pascendas gallinas, *officina*, Colum. ὀρνιθοβοσκεῖον hünerhauß. *Columbarium* Columellæ περιστερεών, περιστεροτροφεῖον, taubenhauß. *Columbarium* etiam Varroni dicitur loculamentum singulis columbarum partibus deputatum, taubennäst.

Χηνοβοσκεῖον. Apiaria.

Sic locus propriè ubi anseres aluntur χηνοβοσκεῖον Græcis dicitur. His adde *apiaria*, ut a vulgo appellata sunt loca in quibus siti sunt alvei apum, ut testatur Gellius lib. 2. cap. 20. Sed, ut idem addit, *neminem eorum fermè qui incorruptè locuti sunt, aut scripsisse memini, aut dixisse.* M. autem Varro *de re rustica* 3. μελισσῶνες, & ἀμπελῶνες, id est, δαφνῶνες, inquit, *ita facere oportet, quæ quidem mellaria appellabant, &c.*

Venio

Piscium receptacula. Piscinæ quid. Vivaria.

Venio ad piſcium receptacula. Lacus verò (inquit Gellius ex Varrone lib. 2. cap. 20.) & ſtagna, quæ piſcibus vivis coërcentur clauſa, ſuo atque proprio nomine *piſcinas* nominaverunt. Hinc Martialis:

Piſcina Rhombum paſcit, & lupos vernas.

Vivaria quoque dicuntur (Germanicè weyer / fiſch grüben) quibus piſces incluſi paſcuntur. Plin. *oſtrearum*, inquit, *vivaria primus omnium Sergius Orata in Bajano invenit, Lucii Craſſi Oratoris ætate.* Et mox: *Eadem* (inquit) *tempeſtate prior Licinius Muræna reliquorum piſcium vivaria invenit.* Apud Romanos etenim piſcinarum ſtudia celebrata ſunt, pretioſiſſimisque piſcibus referta ἰχθυοτροφεῖα habuerunt: adeò ut Cato tutor Luculli grandi ære ſeſtertiûm milliûm quadringentorum, auctore Columella, pupilli ſui piſcinas venditaverit: & velut antè a devictis gentibus *Numantinus* & *Iſauricus*, ita Sergius *Orata*, & Licinius *Muræna* a piſcibus cognominantur. M. quoque T. Cic. Luc. Philippum, & Hortenſium (qui piſcinam apud Bajulos habebat) *piſcinarios* appellavit a piſcinis. Idem *Paradoxo* quinto, *Reviviſcat*, inquit, *M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil ſplendidum, nihil ornatum fuit præter ipſos: & videat aliquem ſummis beneficiis populi uſum barbatulos mullulos exceptantem de piſcina, & murænarum copia gloriantem*, &c. Hinc *tritones piſcinarum* a Cic. dicti lib. *Epiſt. ad Atticum* 2. cupidivori ganeones, guloſi proceres, qui piſcinis ſummopere delectabantur, cùm luxus antiquitus eſſet in piſcium eſu. Vide Junium in *adagiis*.

Romani piſcinarum ſtudioſiſſimi.

Piſcinarum duo genera.

Piſcinarum autem genera duo ſunt, dulcium & ſalſarum: & (ut verbis M. Varronis utar) alterum apud plebem, & ſine fructu, ubi Lymphæ aquam piſcinis noſtris villaticis miniſtrant: illæ autem maritimæ piſcium nobilium, quibus Neptunus ut aquam, ſic & piſces miniſtrat, magis ad oculos pertinent, quàm ad veſicam, & potiùs marſupium domini exinaniunt, quàm replent. Primùm enim ædificantur magno, ſecundò implentur magno, tertiò aluntur magno. Hirtius circum piſcinas ſuas ex ædificiis duodena millia ſeſtert. capiebat: eam enim mercedem eſcis, quas dabat piſcibus, conſumebat. Cæſari memini ſex millia murænarum mutua dediſſe in pondus, & propter piſcium multitudinem quadragies ſeſtertia villam væniſſe. Vide M. Varronem *de re ruſtica* lib. 3. cap. 3. & Columellam *de re ruſt.* lib. 8. cap. 16 de piſcinis & piſcibus alendis.

Piſcinæ vocabulum æquivocum. Piſcina Hieroſolymitana.

Quoad piſcinæ vocabulum, notandum eo ſignificari apud Latinos etiam aquas, in quibus piſces non eſſent, ad natationes collectas. *Piſcinæ publicæ* (inquit Feſtus) *hodieque nomen manet, ipſa non extat: ad quam & natatum, & exercitationis alioqui cauſa veniebat populus.* Hujuſmodi fuit Hieroſolymis illa κολυμϐήθρα, id eſt, *piſcina* a natando dicta, cujus mentio fit Joan. 5. quæ Chaldaicè fuit cognominata בית חסדא, id eſt, *domus benignitatis*: quod nimirum Deus in ea benignè potentiam ſuam exereret in curandis quibuſdam morbis populi ſui. Quidam ſcribunt בית־אשד *Bethaſchad*, id eſt, *domus effuſionis*, quòd ibi aquæ effundantur tanquam in ſentinam. Nonnus κολυμϐήθρην Homerico ἀσαμίνθου nomine interpretatus eſt. Syriaca verſio interpretatur locum מַעְמוּדִיתָא, id eſt *maamudita* ablutionis. Duplex etiam hic eſt lectio. Una ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμϐήθρα, id eſt, *piſcina erat in regione*, ſive *foro* (tale enim quippiam eſt intelligendum) *probatico*, id eſt, pecuario, ſive ovili. Altera quam & Nonnus in ſua paraphraſi, & Latinus interpres expreſſit, & Theophylactus ſecutus eſt. Eſt autem in Hieroſolymis προβατικὴ κολυμϐήθρα, id eſt, *piſcina probatica*. quam Theophylactus ſic vult appellatam, quòd pecudes ſacrificiis deſtinatæ ibi congregarentur, & inteſtina ipſarum ibidem eluerentur. Hæc de animalium quibus ad veſcendum utimur, receptaculis variis ſint dicta.

Alimentorum inanimatorum repoſitoria.

Nunc dicendum de alimentorum inanimatorum, ſive illa ſint liquida, ſive ſicca, ſive poculenta, ſive eſculenta repoſitoriis, atque promptuariis, eorumque nominibus primò generalioribus, deinde ſpecialibus. מזוים, id eſt, *Mezauim* Pſal. 144. accipitur pro reconditoriis, & locis ædium penitioribus (unde *penuaria* Latinè) accipitur, in quibus reponi ſolent frumenta, & alia ad victum neceſſaria. Hieronymus *promptuaria* vertit: alii *angulos interiores*, ſive *receſſus*, ſicut זויות *Zavioth* angulos exteriores ſignificat. *Anguli noſtri* (inquit David) *pleni producentes a ſpecie in ſpeciem*, id eſt, varia genera annonæ. Varietas enim in victu grata eſt pleriſque, nam una res faſtidium parit.

אבוס בר *Ebus bar*, *apotheca frugum*, *horreum*, alio modo אסם *Aſam* (quod invenitur tantùm in plurali numero) Deut. 28. *Emittet dominus benedictionem ſuper cellaria tua.* Prov. 3. *& implebuntur horrea tua ſaturitate.* Kimchi Aſamim exponit אצרות התבואה *Ozeroth Hatebuah*, id eſt, *theſauros*, ſive *repoſitoria frugum*, Chaldaicè ſimiliter *Ozaroth*. Generale videtur pro penuario, ſeu apotheca, quorumcunque fructuum atque frugum.

Similiter גרן *goran*, & מגורה *megurah*, cujus plurale eſt מגורות *meguroth* Hagg. 2. & Joël. 1. horrea, areas, frumenti apothecas ſignificat a גור *gur*, quod idem eſt, quod אגר *agar*, id eſt, *congregavit*, quia frumenta atque fruges ibi congregantur atque contrahuntur ut מגור *magur* ſignificat habitationem ſeu diverſorium, in quod contrahuntur homines.

Ozar.

Generaliſſimum eſt vocabulum אצר *Ozar*, id eſt, *theca*, *apotheca*, *theſaurus*, *penu*, *cella*: omnis locus abſtruſus atque reconditus, in quo aliquid reponitur atque reconditur, ab אצר, id eſt, *repoſuit*, *recondidit*, *recluſit in arctum*, ſeu *arcam* 2. Par. 33. pro theſauris auri, argenti, lapidum pretioſorum. Nehem. 23. 2. Paralip. 11 pro theſauris, ſeu cellis frumentariis, vinariis, oleariis accipitur. Græcè ἀποθήκη, & ταμεῖον (quæ duo vocabula Luc. 12. ponuntur) generatim quamvis cellam promptuariam ſignificant ταμιεύεσθαι promere apud Ariſtoph & ταμίη Homero *ancilla promens*, & condens neceſſaria ad victum. *Apotheca* tamen Latinè plerunque apud Plinium & alios auctores Latinos ſpeciatim pro cella vinaria uſurpatur. Colum. lib. 1. cap. 6. *Apothecæ rectè ſuperponentur his locis, unde plerunque fumus earum exoritur: quoniam vina celeriùs vetuſteſcunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt.* Obiter hîc nota fumo vina maturari, & denſa ſpiſſaque effici, de quo vide Brodæum *miſcell.* lib. 1. cap. 13. & Lambinum in Horat. lib. 3. *Carm. Od.* 8. *Entheca* ſimiliter

ταμεῖον. Apotheca. Entheca.

liter pro quovis repositorio accipitur. Augustinus in libro *de vita clericorum*, *Enthecam*, inquit, *nobis habere non licet*, *non est episcopi servare aurum*. Et paulò post, *Non habeamus enthecam*, &c. Hæc Augustini verba in *Decret. Canon.* 12. Quæst. 1. percensentur. Ab *entheca enthecatum* derivatur, pro eo quod in repositorio conditum & cellario inclusum. Sidonius, *Quicquid Helicon verbalibus horreis enthecatum possederat*. Hoc Turneb. in suis *Advers.* affectatissimè & ineptissimè dictum esse scribit. *Enthecam memoriæ* pro thesauro, & cella ponit Fulgentius. Isidorus, ἐνθήκην, inquit, *Græco sermone repositam rei copiosam substantiam appellamus. Papiniano Dotes prædiorum*, inquit, *quæ Græco vocabulo entheca appellantur*, Turnebus in illa verba: *Entheca supellex quæ in prædio posita est, tanquam ejus dos.*

Recondito-ria, reposi-toria. Cella. Latinè hujusmodi loca atque vasa vulgò *reconditoria*, & *repositoria* vocantur: Latiniùs *cellæ*, *penuaria*, & *promptuaria*. Varro lib. 4. *de lingua Latina*, *Circum*, inquit, *canum ædium erant unius cujusque rei utilitatis causa parietibus dissepta: ubi quid conditum esse volebant, a celando cellam appellarunt. Celare* autem idem quod abscondere, unde etiam *cœlum* dictum, quod omnia tegit. Ovidius:

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum:

Cella carnaria &c. Cella penuaria. Cellarium. Cellarius. Inde a carne *carnaria*, a farina *farinaria*, a lignis *lignaria*, a libris *libraria*, a caseo *casearia*, ab oleo *olearia*, a vino *vinaria*, a penu *penuaria* dicta est. Cicero quinta Verrina, *Marc. Cato*, inquit, *sapiens cellam penuariam Reipub. nostræ, nutricem plebis Romanæ Siciliam nominavit. Cellarium* quoque a S. Hieronymo pro loco, in quo ad victum necessaria reconduntur, usurpatur. Ut Lucæ duodecimo: *Considerate corvos, quibus non est cellarium, neque horreum* (ἐ ταμεῖον ἐδὲ ἀποθήκη) *& Deus pascit illos.* Hinc *cellarius* dictus, qui cellæ curam gerit apud Plautum, qui alias *promus* sine *condus* dicitur. Vocatur etiam hujusmodi locus eduliis reservandis, ac Promptuarium sive cella promptuaria. reponendis destinatus *promptuarium* Varroni, & *cella promptuaria* Plauto, quod pleraque sint in promptu, sive quod inde depromantur alimenta atque cibaria. Isidorus, *promptuarium*, inquit, *dictum, quòd inde necessaria victui promuntur, id est, proferuntur.* Lactantius lib. 5. *inst.* cap. 5. *Nec mirum*, inquit, *cùm promptuaria justorum* (*scilicet Saturni temporibus*) *benignè paterent omnibus. Cellarium*, quòd in eo colliguntur ministeria Promptuarii & cellarii differentia mensarum, vel quæ necessaria victui supersunt. Inter *promptuarium* autem & *cellarium* hoc interest, quod *cellarium* est paucorum dierum, *promptuarium* verò temporis longi. A penu similiter sive penore is locus *penarium* dicitur (ut Pompejus & Varro testantur) & *cella penuaria*, sive *penaria* Ciceroni. *Penus* autem non est Penarium. Penus propriè quid. Cellarium quomodo differat a penu. locus, sive repositorium, ut vulgò nonnulli putant, sed quicquid victus gratia sive esculentum sit, sive poculentum conditur, ac servatur, ut Gel. lib. 4. cap. 1. Scævolæ Jurisconf. & aliorum testimoniis probat. De hac voce *penu*, sive *penoris*, & quæ illa intelligantur, vide plura ibidem lectu jucunda. *Cellarium* Perottus vult differre a *penu*, quòd *cellarium* sit paucorum dierum, *penu* verò temporis longi: quæ eadem differentia Isidoro statuitur. Germ. hujusmodi repositoria speyßgaden / keller / kamer / käller appellantur.

Promptuaria diversa. Oporotheca. Pomaria. Horreum. Granarium. Nunc ut olim, ita hodie quoque in magnatum ædibus hæc promptuaria, sive cellæ sunt distincta, & diversa quoque pro diversis alimentorum generibus nomina sortiuntur. Exempli gratia, *oporotheca* Varroni ὀπωροθήκη dicitur ubi conduntur autumnales fructus, obsgaden / obskäller. De pomariorum situ, deque pomis servandis Vitruvius lib. 1. cap. 4. Plinius lib. 15. cap. 16. *Horreum* Hebraicè *eburbar* (de qua voce prius) σιτοβολών Hesych. σιτοβολίον Atticè, Germanicè ein kornhauß oder Scheür. *Horreum pensile*, *granarium* kornkast / oder speycher. Varro lib. 4. *de lingua Latina*, *Granarium*, inquit, *dictum ubi granum frumenti condebant: unde dictum nisi ab eo quod Græci κόκκον, a quo Græcis quoque granum dictum: & in quo eadem conduntur: horreum, ab* Horreum unde dictum, & quot modis accipiatur. *horrendo*, Persius in *Satyr. Jam nunc astringas, jam nunc granaria laxes.* Horreum aliquando dicitur locus ad custodiam non solùm frugum, sed rerum aliarum sepositarum a quotidiano usu: velut apud Luc. Apulejum in *Metamorphosi*, demonstrat horreum ubi Vespera sagaciter argentum copiosum recondiderat. Apud eundem hoc vocabulum ita generatim pro quarumvis rerum repositorio usurpatur, item jurisconsultis. Sic ab Ulpiano videtur usurpari, cùm ait: *Vina quæ in apothecis sunt, fundo instructo legato non cedere, si sint illic non usus, sed custodiæ gratia: & sic quæcunque ibi quasi in horreo habentur.* Et in titulo *de emptione, & venditione*; *clavibus traditis*, inquit, *ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claves ad horrea traditæ sunt.* Item Paulus, *dolia* inquit, *in horreis defossa, si non sunt nominatim in venditione excepta, horreorum venditione cessisse videri.* Item in titulo de officio *præfecti vigilum*; *In horreis*, ait, *homines pretiosissimam partem suarum fortunarum reponunt.* Item titulo *Locati. Dominus horreorum effractis & compilatis horreis non tenetur*: namque ut scriptum est 4. Cod. *Dominus horreorum periculum vis majoris, vel effracturam latronum, conductori præstare non cogi-* Farreum. *tur.* Existimant grammatici, & id memorat Fortunatianus in lib. *de Dialect. horreum ab hordeo* mutata litera nominatum. Antiqui (teste Festo) *farreum* a *farre* dixerunt. Ovidius,

Horrea formicæ veniunt ad inania nunquàm
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Divus Augustinus quid sit horreum planissimè ostendit, sic scribens lib. *de Opere monachorum*: *Apothecæ vel horrea verbum ex verbo repositoria dici possunt. Apotheca* (inquit Isidor.) *ut & horrea repositoria vel reconditoria dici possunt, eò quòd in iis homines elaboratas fruges reponunt.* Ab *horreo horrearius* eleganti vocabulo dictus est, qui pro horreorum conductore poni videtur apud jurisconsultos, titulo *de his qui dejecerunt*, his verbis: *Si hor-* Horrearius. *rearius aliquid dejecerit, vel effuderit.* Romæ fuerunt Sempronia horrea ad custodiam frumenti publici. De horreorum granariorum, farrariorum, pistrinorum, fœnilium situ optimo, quomodo frumentum adversum mures, gurguliones, & reliquas bestiolas, quæ frugibus solent nocere, denique mucorem atque calorem conservandum, vide Vitruvium lib. 6. cap. 9. & lib. 1. cap. 4. Varron. *de re rustica* lib. 1. cap. 6. Plinium lib. 18.

cap.

cap. 38. Palladium lib. 1. cap. 29. Columel. lib. 1. cap. 6. Franciscum Marium lib. 2. cap. 10. in Lexic. de partibus ædium, itemque Fr. Patritium lib. 6. *de Rep.*

Carnarium Plauto in quo carnes asservantur fleich gaden. *Panarium* Varro inquit, *in quo panes condebant, quod & panariolum dicitur, & pasceolus*, Græcè θύλακος, brotkasten. Carnarium. Panarium.

Porrò vini (quod inter liquores principem facilè locum obtinet) repositoria a Græcis πιθῶνες, οἰνῶνες, οἰνοθῆκαι, & ἀποθῆκαι appellantur. Latinè *cellæ vinariæ*, & absolutè *cellæ*, & *apothecæ*. Vitruvius, *habeatque*, inquit, *conjunctam cellam vinariam, habentem a septentrione lumina fenestrarum. Cùm enim alia parte habuerit quàm sol calefacere possit, vinum quod erit in ea cella calore confusum, efficietur imbecillum.* Plin lib. 14. Latus cellæ vinariæ, aut certè fenestras vult obverti in Aquilonem oportere, vel usque in exortum æquinoctialem, sterquilinia & arborum radices procul abesse, omniaque odoris evitandi facillimo in vino transitu. Atque *apothecæ* vocabulum quamvis generatim pro aliarum etiam frugum reconditorio usurpatur: tamen speciatim a Plinio, & aliis auctoribus Latinis crebrò pro cella vinaria accipitur. Servius in illud Virgilii: Vini repositoria. Cella Vinaria. Apotheca.

Nec cellis ideo contende Falernis.

Cellis exposuit *apothecis*. Plinius *apothecas*, inquit, *fuisse, & diffundi solita vina anno 633. Urbis, apparet indubitato vini Opimiani argumento.* Item, *vina in apothecis canis ortu mutantur quædam, posteaque restituuntur.* Has Varro *apothecas triclimares* nominat. *Dolia*, inquit, *atque apothecas tricliniares, melicas, calenas, obbas & Cumanos calices*, &c. Cellam autem vinariam conclusam, & subterraneam, si loci conditio patitur (nam in pluribus regionibus, Hypogea, id est, subterranea loca fieri in ædibus uliginis mador non sinit) ac subdiali pavimento cum lacunula in medio sternere habereque conducit, ut & vina incorruptiora serventur, & si quid cadorum, vel servorum vitio fuerit effusum, colligi possit. *Lacuna* ipsa, & *lacunula* dicitur liquidorum in terra concavum receptaculum. M. T. Cicero lacunam impropriè ex furto dixit in auro factam. In hac veteres doliis fictilibus vina servarunt, quæ si duas aures, vel ansas habuissent, *Diotæ* nominantur. Horatius, Lacunæ. Dolia fictilia.

---- deprome quadrimum
Sabina ô Thaliarche merum Diota.

Diota, inquit Turnebus in suis Adverf. *est amphora ex eo nominata, quod utrinque ferri posset, cum utrinque sit ansata* : und ἀμφορεὺς & ἀμφιφορεὺς a Græcis appellatur, & explicatur ἀγγεῖον κεραμεοῦν ἀμφοτέρωθεν φερόμενον, ὅ ἐστι διωτόν. Item:

Diffugiunt cadis cum fece siccatis amici. In testis antiqui vina condebant.
Item l. 1. Od. 20. *Vile potabis modicis Sabinum*
Cantharis, Græca quod ego ipse testa Testa Græca.
Conditum levi (id est, *gypsum*) *datus in theatro*
Cum tibi plausus.

Lambinus, *condebant*, inquit, *vinum in testis antiqui, obturabantque gypso: quarum optimæ erant, quæ fingebantur in Græcia. Propterea Græcam testam dixit, vel Samiam intellige.* Huc etiam pertinet illud Od. 14. lib. 3.

Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.
Juvenal. Sat. 5. *---- Cujus patriam, titulumque senectus*
Delevit, multa veteris fuligine testæ.

Alludit hìc ad morem veterum, quo tabella pendebat e vasis vinariis, in qua, ipso Galeno teste, vini ætas scripta erat: id est, quo tempore, quibusve coss. conditum esset, id cum ex multis aliis Poëtarum locis, tum ex illo quoque Martial. constat lib. 7.

Potavi modò consulare vinum
Quæris quam vetus atque liberale?
Ipso consule conditum.

Et Juvenal. Satyr. 5. *Ipse capillato diffusum consule petat.*

Id est, Vinum vetus tempore L. Opimii Coss. conditum. Horatius:

Vina bibes iterum Tauro diffusa.

Id est, Tauro coss. condita, non admodum vetusta. Hunc morem notis & titulis amphoras & cados, in quibus vinum erat conditum, signandi consuetudinem, Cicero quoque in *Bruto* indicat his verbis: *Ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis Coss. natum velit, nec rursus ita veteri, ut Opimium aut Anitium Conf. quærat. Atqui hæ notæ sunt optimæ, credo: sed nimia vetustas nec habet eam, quam quærimus, suavitatem, nec est jam sanè tolerabilis.* Hinc *commendare aliquem de meliore nota*, Catullo & Curio in epist. ad Cic. Turnebo & Lambino videtur translatio a vino ducta. Vinum autem diffusum, ut Turnebus in suis *Adverf.* monet, est quod in amphoras, & cados apothecarum ad asservandum fusum est, Plin. *Apothecas fuisse. & diffundi solita vina anno 1133. urbis, apparet indubitato vini Opimiani argumento. Defundere* autem vinum est de dolio in crateram, aut de cratere in pateram fundere. Unde rectè in Horat. conjicit Lambinus scribendum:

Et nisi mutatum parcit defundere vinum.

Id enim eſt, in pateram vel trullam fundere & bibere. Et lib. 2. *de Finibus*: *Quibus vinum defuſum ſit e pleno œnophoro*, id eſt, deorſum in pateram aut poculum fuſum. Et apud Maronem:

Hæc ait & liquidum Ambroſiæ defudit odorem.

Vino porrò diffuſo (de quo paulò ante) Turnebus opponi putat vinum doliare, cujus rei Proculum Juriſconſultum teſtem citat, ejus hæc ſunt verba. *Ego* (inquit) *etſi dolia in vaſis vinariis non ſunt, tamen non concederem Trebatio, quod in doliis eſſet, id eſt, quod in vaſis non eſſet, legatum. Illud verum eſſe puto, cui vinum legatum cum vaſis erit, ei amphoras & cados, in quibus vina diffuſa ſervamus, legatos eſſe.* Hæc ille. *Vinum* autem *doliare*, inquit Turnebus, *vinum eſt novum, quod quia vetuſtatem non habet, quæ diffuſo quæritur, & vino maturitatem & ſuavitatem affert, ideò minoris erat pretii. Vinum de dolio* appellat Cicero, ut in *Bruto.* Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet? Appellat & *vinum de cupa*, ut in Piſonem: *Panis & vinum a propala* (ſic enim in bonis libris legitur, vulgò *propola*) & *de cupa.* Plutarchus quoque vinum de dolio novum eſſe oſtendit, his verbis: τὴν δ' ἀνθοσμίαν ἀπωσάμενοι τοἴνου, καὶ ἡμερίδην, ἀτελώτερον πίνομεν ἐκ πίθου κωνώπων χορῷ περιαδόμενον. Id eſt, *Iſto veteri & miti vino rejecto, durum & immite, de dolio bibimus, culicum turba perſtrepens.* Apud Catonem tamen *doliare vinum* pendenti opponitur, apparetque ejus ætate nondum frequenter ſolitum eſſe vinum diffundi in Italia. Similiter apud Ulpianum *vinum doliare* omnes ferè exponunt, quod in dolio conditum eſt, ad vini pendentis diſcrimen, præſertim cum vinum pendens, ipſas uvas ſignificet, & vindemiam nondum collectam. Nam vinum pro uvis dici locus ille Plauti clariſſimè indicat: *Tum vinum priuſquam coactum eſt, pendet putidum.* Turnebus tamen apud Ulpianum *doliare* putat dici ad diſcrimen diffuſi, de quo ſuprà pluribus. Pòſtea primi in Alpibus ruſtici cados ligneos circulis cunctos excogitarunt. Cadi ipſi, feriæ, dolia, vaſa dicuntur, quibus vinum conditur. Epigrammat. Poëta:

Cadi, dolia, feria, vini repoſitoria.

In Vaticanis condita muſta cadis.

Plinius *Doliis etiam*, inquit, *intervalla dari, ne inter ſe vitia ſerpant contagione vini ſemper ocyſſima.* Terent.

Relevi omnia dolia, omnes ſerias.

Relevi inquit, hoc eſt, aperui, & quaſi regypſans. Nam moris fuit olim vaſa vino repleta pice aut gypſo obturare, ne vina exhalarent, ut oſtendit Columell. lib. 14. A. Perſ. *Satyr.* 4.

Seriolæ veteris metuens deradere limum.

Id eſt, gypſum, vel picem, quæ in Italia ad vaſa vino condendo maximè probatur brutia, ut auctor eſt Plin. lib. 14. Hic quoque notandum, Orientales olim, ut etiamnum hodie, ſolitos fuiſſe vina in utribus recondere: unde in ſacris litteris utrium vini crebra fit mentio. Ut cùm Chriſtus proverbialiter ait, *Vinum vetus in utres veteres, & novum in novos infundendum.* Quo indicavit certam proportionem ac convenientiam inter auditores, & diſciplinam inſtitutionemve, obſervandam eſſe, & mollius novitios curandos eſſe, quàm veteranos. Et Job. cap. 32. *Venter meus tanquam uter vini, qui non eſt apertus, & ſicut uter vini novi rumpitur.* Hoc eſt (Auguſtino Eugubino interprete) magnam verborum vim concepit uterus meus: nempe meus animus tanquam vento cogitationibus tumeſcit & premitur. Ut vina nova fervent in utribus, exundantque ſpuma nec jam capit ſe liquor, ita oratio geſtit erumpere. Ad hanc cùm vinum, tum oleum, & alios liquores in utribus ſervandi conſuetudinem David quoque alludit Pſal. 56. *Pone lachrymas meas in utre tuo*, id eſt, memor eſto lachrymarum, & calamitatum mearum, ſicut qui in utre aut lagena aliquem bonum liquorem vini aut olei reponunt, vel etiam ſecum circumferunt. Mox ſequitur, *Certè in libro annotas.* Oſeæ 7. *Dies regis noſtri ægrotare fecerunt principes utre vini*, hoc eſt, natalitia regis onerarunt principes crapula, & helluatione, unde morbus eſt conſequutus. Sic Gabaonitæ utres vini ſecum tulerant in ſignum ſimulatæ longinquitatis, Ioſ. 9. Utrem aquæ Abraham ponit in ſcapulas Hagar, & filium dat, Gen. 22. Ariſtot. lib. 4. *Meteor.* ſcribit in Arcadia vinum in utribus a fumo ita exiccari, ut bibatur abraſum ac defectum. Atque hæc quidem ſatis ſint dicta de alimentorum omnis generis receptaculis, ſive repoſitoriis, quibus addere libet Franciſci Patritii hac de re ſapientiſſima monita atque præcepta, omnibus patribus matribusque familiâs diligenter obſervanda, ut extat lib. 4. *de Repub.* cap. 5. *Nam eſculenta*, inquit, *quibus in diem veſcuntur, promptuariis diſponat* (ſcilicet materfamiliâs, de cujus officio ibi loquitur) *non longè ab inſtrumentis, quibus cibos præparamus, quæ quidem non modò ordine ſuo diſpoſita, verùm nitida & ſplendida eſſe debent, cum elegantia & gratia. Alia verò cibaria conſervanda ad uſum plurium menſium, quæ uno penoris nomine propriè nuncupantur*, de qua voce ſuprà ex Gellio. Addit, *Ea igitur reconditiora habere debent magis abſcondita, quæ ſæpiùs tamen reviſenda ſunt, & a pulvere ſituque extergenda, ne a blatta, tinea, mure, noctuave exedantur. Et ne multus in his verbis penè vulgaribus ſim, ita ſingula domi diſponat matrona, ut omnia ſuo tempore conſerventur, hoſpitum aſpectum non reformident, & cùm adſint, non deſiderentur. Præterea quæ eſui potuique in dies ſingulos ſunt, & prandii cœnave gratia parantur, ita ad manum ſint, ut nec ad ingluviem atque ebrietatem familia ingurgitetur, nec ad nimiam parſimoniam eſuriat, ac ſitiat. Mediocritatem igitur ſervet, & ſic uno eodemque tempore valetudini reique familiari optimè conſultum velit.* Hæc ille.

Mos Orientalium in utribus vina recondendi. Teſtimonia ex ſacris literis.

CAPUT

CAPUT XI.

DE OPSONATIONE, OPSONATORIBUS, OPSONANDI VARIIS CONSUETUDINIBUS. DE LOCIS, IN QUIBUS OMNIS GENERIS EDULIA VENALIA PROSTANT, &c.

Atque hæc quidem de alimentorum omnis generis repositione, ac ipsis repositoriis seu receptaculis sint dicta. Verùm quoniam plerunque alimenta ad convivium utilia atque necessaria emi solent, de illorum coëmptione (quæ *opsonatio* vulgò dicitur) & simul de eorum delectu, (qui convivatori adhibendus) de foro sive locis, ubi ea vendi atque etiam nonnunquam præparari solent, de ciborum sive coctorum, sive crudorum venditoribus, denique de cibariorum præfectis atque episcopis, qui in omnibus bene moratis & constitutis civitatibus semper esse consueverunt, quædam forsan lectu non injucunda, nec inutilia trademus, exordio a nominibus ducto. De ciborum coëmptione.

Græcis itaque ὀψωνεῖν est *opsonia coëmere*, ἀπὸ τοῦ ὄψου & ὠνεῖν, quod etiam ὀψοποιεῖσθαι dicitur. Suidas ποιμέσι καὶ ὀψοποιουμένοις, (ὄψα ὠνουμένοις) ἰχθῦς ἀπεδόμην. Inde παροψωνεῖν, id est, λάθρα ὀψωνεῖν Aristot. de Mulieribus improbis. ὀψωνεῖν quid sit.

Est autem ὄψον (ut vult Eustath. in Ιλ. λ. p. 814.) secundum veteres πᾶν τὸ συνάμα σιτίοις ἐσθιόμενον, id est, *omne id quod unà cum frumento, sive panibus editur*: ἀπὸ τοῦ ὀψὲ *serò*, idque quòd vel serò sive vesperi, non manè hujusmodi cibi proferebantur; vel potiùs quòd delicatis & opiparis hujusmodi cibis serò voluptatis causa homines uti cœperunt, cùm ab initio simplicioribus fuissent usi. Nonnulli (eodem teste) illud ἀπὸ τοῦ ἕψειν dictum volunt, quod illi non placet. Idem Ιλιαδ. λ. dicit, pisces & carnem opsonium esse carnis, eò quòd propter illa plus panis, & quidem majori cum voluptate comeditur. Sal esse opsonium pani, & aliis eduliis: cepas denique & alia bellaria probabili admodum ratione dici posse opsonia poculenti: ὄψον ποτῷ, id est, ποτικὸν ὄψον, προσφάγιον δίψης παρασκευαστικόν. Ath. lib. 7. docet ὄψον propriè appellari, quicquid cibi igne coquatur, πᾶν τὸ πυρὶ κατασκευαζόμενον εἰς ἐδωδὴν: sed διὰ τὸ ἐξαίρετον ἐδωδὴν, quòd cibus iste eximius sit, solos pisces istam appellationem apud posteros obtinuisse. Unde (ut Eustath. loco paulò ante citato addit) ὀψάριον & τέμαχος ἐπὶ μόνων τμημάτων ἰχθυηρῶν propriè a veteribus dicitur. Inde Joan. 6. ὀψάρια, *pisciculi*. Manifestum præterea est (inquit idem) ὀψάριον accipi pro omni προσοψήματι, & vulgò προσφάγιον idem esse, quod ὀψάριον, hoc est, cibum, sive omne id, quod in macello venditur, ἀπὸ τοῦ ὀπτᾶν, id est, *assando*, ut nonnulli volunt. ὀψαρίου πολλαὶ χρήσεις ἐπὶ ἰχθύος παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Eustath. Plutarchus lib. 4. Sympos. Problem. 4. ubi quæritur, *Terrane an mare opsonia suppeditet commodiora?* statim subjicit, *Cùm multa sint opsonia, piscis tamen obtinuit, ut vel solus, vel præcipuè opsonium*, ὄψον *appellaretur: quia virtute reliquis omnibus multò antecellit*, per Antonomasiam. Nam ὀψοφάγους, & φιλόψους opsonivoros, & opsoniorum cupidos vocamus, non qui bubulis carnibus delectantur, ut Hercules, qui post carnem virides ficus edit: non qui ficubus, ut Plato: non φιλοβότρυν, qui uvis, ut Archesilaus: sed qui subinde in foro piscatorio versantur, & tintinnabulum celeriter exaudiunt. Inde παροψὶς quoque & vas, & opsonium quoddam dicitur. Hinc in cœna Domini, quæ Matth. 29. *paropsis*: Marc. 15. *catinus* vocatur. *Paropsis leguminis* Sueton. in Galb. ὀψάδης ὡς βάδης, & εὐοψία ἡ τῶν ὄψων εὐπορία, opsoniorum copia: contrà ἀνοψία opsoniorum penuria: Suidæ ὀψοδεία, ἡ τῶν ὄψων ἔνδεια: & ὀψοφαγεῖν supra modum opsoniis uti, unde ὀψονόμοι Athenis creati a senatu duo, aut tres. Et ὀψοφάγος, ὀψοφαγίστης, & ὀψοφαγίστατος idem qui βλάκιστος dicitur, opsoniorum helluo, sive voracissimus. Et quia ὄψον speciatim pro piscibus accipitur, hinc ὀψοφάγοι, qui piscibus summopere delectantur. Ὀψώνια quoque veteres vocarunt ut testis est Polybius lib. 6. cibaria militum: quas antiquiores dixêre τροφάς: Latini *stipendia*, a stipe, quæ appenderetur, cùm pecunia numeraretur ad necessarium victum. Unde ὀψωνιάζεσθαι stipendium præbere. Diod. lib. 16. Hinc Luc. 14. ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. Suidas: ὀψώνια κέρδη, χαρίσματα. Apost. τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς σαρκὸς, θάνατος. De voce ὄψου & ejus derivatis vide plura apud Eustath. Ιλ. λ. p. 814. ὀψώνια.

A Græco promanavit Latinum *opsonandi* vocabulum, quod ejusdem est significationis. Nam & *opsonare*, & *opsonari* idem, quòd *opsonium* (unde forsan nostrum ops) *emere*. Opsonare apud Latinos quid sit.

Opsonium autem a Latinis, ut Græcis ὄψον, propriè est omne id, quo præter panem vescimur, sive quod unà cum pane comedimus.

Antiquitus *opsonare*, seu *opsonari* idem quod convivari: unde frequentativum *opsonitare*. Cato in suasione, ut legi Orchiæ derogaretur: *qui antea obsonitavere, postea centenis obsonitavere*: significat autem convivari, Nævius: *Multi mecum eo die obsonitavere.*

Est autem varia hujus vocis constructio apud auctores. Nam vel dicimus *opsonare* absolutè, ut Plautus in *Captiveis*:

Ipsi opsonant, quæ parasitorum erat provincia.

Vel *opsonare aliquid*, idem in *Sticho*:

Opsonabo opsonium.

Vel *opsonare duobus*, aut *tribus talentis*, aut quovis alio pretio. Terentius:

Vix drachmis opsonatus est decem.

Opsonare quoque & parare, sive comparare opsonium, & pecuniam præbere significat, quo opsonium ematur. Plautus in *Menæchmis*:

Bachil. *Tu facito opsonatum* (paratum emptumve)
Nobis sit opulentum opsonium.

Et rursus idem: *Bene opsonavi* (bona & opipara opsonia paravi)
Atque ex mea sententia bonum anteponam prandium pransoribus.
Prius jam convivæ ambulant ante ostium,
Quàm ego opsonatu redeo,

Id est, quàm ego ab emendo opsonio redeo. Item: *Ego opsonabo*,
Id est, pecuniam suppeditabo, qua illud ematur. Germanis *opsonare* est, Einkäuffen. Hæc de nominibus: nunc de reipsa, ac primò de personis opsonantibus.

Personæ opsonantes.

Apud Romanos antiquitùs moris fuit, ut vel ipsi patresfamiliâs opsonarent, vel illorum servi, nonnunquam etiam parasiti: id quod ex Plauti, & Terentii Comœdiis satis constat.

Plautus: *Postquam opsonavit herus, & conduxit equos.*
Terentius: *Vix drachmis opsonatus est decem.*

Plautus in Captiveis: *Ipsi* (scilicet heri) *opsonant, quæ parasitorum antea erat provincia.*

Opsonatores qui.

Servorum præsertim olim usi sunt opera ad opsonia emendum: qui a Græcis ὀψῶναι, & ἀγορασταί: a Latinis *opsonatores* appellabantur, teste Athenæo. Hi dicto citius edulia juxta convivarum numerum coëmebant. Unde *opsonator* apud Martialem:

Dic quotus es? quanti cupias cœnare? nec unum
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

Apud Plautum in *Menæchmis* Erotium meretrix ad coquum:

Sportulam cape atque argentum. Eccos tres nummos habes?
Cylindrus: *Habeo.* Erot. *Abi atque opsonium affer tribus,*
vide quod sit satis.

His adde de quibus Seneca epist. 44. his verbis: *Adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est: qui sciunt, cujus rei sapor illum excitet, cujus delectet aspectus, cujus novitate nauseabundus erigi possit, quid jam ipsa satietate fastidiat, quid illo die esuriat.* De obsonatoris probi officiis atque virtutibus qui plura legere velit, legat Jacobum Pontanum, qui uno quasi fasciculo eas complectitur *Progymnasmatum Lat.* parte 3. progym. 2. 38.

Sportæ, inquit Nonius, *dictæ sunt vel a sparto, unde fiebant, vel ab asportando.* Sunt autem sportæ opsoniorum vasa, & receptacula, Græci σαργάνας vocarunt. Varro *de Vita populi Romani*: *Neque enim opsonium in tota cœna coëmptum, ex variis rebus cum conjectum in unam sportulam perspicitur*, &c. ex Nonio. Plautus in *Casina*, Senex ad villicum servum:

Tene marsupium, abi, atque opsona properè.

Opsonitor.

Ambrosius in lib. *de Helia & jejunio* cap. 8. *Jejunium & quietem diligit, luxuria inquietudinem. Obsonitor est, qui ante quàm luceat, fores pulsat alienas, & tanquam bellum aliquod immineat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelitum advertis. Interrogas, quæ causa perturbationis sit. Poscit, inquit, dominus meus, ubi vinum melius veneat: quærit, ubi durior vulva curetur, ubi jecur mollius, ubi phasianus pinguior, ubi piscis recentior. Cursitat per diversa, & cum invenerit, summo cursu properat. Inquietat dominum somnolentum, auctionatur pretia. Si pretium moverit piscis, nunquam meliorem asserit inveniri, imò deesse. Heri, inquit, tempestas, hodie procella, vix istum potui latenter deprehendere: multi concursant in macello, si tu reddideris, alter plus dabit.* Seneca: *Adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt cujus illum rei sapor excitet.* Christi obsonatores fuerunt Apostoli: quorum obsonationis mentio fit Joan. 4. *Nam discipuli*, inquit, *ejus in urbem Samariæ, Sichar dictam, iverant*, ἵνα τροφὰς ἀγοράσωσι, *cibos emendi causa. Cùm itaque rediissent, rogarunt illum, ut cibum caperet, quibus ille: Est mihi cibus, quem comedam, quem vos quidem ignoratis. Discipulis autem inter se colloquentibus, & dubitantibus, nunquis illi cibum attulisset? dixit Jesus: meus cibus est, ut exequar voluntatem ejus, qui me misit, & perficiam ejus opus.* O utinam nos quoque Christiani exemplo ejus cibum hunc appeteremus; hæ nostræ essent cupediæ atque delitiæ! Hodie quoque apud multos populos vel ipsi patres matresque familiâs opsonantur, vel liberorum, vel etiam ancillarum atque famulorum opera eam ad rem utuntur.

Hebræorum mos.

Apud Hebræos viri potiùs, quàm mulieres opsonare solent. Nam mulieres sæpiùs domo exire inhonestum ducitur. Unde hujusmodi uxores sæpiùs in publicum prodeuntes, per contumeliam vocant יצאות *jozeoth, vagas, exeuntes* (außfrauwen / non haußfrauwen) quæ sæpiùs ob hoc in periculum pudicitiæ incurrunt. Cujus rei exemplum est Dina, quo etiam ad prohibendum utuntur versu 14. Ps. 54. כל כבודה בת מלך פנימה, *Cal cebudah bath mælæk penimah*, id est, *Tota gloriosa est filia regis intrinsecus.* Hæc de personis opsonatricibus.

Loca in quibus edulia venduntur atque emuntur.

Nunc de locis, in quibus omnis generis edulia atque opsonia emi vendique solent, nec non de personis vendentibus aliquid dicemus.

Ἀγορα

Ἀγορὰ Græcè generatim quemvis locum quibusvis rebus vendendis emendisve destinatum significat. Idem Ἀγορά.
vocabulum etiam annonam, commeatum, omnia quæ ad victum necessaria in foro vænire solent, (unde ἀγορᾶς εὐτράπεζος eleganter a Plutarcho dicta lib. 4. *Problem.* 4.) nec non pretium significat. Unde ἀγοράζειν τὸ ὤνειδος, καὶ τὸ ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν, & ἀγορασής, ἀγορανόμος, &c.

Ἀγορᾶς vocabulo respondet Latinum *Fori* nomen, a ferendo appellatum, ut Grammatici volunt, quòd Forum.
sit locus, quò venalia omnis generis feruntur. Varro lib. 4. *Quò conferrent suas controversias, & quæ vendere vellent, & quò quæque ferrent,* forum *appellarunt.* Ubi generatim additum est ab eo cognomen: ut forum boarium, forum olitorium, quod erat antiquum macellum, ubi olerum copia; forum muliebre, quo mulieres Athenis vasa, & τὰ ἐπιτράπεζα, & ad esculentorum usum inprimis pertinentia vænibant, de quo vide Casaubonum in Theophrasti *Charact.* Ea loca etiamnum Lacedæmonii vocant μακελλῶτας. Sed Jones ostia hortorum, & castelli μακέλλας. Secundum Tyberim ad Junium forum piscarium vocant. Ideo ait Plautus: *Apud piscarium, ubi variæ res.* Ad corneta forum cupedinis, a cupedio, quod multi forum cupedinis, ab cupiditate vocant. Symmachus *forum cupedinarium* appellat: *Coëmpta*, inquit, *ex foro cupedinario. Hæc omnia postquam* Forum cupedinarium.
contracta in unum locum, quæ ad victum pertinebant, & ædificatus locus, appellatum macellum (ut quidam scribunt) *quòd ibi fuerit hortus: alii, quòd ibi domus fuerit, cui cognomen fuit Macellus, quæ ibi publicè diruta: è qua ædificatum hoc, quod ab eo vocatur macellum.* Hæc ille. *Marcellum* (inquit Paulus) *dictum a Macello quodam,* Macellum.
qui exercebat in urbe latrocinia, quo damnato Censores Æmilius, & Fulvius statuerunt, ut in domo ejus opsonia venderentur.

Macellum quidam a *macerando* deductum arbitrantur, quòd pecora, dum eo ducuntur ibique tenentur, macerantur. Isidorus *macellum* vult dictum, quòd ibi *mactentur* pecora, quæ mercantibus venundantur. Hebraicè dictum, בית הטבחה *Beth hatiphehah*, *domus mactationis*, sive *laniena*. Græcè Plutarchus κρεωπώλιον interpretatur: sed latiùs patet vocis illius significatio, extenditurque ad omne obsoniorum genus. Hinc Germanicum Metzg / locus in quo pecora cæduntur, excoriantur atque venduntur: & inde metzgen. Italicè *ammazare*, cædere sive mactare. Quid si *macellum* a mactandis pecoribus sit dictum? A macello *macellarii* dicti, Macellarii.
Varro. Hos Glossarium Suetonii ὀψωνιοπώλας reddit. Sic enim Suetonius, *dispositis circa macellum custodibus, qui obsonia contra vetitum retinerent*: ubi per *macellarios* intelligit eos, qui macellum exercent non solùm carnium, sed omnium obsoniorum: quin etiam panis & frumenti venditores: quippe hæc omnia in macello vendebantur. Inde apud Senecam, *vivere in macello*, pro, in popina & καπηλείοις καὶ ἡβολιγείοις. Cicero, *Si Epicuri de Voluptate liber corrosus esset, putarit annonam in macello cariorem esse.* Idem *de Divinat. Annona in macello cara est.* Plautus in *Aulularia*:

> *Venio ad macellum, rogito, pisces indicant*
> *Caros, agninam carnem, carnem bubulam,*
> *Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia.*
> *Atque eò fuerunt cariora, æs non erat*

Festus: *Piscatorii ludi vocantur, qui quotannis mense Junio trans Tyberim fieri solent a Prætore Urbano pro piscatoribus Tyberinis, quorum quæstus non in macellum pervenit, sed ferè in aream Vulcani, quod id genus pisciculorum vivorum datur ei Deo pro animis humanis.* Idem Græcis est ὀψοπώλιον, sive ὀψοπωλία. Athenæus lib. I. ὀψοπώλιον.
Ex his apparet macellum dici locum, in quo quæ ad victum pertinent, vendi solent: unde *annona macelli* Annona macelli.
tam de piscibus, quàm de carnibus, reliquisque ad victum pertinentibus Latinè, & eleganter dicitur. Nam locus ubi carnes tantummodò venduntur, *carnarium* appellatur. (κάπηλα apud Tarentinos) Plautus:

> *Cœnam e carnario emit, jam factus satur.*

Varro *tabernam carnariam* vocat. *Carnarium* tamen propriè dicitur, ubi salitæ carnes domi reponuntur. Plinius: *Quippe è macello aut carnario vivendum est.* Qui verò carnes in carnario vendunt, etiam *lanios* constat ap- Carnarium.
pellatos fuisse. Plautus: *In velabro vel pistorem, vel lanium, vel haruspicem.* Unde *lanienæ* dicuntur officinæ, in quibus venduntur carnes. Idem:

> *Per myropolia, & lanienas, civiumque argentarias.* Lanienæ.

Carnarium quoque Plautus accipit pro ipsa carne:

> *Qui mihi carnarium paravit ridiculus ad jentaculum.*

Item *carnarius* dicitur masculino genere, & qui carnem vendit, & qui in edenda carne delectatur. Martialis: Carnarium pro ipsa carne.

> *Carnarius sum, pinguiarius non sum.* Carnarius.

Ergò ut apud Græcos ἀγορὰ, & πωλητήριον, ita apud Romanos *forum* generatim pro loco quarumvis rerum venalium accipitur: ut apud Germanos vocabulum Marckt / quod a *mercatu* videtur derivatum. Jam verò singulorum eduliorum (nam de aliis rebus venalibus hîc non est dicendi locus) crudorum atque coctorum, nec non poculentorum loca, in quibus venalia prostant, singulorum appositione denominantur. Sic enim exempli gratia locus, in quo boves venduntur, a Latinis *forum boarium*, Græcè βοοπώλιον, Germ. Rindermarckt: in quo pisces, *forum piscarium*, *piscaria* Ulpiano, *macellum cetariorum* Varroni, Græcè ἰχθυοπωλεῖον, Germanicè Fischmarckt: in quo olera, *forum olitorium*, Græcè λαχανοπωλεῖον, Germanicè Krautmarckt: in quo poma, *forum pomarium*, ὀπωροπωλεῖον, Germanicè Opsmarckt: in quo sues, *forum suarium*, χοιροπωλεῖον, Germanicè Sauwmarckt: in quo cupediæ lautiores cibi, *forum cupedinis* Varroni & Apulejo, *cupedinarium* Symmacho, Græcè ματτυοπωλεῖον appellatur, & sic de reliquis.

Thermopolium. Nonnunquam cibi calidi atque cocti venduntur. Sic *Thermopolium* Plauto, θερμοπώλιον, locus in quo cibi calidi venduntur.

Εφθοπωλεῖον, sive ἑφθοπώλιον, Athenæo locus, ubi assata veneunt, forum cupedinarium, sive cupedinis: unde ἑφθοπῶλαι, qui se eo quæstu fovent.

Popina. *Popina* quoque Ciceroni (ut *Thermopolium* Plauto) locus, ubi cibi calidi venduntur, aut ubi publicè opsonia, & delicatiores cibi assari, aut apparari atque etiam comedi consueverunt. Nam in illis helluantur, unde ab Horatio *uncta* vocantur, quia cibaria unctiora cocta illis vendebantur. Dicta videntur a *popa*, quæ pinguitudo est, de qua Persius:

---- Ast illi tremat omento popa venter.

Isidorus *propinam* Græco sermone vult dici, quæ apud Latinos corruptè *popina* dicitur: & esse locum juxta balnea publica, ubi post lavacrum a fame & siti reficiuntur, & dictum vult a πεῖνα, fame, quòd hic locus famem tollat. De popina Horatius:

Fornix tibi, & uncta popina
Incutiunt urbis desiderium.

Idem: *---- Quin omnia malit*
Quæque immundis fervent allata popinis.

Manilius: *Infamem, fœdam, turpemque odisse popinam.*

Hinc *popinones* apud priscos dicti, & ipsi coci, ac popinariam exercentes, & ἄσωτοι luxuriosi: qui se popinis dediderunt, quos alio nomine vocant *tabernarios*, & *ganeones*. Et *popinatio* dicitur a Gellio, quæ alio nomine *helluatio*: quam Græci ἀσωτίαν vocant. Extat luculentum Adriani Imperatoris rescriptum ad Florum Poëtam:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas, &c.

Popina sellariola Martiali dicitur. Juvenalis Satyra 8.

Sed cum pervigiles placet instaurare popinas.

Id est, noctu diuque patentes propter multitudinem confluentium: sive in quibus tota nocte popinones vino, libidinique invigilabant. Scribit Julius Firmicus, quòd Luna, a Venere defluens, si feratur ad Mercurium, faciat popinarios. Venus quoque, si domina actus fuerit, in dejectis locis faciet popinarios, & tabernarios. *Popinari* significat helluari, & indulgere popinis. Julius Capitolinus: *Dum Gallienus*, inquit, *popinatur, & balneis ac lenonibus reputat vitam.*

Ganeæ. Sic ganeæ quoque erant loca vinolenta (ut ea Marcellus vocat) gulæ & libidini apta: a quibus ita *ganeones* dicti, ut a popina *popinones*. Existimat Donatus *ganeum* dictum a terra, quàm Græci γέαν sive γαῖαν vocant, quasi *terrarium*, meretricis domicilium, non ut superiùs, ut *cœnaculum*. Apud Plinium frequens est, & penè peculiaris hæc dictio, accipiturque pro loco, in quo cibaria gulosorum esculentiora concinnantur: & pro ipsa quoque ingluvie & cibariis. Ait enim in decimo octavo loquens de sue: *Neque alio ex animali numerosior materia ganeæ, quinquaginta propè sapores, cum cæteris singuli.* Idem in 19. *Quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus.* Sidonius: *Disruptum ganea stomachum nulla res sarcire melius, quàm parsimonia solet.* Columella: *Ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem laconicis* (sunt loca in balneis, in quibus sudor elicitur sicco calore, teste Celso in lib. 2. & Vitruvio in 5.) *excoquimus.* *Ganeum* in neutro genere (inquit Festus) antiqui locum abditum, ac velut sub terra dixerunt. Terentius: *Ubi illum quæram? credo abductum in ganeum.* Varro: *Et hoc interest inter Epicurum & ganeones nostros, quibus modulus est vitæ culina.*

Tabernæ. *Tabernæ* quoque Latinis dictæ, in quibus olim omnis generis edulia vendi, ac in quibus comessari epularique solebant. *Tabernæ diversoriæ* a Suetonio in Nerone (ubi earum abundantiam descripsit, unde solitus esset vinum etiam ipse petere) dicuntur cauponulæ, & loca ad diversandum comparata, ad differentiam earum, quæ venales habent merces. Sic *taberna carnaria*, in qua carnes: *vinaria*, in qua vina: *unguentaria*, in qua unguenta veneunt. A taberna procul dubio Gallicum *taverne*, quo etiam Germani nos utimur, promanavit. Sed taberna pro quovis loco, sive ædificio accipitur, in quo non edulia tantùm, sed quævis res aliæ venales prostant: & differt (ut volunt Grammatici) ab officina, quòd *officina* est, ubi opera efficiuntur; *taberna*, ubi venduntur.

Caupona. *Caupona* similiter Latinis est taberna vinaria, sic dicta propter copiam rerum atque eduliorum, quæ ibi venduntur. Inde dicti *caupones*, quos tamen Isidorus a cupis, vasis vinariis, sive aquariis vult dictos.

Græcè hujusmodi loca sive ædificia, in quibus edulia cocta venduntur atque etiam manducantur ὀπτανεῖα, θερμοπώλια, & καπηλεῖα appellantur. Germanicè brätereyen / pastetenheüser / zächheüser. Gallicè *cabarets, rotisseries*, & *patisseries* appellantur. Οἰνοπώλια sunt tabernæ vinariæ weynheüser / &c.

Portæ Hebræorum. Apud Hebræos in portis videtur fuisse rerum venalium mercatus, in quibus etiam jus dicebatur, resque forenses exercebantur. Hinc *porta ovium* Nehemiæ 2. quæ (ut Lyranus annotat) etiam *porta mercatorum* dicitur, ex eo quòd mercatores ibi stationes suas haberent. *Porta piscium*, cujus fit mentio Nehem. 3. & 12. & Sophon. 1. forsan, quia ibi erat forum piscarium. *Porta equorum* Jeremiæ 31. Nehemiæ 3. De tabernariis autem, cauponibus, stabulariis, & popinariis, olim infamibus legere qui velit, legat Marquardi Freheri viri doctissimi librum tertium *de Infamia.*

CAPUT

CAPUT XII.

DE EDVLIORVM VENDITORIBVS, PRAEPOSITIS ATQVE PRAEFECTIS, EORVNDEM MVNERE. DE COERCENDA DARDANIORVM ATQVE PROPOLARVM AVARITIA, DE MODO IN OBSONATIONE ADHIBENDO.

Iam verò varia quoque ſunt edulia quævis vendentium nomina, ut ἀρτοπώλης, ἑφθοπώλης, κρεοπώλης, ἰχθυοπώλης, προβατοπώλης, ὀψοπώλης, θερμοπώλης, ἀλφιτοπώλης, ἀλλαντοπώλης, οἰνοπώλης, Id eſt, *qui panes, carnes, piſces, oves, opſonia, cibos calidos, farinam, farcimina, vinum vendit.* In ἰχθυοπώλας extat ſalſum Diphili carmen, quo illorum mores perſtringuntur: Nomina vendentium edulia.

Ὤμην ἐγὼ τοὺς ἰχθυοπώλας τὸ πρότερον
Εἶναι πονηροὺς τοὺς Ἀθήνησι μόνους
Τὸ δ' ὡς ἔοικε, τὸ γένος, ὥσπερ θηρίον
Ἐπίβουλόν ἐστι τῇ φύσει, καὶ πανταχοῦ.

Hoc eſt.

Arbitrabar ego piſcarios prius
Eſſe pravos Athenienſes ſolos:
Hoc verò, ut videtur, genus, veluti fera
Naturæ inſidiatur, & ubique.

Unde forſan Germani vulgò, ein ſoſer fiſcher. Eorundem ſuperbiam Amphis quoque poëta comicus carminibus perſtringit. Item Alexis comicus in eorundem faſtum atque avaritiam invehitur. Idem facit Antiphanes qui illos Gorgonibus comparat. Latinè *caupo, popino, tabernarius, cupedinarius.* qui eſculenta, aut poculenta delicatiora, cocta vendunt. Tertullianus *de Fuga in perſequutione: Neſcio dolendum an erubeſcendum ſit, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur.* *Propala* quoque dicitur, qui panem, vinum, & alias merces propalam velut *ante palum*, aut *de palo* pendentes habet, & vendit. Ut Cic. *in Piſonem: Panis & vinum a propala & de cupa.* Vocem *propalam*, ut annotat Turnebus in ſuis *Adverſar.* depravarunt in *propolam*, cùm apud Græcos (quorum vocabulum videri volunt) hæc vox proxenetam ſignificet, venditionisque conciliatorem, ut ſcribit Pollux. Ea integra hodieque apud Varronem remanet, ſic ſcribentem: *Denique ipſæ exruminantes ad propalam vitam diu producunt, id eſt, apud propalam.* Apud Nonium quoque Lucillius ipſo ſyllabæ modulo ſatis indicat vocabulum Latinum eſſe, cujus verba ſunt: Propala.

Ut cum primitiis ficus propala recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

Olitor, qui olera vendit, Apul. in *Apolog. Olitori & cauponi meritò eſt conceſſum holus & vinum ex nobilitate commendare.* Holitores olim in abjectiſſimis & contemptiſſimis habebantur, ut proverbium indicat: Olitores.

Sæpe etiam eſt olitor valde opportuna locutus.

Mulieres viliſſimæ olera vendebant, & per urbem promercalia clamitabant. Sic Petronius mulierem *agreſte olus vendentem* dixit, & ab Ariſtop. Euripidi mater exprobratur oleraria, id eſt, λαχανοπωλήτρια, quin & ipſum σκανδικοπώλην ea de cauſa appellat, quod ne hortenſe quidem olus, ſed (quod σκάνδιξ, Latine *herba ſcanaria* dicitur) agreſte mater ejus venderet.

Hebraicè זונה *zonah caupona* ſive *hoſpita* ſic dicta, themate זון *zon*, quòd eſcas præparet, & vendat. Eadem vox meretricem ſignificat, a themate tamen זנה, quòd *ſcortari* eſt: quia ut plurimum hoſpitæ eædem & meretrices, ut de Rahab dicitur Joſuæ 2. Jacob. capite 2. & Auctor epiſtolæ ad Hebræos, πόρνην reddiderunt, id eſt, meretricem, quam Suidas ſic vult dictam ἀπὸ τοῦ πέρνασθαι, id eſt, *vendi*, eò quod corpore ſe venalem proſtituit. At Chaldæus Paraphraſtes vertit פונדקיתא *Pundekita*, id eſt, *cauponam* ſeu *hoſpitam*. Sic 1. Reg. 1. duas mulieres *Sonoth*, id eſt, meretrices, ut vulgò vertitur, reddidit פונדקין *Pundekin*, id eſt *cauponas*. Heb. Zonah.

Sic olim apud Græcos, quemadmodum etiam hodie in quibuſdam Italiæ locis non multò erat honeſtius πανδοχεῖον, ſive taberna meritoria, quàm οἴκημα, hoc eſt, lenonis aut meretricis. Nec multò aliter apud Latinos, qui & πανδοχεῖον *ſtabulum*, & πανδοχέα *ſtabularium* dixerunt, meretricem *proſtibulum*.

Verùm in primis operæpretium quoque mea ſententia fuerit, & huic loco de opſonatione perquàm accommodatum, ut in genere de annonæ, hoc eſt, rei cibariæ, ſive alimentaria cura, quæ quibuſvis ſapientibus Rerumpub. rectoribus eſt ſuſcipienda, ejuſque præfectis, quædam dicantur. De publica annonæ cura.

Ac *annonæ* quidem apud Romanos nomen latiſſimè patuit, quo omnia eſculenta, non ſolùm quæ ex agris colliguntur, verùm reliqua omnia comprehenduntur. Unde Livius lib. 9. Decad. 3. de ſecundo Punico bello ait: *Vectigal novum ex annona ſalaria ſtatuerunt: ſextante ſal & Romæ, & per totam Italiam erat.* Nec ſine ratione univerſum cibum *annonæ* verbum ſignificat. Tractum eſt enim (ut ſuprà ex Varrone fuit dictum) Annona quid.

 à tem-

à tempore, hoc est, hora nona, qua veteres Romani cœnare consueverunt. Hinc annona macelli, cùm macellum (teste Varrone) locum significat ubi omnia quæ ad victum pertinent, & præcipuè frumentum (cujus usus in primis est necessarius) venduntur. Annonæ igitur bonus, prudensque magistratus, ceu bonus pater familiâs, sedulò dabit operam, ut populo suæ fidei curæque commisso copia sit atque facultas. Parva namque urbis præsidia essent, parum admodum leges, sanctiones, institutaque civitatis prodessent, si populus esuriret. Quid enim periculosius populo famelico, quem non arma, non magistratus, non jura divina, aut humana, non leges, non pudor aliquis coërcere valet? Oportunè enim Lucanus ait:

--- *Nescit plebs jejuna timere.*

Fames malesuada. Et verè sciteque fames a Virgilio *malesuada* dicta est. Quam fidem principibus suis subditi servare possunt, quorum filii fame pereunt? Idcirco magna cura adhibenda, ut populus non modò frumento, sed omni genere victus abundet.

Præfecti annonæ sunt publicè creandi. Profuerit ergo in qualibet Republica annonæ præfectos creari, qui frumento in publicum coëmundo, condendo, asservando, ac (prout opus fuerit) dispensando præsint. Quod autem de frumento dico, idem de reliquis quoque ad victum necessariis intelligendum. Deinde ut ii res ad victum necessarias advehi, & importari curabunt: ita contrà, esculenta poculentaque exotica, & peregrina ceu gulæ irritamenta ad luxum potiùs atque luxuriam, ad civium animos emolliendum effœminandumque, illorumque opes exhauriendas, quàm ad utilitatem necessitatemque pertinentia, importari atque distribui summopere prohibebunt: cujus instituti multa ex historiis exempla proferri possent.

Cavendæ exportationes rerum necessariarum in Rep. Præterea curæ illis erit, ne cibaria atque alimenta necessaria exportata, annonæ caritatem egestatemque in Repub. pariant, néve hostibus mercatorum avaritia subministrentur, quæ patriæ defendendæ ac conservandæ servire debebant. Hoc namque modo sæpe mercatores se in regum, ac principum gratiam insinuant, eorum opes novis illecebris importandis exugunt, ac potentes fiunt, cives interea ad penuriam egestatemque redigunt. Proinde rectè Naüm Propheta *bruchos* Ninivitarum mercatores cap. 3. appellat: quòd perinde atque bruchi segetes absumant, iisque absumptis avolant: sic mercatores ubi opes principum ac civium imposturis, ac fœnerando emunxerint, tandem bene saginati avolant.

Propolæ & fœneratores coërcendi. Dardanarii qui. Dardanus magus. In primis verò illis est coërcenda propolarum, monopolarum, pantopolarum atque dardaniorum, ceu bruchorum, curculionum atque harpyarum avaritia. Dicuntur *dardanarii*, sive *dardani*, qui annonam flagellant, vexánt & incendunt, id est, annonam mercesve coëmptas tantisper supprimunt, cum cariùs eas vendendi occasio se offerat, a Dardano (ut quidam ajunt) mago nominati profligatissimo: qui maleficis artibus annonam in granaria sua avertere, mensuras in admetiendo minuere, fraudemque facere credebatur. Hujus commentariis diligenter perlectis longè doctissimus evasisse Democritus memoratur. Consule Plin. 30. cap. 1. Apulejus: *Vel ipse Dardanus, vel quicunque alius post Zoroastrem.* Euseb. lib. 2. *Euang. Præpar.* 2. εἴτε ὁ Δάρδανος ὁ μύθους θεῶν καταδιδάξας, τὰ μυστήρια. Tertullianus, *ut ipsis jam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum magica sonat: ostentantes & Typhon, & Dardanus, & Domigeron, & Nectabis, & Berenice.* Sidonius Epist. lib. 5. ad Aquilinum: *Cùm in Constantino inconstantiam, in Jovino facilitatem, in Geroncio perfidiam, singula in singulis, omnia in Dardano crimina simul execrarentur.* Magi hujus in *Apologetico* meminit Lucius. Et in hortulo *Dardanias artes* Columel. lib. 10. vocavit magicas incensiones, & præstigiosa susurramina, cujus hæc verba sunt: *At si nulla valet medicina repellere pestem, Dardaniæ veniunt artes.* Salomon, ὁ συνέχων σῖτον δημοκατάρατος: *Qui supprimit annonam populo, sit detestabilis populo.* Germanicè fürkäuffer / hodler vocantur, quæ vox *o* in *u* mutata hominem nequam, sive nebulonem significat. Ulpian. *ff. de Extraordinariis crim. l. Annonam: Annonam*, inquit, *attentare, & venare vel maximè Dardanarii solent.* Iidem Latinis aliâs *Annonarii*, a Plinio *annonæ flagellatores* appellantur, ut diligenter Alciatus annotavit in mercis appellatione *ff. de verbor. signif.* & idem *Dardanarii* vocem inter eas dictiones numerat, quæ aliis in auctoribus nusquam eo sensu reperiuntur. De hac voce *Dardanarii* vide etiam Turneb. lib. 9. *Advers.* cap. 17. & lib. 2. c. 4. Dardanarius in veteri lexico exponitur παντοπώλης, παντομετάβολος, σιτοκάπηλος. Hi a Latinis quoque *propolæ* vocantur, Cic. De qua voce suprà. Lampridius in Commodo: *Imitatus propolas circumforaneos, equos sibi comparat.*

προπένται. Græcè (teste Suida) προέντεαι, οἱ περὶ καιροὺς τῶν προσφαγίων ἀποτηρούμενοι. οἱ προαρπάζοντες, καὶ μεταπιπράσκοντες πλείονος, οἱ νῦν μετάβολοι καλούμενοι, οἱ προλαμβάνοντες τὰ ὄψα πρὶν εἰς τὴν ἀγορὰν κομισθῆναι. Julius Pollux, ἀναπιπράσκοντας, & ἀναπωλοῦντας, hoc genus hominum appellari scribit. Nam *propolas* eos nominat: quos Jurisconsulti *Proxenetas*, hoc est, interpretes, sive conciliatores rerum contrahendarum.

Thales sapiens Græciæ. *Dardanarius* non malè Thales ille sapiens appellari potuisset: qui olearum inopiam providens omnes coëmit, & anno insequenti vendidit, ut scribit Aristot. siquidem quæstum turpissimum factitare voluisset. *Sordidi* (inquit Cicero in *Officiis*) *putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur: nec verò quicquam turpius est vanitate.*

Pestes Reipub. avari, & dardanarii. Coërcendi itaque sunt severis legibus atque pœnis in Repub. avari isti homines (vera Reipub. pestis) qui pro more & consuetudine sua vinum, annonam, omnis denique generis fruges coëmundo atque recondendo, præpropera hac sua emptione, (ut Plauti verbis utar) flagellant, accendunt & excalefaciunt, hoc est, gravem, difficilem caramque reddunt, & quæstum sic cum totius Reipub. pernicie atque detrimento maximum facere gaudent. Hi enim veri sunt Reipub. tyranni atque hostes teterrimi existimandi, qui ipsos Propolarum pœna divina. suos cives atque populares in ipsa pace inopia atque fame excruciant atque conficiunt. Hi, inquam, sunt veri & quidem immanissimi ἀνθρωποφάγοι, qui, ut Psal. 14. scriptum est, *populum comedunt ut panem*, qui ut Micheas

Micheas loquitur de hujusmodi hominum genere cap. 6. *carnem populi devorant, pellem illis detrahunt* (ziehen jhnen die haut vber die ohren ab schinden / vnnd schaben sy) *atque ossa eorum nudant, quin & frustulatim dissecant ceu in ahenum posituri, & ut carnem in ollam.* Imò hujusmodi homines vel ipsis Anthropophagis veris sunt immaniores, illi enim mortuos tantùm devorant, hi etiam vivos. Eosdem quoque verè δημοβόρους, id est, *populivoros* dixeris, quod est tyrannorum apud Hom. epitheton. Ιλ. Α. de quo Eustath. Il. 68. 26. & 1195. 5. δημοβόρος ὁ τὰ δήμου βιβρώσκων, qui populi bona comedunt, & ut Lactantius loquitur, *beneficia divina pro sua avaritia intercipientes vulgo famem sitimque faciunt*, cujusmodi fuerunt illi, de quibus David & Micheas loquitur. Mirum itaque profectò non est Deum ferè quotidie horrenda suæ vindictæ exempla in ejusmodi homines edere, dum sæpenumerò fruges, quæ ab illis reponuntur, avolant, aut aliâs corrumpuntur atque pereunt, ac ipsi suspendio, aut alio modo, (cùm spem communis mali se fefellisse sentiunt) mortem sibimetipsis consciscunt, nec hac solùm temporali, verùmetiam æterna illa beatissimaque luce atque vita semetipsos privant: quo nihil tristius atque funestius dici, aut cogitari potest. Nam *prohibenti*, (inquit sapiens *Proverb.* undecimo) *frumentum, maledicit populus: benedictio autem super caput vendentis frumentum.* Cui simile illud S. Ambrosii libro tertio, capite sexto, de Josepho, & divite avaro in Euangelio: *Famis tempore subveniendum, nec avarè partis incubandum, nec pretia captanda.* Item: *Frumenti largitorem esse decet, non pretii captatorem.* Quamobrem magistratus atque principes, si Reipublicæ atque civium suorum saluti consultum volunt, hujusmodi pestes severissimis legibus atque pœnis coërcebunt, nec illos pro libidine sua in Republica grassari patientur. Quod si hac in re connivebunt, ac negligentes fuerint, ipse Deus (qui ἔκδικον, hoc est, *vindicem* habet oculum) populi sui esurientis precibus, querelis atque clamoribus incitatus, in ipsos gravissimè animadvertet. Hinc infamia olim illos fuisse notatos, & constitutionibus Romanorum coërceri fuisse solitos, testatur idem Marquardus Freherus libro tertio, *de Infamia.* Julianus quoque Imperator in suo *Misopogone* gloriatur, se, cùm animadvertisset Antiochenum populum non tam annonæ inopia, quàm locupletum avaritia, qui frumentum, quod in agris habebant, clàm vendebant, & illud in horreis conclusum, repente in argentum & aurum vertebant, gravissimè premi, & fame, quam ἀλυκλήεσσα βροτείων, id est, *mortalium vexatricem* Poëta ille vocat, affigi, ei malo medicinam adhibuisse, & Dardaniorum avaritiam repressisse. Sed quid dicam, quòd proh dolor, perditis hisce nostris temporibus ipsos nobiles, reges, principes atque etiam Ecclesiarum antistites non pudet execranda hac negotiatione turpissimum quæstum facere: cùm καπηλική olim etiam principum constitutionibus, tanquam res sordida, & illiberalis nobilibus familiis fuerit interdicta? l. *nobiliores* C. *de commerciis & mercibus.* Thebanorum lex (teste Aristotele) olim erat, ut nemini ad Reipublicæ munera accedere permitteretur, nisi per decem annos a mercatura destitisset. NOTA.

Præterea annonæ præfecti diligenter curabunt, ut alimenta incorrupta, & justo pretio legitimaque mensura vendantur, de quo in sacris litteris multæ severissimæ leges extant Levit. 19. Deuteron. 25. Amos 6. &c. Annona incorrupta, & justo pretio constans procuranda.

Optandum quoque esset, ut Christiani magistratus cupedinariorum atque popinorum, hoc est, artificum delitiarum atque voluptatum numerum, qui passim ferè in immensum excrevit, in suis rebuspub. imminuerent. *Minimè*, inquit Cicero *Off.* 1. *artes probandæ, quæ ministræ sunt voluptatis: cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores*, ut ait Terentius: adde his, si placet, unguentarios, saltatores, totumque ludum talarium. Chrysostomus carnium vinique venditores, mercatores, & caupones omnes veluti impurissimos homines, etsi homines Christianos, tamen a cœtu Ecclesiastico summovet, quasi omnes illi homines sint venales. Artes voluptuariæ tollendæ.

Nunc ea, (de quibus adhuc dictum est) exemplis nonnullis illustrentur.

Ac primò quidem memorabile, imitationeque dignissimum est illud Josephi consilium, quod Pharaoni regi Ægyptiorum dedit: ut nimirum frumentum atque annonam plurimam per certos homines colligi atque recondi curaret, quo deinde populo gravissima illa 7. annorum fame (quam illi Deus revelarat) afflicto oppressoque tantò faciliùs subvenire opitularique posset. Eodem modo sapientes magistratus frumenti curatores designabunt, qui dum vilis est annona, frumentum è proventibus recondant, & aliud insuper in futuram necessitatem coëmant, non quæstus causa, sed ut annonæ difficultate premente tolerabili pretio subditis succurrant, memores sententiæ Solomonis Prov. 11. *Qui juvat egentes, & communicat frumentum, huic dominum benedicere: contrà frumentum ad lucrum occultantes, ab omnibus diris devoveri.* Hebræis illi qui frumentis coëmundis, reservandis atque vendendis & distribuendis populo præfuerunt, משבירים *maschbirim* appellantur, quasi dicas *fractores*, seu *fragmentarios*, a שבר *schabar*, quod proprie *frangere*, sed sæpe in sacris litteris *escam, frumentum*, sive *annonam comparare, coëmere, distribuere*, vel *dispertiri*, & in Hiphil *vendere* significat, ut Gen. 41. 47. Proverb. 11. Sic Joseph dicitur Genes. 42. fuisse dominator, & משביר *maschbir*, *distributor* & quasi *fragmentator super omni populo terræ, &c.* Josephus exemplum prudentissimi magistratus.

Jam verò quoad Græcos, quantam illi hac in re in suis Rebuspub. adhibuerint diligentiam, nomina multorum magistratuum, qui ab illis hanc ob causam fuerunt instituti, satis declarant. Dicti ergo sunt ἀγορανόμοι, ἐπισκοποῦντες τὰ τῶν πόλεων ὤνια, οἱ τὰ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἄρχοντες, id est, *principes sive magistratus, qui res venales urbium inspiciebant*, sive qui ea, quæ erant in foro venalia, administrabant. Aristoteles *Pol.* 8. & Plato *de Legibus* lib. 6: eorundem meminerunt. Plato tria facit ἀρχόντων genera, nimirum ἀστυνόμους, τὸ δὲ περὶ ἀγορᾶς κόσμον, ἱερῶν δὲ ἱερέας. Dionysius lib. 5. Dion & alii Græci, qui Romanam tractarunt historiam, ædiles Romanos ἀγορανόμους vocarunt. Plautus quoque aliquoties eadem voce Græca ceu Latina utitur, ut in *Captiveis*: Annonæ præfecti apud Græcos. Agoranomi.

Euge

Euge edictiones ædilitias hic habet quidem,
Mirumque adeò est, ni hunc fecère sibi Ætoli
Agoranomum, &c.

Hi verò non annonæ tantùm, sed omnium rerum venalium curatores atque præfecti fuerunt. Illorum munus ἀγορανομία, id est, *ædilitium munus*, sive *dignitas*.

ὀψονόμοι.

ὀψονόμοι similiter magistratus Athenis (dicti ab administratione eorum, quæ ad opsonia pertinebant) qui immodicum luxum opsonatorum coërcebant. Eustathius in Ιλ. Β. 15. Καὶ τὸ ὀψοφαγεῖν, ὅπερ ἐστὶ παρὰ τὸ δέον ὄψοις χρῆσθαι, οὗ ἕνεκεν ὀψονόμους Ἀθήνησιν αἱρεῖσθαι ὑπὸ τῆς βουλῆς δύο ἢ τρεῖς. Ὀψονομεῖν tamen pro ὀψωνεῖν, id est, *opsonari* usurpavit Critias, teste Polluce lib. 6.

Σιτώνης.

cap. 7. Σιτώνης interprete Suida, ὁ προεστὼς τοῦ δημοσίου σίτου, *præfectus publici frumenti*, *mercator frumentarius*, sive *frumentator publicus*, qui nimirum frumento publico emendo, asservando, divendendo distribuendoque præerat. Grægor. οἱ σιτῶναι καὶ σιτοκάπηλοι, *frumentarii negotiatores*, Kornkäuffler. Ipsum munus σιτωνία

Σιτοφύλακες.

dictum est. Σιτοφύλακες, quasi dicas *frumenti custodes*, Suida interprete, ἀρχή τις Ἀθήνησιν, ἥ τις ἐπεμελεῖτο ὅπως ὁ σῖτος δικαίως πραθήσεται, καὶ τὰ ἄλφιτα, καὶ οἱ ἄρτοι. ἦσαν δὲ τὸν ἀριθμὸν ιε μὲν ἐν ἄστει, ε δὲ ἐν Πειραιεῖ, *magistratus erant, qui frumento asservando præerant curabantque, ut justo pretio venderetur, quod ipsum*

Σιτοφυλακεῖον.

etiam fiebat in pane & farina: erant enim numero in urbe 15. *&* 5. *in Pyræo.* Σιτοφυλακεῖον, Suida teste, locus,

Σίταρχος.

sive vas in quo asservatur frumentum, kornkammer / der kornkasten. Σίταρχος similiter, sive σιτάρχης dicebatur annonæ præfectus coëmundæ, asservandæ ac dispensandæ, quum opus erat. Alii commeatui, sive ciborum sumptui præfuisse volunt. Harmodius apud Athenæum libro 4. ὁ κατασταθεὶς περὶ φυγαλεδοσι

Σίταρχος etiam publici curator dicitur.

σίταρχος. Budæus σίταρχον exponit *convivii curatorem*. Ut cùm civitates publicè epulantur, id quod ex Athenæi verbis videtur posse colligi. Nam ibi certa quædam ciborum genera enumerantur, qui a Sitarcha in epulis sacris fuerunt suppeditati. Hinc σιταρχία, & σιτάρχημα (Athenæus libro 6. ἂν ᾖ τὸ σιτάρχημα, δεῖπνον εὐπρεπές) munus præfecti annonæ, idem propè cum σιτωνία· & σιταρχεῖν *annonæ esse præfectum*.

Σιτοδότης.

Σιτοδότης *frumenti largitor*, seu *distributor* dicitur: unde σιτοδοτεῖν *frumentum dare*, & *distribuere*, *dimetiri*, idem quod σιτομετρεῖν· & σιτοδοσία *frumenti largitio*, sive *distributio*: quam Suetonius *frumentationem* appellat.

Σιτομέτρης.

Σιτομέτρης, idem qui σιτοδότης, (ut in *pandectis* legitur) *frumenti mensor*, qui annonæ publicè certa mensura dispensandæ erogandæque munere fungitur. Aristot. *Polit.* 4. cap. 15.

Hæc fuerunt ferè nomina eorum, qui apud Græcos cùm frumento & annonæ publicæ coëmundæ, ex proventibus colligendæ, asservandæ ac distribuendæ præfuerunt, tum rerum venalium omnium, ac in primis alimentorum curam gesserunt, ut illa incorrupta, & justo legitimoque pretio atque mensura venderentur.

Annonæ apud Romanos quanta cura.

Ex his autem satis constat quanta Græcorum ea in re cura, & diligentia extiterit, quos Romani studiosissimè fuerunt imitati. Tanto namque illi studio rem frumentariam coluere, ut alveos a singulis regionibus Ægypti ære publico in Nilum ducendos curârint, quibus frumenti vis ingens, Alexandriam atque inde Romam deferri posset. Et si quis alveos illos perfodisset, Honorius & Theodosius eum vivum cremandum sanxiverunt, L. *Una. C. de Nili agge. non rump.*

Ædilitas Romanorum.

Summum munus, sive magistratus qui in urbe tam frumentationi, quàm annonæ præpositus erat, fuit ædilitatis, seu ut alii legunt edulitatis ab edendo, sive eduliis, quibus præerant, nomine deducto. Hinc est illud Lamp. in Alexand. Cæs. Cùm edulitatem P. R. ab eo peteret, interrogavit per Curionem, *quam speciem annonæ caram putarent?* Illi continuò exclamaverunt, *Carnem bubulam atque porcinam.* Tunc ille non quidem edulitatem proposuit, sed jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem: tantumque inter biennium, vel propè annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, ut cum fuisset octominutalis libra, ad duos unumque utriusque carnis libra redigeretur. Dionys. Halicar. lib. 6. *Antiq.* scribit ædiles tribunorum ministros ac socios fuisse, eosque annonæ forensis copiæque cibariorum curam habuisse, similesque quodammodo fuisse agoranomis apud Græcos. Hinc Plautus in *Captiveis*:

Euge edictiones ædilitias hic habet quidem,
Mirumque adeò est, ni hunc fecère sibi Ætoli
Agoranomum, &c.

Idem in *Curculione*:

Nec strategus, nec tyrannus quisquam, nec agoranomus, &c.

Apulejus lib. 1. *Annonam curamus*, ait, *& ædilem gerimus*, *hoc est*, *ædilitatem*, *sive (ut veteres dicebant) ædilatum gerimus*: *& si quid obsonare cupis*, *utique commodabimus*, hoc est, dabimus operam, ut opsonia moderato

Ædilium Rom. officium.

justoque pretio tibi comparare possis. Hinc quoque constat ædiles præfuisse rebus venalibus, & dedisse operam, ut edulia justo legitimoque pretio distraherentur. Hinc *edictiones ædilitiæ* Plauto, ad moderanda nimirum cibariorum pretia. Sic Plato 8. *de Legibus*, præcipit Censoribus venalia curæ esse, ne quid vendatur ematurque pluris minorisve, quàm lex jusserit, quàm rerum venalium mensuræ, & pretia constituta sunt. Pomponius Jurisconsultus prodidit Julium Cæsarem ædiles duos constituisse, qui frumento præessent, & a Cerere

Ædiles Cereales. Ædiles popinarum quoque curam gesserunt.

Cereales appellatos. Præerant etiam ædiles cibariis, quæ in popinis cocta venduntur. Suetonius de Tyberio: *Annonamque macelli Senatus arbitratu quotannis temperandam, dato Ædilibus negotio, popinas ganeasque usque eò inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent.* Huc quoque facit illud Senecæ in libro ad Gallionem *de Vita beata*: *Voluptatem invenies latitantem sæpiùs ac tenebras captantem, circa balnea & sudatoria ac loca* (scilicet popinas, ganeas, cauponas) *ædilem metuentia.* Hinc etiam colligi videtur posse, ædilitiæ fuisse potestatis, popinis & ganeæ civibus interdicere. Suetonius de Claudio: *In ædilitate inquilinos prædiorum suo-*

rum

rum contra vetitum cocta vendentes mulctavit. Ædilium ergo officium erat punire, qui venderent cibaria cocta contra legem. Hinc apud Apulejum loco paulò ante citato: *Pythias ædilis cùm piscator quidam seniculus hospiti pisces frivolos iniquo pretio vendidisset, illum confestim pro ædilitatis imperio voce asperrima increpans, Non impunè, inquit inter alia,* subintellige *feres. Jam enim faxo scias, quemadmodum sub meo magisterio mali debeant coërceri. Et profusa in medium sportula, jubet officialem suum* (ministrum) *insuper pisces inscendere, ac pedibus suis eos obterere.* Ex his apparet, quanta olim ædilium illorum in eduliorum emptione atque venditione cura fuerit, quantaque severitas in iis castigandis atque puniendis, qui iniquis pretiis edulia venderent.

Hi verò ædiles Cereales etiam inclinante imperio, non in urbe tantùm, verumetiam in coloniis, provinciis atque limitibus imperii Romani fuerunt, qui frumentum & annonam procurabant, ut ex multis monumentis constat.

Fuit præterea præfectus annonæ magistratus extraordinarius, utilitatis causa constitutus, ut scribit Pomponius l. 2. §. 17. *de Orig. Juris.* Livius libro 4. Lucium Minutium nominat: quem præfectum Urbi a plebe creatum fuisse scribit. Constat ejus munus fuisse, ut videret, ne plebs annonæ inopia, & caritate laboraret. Itaque si quid ad annonam pertinens commissum erat, ipse cognoscebat. Marcianus lib. 13. D. *de Accusat. Mulierem*, inquit, *propter publicam utilitatem ad annonam pertinentem audire a Præfecto annonæ deferentem, Divus Severus & Antoninus rescripserunt.* Ejusdem munus ac dignitatem Cassiodorus libro 5. *Variar.* luculenter describit his verbis: *Tui siquidem studii est, ut sacratissima urbi præparetur annona, ubique redundet panis copia, & tam magnus populus tanquam una mensa satietur, per officinas pistorum, &c.* Huc quoque referenda illa Senecæ ejusdem muneris luculenta admodum descriptio, quæ extat in libro *de vitæ brevitate: Tu quidem* (alloquitur Paulinum annonæ præfectum) *sub Claudio orbis terrarum rationes administras tam abstinenter, quàm alienas, tam diligenter, quàm tuas, sed tamen mihi crede, satius est vitæ suæ rationem, quàm frumenti publici nosse.* Et statim: *Simile tu putas esse, utrum cures, ut incorruptum a fraude advehentium & negligentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur, & concalescat, ut ad mensuram, pondusque respondeat: an ad hæc sacra, & sublimia accedas.* Hunc nonnulli volunt eum esse, qui οἰκονόμος πόλεως a Paulo appellatur in epistola ad Romanos cap. ult. tametsi alii *quæstorem* interpretantur. Forsan non incommodè ædilem intellexeris, cui tum ædium, tum eduliorum cura fuit. Annonæ præfectus.

Verùm de his annonæ atque frumenti præfectis, cùm urbanis tum provincialibus atque militaribus, nec non variis annonæ generibus, vide (si vis plura) apud Lazium lib. 2. *commentariorum Reipub. Romanæ* cap. 15.

De Sitonia, id est cura, sive munere emendi frumenti (quo verbo Græco Latini quoque usi sunt) suprà dictum est.

Sed observandum præterea, episcopos, id est, speculatores quoque dictos olim fuisse, qui præerant pani, & cæteris venalibus rebus, quæ civitatum populis ad quotidianum victum usui sunt, & personalibus muneribus funguntur, ut accipitur a Jurisconsultis in explicatione l. Arcadii ff. *de muner. & honor.* Et talis episcopus oræ Campaniæ fuit Cicero in bello civili, ut ipse de se testatur lib. 7. *Epist.* 10. *ad Atticum. Vult enim*, inquit, *me Pompejus esse, quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat episcopum, ad quem delectus & negotii summa referatur.* Episcopi qui.

Dicti sunt etiam *episcopi*, teste Suida, qui ab Atheniensibus ad res sociorum inspiciendas mittebantur: qui etiam φύλακες, id est, *custodes* fuerunt appellati: quos Lacedæmonii ἁρμοστὰς nominarunt. Et in hac forsan significatione potius *episcopi* nomen usurpatur loco paulò ante citato.

Επίσκοποι eodem teste, dicti sunt ἐπόπται *inspectores*, sive *speculatores*. Quacunque significatione accipiatur *episcopi* nomen apud veteres, illud Ecclesiæ præsidibus optimè convenit, & ad illorum officii munerisque rationem exprimendam valde est accommodatum. Illi enim cœlestem illum panem sive cibum, hoc est, Christum verbumque divinum populo Dei (cui præsunt) fideliter studioseque dispensare ac distribuere debent, & oculos suos in Ecclesia semper habere defixos, ejusque custodes ac moderatores sese fidelissimos præbere. Sed hæc obiter. Episcopi Ecclesiæ. NOTA.

Imperatores Romanos, annonæ eduliorumque, quæ vendebantur, summam curam habuisse, historiæ testantur. Cajus Julius Cæsar, (teste Suetonio) *legem præcipuè sumptuariam* (lex sumptuaria dicitur sumptum in cibis emendis coërcens, quam *cibariam* Cicero vocat) *exercuit, dispositis circa macellum custodibus* (hi etiam *episcopi* possunt appellari) *qui opsonia contra vetitum* (legis sumptuariæ præscriptum) *retinerent deportarentque ad se, submissis nonnunquam lictoribus atque militibus, qui si qua custodes fefellissent, jam apposita e triclinio aufferrent.* Tyberius similiter (eodem teste in ejus vita) *annonam macelli senatus arbitratu quotannis temperandam censuit, dato ædilibus negotio, popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent.* Idem auctor Neronem quoque prodidit *sumptibus adhibuisse modum, publicasque cœnas ad sportulas redegisse. Præterea interdixisse, ne quid in popinis cocti præter legumina, aut olera veniret, quum antea nullum non opsonii genus proponeretur.* Imperat. Rom. annonæ & eduliorum summam curam habuerunt. C. Julii Cæsaris diligentia. Tyberii cura.

Hæc Græcorum & Romanorum instituta prudenter imitati Veneti, Duumviratum constituerunt in Republica sua, qui annonæ præfectus & frumentum, & opsonia convehenda procurat: *Providadores* vocant. Quinetiam Turcus eandem rem non negligens ædiles habet, qui sedulò, ut populo frumenti sit atque oryzæ copia, dant operam. Apud Gallos magistrorum hospitii (quos *maistres d'hostel* vocant) olim erat jus annonæ, quæ in comitatum regium importabatur, per præconem statuendi pretium, eosque pœnis gravioribus mulctandi, qui societatem coiissent, ut annona gravior esset. Venetorum præfectura annonæ. Turcæ.

Apud nos quoque sunt, qui eduliis alimentisque præsunt: ut qui frumento, Fernmeister/ qui butyro, Ancken-

mei-

meister/ qui foro piscario, fischscheger/ qui carnario, fleischscheger/ qui panibus, brotscheger/ sive brotschauwer/ quasi dicas *piscium, carnium, panum episcopi*, seu *inspectores* appellantur. Hæc de alimentariæ rei præfectis, & eorum munere.

Sed notandum quoque est quibusdam in locis certa esse carnibus, piscibus, panibus aliisque eduliis constituta, ac definita pretia, in aliis non. Lex Cornelia (quam Cornelius Sylla dictator tulit) minora rebus pretia præscripsit. Lutetiæ carnes non certo pretio, ut apud nos, venduntur; sed prout inter emptorem atque lanium convenire potest. Hoc nos Germanicè appellamus beym aug verkauffen.

Officium convivatoris in opsonando.

Nunc postremò de convivatoris officio atque munere, quod ad ipsam opsonationem, est dicendum. Pulcherrimum Horatius existimavit, *onerare mensas dapibus inemptis*, cujusmodi sunt hortensia sive olera, arborum poma atque baccæ: probro contrà vertit *e macello vivere*: & talis fuit antiqua rusticorum vita. Quocircà nequam patremfamiliâs antiqui putabant illum, qui illa emeret, quæ fundus parare posset. *Quis*, inquit Varro, *non audivit patres nostros dicere, Ignavum & sumptuosum esse eum, qui succidiam in carnario suspenderit, a lanio potiùs emptam, quàm à domestico fundo?* Verùm hodie non urbani modò, verùm etiam rustici homines e macello victitant, cum summo rei familiaris dispendio.

Penuaria habenda prudenti patrifamiliâs.

Primùm autem patresfamiliâs dabunt operam, ut habeant penuarium omni esculentorum genere instructissimum, unde illis cùm suæ familiæ quotidie alendæ ac nutriendæ, tum honestis ac necessariis conviviis instruendis facultas suppetat. Itaque cùm esculenta atque poculenta omnis generis quæ habent domestica, vel ex pecoribus, vel ex agris, pomariis atque hortis suis diligenter colligent, recondent atque custodient: tum illa quæ non habent domi suæ, nec ex proventibus suis colligere possunt, illis tamen sunt necessaria, commodis & opportunis temporibus, in quibus moderato pretio vendantur, emere, atque in locis, ut cellis armariis (unde Germanicum armarigen) horreis, promptuariis atque apothecis commodis reponere atque recondere studebunt, unde illa si opus fuerit, vel ad domesticos & familiares suos quotidie alendum, vel ad alios quoque conviviis excipiendum atque tractandum depromere possint. Hæc præcipua patrum matrumque familiâs cura atque providentia esse debet. Sic Christus quoque in Euangelio Lucæ duodecimo, boni & prudentis œconomi dicit esse officium, thesauros cibarios repositos habere atque reconditos, quos suo tempore ad familiæ suæ sustentationem proferre atque depromere possit. Sed tamen hîc cavendum, ne vel nimis de victu cultuque corporis simus soliciti, quod Christus expresè prohibet, vel cellis nostris atque promptuariis plenis nimiùm confidamus, gloriemur, inde helluandi ac pergræcandi occasionem captemus, ut voluptuarius ille, cujus in Euangelio, Lucæ duodecimo fit mentio: qui, ubi cellas suas omni ciborum atque poculentorum genere repleverat, nulla inopum habita ratione, genio ac voluptatibus indulgere statuit: quem illius nefarium conatum atque propositum Deus inopinata morte fregit, & ad nihilum redegit.

Delectus in cibis emendis adhibendus.

Ut igitur in invitatione convivarum, sic in opsonatione, seu coëmptione alimentorum delectus convivatori est adhibendus, isque ad ipsorum convivarum cùm qualitatem, tum quantitatem sive numerum est accommodandus. Hinc obsonator ille apud Martialem quærit ex domino, quot & quales sint futuri convivæ, & quanti velit cœnare, quo meliùs deinde atque commodiùs opsonari possit.

Incorrupti & salubres cibi comparandi.

Primò itaque omnium dabit operam, ut alimenta incorrupta atque salubria coëmat, sanitatis convivarum habita ratione. Summopere contrà culpandi sunt homines quidam avari atque sordidi, qui, ut pecuniis parcant, carnes, pisces aliaque edulia putrida atque corrupta emunt: quò fit, ut convictorum atque convivarum suorum valetudini plurimum officiant, ac quibus se bene benigneque facere simulant, iisdem amicitiæ atque liberalitatis specie plurimum obsint.

Modus in obsonando adhibendus. Luxuria & sordities in obsonando vitanda.

Deinde opsonabit tantum, quantum convivis sat erit: in quo convivarum non modo numerum, verùmetiam qualitatem considerabit. Nam & quò plures erunt convivæ numero, & quò majoris cibi, tanto plus erit obsonandum. Cavendum itaque est, ne vel modum in obsonando excedas, & ita frustra magnos sumptus facias, luxuriosusque habearis, vel etiam nimis parum opsoneris, unde pudor tibi postea, si convivis victus necessarius desit, incutiatur, & ignominiæ nota inuratur. Certè si in alterutro sit peccandum, satius est atque tutius multum, quàm nimis parum opsonari. Hinc Christi discipuli Lucæ nono, cùm Christum magnam illam hominum turbam (quam verbo suo paverat) externo quoque cibo pascere velle intellexissent, cumque Christo quantum ciborum haberent interroganti respondissent, quinque tantùm panes, atque duos pisces: ajunt præterea εἰρωνικῶς, εἰ μήτι πορευθέντες ἡμεῖς ἀγοράσωμεν εἰς πάντα τὸν λαὸν τοῦτον βρώματα, *nisi id nos faciamus, ut abeuntes ipsi tanta populi universi multitudini cibos emamus*, quasi dicerent, id nequaquam esse in promptu, vel omnino fieri non posse. Boni illi Christi opsonatores existimabant minimè fieri posse, ut cibos, qui tantæ multitudini sufficerent, sibi comparare possent. At Christus immensa illa sua potestate tantum opsonavit, ut non modò quinque illi panes, atque duo pisces tantæ multitudini satis essent, verùmetiam iisdem auctis & multiplicatis, multum reliquiarum superfuerit. Unde colligimus, Christum esse, qui ut aliis rebus omnibus, ita cibis quoque benedicit, ita ut vel pauci sæpe cibi plurimos expleant atque satient, secundum illud, *te aperiente manum tuam, cuncta satiantur*. Sic contra ejusdem maledictione (quam homines suis peccatis merentur) fit, ut in magna ciborum copia, cum fame atque inedia conflictentur, nullisque ferè cibis expleri satiarique possint. Juvenalis profectò opsonatores nimis prodigos atque emaces egregiè his verbis perstringit Satyra undecima:

Multos porrò vides, quos sæpe elusus ad ipsum.
Creditor introitum solet exspectare macelli,

Et

Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Interea gustus elementa per omnia quærunt;
Nunquam animo pretiis obstantibus, &c.

Item: *Interim si ------*
Attendas magis illa juvant quæ pluris emuntur.

Ibidem paulò pòst:
Noscenda est mensura tuæ, spectandaque rebus
In summis, minimis etiam, quum piscis emetur
Nec mullum cupias, quum sit tibi gobio tantum,
In loculis: quis enim te deficiente crumena,
Et crescente gulâ manet exitus, ære paterno? &c.

Laudabilis Corinthiorum consuetudo.

Et laudabilissima Corinthiorum consuetudo erat, ut immoderatam opsonandi libidinem coërcerent: de qua sic Diphilus apud Athenæum lib. 6. Erasmo interprete:

Hac lege cautum est hic apud Corinthios:
Si quempiam opsonare semper splendidè
Videmus, hunc rogamus, unde vivat? &c.
Quid faciat operis? Si facultates habet,
Ut reditus solvere horum expensas queat,
Perpetimur illum frui bonis suis.
Sin fortè sumptus superat ea, quæ possidet,
Prohibemus huic ne faciat hoc in posterum.
Ni pareat, jam plectitur multa gravi.
Sin sumptuosè vivit is, qui nihil habet,
Tradunt eum tortoribus, Proh Hercules!
Nec enim licet vitam absque malo ullo degere
Talem, scias. Sed est necesse aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantum jungier commercio,
Aut in foro agere sycophantam, aut perfidum
Præbere testem. Nos genus hoc mortalium
Ejicimus hac ex urbe, velut purgamina.

Quàm esset optandum, ut inter Christianos hujusmodi institutum, consuetudoque vigeret, multò profecto meliore, felicioreque in loco res publicæ atque privatæ essent, nec tot calamitatibus atque naufragiis obnoxiæ. De emacitate in genere fugienda, vide Senecam lib. 14. *Epist. 39. Emas non quod opus est, sed quod necesse.* Hæc de quantitate.

Cibi convivarum naturæ accommoditati accommodandi.

Quoad eorundem qualitatem, ibi quoque maximè est habenda convivarum ratio, ut nimirum ejusmodi coëmantur comparenturve edulia atque poculenta, quibus convivarum suorum vel plerosque, vel certe illos, qui cæteris ætate dignitateque præstant, ac quorum potissimùm in gratiam convivium est instructum, maximè convivator noverit. Hic ergo consideranda est convivarum ætas, sexus, natio, conditio, valetudo, temperamentum, palatum, religio, & alia hujusmodi; atque ad illa accommodanda est obsonatio, ut etiam præparatio, de qua postea. Sic enim exempli gratia, alia alimenta juvenibus, alia senibus, alia viris, alia mulieribus, alia Gallis, alia Germanis, alia rusticis, alia urbanis, alia operariis, alia otiosam vitam agentibus, alia sanis, alia ægrotis, alia denique hoc vel illo temperamento atque natura, & hac vel illa religione præditis conveniunt, suntque accommodata. Quanta sit in palatis humanis diversitas, illa Horatii docent:

Tres mihi convivæ propè dissentire videntur
Poscentes vario multùm diversa palato.

Ita vix duos reperias, quos eadem juvent. Permulti sunt, qui butyri ac casei ne olfactum quidem ferrent: sunt quibus carnes nauseæ sint, alius elixis, alius assis abstinet. Multi aquam vino præferunt. Quorundam palato gratior est piscium, quàm carnium esus. Et sic de reliquis.

Tempus in opsonando observandum.

Porro in opsonatione temporis quoque habenda est ratio, ipsumque convivii genus est sæpe considerandum. Nam quoad illud, dubium non est, quin alia atque alia opsonia, atque cibaria hoc vel illo tempore meliora sint, & salubriora. Deinde sunt certa quædam epularum, præsertim solemnium atque sacrarum genera, quæ certis quoque atque peculiaribus quibusdam alimentis constant, ac secundum quæ ipsæ aliquando epulæ nomina sua sortiuntur, cujusmodi multa apud veteres exempla extant. Sic nos Germani à cibis præcipuis, qui in epulis quibusdam apponuntur, ipsas epulas denominare consuevimus, ut: fleischmaal/ fischmaal / krautmaal / hoc est, *convivium carnarium, piscarium, olitorium, &c.*

Hæc de opſonatione: ubi poſtremò illud quoque notatu dignum, ſingulos nonnunquam convivas edulia atque poculenta conferre, quibus deinde una fruuntur: qui amicorum atque familiarium frequens admodum mos eſt, & conſuetudo, id quod nos Germani vulgò appellamus, die häfen zuſamen tragen/ hoc eſt, *ollas comportare*, ſeu *in unum conferre*: cujuſmodi ſymbolica convivia appellantur, de quibus in primo libro eſt explicatum.

CAPUT XIII.

DE CIBORVM PRAEPARATIONE, SIVE DE RE COQVINARIA. DE COQVORVM NOMINIBVS, DIFFERENTIIS, MVNERIBVS. DE LOCO COQVINARIO. QVAE CONVIVATORI IN CIBORVM CONFECTIONE, PRAEPARATIONEVE OBSERVANDA.

Edulia aliquando cocta emuntur aliquando cruda.

Nunc conſequens eſt, ut de alimentorum, eduliorumve præparatione, ſive coctione dicatur. Nam (ut Sidonius ait) *cibi arte, non pretio: fercula nidore, non pondere æſtimantur.* Aliquando (uti ſupra dictum eſt) edulia jam cocta atque condita opſonantur: aliquando verò & quidem plerunque cruda emuntur, quæ deinde præparanda ſunt atque coquenda. Apud Plutarchum obſervatur, caupones conſueviſſe carnes atque piſces non ab ipſis emptos, ſed ab aliis ſibi traditos inſtar coquorum apparare. Scribit enim quendam, cum piſces cauponi, ut coqueret, tradidiſſet, iſque piper & alia quædam pro condiendis illis popoſciſſet, reſpondiſſet: Si hæc mihi eſſent, profectò piſces non emiſſem. Idem mos eſt in Hiſpania, & aliis in locis, ubi hoſpites ipſi opſonari, & carnes piſceſve cauponi, ſive ſtabulario (apud quem diverſantur) coquendos tradere ſolent.

In præparandis & coquendis cibis tria ſunt notanda.

Jam verò quoad hanc rem coquinariam, ſeu culinariam in genere attinet, tria ſunt conſideranda: nimirum perſonæ, a quibus cibaria parantur: loca, in quibus: & ipſa cibos coquendi, parandique ratio atque modus.

1. Perſonæ coquentes cibos.

Quoad perſonas in cibis coquendis occupatas, illæ variæ fuerunt atque multiplices apud multas gentes, ac varia illorum nomina. Et ut a Judæis exordiar, primò mihi occurrit illa omnium antiquiſſima, optima fideliſſimaque materfamiliâs Sara Abrahami conjunx: quæ cum illius maritus tres viros hoſpitio excepiſſet, illius juſſu ſtatim ſumma adhibita feſtinatione, ex tribus ſatis farinæ ſimilæ panes ſubcineritios ſeu placentas ipſis paravit. Deinde vitulum quoque puero, hoc eſt, ſervo ſuo dedit, ut illum pararet, hoc eſt, jugularet atque coqueret. En duos hic habes coquos, Saram nimirum & famulum. Hinc colligimus, ipſas quoque matresfamiliâs antiquitus rem culinariam feciſſe atque curaſſe, id quod hodie quoque apud nos in bene moratis & conſtitutis familiis fieri conſuevit. Et certè ſi ipſæ matresfamiliâs Saræ illius exemplo & imitatione rem culinariam diligenter tractarent atque curarent, multorum res familiares longè meliore eſſent in loco. Nunc verò pleræque vel ſuperbia, vel mollitia & ignavia, vel etiam imperitia artis coquinariæ illam non attingunt, totamque ancillis cum maximo rei familiaris detrimento atque diſpendio committunt. In libro *Judicum* legimus, Gedeonem in apparandis epulis angelo (qui illi apparuerat) & coqui, & piſtoris, & dapiferi quoque poſtea in iiſdem apponendis munere functum fuiſſe. Hœdum enim caprarium apparavit, panes azymos confecit, panes in caniſtro, & jus in olla poſuit, & illa eduxit ad angelum, id eſt, illi appoſuit, ſicuti cap. 6. legitur.

Mulieres olim panes & placentas coxerunt. Matrumfamilias officium eſt rem culinariam curare.

NOTA.

Vocabula Hebræa coquere ſignificantia.

Verba autem quæ Hebræis *coquere* ſignificant, ſunt אפה *apha*, quod propriè pro panis coctione in fumo accipitur, ut Gen. 10. *& coxit azyma, & comederunt.* Exod. 12. *Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conſperſam tulerant.* Exod. 16. Levit. 14. Hinc אפה *ophe*, *panificus*, ſive *piſtor* Gen. 40. Oſ. 7. *Et princeps piſtorum* Gen. 40. & in fœm. genere אפות *ophot* 1. Sam. 1. *Filias quoque veſtras faciet tibi unguentarias, & focarias, & panificas.* Et inde מאפה *Maaphe*, *coctura* ſive *coctum.* Levit. 2. בשל *Baſchaal* videtur eſſe generalius. Exod. 33. *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.* 2. Reg. 4. *Pone illam magnam, & coque pulmentum.* Quidam tamen illud verbum volunt propriè ſignificare idem quod *elixare*, vel *coquere in aqua*, excepto uno loco 2. Par. 5. verſ. 13. ubi eſt *aſſare*: reperitur & aliâs Deut. 16. verſ. 7. de aſſatione agni Paſchalis, quod propriè צלה *Zalach* dicitur, *aſſare ad prunas* ſcilicet, vel *ad ignem torrere carnem.* Hinc מבשלים *mebaſchelim*, Ezech. 46. *iſtæ ſunt domus coquorum.* בשל *baſchel*, *coctio*, *coctura.* Exod. 12. & מבשלות *mebaſcholoth*, *focus*, ſuper quo coquitur, ſive *coquinæ.* Ezech. 46. טבח *tabach*, mactator Hebræis accipitur pro coquo, propterea quòd hi etiam mactabant pecudes, quæ coquendæ erant; 1. Sam. 9. & *ſuſpendit mactator armum, & dicit Samuel mactatori*, id eſt, coquo. Gen. 37. 2. Reg. 25. Jerem. 25. Et in genere fœm. טבחות *tabbachoth*, *mactatrices*, id eſt, coquæ. Gen. 27. per principem הטבחים *Hatabachim*, quidam *præfectum laniorum*, alii *præfectum coquorum*, alii *præfectum militum* ſive *ſicariorum* ſignificant: ita ut Chaldaica quoque ambigua ſint. Nam per principem ſive magiſtratum interfectorum intelligi poteſt, vel qui regiis pecoribus mactandis, coquendis, ac in cibum parandis præerat: Germanicè Kuchymeiſter / ut R. Selomoh, & Judæi vulgò etiam exponunt. Quam lectionem & 70. ſequuti ſunt, qui ἀρχιμάγειρον reddiderunt, hoc eſt, *coquorum principem.* Vel qui carceri & carnificinæ præerat, id eſt, damnatorum plectendorum curam habebat, quem vulgò profos appellant. Vel qui militum & ſicariorum dux erat, quam lectionem ſequitur Latina vulgata editio, quæ habet *magiſtrum*

Baſchal.

mili-

militum I. Sam. 8. [illegible] *Nazad*, *coquere* scilicet *pulmentum* Gen. 25. *Coxit autem Jacob pulmentum*, & inde [illegible] *Nazid*, *pulmentum* sive *coctio*. Gen 25. 4. Reg. 4. Aggæi 2. [illegible] *Aasa* quoque, quod generatim *facere* significat, aliquando pro *coquere* usurpatur. Gen. 18. Servus Abrahami dicitur vitulum fecisse, id est, præparasse, mactasse atque coxisse. [illegible] *mactare*, *jugulare*, & mactatam pecudem sæpius immolare seu offerre in sacrificio. [illegible] *Sud*, unde forsan Germ. Süden, *coquere*, quidam a [illegible] *Nasad*, quod est *efferri & intumescere*, deducunt, quasi exponas *effervescere*, *ebullire*, unde [illegible] *ebullitionem* propriè exponunt decoctum, quod ebullitione coquitur jus, pulmentum, Gen. 25. 29. Cùm ex commemoratis, tum ex aliis quoque sacræ scripturæ locis constat, apud Hebræos cùm servos, tum liberos, & cùm viros, tum mulieres rem coquinariam facere, & exercere fuisse solitas. Quoad sacrificia & epulas sacras, ipsi quoque sacerdotes coquendi munus obierunt. Hæc de Judæis.

Venio ad Græcos, qui varia habent nomina, quibus eos, qui circa ciborum præparationem sunt occupati, significant. Maximè commune ac generale est nomen μάγειρος, quod secundum Grammaticos dicitur ἀπὸ τοῦ μάττειν, hoc est, *placentas ex farina parare*, sive etiam *comedere*. Athen. Eustath. Ιλ. δ. pro *fermentare*, & *panes subigere* exponit, vel ἀπὸ τοῦ τὰς μάζας μερίζειν, *a dividendis placentis*. Μαγειρίσκος *coquulus*, μαγειρεύειν *mactare*, quòd coqui occidant coquendas pecudes, respondet Hebraico [illegible], de quo suprà. Μαγειρικὴ τέχνη *ars coquinaria*, ἀποδιδοῦσα τοῖς ὄψοις ὀψαρτύματα, καὶ προσήκοντα ἡδύσματα, id est, *ars coquinaria*, *quæ cibis adhibet condimenta debita atque convenientia*, ut eam Plato definit Polit. I. Inde ἀρχιμάγειρος *princeps coquorum*. ὀψοποιὸς similiter *coquus* dicitur, *convivii conditor* & *instructor*: qui etiam ὀψοπόνος poëticè. Ὀψοποιεῖν, & ὀψοποιεῖσθαι *opsonia parare*: ὀψοποιία ὀψοποιικὴ *ars coquinaria*. Plato in *Gorgia*, in *Symposio*. Aristot. lib. I. *polit.* cap. 4. & lib. 7. *Ethic.* cap. 11. Athenæus tamen lib. 7. ὀψοποιὸν & μάγειρον ita a se invicem vult differre, ut miles & dux, sive imperator, ὀψοποιοῦ enim, inquit, est σκευάσαι ἢ τεμεῖν ἡδύσματα, ἑψῆσαί τε, καὶ φυσῆσαι τὸ πῦρ: at verò μαγείρου munus esse τὸ συνιδεῖν τόπον, ὥραν, τὸν καλοῦντα, τὸν πάλιν δειπνοῦντα, τίνα δεῖ, καὶ τὸν ἰχθὺν ἀγοράσαι. Ibidem commemorantur μαγειρικὰ quædam παραγγέλματα. Ὀψαρτύτης quoque & ὀψαρτυτῶν Polluci est *coquus*, *opsoniorum conditor*, sive *concinnator*: inde ὀψαρτυσία Athen. *ars condiendi cibaria*, quæ etiam ὀψαρτυτικὴ dicitur. Ὀψοδαίδαλοι similiter, qui opsonia variè condiunt Cel. lib 28. cap. 7. χύτρεψον quoque Athenæus coquum vocat, apud quem malè χύρεψος legitur. Δημιουργοὺς olim vocatos eos qui bellaria atque placentas præparabant, Athenæus probat nonnullis testimoniis lib. 4. Ibidem hanc δημιουργοῦ & μαγείρου differentiam tradit, quòd δημιουργοὶ πέμματα, id est, *bellaria* curabant (quos πεμματουργοὺς Lucianus in *Chronosol.* vocat) μάγειροι autem τὴν ὀψαρτυτικὴν, id est, *condimenta* opsoniorum. Qui panibus atque placentis conficiendis sunt intenti σιτοποιοὶ, σιτοπόνοι Hesych. & ἀρτοποιοὶ appellantur, *pistores panifici*, & σιτοποιεῖσθαι *panes conficere*. Antiqui (ut testis est Athenæus lib. 14.) coquum urbanum appellarunt μαίσωνα, ἐκτόπιον, id est, *peregrinum*, τέττιγα, hoc est, *cicadam*. Μαίσων (teste Chrysip. Philosopho) dicitur ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι, id est, *mandendo*, veluti rudis quidam & ventri deditus. Athenæus 14. Eustath. Οδ. Ξ. p. 532. Et quoniam coqui cibos dividere frustulatim solebant, hinc δαιτροὶ quoque & δαιτροπόνοι dicti, & δαιτροεργία ars coquendi.

Nomina græca. Μάγειρος.
ὀψοποιός. ὀψοπόνος.
Differentia ὀψοποιοῦ & μαγείρου.
ὀψαρτύτης.
ὀψοδαίδαλοι.

Fuerunt autem coqui apud Græcos in magno pretio atque authoritate: id quod multis testimoniis atque exemplis Athenæus confirmat lib. 14. Coquos antiquos dicit τοῦ θυτικοῦ, hoc est, *artis sacrificandi* peritos, nuptiis atque sacrificiis præfuisse, & Atticos præcones coquorum victimasque cædentium ordinem, locumque obtinuisse: unde constet, μαγειρικὴν *artem coquinariam* σεμνὸν judicatam esse. Κήρυκας apud Homerum boves mactare, præparare, coquere atque dividere fuisse solitos, nec non vinum quoque ministrare: unde κήρυκες quasi κρείττονες, id est, *meliores*, ab illorum præstantia ac dignitate fuerint dicti. Hinc ῥέζειν καὶ δρᾶν Homero & antiquis idem quod θύειν, id est, sacrificare, θύειν pro mactare (unde forsan Gallicum *tuer*, id est, occidere) Matth. 22. σιτιστὰ τεθυμένα, *animalia saginata sunt mactata*. In epistola ad Corinth. ἐτύθη ὁ χριστὸς, id est, *mactatus*, *occisus*. Sic & ἱερεύειν sæpe apud Homerum idem quod σφάζειν, teste Eustath. in Odyss. p. 79. 49. Agamemnon quoque rex apud Homerum θύει, id est, *sacrificat*, & Thrasymedes Nestoris filius securi bovem cecidit, οὕτως ἔνδοξον ἦν, καὶ μέγιστον τὸ τῆς μαγειρικῆς τέχνης ἀξίωμα, id est, *adeò honorabilis*, & *magna fuit artis coquinariæ dignitas*. Romani quoque similiter censores (qui maximus fuerunt magistratus) purpuram induti, & coronati victimas securi percutiebant. Pluribus deinceps de coquorum artisque coquinariæ dignitate atque præstantia differit, eamque multorum poëtarum testimoniis confirmat. Inter alia Alexim poëtam dicit in quodam suo opere significare, ὅτι ἡ μαγειρικὴ τέχνη ἐπιτήδευμα καὶ ἐλευθέρων, id est, *artem coquinariam institutum esse vitæ liberis hominibus conveniens*. Cadmum Dionysii avum coquum fuisse testatur: neminem quoque veterum Poetarum, excepto solo Posidippo, in antiquis comœdiis μάγειρον, id est, coquum servum introduxisse, unde constat non servile, sed liberale & ingenuum hoc illis visum fuisse vitæ genus: Accesserunt (addit ibidem) ὀψοποιοὶ, id est, *opsonatores* & *opsoniorum instructores* primùm a Macedonibus, qui ejusmodi artem exercuerunt ob infelicitatem urbium subjugatarum. Sed mirum non est, Græculos homines cupediis & voluptatibus summopere deditos, hujusmodi voluptatum artifices & architectos plurimi fecisse. Idem auctor eodem in libro μαγείρους σκωπτικοὺς, id est, *cavillatores* a Poëtis scribit induci, unde σκώμματα μαισωνικὰ, *cavillationes Masonicæ* dictæ sunt, cujusmodi sunt coquorum. Et lib. 9. coquorum πολυμάθειαν simul, & ἀλαζονείαν multis testimoniis comprobat. Philo lib. de ebrietate sub finem, tres dicit esse humani generis ἑστιάτορας, hoc est, *convivatores*, nimirum ἀρχισιτοποιὸν, οἰνοχόον, ὀψαρτυτὴν, propterea quòd trium horum, nimirum σίτων, ὄψου, καὶ ποτῶν, id est, *frumenti*, *panis*, *opsonii*, *atque potus usum appetimus*. Nonnulli ὀλιγοδεεῖς, id est, *paucis contenti*, non nisi necessariis, & iis, quæ ad salubriter liberaliterque vivendum pertinent, utuntur, & idcirco non indigent ὑπηρετῶν

Coqui apud Græcos non infimi homines habiti
Coqui sacrificia curabant olim.
Cadmus Dionysii avus coquus.
Græci natura voluptuarii.

 ποικίλων,

ποικίλων, καὶ περιέργων τῆς τέχνης. At verò qui in voluptatibus ponunt omnia, cupiunt uti ἀρχιμαγείροις, ἀρχιοινοχόοις, & ἀρχισιτοποιοῖς ὑπηρεσίαις *summis opsoniorum, vini atque panis coquis atque conditoribus.* Ibidem plura de hac luxuriosa σιτοποιΐᾳ, hoc est, cibos parandi condiendique ratione scribit. Coqui similiter atque medici hanc differentiam esse dicit, quòd medici omni cum studio illa præparant, quæ sunt salubria, etiamsi non sint jucunda, at coqui, nulla ferè habita sanitatis ratione, voluptatem tantùm sectantur. Idem de vita Theoretica: πεμμάτων, ὄψων, καὶ ἡδυσμάτων ποικιλία, περὶ ἃ σιτοπόνοι, καὶ ὀψαρτύται πονοῦνται, φροντίζοντες οὐ γεῦσιν, ὅπερ ἀναγκαῖον ἦν ἥδυναι μᾶλλον, ἀλλὰ καὶ ὄψιν τῇ καθαρειότητι, hoc est, *Huc accedunt variæ bellariorum, obsoniorum, condimentorumque species, elaboratæ a pistoribus & cupedinariis, quorum est cura non tantùm gustui satisfacere, verùm etiam oculos exhilarare munditiis.* Alexander magnus coquos & pistores contempsit. Nam cùm (teste Plutarcho in ejus vita) Adam mater Cariæ regina multa quotidie fercula ei & bellaria mitteret, coquos denique & pistores, quos putabat intelligentissimos: *Nibil*, ait, *his sibi opus esse, meliores habere se coquos a pædagogo donatos Leonida: ad prandium* νυκτιπορείαν *iter antelucanum, ad cœnam verò* ὀλιγαριστίαν *angustum prandium.*

Quomodo apud Latinos coquere dicatur. A Latinis illi, qui cibos coquunt atque vendunt, sive coquinariam artem exercent, *coqui* appellantur, a *coquendo*: *coquere* autem a *cogendo* deducitur, quoniam coctum cogendo coërcetur, & ad utilitatem vescendi perducitur. Isidorus: *coctum quasi coactum, id est, ab igne & aqua violento modo actuque comestioni aptatum.* *Coquito* frequentativum. *Coquinarius homo*, qui artem coquinariam exercet, & *coquinaria* cum est substantivum, ars ipsa μαγειρικὴ dicta, & *coquinor*, id est, coquinam facio. Vox quoque græca μάγειρος pro *coquo* a Latinis usurpatur. Sic Lampridius in Heliogabalo *magirum* vocat. Hinc *archimagirus*, id est, coquorum princeps a Sidonio, & poëta Satyrico appellatur Sat. 9. ubi *archimagiros* vocat *carptores*, id est, qui semper aliquid ad comedendum rapiunt, & auferunt ex epulis Domini. Plautus:

Neque ego unquam nisi hodie ad Bachas veni,
In Bachanal coquinatum.

Coqui olim e foro conducti adhibebantur. Veteres Romani (ut Plinius scribit lib. 18. cap. 11.) coquos non habuerunt in servitiis, eosque ex macello conducebant, id quod ex Plautina quoque lectione passim constat, in *Aulularia*:

Postquam opsonavit herus, & conduxit coquos.

Adeò vile antiquis erat mancipium. Sed (ut testis est Livius) post Asiaticam victoriam crescente luxuria, coquus vilissimum antiquis mancipium & æstimatione & usu, in pretio esse, & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. *Plinius de coquis. Plautus.* Plinius lib. 9. cap. 17. quosdam ait in conquestione luxus quiritasse, coquos emi singulos pluris quàm equos. *At nunc coqui* (addit ibidem) *triumphorum pretiis parantur, & coquorum pisces, nullusque propè jam mortalis æstimatur pluris, quàm qui peritissimè censum domini mergit.* De more autem antiquo coquos conducendi, & simul illorum moribus improbis, Plautus in *Pseudolo* pluribus differit. Soliti erant in foro stare, aut sedere expectantes donec ab iis, qui cœnam aliquibus dare cogitabant, conducerentur. In *Aulularia*:

Postquam opsonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinasque hasce apud forum.

Forum coquinum. Idem in *Pseudolo*: *Forum coquinum qui vocant, stultè vocant.*
Nam non coquinum est, verum furinum est forum.

Et paulò post: *Sed cur sedebas in foro si eras coquus,*
Tu solus, præter alios?

Et mox: *Qui enim cùm extemplò veniunt conductum*
Coquum, nemo illum quærit, qui optimus & carissimus 'st
Illum conducunt potius, qui vilissimus 'st.
Hoc ego fui hodie solus obsessor fori, &c.

Hodie quoque moris est in conviviis magnificis, ut aliunde accersantur atque conducantur coqui artis coquinariæ periti. *Mos antiquorum coquorum.* Quoad mores antiquorum coquorum, illi a Plauto egregiè exprimuntur. Nam militi atrociter minitanti coquus respondet:

Sis tu in legione bellator si vis, at ego in culina Ares.

Auxit coquus *bellatoris* verbum. Mars enim Deus belli est. Quòd autem dixit *Ares* pro Mavors, non est Plauto novum Græcas voces admiscere Latinis. Quanquam in nonnullis exemplaribus habetur *aves*, in nonnullis *Aries*, sed mendosè. Sic Ballio coquum suum, quem conduxerat, multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem vocat. Coquus ipse:

An invenire postulas quenquam coquum,
Nisi milvinis, aut aquilinis ungulis?

Cui Ballio: *An tu coquinatum te ire quoquam postulas,*
Quin ibi constrictis ungulis cœnam coquas.

Jubet deinde servo suo, ut illum diligenter observet atque custodiat, ne quid furtificæ illius manus auferant. Iidem mores in *Aulularia* quoque egregiè depinguntur, ubi *rapacidæ*, hoc est, fures atque rapaces appellantur.

Euclio:

Euclio: *Qui sit me rogitas? qui mihi omneis angulos*
Furum implevisti in aedibus misero mihi,
Qui mihi intromisisti in aedes quingentos coquos
Cum senis manibus, genere Geryonaceo.
Qui si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Jovi Juno custodem addidit,
Is nunquam servet, &c.

His adde ejusdem verba in *Pseudolo:*

Nam si juratus ego priorem hominem quaererem,
Coquum non potui, quàm hunc, quem duco, ducere
Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem.

His adde, quae de coquorum immunditie & vitiis scripsit Julianus Imp. in *Misopog.* in quo perpetua quadam & Socratica Ironia, cùm seipsum videatur reprehendere, Antiochenorum mores molles, delicatos, enervatos & luxuriosos reprehendit. Quàm jactabundi & gloriosi olim coqui fuerint, Comici passim notant. Philemon in *Milite* fecit quendam supra modum extollentem studium suum, & ad extremum affirmantem, se rationem invenisse, qua homines nunquam extinguerentur, cùm mortuos jam odore epularum a se conditarum ad vitam revocent. Cocus Plautinus in *Pseudolo* & ipse magnificè se jactans cùm alios ante prae se sprevisset, inquit: *Nam vel ducentos annos poterunt vivere, meas qui esitabunt escas, quas ego condiero.* Haec Uberius Victor. Caeterùm inde etiam colligimus, illos ob furtum, vel etiam furti suspicionem saepe comprehendi, vinciri, verberari, in puteum condi solitos fuisse. Sic enim Strobilus servus loquitur: Coquorum improborum poena.

Hic apud nos magna turba, ac familia 'st.
Suppellex, aurum, vestes, vasa argentea,
Ubi si perit quippiam (quod te scio
Facilè abstinere posse, si nihil obviu'st)
Dicant, coqui abstulerunt: comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite.

Puteus hic (ut Lambino & Turnebo placet) intelligendus, non in quo sit aqua perennis, sed locus subterraneus, & suffossus, & quasi barathrum quoddam. Ejusmodi (ut illud addam) fuit puteus ille, in quem Josephus, & in quem Jeremias fuerunt conjecti. Conjiciebant in puteum etiam eos coquos, a quibus sibi cavendum esse, ne quid furarentur, existimabant, quibusque nihil committendum arbitrabantur: ut Plautus: Puteus.

Curate, ego intervisam quid faciant coqui,
Quos pol ut ego hodie servem, cura maxima 'st,
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo coenam coquant,
Inde coctam sursum subducemus corbulis, &c.

Notandum etiam, quòd *nundinalis coquus* ibidem appellatur, qui in nonum diem solet ire coctum, hoc est, malus, imperitus, ignobilis, qui non quotidie, sed nono tantùm quoquo die conduci solebat. Alluditur autem ad nomen *Nundinarum*, quae a nono die, sive a novem diebus dictae sunt, propterea quòd cum rustici dies octo rure in opere faciendo versati essent, nono in urbem veniebant ad leges cognoscendas, quae promulgatae erant, & ad mercatum. Coqui praeterea ad hunc modum possunt dividi, ut alii dicantur privati, alii publici. Nundinalis coquus quis. Alii ex coquis privati.

Privati, qui alicui servientes coquinariam exercent: de quibus illud Martialis intelligi potest:

Non satis est ars sola coquo servire palato,
Namque coquus domini debet habere gulam.

Publici coqui sunt, qui ut dapes vendant publicè popinam tenent, hoc est, tabernam in qua dapes coctas, & vina vendunt: a qua *popinones* dicti & ipsi coqui & popinam exercentes, & luxuriosè atque in popinis viventes. Artes praeterea *ministrae voluptatis sunt*, (ut inquit Cicero) *Cetarii, lanii, fartores, piscatores, unguentarii:* his adde pistores. De pistoribus Rom. elegans est ille Plauti jocus sub Ergasili persona in *Captiveis:* Alii publici.

Tum pistores Scrophipasci (scrophas pascentes, ut molitores) *qui alunt furfure sues* Pistores.
Quarum odore praeterire nemo pistrinum potest.

Antiquitus fornacem in pistrinis habebant farinariis, & *Pistores* dicebantur, qui frumenta pinsebant & panem faciebant, nunc *pistrinarii.* Unde Martial. de Cipero pistore: *Et panem facit, & facit farinam.* Plinius testis est lib. 18. cap. 11. pistores Romae non fuisse ad Persicum usque bellum, annis ab Urbe condita super 580. *Ipsi panes faciebant Quirites, mulierumque* (quas *pistrinas* idem vocat, dictae etiam sunt *panificae*, ut ipsa factura *Panificium*) *id opus erat, sicut etiam nunc in pluribus gentibus.* Et paulò post: *Certumque fit Attei Capitonis sententia tostum panem lautioribus coquere solitos, pistoresque tantùm eos, qui far pinsebant nominatos.* Plutarchus tamen in *Problem.* Romanis testatur antiquitùs mulieribus neque molere, neque coquere licuisse, idque forsan memoria pactorum cum Romanis initorum. Post raptum enim Sabinarum, & pace bellum mutatum, id quoque in pactis scriptum fuit: *Mulierem viro Romano neque molere debere, neque coquere.* Apud Judaeos mulieres panem pinsere atque coquere fuisse solitas constat ex sacris literis. Levit. 26. *Decem* Mulieribus Roman. olim neque molere neque coquere licuit. Judaicae mulieres coquere solitae.

mulieres coquent panem in clibano, sive furno uno, id est, Cum alioqui ibi plerunque singuli suos clibanos, aut furnos habuerint, tamen tanta erit penuria frumenti & annonæ, & tam parum panis coquere poterunt, ut possint in uno clibano simul coquere panem. Hinc quoque colliges mulieres apud Judæos panem facere solitas.

Clemens Alexandrinus de officiis probæ mulieris.

Clemens Alexandrinus lib. 3. cap. 10. *Pædag.* de exercitiis honestis atque utilibus verba faciens, mulieribus congruere dicit, ταλασιουργίαν, καὶ ἱστουργίαν, id est, *lanæ atque telæ confectionem*, & ut adsit τῇ πεπτούσῃ, id est, *pistrici.* Præterea decet illas αὐτουργικῶς προκομίζειν ἐκ τοῦ ταμιείου, id est, *ipsas per se ex penuario depromere ea, quibus opus est*, καὶ τῷ μύλῳ προσελθεῖν, id est, *ad pistrinum, aut molendinum accedere, illis non est turpe:* quia etiam περὶ τὸ ὄψον ἀσχολεῖσθαι, id est, *in opsonio coquendo versari, uxori* οἰκουρῷ καὶ βοηθῷ, id est, *domus custodi & auxiliatrici non est ignominiosum, siquidem id gratum sit marito.* Libet hîc paulò plura addere de pistoribus, & coquis. Apulejus lib. 10. *At illorum alter pistor dulciarius, qui panes & mellita concinnabat edulia.* (Lucianus ἄρτους πέττειν καὶ μελίπηκτα κιρνᾶν ἐπιστάμενος, hoc est, *qui panes conficere, & cibaria ex melle concinnare sciebat*) *Alter coquus, qui sapidissimis nutrimentis succum, id est, succorum pulmenta condita vapore mollibat.* En hic differentiam pistoris & coqui. *Pistores* in genere dicuntur, qui panem faciunt, quos Græci ἀρτοποιοὺς vocant, item σιτουργοὺς, σιτοποιοὺς, ἀρτοκόπους, ἀρτοπώλας, ἀλφιτέας. Sed antiquitus (teste Plinio) vocabulo ἀρτοποιοῦ nominabantur, qui far pinsebant. Hinc *pistor dulciarius* is dicitur, qui dulcia conficit & mellita cibaria, quæ Græcè μελίπηκτα dicuntur, qualia sunt, quæ a Latinis *bellaria* dicuntur. Sic *lactarius* dicitur, qui ex lacte facit lacticinia, quæ etiam *lactaria* vocantur. Lampridius Heliogabalum scribit, habuisse dulciarios & lactarios, qui omnia coquorum edulia exhiberent ex dulcibus, & lactariis: ubi *lactaria* significant lacticinia, quæ Cornel. Cels. *lactantia* vocat, sic scribens: *Alvum movent mel crudum, lactantia omnia.* Apulejus loco paulò ante citato, pistorem dulciarium dicit reportasse reliquias largissimas, nimirum panes, crustula, placentas, edulia mellita, operisque pistorii, (quorum etiam Horatius & Juvenalis meminerunt) jucunculos, hamos, lacertulos (nomina sunt operis pistorii a similitudine nuncupata) plura scitamenta mellita, id est, edulia ex eo dicta, quòd sciti, hoc est, egregii & præcellentis sint saporis. Ut autem pistor ἄρτων καὶ πλακούντων, ita coquus carnium & piscium reliquias domum reportabat. Huc pertinet illud Tranquilli in Vitellio: *Continuò igitur abstrusus gestatoria sella, duobus solis comitibus pistore & coquo, Aventinum, ut paternam domunculam, petiit.* Cicero pro Sexto Roscio Amerino: *Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios*: Et lib. 9. *Epistolarum Famil.* ad Pætum: *In ea cœna coquus meus præter jus fervens nihil potuit imitari.* Scitum est illud Ciceronis, quod a Quintil. lib. 6. citatur: *Cùm is candidatus, qui coqui filius habebatur, coram eo suffragium haberet: Ego quoque, inquit, tibi jure favebo.* Alludens scilicet ad coquinarium jus. C. Julius Cæsar, teste Suetonio, domesticam disciplinam in parvis ac majoribus rebus diligenter, adeoque severè rexit, ut pistorem alium, quàm sibi, panem convivis subjicientem, compedibus vinxerit. Apponebat enim Cæsari siligineum & delicatiorem, convivis verò secundarium & cibarium.

Nota.

Pistores a Græcis quomodo vocentur. Pistor dulciarius. Pistor lactarius.

Nomina eorum qui varia edulia conficere, condire, vendere solent.

His adde alios eduliorum confectores, conditores atque venditores, cujusmodi est ψωμαλοποιός, *juris faciendi artifex* (ein suppenschmid) & *crustularius* Senecæ, qui crustula venundat, offlatenbacher. *Libarius* Senecæ, qui liba & placentas parat venalia, fladenmacher / küchenbacher: qui sub pistore dulciario (de quo suprà) continentur. Idem *Lactarius* Lampridio. *Casearius* τυροποιός, τυροπώλης. Qui e lacticiniis edulia concinnat, *Tragematopola*, τραγηματοπώλης, κεγχρινοπώλης Hesych. ein zuckerbacher. *Salgamarius* Columellæ, qui salgama & fructus seu opsonia aceto, sale, melle atque mulso conditos vendit, atque benè concinnare atque conficere novit. ταριχοπώλης, ἁλμαιοπώλης, ἁλμάδης, der eyngesalzne treuter verkaufft. *Salsamentarius* Cornificio, *Salarius* Martiali, qui salsamenta, hoc est, pisculenta, aut carnulenta edulia, cibum scilicet tenuiorum & rusticorum vendit, ταριχόπορος, Laërtio ταριχοπώλης, einsalßer / *Salarius* quoque est, qui salem in micas, sive ramenta (utroque enim vocabulo Plinius utitur) cogit, & concrescere facit, ἁλοπηγὸς Nicandro: & qui salem vendit salßmacher / oder verkauffer. *Piscarius* Varroni, sive *Piscator* ἰχθυοπώλης, fisch verkauffer. *Cetarius* Ciceroni, κητοπώλης, der die grossen meerfisch verkaufft. *Lanius* & *Lanio* Ciceroni, Livio *carnarius*, κρεουργός, κρεοπώλης, κρεοδαίτης, metzger / kuttler / schlachter. *Fartor*, Terentio & Ciceroni, qui farcimina & farta implet ad esum, teste Donato, ἀλλαντοπώλης, ein würstmacher. *Fartor* Columellæ, qui aves altiles farcit & saginat, σιτευτής. *Pomarius* Horatio, ὀπωροπώλης, ὀπωρώνης Demost. qui poma venalia prostituit. Omnino hi qualescunque cibi præparandi, conficiendi condiendique ministri, ad duo summa genera videntur posse revocari.

Unum est eorum, qui panes atque placentas omnis generis conficiunt: qui in genere *pistores*, a Græcis σιτοποιοὶ, Hebraicè אפים *ophim* appellantur.

Alterum est eorum, qui in opsoniis, hoc est, piscibus, carnibus, atque etiam pomis coquendis, condiendisve sunt occupati, qui ab Hebræis generatim *Tabbahim*, id est, *mactatores*, a Græcis μάγειροι & ὀψοποιοὶ, a Latinis *coqui* appellantur.

Notabis etiam apud Græcos, & Romanos ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον viros rem coquinariam exercuisse, ut hodie mulieres: nisi quòd in principum aulis potissimùm coquinarium illud munus obeunt. Dixi suprà apud Romanos cùm viles & conductitios antiquitùs quosdam homines, tum posteris temporibus servos artificium hoc coquinarium exercuisse. Pudeat ergo nos Christianos, qui hodie tantum coquinariæ illi arti tribuimus, cui nobiles in primis puellas atque matronas passim mirum in modum addictas esse videre licet, quæ quidem nullum novas subinde delitias, atque lautitias excogitandi conficiendique finem faciunt, quibus hominum non modò res atque fortunæ, verumetiam corpora atque valetudo corrumpuntur. Memorabile quoque est illud, quod Fabritius Tigurinus, & alii in suis peregrinationibus commemorant: Alcairi (quæ quidem *Memphis*

Nota.

dicta

dicta est) quotidie circiter 12. ferè millia coquorum passim per urbem obambulare, foculos in capitibus gestantes: qui quibusvis id postulantibus pro mercede cibos statim in platea coquere atque parare solent. Nam tanta est ibi lignorum penuria, ut privatis in ædibus culinas non habeant.

Hæc sint dicta de personis cibos, sive edulia qualiacunque quocunque modo præparantibus, coquentibus, mollientibus, conficientibus, condientibus.

Nunc locus in quo illa parantur atque coquuntur, significandus videtur.

Locus coquendis cibis accommodatus.

Locus parandi coquendique cibos in genere a Græcis μαγειρεῖον, & ὀπτανεῖον, a Latinis nunc ab ipso coquo *coquina*, nunc a colendo igne (secundùm Varronem) *culina*, quasi *colina* dicitur. M. Varro *de re rustica* lib. 1. *In primis culina videnda ut sit admota, quòd ibi hyeme antelucanis temporibus aliquot res conficiuntur, cibus paratur ac capitur.* Et Columel. *de re rustica* lib. 1. Cap. 6. *Ac in rustica parte, alta, & magna culina ponetur, ut & contignatio careat incendii periculo, & in ea commodè familiares omni anni tempore morari queant,* Hebraicè מבשלות *Mebascheloth*, & foci & culinæ appellantur. Hæc si publica fuerit, toti Reipub. non privatim singulis inserviens, rectius *popina* dicitur, in qua obsonia jam cocta venditantur & addicuntur cuilibet licitanti, unde *uncta* ab Horatio dicta, in qua etiam olim helluabantur, ut hodie quoque fieri consuevit.

Culinæ publicæ sunt popinæ.

Quoad privatas culinas, Servius dicit illas olim fuisse in illa ædium parte, quæ *atrium* dicitur; unde a fumi nigrore nominis ratio. *Focus* locus magis specialis, in quo ignis servatur, a *fovendo*, quod propriè est *calidum tenere*, sive *calefacere*. Græcè πυρκαλήιον, & ἑστία & ἐσχάρα sive ἐσχάρα dicitur. Ovidius:

Culinæ privatæ. Focus, & ejus derivata.

At focus a flammis, & quod fovet omnia dictus.

Hinc apud Plautum in *Captiveis:*

Ignem ingentem fieri volo.

Item post: *Laridum, atque epulas foveri foculis,* &c.

Focillare.

Ejus diminutivum *foculus*, & inde aliud *focillus*, a quo *focillo* calefacio, unde aliud compositum, *refocillo*, id est, recreo, & inde *focillatio*, & *refocillatio*, id est recreatio. Veteres *foculare* quoque aliquando pro *focillare* usurparunt, & *focula* pro nutrimentis, teste Nonio, Plautus in *Persa*:

Jam intus ventris fumant focula, id est, nutrimenta.

A *foco* quoque derivatur *focaria*. Hieronymo *culinaria ministra*, quæ focum colit, Græcè μαγείρισσα, ut ab ἐσχάρα Græcè focum significante, deducitur ἐσχαρεὺς Polluci, qui foco præest. Laribus autem sacer erat focus, thure, & floribus ibi sacrificante rudi illa majorum antiquitate. Unde vernaculus sermo focum nunc *foculare* nominat, quasi *laris focum*. Ferramentaque quibus ligna sustentantur, dum ardent in foco, non ineleganter meo judicio quidam *altaria* dixerunt, quasi ad larem parata: Isid. focum a colendo ignem & ligna, vult ab antiquis fuisse appellatum. φῶς enim Græcè, Latinè *ignis* est. Varro autem *focos* ait dictos, quòd *foveant* ignes: nam ignis ipsa flamma est: quicquid autem ignem fovet, *focus* vocatur, seu ara sit, sive quod aliud in quo ignis fovetur. Foco superstructus est caminus vel cum pariete, vel extra parietem productus, quo fumus excipitur, & deinde per infumibulum, seu fumarium transpirat. Ubi accuratè cavendum est, ne quid nigrum ex fumo subsideat, quod vulgò dicitur, ne aut frigentibus, aut elixantibus, aut assantibus obsit. De voce κρίβανος, κλίβανος, ἰπνός, vide Brodæum *Miscell.* lib. 5. Cap. 21. Hebr. אור *Ur* (unde forsan vox Latina *uro*) focum, & תנור *Thannur*, clibanum seu caminum significat. Levit. 2. *cocturam furni.* Et Cap. 11. conjunguntur, *Ur* & *thannur*, id est, focus, & caminus, *destruentur.* Furnum (qui sic a *furvo*, id est, *atro* dictus est, teste Pompejo) extra domum, quæ magna ædificatur, ut fœnilia quoque atque lignilia, propter ignis periculum Franciscus Marius censet esse debere in suo lib. *de part. ædium.* Idem veteres fornacem dicit habuisse in pistrinis farinariis. Hæc de loco coquinario.

Nunc de ipso officio atque operibus coquinariis, coquendi denique modo atque ratione generatim quædam dicenda.

Cibos coquendi parandique ratio.

In justo & fideli coquo has conditiones Willichius in sua *magirica* requirit, ut sit artificiosus, ut experiens, ut laboriosus, ut laudis cupidus, ut mundus, ut gustatu excellat: ut denique non sit gulosus & edax: quæ singulæ ab illo pluribus explicantur Capite primo. Deinde vult illum habere in promptu σκεύη μαγειρικά, atque vasa coquinaria, ita ut non sit illa opus a vicinis usque ad tædium poscere: quorum ab illo quædam genera commemorantur. Officiorum coqui catalogum vide & apud Jac. Pontanum *Progymnas. Lat.* lib. 3. part. 2. *Vir*, inquit, *sit honestus, integer, fidelis, occultis latentibus morbis omnino liber, munditiæ percupidus, affabilis, coquere gnarus, explorateque cognoscat, quinam cibi Domino suo placeant, præter cæteros, multumne an remissè conditis, piperatis an salsis, dulcibus an amaris atque acidis magis delectetur: de quo Martialis suprà. Tenendum est illi, qua hora prandere, qua cœnare soleat herus. Quòd si illi appetitus non semper ad tempus adsit: tamen cocus egregius semper est paratus, cùm Domino cibum capere libuerit. Assa in veru sunt relinquenda, donec eas struendi ad mensam tempus fuerit: curandum, ut alia omnia quàm maximè sapida atque succo plena anteponantur comedentibus.* Sed & de coquorum molestiis, laboribus, spurcitie, item, quot fercula ex singulis animalibus & plantis coqui gloriosi jactent se posse conficere, vide ibidem plura: sicut & de aliis eorum officiis apud Pollucem lib. 6. cap. 13. & Vays. in lib. *de vasculis.* Franciscum Marium *de partibus ædium* lib. 2. cap. 4. Idem auctor eodem in loco τὰ τῶν μαγείρων, id est, coquorum opera actionesve proprias uno quasi fasciculo complectitur. Eæ sunt primò καπνίζειν (quod tamen postremo loco ab illo ponitur, hoc est, interprete Eustath. Ιλ. β. τὸ πῦρ ἀνάπτειν ἐπὶ θυσίᾳ τε, καὶ ἐπὶ ἀναγκαίῳ δείπνῳ τῷ πρὸ τῆς μάχης. ἐπακολουθεῖ γὰρ τῇ τῶν ξύλων καύσει καπνός, id est, *ignem accendere sacrificii conviviique gratia*, secundum illud Homeri,

Officia & virtutes coqui.

καπνίζειν quid.

Κάπνισάν

Κάπνισάν τε κατὰ κλισίας, καὶ δεῖπνον ἕλοντο.

Ubi tamen illud κάπνισαν pro ἔθυσαν quoque vult posse intelligi, hoc sensu, primò sacrificarunt, & fumo atque nidore Deos placarunt, deinde cibum sumpserunt. De eodem vide Eustathium Ιλ. λ. & Cælium lib. 14. cap. 21. Hinc ligna arida & exiccata ad exardescendum facilia ἀκάπνα a Martiali appellantur, quæ amurca conspersa, nullius fumi tædio ardere docent M. Cato, & Plin. Cælius lib. 13. cap. 48. σχίζαι, teste Aristophanis Scholiasta (unde forsan nostrum schyten / id est, *scindere ligna*) propriè dicebantur a veteribus ligna sacrificiis adhibita, secundum illud Homeri:

---- Καίε δ' ἐπὶ σχίζῃ ὁ γέρων.

Ignis autem (qui auctore Varrone a nascendo dictus est, quod inde omne nascitur) faciendi seu accendendi rationem eleganter his verbis Virgilius describit:

Ac primùm silicis (πυρίτης Græcè lapis, quo ignis excutitur) *scintillam excudit Achates:*
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.

Ratio conservandi ignem ex Moreto Virgilii liquet:

Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductæ celabat lumine prunæ:

De his omnibus vide multa lectu digna apud Francis. Marium in *Lexico de partibus ædium* lib. 3. cap. 4.

Alia porro coquorum opera sunt καθῆραι, id est, *purgare* sive *mundare*, quod cùm ad culinam atque vasa, tum ad edulia ipsa referri potest, quæ omnia pura ac munda debent esse. Item κόψαι, τεμεῖν, διατεμεῖν, ῥαχίσαι, id est, pisces, carnes, aliave edulia ritè & aptè dividere ac dissecare: unde coqui δαιτροὶ quoque dicti sunt. Quò etiam Paulum nonnulli verbo illo ὀρθοτομεῖν verbum Dei, alludere volunt in Epistola secunda ad Timotheum capite secundo. Sed maximè propriæ illorum actiones sunt ὀπτᾶσαι, ἑψῆσαι, ὀπτῆσαι, ἡδύνειν, γλυκύνειν, ὀνθυλεύειν, *torrere, elixare, assare, dulcorare, exquisitè apparare, condire*: unde ὀνθύλευσις & μορθύλευσις. Polluci αἱ περιτταὶ σκευασίαι, *exquisitiores ciborum apparatus, & lenocinia coquorum*, &c.

Triplex cibos coquendi ratio. Est autem triplex omnino cibos præparandi coquendique ratio: nimirum assare, elixare, frigere sive torrere, braten / süden / rosten. In usu mortalium primò assa, secundò elixa, tertiò jurulenta fuerunt, ut do-
1. Assare. cet M. Varro. *Assum* dictum, quòd ab igni *assudescit*, sudando enim assum distillat calore. *Assum* Isidoro quòd *ardeat*, quasi *arsum*. Quidam *assum* ex eo dici arbitrantur, quòd sine pigmento saporis alieni in opsoniis inferebatur. *Assum* enim solum veteres dixerunt: unde & *assa* vox nominatur ore prolato, non admixtis aliis
2. Elixare. musicis vocibus. Elixum verò nuncupatum, quod ex aqua decoctum est (nam *lixam*, aquam veteres dixerunt) unde & *lixæ* dicti ministri militares, qui aquam ad tentorium solent ferre. *Jurulentum* a jure dicitur,
3. Frigere. quod & *jussulentum* posse appellari testis est Apulejus in *Apologia*. *Frixum* Isidoro a sono dictum, quod in oleo ardet. Cornelius Celsus ait, carnem magis alere jurulentam, quàm assam, assam magis quàm frixam. Bonæ igitur valetudini potiùs, quàm parvæ voluptati consulendum. Elixam frequentiùs apponere præstabit, cùm
Homerica descriptio apparatus coquinarii. propter salubritatem, tum quia familiæ commodior erit. Eumæus apud Homerum Οδ. Ξ. coqui functus officio, Ulyssi domino suo sibi ignoto summa celeritate epulas apparavit: quem apparatum hoc modo Poëta describit. Dicit illum ad porcorum stabulum accurrisse, indeque duos porcellos sumpsisse (confer hunc locum cum illo convivii apparatu, quo Abrahamus usus est Gen. 18.) addit deinceps:

---- Καὶ ἀμφοτέρους ἱέρευσεν.

ἱερεύειν. Nota hîc verbum ἱερεύειν, ut & verbum θύειν, pro *occidere* sive *mactare* usurpari. Deinde:

Εὗσέ τε, μίστυλλέν τε, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειρεν,
Οπτήσας δ' ἄρα πάντα φέρων παρέθηκ' Οδυσῆϊ
Θέρμ' αὐτοῖς ὀβελοῖσιν, &c.

Eustath. in hunc locum, *Observa*, inquit, *Eumæum carnes assatas domino suo appouere, ob festinationem adhibitam.* Aliâs enim elixatio magis laudatur, quàm assatio, non solùm enim (ut aiunt) cruditatem tollit, verùm etiam dura emollire ac reliqua concoquere potest. Adhæc εὐμεθοδευτότερον καὶ ἀκινδυνότερον συμπέπτει τὴν τροφήν. Carnes assas elixis humidiores esse, an sit existimandum, Aristotelis & Galeni sententiæ, quæ pugnare videbantur, nullo negotio conciliatæ ab Hieronymo Magio *Miscell.* libro primo capite decimonono. Athenæus tamen libro primo, *Carnes*, inquit (de Homericis epulis verba faciens) *solùm assabant, nusquam enim quen-*
Carnium assatarum usus apud veteres. *quam eas elixantem fecit.* Hinc Eustat. quoque in Οδ. Μ. p. 494. ὅτι ᾗ τὸ ὀπτᾶν ἐπεχωρίαζε τοῖς τότε μᾶλλον ἤπερ τὸ ἑψεῖν, δηλοῖ καὶ τὸ ὀπτανεῖον. οὐ γὰρ ἄλλοθεν ἠξιώθη τὸ μαγειρεῖον καλεῖσθαι, ἀλλ' ἐκ τοῦ ὀπτᾶν. Hinc sæpe κρέα ὀπταλέα, id est, *carnes assæ*. Eustathius in illa verba Οδ. Α.
Culina cur Græcis dicta ὀπτανεῖον.

Μίστυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειρεν,
Ωπτησάν τε περιφραδέως.

Dicit Heroës plerunque carnibus assatis usos fuisse ex quibusvis animalibus. περιφραδέως autem ὀπτᾶν Homero idem quod ἐπιστημόνως: quoniam (ut aiunt) ἐμπειρίας χρεία τοῖς ὀπτῶσι, καὶ ἐποπτείας συχνοτέρας ἤπερ τοῖς
ὄπτησις, id est, assatio, unde dicta. ἕψουσι, hoc est, *quoniam assatio experientiam atque inspectionem crebriorem requirit*, à qua ipsa ὄπτησις videtur dicta, ut & ὀπταίνω, quod non est in usu, a quo ὀπτανεῖον, locus in quo edulia assantur. Attici autem ἀπανθρακίζειν appellant ὀπτᾶν. Hinc ὄψον quoque & ὀψάριον sive generatim pro quovis opsonio, sive speciatim pro piscibus accipia-

accipiatur (de quo suprà) non tam ab ὀψὲ (ut Plutarcho, Eustathio & aliis placet) quàm (ut Beza vult in suis commentariis in novum Testamentum) ἀπὸ τοῦ ὀπτᾶν, id est, *assando* dicitur, propterea quòd ut carnes, ita pisces quoque assari potissimùm a veteribus consueverant. Et huc facit locus ille Joannis vigesimo primo. *Cùm* (inquit Joannes) *descendisset in terram, viderunt* ἀνθρακίαν κειμένην, καὶ ὀψάριον ἐπικείμενον, καὶ ἄρτον, id est, *vident prunas positas, & piscem impositum & panem.* Sed nolo hîc pluribus de ratione atque modo quosvis cibos coquendi, conficiendi atque condiendi verba facere: de quo & Apitius olim summus ejus rei artifex, & Willichius vir doctus atque pius in suo *Magirico libello*, & Bruyerinus Gallus *de re cibaria* copiosè admodum scripserunt. Extant præterea in omnibus ferè linguis multi libri atque opera ὀψαρτυτικά, sive μαγειρικά, quæ consulere poterunt illi, qui ejus rei sunt studiosi. Item de coquinaria arte, seu potiùs illius abusu, vide Agrippam in libris *de Vanitate scientiarum*, & Mercurialem *de Præservat. a venenis*, carnes assas cur venenare difficile. Sed optandum profectò esset, omnes ejusmodi diliciarum atque lautitiarum inventores, inventa atque libros e medio esse sublatos.

Illud tamen in genere monendum, convivatori primò dandam esse operam, ut cibi in tempore atque maturè sint parati atque cocti, ne convivis, ubi advenerint, diu sit expectandum. Deinde ut debito justoque modo parentur. Unde Plato (ut Lucianus in libro *de parasito* citat) dixit: τοῦ μέλλοντος ἑστιάσεσθαι, μὴ μαγειρικοῦ ὄντος, σκευαζομένης θοίνης ἀκυροτέρα ἡ κρίσις, id est: *Qui convivas epulis accepturus est, neque rei coquinariæ fuerit peritus, ejus in adornando convivio pertenue judicium est.* Hîc in primis non tam voluptatis, quàm sanitatis habenda ratio, & ad illum potissimùm ciborum confectio atque præparatio est accommodanda. Convivatoris munus quoad ciborum præparationem.

Deinde speciatim cùm ipsa edulia, tum convivæ, tum denique convivii genus est considerandum. Nam quoad ipsa edulia, alia hoc, alia alio modo omnino sunt coquenda. Sic enim exempli gratia, pisces quidam sunt, quos assari conveniat potiùs quàm elixari, ut testis est Athen. lib. 3. Unde etiam apud Horatium de piscibus quibusdam assandis præcipitur lib. 2. Satyr. 4. Idem de carnibus & aliis cibis existimandum.

Quoad ipsos verò convivas, illorum quoque vel omnium, vel maximæ partis, vel certè præstantissimorum quorumque palatum, ut ita loquar, convivatori debet esse cognitum, ut ad illud ciborum coctio seu præparatio possit accommodari. Huc facit illud Martialis:

Non satis est ars sola coquo servire palato,
Namque coquus Domini debet habere gulam,

Sæpe quoque ipsum convivii genus certam quandam & peculiarem ciborum præparationem requirit. Sic (ut ex multis unum proferam exemplum) epulum illud Paschale carnibus non elixatis sed assatis, ac pane non fermentato, sed azymo seu infermentato (quem Tacitus *panem Judaicum* appellat) ex ipsius Dei præscripto atque mandato antiquitus erat celebrandum: quæ omnia mysticas seu typicas habuerunt significationes. Panis Judaicus.

CAPUT XIV.

DE TEMPORIS LOCIQVE CONVIVIALIS OBSERVATIONE, DELECTV, APPARATV, VARIISQVE DIFFERENTIIS. DE TRICLINIIS.

Hæc de alimentis partim emendis, seu quocunque alio modo comparandis, partim parandis atque coquendis.

Sed ut omnibus aliis in rebus & actionibus, ita in hac quoque potissimum actione apparatuque conviviali, temporis, cujus magna est vis atque momentum, diligens habenda est ratio. Unde Varro apud Gellium, inter quatuor boni convivii conditiones, tempus quoque lectum numerat. Et Plin. epist. 12. lib. 5. *Nostræ tamen cœnæ*, inquit, *ut apparatus & impendii, sic temporis modus constet.* Convivator itaque, hoc est, omnis qui cujuscunque convivii adornandi instituendique curam negotiumque suscepit, sedulò dabit operam, ut illud tempore commodo, opportuno, nec tam sibi quàm ipsis convivis accommodato celebretur. Hinc in antiquis scriptoribus convivium sæpe legimus aliud *tempestivum* dici, aliud, quod illi est contrarium, *intempestivum*. Cicero in Verrem: *Statuitur Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio: & de Senectute: Ego propter sermonis delectationem conviviis tempestivis delector.* Apulejus: *Nuptiane illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an convivium tempestivum?* Cic. pro Murena: *Neque in convivio moderato atque honesto: intempestivi convivii*, &c. *Tempestivum convivium* Turnebus in suis *Adverſ.* putat esse, quod fit de die, (nam id turpe, & nequam, & intempestivum habebatur, de die convivia agitare) neque in multam noctem producitur, sed quod tempore fit. Ad tempestivum quoque convivium fortasse pertinet diebus potius certis, quàm aliis convivas vocare, ut diebus potius festis quàm profestis, & quibusdam profestis potius, quàm aliis, ut nefastis. Cùm autem Cato in lib. *de Senectute* ait, se delectari conviviis tempestivis, non in eo plus latere significationis, quàm explicatum est, è Plutarcho ostendi potest, qui de eodem homine & de eadem re ita scribit: ἦν δὲ καὶ τὸ δεῖπνον ἐν τῷ ἀγρῷ δαψιλέστερον. ἐκάλει γὰρ τῶν ἀγροGeιτόνων καὶ περιχώρων τοὺς συνήθεις, συνδιῆγε ἱλαρῶς, οὐ τοῖς καθ᾽ ἡλικίαν μόνοις ἡδὺς ὢν συγγενέσθαι καὶ ποθεινὸς, ἀλλὰ καὶ τοῖς νέοις. Ut igitur alia, ita convivia Temporis ratio habenda.

quoque

quoque ſi ſunt εὔκαιρα, & ὡραῖα, id eſt, *tempeſtiva & opportuna*, grata ſunt, jucunda atque utilia: ſin verò ἄκαιρα, ἢ ἄνωρα, id eſt, *intempeſtiva*, & *importuna*, odioſa, ingrata, atque etiam nonnunquam pernitioſa eſſe ſolent. Hinc in Euangelio quoque convivator ille Optimus Maximus: Τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου, id eſt, certo ac definito cœnæ tempore per ſervum ſuum homines vocaſſe dicitur, ac fidelis ac prudens ille ſervus a domino famulitio reliquo præfectus fuiſſe dicitur, διδόναι αὐτοῖς τὴν τροφὴν ἐν καιρῷ, id eſt, *ut tempore opportuno cibum cæteris ſuis conſervis ſubminiſtret.* Unde colligimus, in dandis exhibendiſve epulis habendam eſſe temporis rationem: quò ſpectat etiam illud Homeri:

Convivia alia tempeſtiva alia intempeſtiva.

Οὐ μὲν γάρ τι χέρειον ἐν ὥρῃ δεῖπνον ἑλέσθαι,

Id eſt, *Non eſt malum in hora*, id eſt, certo & opportuno tempore *cœnam ſumere.* Secundum ipſas autem temporum differentias, conviviorum quoque varia ſunt genera. Nam quemadmodum, exempli gratia, tempus aliud eſt diurnum, aliud nocturnum, & diurnum vel matutinum, vel meridianum, vel veſpertinum: ita convivia quoque alia ſunt diurna, eaque partim matutina, partim meridiana, partim veſpertina: alia verò nocturna, de quibus in priore libro pluribus eſt dictum, & ſimul explicata illa quæſtio: *Diurnum ne, an nocturnum tempus epulis cibisque ſumendis ſit accommodatius.* Dictum quoque eſt de veterum noctu potiſſimùm cibum ſumendi conſuetudine. Omnino tempus veſpertinum atque nocturnum, licet epulis videatur accommodatius, tamen cavendum, ne (quæ & olim Ethnicorum, & hodie Chriſtianorum conſuetudo eſt nefaria, atque pernitioſa) illæ in multam noctem protrahantur, vel etiam tota nocte durent. Nox enim non epulationi, ſed moderatæ quieti atque ſomno potiùs a Deo eſt conſecrata, hominibuſque ad virium recreationem conceſſa. Tempus autem matutinum, (qui veterum etiam Ethnicorum fuit mos) ſeriis gravibusque actionibus, quibus eſt aptiſſimum, impendendum. Deinde ut tempus aliud eſt feſtum, aliud profeſtum, aliud profanum: ita quoque convivia alia feſta, alia profeſta, alia ſacra, alia profana dici poſſunt: de qua diviſione ſuprà quoque eſt dictum, *Convivia*, inquit Gellius lib. 2. cap. 24. *vel diebus profeſtis, vel Calendis, Idibus, Nonis & aliis diebus feſtivis celebrantur.* Ut autem Ethnici olim, ſicuti ſuprà dictum eſt, dies feſtos fictitiorum ſuorum Deorum, ſic hodie quoque Chriſtiani dies ſacros atque feſtos cultui divino conſecratos, luxurioſiſſimis plerunque conviviis conſumunt, cum ſumma Dei religioniſque Chriſtianæ contumelia ac detrimento. Præterea convivia alia (ut quidem pleraque) fiunt lætis temporibus, cujuſmodi ſunt natalitia, nuptialia, victorialia: alia temporibus triſtibus, ut ſunt funebria, ſive exſequialia: quorum ſimiliter explicationem habes primo in libro. Hic quoque obſervandum, ſi tempora ſunt nubila atque triſtia, vel ob publicas, vel ob privatas calamitates, eaſque vel impendentes, vel præſentes atque urgentes, tum jejunandum potiùs, quàm convivandum eſſe. Tunc, inquam, non tam ad cibum ſimul capiendum, epulandumve, quàm ad ſacras conciones, verbumque Dei audiendum, ad eleëmoſynas largiendum, ad preces caſtas atque ſobrias ὁμοθυμαδὸν, id eſt, communi quaſi animorum conſpiratione ad Deum fundendum, conventus fieri, & agitari debent. Hoc enim modo ignis ille iræ atque furoris divini extinguitur: illo autem accenditur magis & inflammatur.

Varia conviviorum genera ſecundum temporum differentias varias.
Convivia non protrahenda in multam noctem.
Tempus matutinum ſeriis, & gravibus actionibus tribuendum.
Convivia vel feſtis, vel profeſtis diebus celebrantur.
Feſtorum abuſus.
Quando jejuniis potius, quam conviviis vacandum. Nota.

Item convivia alia ſunt, quæ non niſi ſtatis, certis atque ſolennibus temporibus fiunt, alia verò quæ quovis tempore fieri, ac celebrari poſſunt. Huc quoque referri poteſt quæſtio illa primo libro explicata: *Satius ne ſit, in privato præſertim domeſticoque convictu certam habere cibum ſumendi horam, nec ne?* Hic quidem notandum, tempus cœnæ in invitatione a veteribus diligenter indicari fuiſſe ſolitum, quemadmodum hodie quoque fieri conſuevit, atque etiam debet: de quo ſuprà quoque, cùm de invitatione ageremus, facta eſt mentio. Omnino (ut hanc quoque apparatus convivialis partem abſolvam) danda eſt opera, ut cùm temporis, quo nihil eſt pretioſius, maximam partem piis honeſtiſque meditationibus actionibusque tribuamus, tum convivia noſtra, & privata, & publica etiam εὔκαιρα ſint, & ὀλιγοχρόνια, id eſt, *tempeſtiva*, brevique tempore durent.

De loco conviviali.

Ut autem tempus, ſic quoque locus convivii lectus (Varrone teſte) hoc eſt, commodus & opportunus eſſe debet, cujus ſimiliter convivatori magna habenda eſt ratio. Hinc Chriſtus quoque epulum Paſchale unà cum diſcipulis ſuis celebraturus (Marc. 14. Lucæ 12.) duos ſuorum diſcipulorum miſit in urbem, ad locum aptum atque idoneum inveſtigandum atque parandum: qui ἀνώγεον μέγα, ἐστρωμένον, ἕτοιμον appellatur. Locus autem convivialis, ab Hebræis dicitur סכתה *Schecatah*, 1. Samuel. 9. v. 22. Samuel apprehendens Saulem & puerum ejus, introduxit eos in cœnaculum. Syriacè בית משריא *Beth maſchraia*, id eſt, *domus convivii.* In Græco eſt, κατάλυμα, id eſt, *diverſorium.* Eccleſiaſtici ſeptimo: *Satius eſt in domum luctus, quàm domum convivii intrare.* בית המטות quoque *Beth Hammithoth*, id eſt, *domus lectorum* ab Hebræis locus convivialis appellatur, a lectis nimirum, in quibus diſcumbebatur. Item טרקלין *Thedaklin*, ut in illa ſententia Rabbi Jacob: *Mundus iſte ſimilis eſt veſtibulo ante ſeculum futurum: Præpara te ipſum in veſtibulo, ut intrare poſſis in triclinium.*

Hebræi nomina locorum convivialium.

Græcè Pollux libro ſexto, capite quinto locum convivialem in genere συμποτικὸν χωρίον vocat: deinde συμπόσιον, quæ vox propriè ipſum *convivium* ſignificat, nonnunquam pro loco, in quo illud agitatur, uſurpari ſolet. Item Ἀνδρῶνα Suidas vocat οἶκον ἔνθα οἱ ἄνδρες εἰώθασιν ἀθροίζεσθαι, *domum, in qua viri congregari ſolent.* Pollux: *Dicitur autem* ἀνδρῶν ἵνα συνίασιν οἱ ἄνδρες, *ubi conveniunt viri. Deinde* ἐξέδρα, ἵνα συγκάθηνται, *ubi conſidunt.* Sextus Pomp. *Andron locus domicilii appellatur anguſtior longitudine, in quo viri plurimum morabantur, ut gynæceum a mulieribus.* At omnino Græci ædificium in duas partes diſtribuerunt. Nam in qua parte viri ſine fœminarum interpellationibus verſabantur, eam (teſte Vitruvio libro ſexto) *Andronitida* ſive ἀνδρῶνα appellarunt: ubi autem convenêre mulieres *gynæconitida* ſeu *gynæceum. Gynæceum* quoque ea pars domus fuit appellata, in qua quidem mulieres præcipuè lanificio & textrinæ operam dabant. Iſidorus:

Nomina Græca locorum convivialium.
συμπόσιον.
Ἀνδρῶν.
Ædificii duæ partes.

Iſidorus: *Gynæcium Græcè dictum, eò quòd ibi conventus fœminarum ad opus lanificii exercendum conveniat.* Plautus in *Moſtellaria*: Gynæconitis.

Dare vult uxorem filio quantum poteſt,
Ad eam rem vult facere gynæceum novum.

Æmilius Probus in *Proœmio operis*: *Materfamiliâs apud Romanos primum locum tenet ædium atque in celebritate verſatur, quod multò aliter fit in Græcia: nam neque in convivium adhibetur, niſi propinquorum, nec ſedet niſi in interiore parte ædium, quæ* γυναικονῖτις *appellatur.* Alexander Moloſſus dicere, ut ferunt, ſolitus eſt, ſe in Ανδρονῖτιδα, Alexandrum Macedonem in γυναικονῖτιν profectum, cùm ille adverſus Italos gentem bellicoſiſſimam, hic in Perſas, & Barbaros imbelles exercitum duxiſſet. Legimus apud Paulum Diaconum lib. 8. ubi de Narſete loquitur, ei Auguſtum, quòd eunuchus eſſet, mandaſſe, ut cum puellis in gynæcio lanarum penſa faceret atque divideret. Unde Valentinianus & Valens Imperatores lib. 2. Cod. *de Muricilegulis & gynæc.* eos intelligunt *gynæciarios*, qui fœminis mixti ea opera exercent. *Oeci* quoque (quæ vox Græcis in Gynæciarii. genere *domos* ſignificat) propriè dictæ ſunt illæ domus partes, in quibus viri epulabantur, quemadmodum ex his Vitruvii verbis lib. 6. cap. 10. colligi poteſt: *Græcorum domus habent triclinia Cyzicena, quæ ad Septentrionem ſpectant. Ad Meridiem verò ſpectantes Oecos quadratos tam ampla magnitudine, uti faciliter in eis, tricli-* Oeci. *niis quatuor* (id eſt, lectis diſcubitoriis ſive accubitoriis) *ſtratis, miniſtrationum ludorumque operis, locus poſſit eſſe ſpatioſus. In his œcis fiunt virilia convivia. Non enim fuerat inſtitutum matresfamiliarum eorum moribus accumbere.* Hæc ille. De œcis Corinthiis, tetraſtylis Ægyptiis, Cyzicenis vide eundem cap. 5. Hinc *aſaroton œcon* vocat Plin. lib. 6. cap. 25. quaſi dicas *non ſcopis mundatum*, non verſum, quòd quæ ſolent converri, e teſſulis tinctis in pavimento erant elaborata, & veluti purgamenta cœnæ in eo relicta ac repræſentata. Statius Papin. *Sylvar.* lib. 1.

---- *Subeuntque novis aſarota figuris.*

Ενηβητήρια (teſte Suida) apud Herodotum dicuntur τὰ ἐνδιαιτήματα, id eſt, *cœnaculum.* Συσσιτικὸν quoque locum convivialem Pollux appellat: Athenæus τόπον συσσιτικὸν lib. 4. Idem eodem in libro auctor, Syſſitio- Συσσιτικόν. rum Cretenſium duas olim domos fuiſſe dicit, quarum unam ἀνδρεῖον appellarunt, alteram quæ hoſpitibus in- Ανδρεῖον. ſerviebat, κοιμητήριον. Παςάδα quoque ἀπὸ τοῦ πάσασθαι, id eſt, *edendo*, unde *paſtophoria* quoque paſtophororum Παςάς. ſacerdotum ædes, de quibus Apulejus lib. 11. ſicut Flamonia ſive Flaminia apud Sidonium ædes flaminis. Παςὰς aliâs thalamus nuptialis propriè dicitur, qui & νυμφίδιον: unde Venus παςοφόρος appellata, quòd thalamum nuptialem curet. Et συναγώγιον ἀπὸ τοῦ συνάγεσθαι, id eſt, *congregando*, locum conviviis deſtinatum ap- Συναγώγιον. pellatum fuiſſe Pollux teſtatur. Δειπνοτήριον ſimiliter, & ἑςιατόριον (Jonicè ἑςιητόριον Herodoto, θοινητήριον Plutarcho) pro eodem accipiuntur, Δειπνοτήριον. Θιασῶν quoque dictus locus, in quo monophagi ſua convivia exercebant, teſte Heſych. & ξενώνιον, cùm locum, in quo homines convivantur, tum Atticis μισθὸν τοῦ πανδοχείου ſignificat, teſte Euſtat. Οδ. Ξ. f. 456. μαιρυλλεῖον locum eſſe ajunt, in quo verſantes vetulæ comeſſaturas, aut ſe mutuò inebriaturas ſuſcipiunt. Euſtath. Ιλ. Γ. πορνεῖον, id eſt, *lupanar*, interpretatur. ἡβητήριον He- ἡβητήριον. ſych. ἑςιατόριον & κατάλυσιν, id eſt, locum amœnum, comparatum ad convivia agitanda exponit. Κατάλυμα Εςιατήριον. Luc. 12. & κατάλυσις cùm in genere pro quovis habitationis uſu ac loco uſurpatur, ἀπὸ τοῦ καταλύσαι, id eſt, κατάλυμα. *divertere*, tum ſpeciatim pro loco convivali accipitur, ut Marc. 14. ubi κατάλυμα Syriacè vertitur *domus convivii.* Sic δόρπου λύσιν Pindarus dixit Od. 5. τὸ δὲ κύκλῳ πέδον, ἔθηκε δόρπου λύσιν, id eſt, *Aream autem quæ in circuitu, fecit cœnæ diverſorium.* Sic Marci decimoquarto locus in quo Chriſtus cum diſcipulis ſuis paſchale epulum agitavit, cùm κατάλυμα, tum ἀνώγεον, quod vulgò *triclinium* exponitur, & idcirco ἐςρωμένον dicitur, Ανώγεον. id eſt, inſtructum ad epularum apparatum, lectulis nimirum ſtratis, in quibus olim diſcumbebatur. Dicitur autem ἀνώγεον propriè locus in ædibus ſuperior ἀπὸ τοῦ ἄνω, & γαῖα, in quo olim cœnitare conſueverunt, & idcirco Syriaca verſio pro eo habet על בית *Aalita*, id eſt, *ſuperior pars domus*, ad quem erat aſcendendum: ὑπερῷον quoque ſive ὑπερώϊον, Suidæ idem quod ἀνώγεον. De qua voce ſic Euſtath. Οδ. Α. ὑπερῷον dicitur τὸ ὑπερκείμενον οἴκημα: ὦα enim dicuntur τὰ οἰκήματα. Idem Ιλ. Β. ὑπερῷον erat δίςεγον. Veteres autem thalamos ὑπερώους virginibus faciebant, propterea quòd illæ ſunt δυσέντευκτοι, id eſt, *difficilis aditus.* Idem Ιλ. Π. in illa, εἰς ὑπερῷ' ἀναβὰς, &c. Scribunt veteres, mulieribus fuiſſe thalamos ἀναγέους ædificatos, ut ne facilis ad illas aditus pateat. Idcirco Penelope in Odyſſ. ἐν ὑπερῴῳ opera ſua fecit. Ajunt etiam τὰ μετέωρα τῶν οἰκημάτων ὦα fuiſſe a Lacedæmoniis appellata, unde ὑπερῷον dicitur quaſi ὑπερυψηλον. Athen. lib 1. Appellarunt veteres ea, quæ a nobis appellantur ὑπερῷα, ὦια, ut teſtis eſt Elearchus in *Amatoriis.* Sic contrà καταγέων dicitur, pars domus inferior, & οἰκίαι κατάγειοι, habitationis loca ſub terra, in quibus olim libidi- καταγέων. nibus atque compotationibus intempeſtivis indulgebant. Sic hodie Septentrionales quædam gentes in cryptis Mos epulandi in cryptis ſubterraneis. ſubterraneis comeſſari conſueverunt: de quibus ſic Celtes cecinit:

Eſt mos Arctoo, quo ſe Germania claudit
Æquora, quo rigidum temperat aura gelu.
Sub terra effoſſis facimus convivia cellis.

Δίαιτα quoque (teſte Cel. lib. 14 cap. 9.) locum domus ſignificat, ubi tantùm verſamur nullo negotio Δίαιτα. aut uſu: alii cœnationem volunt ſignificare, unde & *diætarii* miniſtri diætæ deſervientes: quorum meminit Diætarii. Ulpian. tit. *de Fundo inſtructo*, in l. *quæſitum.* Apud eoſdem Juriſconſultos tit. *de Extraordinariis criminibus* legimus, *diætarios* appellari eos, qui in aliena cœnacula ſe dirigunt furandi animo (quod cœnaculum *diæta* etiam non malè vocari poſſit, cùm ſit in diæta) quos plus quàm fures puniendos eſſe docet Ulpian. Ibi

(ut

(ut Beroald. observavit) *detrectarii* legitur, pro *diætarii*, id est, qui in diætis furantur. De quibus Papin. lib. 2. Syl. *Una tamen cunctis procul eminet, una diætis.* Turnebus in suis *Adverʃ.* in aliquibus libris dicit, se legisse *directarios*, quæ lectio manasse e Jurisconsulti oratione videtur, quòd eos se ad aliena dicat cœnacula dirigere, in quam etiam lectionem se propensiorem esse dicit, ut quemadmodum transversaria tigna & *arrectaria* dicuntur, *transversariique & arrectarii asseres*: item *directarii* dicantur, qui directè in cœnaculum eunt arte malefica: illud tamen alterum obelo confodere nullo se modo audere. Sidonius in Epist. *Ex triclinio in diætam, sive cœnatiunculam fit transitus.* Ibi *diætam* interpretari videtur *cœnatiunculam*.

Diæta unde dicta.

Dicta diæta ἀπὸ τῶν δαιτῶν, id est, *conviviis*, quæ in ea peragebantur: sive (ut alii volunt) a διαιτάομαι, id est, *vivo* sive *versor*, quòd in his cœnaculis vivimus & versamur: unde etiam *diæta* nominatur victus, & medicinæ pars *diætetica* nuncupatur, quæ victu medetur.

Medicinæ tres partes.

Est enim medicina in tres partes diducta, in diæteticam, quæ victu, in pharmaceuticam, quæ medicamentis, & chirurgicam, quæ manu morbos curat. Quanquam Varro Latinam vocem esse existimat, ita dictam, quòd in ea per diem ederetur. Suetonius in Claudio: *In diætam, cui nomen est Hemiæum, recesserat. Diæta* (inquit Beroaldus commentator) *significat cœnationem sive locum in domo, in quo habitamus.* Scævola Jurisconsultus de diæta sic scribit lib. 3. *de Legatis*: *Liberto meo ex domo mea, quam liberis meis dedi, diætam, in qua habitant, idem cellarium junctum ei diætæ, ab hærede meo ei concedi volo.*

Zeta.

Zetam quoque Lampridius in Heliogabalo appellat, ἀπὸ τοῦ ζῆν, quòd in eo hilariùs viverent. Plinius jun. etiam *zeteculam* (de qua voce etiam suprà pluribus) dixit. Brodæus lib. 3. *Miscel.* cap. 14. pro loco in quo suscipiuntur hospites, uti & *diætam* usurpari dicit, non ab hujus literæ imagine ac similitudine, sed ἀπὸ τοῦ ζέειν, ab aquæ ferventis in hoc fornice euripo, aut παρὰ τὸ ζῆν. Nec desunt, qui Dores *Zetam* pro *diætam*, ut ζαβάλλω, pro διαβάλλω efferre testantur.

Latina nomina locorum convivialium. Cœnaculum.

Latinè *cœnaculum* antiqui vocabant, ubi cœnabant: sed postquam in superiore parte cœnitare cœperunt, superioris domus universa (Græcè ἀνώγεων) *cœnacula* dicta sunt, auctor Mar. Varro. Cui astipulatur Festus, scribens *cœnacula* dici, ad quæ scalis sive cochlide ascendebatur (unde עליה *Syriacè.*) Varro, *Postquam, ibi*, inquit, *cœnabant, plura facere cœperunt: ut in castris ab hyeme hyberna, hybernum domus vocarunt, contrà æstivum*, &c. Vitruvius etiam libro 6. c. 8. testatur *ædes Romæ prius unius contignationis fuisse, sed postea propter incolarum multitudinem multarum. Ad auxilium* (inquit) *altitudinis ædificiorum res ipsa coëgit devenire. Itaque pilis lapideis altitudines extructæ, cœnaculorum summas utilitates perficiunt.*

Cœnaculum Isidoro unde dictum.

Isidorus *cœnaculum* sentit dictum a *communione*: unde & *cœnobium* congregatio. Antiqui enim publicè & in communi vescebantur, nec ullius convivium singulare erat, ne in occulto delitiæ luxuriam gignerent.

Cœnacula Romæ inquilinis locabantur. Cœnacula meritoria dicta.

Ea autem cœnacula inquilinis, & his qui domos conducerent, locare solebant. Hinc illud:

> ---- *Rarus venit in cœnacula miles.*

Quo versu Satyricus Poëta significat, ad inquilinos & pauperes, qui in cœnaculis conductis (quæ *meritoria* dicta sunt) habitare consueverunt, raro mitti a principibus jugulatores. Idem:

> ---- *Nam quæ meritoria somnum*
> *Admittunt?*

Fuisse Romæ ædificia frequentia (unde etiam paulò antè ex Vitruvio dictum) pluribus cœnaculis constructa, edita in altum (quæ postea ab Augusto certa subtaxata mensura cohibita sunt) multis testimoniis probatur. Hinc Cicero in *Oratione in Rull.* Romam *in montibus positam, & cœnaculis sublatam ac suspensam* vocat.

Cœnaculum facere.

Apud Jurisconsultos scriptum est, *de his qui cœnaculariam faciunt sive exercent* (ubi *cœnaculariam exercere* nihil aliud est, quàm cœnacula locare inquilinis, & eam exercere negotiationem) titul. *de his qui dejecerunt, vel effuderunt. Si quis cœnaculariam exercens, modicum sibi hospitium retinuerit, residuum locaverit pluribus.*

Vitellius cœnaculum conduxit.

Vitellius (teste Suetonio) egestate pressus, cœnaculum meritorium conduxit discessurus ab urbe, ut in eo uxor cum liberis ipso absente mansitaret: domum verò suam pretio locavit, ut ita confecta summula, paratoque viatico in provinciam proficisceretur. Turnebus in suis *Adversariis* in illa Plauti: *In superiore qui habito cœnaculo. Sic perlepidè*, inquit, *jocatur pauper histrio, qui personam Jovis susceperat pro Amphitruone subditi. Se enim pauperculum dicit cœnacularium, qui habitet in superiore domus cœnaculo ad tegulas, non in inferiore in prima contignatione, sed in suprema.* Idem libro decimotertio, capite undecimo, *Homines Romæ mediocris fortunæ suarum ædium partem superiorem inquilinis locare solebant: imam sibi retinebant: sed & erant qui cœnaculariam faciebant.* Itaque pauperes cœnacula conducebant, cùm in suo non habitarent. Horatius:

> *Quid pauper? ride, cœnacula mutat.*

Prudentius: *Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus.*

Qui autem omnium tenuissimi erant, cœnacula tegulis proxima conducebant. Juvenalis:

> *Ultimus ardebit quem tegula sola tuetur*
> *A pluvia, molles ubi ponunt ova columbæ.*

Sueton. in Orbilio: *Namque jam persenex pauperem se, & habitare sub tegulis quodam scripto fatetur.* Et in Epigrammate de Valerio Catone grammatico:

> *Quem tres colliculi, & selibra farris,*
> *Racemi duo tegula sub una,*
> *Ad summam propriè nutriant senectam.*

Et Martialis: *Et scalis habito tribus, sed altis.*

significat

Significat enim in ultimo cœnaculo habitare sub tegulis. Græci verò contrà superiora domus, & alta penetralia sibi recipiebant, ad inferiora autem vestibula, & sub porticu (Homero teste) hospites divertebant: ut Alexander ab Alexandro tradit lib. 3. c. 14. *Cœnatiuncula* quoque diminutivum Plinio est locus cœnaticus. Item *cœnatio* Columellæ locus ad cœnandum aptus dicitur, qui in imo domus, & hortis potentiorum erat. Unde Juvenalis:

Cœnatiuncula. Cœnatio.

---- Et algentem rapiet cœnatio solem.

Sueton. in Nerone: *Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumageretur.* Sic Seneca epistol. lib. 4. testatur, antiquorum luxuriam versatilia cœnationum laquearia fecisse, & ita coagmentasse, ut subinde alia facies atque alia succederet, & toties succederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur. Hanc volunt esse inferiore in loco, ut cœnaculum in superiore.

Ædem ipsam (teste Isidoro) quidam *ab edendo* volunt nomen sumpsisse, secundùm illud Plauti:

Ædes undè dicta.

Si vocassem vos in ædem ad prandium:

Hinc & *ædificium* (addit idem) eò quòd prius fuerit ad edendum factum.

Ædificium.

Præterea cùm a Græcis, tum a Latinis, atque etiam Hebræis loca cœnatoria, sive cœnatica à lectis, in quibus olim discumbebatur, appellata fuerunt. Hinc ab Hebræis בית המטות *Beth hamithoth*, id est, *domus lectorum*, a Græcis τρικλίνιον, & τρίκλινος (scilicet οἶκος) à Latinis *triclinium*, locus convivialis dictus est, a tribus nimirum lectis, qui antiquitus sterni, sive à tribus mensis, quæ apponi a veteribus solebant. Cujus quidem Triclinii, & quidem antiquissimi Romani formam in domo Bruti de Valle Romæ depictam in tabula triangulari marmorea luculentissimè descripsit M. Gabriel Simeon in libello suo *antiquorum epitaphiorum.* *Legi alicubi* (inquit Philander in Vitruvium) *nec occurrit locus, apud antiquos tres mensas fuisse, unde & triclinium vocatum esset: primam domini & uxoris liberorumque, secundam hospitum, tertiam servorum, & domesticorum.* Ergo triclinium vel a tribus lectis discubitoriis, vel a tribus mensis, vel ab utroque dictum, ita ut stratori, & a poculis puero quartum mensæ latus esset liberum, ac reliquum. Hoc Cicero etiam *conclave* appellat. Nam Quintilianus (ut & Valerius Maximus) de loco ubi Simonides artem memoriæ traditur invenisse, *vix eo limen egresso* (inquit) *triclinium illud super convivas corruit.* Cicero eundem locum interpretans lib. 2. *de Orat.* non *triclinium*, sed *conclave* dixit. Propriè tamen *conclave* Terentio, Ciceroni (*conclavium* Plauto) appellatur etiam locus secretior, in penetralibus intimis domus (Græcè forsan ταμεῖον) in quo vel viri colloqui, vel mulieres confabulari solent, habetque clavem unam communem domesticis, nec est omnibus ad eum eundi potestas. Vitruvius: *In tricliniis autem, cæterisque conclavibus* (unde colligitur, *conclave* nomen esse generalius) *maximus est usus luminum: ab hoc conclavatæ res dicuntur, quæ sub eadem sunt clavi.* Triclinia veterum Paulus Jovius Novocomensis existimavit, non admodum fuisse diversa a monachorum staticorum tricliniis (quæ *refectoria* vocant, â reficiendo cibis corpore) ubi sternuntur mensæ tres, ad caput una, & ad latera duæ: tantùm hoc interesse, quòd illi in lecto sederent, hi autem nostri sedilibus utantur, testis Guil. Philander in Vitruvium. Dè tricliniorum magnitudine, vide plura apud Vitruvium lib. 6. cap. 5. *Triclinii quanta latitudo fuerit*, inquit ille, *bis tanta longitudo esse debet symmetrica ratione.* Isidorus: *Triclinium est cœnaculum, a tribus lectulis discumbentium dictum. Apud veteres enim in loco ubi convivii apparatus exponebatur, tres lectuli strati erant, in quibus discumbentes epulabantur.* Κλίνη *enim Græcè lectus vel accubitus, ex quo confectum est, ut triclinium diceretur.* Triclinia primò ærata, deinde argentea quoque Romanos habuisse, testis est Plinius lib. 6. cap. 5. Sic Philo de sui temporis luxu differens, ait: Τρίκλινα, ἢ περίκλινα χελώνης (sic Martial. *Hexaclinum testudineum* vocat) ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα, καὶ τιμαλφεστέρας ὕλης, ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα. His tamen in locis triclinia videntur esse tori discubitorii. Sed versatilia quoque luxus priscorum excogitavit triclinia, ut scilicet ita circumagerentur discumbentibus convivis, sicut horologia conspicimus versatilia: quorum meminit Vitruvius lib. 11. Hinc legimus Heliogabalum oppressisse in tricliniis versatilibus parasitos suos violis & floribus. Tales erant (teste Suetonio in ejus vita) Neronis cœnationes laqueatæ, *tabulis eburneis versatilibus compactæ, ut in versatione flores dispergerentur, & per fistulas unguenta fistulatim expressa effunderentur in subjectos convictores. Præcipua* (addit idem) *cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumagerentur*, hoc est (interprete Beroaldo) ut mundus æterna vertigine circumagitur: ita cœnatio versatilis continenter versabatur. Minimè prætereundum, quòd idem interpres ex Seneca de versatilibus laquearibus profert, ex lib. 14. Epist. quæ ad hanc rem maximè conducunt. *Hodie*, inquit, *utrum tandem sapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in immensam altitudinem hortum latentibus fistulis exprimat, qui euripos subito aquarum impetu implet, aut siccat, aut versatilia cœnationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, & toties tecta, quoties & fercula mutentur: an cum qui & aliis & sibi hoc monstrat, quàm nihil nobis natura durum ac difficile imperaverit.* Ex superioribus constat, *triclinium* bifariàm usurpari, aliquando pro cœnatione sive loco conviviali (sicuti jam dictum est, & Beroaldus in Annotationibus in Servium contrà Servium probat) aliquando pro lecto discubitorio. Ut Varro lib. *de re Rustica* 3. cap. 13. *Erat locus celsus, ubi triclinio posito cœnabamus.* Et lib. 1. cap. 58. *In quo quidem etiam triclinium sternere solent cœnandi causa.* Vitruvius lib. 7. cap. 10. *Uti faciliter meis tricliniis quatuor stratis, &c.* *Triclinium* (inquit Perot. in Cornucopia) *propriè instrumentum est, a quo locus ipse denominatur, & tres toros sive tres mensas ita habet conjunctas, ut transferri huc atque illuc possint.* Plinius, *Antiquissima æris gloria Deliaca fuit, mercatus in Delo celebrante toto orbe, & ideo cum officinis tricliniorum pedibus fulcrisque ibi*

Loca cœnatoria a lectis denominata. Triclinium. Tres mensæ. Triclinium conclave dictum. Conclave. Tricliniorum materia pretiosa. Triclinia versatilia. Triclinium modo pro loco conviviali, modò pro lecto discubitorio usurpatur. Triclinium propriè quid sit.

ibi prima nobilitas æris. Idem: *Nam triclinia ærata abacosque & monopodia Cn. Manlium Asia devicta, primum invenisse triumpho suo, quem duxit, anno quingentesimo sexagesimo septimo, Lucius Piso author est.* Idem: *Antias quidem refert, Luc. Crassum hæredem Lucii Crassi oratoris, multa etiam triclinia ærata vendidisse. Tricliniarium* idem quod *triclinium*, vel *quod ad triclinium pertinet.* Varro 1. *de re Rust. Quò elaborant ut spectent sua æstiva triclinaria ad frigus Orientis.* Plinius 19. *Quæ purpura quis jam non triclinaria facit. Tricliniaris* etiam adjectivum in usu est, pro quo alii *triclinaris* sive etiam *tricliniarius* dicere malunt. Ut *tricliniarius* minister qui in triclinio ministrat. *Lectos tricliniares* Plinius l. 37. quos Varro *triclinii lectos* vocat, cùm inquit: *Nemo facit triclinii lectos, nisi pares & materia & altitudine & figura.* Sic *triclinaria*, & *vestes triclinares* vocantur, *vestes domesticæ*, *quæ etiam cœnatoria*, & *vestes cœnatoriæ* atque *cibariæ* appellantur. Plinius similiter *triclinaria* Babylonica peristromata vocavit. Sic *mappas triclinarias*, & *pulvinos* Varro dixit. *In triclinio choa* apud Quintilianum, ænigmaticè dictum in bibacem arbitratur Cæl. Rhod. 29.

Domus a lectis nomen sortitæ. Alexander triclinium magnificentissimum habuit. Biclinium Plaut.

Porrò notandum domos antiquitùs ex lectorum convivialium sive discubitoriorum numero fuisse appellatas. Hinc Pollux lib. 6. cap. 5. & lib. 1. cap. 8. οἶκον τρίκλινον, πεντάκλινον, & ἐννεάκλινον, & δεκάκλινον appellat. Et apud eundem lib. 5. Callixenus scribit, ad proram navis Philopatoris fuisse οἶκον τεσσαρεσκαιδεκάκλινον: & lib. 12. οἶκος ἑκατοντάκλινος commemoratur, in qua Alexander nuptiale convivium celebravit, ubi suus cuique lectulus magnificè erat stratus. Antiphanes & Alexandrides τρίκλινον dixerunt, Phrynichus, ut est apud Athenæum lib. 2. ἑπτάκλινον νεάκλινον usurpavit. Huc quoque facit illud plutarchi Sympos. 5. qui divites illos dixit νεανιεύεσθαι, hoc est, *luxuriare*, seu *ineptire*, qui domos τριακοντακλίνους, id est, *triginta lectorum*, & ampliores ædificant. Plautus a duobus lectis *biclinium* formavit, ait enim:

Animadverte Mnesiloche, & tu Pistoclere, jam facile,
In biclinio cum amica sua uterque accubitum eatis.
Ita negotium est, atque ibi in lectis stratis potetis citò.

Hìc biclinii nomine quidam locum ipsum intelligunt, alii, quod Philandro, & Gesnero quoque verisimilius videtur, lectum in quo bini discumberent, accipere malunt. Martialis *Hexaclinon* appellat torum discubitorium, qui sex capiebat:

Et testudineum mensus quater Hexaclinum.

Omnino τρικλίνου vocabuli constat quintuplicem esse significationem. Nam & generatim pro quavis cœnatione, & pro certæ formæ & magnitudinis cœnatione, & pro lecto qui tres accumbentes capiat: & pro certa cujuslibet rei mensura, ut pellis, denique pro toto convivii in triclinio apparatu usurpatur, quemadmodum Gesnerus noster libro primo *de Quadrupedibus*, dum de heptaclino bona, si pelle, apud Arist. (Gaza *locum septem accubantium* vertit) diligenter inquirit, copiosè docet, quæ Gesneri πάρεργα ad hoc nostrum ἔργον maximè pertinent. Hæc de tricliniis.

Servius in illud Virgilii,

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria ----

Atrium. Mos antiquorum epulandi in atriis.

Tangit, inquit, *Romanorum historiam: nam (ut ait Cato) & in atrio, & duobus ferculis epulabantur antiqui. Est autem atrium ab atro colore nominatum, pars domus tanta, quanta fumo nigrescere potest.* Vitruvius, *In urbe*, inquit, *atria janui proxima esse debent, ruri a pseudourbanis statim peristylia.* Hinc (ut vult Lazius) Germanis nobis adhuc domus cum cohorte, *Aiter*, & decimæ inferiores, ein Ayter zehend nominantur. Luc. 12. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.* Hinc *atriarii servi*, sive *atrienses* Jurisconsultis dicti, qui in atrio serviebant, de quibus postea.

Basilica.

Basilica quoque cùm palatium aut integram domum (ut οἰκίαν subaudias) regiam aut regiæ similem propriè significet: aliqui ad partem domus, splendidiorem scilicet, transtulerunt. Qualem plerique hodie in diversis linguis recepto vocabulo, *sallam* appellant, sive corrupto a basilica nomine: sive a salutatione. Est enim Basilica, ut Sipontinus scribit, locus amplus, ubi a divitibus expectantur salutatores, & convivia fiunt maxima & saltationes & ludi. Posteriores ædem sacram privatim *Basilicam* nominarunt. Unde Isidorus, *Basilicæ prius vocabantur regum habitacula, unde & nomen habent.* Nunc autem ideo divina templa basilicæ nominantur, quia ibi Regi omnium Deo sacrificia & cultus offeruntur. Secundum Sipontini quoque interpretationem templa sic vocantur, quia ibi Deus salutatur, ibi convivia, ludi atque tripudia spiritualia celebrantur. Baptista quoque Albertus *Salas* a *saltando* putat dictas. Hæc de nominibus locorum convivialium generalioribus sint dicta. Nunc de eorundem differentiis variis dicatur.

Divisio locorum convivialium, de differentiis eorundem.

Est ergo primò locus, in quo homines epulantur, alius quidem publicus, alius verò privatus: unde ipsa quoque convivia, alia quidem sunt publica, quæ publicis in locis, alia privata, quæ privatis ferè in locis celebrantur. Deinde convivia fiunt, vel sub dio, vel sub tecto, sub tabernaculis, tentoriis, papilionibus: vel in urbe, vel in agro, in pomariis, pratis, hortis, nemoribus, &c. In festo Annæ Perennæ, teste Ovid. lib. 3. Fastorum:

Pars virides passim disjecta per herbas
Potat ----
Sub Jove pars durat, pauci tentoria ponunt.
Sunt quibus e ramis frondea facta casa est.

His

His similia sunt illa Tibulli lib. 2. *Eleg.* 5.

---- Pubes discumbet in herba
Arboris antiquæ, qua levis unda cadet.

In hortis etiam convivia, præcipuè verò festiviora atque celebriora, peragebantur. Sic in Philippicis Cicero: *Dat natalitia in hortis*, ubi de Marco Antonio loquitur. De hortorum amœnitate, & utilitate vide plura apud Benedictum Curtium lib. 6. *Hortorum.* In lucis veteres diebus sacris in deorum honorem epulari fuisse solitos, idem Benedictus Curtius testatur lib. 4. *Hortorum*, cap. 1. ex Servio in illa Virgilii *Æneid.* 11. In hortis. In lucis olim & sacrificatum & epulatum.

---- Ac lucos vocet hostia pinguis in altos.

Hinc ἄλσος πολύθυτον ab Euripide dictum, in quo multa fiunt sacrificia. De more veterum in nemoribus umbrosis juxta flumina amplissima, & in montibus excelsis sacrificandi epulandique passim multa in sacris & profanis literis videre licet. Unde Ezech. cap. 18. *Super montes non comedit*; quibus verbis indicat, justum virum non accumbere in epulis sacrificialibus idolorum, quæ in collibus & montibus potissimum agitabantur, ut etiam Lavaterus annotat. Hinc *Nemus* Isidorus vult dictum a *Numinibus* quia Pagani ibi idola constituebant. In patria mea in media urbe lucus est peramœnus, in quo sæpenumero diebus festis ludi atque epulæ celebrantur, quem Joannes Fabricius Montanus, Tigurinæ quondam Scholæ lumen clarissimum, suo libello de Coss. Tigurinis eleganter admodum hisce carminibus expressit. Lucus urbis Tigurinæ.

Lucus in urbe viret media, qui mœnibus altis
Altior, ad cœlum ramis frondentibus exit.
Vitiferos circa colles, infraque jacentes,
Pontemque, & vitreas aspectat desuper undas.
Area læta suprà, positæque ex ordine mensæ
Marmoreæ, vivoque excisa sedilia saxo.
Hìc lætis epulis soliti considere patres,
Et celebrare diem, morem si quando frequentat
Urbs patrium, priscosque suos instaurat honores.
Cætera pars juxta ludis vacat, atque theatris.
Illic se cursu exercet Tigurina juventus.
Ingentesque jacit lapides, & pondera trudit.
Elidunt arcus alii, contentaque rursus
Spicula componunt nervis, ictusque lacessunt.

Plutarchus 4. *Sympos. Problemat.* 4. statim ab initio meminit loci Eubœæ amœnissimi, qui *Calepsus* fuit dictus, thermis, aliisque voluptatibus referti: ac proinde multis cœnaculis atque conclavibus exædificati, ita ut communi totius Græciæ οἰκητηρίῳ, id est, *habitaculo* usurpetur. Ibi multa & terrestria capi animalia, & volucria, & non minus mare ἀγορὰν εὐτράπεζον, id est, *annonam mensæ commodam* suppeditare. Quamobrem multos illuc confluere, & colloquia atque convivia multa illic summa cum voluptate celebrare. Addit quoque ibidem & Cimonem olim multos omnis generis convivas amicè crebroque ad cœnam vocare fuisse solitum, & Celeum primum nobilium ac bonorum virorum instituisse καθημερινὴν σύνοδον, id est, *quotidianum conventum*, idque *Prytanæum* appellasse. Sed præ cæteris locis amœnissimis orbis terrarum plurimis sanè antiquorum monumentis celebrantur Thessala tempe, quæ olim Græcorum cœtibus atque conviviis summa cum hilaritate frequentari consueverunt. Hæc a Livio lib. 43. Ovidio lib. 1. *Metamor.* Plinio lib. 4. Æliano lib. 3. *de Varia historia*, elegantissimè describuntur. Ælianus descriptionem suam vel loco ipso, quem depingit, elegantiorem atque amœniorem, his verbis concludit: Πᾶς ὁ περίοικος λεὼς σύνεισιν ἄλλοι σὺν ἄλλοις, καὶ θύουσι, καὶ συνουσίας ποιοῦνται, καὶ συμπίνουσιν. τότε οὖν πολλῶν ὄντων τῶν θυόντων, καὶ τῶν καθαγιζόντων συνεχῶς, εἰκότως, καὶ τοῖς βαδίζουσι, καὶ τοῖς πλέουσι ὀσμαὶ συμπαρομαρτοῦσιν ἥδισαι. οὕτως ἄρα ἡ τιμὴ ἡ διαρκὴς, ἡ περὶ τὸ κρεῖττον ἐκθεοῖ τὸν τόπον: Hoc est, *Homines qui apud Peneum fluvium commorantur, frequenter inter se cœtus aliis atque aliis locis celebrant. Re divina sacrisque rite peractis, lepidissimè convivantur. Itaque cùm eorum, qui sacris dant operam, magna sit multitudo, minime mirum est, si ambulantium illic, eorumque qui in Peneo navigant, naribus suavissimus odor illabitur. Hunc in modum hic locus summis honoribus, divinisque muneribus est consecratus.* Calepsus. Thessala tempe.

Super lacus quoque aliquando (ut apud nos in lacu nostro Tigurino) convivia agitantur. Suetonius de Claudio Cæsare, *convivia agitavit & ampla & assidua, ac ferè patentissimis locis, ut plerunque sexcenti simul discumberent. Convivatus & super emissarium Fucini lacus, ac penè submersus, cùm emissa impetu aqua redundasset.* Idem tradit Cornelius Tacitus: *Quin* (inquit) *& convivium effluvio Fucini lacus appositum magna formidine cunctos affecit, quando vis aquarum prorumpens, convulsis ulterioribus, fragore & sonitu exterruit.* Plutarchus *Sympos.* lib. 4. *Probl.* 4. dicit: Olim ad oblectationem mutuam se invitantes, dicere fuisse solitos: *Hodie in acta cœnabimus*, eò quòd in littore cœnam, ut est, suavissimam esse sentiebant. Non quidem propter fluctus, aut lapillos, sed quòd copiosi ac recentes pisces cœnam sint instructuri. His adde, quòd aliquando & in ipso Rheno, & Tiguri in Limago, mensis sellisque positis, epulæ fuerunt agitatæ, aquis utriusque fluvii vi æstus diuturni attenuatis, ac planè exiccatis quibusdam in locis. Claudius Cæs. in Fucino lacu convivatus penè submersus est.

Locus item alius est sacer, seu consecratus, alius profanus, in illo sacræ, in hoc profanæ epulæ plerunque celebrantur. Tametsi nonnunquam sacræ epulæ in privatis atque profanis ædibus celebrabantur: ut olim sacrum illud Paschatis epulum singuli in suis ædibus celebrabant, & epulum, sive cœnam Dominicam olim etiam in privatis, & profanis ædibus Christiani agitarunt, cùm illis templa deessent. Sic contrà etiam profanæ epulæ in sacris ædibus olim fuerunt agitatæ, ut suprà de Agapis dictum est primitivæ Ecclesiæ. In propatulo nonnunquam, & in plateis homines cibum sumere solent. Equidem Ægyptii olim palàm, & extra sua tecta vescebantur, teste Mela, cùm dicerent, ea quæ sunt turpia, in occulto fieri debere, quæ honesta, in propatulo. Et apud Romanos olim (ut Macrobius libro 3. capite 16. Valerius Maximus libro 2. Gellius libro 12. capite 15. testantur) ad coërcendum conviviorum luxum imperari cœpit, ut in propatulo & patentibus januis pransitaretur, & cœnitaretur, ut sic oculis civium testibus factis, luxuriæ modus fieret. Sic Lycurgus quoque, teste Plutarcho, quò faciliùs conviviorum apparatus, & mensas lautiores ad mediocritatem frugalitatemque revocaret, instituit, ut ne quis in loco abdito, & clauso cibum sumeret, sed publicis omnes epulis in Phiditiis uterentur. Idem Justinus libro tertio his verbis testatur: *Convivari omnes publicè jussit, ne cujus divitiæ vel luxuria in occulto essent.* Idem plura tradit de Lacedæmoniorum moribus, legibus ac institutis. Diogenes cùm nonnulli illum carperent, quòd in foro comederet: *In foro*, inquit, *esurio.* Idem in foro prandens a circumstantibus canis appellatus: *Vos*, inquit, *canes estis, qui me prandentem circumstatis.* Sed nolo hîc omnes locorum convivialium differentias persequi, illud enim esset infinitum. Unum hoc tantùm addam, quòd ut olim, ita hodie quoque voluptatis animique ergò, non modò in locis, quæ arboribus sunt consita, ut in hortis, pomariis, lucis atque nemoribus, verumetiam suprà ipsas arbores, & sub illis, quæ patulis sunt diffusæ ramis, convivia agitantur. Plinius libro 12. capite 1. duo prodit exempla de platano (*quam arborem*, inquit idem, *quis non miretur umbræ tantùm gratia ex alieno petitam orbe?*) ad convivialem usum accommodata: *Una fuit clara in Lycia socia gelidi fontis amœnitate, itineri apposita, domicilii modo cava octoginta atque unius pedum, specu, nemoroso vertice, & se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinens umbris. Ac ne quid deesset speluncæ imagini, saxea intus crepidinis corona muscosos complexa pumices, tam digna miraculo, ut Licinius Mutianus ter Coss. & nuper provinciæ ejus legatus, prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodevicesimo comite, largè ipsa toros præbente fronde, ab omni flatu securum, optantem imbrium per folia crepitus, lætiorem quàm marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubuisse in eadem. Alius exemplum* (inquit idem auctor) *Caii principis, in Veliterno rure mirati unius tabulata, laxisque ramorum trabibus scamna patula, & in ea epulati, cùm ipse pars esset umbræ, quindecim convivarum, ac ministerii capace triclinio, quam cœnam appellavit idem nidum.* Hæc Plinius de platano, cujus arboris (ut idem testatur) commendatio non alia major est, quàm Solem æstate arcere, hyeme admittere: unde constat, illam epulantibus tam hyeme, quàm æstate commodissimum locum præbuisse. Unde Petronius Arbiter in *Satyr.*

Ægyptii in publico convivati sunt.
Romani palàm epulari soliti.
Lycurgi lex de conviviis in propatulo celebrandis.
Apophthegma Diogenis lepidissimum.
Convivia suprà arbores, & sub illis fiunt.
Platanus apta conviviis.
Laus Lyciæ platani apud Plinium.
Veliterna platanus.

Nobilis æstivas platanus diffuderat umbras.

Hinc platano tantùm honoris tributum, ut vino infuso nutriretur, compertum id maximè prodesse radicibus, quod primus excogitavit Hortensius, teste Plinio & Macrobio libro tertio *Saturnaliorum.* Paulinus: *Nam platanus*, inquit, *ramos expandit in umbras.* *Genialis* ab Ovidio dicta est, quasi voluptuosa, & ad delitias nata, quòd sub eis veteribus convivari mos esset. Hujus umbra in terra Lydia delectatus Xerxes, diem integram sub ea consumpsit, nulla postulante necessitate, castraque sua circa platanum in solitudine posuit. Eamque monili aureo tanquam pellicem donavit, & Macedonium quendam, ut munus illius ab ea aufferretur, delegavit, ut testis est Ælianus Apulegius in *Cosmographia.* Platani (ut ait Poëta) umbras potantibus ministrantes. Convivii in prato viridi sub platano (quæ ἀμφιλαφής τε καὶ σύσκιος appellatur, hoc est, ad opacandum locum patulis diffusa ramis) agitati, elegantem descriptionem habes in *Epistolis amatoriis* Aristæneti, Epistola secunda. Hinc etiam Virgilius quarto *Georgicorum*:

Xerxes umbra platani in Lydia delectatus est.

Jamque ministrantem platanum potantibus umbram.

Ex Homero: Cicero 1. *de Orat.* *Nam me hæc platanus admonuit, quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis*, &c. Idem de Divin. 2.

Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai.

Horatius lib. 2. *Carm. Od.* 2.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos, dum licet,
Assyriaque nardo, potamus uncti.

Gerbelius in sua *Græcia* ex Strabone tradit, juxta Pierium fluvium platanorum fuisse nemus adeò vetustate excavatarum, tantaque magnitudine, ut in ipsarum secessibus & convivia celebrare, & dormire etiam consueverint. Fertur etiam hæc arbor ea vi imbuta, ut venenata quæque arceat, ac serpentes longè abigat, adeò ut vespertilionibus adversetur, nec facilè sub ea nidulentur, ejusque umbram ferre sustineant. Unde mirum non est Ecclesiastici 24. ipsam sapientiam secundum nonnullorum opinionem, platano comparari: de quo vide Lev. Lem. in *Explic. herb. Bibl.* Jo. Michaël Brutus, cujus equidem hospitalitatem humanissimam, humanitatemque hospitalissimam Lugduni, cùm illac in Italiam transirem, expertus sum, in elegantissimis suis *Annot.* in Horat. elegantem platani, quæ nostris temporibus viget, descriptionem ponit, quam nolui

hic

hic silentio præterire. *Alit*, inquit, *hoc tempore longè pulcherrimam* (platanum) *Lopiliana villa Vincentius Malpitius Lucensis, nobilitate ille quidem, populari gratia, splendore familiæ, sed multò magis virtute, liberalitate, magnitudine animi clarus: latè enim diffusis ramis, fontem medium totum complectitur, qui miro artificio per tenuissimas fistulas, ingentem aquæ vim ejaculando, a summo, ab imo, a media parte subitò erumpentis, ejus rei imprudentes opprimit, magna cum astantium voluptate, quibus eorum, qui ita eluduntur, gratissimus error contingit.* Verùm non minus clara, & illustria arborum quarundam triclinarium, seu convivialium exempla extant in Helvetia nostra. Hujusmodi est Basileæ Sampetrea illa quercus, a Petro Ramo piæ memoriæ præceptore meo observando, orbis Christiani lumine clarissimo, celebrata & illustrata. *Hæc Martia*, inquit ille, *& annosa quercus, tiliam illam* (cujus similiter paulò ante mentionem fecerat) *vincit amplitudine. Brachia e trunco septem pedes alto circumquaque decem primaria deflectuntur, singulaque in alia deinceps bina, terna, quaterna, etiam quædam dissecta ramis per totam caveam infinitis expanduntur: columnæ ligneæ triplici ordine faciunt figuram primò sexangulam, deinde nonangulam, postremò sedecangulam.* Postea Lyciæ illius platani (cujus paulò antea facta est mentio) descriptionem ex Plinio subjicit, tandemque concludit: *Atqui Martia quercus fontis amœnitate, vel umbræ opacitate consimili etiam Imperatorem hospitem, & convivam meruit. Literis enim proditum est Imperatorem Fridericum cum filio Maximiliano anno 1474. umbra nostræ quercus tam patulis diffusæ ramis delectatum, sub ea cum toto imperiali comitatu cœnavisse, ut quantò major est Imperator consule, tanto Sampetrea quercus Lycia platano gloriosior habeatur.* Ejusdem descriptionem pulchram habes apud Christianum Urstisium in *Epitome historiæ Basiliensis* capite duodecimo. Ut ergo & Mariana illa Arpinatium quercus (cujus Cicero in principio libri primi *de Legibus* meminit) Marii Poëtæ versibus, & Lycia illa platanus Plinii monumentis celebrata: ita quoque Basiliensis ista quercus Rami illius aurei, semperque florentis illustrata eloquentiæ luminibus *manet semperque manebit*, & (ut Poëtæ illius verbis utar) *canescet seclis innumerabilibus.* Nam, ut verè eloquenterque Cicero inquit, *nullius agricolæ cultu stirps tam diuturna, quàm Poëtæ versu seminari potest.* Sic illæ quoque quercus Mamre Abrahami domicilio hospitioque, quo sub illis ipsum Deum, qui illi trium peregrinorum virorum specie apparuerat, humanissimè liberalissimeque excepit, celebres, ac divinis literarum monumentis celebratæ, perpetua omnium seculorum memoria vigebunt, licet illas jampridem tempestas vetustasque consumpserit. Gedeonem similiter legimus angelo illi, qui ei apparuerat, epulas sub quercu apposuisse, Jud. 6. Cui simile est illud apud Homerum Iλ. Σ.

Helvetia habet illustres conviviales arbores.

Sampetrea quercus Basiliensis.

Gen. 14.17.

Quercus Mamre.

Angelus sub quercu epulatur.

Κήρυκες δ᾽ ἀπάνευθεν ὑπὸ δρυῒ δαῖτα πένοντο.

Eustathius Iλ. ε. in illud: Εἷσαν ὑπ᾽ αἰγιόχοιο Διὸς περικαλλέϊ φηγῷ, id est, **Collocarunt** (Sarpedonem) *sub pulcherrima fago Jovis, &c. Veteres*, inquit, *quoniam Jovem sive aërem existimarunt vitæ esse auctorem, & etiam veterum cibus ex quercu fuit* (*unde quercus* φηγὸς, id est, *fagus dicta* παρὰ τὸ φαγεῖν, id est, *ab edendo*) *idcirco* φυτὸν ζωοτρόφον, *plantam illam vitæ alumnam Jovi ceu* ζωογόνῳ, id est, *vitæ datori, consecrant.* Erat autem etiam ante Trojam quercus Jovi sacra, unde Lycii Sarpedonem collocant sub quercu, non umbræ tantùm causa, verumetiam ceu sacro quodam in loco, ut etiam Apollinem in Apollinis adyto. Hinc quercus etiam περικαλλής, ἀμφιλαφὴς & ἀμφιθαλὴς a Poëtis dicta, quòd religio erat illam attingere, vel ex illa aliquid decerpere. De Helia prandente sub Rhamno, vide 3. Regum, capite decimo nono. Ut autem Basilea sua illa quercu plurimum gaudet, & delectatur: ita Tigurum, atque Schaphusium tilias habent amplas, & amœnas, quæ patulis diffusæ ramis, ac quaqua versum exporrectis, scenas, umbracula atque triclinia amœnissima præbent. Ac Schaphusiana quidem tilia tricliniaris octodecim circiter mensarum est capax, fontemque habet in medio ad pocula abluendum refrigerandumque, magnam admodum aquarum frigidissimarum vim profundentem. Tigurinæ verò duæ tiliæ admodum annosæ, anno 1571. 15. Kalendarum Mart. ex pristino loco, propter novi ædificii molitionem, in alium, triginta trium ferè pedum intervallo, tribus pueris eis insidentibus, funibus atque cochleis translatæ sunt, & quidem, id quod multis magnæ est admirationi, adhuc virent, vigentque ambæ. Cotys rex Thraciæ, qui omnes Thraciæ reges voluptatum studio superavit, circumibat regionem, & ubi videbat loca arboribus consitata & opaca, & aquis irrigua, illic construebat ἑστιατόρια, id est, *cœnacula.* Athenæus libro duodecimo. Ad hanc sub arboribus, & ad fontes (unde forsan *fontaneum* dictum vulgò pro populari festivitate, Germanicè Laubertag) epulandi consuetudinem jucunditatis plenam Horatius quoque alludit lib. 1. Od. 1.

Tiguri & Scaphusii perpulchræ tiliæ conviviales.

Est qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die,
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto,
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.

Et illa Virg. *Æneid.* 7. *Corpora sub ramis deponunt arboris altæ.*
Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas,
Subjiciunt epulis (sic Juppiter ipse monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.

Eodem videntur pertinere illa Mich. cap. 4. *Et sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam*, quibus genialis securitas atque tranquillitas exprimitur. Quinetiam, ut hoc quoque addam, habitasse quasdam gentes in arboribus legimus, ut Heptacometas Ponti populos, & alios, de quibus vide Zuinggeri *Theatrum* pag. 2569. Hæc de locorum convivialium differentiis.

De delectu loci convivialis habendo.

Est autem convivatori loci habendus delectus, ut nimirum is sit amœnus, salubris, clarus, & illustris, benè temperatus, neque nimis frigidus, neque nimis calidus: cùm uterque comedentibus sit noxius. Loci delectum Cordubensis princeps in suis *Canticis* edocet, quando tranquillum esse debere scribit, benè eventatum, & æstivo tempore frigidum, ne calor extraneus (inquit Averroes) naturalem debilitet. Sit is anni temporibus accommodatus, ita ut hyberno tempore sit calidus, æstivo frigidus: unde apud Romanos triclinia alia fuerunt æstiva, alia hyberna, ut testatur Varro libro septimo, *de Lingua Latina*, & libro primo capite decimo quarto, *de Re rustica*. Nunc contra ut villam urbanam quàm maximam ac politissimam habeant, dant operam, ac cum Metelli & Luculli villis pessimo Publico ædificatis certant, quò elaborant, ut spectent sua æstiva triclinaria ad frigus Orientis, hyberna ad Solem occidentem potiùs, quàm ut antiqui in quam partem cella vinaria, aut olearia fenestras haberet, cùm fructus in eo vinarius quærat, ut dolia aërem frigidiorem, item ut olearia calidiorem. Sic Amos tertio, ubi scriptum: *Percutiam domum hyemalem cum æstiva*, interpretantur nonnulli, triclinia æstiva & hyemalia, de quibus vide Casaubonum in Suetonium. Lycurgus Lacedæmoniis edicto statuit, ut hyeme ad focum, æstate in aprico discumberent, juxta illud:

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat, & mensæ credere adesse Deos.

Nimirum ne splendidiùs alter altero cœnitaret, etiam sine mensa. Athenis quoque vere interdum, & æstate sub Sole & dio cœnitare solebant. Unde Terentius in *Adelphis*: *Lectulos in Sole iligneis pedibus faciundos dedit, ubi potetis vos.*

Reges Persici æstate in Ecbatanis, hyeme in Susis agebant. Germanorum hypocausta. Situs optimæ domus.

Huc referri potest, quòd Persarum reges æstate in Ecbatanis, hyeme in Susis degebant, teste Athenæo & Leonic. libro tertio, cap. 93. Germanorum triclinia hyemalia sunt hypocausta, quas *Stubas* vocant, in quibus bibendo solent desudare. Huc facit, quod Aristoteles in genere præcipit de domo. Πρὸς εὐημερίαν, inquit, καὶ πρὸς ὑγείαν δεῖ εἶναι εὔπνουν μὲν τοῦ θέρους, εὐήλιον δὲ τοῦ χειμῶνος. Talia debent esse inprimis cœnacula, nimirum frigidiuscula atque perspirabilia in æstate, in hyeme verò aprica atque calidiora. Tota itaque domus versus Meridiem spectare debet, ut hyeme Solem recipiat, æstate umbram habeat.

Sorte olim convivii locus delectus est.

Sortitò quoque nonnunquam veteres convivii locum eligere fuisse solitos, ex illis Aristophanis versibus in Εκκλης. videtur posse colligi, quæ etiam a Suida citantur, in κληρωτήρια:

Τὰ δὲ κληρωτήρια ποῖ τρέψεις; Πρ. εἰς τὴν ἀγορὰν καταθήσω
Καταστήσασα παρ' ἁρμοδίῳ. κληρώσω πάντας ἕως ἂν
Εἰδὼς ὁ λαχὼν ἀπίῃ χαίρων ἐν ὁποίῳ γράμματι δειπνεῖ,
Καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ Βῆτ' ἐπὶ τὴν σοιὰν ἀκολουθεῖν
Τὴν βασίλειον δειπνήσοντας, τὸ δὲ θῆτ', ἐς τὴν παρὰ ταύτην.
Τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ', εἰς τὴν σοιὰν χωρεῖν τὴν ἀλφιτόπωλιν
Ἵνα κάμπτωσι. Βλ. μὰ Δί' ἀλλ' ἵνα κεῖ δειπνῶσιν. ὅτῳ δὲ τὸ γράμμα
Μὴ ἐξελκυσθῇ καθ' ὃ δειπνήσει, τούτους ἀπελῶσιν ἅπαντες.
Πρ. Ἀλλ' οὐκ ἔσται τοῦτο παρ' ἡμῖν.
Πᾶσι γὰρ ἄφθονα πάντα παρέξομεν,
Ὥστε μεθυσθεὶς αὐτῷ στεφάνῳ
Πᾶς τις ἄπεισι τὴν δᾷδα λαβών.

Id est, *Sortiones quò conferes? In foro deponam, sortrice juxta Harmodium constituta. Sortes omnium jaciam, donec is, cui sors obvenerit, lætus abeat, sciens in qua littera sit cænandum. Proclamabit præco: Quibus B evenerit sequantur in porticu regia cœnaturi. Quibus Θ in ea quæ est illi proxima capite censorum. Quibus K in porticu farinaria, ut se inflectant: imò (erravi) ut ibi cænent. Quorum verò littera prolata non fuerit, in qua cœnent, hos cæteri expellunt omnes. Sed apud nos ita fit. Omnibus enim abunde omnia suppeditabimus, ut unusquisque ebrius, cum ipsa corona face accepta abeat.*

Loca convivialia a nominibus deorum vocata. Apollo. Hermæum. Mammeæ diætæ. Jocus Martialis in divitem inhospitalem.

Observatu quoque dignum est, veteres solitos fuisse indere nomina cœnationibus & cubiculis a nominibus deorum, sicut Lucullus triclinium habebat nomine *Appollinem*, in quo lautiores cœnas parare solebat: unde illud celeberrimum est: *Cœnabitur in Apolline.* Sic *Hermæum*, quod diætam Suetonius in Claudio vocat, ab Herme, id est, Mercurio videtur dictum. Alexander Imperator Romanus fecit in Palatio diætas, nomine *Mammeas*, in honorem matris Mammeæ: quas vulgus imperitum postea *ad Mammam* vocitavit. Hac etiam tempestate in ædibus principum sunt cubicula varii nominis, ut aliud Psittaci, aliud *Pavonum*, aliud *Columbarum* vocitetur. A nominibus quoque divorum nominamus cubicula & cœnationes, ut Apostoli Pauli, Petri, &c. Hæc Beroaldus annotat in Suetonium. Non videtur etiam hîc silentio prætereundus jocus Martialis, quo perstringit quendam habentem ædes amœnas, cùm interim neminem in illas ad cœnam vocaret:

Daphnonas, platanos, ac aërias cyparissos,
Et non unius balnea solus habes,
Et tua centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.
Pulvereumque fugax hippodromon ungula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus ubique sonat.
Atria longa patent, sed nec cœnantibus usquam.
Nec somno locus est: quàm bene non habitas.

Ut

Ut autem qualitas, sic quantitas quoque loci consideranda: ut nimirum non sit nimis arctus & angustus, sed amplus & convivarum capax. Præterea locus convivalis non debet esse immundus & impurus, sed purgandus, mundandus atque everrendus est scopis & aliis instrumentis, secundum illud Juvenalis *Satyra* 14. De quantitate loci convivialis. Locus convivii purus esse debet.

> *Hospite venturo cessavit nemo tuorum.*
> *Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,*
> *Arida cùm tota descendat aranea tela.*
> *Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter,*
> *Vox domini fremit instantis, virgamque tenentis.*
> *Ergo miser trepidas ne stercore fœda canino*
> *Atria displiceant oculis venientis amici,*
> *Nec perfusa luto sit porticus, & tamen uno*
> *Semodio scobis hæc emendat servulus unus.*
> *Illud non agitas, ut sanctam filius omni*
> *Aspiciat sine labe domum vitioque carentem*, &c.

His verbis arguit illos Poëta, qui hospite venturo domum totam expurgant, non autem dant operam, ut eam filius sine labe & vitio carentem aspiciat. Hujusmodi munditiem cùm loci convivialis, tum vasorum & instrumentorum tricliniariorum Horatius quoque requirit *Satyr.* lib. 2. his verbis;

> *Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus*
> *Consistit sumptus? neglectis flagitium ingens*
> *Ten' lapides varios lutulenta radere palma,*
> *Et Tyrias dare circum illota toralia vestes.*

Hoc est (interprete Lambino) *danda est opera, ut pavimentum sit mundum, ut convivatori mapparum mundarum copia suppetat, quæ distribuantur convivis ad manus unctas tergendas, ut patinæ & cætera vasa defricata sint ac splendeant. Quantulus enim sumptus inest in scopis, mappis, scobe? certè minimus. Est autem scobes propriè pulvisculus, qui e lignis decidit, aut alia hujusmodi materia, cum scobina, id est, lima tenuatur, vel serra secatur. Per lapides autem varios* arbitrabatur *significari pavimenta marmorea versicolora* (nam pavimenta olim marmorea fieri solita quibusdam Ciceronis atque Catonis testimoniis probat) palmæ autem nomine scopam ex palma intelligit, secundum illud Martialis 14. Scobes. Pavimenta marmorea. Scopæ ex palma.

> *In pretio scopas testatur palma fuisse.*

Sic Leonidas ille apud Plautum in *Asinaria*:

> *Jussin' sceleste, ab janua hoc stercus auferri?*
> *Jussin' columnis dejicier operas aranearum?*
> *Jussine in splendorem dari bullas has foribus nostris?*

Sic apud eundem Ballio leno in *Pseudolo* ad lorarios servos:

> *Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes, habes quod facias, propera abi intro.*

Et paulò post:

> *Hæc cùm ego a foro revertor, facite ut offendam parata,*
> *Vorsa, præsterga, strata, lautaque, coctaque omnia uti sint.*
> *Nam mihi hodie natalis dies est, decet eum omnes vos concelebrare.*

Huc quoque alludit Apul. lib. 7. *Gnaviter*, inquit, *cuncta præministrat, verrit, sternit, coquit. &c.* Et Cato præcipit, ut villica villam versam mundamque habeat. Item in *Andromacha* Euripidis:

> Σαίρειν γε δῶμα ----
> Τοῦ μὲν ἐκ χρυσηλάτων τευχέων
> Περισπείρουσαν ἀχελώου δρόσον.

Hermione ait, oportuisse Andromacham inter alia servilia opera, domum quoque verrere conspersam aqua. Et Euryalus apud Homerum ad ancillas, Οδ. γ.

> ---- αἱ μὲν δῶμα κορήσατε, ποιπνύσασαι, (ποιπνύειν est πονεῖσθαι, μετὰ συνέσεως, Eustat. Ιλ. α. 121.
> Πάσσατέ τε.

id est, *Ædes verrite, purgate atque irrigate.*

Instrumenta porrò præcipua scopandis pavimentis, amovendis aranearum telis e parietibus laquearibusque, idonea sunt scopæ sive scopa in singulari numero, licet rariùs (Græce σάρωθρον, sive σάρωμα, κόρημα, sive κόρηθρον, ὄφελτρον, ὄφελμα, Heb. מטאטא *Matata*, Isa. 14.) quæ antiquitus ferè ex palma, hodie ex ulice, rusco, tamarice & id genus cæteris fruticibus confici solent. Non solùm autem scopæ ad mundiciem faciunt, sed etiam ne putrescentibus humidis vel siccis, pulices & muscæ impendiò molestæ nascantur, ex quibus solent provenire, ut testatur Aristoteles libro primo *de Animal. generat.* Unde *pulices* fortasse a *pulvere* appellati. Scopæ ipsæ quasi *scobæ*, quòd his purgamenta veluti scobem educimus. Hinc servi converritores *scoparii* dicti, & (quod sanè ridiculum fuit) Deverram Deam antiquitus venerabantur, ut benè scopis domum Scopæ. Scoparii. Deverra Dea.

domum verrere possent, auctor Varro, & S. Augustinus. Σάρος Græcè æditus, qui ædem converrit.

De ornatu loci convivialis.

Nec verò mundanda tantùm, & a sordibus repurganda, verumetiam ornanda sunt triclinia vestibus stragulis (quæ aulæa, vela, cortinæ, peripetasmata, peristrommata: nec non tapetes, sive tapeta, seu tapetia nominantur) spargendi flores, accendendi odores, exponenda vasa aurea, argentea, & alia quæ ad loci ornatum faciunt. Quo tempore enim usus cameræ ignorabatur, vela ad excipiendum pulverem, ne super mensas spargeretur, atque dapes simul conspurcaret & convivas, solita in tricliniis suspendi, atque ab Horatio *aulæa* vocata his carminibus designantur:

Pavimenta floribus constrata.

Interea suspensa graves aulæa ruinas
In patinam fecere trahentia pulveris atri:
Quantùm non Aquilo Campanis excitat agris.

Quem morem hodie Principes & Monachos servare compertum est: apud quos mensis sub quibusdam, velum tentoriis sericis parari sæpe videmus. Hoc memoriæ prodidit Varro: & idem apparet ex marmoreo Triclinio vetustissimo Patavii in ædibus Rhamnusianis, post Curiam urbis Præfecti, in vico Patriarchæ, ad Divi Petri. Hæc Mercurialis *de arte gymnast.* lib. 1. cap. 9. Porrò Triclinii ornatissimi & splendidissimi mentio fit Esther. 1. ubi magnificentissimum illud Assueri regis epulum, quod principibus suis dedit, describitur. Celebratum fuit in atrio horti palatii regis, quod quidem exornatum fuit aulæis candidis, carbasinis, & hyacinthinis, quæ suspensa erant funibus byssinis & purpureis, super arcus argenteos, qui innitebantur columnis marmoreis. Lecti erant aurei, & argentei super pavimento constrato lapide marmoris vario, & varicolore. Nazianzenus περὶ φιλοπτωχίας, *Oportet*, inquit, *nostrum pavimentum* εὐωδεῖν ἄνθεσιν, id est, *odoriferis tegi floribus, idque sæpius, & extra anni tempus: mensam autem unguentis, iisque fragrantissimis, ac diversissimis, quò magis effœminemur, inspergi.* Plutarchus lib. 1. *Symp. Prob.* 1. scribit veteres aqua verbenarum, adiantorumque succis imbuta solum rigare fuisse solitos, quòd hoc convivis εὐθυμίαν, καὶ εὐφροσύνην, id est, *hilaritatem comitatemque* conciliare putetur. Heliogabalus teste Lampridio, stravit & triclinia de rosa, & lectos ac porticus omni florum genere, liliis, violis, hyacinthis, & narcissis, & sic per ea deambulavit. Ælius quoque Spartianus de Ælio Vero Imp. *Jam illa*, inquit, *frequentantur a nonnullis, quod & accubationes ac mensas de rosis & liliis fecerit, & quidem purgatis*, &c. Idem testatur Crinitus lib. 18. cap. 4. & lib. 23. cap. 2. ubi Horatii, Lucretii, Plinii, Suetonii, & aliorum testimoniis probat, veteres consuevisse cùm scenas theatrales, tum mensas etiam, & triclinia croco variisque floribus spargere. Hinc etiam illud pervulgatum:

Triclinium Assueri ornatissimum.

Mos solum irrigandi verbenarum & adiantorum succis.

Pulpita solennes non oluere crocos.

Martialis lib. 1. *Et Cilices nimbis qui maduere suis.*

Id est, croco Cilicio, cui prima nobilitas. Spartianus in Hadriano: *In honorem Trajani balsama, & crocum per gradus theatri fluere jussit.* Seneca epist. 51. *Hodie utrum tandem sapientiorem putas, qui invenit, quemadmodum ad immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat? Crocum* hîc pro *Orcum* legendum monet Brodæus in *Miscell.* quo cum vino mixto theatra, ut Plinius tradit, replebant. Cùm quæstor Cajus Urbinus Metellum pium ad cœnam invitasset, ultra Romanum ac mortalium etiam morem curavit ædes aulæis, & insignibus exornari, scenis quoque ad ostentationem histrionum fabricatis. Simul croco sparsa humus, & alia in modum templi celeberrimi, testis Macrob. 3. *Saturnal.* cap. 13. Verres similiter cum regem Siciliæ ad cœnam vocasset, primò dicitur triclinium amplè magnificeque exornasse, exposuisse ea quibus abundabat plurima, ac pulcherrima vasa argentea. Cic. *Orat.* 6. in Verrem. Sic postea rex quoque cum Verrem vicissim ad cœnam vocasset, dicitur exposuisse suas copias, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro. Hæc autem collocabantur, ut etiamnum hodie fieri consuevit, in abacis, atque mensis certis. Unde Cic. in descriptione convivii, quod Dionysius Syracusanorum tyrannus Damocli jussit apparari, inter alia, *abacosque complures*, inquit, *ornavit argento auroque cælato.* Idem pro Muræna: *Quum Quintus Maximus Africani patrui sui nomine epulum populo Romano daret, rogatus est Quintus Tubero a Maximo, ut triclinium sterneret: cùm esset Tubero ejusdem Africani sororis filius. Atqui ille stravit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos, & exposuit vasa Samia.* Fuerunt olim vasa Samia in magno pretio, ut ex hoc Tibulli disticho constat, lib. 2. *Elegia* 3.

At tibi læta trahant Samiæ convivia testæ,
Fictaque cumana lubrica terra rota.

Ad hunc ædes in hospitum præsertim atque convivarum gratiam purgandi ornandique morem Christus quoque videtur alludere cap. 12. Matth. ubi spiritum immundum ejectum ex homine quando non reperit locum, in quo acquiescat, dicit ad priorem domum respicere, & si illam σχολάζοντα, σεσαρωμένον, καὶ κεκοσμημένον, id est, *vacantem, versam atque ornatam* repererit, assumptis septem aliis spiritibus se deterioribus in illam quasi postliminio intrare ibi habitandi gratia. Hæc Theophylactus de non baptisatis interpretatur, *in quibus non quærit spiritus*, inquit, *impurus requiem, prius enim illos in sua habet potestate, quasi scilicet istud jam domicilium fastidiat, requirit igitur baptizatos. Liberati autem a dæmoniis, si deinde securi & otiosi atque desides sint, & ita habitationem præparatam & excultam hospiti illi præbeant, multò deinceps deteriore sunt conditione, & est difficilior & operosior liberatio.* Videntur etiam his ipsis Christi verbis illi perstringi, qui ut in corporibus, ita etiam in ædibus suis purgandis exornandisque multum operæ sumptusque collocant, interim verò non dant operam ut sui potiùs & illorum, quorum curam gerere debent, animi a vitiorum sordibus repurgentur, & contra virtutibus exornentur. Unde rectè sapienterque Epictetus: *Ne tabulis & picturis*, inquit, *domum tuam exorna, sed temperantia ipsam depinge. Illud enim alienum est, & oculorum modò* θέλκτρον γοητεία id est, *jucundæ*

Nota.

præsti-

præſtigiæ. Hoc verò σύμφυτ☉ ϗ ἀνεξάλειπτ☉, ϗ ἀίδι☉ οἰκίας κόσμ☉, *genuinus, indelebilis & æternus domus ornatus.* Eodem pertinet aliud ejuſdem dictum, *operam quidem dare ut domus incruſtata gypſo albedine ſua reſplendens in admirationem ſpectantes trahat, hominis eſt imperiti: Ingenium verò commoda familiaritate exornare, honeſtatis humanitatisque ſtudium teſtatur.* Colophonis loco operæ pretium fuerit addere, quæ Valeriola lib. 2. cap. 6. hac eadem de re eleganter ſanè differit his verbis: *Finem præparationi ciborum faciam, ſi id tantùm addidero, quod a Galeno proditum eſt: Munda eſſe debere omnia, quæ ad rem eſcariam pertinent, nitida, culta, probè apparata & ſuo ordine poſita. Hæc enim ad appetentiam excitandam tum ſanis tum ægris plurimùm faciunt. Itaque pro tempore anni paranda menſa, hyeme locis clauſis & calidis, æſtate frigidis & apertis, vere in triclinium, & menſam ſternantur flores, hyeme ſuffitus odoriferi, æſtate pavimentum frondibus odoriferis ſternatur. Autumno odorati fructus a laquearibus pendeant, albæ ſint mappæ, candida mantilia, vaſa tum potoria tum eſcaria pellucida, nitida atque ſitu deterſa. Cultros habeat menſa minimè hebetes, terſos & acie prolixa & cote exacuata. Salino niteat bene inſtructa menſa. Lautities enim hæc & nitor reſidentem etiam appetentiam exuſcitat & concoctioni prodeſt: quòd avidiùs & majore cum voluptate ſic apparata ſumantur.* Et hæc ſint dicta de loci convivialis differentiis, delectu, purgatione atque exornatione.

CAPUT XV.

DE SVPELLECTILI, ET VASIS INSTRVMENTISQVE CONVIVIALIBVS, EORVNDEM CVRA, CVSTODIA, DISPOSITIONE, VSV ET ABVSV.

Nunc de ſupellectile & vaſis inſtrumentiſque convivialibus dicendum, quorum ſimiliter cura eſt convivatori ſuſcipienda. Nam quemadmodum ad omnes actiones apta & idonea requiruntur inſtrumenta: ita ad hanc quoque honeſtam utilemque actionem, hoc eſt, ad convivia, quis dubitet, quin vaſa inſtrumentaque maximè commoda & idonea requirantur? Sunt autem illa varia & multiplicia, quorum alia quidem ſeſſioni ſeu accubationi, alia manuum pedumque ablutioni, alia luminibus, alia cibis vel coquendis, vel diſſecandis vel diſtribuendis, vel apponendis, vel ſumendis, vel recondendis, alia poculentis inſerviunt, alia denique alium atque alium uſum habent. Verùm infinitum eſſet ſingula hujuſmodi vaſorum, & inſtrumentorum genera perſequi, de quibus Pollux, Bayſius & alii ſcripſerunt. Mihi quidem propoſitum eſt, cùm de maximè neceſſariis & utilibus, ſuis in locis dicere, tum hoc in loco generatim quædam de ſupellectilis domeſticæ, ac præcipuè convivialis uſu & abuſu in medium proponere, exordio ducto a nominibus. *De ſupellectili & vaſis convivialibus.*

כלים *Celim* Hebraicè dicuntur omnis generis vaſa, inſtrumenta, ſuppellex, utenſilia, ad quemcunque hominum uſum comparata. Græcè σκεύη, ἄρμενα, ἐργαλεῖα vocantur. Homero familiaria ſunt duo nomina συνώνυμα, quæ cùm militaria, tum in genere quævis vaſa, & inſtrumenta ſignificant. Ea ſunt ὅπλα, inquit Euſt. Ιλ. λ. 766. ȣ̓ τὰ πολεμικὰ μόνον, ἀλλὰ ϗ τὰ παντὸς ἔργȣ, ϗ ἁπάσης τέχνης ὄργανα. Et Ιλ. Δ. p. 364. ὅπλα πάσης τέχνης ἐργαλεῖα, unde ὁπλίζεσθαι τὸ εἰς ἔργον ἑτοιμάζεσθαι, item σκευάζειν: & ὁπλότεροι ȣ̓ μόνον οἱ νεώτεροι, ἀλλὰ μάλιςα οἱ μαχικοὶ, ϗ ὅπλα φέρειν δυνάμενοι. ἔτι ἢ ϗ οἱ καλῶς ἐργατικοὶ, ϗ εὐεργεῖς. Sic ἔντεα, teſte eodem, Ιλ. Ε. τὰ ἁπλῶς ὅπλα τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔργων, ἤτοι ὄργανα. Unde ἐντύνειν idem quod εὐπρεπίζειν. Et Athenæus libro quinto in illum locum Homeri: *Nomina vaſorum. ὅπλα. ἔντεα.*

Ἀμφίπολοι δ᾽ ἀπεκόσμεον ἔντεα δαιτός.

Δῆλον, inquit, ὡς τὰ ἀγγεῖα, ϗ γὰρ τῶν ὅπλων τὰ σκευαςικὰ θώρηκα, ϗ κνημῖδας, ϗ τὰ τȣ́τοις ἐμφερῆ λέγȣσιν ἔντη, καθάπερ αἴτια τῶν τȣ̃ σώματ☉ μερῶν ὄντα. Grammatici ἔντεα ἀπὸ τȣ̃ ἐντ☉ περιέχειν, ϗ σκέπειν τὸ σῶμα volunt eſſe dicta.

Ut autem & Hebraicè *Chelim*, & Græcè ὅπλα, & ἔντεα cùm militaria, tum alia quævis vaſa & inſtrumenta ſignificat: ſic a Latinis vox *arma* ſimiliter uſurpatur, & pro bellicis, & pro quarumvis artium inſtrumentis. Unde *arma cerealia, ruſtica* & *nautica* Virgilio, *coquinaria* Plauto, *tonſoria* Martiali dicta. Eadem *utenſilia* quoque ab uſu, & *ſupellex*, ſive (ut veteres, teſte Feſto, vocarunt) *ſupellectilis* appellatur, quam Juriſconſulti domeſticum patrisfamiliâs inſtrumentum definiunt. Hinc *ſuppellecticarii* ſervi ab iiſdem eleganter dicuntur, qui ſunt in ſupellectile: item qui ſupellectilem curant, & etiam qui eam faciunt. *Supellectilis* nomen μεταφορικῶς a Sidonio videtur pro penu, ſeu cibariis uſurpari, cùm inquit, *medullica ſupellectilis epulones*, &c. Verùm ea, quæ propriè conviviis inſerviunt, σκεύη συμποτικὰ, & μαγειρικὰ, ὅπλα ſive ἔντεα δαιτὸς Homero, ὄργανα θοινητικὰ Xenophonti, Latinè *ſupellex, arma, utenſilia, vaſa*, ſeu *inſtrumenta convivialia*, ſive *epularia, inſtrumenta ad epulationem* a Cicerone apud Columellam nominantur. *Arma. Utenſilia. Supellex. Supellecticarii ſervi.*

Ἐπιτραπέζια quoque omnibus menſis apta (ut ſunt vaſcula potoria & eſcaria) vocantur. Unde Papinus in *Sylvis* Vindicis poculum Epitrapezion celebrat, cujus Martialis quoque meminit. Euſtathius Οδ. Α. *Manifeſtum, inquit, eſt etiam hodie quaſdam gentes, & quidem principes earum gaudere vaſis ligneis*, quæ & κάνεα, & τραπεζώματα appellantur. Hæc de nominibus. *Ἐπιτραπέζια.*

Quoad ipſam rem, ut omnibus in rebus, ſic hac quoque in parte adhibendus eſt modus, & ad mediocritatem revocandus, eademque mediocritas ad neceſſarium honeſtumque vitæ uſum cultumque referenda. *Modus tenendus in vaſis, & ſupellectili.*

Huc

Clementis Alexandrini sententia de vitando luxu supellectilis.

Huc facit Clementis Alexandrini sententia libro secundo *Pædag.* capite tertio, qui & alimenta, & vestes, & vasa atque supellectilem, & quæcunque in domo sunt, ipsam denique vitam dicit rectæ Christiani hominis institutioni debere esse consentaneam, prout conducibile fuerit, accommodatam personæ, ætati, studio, tempori. Eodem in loco pluribus docet, cur πολυτέλεια σκευῶν, id est, *vasorum magnificentia* non nimis sit studendum, quæ quidem partim in eorum numero atque copia immoderata, & supervacanea, partim in materia nimis pretiosa, partim denique in formis exquisitis nimium, & elaboratis, ac proinde sumptuosis consistit.

Ac primùm quidem poculorum (idem de aliis quoque vasis intelligendum) aureorum, argenteorum atque gemmatorum usum dicit esse inutilem, & ὄψεως solùm esse ἀπάτην, id est, ad oculos inani spectaculo pascendum atque fallendum pertinere. Deinde hujusmodi vasa εἰς διακονίαν τροφῆς, id est, *ad cibi ministerium* pertinentia, si nimis sint pretiosa, scitè admodum vereque adpellat ἀπειροκάλου τρυφῆς τεκμήρια, φθόνου & βλακείας ἐπίβουλα πλεονεκτήματα, hoc est, *divitiarum insolentium argumenta*, invidiæ, mollisque ignaviæ incommoda. Ac in genere omnium hujusmodi opum atque bonorum possessionem non magnifaciendam, sed fugiendam potiùs esse Pauli 1. Cor. 7. Christi Matth. 19. atque Baruch. cap. 3. testimoniis probat. *Sequere*, inquit, *Deum nudus ab arrogantia, nudus a pompa momentanea, id quod tuum est, quod bonum, quod auferri non potest, nempe fidem in Deum, beneficentiam in homines, atque confessionem veram possidens, quæ quidem* κτῆμα *sunt* τιμιώτατον, hoc est, *possessio pretiosissima.* Ac quoniam opes divitiasque ostentandi gratia plerunque homines hujusmodi supellectilis, atque vasorum luxuriæ student, eleganter sanè τὸν πλοῦτον οὐκ ὀρθῶς κυβερνώμενον τῆς κακίας ἀκρόπολιν, id est, *opulentiam non benè administratam vitiorum arcem* appellat, φιλαργυρίαν item, ut Paulus radicem, sic ille ἀκρόπολιν τῆς κακίας vocat. Contrà πλοῦτος ἄριστος (ut idem verissimè inquit) est ἡ τῶν ἐπιθυμιῶν πενία, id est, *veræ divitiæ sunt cupiditatum paupertas*, *& inopia*, καὶ ἡ μεγαλοφροσύνη ἡ ἀληθὴς οὐ τὸ ἐπὶ πλούτῳ μεγαλοφρονεῖν, τούτου δὲ καταφρονεῖν, id est, *vera animi magnitudo est*, *non divitiis efferri*, *& magnos sibi sumere spiritus*, *sed illas contemnere.* Itaque stultum esse ait, de supellectilis & vasorum magnificentia gloriari, quæ quivis sibi pecunia è foro comparare possit: inprimis usum esse in vasis spectandum: nam eorum μέτρον, id est *modum* esse χρείαν, οὐ πολυτέλειαν, id est, *usum*, *non sumptum atque magnificentiam.* Nam quemadmodum in agricultura ligonem, aratrum atque falcem non auream & argenteam, sed aptam ad opus efficiendum quærimus: ita quoque vasa domestica nobis esse comparanda non sumptuosa atque magnifica, sed utilia & idonea ad opus: id quod probat argumento ducto ab enumeratione quorundam instrumentorum, quibus, etiamsi vili constent materia, tamen benè & commodè quævis effici possint, quàm si ex pretiosissima materia essent conflata. Tertullianus quoque in lib. *de habitu muliebri*, graviter invehitur in hunc

Utensilitas. Vasa escaria, & potoria ex ære.

Utensilitatis (ut ipse vocat) id est, utensilium luxum. Inter alia inquit, *& annuli ferro fiunt, quædam esui & potui vascula ex ære adhuc servat memoria antiquitatis. Viderit si etiam ad spurca instrumenta auri, & argenti demens copia deservit.* Platonis adhæc testimonium adducit, qui minimè laborandum esse dicit, ut opes aureas, & argenteas habeamus, atque vasa inutilia, quæ non cum usu necessario sint conjuncta, ac quorum unumquodque non ad multos usus accommodari possit, contrà πολυχρημοσύνην, id est, *multorum vasorum possessionem* esse rejiciendam. Quod autem ille de Platone dicit, idem de aliis quoque cùm gentibus, tum personis quibusdam illustribus affirmari potest, quæ in vasis atque supellectili frugalitati potiùs, quàm magnificentiæ atque luxuriæ studendum esse existimarunt.

Veterum frugalitas in utensilibus.

Athenæus lib. 6. & 11. cap. 6. multa de antiquorum cùm frugalitate in vasis sacris atque profanis, tum luxu differens, inter alia testatur, vasa, anathemata atque donaria ferè ærea in antiquis templis fuisse reperta. Argis olim in publicis conviviis, Lacedæmone verò in festis, ac in virginum nuptiis victoriisque, ex fictilibus poculis bibere consuevisse: in Phiditiis autem aliisque Symposiis ex doliolis fictilibus: & addit sententiam memorabilem. *Natura*, inquit, *auri & argenti venas fecit subterraneas, earumque* ἐργασίαν *fecit* πολύπονον, καὶ χαλεπὴν, *ut illorum studiosi magnis cum laboribus sibi illa comparare cogerentur.* Deinde addit, Ἀλλ᾽ οὐχ οἱ μεταλλεύοντες μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ τὰ μεταλλευθέντα συναγείροντες, μυρίοις μόχθοις θηρεύουσι τὴν περίβλεπτον ταύτην πολυκτησίαν, hoc est, *non modò qui illa effodiunt*, *sed etiam qui illa jam effossa colligunt atque coacervant, illorum possessionem infinitis laboribus venantur.* Equidem Romani antiquitùs vasis & paucis & ex vili materia confectis, fuerunt contenti. M. Curius Dentatus cùm interversæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium protulit, juravitque se nihil amplius de præda hostili in domum suam convertisse, testis est Plinius lib. *de viris illustribus.* Quàm paucis hodie ducibus, seu capitaneis Christianis hujusmodi facere jusjurandum liceret? Catus Ælius, cùm legati Ætolorum in consulatu prandentem in fictilibus adissent, missa ab his vasa argentea non accepit, neque aliud habuit argenti ad supremum vitæ diem, quàm duo pocula, quæ L. Paulus socer ei ob virtutem devicto Perseo rege donavit, Plin. lib. 35. cap. 11. Sic Ptolemæus Lagi F. apud amicos cœnitare assuetus, sæpe etiam dormire, si quandoque illis reponeret, vasa commodato ab eisdem sumere non verebatur: stragula item, ac id genus alia plura: quod ipse in domestica suppellectile nil admodum præter necessaria haberet. Cælius lib. 20. cap. 24. *Antiq. Lect.* ex Plutarcho. Confer cum hac Cati Ælii continentia Christianorum ducum δωροδοκίαν & luxuriam, ac magnam sanè dissimilitudinem reperies. Et ut tantus imperator non nisi duo pocula aurea possedisse dicitur: ita hodie nullus ferè est operarius tam vilis & abjectus, qui non plura possideat. *Invenimus* (inquit idem auctor) *legatos Carthaginensium dixisse, nullos homines benigniùs inter se vivere, quàm Romanos: eodem enim argento apud omnes cœnitavisse seipsos.*

Nota. Nota. Nota. Romanorum veterum frugalitas in vasis. Cadus ligneus ad sacrificia.

C. Fabricius censor, ne Imperatores quidem bellicosos plus quàm pateram & salinum ex argento habere vetuit,

vetuit, & ut milites vasis ligneis tantùm uterentur edixit, testis est Plinius libro 33. capite 12. & Alexander ab Alexandro libro 2. capite 29. ex Plutarcho. Marci quoque Catonis superioris, qui Celtiberos Hispaniæ populos, robur provinciæ, secundis præliis fregit, cùm totam illam provinciam administraret, pellibus hœdinis pro tapetis usus est, teste Valerio Maximo libro quarto, capite tertio. Publium Cornelium Rufinum, a quo Lucius Sylla dictator originem duxit, strenuum ducem, bis consulem, & dictatura functum Plutarchus, Gellius, & Valerius motum Senatu narrant, a Censoribus Cajo Fabricio Lucino, Quinto Æmilio Papo, quòd eum comperissent argenti facti, id est, vasorum argenteorum (sic enim Quintus Maximus, ut ait Ulpianus, definit) decem pondo haberet. Ejusdem frugalitatis Romanorum veterum in supellectili vasisque domesticis, Marius quoque auctor est in oratione sua apud Sallustium: *Ex parente*, inquit, *meo & aliis sanctis viris ita accepi: Munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriæ quàm divitiarum esse: arma, non supellectilem decori esse.* Item Cicero pro Lucio Flacco, *Hæc ratio*, inquit, *ac magnitudo animorum majoribus nostris fuit, ut cùm privatis in rebus suisque sumptibus minime contenti, tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. Quæritur enim in re domestica continentiæ laus, in publica dignitas.* Celsus quoque Jurisconsultus ait, veteres aut fictili, aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique supellectile fuisse usos, nunc ex ebore, aut testudine atque argento, jam ex auro etiam atque gemmis supellectili utuntur. De veterum Romanorum frugalitate in supellectile vide Juvenalem Satyra undecima, docet illos arma potiùs, quàm supellectilem ornata habuisse:

C. Fabricii & in gente Rom. priscorum in supellectili frugalitas.

Tales ergò cibi, qualis domus atque supellex.

Id est, ut domus & supellex fuit tenuis & frugalis, ita etiam cibi. Hæc fuit priscorum Romanorum cùm in universa vita, tum in supellectili atque vasis domesticis frugalitas, quæ post devictam Asiam in extremam desperatamque luxuriam fuit conversa, ut multis exemplis Plinius probat lib. 33. cap. 11. Id testantur vasa coquinaria ex argento, lecti aurei & argentei, triclinia argentea, aliaque vasa, lances pretiosissimæ, quorum ibidem mentionem facit. *Asia*, inquit Plinius, *primùm devicta misit luxuriam in Italiam. Siquidem Lucius Scipio transtulit in Triumphum argenti cœlati pondo millia quadringenta L. & vasorum aureorum pondo C. millia, anno conditæ urbis 565. Eadem Asia domita multò etiam gravius afflixit mores*, &c. Jam verò Romanorum Imperatorum, præsertim Tiberii, Neronis, Vitellii, Heliogabali, quàm monstrosa fuerit hac in parte luxuria, Suetonius, Plinius, Lampridius, & alii historici abundè testantur. De Heliogabali vasis centenariis argenteis, nec non mensis, capsis, cacabis argenteis, vide Ælium Lampridium, & Crinitum lib. 14. cap. 6. Idem ventris onus auro excepit, in myrrhinis & onychiis minxit. Drusillanus quoque Rotundus Claudii Imperatoris servus, dispensator Hispaniæ citerioris, lancem quinquagenariam habuit argenteam, cui fabricandæ officina prius exædificata fuerat, & comites ejus octingentas quinquaginta octo librarum. *Quare quæso? nisi ut quàm multi eas conservi inferrent. Aut quibus cœnantibus?* inquit Plin. lib. 33. cap. 11. Augustus tamen, teste Suetonio in ejus vita, supellectili tenui fuit contentus, cujus hæc sunt verba: *Instrumenti ejus, & supellectilis parsimonia apparet etiam nunc residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ sunt. Ne toro quidem cubuisse ajunt, nisi humili, & modico instrato, non valdè pretiosis stragulis ornato.* Idem tamen, ut Suetonius similiter testatur (sed falsò) in adolescentia notatus est, & ut pretiosæ supellectilis, Corinthiorumque præcupidus, & aleæ indulgens. (Corinthia vasa dicta sunt a materia, quæ Corintho Achaiæ urbe a Romanis incensa ex variis metallis fuit conflata.) Hinc proscriptionis tempus ad statuam ejus ascriptum est: *Pater argentarius, ego Corinthiarius*, quum existimaretur quosdam propter vasa Corinthia inter proscriptos curasse referendos. Tiberius quoque Cæsar, teste Suetonio, Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse graviter conquestus, adhibendum supellectili modum censuit. Tacitus lib. 2. sic scribit: *Proximo Senatus die multa in luxum civitatis dicta a Quinto Haterio Consulari, Octavio Frontone prætura functo: decretum, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis serica viros fœdaret. Excessit Fronto, ac postulavit modum argento, supellectili, familiæ*, &c. Alexander quoque Severus, teste Lampridio, in convivio aurum nescit, pocula mediocria, sed nitida semper habuit. Sardolybies olim aliud vas, aut instrumentum non possidebant, præter calicem, cultrum, & gladium, ut testis est Nicolaus *de moribus gentium*, & Stob. serm. 42. & Athen. lib. 11. Nostris temporibus Turcæ parva, exigua atque vili supellectili sunt contenti. Contrà Sybaritarum olim maximus fuit luxus, qui primi amidas excogitarunt, id est, matulas, quas conviviis intulisse Græci gaudebant, teste Athen. lib. 1. Persas scribit Xenophon lib. 8. de disciplina, maximè gloriari fuisse solitos, si plura haberent pocula, nec eos pudebat ea sibi injustè comparasse, cùm apud eos injuriarum turpisque lucri studium maximè vigeret.

Asia devicta luxuria Romam occupavit.

Heliogabali luxuria.

Lanx argentea quinquagenaria Drusillani.

Augustus imp. tenui supellectili contentus fuit.

TiberiiCæs. frugalitas.

Alexandri Severi parsimonia.

Sardolybies.

Turcarum parsimonia.

Sybaritarum & Persarum luxuria.

Hodie apud Christianos reperiuntur quàm plurimi Persarum illorum similes, qui per fas & nefas supellectilem suam augere atque ornare student, nec id sibi vitio, sed laudi potius vertendum existimant. Nec opus sanè est plura ex antiquis historiis hujusmodi luxuriæ exempla depromere, cùm perdita hæc nostra tempora exemplorum ejusmodi sint plenissima. Nam ut nihil de barbaris nationibus loquar, Christiani hodie insano quodam supellectilis augendæ & exornandæ studio flagrant, cum summo rei familiaris incommodo ac detrimento. Nam quas pecunias in usus necessarios conferre oportebat, eas profundunt in supellectilem atque vasa, quæ innumeris modis vitiari, corrumpi, auferri, surripi, amitti denique possunt. Sunt namque illa furtis, incendiis, improborum negligentumque famulorum atque famularum infinitis injuriis atque periculis exposita. Magna itaque illorum stultitia (quod mulierum maximè commune est vitium) qui tantos in fragilibus atque caducis illis fortunæ ludibriis sumptus faciunt. Ut nihil dicam de illis, qui bellis injustis atque rapinis, fœnoribus, judiciorum corruptelis atque aliis injustis rationibus sibi hujusmodi vasa com-

Christianorum luxuria in supellectili.

Nota.

comparant, ac proinde iram, atque furorem divinum adversus se irritant. Itaque illa vasa licet auro, argento, ebore, gemmis constent atque fulgeant, tamen sanguinea verè appellare possumus, & iræ divinæ instrumenta, *quibus vix tertius*, ut ille ait, *hæres gaudet*. Tandem, ut sæpenumero fit, lautæ & copiosæ hujusmodi supellectiles sive injustis, sive etiam justis rationibus comparatæ, cum summo etiam demortuorum, totiusque familiæ dedecore & ignominia in publicis auctionibus divenduntur atque distrahuntur, & in alienorum, sæpe etiam inimicorum manus perveniunt.

Veteres in re divina tenui usi fuerunt supellectili. Vasa lignea atque fictilia.

In sacrificiis porrò sacrisque epulis, ethnicos veteres vilibus admodum vasis usos fuisse legimus. Varro lib. 4. antiquorum vasa in sacris lignea atque fictilia fuisse scribit. *Harum capedinum* (sive *capularum a capiendo* dictarum) *inquit*, *figuras*, *in vasis sacris ligneas*, *& fictiles antiquas etiam nunc videmus*. Hinc Cicero in *Paradoxis*, *Quid autem*, inquit, *Numa Pompilius? Minusne gratas diis immortalibus capedines, & fictiles urnulas, quàm filicatas aliorum pateras arbitramur?* Capedo vasis erat genus in sacrificiis usitatum, a *capiendo* dictum, quia multi liquoris capax erat, sive, ut vult Varro, quòd ansatæ, ut prehendi possent, id est, *capi*. *Filicatas* autem (pro quo aliqui *delicatas* legunt) pateras appellat, quæ extrinsecus filicis imagine cælatæ erant. Idem in libris *de Repub. Quæ sunt*, inquit, *imperia Pontificum Diis immortalibus grata sine Samiis?*

Samia vasa.

Vasa *Samia* hic intelligit, quæ etiam *capedines*, & *capeduncula* appellantur, de quibus vide plura apud Crinitum lib. 22. cap. 10. Idem lib. 2. *De Leg. Ad divos adeunto castè, pietatem adhibento, opes amovento.* Item: *aurum & argentum in urbibus, & privatum in prophanis invidiosa res est.* Plinius lib. 35. cap. 12. *In sacris quidem etiam inter has opes*, inquit, *non mirrhynis, crystallinis, sed fictilibus prolibatur sympulis innocentius, templorum quoque fastigia fictilibus ornabantur.*

Sympula fictilia.

Idem sentit Apulejus. Suprà dictum est M. Curium Dentatum cado ligneo ad sacrificia usum fuisse, teste Plin. de viris illustribus. Porphyrius διὰ τοῦτο καὶ τοῖς κεραμείοις ἀγγείοις, καὶ τοῖς ξυλίνοις, καὶ πλεκτοῖς ἐχρῶντο, καὶ μᾶλλον πρὸς τὰς δημοτελεῖς ἱεροποιίας τούτοις χαίρειν πεπεισμένοι τὸ θεῖον, Hoc est, *Idcirco & fictilibus vasis utebantur atque ligneis, plectilibus præsertim ad publica sacrificia: hisce enim persuasum habebant numen delectari.*

Mensæ ligneæ, canistræ, & patinæ fictiles in Romanorum sacris.

Sic Dionysius quoque Halicarnas. *Antiquitatum Romanarum* lib. 2. Romanos antiquos in sacris ædibus diis suis epulas apponere solitos scribit in mensis ligneis, in canistris atque patinis fictilibus. Idem libationes olim dicit misceri solitas non in aureis, & argenteis vasis, sed in testaceis, κυλίσκαις καὶ προχοίοις, id est, *culignis & ampullis*, qua hominum in ritu patrio constantia plurimùm se delectatum esse scribit, nihil ex antiquis sacris εἰς ἀλαζόνα πολυτέλειαν, hoc est, *in luxuriam superbam* demutantium. Huc facit illud Persianum:

Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum?
Nempe quòd Veneri donatæ a virgine puppæ:

Quem versum S. Bernhardus aliquantulum immutavit, cùm sua jam ætate aurum in ephippiis equorum episcopi haberent:

Dicite Pontifices in freno quid facit aurum?
Idem: *Aurum vasa Numæ, Saturniaque impulit æra,*
Vestalesque urnas, & Thuscum fictile mutat.

Alexander Severus, teste Ælio Lampridio, in templis nunquam præter quatuor, aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem, aut bracteolam posuit, susurrans prædictum Persii versum. Hæc de ethnicis.

Sacra Judæorum supellex pretiosissima.

Judæorum veteris Testamenti supellectilem, atque vasa sacra splendida sumptuosaque fuisse legimus, ex Dei præscripto, de quibus vide 1. Reg. 7. cap. & alibi.

Sacra supellex novi testamenti qualis esse debeat. Christi exemplum. Cl. Alexandrini testimonium.

Quoad novum Testamentum Clemens Alexandrinus lib. 2. *pædag.* cap. 3. disputans non nimium esse studii atque impensarum in sumptuosam vasorum suppellectilem conferendum, inter alia ipsius Christi exemplum producit, qui (ut ipse inquit) τρυβλίῳ ἐπώψατο εὐτελεῖ, id est, *vili catino cibum sumpsit*, (unde Brodæus *Miscell.* lib. 4. cap. 19. vas illud pulcherrimum, quod Genuæ spectatur, sive e smaragdo, sive ex alia insigni gemma constet, negat lancem illam fuisse, in quam Christus manum cum Juda immisit, ut vulgus opinatur) fecitque discipulos suos super herbam accumbere, & pedes eorum lavit linteo accinctus, Deus ἄτυφος, id est, *a fastu alienus*, & dominus omnium nunquid argenteum lavacrum e cœlo deferens? Et a Samaritana potum petiit, quæ aquam vase fictili hauriebat e puteo, aurum regale non requirens; sitim autem docens facilè extinguere. Finem enim vasorum constituebat usum, non, τ' ἀπειροκαλίαν, id est, *nimiam & inutilem magnificentiam.* In conviviis autem comedebat, & bibebat non terræ metalla effodiens, neque auri & argenti, hoc est, rubiginem redolentibus vasculis utens. Quodammodo enim spirat incensæ rubigo materiæ.

Chrysostomi sententia. Nota.

Clementi suffragatur Chrysostomus, qui clamabat in cœna Domini peragenda *non aureis vasis, sed aureis animis opus esse: neque id spectandum, ut aureus esset calix, e quo sanguinem Christi bibimus, sed ut anima, propter quam fusus est Christi sanguis, aurea fide ornata sitiret. Nihil enim prodest externum patinæ splendere, si quod internum est squalet, & est frivola omnium ceremoniarum elegantia in templis, nisi verum Domini templum, id est, pectus nostrum fidei puritate coruscet. Non enim in templis, nec templorum vasis, sed in cordibus credentium habitat dominus.* Idem pater *Homil.* in Matth. 51. *Non erat*, inquit, *ex argento mensa illa, nec ex auro ille calix, quo Christus discipulis suis præbuit sanguinem suum: pretiosa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia spiritu abundabant*, &c.

Calices sacri lignei.

Calices sacros principio ligneos fuisse (inquit Polydorus Virg. lib. 6. cap. 12.) *satis constat: atque id pauperum Apostolorum institutum dixerim, qui sic voluerunt modis omnibus materiam aufferre sacerdotibus inhiandi opibus, quas ipsi inprimis neglexissent.* Idem etiam apparet ex illo

Bonifacii martyris & episcopi responso, quod extat in Decretis Pontificiis *de consecrat.* Canon Triburiensis Concilii: *Vasa in quibus sancta conficiuntur mysteria calices sunt, & patinæ, de quibus Bonifacius interrogatus, An liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere? respondit, Quondam sacerdotes non aurei, sed lignei calicibus utebantur.* Nonnulli aliter hoc illius responsum referunt, hoc nempe modo: *Cùm aurei sacerdotes essent, habuerunt ligneos calices, nunc lignei sacerdotes calices volunt habere aureos.* Atque ad hunc modum propositam quæstionem irrisit. Laudatus est ab Hieronymo Exuperius Episcopus Tolosanus, qui destructis in pauperum usum mensæ sacræ vasis, corpus Christi in canistro vimineo, & sanguinem in vitro portavit. Bonifacii scitum dictum.

Gratianus tradit Zepherinum, qui 16. fuit Romanus Episcopus, primum omnium lignea vasa mensæ Dominicæ mutasse, & vitrea substituisse. In Remensi concilio usus etiam vitreorum calicum, propter eorum fragilitatem abrogatus, & stannei fuerunt probati. *Antiquatum est* (inquit Polyd. Virgilius) *id decretum Zepherini* (nimirum de vitreis calicibus) *paulatim, cautumque ne in ligneo vase sacerdos rem divinam faceret, propter materiæ raritatem, qua liquor imbibitur, neque vitreo, quia fragile, neque ex metallo, ob tetrum saporem, quem inde concipit, sed in auro, aut argento, aut si utrumque desit, in stanno, auctor Gratianus.* Sunt tamen qui hoc primum Urbano (qui Pontificatum iniit anno Christi 227. Alexandri Severi anno 3.) assignent, quòd is omnia ministeria sacra fecerit argentea. Vasa vitrea.

Constantinus Magnus vasis aureis & argenteis mirum in modum templa locupletavit: sed Julianus Apostata non multò post eadem diripuit, ut Historia Ecclesiastica testatur.

Ut autem Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Hieronymus, Bonifacius aurum in sacris non magnifecerunt: sic Ambrosius quoque. Is enim lib. *officiorum* 2. inquit: *Qui sine auro Apostolos misit, & Ecclesias sine auro congregavit. Aurum Ecclesia habet non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. An ignoramus, quantum auri & argenti de templo Domini abstulerint Assyrii? Nonne meliùs conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desunt, quàm sacrilegus contaminata asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus: Cur passus es eos inopes fame emori? Et certè habebas aurum, ut ministrares alimoniam. Cur captivi deducti in commertium sunt, nec redempti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat ut vasa viventium servares, quàm metallorum.* Huc facit Lex. 17. in *Cod.* lib. I. *Tit.* 5. l. *Sancimus. Si necessitas fuerit in redemptione captivorum, tunc & venditione præfatarum rerum, & hypothecam, & pignorationem fieri concedimus, cùm non absurdum sit, animas hominum quibuscunque vasis, vel vestimentis præferri.* Quin Ambrosius loco prædicto de sacramentis verba faciens, quæ in die communionis aureis argenteisque vasis videbantur: *Aurum* (inquit) *sacramenta non quærunt, neque in auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captivarum est, & valdè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas a morte.* Ibidem Laurentium Diaconum laudat, quòd appellatus de thesauro Ecclesiæ suæ, dixit crastino se demonstraturum, postridieque pauperibus productis, eos esse thesaurum Ecclesiæ confirmavit. *Veri enim* (inquit Ambrosius) *thesauri sunt, in quibus Christus est, & in quibus Christi fides est.* Sanctus quoque Bernhardus damnans ostentationem auri, & argenti in templis monachorum, & iniquè ferens sanctorum reliquias tam sumptuosè, & splendidè ornari a religiosis, omnem causam ejus luxus avaritiæ tribuit, quæ his modis ad largiendum offerendumque alliciat. Tandem hæc verba subjungit: *Ipso quippe usu sumptuosarum, sed & mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum, quàm ad orandum. Sic opes opibus quæruntur, sic pecunia pecuniam trahit, quia nescio quo pacto ubi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentiùs, &c.* Ambrosii testimonia de supellectili sacra. S. Bernhardi testimonium.

Idem sensit Lactantius, cujus hæc sunt verba lib. 2. *Institutionum* cap. 4. *Non placebat*, inquit, *Persio, quòd aurea vasa templis inferantur, supervacuum putanti esse inter religiones, quòd non sanctitatis, sed avaritiæ sit instrumentum. Illa enim satius est Deo, quem rectè colas inferre pro munere:* Lactantius.

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Tertullianus in lib. *de Idololatria*: *Frequentior est*, inquit, *omni superstitione luxuria, & ambitio. Lances & Scyphos facilius ambitio, quàm superstitio desyderabit. Coronas quoque magis luxuria, quàm solennitas erogat.* Hæc de vasis sacris, quæ cùm in Apostolica, & primitiva Ecclesia fuissent lignea, atque vitrea, postea aurea & argentea facta sunt: de quibus, si vis, vide plura apud Beatum Rhenanum in annotationibus in lib. Tertulliani *de corona militis*, de thesauris veteris Ecclesiæ Moguntiacensis. Hujusmodi fuerunt quæ ab illo commemorantur aurei calices ingentis ponderis, cruces aureæ, grues argenteæ odorem impositorum in cavo ventre thymiamatum per rostra ac colla mira arte exhalantes juxta aram maximam, vestes sacræ auro intexto rigentes; gemmæ incomparabiles: fistulæ argenteæ sex ad hauriendi sacrosancti sanguinis usum destinatæ. Sic eodem teste, Pontifex Romanus quando publicè sacrificat, aureo calamo sugit sanguinem Dominicum e calice cum Diacono & Subdiacono, &c. Quod ad catinum illum attinet, quo nonnulli existimant Christum in ultima sua cœna usum esse, de illo sic scribit Erasmus Stella: *Miramur*, inquit, *catinum è smaragdo apud Genuam civitatem Liguriæ, quo nullus pretiosior visus unquam, nulla gemma nobilior, nulla species vasis mirabilior, quo dicunt Christum in ultima cœna sua usum fuisse ex apparatu Herodis regis, qui a Galilæa Hierosolymam ad agnum Paschalem commanducandum venire decreverit, sed divina providentia, consilio mutato aliò diverterit.* In Gallia Narbonensi in cænobio quodam Lugdunensis agri, alia paropsis cernitur, qua similiter Christum Tertullianus.

usum ferunt in ea cœna, sed minor multò superiore, nobilitateque inferior.

Mensa sacra Justiniani.

Justinianus Imperator, teste Cedreno, sacram mensam fecit opus sanè admirabile & nulla imitatione æquandum. Constabat auro, argento, omnis generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus, quas terra fert & mare & totus mundus. Ex omni materia pretiosiora plura, viliora, pauciora collegerat, liquatisque iis, quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque in formam mensæ absolverat. Itaque varium illud opus intuentibus stuporem injiciebat.

Vasa necessaria & utilia comparanda.

Verùm quemadmodum in supellectili atque vasis, uti dictum est, vitanda est luxuria: ita danda opera, ut vasa maximè utilia atque necessaria pro facultatum ratione comparentur, ne opus sit a vicinis ad tædium usque poscere cultrum, securim, pistillum, mortarium, quemadmodum fit apud Plautum in *Aulularia*. Atque ut Hesiodus fratrem suum admonet, ut arma rusticana domi prius habeat reposita, ita idem in omnibus vasis domesticis fieri debet. Nam etiamsi vicini egenti subveniant aliquoties, postremò tamen gravatè exhibent, aut penitùs recusant. Quod Hesiodus quoque cecinit, quando prudentiam in nobis requirit:

Δὶς μὲν γὰρ ἢ τρὶς τάχα τεύχεαι. ἢν δ' ἔτι λυπῇς
Χρῆμα μὲν οὐ πρήξεις, σὺ δ' ἐτώσια πόλλ' ἀγορεύσεις.

Improbanda ergo est illorum avaritia, qui cùm facultates habeant utensilia sibi maximè necessaria comparandi, tamen illa à vicinis suis commodatò assiduè accipere malunt, atque ita vicinis suis multum molestiæ exhibent, damnique inferunt, sibique, id quod est consequens, illorum malevolentiam, ac sinistram avaritiæ suspicionem conciliant. Sunamitis tamen illa vidua (ut 2. Reg. cap. 4. scriptum est) multa vasa vacua & inania a vicinis, Elisæi jussu, commodatò petiit, cùm illa non nisi unum olearium in ædibus habuisset. Verùm illud ad divinam potentiam singulari miraculo declarandam spectavit. Eadem vidua (ut illud quoque obiter addam) suæ erga Prophetam gratitudinis testificandæ gratia, marito suo persuasit, ut illum hospitio exciperent, eique cùm cœnaculum parietis parvum, nimirum a familiæ strepitu remotum extruerent, tum lectum, mensam, sellam, candelabrum, hoc est, omnis generis supellectilem necessariam subministrarent. Hoc olim parochi ferè fuisse munus, suprà dictum est. Iudæorum pauperiem atque supellectilem sordidam Juvenal. his verbis perstringit *Satyra* 3.

Sordes in supellectili.

Cophinus.

Judæis quorum cophinus, fœnumque supellex.

Idem Satyra sexta:

Cophino fœnoque relicto.

Cophinus verbum græcum corbem significat teste Prisciano. Sidon. *Ordinis res est, ut Ægyptius Pharao cum diademate incedat, Israëlita cum cophino.* Horatius quoque libro secundo Satyra quarta, his versibus:

Immane est vitium, dare millia terna macello,
Augustoque vago pisces urgere catino, &c.

Reprehendit (interprete Lambino) *eos, qui in opsoniis quidem coëmundis magnum faciunt sumptum: in supellectili autem comparanda, in patinis, lancibus, catinis, cantharis, & similibus conquirendis neque ullam curam adhibent, neque insumere quicquam volunt. Magnum*, inquit, *vitium est, tria millia sestertiûm insumere in piscibus emendis, pisces autem illos grandes, & caros angustis patinis coërcere: par est enim, si grandes sint pisces, grandes quoque patinas esse.* Ptolemæum quoque regem Lagi filium legimus non veritum esse vasa nonnunquam commodatò ab amicis suis sumere, stragula item, & id genus alia, quod ipse in domestica supellectile nil admodum præter necessaria haberet, testis est Cœlius lib. 20. cap. 24. ex Plutarcho. Licet quidem interdum, & quidem sæpe etiam, si id est necesse, a vicinis & amicis cùm vasa, tum etiam cibaria commodato poscere, secundum parabolam illam Euangelicam Luc. 11. tamen cavendum est primò ne id fiat crebriùs, deinde ut & quam primùm, & integra, incorrupta atque pura reddantur.

Vasa quatenus a vicinis commodatò poscere liceat.

Supellex diligenter disponenda atque custodienda.

Jam verò ut in conquirenda comparandave supellectili atque vasis domesticis modus est, uti diximus, adhibendus: sic in iisdem disponendis, custodiendis atque tractandis ratione diligentiaque summa utendum. Nam primò ut omnibus in rebus, sic in supellectili quoque adhibenda est εὐταξία, ut nimirum commodis singula, & opportunis in locis disponantur, non confusa jaceant, quò illa uti volentibus sint in promptu, ἐστὶ γὰρ οὐδὲν οὕτως οὔτ' εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις, id est, *nihil est melius, nec pulchrius ordine.* Itaque magnificè apud Xenophontem ordo prædicatur, & commendatur tam in partibus domus, quàm in supellectili. Huc facit illud Aristotelis, πρὸς εὐχρηστίαν τῆς σκευῶν τὸ λακωνικόν. Χρὴ γὰρ ἓν ἕκαστον ἐν τῇ αὐτοῦ χώρᾳ κεῖσθαι. οὕτω γὰρ ἂν ἕτοιμον ὂν, οὐ ζητοῖτο. Hoc autem inprimis conviviorum temporibus fieri debet. Videntur olim Iudæi utensilia sua in inferiore domus parte habuisse collocata, id quod ex illis Christi verbis aliquo modo videtur posse colligi Luc. 17. *Si quis est*, inquit, ἐπὶ τοῦ δώματος (scilicet in cœnaculo, sive superiore parte domus, Theophylactus ὕψος ἀρετῆς, id est *virtutis altitudinem* allegoriκῶς interpretatur) καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ ἐν τῇ οἰκίᾳ, μὴ καταβάτω ἆραι αὐτά.

Deinde supellectilis custodiendæ, ac sartæ tectæ tuendæ summam curam patres matresque familiâs suscipere debent, ne illa famulorum atque ancillarum incuria, negligentia, aut etiam improbitate imminuatur, corrumpatur atque pereat. Atque hoc est, quod Aristoteles his verbis præcipit eodem in loco: ὁμοίως δὲ καὶ περὶ σκευῶν χρήσεως τῶν καθ' ἡμέραν. καὶ τῶν ὀλιγάκις, ταῦτα παραδοτέον τοῖς ἐφεστῶσιν.

σιν. ἐπὶ τούτοις καὶ τὴν ἐπίσκεψιν αὐτῶν διὰ τινὸς χρόνου ποιητέον, ἵνα μὴ λανθάνῃ τὸ σωζόμενον, καὶ τὸ ἐλλεῖπον. Ergo ſecundum Ariſtotelem vaſa, ſeu inſtrumenta domeſtica in ſua genera & tempora (alia enim ſingulis diebus, alia ſingulis menſibus, alia rariùs, & ſemel in anno uſui ſunt) & in locos, ſeu ſedes digeſta ſint. Eſt ergo cùm patrisfamiliâs, tum verò atque inprimis matrisfamiliâs, ſecundum Xenophontem atque Ciceronem, officium, ut vaſa & inſtrumenta domeſtica diligenter cuſtodiat, recteque diſpenſet. Ea enim, quorum uſus quotidianus eſt (ut quæ ad panificium, lanificium, rem coquinariam pertinent) famulitio oſtendere oportet, quo loco reponenda, & quomodo ſalva, & integra conſervanda ſint, ut cùm in forum eundum eſt, ſciant famuli famulæque ubi ſumenda, & in quem locum rurſus reſtituenda ſint. Quæ verò non niſi diebus feſtis, aut eo tempore cùm hoſpites convivio excipimus (τῆς ξενοδοχίας) uſus ſunt, illa promocondæ (τῇ ταμίᾳ der beſchlieſſerin) commendabit, ita tamen ut numeret prius ſingula, & inventarium eorum conſcribat.

Præterea vaſa atque utenſilia diligenter purgari, mundari atque extergi debent, ne convivis nauſeam, & faſtidium pariant, de quo egregiè Horatius lib. 2. Satyra 4. Vaſa & utenſilia diligenter purganda.

Magna movent ſtomacho faſtidia; ſeu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit:
Sive gravis veteri crateræ limus adhæſit.
Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe quantus
Conſiſtit ſumptus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma:
Et Tyrias dare circum illota toralia veſteis,
Oblitum, quanto curam, ſumptumque minorem
Hæc habeant, &c.

Ergo munditiem, nitorem, & elegantiam in vaſis convivialibus vult adhiberi. Idem libro primo Epiſtolar. Epiſt. 5.

Hæc ego procurare & idoneus imperor, & non
Invitus, ne turpe toral, ne ſordida mappa
Corruget nares (offendat, ſolent enim qui odore aliquo offenduntur, nares contrahere) *ni non & cantharus & lanx*
Oſtendat tibi te, ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet, ut coëat par
Jungaturque pari, &c.

Id eſt, ſplendeat inſtar ſpeculi, tibique intuenti tui reddat imaginem. Vaſa ergo coquinaria, eſcaria atque potoria purganda diligenter, & eluenda ſunt, ne cibi quantumvis delicati tetrum aliquem fœdumque ex illis ſaporem contrahant, & convivis ſint faſtidio atque nauſeæ. Apud Phariſæos, & Iudæos omnes, ποτηρίων, ξεστῶν, καὶ χαλκίων, καὶ κλινῶν βαπτισμοὺς, id eſt, *poculorum, ſextariorum, vaſculorum aheneorum, atque ſpondarum ablutiones* fuiſſe uſitatas, Marcus cap. 7. teſtatur, idque non tam munditiæ, & elegantiæ, quàm ſuperſtitionis ergò. De quo ſic Luc. 11. cap. *Vos quidem Phariſæi* (inquit Chriſtus) τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου, καὶ πίνακος (Matth. 23. παροψίδος) καθαρίζετε, τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς, καὶ πονηρίας, id eſt, *exteriorem poculi patinæque partem purgatis, ſed quod intra vos eſt, plenum eſt rapina & ſcelere.* Matth. 23. ἔσωθεν δὲ γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς, καὶ ἀκρασίας, id eſt, *Intra autem pleni ſunt rapina, & intemperantia.* Addit, *Phariſæe cæce, purga primum quod eſt intra poculum, & patinam, ut id quoque quod extra eſt, purum fiat.* His adhuc commemoratis ſimillima hæc ſunt verba Franciſci Patritii lib. 4. *de republica*, obſervatione digniſſima. *Supellectilem in primis uxor, & lauta quæ magis ſunt & ad uſum melioris vitæ reſervanda, intra penetralia tutiora ſuo ordine diſponat, ut ſi quando uſus popoſcerit, in promptu ſint, nec quærentem fallant. Eſt enim certiſſima paupertas, cùm rem quam habeas, deſideres, & ejus indigeas, ignoresque quo loco projecta ſit. Diligenter apud Xenophontem Socrates Iſchomachum illum audit recenſentem ſuis locis ſingula inſtrumenta, & domeſticam ſupellectilem, ubi ille ſecernit quæ ad rem divinam pertinent, quæque ad mundum muliebrem, diesque feſtos comparata erant, deinde quæ ad virilem uſum & ornamenta dierum ſolennium, arma & tela, artiumque inſtrumenta diſpoſita uſque ad muliebre lanificium. Taliter igitur matrona omnia quæ domi habet diſponere debet, ut ad uſum facile depromantur, rectè conſerventur, oculum dominæ non fallant: ut ſi quando res aliqua ex ſuo loco translata ſit, eam requirat vacuitate admonita, rurſusque collocet: quæ res quidem eam magno labore liberabunt, & penetralia ac reconditoria aſpectu longè honeſtiora reddent.* Hæc ille.

Obſervandum quoque eſt, in vaſis convivialibus adhibendum eſſe modum & delectum pro ratione vel perſonarum, vel alimentorum. Nam primo aliis vaſis & quidem elegantioribus atque pretioſioribus eſt utendum, ſi convivio excipias ſplendidioris fortunæ atque conditionis homines, aliis verò ſi convivæ tibi ſint vilioris ſortis, tunc enim vilioribus quoque utendum eſt vaſis, ſeu inſtrumentis. Deinde cùm non quævis materia quibusvis cibis atque poculentis ſit accommodata, ac ſæpe vel ex vaſculorum materia cibi potusque licet

 jucun-

jucundi atque salubres, tetros & insalubres quosdam odores, sapores atque etiam colores contrahant, vel contrà vasa ipsa cibis atque liquoribus, quibus non conveniunt, vitientur atque corrumpantur, idcirco diligens danda est opera, ut iis utamur vasis, quorum materia singulis alimentis apta sit atque idonea; quemadmodum faciendum esse optimè norunt ii, qui rei coquinariæ atque escariæ sunt periti. Hîc etiam observandum multos convivis suis cœnam aureis atque argenteis lancibus potiùs, quam cibis necessariis instructam exhibere, quæ ad oculos potius oblectandum, quam ventrem pascendum facit: cujusmodi cœnæ pulchram & jocularem descriptionem habes apud Martialem 4. epigrammate,

Ad cœnam nuper Varus me forte vocavit
Ornatus dives, parvula cœna fuit.
Auro non dapibus oneratur mensa, ministri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego; non oculos, sed ventrem pascere veni:
Aut appone dapes, Vare, vel auffer opes.

Huc pertinet proverbium λαμπρῷ δείπνῳ οὐ τὸ πεινᾶν παύεται, id est, *splendida cœna famem non sedat.* Et, *argentea fame convivari*, de quibus vide Iunium in *Adagiis.*

Postremò observatu videtur esse dignum, convivas nonnunquam vasa seu instrumenta quædam convivialia secum adferre debere, quibus inter edendum utantur. In Festo χοῶν moris erat, ut conviva κίστην secum deferret atque χόα, id est, *poculum.* Sic hodie sæpe convivæ cultros, cochlearia secum afferunt. Atque hæc quidem de vasis seu instrumentis convivialibus in genere sint dicta.

CAPVT XVI.

DE MENSARVM NOMINIBVS, EARVMQVE SIGNIFICATIONIBVS IN SACRIS LITERIS, CVM PROPRIIS, TVM TROPICIS. DE MENSARUM PORRO SIGNIFICATIONE ET VSV TAM SACRO QVAM PROPHANO.

De mensis. Porro quoniam mensæ principem ferè inter instrumenta convivialia locum obtinent, quæ antiquitus convivis, postquàm accubuerant, fuerunt appositæ (secundum illud Pherecratis, φέρε δὴ κατακλινῶ, σὺ δὲ τράπεζαν φέρε. *Agedum accumbam: tu verò mensam adferto*) commodus hîc, ac ferè proprius de iis videtur esse dicendi locus. Exordium autem ducam a nominibus, quæ quidem in omnibus linguis sunt πολύσημα.

Nomina mensarum. Hebræis Mensa שלחן *Schulchan* dicitur, a שלח, quòd & *mittere*, & *extendere*, & *nudare* significat: a missione, seu extensione sic dicta, quòd erat tabula longior, quàm lata, ut nonnulli volunt. Mensæ significationes in sacris literis cùm propriæ, tum tropicæ. Chaldaicè dicitur פתורה *Patorah* Iud. 1. Mensa autem in sacris literis Veteris & Novi Testamenti cùm propriè pro tabula, cui cibaria vel etiam alia imponuntur, tum tropicè pro cibis, convivio, quibusvis denique bonis atque commodis tam corporis, quàm spiritualibus usurpatur. Ut Psalm. 23. vers. 5. *Paras sive instruis, adornas* (verbum enim ערך propriè *aptè*, *& ordine disponere* significat) *in conspectu meo mensam meam coràm hostibus meis*: hoc est, me, vel invitis ac frustrà furentibus inimicis meis, omni bonorum genere cumulas. Hunc Psalmum Iudæi scelerati, quoties invitantur a NOTA. Christianis (id quòd Mollerus, vir doctissimus, in suis commentariis in Psalmos, se aliquoties expertum esse dicit) ad mensam recitare solent, & inprimis hunc versum, tanquam triumphantes & insultantes nobis, alta voce pronunciant. Iob. 16. vers. 16. *Faciet mensam tuam plenam pinguedine*: hoc est, te benigne lauteque tractabit. Psal. 69. vers. 23. *Sit mensa eorum coràm ipsis in laqueum*: hoc est, omnium bonorum corporalium affluentia in illorum perniciem interitumque convertatur. Paulus Rom. 11. interpretatur, Messiam, & sacram scripturam, quæ illis fuit tanquam mensa saluberrimis epulis instructa, in extremum, ob obstinatam illorum & pervicacem contumaciam, exitium fuisse conversam. Sic Psal. 78. vers. 10. *Parare mensam in deserto*, hoc est, in tristi squallidoque deserto alere, atque fovere. Proverb. 9. Sapientia dicitur ædificasse domum, & præparasse mensam aut convivium, ad eamque omnes invitare: *mensa* ibi pro præclaris vitæ præceptis, atque documentis usurpatur. Sic mensa, quam Christus promittit suis Apostolis in suo regno, Luc. 22. nihil est aliud, quàm æternorum illorum bonorum plena, cumulataque fruitio. Act. 6. διακονεῖν τραπέζαις, *ministrare mensis*, est victum atque eleëmosynas pauperibus distribuendi munere fungi. Malach. 1. *Mensam* Kimhi, *altare* interpretatur, ut & Ezechielis 41. *altare* mensæ nomine insignitur. Unde etiam 1. Cor. 10. *mensam* nonnulli volunt pro altari accipi.

Græci

Græci mensam τράπεζαν vocant, quasi τετράπεζαν, hoc est, τετράπουν, *quatuor pedibus insistentem*, teste Athenæo & Eustathio, qui Ιλ. λ. & Οδ. Α. sic scribit: τράπεζα, ὅτι παρὰ τὸ τέσσαρας πόδας ἔχειν λέγεται, οἱονεὶ τετράπεζα κατὰ συγκοπήν. Idem testatur Etymologista τράπεζα, τετράπεζα, τέσσαρας πέζας ἔχουσα. αἱ γὰρ τῶν παλαιῶν τράπεζαι, τετράγονοι ἦσαν. Ιλ. λ. & Οδ. Α. Alio quoque nomine a tribus pedibus τρίποδα vocarunt. Pollux, ἡ δὲ ὑποκειμένη τοῖς ὄψοις τράπεζα, καὶ τρίπους ἂν καλοῖτο, hoc est, *Ea quæ supponitur cibis mensa, etiam tripus appellatur*. Aristoph. in τελμησσεῦσι, τρίπουν τρίποδα appellat: eadem voce τρίποδος utitur etiam in ἐκκλης. *Cratinus*, inquit Eustath. Οδ. Α. τρισκελῆ λέγει τὸν τρίπουν, *cùm dicit*, τράπεζαι τρισκελεῖς σφενδάμιναι. Porrò vox τράπεζα apud Græcos varia significata habet. Nam primò *discum*, sive tabulam illam epularem significat, cui vasa escaria, & cibi imponuntur, in qua significatione hìc a nobis accipitur. Deinde metonymicῶς cùm in singulari, tùm in plurali numero creberrimè pro convivio, cibis atque ferculis usurpatur. Pollux τραπέζας δὲ ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπ' αὐτῶν ἐπιθέμενα. Eustath. ἐπιθέμενα τραπέζαις βρώματα (quæ idcirco etiam ἐπιτραπεζώματα uno vocabulo appellantur, quasi dicas *mensalia*) Athen. lib. 2. πάντων τραπέζας καλούντων τὰς παραθέσεις ταύτας, hoc est, *cum omnes mensas vocarent ista fercula*, sive *cibaria*, *quæ apponebantur*. Hinc τράπεζαι πρῶται, δεύτεραι, τρίται, hoc est, *mensæ primæ*, *secundæ*, *tertiæ*, auctore Polluce, pro ferculis. Τράπεζαι quoque, eodem teste, dicebantur αἱ ἐπιτιθέμεναι, καὶ αἰρόμεναι, ἃς νῦν μαγίδας καλοῦσιν, hoc est, *orbes*, *lances*, sive *disci*, *qui mensis imponebantur*. A τράπεζα, τραπεζοφόρα, appellantur columellæ, sive pedes, quibus impositæ sustinentur mensæ apud Paul. in l. 3. *de Spp.* leg. Germanicè tisch stollen / oder füß. Cic. *Epist. Famil.* 7. ad Fabium Gallum: *Quòd tibi destinaras trapezophoron, si te delectat, habebis: sin autem sententiam mutasti, ego habebo.* De hac voce sic Pollux lib. 10. *Licet porrò mensam, in qua pocula reponuntur, dicere* τετράπουν τράπεζαν, *aut etiam* μονόπουν: *vel si quis ambitiosè ne novis quidem abstineam, trapezophorum, velut qui mensam gestet.* Cælius lib. 7. cap. 12. *Trapezophorum* apud Ciceronem intelligi vult statuam, quæ poculorum mensam sustineret. Nam ex Vitruvii doctrina manifestò liquet, imagines hominum exsculpi solitas, quæ columnas subiectæ fulcirent, aut tigna, vel id genus alia, quas Græci *atlantas* vocant, Latini *telamonas*: quo in genere habentur, quæ *caryatides* vocantur, nec non epistylia sustinentes *statuæ Persicæ*. Hæc Cælius. Bayffius eadem putat esse, quæ a Latinis *Repositoria* vocantur, a *reponendo*, quòd in iis mensæ reponebantur. Plin. lib. 18. cap. ult. *Nec non & in conviviis mensisque nostris vasa, quibus esculentum additur, sudorem Repositoria linquentia diras tempestates prænunciant.* Idem lib. 33. cap. 11. *Jam verò & mensas repositoriis imponimus, & ad sustinenda opsonia interradimus latera, mensarum intellige*, inquit Bayffius. Idem in eodem cap. 11. Cornelius Nepos tradit, *ante Syllæ victoriam duo tantùm triclinia Romæ fuisse argentea: Repositoriis argentum addi sua memoria cœptum.* Fenestella dicit, qui obiit in novissimo Tyberii Cæsaris principatu, *sed & testudinea tum in usum venisse: Ante se autem paulò, lignea, rotunda, solida, nec multò majora, quàm mensas fuisse. Se quidem puero, quadrata & compacta, aut acere operta, aut cedro cœpisse. Mox additum argentum in angulos, lineasque per commissuras.* Cùm verò *Plinius*, addit Bayffius, solida *dicat* repositoria, *damnantur inscitiæ ii, qui pro loculis, & reconditoriis interpretati sunt.* Cur autem Veteres habuerint mensas argenteas, stanneas & figulinas, vide Mercurialem *de præservat. a venenis.*

[Margin notes: τετράπεζα. τέτπες. — τῆς τραπέζης significationes. — Τραπεζοφόρα. — Repositoria.]

Hac eadem de voce observatu digna sunt quæ scribit Gesnerus lib. 1. *de Quadrup. Repositorium*, inquit, *Grammatici interpretantur, id quod super antiquorum mensa reponebatur ad fercula collocanda, quæ subinde unà cum ipso repositorio adferebantur, & auferebantur.* Plin. lib. 28. *Bibente conviva mensam & repositorium tolli, inauspicatissimum indicatur. Videtur autem per epexegesin addidisse & repositorium, innuens non integram mensam, sed repositorium tantùm cum ferculis auferri solitum. Proinde cùm veteres afferri, & auferri mensas meminerunt, per Synecdochen de repositoriis tantùm intelligo. Solent etiam nostri mensis repositoria* (tischblat) id est, *opercula lignea imponere* (*quæ commode eis demi reponique possint, unde & appellata mihi videntur*) *vel munimenti gratia, ut pretiosis: vel usus, ut calculatio per cretam super eis fiat: vel ornatus, ut cùm diversis coloribus florum aliisve inducantur: vel denique ut latiuscula mensa fiant: sunt enim repositoria ipsis quas tegunt mensis latiora, ut constat ex Plinii verbis* 33. 11. *Repositoriis*, inquit, *argentum addi*, &c. & paulò post: *Ante se autem paulò lignea rotunda solida, nec multò majora, quàm mensas fuisse. Quod si quis*, addit Gesnerus, *nec usu nec figura repositoria veterum* (*quibus tamen nec ipsis certa figura fuit*) *nostris convenire dicat, hoc certè convenit* (*respondebo*) *quod utraque mensis imponantur, & possent nostra, si moris esset, eundem usum præstare.* Errant igitur Grammatici qui *repositorium* simpliciter exponunt loculos vel reconditoria, ubi aliquid reponatur vel recondatur, quod & Bayffius ante nos animadvertit. In illis autem Plinii verbis paulò ante citatis: *Jam verò & mensas repositoriis imponimus*, Gesnerus suspicatur legendum, *mensis repositoria*, cùm hæc illis majora fuerint. Repositorium ex Athenæo θύβη appellatum, ibidem docet Bayffius, & id genus repositorii Gallicè *chappeletz* vocari, quorum usus sit ad sustinendas lances & discos: *in quo quidem*, inquit Gesnerus, *parum sibi constare videtur. Invenio* κίβιν *per jota solum apud Grammaticos pro calatho ex foliis contexto in arcæ vel cistæ formam.* Hæc habet Gesnerus, in suo illo *Cornucop.* Sic enim mihi verè videor posse appellare libros illos animalium, multiplici rerum utilissimarum atque jucundissimarum varietate, plurimorumque locorum correctionibus refertos, ita ut dolendum sit indicem rerum atque verborum in illis desiderari.

[Margin note: Θύβη.]

Mensam Latinè nonnulli volunt dictam a *mandendo*, sive *edendo*. Isidorus: *Ab esu, & comesu mensæ factum dicitur vocabulum, nullum enim alium usum habet.* Varro, *quòd a nobis media*, inquit, *a Græcis* μέσα, *mensa dici potest, eo quòd inter duos aut plures fit mediatrix, sive etiam quòd ponebant pleraque in cibo mensa.* Lamprias apud Plutarchum lib. 8. *Symp. Prob.* 6. multa vocabula Latina a Græcis deducens, ut *prandium* ab

[Margin note: Mensa Latinis unde dicta.]

ἔνδιον, quod meridianum tempus significat: *Cœnam*, ὅτι κοινή: *comessationem* ἀπὸ τοῦ κώμου: *miscere* a κεράσαι: *panem*, ὡς πεῖναν ἀνιέντα, *quòd famen minuat*: *cadere*, a δέρειν: *dentes*, ceu ὀδόντας: *labra*, ἀπὸ τοῦ λαμβάνειν τὴν βορὰν, *a capiendo cibo*: *mensam* similiter vult dictam quòd ἐν τῷ μέσῳ, hoc est, *medio* ponatur.

Mensæ apud Latinos significationes.

Ut autem apud Hebræos & Græcos, ita apud Latinos quoque *mensa* modò discum significat, in quo manditur, Virgilius,

Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.

Modò ipsa cibaria: unde *primæ* & *secundæ mensæ* dicuntur, hoc est primi & secundi cibi, Virgilius lib. 3. Æneid.

Non ego te Dis, & mensis accepta secundis.
Quàm nos dira fames, nostræque injuria cædis
Ambesas subigat malis absumere mensas.

Aliquando pro convivio toto, sive epulis accipitur: Ut *mensa Ciceroniana*, &c. *Mensam escariam*, *cibillam* antiquitus, a *cibo* dictam fuisse, Varro testatur.

Vox German. tisch/ a disco dicta.

Germani *mensam* tisch/ nimirum a disco: Itali, *tavola*: Galli, *table*, hoc est, tabulam nuncupant: qua voce etiam Germani utuntur, tafel dicentes. Hæc de nominibus. Dædalum primùm mensam, & sellam fecisse, Isidorus testatur.

Mensæ & sellæ fabricator. Mensarum usus. Numulariorum, & fœneratorum mensæ Reipub. damnosæ.

Est autem mensarum varius & multiplex usus, ad scribendum, ad rationes excepti & expensi publicas privatasque computandas, ad monetam permutandam, mercaturam, negotiationemve exercendam, & ad innumera alia opera efficiendum: cujusmodi sunt mensæ scribarum, œconomorum, negotiatorum, artificum atque opificum, denique numulariorum atque fœneratorum, qui pecuniæ vel commutandæ, vel transcribendæ, vel etiam ad fœnus erogandæ sunt intenti, quæ postremi generis mensæ plerunque Rebusp. valdè sunt damnosæ. Unde Antisthenes apud Athen. lib. 6. ἰχθυοπωλῶν, ἢ τραπεζιτῶν nullum dixit esse ἔθνος ἐξωλέστερον. Hi igitur ab Hebræis propriè מוכסים *mocesim* vocantur a supputando, a כסס *casas*, unde מכס *macas* propriè mensam numulariorum significat, a Græcis appellantur τραπεζῖται, ab Isocrate οἱ ὄντες ἐπὶ τῇ τραπέζῃ: ab Hesychio ἐπικαθήμενοι τῇ τραπέζῃ: a Latinis *mensarii*, nimirum a mensis, quibus utuntur. Sueton. in *Galba*: *Numulario non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensæque ejus affixit.* Apellantur etiam a Græcis ἀργυρογνώμονες, ἀργυραμοιβοὶ, καταλλάκται, κερματισταὶ, κολλυβισταὶ: a Latinis *argentarii*, *numularii*, *collybistæ*, vulgò etiam *campsores*, Matth. 21. & Joan. 2. Christus hujusmodi numularios, nec non boum, ovium atque columbarum venditores, e templo flagello ejecisse, illorum æs (κέρμα Joan. vocat) effudisse, mensas atque sedes subvertisse dicitur. Hi a Joanne κερματισταὶ, nimirum ἀπὸ κέρματος, id est, *moneta minore*: a Matthæo κολλυβισταὶ appellantur: κολλυβισταὶ, inquit Theophylactus Matth. 21. *sunt, qui a nobis appellantur* τραπεζῖται. Κόλλυβος autem est genus νομίσματος εὐτελοῦς, *numismatis tenuis, ut sunt apud nos obeli, sive argentei.* Idem Joan. 2. *Collybistæ sunt, qui numisma tenue* (λεπτὸν) *vendunt. Nam collybus dicitur Græcis* τὸ λεπτὸν νόμισμα, *quod Romani* nummum *vocant.* Pollux, κόλλυβον ἀργυρίου ἀλλαγὴν vocat, hoc est, *pecuniæ permutationem*. Cic. *Verrina* 5. *Collybus*, inquit, *qui potest esse, cùm utantur omnes uno genere nummorum?* Idem Verrem dicit pro spectatione, & collybo, deinde pro cerario deductiones pecuniarum in solutione fecisse, quæ omnia, ut ait idem, improbissimorum furtorum sunt vocabula. Observatione etiam dignum, quod idem auctor Christum negotiatores illos, atque numularios e templo suo exturbasse dicit, partim τῆς εὐκοσμίας τοῦ ἱεροῦ φροντίζοντα: partim τὴν μετάθεσιν τῶν θυσιῶν σημαίνοντα: denique addit, *Idcircò speluncam latronum templum suum appellare*, quoniam τὸ φιλοκερδὲς, λῃστρικὸν πάθος ἐστί. Unde Cato quoque, ut hîc Christus, fœnerationem latrociniis comparavit. Ad hujusmodi numulariorum mensas artesque Christus quoque Luc. 19. alludit, in parabola illa: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris exegissem illam?* Hæc a Christo dicta sunt, non danistarum, seu fœneratorum improbas artes approbandi: sed potiùs spiritualem illum munerum divinorum, hoc est, pium, justumque usum commendandi præcipiendique causa. Ut autem hi numularii, in quos Christus animadvertit, rei nummariæ negotiationem in ipso templo exercebant, ibique mensas suas habebant: ita Romæ idem genus hominum, apud quos deponebantur ab iis pecuniæ, qui eas occupare, & exercere volebant (inde enim fœnori sumebantur) ponè ædem Castoris, in qua pecuniæ depositæ recondebantur, circum forum tabernas, mensasque suas argentarias (unde *æs circumforaneum* Cic. appellat *Epist.* 1. lib. 3. *ad Attic.* 2.) habuerunt, ibique argentariam fecerunt, teste Liv. lib. 26. & Dionys. Halic. lib. 3. Ad tabernas illas, etiam auctiones fieri solitas, patet ex l. 88. D. *de Solutionibus*. De æde Castoris testimonia sunt illa Plauti in *Curculione*,

Κόλλυβος quid.

Christus cur negotiatores e templo suo exturbarit. Christus cur templum suum speluncam latronum appellaverit. Numulariorum Romæ habitatio, tabernæ, ingenium moresque improbi. Ædes Castoris.

Sub veteribus ibi sunt qui dant, quique accipiunt fœnore,
Ponè ædem Castoris, ibi sunt, quibus credas malè.

Idem in eadem Comœdia sub Curculionis parasiti persona argentariorum mores improbos graphicè describit,

Habent hunc morem plerique argentarii,
Ut alius alium poscant, reddant nemini:
Pugnis rem solvant, si quis poscat duriùs.

Et alio in loco: *Argentariis malè credi qui ajunt, nugas prædicant.*
Nam & benè & malè credi dico: id adeò hodie ego expertus sum.

Nam

Nam malè creditur, qui nunquam reddunt, sed prorsus perit.
Vel decem minas dum hic solvit, omnis mensas transiit.

Item: *Eodem herclè vos* (lenones, & trapezitas) *pono & paro, parissimi estis hibus*, id est, his, scilicet lenonibus.
Hi (lenones) *saltem in occultis locis prostant: vos* (trapezitæ) *in foro ipso.*
Vos fœnore, hi malè suadendo, & lustris lacerant homines.
Rogitationes plurimas propter vos populus scivit,
Quas vos rogatas rumpitis, aliquam reperitis rimam.
Quasi aquam ferventem, frigidam esse, ita vos putatis legem.

Hæc de mensariorum mensis, tabernis, habitatione, ingenio atque moribus improbis sint dicta: quæ ad illa Euangelistarum commemorata loca illustranda, forsan non parum conducent.

Verùm nos omissis aliis, nunc potissimùm de conviviali mensarum usu dicemus, qui ut antiquissimus, ita commodissimus, maximeque necessarius videtur esse. Nam sine mensa bestiarum instar in terram abjecti indecorè admodum cibum potumque caperemus, sicut a barbaris quibusdam gentibus fieri consuevit. Socrates tamen apud Platonem *Polit.* lib. 3. fictæ illius suæ Reipub. cives accumbentes in thoris stratis hederæ atque myrti foliis cibum capere jubet. Cui cùm Glaucon diceret, *hoc esse porcorum instar pasci*, respondit ille, *Homines non sanæ*, sed φλεγμαινούσης, hoc est, *luxuria diffluentis naturæ* κλίνας καὶ τραπέζας, hoc est, *lectos, mensas*, & alia hujusmodi adhibere.

Convivialis porrò mensarum usus rursus duplex videtur posse statui, sacer nimirum, & prophanus: unde mensæ aliæ *sacræ* dicuntur, sive *sacratæ*: aliæ *prophanæ*, sive, ut Macrobii verbo utar, *humanæ*. Convivialis mensarum usus duplex.

Mensæ sacræ, sive sacratæ sunt, quæ rei divinæ, epulis atque vasis sacris sunt destinatæ, & plerunque in locis sacris atque religiosis collocantur. Hæ rursus bifariam dividi possunt, ita ut aliæ dicantur verè sacræ & religiosæ: aliæ superstitiosæ, quarum illæ veræ religioni atque cultui divino: hæ superstitionibus atque idololatriæ inserviunt. Mensæ sacræ, sive sacratæ.

Prioris generis fuit mensa illa Mosaica in tabernaculo collocata, confecta ex lignis Sittin, auro purissimo obducta, longa cubitis duobus, lata uno, alta uno & dimidio: cui panes illi *Propositionis*, sive *Facierum* (ab Hebræis *Phanim*, hoc est, *facierum*, & *Sancta sanctorum*: a Græcis ἐνώπιοι, προσώπου & προθέσεως appellati) imponebantur. Hujus mensæ descriptionem vide Exod. 25. & 37. Celebris quoque atque magnifica fuit mensa illa Solomonia, cujus fit mentio 1. Reg. 7. quæ similiter 12. illos panes *Propositionis* (de quibus Cælius lib. 9. cap. 16.) sustinebat, ac propterea *Mensa Propositionis* fuit appellata. Collocata erat in intima, & sacratissima templi parte, quæ *Sancta sanctorum* fuit nuncupata. Præter hanc Solomon alias quoque decem partim aureas, partim argenteas fieri curavit in templo, quarum quinque a dextris, quinque a sinistris stabant, ut 1. Par. 28. & 2. Par. scriptum est. In his Joseph. l. 8. *Antiq.* ait, Pelves aureas, & argenteas fuisse positas: sed præ cæteris omnibus excellentem fuisse illam, cui panes *Propositionis* erant impositi. At Lyranus probabile esse dicit, singulis his mensis etiam panes illos sacros fuisse impositos, ita ut omnibus mensis fuerint 132. panes. Mensæ porrò illius panariæ, sive Propositionis, hujusmodi quandam allegoricam explicationem affert Clemens Alexand. *Strom.* lib. 6. *Mensa*, inquit, *in templo erat sex cubitorum, & cujus pedes* 4. *erant circiter unius cubiti & dimidii. Colligunt ergo omnes cubitos duodecim, convenienter* 12. *mensium conversioni, quæ fit per circulum anni, quibus terra omnia producit, & conficit, cum quatuor temporibus anni inita consuetudine. Terræ autem, ut arbitror, imaginem mensa significat, quæ* 4. *fulcitur pedibus, æstate, autumno, vere, hyeme, per quos annus ingreditur. Quocirca dicit etiam mensam habere undulas inflexas & tortiles, aut quòd temporum conversionibus omnia circumagantur, aut fortasse significavit terram, quam Oceanus circumfluit.* Hæc ille. Josephus similiter & Theodoretus atque alii mensam illam volunt fuisse sphæricæ figuræ, in qua fuerint 12. signa Zodiaci, ac proinde significasse annum 4. temporibus divisum, quibus singuli fructus ex terra nascuntur, alii mensam terræ volunt fuisse typum, panibus autem frugum proventum fuisse adumbratum. Sed hæ significationes videntur esse extraordinariæ, non enim physica, sed metaphysica, seu spiritualia Deus voluit his figuris adumbrare. Simpliciùs igitur forsan dicemus, mensa illa vel Christum, & ejus verbum sive doctrinam (quarum utrumque est mensa, sive panis vitæ) fuisse adumbratam. Vel etiam mensa illa *Propositionis*, Ecclesiæ: panes autem *Propositionis*, sive *Facierum*, Christi (qui est panis vitæ, quem pii, & in primis Verbi ministri semper in conspectu, atque ante oculos sibi propositum habere debent) fuerunt symbolum. Duodenarius autem numerus signum est perfectionis, Christus enim unicus est & quidem perfectissimus & αὐταρκέστατος panis vitæ universæ Ecclesiæ, quæ & ipsa 12. tribuum numero in sacris litteris designatur. Hæc de mensis sacris veteris Testamenti.

Mensæ verè sacræ & religiosæ vet. Test. Mensa Mosaica. Mensa Salomonia. Mensa propositionis.

In Novo Testamento mensæ fit mentio 1. Cor. 10. in qua nimirum cœna Dominica celebrata fuit. *Non potestis*, inquit Paulus, *mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*: quo tamen in loco *Mensa* etiam Metonymicôs pro epulo usurpatur. Christum in mensa sacrosanctum illud suum convivium primò instituisse, ac cum charissimis suis discipulis celebrasse, Euangelica historia testatur. Hanc mensam auro purissimo coopertam, atque infinitis propemodum gemmis ornatam, ex Toleto occupata Musem Arabum ducem secum reportasse testatur Leo Afric. lib. 5. c. 79. In primitiva quoque Ecclesia mensarum in celebratione cœnæ Dominicæ usum cùm alia literarum monumenta, tum illa Nicenæ Synodi verba testantur: *In divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem, & poculum: sed exaltata mente, fide consideremus, situm*

esse in sancta illa mensa Agnum Dei, tollentem peccata mundi, qui non victimarum more a sacerdotibus sacrificatur: & pretiosum illius corpus & sanguinem verè sumentes, nos credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Prisci mensas suas appellavêre *altaria*, procul dubio ad imitationem patrum veteris Testamenti. Ergo Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ exemplo, magis videntur quadrare mensæ, quàm altaria. Verissimè ille, *impletis*, ait, *legalibus, & peracto in cruce sacrificio per Christum, aliam hic rationem Ecclesiæ, quàm olim Synagogæ instituit. Mensam dedit in qua epuletur, non autem in qua offerretur victima. Nec sacerdotes consecravit, qui offerrent sacrificarentque: sed ministros dedit, qui epulum sacrum distribuerent. Aræ fixæ & statæ, pecudibus mactandis, & ignibus sovendis magis sunt idoneæ, quæ tamen damnari non debent, si Dominicæ cœnæ inserviant.* Hæc de mensis sacris, sive religiosis.

Mensæ superstitiosæ. θυωρός.

Mensæ porrò superstitiosæ, quas verè *mensas dæmoniorum*, secundùm Paulum appellare possumus, fuerunt illæ gentium idololatricarum mensæ, in quibus & mactare, seu immolare, & epulari, & omnis generis vasa reponere consueverunt, quarum creberrima apud auctores fit mentio. A Græcis θυωρὸς & τράπεζα θυωρὸς, mensa sacris usibus dicata, teste Hesychio, fuit appellata, hoc est, in qua reponebantur ea, quæ diis offerebantur, ἢ τὰ θύη φυλάσσουσα. ἢ τοὺς ἱερεῖς, ἢ μυρεψοὺς, ab ὠρέω, id est, φυλάττω, *custodio, servo.* Diogenes Laërt. in *Pherecyde*, ἐλέγετο, ὅτι θεοὶ τὴν τράπεζαν θυωρὸν καλοῦσι. Pollux lib. 4. *de partibus Theatri*: ἢ τράπεζα πέμματα ἔχουσα, ἡ θεωρὶς, ἡ θυωρὶς ὀνομάζεται.

θυωρήτης. θυωρεῖσθαι.

Hinc θυωρήτης, qui sacræ mensæ ministrat, vel simpliciter mensarius, & θυωρεῖσθαι, in sacra mensa epulari, εὐωχεῖσθαι Hesychio. Arnobius lib. 2. *Sacras*, inquit, *facitis mensas, salinorum appositu, & simulachris deorum.* Sic *Curiales mensæ* dictæ, in quibus immolabatur Junoni, quæ *Curitis* est dicta. Et Cicero *de Natura Deorum*, mensarum argentearum in delubris mentionem facit. Idem Verrem dicit, mensas Delphicas e marmore, vimque maximam vasorum Corinthiacorum ex omnibus ædibus sacris Syracusis abstulisse.

Anclabris. Anclabria. Assidelæ.

Anclabris (inquit Festus) *est mensa ministeriis divinis apta.* Vasa quoque ænea, quibus sacerdotes utuntur, appellarunt *Anclabria*, nimirum ab *anclare* antiquo verbo, quòd *haurire* significat, a Græco ἀντλεῖν deductum. Livius, *Florem anclabant Liberi ex carchesiis. Assidelæ* similiter, teste Festo, fuerunt mensæ, ad quas sedentes Flamines, sacra faciebant. Mensas sacras Romanorum in templis ligneas fuisse, Dionys. Halicar. testatur.

Mensæ apud Ethnicos in sacris ædibus, ararum vicem obtinuerunt.

Festus, Mensas olim apud Ethnicos in ædibus sacris, ararum vicem obtinuisse, testatur. Idem luculenter Macrob. lib. 3. cap. 11. in illum locum Virg. 8. *Æneid.*

In mensam læti libant, divosque precantur.

Mensa in templo aræ vicem præstat. Mensarum usus in templis. Mensarum dedicatio.

Cùm non in mensam, sed in aram, secundum morem, libare debuerint. Ad illius quæstionis explicationem sic ait: *In Papyriano jure evidenter relatum est, Aræ vicem posse præstare mensam dedicatam, ut in templo, inquit, Junonis Populoneæ augustata mensa est. Namque in fanis alia vasorum sunt, & sacræ supellectilis: alia ornamentorum. Quæ vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus semper sacrificia conficiuntur. Quarum rerum principem locum locum obtinet mensa, in qua epulæ, libationesque & stipes reponuntur. Ornamenta verò sunt clypei, coronæ, & hujusmodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur. At vero mensa arulæque eodem die, quo ædes ipsæ dedicari solent. Unde mensa hoc ritu dedicata, in templo aræ usum, & religionem obtinet pulvinaris. Ergo apud Euandrum quidem fit justa libatio: quippe apud eam mensam, quæ cum ara maxima, more utique religionis, fuerat dedicata, & in loco sacro, & inter ipsa sacra, in quibus epulabantur. In convivio verò Didonis, quòd tantùm regium constat, non etiam sacrum fuisse, apud humanam mensam, in triclinio, non in templo, quia non erat religiosa, sed usurpata libatio, solam fecit libasse reginam, (Et in mensa laticum libavit honorem) in cujus persona nulla observationis necessitas, & multa ad usurpandum in potestate permissio. At verò hîc omnes in mensa læti libant, divosque precantur: quia quòd rectè fieri noverat, ab omnibus simul in templo epulantibus, & uni sacratæ assidentibus mensæ factum esse memoravit*: Servius in illud Virgilii Æneid. 1.

Dixit, & in mensa laticum libavit honorem.

More, inquit, *sacrorum, tangitque ritum Romanorum, qui paniceas sacratasque mensas habebant, in quibus libabant. Heus etiam mensas consumimus? inquit Julus.*

Mensarum usus prophanis triplex. Mensarum prophanarum nomina. Ἄβαξ. Ἄβακος & Ἀβάκιον significationes. Discrimen inter ἄβακον & ἀβάκιον. Vide Cæl. lib. 7. cap. 6. & 31. & lib. 24. cap. 12. Abacus & abaculus.

Mensarum usus prophanus est in epulis prophanis, & is quidem triplex. Nam vel in iis pocula tantùm, aliaque vasa epularia collocantur, vel pecora in iis mactantur, cibique omnis generis dissecantur, vel denique cibi in iis collocantur, & ex iisdem a convivis ad illas accumbentibus, assidentibus, aut etiam astantibus capi solent. Horum nunc nomina, & exempla quædam subjungam. Ἄβαξ Græcè ἐφ' οὗ τὰ πράγματα παρατιθέασι, inquit Ammonius, id est, *in quo res deponunt*: & Suida teste, propriè ἄβαξ dicitur ὁ μὴ ἔχων βάσιν, inde diminutivum ἀβάκιον. Utrumque vocabulum usurpatur cùm pro tabula quadra, quæ supponitur crassiusculæ summitati columnæ, tum pro tabula calculatoria, in qua logistæ, seu calculatores numeros deletiles: mathematici lineas & figuras ducunt: Persius, *Nec qui abacos numeres*, veteres *Pythagoricam mensam* appellarunt, tum pro tabula lusoria: Suetonius de Nerone, *quotidie in abaco luderet.* Macrob. lib. 1. *Quem diem*, inquit, *omnes plerique abaco, & latrunculis conterunt*: tum denique pro mensa, in qua omnis generis vasa exponuntur. Ammonius tamen hæc ita vult differre, quòd ἄβαξ propriè sit mensæ genus in tricliniis, ubi vasa omnis generis exponi solent: ἀβάκιον autem tabula illa calculatoria, in qua vel numeri, vel lineæ ducuntur. Ἄβαξ quoque, teste Eustathio, Οδ. Δ. significat ἄλαλον, ἀσύνετον, ἄφρον, ab α privat. & βάζειν, id est, loqui: unde ἀβακεῖν idem quòd ἀγνοεῖν, &c. sed hoc obiter. Latinè similiter *Abacus*, & *Abaculus*, quæ a Græcis derivantur, aliâs *ornamentum columnarum*, sive *columnarum cubile*, Vitruvio, hoc est, planities structa, ad sessum habilis; aliâs *tabulam Geometricam*: aliâs *tabulam supputatoriam*, seu *calculatoriam*: aliâs denique

mensam

mensam poculorum, sive *vasorum* significat, in qua postrema significatione hic a nobis usurpatur. Hujusmodi autem mensarum usus & antiquissimus est, & communis vehementer ac pervagatus. Juvenal. Satyr. 3. Mensæ poculorum seu vasorum.

Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex
Ornamentum abacis.

Ausonius, *Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,*
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Varro, *Sic, ut abacum argento ornari videmus, ut alia paria sint, alia disparia, sic in Oratione.* Cicero 4. Tuscul. *Abacos complures ornavit auro, & argento cælato.* Idem in Verrem, *Ab hoc abaci vasa omnia, ut exposita fuerunt, abstulit.* Livius, Cn. Manlio Volsone de Asiaticis triumphante, inter alia quæ magnificæ supellectilis habebantur, monopodia quoque & abacos dicit fuisse advectos. Plin. lib. 37. cap. 2. de Pompei triumpho: *Vasa ex auro, & gemmis abacorum novem.* Idem eodem in lib. & cap. *Abacis etiam, escariisque vasis inde expetitis.* Et paulò infrà eodem in cap. *Murrhina humorem putant sub terra calore densari: amplitudine nusquam parvos excedunt abacos.* Apulejus lib. 2. *Abacum pascuè vinulentum* vocat, interprete Beroaldo, opiparè, lautè, copioseque omni vinorum genere instructum, ut sit epitheton mensæ vinariæ accommodatum: in aliis tamen exemplaribus legitur *Hirulentum*, quidam corrigunt *jurulentum*. Sidonius libro secundo, epistolà ad Domitium, *abacum nitentem* vocat, interprete Baptista Pio, *locum sessui non integratum*, in qua significatione vult etiam a Plinio accipi, cùm aliàs, ut idem addit, *abacus* sit *custodiarum repositorium*, & peculiariter *promptuarium potoriorum.* Vitruvius lib. octavo: *Extructas cum habeant argenteorum vasorum mensas.* Hic *mensæ*, pro *abacis* ponuntur. Apud Lucianum in *Lexiphane*, mensa poculorum δελφινὶς appellatur, ποτήρια δ' ἔκειτο παντοῖα περὶ τὴν δελφινίδα τράπεζαν, id est, *omnis generis pocula jacebant in Delphinide mensa.* Hanc Porphyrius Latinè *Delphicam* vocavit, ad quam alludit Horatius in *Sermonibus*, Δελφινίς. Mensa Delphica.

---- *Et lapis albus*
Pocula cum cyatho duo sustinet, &c.

Juvenalis item, ---- *Et recubans sub eodem marmore Chiron.*

Cælius lib. 8. cap. 6. *Hoc vocabulum obscurum, & obsoletum: nam in illo Dialogo irridet affectatores obscuri, & inusitati sermonis, qui verbis plerunque obsoletis, vetustis vel etiam novis, & a se primùm confictis utuntur.* Videtur alludere ad tripodem Delphicum. Θύβη quoque ab Athenæo dicitur libro 4. ut vult Bayffius, *repositorium*, in quo lanx cum obsonio reponitur. Verba Athenæi hæc sunt: πίναξ, διπηχὺς τὸ διάμετρον ἐν θύβῃ κατακείμενος ἀργυρᾷ, πλήρης ἰχθύων ὀπτῶν, hoc est, *Lanx dimetientis, magnitudine bicubitalis, in repositorio collocata argenteo, piscium assatorum referta.* Hodie mensæ hujusmodi poculorum atque vasorum, sive structuræ valdè sunt usitatæ, & vulgò *abaci* sive *mensæ credentiæ* appellantur, Germani Credentz tisch / buffet / anrichttisch oder tafel / Galli *buffet, dressoir, chapelet.* Itali *Buffeto, Credenza* vocat. Θύβη. Mensæ credentiæ.

Mensa porrò coquinaria, ut eam Plinius vocat, Græcè τραπεζητική, in quibus coqui pecudes mactant, dissecant atque dividunt, cibos coctos imponunt: a Græcis antiquitus, teste Polluce libro 6. ἐλεός: a recentioribus comœdis ἐπικόπανον fuit appellata, quæ vox posterior etiam apud Menandrum reperitur. Eadem etiam, teste Polluce libro 10. ξάνιον, & ἐπίξηνον appellatur, ein hauwflotz / hauwbanck. Vide Erasmum *Chiliad.* 2. *Centur.* 10. *Adag.* 83. ἐπίξηνον truncus, in quo coqui secant carnes: ἐλεὸς vox Homero est usitata, Mensæ coquinaria.

Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ὤπτησε, καὶ εἰν ἐλεοῖσιν ἔθηκε,

Athenæus lib. 4. *Mensa*, inquit, *est* μαγειρικὴ, id est, *coquinaria*: unde τραπεζοποιοὶ, ἐλεοδύται, & ἐλεάτροι dicti fuerunt, de quibus alio in loco. Germanicè fleischbanck / kuchybanck / anrichttisch.

Mensam vinariam rotundam, Varro dicit *cylibatrum* olim fuisse nominatam, ut etiam nunc in castris, *declinatum*, ut videtur, a Græco ἀπὸ τοῦ κύλικος. *Altera vinaria mensa*, inquit idem, *erat lapidea, quadrata, oblonga, una columella, Cartibulum vocata. Hanc*, dicit, *se puero ad compluvium apud multos poni fuisse solitam, & in ea, & cum ea ænea vasa, itaque a gerendo gerribulum, inde Cartibulum postea fuisse dictum. Erat præterea*, ut idem inquit, *tertium genus mensæ, & quadratæ vasorum, quod urnarium fuit dictum, quòd urnas cum aqua potitas ibi potissimùm habebant in culina. Ab eo etiam nunc ante balneum locus, ubi poni solebant urnæ*, Urnarium *vocatur.* Mensa vinaria Cylibatrum. Cartibulum Urnarium.

CAPUT XVII.

DE MENSARVM VARIA FIGVRA ATQVE FORMA.

Mensas escarias, antiquitus *Cibilas* dictas, Varro testatur apud Romanos primùm quadratas fuisse, cujusmodi etiam suo tempore in castris fuerint: postea factas esse rotundas. *Cartibulum*, mensa vinaria, & *Urnarium*, mensa urnarum, quadrata fuit: at cylibatrum mensæ vinariæ genus ipsum quoque rotundum fuit. Athen. lib. 14. dicit veteres cùm sibi persuasissent mundum esse rotundum, mensam quoque fabricasse κυκλοειδῆ, hoc est, *rotundam*, nec non tripodas Diis consecratos, adhæc placentas, (φθοῖς) pocula, panes fecisse rotundos. Inde ἄρτον dictum, quoniam forma rotunda ἀπήρτισται, καὶ ἔστι τέλειος, perfecta & absoluta. Apud Plutarchum similiter lib. 7. *Sympos. Probl.* 4. Lucius mensa sibi dicit videri terræ esse μίμημα, hoc est, *simulachrum*: propterea quòd & nos alit, & rotunda etiam est, & stabilis (στρογγύλη, καὶ μόνιμος) unde rectè ἑστία, Mensæ apud Romanos primum quadratæ, postea rotundæ factæ fuerunt. Ἄρτος unde dictus. Mensa terræ simulachrum cur.

hoc

Terra Vesti dicta. Celtarum mensæ. Mensæ a forma rotunda, orbes dictæ.

hoc est, *Vesta* a quibusdam appellatur. Scaliger lib. 1. *Poët.* & tibias conviviales, παροινίας dictas, pares, & æquales, easque pusillas fuisse, ad significandum æqualitatem conviviorum: & rotundam olim mensam, ne quem sibi prælatum quispiam conquereretur. Mensas Celtarum ligneas, humiles & circulares fuisse Athenæus testatur lib. 4. Ab hac forma rotunda, mensæ *orbes* quoque fuerunt appellatæ. Cic. *Quingentis millibus orbem sibi emit.* Martialis:

Ut Mauri Lybicis centum stent dentibus orbes.

Juvenal. Satyr. 1. *Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam*
Antiquis, una comedunt patrimonia mensa,

Hoc est, mensis citreis orbiculatis. Eustath. Odyss. A. in illud,

Παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.

Mensæ cur rotundæ factæ fuerint. Mensæ veterum aliæ quatuor pedibus, aliæ tribus, aliæ uno solum fulciebantur.

Quod hemistichium crebrò apud Homerum occurrit, sic commentatur, τράπεζαν δὲ τανύειν εἰπὼν, ἐμφαίνει μήπω κυκλοτέρας εἶναι τότε τὰς τραπέζας, ἀλλὰ τεταννυσμένας εἰς μῆκος, hoc est, *Cùm mensam dixerit extendi, significat mensas tum temporis non adhuc fuisse orbiculatas, sed extensas in longitudinem.* Addit deinceps: *Forsan postea excogitatæ fuerunt rotundæ, propter* τὴν ἀνυπέρβλητον ἰσότητα, ἢ πρὸς ὁμοιότητα τῆς τροφοφόρου ἅλωνος, hoc est, *propter summam æqualitatem, vel ad similitudinem areæ victum ferentis.* Mensæ quoque veterum aliæ quatuor pedibus sive fulcris fulciebantur, quæ τράπεζαι fuerunt appellatæ, de qua voce suprà. Aliæ tribus, quæ *tripodes* dictæ sunt, & antiquitus erant militares, de quibus Athen. lib. 2. cap. 7. Horat. *Carm.* lib. 3. Ode 8.

Donarem tripodes, præmia fortium
Grajorum.

Idem 1. *Sermone,* ----- *modò sit mihi mensa tripes, &*
Concha salis puri.

Homerus in *Odyssea* memorat Alcinoum inter cætera Xenia Ulyssi tripodem magnum dedisse. Mensa quoque Delphica Ciceroni *mensa tripodanea*, nonnullis videtur dicta a Delphici tripodis similitudine, δελφινὶς Luciano, de qua voce suprà. *Monopodia* denique Livio mensæ, quæ uno solùm pede fuerunt suffultæ, quæ olim pulcherrimæ lautissimæque censebantur, qualia ex Asia devicta C. Manlius Romam in suo triumpho advexerat. Guil. Philander in suis commentariis in Vitruvium testatur, se Romæ vidisse in æde D. Eustathii, & aliis locis, nec non Mutinæ, sculptum in marmoribus singulis jacentem in lecto hominem subjecto pulvillo cubito, apposita ad lectum tripode mensa, aliquando monopodio. Venetiis quoque duo ejusmodi marmora dicit ostendisse Joannem Franciscum Valerium Venetum, Romanum unum, pusillum illud quidem: alterum e Peloponneso usque advectum. Bayffius vult, veteres non usos fuisse mensa bipede, etiamsi apud Martialem dicatur lib. 12, in Vacerram,

Ibas tripes grabatus, & bipes mensa,
Et cum lucerna, corneoque cratere.

Mensæ vel sublimes, vel humiles. Mensa sigma, Græcæ literæ effigiem referens.

Mensæ quoque vel sunt sublimes, vel humiles. Celtarum mensæ fuerunt humiles, non multum a terra exaltatæ, teste Athenæo. Apud Indos, ut Philostratus scribit, mensa in regio convivio fuit altaris instar, usque ad hominis genu sublimis, quæ in medio struebatur, quamque in semicirculum compositam, triginta homines, quasi chorus, ad manducandum circumsistebant. Fuit porrò apud veteres mensæ genus, Σ*igma* Græcæ litteræ capitalis, priscis usitatæ, effigiem referens, figura C sive lunæ specie. Unde Martialis *Epigram.* lib. 14.

Accipe lunata scriptum testudine, signa
Octo capit, veniat quisquis amicus erit.

Et alibi, *Septem signa capit, sex sumus, adde Lupum.*

Heliogabali consuetudo. De voce sigmatos doctorum virorum opiniones. Pub. Crinitus. Baptist. Ignatius. Sidonius. Joan. Baptiste Pius. Lampridius. Antisigma. Cælius.

Lampridius dicit, Heliogabalum hanc habuisse consuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cœnam, item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, octo pingues, cùm capi non possent uno eodemque sigmate, ut ea ratione major subinde risus spectatoribus moveretur. Idem, eodem teste, primus adinvenit sigma humi consternere, sive lectulis, ut a pedibus utres ad reflandum spiritum solverent. P. Crinitus lib. 19. cap. 10. in hæc duo loca, mensæ dicit fuisse genus, quæ lunæ similitudinem haberet, formamque præferret Σ literæ Græcæ. Baptista Ignat. in Lampridium, *Sigma*, inquit, *veteres sellam in formam* ς *literæ constantem dixêre, spiris involutam, ab elemento* ς. Sidonius quoque lib. 2. epistol. ad Domitium: *Ita ut ministeriorum sese non impediente famulatu, tot posit recipere sellas, quos soli sigma personas.* Ioan. Baptista Pius in illum locum, *Sigma mensula ea potissimùm figura affabrè lævigata, & exculta, uti sex caperet majori ex parte convivas, in similitudinem elementi Græcanici, implicatioribus spiris incurva, non absimili fortasse figura ab ea, quam Lucianus in Lexiphane Delphinidem appellat.* Et paulò pòst: *Sigma vocitatum a litera Græcæ similitudine, quemadmodum zeta, sive zetecula a* z *litteræ figura: etiamsi sint, qui* ἀπὸ τοῦ ζῆν, hoc est, *vivere, deflectant.* Lampridius in Heliogabalo, recenset sigma juvenibus esse stratum: ubi perperam *Syma*, non *sigma* scriptum. Legimus & *antisigma.* Cælius lib. 12. cap. 18. *Sigma* apud Lampridium, dicit, non semel inveniri pro diœta positum, sive stibadio, sive cœnatione. Idem *sigma*, vel a Græci elementi figura dici tradit, vel ab ejus elementi titulo, qui foribus superponebatur: qua nota discubitoris silentium indici videbatur, ut a convivio surgentes, si quid fortè licentiùs foret dictum, ejus volentes oblivifcerentur, S enim silentii habet notam, & ipsa litera *sigma* creditur appellata παρὰ τὸ σίζειν. Hoc ridiculè a Cælio dici vult Brodæus lib. 3. Miscel. cap. 14. Hæ sunt doctorum

quorun-

quorundam virorum de hac voce sigmatos opiniones: quarum illa mihi verisimillima videtur, asserentium sigma esse mensæ genus literæ C (unde etiam dicti) sive lunæ dimidiatæ similitudinem referens, ut ex Martiali patet. Falluntur ergo, ut Iunius quoque in suo *Nomenclatore* vult, qui vulgatæ literæ σ similitudine expressam mensam figurari existimant. Sic & processus omoplatæ, qui aliâs etiam ἀγκυροειδὴς & κορακοειδὴς appellatur, σιγμοειδὴς ἀπόφυσις, & sinus seu cavitas semicircularis in cubito, inter duas cubiti apophyses comprehensa, in quam brachii extremum, trochleæ simile, inseritur, σιγμοειδὴς & σιγμαλοειδὴς, & cartilagines, quibus aspera arteria contexitur, semicirculares χόνδροι σιγμοειδεῖς, & denique tres membranulæ, ad orificium venæ arterialis positæ, quæ intus ortæ extrorsum feruntur, σιγμοειδεῖς appellantur: propterea quòd hæ partes omnes semicirculares sunt, & antiquæ Græcorum literæ C imaginem referunt, ut Gorrhæus tradit in suo libro *Definitionum medicinalium*. Mensa perpetua Virgilio est longa, & a capite atrii cœnaculive in extremum recessum excurrens: cujusmodi hodie ferè Gallorum, Italorum, Polonorum, aliarumque gentium mensæ sunt. Ac omnino nostris temporibus omnis generis atque formæ mensas, ut rotundas, quadratas, monopodas, dipodas, tripodas, tetrapodas, fixas, portatiles affabrè artificioseque elaboratas videre licet.

Opinio de voce sigmatos.

Mensa perpetua.

CAPUT XVIII.

DE MATERIA MENSARUM.

Verum ut forma, ita materia quoque mensarum & olim, & hodie varia est, atque multiplex. Conficiuntur enim ex auro, argento, marmore, ebore, lapidibus, gemmis, ex lignis pretiosis & odoratis: quarum nunc exempla quædam antiqua subjungam. Mensæ illæ sacræ veteris Testamenti, uti suprà dictum est, confectæ fuerunt ex ligno *Sittim*, auro, argentoque obductæ, Exod. 25. De ligno illo *Sittim* variæ sunt, & discrepantes Hebræorum sententiæ. Alii enim Cedrum fuisse, & quidem Kimhi optimam Cedri speciem fuisse dicit. Fuerunt autem olim mensæ cedrinæ magno in pretio, de quo inferiùs. Alii piceam, alii buxum esse dicunt. Non desunt qui volunt hoc genus ligni a filiis Israël ex Ægypto in desertum fuisse adsportatum, quod est incertum. Paulo Fagio, linguæ Hebrææ peritissimo, in Commentariis in Exodum probabilis maximè videtur esse Aben Ezræ sententia, qui conjicit hoc genus ligni circa montem Sinai crevisse, cui adstipulatur & auctor Hizkuni, qui scribit in deserto sylvas fuisse, in quibus hoc lignum creverit: fuisseque lignum leve, & pulchrum, ex quo & filii Israël sua tabernacula fecerint, juxta illud, *Habitavit verò Israël in Sittim*, Nu. 25. Septuaginta transtulerunt ξύλα ἄσηπτα, hoc est, ligna putredinis expertia. Quidam etiam spinam albam interpretantur. Mensarum argentearum in delubris Cicero meminit lib. 3. *de Natura Deorum* his verbis: *Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri* (Dionysius Siciliæ tyrannus) *in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset Bonorum Deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat.* Antoninus Heliogabalus primus mensas, capsas, & caccabos argenteos habuit, si Æ. Lampridio credimus: quæ tamen Bayffius intelligit privato usui habuisse. Nam publico in usu Romæ antea fuisse, quodam Plutarchi loco probat, ubi lecti, mensæ, & sellæ aureæ Romam a quodam Iberorum rege missæ fit mentio. Mensas Delphicas e marmore Verrem Syracusis abstulisse, testis est Cicero in *Verrinis*. Pedes mensarum olim ex ebore confici fuisse solitas, ex antiquis literarum monumentis patet. Sic Nero, teste Dione, mensas habuit cedrinas ἐλεφαντόποδας. Hinc Plin. lib. 21. c. 1. *Ex arbore & simulachra numinum fuêre, non pretio excogitato beluarum cadaveri, antequàm, ut a Diis nato jure luxuriæ, eodem ebore numinum ora spectarentur, & mensarum pedes.* Ita Clemens quoque Alexand. lib. 2. *Pædag.* c. 3. reprehendens luxum sui temporis, *Ergone*, inquit, *indignabitur mensa, quæ est pedibus eburneis instructa, si panem unius oboli portaverit?* Idem eodem in loco, κέδρου δὲ ὀυκεάτου, καὶ θύου, καὶ ἐβένου, καὶ ἐλέφαντος τρίποδας ἠσκημένους, hoc est, *tripodas ex cedro sectili, & thuris virgulto* (forsan thyam arborem significat) *ebenoque, & ebore confectos fuisse testatur a luxuriosis hominibus.* Apud Romanos, ut ex veterum monumentis constat in cœnaculo mensa collocabatur rotunda, humilis, inferiorum quidem hominum tripes, & ex simplici ligno: lautiorum citrea, aut acerna, aut lamina argentea intecta, quam pes eburneus affabre factus, puta in modum pardi, aut leonis, sustinebat. De priore mensa Tigellus apud Horatium adfectata paupertate,

De ligno Sittim variæ Hebræorum sententiæ.

Mensæ argenteæ.

Mensæ ex marmore.

> ---- *Modò sit mihi mensa tripes, &*
> *Concha salis puri.*

De altera Iuvenalis Satyr. 11. —— *Putere videntur*

> *Unguenta, atque rosæ latos nisi sustinet orbes*
> *Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu*
> *Dentibus ex illis quos mittit porta Syenes, &c.*

Lucanus: *Dentibus hic niveis sectos Atlantide sylva*

> *Imposuêre orbes, quales ad Cæsaris ora*
> *Non capto vertere Juba, &c.*

De sa-

De sacris Romanorum priscorum mensis ex ligno simplici suprà ex Dionysio Halicar. dictum est. Communes quoque illorum mensas antiquitus ex arboribus vernaculis, non ex longinquo petitis confici fuisse solitas, Juvenal. Satyr. 11. testatur:

Illa domi natas, nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt, hos lignum stabat in usus
Annosam si fortè nucem dejecerat Eurus.

Mensæ acernæ. Ac omnino materiei apud antiquos accuratissimùm sanè ad mensas habitum fuisse delectum constat. Mensæ olim ex acere eximiæ habitæ sunt, qui ob id *acernæ* dictæ sunt, Horat. lib. *Serm.* 2.

His ubi sublatis, puer altè cinctus, acernam
Gausape purpureo mensam prætersit.

Has in precio fuisse olim, quamvis citreis inferiores, declarat distichon illud Martialis,

Non sum crispa quidem, nec sylvæ filia Mauræ:
Sed norunt lautas, & mea ligna dapes.

Acer arbor. Est autem *Acer* arbor amplissima, operum elegantia, ac subtilitate cedro secunda, ut scribit Plinius lib. 16. c. 15. Unde nonnulli sic dictam volunt, quòd acria in ea artificum ingenia exerceantur. Aceris autem cùm plura sint genera, pulcherrimum esse bruscum, multoque etiamnum excellentia mollușcum, Plinius testatur eodem in loco; sed bruscum intortiùs crispum, mollușcum simpliciùs sparsum. Si magnitudinem mensarum caperet, haud dubiè præferretur cedro. Nunc intra pugillares, lectorumque silicios, aut laminas raro usu spectatur. E brusco fiunt & mensæ nigrescentes. Hæ fuerunt non tam raritate, qnàm materiei vel soliditate insignes. Mensæ cedrinæ. Cedrinæ mensæ olim apud Romanos pretiosissimæ fuerunt habitæ, de quarum pretio atque luxu sic scribit Plinius lib. 13. c. 15. *Confines ei* (Atlanti monti) *Mauri, quibus plurima arbor cedri & mensarum insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt,* &c. Mensarum cedrinarum pretium magnum fuit, ob materiei raritatem, ac senium, & regionis distantiam, cùm apud Atlantem Mauritaniæ montem perquirerentur. Quòd testatur Martialis his verbis lib. 14.

Accipe felices Atlantica munera sylvas:
Ærea qui dederit dona, minora dabit.

Ibidem de dentibus eboreis loquens,

Grandia taurorum portant qui corpora, quævis
An Lybicas possint sustinuisse trabes?

Illæ fuerunt rotundæ, ita ut ab eodem Poëta periphrasticôs orbes appellentur. Lucanus:

Ut Mauri Lybicis centum stent dentibus orbes
---- Sectosque Atlantide sylva
Imposuêre orbes, quales ad Cæsaris ora
Nec capto vertêre Juba.

Idem lib. 9. *Sed penitus terra est, tantùm Maurusia genti*
Robora divitiæ, quarum non noverat usum:
Sed citri contenta comis vivebat, & umbra.
In nemus ignotum nostræ venêre secures,
Extremoque epulas, mensasque petivimus orbe.

Et idem lib. 1. *---- Mensasque priores*
Aspernata fames.

Martial. Epigram. lib. 9. in Mamurram:

Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.

Hoc est, mensæ citreæ, metonymicè. Seneca etiam dum sui temporis luxuriam detestatus est, quod citri radices insanis licitarentur pretiis ad mensarum, & lectorum ornamenta. Multi eas e citro fuisse arbitrantur. Mensæ citreæ. Quidam tamen contrà, quòd citri materies mensarum amplitudinis minimè capax sit. Verior opinio, ut non e citro, quæ citrea fert, verùm ex alia ejusdem generis, quæ in Anchorario monte, citerioris Mauritaniæ & Atlante nascitur. Citrearum mensarum etiam meminit Paulus Jurisconsul. lib. 20. *Digest.* Cicero sexta in Verrem: *Tu maximam & pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sylla civis Rom. est, omnibus scientibus abstulisti.* Harum Tertull. quoque meminit lib. *de Pallio* sub finem, his verbis: *Adipo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus non unum orbem citri emit, quæ bis tantum Asinius Galba pro mensa ejusdem Mauritaniæ numerat. Hem quantis facultatibus æstimavêre ligneas maculas?* De mensis citreis vide etiam Hermol. Barbarum *Corollariorum in Diosc.* lib. 1. c. 17. Beroald. in *Annot. in Lucanum.* Mederæ insulæ incolæ ex cedro mensas conficiunt miri odoris, non absimiles cupresso, nec non ex nasso pulcherrimo, teste Aloysio Cadamusto. Hæ mensæ ornabantur coronis aureis, vel argenteis, gemmis distinctis: quarum coronarum meminit Pomponius in l. *Etsi non ut clavi. §. Perveniamus,* isto titulo: *Cedrus arbor est odorata, speciosa, diu durans, teredines & tineas nec gignens neque alens.* Quin e cedro liquor exprimi-

exprimitur, quem Græci κεδρέλαιον appellant: quo si libri, aut tabulæ inungantur, neque carie neque vermibus consumuntur. Unde Persius inquit,

---- *Et cedro digna loquutus.*

Vide Plin. libro 16. cap. 39. & 40. Quare non mirum est, mensas ex cedro olim maximi fuisse pretii, ex qua & templum illud Solomonium 1. Reg. 5. & 2. Samuel. 7. & templum Ephesinæ Dianæ (ut Vitruvius refert, & Plin. lib. 16. & 40.) cedrina materia tectum fuit, & simulachrum ipsum Deæ cedrinum fuisse ajunt: quamvis alii vitigineum illud faciant, alii ex ebeno. Plin. libro 13. cap. 5. *Materiæ verò ipsi* (cedro) *æternitas.* Itaque & simulachra Deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus, e Seleucia advectus. Quoniam autem (ut hoc obiter dicam) e cedro, & similibus arboribus, quandoque sponte humor, ut pix resina secernitur, hinc statuæ atque simulachra ex ea materie confecta, nonnunquam sudare atque lachrymari visa sunt, id quòd ignari putarunt Deorum esse miraculum, cum opus fuerit naturæ. Ægyptii olim mensas, & alia hujusmodi selecta opera ex Persia sibiipsis fecerunt. Apud illos enim arbor hæc satis honorata, & materie robusta, atro colore, & visu decora. Ex trogete etiam (quæ ab aliis *thya* vocatur, Homero quoque nota) fiebant, ob materiei raritatem & firmitatem, laudatissimæ. Plin. libro 13. cap. 16. *Theophrastus*, inquit, *magnum huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes, quandamque immortalitatem materiæ in tectis contra vitia omnia incorruptæ. Radice nihil crispius, nec aliunde pretiosiora opera.* De mensis tamen tacuit, ut aliàs nullius ante Ciceronianam vetustior memoria est, ex quo novitiæ apparent. Laconibus e robore fuerunt, quòd tardissimè cariem & vetustatem sentit, Plin. lib. 16. cap. 40. Julius Pollux, Principibus e myrto olim apponi solitas scribit. Hodie passim apud omnes gentes fiunt ex omni materia. Apud Gallos, & alias gentes fiunt ex cupresso, tum ob odoris, tum diuturnitatis præstantiam. E juglande etiam, teste Benedicto Curtio Symphoriano, in Gallia ornatissimæ fiunt: quò verò nigriore materie, & crebrioribus venis intercursantibus cernuntur, eò pretiosiores habentur, quas etiam oleo, ut nitidiores sint atque lucidiores, inungunt. De ejus porrò materiei præstantia idem sic disserit: *Nulla alia (cedrum, cupressum, citrum, hebenum, & alias, raras excipio) sive operum elegantia, & facilitate magis laudata, nec quæ ad tot opera utiliter requisita sit: ut, quæ nullum sive torno, sive tonsura artificium recuset. Nec quæ item magis subtiliora opera exprimit. Siquidem in picturas, & omnes rerum imagines, molli & absque rimis materie, ductili opere, & brevi filo patefacit, glutinis verò patientissima.* Idem auctor testatur advehi ex Germania ad illos mensas e fraxineis radicibus: quæ ob varias & incursantes venas, quas vulgus *madratas* passim appellat, spectabiles, cum alterius circum materiei prætextura. Porrò apud Plinium lib. 13. cap. 15. describuntur mensæ *Tigrinæ*, *Pantherinæ*, *Undulatæ*, *Apiatæ*. *Tigrina* Plinio est mensa, oblongo venarum discursu maculosa, aut in venam crispa, a Tigride, quæ fulvo nitet, nigrantibus segmentis interundata, ut Solinus ait. Sic nuncupare non abs re fortasse liceat, quam *cupreßinam*, vel *acernam* cum Ovidio dicimus, inquit Junius in suo *Nomenclatore*. Mensa *Pantherina* Plinio in parvos vertices crispa (sic Junius se legisse dicit ex antiquissimi exemplaris indubitata fide apud Plin.) vel crispo, ac intorto macularum discursu variegata: cujusmodi est de ligno nostris hominibus *Provinciali* nuncupato compaginata, a Panthera sic dicta, quæ minutis orbiculis sive oculatis, e fulvo circulis distinctam habet tergi suppellectilem, ut Solinus loquitur. Mensa *undulata* Plinio, undatim crispa, quæ pavonum caudæ oculos imitatur, quales e buxi radicum ligno constructa fuerit. Mensa *apiata* Plinio densa quædam quasi granorum congerie crispata aut consperſa: sic dicta fortè, quòd apum excrementa passim asperſa imitetur. Antiquitus fissis arboribus, mensarum genera circinabantur, cùm alioqui vena in orbem cæsa fragilis foret. Mensæ Turcarum, *Thophra* dicta, ex corio fit, & explicatur, & contrahitur, ut marsupium, supra quam vescuntur, ut plurimùm e corio bubulo parata est, aut cervino non continuato, & adhuc hirsuto, rotunditatem habens, quatuor vel quinque palmarum latitudinis circulos multos, per circuitum insutos, ferreos, quibus quum corrigia inducta sunt, instar bursæ clauditur, expanditur & portatur: Barthol. Georgev. & Boëmus. Apud nostros hodie cerasinæ, fraxineæ, acerinæ & abiegnæ: apud magnates marmoreæ & eboreæ, eburatæque ebore intectæ, & cupressinæ in usu habentur. Sunt & segmentatæ, id est, tessellis, ac præsegminibus diversi coloris distinctæ, quas *segmentatas* quidam nominant. Mensæ fiunt non solùm e ligno, sed etiam lapidibus & marmore. Item sive solidæ, sive marmore aut lapide fissili incrustatæ duntaxat, Gesnerus libro *de Figuris lapidum.* Hæc de mensarum materia.

Mensa Tigrina.

Mensa Pantherina.

Mensa undulata.

Mensa apiata.

CAPUT XIX.

DE VARIA ET MULTIPLICI MENSAS ADORNANDI, INSTERNENDI, EXTRUENDI, MUNDANDI, ABSTERGENDI, APPONENDI REMOVENDIQUE CONSUETUDINE.

Menſas olim ſummo ſtudio extergere, & emundare, ſive emaculare conſueverunt, ad quod ſpongia utebantur, Martial.

Hæc tibi ſorte datur tergendis ſpongia menſis,
Utilis expreſſo quum levis umbra tumet.

Item penicillo, e penis extremitate, unde nomen traxit. Hodie multæ nationes, præcipuè verò Germani baſi utuntur, ne mappæ inquinentur. Eſt autem *baſis* in ſuppellectile menſaria orbiculus (Germanicè Geiſt) cui canthari & patinæ illatæ ſuperponuntur.

Mappis quoque Menſas antiquorum Romanorum non fuiſſe opertas, Bayffius ex antiquis litterarum monumentis ait conſtare. Siquidem pro ſe quiſque conviva mappam ſecum ad convivium adferebat, quòd ipſum ita eſſe convincitur ex eodem Martiale in 12.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantile e menſa ſuſtulit Hermogenes.

Quòd verò menſas opertas non ponerent, ait Martial. lib. 11. qui id ridiculum putat,

Menſas, Ole, bonas ponis, ſed ponis opertas,
Ridiculum eſt: poſſum ſic ego habere bonas.

Mappæ. *Mappæ* dicuntur, quæ ſuper menſam ſternuntur. Iſidorus mappas convivii & epularum appoſitarum eſſe dicit, ſic dictas quaſi *manupas*: cujus diminutivum eſt *mapella*. Perottus *mappam* vult dictam, quòd *manibus pendeat*, dum ſumus in menſa. Veriùs tamen a Græco μάττειν vel μάσσειν quod *edere* ſignificat, videtur deſcendere, quòd illi inſtratæ comedendi cibi imponantur: vel ut ſit tanquam ἀπομάττειν, quod ad illam abſtergamus manus, de quo more Veterum dictum eſt ſuprà cap. 5. Plin. libro 19. de lino ſcribens, quod vinum appellat: *Ardentes in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis, quàm poſſent aquis.* Villoſæ apud veteres habitæ ſunt in pretio: hinc Martial. in *Apophor.* de mappis nimirum loquens,

Nobilius villoſa tegunt tibi lintea citrum.

Mapparum (quæ a Germ. tiſch ſachen oder tiſch tücher: Gall. *nappe*: Ital. *touaglia*: Hiſp. *touaija*: appellantur) hodie quoque creberrimus eſt uſus, quæ menſis inſterni ſolent. Mappa quæ menſis inſternitur ad manus abſtergendas cujuſnam rei fuerit ſymbolum, vide Pierium in *Hieroglyph.* ac Ægydium Correzetum in dictis & factis memorabilibus de hoc more, quem Bertrandus Geſquinas, Magiſter equitum ſub Carolo V. Gallorum Rege introduxit, ut quicunque nobilitate & conditione ſua aliquid indignum commiſiſſet, in publico convivio dedecoris cauſa mappa coram illo præcideretur, & hoc ipſo indignus convictu nobilium judicaretur. Iisdem imponuntur orbes, ſive quadræ, ſalinæ, cochlearia, cultri, pocula, cibi. Apud Gallos, Italos & alias nationes, pocula non in menſis, ad quas accumbitur, ſed in abacis reponuntur.

Menſas apponendi, removendique mos veterum. Porrò toties menſas, quoties fercula, & opſonia olim mutari: & quidem opſoniis onuſtas a duobus ſervis ferri, convivisque accumbentibus apponi fuiſſe ſolitas, ex Alexi poëta apud Athen. lib. 9. & Plutarcho in vita Pelopidæ Guilielmus Philander conjicit in ſuis commentariis in Vitruvium: unde toties in uno convivio menſarum appoſitarum, atque remotarum apud auctores fit mentio. Idem teſtatur Bayffius lib. *de Vaſcul.* his verbis: *Dicebantur denique menſæ, quibus reponebantur vaſa eſcaria, & fercula, quas ſic opſoniis onuſtas, convivis apponebant duo ſervi.* Neque enim ſinguli ſervi ſingula fercula ferebant, ut hodie factitare ſolemus, ſed menſam ferculis onuſtam adferebant, atque adeò accumbentibus convivis apponebant, medium inter duos, ut conjicere eſt ex Luciano in Dialogo, qui ὄνειρος, ἢ ἀλεκτρυὼν inſcribitur, in hæc verba: εἶτα μηδενὸς ἀνεχομένου πλησίον κατακεῖσθαι αὐτῷ ἐμὲ κατακλίνουσι φέροντες ὡς ὁμοτράπεζοι εἴημεν. Quare non abs re conqueritur Martialis de Annio, qui ut lautior videretur, miniſtrantes ſervos habebat, qui ſingula geſtarent fercula. Verba Martialis ſunt lib. 6.

Cum menſas habeat ferè ducentas,
Pro menſis habet Annius miniſtros,
Tranſcurrunt gabatæ, volantque lances.
Has vobis epulas habete lauti,
Nos offendimur ambulante cœna.

Hunc.

Hunc morem etiam antiquum fuiſſe, idem conjicit ex verſiculis citatis ab Athenæo lib. 9.

Ὡς εἶδε τ̀ τράπεζαν ἀνθρώπȣς δύο
φέρονῖας εἴσω, ποικίλων παροψίδων
Κόσμȣ βρύȣσαν.

Menſam ponere, & *apponere* antiqui dicebantur, Græcè παραθεῖναι. Cicero *ad Atticum*: *Hac ad te ſcripſi appoſita ſecunda menſa apud Neſt.* *Cibis* autem menſæ *onerari*, *inſtrui*, & *extrui* dicebantur. Cicero *ad Piſonem*: *Extructa menſa non conchiliis, aut piſcibus: ſed multa carne ſubrancida.* Idem in Tuſc. *Menſæ conquiſitiſſimis cibis extruebantur.* Idem, *caret epulis, extructiſque menſis.* Athen. lib. 1. teſtatur, menſas antiquitus toto conventus tempore adfuiſſe cibis oneratas: (quæ conſuetudo etiam ſuo tempore apud multos barbaros obtinuerit, ut variis cibis cooperiantur) ac demum poſtquam convivæ diſceſſerant, famulas cibum, pocula, & menſas abſtuliſſe. Idem etiam teſtatur lib. 5. Ubi inquit, ἀπαλλαγέντων ἢ τ̃ δειπνȣ́ντων, αἱ τράπεζαι ἐβαστάζοντο, hoc eſt, *poſtquàm convivæ diſceſſerunt, menſæ deportabantur, ſive auferebantur*, Lambinus in illa Plauti in *Truculento*,

---- *Cedò, ſoleas mihi*
Properate, auferte menſam. ----

Hinc intelligimus apud veteres ubi e lectis ſurrexerant, in quibus accubuerant, menſas removere ſolitos. Virgilius,

Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remotæ.

Sic apud Plautum in *Amphit: Am. quid poſtquam cœnavimus? Al. Te dormitare ajebas, menſa ablata eſt, cubitum hinc abjimus.* Lambinus: *Menſæ veteribus cœnaturis ſtatuebantur, ſeu apponebantur, ut in Aſin. Pueri menſam apponite: cœnatis removebantur.*

Huc facit mos, & conſuetudo Romanorum antiqua, qua nefas erat menſam tollendo inanem facere: ſemper enim aliquid in ea volebant relinqui. Ejus conſuetudinis Plutarchus cùm in *Quæſt. Rom. quæſt.* 64. tum lib. 7. *Sympoſ. Probl.* 4. haſce rationes affert: 1. *Significabant ſemper ex partis aliquid in futurum reſervandum, & in præſenti die ſubſequuturæ aliquam habendam rationem.* 2. *Quòd ſcitum putabant appetitum cohibere, eumque reprimere, dum adhuc aliquid ad fruendum in promptu eſt: minus enim appetunt abſentia, qui præſentibus abſtinere didicerunt.* 3. *Quòd mos iſte humanitatis aliquid erga famulos videtur habere, qui ſic videntur quodammodo à Dominis ad ſocietatem menſæ admitti: non enim tantùm delectantur accipiendo, quantùm participando.* 4. *Quòd menſa ſit res ſacra, nulla autem rerum ſacrarum unquam debeat inanis relinqui.* 5. *Quòd menſa terræ videatur eſſe ſimulachrum. Nam præterquàm quòd nos alit, rotunda etiam eſt, & ſtabilis, & rectè Veſta a quibusdam appellatur. Sicut ergò terram ſemper volumus aliquid nobis utile producere, & efferre: ita cenſemus menſam quoque nunquam debere vacuam, & omni deſtitutam apparatu relinqui.*

Multis menſis antiquos uſos fuiſſe, Bayffius in lib. *de Vaſculis*, quibuſdam Plutarchi teſtimoniis confirmat. Sunt qui exiſtimant apud Homerum menſas ſingulis viritim fuiſſe appoſitas, de quo tamen a nonnullis dubitatur. Vide Athen. lib. 1. cap. 4. & Euſtath. Οδ. Α. quo in loco ait, menſas πολυτελεῖς a quodam veterum dictas fuiſſe καλῆρεφέεας παντοίων ἀγαθῶν. Apud Germanos antiquos, teſte Cor. Tacito, ſeparatæ ſingulis convivis erant inter epulandum ſedes, & ſua cuique menſa.

Menſa denique, quoniam veteribus res ſacra atque religioſa viſa eſt, hinc multæ opiniones, atque auguria ſuperſtitioſa promanarunt, quorum hujuſmodi quædam a Plinio exempla commemorantur lib. 28. cap. 1.

Incendia inter epulas nominata aquis ſub menſa profuſis abominamur.
Bibente conviva, menſam, vel repoſitorium tolli, inauſpicatiſſimum judicatur.
Servii Sulpitii principis viri commentatio eſt, quamobrem menſa linquenda non ſit.
Sternutamento revocari ferculum menſamve, ſi non poſtea guſtetur aliquid, inter diras habetur.
Cibus etiam e manu prolapſus, reddebatur, utique per menſas, vetabantque munditiarum cauſa deflare.
Si Pontifici accidat ditis cauſa epulanti, in menſa utique id reponi, adolerique ad larem piatio eſt.
Medicamenta, priusquàm abbibeantur, in menſa fortè depoſita, negantur prodeſſe. Hæc ille.

His adde, quòd de menſa quæ cadebant, tollere nefas erat, quæ mortuis amicis, & heroibus conſecrabantur.

Item, quòd menſam, quando tollebatur, omnino inanem eſſe, nefas ducebatur: ſemper in ea aliquid relinquendum eſſe cenſebatur.

Menſa res honorifica, & auguſta. Hinc menſæ adhiberi, a principibus præſertim viris, magni ſemper honoris loco habitum fuit.

CAPUT XX.

DE MINISTERIO CONVIVIALI, AC PRIMO QUIDEM DE NOMINIBUS GENERALIORIBUS MINISTRORUM ATQUE SERVORUM.

Nunc de Miniſterio conviviali, cujus ſimiliter cura & adminiſtratio ad convivatorem, ſive convivii dominum pertinet, eſt dicendum. Nam quemadmodum vaſa & inſtrumenta, ut paulò antea explicatum eſt: ſic miniſtri quoque (qui ſunt ὄργανα ἔμψυχα, imo ὄργανα πρὸ ὀργάνων, teſte Ariſtotele *Pol.* 1. 3. cap.) apti & idonei ad cujusvis, præſertim celebrioris convivii celebrationem requiruntur. Nam quoniam ipſe convivator ſivè convivii dominus, non facilè omnia, quæ ad convivium juſtum legitimumque pertinent, efficere atque præſtare poteſt, idcirco miniſtris illi eſt opus peritis, fidelibus atque induſtriis, quorum opera ad illud partim adornandum, partim regendum moderandumque utatur. Miniſterii porrò convivialis egregium nobis exemplum Chriſtus in Euangelio proponit Luc. 17. his verbis: *Quis veſtrûm*, inquit, *ſervum habet arantem, aut paſcentem, qui regreſſo ab agro dicat ſtatim, accede, & diſcumbe? Annon potiùs dicet ei, Para quod cœnem, & præcinctus miniſtra mihi uſquedum edero & bibero: & poſtea edito tu, & bibito? Num gratiam habet ſervo illi, quia fecit quæ ipſi præcepta fuerant? non puto. Ita & vos, cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus: nam quod debuimus facere, fecimus.* His verbis Chriſtus, ceu perfectus omnium officiorum magiſter, cum ſervorum erga dominos, tum dominorum erga ſervos ſuos officia egregiè ſanè expreſſit atque deſcripſit, in quibus continentur ſimul omnia, quæ in miniſterio hoc nobis conviviali ſunt conſideranda, quæ quidem ad 4. hæc capita videntur poſſe revocari. Primum eſt de nominibus generalioribus miniſtrorum. Secundum, de variis eorum generibus atque differentiis. Tertium, de eorundem habitu atque officio in genere. Quartum, de Dominorum, atque etiam convivarum ipſorum erga miniſtros officio.

Meſcharetim. Quòad nomina, Miniſtri ab Hebræis משרתים *Meſcharetim*. Eſther 1. *Miniſtrantes regi*. 1. Reg. 1. *Et Abiſag Sunamithis miniſtrabat regi*: ubi miniſterii convivialis fit mentio. Differunt autem ſecundùm Grammaticos nonnullos a

Abadim. עבדים *Abadim*, hoc eſt, *ſervis*, quòd *Meſcharetim* ſint miniſtri liberi, & ingenui: *Abadim* autem propriè, qui vel pecunia ſunt empti, vel capti bello, & a Latinis propriè *ſervi*, atque *mancipia* appellantur. Græcè δοῦλος (qua voce Lucas loco ante citato utitur) cùm ſpeciatim, & quidem plerumque, pro ſer-

Δοῦλος. vo accipitur, qui libero ſeu ingenuo opponitur, ſecundùm illud Ariſtoph. in *Avibus*, δοῦλος ὢν, κόμην ἔχεις, hoc eſt, *cùm ſervus ſis, comam alis* (quòd, teſte interprete, liberorum erat proprium) tum etiam nonnunquam pro liberto, & in univerſum, pro quovis miniſtro uſurpatur, παρὰ τὸ δόλος, ἢ παρὰ τὸ δέω, τὸ δεσμεύω. Hinc Theocriti interpres, δοῦλος, inquit, & οἰκέτης *differunt, ut in ſecundo de Concordia prodit Chry-*

Δοῦλος, & οἰκέτης differunt. *ſippus, quòd* οἰκέτης *eum, qui etiamnum ſervit:* δοῦλος *autem* ἀπελεύθερον *indicat*, id eſt, *libertum: & in genere, quemvis miniſtrum, ac etiam ſubditum, ut prodit Ammonius.* Eodem modo Hebr. עבד uſurpatur. Δοῦλοι, inquit eleganter Suidas, omnes ſunt τῇ φύσει, id eſt, *natura* Dei: διαθέσει autem οἱ τοῦτο τὴν δεσποτείαν ἀσπασίως

Οἰκέτης. αἱρούμενοι. Eſt etiam alia δουλεία ἐν ὑποταγῇ· & tertia ἐν κλήσει, ἢ ὑποταγῇ.

Οἰκέται, inquit Suidas οὐ μόνον οἱ θεράποντες, ἀλλὰ καὶ πάντες οἱ κατὰ τὴν οἰκίαν. Ariſtophanis interpres in illud in *Nubibus*, οἱ δ' οἰκέται ῥέγκουσι, id eſt, βαθέως καθεύδουσι. οἰκέτας δὲ νῦν οὐ τοὺς θεράποντας μόνον, ἀλλὰ πάντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκίαν. Euſtath. in illud Ιλ. Ε.

φίλους οἰκῆας ἐγείροι,

Hic inquit, οἰκῆας, *ut videtur antiquis, non ſervos poëta vocat: ſed ſimpliciter eos, qui in domo ſunt familiares. At ſecundùm Ariſtophanis commentaria* οἰκέται *dicebantur non modò* οἱ κατ' ἀγροὺς ὑπουργοὶ, hoc eſt, *coloni*, ſive *ſervi ruſtici*: verùm etiam liberi, qui ſunt in ædibus. Idem in Ιλ. οἱ οἰκεῦς, & οἰκέτης, inquit, *cùm ſervos, tum eos qui in domo verſantur, quantumvis liberos, ſignificat.*

Διάκονος. Διάκονος, miniſter ac ſervus talis, qui μέχρι τῶν κονιῶν κονεῖ, id eſt, *uſque ad ſudores pulverulentos deſudat*: ſic dictus a voce κόνις, teſte Euſtath. Ιλ. Ρ. ſive κονία, quæ *pulverem* ſignificat propriè *athleticum*: unde κονί-

Κονίστρα. Κονεῖν. στρα idem, quod παλαίστρα. Hinc κονεῖν idem quod *ſervire*, & *in pulveribus deſudare*: inde ἐγκονεῖν, & διακονεῖν, (unde forſan noſtrum vernaculum dienen) qua voce Lucas hoc in loco utitur, & cap. 10. de miniſterio conviviali verba faciens. Item διάκονος Matth. 22. & Joan. 2. pro iis, qui menſæ miniſtrant: διακονούμενοι, συνδιάκονοι, & ὑποδιάκονοι Athenæo: διακονικὰ ἀνδράποδα Philoni. Idem ἐλεύθεροι ὑπηρετοῦσι τὰς διακονικὰς χρείας ἐπιτελοῦντες. Ariſtoph. in *Acharnenſ.* μαγειρικῶς, κομψῶς τε, καὶ δειπνητικῶς, αὐτῷ γε διακονεῖται.

Διακονία. διακονούμενοι, ἑστιώμενοι Luciano. Διακονία (cui ſynonyma ὑπουργία, ὑπηρεσία, λειτουργία) pro ipſo miniſterio epulari Athenæo lib. 4. & Luc. 10. ἡ δὲ Μάρθα περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, & cap. 22. *Quis major eſt*, inquit Chriſtus, ὁ ἀνακείμενος, ἢ ὁ διακονῶν, hoc eſt, *qui accumbit, an qui miniſtrat* (ubi *accumbens*, & *miniſtrans*, inter ſe opponuntur.) Et mox: *Ego autem ſum in medio veſtri* ὡς διακονῶν, id eſt, *miniſtrans.*

Αὐτοδιάκονος. Αὐτοδιάκονος Euſtathio ὁ αὐτοχειρὶ δουλεύων, *qui ſua ſponte ſervit*: & αὐτοδιακονία priſcorum Athenæo lib. 9. cùm ſibimetipſis in conviviis miniſtrarent. Διακόνιον, ut illud quoque addam, placentæ eſt ſpecies Eu-

Αὐτοδιακονία. ſtathio atque Suidæ. Nonnulli tamen διακόνιον appellant locum quendam ædis ſacræ penitiorem, & ſecretio-

Διακόνιον. rem, in quo ſacra Eccleſiæ vaſa reponuntur (*Repoſitorium* Plinius hujuſmodi locum vocat) & conduntur: quod

Secre-

Secretarium alio nomine nuncupant: & inde διάκονος, *secretarius*, quòd hujus loci claves gestet, curamque habeat, quæ significatio ex Concilii Laodiceni C. *Non oportet*, distinct. 23. videtur esse sumpta. Vox porrò διακόνου in sacris quoque Vet. Testamenti literis trita admodum est, & usitata, qua partim Politicum ministerium (unde *Magistratus Rom.* 13. dicitur διάκονος Dei: & paulo pòst, λειτουργὸς) partim Ecclesiasticum, partim denique vulgare quodvis etiam conviviale, ut Luc. 4. 10. 17. Ioan. 12. & alibi significatur. Quando verò pro Ecclesiastico munere accipitur, aliâs generatim significat quemvis Ecclesiæ ministrum (unde etiam Apostoli aliquoties se διακόνους vocant. Col. 1. Cor. 23. 2. Cor. 3. & Christus Rom. 15. circumcisionis διάκονος appellatur) tum speciatim eum, qui in Ecclesia Dei, ærarii pauperum curam administrationemque habet, & circa pauperum ministerium, & sublevationem occupatur: quales erant ii, de quibus Actor. 6. & Philipp. 1. Rom. 12. 1. Tim. 3. scriptum est: quo ferè significato accipitur, cùm ab Episcopis in Ecclesia Diaconi distinguuntur. Hinc *Diaconissæ* 1. Tim. 5. quæ ministrabant mulieribus pauperculis, & puerperis, aliisque ægris puellis, ac fœminis. Talis Phœbe fuit apud Cenchreënses Rom. 16. Hinc etiam collecta ipsa διακονία dicitur 2. Cor. 9. Rom. 15. 1. Cor. 16. Actor. 11. Quilibet etiam cultor Dei διάκονος vocatur Joan. 12.

Διακόνου vocis in Vet. Test. significatio.

Diaconissæ.

Λειτουργία, inquit Suidas, propriè dicitur ἡ δημοσία ὑπηρεσία, hoc est, *publicum ministerium*, παρὰ τὸ λήιον (λήιτον videtur legendum) quod significat publicum, & prytaneum, id est, locum publicum, in quo Magistratus versabantur. Sic λεία quoque dicta *præda*, quòd publicè divideretur. Herodotus certè in *Polymnia* ait, ab Achivis λήιτον (quod est λεῖτον Ionica solutione) appellari ædes publicas, seu Curiam, id est, πρυτανεῖον) & ἔργον, id est, *opus*. Unde commutatis aliquot litteris videntur dicti, qui in his locis Magistratibus inservirent. Idem, λειτουργικὴ, inquit, propriè ἡ ἱερατικὴ: catachresticῶς autem, ἡ δουλική. In sacris literis ut διακονία, ita λειτουργία Ecclesiasticum docendi munus significat: & λειτουργεῖν τῷ κυρίῳ Actor. 15. hoc est, κηρύττειν, *prædicare*, interprete Chrysostomo, & Theophylacto. Luc. 1. Postquàm completi sunt dies λειτουργίας, hoc est, *muneris*, seu *curationis* ejus, hoc est, Zachariæ. Latini *officia* interpretati sunt. Sic Angeli Heb. 14. appellantur πνεύματα λειτουργικὰ, hoc est, *Spiritus ministratorii*: & ex Psal. 104. λειτουργοὶ, id est, *ministri*: & *martyrium* ad Philip. 2. λειτουργία vocatur, & ad Hebr. cap. 10. Sacerdotes Vet. Testamenti dicuntur λειτουργεῖν, hoc est, *sacrum officium obire*: & cap. 9. ejusdem Epist. dicuntur vasa λειτουργίας, hoc est, *ministerii*, quæ ad cultum divinum pertinebant. Ex quibus locis omnibus constat, verbum λειτουργεῖν significare in genere *servire*, & *ministrare* certo aliquo officii genere, quòd debetur superioribus, vel inferioribus, vel etiam paribus. λειτουργοὶ dicuntur ipsi ministri Rom. 15. 1. Pet. 2. de Prophetis. Ipse Christus ad Heb. 8. Sanctorum dicitur λειτουργός. Magistratus quoque Rom. 13. Dei διάκονος, & mox λειτουργὸς appellatur (vide Aristot. lib. 4. cap. 4. *de Magistratuum liturgia in Repub.*) λειτουργία quoque, ut διακονία 2. Cor. 9. pro collatione, quam conferebant pii pauperibus, usurpatur: & ad Rom. 15. & ad Philipp. 2. Epaphroditus, qui Eleëmosynas colligebat λειτουργὸς, & ipsum munus λειτουργία dicitur. Λειτουργοὶ Athenæo lib. 12. dicuntur, qui in Alexandri epulis nuptialibus ministrarunt: & λειτουργία ab eodem ministerium conviviale appellatur. Mirum itaque non est, cœnam Dominicam λειτουργίαν a Græcis fuisse appellatam.

Λειτουργία propriè quid.
Λειτουργία unde.
Λήιτον quid.
Λειτουργικὴ propriè quid.
Λειτουργίας significatio.
Λειτουργεῖν.
Λειτουργοί.

Ὑπηρέτης Suidæ δοῦλος, ὑπηρέται Philoni, & Athenæo ministri mensæ dicuntur: & inde ὑπηρεσία, ipsum ministerium. Pollux, ἡ δὲ ὑπηρεσία, παῖδες, οἰνόχοοι, τραπεζοκόμοι, τομεῖς, &c. lib. 6. cap. 1. Eustath. Οδ. θ. ὑπηρέσιον secundùm veteres est locus, in quo remiges sedent: inde ὑπηρεσία, pro δουλεία ponitur, & ὑπηρετεῖν.

Ὑπηρέτης.
Ὑπηρεσία.
Ὑπηρέσιον.

Θεράποντες Suidæ δοῦλοι, ὑπηρέται. θέραψ similiter δοῦλος, ὑπηρέτης. θεράπαινα, δούλη. θεραπευτῆρες, οἱ τῶν ἱερῶν προεστάμενοι. Eustath. Ιλ. ο. vult θεράποντος vocem, ut & οἰκέτου, partim pro servo, partim pro quovis ministro, etiam ingenuo usurpari. Idem Ιλ. τ. θεράπων, inquit, lingua Cretensi δοῦλον ὁπλοφόρον significat: verùm apud poëtam (Homerum) nusquam θεράποντες δοῦλοι, ἀλλὰ τῶν φίλων οἱ δραστικώτεροι. δοιὼ θεράποντε δαήμονε δαιτροσυνάων, procis adesse dicuntur Ulyssi a Telemacho, Οδ. π.

Θέραψ.
Θεράπων.

Ὑπουργεῖν similiter, & ὑπουργία cùm pro quovis, tum speciatim pro conviviali ministerio accipitur.

Ὑπουργεῖν, & ὑπουργία.

Δρηστῆρες quoque, & ὑποδρηστῆρες, & in fœm. δρήστειραι, Homero dicuntur ministri, qui convivium parant, mensæque ministrant: ipsumque ministerium δρηστοσύνη, & illud obire δρᾶν eidem significat. Οδ. κ. 4. Circes ancillarum (quas ἀμφιπόλους, & δρήστειρας appellat) officia describit. Harum enim alia thronos sternebat stragulis pulchris atque purpureis: alia mensas argenteas antè thronos explicabat, iisque imponebat canistra aurea: tertia vinum miscebat dulce in argenteo cratere, & aurea porrigebat pocula: quarta aquam adferebat, ignemque accendebat sub magno tripode. δρήστειραι ibi interpretatur Eustat. αἱ δουλεύουσαι, παρὰ τὸ δρᾶν (unde forsan nostrum vernaculum thun) τὸ ὑπουργεῖν· inde δρηστὴρ, & ὑποδρηστὴρ, ὁ ὑπουργός. quoniam δρᾶν non modò ποιεῖν, hoc est, *facere*, verum etiam ὑπουργεῖν, hoc est, *servire*, & etiam θύειν, hoc est, *sacrificare* significat, secundùm Athenæum. Οδ. præterea ο. Ulysses ad Eumæum dicit, se procis optimè ministraturum esse, cibi sibi comparandi gratia.

Δρηστῆρες.
Quatuor Circes ancillarum officia.
Δρᾶν.

Αἶψά κεν εὖ δρώοιμι μετὰ σφίσιν ὅττι θέλοιεν.

Τὸ εὖ δρώοιμι Eustathius exponit, εὖ διακονοίην, ὑπηρετοίην, δρᾶν γὰρ τὸ ὑπηρετεῖν, & cum adjectione παραδρᾶν, καὶ ὑποδρᾶν· καὶ δραστῆρες οἱ θεράποντες. καὶ δρήστειρα fœm. καὶ δρηστοσύνη, ἡ ταπεινὴ διακονία, hoc est, *ministerium humile*, quòd paulò post his verbis exponitur,

Δρηστοσύνῃ δ' οὐκ ἄν μοι ἐρίσσειεν βροτὸς ἄλλος,

Πῦρ τ' εὖ νηῆσαι, hoc est τὸ σωρεῦσαι Eustathio: quidam tamen scribunt εὐνῆσαι, quod significat vel φυλάξαι, καὶ δυνᾶσαι, ζωπυρῆσαι ἐν σπουδῇ) διά τε ξύλα δανὰ κεάσσαι. (id est ξηρὰ, καὶ ἐπιτήδεια εἰς τὸ δαίεσθαι)

Δαιτρεῦσαί τε, καὶ ὀπτῆσαι, καὶ οἰνοχοῆσαι.
Οἷά τε τοῖς ἀγαθοῖσι παραδρώωσι χέρηες,

Hoc eſt, πένοι, πτωχοὶ, ac velut χείρεργοὶ Euſtathio interprete. Subjungit poſtea deſcriptionem ὑποδρηστήρων, hoc eſt, *miniſtrorum ſplendidorum*, quorum opera proci utebantur,

Κήρυκες quoque apud Homerum crebrò legimus, omnia hujuſmodi munia coquinaria atque convivialia obiiſſe, de quo ſuprà, ubi de coquis agitur, Ιλ. Σ.

Κήρυκες δ' ἀπάνευθεν ὑπὸ δρυῒ δαῖτα πένοντο,

ubi famulos regis cujuſdam prandium meſſoribus ejus paraſſe ſcribit.

Ελεοδύται quoque, & δῆλιοι Athenæo dicuntur menſæ miniſtri, quos τραπεζοποιοὺς, & alios hujuſmodi διακόνους interpretatur, lib.4. εἰσκομίζοντες τὰ εἰς τροφήν. Hæc ſunt ferè nomina generalia, quibus Græci menſæ epularumque miniſtros inſigniunt.

Latinis *miniſtri* a manibus, ſic dicti, quaſi *maniſtri*, & *adminiſtratores* Ciceroni vocantur, nec non *ad pedes*; de qua loquutione infrà pluribus: & *miniſtrare* Ciceroni eſt menſæ miniſterium obire, *Tuſc. diſput.* 5. pro quo verbo *miniſtrandi*, quia antiqui *anculare* dicebant, inde *ancillæ* nomen provenit: quamvis *ancillas* dictas putent ab Anco Martio, quòd is bello magnum fœminarum numerum ceperit. Verùm probabilior eſt prior ſententia. Nam & Dii quidam inde Deæque *Anculi & Anculæ* ſunt dicti, tanquàm aliorum (ſcilicet) miniſtri, a quibus primùm dictæ videntur *anculæ*, quæ poſtmodum *ancillæ*: Auctor Feſtus. Verùm de ſervis, & miniſtris in genere, quomodo item tractandi, copioſiora tradentes vide Thomam Garzonum libro Italico, qui inſcribitur *Piazza univerſale Diſc.* 91. Item Cæl. Rhodig. lib.13. cap. 47. uſque ad 54. & lib. 10. cap. 24. & 27. Nec non Calcagninum, Petrum Viderium, Politiani *Miſcellanea* cap.54. & Alexand. ab Alexandro. *Miniſterium* quoque pro *miniſtris* ſæpe uſurpatur, Plin. lib. 12. *Quindecim convivarum, ac miniſterii capax fuiſſe triclinium. Facere miniſterium* Apuleio lib.4. pro miniſtrare, & miniſtrorum fungi officio. Cicero: *Sed ut omnes comites atque miniſtratrices eſſe diceres.* Gallicè *ſervir à table*: Germanicè auffwarten / zu tiſchdienen. Et ipſi miniſtri, tiſchdiener (& per jocum, qui oſcitanter munere ſuo funguntur, tiſchginer) item tiſchwarter & auffwarter appellantur. Hæc de nominibus. Nunc de variis eorum generibus, ſive differentiis.

CAPUT XXI.

DE VARIIS MINISTRORUM CONVIVIALIUM GENERIBUS ATQUE DIFFERENTIIS.

Primo diſtinguuntur ſecundùm ætatem, alii enim ſunt juvenes, alii ſenes. Eumæus apud Homerum Οδ. O. ad Ulyſſem:

Οὔτοι τοιοίδ' εἰσὶν ὑποδρηστῆρες ἐκείνων,
Ἀλλὰ νέοι, &c.

Hic ſæpe κοῦροι apud eundem dicuntur miniſtraſſe. Puerorum olim, atque juvenum maximè opera veteres uſos fuiſſe, id quòd etiamnum hodie fieri ſolet, paſſim ex hiſtoriis conſtat. Cicero *Tuſcul.*5. Damoclis epulum deſcribens, quod illi Dionyſius apparari curavit: *Tum ad menſam eximia forma pueros delectos juſſit conſiſtere.* Unde idem Piſoni exprobrat, quòd ſervi ſordidati, nonnulli etiam ſenes ei miniſtrarent. Hinc παῖδες Polluci, & aliis non modò pueri ætate: verùm etiam ſervi atque miniſtri dicuntur, propterea quòd ætas puerilis ad miniſtrandum eſt aptiſſima. Idem teſtatur Euſtath. Ιλ. α. 103. ubi ſimiliter juniores utriuſque ſexus hujusmodi miniſteria obiiſſe ſcribit; ac proinde παῖδες & παιδίσκας appellari conſueviſſe. Apud Hebræos quoque & Latinos *puer* crebrò pro ſervo, ſeu famulo uſurpatur. Gen. 14. *armavit pueros domus ſuæ*, hoc eſt, famulos, & ſervos: & 18. *tulit vitulum tenerum, & bonum, deditque puero*, id eſt miniſtro, *qui illum paravit.* Germani ſimiliter ſuos ſervulos vulgò Jung / id eſt *juvenes* appellant.

Secundo diſtingui poſſunt ſecundùm ſexum: nam alii ſunt virilis, alii fœminei ſexus, qui conviviis inſerviunt. Apud Homerum utriuſque ſexus hominum fit mentio, qui convivialia illa munera obierunt. Fœminæ appellantur δμωαὶ, ἀμφίπολοι, δρήστειραι. Αμφίπολοι Euſtathio δουλίδες. Herodotus: καὶ τὰς ἐλευθέρας καὶ τὰς ἀμφιπόλους. Sic autem vocantur, ἐπὶ τὸ ἀμφὶ τὰς δεσποτίδας πολεῖν. inde etiam πρόπολοι, & πρόσπολοι. Veteres πρόσπολον virorum: ἀμφίπολον mulierum famulam faciunt, Euſtath. Ιλ. Γ. ἀμφίπολος, inquit idem Ιλ. ζ. οὐ μόνον ὄνομα δουλικὸν, hoc eſt, *nomen ſervile, ſed etiam epitheton* τύμβου ἀμφὶ πολουμένου, ὅ ἐστι κύκλῳ περιοδευομένου. De 4. Circes famulis epulum apparantibus, paulò antea dictum eſt, Ιλ. λ. fit mentio famulæ Neſtoris, quæ ipſi, & Machaoni prandium paravit. Sic Οδ. ο. Menelaus:

---- ἢ ἀλόχῳ ἢ δ' δμωῇσι κέλευσε
Δεῖπνον ἐνὶ μεγάροις τετυκεῖν ἅλις ἔνδον ἐόντων.

Et Οδ. Υ. ejuſdem rei habes exemplum, ubi Euryclia jubet ancillis ſuis epulas adornare: opera porrò, actionesve ad convivia pertinentes, quæ ab Homero ancillis tribuuntur, hæc ſunt: Domos verrere, atque aſpergere, ſive tingere, ſecundùm illud Οδ. Υ.

—— αἱ

---- αἱ μὲν δῶμα κορήσατε ποιπνύσασαι,

Id eſt, ποιπνύσασαι, hoc eſt, ſummo ſtudio atque labore ædes verrite: τὸ κορήσατε δῶμα, pro σαρώσατε, καλλύνατε· unde κόρημα, τὸ σαρὸν, ſive σάρωμα, & ſcopæ quibus verrimus (quæ etiam κόρυθρον) & ſordes, quæ domum verrendo abjiciuntur. Addit, πάσσατέ τ', &c. *inſpergite*, *irrigate*, ſcilicet unguentis odoriferis. Item thronos, ſive ſedilia ſtragulis veſtibus ſternere: ut,

---- ἐν δὲ θρόνοισ' εὐποιήτοισι τάπητας
Βάλλετε πορφυρέους.

Sic Ὀδ. κ. de Circes ancillis.

---- ἡ μὲν ἔβαλλε θρόνοις ἐνὶ ῥήγεα καλά.
Πορφύρεα καθύπερθ', &c.

Item menſas ſpongiis abſtergebant, & pocula emundabant, ſecundùm illud Ὀδ. Υ,

---- αἱ δὲ σπόγγοισι τραπέζας
Πάσας ἀμφιμάσασθε, καθήρατε κρητῆρας,
Καὶ δέπα ἀμφικύπελλα τετυγμένα.

Menſas item extendebant, iisque cùm pocula, tum caniſtra imponebant, ſecundùm illud Ὀδ. κ. de Circes famulis:

Ἡ δ' ἑτέρη προπάροιθε θρόνων ἐτίταινε τραπέζας
Ἀργυρέας, ἐπὶ δέ σφι τίθει χρύσεια κάνεια.

Item vinum in Cratere miſcebant, & pocula porrigebant. Ibidem,

Ἡ δὲ τρίτη κρητῆρι μελίφρονα οἶνον ἐκίρνα
Ἡδὺν ἐν ἀργυρέῳ, νέμε δὲ χρύσεια κύπελλα.

Solebant item aquam adferre, & ignem accendere. Ibidem,

Ἡ δὲ τετάρτη ὕδωρ ἐφόρει, καὶ πῦρ ἀνέκαιε
Πολλὸν ὑπὸ τρίποδι μεγάλῳ, &c.

Item Ὀδ. Υ. ταὶ δὲ μεθ' ὕδωρ,
Ἔρχεσθε κρήνηνδε, καὶ οἴσετε θᾶσσον ἰοῦσαι.

Manibus item aquas infundebant, ſecundùm illud Ὀδ. Α.

Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος
Νίψασθαι. ----

Cibos quoque menſis imponebant. Hinc tritum illud apud Homerum,

Σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα,
Εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα, χαριζομένη παρεόντων.

Et eodem in libro,

Σῖτον δὲ δμωαὶ παρενήνεον ἐν κανέοισιν.

Miniſtri autem maſculi θεράποντες, δρηστῆρες, ἀγλωόρες, ὑποδρηστῆρες, δμῶες, κήρυκες appellantur, δμῶες καὶ δμωΐδες παρὰ τὸ δεδμῆσθαι, metaphora ducta a jumentis ſubjugalibus, quæ domita faciliùs jugum ſubeunt, & commodiùs atque tranquilliùs incedunt. δμὼς δμωὸς, ὁ δοῦλος· unde & δμωαὶ, δουλίδες, eodem teſte. Hodie quoque paſſim partim pueri, partim puellæ atque ancillæ ſolent menſæ miniſtrare.

Tertia differentia eſt ſecundùm vitæ conditionem atque ſortem vel ſervilem, vel liberam: nam vel ſervi vel liberi & ingenui ſolent miniſtrare. Veteres olim, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ſervorum opera cùm aliis in rebus, tum in conviviorum apparatu & adminiſtratione utebantur, ut paſſim ex veterum monumentis conſtat. Erant autem ſervorum atque ſervarum apud alias atque alias gentes varia nomina, conditiones atque differentiæ, de quibus plura videre licet apud Athenæum lib. 6. ubi Æginetarum, Athenienſium, Chiorum, Cretenſium, Corinthiorum, Heracleotarum, Niciæ, Romanorum ſervorum meminit, variasque ſingulorum conditiones explicat. Ab Hebræis generali nomine עבדים, a Græcis δοῦλοι, a Latinis *Servi* & *Mancipia*. Appellantur οἱ δοῦλοι, ut Clitarchus inquit in libro *de linguis*, ἄζοι, θεράποντες, ἀκόλουθοι, διάκονοι, ὑπηρέται· præterea πάλμονες, λάτρεις· Amerias ἑρκίτας, vult appellari τοὺς κατὰ τοὺς ἀγροὺς οἰκέτας· Hermon. *de linguis Cretenſibus*, μνώτας vult dici τοὺς εὐγενεῖς οἰκέτας. Seleucus autem ἄζους, τὰς θεραπαίνας & θεράποντας· ἀποφέρασιν δὲ τὴν δούλην, καὶ βολίζην· σίνδρωνα autem δουλέκδουλον, ἀμφίπολον δὲ, τὴν περὶ τὴν δέσποιναν θεράπαιναν, πρόπολον δὲ, τὴν προπορευομένην. οἰκέτου vocabulum ibidem partim δοῦλον, hoc eſt, *ſervum*: partim τὸν κατὰ τὴν οἰκίαν διατρίβοντα, etiamſi liber ſit, ſignificare demonſtrat. Idem etiam οἰκετῶν & δούλων ex Chryſippo hanc affert differentiam, quòd δοῦλος ſit etiam ἀπελεύθερος, libertus: οἰκέτης autem, δοῦλος ὁ τῆς κτήσεως μὴ ἀφειμένος, ἀλλὰ κτήσει κατατεταγμένος. Athenienſes ſuos clientes θῆτας, a ſervitute: Lacedæmonii εἵλωτας, *Helotas*, qui bello victi, victoribus ſerviebant, Mariandyni δωροφόρους, haſtiferos. Theſſali ſervos ſuos πενέστας appellabant, ob paupertatem τοὺς μὴ γένει δούλους, διὰ πόλεμον δὲ ἡλωκότας, ab initio μενέστας dictos ἀπὸ τοῦ καταμένειν, hoc eſt, *permanendo*: quòd Bœoti qui Arneam incolebant, pacta cum Theſſalis ſervarint, quibus ſe in ſervitutem addixerunt, ne educerentur ex regione, aut perimerentur: dicti ſunt etiam θετταλοικέται. Cretenſes famulos in civitate χρυσωνήτους· in agris ἀμφαμιώτας· (forſan quòd circa hamas verſarentur) eos qui erant

 indi-

indigenæ, in bello autem victos, ex ſorte κλαρώτας vocabant. Κλαρώτας, inquit, *Cretenſes ſervos appellabant* ἐκ τοῦ γινομένου περὶ αὐτῶν κλήρου, *ab ea ſorte, quæ eorum gratia fiebat.* His ſtatuta atque ſolennia erant feſta, quibus liberi civitatem non ingrediebantur, ſed ſervi rerum omnium erant domini: atque liberos flagris cædere poterant, ſi voluiſſent. Verum de variis hiſce ſervorum nominibus, ſi vis, vide plura apud Athenæum lib. 6. & Pollucem, Suidam & Cæl. lib. 25. cap. 18. vide etiam de iiſdem Euſtath. in Ιλ. Ο. Eſt autem hîc obſervandum, in ſacris quibusdam apud veteres nefas fuiſſe ſervorum opera uti. Sic enim apud Coos, quando Junoni ſacrificia fiebant, nefas erat ſervum templum ingredi, multò minus deguſtare aliquid eorum, quæ erant appoſita, ut teſtis eſt Athenæus lib. 6. & lib. 14. idem confirmat Macarei & Phylarchi teſtimoniis, cujus hæc ſunt carmina:

> Σοῦργοι οἱ μοῦνοι μὲν ἐλεύθεροί εἰσ' ἱεροεργοὶ,
> Ἀνδράσι προσκείνοισιν ἐλεύθερον ἦμαρ ἔχοντες,
> Δούλων δ' οὔ τις πάμπαν ἐσέρχεται οὐδ' ἠβαιόν.

Idem teſtatur lib. 6. Phorbantis quoque ſacrificia per liberos tantùm miniſtros fieri fuiſſe ſolita, nec ſervum quenquam accedere fas fuiſſe: cujus ibidem conſuetudinis cauſa commemoratur. Exempla contrà lib. 14. feſtorum atque conviviorum quorundam ab Athenæo afferuntur, in quibus Domini ſervis miniſtrant, de quibus lib. 1. dictum eſt. Luc. 12. dicitur Dominum ſuccinctum ſervo vigilanti, quem accumbere faciet, miniſtraturum eſſe. Philo de vita victuque Theoretarum, hoc eſt contemplationi deditorum diſſerens, dicit illos in ſolennibus ſuis conviviis liberorum tantùm, non mancipiorum miniſteriis uti, propterea quòd ſervitutem cum natura pugnare exiſtimant, quæ omnia omnes liberales & æquales genuit: cujus legum avaritia contemptrix inæqualitatem ceu malorum fontem ei præferens, inferioribus neceſſitatem impoſuit, ut juſſa potentiorum facerent. Itaque in ſacris illorum conviviis nemo adeſt ſervus: ingenui tamen miniſtrant. Hodie inter Chriſtianos, quoniam ſervitus locum non habet, hujuſmodi miniſteria epularia per ſervos atque ancillas conductas peraguntur.

Quarta & quidem latiſſimè patens differentia miniſtrorum quorumque, ſive illi ſint ſervi ſive liberi, eſt ſecundum illorum opera, actiones ſeu miniſteria. In loco Euangelii, quem propoſuimus, mentio fit δούλου ἀροτριῶντος & ποιμαίνοντος, hoc eſt, *arantis atque paſcentis*, ſcilicet oves. Nam ποιμένες, ut Grammatici volunt, propriè ſunt ovium paſtores ſeu cuſtodes (unde perperam in Latinis libris additur, *boves*, cùm *oves* fortaſſe auctor ſcripſerit) ut boum, βουκόλοι· caprarum, αἰπόλοι· ſuum, συβῶται· equorum, ἱπποφορβοί. Sunt itaque alii ſervi ruſtici, quos ἀμφαμιώτας & ἐρκίτας· alii urbani, quos χρυσωνήτους Cretenſes nominarunt, ut paulo antea dictum eſt. Verùm nos omiſſis aliis operibus, de convivialibus tantùm dicemus, id quod noſtri eſt propoſiti.

Κλήτορες. Vocatores. Primò ergo illi, qui ad convivia vocabant, ſeu invitabant, a Græcis κλήτορες, & δειπνοκλήτορες communiter, & ſpeciatim, teſte Athenæo, qui Regibus ea in re miniſtrabant, ἐλεάτροι, ſive ἐλέατροι· a Latinis *Vocatores* ſunt appellati, de quibus vide tit. *de Invitatione.*

Opſonatores. Deinde qui opſonia coëmebant, eaque coquis tradebant, a Græcis ὀψῶναι, & ἀγορασταί· a Latinis *opſonatores* fuerunt dicti: de quibus vide ſimiliter ſuprà tit. *de Opſonatione.* ἐκάλουν δὲ καὶ ἀγοραστὴν τὸν τὰ ὄψα ὠνούμενον, νῦν δὲ ὀψωνάτορα. Xenoph. lib. 2. *Apomnemoneum.* Διάκονον δ' ἂν καὶ ἀγοραστὴν τὸν τοιοῦτον θέλομεν πρᾶγμα λαβεῖν. & apud Menandrum: φειδωλὸς ἦν καὶ μέτριος, ἀγοραστής. ὀψώνην Ariſtophanes vocavit. Athenæus lib. 4. Seneca in epiſtola quadam ſcribit officium hoc, aliâs ſervorum, aliâs adulatorum ac paraſitorum fuiſſe, quod ex Plauti & Terentii comœdiis conſtat: de quo vide Caſſaubonum in Theophraſti *characteres*: ſicut etiam de pueris *a pedibus ſive ad pedes*, quos convivæ ſecum adducebant, & de more apophoreta iis dandi. Ibidem.

De iis porrò qui in cibis parandis, coquendis, condiendiſque, ſunt occupati, ſuprà ſatis dictum.

Scoparius. *Scoparius* eleganter vocatur converritor, hoc eſt, miniſter ille, qui ſcopis verrit domum, pavimentum, & cuncta venuſtat, quod Homerus ancillis tribuit, uti ſuprà dictum eſt.

Peniculi. *Peniculos* ſimiliter Lazius vult dictos eſſe ſervos, qui peniculo menſam abſtergebant, ac inſternebant. Erat namque *peniculus* inſtrumentum ad mundandi uſum accommodatum, a *pene*, id eſt, cauda animalis denominatum: qua ſimiliter, ut nunc, menſæ, abſtergebantur, Ein part wiſch. Meminit Plautus in *Menachmis*, ſub perſona paraſiti,

> *Juventus nomen fecit Peniculo mihi,*
> *Ideo quia menſam, quando edo, detergo.*

Moris fuit apud veteres, ut primis menſis ſublatis, puerorum alius menſam pertergeret, alter quæ in humum ceciderant, ſublegeret, ut indicat Horatius 2. *Satyr.* 8. his carminibus:

> *His ubi ſublatis, puer alte cinctus acernam*
> *Gauſape purpureo menſam pterſit: & alter*
> *Sublegit quodcunque jaceret inutile, quodque*
> *Poſſet cœnantes offendere.*

Et Lucillius, *Purpureo terſit tunc lætas Gauſape menſas.*

Spongiis quoque uſos ad menſas tergendas, ex illo Martialis carmine apparet:

> *Hæc tibi fortè datur tergendis ſpongia menſis,*

Utilis

Utilis expresso quum levis imbre tumet.

Hinc sæpe apud Homerum ἀπόγξοιςι τραπέζας ἀπομάτῃν. Ὀδ. A. de ministris verba faciens:

Οἱ δ' αὖτε σπόγγοισι πολυτρήτοισι τραπέζας
Νίζον.

Lectisterniatorem Plautus eleganti vocabulo appellat eum, qui lectis mensisque sternendis præest. Sic enim ait in *Pseudolo*,

Tu esto lectisterniator; tu argentum eluito, atque id extruito.

Hoc est, ex thecis expromptum disponito, seu componito. Sedilia, lectos, mensasque sternendi ministerium, ut & pocula eluendi, Homerus Ὀδ. Υ. ancillis assignat, ut paulò antea dictum.

Servi *atriarii*, sive *atrienses* dicebantur, qui supellectilem, signa, tabulas, cælatum argentum, custodire, tergere, ungere, verrere, spargere, exponere solebant, ut ex Ciceronis paradoxo ultimo, Columellâ lib. 12. & aliis ex locis constat, qui etiam *supellecticarii* videntur in Jure dici. Hodie qui in conviviis solennioribus vasorum aureorum, atque argenteorum custodiæ præest, vulgò Silber meister / hoc est, *argenti magister* Germanicè appellatur.

Sunt præterea alii, qui cibos jam coctos inferunt, mensæque apponunt, qui *dapiferi* a Latinis, a dapibus ferendis, dicuntur, teste Perotto, quæ dictio apud nullum antiquum auctorem, quod sciam, reperitur. Germanis Truckfäß / quasi trug das essen / a ferendis epulis appellantur. Apud Athenæum libro 5. διάκονοι τὰς παραθέσεις (fercula apposita) φέροντες appellantur in descriptione convivii Ptolemæi. Possent forsan etiam δειπνοφόροι dici, secundùm illud Nonii, δειπνοφόρος ἰωή, & κίστιν δειπνοφόρον Pollux dixit ex Lysia. Δισκοφόρον, *disciferum* Hieronymus appellat. *Talem*, inquit, δισκοφόρον *inedia meruerat hebdomadis*, de Abacuc verba faciens, qui Danieli ferebat prandium, Plutarch. 1. *Symp. prob.* 2. dicit, τοῖς ὀψοποιοῖς καὶ τραπεζοκόμοις, hoc est, *coquis & mensæ ministris* curæ fuisse, quid primo, quid secundo, quid medio ultimove loco apportarent. Id porrò μαγείρων fuisse officium, cùm ex hoc tum ex illo Athenæi loco videtur posse colligi lib. 2. cap. 7. ubi dicit, moris fuisse in conviviis, ut convivatori, postquam is accubuisset, libellus daretur priùs, in quo descripta erant fercula, ut sciret quodnam opsonium coquus adferret. Officium cibos apponendi apud Homerum crebrò τῇ ταμίῃ, hoc est, *promæ* & ancillis tribuitur. Abrahamus cùm tres illos viros hospitio excepisset, ipsemet butyrum, lac & vitulum paratum illis apposuit, & stans juxta eos sub arbore illis scilicet ministravit. Gen. 18.
Sic sæpenumerò ipsi vel patres, vel etiam matresfamiliâs cibos inferre atque apponere solent. Cotym quoque regem Thraciæ in nuptiali convivio filiæ suæ legimus apud Athenæum lib. 4. accinctum, ζωμὸν, hoc est, *jus*, in choa argentea intulisse, & convivis apposuisse: qui etiam ibidem primus dicitur ebrius fuisse. Apud Homerum plerunque legimus ταμίην & δμωάς, hoc est, *promam & ancillas* panem mensæ imposuisse: δαιτρὸς autem patinas carnium: Ὀδ. α.

Δαιτρὸς δὲ κρειῶν πίνακας παρέθηκεν ἀείρας
Παντοίων.

Sic 1. Sam. 9. *Tabach*, id est, coquus Samuelis Sauli armum apposuit. In Euangelio aliquoties legimus ipsos Christi discipulos dapiferos egisse. Sic enim Marc. 8. cibum a Christo acceptum & benedictum παρέθηκαν (unde ab Athenæo παραθέσεις dictæ) apposuerunt. Marci similiter 6. & Math. 14. Christus pisces duos & panes quinque primò dedit discipulis, ut illi deinceps populo ea distribuerent. Id quod fecit, auctore Theophylacto, ut discipuli suis manibus cibos illos attrectantes, tantò altius miraculum illud memoriæ suæ imprimerent atque infigerent. Apud Gallos *Panetarii* dicti cibos offerunt & apponunt, & aperientes patinas, frusto panis cibum degustant, qui per *Valets trenchans* dictos dissecatur.

Sunt qui cibos aptè artificioseque dividunt, dissecant atque distribuunt, qui a Græcis τομεῖς & δαιτροὶ appellantur. Homerus Ὀδ. Π. Divisores ciborum.

Καὶ δοιὼ θεράποντε δαήμονε δαιτροσυνάων.

Hinc Eustathius colligit, Heroum illorum frugalitatem, qui cùm tot essent numero, duos tantùm habuerunt ciborum divisores. A Latinis *structores* fuerunt vocati opsonia incidendi periti. Juvenalis Satyra 5.

Structorem interea, (ne qua indignatio desit) Structores.
Saltantem spectas, &c.

& Satyr. 9. *Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis*
Pergula, &c.

Martialis, *Et quæ non egeant ferro structoris ofellæ.*

De his infra plura. Athenæus Jobæ regis testimonio comprobat τραπεζοκόμον Græcorum, & structorem Romanorum eundem esse. Porrò μαγείρων, hoc est, *coquorum* olim munus fuisse, cibos dividere, vel ex illo Platonis loco apparet, ubi Dialecticos rudes, & imperitos res benè dividendi ineptis coquis comparat, qui cibos malè dividunt, ac potiùs discerpunt: ad quem etiam Paulus verbis illis ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον videtur alludere. In Euangelio ipsum aliquando Christum in miraculosis illis suis epulis legimus panes frangentem, καὶ τοὺς ἰχθύας μερίζοντα, hoc est, *dividentem*, Mat. 6. Sic sæpenumerò ipsi convivatores, atque patresfamilias munere illo funguntur. Galli regis structores *Valets trenschans* appellant: Germanicè fürschneyder vocantur. Eustathius vult ἐλέατρον quoque esse, qui à posteris dictus δαιτρός.

Sunt

Prægustatores.

Sunt qui cibos, potusque prægustant, qui a Græcis, teste Athenæo lib. 4. προγεύσται, & ἐλεάτροι fuerunt vocati, ὅτι προήσθιον τῶν βασιλέων πρὸς ἀσφάλειαν. Ibidem etiam dicit, eum qui a Romanis προγεύστης, hoc est, *prægustator* dictus est, a Græcis προτένθην fuisse appellatum. προτένθης, teste Suida, etiam μετάβολον, hoc est, *propolam*, & λιχνὸν, sive ὀψοφάγον & πρὸ καιροῦ τῶν προσφαγίων ἀπογευόμενον, hoc est, *voracem* significat. Eustath. ἐδέατρον quoque vult προγεύστην dici, de quibus vide Mercurialem *de præservatione a venenis*. Fuit ergo hæc prægustandi consuetudo antiqua, cùm Græcis, tum Romanis usitata. Herodianus, auctor gravissimus, scribit Principes olim solitos uti medicamento, quo venenum arceretur, non ignaros, opinor, suam vitam dolis insidiisque peti solere. Nam, ut ait Xenophon, nusquam homines faciliores captu sunt, quam in potu, cibo, balneis, lecto & somno. Quamobrem Mithridatem ferunt veneni metu, antidoto, quæ Mithridatica dicitur, præmuniri solitum: & apud Abyssinos cornu Monocerotis regiis mensis imponitur, quo explorant ministri, si quod toxicum epulis inditum sit. Qua ratione factum est, ut Principes fidissimos ab epulis habuerint, qui cibum mensæ appositum & in frusta dissectum prægustarent & explorarent, ne venenum misceretur. Hinc Suetonius in Claud. *Et veneno quidem occisum convenit: ubi autem, & per quem dato discrepat: Quidam tradunt epulanti in arce cum sacerdotibus, per Halotum spadonem prægustatorem. Alii domestico convivio per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat.* Tacitus idem tradit, scribens: *Halotum solitum inferre epulas & gustu explorare.* Idem lib. 13. *Illic epulante Britannico, quia cibus potusque ejus delectus ex ministri gustu explorabatur, ne omitteretur institutum, aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est.* In monte Viminali in quadam vinea talis reperta est inscriptio, teste Lazio: *Votum Sylvano solvit libens meritò. T. F. Diadumenus Lurvesianus prægustator Augusti.* Alexandro Magno ab Iola Antipatri filio prægustatore venenum fuit porrectum. Xenophon in lib. qui inscribitur *Hieron vel Tyrannus*, inquit, *neque cibis neque potui confisus bibit, sed priusquam primitias horum Diis persolvat, ministri severitatis gratia gustare jubentur, ne quid mali in his bibant aut comedant.* Athenæus lib. 4. Ad eandem consuetudinem alludit Juvenal. lib. 1. Satyr. 6. his verbis:

Vos ego pupilli moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas, & nulli credite mensæ.
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis, quicquid porrexerit illa
Quæ peperit, timidus prægustet pocula pappas.

Item Horatius in illo apologo muris urbani, qui rusticum hospitio convivioque excepit, 2. Sat. 6.

---- nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.

Prægustator quis.

Hoc est, Lambino interprete, prægustans: an, ut hospitem ad liberaliter epulandum invitet ac provocet? an, ut omnem veneni suspicionem removeat? Hinc ergo *prægustatorem* ministrum appellamus, qui primitias ciborum, antequam dominus gustat, quò sine suspicione veneni dominus securiùs epulis fruatur. Germanis Credentzer / quia nimirum illi domini sui salus concreditur: a Gallis *escuyer trenchant* & *eschauson* appellatur.

His proximi sunt illi, qui poculis atque poculentis miscendis, temperandis, infundendis, prægustandis porrigendisque præsunt, qui a Polluce similiter τῇ ὑπηρεσίᾳ συμποτικῇ, hoc est, ministerio conviviali annumerantur.

Maske.

מַשְׁקֶה *Maske* apud Hebræos cùm potum atque poculum, tum eum, qui potum dat sive pincernam significat, Gen. 40. ubi pincernæ regis Pharaonis fit mentio: & Nehemiæ cap. 1. sub finem, Nehemias appellatur *Masce* regis Artaxerxis: unde initio Cap. sequentis, vinum, quod erat ante regem, levasse, eique dedisse dicitur. Nomen autem מַשְׁקֶה *Maske* factum est ex participio, & derivatum a verbo שָׁקָה, quod *emittere liquorem aliquem* propriè, vereque significat. Cumque & potandis animantibus aquæ per canales emittantur, & ad præbendum hominibus potum, vina, reliquaque genera potionum in pocula e cantharis effundantur, ad officium præbendi potus, hujus verbi usus non ineptè translatus est. Dictus quoque est Nehemias התר שתא *Hather schata*, quòd illi Judæorum primates liberum vini usum fecerint, quo sine culpa officio pincernæ regii uti posset, cùm Judæi cæteri Danielem imitati, cibo, vinoque regio, ceu re immunda, abstinerent. Unde volunt compositum esse a התיר *Hethir*, hoc est, *licentiam dedit*, seu facultatem concessit, & שתא *Schata*, id est, *bibere*, Chaldæorum lingua. Quò fortassis pertinet etiam quod R. Abenezra perhibet, hoc apud Chaldæos esse dignitatis nomen. Idem autem התיר שתא *Hetir schata*, id est, *dispensans*, aut *præbens potum* Hebræis esse potest, qui modo מַשְׁקֶה *Maske*, hoc est, *pincerna* dici solet. מסך *Masac* quoque Hebræis est *vinum infundere*, vel etiam *miscere* Isa. 19. Psal. 102. Fuit autem hoc munus apud veteres plenum dignitatis.

Οἰνοχόοι.

Græcè, qui illo funguntur, οἰνοχόοι sive etiam οἰνοχούμενοι Philoni appellantur, ἀπὸ τοῦ οἰνοχεῖν seu οἰνοχοεύειν, hoc est, *vinum infundere, pocula ministrare*, Ciceroni: quod licet propriè, ut Eustath. annotat in Ιλ. A. de vino dicatur, unde etiam οἶνον οἰνοχοεῖν (ut βουλὴν βουλεύειν) sæpe legitur: tamen etiam de nectare dicitur, secundùm illud Homeri Ιλ. A.

Οἰνοχόει γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων.

Βουκολεῖν.

Ut βουκολεῖν apud eundem Poëtam catachresticῶς de equis dicitur, secundùm illud,

Τοῦ τρισχίλιαι ἵπποι μετὰ τὸ ἕλος (est enim equus animal φιλόλουτρον καὶ χαῖρον ἕλεσι καὶ τοῖς θολεροῖς τῶν ὑδάτων) cùm equorum pastores propriè ἱπποφορβοὶ appellentur. Sic χαρονομεῖν σκέλεσι, οἰκοδομεῖν πόλιν ἢ θυλιαστήριον.

σήελον. Τὸν πότον διακονοῦντες apud Celtas, Athenæo l. 4. Pincernæ munus obeuntes. οἰνοχόη vas, in quo vinum in pocula infunditur: *trullam* nonnulli interpretantur: at Budæus *urceolum* Latinè dici annotat; Hesiodus, Οἰνοχόη

Μηδέποτ' οἰνοχόην τιθέμεν κρατῆρος ὕπερθεν
Πινόντων, ὀλοὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ μοῖρα τέτυκται.

Οἰνοχόημα, id quod a pincerna infunditur. Plutarchus in *Phocione* accipit pro vino, quod in epulis solennibus infunditur convivio, οἰνοχοεία, vini infusio, munus Pincernæ apud Suidam. ἀρχοινοχόος, qui Principem inter Pincernas, seu Pocillatores locum habet. Unde ἀρχοινοχοεία, dignitas, & officium ejus, qui principem inter Pocillatores locum obtinet: cujusmodi fuit ille Pharaonis regis minister, qui etiam שר *Schar*, id est, *Princeps Pincernarum* appellatur. Ab Herodiano lib. 3. οἱ περὶ τὴν κύλικα, hoc est, *a calicibus*, seu *poculis* Pincernæ appellantur. Fuisse autem munus hoc cùm antiquum tum honorificum, cùm ex sacris, ut paulò antea dictum est, tum ex prophanis quoque literis constat. Athenæus lib. 5. *Veteres sua convivia ad Deum referentes, coronis deorum propriis utebantur, & hymnis, atque Odis: nec ullus erat servus qui ministraret, sed liberorum virorum pueri pocula ministrabant*: affert exemplum filii Menelai & Mercurii, qui apud Sapho vino infundendo præest. Idem lib. 10. οἰνοχοεῖν, inquit, παρὰ τοῖς ἀρχαίοις οἱ εὐγενέστατοι παῖδες, hoc est, *Pincerna munere fungebantur apud veteres pueri nobilissimi*, ut filius Menelai secundùm illud Οδ. ο. Οἰνοχόημα. Οἰνοχοεία. Ἀρχοινοχόος. Ἀρχοινοχοεία.

Οἰνοχόει δ' υἱὸς Μενελάου κυδαλίμοιο.
Filius eximii Menelai vina ministrat.

Hinc Eustathius in Οδ. Α. *non oportet existimare Homericos Pincernas servos fuisse: nullus enim servus: sed juvenes liberi & ingenui munus illud obibant, ut Menelai filius, licet sponsus, in ipsis nuptiis.* Euripidem quoque Poëtam, cùm esset puer, vinum ministrasse Athenis, iis qui ὀρχησταὶ, hoc est, *saltatores* dicti sunt (propterea quòd circa Apollinis Delii aram, in Thargeliorum festo, saltabant) Theophrasti, & Hieronymi Rhodii testimoniis probat. *Sapho quoque*, inquit, *sapiens Larichum fratrem ubique laudat eo nomine, quòd Mitylenæis in Prytaneo vinum ministrarit.* Apud Athenienses non solùm οἰνοχόοι, sed οἰνόπται quoque erant, qui fuerunt magistratus οἱ ἐφεώρων τὰ ἐν τοῖς δείπνοις, εἰ κατ' ἴσον πίνουσι οἱ συνόντες, hoc est, *qui observabant an æquè biberent ii, qui convenerant*, qui magistratus erat frugalis, teste Plinio Rhetore, qui etiam docet tres fuisse οἰνόπτας, qui cœnantibus λύχνους καὶ θρυαλλίδας, hoc est, *lychnos & funalia* ministrabant, quos etiam nonnulli ὀφθαλμοὺς, hoc est, *oculos* vocarunt. Aristophanis interpres οἰνόπτας τοὺς οἰνοφύλακας interpretatur: ut λινόπτας τοὺς τὰ θηρευτικὰ λίνα φυλάττοντας, in comœd. *Pace*. Polluci οἰνόπτης, ὁ τὸν οἶνον ἐπιβλέπων. Verùm hi, ut supra dictum, potiùs conviviorum dominis, quàm ministris videntur annumerandi. Apud Ephesios addit Athenæus οἱ οἰνοχοοῦντες ἠΐθεοι, hoc est, vinum ministrantes juvenes in festo Neptuni, ταῦροι, hoc est, *Tauri* nominantur, teste Amerino. Hellespontici Pincernam ἐπεγχύτην, hoc est, *infusorem* appellarunt: ut κρεονομίαν, κρεοδαισίαν, hoc est, *carnium dispensationem*, *carnium divisionem*, teste Demetrio Scepsio. Deorum quoque Pocillatricem nonnulli Ἁρμονίαν, id est, *Harmoniam*, sive *Concordiam* finxerunt: Alcæus, atque Sapho, Mercurium: nonnulli etiam ἥβην, hoc est, *Hebem* (postea Ganymedem) forsan, quia συμπόσια ἡβητήρια appellantur. Sic Vulcanum quoque Homerus Deorum Pincernam facit Ιλ. Α. Veteres quoque κήρυκας appellarunt hujusmodi munere utentes, Homerus. Ιλ. γ. Οἰνόπται. Ταῦροι. ἐπεγχύτης. Deorum pocillatores. κήρυκες.

Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ, φέρον θεῶν ὅρκια πιστὰ
Ἄρνε δύο, καὶ οἶνον εὔφρονα, καρπὸν ἀρούρης
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ, φέρε δὲ κρητῆρα φαεινόν.
Κῆρυξ Ἰδαῖος, ἠδὲ χρύσεια κύπελλα.

Hoc est,

Fœdera fida Deûm præcones ferre per urbem
Cernere erat, binos agnos, jucundaque vina
Agrorum fructus, portarunt utre caprino
Idæus præco, simul his cratera nitentem
Attulit ex auro splendentia pocula fulvo.

Et rursus, Ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ
Ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον, κρητῆρι δὲ οἶνον
Μίσγον, ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

Sed præcones splendidi
Fœdera fida Deûm tulerant, cratereque vinum
Miscebant, manibus fuderunt regibus undam:

Clidemus autem τοὺς μαγείρους vult κήρυκας appellari. Denique Clinæ, quæ Ptolemæo Philadelpho pocula ministravit, exemplum adducit, cui, teste Ptolemæo Agesarchi filio, multæ statuæ in Alexandria urbe fuerunt erectæ μονοχίτωνες, hoc est, *tunicatæ*, ῥυτὸν (quod fuit poculi genus) manibus tenentes. His exemplis Athenæus probat Pincernarum munus in magno apud veteres pretio, atque æstimatione fuisse.

Οἰνοχόου porrò munus (quod Homerus non viris solùm, verumetiam fœminis tribuit) in his ferè consistebat. Οἰνοχόου munus in quibus consistat.

Primò,

Primò, ut vult Pollux lib. 6. cap. 15. τὰ ἐκπώματα ἐκπλύνειν, διανίπτειν, κλύζειν καὶ καθαίρειν, hoc est, *pocula eluere, abluere, & purgare.*

Κρατὴρ unde.

Deinde vinum aqua miscere atque temperare in cratere, qui inde denominatus fuit. Κρατὴρ enim ἐκ τοῦ κερῶ, κεράσω, Ionicè κρητὴρ ἐκ τοῦ κρῶ, κρήσω· unde etiam ἐπικρῆσαι, & ἐπικεράσαι, ἀπὸ τοῦ κέρατος, *ex cratere,* κρατηρίζειν τὸ συμπίνειν. Hinc κεφαλὴ ἐν κρατῆρι Eustathio est, τὸ ἄνω αὐτοῦ ἄκρον. inde etiam forsan κρήτη, & κρῆς, id est, Creta, & Cretensis, Eustathius in Οδ. Α. Homerus Οδ. Α. de Procorum ministris, quos κήρυκας & ὀτρηροὺς θεράποντας vocat,

Οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρητῆρσι καὶ ὕδωρ,

Eustathius: *Alludit ad notationem Crateris, qui sic dictus,* διὰ τὸ τοιαῦτα συγκεράσθαι, ἤτοι μίσγεσθαι· unde & μισγάγκεια in Iliad. Et Οδ. ο.

Ἐν δ' ἄρα κισσυβίῳ κιρνᾷ μελιηδέα οἶνον.

De Eumæo Ulyssem hospitio excipiente. Et Οδ. Ε.

θεῷ (Calypso) παρέθηκε (Mercurio) τράπεζαν
Ἀμβροσίης πλήσασα, κέρασσε δὲ νέκταρ ἐρυθρόν.

Et Ιλ. Ι.

Μείζονα δὴ κρητῆρα μενοιτίου υἱὲ καθίστα
Ζωρότερον δὲ κέραιρε.

Et Οδ. Κ. de Circes famulis,

Ἡ δὲ τρίτη κρητῆρι μελίφρονα οἶνον ἐκίρνα
Ἡδὺν ἐν ἀργυρέῳ.

Crateras autem vino aqua mixto implebant ad summum, Homerus Οδ. Α.

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο
Νώμησαν δ' ἄρα πᾶσιν ἐπαρξάμενοι δεπάεσσιν,

Ἐπιστέφεσθαι κρατῆρας.

Eustathius dicit pincernas illos heroum, sedulo dedisse operam, ut in crateras bene atque decenter vinum infunderent. ἐπιστέφεσθαι autem κρατῆρας, hoc est, *coronare*, est μέχρι τοῦ χείλους ἐμπιμπλᾶν, ἢ μᾶλλον ὑπερχειλεῖς ποιεῖν τοὺς κρατῆρας ποιεῖν. Hinc Virgilius,

Crateras magnos statuunt & vina coronant.

Cui opponitur ἐκστέψαι apud Pausaniam, id est, ἐκκενῶσαι, ut ἐπιστέψαι, est *potu implere.* Implebant autem ad summum boni ominis ergò, & erat felicitatis symbolum. Athenæus lib. 5. οἱ δὲ κρατῆρες αὐτοῖς, (heroibus) ὥσπερ ἔχει καὶ τοὔνομα κεκραμένοι παρεστήκεσαν, ἐξ ὧν κοῦροι διακονούμενοι τοῖς μὲν ἐντιμοτάτοις ἀεὶ πλήρες παρεῖχον τὸ ποτήριον· τοῖς δ' ἄλλοις ἐξ ἴσου διένεμον, hoc est, *At crateres, sicut nomen ipsum sonat, misti ipsis assistebant, ex quibus pueri ministrantes semper plenum poculum viris dignißimis, præstantibusque adferebant: reliquis verò ex æquo distribuebant.* Unde Agamemnon ad Idomenæum inquit,

σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
Ἕστηχ', ὥσπερ ἐμοί, πίνειν, ὅτε θυμὸς ἀνώγει.

hoc est,

Ut mihi, plena tibi semper stant pocula, possis
Quò bibere ut mens ipsa jubet.

Plutarchus lib. 1. *Sympos. Prob.* 4. scribit, Pincernas regios, cùm vini aliàs alia sit ad aquam contemperatio, illam habentes cognitam, aliàs plus, aliàs minus aquæ suffundere.

Tum ex cratere vinum aqua mixtum in minora pocula infundebant, secundùm illud Homeri de Vulcano, Junoni matri cæterisque diis ministrante, Ιλ. Α.

Αὐτὰρ ὁ τοῖς ἄλλοισι θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν
Οἰνοχόει, γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων.

Idem Odyss. ι. ---- μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέησι καὶ ἐγχείη δεπάεσσι.

Eustathius in illud Homeri Οδ. Α.

Κῆρυξ δ' αὐτοῖσι θάμ' ἐπῴχετο οἰνοχοεύων,

τὸ δὲ οἰνοχοεύειν, καὶ οἰνοχοεῖν οὐ μόνον κιρνᾶν λέγεται, ἀλλὰ καὶ ἐκκενώσειν, ὅ ἐστιν ἐκχέειν οἶνον.

Præterea illorum partium erat, teste Polluce, τὰς φιάλας ἐπὶ τῶν δακτύλων ἄκρων ἔχειν, καὶ περιφέρειν (ὀρέγειν) τοῖς συμπόταις εὐλαβῶς, hoc est, phialas extremis tenere manibus, easque convivis tradere, sive porrigere, secundùm illud Homeri Ιλ. Α.

---- ἀναΐξας (Vulcanus) δέπας ἀμφικύπελλον
Μητρὶ φίλῃ ἐν χερσὶ τίθει.

(Sic Gen. 40. pincernarum princeps dicitur calicem dedisse in manum Pharaonis, & Nehemias Pincerna vinum levasse, & Assuero dedisse dicitur.) Et Ιλ. Ι. Achilles ad Patroclum,

Et Οδ. Κ. de Circes famula, Δέπας δ' ἔντυνον ἑκάστῳ.

Νέμε δὲ χρύσεια κύπελλα.

Athenæus lib. 4. τὸ ποτὸν διακονοῦντες ἐν ἀγγείοις περιφέρουσι· & περιφέρει δὲ ὁ παῖς (οἰνοχόος) poculum ad dextram, & ad sinistram, de Celtis loquens. Hæ illorum partes eleganter admodum describuntur a Xenophonte

phonte in lib. I. *Cyri Pædias*: οἱ δὲ τῶν βασιλέων τούτων οἰνοχόοι κομψῶς τε οἰνοχοοῦσι, καὶ καθαρείως ἐγχέουσι, καὶ διδόασι τοῖς τρισὶ δακτύλοις ὀχοῦντες τὴν φιάλην προσφέρουσι ὡς ἂν ἐνδοῖεν τὸ ἔκπωμα εὐληπτότατα τῷ μέλλοντι πίνειν, hoc eſt: *Nam horum Regum Pincernæ & ſcitè vinum miſcent, & eleganter inſundunt, ac tribus digitis phialam* (ἀπὸ τοῦ πιεῖν, & ἄλις dicta: unde φιαλεῖν *genialiter vivere*) *tenentes ita porrigunt atque offerunt, ut commodiſſime ei, qui bibiturus eſt, hauſtum concedere queant.*

Soliti quoque fuerunt illud prægustare: de quo ibidem ſic ſequitur: οἱ γὰρ τῶν βασιλέων οἰνοχόοι ἐπειδὰν ἐνδιδῶσι τὴν φιάλην ἀρύσαντες ἀπ' αὐτῆς τῷ κυάθῳ εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ἐγχεάμενοι καταρροφοῦσι, τοῦ δή, εἰ φάρμακα ἐγχέοιεν, μὴ λυσιτελεῖν αὐτοῖς, hoc eſt: *Nam regum Pincernæ, cùm phialam præbent, ex illa cyatho (parum) hauriunt, & in ſiniſtram manum effundunt, ac exorbent, ob eam cauſam, ut ſi venena infudiſſent, illis non conducant.* Nazianzenus περὶ φιλοπτωχίας· τοὺς δὲ (διακόνων συμποτικῶν) τὰς κύλικας ἐπ' ἄκρων ἔχοντας, ὡς οἷόν τε εὐπρεπέστατά τε ὁμοῦ καὶ ἀσφαλέστατα, hoc eſt, *alios autem miniſtrorum calices ſummis tenere digitis, quoad ejus fieri poteſt decentiſſimè pariter, atque tutiſſimè.* Quòd ſi apud veteres pocula Diis miniſtranda fuerunt, juventuti id officii incumbebat. Hinc Cicero *de Nat. Deorum*: *Ac Poëtæ quidem Nectar, Ambroſiam, epulas comparant, & aut juventutem, aut Ganymedem pocula miniſtrantem.* Idem in *Tuſcul.* *Nec juventute pocula miniſtrante lætari Deos arbitror.*

Latinè οἰνοχόος *Pocillator* dicitur Apuleio à *pocillo*, qua dictione derivata a *poculo*, Livius & Plinius utuntur: & *Pincerna* Auſonio, hoc eſt, poculorum miniſtrator. *Pincerna* dicitur ἀπὸ τοῦ κιρνᾶν τὸ πίνειν, hoc eſt, a vino miſcendo, hoc eſt, infundendo. Nam *miſcere vinum* Hebræis, Græcis & Latinis ſæpe ſignificat *infundere*, de quo ſuo in loco: unde etiam Suidas οἰνοχόος ὁ ἐπικέρνης. *Ad cyathos* quoque dicitur, qui Pincernæ munere fungitur, miniſtratque convivis, potum cyathis metiens. Propertius, *Lygdamus ad cyathos*, hoc eſt, Pocillator erat. Sic *ſervus ad manus*, id eſt, amanuenſis: *ad lites*, id eſt, aptus ad cauſas & advocationes: *ad baculum*, hoc eſt, paſtor: *ad pedes*, hoc eſt, a pedibus, ut Turnebus in ſuis *adverſ.* annotat. Item *ſtare alicui ad cyathum & vinum*, Suetonio in Julio Cæſare. Sic C. Memmius etiam *ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe* objecit *cum reliquis exoletis pleno convivio accubantibus*, &c. Auſonius: Pocillator. Pincerna. Ad cyathos.

Stat Jovis ad cyathum generat quem Dardanius Tros.

hoc eſt, Ganymedes. Horatius *Carminum* lib. I. ad Julium,

Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis?

Id Plauto eſt *cyathiſſare*, hoc eſt, in cyatho vina miniſtrare. Cyl. in *Menæchmis*,

Non ſcis quis ego ſim, qui tibi ſæpiſſimè
Cyathiſſo apud nos, quando potas?

Hoc eſt, Cyathum vini plenum miniſtro, κυάθῳ οἰνοχοῶ, κυαθίζω. Latinè etiam *vina miſcere*. Ovidius,

Nec mora percuſſo mendacibus aëre pennis,
Arripit Iliadem, qui nunc quoque pocula miſcet,
Invitaque, Jovi nectar, Junone, miniſtrat.

Maphæus in Supplementis,

---- *Tum læta fronte miniſtri*
Innumeri magno diſtinguunt ordine curas
Pars dapibus reficit menſas, pars pocula miſcet,
Craterasque replet, &c.

Catullus ad puerum ſuum Epigramm. 24.

Miniſter vetuli puer Falerni
Ingere mi calices amariores,
Ut lex Poſthumiæ jubet magiſtræ.

Hic obiter nota per *calices amariores*, vinum vetus a Catullo intelligi, quod multo temporis ſpacio amarum tandem ſolet evadere: unde Seneca *Epiſtola* 64. *Quomodo in vino nimis veteri ipſa nos amaritudo delectat.* Vide Brodæum lib. I. *Miſcel.* Cap. 3. Juvenal. *Sat.* 13.

Nulla ſuper nubes convivia cœlicolarum,
Nec puer Iliacus (Ganymedes) *formoſa nec Herculis uxor.*

Item: *Ad cyathos, & jam ſiccato nectare tergens*
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.

Item poculum vini alicui adminiſtrare. Apuleius lib. 6. *Tunc poculum nectaris, quod vinum Deorum eſt, Jovi quidem ſuus pocillator ille ruſticus puer, cæteris verò Liber miniſtrabat.* Item *miniſtrare bibere*, Ciceroni in *Tuſculana*: *Ne cùm ego audio Ganymedem a Diis raptum ait propter formam, ut Jovi bibere miniſtraret.* *A cryſtallinis* (ſcilicet poculis) dictos fuiſſe ſervos quoſdam pocillatores, Lazius inſcriptione quadam vetuſta probat. Apud Romanos, ut teſtis eſt Athenæus lib. 14. οἱ εὐγενέστατοι τῶν παίδων λειτουργίαν ταύτην ἐκτελοῦσιν ἐν τοῖς δημοτελέσι τῶν θυσιῶν, hoc eſt, *etiam nobiliſſimi puerorum hujuſmodi miniſterio fungebantur in publicis populi ſacrificiis, Æoles omnino imitantes.* Hæc de Pincernis, ſeu Pocillatoribus veterum, quibus addatur id, quod Ambroſius inquit in libro *de Helia, & Jejunio*, Cap. 8. *Inſtar ſtatuæ pincernæ dextra ſummo gelu riget. Ille in-*

frigidas

frigidas exercet manus, marmora lavaturi, &c. Videtur ad consuetudinem antiquam vina nivibus atque glacie refrigerandi alludere, de qua suo in loco. Hodie pincernarum ac pocillatorum (quo ministerio utriusque sexus homines funguntur) maximus est usus: quorum similiter manus, improbis vina depromendi & infundendi laboribus, defatigantur quasique rigent. Et ut antiqui Reges atque Principes, sic multò magis nostris quoque temporibus, crescente nimirum hominum perfidia, imò jam ferè ad summum perducta, iidem cibi potusque prægustatoribus uti coguntur, (quos nonnulli per jocum Beschleuner appellant) qui potum Regibus atque Principibus administrantes, scypho aureo vel argenteo haustum, vinum in alium infundere & prægustare solent, ad antiquorum imitationem. De Imperatoris recens creati dapiferis atque pocillatoribus (qui sunt Electores, Principes) suprà in descriptione epuli Imperatorii dictum est. Pleraque eorum quæ adhuc commemorata sunt ministeria, uno quasi fasciculo Maphæus eleganter his carminibus est complexus in suo supplemento:

Besch. leuner.

Dat manibus crystallus aquas, mensisque reponunt
Flaventem Cererem: tum læta fronte ministri
Innumeri magno distinguere & ordine curas:
Pars dapibus reficit mensas, pars pocula miscet,
Crateras replet, nunc hac nunc volvitur illac
Turba frequens, varios miscentque per atria motus.

Nunc de aliis quoque ministeriis convivialibus dicamus. Persæ, ut testis est Athenæus lib. II. in conviviis adhibebant μυοσόβας, hoc est, *muscarum abactores*, quorum Erasmus quoque in suis *Adagiis* meminit. His adde qui canes atque mendicos importunos abigebant, quique ventulum flabello faciebant, quorum omnium hodie quoque communis est usus. Nazianzenus in *Oratione* περὶ φιλοπτωχίας de conviviorum luxu verba faciens, alios ministrorum dicit, flabelli motu ventum capiti artificiosè facere, ac auris manufactis carnis molem refrigerare. Hinc *Muscaria* instrumenta sunt abigendis e mensa muscis aptissima: pretiosiora texuntur e cauda pavonis. De hujusmodi muscario pavonio extat Poëtæ Epigrammatarii distichon:

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Propertius, *Et mihi pavonis cauda flabella superbæ.*

Flabellum enim dicitur, quo & muscæ fugantur & ventulus excitatur in nimio calore per æstatem, his qui in convivio aut alio quovis loco & tempore sudant. Terentius in *Eunuch. Venit una? Heus tu Dore, rape hoc flabellum & ventulum huic facito, dum lavamur.* Ovidius in *Arte*,

Profuit & tenui ventos movisse flabello.

Hoc autem est, ministerium delicatorum servorum, ut scribit Donatus.

Erant præterea apud veteres ministri conviviales a voluptatibus, hoc est, qui dictis, factis, atque gestibus ridiculis convivas exhilarare studebant, ut erant illi apud Græcos, quorum Philo quoque in lib. *de Vita Theoretica* meminit, αὐλητρίδες, ὀρχησαὶ, θαυματοποιοὶ καὶ ποιηταὶ γελοίων (qui γελωτοποιοὶ uno nomine appellantur) ἐπὶ τῷ σκῶψαι καὶ χαριεντίσασθαι μέγα φρονοῦντες, quorum hodie quoque maxima turba passim Christianorum convivia circumvolitat, de quibus infrà. Huc quoque referuntur κόλακες, hoc est, *adulatores* seu *parasiti*, de quibus suprà in titulo *de Convivis* copiosè est dictum, qui partim mendicis, partim servis possent annumerari.

Erant prætereà qui alimentis vel depromendis vel recondendis asservandisve præerant, qui a Columella *promi*, a Plauto *procuratores peni*, *cellarii*, *promicondi*: Græcè ταμίαι sive ταμίδαι & ταμιοῦχοι, & in fœm. ταμίαι sive ταμαὶ appellantur. Plautus in *Captiveis*,

Sume, posce, prome, quidvis, te facio cellarium.

Idem in Pseud. Harpax. *Tune es Ballio?*

P. Imò verò ego ejus sum Saballio, id est, vicarius.
H. Quid isthuc verbi est? P. Condus, promus, procurator peni.
H. Quasi te dicas atriensem. P. Ego? imò atriensi ego impero.

Promus dictus est *a promendo*, qui præest promendis cibariis ex promptuario, hoc est, cella panaria: & *Condus*, qui *condit*, auctor Fulgentius Placiades. Horat. 2. *Sat.* 2.

Ni biberis diluta, foris est promus.

Apuleius in *Apol.* graphicè *promum librorum* dixit, qui præest promendis libris, & quasi Bibliothecarius est. A Boëtio *promptuaria memoriæ* eleganti translatione dicta sunt, quasi repositoria, quibus doctrinas memoria concredidit, quæ præstò sunt ac deponuntur eodem exigente. *Promus* quàm *condus* magis Ausonio. Ein güter gesell / aber ein böser haußvatter. Horatius, *Foris est promus*, quo loco *piscis genus* perperam Novellus interpres exponit. Vide præter Lambini, Beroaldi *Annotationes* in hunc locum Horatii. Germanis Speyßmeister / käller / beschliesser / sive in fœm. (quoniam id mulierum ferè apud Germanos est munus) Beschliesserin vocantur, quas fortasse *atrienses* non incommodè appellabimus, quæ suppellectilis curam gerebant, & ut atrium esset omni ex parte mundum ac nitidum providebant, quæ quasi dominæ aliis servis imperabant. Plaut. *Pseud. Condus promus sum, procurator peni. H. Quasi te dicas atriensem. V. Imò atriensi ego impero.*

Apud

Apud Homerum mulierum id fuit officium, hinc crebrò illud apud Homerum occurrit Ὀδ. Α.

Σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα
Εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα, χαριζομένη παρεόντων.

Ubi Euſtathius annotat, ancillam promentem & condentem ad victum neceſſaria, rectè αἰδοίην ab Homero nominari, propterea quòd famulas in his miniſtrantes σώφρονας, hoc eſt, *modeſtas*, atque temperantes eſſe oportet: hoc namque pacto dominorum domos non exhauriri. Illæ autem ut cibos depromere, & apponere: ita illorum reliquias recondere rurſus atque aſſervare fuerunt ſolitæ, quemadmodum paſſim apud Homerum cernere licet. Hinc ταμεῖον, & ταμιεῖον, *promptuarium, penu*, item *cubiculum, thalamus*, & *domus pars intima*. Euſtathius Ὀδ. Υ. *Thalamus multis in locis ταμιεῖον appellatur.* Unde ταμιεύειν, idem quod θαλαμηπολεῖν, quòd Eurynomes fuit munus. Æolus eleganter apud Homerum Ὀδ. κ. ταμίας ἀνέμων dicitur, quòd ventos modò excitat, modò reprimit, quemadmodum promicondi facere ſolent, alia promentes, atque proferentes, alia recondentes, ut Euſtath. exponit. Apud Athenienſes, ut illud quoque addam, ταμίαι Magiſtratus fuerunt, teſte Suida, qui in templo atque arce Minervæ ſacras publicaſque pecunias cuſtodiebant. Ariſtophanis ſimiliter interpres ταμίας publicarum, ſacrarum pecuniarum, & mercedis judiciariæ diſpenſatores, & denique πρεσβύτας τῆς δημοσίας σιτήσεως, hoc eſt, *publici victus*, ſeu *alimoniæ præpoſitos* vocat. Idem in illa Ariſtophanis verba in ἐκκλησιαζούσαις·

ταμεῖον, & ταμιεῖον. ταμίαι apud Athenien. qui.

Ταῖς γὰρ γυναιξὶ φημὶ χρῆναι τὴν πόλιν
Ἡμᾶς παραδοῦναι· καὶ γὰρ ἐν τοῖς οἰκίαις
Ταύταις ἐπιτρόποις καὶ ταμίαις (ἐφόροις, φύλαξι, διοικηταῖς) χρώμεθα.

Hinc colligitur, Athenienſes quoque uſos eſſe mulierum miniſterio ad domeſtici victus diſpenſationem atque cuſtodiam, quarum mores improbos in ſequentibus depingit.

Sunt qui convivas, vel etiam dominos ſuos domum deducunt, comitantur, iis prælucent, qui λυχνοῦχοι, λυχνοφόροι, δᾳδοῦχοι appellantur, de quibus infrà pluribus: hujuſmodi fuerunt 10. illæ Sponſi virgines in Euangelio famulæ: Germanis heimzünder. Hæc atque alia hujuſmodi ſunt miniſteria convivialia, quæ quidem commodè ad 2. præcipua genera videntur poſſe revocari, quorum in euangelico iſto miniſtro, quem Chriſtus hîc inducit, fit mentio.

Unum eſt, quòd in epularum præparatione, apparatuve (quem Homerus πόνον vocat, Euſtathius ἑτοιμασίαν δαιτὸς interpretatur) conſiſtit, quod his verbis exprimitur: ἑτοίμασόν τι δειπνήσω, hoc eſt, *para quod cœnem:* ſub quo genere vocatorum, obſonatorum, coquorum, ſcopariorum, peniculorum, lectiſterniatorum, promorum, atque aliorum hujuſmodi miniſteria continentur, quæ vel in cibis alimentiſve emendis, promendis, coquendis, vel in cœnaculis, atque vaſis convivialibus verrendis, ſternendis, purgendis, extergendis, abluendis, ac diſponendis verſantur.

Alterum genus miniſterii, quod in ipſo actu convivii conſiſtit, quod quidem his verbis exprimitur: καὶ περιζωσάμενος διακόνει μοι ἕως φάγω καὶ πίω, hoc eſt, *& præcinctus miniſtra mihi donec edero, & bibero.* Sub hoc comprehenduntur, dapiferorum, ſtructorum, prægustatorum, pocillatorum, atque alia hujuſmodi miniſteria, de quibus dictum eſt.

Notandum porrò in hac quarta miniſtrorum convivialium, ſecundùm ipſa miniſteria diviſione, aliquando plures, aliquando pauciores eſſe miniſtros, dum nimirum ſæpe unus & idem multa munera, ad convivium pertinentia, obit. Cicero Piſoni exprobrat avaritiæ nomine, quòd idem illi eſſet coquus, idem atrienſis. Sed tamen, ut vaſorum, ſic ſervorum quoque atque miniſtrorum convivialium, niſi uſus atque neceſſitas aliud poſtulet, multitudo, quæ plerunque confuſionis atque turbationis ſolet eſſe cauſa, vitari debet. Nam, ut Homerus verè ſapienterque dixit, οὐκ ἀγαθὸν eſſe πολυκοιρανίην ita quoque (ſi magnis licet componere parva) verè dicemus, οὐκ ἀγαθὸν eſſe πολυδρησοσύνην, hoc eſt, *multorum miniſterium.* Nam, uti quotidiana docet experientia, ubi multi ſunt unius & ejuſdem rei adminiſtri, ibi malè negligenterque omnia geruntur, dum nimirum unus alterius fretus ope & auxilio, miniſterium ſuum tantò negligentius & oſcitantiùs adminiſtrat. Epictetus quoque ſapienter idem monet, his verbis: Μελέτω σοι ἐν τοῖς σιτίοις, ὅπως σοι οἱ ὑπουργοῦντες μὴ πλείους τῶν ὑπουργουμένων ὑπάρχωσιν. ἄτοπον γὰρ, ὀλίγαις στιβάσι πολλὰς δουλεύειν ψυχάς, hoc eſt, *Cura ne conviviorum miniſtri plures ſint, quam quibus miniſtratur. Dedecet enim paucis toris, quibus accumbitur, multas animas inſervire.* Hujus rei in Euangelico quoque hoc patrefamiliâs exemplum habemus, qui unius & ejuſdem famuli opera non ad ruſtica modò, verumetiam ad urbana, ut coquinaria atque convivialia miniſteria utitur. Eoſdem Græcè non ineptè ταμίας quoque ſeu ταμιούχους (de quibus ſuprà) *diſpenſatores* dixeris. Diſpenſator
Diſpenſator, inquit Alciatus *de Verb. ſig. ſervus eſt, qui impendia domus curat & victui præeſt. Huic opſonatores, piſcarii, coqui, idque genus ſervi parent. Sumpſit nomen ab expendendo pecuniam, vel quòd rationes diſpendat, id eſt, procuret, & conſideret calculumque ducat.* Talis fuit ſecundum hanc Alciati deſcriptionem οἰκονόμος ille Euangelicus atque parabolicus (quem etiam δοῦλον vocat) ὃν καταστήσει ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον, hoc eſt, *quem Dominus præfecit familiæ ſeu famulitio ſuo, ut daret in tempore conſervis dimenſum*, id eſt, ſingulis menſibus deſtinatam menſuram frumenti. *Triclinarchæ* quoque (quod nomen in vetuſta quadam inſcriptione eſt, cujus Lazius meminit lib. 12. cap. 15.) videntur dicti, qui triclinio ſive toti miniſterio conviviali præerant, ejuſdem ſignificationis cum architriclino illo Euangelico, de quo ſuprà. Athenæus lib. 4. de Regum Perſarum conviviis verba faciens, τὸν τραπέζης ἐπιμελούμενον vocat, qui præeſt regiæ menſæ. Hujuſmodi Architriclini ſive Triclinarchæ, Oeconomi ſeu Promicondi Regis Galliarum, *magiſtri hoſpitii*

Luc. 12. Triclinarchæ.

spitii dicti, maximæ sunt inter aulicos auctoritatis: quoniam soli Acarnanii & Apitii, rei tamen œconomicæ periti, ad tantum munus eveluntur, quibus, ut eminere præter cæteros & suspici possint, pro insigni scirpus inditus est argentatus, illisque impensa omnis regia constare debet, & ab his, non nisi venia impetrata, neminem licet per Francorum reges in jus vocare in Palatio. Olim verò illis jus erat annonæ, quæ in comitatum regium importabatur, per præconem statuendi pretium, eosque pœnis gravioribus mulctandi, qui societatem coiissent, ut annona carior esset, meretricesque aulicas pro delicto corrigendi, fustibus cædendi, extremo supplicio afficiendi absque appellatione. Nec non Philippi Pulchri constitutione, ad eos actionum personalium jurisdictio pertinebat, quæ a ministris regiis intendebantur omniumque criminum cognitionem sibi vendicabant, quæ in comitatu regio committebantur.

Observabis quoque hîc simul ministrorum gradus, alii enim superiores sunt, alii inferiores, alii qui universo ministerio præsunt, quos Athenæus lib. 4. ἐλεάτρους a nonullis, hoc est, ἐπιστάτας τῆς ὅλης διακονίας, ut ipse interpretatur, (a Macrobio lib. 2. cap. ult. *servilis moderator obsequii*, & famulitii præsul appellatur.) Pollux lib. 6. cap. 5. τετραπεζοποιοὺς, hoc est, τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης φροντίζοντας, ut ipse similiter exponit, volunt appellari. Sic τραπεζοποιὸν olim dictum fuisse τὸν τραπεζῶν ἐπιμελητὴν, καὶ ἄλλης εὐκοσμίας, Athenæus testatur lib. 4. Hinc Alexander Severus, teste Ælio Lampridio, Aulicum ministerium in id contraxit, ut essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet. Utinam hoc Alexandri factum Principes Christiani imitarentur, nec tanta, tamque supervacanea ministrorum aulicorum copia subditos suos miserrimè gravarent. Sic מלצר *Malzac* Daniel. 1. alii *dispensatorem*, alii *præpositum ciborum*, quidam *architriclinum*, nonnulli *archimagirum* interpretantur. Gen. 15. vers. 1. filius משק *maschak*, *procuratoris domus meæ*, vel potius *procurationis*: juxta illum *derelictionis*, cui omnia mea relinquo, & committo, hoc est, procurator: alii vertunt, *filius discursationis*, hoc est, obnoxius discursationi, quæ ad procurationem rerum mearum domesticarum necessaria est: Procurator meus, rerum dispensator & administrator. Hos Gallicè *maistres d'hostel*. Germanicè Hofmeister / dixi nominari.

Quinta postremò ministeriorum convivialium divisio superioribus addenda, videtur posse fieri secundùm ipsas epulas, vel sacras, vel prophanas. Nam ut olim apud Judæos ex ipsius Dei instituto, & apud Ethnicos κακοζηλίᾳ quadam: ita apud Christianos quoque certi quidam & peculiares sunt sacrorum, epularumque sacrarum ministri. Apud Judæos Levitica tribus sacrificiorum, quæ fuerunt sacræ quædam epulæ, ministerio fuit consecrata, quæ aliis obire minimè licebat. Ethnici similiter in suorum sacrificiorum, atque epularum sacrarum administratione non nisi certis, atque peculiaribus utriusque sexus hominibus usi sunt, qui quidem illis ministeriis erant deputati. Hujusmodi fuerunt, exempli gratia, ἀσκοφόροι, ministri sacrorum Bacchanalium, utres ferentes: κανηφόροι virgines, canistrum, teste Suida, aliaque ad sacra pertinentia in Panathenæis, aliisque solennitatibus gestantes, sive ut eas Cicero in *Verrinis* describit, quæ manibus sublatis sacra quædam

παράσιτοι. reposita in capitibus sustinebant, de quibus plura Pausanias in *Attic.* παράσιτοι quoque ut Athenæus lib. 6. multis testimoniis probat, olim dicti sunt sacerdotum in sacris peragendis administri: παράσιτος, inquit, ὄνομα, πάλαι μὲν ἦν σεμνὸν, καὶ ἱερόν. Item, εὑρίσκομεν τὸ παράσιτον ἱερόν τι χρῆμα, καὶ τῷ συνθοίνῳ παρόμοιον. Item,

Ἐλεοδύται. τοῦ ἱεροῦ σίτου παράσιτοι, quod παρασίτιον appellarunt. Sic ἐλεοδύται quoque (quæ tamen vox aliquando quemvis mensæ ministrum significat) dicti sunt sacrorum ministri, διὰ τὸ τοῖς ἐλεοῖς ὑποδύεσθαι διακονοῦντες ἐν ταῖς θυσίαις, *quoniam mensas subeunt in sacrificiis ministrantes*. Nam ἐλεὸς mensa est coquinaria. Hinc Delii, teste eodem Athenæo lib. 4. ἐλεοδύται, nec non παράσιτοι, & καρυκοποιοὶ ob sacrificiorum, epularumque sacrarum

ἱερόδουλοι. studium dicti sunt. ἱερόδουλοι quoque sacris inservientes: item *æditui* appellati, & peculiariter ancillæ templi

Popæ. Delphici, hoc nomine fuerunt insignitæ. Sic *Popæ* Latinè dicebantur ministri sacrorum, qui victimas immolabant, alio nomine *victimarii* dicti, & *cultrarii*, qui cultro victimam victimabant, hoc est, mactabant. Apud

Diaconi. Christianos primitivæ Ecclesiæ, ut testis est Justinus in sua *Apologia pro Christianis*, διάκονοι, peractis a sacerdote, atque populo universo precibus, quibus panis atque vini fiebat consecratio, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι ἀποφέρουσι. hoc est, *Diaconi quos vocamus, dant singulis præsentibus partem panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio: atque etiam absentibus adferunt*. Et paulò post eorundem fit mentio: καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίγνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται, hoc est, *Consecrata distribuuntur singulis, & absentibus mittuntur per diaconos*. Diaconi ergo fuerunt olim Dominici & sacrosancti illius epuli quasi dapiferi atque pocillatores. Dionysius quoque Areopagita (de iisdem Christianorum ministeriis sacris verba faciens) in descriptione moris atque consuetudinis, qua cœna Dominica olim fuit celebrari solita, ἱεράρχῃ (quem Justinus loco ante citato προεστῶτα, hoc est, *antistitem* nominat) ministros adjungit, quos λειτουργοὺς (ut Justinus διακόνους) vocat. Per hos, ceu anagnostas, antequam οἱ κατηχούμενοι, ἐνεργούμενοι & ἐν μετανοίᾳ ὄντες, egredi juberentur, τῶν ἁγιογράφων δέλτων ἀνάγνωσις, hoc est, *sacrarum litterarum lectio* fiebat. Deinde jam missa concione, (unde *missa* nonnullis videtur dicta) horum alii quidem ceu πυλωροὶ, hoc est, *janitores*, stabant ad templi clausas januas, illasque custodiebant, quos ὑποδιακόνους Pachymerius interpretatur: alii ἄλλο τι τῶν τῆς οἰκείας τάξεως ἐνήργουν, hoc est, aliud quid eorum, quæ ad sacra pertinebant, obibant: alii denique τῆς λειτουργικῆς διακοσμήσεως ἔκκριτοι (quos πρώτους διακόνους Maximus interpretatur) unà cum sacerdotibus in altari sacro panem sacrum, & poculum benedictionis proponebant.

D E

CAPUT XXII.

DE MINISTRORVM HABITV ATQVE OFFICIO.

Sequitur tertium caput convivii ministerialis, nimirum de ministrorum quorumcunque situ, habitu, cultuque corporis, officio atque munere, quæ in Euangelico hoc ministro nobis consideranda proponuntur.

Quoad situm, habitumque corporis, is exprimitur partim his verbis: περιζωσάμενος διακόνει μοι· partim illis: *non dicit illi statim, Accede, atque accumbe*, ubi accubationi opponitur statio. Egregiè ergo ministri situm habitumque describit, qui est, ut præcinctus stet ad ministrandum. Ut enim sedere est dominorum proprium, ita stare servorum & ministrorum. Unde forsan *Statius* nomen servile promanavit, de quo A. Gellius cap. ult. lib. 4. *Plerique servi eo nomine apud veteres fuerunt*, &c. Debent aut primò ministri non sedere, aut accumbere, sed stare, quò promptius, & expeditiùs ministeria sua obire possint; de quibus officiis & moribus vide Jacobum Pontanum *progymnas.* lib. 2. Hinc crebrò in sacris literis *stare coram aliquo*, pro servire atque ministrare alicui ponitur. Sic Joseph tricenarius dicitur stetisse coram Pharaone, Gen. 41. Et pueri coràm rege Babylonio, Dan. 1. Et puella coràm Davide decrepito, 1. Reg. 1. Et David stetit coràm rege Saule. Hinc apud Romanos quoque servi *ad pedes stantes* eleganter dicuntur, qui ministrabant dominis accumbentibus. Horum meminit Seneca lib. 3. *de Beneficiis: Servus qui cœnanti ad pedes steterat, narrat, quid inter cœnam ebrius dixisset.* Suetonius in *Galba* circa finem: *Inter cœnam verò*, inquit, *usque eò abundantem, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet, spargique ad pedes stantibus*, hoc est, ministris sic dictis, quòd cœnantibus dominis ad pedes stabant. Ad hos Martialis videtur alludere hoc carmine, Servi ad pedes.

Misto lagenam replet ad pedes vino.

A pedibus, & *circum pedes* Latinis videntur dici ministri, aliâs *anteambulones*, atque *pedissequi* dicti: Lagkeyen Germanis & Gallis. Agretius, *Circumpedes*, inquit, *sunt obsequia servorum: Antepedes, amicorum.* Cicero; *Circumpedes autem homines formosos, & literatos suos esse* dicebat. Idem tamen dixit in *Epistolis ad Atticum*, *Pollucem servum a pedibus Romam missum.* Et Martialis ait, Lagkey. Circumpedes, Antepedes.

Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

Idem Cicero *ad pedes* eos appellat, inquiens: *Illic retroflexus ad pedum turbam.* Nonnulli ergo *a pedibus*, & *circumpedes* distinguunt ab iis, qui *ad pedes* dicuntur, quos propriè volunt esse mensæ ministros. Lazius lib. 3. *de Repub.* magis distinctè servorum, & puellarum ministrantium loca describit, sed sine auctore, his verbis: *Servi adstare solebant ad puteum distincti, quorum alii erant pocillatores, alii discerptores, alii qui sputa ex pavimentis verrebant, alii denique qui murmur compescebant. Puellæ verò, quæ vinum solitæ erant, & potus genera auferre, ad fulcra thori adstabant.* Hebræis quoque *ad pedes alicujus* esse, subjectionem significat, sicut contrà, *In caput esse.* Deut. 33. *Adjunxerunt se pedibus tuis*, hoc est, te, tuaque vestigia secuti, *quocunque eis præivisti.* 1. *Sam.* 25. Abigail ad Davidem: *Benedictio hæc, quam attuli, detur ministris domini mei, qui ambulant ad pedes ejus*, id est, qui ei serviunt. Sic paulò post: *Quinque puellæ, quæ ambulabant ad pedes ipsius Abigail*, hoc est, ei ministrabant. Jud. 4. *Congregavit Baras Zabulon, & Nephtalim, & fecit eum ascendere ad pedes suos*, hoc est, duxit secum ut suos milites. Jud. 2. *Date tortas panis populo qui est in pedibus meis*, hoc est, qui me sequitur, mihique servit militando. Eadem locutio est 1. Reg. 20. Sic *venire in pede alicujus*, 2. Sam. 15. *Viri qui venerant in pede ejus de Gath.* 2. Sam. 11. *Egressus est rex David, & universa familia in pedibus ejus*, hoc est, secuta est eum, ministrantes ei. Hinc *vocare ad pedem suum*, hoc est, vocare ut se sequatur. Item *sedere ad pedes alicui*, hoc est, alicujus disciplinæ sese subjicere, alicui discendo operam dare. Nam cum præceptor docet, sedet in loco editiore, quàm auditores, ita ut ei discipuli sint ad pedes, cùm ipse sit ad caput. Actor. 22. Paulus dicit se ad Gamalielis pedes sedisse, hoc est, ejus fuisse auditorem, atque discipulum. Venire in pede. Vocare ad pedem. Sedere ad pedes alicujus.

Quò ad habitum, seu vestitum, Euangelicus hic servus περιζωσάμενος, hoc est, *præcinctus* seu *succinctus* jubetur administrare. Proprius hic ministrantium habitus. Nam quoniam vestes largæ, laxæ, fluctuantes, atque prolixæ (cujusmodi Orientales ferè usi sunt) impedimento sunt ad iter, & ad quidvis aliud opus efficiendum, idcircò succinguntur. Ad hunc morem alludit Horatius lib. 2. Sat. 6. Ministrorum cinctura.

---- *Veluti succinctus cursitat hospes.*
Continuatque dapes (novas subinde dapes apponit, dapes dapibus accumulat)
nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis,

Hoc est, vernarum in morem ipse ministeria & munera necessaria obit. Item lib. 1. Satyr. 8.

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla,
Canidiam.

Et Satyr. ult. lib. *His ubi ſublatis, puer altè cinctus* (εὔζωνος) *acernam*
Gauſape purpureo menſam perterſit, &c.

Simile eſt illud Virgilii lib. 4.
Unum exuta pedem vinclis in veſte recincta.

Suetonius in *Caligula*: *Admota altaribus victima, ſuccinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrarium mactavit.* Ovidius,

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cœlitibus quo feriente cadit.

Propertius, *Succinctique cadent ad nova ſacra popæ,*

Id eſt, victimarii, miniſtri ſacrificiales. In ſacris quoque literis crebra fit hujuſmodi habitus mentio, ut in hoc ipſo Lucæ cap. 12. ἔςωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, hoc eſt, *lumbi veſtri ſint circumcincti*, id eſt, eſtote parati, expediti, ad excipiendum Dominum, (ut & Petrus, διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν, hoc eſt, *ſuccingite lumbos mentis veſtræ.*) Et paulò poſt: *Beati ſervi illi quos Dominus invenerit vigilantes, Amen dico vobis*, ὅτι περιζώσεται, καὶ ἀνακλινεῖ αὐτοὺς, καὶ παρελθὼν διακονήσει αὐτοῖς, hoc eſt, *præcinctus faciet ut diſcumbant*, id eſt, ad convivium, *& prodiens miniſtrabit iis.* Sic ipſe Chriſtus Rex regum, & Dominus dominorum, lavaturus a cœna diſcipulorum ſuorum pedes, depoſito pallio, accepto linteo (Clemens Alexandrinus lib. 2. cap. 3. σάβανον vocat) præcinxit ſe. Nam ut ipſemet de ſeipſo teſtatur Matth. 10. *Filius hominis non venit ut illi miniſtretur, ſed ut ipſe aliis miniſtret.* Apud Parthos, teſtis eſt Athenæus lib. 4. viros μαχαιροφόρους, *enſibus accinctos* Regibus miniſtrare fuiſſe ſolitos (id quod etiam apud nos in Helvetia moris eſt, ut nimirum viri gladiis accincti miniſtrent in ſplendidioribus atque ſolennioribus conviviis.) Philo contra, Theoretas, teſtatur, in ſacris ſuis conviviis liberorum, non ſervorum miniſterio uti, ac proinde miniſtros ἀζώςους, καὶ καθειμένους τοὺς χιτωνίσκους εἰσιέναι, id eſt, *diſcinctos, & promiſſis tunicis ad miniſtrandum*, ut abſit omnis ſervilis ſpecies ab his conviviis. Notandum autem prætereà, miniſtros menſæ antiquitus, eleganti corporis habitu atque veſtitu uſos fuiſſe, id quod Ambroſius libro *de Helia, & Jejunio* cap. 13. perſpicuè indicat his verbis: *Igitur hinc*, inquit, *ad adoleſcentes lubricos, ad convivia præliatorum veniamus, inter arma prandendum eſt, ſtipatores hi ſunt bellici, qui miniſtrant ſuccincti auro, & Babylonicis lumbos ſuffulti balteis, aureis torquibus nitent colla infantium, aureis bullis zonam tegunt, aureis thecis cultros includunt ſuos, quibus dimicent: cum epulis dividendis aſſiſtunt pueri, coma nitentes, ex gente barbarica ad hos uſus electi, per ſingularum diſtincti ætatum vices.* Similem deſcriptionem habes apud Philonem in libro *de Vita Theoretica*: *Miniſtrant*, inquit, διακονικὰ ἀνδράποδα εὐμορφότατα, καὶ περικαλλέςατα, hoc eſt, *mancipia pulcherrima, & formoſiſſima, ita ut non tam ad miniſtrandum, quàm ad convivarum oculos eximia ſua venuſtate oblectandum adveniſſe videantur. Horum* οἱ μὲν παῖδες ἔτι ὄντες οἰνοχοοῦσι, *pueri adhuc pocula miniſtrant*, ὑδροφοροῦσι δὲ βούπαιδες λελουμένοι, καὶ λελεασμένοι, *at qui adultioris ſunt ætatis, aquam, ſcilicet frigidam atque calidam* (cujus utriuſque uſus fuit in conviviis) *adferunt, loti benè atque politi, nitidi, fucati, & concinnatuli: alunt enim capillitium, vel omnino intonſi, vel a fronte tantùm præſpectis in orbem crinibus, tenuiſſimas candidiſſimasque præcincti tunicas, anteriore parte ad genua demiſſas, poſteriore ad poplites, utrinque mollibus tæniis adſtricti commiſſuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus. Sic ornati adſtant nutus obſervando, quid quiſque poſtulet. Adſunt & alii adoleſcentes prima lanugine malas veſtiti, qui paulò ante amatorum ſuorum delitiæ fuerant, curioſè docti gravioris momenti miniſteria. Mera oſtentatio convivatoris opulentiæ ſeu potius* ἀπειροκαλίας. Deinceps pluribus corporis eorum cultum, habitumque nimis comptum, & elegantem, imò laſcivum, petulantemque deſcribit. Similis hodie ferè ſolet eſſe puellarum menſis Chriſtianorum miniſtrantium veſtitus, ad convivarum libidinem irritandam perquàm accommodatus, ſplendidior & comptior, quàm caſtas atque virgines, quales ipſæ haberi volunt, deceat. Sic Juvenalis Satyr. 5. eleganter deſcribit diſcrimen elegantium, & deformium miniſtrorum, quoniam hi quidem divitibus, illi pauperibus, qui divitum quadra vivunt, miniſtrare ſolent:

Miniſtri menſæ antiquitus eleganti corporis veſtitu uſi fuerunt.

Tibi (pauperi) *pocula curſor,*
Getulus dabit, aut nigri manus oſſea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ:
Flos Aſiæ anteipſum (divitem) hoc eſt, formoſiſſimus pocillator ex Aſia,
pretio majore paratus,
Quam fuit & Tulli pugnacis cenſus, & Anci
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola: quod cum ita ſit, tu Getylum Ganymedem, id eſt, miniſtrum a poculis deformem, & nigratum, utpote Sole uſtulatum:
Reſpice, cum ſities: neſcit tot millibus emptus
Pauperibus miſcere puer, ſed forma, ſed ætas
Digna ſupercilio,

Homerus quoque Οδ. ο. procorum illorum petulantium miniſtros menſales his verbis deſcribit ſub Eumæi perſona,

οὔτι

Οὔ τοι τοιοί δ' εἰσὶν ὑποδρηστῆρες ἐκείνων,

Hoc eſt, ſcilicet non tam ſenes, atque ſordidi, ſqualidi, ſicuti tu es Ulyſſes.

Ἀλλὰ νέοι χλαίνας εὖ εἱμένοι ἠδὲ χιτῶνας,
Αἰεὶ λιπαροὶ κεφαλὰς, καὶ καλὰ πρόσωπα
Οἵ σφιν ὑποδρώωσιν.

Id eſt, *Sed juvenes lanas benè veſtiti ſeu tunicas,*
Semper nitidi caput, & pulchra ſunt facie
Qui illis miniſtrant.

Cicero *Tuſcul.* lib. 5. *Tum ad menſam eximia forma pueros delectos juſſit conſiſtere.* Et paulò poſt: *Nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat.* Athenæus lib. 4. ex Heraclide Cymeo, qui Perſica deſcripſit, οἱ θεραπεύοντες τοὺς Περσῶν βασιλεῖς δειπνοῦντας, ἅπαντες λελουμένοι διακονοῦσι ἐσθῆτας καλὰς ἔχοντες, hoc eſt, *regis Perſarum famuli, miniſtrant iis loti, elegantibus induti veſtibus, & dimidia ferè diei parte circa epulas commorantur.* Sic Apulejus lib. 2. apparatum magnifici convivii deſcribens inter alia, *dirivitores,* ſive, ut alii legunt, *diribitores,* (id eſt, miniſtri, diſtributoreſque, qua voce etiam Ammianus Marcellinus uſus eſt) *pluſculi, ſplendidè amicti: fercula copioſa ſcitè ſubminiſtrata: pueri calamiſtrati, pulchrè incluſiati:* (hoc eſt, eleganter veſtiti, Beroaldus *induſiati* mavult legendum, ab *induſio*) *gemmas formatas in pocula vini vetuſti frequenter offerre,* hoc eſt, offerebant, Nazianzenus in Orat. περὶ φιλοπτωχίας, *puerosque aſtare quoſdam ornatu decoro, comaque prolixa & effœminata, ac circa faciem plus curioſè attonſa, quàm deceat, ſplendidis oculis decoratos,* &c. Imperatorum Romanorum temporibus vel auratas nonnunquam fuiſſe miniſtrorum veſtes, ex illis Ælii Lampridii verbis colligi poteſt de Alexandro Severo: *Auratam veſtem miniſtrorum vel in publico convivio nullus habuit.* Suetonius *in Domitiano, Generum fratris indignè ferens, albatos & ipſum miniſtros habere proclamavit,* hoc eſt, albis veſtibus indutos, & ob hoc elegantiores, cultioresve. His adde morem, pedes ſervorum creta notandi. Plinius lib. 35. cap. 16. *Eſt quoddam genus cretæ, quæ argentaria appellatur, nitorem argenteum reddens, eſt & viliſſima, & qua pedes ſervorum venalium trans mare advectorum denotare conſueverunt majores.* Unde Juvenalis Satyr. 1.

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis,

Id eſt, gypſatis, & cretatis.

------ Tibullus,

Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

Ovidius in Amoribus, *Nec tu ſi quis erit capitis mercede retentus*
Deſpice gypſati nomen inane pedis.

Apud Tyrrhenos, teſte Athenæo lib. 4. magna formoſorum ſervorum multitudo adſtabat, qui ſumptuoſis erant induti veſtibus. Idem ex Timæo ſcribit, nudas etiam ſervas illis diſcumbentibus miniſtrare fuiſſe ſolitas. Sic Tyberius, teſte Suetonio, *Sexto Claudio cœnam ea lege condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret, aut demeret, atque puellis nudis miniſtraretur,* id quòd ſummæ fuit petulantiæ atque libidinis. Sed quid dicemus de Tyrrhenis & Tyberio, an non etiam in Chriſtianorum conviviis præſertim in publicis diverſoriis, videre licet puellas, ſi non toto corpore, at ſaltem nonnullis partibus maximè illecebroſis, ut mammis, atque pedibus nudas, convivantibus miniſtrare cum ſummo illarum pariter atque convivarum caſtitatis periculo atque diſcrimine? Succinctæ ſunt plerunque nimis altè veſtibus, non ut tantò faciliùs, & promptiùs miniſtrare poſſint, ſed ut convivis libidinis anſam præbeant. Sic ergo illis non tantùm luxuriæ, verumetiam impudicitiæ, atque libidinis miniſtris multi utuntur. Equidem menſæ miniſtros, cujuſcunque illi ſunt ſexus, debere eſſe mundos, lotos, politos, cultos, a ſordibus omnique deformitate vacuos, ad omnem munditiem & hilaritatem ſpecioſam aſſuefactos, atque eruditos, Horatius 2. Satyr. 4. egregiè docet:

Magna movent ſtomacho faſtidia, ſeu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit.

Hinc Piſoni Cicero objicit, *quòd in illius epulis ſervi ſordidati miniſtrarent.* Omnino ergo, ut hunc de miniſtrorum, atque miniſtrarum menſæ habitu, cultuque corporis locum concludam, danda eſt opera, ut is neque ſit nimiùm comptus, ſplendidus, atque laſcivus: neque nimis ſordidus, impurus, & immundus, qui nimirum convivis faſtidium, atque nauſeam pariat. Nam ſæpè vel exquiſitiſſimi, delicatiſſimique cibi atque potus convivis ſordeſcunt, iiſque ſunt faſtidio, propter impuras, ſordidaſque illas miniſtrantium, atque tractantium veſtes, corporiſque partes. Obſervandum etiam in principum aulis, atque nobilium ædibus in Germania, & aliis in locis miniſtros pallio amictos miniſteria illa ſua obire, at in Helvetia pallia deponunt, quò nimirum ſint promptiores, & expeditiores.

Jam verò, ut in univerſum de miniſtrorum convivialium munere, atque officio, geſtibus atque moribus paucis dicam, illa in Euangelico quoque hoc miniſtro uno quaſi faſciculo comprehenſa nobis proponuntur. Sint igitur primò gnavi, induſtrii, laborioſi, agiles, alacres, & expediti ad convivialia hæc ſua munera obeundum, quemadmodum Euangelicus hic miniſter, exantlatis licet ruſticis, ſeu paſtoritiis laboribus, tamen διεζωσμένος, id eſt, *promptus & expeditus,* indefeſſo quodam ſtudio convivialia quoque hæc officia ſuo Domino præſtat. Idem quoque vox διακονεῖν denotat, quæ proprie quaſi pulverentum, hoc eſt, laborioſiſſimum miniſterium ſignificat.

Deinde, id quòd eſt conſequens, domini atque convivarum juſſis, atque monitis ſint obſequentes, ad

 illorum

illorum nutum intuentes diligenter ministrent, ne quid convivis desit solicitè circumspiciant, atque etiam non moniti, sed sua sponte jussa non exspectando, sed præveniendo, alacritate voluntaria convivis, quibus illis opus est, prospiciant.

Cautionem quoque summam adhibeant, ne vel ignavia, vel temeraria quadam festinatione ruant, convivas offendant, atque lædant, cibos potusque effundant, vasa convivialia frangant, atque corrumpant.

Sint præterea temperantes, ita ut nonnisi cœna ministerioque suo peracto, cibum potumque sumant, ut Euangelicus hic minister. Valdè enim absurdum, & à decoro alienum est, quando ministri, atque ministræ interea dum munus suum obeunt, cibo, atque potui indulgent. In primis verò caveant, ne vel sua sponte seipsos vino obruant, vel a convivis impleri patiantur, ita ut convivis, conviviique domino postea majori sint impedimento, ac detrimento, quàm usui.

Sint quoque humiles, atque modesti, qui de ministeriis suis non Thrasonico more glorientur, eaque jactent, ut hîc in primis Christus præcipit. Et tamen, ut verè Juvenalis ait Sat. 5.

Maxima quæque domus servis est plena superbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem, &c.

Adhæc & verbis, & oculis, vultu, totiusque corporis gestibus liberalibus atque compositis singularem quandam hilaritatem, comitatem, modestiam, benevolentiamque erga convivas omnes, ipsumque convivatorem præ se ferant.

Postremò, si plures sint ministri, mutuam inter se concordiam colent, mutuasque sibi tradent operas, si ita opus sit, suam tamen quisque provinciam, quam nactus est, sedulò tuebitur, secundùm illud Maphæi Poetæ:

Tum læta fronte ministri
Innumeri magno distinguunt ordine curas.
Pars dapibus reficit mensas, pars pocula miscet,
Craterasque replet, &c.

CAPUT XXIII.

DE DOMINORVM ATQUE ETIAM CONVIVARVM IPSORVM ERGA MINISTROS OFFICIO.

Sequitur postremum membrum, quomodo domini convivii, atque patresfamiliâs, necnon ipsi quoque convivæ sese vicissim erga ministros gerere debeant. Idipsum in hac quoque parabola docetur. Hic enim dominus, atque conviva, quem Christus inducit, primò quidem non nimis molliter & delicatè servum, atque ministrum tractat, dum illum ex rure redeuntem, ac rusticanis laboribus defatigatum, non statim discumbere, & cibum potumque capere jubet: sed plura adhuc illi negotia imponit, sibique prandium parare, atque epulanti ministrare cogit. Et hoc est quòd Syracides cap. 18. & 33. præcipit, servos laboribus exercendos, ne otio, ignaviaque torpescant. Non etiam illum unà secum accumbere, atque cibum capere jubet, sed sibi ministrare: quoniam *nimia familiaritas*, ut vulgò dicitur, *contemptum parit.* Non ergo domini servis suis nimium indulgere debent, cùm plerunque molli hac, remissaque indulgentia, ad contumaciam atque malorum licentiam abutantur. Nec tamen rursus illos inedia atque fame excarnificare, sed justum debitumque illis victum subministrare debent: id quòd ab Euangelico hoc patrefamiliâs fieri videmus, qui ministro suo, peracta cœna atque ministerio illius, liberam edendi, bibendique facultatem facit. Et hoc est, quòd Syracides inquit: *Asino pabulum debetur & flagellum, & onus: ita servo panis, castigatio labor.* Est autem hîc notandum moris antiquitùs fuisse, ut ciborum reliquiæ servis darentur. Athenæus lib. 4. de conviviis regum Persicorum verba faciens, dicit τὸν τραπέζης ἐπιμελόμενον, hoc est, *mensæ regiæ præpositum*, reliquias carnium, atque panum famulis, ceu cibum diurnum, distribuere. Sic Sergius Galba, teste Suetonio, congestas super manus reliquias circumferri jussit, spargique ad pedes stantibus, id est, ministris. Id magis adhuc perspicuè testatur Seneca lib. 11. *Epistolarum: Quemadmodum*, inquit, *cœna peracta, reliquiæ circumstantibus dividuntur: sic peracta vita aliquid porrigi his, qui totius vitæ ministri fuissent.* Idem Epictetus præcipit his verbis: Ἄριστον μὲν εἰ κἂν τῆς παρασκευῆς χειρουργῶν, κἂν τῆς τροφῆς ἐσιώμενος, κοινωνεῖς τοῖς θεράπουσι τῶν παρόντων. εἰ δὲ τὸ τοιόνδε δυσχερὲς τῷ καιρῷ ὑπάρχοι, μέμνησο, ὅτι μὴ κάμνων ὑπὸ πονούντων ὑπουργῇ, ἐσθίων ὑπὸ μὴ ἐσθιόντων, πίνων ὑπὸ μὴ πινόντων, λαλῶν ὑπὸ σιωπώντων, ἀνειμένος ὑπὸ συνεσταλμένων, καὶ οὔτε αὐτὸς φλεγμήνας ἄτοπον πείσῃ, οὐδὲ ἕτερον ἀγριάνας χαλεπὸν ἐργάσῃ, Id est, *optimum quidem fuerit, si etiam ipse in apparatu laboraveris, & ferculis tibi propositis aliquid præsentium famulis quoque communicaveris. Si verò tempus non ita ferat, saltem memento quod tibi otiosa a laborantibus inservitur, edenti a non edentibus, bibenti a non bibentibus, loquenti a silentibus, denique dissoluto & animo remisso, a sollicitis & accinctis. Hoc enim pacto nec inflammatus absurdi quicquam patieris, nec alium commotus afficies molestia.* Ad hanc consuetudinem antiquam, quæ hodie quoque apud populos quosdam obtinet, in hac parabola Euangelica videtur alludi, dum peracta demum

domini

domini cœna, ministro vescendi scilicet reliquiis facultas conceditur. Verùm *illud* quoque fit in præceptis, ut nimirum convivator non nimiùm ministris fidat, sed ipse quoque fidam convivii, & convivarum curam gerat, circumcurrat nonnunquam, atque circumspiciat omnia, detque operam, quoad ejus fieri potest, ut ministri officiis suis nequaquam desint, & ut omnia benè, atque decenti ordine gerantur. Sic, teste Athenæo lib. 5. convivii illius magnificentissimi, quod Ptolemæus Epiphanes fecerat, διαχείρισμὸς, hoc est, *administratio* per ipsum regem facta est, qui equo vectus cœnaculum assiduè obibat, dabatque operam, ut ministri singuli, munera ac ministeria sua optimè exequerentur. Oculum enim Domini optimus est convivarum pastor, conviviique rector & gubernator. Ipsi quoque convivæ se erga mensæ administratores humanos, benevolosque præbebunt. Cavebunt etiam summopere ne vel dictis vel factis, atque gestibus turpibus, atque obscœnis (ut hodie sæpè fieri solet) pueros, atque puellas liberas & ingenuas offendant atque corrumpant. Nam, ut bene sapienterque Juvenalis Satyr. 14. cecinit,

Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia, si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos, &c.

Quoniam, ut idem paulò ante inquit,

dociles imitandis
Turpibus ac pravis, omnes sumus.

Ergò vel circumstantium ministrorum cohors convivas meritò a turpibus dictis, factisque deterrere debet. Observandum quoque est, ipsos aliquando convivas sibimetipsis ministrare, non alieno uti ministerio. Sic Athenæus lib. 1. cap. 9. ex Homero probat, antiquos sine risu atque pudore sibimetipsis opsonia parasse, id quod αὐτοδιακονίαν appellat. Idem lib. 6. docet, veteres non usos fuisse servis, sed αὐτουργοὺς, hoc est, *per seipsos* omnia, quæ ad epulas pertinent, parasse, ac præstitisse. Sic Æginetæ Neptuno sacrificantes, atque convivia 16. dierum spacio celebrantes, sibimet ipsis ministrabant, servorum neminêm admittebant, de quo in primo libro dictum est. Juvenalis hoc vocat *sibi prandere* Satyr. 13. *Prandebat sibi quisque Deus*, id est, quisque deus sibi ministrabat & serviebat. De servis atque ministris, illorum differentiis, secundùm sexum, ætatem, officium, vide plura apud Scaligerum lib. 1. *Poëtices.* Hæc de convivatoris apparatu, qui, uti dictum est, partim in invitatione, partim in alimentorum opsonatione, atque coctione, partim in temporis locique delectu, partim denique in supellectili, atque ministerio conviviali consistit.

CAPUT XXIV.

DE PRAEPARATIONE CONVIVARUM AD CONVIVIA, QUAE PARTIM ANIMO, PARTIM CORPORE CONSTAT. DE EXERCITATIONE CORPORIS VARIA ATQUE MULTIPLICI ANTE EPULAS, EIUS USU, MODO ATQUE GENERIBUS.

Nunc, id quod est consequens, de invitatorum, seu convivarum præparatione est dicendum, quæ quidem est duplex: alia animi, alia corporis. Plutarchus in convivio sapientum non ἑστιάτορος modò, verumetiam δαιτυμόνος, hoc est, non convivatoris solùm, verumetiam convivæ παρασκευὴν, hoc est, *apparatum justum, atque peculiarem* esse dicit. Sybaritæ, uti suprâ dictum est, feruntur, toto ferè ante anno mulieres ad convivia invitasse, quò nimirum satis haberent spacii (nam, ut ille inquit, *dum comuntur, dum moliuntur annus est*) ad se auro, vestibusque pretiosissimis exornandum. Verùm, ut scitè, sapienterque Plutarchus ibidem inquit, *multò plus temporis requiritur ad veram, legitimamque præparationem, quæ quidem est animi, eò quòd* χαλεπώτερόν ἐστι ἤθει τὸν πρέποντα κόσμον, ἢ σώματι τὸν περιττὸν ἐξευρεῖν, καὶ ἄχρηστον, hoc est, *difficilius est mores decorè componere, & exornare, quàm corporis supervacaneum inutilemque ornatum conquirere. Qui enim sapit, is non sese tanquam vas implendum ad cœnam apportans venit, sed ut seriò, jocove aliquid acturus, auditurus, atque dicturus, prout res & occasio postulabit, quò suavis sit & jucundus ille convictus.* His verbis Plutarchus, ceu optimus, & sapientissimus vitæ morumque magister, animum inprimis convivia adituris certo quodam modo præparandum esse monet. Cogitet ergo is, qui ad convivium aliquod est accessurus, se veluti ad Dei, ubique præsentis, hominumque conciliabulum (quo nomine veterum nonnulli ipsum convivium definierunt) accedere. Proinde primò omnium Deum ardenter oret, ut & suum, & convivarum suorum animum mores, affectus, linguam, gestusque ita regat, ac moderetur, ut ne quid cogitent, dicant, faciantve, unde vel in ipsum, vel in se invicem ignominia, offensiove aliqua existere ac redundare possit: sed potiùs ut hac jucunda corporum uno in loco congregatione atque conjunctione, mutua animorum conjunctio atque charitas magis magisque corroboretur atque confirmetur, omnesque simultates, odia, suspiciones sinistræ

ſtræ ex animis tollantur. Deinde in animum ſuum planè inducat, non, ut hodie vulgus hominum facere ſolet, ſe, aliosque immoderato cibo, potuque obruere, mordacibus dictis convivas ſuos lædere, illos inter ſe committere: ſed potiùs eſſe temperantem, ſobrium, caſtum, modeſtum, dictorum factorumve, quæ illius animum offendere poſſint, patientem, arcanorum ſubticentem, lætum, hilarem, humanum erga omnes: denique ea dicere, agere, atque etiam diſcere pro virili, quæ ad Dei gloriam, & ad ſuam aliorumque, qui convivio interfuerint, cùm delectationem honeſtam, tum ædificationem, atque ſalutem facere poſſint. Huc facit illud Pauli 1. Cor. 10. *Sive igitur editis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, facite omnia ad Dei gloriam.* Cum hujuſmodi pia, honeſtaque precatione, meditatione, animique inductione, ſi ſinguli Chriſtianorum ad mutua illa ſua convivia accederent, multò profectò in illis ſeſe (quàm hodie, proh dolor fieri ſolet) temperantiùs, modeſtiùs, atque honeſtiùs gererent, ac proinde multò plus etiam cùm voluptatis, tum utilitatis ex illis perciperent. Verùm in primis diligens ſtudioſaque nobis ad ſacroſanctum illud epulum, ſive convivium Dominicum acceſſuris, animorum priùs adhibenda eſt præparatio: ſecundùm illa Pauli Apoſtoli graviſſima dicta & monita, 1. Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit, & bibit indignè, judicium ſibi ipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini.* Hæc autem δοκιμασία, quam Paulus præcipit, ſecundùm Theologorum ſententiam, in tribus potiſſimùm conſiſtit: nempe in vera & vigente fide, in charitate, & in firmo pœnitentiæ ſtudio atque propoſito. Hinc veteres in actione Cœnæ, ſolebant accedentes admonere officii ſui, hujuſmodi fere illis verba occinendo, θεανθρώπου μὴ ἅπτε, γνώμην τε καὶ ἦθος ἀδόκιμος, τράπεζαν, λάβε δὲ πίστιν τε καὶ βίον, &c. Hæc dicta ſint de præparatione animi, ſive ad prophana ſive ad ſacra convivia accedatur: nunc de corporis præparatione dicendum, quæ videtur eſſe tripertita. Conſtat enim partim exercitatione ejus utili: partim ablutione unctioneve: partim denique veſtitu ſeu habitu.

Corporis præparatio tripertita.
1. Tim. 4.

Quò ad exercitationem, memorabilis in primis eſt illa D. Pauli, Timotheum ad pietatis ſtudium cultumque adhortantis, ſententia: γύμναζε δὲ σεαυτὸν, inquit, πρὸς εὐσέβειαν. ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος· ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης, hoc eſt, *ſed exerce teipſum ad pietatem, ſive pietatis exercitationem ſuſcipe. Nam corporalis exercitatio ad pauca eſt utilis,* ſive exiguum ad tempus, (ut χρόνον ſubintelligatur, cum vita hæc noſtra ſit ὀλιγοχρόνιος, id eſt, *brevis ævi.* Oecumenius illud πρὸς ὀλίγον exponit ἄχρι τοῦ σώματος, καὶ τοῦ παρόντος βίου) *at pietas ad omnia, ſive in omne tempus præſens & futurum, utilis eſt: ut quæ promiſſiones habeat vitæ præſentis ac futuræ.* Exercitatio hìc (ut de nomine priùs dicamus) a Paulo appellatur γυμνασία, ἀπὸ τοῦ γυμνάζειν, quo verbo idem utitur. γυμνασία autem, ſive (quod apud prophanos auctores magis eſt uſitatum) γυμνάσιον, *exercitatio* propriè denominatur a loco, quem γυμνάσιον Græci appellant. Is locus erat in publica aliqua urbis regione extructus, in quo ungendi, fricandi, luctaturi, diſcum jacturi: aut tale quippiam facturi, confluebant, teſte Galeno lib. 2. *de Sanitate tuenda.* Omnino vox hæc γυμνασίας, ſive γυμνασίου olim nudorum corporum exercitationem propriè ſignificabat, γυμναστικὴν dictam, qua Græcorum adoleſcentes ex Solonis inſtituto uſi fuerunt, non ſolùm ut animoſiores fierent, & ad rem militarem magis idonei, ſed etiam εὐεξίας, id eſt, *bonæ habitudinis* acquirendæ & ſanitatis conſervandæ cauſa, quam Plato lib. 7. *de Legibus*, vehementer commendat. Poſtea hæc vox pro quavis exercitatione uſurpari cœpit, ut & γυμνάσιον pro quovis loco, ſive corporis, ſive animi, ut artium ac diſciplinarum, exercitationibus deſtinato. Exercitatio porrò aliâs a Græcis πόνος, & ἄσκησις, Latinè *labor, exercitium*, ſeu *exercitatio* appellatur. Secundò duplex hìc a Paulo exercitatio proponitur: una, quam πρὸς εὐσέβειαν appellat, id eſt, *pietatis exercitium*: alteram, quam vocat γυμνασίαν σωματικὴν, id eſt, *exercitationem corpoream*, quam Chryſoſtomus *corporis motum agitationemvè* definit, *quæ ſanitati conducit*: ut eſt venatio, ludus, foſſio, aut quæ a medicis jubentur fieri ad ſupervacaneos corporis humores conſumendum. Suidas quoque duplex exercitationum genus facit: unum τοῦ σώματος, id eſt, *corporis*, quæ ſi arte fiant, corpori: alterum, τῆς ψυχῆς, id eſt, *animi*, quæ animo εὐεξίαν, id eſt, *bonum habitum* conciliant.

Exercitationis nomina.
γυμνασία ſive γυμνάσιον propriè quid ſignificet.
γυμνασία & γυμνάσιον impropriè quid ſignificent.
Exercitatio duplex a Paulo prò ponitur.
Exercitationis definitio.

Quò ad corpoream exercitationem, quæ, Galeno auctore, is eſt corporis motus, qui & vehementior eſt, & anhelitum alterare poteſt, hæc ferè illius genera ab eodem recenſentur: πάλη, id eſt, *lucta*: παγκράτιον, id eſt, certaminis genus id, quo intentis omnibus corporis viribus, magna contentione certatur, πυγμὴ, *pugillatus*: δρόμος, *curſus*, ſaltus, diſci jactus, coryci, follis, pilæ palmariæ, & alterum luſus. Item τὸ πιτυλίζειν, id eſt, *ſummis pedibus ingredi*, tenſis in ſublime manibus, ante & retrò agitatis: τὸ ἐκπλεθρίζειν, in plethro prorſum retrorſumque currere: τὸ σκιομαχεῖν, ſeu σκιομαχία, umbratili armorum pugna exerceri: τὸ ἀκροχειρίζεσθαι ſive ἀκροχειρισμὸς, *ſummis manibus concertare*: τὸ δισκοβολεῖν, *diſcum jactare.* Coryci, follis luſus, cujuſmodi fuerint vide Valleriolam lib. 2. *locor. comm.* cap. 10. His adde venationem, equitationem, jaculationem, ambulationem, choream, modulationem vocis, ſive cantus, frictionem, lectionem. Horatius lib. 2. Satyr. quinque enumerat exercitationum genera, venationem, equitationem, militiam, diſci jactum, luſum pilæ. De pilæ ludo, quem Horatius dixit *lippis & crudis inimicum eſſe*, vide Hieronymi Magii *Miſcellan.* lib. 1. c. 11.

Exercitatio qualis motus. Lib. 2. de Sanitat. tuend. Exercitationum genera.

Exercitationis differentiæ.

Omnes porrò hujusmodi exercitationes corporis dividuntur multifariàm. Vel ſecundùm finem: ſunt enim aliæ, teſte Galeno, tantùm exercitationes, quæ exercitii ſolùm, & animi, aut etiam honoris gratia ſuſcipiuntur: ut lucta, pancration, pugillatus, curſus: alia ſunt exercitia ſimul, & opera, ut fodere, arare, remigare, vites putare, geſtare onus, naves fabricare, domos extruere, venari, piſcari, iter facere. Vel dividuntur ſecundùm qualitatem. Sunt enim alia exercitia εὔτονα καὶ σφοδρὰ, id eſt, *robuſta, valida, violenta*: alia mitiora. Illorum item differentia petitur a partibus: aliis enim lumbi, aliis thorax, aliis ſuperæ, aliis inferæ

inferæ partes, aliis totum corpus agitatur. Verùm de his exercitationum generibus, qui vult plura cognoscere, is legat Galenum lib. 2. *de sanitate tuenda*, Celsum lib. 1. cum commentariis Paulini, Oribasium lib. 6. *collect. ad Julianum*, Heresbachium in lib. *de educandis Principum liberis*, cap. 30. Levinum Lemnium in libro *de vita optimè instituenda* cap. 44. ubi exercitatione docet defatigatas vires instaurari, cùm animi tum corporis: Valleriolam lib. 2. *loco com.* cap. 10. Christoph. a Vega lib. 2. *Sect.* 2. Hieron. Mercurialem *de arte gymn.* & Jacobum Pontanum *Progymnas.* lib. 3. *prog.* 48. Hæc de exercitationis nominibus, definitione, divisione atque generibus sint dicta.

Nunc de ejus utilitate in genere quædam dicam. D. Paulus cùm animi & pietatis, tum corpoream exercitationem utilem esse fatetur: sed tamen verè sapienterque primas pietatis atque virtutum exercitationi tribuit. Ad sanitatem tuendam quantum momenti exercitatio habeat, cùm constanti auctorum omnium consensu, tum ipsa experientia est exploratissimum. Huc facit gravissima illa Hippocratis lib. 6. *Epid. par.* 4. cap. 20. sententia, ἄσκησις ὑγιῆς, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων, id est, *Sanitatis studium est, non satiari cibis, & ad labores esse impigrum.* Idem, ἡ μὲν χρῆσις, inquit, τὰ μέλη μεγαλύνει, ἡ δὲ σχολὴ τήκει, id est, *Usus membra magna reddit, otium verò tabefacit.* Galenus lib. 2. *de tuend. valetud. Sanitatis tutela*, inquit, *a labore est auspicanda.* Et paulo est: *A laboribus ordiendum.* Libro item *de boni & mali succi cibis: Ad tuendam sanitatem mirum in modum prodest, corpora moderatè exerceri: at contra quies & otium diuturnum, maximo nocumento est.* Idem eodem in libro, quòd ipse unà cum suo sodali multos ad annos incolumis vixerit, exercitiis commodis fert acceptum, quibus cruditates vitaverit. Idem Aristoteles affirmat in *Problematis*, dum illud inquirit, *Cur cibum minuere, laborem autem augere, salubre sit: An*, inquit, *quia causam ægrotandi affert excrementorum copia, quæ tum certè existit, cum aut cibus superest, aut labor deest.* Celsus libro 1. cap. 1. *Ignavia*, inquit, *corpus hebetat, labor firmat: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.* Idem cap. 2. *Prima corporis curatio, exercitatio est.* His suffragatur Plato, qui in *Timæo* dicit *exercitium roborare, quietem verò contabefacere.* Galenus lib. 1. *de tuend. sanit. Exercitationibus firmitas quædam membris accedit, & naturalis calor accenditur, & ex partium inter se attritu duritia quædam, indolentiaque comparatur.* Idem lib. 2. *de sanit. tuenda*, magis disertè probæ exercitationis commoda hæc tria refert: nimirum, *membrorum duritiem ob partium vehementiorem attritum: genuini caloris augmentum: & spiritus concitatiorem motum. Adhæc verò magna sequuntur commoda. Nam ex duritie membra valida redduntur ad reliquos motus, ita ut minus ab iisdem & similibus lædantur: consueta namque longo tempore, minus inconsuetis, molestare solent. Ex caloris autem augmento omnes naturales functiones fœlicius perficiuntur, attractio potissimùm, nutritio & coctio: deinde verò solidorum mollitio ex humectatione: humidæ verò partes attenuantur, & meatus laxantur. Spiritu quoque vehementius concitato, pelluntur excrementa, & meatus exigui purgantur.* Hæc Galenus *de exercit. comm.* scripsit. Unde Hippocrates quoque his consentanea libro 6. *de morb. popul.* part. 5. dixit: *Labor articulis, & carnibus cibus, & somnus visceribus est utilis. Labor enim articulos roborat, & carnem auget, delato sanguine per universam corporis molem: cibus verò recens sumptus alit viscera, uti ventrem: & somnus viscerum functiones adjuvat & perficit. Exercitationes saluberrimæ sunt, & Veri comparatæ, quod inter tempora saluberrimum est.* Galenus lib. 4. *aphor. com.* 20. *Exercitatio supplet vicem purgationis humorum, qui sunt in profundo corporis.* Ibidem: *Exercitia, collectas singulis diebus superfluitates expurgare possunt.* Idem lib 3. *aph. com.* 15. *Ab exercitiis anima universa, illius virtutes augentur, & robur accipiunt.* Galenus lib. *de Assu. Exercitatio excrementa solvere potest, tum per sudoris meatus ejicere.* Idem lib. 1. *de sanitat. Exercitiis modicis tum corporis, tum animi custoditur intra sanitatis fines calor nativus.* Ibidem. Denique quantam vim cùm animi, tum corporis exercitatio possideat, ad utriusque statum tuendum salvum & incolumem, egregiè sanè Plato omnium philosophorum facilè princeps, in *Theæteto* his verbis testatur, ἡ τῶν σωμάτων ἕξις ὑπὸ ἡσυχίας μὲν καὶ ἀργίας ἐξόλλυται, ὑπὸ γυμνασίων δὲ καὶ κινήσεων ὡς ἐπὶ πολὺ σώζεται· ἡ δὲ ἐν τῇ ψυχῇ ἕξις ὑπὸ μαθήσεως μὲν, καὶ μελέτης κινήσεων οὐσῶν κτᾶταί τε μαθήματα καὶ σώζεται, καὶ γίγνεται βελτίων, ὑπὸ δὲ ἡσυχίας ἀμελετησίας τε καὶ ἀμαθίας οὔσης, οὔτε τι μανθάνει, ἅτε ἂν μάθῃ, ἐπιλανθάνεται. Hoc est, *corporum habitus quiete & otio corrumpitur: exercitiis, & motibus magna parte conservatur. Itidem animæ habitus institutione, ac meditatione, quæ motiones quædam sunt, doctrinas consequitur, servatur, meliorque evadit. Otio autem, quod ab omni meditatione, disciplinaque vacatio est, neque discit quicquam, & si quæ didicerit, obliviscitur.* Hæc vera sanè, planeque aurea Platonis sententia ad animi, corporisque nostri honestam, moderatamque exercitationem nos meritò incitare: & contrà ab otio & ignavia, ceu maximis utriusque partis pestibus, avocare atque deterrere debet. Hinc illas potissimùm exercitationes antiqui maximè laudarunt, quæ simul & bonam corporis valetudinem, partiumque concinnitatem, & animi virtutem efficere atque conciliare possint: cujusmodi est parvæ pilæ lusus, ut testatur Galenus lib. de ejusdem exercit. *Exercitationum omnium*, inquit, *ea est optima, quæ non modò corpus fatigare, verùm etiam animum oblectare potest.* Hæc de exercitationis sive animi, sive corporis utilitate (quam Paulus perstringit) sint dicta. In primis verò, auctore, ac monitore Paulo sapientissimo, pietatis, cæterarumque virtutum exercitatio nobis est suscipienda, ex qua in animum pariter, atque corpus nostrum, non temporales modò, verùm etiam æterni lætitiæ, voluptatis atque gloriæ fructus redundabunt.

Exercitiorum utilitas.

1. Probl. sect. probl. 47.

Sed quoniam de corporis potissimùm exercitatione nunc agimus, tempus ejus maximè commodum & oportunum, de Medicorum ferè omnium consilio atque sententia, est ante cibi potusque sumptionem: postquàm ea, quæ in ventre, & in vasis subsunt, probè elaborata atque concocta fuerint, ut jam denuò cibum sumendi tempus instet. Hoc egregiè Mercurialis quoque docet libro ante citato, cùm aliis rationibus tum exemplo Alexandri Regis Macedonum. Omnium autem optimè docet id Hippocrates lib. 4. *Epid.* 4. *aph.* ult.

ult. his verbis: πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, id eſt, *labores cibos præcedant.* Idem lib. 6. *Epid. part.* 6. *aphor.* 6. πόνοι, σιτία, ποτά, ὕπνος, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια, *Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, mediocria omnia.* Hic a labore incepit, ſive exercitatione, quæ cibi quaſi πρόδρομος eſſe debet. Galenus *de exercitio parvæ pilæ: Exercitia ad bonam valetudinem conferre, & cibos antecedere debere ab antiquis præſtantiſſimis tum philoſophis, tum medicis traditum eſt.* Idem ſimiliter lib. 2. *de ſanitate tuenda* præcipit: διότι δὲ ἐκκαθαίρει τοὺς πόρους, καὶ κενοῖ τὰ περιττώματα, κάλλιον αὐτὸ πρὸ τῶν σιτίων ἀναλαμβάνεσθαι, *Quoniam,* inquit, *& exiguos meatus expurgat* (exercitatio) *& excrementa expellit, utilius eſt eam ante cibos adhiberi, idque ratione ſanè optima.* Nam ſi a cibo corpus laboribus exagites, crudis omnino humoribus implebis: quemadmodum idem lib. *de boni & mali ſucci cibis* docet his verbis: ὥσπερ γὰρ ἀγαθὸν μέγιστον εἰς ὑγίειαν ἅπασα κίνησις ἐπὶ σιτίοις, ἀναδίδοται γὰρ τῆς κοιλίας ἡ τροφὴ πρὶν πεφθῆναι, Id eſt, *Quemadmodum ſanitati maximè conducit ante cibum exerceri: ita pernitioſiſſima res eſt, omnis poſt cibum motio. Diſtribuitur enim, ſive excutitur e ventriculo tum cibus, antequàm concoquatur.* Idem eodem in libro: *Exercitatio,* inquit, *ante cibum ſuccos craſſos concoquit.* Celſus lib. 1. cap. 2. *Quem,* inquit, *interdiu vel domeſtica, vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod ſervandum curationi corporis ſui eſt. Prima autem ejus curatio, exercitatio eſt, quæ ſemper antecedere cibum debet: in eo, qui minus laboravit, & bene concoxit, amplior: in eo, qui fatigatus eſt, & minus concoxit, remiſſior. Commodè verò exercent, clara lectio, arma, pila, curſus, ambulatio. Hujusmodi verò corporis præparatio, quæ fit per exercitationem, cibum potiùmque non utilem modò, atque ſalubrem, verùm etiam ſuavem & jucundum eum ſumentibus præſtat.* Idipſum Homerus quoque egregiè expreſſit δρυτόμου ſimilitudine, cujus hæc ſunt verba, Ιλ. λ.

Ἦμος δὲ δρυτόμος περ ἀνὴρ ὡπλίσσατο δόρπον
Οὔρεος ἐν βήσσῃσιν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο χεῖρας
Τάμνων δένδρεα μακρά, ἅδος τέ μιν ἵκετο θυμὸν
Σίτου τε γλυκεροῖο περὶ φρένας ἵμερος αἱρεῖ.

In hæc verba ſic Euſtathius, *Homerus,* inquit, *dum ligni ſectorem inducit cibum dulcem appetiiſſe poſt laborem, docet* μετὰ πόνους ἐμφορεῖσθαι σιτίων πρὸς τὸ εὐόρεκτον, id eſt, *ad ciborum appetitum utile eſſe, eos pòſt laborem capere.* Et ibidem: ἔστι γὰρ ὄντως ὁ γυμναστικὸς πόνος βρώσεως ὄψον, καὶ οὐδὲν ἡδὺ ὄψον, ὡς τὸ μετὰ πόνον φαγεῖν, hoc eſt, *Eſt namque reverà labor, exercitii cauſa ſuſceptus, cibi condimentum: nec ullum eſt opſonium tam ſuave, quàm poſt laborem edere.* Adducit quoque Socratis exemplum, qui cùm, ut a Cicerone recitatur, uſque ad veſperum (quo cibum antiquitùs capere ſolebant) contentius ambularet, quæſitumque eſſet ex eo, *quare id faceret,* reſpondit, *ſe, quò melius cœnaret, opſonare ambulando.* Euſtathius inquit, *is qui Socratis reſponſum audiverat, putarat illum* προσόψημα τι ἐθέλειν, id eſt, *opſonium aliquod quærere: at ſignificabat ſe laborare, ut tanto majori cum voluptate, ſalubritateque cibo uteretur. Nam cum omne voluptatis genus deſiderio præcedente conficiatur, deſideriis,* ut eleganter Cicero inquit, *epulæ condiuntur.* Itaque, ut idem teſtis eſt, Darius ille, Rex Per-

Darius. ſarum (qui tamen victus rationem & exercitationem diligenter profitebatur) quem Alex. Magnus bis acie ſuperavit, cùm in fuga aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibiſſet, negavit unquam ſe bibiſſe jucundius: nunquam enim bibendo ſitim depulerat, quam videlicet nunquam expectarat. Sic nec Ptolomæus eſu-

Ptolomæus. riens ederat, cui peragranti Ægyptum comitibus non conſequutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil viſum eſt illo pane jucundius. Huc facit Socraticum illud apophthegma, *optimum condimentum fames* (cui ſi-

Socratis apophthegma. mile illud noſtrum vernaculum, *optimus coquus fames*) quo ille luxum Athenienſium perſtringebat, qui variis cupediis, atque condimentis operoſis conarentur efficere, ut cibus ſaperet palato, cum id optimè præſtet fames, condimentum ut optimum, ita utiliſſimum. Nihil enim ſuavius edi, quàm quòd editur ab eſuriente. Cicero lib. 2. *de finibus bonorum: Diceret, id, quòd Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, cibi condimentum eſſe famem: potionis ſitim.* Huc facit Antiphanis illa ſententia apud Stobæum:

Ἅπαντα ὁ λιμὸς γλυκέα πλὴν αὐτοῦ ποιεῖ,

Id eſt,

Præter ſeipſam cætera edulcat fames.

Eandem ſententiam ſic apud Athenæum lib. 4. effert Xenophon: ἡδὺ μὲν μᾶζαν καὶ κάρδαμα φαγεῖν πεινῶντι, ἡδὺ δὲ ὕδωρ ἀρυσάμενον ἐκ ποταμοῦ διψῶντι πιεῖν, Id eſt, *Dulce eſt mazam, & naſturtium edere eſurienti,* (cui ſimile illud pervulgatum, *famem efficere, ut crudæ etiam fabæ ſaccharum ſapiant*) *dulce eſt ſitienti aquam e fluvio hauſtam bibere.* Ibidem refert Socratis dictum paulò ante ex Cicerone recitatum. In Phiditiis Lacedæmoniorum, ut Cicero narrat 5. *Tuſcul. diſputat.* cum Tyrannus cœnaviſſet Dionyſius, negavit ſe jure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat, *minimè mirum,* inquit, *condimenta enim defuerunt: quæ condimenta inquit ille? Labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota, fames, ſitis. His enim rebus Lacedæmoniorum condiuntur epulæ.* Hinc Hippolytus quoque apud Euripidem ait: *redeuntibus a venatione plenas menſas eſſe jucundas:* ſignificans nimirum exercitatione & labore corporis, cibi cupiditatem excitari. Verba Euripidis hæc ſunt:

Σίτων μέλεσθε, τερπνὸν ἐκ κυναγίας τράπεζα.

Hinc Galliarum Reges vidi venationibus (quarum uſum Xenophon mirificè commendat) ſe ante cibi ſumptionem exercentes. Sic Alexander ille Magnus, cum opſoniorum artifices abjeciſſet, dixiſſe fertur, κρείττονας αὐτὸν ἔχειν ὀψοποιούς, πρὸς μὲν ἄριστον νυκτοπορίαν, πρὸς δὲ δεῖπνον ὀλιγαριστίαν, Id eſt, *meliores enim ſe habere, & ſecum ducere conditores ſive coquos: nempe nocturnam profectionem ad condiendum prandium: ad cœnam verò, prandii tenuitatem.* Labor ergo ante cibum, ut ex his commemoratis conſtat,

coci

coci eſt ſimilis, cibum optimè condientis. Cyrus ſimiliter, teſte Xenophonte lib. 2. *ἀπομνημον* nunquam cœnaſſe fertur, priuſquàm ſudaret, aut laborem aliquem rerum bellicarum, aut ruſticarum objiſſet, ideoque ſecunda perpetuò valetudine uſus fuiſſe perhibetur. Idem quoque, cum non ſuæ tantùm, ſed ſuorum etiam valetudini optimè vellet eſſe conſultum, ſummam curam adhibuit, ut ne illi unquam *ἀνίδρωτοι*, id eſt, *ſine ſudore*, id eſt, labore præcedente ad prandium, cœnamve accederent. Sic Ægyptia juventus Amaſi edicto, non priùs cibum capiebat, quam 180. ſtadia percurriſſet, teſte Herodoto. Galenus quoque non præceptis tantùm, ſed etiam exemplo ſuo, ante cibi potuſque ſumptionem laborandum eſſe docuit. Nam ipſe aliquando in agro tum ligna findere, tum fodere, & alia quædam opera ruſticana, exercendi corporis cauſa, facere deprehenſus eſt. Hinc profectò fieri puto, quòd, ut experientia quotidiana teſtatur, ruſtici, opifices, operarii, nautæ, baiuli, aliique laborioſam vitam agentes, licet mali ſucci alimentis utantur, tamen ſaniores ſint atque robuſtiores, quàm homines divites & otioſi, qui exquiſitiſſimis cibis fruuntur. Nam quoniam illi, divino & antiquiſſimo illo Dei præcepto obſequentes, laboribus atque ſudoribus victum ſibi comparant: hinc fit, ut ſingulari Dei beneficio bona valetudine fruantur, rariſſimeque morbis conflictentur, etiamſi in victu graviſſimè delinquant. Nec verò utilitatis tantùm ſalubritatiſque (adde etiam jucunditatis) ratio: verùm etiam honeſtas, pietas, ipſaque lex divina, nos ad labores ante cibum potumque ſuſcipiendos, meritò impellere debet, ſecundùm illud: *in ſudore vultus tui veſceris pane*, id eſt, cibo tuo: &, *qui non laborat, non debet edere.* Danda eſt igitur Chriſtianis omnibus opera, non utilitatis tantùm, verùm etiam pietatis gratia, ut non priùs cibo potuque neceſſario utantur, quàm pio, honeſto, utilique aliquo opere atque labore ſeſe exercuerint.

Ægyptia Juventus.

Galenus.

Sed quæritur etiam a Medicis, an ſtatim cibus ſumendus ſit ab exercitatione, an verò aliquo temporis intervallo interpoſito. Hanc quæſtionem rectè ſolvit Galenus in *Comment.* qui neque ab exercitatione, neque a balneo (idem de balneo Hippocrates lib. 3. *de rat. vict. acut. Sect.* 55. docet, & Mercurialis, qui ejus rei ſimul cauſas in medium affert, *de arte gymnaſt.*) ſtatim cibos ſumendos eſſe cenſet, inquiens: *Sedata, quæ ex balneo eſt, turbatione, tum eſſe, tum bibere melius eſt, veluti & compoſita ea, quæ ab exercitatione oritur.* Rationem addit; *nam cibum protenus, aut potum ſumere, caput replet, devoratumque interdum ſuperfluitare facit. Nam per exercitationem ſanguis agitatur, ſpiritus & calor ad extremas partes effunduntur, internis partibus calore deſertis.* Non igitur licebit cibum accipere, donec agitatio ſedetur, & calor ad intima revocetur, id quod ad ciborum concoctionem eſt neceſſarium. Sed de hac quæſtione vide plura apud Chriſtophorum a Vega libro 2. *ſect.* 2.

An ſtatim ab exercitatione cibus ſumendus.

Nunc de juſto legitimoque exercitationis cujuſcunque, modo atque ratione quædam dicenda. Olim Frictionis, quam *ἀνάτριψιν* Græci appellant, maximus & frequentiſſimus uſus apud veteres fuit, ut ex Hippocratis, Galeni, & aliorum medicorum libris conſtat. Hæc exercitationem & antecedebat, & conſequebatur. Quæ fiebat ante exercitationem, *παρασκευαστική*, id eſt, *præparatoria*, ſeu *præcurſoria*, quæ poſt, *ἀποθεραπευτική*, Latinè *curatoria* dicta eſt. Utriuſque accuratam deſcriptionem, ſecundùm veterum conſuetudinem, habes apud Plantinum in ejus commentariis in Celſum lib. 1. c. 1. & Valleriolam lib. 2. *loc. com.* c. 11. Chriſtoph. a Vega lib. 2. *ſect.* 2 & in primis Gipp. lib. *de med. offic.* ſive *chirurgiæ officina*, & Galenum in lib. *de ſanit. tuenda.* Deſuetudine abolita eſt frictio, quæ antiquitus ſenibus, & ſedentariam vitam degentibus, exercitiis vicaria erat etiam nunc, ut vult Antonius Niger lib. *de conſervanda valetudine*, utilitatem allatura maximam, ſi in noſtros mores revocaretur. Valleriola tamen exiſtimat, nos frictionibus illis, præparatoria, inquam, & apotherapia, non magnoperè indigere, ut quæ magis athletis, quàm his, qui tuendæ valetudinis cauſa exercentur, conveniant. Illis enim ob immodicos, quos inſtituti gratia obeunt labores, utraque opus eſt: qui tantùm valetudini, non robori, & viribus augendis ſtudemus, frictionibus illis opus non eſt: ut quibus nec immodicos labores adire utile ſit, nec a laboribus immodicis laſſitudinem ſentire, ut ad eam levandam apotherapia, ceu ſalutari præſidio, egeamus. Obſervandum præterea eſt optimum medicorum conſilium qui exercitationem non priùs adhiberi volunt, quàm & heſterno cibo probè confecto, & alvi veſicæque excrementis eductis. Quò ad prius, *qui non concoxit*, inquit Celſus lib. 1. c. 2. *ex toto conquieſcere, neque labori ſe neque exercitationi, neque negotio credere. Periculum namque eſt, ne priuſquam probè concocta ſunt, quæ cruda manſerunt, in habitum corporis, ipſius exercitationis vi & poteſtate, deducantur: quo nihil nocentius corpori accidere poteſt. Concoxiſſe autem, non, ut Medici docent, atque ad laborem exercitiumvè ſubeundum probè apparatos eſſe, urinæ a ſomno redditæ color indicabit. Siquidem quæ diluta eſt & aquæ ſpeciem referet, crudum in venis ſubeſſe ſuccum, nec ſatis elaboratum indicat, tumque quieſcendum.* Unde eſt illud ejuſdem Celſi: *Qui bene concoxit, manè tutò ſurget, qui minimè, in lecto quieſcere debet*, &c. Sin verò ruffa & bilioſa urina manè appareat, coctum eſſe hujuſmodi ſuccum demonſtrat, tumque exerceri convenit. At exonerare prius excrementa veſicæ & alvi oportet, ne ea ſpiritus motioniſve impetu impulſa meatus corporis obſtruant: aut ſolidæ partes excrementis onuſtæ, noxam ab ipſis percipiant, aut convulſæ, vel ruptæ, vel immodicè diſtentæ.

De Frictionum uſu.

Exercitatione quando utendum.

Habendam adhæc, & ipſius perſonæ, quæ exercetur, & loci, & temporis rationem, diligenter Medici præcipiunt. Vide hac ipſa de re Scholam Salernitanam, quæ monet, cibum non eſſe ſumendum, cum ventriculus adhuc vitioſis humoribus plenus, & cibus primus nondum benè concoctus fuerit.

Quò ad perſonas, certùm eſt non omnibus convenire, ſed alias aliis. Gracilibus enim, & attenuatis, mitiora atque remiſſiora: fortibus & robuſtis, validiora ac robuſtiora conveniunt exercitia, de quo vide plurà apud Hippocratem in lib. *de Salubri diæta.* Sic alia exercitia ſenibus, alia pueris, alia juvenibus conducunt, de quo Galenus libro 6. *de Sanit. tuend.* De exercitationibus valetudini puerili congruis, vide plurà apud Hereſbachium in lib. *de educandis Principum liberis*, cap. 30. Studioſis litterarum, iiſque, qui vel politicam vel Eccleſiaſticam, vel aliam vitam quietam, gravique labore vacuam traducunt, Plutarchus in lib. *de Sanitate tuenda*,

enda, vocis, sermonis, lectionisque exercitationes (de quibus ibi plura legere poteris) adhibendas suadet. Pilæ quoque palmariæ lusus (cujus utilitatem Galenus libro peculiari descripsit, quique hodie in Galliis usitatissimus est) litteratis hominibus videtur apprimè conducibilis. Nec minus commoda deambulatio (qua Socratem usum fuisse suprà diximus) mediocris per amœna & virentia loca, placido & sereno cœlo, censeri debet: qua quidem probè & universum corpus exercetur, & appetentia excitatur, & calor nativus exuscitatur, & membra roborantur, & color blandus ac suavis redditur, excrementisque corpus exoneratur. Jamblichus quoque testis est, Pythagoreos cùm manè, tum etiam vesperi deambulationibus uti fuisse solitos: post quas lavabantur: loti cœnabant. Utile verò est, ut Medici monent, mane circa montes: vesperi verò ad amœni fluminis ripas spaciari, uti Actius Saunatius elegantissimo hoc epigrammate testatur:

Sol jubet exoriens Faunos, Dryadasque puellas
Quærere, & herboso ducere monte choros:
Declivis vitreas suadet descendere ad undas,
Doridaque, & lusus ô Galatea tuos.
Causa patet: quia sublimes cùm tendit in arces,
Nos quoque per saltus, & juga summa rapit.
Quum verò Hesperios petit imæ Tethyos amnes,
Exemplo ad fontes nos vocat ipse suo.
Hinc adeò natura hominum loca manè requirit
Ardua, cœruleis vespere gaudet aquis.

Quò ad locum, melior Celso videtur deambulatio sub divo, quàm in porticu: melior (si caput patitur) in Sole, quàm in umbra: melior in umbra, quam parietes, aut viridaria efficiunt, quàm quæ tecto subest. Galenus quoque exercitationis cujusvis differentias petit a loco, quòd aut sub dio fiat aut sub tecto, aut in mista umbra, Lib. 2. *de tuend. sanitate.*

Quod ad tempus attinet, illius quoque ratio habenda. In æstate enim remissior & levior, atque in umbra: in hyeme concitatior & diuturnior, atque in Sole exercitatio convenit, ut volunt Medici. Sic Hippocrates libro *de salubri diæta: Exercitiis qui utuntur, hyeme currere ac luctari debent: æstate verò luctari quidem parum, currere autem minimè: sed multum deambulare ad ventum & frigus.* Sed plura de exercitationum differentiis pro anni temporibus, vide apud Galenum lib. *de salubri diæta.*

Consuetudinis quoque in primis ducenda est ratio, cùm omnis subita mutatio, si modum excesserit, noxia sit, teste Hippocrate lib. 2. *de Curat. vict. acut. text.* 55. ad finem. Ut autem exercitationibus honestis, utilibus atque temperatis ante cibum utendum est sanitatis ergò, quibus nimirum corpora nostra, ad cibum potumque validius attrahendum, promptius permutandum & concoquendum, quasi præparentur: ita contrà eorum damnanda est consuetudo, qui non sanitatis, sed potiùs vel avaritiæ, vel voracitatis atque ebrietatis causa, hujusmodi progymnasiis utuntur: quò nimirum majori cibi potusque copia sese ingurgitare, ac immanissima illa potandi certamina, tantò faciliùs ferre ac sustinere possint. Quid dicam, quod multi non modò corporis exercitationibus, verùm etiam antipharmacis & antidotis quibusdam, ut amygdalis amaris, persicorum nucleis, atque foliorum ejus arboris expresso succo, absinthii Pontici diluto, nuce muscata, & inprimis brassica, Catoni ad fastidium usque nobilitata, aliisque hujusmodi utuntur, ad sese adversus ebrietatem muniendum: cùm optimum adversus illam animi corporisque pestem antipharmacum sit, timor domini, verbum Dei, crebra cogitatio quàm turpe, quàm inhonestum, quàm animi, corporisque saluti damnosum atque pernitiosum sit illud vitium.

Vera & optima adversus ebrietatem antidota.

Exercitationis denique, auctore Celso lib. 1. cap. 2. plerunque finis esse debet sudor, aut certè lassitudo, quæ citra fatigationem sit: idque ipsum modò minus, modò magis faciendum est. Galenus lib. 2. *de Tuend. Sanit.* Terminum exercitationis vult esse anhelitus mutationem. Paulus Ægineta lib. 1. cap. 16. animæ ad spissitudinem alterationem. Hæc de exercitatione, qua primò corpus ad salubrem, utilemque cibi potusque sumptionem est præparandum.

CAPUT XXV.

DE BALNEIS ATQVE VNCTIONIBVS VETERVM, ANTE EPVLAS VSITATISSIMIS. DE BALNEARVM VETERVM VSV, FORMA ATQVE PARTIBVS.

Nunc de Ablutione sive balneis, atque unctione (quæ exercitationem apud veteres plerunque fuerunt consequuta) dicendum. Celsus lib. 1. cap. 2. *Exercitationem*, inquit, *rectè sequitur, modò unctio, vel in sole vel ad ignem: modò balneum, sed in conclavi, quàm maximè & alto & lato & spatioso. Ex his verò neutrum*

sæpe

ſæpe fieri oportet, ſed ſæpius alterutrum pro corporis natura. Poſt hæc paulùm conquieſcere opus eſt. Idem lib. 1. cap. 1. *Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti: modò ungi, modò ipſum negligere.* Fuit omnino mos hic antiquorum frequens, ac penè quotidianus, ut ante cœnam in balneis lavarentur. Unde Vitruvius, *Tempus lavandi*, inquit, *a meridiano ad veſperum eſt maxime conſtitutum.* Hujuſce moris crebra in Plinianis epiſtolis fit mentio, ut lib. 3. epiſt. de Spurina: *Lotus accubat, & paulisper cibum differt: interim audit legentem remiſſius aliquid & dulcius.* Paulò pòſt, *apponitur cœna non minus nitida, quam frugi, in argento puro, & antiquo.* Idem eodem libro epiſt. 5 de avunculo ſuo: *Æſtate ſi quid otii, jacebat in ſole, liber legebatur, adnotabat, excerpebatque. Poſt ſolem plerunque frigida lavabatur, deinde guſtabat, dormiebatque minimum.* Atque adeò antiquiſſimis Trojanorum temporibus, hunc ante cibum lavandi morem fuiſſe uſurpatum, Homeri monumenta ſatis ſuperque teſtantur: de quo antequam dicamus, de nominibus prius pauca præmittemus.

Lavationes ſive lotiones corporis, a Græcis λόετρα, & per contractionem λȣτρὰ communiter appellantur: quæ quidem ſunt duplices: frigidæ nimirum, & calidæ. Frigidæ, quæ aquis fiunt frigidis: calidæ, quæ aquis vel ſua ſponte atque natura calidis, (quæ *thermæ* vocantur) vel calefactis conſtant, quas Græcè propriè βαλανεῖα: Latinè, nomine inde deducto, *balineas* ſive *balneas*, item *balinea* ſive *balnea*, & *balnearia* appellari volunt. Βαλανεῖον Græcè, ut volunt Grammatici, dicitur ἀπὸ τȣ̃ βάλλειν τὰς ἀνίας, hoc eſt, quòd triſtitiam laſſitudinemque depellat: unde λȣτρὰ ἄκη πόνων παντοῖα eleganter ab Athenæo appellantur lib. 1. Eodem alludit Acanthio ſervus apud Plautum in *Mercatore*, Cœl. lib. 30. cap. 17. Βαλανεῖον, ejus notatio.

Nunquam ædepol omnes balneæ mihi hanc laſſitudinem eximent.

Idem Homerus ipſe videtur innuere illis verbis, Οδ. Κ.

– – – λό' ἐκ τρίποδος μεγάλοιο
Θυμῆρες κεράσασα κατὰ κρατός τε καὶ ὤμων,
Ὄφρα μοι ἐκ κάματον θυμοφθόρον εἵλετο γυίων.

Idem teſtatur Auguſtinus lib. 9. *Confeſſ.* Suidas autem βαλανεῖον, inquit, τὸ λȣτρὸν παρὰ τὸ βαλάνȣς παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ὑποκαίεσθαι, id eſt *Balneum dicitur lavacrum, quod antiqui ad illud ſuccendendum glandes ſubjicere ſoliti eſſent. Nam*, ut idem inquit, *veteres glandibus veſci ſoliti, cortices igni alimenta præbuerunt.* Inde βαλανεὺς *balneator*, & βαλανείτης, πολυπράγμων, περίεργος, teſte eodem: credo, quia balneatores genus eſt hominum valdè curioſum. In fœmin. βαλανὶς & βαλάνισσα, *balneatrix* dicitur. Latinè in ſingulari numero *balineum* & *balneum*: in plurali *balineæ* ſive *balneæ*, & hæc *balnea* dicuntur, auctore Phoca. Eſt autem hæc differentia, quod ut Varro docet lib. 2. *de Analogia*, *balneæ* publicæ fœminino genere dicuntur: *balnea* verò ſunt privatorum, ſive virorum ſive mulierum: quorum balnea Alexander Severus Imperator ſeparavit, ut teſtis eſt idem Mercurialis. Hinc apud Apuleium, *Balneas facilè percontabimur:* & apud Gellium lib. 3. *Noct. Att.* cap. 1. *Apud balneas Sicias cum philoſopho Favorino ambulamus.* Plinius lib. 31. cap. 1. *Vapore ipſo quoque aliquæ aquæ proſunt: tanta eſt vis, ut balneas calefaciant.* Promiſcuè tamen uſurpantur iſta ab eruditis: unde Plinius, *M. Agrippa balnea publica fecit*, &c. Sic Cicero *balneas* vocat, *balnea M. Bruti privata*, lib. 2. *de Orat. Quàm multa de balneis, quas nuper ille vendiderat.* Idem, in Orat. *pro Cluentio*, *Eas* inquit, *balneas non ex libris patris, ſed ex tabulis, & ex cenſu quærere.*

Moris porrò hujuſce non certas tantùm corporis partes ſive membra, ſed totum corpus ante cibi ſumptionem lavandi atque ungendi, crebra admodum apud Homerum fit mentio: ut Ιλ. Κ. ſub finem de Diomede & Ulyſſe, ubi duplicis lavationis fit mentio: primò enim aqua marina, deinde dulci calefacta, ut opinor, corpora ſua abluerunt:

Αὐτοὶ δ' ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ
Εσβάντες, κνήμας τε, ἰδὲ λόφον, ἀμφίτε μηρȣ́ς.
Αὐτὰρ ἐπεί σφιν κῦμα θαλάσσης ἱδρῶ πολλὸν,
Νίψεν ἀπὸ χρωτὸς, καὶ ἀνέψυχθεν φίλον ἦτορ.

En prima ſpecies lavationis, quæ facta eſt aqua marina: ubi Euſtathius annotat, ῥύπȣ μὲν ἀποθετικὸν τὸ ἐν θαλάσσῃ νιφθῆναι, καὶ ἀναψυχῆς δὲ τινὸς αἴτιον, Id eſt, *Mari lavari cùm ad ſordium depoſitionem, tum ad animi recreationem facit.* Subjungit deinde alteram lavationis ſpeciem:

Ες ῥ' ἀσαμίνθȣς βάντες ἐϋξέστας λȣ́σαντο.
Τὼ δὲ λοεσσαμένω καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ
Δείπνῳ ἐφιζανέτην ἀπὸ δὲ κρητῆρος ἀθήνῃ.

Hinc colligitur, inquit Euſtathius, *veteres poſt lavationem ungi fuiſſe ſolitos.* τῷ δείπνῳ ἐφιζάνειν, eſt ἄνω τȣ̃ δείπνȣ καθῆσθαι. Sic Οδ. β. de famulis, ſeu lotricibus Nauſicaæ:

Αἱ δὲ λοεσσάμεναι, καὶ χρισάμεναι λίπ' ἐλαίῳ
Δεῖπνον ἔπειθ' εἵλοντο παρ' ὄχθῃσιν ποταμοῖο.

Omnino in Homericis iſtis, quæ paſſim occurrunt, lavationum, unctionumque deſcriptionibus, hæc mihi videntur conſideranda.

Primò lavationum quarumcunque nomen commune. λόετρα enim ab Homero appellantur: ut Οδ. Θ. θερμὰ λόετρα.

Deinde illarum usus, qui est sordium corporis depositio, lassitudinis depulsi, animi recreatio; de quo paulò antea ex Eustathio. His adde Homeri illa Ὀδ. Κ.

- - - λό' ἐκ τρίποδος μεγάλοιο
Θυμήρες κεράσασα κατὰ κεφαλῆς τε, καὶ ὤμων,
Ὄφρα μοι ἐκ καμάτον θυμοφθόρον εἵλετο γυίων.

Quibus congruunt illa, quæ supra de βαλανείου notatione dicta sunt. Plutarchus in lib. *de vita Homeri* dicit, Homerum his verbis lavacrorum utilitatem maximè demonstrare: quoniam nimirum calefaciendi, & humectandi vim habent, sicut labores exiccant. Eustathius similiter in hæc ipsa verba (ὄφρα μοι ἐκ κάματον) *finis hic est lavationis. Lavatur enim quis, ut aquis calidis laboris seu lassitudinis malum depellat: aliàs enim* ἀποῤῥύψεως *χάριν, etiam frigidas quis adhibuerit, vel circa mare, vel circa flumina.* Athenæus similiter lib. 4. sub Aristotelis persona, *Homerus*, inquit, *omnia accuratè persequutus est, etiam hoc parvi admodùm momenti non prætermisit,* τὸ δεῖν θεραπεύσαντα τὸ σωμάτιον καὶ λουσάμενον ἰέναι πρὸς τὸ δεῖπνον, id est, *oportere priùs curato & loto corpore ad convivium accedere:* Et paulò post, mentione facta hujusmodi lavationum, & unctionum, quæ Homeri temporibus fuerant usitatæ, subjungit: ἀπρεπὲς γὰρ, *ait Aristoteles* ἥκειν εἰς τὸ συμπόσιον σὺν ἱδρῶτι πολλῷ, καὶ κονιορτῷ. δεῖ γὰρ τὸν χαρίεντα μήτε ῥυπᾶν, μήτε αὐχμεῖν, μήτε βορβόρῳ χαίρειν, καθ' ἡράκλειτον, hoc est, *Erat enim, inquit Aristoteles indecorum multo cum sudore, & pulvere accedere ad convivia: quippe cùm viro liberali, & ingenuo, neque sordere, neque squalere conveniat, neque limo gaudere, ut Heraclitus inquit.* Idem in illa verba Homeri paulò ante recitata, Αὐτὰρ ἐπεί σφιν κῦμα θαλάσσης ὕδρῳ, &c. *Unde noverunt*, inquit, *Troiani belli heroes* λουτρὰ εἶναι ἄκη πόνων παντοῖα, id est, *lavacra esse omnifaria lassitudinum pharmaca, quas aqua marina, quæ nervis maximè conducit, solvebant: ac musculorum distensiones* ἐμβάσει, id est, *lavacri insessione, laxabant.* Usus ergò lavationum, auctore Athenæo, & Eustathio duplex nobis ab Homero proponitur: nimirum mundities, seu elegantia, & animi corporisque ex laboribus atque doloribus recreatio.

Tertiò lavationum differentiæ observandæ, secundùm aquas marinas, & dulces: item aquas frigidas & calidas. Paulò antea propositum est exemplum ex Homero Diomedis & Ulyssis, qui primò marinis, iisque frigidis: deinde dulcibus, & iis, ut est verisimile, calidis ad se lavandum usi sunt. Marinis, iisque frigidis primò usi sunt, ut est verisimile, ad sordes potissimùm abluendum, animumque recreandum: sed quoniam marinæ aquæ constipandi, & meatus obstruendi vim habent, idcircò postea dulcibus, iisque calefactis usi sunt, poros relaxandi, aperiendique causa. Verùm crebrior aquæ calidæ, seu calefactæ fit apud Homerum mentio: ut Ὀδ. θ. de Ulysse:

- - - ὁ δ' ἄρ' ἀσπασίως ἴδε θυμῷ
θερμὰ λοετρά.

Ubi Eustathius, ἡδέα γὰρ καὶ μάλιστα τοῖς ἐκ καμάτου τὰ θερμὰ λουτρά; cujusmodi sunt τὰ ἡράκλεια λουτρά, id est, *balnea Herculea*, quæ calidæ fuerunt, secundùm Comicum Pindarum, quibus ærumnosus Hercules gaudebat, a Minerva subministratis. Hinc proverbium, *Herculana balnea*, quoties ætate, aut labore quopiam fatigatis, ministerium paulò diligentius, ad vires reficiendas, adhibetur. Plato lib. 6. *de Leg.* γεροντικὰ λουτρά, id est, *senilia balnea*, calida vocat, iisque senes assuescere hortatur. Et ut Homerus canit, *lavare, edere, & molliter dormire* δίκη ἐστὶ γερόντων, id est, *senum justa sunt.*

Quartò, aquas balneares calefaciendi modus, apparatusque sæpe ab Homero proponitur: ut Ὀδ. Κ. de Circes famula,

Ἡ δὲ τετάρτη ὕδωρ ἐφόρει, καὶ πῦρ ἀνέκαιε
Πολλὸν ὑπὸ τρίποδι μεγάλῳ, ἰαίνετο δ' ὕδωρ. (id est, ἐχλιαίνετο, ἐθερμαίνετο, Eustathio.)
Αὐτὰρ ἐπειδὴ ζέσσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ.

Ζέσσειν idem quod παφλάζειν, ἢ καχλάζειν. ἤνοψ etiam nunc ὁ χαλκός, vel ὁ ἔμφωνος, ἢ ὁ διαυγής, δι' οὗ ἐστιν ἐνοπτρίζεσθαι, vel vocale, vel splendidum. Sic Ὀδ. θ.

Ἀμφὶ πυρὶ στῆσαι τρίποδα μέγαν ὅττι τάχιστα,
Αἱ δὲ λοετροχόον τρίποδ' ἵστασαν ἐν πυρὶ κηλέῳ, id est, καυστικῷ
Ἐν δ' ἄρ ὕδωρ ἔχεαν ὑπὸ δὲ ξύλα δαῖον ἑλοῦσαι.
Γάστριν μὲν τρίποδος πῦρ ἄμφεπε, θέρμετο δ' ὕδωρ.

Eustathius, *Describitur* λουστικὴ παρασκευὴ, *apparatus balnearis:* τρίπους idem quòd לבלו apud Lycophrona quasi τρεβὴν, id est, τρεῖς βάσεις ἔχων drysüß. ξύλα ὑποδαίειν idem quod *sub tripode* ἀνακαίειν, id est, *accendere.* Unde ξύλα δανὰ καὶ κάγκανα εἰς δαίεσθαι καὶ καίεσθαι ἐπιτήδεια, id est, *ad findendum, & comburendum apta.*

Quintò considerandus est ipse lavationis actus, cujus hæc sunt capita: Primò enim vestes exuebant ac deponebant, secundùm illud Ὀδ. Ρ.

Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἵκοντο (Telemachus, &c.) δόμους εὖ ναιετάοντας
Χλαίνας μὲν κατέθεντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε.

Deinde ingrediebantur labra, sive solia balnearia, ut mox sequitur,

Ἐς δ' ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας τε λοῦσαντο.

Ἀσάμινθος, inquit Eustath. ἡ πύελος ἤτοι λεκάνη παρὰ τὸ τὴν ἄσιν ὅ ἐστι τὸν ῥύπον μινύθειν ἤγουν ἐλαττοῦν, id est, *labrum*, sive *solium balneatorium* (ein badstanden) *a limo cœnove imminuendo denominatum.* Pollux inter

vasa

vaſa balnearia recenſet, vide Celſum lib. 30. cap. 20. Suidas, βαλανεῖον ὁδὸν εἰς τρυφήν, id eſt, *Balnea viam munierunt ad delitias:* nam cum balnea adhuc non eſſent in uſu, veteres σκάφαις, καὶ πυέλοις, hoc eſt, *labris, & ſcaphis ex lapide*, aut ligno excavatis corpora labore feſſa lavarunt. Poſteà mulieres ſeu ancillæ ingreſſos lavare, atque oleo inungere ſolebant, ſecundùm illud,

Τοὺς δ' (Piſiſtratum & Telemachum) ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

Ὀδ. Δ. ab initio ferè, & Ὀδ. Γ. in fine,

Τόφρα (interim dum parantur ſacra Minervæ) δὲ Τηλέμαχον λοῦσεν καλὴ Πολυκάστη.

ubi Euſtath. p. 138. ut Ιλ. Ε. ferè in fine, *Hebe Martem lavat: ita hic Polycaſte filia regia, procul dubio patris ſui juſſu, Telemachum juvenem lavit.* Erat autem hoc mulierum opus ſeu miniſterium, quod tunc temporis ſine offenſione obibant, ut aliis quoque ex locis apparet. Homerus enim non ea tantùm, quæ ſunt politica, & urbana: verùm etiam quæ tunc temporis erant in uſu & conſuetudine poſita, licet poſteris ſimplicia & inurbana videantur, deſcripſit. Aliquando tamen legimus ipſos, qui lavabantur, ſeipſos laviſſe atque unxiſſe, & Diomedes & Ulyſſes ſpeculatores Troia redeuntes, & labore feſſi, ſudorem aqua marina abluerunt, corpuſque oleo unxerunt, ut teſtis eſt Homerus Ιλ. Κ. Obſervandum autem, quòd ut hoc in loco, ita in aliis quoque innumeris, apud Homerum olei atque unctionis fit mentio, quæ lavationem ſtatim fuit conſequuta. Idcirco Euſtathius paulò pòſt addit, ἐλαίῳ δὲ ἐχρῶντο οἱ λουσάμενοι, ἐμπλάττοντες τοὺς σωματικοὺς πόρους, ὡς ἂν μετὰ λουτρὸν στέγοιεν τὴν ὑγρότητα. Sic Athenæus lib. 1. in illa Homeri Ιλ. Κ. τὼ δὲ λοεσσαμένω καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ. Poſt lotionem, ne aquarum aſpergine corpora rigerent, oleis & unguentis acopis inungebant, cujuſmodi erat unguentum gleucinum, irinum, amaracinum, & abjetinum, & nobile illud ex nardi ſpicis unguentum. Hujuſcemodi porrò unctiones poſt exercitia, ac lotiones, poſteris quoque temporibus a Græcis & Romanis fuiſſe adhibitas, ex Medicorum atque Hiſtoricorum libris paſſim conſtat. Id fiebat, partim, ut ne plus æquo corpus digereretur, partim ut exigua obſtruerentur ſpiramenta. Huc accedebat, quod unctio, & calefaciendi, & humectandi, & emolliendi, &, ſi calida eſt, diſcutiendi quoque vim habet. Unctio tamen unà cum frictione nonnunquam etiam ante balnei ingreſſum, aliquando etiam ſola per ſe ſine balneo uſurpari fuit ſolita, idque vel in Sole, vel ad ignem, de quo Hippocratem, Galenum, Celſum, & alios conſulere poteris. Vide etiam Plutarchum lib. *de ſanit. tuend.* ubi inter alia, frigida aqua lavari poſt exercitationem, plus oſtentationis, quàm utilitatis habere, dicit, calidique balnei uſum magis probat. Deinde unctionis vel ſine balneo ad ignem, vel etiam in ſole adhibendæ modum præſcribit. Perſius Satyr. 3. — Unctiones Homericæ.

- - - - uncta vixiſſe patella,
Semper, & aſſiduo curata cuticula Sole.
Idem, *At ſi unctus ceſſes, & figas in cute Solem.*
Juvenalis, *Veſtra bibat vernum contracta cuticula Solem.*

Jam verò, poſtquàm lauti unctique fuerant, e ſolio egreſſi, veſtibus rurſus ab ancillis induebantur, ſecundùm illud Ὀδ. Θ.

Τὸν δ' (Ulyſſem) ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ
Ἀμφὶ δέ μιν χλαῖναν βάλον ἠδὲ χιτῶνα.
Ἐκ ῥ' ἀσαμίνθου βὰς ἄνδρας μετὰ οἰνοποτῆρας.

Poſtremò tempus in Homero obſervandum, in quo lavationibus illis ſuis atque unctionibus uti conſueverunt: nimirum paulò ante cibi potuſque ſumptionem. Hinc illud, *Ut lavit, ſumpſitque cibum, dat membra ſopori.* Sic in omnibus ferè aliis locis (quorum quædam ſuprà fuerunt recitata) poſt lavationem atque unctionem ſequitur cœnæ, epularumve deſcriptio. Sic Græci φιλολουτροῦντες, & illorum imitatione Romani, non niſi lauti priùs unctique, ad convivia acceſſerunt, atque accubuerunt. Appianus Alexand. Catonem Uticenſem circa veſperam a balneo ad cœnam tranſiſſe dicit. Sic Servius in illa Virgilii,

Littore ahena locant alii, flammaſque miniſtrant.

Ahena, inquit, *parata erant a Trojanis, ut ſe ante lavarent, quàm cœnarent, cum Heroicis temporibus carne elixa non veſcerentur.* Terentius, *Te' ne aſymbolum venire unctum, atque lotum e balneis?* id eſt, lotum? Vides hìc *lotum* & *unctum* conjungi, quoniam duo hæc apud veteres conjungebantur. Et quidem aliquando, poſtquàm jam accubuerunt, oleo ſe inunxerunt, id quod colligi poteſt ex illis Ariſtophanis verbis in Comœdia σφῆκες,

- - - - τὼ γόνατ' ἔκτεινε, καὶ γυμναστικῶς
Ὑγρὸν χύτλασον σεαυτὸν ἐν τοῖς στρώμασι.

Id eſt, *Extende genua, & gymnaſtico more humido*, id eſt, oleo *temetipſum perfunde in ſtratis.* Schol. χύτλασον, id eſt, διάχυσον, σεαυτὸν, ὑγρῶς ἄλειψαι. χυτλάζειν δὲ τὸ μιγνῦναι καὶ διαχεῖν. χυτλοῦν δὲ κυρίως τὸ ὑγροῦ ἔτι ἀπὸ ὕδατος ὄντος τοῦ σώματος ἀλείφεσθαι. καὶ χύτλον, τὸ ὑδρέλαιον, id eſt, oleum aqua mixtum. Ridiculum ſanè eſt quod de Philoxeno poëta homine edaciſſimo Athenæus refert. Is enim cum ad balneas quotidie accederet, ferventi aqua os ſubluere ſolitus fuit, digitoſque in ebullientia balnearum labra demiſit, quò & manus, & guttur ad ferventiſſima quoque aſſuefaceret obſonia, ut ſi fortè (quòd plerunque accidit) ea in conviviis hujuſcemodi eſſent appoſita, abſtinentibus facilè aliis, ſolus quod ei libuiſſet, impunè prægustaret. Plautus in *Sticho*, *Vel unctiones Græcas, ſudatorias, &c. Græcas*, hoc eſt, interprete Lambino, quibus utebantur

Unctionum quarundam species.

bantur in Græcia, quæ elegantiores scilicet erant, propter unguentorum copiam. *Sudatorias*, hoc est, quæ adhibebantur ad eos qui sudabant, Græcis usitatæ. Solebant enim priusquàm accubitum irent, in balneum sudatorium ingredi, & ibi inungi: quem morem postea Romani usurparunt, & mutuati sunt, atque adeò superaverunt. Nam nondum cocto cibo epulis referti in alia balnea ibant & sudabant, deinde epulas repetebant: ex quo illud Juvenalis, *Crudum pavonem in balnea portas.* Addit parasitus ille apud Plautum: *Vel alias magis malacas* (id est molles) *crapularias*, id est, unctiones, quæ adhibendæ sunt iis, qui hesterno die plus nimio adbiberunt, neque dum crapulam dormierunt. Lib. vulg. habent *ampullarias*, & quidam *ampullarias* cum voce *cavillationes* conjungunt, & interpretantur, *cavillationes ampullarias*, id est, cavillationes quæ in balneo jactantur, dum ungimur. Mox ibidem fit mentio strigilis rubiginosæ, & ampullæ rubidæ, quæ ipsa quoque sunt instrumenta balneatoria. Nam strigili, quam hìc *rubiginosam*, id est, rubigine squallidam vocat, defricabantur veteres in balneis, postquàm uncti fuerunt: defricabantur autem a parasitis divites & ungebantur. *Ampulla* autem vas olearium, cujus etiam usus erat in balneis.

Ampullaria cavillatio. Strigil rubiginosa. Ampulla rubida.

Hora balnei.

Plinius lib. 3. *Epistolarum*, *epist.* 1. ad Calvisium, horam quoque balnei ante cœnam indicat his verbis de Spurina loquens: *Ubi hora balinei nunciata est* (est autem hyeme nona: æstate octàva) *in Sole, si caret vento ambulat nudus:* (Celso quoque ambulatio in sole, si caput patitur, melior videtur, quàm in umbra, de quo suprà) *deinde movetur pila vehementer, & divinum hoc quoque exercitationis genus pugnat cum senectute. Lotus accubat, & paulisper cibum differt: interim audit legentem remissius aliquid & dulcius.* Sic Martialis

Sufficit in nonam nitidis octava palæstris.

Idem lib. 10.

Nuntiat octavam Phariæ sua turba juventæ,
Et pilata redit, jamque subitque cohors.
Temperat hæc Thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico sexta Nerone calet.

Adrianus imperator, teste Ælio Spartiano, ante octavam horam in publico neminem, nisi ægrum, lavari passus est. Is lavacra quoque pro sexibus separavit, ut idem auctor testatur. Unde colligimus, octavam exercitationibus hujusmodi convivii (quod nona ferè inibatur) progymnasticis fuisse destinatam apud veteres. Appianus Catonis mentionem faciens, *circa vesperam*, inquit, *e balneo ad cœnam transit.* Vitruvius, *Tempus lavandi*, inquit, *a meridiano ad vesperum est maximè constitutum.* Hinc balnea semper ante occasum Solis claudebantur, nec unquam ante auroram aperiebantur, ante Alexandri Severi Imp. tempora: de quo tempore balneandi, vide eundem Mercurialem *de arte gymnast.* Erat autem moris, ut tintinnabulo, hoc est, instrumento æreo (quod nunc *campana* vocatur) populus lavandi hora vocaretur. Maritalis,

Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis,
Virgine vis sola lotus abire domum.

Ubi *æs thermarum* metonymicῶς vocat tintinnabulum æreum, quo lavaturi e gymnasio revocabantur ad thermas. De Commodi, Pertinacis, Gordiani junioris, Galieni junioris, Adriani Imperatoris Rom. insana quadam sæpiùs in die balneandi cupiditate atque consuetudine vide Perotum in *Cornucopiæ*. Apulejus quoque in suis libris aliquoties mentionem facit hujusmodi balneorum & unctionum ante cœnam: ut lib. 4. *At nobis fortissimi fidelissimique mei hospitatores* (Beroaldus, *sospitatores* putat legendum) *juvenes, affatim cuncta suavi sapore percocta pulmenta præstò sunt: panis numerosus, vinum probè calicibus effricatis affluenter immissum: & ex more calida tumultuario lavacro vestro præparata. In fine sermonis hujus statim sese devestiunt: nudatique, & flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt.* Et paulò pòst: *Hi simili lavacro refecti, inter foros sociorum sese reponunt.* Et in lib. 3. *Manu firmiter injecta Milo jussit balnearibus* (id est, balneatoribus, seu balnearum utensilibus, quæ Græcis ξύτανα, ξυστιχὶς & ξύστιχος dicebantur, Latinis communi nomine *trullæ*: cujusmodi erant strigiles, ampulla olearia, lintea & alia hoc genus) *adsequi, producit ad lavacrum proximum*: ubi mox sequitur: *Raptim denique paupertina Milonis cœnula perfunctus.* Item lib. 1. *Ego* (Aristomenes) *igitur inefficaci celeritate fatigatus, commodùm vespera oriente ad balneas processeram:* (nota hìc balneas, pro balneo privato accipi) *Ecce Socratem contubernalem meum conspicio, humi sedebat, scissili paliastro semiamictus, penè alius, lurore ac misera macie deformatus, qualia solent fortunæ deterrima stipes in triviis erogare.* Et paulò pòst: *Et simul unam ex laciniis meis exuo, eumque properè vestio* (*dicam, an ne contego*) *& illico lavacro trado: quòd unctui, quod tersui ipse præministro utensilia balnei*, videlicet ampullam oleariam, quam alii *lecytham*: (unde αὐλολήκυθοι a Græcis vocati sunt pauperes, qui sibimetipsis ad balneas ampullam ferebant, cum servos ampulligeros non haberent) Cyprianus, *capsacem*: Juvenalis *guttam* nominat: & *strigilem*, qua loti distringebantur: & *lintea termentaria*, ut a Varrone vocantur, quibus ad tergendum utebantur (de quibus Epigrammatarius: *Non tam sæpe teret lintea fullo tibi*) *sordium exormem eluviem* (spurcitiam & illuviem) *operosè effrico. Sequitur cœna. Probè curato, ad hospitium lassus ipse, fatigatum ægerrimè sustinens perduco, lectulo refoveo, cibo satio, poculo mitigo, fabulis permulceo.* Idem lib. 1. *At vocata* (Milo) *ancillula, Fotis, inquit, sarcinulas hospitis susceptas cum fide conde in illud cubiculum: Ac simul ex promptuario oleum unctui,* (ad ungendum) *& lintea tersui*, (ad tergendum) *& cætera hæc eidem usui profer ocyter, & hospitem meum produc ad proximas balneas.* Item lib. 8. *Disposita cœnula, balnea obeunt.* Et lib. 10. *Qui quùm se refecturi, clausa cellula, balneas petiissent.* Cicero *pro Deiot. Huc te e balneo, priusquàm accumberes, ducere volebat.* Idem in *Vatin. Cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla unquam data est? cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli dominus*, &c. Idem lib. 2. *Epist. ad Atticum*, illum

De balnearum unctionumque usu ante cœnam ex Apulejo.

Balnearum utensilia.

Ampulla olearia.

Cicero.

illum invitans, ſic loquitur: *Tu pridie compitalia memento, balneum calefieri jubebo.* Horat. Od. 19. *Mercemur, quis aquam temperet ignibus*, hoc eſt, qui balneum calefaciat. Eſt autem aquam ignibus temperare, calefacere, aut certè tepefacere, quam ſi quis malit intelligere adhibere ad vinum hyeme calefaciendum, non diſſentiam, nec pugnabo. Plautus in *Sticho*, *Quàm mox cocta eſt cœna? impranſus ego ſum. E. Abi intrò ad me, & lava.* Et in *Amphytrione*, *Laviſti, Amph. Quid poſtquam lavi? Alc. Accubuiſti.* Juvenalis quoque ad hujuſmodi unctiones alludit: ut Sat. 11.

Horatius. Plautus. Juvenalis.

Noſtra bibat vernum contracta cuticula Solem,
Effugiatque togam, jam nunc in balnea ſalva
Fronte licet vadas.

Simile illud Perſii, Satyr. 4. Perſius.

Quæ tibi ſumma boni eſt? uncta vixiſſe patella
Semper, & aſſiduo curata cuticula Sole.

Ubi ſimiliter alludit ad unctiones in Sole fieri ſolitas: nam, ut ſuprà ex Celſo dictum, aliâs fiebant ad ignem, aliâs in Sole. Idem infrà,

At ſi unctus ceſſes, & figas in cute Solem.

In hunc locum ſic commentatur Joan. Baptiſta: *Duo ſunt liquores, corporibus humanis gratiſſimi: intus, vini: foris, olei: cujus uſus ad luxuriam vertêre Græci vitiorum omnium genitores.* Olei natura eſt tepefacere corpus, & contra algores munire. Unde omnibus poſt fatigationem cibum ſumpturis erat commune, ſi balneum non erat, calido loco vel in Sole, vel ad ignem ungi atque ſudare, quò alludit Perſius. Cicero lib. 1. *epiſt. ad Atticum*: *Pro iſto aſſo Sole, quo tu abuſus es in noſtro pratulo, a te nitidum Solem, unctumque repetemus.* Turnebus in ſuis *Adverſariis*: *Aſſum*, inquit, *Solem intelligit aridum, torrentem, calidum, æſtuoſum, ſiccum, ſine unctione, quam Græci ἡλιοκαΐαν vocant: Solem verò nitidum & unctum, cœnam opiparam & lautam poſt ambulationem in ſolario aut ſub dio. Solebant etiam uncti in Sole nudum corpus calefacere, & tanquam torrere, ut ex illo Perſii verſu conſtat, At ſi unctus ceſſes, &c.* Vide de olei, & unctionis uſu ſeu utilitate plura apud Langium, epiſt. 51. Unctores dicebantur *aliptæ*, quorum meminit Seneca in 7. epiſt. Et Juvenalis,

Duo liquores corporibus noſtris gratiſſimi. Olei natura. Unctores vocantur aliptæ.

Grammaticus, Rhetor, Geometer, Pictor, Aliptes.

Ex his conſtat: cum exercitationes, tum balnea, frictiones, atque unctiones (quæ exercitationes plerunque conſequebantur, & pars poſtrema exercitationis erat, *Apotherapeutica* uno verbo dicta) ante cibum Græcis pariter, atque Romanis uſitatiſſimas fuiſſe.

Apud Romanos porrò, Galeni etiam tempeſtate, plurimæ erant balneæ: aliæ quidem in uſum publicum, urbium inſtar, exædificatæ, quæ *Xenibalneæ* dicebantur, pro hoſpitibus: aliæ multæ, quas divites privatas habebant, in propriis domibus, magnis extructas impenſis. Erant præ cæteris ſumptuoſæ Agrippinæ, Ciceronianæ (in villa quam Cicero *Academiam* appellavit, oculis conferente) Neronianæ, Antonianæ, aliæque id genus: etiam penſiles quædam, quæ Aſclepiadæ Medici induſtria fuerunt ædificatæ. Romanorum verò mos fuit ſingulis lavare diebus.

Sed operæpretium quoque fuerit, balnearum veterum formam, ut a Vitruvio, Galeno, & aliis deſcribitur, poſtremo loco ſubjicere, ex qua illarum uſus meliùs adhuc perſpicietur. Erant ergò illarum 5. potiſſimum partes.

Forma balnearum. Partes balnearum veterum quinque.

Primùm enim erat locus ſive conclave, in quo veſtes deponebantur, qui idcirco a Græcis dictus eſt ἀποδυτήριον, ἀπὸ τοῦ ἀποδύειν, *ab exuendo*: a Latinis *Spoliatorium*, & *ſpoliarium*: a nonnullis etiam *Tepidarium* atque *Aërium*: propterea quod in tepida prima hac parte, lavaturi ſe exuebant atque nudabant. Tepebat autem hac parte aër, vel ex calidis, & ſiccis vaporibus ab igne delatis: vel calidis, ac humidis ab herbis & plantis, decoctis tranſmiſſis: vel aqua in ignitos lapides, aut candentes laminas infuſa excitatis. Cicero, *In balneariis*, inquit, *hypocauſta, in alterum apodyterii angulum promovi: propterea quod ita erant poſita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, eſſet ſubjectum cubiculo.* Ergò Cicero quoque *apodyterii* voce utitur, quod Germani abʒiechſtuben appellant. Hæc prima pars a Galeno qui 4. tantum balnei partes facit, prætermiſſa eſt, quoniam balnei naturam non attingit. Apodyterii Plinius quoque meminit in epiſtol. ad Apollinarem pluribus in locis. Qui verò mercede ſervanda in balneis veſtimenta ſuſcipiebat, *Capſarus* dicebatur, ut refert Ulpianus Jureconſ. *de officio præfecti vigilum.*

Apodyterium. Gal. tantùm 4. balnei partes facit.

Pars ſecunda, ſeu cella, Galeno prima, teſtudinis inſtar conſtructa, aërem continebat, ab igne accenſo abſque fumo, quam idcirco ξηρὸν θόλον, id eſt, *ſiccam teſtudinem* vocare ſolet. Erat autem olim rotunda, & ignitis vaporibus incenſa, ut teſtatur Vitruvius lib. 5. A Græcis etiam πυριατήριον, & ὑπόκαυστον (qua voce Cicero quoque pro latina utitur) a fornace: Romanis *calidarium*: Senecæ, *ſudatorium*: a quibuſdam etiam *Laconicum* dictum eſt, à Laconibus, teſte Dione, qui illo peculiariter ad ſudorem excitandum uſi fuerant, ut indicat Martialis *de Thermis* lib. 1. Epigram. 6. & Columella in præfatione. *Vaporarium* quoque idipſum a Cicerone appellatur, ubi ſicco calore cruditas excoquitur, ſudorque provocatur. Germanicè Schweiſʒbad.

πυριατήριον, & ὑπόκαυστον.

Tertia pars, ſeu cella caldaria, quam & *lavacrum* appellare poſſumus, & *baptiſterium* ἀπὸ τοῦ βαπτίζειν. In ea erat ſolium lavandi gratia, aquam continens omnis malæ qualitatis expertem, in quo homines conſidentes abluebantur. Unde & *labrum* Ciceroni, Terentio, ſeu *lavabrum*, *lavacrum*, & *piſcina*, & vulgò etiam *tina* nominatur: *nymphæum* quoque Plinio videtur dici. Germanis waſſerbad / wetty / badzuber. Græcis ἀσάμινθος. Homero πύελος· δροίτη Nicandro πλυνὸς vocatur.

Lavacrum & Baptiſterium.

Piscinas Romani maximo luxu sumptuque construxerunt. Piscina Hierosolymis.

Pars quarta, Galeno tertia, solio constabat frigido, & ob id *frigidaria cella* dici consuevit, *frigidarium* Vitruvio: λουτρῶν Xenophonti, ubi frigida perluebantur. Hîc observabis a Romanis piscinas maximo luxu sumptuque fuisse constructas, quas Græci a natando κολυμβῆτραι appellarunt: qualis Piscina fuit Hierosolymis illis probatica, sed diviniore usu ad curam ægrorum quinque porticibus vallata. In his autem, magno impendio, marmore Thasio, ac porphyrite constructis & circumseptis, corpora natando exercebant, ac multa sudatione languida reficiebant, & corroborabant: quæ Paulus Ægineta ψυχρόλουτρα, Sidonius a mergendo *Baptisteria* appellat. De his vide Plinium lib. 5. ad Apoll. & lib. 2. ad Galenum. Paulum Æginetam lib. 1. cap. 51. & Galenum lib. 3. *Salub. de Psychrolutris.*

Ἀλειπτήριον, καὶ ἐλαιοθέσιον.

Pars quinta, Galeno quarta, locus erat in quo sudor detergebatur, ungebanturque unctione egentes: ideò & *detersorium*, atque *unctuarium*, ἀλειπτήριον Græcis vocabatur, & ἐλαιοθέσιον, ab ἔλαιον, id est, *oleum*, & θέσις, id est, *positio*: quoniam in ipso sordibus detersi ungebantur.

Has partes balnei, & singularum usum Celsus his verbis brevissimè complexus lib. 1. cap. 4. *Si in balneum*, inquit, *venit*, (scilicet is cui caput est infirmum) *sub veste primùm paulum in tepidario insudare, ibi ungi: tum transire in caldarium: ubi sudavit, in solium non descendere, sed multa calida aqua per caput se totum perfundere: tùm tepida uti, dein frigida, diutiusque ea caput, quàm cæteras partes, perfundere: deinde id aliquandiu perfricare: novissimè detergere, & ungere.*

Fornax. Calidarium. Tepidarium. Frigidarium.

Fornax autem (unde *fornacator*, & *fornacarius* servus, qui fornacem balnei caminumque succendit: Cœlius lib. 25. cap. 23.) constituta erat, in qua per præfurnium ignis accendebatur, quo Laconicum, & aqua calefiebant pro Caldario, atque Tepidario. Fornacem autem hanc verisimile est duobus præditam fuisse præfurniis, ùt uno subserviret Laconico, altero verò aquæ calefaciendæ: aut uno tantùm: fornace existente ampliori. Tria etenim ahena ordine constituta erant, calidarium, calidam continens: Tepidarium, tepidam: & Frigidarium, frigidam: e quibus quantùm de aqua hauriebatur ex caldario, tantundem de tepidario descendebat in caldario, & de frigidario in caldarium, & de frigidario in tepidarium.

Apparatus balnearum antiquarum. Solium. Guttus.

Balneantibus autem opportuna parabantur multa. Solium quidem labrum, aut lavacrum, ex ligno, vel ex marmore, in quo residentes lavabantur. Guttus, vas guttatim oleum fundens, quo post lavationem in unctuario ungebantur. Guttus (pro quo Apuleius *ampullam oleariam* dixit) fiebat ut plurimùm e cornu bubulo. Nobiliores e cornu Rhinocerotis habebant. Juvenalis,

Magno cum Rhinocerote lavari,
Qui solet.

Et Epigrammatarius poëta in *Apophoretis*,

Gestavit modo fronte me juvencus,
Verum Rhinocerota me putabis.

Strigilis.

Strigilis, & *strigecula*, a *stringendo*, (quod *radere* significat, ut scribit Marcellus) στλεγγὶς, ξύστρα, instrumentum quo utebantur ad sudorem corporis, & sordes in balneis abradendas, & abstergendas, etiam post frictiones, quæ & sordes, & strigmenta vocantur. Hæc olei in balneis, gymnasiorum parietibus, & statuis coacervata strigmenta, magistratus ludorum legimus octingentis sestertiis vendidisse, quum illorum usus in depellendis morbis non esset vulgaris, de quo vide Dioscoridem lib. 1. cap. 28. Plinium lib. 35. cap. 13. Langium *epist.* 51. Persius:

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Hinc apud Valerium pro *gymnicorum servo stramenta gymnasii colligenti*, recte Turnebus legit, *strigmenta gymnasii* lib. 1. *Advers.* cap. 10. Fiebant autem strigiles ex auro, aut argento, aut aheno (ut apud Indos, teste Strabone lib. 15.) aut lapidibus quandoque quibusdam: & spongiis aliquando (id quod Hippocrati magis placet lib. 3. *Reg. aut.*) pro strigilibus utebantur. Scribit Apuleius in *Florid. Hippiam Sophistam sibi concinnasse strigileculam, ita fabrè factam, ut in manu capulo moraretur, & ex ea sudor rivulo laberetur.* Pergamenæ strigiles, ut optimæ ab antiquis celebratæ. Martialis in *Apophoretis*,

Pergamus has misit curvo distringere ferro,
Non tam sæpè teret lintea fullo tibi.

Lintea, sudariave. Endromis. Balneatores. Ailicrepi. Aliptæ. Alipili.

Sordes autem è corpore radendo detergentes, Græci ἀποξυομένους, hoc est, *distringentes* nominarunt, ut Plinius lib. 17. cap. 24. ostendit: *Lintea, sudariave, quibus corpora detergebantur.* Ἐνδρομὶς, vestis quædam balnearia hirsuta, villique longioris, quæ ex Gallia mittebatur, cujus usus in balneis & gymnasiis præcipuus erat. Præter hæc, aderant & qui probè rem curabant, exacteve lavabant, qui & *balneatores* vocabantur, & qui *pilicrepi*, pilis, globulisve pice illitis, per præfurnium in fornaculam actis, ignem excitantes: & *Aliptæ*, seu unctores, qui corpora oleo inungebant: *Alipili*, alarum pilos volsella evellentes. Hæc de balnearum antiquarum forma & apparatu: de quibus plura videre licet apud Galenum lib. 10. *Therap.* Vitruvium 5. *architect.* Plinium epist. ad Gallum & Apoll. Palladium lib. 1. tit. 39. Fumanellum lib. *de Balneis aquæ potabilis.* Cælium lib. 30. cap. 17. 18. 19. 20. Langii *epist. medic.* 50. 51. & 52. Beroaldi *Comment.* in lib. 4: Apulei. Paulini *Comment.* n. 1. Celsum cap. 1. *Cornucopiæ* p. 154. Cardanum lib. *de Aqua.* Sidonii interpret. Joan. Baptistam Pium, Franciscum Marium *de Partibus ædium* lib. 1. cap. 10. De Romanarum balnearum antiqua magnificentia atque luxu passim apud Plinium & alios auctores plurima occurrunt. Antiqui, teste Celso, timidius balneis utebantur. Hinc Festus quoque *lautitiam*, id est, epularum magnificentiam, secundùm quorundam opinionem, vult dictam esse, quia apud antiquos hæ elegantiæ, quæ nunc sunt, non erant, & rarò

Lautitia Festa unde dicta.

aliquis

aliquis lavabat. Atque hæc de lavationibus, frictionibus, & unctionibus veterum Græcorum, & Romanorum, quæ cœnis antecedebant, satis sint dicta, quibus illi partim sanitatis, partim munditiæ, partim denique deliciarum, & voluptatis gratia usi fuerunt.

Indos quoque prius lavari solitos fuisse, quàm ad convivium accederent, testis est Philostratus lib. 2.

De Germanis scribit Cornel. Tacitus, illos lavari sæpius calida, (ut apud quos plurimùm hyems occupat) lautosque cibum capere fuisse solitos.

Apud Judæos usitatas fuisse, ante cibi sumptionem, manuum atque etiam pedum ablutiones, satis constat. An verò Græcorum, & Romanorum more balneis, ac totius corporis lavationibus unctionibusque, ante epulas usi fuerint, id non videtur expresso aliquo, manifestoque sacræ scripturæ loco comprobari posse. 2. Sam. 11. mentio fit lavationis Bersabeæ sub tempus vespertinum: cujus infelix sanè atque funestus exitus, meritò pudicas castasque mulieres a voluptuario balnearum atque thermarum publicarum studio deterrere debet. Hanc autem lavationem, quoniam tempore vespertino facta est, cœnam antecessisse est verisimile: verùm an illa totius corporis immersio in aquis, an verò certarum tantùm partium, ut puta, manuum, aut pedum ablutio fuerit, de eo nihil certi ex loci illius circumstantiis videtur colligi posse. Sic filia quoque Pharaonis Exod. 2. descendisse dicitur, sese lavandi gratia in flumine sub Nilo: (quod lavacrum Mosi, totique populo Israëlitico salutiferum extitit) ubi similiter dubitatur, an vestibus se exuerit, fluvioque illi corpus suum immerserit, an verò manus tantùm atque pedes fluminis abluerit aqua. Prior tamen opinio verisimilior videtur, quoniam ipsa non ad flumen, sed in flumine sese lavasse, ancillas autem ejus atque pedissequas ad ripam fluminis deambulasse dicuntur, dominam scilicet suam expectantes, donec lavandi finem fecisset. Verum expressior & luculentior illis duobus est locus ille in historia Susannæ Dan. 13. ubi lavacri illius fit mentio: quod & ipsum, quum illam in summum pudicitiæ atque vitæ suæ periculum atque discrimen adduxerit, satis indicat: quàm damnosa atque periculosa sint mulieribus publica lavacra atque balnea, si iis intemperantiùs utantur. Ibi vers. 15. Susanna pro more suo quotidiano cum duabus ancillis in hortum ingressa fuisse dicitur, & quoniam æstus erat, lavare voluisse. Jussit itaque sibi ab ancillis afferri oleum, & σμῆγμα lavandi gratia. En hîc ambulationis, qua illa quotidie usa fuisse scribitur, & lavationis atque unctionis simul fit mentio, quam cœnæ tempus præcessisse verisimile est. Σμῆγμα Suidæ est καθαρτικόν, τὸ ἀποσμῆχον. Grammatici enim dictum volunt a Σμῶ, sive Σμήχω, quod *purgare* & *abstergere* significat: *Saponem* nonnulli interpretantur, ut Theocriti interpres. Huic respondet Hebraicum בורית *Borith*. Malach. 3. Hiere. 2. Job. 39. quod Rabbi D. Kinchi in libro Radicum, in 2. cap. Hier. & 3. Malach. *Saponem & herbam saponariam* interpretatur vestium eluendis abstergendisque maculis aptam. a ברר *Barar*, quod *mundare*, seu *purgare* significat. Job. 39. *Si abluero me aquis nivis, & mundavero* (בור, *bor*: id est, *expurgatorio smegmate*) *manus meas*. Galenus *Therapeut.* 14. inter caput purgantia medicamina σμήγματος quoque numerat. Omnino σμῆγμα, quicquid emaculat & abstergit sordes, ut erant spongiæ, strigiles, lintea, teritoria, de quibus suprà, quicquid denique, ut Apuleius loquitur, est tersui. De Smegmatis variis faciem nitidam & splendidam reddentibus, vide apud Nicolaum Myreps. *num.* 25. 28. 29. 30. 32. 34. 35. &c. Judæi vulgari sua lingua balneum, hoc est, locum lavationibus, seu lavacrum מרחצה *Marchzaha* appellant, a רחץ *Rachaz*, quod a sordibus corporis abluere cum vehementiore quadam defricatione & abstersione significat, ut Grammatici volunt, 2. Sam. 11. & Exod. 2. De manuum pedumque lavatione, necnon unguentis in ipso convivio adhiberi solitis, suo in loco dicetur.

Bersabeæ lavatio.

Filiæ Pharaonis lavatio.

Susannæ lavacrum.

Σμῆγμα.

Verùm ut de exercitatione, uti supra dictum est, ita de balneis quoque quæritur, an statim ab illis edendum sit, aut bibendum. De hoc animadvertendum est Hippocratis, Medicorum facilè principis, consilium, qui lib. 3. *de rat. vict. acut. sect.* 55. a balneo confestim neque sorbendum, neque bibendum esse censet. Idem affirmat Galenus in *Comment.* Antonius Niger in suo libello *de Valetudine custodienda. Serio*, inquit, *monemus balneum ingressuros, ut pòst confectum magna ex parte in ventriculo cibum introëant, neque crudum, ut Juvenalis ait, pavonem in balnea portent. In balneo verò a cibo & potu omni abstineant: loto denique capite ante fatigationem & lassitudinem egressi, totum corpus, præcipuè verò caput desiccent, & a frigore custodiant, nec prius mensæ accumbant, quàm tota balnei caliditas e corpore expirarit. Cibus enim aut potus, vel paulò ante balnei ingressum, vel maximè in ipso balneo sumptus, vel statim ab eo, fumante ab hoc corpore, ingestus, venas viscerum obstruit, ex quarum obstructione hydropicos plurimos factos, & mortuos vidi. Novi etiam quosdam qui unico largiore cerevisiæ haustu balneo egressi, hepatis calorem extinxerunt, & aqua inter cutem rapti perierunt.* Commodus Antoninus, Imperator luxuriosissimus, per diem septies atque octies lavare est solitus, & in ipsis balneis edere, teste Ælio Lampridio. Verùm de balneorum differentiis, usu, commodis & incommodis Hippocratem, Galenum, Celsum, Fumanellum, & alios consule. Quomodo præterea Græci atque Romani balneis atque unctionibus non tam ad sanitatem atque munditiem honestam & liberalem, quàm ad mollitiem, delitias, luxuriam atque libidinem abusi fuerint: cujusmodi homines, qui se in balineis indecenter gererent, *Triballi* a Græcis sunt dicti (quales certè hodie quoque apud Christianos multos reperias) passim apud scriptores antiquos videre licet. Verùm omissis aliis, vel unus Clemens Alexandrinus qui sub Antonino & Severo floruit, ejus rei satis idoneus est, ac locuples testis, qui lib. 3. sui *Pædagogi* cap. 5. balneorum sui temporis luxuriosum libidinosumque abusum hoc modo perstringit ac reprehendit. Primò, quòd ædificia nimis sint sumptuosa, artificiosè compacta, perspicua, περιφόρητα quæ circumferri possunt, sindone tecta. Deinde, quòd cathedris argenteis, & vasis innumerabilibus escariis, potoriis, balnearibus, ex auro atque argento confectis, uterentur. Tum, quòd eousque intemperantiæ processerunt, ut tam mulieres, quàm viri inter lavandum cœnarent, atque adeò sese nimio vino obruerent, suamque supellectilem ostentationis gratia in balneis exponerent. Præterea

An statim a balneis sit edendum & bibendum

Anton. Niger.

Commodus Antoninus.

Balneorum luxuriosus abusus.

Clemens Alex.

terea hoc quoque potiſſimùm nomine mulieres culpat, quòd cum viris & fœminis communia eſſent balnea, de qua promiſcua virorum cum mulieribus balneandi conſuetudine vide Mercurialem *de arte gymnaſt.* ipſæ unà cum veſtibus pudorem omnem exuentes, ſeſe nudas extraneis ſpectatoribus, ceu corporum cauponibus, conſpiciendas præberent, ac quodammodo proſtituerent, cum ἐκ τοῦ εἰσορᾷν, ἐρᾷν, id eſt, *ex aſpectu amor naſcatur*, idque contra Heſiodi præceptum, qui ſuadet,

Μὴ δὲ γυναικείῳ λουτρῷ χρόα φαιδρύνεσθαι,

id eſt,

Corpus fœmineo non exhilarare lavacro.

Quod ſi quæ autem non eouſque impudentiæ fuerant progreſſæ, ut ſe ab externis conſpici paterentur: tamen unà cum ſuis ſervis atque miniſtris nudæ lavari, atque ab iis etiam fricari ſolebant, cùm veteres quoque athletæ in ſuis certaminibus ſubligaculis uterentur ad pudorem tegendum. Quemadmodum ergo in hydropicis humores pravi, qui abſtruſi latent, ex cutis ſuperficie apparent: ſic laſciva illarum concupiſcentia ex corporis geſtibus elucet. Monet deinceps viros ut pulchrum ſe veritatis exemplum fœminis præbentes, erubeſcant unà cum eis exui, & lubricum periculoſumque aſpectum fugiant. Poſtremò totam hanc ſuam reprehenſionem, ex qua balneantium quædam conſuetudines, tunc temporis uſitatæ, cognoſci poſſunt, aurea hac ſententia concludit, quam omnes Chriſtiani intimo pectore recondere, & ad quotidianum vitæ uſum aſſiduè revocare debent: οἴκοι μὲν οὖν τοὺς γονεῖς, καὶ τοὺς οἰκέτας αἰδεῖσθαι χρή· ἐν δὲ ταῖς ὁδοῖς, τοὺς ἀπαντῶντας· ἐν δὲ τοῖς λουτροῖς, τὰς γυναῖκας. ἐν δὲ ταῖς ἐρημίαις, ἑαυτούς· πανταχοῦ δὲ τὸν λόγον, ὅς ἐστι πανταχοῦ, καὶ γέγονε χωρὶς αὐτοῦ οὐδὲ ἕν. οὕτω γὰρ μόνον ἀπλῶς τις διαμένει, εἰ πάντοτε αὐτῷ συμπαρεῖναι νομίζοι τὸν θεὸν, Id eſt, *oportet ergo domi parentes atque famulos revereri: in viis, eos qui fiunt obviam: lavacris, mulieres: in ſolitudine, ſeipſum: ubique, Verbum, quod eſt ubique, & ſine quo factum eſt nihil. Hac enim ſola ratione aliquis ſe a lapſu immunem conſervat, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe perſuaſum habeat.* Idem porrò auctor eodem in lib. 6. de balnei uſu, & abuſu præclarè ſanè pieque diſſerit. Primo enim quatuor de cauſis, nimirum vel munditiei, vel caloris, vel ſanitatis, vel voluptatis cauſa homines balneis uti dicit. Ac munditiei quidem ſimul, & ſanitatis cauſa, mulieribus: ſanitatis verò ſolius cauſa, viris balneorum uſum concedit. Caloris autem gratia lavari (cum is aliis modis depelli poſſit) ſupervacaneum. Voluptatem autem impudentem omnino rejiciendam eſſe docet. Deinde immodico immoderatoque balneorum uſu animi, corporiſque vires enervari demonſtrat. Hinc a veteribus balneas ἀνθρωπογναφεῖα, id eſt, fullonicas hominum officinas fuiſſe appellatas: propterea quòd citiùs, quàm par erat, pannoſa, ut ita loquar, corpora efficiant, & ante tempus faciant conſeneſcere, abſtergendi vim habentia, dum, non ſecus, ac in ferro, caro calore mollificatur. Deinde neque nimis inani, neque nimis repleto balneo utendum eſſe, ſed ætatis, corporis, anni rationem eſſe ducendam ſuadet. Neque verò aſſiduè & ſæpè in die lavandum, neque multorum in balneis miniſterio utendum eſſe præcipit. Poſtremo, id quod in primis obſervatione dignum eſt, animam præcipuè ratione lavandam atque purgandam eſſe, monet: ſecundum illa Chriſti verba, contra Phariſæos & Scribas, Matth. 23. *Væ vobis, quoniam ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis.* Et paulò poſt: *Væ vobis, quoniam mundatis quod eſt extrinſecus, &c.* Tandem concludit: τὸ μὲν οὖν ἄριστον λουτρὸν τῆς ψυχῆς ἀποσμήχει τὸν ῥύπον, καί ἐστι πνευματικὸν, hoc eſt, *optimum ergo lavacrum expurgat ſordes animæ, & eſt ſpirituale.* Hæc præſtantiſſimus ille Philoſophus atque Theologus non medicè ſolùm, verumetiam piè Chriſtianeque, de utili, honeſto, legitimoque balneorum uſu diſſeruit: quæ optima ſanè, ſaluberrimaque monita, utinam nos Chriſtiani nobis ante mentis oculos proponeremus, iiſque obtemperantes, non tam turpiter atque nefariè, qui hodie communis ferè eſt mos ac conſuetudo, balneis illis ſive naturalibus, ſive artificialibus nobis a Deo ad ſanitatem conceſſis, ad turpiſſimam voluptatem, ad luxum atque luxuriam, ad libidinem, impudentiam, audaciam, arrogantiam, omnium ſcelerum atque flagitiorum licentiam, cum ſumma animorum corporumque noſtrorum noxa atque pernicie abuteremur. Quid enim quæſo hodie Chriſtianorum publica illa balnea atque thermæ aliud ſunt, quàm omnium impuritatum atque libidinum tabernæ & officinæ, ad quas plurimi non tam ſanitatis, quàm voluptatis & libidinis gratia confluunt? In illis dies noctesque helluantur, comiſſantur, bacchantur, ſcortantur, ſumma denique eſt omnium ſcelerum atque flagitiorum licentia atque impunitas.

Simile ab hydropicis.

NOTA.

Balnearum legitimus uſus.

Balnea veteribus ἀνθρωπογναφεῖα appellata.

NOTA.

Verùm ut ad illas corporis lavationes unctioneſque, quæ a veteribus ante cœnam fuerunt adhibitæ, redeam: licet illæ hodie non ita ſint in uſu, danda tamen eſt omnibus liberalibus & ingenuis hominibus opera, ut ne αὐχμηροκόμαι, & ῥυποκόνδυλοι, hoc eſt, ſordidatis capillis, atque unguibus, ac omnino capite, capillis, manibus, facie vultuque immundo, ſordido, atque ſqualido, ad convivia accedant, ne convivatori ſimul atque convivis ſint nauſeæ, faſtidio, irriſui, atque ludibrio, uti ſuprà quoque ex Athenæo dictum eſt. Nec verò convivæ ſolùm, verumetiam convivatori corporis eſt adhibenda mundities, cavendæ ſordes, illuvies atque immunditics, quæ convivis nauſeam atque moleſtiam aliquam parere poſſint. Ut autem convivæ pariter atque convivatori inſerviendum eſt corporis munditiei: ita contrà vitanda καλλωπίσματα, hoc eſt, *nitor nimius*, atque fucus, cui mulieres potiſſimùm ſtudere ſolent. Illæ namque ad convivium aliquod acceſſuræ arrogantia atque libidine, ceu peſſimis conſultricibus, impulſæ, prius capillos, malas, palpebras, ſupercilia manus, & reliquas corporis partes ſtibio, croco, ceruſſa, purpuriſſo, melino, hoc eſt, ſi verum fateri volumus, fumo, fuligine, ſpuma, ſputo, atque venenis pingere, fingere, illinere, colorare, fucare, & ut verè dicam, deformare atque corrumpere ſolent. Quo fucorum atque pigmentorum genere fucatas mulieres, quæ ad convivium acceſſerant, mirifico dolo decepit quondam Phryne meretrix. Atque hoc quidem genus

Quomodo liberalibus & ingenuis hominibus ad convivia accedendum.

pi-

pigmentorum & fucorum quàm sit a Christianorum hominum officio, religioneque alienum, Tertullianus in libris *de Cultu & habitu muliebri.* Origenes Tom. 2. *Hom.* 4. Cyprianus *Serm.* 5. *de Lapsis*, & libro *de Habitu virginum.* Ambrosius in lib. *de Virginibus.* Chrysostomus *Hom.* 31 in Matth. Hieronymus *contra Helvidium*, & in epist. ad Lætam de institutione filiæ, firmissimis rationibus demonstrant. Hieronymus in epist. ad Furiam *de viduitate servanda*, fucationem ostendit adversari pœnitentiæ, cui Christiani toto vitæ suæ curriculo incumbere debent. Et affert exemplum mulieris peccatricis, quæ lachrymis ubertim fluentibus Domini pedes abluit, eosque crinibus abstersit. *Non habuit*, inquit, *eos stibio fuliginatos.* Deinde cerussam, & purpurissum vocat, *ignes juvenum*, *fomenta libidinum*, *impudicæ mentis indicia.* Augustinus epist. ad Possidium 7. *Fucari*, inquit, *pigmentis, quò mulier vel candidior, vel rubicundior appareat, adulterina fallacia est, qua etiam ipsos maritos non dubito nolle decipi. Hinc facilè colligimus, non licere talibus uti picturis, cum sint adulterinæ fallaciæ: nec tantùm adulterinæ, sed etiam perniciosæ, quia in fraudem spectantium proponuntur.* Hæc ille. Ut ergo non sordidæ, atque squallidæ: ita nec Philomatii meretricis illius instar apud Plautum, cerussatæ, purpurissatæ, stibiatæ, atque fucatæ ad convivia accedere debent: nec etiam odoribus imbutæ atque perfusæ. Nam, ut est apud Plautum, *mulier rectè olet, ubi nihil olet.* Quòd si autem mulieres quoque, quibus tamen nonnihil hujusmodi delitiarum a natura videtur esse concessum, a mollitiis istis atque fucis sibi temperare debent, quantò magis viros ab iis abhorrere decet, vel secundùm illud Poëtæ Ethnici: In Mostellaria.

Forma viros neglecta decet.

Et *Sint procul a nobis juvenes ut fœmina compti.*

Cum pulchritudinis, inquit Cicero lib. *Offic. duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas: venustatem muliebrem ducere debemus: dignitatem, virilem. Ergo a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus.* Et paulò post: *Formæ autem dignitas coloris bonitate tuenda est, color exercitationibus corporis. Adhibenda præterea est munditiës non odiosa, neque exquisita nimis, tantùm quæ fugiat agrestem, & inhumanam negligentiam.*

Observandum quoque est, convivas seu hospites plerunque in convivatoris ædibus, a quo invitati & excepti fuerant, balneare, lavari, atque ungi solitos fuisse, balneis a convivatore paulò ante convivii tempus apparatis, id quod ex locis suprà citatis facilè apparet. Hinc Thales in convivio Plutarchi cum ad cœnaculum venisset, lavare recusavit, quod se unctum diceret. Hospites in convivatoris ædibus lavari & ungi soliti fuerunt.

CAPUT XXVI.

DE VESTITU CONVIVIALI. DE VESTIUM ALBARUM (QUAE IN EPULIS POTISSIMUM USURPARI FUERUNT SOLITAE) AC IN GENERE COLORIS ALBI USU, SIGNIFICATIONE, PRAESTANTIA AC DIGNITATE.

Sequitur nunc tertia corporis ad epulas futuras præparandi actio, quæ in vestitu consistit. Fuit enim hæc veterum consuetudo, quæ etiamnum hodie viget, ut ad convivia accessuri certis ac peculiaribus quibusdam vestibus, & quidem splendidioribus uterentur: quas quidem vel domi haberent ad cœnam: vel si foris cœnarent, acciperent ab amicis, aut ipsi adferrent. Capitolinus in vita Maximini: *Cùm ad cœnam ab Alexandro esset vocatus, in patris honorem, quòd ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit.* Plautus *pallium malacum* id appellavit, Lipsio interprete, in *Bacchidibus*, Tertia corporis ad epulas præparandi ratio. Vestium epularium nomina.

Pro galeâ scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hastâ talus, pro lorica malacum capiam pallium.

Ubi omnia describit, quæ solita convivia. A Græcis vestes illæ ἐνδύματα δειπνικά, & στολαὶ δειπνίτιδες a Latinis *vestes accubitoriæ* & *cœnatoriæ*, item *cœnatoria* in plurali numero, & *lænæ*, alio nomine etiam *togæ triclinares* & *cibariæ*, nec non *Syntheses* fuerunt appellatæ, Martialis lib. 10.

Pugnorum reus, ebriæque noctis
Cœnatoria mittat advocato.

Et in Apophoreto cœnatoria,

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota.
Hic opus est pictis accubuisse thoris.

Idem: *Undecies unâ surrexti, Zoile, cœnâ:*
Et mutata tibi est Synthesis undecies.

Hinc Tranquillus in Nerone observat cum nota, inquit Justus Lipsius lib. 1. Saturn. cap. 2. quòd plerumque Synthesinam indutus, prodierit in publicum sine cinctu & discalceatus: qui scilicet convivantium habitus. Petronius, *Cœnatoria*, inquit, *repetimus, & in proximam cellam ducti sumus, in qua tres lecti strati erant.* Pom-

Pomponius D. lib. 34. *Tit.* 2. lib. 33. *Scire se*, ait, *quendam Senatorem muliebribus cœnatoriis solitum uti, id est, stolis triclinia ribus.* Hinc Hadrianus Imp. *Senatores & Equites semper togatos esse jussit, nisi a cœna reverterentur*, ait Spartianus in ejus vita. Vocabulum etiam *recidipna*, composito ex utraque lingua vocabulo. *Recinium* enim apud nos est vestis antiquissima quadrata, ut Varro refert: cujus mediam partem retrorsum jaciebant: unde *reciniati* mimi dicebantur. δεῖπνον verò *cœnam* significat. Itaque *recidipna* dictæ sunt vestes, quas *cœnatorias* vocant. Juvenalis,

Recidipna.

Rusticus ille tuus sumit recidipna Quirine.

Vestes tricliniariæ.

Eadem etiam *triclinaria* dicuntur. Plinius, *Metellus Scipioni triclinaria Babylonica sestertiûm octuaginta venisse*, &c. Beroaldus in Juvenalem, *rechedipna* legens, dicit esse vestem, qua in gymnasiis utebantur, cujus & Athenæus lib. 6. & Plutarchus in *Sympos.* mentionem faciat. Ad hanc consuetudinem Matth. 22. alludit Christus in sua illa parabola, in qua inter alia convivam quendam, qui non erat indutus ἔνδυμα γάμου, id est, *veste nuptiali*, hoc est, ea quæ in nuptiis adhiberi consueverat, dicit in exteriores tenebras fuisse exturbatum. Hoc etsi mysticè seu allegoricè de spirituali veste, hoc est, de fide per charitatem efficace, sive, interprete Theophylacto, de misericordia, benignitate, atque φιλαδελφίᾳ intelligi debet, qua qui sunt vacui, æternæ illius lucis atque beatitudinis communione excluduntur, & in tartareas illas plagas, atque tenebras præcipitantur: tamen simul ex illo loco temporis illius consuetudo colligi potest, qua nimirum in nuptialibus illis festivitatibus, atque symposiis peculiares quædam, &, uti par est, splendidiores vestes fuerunt adhibitæ. Sic Juditha invitata ad convivium Holofernis, vestitu, & omni mundo muliebri se exornavit, ut scriptum est Judit. Cap. 12 v. 15. Pertinet huc, quòd Deorum & Dearum habitu accubuisse dicuntur convivæ in cœna Augusti duodecim, quæ idcirco δωδεκάθεος dicta est a Suetonio.

Albi coloris vestitum in conviviis usitatum fuisse. Vestium candidarum usus apud Judæos.

Equidem ex veterum scriptorum monumentis facilè colligi posse existimo, albi potissimùm coloris vestitum in conviviis usitatum fuisse, ita ut nigris vestibus accumbere apud gentes quasdam nephas duceretur: unde & בחר *Bachar*, *elegit*, nonnulli arbitrantur, compositum a ב & חור *chor*, *candidum*, quòd quæ sunt candidæ, eligantur & approbentur. Philo *de vita Theoretica* testatur Judæos olim dierum festorum convivia λευχειμονοῦντας, hoc est, *albatos* seu *candidatos* agitare fuisse solitos: ex quo illud: *Quovis tempore vestimenta tua candida sunt.* Huc quoque referendus ille mos Judæorum decimum quintum diem mensis *Ab* celebrandi albis, atque choreis: de quo sic scriptum extat in Tabanit fol. 26. p. 1. *Decima quinta mensis Ab*, id est, Julii, *filiæ Jerusalem egrediebantur in vestibus albis, quas qui non habebant, a ditioribus mutuò sumebant, ne, cui vestes deerant, remorarentur, quò minus ad choreas venirent: omnes vestes lavabantur. Filiæ Jerusalem egrediebantur, & choreas ducebant in vineis. Quid verò dicebant? Adolescens attolle oculos tuos, & vide quam tu velis eligere ex omnibus, ne respicias pulchritudinem, siquidem fallax est, at eam, quæ Deum timet, laudes.* Idem mos apud Romanos quoque fuit. Hinc Horatius lib. 2. Satyr.

Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret.

Usus vestium candidarum apud Romanos in diebus festis.

De usu vestium candidarum in diebus festis apud Romanos multa alia testimonia præter Horatii, extant apud auctores. Xiphilinus, die celebri Romæ ob ingressum Teridatis, μάλιστα δὲ ἡ ἀγορὰ ἐπεπλήρωτο, τὸ δὲ μέσον αὐτῆς ὁ δῆμος λευχειμονῶν, καὶ δαφνηφορῶν κατὰ τέλη εἶχε, τὰ δ' ἄλλα οἱ στρατιῶται λαμπρῶς ὡπλισμένοι, id est, *populus albatus, & laureatus.* Vopiscus in *Florian.* *Tantum illud dico: Senatores omnes ea lætitia esse elatos, ut domibus suis omnes albas hostias cæderent, albati sederent.* Persius:

---- Negato
Juppiter hoc illi, quamvis te albata rogarit.

Prudentius contra Symmachum,

Exultare patres videas pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum
Candidiore toga, niveum pietatis amictum
Sumere.

Et Ovidius: *Vestibus intactis* (usu nondum sordidis, aut obsoletis) *Tarpeias itur in arces*
Et populus festo concolor ipse suo est.

Persius in re simili,

Scilicet hoc populo pexusque, togaque recenti
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus
Sede leges celsa.

Idem Satyr. 2. *----- negato*
Juppiter hoc illi quamvis te albata rogarit.

Id est, vestibus albis amicta. Cicero in *Leg.* *Color albus præcipuè Deo decorus est, cùm in cæteris, tum maximè in textili.* Nec verò solùm in natalitiis, & repotiis, & nuptialibus aut sponsalibus, sed etiam in funebribus cœnis hanc consuetudinem servatam fuisse, locuples testis est M. Tullius in Vatinium: ubi illi objicit, quod cœnaverit atratus: verba ejus hæc sunt: *Atque illud etiam scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Cn. Arrii familiaris mei cum toga pulla accumberes: quem unquam videris, quem audieris, quo exemplo, quo more feceris? Dices, supplicationes te illas non putasse. Optimè. Nullæ fuerint supplicationes, &c. Quis unquam* cœna-

cœnavit atratus? ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epulæ quidem ipsæ dignitatis. Sed cum isto epulum, populi Romani festum diem argento, veste, omni apparatu visendo: quis unquam in luctu domestico, quis in funeri familiari cœnavit cum toga pulla? cui de balneis exeunti (en consuetudinem balneandi ante epulas) *præter te; toga pulla unquam data est? cùm tot hominum millia accumberent: cùm ipse epuli dominus Quintus Arius albatus esset, tu in templum Castoris te cum Cajo Figulo atrato, cæterisque tuis furiis funestum intulisti. Quis tum non ingemuit? &c. Hunc tum morem ignorabas? nunquam epulum videras? nunquam puer, aut adolescens inter coëvos fueras? Fausti adolescentis nobilissimi paulò ante ex epulo magnificentissimo famem illam veterem tuam non expleras? quem accumbere atratum videras dominum cum toga pulla & ejus amicos ante convivium? Quæ te tanta tenuit amentia, ut tu, nisi id fecisses, quod fas non fuit, nisi violasses templum Castoris, nomen epuli, oculos civium, morem veterum* (hinc constat morem hunc fuisse vetustum) *ejus qui te invitarat auctoritatem, partim putares testificatum esse, supplicationes te illas non putasse.* Ex gravi hac Ciceronis invectiva satis constat, Romanos veteres convivia iniisse albatos, ita ut nephas ducerent pullatum, seu atratum in convivio etiam funebri accumbere. Idem color albus & Japponiis adhuc hodie in luctu est usitatus. Sidonius quoque Apollinaris ad hunc albarum vestium in exequiis, epulisque exequialibus usum alludit lib. 5. *epist. ad Aumasium*: *Nam libenter*, inquit, *incedunt armati ad epulas, albati ad exequias, pelliti ad ecclesias, pullati ad nuptias, castorinati* (castoriis pellibus induti) *ad lætanias.* Plutarchus testatur in *problematis*, fœminas antiquitus in luctu vestes, vittasque albas gestasse (qui hodie reginarum Galliæ lugentium mos est, teste Polyd. Virg.) & Argis quoque, teste Socrate, albas vestes aqua elutas, in luctu gestare fuisse solitas. Ibidem cadaver quoque defuncti albo tegmine involutum fuisse scribit. Apud Græcos, ut scribit Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 7. sed sine auctore, fœminæ, virique in candida veste cum coronis, amplissimi viri exequias prosequuntur, & veluti in luctu publico complorant promiscuè. Quod fuit in more Syracusanis, qui candido amictu velati, & fronte coronati, Timoleonem extulere. Sicyonii similiter Aratum in veste alba, & coronis sepulchro intulere. In Imperatorum Romanorum funeribus, vestes albas adhibitas fuisse, Plutarchus & Herodianus testantur. Colorem antiquitus album matronis in luctu fuisse usurpatum, Scaliger quoque testatur lib. 3. *Poët.* Sic Blondus quoque Forojuliensis lib. 2. *Romæ triumphantis*, & Urbinas ille, qui libros *de Inventoribus rerum* scripsit, & alii non indocti viri, nulla temporum adhibita distinctione, in luctu antiquas mulieres, albas semper vestes usurpasse existimant. Verùm hos errare, & pullas, fuscas, nigras seu atras (quas *anthracinas* Varro vocat, quasi dicas *carbonarias*) antiquissimis temporibus fuisse lugentium vestes, Hieronymus Magius lib. 3. *Miscell.* cap. 14. veterum quorundam auctoritate probat. Varro *de Vita patrum*, ut apud Nonium legitur, de muliere, *Propinquæ*, inquit, *adolescentulæ, etiam adolescentuli proximi amiculo nigello, capillo promisso sequuntur luctum.* Idem: *Ut dum supra terram essent, ricinis lugerent, funere ipso pullis palliis amictæ.* Erat autem *ricinum*, ut Nonius ait, quod sua ætate *masurtium* dicebatur, palliolum fœmineum breve, cujus formam appingit ipsemet Varro lib. 4. *de lingua Latina.* Apuleius lib. 4. *de Asino aureo*: *Umbrosum*, inquit, *demonstrat cubiculum, matronam flebilem, fusca veste contectam.* Eadem quoque apud Græcos consuetudo fuisse videtur: siquidem Iphigenia Euripidis Clitemnestræ matri injungit, ne suam ob mortem crinem laniet: idemque ut suis renunciet sororibus, scilicet ne quando nigris vestibus membra contegant. Unde & Homerus Il. lib. 24. Thetim futuram filii necem deflentem, velo nigro tectam Jovem adire facit. Niger enim color mortalis est, ut inquit Hippocrates in lib. *de Morbo sacro*, sive quisquis ille fuit, qui librum illum conscripsit, quem Galenus Hippocratis esse negat. Theocritus in epitaphio Adonidis, Venerem cyaneâ stola indutam, ad lugendum Adonidis mortem invitat. Nigrarum vestium mos apud mulieres Romanas mox obsolevit, ut Plutarchi testimonio intelligitur. Deinde moribus depravatis, & viros albas vestes in luctu usurpasse, colligere possumus ex his Julii Pauli verbis lib. 1. *Sententiarum*, sub titulo *de Sepulchris & lugendis. Qui luget*, inquit, *abstinere debet a conviviis & alba veste.*

In cœnis funebribus albati accumbebant.

Balnea ante epulas.

In exequiis atque luctu.

In cadaveribus involvendis.

Alia testimonia de vestium nigrarum usu in exequiis.

Livius scribit, in luctu matronas Romanas nihil aliud quàm purpuram aurumque deponere, quæ, cùm eluxerunt, resumunt. Dionysius Halicar. lib. 5. refert, Romanas matronas Valerium Publicolam Brutumquè luxisse annuum tempus, depositione auri & purpuræ, ut est illis luctus consuetudo in necessariorum cognatorumque funebribus. Alexander ab Alexand. lib. 5. cap. 18. scribit diebus natalitiis & Calendis Januariis, nonnunquam ludis Romanos albas lacernas prætextasque indutos incedere, & ludos spectare fuisse solitos. Nam in veste pulla ludis interesse Augustus prohibuit. Alexander Severus, teste Lampridio, cùm natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit, & ut se civiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam ejus vestem, cum qua constiterat, cruentavit. Lacernis candidis usos fuisse Romanos in spectaculis, ex illis Martialis carminibus constat, quibus ille perstringit Horatium, qui nigra lacerna spectaculis interfuerat,

In natalitiis.

In spectaculis.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cùm plebs, & minor ordo maximusque
Sancto cum duce candidus sederet
Toto vix cecidit repentè cœlo,
Albis spectat Horatius lacernis.

Augustus, teste Suetonio, habitum vestitumque pristinum reducendi studiosus, visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans ait: *En Romanos rerum dominos, gentemque togatam.*

Negotium ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circove, nisi positis lacernis, togatam consistere. Item, *Sanxitque ne quis pullatorum media cavea* (theatrali consessu, ubi populus spectavit) *sederet.* De lacerna candida amphitheatrali, vide plura apud Lazium lib. 18. cap. 10. *Com. Reip.* Plutarchus in *Æmilio* de Triumpho P. Æmilii verba faciens, dicit: *Omnes* καθαραῖς ἐσθῆσι κεκοσμημένους, id est, *albis vestibus indutos spectasse.* Fuit candidarum vestium alios quoque apud Romanos frequens usus, tales enim erant vestes castrenses, sacerdotales, atque muliebres.

In militia. De castrensibus Trebellius Pollio in *Galeno* sic scribit: *Jam primum inter togatos patres & equestrem ordinem, albatos milites* (albis vestibus indutos) *& omni populo praeunte.* Sic *candidatos milites* Vegetius rei militaris vocat principales, qui privilegiis muniuntur.

In sacris. Vestimenta sacerdotalia similiter linea fuerunt & alba pretiosa, nullo infecta colore, pura. Virgilius *Æneid.*

Procedunt castris, puraque in veste sacerdos.
Ovidius, *Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.*
Juvenalis, *Cum grege linigero circundatur, & grege calvo.*
Martialis, *Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba.*

Sic Flamen, ut Varro tradit, cùm Jovi sacra ferebat, totus albatus erat, & pileum etiam gestabat album. Suffibulum. Item virgines Vestales suffibulo amictæ sacrificabant. Fuit verò *suffibulum* vestimentum album, prætextum, quadratum, oblongum, quod illæ in capite habentes sacrificabant, idque sub mento fibula comprehendi solebat, unde nomen, Pierius lib. 40. *Hieroglyph.* De calceamentis sacerdotum Romanorum, Atheniensium, & Alexandrinorum candidis, vide Lazium lib. 8. cap. 13. *Com. Reipu. Rom.* Talis Ægyptiorum quoque sacerdotum vestitus fuit, de quo Herodotus sic scribit: *Sacerdotes linea ferunt vestimenta induti, semper recens abluta, huic rei semper vacantes.* Iidem calceos papyraceos gestabant. Plinius testatur lib. 9. vestes sacerdotibus Ægyptiis lineas gratissimas esse eo genere lini, quod *gossypon* & *xylon* vocant, unde dicta *xylina*, quibus nulla sunt candore mollitieve præferenda. Apuleius cæremonias Ægyptiorum explicans, *Influunt*, inquit, *turbæ sacris divinis initiatæ, viri fœminæque omnis dignitatis, lineæ vestis candore puro luminosi.* Ab hac veste linea Poëtæ *linigeros* vocant Sacerdotes Isidis Deæ Ægyptiorum. Pierius tamen, nescio quo auctore, *Sacerdotes*, inquit, *Ægyptii contra nostrorum mores cum supplicabant, nigris utebantur vestibus, neque alias quàm nigras vestes eum decere arbitrabantur, qui Diis preces allegaret: quippe ut forma ipsum supplicare confirmarent, ex qua mortales conformati sumus. Ea autem apud ipsos nigra figurabatur.* De Ægyptiorum Sacerdotum calvorum vestitu atque habitu candido, vide plura apud Apuleium libro secundo & undecimo. Poteris hunc habitum, ut Beroaldus facit, cum habitu sacerdotum nostri temporis conferre. De vestibus religiosis, & sacerdotalibus Judæorum, vide Beroaldum in Suetonio ex Hieronymo.

Ægyptiorum sacerdotum vestitus.

Vestes muliebres. Linum candidum. Muliebria quoque vestimenta linea atque alba Romanis fuerunt probata, ut testatur Lazius libro octavo *Commentariorum* capite primo. Unde proverbium: *Linum candidum lucri causa ducis, in eum qui dotis causa ducit vel deformem, vel anum. Linum autem vocat uxorem, vel quòd apud veteres solæ mulieres lineis uterentur,* &c. Erasmus in *Adagiis.* Turnebus in suis *Advers.* in illum Horatii versum: *Mirator cunni Cupennius albi: Ex pudenda*, inquit, *parte mulierem intelligit, ex albo ingenuam: in ingenuis autem stupra legibus vindicabantur, non item in libertinis. Ingenuæ autem mulieres albatæ erant, libertinæ atratæ, nobiliores purpuratæ. Unde Artemidorus:* καὶ εἰ μὲν ἡ χλαμὺς εἴη λευκὴ, ἐλευθέρων ὁ ἰδὼν γαμήσει, εἰ δὲ μέλαινα, ἀπελευθέρων, εἰ δὲ φορφυρᾶ, εὐγενεστέρων ἑαυτοῦ· *sic enim conjicit, somnia illa & visa Artemidorus, quòd his essent solitæ uti vestibus ingenuæ, libertinæ, & nobiles.*

In manumissionibus. Præterea vestis candida apud eosdem manumissionis quoque insigne fuit. Moris enim erat Romæ, ut servi facti liberti candidati ad cœnam domini sui admitterentur. Hoc perspicuè docet Tertullianus libro *de Resurrectione carnis*, his verbis: *Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris, quia eadem caro, atque anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & stigmatibus obnoxiæ retrò fuerant: idcircone illa eadem pati oportebit? non opinor. Atqui & vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu mensaque honoratur.*

In magistratuum petitione. Magistratuum petitores cur toga candida induti fuerint. Adhæc candida vestis signum erat petitionis honorum atque magistratuum, quorum petitores candida toga induebantur, ac proinde dicebantur *candidati*: unde *ambitio cretata* eleganter a Persio dicta est. Hoc autem ideò factitatum esse Plutarchus in *problem.* existimat, ut magistratu dignos non genere, non divitiis, non gloria, sed vulneribus, & cicatricibus indicarent, quæ ut ab his conspicerentur, quos ambiendo prensabant, in toga candida ad petendum descendebant: vel quia corpus nudando, ac seipsos submittendo populum captabant. De toga pura, qua tyrones, novæque nuptæ induebantur, suprà dictum est: de qua Cælius libro 14. capite 16. quibus adde, quæ Calcagninus annotat: Toga pura. *Pura toga*, inquit, *quam exeuntes pueritiam adolescentes induebant non sine parentum hilaritate, fuit colore vel simplici, vel candido, aut in candoris animi testimonium, aut quòd gerendis magistratibus jam idonea ætas videretur. Candidati enim magistratuum competitores comitia inibant. Vel certè, quòd nondum quicquam descriptione dignum gesserint. Nam sic & tyronibus prima stipendia facientibus, alba parma, & pura hasta tradebatur.* De hac pura veste, vide plura apud Bayffium *de Re vestiaria*, ubi probat, vestem καθαρὰν, id est, *puram*, pro candida a Plutarcho usurpari. Sic *album* vicissim, pro *puro* usurpatur: quia hic color est purissimus. Sic lintea vestis alba supra cæteras vestes inducta, puellaris ætatis indicium fuit, quòd eo genere amiculi apud veteres puellæ ante duodecimum

ἐσθὴς καθαρά.

decimum

decimum annum utebantur, Pierius. Toga, ut inquit Isidorus, candida, eademque cretata, in qua candidati, id est, magistratum petentes, ambiebant, addita creta, quò candidior, insigniorque esset. Persius huc alludens:

---- Quem ducit hiantem
Cretata ambitio, &c.

Quæ autem essent artes petitoriæ (Cicero *munus candidatorium* dixit pro officio & labore petitionis,) hoc est, candidatorum, docet Mamertinus in *Panegyr.* his verbis: *Quis ignorat tunc quoque, cùm honores populi Romani suffragiis mandabantur, multos fuisse candidatorum labores? ediscenda omnia nomina tribulium, homines singuli salutandi, prehensandæ obviorum manus, omnibus arridendum, multaque alia propter honorem adipiscendum agenda, quæ aliàs virum honore dignum facere non deceret.* Hinc *Cæsaris* sive *Principis candidatus*, proverbium de eo, qui inani quadam confidentia & securitate nixus, negligentiùs munus aliquod obit, de quo multa Cælius libro 14. capite 16. De iisdem Cicero in oratione, cui titulus est, *in toga candida*, quam dixit in Senatu in petitione consulatus, (hujus orationis meminit Beroaldus in Suetonium, & Cælius libro 14. cap. 16.) *olim tribuni legem promulgarunt, ne cui album vestimentum* (sic ille togam candidam appellat) *addere petitionis causa liceret*, sicuti tradit Livius in IIII ab urbe condita. Pierius tamen in *Hieroglyph.* suis lib. 40. *albam vestem modestiæ, animique sua sorte contenti signum esse* dicit: *purpuram autem ambitionis, animique sublimis, & vasti, amplitudinis, summique magistratus.* Hinc cum apud Alexandrum quidam Antipatri parsimoniam, atque modestiam commendaret: Ἔξωθεν, inquit, λευκοπόρφυρός ἐστι, τὰ δ᾽ ἔνδον ὁλοπόρφυρος. Cælius lib. 9. cap. 7. id est, *Foris albo utitur pallio, intus verò totus est purpureus, fictam notans in homine ambitiosissimo, qui maxima quæque appeteret, modestiam. Sic paries dealbatus Act. 23. & sepulchra dealbata Matth. 23. hypocritæ appellantur:* Hæc ille. Tales profectò erant Romani illi candidati, qui candida veste animi candorem atque modestiam, innocentiam præ se præferebant, cùm animi illorum essent purpurei, id est, ambitiosi atque sanguinolenti. Purpuram autem Romanorum quoque magistratuum insigne illud Martialis indicat:

Vestis linтea alba.

Proverbium.

Artes petitoriæ.

Paries dealbatus Act. & sepulchra dealbata Matth. 23. quid denotent.

Purpura.

Divisit nostras purpura vestra togas.

Et ab eodem *purpura* usurpatur pro magistratibus,

Purpura te felix, te colit omnis honos.

Plinius lib. 10. de Gallis, *ut planè dignè alti honoris tantum præbeat Romana purpura*, id est, magistratus Romanus. Hinc perfidi quoque Judæi Christum per ludibrium πορφύραν, id est, *purpura*, ut Marcus, inquit, sive, ut Joannes loquitur, ἱμάτιον πορφυροῦν, id est, *veste purpurea* induerunt, cùm ille sibi verè, illorum autem opinione falsò, regiam dignitatem assignaret. Fuit simul sanguinis illius effundendi symbolum. Eam vestem *chlamidem coccinam* Matthæus appellat. Coccina tunica prælii futuri signum fuit Romanorum Imperatoribus, teste Plutarcho in *Fabio.* Sic quoque vestis Christi coccina, fuit signum prælii, quo Christus cum diabolo, morte atque peccato erat dimicaturus. Fuit etiam vestis purpurea, vestis triumphalis, ut Bayffius ex Plutarcho probat. Fuit ergo illius simul futuræ victoriæ atque triumphi symbolum. Purpuræ appellatione coccum non contineri Bayffius ex Ulpiano probat, unde Euangelistæ videntur a se invicem diffidere, quorum unus, Matthæus nimirum, coccinam, reliqui duo purpuream illam Christi vestem fuisse affirmant, quam rem Sorbonicis Theologis dijudicandam relinquit. Vestem purpuream a coccina differre Brodæus probat lib. 1. *Miscell.* cap. 8. *Coccos enim*, inquit ille, *est surculosus parvus frutex, cui grana seu lentes adjacent, teste Dioscorid. lib. 4. & Clusio de plantis Hispanicis. His colorem coccineum fieri, eoque infecta vestimenta coccinea appellari puto. Purpura autem, ut fatentur omnes, piscis est e concharum genere, qui florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habet faucibus.* Mihi quidem Matthæus colorem (est enim coccineus color idem ferè cum purpureo) reliqui duo materiam videntur expressisse, ut etiam Rondeletius sentit in sua *Historia piscium.* *Candidati* autem eleganter dicuntur petitores non solùm magistratuum, sed aliarum quoque rerum. Sic a Quintiliano *candidatus eloquentiæ*, a Plinio in *Panegyrico*, *candidatus gloriæ, & immortalitatis*: ab Hieronymo *candidati fidei*, catechumeni, qui ad fidem instruuntur, & *munerarius pauperum, & egentium candidatus*: & ab Apuleio lib. 1. *de asino*, *candidatus cruci*, hoc est, qui crucem petit, sive qui jam jam est futurus crucifixus, & (ut veteres loquebantur) *directus*, ut C. Rabirius ille, pro quo Ciceronis extat oratio: a Plauto *crucisalus* dicitur, quasi in crucem saliens: & Libertus Icelus a Suetonio, *summus equestris ordinis candidatus*: a Seneca homo *multarum rerum candidatus* appellatur, a quo *fortunæ comitia* dicuntur. Sic a Tertulliano simili translatione perelegantissimè, *æternitatis candidati* appellantur Enoch, & Elias, libro *de Resurrectione carnis*, & *candidatus timoris*, qui paulatim timorem Domini imbibit, libro secundo *ad Uxorem*, & *candidati diaboli* dicuntur, qui idololatricis sacris sunt initiati, libro *adversus Marcionem.* Idem in libro *de Baptismo*, Baptismum pœnitentiæ, *quasi candidatum remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ* vocat. *Nam quod prædicabat* (scilicet Joannes Baptista) *Baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enunciatum est. Siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur.* Ab eodem libro *de corona*, *candida salutis* & *candida martyrii* eleganter pro æternæ salutis præmio usurpatur. Item de S. Paulo verba faciens, dicit illum *gloriam carnis, notam circumcisionis, Pharisææ candidæ dignitatem, pro detrimento sibi deputasse*: ubi *candida* metonymicῶς pro ordine, sive honore videtur usurpari: vel forsan Pharisæi hypocritæ, qui a Christo dealbatis sepulchris comparantur, vestes albas seu candidas gestarunt. Verùm de vestitu Romanorum albo, plura tradit Justus

Purpura Christi.

Coccina tunica.

Euangelistæ de purpurea illa sive coccinea Christi veste conciliantur.

Vestis purpureæ & coccineæ discrimen.

Candidati, petitores non solum magistratuum, sed aliarum quoque rerum.

Candida salutis, martyrii.

Albus color in vestitu cur Romanis placuerit.

Lipsius *Elect.* lib. 1. cap. 13. lectu dignissima, quorum hæc est summa: Romanis in vestitu placuisse colorem album, sive quòd is, ut Plato vult, lætitiæ sit proprius: sive potiùs quia agrestis illa & prima gens, spretis accersitis coloribus, lanæ nativum retinuit, id est, album. Ita toga Romanorum alba & Tunica fuit, & Calcei & omnis cottidiana vestis. Togam albam fuisse, quam Græci λευκὴν, & ad discrimen prætextæ, ὁλολεύκην vocant, Titinnii, Plauti, Statii, Persii, Martialis testimoniis probat. At objiciat quis: *Si toga vulgò alba, cur, qui prensabant, induebantur toga candida, ut hac quasi nota intelligi & excerni possent a reliqua plebe?* Respondet, albi coloris togas vulgò fuisse, non candidi. Albus color nativus lanæ est: candidus propriè splendens ille, & qui est ab arte. Ideo Polybius aliquot locis λαμπρὰν dictam maluit petitorum togam, quàm λευκὴν: & Latine commodè *splendentem* dixerimus. Nam petitores non contenti insito lanæ colore, cretam addebant in vestem, ut splendesceret. Unde Isidorus, *Fit toga addito quodam cretæ genere candidior.* Objiciunt item de diebus festis, *Romani*, inquiunt, *saltem per dies festos in veste alba erant. Non ergo cottidianas vestes censendum albas.* Respondet, non aliud fuisse in eo more, quàm ut per dies privatim aut publicè lætos, togas recentes sumerent, & usu nondum sordidas aut obsoletas, qui mos planè geminus est moribus nostris. Nec verò Romani solum in lætitia aut in sacris adhibebant hunc colorem, sed etiam externi, id quod de Rhodiis Livii testimonio probat, & de Ægyptiis Suetonii in Vita Augusti. Propter has togas albas fullonum apud veteres creberrimus usus, rarior tinctorum. Fullonum, qui maculas scilicet & sordes e toga eluebant, & addito furfure ac creta iterum candidam faciebant. Alba igitur toga, & ea quamdiu in communi usu, discrimen nullum inter cives fuit a colore vestis, nisi quòd divites, munduli, elegantes semper in toga sua e fullone nivea: vulgus ferè sordidiores essent, & togis magis pallentibus, ac, ut propriè dicam, obsoletis. Ideo Seneca epist. 115. per sordidos intelligit vulgum. *Mirari*, inquit, *non debes, corrupta excipi non tantùm a corona, sed ab hac turba quoque cultiore. Togis enim inter se isti, non judiciis dissident.* Sed & viri illustres ac nobiles rei facti, per dies judicii sumebant hanc togam sordidam, posita nivea, ut miserabiliores essent in veste plebeia. Itaque rei *in sordibus esse* dicuntur aut *sordidati*: non *pullati*, ne quis erret, qui color tantùm funebris. Viri etiam graves ac rigidi non amabant eximium illum candorem. Unde simia ille apud Horatium,

Abi & candidi coloris discrimen.

Rhodii.

Fullonum apud veteres creberrimus usus.

Sordidi pro vulgo.

Reorum toga sordida.

Exiguaque toga simulat tesquore Catonem.

In toga duo amabantur. Toga mutata.

Duo enim lauti homines amabant in toga, laxitatem & candorem: spreverat utrumque Cato, arcta toga contentus & ea squallenti. Id enim Horatius *tesquorem* vocat, pro quò malè vulgò legunt *tentorem*. Postea mutata Republ. & labente imperio, toga quæ olim necessaria civibus, Imperatorum temporibus, ad paucos remansit & non nisi honestiores. Vulgus spreta ea, abiit ad Pænulas, lacernas aut tunicas solas, easque colore pullo, id quod statim sub Augusto cœpit. De pænulis, tunicis, lacernis, vide ibidem plura. Pereunte toga, interiit color albus, & pullo plebeio omnes vestes. Hinc discrimen natum inter cives, ignotum seculo priori, ut alii, *candidati*, dicerentur, *pullati*, alii. *Candidati* non ii, qui peterent (ut olim) sed honestioris ordinis cives. *Pullati*, infima plebs sive vulgus.

Pullati qui.

Naucratitæ vestibus albis usi fuerunt.

Vestium superstitiosarum apud ethnicos varii colores.

Porrò Naucratitas quoque, testis est Athenæus lib. 4. in Genethliis Vestæ Prytanitidis in Prytaneo epulantes, nec non in Dionysiacis & Panegyri Comæi Apollinis albis vestibus usos fuisse, quas suo quoque tempore *Prytanicas vestes* dicit fuisse appellatas. Cereris quoque initiatos candidis, ut Bellonæ nigris, & Saturni purpureis atque rubicundis vestibus indutos fuisse, Tertullianus testatur lib. *de Pallio*, his verbis: *Cur istas non spectas? vel illos item, qui novitate vestitus religionem mentiuntur, cùm ob cultum omnia candidatum & ob notam vittæ & privilegium galeri, Cereri initiantur: cùm ob diversam affectionem tenebricæ vestis & tetrici super caput velleris in Bellonæ montes fugantur: cum latioris purpuræ ambitio, & galatici ruboris superjectio, Saturnum commendat: cùm ipsum hoc pallium morosius ordinatum, & crepida Græcatæ Græcatim Æsculapio adulantur.* Alexander ab Alexand. lib. 6. cap. 19. Romanos scribit in toga candida ludos spectare solitos fuisse, & mulieres in veste alba Cereris sacrum facere solitas fuisse, ut tunc Diis gratum censerent, si a lætis, nec funere pollutis celebraretur. Et tamen, ut testis est Pierius, in *Hieroglyph.* apud Arcadas Cereri nigra vestis induebatur. Sic Falacralis Flamen, teste Pierio, nigro utebatur pileo: erat enim Plutonis, cui cùm immolabant, vestibus utebantur nigris, quem colorem ajunt diis inferis dedicatum.

Vestis candidæ præstantia.

Ex his, quæ adhuc dicta sunt, constat, vestes candidas apud Naucratitas, & præcipuè apud Romanos, non solùm in conviviis, verumetiam in sacris, in magistratuum petitione, in manumissionibus, in militia, in spectaculis, in triumphis, in nuptiis: in luctu quoque, & cadaveribus involvendi adhibitas & usurpatas fuisse. Ac omnino vestes albas sive candidas, in sacris pariter atque prophanis literis vehementer commendari constat, ceu insignia atque symbola, cùm virtutum, ut modestiæ, puritatis morum, innocentiæ, synceritatis, atque integritatis, tum felicitatis, beatitudinis, victoriæ, libertatis, lætitiæ atque gaudii. Hinc præter suprà commemorata exempla, Magi in Perside, teste Pierio, Deum ipsum non nisi albis vestibus delectari affirmabant. Et Plutarchus *problemate Romanorum* vigesimo sexto, Magos adversus Plutonem, & tenebras, lucido & illustri amictu se munivisse scribit. In somniis quoque candidæ vestis somnium pro felici augurio habetur. In sacris literis angeli semper candidati apparuerunt: id quod illorum cùm innocentiæ, tum beatitudinis est argumentum. Sic, ut ex plurimis unum proferam, gloriosæ Christi resurrectionis, quæ diaboli, mortis, atque peccati victrix extitit, primi testes atque præcones fuerunt angeli, albis vestibus induti atque ornati. Ejus rei testes sunt Matthæus vigesimo octavo, qui ἔνδυμα illius nivis instar λευκὸν fuisse dicit; Marci decimo sexto, qui illius στολὴν λευκὴν περιβεβλημένον, id est,

Angeli semper candidati apparuerunt.

stola

ſtola candida amictum fuiſſe perhibet. Et Joannis vigeſimo, qui duorum angelorum mentionem faciens, illos ἐν λευκοῖς, id eſt, *candidis* veſtibus indutos fuiſſe teſtatur. Chriſtus ipſe in monte Thabor ἱματισμῷ λευκῷ, *veſtitu candido*, inſtar lucis, ſive nivis, ſeſe diſcipulis ſuis conſpiciendum præbuit, qui cùm puritatis, tum victoriæ, atque beatitudinis æternæ fuit ſymbolum. Sic Apocalypſeos capite primo Chriſtus candidatus Joanni apparuit: *Veſtitus*, inquit, *erat* ποδήρη, ſcilicet ἐσθῆτα, *veſtem talarem*, ſive *ad talos uſque demiſſam.* ποδήρης Suidæ, χιτὼν ἕως τῶν ποδῶν, *tunica ad pedes uſque demiſſa.* Eucherio eſt ſacerdotalis veſtis lintea corpori penitus adſtricta, eademque talaris, ἀπὸ τῶν ποδῶν, appellata, quæ & *ſubucula* dicitur. Per hanc, teſte Pierio in *Hieroglyphicis*, quæ aliis ſubjiciebatur, doctrinam ſacratiorem intelligi, veteres Theologi tradiderunt. In Exodo, *Et fecerunt veſtimentum poderem ſub umbone, opus textile, totum hyacinthinum.* Sequitur apud Joannem: *Caput autem ejus, & capilli erant candidi velut lana alba, & tanquam nix.* Hic candidus, niveusque Chriſti habitus ſive veſtitus, eſt indumentum illud ſalutis & juſtitiæ, quo ut Iſaiæ ſexageſimo primo dicitur, ſponſam, id eſt, Eccleſiam ſuam veſtit, tegit atque ornat: eique ſuam imputando juſtitiam, & ſanctitatem, facit ut illa quoque alba & candida, id eſt, juſta coram Deo appareat, ſine ruga & macula, Epheſiorum primo: ſecundùm illud Iſaiæ primo: *Si peccata veſtra*, &c. Huc quoque facit ἐσθὴς λαμπρὰ, *veſtis ſplendida*, ſeu, ut vulgatus interpres vertit, *alba*, qua Chriſtus per ludibrium àb Herode fuit indutus. Illa enim revera argumentum fuit Chriſti innocentiæ, & regiæ dignitatis, Luc. 23. Forſan, ἐσθὴς καθαρὰ, & καθαρὸν ἱμάτιον, id eſt, *pura veſtis* a Plutarcho pro *alba* uſurpatur, ſicut Bayffius teſtimoniis quibuſdam probat: ſic λαμπρᾶς vocabulum eodem modo uſurpatur, niſi malimus purpuream veſtem intelligere, cujuſmodi veſte à Judæis per ludibrium fuit amictus. Apoc. 3. Laodicenſi eccleſiæ Deus ſuadet, ut veſtimentis albis ſeſe induat, ut non appareat dedecus nuditatis ejus, hoc eſt, ut Chriſtum vera fide induat, vitæ morumque candori, & ſynceritati ſtudeat. Et ab initio ejuſdem capitis, Sardenſis eccleſiæ nonnulli eſſe dicuntur, qui non inquinaverant veſtimenta ſua, & additur: *Et ambulabunt mecum in albis, qui digni ſunt. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ.* En hic quoque candida, inſigne eſt victoriæ, cœleſtis gloriæ & felicitatis. Et capite ejuſdem lib. 6. Martyribus dantur ſtolæ albæ, ceu inſignia illorum victoriæ, libertatis atque beatitudinis. Ab initio ejuſdem capitis equus albus inducitur, & eques ſeu inſeſſor ejus arcus, ac ſagittis armatus, & corona inſignitus ceu victor. Equus ille albus, (cujuſmodi erant quatuor illi equi candidi apud Romanos triumphalem currum ducentes) ut & corona, inſignia ſunt victoriæ, qua Chriſtus de omnibus hoſtibus ſuis potitur. Sic equi albi apud Virgilium cùm belli tum victoriæ ſunt inſignia. Sic enim Anchiſes loquitur *Æneid.* 3.

Quattuor hîc primum omen equos in gramine vidi
Tondentes campum latè, candore nivali.

Hoc Anchiſes interpretatur de bello,

Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Sed paulò poſt, pacem candidam ſignificare (*ſpes eſt pacis*) ait. Latenter oſtendit victoriam adepturos, ut Servius annotat. Huc facit illud Græcum: ἵππους μελαίνας οὐ καλὸν πάντως βλέπειν, ἵππων δὲ λευκῶν ὄψις ἀγγέλων φάσις. Hinc quoque natum eſt proverbium illud, *Equis albis præcedere*: & Plautinum illud, *Nunquam ædipol albis quadrigis indipiſcet poſtea*, de quo Eraſmus in *Adag.* Sic equi illi albi Zach. 6. Hieronymo interprete, Machabeorum ſub Antiocho Rege victoriam: aliis Judæorum felicem ſtatum ſub Macedonibus: aliis bonos angelos ſignificat. Virgilius tamen *Georg.* 3. album equi colorem deterrimum facit:

---- *Color deterrimus albis.*

Servius, *Atqui alibi ait*: *Qui candore nivis anteirent*; *Sed aliud eſt candidum eſſe, id eſt, quadam nitenti luce perfuſum, aliud album, quod pallori conſtat eſſe vicinum.* Judic. 5. v. 10. aſinarum candidarum fit mentio in illo Deboræ epinicio: *Qui aſcenditis aſinas candidas*: omnes ferè interpretes mercatores intelligunt, alii pingues, vel forſan quia aſinæ candidæ erant meliores, robuſtiores, agiliores. Apocalyp. quoque 7. electi omnium gentium innumerabiles coram throno cœleſti & agno ſtantes, inducuntur amicti ſtolis candidis, & ferentes palmas in manibus ſuis, Deum laudibus celebrantes. Et paulò poſt, *Hic ſunt, qui venerunt ex afflictione magna, & dilataverunt ſtolas ſuas & dealbaverunt eas* (hoc παράδοξον videtur mundo atque rationi) *per ſanguinem agni.* Hæ quoque ſtolæ candidæ martyrum & electorum, ſymbola ſunt illorum munditiei, juſtitiæ, libertatis, victoriæ, gloriæ, beatitudinis denique, quam agni illius immaculati, hoc eſt, Chriſti ſanguine fuerunt conſecuti. Hujus veſtitus typus & figura fuit veſtis aſperſa ſanguine hoſtiæ, de qua Levit. 16. Huc quoque referenda illa Tertulliani lib. 4. adverſus Marcionem: *Nazaræus vocari habebat ſecundum prophetiam Chriſti creatoris. Unde & ipſo nomine nos Judæi Nazaræos appellant per eum. Nam & ſumus, de quibus ſcriptum eſt, Nazaræi exalbati ſuper nivem. Qui ſcilicet retrò luridati delinquentiæ maculis & nigrati ignorantiæ tenebris.* Regius ille concionator capite nono ſui libri, dum morum candorem & animi puritatem perſuadere vult, *omni tempore*, inquit, *ſint veſtimenta tua candida*: quibus verbis, interprete Pierio in *hieroglyph.* præcipit, *nullam ætatem, nullum officium, nullum otium & negotium toto vitæ tempore ſynceritate & innocentia* (cujus ſymbola ſunt veſtimenta candida) *vacuum eſſe debere.* Hæc ille. Sic Hieronymus in ſuis *Eccleſ. Commentariis* interpretatur: *Habeto corpus mundum, & eſto miſericors.* Mihi quidem hoc ipſo in loco Solomon ſimul videtur alludere ad convivialem veſtitum, quem apud Judæos quoque (ut ex Philonis loco ſuprà citato videtur colligi poſſe) album fuiſſe veriſimile eſt. Nam & verſu proximè antecedente 7. panem cum gaudio comedendum, vinumque hilari corde bibendum eſſe præcipit: & mox verſu 8. veſtium albarum mentione facta, ſubjungit, *oleum ſuper caput tuum*

Mar. 9. Matth. 17. Chriſtus diſcipulis ſuis candidatus apparuit.

ὁ ποδήρης.

ἐσθὴς λαμπρά.

Equi albi.

Aſinæ albæ.

Stolæ albæ.

Nazaræi.

Loci Eccleſ. 9. interpretatio.

ne

ne deficiat: cujus quidem in conviviis quantus usus fuerit, tum dictum est, tum pluribus dicetur. Omnino ergo cùm vers. 7. præcepisset in epulis atque conviviis lætitiæ esse indulgendum, mox vers. 8. sequente, duo lætitiæ illius convivialis quasi signa seu causas effectrices subjungit, vestes nimirum albas atque oleum: quorum utrumque cùm lætitiæ partim significandæ, partim efficiendæ maximam vim habeat, in conviviis adhibitum & usurpatum fuisse legimus, uti suprà dictum èst. Simplex ergo sensus erit, sis semper lætus & hilaris: lautè vivito, genio indulge. Sisinnius Novatianorum Episcopus homo mollis & delicatus, cùm & bis in die lavaretur & candida semper veste uteretur, & ob id reprehensus esset a quodam, excusavit se cum hoc loco Ecclesiastis, tum Christi, Heliæ & Mosis exemplo, quos vestibus albis usos fuisse dicebat. Testis est Socrates lib. 6. cap. 22. Hieronymus lib. 2. epist. 14. *Vestes pullas æquè devita, ut candidas. Ornatus & sordes pari modo fugienda: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Cùm ergo vestes albæ non in prophanis solùm, verumetiam sacris literarum monumentis tantoperè commendentur, ceu maximarum & pulcherrimarum rerum symbola & insignia, mirum profectò non est, Christianos primitivæ Ecclesiæ easdem in sacris atque sacramentis suis usurpasse.

Ut igitur apud Romanos, sicut dictum est, magistratuum atque honorum petitores erant candidati, sic in primitiva Ecclesia Baptismi candidati (qui etiam *competentes* vulgò fuerunt appellati) cùm quadragesimæ initio nomina sua dedissent, & toto illo quadraginta dierum spacio atris vestibus, promisso capillo, in sordibus & squallore jacuissent, paulò ante Pascha lavabantur (quod Augustinus Epist. 118. ad Januariu& baptismum *antebaptismum* vocat) tandemque loti candidisque induti vestibus, ad Baptismum accedebant. Idem infantum quoque baptizandorum habitus fuit, de quibus eleganter Pontius Paulinus,

Baptizandorum vestis candida.

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos.
Infantes niveos corpore, corde, habitu.

(Quos tamen versus Pierius Fortunato tribuit) Et Lactantius in carmine de resurrectione dominica:

Rex sacer ecce tui radiat pars magna trophæi
Cum puras animas sacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque metus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

Meminit etiam Socrates lib. 7. cap. 17. candidæ hujus vestis, quæ dabatur baptizatis. Loti semel salutifero fonte, nunquam stolam candidissimam, quam suscipiunt in baptismate, inquinare docentur. Rabanus Maurus Moguntinus Episcopus lib. *de instit. cler.* 1. cap. 29. *Post baptismum traditur Christiano vestis, designans puritatem & innocentiam.* Nazianzenus in orat. *de Sancto lavacro*, illud dicit a Christianis variis nominibus appellari, nimirum δῶρον, χάρισμα, βάπτισμα, χρίσμα, φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα. Et paulò post, ἔνδυμα ὡς αἰσχύνης κάλυμμα, id est *ceu turpitudinis tegumentum.* Hinc Ammonius monachus lib. 3. *de gestis Francorum*, mentionem facit pueri occisi, qui adhuc, ut ille loquitur, *erat in albis regenerationis*, hoc est, qui recens erat baptizatus, nondum baptismalibus illis atque candidis vestibus exutus. Nam qui baptizabantur in vigilia Paschatis, incedebant veste candida induti per octo dies, ac vocabantur *albati*, sive *in albis*, atque octavo demum die vestem albam deponebant: quibus adde, quòd ut Tertullianus docet, lib. *de Corona militis*, ex ea die, qua erant baptizati, lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinebant. Et quoniam Paschatis hebdomada, antiquitus plures unà tingi consueverunt, ea de causa feriæ illæ, quæ ad hoc omnes institutæ sunt, & quæ subsequitur hebdomada atque dominica quam nos, *Quasimodo geniti* nominamus, *in albis* fuit appellata. Vestis hæc candida in baptismo symbolum erat cùm ipsius Christi, quem electi fide induunt, secundum Paulum Eph. 4. Col. 3. tum illius munerum, hoc est, justitiæ, vitæ puritatis & innocentiæ, (Tertullianus hoc *indumentum Spiritus sancti* vocat lib. *de pudicitia*) libertatis, victoriæ, gloriæ, immortalitatis, quam ex aqua & spiritu regenerati consequuntur, de quo pluribus disserit Ambrosius in lib. *de iis, qui initiantur mysteriis* cap. 7. Ut ergo olim apud Romanos candida vestis qua servi à dominis decorabantur, erat insigne illorum manumissionis: sic candida illa baptismi vestis signum erat illos ex manibus diaboli atque peccati immanissimis esse liberatos, ut posthac Deo ceu patrono suo fidelissimo, servirent vitæ puritate ac sanctitate. Præterea cùm candidus color olim victoriæ & triumpho fuerit consecratus, candida hæc vestis illos monebat, ut cogitarent sibi in hac vita ceu in militia perpetuo esse cum diabolo, peccato atque mundo dimicandum in Christo & vincendum.

Nomina sancti lavacri.

Paschatis hebdomada & dominica Quasimodo, in albis appellata. Vestis candida in Baptismo quale symbolum.

Jam vero in cœnæ quoque Dominicæ administratione album vestitum antiquitus adhibitum fuisse, ex illis Hieronymi verbis videtur colligi posse libr. *contra Pelagianos*: *Quæ sunt, rogo, inimicitiæ*, inquit, *contra Deum, si Episcopus, Presbyter & Diaconus & reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint.* Verisimile est cùm eos, qui sacrosancti illius epuli communione fruebantur: tum ejus administratores, hoc est, sacerdotes atque diaconos albas vestes gestasse. Harum autem vestium antiquarum vestigia sunt tunicæ illæ, quas *choro* & *albas* vulgò nominant, in quibus missa Paschatis tempore celebratur. Sic nos vestitum quidem veterum candidum retinemus, & imitamur: at religionis, morumque candorem integritatemque jam pridem amisimus: contrà vero τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα, ut Judas sua epistola loquitur, hoc est, *tunicam carnis contactu maculatam gestamus.*

Tunica choro appellata.

Cæte-

Cæterùm notandum eſt, veſtes albas eſſe duplices: alias, quæ nativo colore conſtant, qui *leucopus* dicitur: alias, quæ artificiali, quas volunt propriè *candidas* dici. *Leucopeati* dicuntur Martiali, qui rudiori alba veſte, ac vili, ac nativi coloris induti ſunt. Veſtes albæ duplices.

Verùm quoniam multa de candidæ veſtis uſu, dignitate, ſignificationeque myſtica dicta ſunt, de quo etiam Clementem Alexand. *pædagog.* lib. 2. cap. 10. legere poteris: conſideranda etiam nobis videtur ratio, cur veſtibus illis tantum a veteribus tributum fuerit. Ea peti poteſt ab ipſius coloris albi ſive candidi vi atque natura. Nam cùm is color, ſecundùm Plutarchum *problem.* 26. maximè ſit naturalis, ſimplex, purus, ſyncerus, lucidus, atque perſpicuus, ut qui lucis plurimum habet (unde λευκὸν, *album*, mihi ἀπὸ τοῦ λεύσειν, id eſt, *videndo* videtur dictum) mirum profectò non eſt, illo (uti etiam lumine, cui maximè eſt affinis, atque cognatus) cùm mores ingenuos, puros, ac ſimplices: tum lætitiam, libertatem, victoriam, felicem denique quemvis rerum ſtatum atque conditionem, in prophanis ſacriſque literis ſignificari: ac proinde veſtes aliaſque res colore illo imbutas, in tanto fuiſſe apud veteres pretio & honore. *Album*, inquit Pierius in *Hieroglyph.* *eſt prima veluti materia quædam, in quam colores, quotquot volueris, perinde ac in univerſalem illam poſſis omnes ſpecies inducere.* Hinc ad Dei cultum alba plurimum indumenta, omnium penè nationum conſenſu adhiberi ſolent: ſemperque albus color ſacris accommodatur. Atque ideò ait Perſius: *Quamvis albata rogarit.* Sed quid indigemus Perſio, ſi Servatoris noſtri indumenta, cum gloriam ſuam vellet diſcipulis patefacere, alba ſicut nix apparuêre? Apud Ciceronem 2. *de Legibus*: *Color albus præcipuè decorus Deo eſt, tum in cæteris, tum maximè in textili. Et noſtra pietas canit, ut lineas, eaſque puriſſimas induti tunicas, ſacra Deo caneremus.* Plato ſimiliter colorem album vult lætitiæ eſſe proprium, atque deorum. Hinc veteres, teſte Platone, & Plutarcho, niveo ſplendore ſpectabiles, ut deorum venerabantur filios. Cœlius lib. 24. Cap. 26. *Album porrò & candidum pro bono: ut atrum & nigrum pro malo, paſſim accipitur.* Juvenalis *Satyra* 3.

Cur veſtes aliæque res albo colore imbutæ, in tanto fuerint apud veteres pretio atque honore.

Coloris albi ſignificationes allegoricæ.

----- *Maneant qui nigrum in candida vertunt.*

Id eſt, vitium in virtutem: virtutem in vitium, qui ſecundùm Terentium in *Phorm.* recta prava faciunt: ſecundùm Iſaiam, bonum malum: dulce amarum, & contrà, dicunt. Perſius:

Per me equidem ſint omnia protenùs alba, id eſt, bona.

Ovidius, *Candida de nigris, & de candentibus atra.*

Horatius, *Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.*

Candidus ſermo, λευκὸς λόγος, id eſt, *perſpicuus*: & φωνὴ λευκὴ, *vox candida*, quæ facilè hominum aures penetrat: & λευκότερον εἰπεῖν, *rem clariùs explicare.* Sic apud Senecam Aſinius Pollio Albutii ſententias *albas* appellavit, quòd eſſent apertæ. Eraſmus in *Adag.* *Avis alba*, pro re nova & auſpicata Ciceroni *epiſt. fam.* lib. 7. Sic *albæ gallinæ filius* Juvenali, hoc eſt, feliciter natus (cui contrarium apud eundem: *Nati infelicibus ovis*) quia Latini læta, & auſpicata, *alba* vocant: ut contrà inauſpicata, *nigra* & *atra*: Eraſmus in *Adag.* Cicero, *Nec minus niger*, inquit, *nec minus confidens, quàm ille, pro Cæcinna de teſte Sexto Clodio.* Horatius in *Sermonibus*,

Sani, an creta, an carbone notandi.

Quem imitatur Perſius in 5. *Satyra*,

Quæque ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim:
Illa prius creta, mox hæc carbone notaſti.

Sic *candido calculo, lapillo*, aut *creta*: aut contrà *nigro lapillo notare*: de quibus Eraſmus in ſuis *Adagiis.* *Dies albus*, & *alba faba*, ibidem. *Albi calculi*, abſolutorii: *nigri*, damnatorii in proverb. λευκὴν ψῆφον προσθεῖναι, id eſt, *album calculum addere*, id eſt, approbare. *Novit quid album, quid nigrum*, id eſt, recti, pravique diſcrimen. *Vultu mutabilis, albus & ater*, id eſt, & bonus & malus eſt. Horatius in extrema epiſtola:

------ *candidum Pauperis ingenium.*

Idem Ode 11. *Epod.* Sic paſſim *candor*, pro integritate animi: & *candidus homo*, pro ſyncero, & ingenuo uſurpatur. Pythagoras ajebat, id quod eſſet colore candido, ad boni naturam: quod colore atro, ad naturam mali pertinere, ut Eraſmus annotat in proverbia illa: *Creta notare*, id eſt, approbare: *Carbone notare*, id eſt, damnare. Verùm hæc ſatis ſint dicta de albi coloris vi, natura, dignitate atque præſtantia, ejuſque ſignificatione allegorica, de qua multa paſſim in ſacris & prophanis literis occurrunt, in quorum explicationem forſan non injucundam & inutilem delapſus ſum, occaſione veſtium candidarum, quarum olim in conviviis atque etiam in reliqua vitæ humanæ conſuetudine creberrimus & frequentiſſimus uſus fuit, ut ex ſupra commemoratis teſtimoniis & exemplis ſatis patet.

CAPUT XXVII.

PLURA DE CERTIS QUIBUSDAM VESTIUM EPULARIUM GENERIBUS. DE MORE VETERUM CALCEOS SOLEASVE ANTEQUAM ACCUMBERENT DEPONENDI. DE CALCEORUM QUATENUS VEL INDUI, VEL DETRAHI ATQUE DEPONI SOLENT, SIGNIFICATIONE SYMBOLICA, DE EORUNDEM ABUSU MOLLI ATQUE LUXURIOSO.

Vestium apud Romanos genera.

Nunc ut alia quoque, quæ ad convivialem habitum pertinent, persequar. Observandum Imperatorum quoque temporibus cœnatorias vestes apud Romanos fuisse in usu. Aliæ namque illis erant vestes militares, aliæ domesticæ, aliæ forenses, aliæ cœnatoriæ. *Militares*, ut saga, quibus in bello utebantur: *Forenses*, quibus in foro: *Domestica*, quæ erant vestes quædam viliores, quibus domi utebantur. Tullius 2. *de finibus*: *Aut enim ut vestitum, sic sententiam habeam, aliam domesticam, aliam forensem.* Et Plutarchus in *Sylla*: *Vestem aliam cùm domi maneret: aliam cùm in forum descenderet vel procederet, scilicet gerat.* Suetonius in *Augusto*: *Veste non temerè alia, quàm domestica usus est, ab uxore, & sorore, & filia, neptibusque confecta.* Et paulò post: *Et forensia autem, & calceos nunquam non intra cubiculum habuit, ad subitos, repentinosque casus parata.* Cœnatoriæ denique vestes erant, quibus in cœna utebantur, quas antequàm accumberent, cum togis mutabant. Harum in vitis Imperatorum crebra fit mentio. De Adriano Imperatore sic scribit Dion Cassius Nicæus: *Hic aliquando*, inquit, *pervesperi cùm domum rediret, audivissetque eum cui patrocinium quandoque pollicitus fuerat, causam agere, in veste cœnatoria, quam tunc habebat, judicium ingressus est.* Sic Maximinus, teste Julio Capitolino, cùm puerulus ad cœnam ab Alexandro esset rogatus, in patris honorem, quòd ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit. Huc quoque facit illud, quod Ælius Spartianus scribit, Adrianum Imperatorem senatores, & equites Rom. semper in publico togatos esse jussisse, nisi si a cœna reverterentur. Tunc enim licuit illis cœnatoriis uti vestibus, quibus ipsis, uti jam duobus locis probatum est, induti a cœna domum revertebantur. Quæ illarum fuerit forma, non intelligo. Aliquando trechedipna, aliquando pallia, aliquando togas, nonnunquam etiam lænas inter cœnatorias vestes numerari reperio. *Trechedipna*, de quibus Turnebus in suis *Adversariis* apud Juvenalem in illum versum:

Cœnatoriæ vestes.

Rusticus ille tuus sumit Trechedipna Quirites,

Trechedipna ibi existimat intelligi jocoso vocabulo gymnasticas vestes (quæ aliàs *Endromides* dicuntur) nomen habentes a cursu & cœna, ut perstringat rusticos Romanos acriter, qui tam dediti fuerunt gymnasticis & græcanicis exercitationibus, ut iis prope vitam & spiritum ducere viderentur, ad easque tanquam ad cœnam currerent: qua veste etiam esuritores fortasse Græculi ad cænam cursitantes uti solebant. De hac voce supra quoque quædam dicta sunt.

Pallia, ut apud Ciceronem: *Iste cum pallio, purpura, tunicaque talari versabatur in conviviis.* Martialis,

Ad cœnam venies, sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.

Sic in apophoretis, ubi in lemmate est *cœnatoria*, Bayffius *pallia* subaudiendum esse dicit. Idem auctor in lecto palliis Romanos usos fuisse his testimoniis probat. Ovidius in *amoribus*,

------ *Nec in lecto pallia nostra sedent.*

Martialis: *Gutta pallia nec fefellit ulla.*

Juvenalis in sexta,

------ *tunc corpore sano*
Advocat Archigenen, onerosaque pallia jactat.

Proverbium.

Ælius Spartianus Adrianum Imperatorem scribit, *in convivio semper discubuisse aut pallio tectum, aut toga submissa.* En hìc pallii simul, & togæ fit mentio. Sic Spartianus in vita Severi Septimii: *Habuit etiam illud omen Imperii, cùm rogatus ad cœnam imperatoriam, palliatus venisset, qui togatus venire debebat, togam præsidiariam ipsius Imperatoris accepit.* Pallia autem tunicæ imponebantur, ut ex proverbio liquet: *Tunica pallio proximior.* pallium fuit vestis Græcorum propria. Unde Suetonius in *Augusto*: *Sed cæteros continuos dies inter varia munuscula, togas insuper, & pallia distribuit, lege proposita, ut Romani Græco: Græci Romano habitu uterentur.* Idem auctor de C. Julio Cæsare: *Convivabatur assiduè*, inquit, *per provincias duobus tricliniis: uno, quo sagati*, (id est, milites: sagum enim erat militare vestimentum) *palliative* (id est, Græci, & alii peregrini, qui pallio honestiore vestis latæ diffusæque genere utebantur,) *altero, quo togati*, (id est, Romani,) *cum illustrioribus provinciarum discumberent.* Verùm pallium Philosophorum quoque vestem fuisse, & illo nomine communia vestimentorum genera, viris & fœminis promiscua, nonnunquam intelligi, Bayffius in suo libello *de re vestiaria* probat. De pallii, inter Christianos ceu veros Philosophos, usu, vide apud Tertullianum

Pallium, vestis Græcorum propria.

Pallium vestis philosophorum.

Pallii inter Christianos usus.

tullianum lib. *de pallio*, in quo pluribus vestem illam commendat. Hinc proverbium, *de toga ad pallium*, de commutatione vitæ splendidæ cum frugali: & magnarum opum, cum paupertate, quod inde natum est, quòd illi, qui paganismo relicto, Christianam religionem amplexi erant, simul toga relicta pallio vestiebantur. Proverbium.

Quò ad lænas, illarum quoque in conviviis usum fuisse, ex illis Auli Persii versibus constat, satyra I.

Hic (scilicet inter pocula, ut paulò ante dixit) *aliquis, cui circa humeros hyacinthina* (violacea) *læna est.* Lænæ.

Sic Bayffius quoque Romanos usos fuisse lænis cœnatoriis pallii vice, his testimoniis probat, Juvenalis *Satyr.* 5.

- - - - plurima sunt quæ
Non audent homines pertusa dicere læna.

Martialis de Lusco conviva furacissimo.

Et tectus lænis sæpè duabus abit.

Χλαινοδύτης, ut & λωποδύτης fur vestium dicitur, cujusmodi Luscus ille fuit. In sacrificiis quoque læna usos fuisse, Tullius in *Bruto* his verbis indicat: *Licet etiam aliquid de M. Popilii ingenio suspicari, qui cum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contrà patres concitatione, & seditione nunciata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque cùm auctoritate tum gravitate sedavit.* Læna vestis genus fuit, villorum crassitudine calefaciens, chlamydem dicunt, quam χλαῖναν vocant, ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν, quod significat *tepefacere.* Varro *lænam* a *lana* vult dictam. Porrò cœnatorias illas vestes exeuntibus e balneo dari solitas fuisse, ex illis Ciceronis verbis videtur colligi posse in Vatinium: *Cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla unquam data est?* Sic, ut supra dictum, ex sancto & salutari illo balneo exeuntibus, hoc est, baptizatis candida vestis dari consuevit. Læna unde dicta.

Præterea Romanos legimus veteres, consuevisse calceos in triclinio sive soleas ponere antequam accumberent, ne videlicet lectos conspurcarent: id quod ex multis literarum veterum locis constat. Horatius *Satyr.* lib. 2. *Satyr.* 8. de Nasidieno inter cœnam surgente, Romani calceis non sunt usi, sed soleis.

Et soleas poscit: tum in lecto quoque videres. Mos soleas ante accubationem deponendi.

Ex hoc loco, inquit Lambinus, *intelligere, & colligere licet, convivas soleas ponere solitos antequàm accumberent.* Sic apud Plautum, Dinarchus in *Truculento*,

- - - - jam rediit animus: deme soleas; cedò vinum.

Hoc est, detrahe soleas, ut rursus accumbam, ut apud Terentium, *& soccos detrahunt.* Et paulò ante, cum idem discessum simularet,

Cedò, inquit, soleas mihi, properate, aufferte mensam.

Hinc quoque colligimus apud veteres, ubi e lectis surrexerant, in quibus accubuerant, mensas removere solitos, Virgilius,

Postquàm exempta fames epulis, mensæque remotæ.

Martialis, *Deposui soleas, adfertur protinus ingens,*
Inter lactucas, oxygarumque, liber.

Plinius epist. 17. lib. 9. *Quàm multi*, inquit, *cum lector, aut lyristes, aut comœdus inductus est, calceos poscunt, aut non minore cum tædio cubant, quàm tu ista (sic enim appellas) prodigia perpessus es.* Similis moris apud Græcos argumento sunt illa Aristophanis in Vespis.

Εὐθὺς, ἀπὸ δορπηστοῦ, κέκραγεν ἐμβάδας.

Hoc est, *Statim à cœna clamore postulabat crepidas.* Idem colligi potest ex illa pictura antiquitatis, cujus Philander in suis commentariis in Vitruvium meminit, quæ est hujusmodi: *Romæ*, inquit, *in ædibus Mastæi, & Marsæi Sassii visuntur marmora, ubi sunt lecti duo decubitorii, cum mensa una. In uno sedet vir seminudus, supposito humeris pulvino: ad ejus genua est & alter seminudus, pronus, innixus cubito. Juxta secundum lectum, stat promissa barba ventrosus senex* (Silenum esse crediderim) *cui soleas nudus juvenis, & taciturno demit. Ponè verò alius nudus inclinabundum sustinet, donec detrahantur.* Extat ejusdem Martialis jocus in Cottam, qui soleas amisit pueri negligentia, dum cœnaret,

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

Horatius epist. lib. I. ad Vinnium:

Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.

His addi possunt ea, quæ Cassaubonus scribit in Commentariolo ad Theophrasti *characteres*, Veteres Græcos, Spartanos, & Athenienses non semper calceatos fuisse, sed ἀνυποδήτους, id est, *excalceatos*, quòd Oppianus in venatoris institutione jubet cum nudis pedibus ad venationem ire. Soleas autem, teste Gellio libro 13. capite 20. dixerunt omnia fermè id genus, quibus plantarum calces tantùm infime teguntur, cætera propè nuda, & teretibus habenis juncta sunt (unde à Græcis ὑποδήματα videntur dicta) nonnunquam voce Græca *crepidulas*, & *crepidas*, quas Græci κρηπῖδας vocant: cujus sutores *crepidarios* dixerunt. Hæc ille. *Solea* Festo ea dicitur, quæ solo pedis subjicitur. Hinc *solearii*, id est, solearum confectores Plauto, ut *calcearii* calceorum: & *soleati*, hoc est, soleis induti. Ab hac voce *solea*, cùm Gallicum *soulier*, calceum significans, Soleæ quid & unde dictæ.

nificans, (*Gallicas* quoque Gellius novo vocabulo ſoleas ſeu crepidas appellatas fuiſſe teſtatur) tum Germanicum Solen / hoc eſt, planta pedis, cujus ſolea tegumentum fuit, procul dubio derivantur. *Soleæ* forſan a *ſolo*, quòd calcant: ut *calceus*, *calceamentum*, *calceamen*, *calceatus*, *calcearium*, *a calce*, id eſt, poſtrema parte pedis, qui & pes imus dicitur. Simile quid huic ſolearum depoſitioni videtur eſſe, quòd mulieres apud nos in Germania, antequam menſæ aſſideant, ſolent ſandalia ſive crepidas, quas Pantoffeln Germani & Galli vocant, prius deponere. Soleatos autem per urbem ingredi Senatores, olim vitio datum eſſe, conſtat ex Titi Caſtritii Rhetoris verbis, qui Adriani Imperatoris temporibus floruit: ea citantur a Gellio: *Cùm*, inquit, *diſcipulos quoſdam ſuos ſenatores vidiſſet die feriato tunicis & lacernis indutos, & gallicis calceatos: Equidem, inquit, maluiſſem vos togatos eſſe. Pigitum eſt cinctos ſaltem eſſe & penulatos. Sed hic veſter hujuſcemodi veſtitus de multo jam uſu ignoſcibilis eſt, ſoleatos tamen vos populi Romani ſenatores, per urbis vias ingredi nequaquam decorum eſt.* Soleas autem, & ſoccos vel detrahere vel pedi addere, ſervorum fuit miniſterium, vile admodum & abjectum. Unde Martialis in diſticho, cui *Lemma*, *Soleæ lanatæ*:

Senatores ſoleati.

Defuerit ſi fortè puer, ſoleasque libebit
Sumere, pro puero proderis ipſe ſibi.

Auguſtus tamen Imp. teſte Suet. calceavit & amicivit ſeipſum. In ſacris literis etiam pro vili miniſterio famulatuque accipitur. Sic enim Joan. Baptiſta Matth. 3. ſemetipſum extenuans, Chriſtum verò Dominum ſuum, cujus anteambulonem agebat, extollens, dicit, ſe non dignum eſſe, qui ſeſe ad terram demittens ſolvat τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ, hoc eſt, *ſolvat vincula calceamentorum ejus*, quibus nimirum, ut paulò antea dictum eſt, alligata erant calci ſive ſolo pedis. Theophylactus: *Neque infimus ejus ſervus dignus ſum*, τὸ λῦσαι τὸν ἱμάντα, hoc eſt, τὸν δεσμὸν τὸν ἀπὸ λώρου τῶν ὑποδημάτων. Vincula pedum a Marone appellantur ὑποδήματα ſive ſoleæ,

Et Tyrrena pedum circundat vincula.

Marcus cap. 1. habet, *qui geſtem ejus calceos ſive ſoleas*, ad quam ſervitutem olim Chananæi ſervi adhibebantur, ut Fagius in Deut. 25. cap. annotat. Theophylactus: οὐδὲ δοῦλος ἔσχατος αὐτοῦ εἰμὶ, ὥστε βαστάζειν ταῦτα, hoc eſt, *ne minimus quidem & viliſſimus ejus ſervus ſum, ut geſtem ejus calceamentum.* Eodem modo *matulam porrigere*, & alicui *manibus aquas affundere*, pro viliſſimis miniſteriis accipitur.

Detractio porrò calceorum pedisque denudatio, ut de illa in genere nonnulla dicam, multarum apud veteres rerum (quarum nonnulla ad hoc ipſum noſtrum propoſitum pertinent) ſymbolum fuit. Nam primò quoniam calceamenta pro viatoribus ſunt excogitata, & viæ itinerisque faciendi ſunt inſtrumenta: idcirco *calceatus*, pro expeditionum & quarumvis rerum agendarum auſpiciis: *calcei* autem *depoſitio* pro quiete, otio ſeu ceſſatione uſurpatur. Hinc in celeberrimo illo epulo paſchali celebrando, convivæ ſinguli jubentur eſſe calceati, ſive, ut ſacræ ſcripturæ phraſi utar, habere calceamenta in pedibus ſuis, ceu expediti ad iter jam jam ineundum. Sic Chriſtus diſcipulos ſuos, cùm illis Euangelii prædicandi mandata dediſſet, juſſit eſſe ὑποδεδεμένους σανδάλια, Marc. 6. *Sandaliis indutos*, hoc eſt, promptos, expeditos & alacres ad Euangelii præconium faciendum. Ubi obiter notabis vocem σανδάλια pro quovis calceamento uſurpari, unde Matth. habet ὑποδήματα. Sic & Act. 12. angelus jubet Petro carcere liberato, περιζῶσαι καὶ ὑπόδησαι τὰ σάνδαλια αὐτοῦ. Nam alias σάνδαλον ſive σανδάλιον, quod nomen & Latini uſurparunt, propriè calceamentum muliebre ſignificat. Hîc quæritur an non hoc Chriſti præceptum & angeli mandatum, quod dedit Petro, contrarium ſit ejuſdem Chriſti mandatis apud Matt. 10. Luc. 10. ubi calceamenta & virgam ſumere prohibentur, de quo interpretes poteris conſulere. Græci reſpondent, ὅτι τὰ ἐπιτάγματα ἐκεῖνα πρὸς καιρὸν ἦν, καὶ οὐ διαπαντός, hoc eſt, *certi fuiſſe temporis*, *non perpetui*. Paulus ad Epheſ. 6. armaturam Chriſtianorum ſpiritualem deſcribens, inter alia jubet illos eſſe ὑποδησαμένους τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, *pedibus eſſe calceatos*, hoc eſt, expeditos ſemper *ad prædicationem Euangelii pacifici atque ſalutiferi.* Sic paraſitus ille apud Plautum in *Captiveis* dicit, *ſe cum calceatis dentibus venturum ad cœnam*, hoc eſt, paratis & inſtructis ad opſonia quævis devorandum. Contrà ergò, calceorum depoſitio & pedum denudatio otium ſeu vacationem a motu actionêve ſignificat. Sic enim nonnulli interpretantur illud quod Moſes jubetur ſolvere calceamina, quaſi Deus voluerit illum ſtare & non longiùs progredi. Hinc apud Ægyptios innuptis puellis non erat licitum calceis uti, ut evagandi licentia cohiberetur, cùm nudo pede extra ſepta in publicum prodire nefas foret, ut teſtis eſt Alexander ab Alexand. lib. 5. cap. 18. Hinc ergo cibum capturi apud Romanos, ceu ab aliis negotiis vacantes, calceos exuebant.

1. Calceatus.

Σάνδαλον ſive σανδάλιον proprie quid.

Calceati dentes.

2\. Deinde calceorum depoſitio, nonnunquam fit honoris & reverentiæ cujuſdam ergò. Sic enim & Moſes, ut ſcriptum eſt Exod. tertio, & Actor. 7. & Joſ. 7. cap. ob Dei præſentiam & loci in quo conſiſtebat ſanctitatem, calceos jubetur ſolvere atque detrahere, ut nimirum hac cæremonia ad majorem reverentiam atque timorem excitaretur. Calcei namque, quoniam ex cadaverum pellibus conſtabant, ſecundum legem antiquam immundi haberi poterant. Simili modo hanc ſolearum in conviviis depoſitionem interpretari poterimus, cùm convivium atque menſa veteribus, res ſancta religioſaque viſa ſit, de quo in primo libro.

3\. Tertiò calceorum depoſitio, ſymbolum fuit apud veteres ceſſionis de jure aliquo ſuo, ſeu reſignationis ejus, ita ut ſi quis ſuo jure cedere & alteri poſſeſſionem tradere vellet, calceum detractum alteri daret. Exemplum illuſtre extat in hiſtoria Ruthæ capite quarto, ver. 7. ubi ſcriptum eſt: *Hic autem erat mos antiquitus in Iſrael, in redemptione & commutatione, ad confirmandum quodvis negotium. Detrahebat aliquis calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo, & hoc erat teſtimonium* (ceſſionis) *in Iſrael. Itaque cognatus Ruthæ cùm negaſſet ſe ducturum*

ducturum Ruthan, & agrum ejus accepturum, detrahit calceum suum, illumque Boazo tradit: quo symbolo significabat, se juri suo renunciare, illudque Boazo tradere. De quo vide plura apud Lavaterum in ejus Commentariolo doctissimo. Deut. 25. lex fertur, ut si quis nollet uxorem viduam fratris, carentem liberis, ducere, ad semen fratri excitandum, ei illa publicè calceos detraheret, & inspueret in faciem ejus, vocareturque ejus familia, *domus discalceati.* Significabatur hac ceremonia, teste Fagio, fratriam immunem esse a potestate successoris, recusantis illam gravidam facere, ad hoc, ut nomen fratris demortui in Israel supersit.

Multa, ut idem auctor testatur, Judæi disputant de calcei istius materia, atque forma, satis inepta atque ridicula: quorum commemoratione videtur supersedendum. Illud tantùm addam, quòd iidem volunt, moris fuisse demortui fratrem adhortari, ad fratriam in uxorem ducendam, argumentis ductis a commendatione formæ ac juventutis. Sin autem mulier erat juvenis, ipse verò senio confectus, tunc hortabantur eum לחליצא *Lachaliza*, hoc est, ut pateretur sibi calceamentum detrahi, atque ita de jure suo cederet. Sic quoque nonnulli illud interpretantur, quòd David in seditione Absolomica, operto capite flevisse, nudisque pedibus incessisse dicitur, (2. Sam. 15.) quasi hac ceremonia sit professus se jure suo cedere: alii tamen, id quod mihi verisimilius videtur, utrumque volunt fuisse lugentium habitum: atque ceremoniam tunc temporis usitatam. Huc etiam inprimis pertinet historia, quæ apud Zonaram legitur, quòd Michael Imperator Græcus, Theophi filius in cœna, cui & Basilius equiso, & Eudoxa hujus conjunx interfuerunt, Basilina cuidam remigi Imperatoriæ triremis, multo jam exhausto mero & mente turbata, calceos purpureos tradiderit. Illi verecundanti, & Basilium intuenti, hic innuit ut obtemperaret. Qui cùm calceos induisset, Imperator Basilio iratus dixit, *imperii insignia isti aptiora sunt, quàm tibi.* Ex eo tempore Basilius & de imperio, & de vita solicitus, Michaëlem Imperatorem delere maturè cogitavit: id quod postea factum est. Nonnulli quoque Davidem volunt ad hanc consuetudinem alludere Psal. 60. v. 10. his verbis (quæ repetuntur Psal. 108.) *projiciam super Edom calceamentum*, sive, ut alii, *compedem*, sive, ut nonnulli, *chirothecam*, hoc est, illos subjiciam meo juri, seu redigam in meam potestatem: de quo vide Lavaterum in 4. cap. Ruth, & Pierium in *Hieroglyph.* lib. 11. Similis aliqua ex parte videri possit cæremonia illa hodie in nobilium nuptiis apud Germanos usitata: qua sponsa postquam in thalamum ad lectum genialem est deducta, calceum detractum in circumstantium turbam projicit, quem qui excipit (in quo certatim omnes laborant) is id ceu futuri maturi matrimonii felix, faustumque omen interpretatur. Hac forsan calcei projectione illa significat se cedere de jure, & potestate suorum parentum, & consanguineorum, ut in mariti jus & potestatem transeat, secundùm illud: *Vir* (id quod etiam de muliere intelligendum) *relinquet patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* Hîc mihi quoque in mentem venit, apud populos quosdam esse in usu, ut si puellam aliquam violarint, calceamentorum dono sese matrimonii cum illa contrahendi necessitate eximant, ac vindicent. Verùm quàm sit a Christiano officio, atque religione alienum, nemo non nisi mentis expers, facilè intelligit. Hæc sunt quæ olim calceorum depositione veteribus fuerunt significata: quæ singula ad solearum detractionem in conviviis apud Romanos usitatam, aliquo modo transferri possunt, quòd nimirum illa non modò civilitatis, atque munditiei causa, verumetiam ad otium, & quietem, qua fruerentur, ad honorem & reverentiam significandam, & quod aliquo modo jure suo ad tempus aliquod cedentes, se convivatoris potestati permitterent. Verùm de calceamentorum varia atque multiplici apud multas gentes forma, figura, materia, usu, atque abusu: nec non quorundam ἀνυποδησίᾳ, *nuditate pedum*, vel exercitii, vel religionis, atque etiam superstitionis causa suscepta, vide si vis, plura apud Lazium lib. 8. cap. 13. & Alexandrum ab Alex. lib. 5. cap. 18.

Omnino ut olim & Judæorum, de quo Isaias cap. 3. & Græcorum, atque Romanorum, aliarumque gentium, maximus fuit in calceis luxus: ita hodie quoque non minor est Christianorum, qui calceis ad libidinem, ad luxum, atque etiam ad immanissimas potationes fœdè abutuntur. (De calceorum luxu.) Mulieres præsertim hac in re ut plurimum peccant, quæ calceis, atque crepidis vel nimis mollibus, delicatis, atque sumptuosis: cujusmodi fuerunt Achæarum mulierum calcei albi, & tenues, Atheniensium elaboratæ artis, *Iphicratides* dicti: Judaicarum fœminarum calceamenta ornatissima: crepidæ Atticæ & Sicyoniæ: Cothurni Persici & Hetrusci, de quibus Clemens Alex. lib 2. *Pædag.* cap. 11. vel nimis altis, quò procerioris videantur esse staturæ, quàm sunt: cujusmodi calceis & Persas, & Augustum Imperatorem, usos fuisse, historici testantur. Observandum quoque Romanos calceis albis usos fuisse, Martialis,

Sordidior cœno sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi Cinna nive.
Dejecto quid inepte pedes perfundis amictu.

Spartianus in *Alexandro*: *Fasciis semper usus est, baccas albas habuit, non coccineas, ut prius solebant.* Lipsius emendat, *baxeas albas.* Isidoro *baxeæ*, sive, ut alii legunt, *braxeæ* sunt & comœdorum & mulierum calceamenta. *Baxeæ pro calceis* apud Plautum & Apulejum lib. 11. *Juvenem quempiam linteis amiculis intectum*, (Baxeæ.) *pedesque palmeis braxeis indutum.* In *floridis*, *Vestem de texterna emere, baxeas istas de suterna præstinare.* Civile autem illud, quod Alexander calceis albis usus, more cæterorum, non coccineis, ut ante eum Imperatores & homines aliquot delicatiores. Apud Vopiscum tamen in Aureliano calcei albi damnantur, ut parum viriles: *Calceos mulleos & cereos, & albos, & edarios viribus omnibus tulit, mulieribus reliquit.* Lipsius pro *albos*, *galbos* ibi legendum putat. Est autem galbus color, ut idem testatur, in veteri glossario χλωρός, id est, *herbacei coloris*, qui idem galbeus & galbanus, estque sanè fœmineus. (Color galbus.) In luxuriosum hujusmodi calceorum abusum, graviter invehitur Clemens Alex. lib. 2. cap. 11. Primò ergo compta nimis atque ornata mulierum sandalia

dalia reprehendit. Deinde verum calceorum usum, partim in tegendis pedibus, partim offensionibus atque viarum asperitatibus propulsandis, consistere dicit. Tum mulieribus calceorum candidorum usum concedit, & si iter illis sit faciendum, illis uti posse affirmat. Præterea virum ἀνυποδησίας decere dicit, nisi si militet. Optimum namque exercitationis genus, & ad sanitatem & ad celeritatem esse, nudis uti pedibus, nisi necessitas aliud flagitet. Hîc etiam eleganti paronomasia ad ὑποδημάτων notationem alludens, inquit, ἢ γὰρ πω; ἐγγὺς τὸ ὑποδεδέσθαι τῷ δεδέσθαι, Hoc est, *calceatum esse idem ferè est quod ligatum vinctumque esse.* Denique si iter non sit faciendum, nec tamen ἀνυποδησίαν ferre possint, βλαύταις, ἢ φαικασίοις (*soleas* interpretantur) utendum esse suadet, quas, ut idem inquit, κονίποδας, Attici nominarunt, διὰ τὸ πελάζειν τῇ κόνει τὼ πόδε, id est, *quòd pedes terræ appropinquarent.* Hæc ille. Atheniensium atque Alexandrinorum Sacerdotum calceamenta candida Appianus Alex. lib. 5. *civil.* belli, φαικασίους vocat. Verùm ut calceamentorum, quæ a Tertulliano lib. *de pallio*, *immundissima pedum tutela* appellantur, in conviviis omnique hominum conventu, vitandus est nitor nimius atque splendor: ita cavendum quoque, ne calceorum pedumque sordes atque fœtor, convivis molestiam exhibeat.

CAPUT XXVIII.

DE VARIA ET MULTIPLICI, CUM SACRA TUM PROPHANA ATQUE CIVILI, IN CONVIVIIS, IN SACRIS, IN LUCTU ATQUE ALIAS, CAPITA APERIENDI OPERIENDIVE, CONSUETUDINE. DE PILEORUM USU ET SIGNIFICATIONE SYMBOLICA.

Romani fuerint ne tectis an apertis capitibus.

Servi manumissi pileati.

Nunc, ut a pedibus ceu parte corporis infima, ad caput, supremam ejusdem partem, transeamus, apertone an potiùs operto capite Romani in conviviis fuerint, quæri, nec tamen de illo certi quid affirmari posse, existimo.

Primò quidem, ut hinc potissimum exordiar, constat servos recens manumissos, (qui *Volones* vocabantur) pileatos, aut lana alba velatis capitibus epulari fuisse solitos. Ejus consuetudinis testis est T. Livius 4. Decad. 3. de Volonibus servis manumissis verba faciens, *Et Gracchus*, inquit, *ita permisit, ut publicè epularentur omnes, ante suas quibusque fores prolata omnia, pileati aut lana alba velatis capitibus.* Et iterum, *Postera die servi ad pileum vocati, ex carcere vincere vincti emissi confusaque omnis multitudo, Hippocratem atque Epicidem creant prætores.* Fuit ergo pileus sive pileum, Græcè πιλίον Plutarcho in *Catone*, & πιλίδιον Demostheni tegumentum capitis ex lana arctata, vel floccis confectum, sic dictum, vel quòd ex pilis fieri soleret, vel quòd capitis pilos tegeret, manumissionis quondam ac libertatis apud Romanos signum: quoniam moris erat apud eos, ut servi, qui per manumissionem liberi fierent, caput raderent, & calvi pileum capite acciperent. Ad hanc consuetudinem alludit Sosia servus apud Plautum in *Amphitruone*,

Pileus sive pileum quid & unde dicatur.

Servi manumissi pileo tecti epulari consueverunt.

- - - - *quod ille*, inquit, *faciat Juppiter*,
Ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum.

Servi manumissi cur caput radere soliti.

Hoc est, ut fiam liber. Nonius hunc Plauti locum citans, *Qui liberi fiebant*, inquit, *ea causa calvi erant, quòd tempestatem servitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati solent.* Baptista Pius, cur raderent servi manumissi caput, hanc rationem reddit in suis *comment. in Amphit. Scio*, inquit, *ea observari, ut cappillitium radatur, quoniam scilicet omnis umbra servitutis capiti tanquam primario membro & arce acropolique hominis excutiebatur renovabaturque servus, qui ad libertatem spectabat: & quod non undique fieri poterat in omnibus corporis partibus, per digniorem honorificentioremque & sacratiorem locum perficiebatur.* Eos, qui tempestatem effugerant maritimam, pileum sumere caputque radere solitos fuisse testatur Juvenalis,

- - - - *gaudent tibi vertice raso*
Garrula securi narrare pericula nautæ.

Macrobius lib. 1. *Satur. Dicet aliquis, me nunc dominos de fastigio suo dejicere, & quodammodo ad pileum servos vocare.* Plutarchus in *Tito Flaminio*: *Hi enim viri, quemadmodum consueverunt servi, ubi manumissi fuerint, rasis capitibus pileos gerere: ita ipsi ornati Tito triumphanti comites se præbuerunt.* Idem in *Apophthegmat.* testatur L. Terentium, Scipionem triumphantem, a quo ex Carthaginensium servitute liberatus fuerat, subsecutum esse pileatum, veluti libertum. Ibidem de T. Quintio refertur, quòd illum in triumpho subsecuti sint pileati omnes Romani, quos in bello captos & apud Græcos servientes drachmis 500. redemptos, ipsi dono dederant, cujus meminit T. Livius lib. 4. de bello Maced. Appianus de bello Mithridat. de Prusia loquens, ejusdem consuetudinis mentionem facit, *Prusias*, inquit, *obviam præcessit Romanorum Imperatoribus togatus & Italico more calceatus, capite raso & pileatus, quomodo ornati nonnulli prodeunt in publicum eorum, qui testamentis libertate donati sunt.* Hinc *ad pileum vocare*, Latinis sæpe idem, quod libertate donare, sive ad libertatem vocare. Suetonius in *Tiberio*, *Ac primò Præneste, inde Neapolim evasit, servisque ad pileum frustra vocatis, in Siciliam profugit.* Idem in vita C. Cæsaris Dictatoris commemorat, quam historiam Appianus Alex.

Ad pileum vocare quid.

Alex. ita recenset lib. 2. *belli civilis: Interfectores Cæsaris nonnulla in senatu dicere conati, auscultante nemine, vestes clypeorum in morem sinistris adnectentes pugionesque cruore illitos palàm deferentes, regem se ac tyrannum occidisse clamitabant. Ex his quidam pileum proferebat in hasta, libertatis signum, universosque ad libertatem patriam vocabat.* Lambinus testatur, se vidisse in veteribus nummis Clementis Tevenini expressam Bruti effigiem pileatam cum pugiunculis, quod significat Brutum liberasse populum Rom. tyranno interfecto. Lazius quoque in suis commentariis, historiam illam in veteri quodam nummo aureo expressam se vidisse testatur in cujus altera parte Bruti erat imago, in altera facie duo pugiones cum pileo, literis subjunctis *Id. Mar.* id est, *Idibus Martiis*, quo die interfectum dictatorem Cæsarem a Bruto & Cassio constat. Dionysius certè scribit, Brutum pugiunculos & pileos gestasse, significare volentem, a se & Cassio patriam liberatam. Eandem ob causam Castor & Pollux, qui Σωτῆρες, id est, *liberatores* Græciæ & servatores vocabantur, pileati fingebantur, quia pileus sit insigne libertatis, quanquam alii hanc ejus causam afferunt, quòd essent Lacones: Lacedæmonii autem pileati pugnarent. Sic enim Festus, *Pilea Castori & Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos est.* Romani contrà, teste Lazio, pileis in bellis haudquaquam utebantur. Lares quoque pileatos fingi, Lambinus se in nummo quodam argenteo Clementis Tevenini vidisse testatur in *Comm. in Plautum.* Exempla nummorum, in quibus pileum est cum inscriptione *Libertatis*, vide apud Pierium in *Hieroglyph.* lib. 40. ibidem meminit numismatum, in quibus sunt Bruti & Cassii imagines. Aurelius victor in vita Neronis, *Cæterum*, inquit, *adeò cunctæ provinciæ, omnisque Roma interitu ejus exultavit, ut plebs induta pileis manumissionum, tanquam sævo excmpta dominio triumpharet.* Idem testatur Suetonius in ejusdem vita: *Tantumque*, inquit, *gaudium publicè præbuit, ut plebs pileata tota urbe discurreret.* In Saturnalibus ad libertatem declarandam pileata erat Romana turba, ut docet Seneca in 2. *epist. moralium.* Martialis,

Bruti effigies pileata.

Castor & Pollux pileati.

Lares pileati.

Plebs pileata in Satur.

Permittis puto pileata Roma.

Idem, *Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem.*

Idem, *Totis pilea sarcinis redemi*, id est, rebus omnibus relictis contemptisque, mihi libertatem peperi.

Idem, *Si possem totas cuperem misisse lacernas,*
Nunc tantùm capiti munera mitto tuo.

Hinc constat capitis tegimen fuisse. Aulus Persius Satyr. 3.

- - - - at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Capite induto, id est, accepto pileo, quod quidem in templo Feroniæ, quæ libertorum Dea est, servi, qui manu mittebantur, accipiebant, testis est Servius in 8. *Æneid.* Gellius lib. 7. cap. 4. tradit servos, quorum nomine venditor nihil præstaret, pileatos venundari solitos, cujus ibidem ex Cæcilio Sabino Jureconsulto causa affertur, vide reliqua quæ ibi scribat.

Feronia dea.

Pileum porrò & nobilitatis symbolum, etiam olim apud Græcos extitisse (unde Ulyssis caput pileatum faciunt) & hodie apud Turcas esse, idem probat. Fuit etiam sacerdotii apud Romanos symbolum: unde *Flamines* volunt dictos quasi *pileamines*: tametsi nonnulli arbitrentur a flammeo, quod & ipsum capitis est tegumentum, appellatos, de quo idem plura scribit. De Hippocratis imagine pileata & pilei antiqui forma atque materia eundem consulere poteris. Lazius quoque de variis pileorum generibus multa habet in suis commentariis *Reipub.* lib. octavo, cap. 14. Hæc de pileo, quo quidem tecti, uti dictum est, servi manumissi epulari consueverunt. Unde videtur colligi posse, Romanos in conviviis capite tecto atque velato, non autem aperto discubuisse.

Pileum nobilitatis symbolum.

Pileum sacerdotii symbolum.

Romanos in conviviis capite tecto discubuisse, conjectura sumpta a manumissionis consuetudine.

Huc quoque referendum, quod omnibus Diis, exceptis Saturno & Honore, capite velato sacrificare fuerunt soliti. Unde Curculio parasitus apud Plautum in *Curculione*:

Quis hic est qui operto capite Æsculapium salutat?

Et Virgilius Helenum Æneæ sic dicentem inducit,

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat & omina turbet.
Hunc socii morem Sacrorum, hunc ipse teneto.
Hac casti maneant in relligione Nepotes.

Mos diis supplicandi capite operto.

Ob hanc nimirum causam, ut inter sacra sensus ab omni obtutu securi, soli divinæ rei vacarent homines. Unde meritò culpandus videtur Demetrius Triclinius, qui in illud Pindari, hymno Olympiorum νυκτὸς ὑπαίθερος sic commentatur: δίχα τινὸς ἐν κεφαλῇ καλύμματος. οὕτω γὰρ ἦν ἔθος εὔχεσθαι. Hoc est, *sine capitis operculo, sic enim moris erat supplicare.* Saturno verò, quia veritati præsidebat, & Honori, qui non nisi illustris esse debet, vetustas noluit esse aliquid occultum, ut pluribus verbis Plutarchus in *Problem.* docet.

Quòd Diis operto capite Romani sacrificarunt, has causas Plutarchus affert *Probl. Rom.* 10. *Vel quòd ea re animi demissionem confiterentur: vel potiùs, quòd verentes ne qua vox mali ominis foris accideret, usque ad aures vestem sursum attrahebant. Hoc enim eos admodum vitasse vel id est indicio, quòd ad oraculum consulendum*

Operto capite Romani cur diis sacrificarint.

dum accedentes, tinnitu æris circumsonabantur. Aut, ut Cn. Castor tradit, qui Rom. instituta Pythagoricis accommodat, ut ostenderent genium, qui in nobis est, Deorum, qui extra sunt, ope indigere, iisque supplicare capita operiendo per ambages arguentes, animam a corpore occultari atque tegi. Vel forsan hæc consuetudo promanavit ab Ænea, quem narrant, cùm rem sacram faceret, Diomede prætereunte, caput velasse, itaque sacrificium absolvisse. Nonnulli etiam hanc illius consuetudinis rationem reddunt, ut nimirum inter Sacra, sensus ab omni obtutu securi, soli rei divinæ vacarent. Saturno verò, ceu veritati (cui nihil est occultum) patri atque præsidi (χρόνος enim, id est, tempus, unde Saturnus *chronius* dictus, veritatem licet diu occultatam revelat:) & Honori, qui non nisi illustris esse debet, aperto capite, ac sine velamento sacra fecerunt, ut ibidem Plutarchus docet.

Aperto capite cur Saturno & Honori sacra facta.

Idem præterea auctor (ut hoc quoque obiter addam) *probl.* 14. testatur, apud Romanos filios parentes suos velatis capitibus: filias autem nudis capitibus, passisque crinibus efferre consuevisse: cujus sanè consuetudinis aliquot ab illo rationes afferuntur: de qua vide & Mercurialem *de arte gymnast.* copiosè differentem.

Opi quoque atque Herculi omnes aperto capite supplicare solitos fuisse, more vetusto, tradit Alexander ab Alexand. lib. 2. cap. 22. sub finem. Cur Herculi aperto capite Sacra fieri solita fuerint, causam affert Macrobius lib. 3. cap. 6. sub finem.

Romanos in conviviis tectis capitibus accubuisse, conjectura sumpta a sacrorum consuetudine.

Quòd autem Romani, uti dictum est, opertis capitibus Deos suos orare atque venerari fuerunt soliti, inde conjectura admodum probabilis mihi videtur peti posse, illos in mensa quoque, atque conviviis, quæ illis sacra quodammodo, & religiosa visa sunt, propter libationes potissimùm iis adhibitas, capitibus tectis atque velatis accubuisse.

Romanorum consuetudo Deos tectis capitibus orandi a Paulo perstringitur.

Romanorum porrò consuetudinem opertis tectisque capitibus Deos orandi atque venerandi, ceu a natura, rationeque alienam, Paulus in Corinthiis, apud quos eadem locum habebat, graviter perstringit, 1. Cor. 11. cap. Mulieres itaque in sacris vult opertis esse capitibus, id quod signum sit illorum subjectionis. Viros contrà capitibus apertis, ad illorum dignitatem, libertatem atque imperium, quod habent in mulieres, significandum. Et quidem viros esse velatos: mulieres autem nudo & aperto capite in publicis cœtibus atque supplicationibus tam vult esse absurdum, & a ratione atque natura alienum, quàm si vir sit comatus (id quod illi fuerit dedecori) mulier autem tonso sit capite, cui quidem coma, ceu velamen, atque gloriæ insigne ab ipsa natura sit attributa. Hinc Virgilius Polydori funus describens:

Et circum Iliades crinem de more solutæ.

Omnino autem, quoniam in hanc capitis vel aperiendi vel denudandi, vel cooperiendi tegendive rationem incidimus, illa varia olim fuit atque multiplex apud gentes, ita ut eandem sæpe ob causam alii populi operto, alii aperto nudoque capite fuerint. Ac primò quidem religionis, vel etiam superstitionis causa Romanos legimus cæteris quidem Diis opertis & velatis: Saturno autem, & Honori nudis capitibus Sacra fecisse, de quo suprà pluribus dictum. Paulus contrà mulieres quidem tectis, viros verò apertis capitibus vult Deum adorare atque venerari: qui etiam hodie mos est Christianorum. Judæi etiam hodie Deo supplicantes, linteo caput obnubunt, ut monet Brodæus lib. 5. *Miscel.* cap. 8.

Caput aperire honoris ergo.

Deinde quoad honorem civilem, is quidem viris dignitate, & auctoritate superioribus exhibetur, caput aperiendo. Unde Plutarchus quærit *in probl.* 10. *cur Romani Deos capite velato adorent, cùm alioquin hominibus obviam facti venerandis, caput, si fortè eo tecto incedunt, detegant?* Cujus consuetudinis hanc inter alia rationem affert, *quòd nimirum coram potentioribus caput nudent, non augendi honoris eorum gratia: sed ut eos invidia potiùs liberent, ostendantque eos non poscere eosdem sibi cùm divinis honores, neque ferre, aut gratum habere eodem se, quo Deos modo coli.* Hæc ille. Contrà itaque Vitellius, teste Suetonio, miri in adulando ingenii, primus *Cajum Cæsarem adorari, ut Deum instituit, qui reversus ex Syria non aliter adire ausus est, quàm capite velato, quo modo Deos coli solitos fuisse dictum est, circumvertensque se, deinde procumbens.* Ex his verbis rursus colligitur, quòd in salutatione Principum non solum quondam caput aperiebatur, verumetiam circumvertebatur corpus, qui mos esse jam desiit. Lazius in suis *comment. Reipub. Rom.* ex illa Romanorum religiosa aperto capite Saturno, atque Honori rem divinam faciendi consuetudine, hunc eorundem morem tractum esse existimat, ut hominibus similiter, qui modò dictis Diis subjiciuntur, senibus videlicet, & in aliquo munere atque honore constitutis, capite nudo, pileo detracto, honorem exhibuerint, nam poculis & patinis id non fit: quàm Germani, Itali, Galli, atque Hispani ab eo adhuc poculo consuetudinem retinemus.

Utrum salubrius capite esse aperto, an operto.

Capita aperiri, inquit Plin. lib. 28. cap. 6. *aspectu magistratuum, non venerationis causa jussére: sed ut Varro auctor est, valetudinis, quò firmiora consuetudine ea fierent.* Quoad igitur valetudinem, illius quoque gratia aliquando apertum, aliquando tectum: idque vel magis, vel minus esse debere, medici præcipiunt: de quo illos consulere poteris. Magis tamen ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον valetudini illis videtur conducibile, aperto esse capite, quàm velato: de quo paulò antea Varronis ex Plinio prolata est sententia. Illi suffragatur Celsus, qui lib. 1. cap. 4. *Cui caput*, inquit, *est infirmum, is (si benè concoxerit) leniter perfricare id* (quod *ungue fricare* cum ratione Plinius vocat lib. 28. cap. 6.) *manè manibus suis debet, nunquam id (si fieri potest) veste velare.* His addit, *aut ad cutem tondere, utileque lunam vitare, maximeque ante ipsum lunæ Solisque concursum: sed nusquam post cibum progredi.* Hippocrates quoque lib. *de liquid. usu*, apertè causam indicavit, quamobrem nimis delicatè, molliterque caput, ut corpus, foveri non debeat. *Tegi enim*, inquit, *atque velari solitum, quicquid postea insuetum est, & a familiari calore alienum, peregrinoque frigori proximum, id ipsum protenus aversatur. Atque hinc occasio: atque ex offensione deinde debilitas consequitur, quæ vitia mox plurima recipit, & admittit.* Detecta ergo capita contrà vim algoris calorisve haud dubiè firmiora esse, & ad valetudinem mirè proficere

ficere multi censuêre. Ideò Ægyptii, quòd detecto sunt capite, habentur firmiores. Persæ verò, quod cum mitra & pileo, debiliores: adeò ut levi ictu offendantur capita. Hodie quoque Persarum Regem propter rubea capitis tegumenta *Kisilpassa*, id est, rubeum caput vocant: ita principem Moscoviæ Regem *Album* propter alba tegumenta appellari, Sigismundus Baro existimat in suis *comment. rerum Moscovit.* Romæ quoque, ut testis est Plutarchus in *probl. Rom.* mulieres ferè tectis, viri autem nudis capitibus in publicum progredi consueverunt: unde illorum quoque corpora tantò videntur fuisse firmiora. Hinc Hannibal, Masinissa rex Numidiæ, Julius, Hadrianus, Severus Imperatores Rom. & alii summi Duces semper vel in summis frigoribus, caloribus atque tempestatibus nudo capite fuisse perhibentur.

Jam verò manumissionis quoque, & libertatis apud Romanos signum fuisse, pileatum esse, sive lana habere caput obvolutum, suprà satis fuit explicatum. Paulus tamen contrà, capitis quidem denudatione in viris libertatem, & imperium: ejusdem verò velatione in mulieribus servitutem vult significari, 1. Cor. 11.

In funeribus præterea atque luctu, nec non aliis doloribus atque ærumnis, caput modò aperiri, modò tegi atque velari, moris fuisse legimus. Plutarchus in *probl. Rom.* testatur filios parentes suos velatis capitibus: filias autem nudis, passisque crinibus efferre fuisse solitas. Cujus sanè consuetudinis has rationes affert: *Vel quòd filiis honorandi sint patres tanquam Dii: (qui operto capite culti fuerunt) filiabus autem lugendi ut mortui, quos aperto capite luxerunt. Lex igitur utrique sexui suum decoro conveniens officium assignavit. Aut qui luctui maximè congruit, quod est alienum a communi vitæ consuetudine.* Solebant autem ferè mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi. Nam apud Græcos etiam, si qua calamitas inciderat, tondebantur mulieres, viri comam alebant, cùm alioquin hi tonderi: illæ comam gerere sint solitæ. Levit. 10. & 21. *Caput nudare* luctum significat. Kimhi in radicibus sic scribit, *Mos erat lugentes denudare, seu aperire caput suum, & auferre mitram suam, galerum suum, & tiaram suam de capite suo.* Vox Hebraica, quæ Levit. 10. ponitur פרע *Para*, vel *denudare, discooperire*, ut 70. & auctor reddit, significat: vel *comam nutrire*, ut Pamph. Chald. vertit. Aliæ gentes lugebant capite non nudo, sed pileis obtecto. Contrà autem in sacris literis *caput tegere*, sive *velare* non rarò dolorem, & ignominiam significat, sed non usitato tegmine, verùm pallio, ac penitus. Jere. 14. *Pudore affecti sunt agricolæ, obtexerunt caput suum.* Nam qui ignominia sunt affecti, quoniam nec videri ab aliis, nec videre alios volunt: idcirco faciem suam tegunt. Id Græci dixerunt ἐγκαλύπτεσθαι. Sic David 2. Sam. 15. operto capite flevisse, nudisque pedibus incessisse dicitur præ luctu, quem hauriebat ex seditione, a filio suo concitata. Ibi capitis denudatio fletus: ut & pedum nuditas luctus fuerunt symbola. Nonnulli dejectionis fuisse symbolum, secundùm illud: quòd mulier cooperto capite jubetur orare. Sed verisimilius est, opertum fuisse caput more lugentium. Suprà similiter dictum est, apud Romanos filios in parentum suorum funeribus tectis fuisse capitibus. Apud Homerum quoque ejusdem rei illustre habemus exemplum Οδ. θ. Nam cùm Cantor a Cœna Trojanorum atque Græcorum calamitates cecinisset:

- - - - - αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Πορφύρεον μέγα φᾶρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσι
Κὰκ κεφαλῆς εἴρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα·
Αἴδετο γὰρ Φαίηκας ὑπ' ὀφρύσι δάκρυα λείβων.

Cessante autem Cantore,

Δάκρυ' ὀμορξάμενος, κεφαλῆς ἀπὸ φᾶρος ἕλεσκε.

Et paulò post, cùm Cantor ad carmina illa sua rediisset,

Ἂψ δ' Ὀδυσεὺς κατὰ κρᾶτα καλυψάμενος γοάασκεν.

Ut ergo David capite tecto seu obvoluto flevisse dicitur, sic hoc quoque in loco Ulysses.

Postremò, in communi vitæ consuetudine, habita utriusque sexus ratione, illud quidem satis puto constare: ut nunc, ita olim quoque, apud plerasque nationes, & quidem plerunque viros magis apertis, mulieres autem tectis velatisque capitibus fuisse, id quod etiam, vel Plutarcho teste, decorum, ipsique naturæ sanè est convenientissimum.

Quoad verò muliebrem sexum, solùm apud quasdam gentes, virgines: apud alias, solæ mulieres: apud alias, utræque fuerunt velatæ. Apud Carthaginenses mos olim fuerat solennis, ut non modò mulieres, sed & virgines velarentur: deinde res arbitrio cujusque permissa est. Quibus major probitatis cura, veterem consuetudinem ultrò diligenterque observabant, quam cæteri negligebant, vel ut non præceptam, vel ut suis moribus non convenientem. Tertullianus itaque, cùm cerneret, quantum mali ex hoc nasceretur, quòd virgines aperto capite starent, in congregationibus Christianorum, non secus, atque in choreis solent, quæ maritum quærunt: peculiarem librum *de velandis virginibus* scripsit: in quo inter alia docet ea, quæ Paulus de velandis mulieribus præcepit, ad virgines quoque pertinere. Quantum verò mali atque scandali existat ex eo, si puellæ atque virgines intecto capite conspiciantur in publico, inter alia his verbis egregiè describit: *Ipsa concupiscentia*, inquit, *non latendi, non est pudica: patitur enim quod virginis non sit studium, utique placendi viris. Quantùm velit bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, & multis: dum digitis demonstrantium titillatur: dum nimium amatur: dum inter amplexus & oscula assidua concalescit. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic discitur aliter jam placere, desiderare. Sed enim vera, & tota, & pura virginitas, nihil magis timet, quàm semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat, adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones & susurros, & æmulationem, ipsum quoque livorem.*

In luctu caput modò tegi, modò denudari consuevit.

Mos mulierum varius caput vel aperiendi vel tegendi.

NOTA.

livorem. Hæc ille: quæ utinam hodie virgines noſtræ, illarumque parentes diligenter obſervarent, melius profectò illarum caſtitati, atque pudicitiæ conſultum foret. *Arabicæ*, inquit idem pater, *fœminæ Ethnicæ judicabunt vos, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam contegunt, ut uno oculo liberato, contenti ſint dimidia frui luce, quàm totam faciem proſtituere.* Hodie in Italia quoque & Gallia, mulieres atque virgines tota facie obvoluta in publicum prodeunt. In Germania mulieres quidem tectis, virgines autem intectis plerunque capitibus in publico conſpiciuntur. *Mulieribus*, inquit Plutarchus in *problem. Ro. olim Romæ omnino licebat caput obnubere. Itaque Sulpitium Gallum ferunt, uxori ſuæ nuncium remiſiſſe, quòd illam vidiſſet veſte attracta, caput tegere.*

Velaminum muliebrium luxus.

Jam verò, quoad hæc ipſa mulierum velamina & integumenta capitis, *calyptra* generatim dicta, & *capitia* (quæ Tertullianus eleganter illarum *jugum* appellat) illa ut olim, ita hodie quoque, ita ſunt benè compta, ornata atque ſpecioſa, ut ad irritandam potiùs aliorum libidinem, & ad maritorum loculos exhauriendum, quàm ad pudorem pudicitiamque tegendam, comparata eſſe videantur. In primis verò, quando ad convivia aliqua feſtiviora accedunt, incredibile dictu eſt, quanto ſtudio, opera atque ſumptu capita illa ſua capitoſa, ac plurimorum malorum capita, tegant, comant atque exornent. Virorum quoque inter Chriſtianos præſertim Germanos, novæ ſubinde, & inuſitatæ, ne dicam monſtroſæ, pileorum ac petaſiorum formæ, illorum mentis ſtultitiam & inconſtantiam ſatis arguunt.

Quoad verò illa virginum Veſtalium atque ſacrarum, quæ vulgò *moniales* ſeu *monachæ* dicuntur, velamina, cujuſmodi olim fuerunt flammea, & capitalia, ricæ, Romanorum ſacerdotum, ſub illis quoque quantæ noſtris hiſce perditis profligatiſque temporibus atque moribus, animorum corporumque labes lateant, quid opus eſt multis verbis? res ipſa, & experientia quotidiana ſatis loquitur. Hæc de capitis velatione & denudatione, & variis utriuſque cauſis ſatis ſint dicta.

Romani fuerintne apertis an tectis inter epulandum capitibus, dubitare.

Nunc, ut ad propoſitum redeam, Romani fuerintne tectis an apertis capitibus in ſuis conviviis, non auſim certò affirmare. Duas ſuprà poſui conjecturas admodum veriſimiles, illos capite fuiſſe operto: quarum una a ſacrorum, altera a manumiſſionis conſuetudine ducta eſt. Verùm cùm, teſte Plutarcho, in publico quoque aperto fuerint capite, inde veriſimiliter forſan aliquis conjectetur, multò magis tales fuiſſe in tricliniis. Verùm hæc aliis antiquitatum Romanarum peritioribus dijudicanda relinquo. De Judæis ſimiliter atque Græcis nihil certi affirmare poſſum. Noſtris temporibus in Italia, Gallia & aliis in locis epulantes, plerunque ſunt capite tecto. In Germania liberum id cuique permittitur, ſi convivæ ferè ſint æquali dignitate: verùm ſi adſit unus vel plures, dignitate auctoritateque excellentes, tunc decorum hoc plerunque obſervatur, ut illi quidem ſint capite tecto: qui verò iis ſunt ætate dignitateve inferiores, capite ſint aperto, qui etiam miniſtrorum menſæ conſuevit eſſe habitus. Illud quoque eſt obſervandum, apud Germanos creberrimè inter epulandum capita aperiri, ut in precationibus, ſternutationibus, propinationibus atque aliis de cauſis fieri conſuevit. A Gallis contrà atque Italis inter epulandum, caput aperire indecorum atque incivile habetur, hoc enim modo pileos unctis manibus inquinari ajunt. Denique cur viri nudis capitibus in publicum prodierint, mulieres tectis, & in genere de conſuetudine capita aperiendi vel tegendi, vide Mollerum in cap. 3. Iſaiæ Prophetæ.

CAPUT XXIX.

DE CINGVLORVM ATQVE ZONARVM VARIO MVLTIPLICIQVE VSV. DE ZONIS CINCTVQVE VIRGINVM, PVERPERARVM, MINISTRORVM, SACERDOTVM, PROPHETARVM, MILITANTIVM, ITER FACIENTIVM, EPVLANTIVM. DE MORE ANTIQVO NVMMOS IN ZONIS PORTANDI. DE MODO IN VESTIBVS ADHIBENDO. DE MORE ARMA QVOQVE GESTANDI INTER EPVLAS.

De cinctura.

Nunc quoniam de duarum extremarum partium, capitis nimirum atque pedum, veſtitu conviviali dictum eſt, de media quoque corporis parte, quæ cingitur, eſt dicendum. Quæ quidem a Græcis dicitur ζώνη, περίζωμα, & διάφραγμα: a Theodoro *cinctus*, a nonnullis *cingulum* appellatur. Ipſæ verò veſtes ſive arma, quibus pars illa corporis cingitur, a Græcis quidem ζῶναι, ζωστῆρες, ζώματα, περίζωστρα, & περιζώματα: a Latinis *Zonæ*, *cingula* & *cinctus*, *lora*, *baltei* nominantur. Varro *cinctum* a *cingulo* differre tradit, tanquam *cinctus* viris: *cingulum* mulieribus attribuatur. Alii *cingulum* neut. gen. hominum: *cingulas* fœ. genere brutorum exiſtimant. *Cingulos*, teſte Feſto, appellant homines, qui in his locis, ubi cingi ſolet, ſatis ſunt tenues. *Cinctum* quoque pro amictu toto accipimus. Virgilius, *Cinctuque Gabino*: quamvis aliqui *cinctum Gabinum* dicant eſſe togam ſic in tergum rejectam, ut una ejus lacinia a tergo revocata hominem cingat: quo veſtimenti genere utebatur conſul Romanus, bellum indicturus. Sic ζώνην Græcè Ammonius virile, ζώνιον muliebre cingulum eſſe vult.

Cinctus a cingulo differre. Cinguli.

Zona-

Zonarum autem, sive cingulorum, ut hodie, ita olim apud omnes ferè gentes creberrimus, & quidem varius & multiplex usus fuit: cujus in sacris simul & prophanis literis frequens admodum fit mentio. Cinctura namque renum, lumborum aliarumque corporis partium, ad ejus non modò ornatum, verumetiam sanitatem, celeritatem firmitatemque plurimùm facit. **Zonarum usus varius.**

Ornamento esse viris pariter atque fœminis cingula quis dubitet, cùm corpora bene cincta, discinctis longè speciosiora atque pulchriora appareant? Ut nihil dicam de ipsorum cingulorum forma, atque materia speciosa, in qua, ut olim, ita hodie quoque viri pariter atque mulieres omnem modum excedunt, qui velim sibi ante mentis oculos proponant diram illam Isaiæ comminationem cap. 3. qui mulieres sui temporis ornatissimas illas suas zonas, quibus superbiebant, cum funibus dicitur commutaturas esse, quibus alligatæ atque constrictæ in Babylonicam servitutem sint abstrahendæ. γυνὴ εὔζωνος dicitur ab Homero, pro εὐκόσμητος synecdochicῶς, interprete Eustathio significat totum καλλωπισμὸν, id est, *ornatum. Nam videntur olim*, inquit idem, *mulieres* φιλοτίμως ἔχειν τοῦ ζώννυσθαι, *cupidæ seu studiosæ fuisse cincturæ.*

Fuit etiam olim zona virginitatis symbolum apud Græcos, Latinos & Hebræos, teste Pierio. Trœzeniorum virgines zonam Palladi Apaturiæ ante nuptias dedicabant, sicuti crines Hippolyto, auctore Pausania. Apud Romanos, teste Festo, cingulo nova nupta ex lana ovis confecto præcingebatur, quod vir prima nocte in Deæ virginalis honorem, sponsæ accubans, in lecto solvebat. Unde puellæ nubiles & viripotentes a Græcis βαθύζωνοι appellantur. Pindarus *Od.* 3. σὺν βαθυζώνοις διδύμοις παισὶ Λήδας: *Cùm altè præcinctæ gemellis filiis Ledæ.* Illud erat concordiæ & conjunctionis futuræ augurium, ut sicut illa in glomos sublata, conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus vinctusque esset. Hunc Herculano nodo vinctum vir solvebat ominis gratia, ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui 70. liberos reliquit. Hinc eodem teste, *Cinxiæ* Junonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quòd initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta. Sive, ut scribit Martianus, *Cinxia Juno dicta, quod cingulum puellæ ponentes in thalamis, a Junone protegantur.* Arnobius lib. 3. *Unctionibus*, inquit, *superest unxia, cingulorum Cinxia replicationi.* Huc alludit Ovidius, **Zona virginitatis symbolum.** **Juno Cinxia. Mos zonam solvendi in nuptiis.**

Castaque fallaci zona recincta manu.

Eodem spectat Catullianum illud,

Qui zonam solvit diu ligatam.

Et Homerus in Οδ. λ. λῦσε δέ οἱ παρθενίην ζώνην, *solvit ei zonam.* De hac zonas solvendi consuetudine ante primum concubitum, plura cum alii tradiderunt, tum Antonius Justus in *Commentariis* suis in Ludovici Ariosti *Satyram.*

Quin etiam zonæ solutio puerperii fuit symbolum. Olim namque *zonam solvere* dicebantur, quæ primò pariebant, eaque de causa levatæ partu mulieres, zonam Dianæ dicabant. Unde fanum Dianæ λυσιζώνου, *Solvizoniæ* Athenis fuit, de quo apud Apollonium *Argonaut.* Eadem *Ilithya Lysizonos* nuncupatur, teste Phurnuto. Hinc Theocritus *Idyll.* 17. **Zonæ solutio puerperii symbolum. Diana λυσίζωνος.**

Ενθα γὰρ εἰλείθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον.

Hic ubi Lucinam vocitabat Lysizonam.

Orpheus in *hymno*, λυσίζωνε, φίλοιστρε, κυνηγέτι, λυσιμέριμνε. Sic Gallicè mulier prægnans *enceincte*, hoc est, *incincta* (qua voce pro *cincta* Apulejus utitur) appellatur: & Germanicè ontbinden / hoc est, *discingere* Deum dicimus prægnantes, quando illas gravi illo uteri onere liberat, qui verus est λυσίζωνος, & vera Lucina, hoc est, lucis dator atque auctor. Latini *Virginensem Deam* pari ratione vocavêre. Sanè sunt, qui zonam tum solvi tradiderunt, cum primùm nuptui puella traderetur, quomodo Homerus & Catullus: alii verò cum primùm puellæ pariunt; id quod Apollonii interpretes affirmant: unde Dianæ Lysizonæ templum apud Athenienses, cujus Hesychius quoque meminit. Huc quoque spectat, quod etiam Veneri cestum cingulum, seu balteum attribuerunt, varium & pulcherrimum, ut poëta Homerus Ιλ. Σ. describit. Illo enim in loco Juno concubitura cum suo Jove, Venerem adit, atque ab ea cingulum, gratiarum & amorum conciliatorem commodum petit. Hinc proverbium, *Cestum habet Veneris*, de eo qui novit quemlibet novis modis in amorem sui pellicere, de quo vide plura apud Erasmum in *Adag.* Hæc de muliebribus, ac virginalibus zonis. **NOTA.** **Proverbium.**

De sacerdotali cinctu apud Judæos, vide Levit. 38. quem fortitudinis fuisse symbolum theologi volunt: de quo etiam Pierius scribit in suis *Hieroglyph.* lib. 40. **Cinctus sacerdotalis.**

Prophetarum quoque cingula pellicea, ut Heliæ 2. Reg. 1. Joan. Baptistæ Matth. 3. Marc. 1. in sacris literis celebrantur, quibus illorum renes atque lumbi præcincti fuerunt: quæ & ipsa illorum fortitudinis atque operæ strenuæ, quam in divino suo munere præstiterunt: nec non temperantiæ atque moderationis, qua renes & lumbos suos, hoc est, fluxas & dissolutas animorum suorum cupiditates atque libidines, coërcuerunt, illustrem significationem habuerunt. Sic lumbare illud atque lineum Jeremiæ prophetæ cap. 13. cingulum, sive balteus, quo Dei jussu lumbos suos præcinxit, quemque eodem jubente ad Euphratis undas deportavit, & ibi in petræ foramine abscondidit, ut ibi computresceret, magnarum rerum symbolum fuit. Nam primò intimam & arctissimam Dei cum populo Israëlitico conjunctionem significavit, Deo ipso interprete: quòd nimirum, quemadmodum cingulum viri lumbis adhæret: ita ille sibi populum illum arctissimè conjunxerit ad suam gloriam illustrandam. Deinde ejusdem cinguli deportatio ad Euphratem, & putrefactio, exilii & ablegationis in captivitatem Babylonicam, signum fuit. De materia autem ejusdem cinguli, quæ fuit linum, **Cinctus Propheticus.**

 com-

communis ferè ſacerdotalium veſtium materia, vide plura apud Pierium in *Hieroglyph.*

Cingulorum uſus in bellis. Ζώνη apud Homerum pro armatura bellica. Maximus porrò & frequentiſſimus cingulorum uſus fuit olim in bellis apud omnes ferè gentes. Hinc ζώνη apud Homerum ſæpe ſignificat ὁπλισμὸν ſive πολεμικὴν ὅπλισιν, hoc eſt *armaturam bellicam.* Synecdochicῶς, & ζώννυσθαι, hoc eſt, *cingi* ſive *præcingi*, idem quod ὁπλίζεσθαι, id eſt *armari*, ut a θώρηξ, θωρήσσεσθαι: ab αἰχμὴ, αἰχμάζειν ſive αἰχμάσσειν: a δόρυ, δορύσσειν, ubi pars ſeu ſpecies armaturæ, pro tota armatura militari uſurpatur, quemadmodum Euſtathius annotat Ιλ. λ. pag. 758. & Ιλ. β. ubi Agamemnon dicitur Marti fuiſſe ſimilis ζώνην, hoc eſt, πολεμικὴν ὅπλισιν. Suidas, ζώννυσθαι, id eſt, *cingi eſt* καθοπλίζεσθαι, hoc eſt, *armari*, & ζώνη tropicè δύναμις: ἐπειδὴ ὁ ἐζωσμένος εὐσταλέστερός ἐστι πρὸς πρᾶξιν, hoc eſt, *Zona accipitur pro viribus ſive robore, quoniam is, qui eſt cinctus, expeditior eſt ad actionem.* Hinc μονόζωνοι eidem οἱ ἀπελάται μάχιμοι, ſive ἴμιοι τῶν στρατιωτῶν, οἱ μὴ τὴν αὐτὸν τοῖς ἄλλοις ζωστῆρα φοροῦντες, hoc eſt, militum præcipui, qui non eandem, quam cæteri zonam geſtant. Eodem tamen nomine etiam ἔφοδοι βάρβαροι & ἀσύντακτοι, ἢ ὡσανεὶ λῃσταὶ, hoc eſt, *homines barbari, incompoſiti & quaſi ſicarii ſive latrones*, eodem Suida teſte, appellantur. Huc quoque pertinet, quod literis proditum eſt, ſimulachra apud Thebanos ſtetiſſe Pallados ζωστηρίας, quòd ibi arma ceperit adverſus Eubæos & Chalcodontem, quoniam veteribus ζώσασθαι ſignificat ἐνδῦναι τὰ ὅπλα, id eſt, *arma induere*, auctor eſt Cælius lib. 22. cap. 19. & Heſychius & Pauſanias. Hinc cinctus, ſive ea pars corporis quæ cingitur, Marti antiquitus fuit conſecrata, ut frons Genio: brachia Junoni: pectus Neptuno: renes Veneri: pedes Mercurio: digiti Minervæ, ut auctor eſt Alexander ab Alexand. lib. 2. cap. 19. Hanc

Diſcinctus. Præcinctus. ob cauſam veteres diſcinctos, veluti diſſolutos ignavos, & militiæ minimè aptos putabant: præcinctos verò fortes & ſtrenuos. Perſius Sat. 3.

Non pudet ad morem diſcincti vivere Naccæ,

Id eſt, ignavus. Unde etiam illud: *Diſcincta veſtis, diſcinctus animus.* Servius *Æneid.* in illa verba,

Illi ſe prædæ accingunt, &c.

Accinctos enim, inquit, *induſtrios dicimus: ut, Paribusque accingitur armis.* Horatius, *Altius ac nos præcincti ſumus.* Plautus in *Bacchidibus*, *Cincticulo præcinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres*: ubi de puerorum educatione loquitur. Sicut contrà negligentes, *diſcinctos* vocamus: ut, *Diſcinctos Mulciber Afros*, & Horatius, *Quod aut avarus, ut Chremes, terra premam: Diſcinctus aut perdam, ut nepos*: ut Græcè εὔζωνοι, *expediti*

Lex Macedonum militaris. dicuntur. Quare Macedonum lex erat militaris, ut qui miles hoſtem non occidiſſet, non militari cingulo, ſed capiſtro cingeretur: & apud Carthaginenſes diſcincti poſtremi homines ducebantur, teſtis eſt Alexander ab Alexand. lib. 1. cap. 20. Sic Auguſtus Imp. teſte Suetonio milites delinquentes juſſit pedibus ſtare diſcinctos, id quod erat ignominioſum. Spartianus quoque in *Severo* principe demonſtrat militaris ignominiæ genus fuiſſe, milites eſſe diſcinctos. Aphrorum tamen peculiaris mos fuit, ut eſſent ſine cinctu ſive diſcincti. Hinc illud Plautus in *Pænulo*,

Tu qui zonam non habes, quid in hanc veniſti urbem.

Idem diſcinctum Afrum ſignificare volens, feſtiviter ait,

Sanè genus hoc mulieroſum eſt tunicis demiſſititiis,

Hoc eſt, longis, & ad talos uſque demiſſis, tanquam talaribus, & nulla zona ſuccinctis. Neronem Imperat. Suetonius ſcribit prodiiſſe in publicum ſine cinctu, & diſcalceatum. Idem de Cæſare, quod uſus ſit lato clavo ad manus fimbriato: nec unquam aliter, quàm ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura, unde emanaſſe Syllæ dictum optimates ſæpius admonentis, *ut malè præcinctum puerum caverent.* Sic Mæcenati probro dabatur, diſcinctum fuiſſe. Itaque in ejus epicedio id excuſatur, his verbis:

Quod diſcinctus eras animo quoque, carpitur unum:
Diluitur nimia ſimplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo:
Quæ bene præcinctos poſtmodo pulſa fugit.
Invide quid tandem tunicæ nocuere ſolutæ?
Aut tibi ventoſi quid nocuere ſinus?

Iterum: *Et tibi ſecuro tunicæ fluxere ſolutæ.*

Iterum: *Lydia te tunicas juſſit laſciva fluentes,*
Inter lanificas ducere ſæpe ſuas.

Cingulum militare. Cingulum militare, quo Romani uſi ſunt, *balteus* ſive *balteum* dictum fuit, quod quidem Varro definit cingulum e corio bullatum. Sed poſtea non coriaceos modò, verumetiam auratos, argenteos, & conſtellatos habuerunt balteos, de quibus vide Lazium lib. 8. cap. 14.

Cingi cingulo. Hæc autem quæ adhuc dicta ſunt de cinctura, præſertim militari, ad multa loca, & phraſes ſacræ ſcripturæ illuſtrandas faciunt. Ut, *Cingens ſe cingulo.* 2. Reg. 3. verſ. 21. pro militari ætate, ſeu adoleſcentibus jam gladium geſtantibus, uſurpatur. *Cingi* item *cingulo* ſignificat armatum & paratum eſſe ad pugnam, ſtrenuum eſſe bellatorem. Hinc 1. Reg. 20. *Neglorietur accinctus, ſicut diſcinctus*, id eſt, quòd vulgò dicitur, non eſt canendum epinicion ante victoriam, nit juſchreyen ehe daß man über den graben kompt. Sic *accingi lumbos*, eſt corroborari, & præparari ad aliquid agendum 1. Reg. 19. 2. Reg. 4. Job. 38. Jere. 1. Luc. 12. Epheſ. 6. Sic enim Dominus ſuos Apoſtolos ablegabat. Contrà *diſcingi*, pro infirmari, militiæ jure privari: & *diſcinctus*, pro imbecillo, ignavo, & imbelli, ut apud Græcos & Latinos: ita apud Hebræos

Accingi lumbos. Diſcingi. Diſcinctus.

quoque

Cingulum apud Hebræos quomodo uſurpatur.

quoque uſurpatur. Eſa. 23. *Non eſt cingulum ultra Iudæis*, id eſt, robur, vires: ſic ſuprà ζώνlω dixi a Græcis uſurpari. Job. 12. ait verſ. 18. *Deum balteum regum diſſolvere, & ligare zonam in renibus eorum*, hoc eſt, eorum opes, dignitatem, auctoritatemque frangere: (ſic ζώνη Suidæ δύναμις, & ἀξίωμα) ac contrà illos accingere ſervili zona, qua conſtricti in cuſtodia tenentur. Nam מוסר *muſar* R. Moſes ex veterum traditionibus dicit eſſe cingulum latius, auro, argentoque ornatum, regibus peculiare. Plerique tamen Hebræorum ibi *muſar* interpretantur *vinculum*, hoc eſt jugum, ſive tyrannidem, quam Deus a ſubditorum cervicibus ſæpè depellit. Mihi ſecundum priorem interpretationem, alterum verſus hemiſtichium hoc quoque modo explicari poſſe videtur, quòd ut illos ſæpe infirmat atque debilitat: ita contrà illis robur, animumque quando vult, addit. Ita ut *cingulum diſſolvere*, & *cingulo ligare*, inter ſe opponantur. Iſa. 25. *Ego diſcingam coram te reges*, hoc eſt, inermes & imbelles efficiam. Contrà rex ille gloriæ, Chriſtus nempe, lumbos ſuos cingulo juſtitiæ, & renes fidei balteo cinctus eſſe dicitur, Iſa. 21. Hoc eſt, ſumma juſtitia atque fide ornatus atque inſtructus. Hic Chriſti balteus, quo & ipſe armatus eſt, & ſuos armat atque ornat, illo ſacerdotali cinctu, de quo Lev. 28. adumbratus fuit. Verba illa ad Epheſ. 6. Στῆτε ὖν περιζωσάμενοι τ̀ ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ, Bayffius verti potius debere exiſtimat, *ſuccincti ſubligaculo*: vel ſimpliciter *ſuccincti*, quàm balteo. Nihil enim commune lumbis cum balteo, vide librum *de Re veſt.* cap. 20. ſub finem.

Cingulum diſſolvere, & ligare.

Conſuetudo militum in ſuis balteis & gladios, & pecunias geſtandi.

Notandum præterea eſt, milites antiquitùs in ſuis illis balteis, & gladios (qui inde alligati dependebant) & pecunias geſtaſſe. Hinc Gracchus apud Gellium in oratione quam ad populum in concione habuit de parſimonia, & pudicitia ſua, reverſus ex Sardinia: *Itaque Quirites, cum Roma profectus ſum, zonas quas plenas argenti extuli, eas argenti inanes domum retuli.* Plutarchus in *Gracchis* idem referens, pro zona vertit βαλάντιον: & idem in Lucullo, aureis quingentis ὑπεζωσμένον, id eſt, *ſuccinctum* dicit interfectum fuiſſe. Zona quidem cingulum eſt, ſed tamen, ſive quòd ad zonam crumenam alligabant, ſive quòd latiore in latere dextro zona uterentur, cui aſſuta & clavibus affixa erat ſcortea crumena, (cujuſmodi me puero adhuc ferre conſueverant) factum eſt, ut zona pro crumena fuerit uſurpata, ut Beroaldus annotat in Juvenalem. Vitellium teſtatur Suetonius, Zona ſe aureorum plena cinxiſſe. Plutarchus in *Demetrio* memorat, Soligenem aureos nummos habuiſſe in cingulo militari pro viatico. Apulejus libro ſeptimo, de quadam Plotina ſic ſcribit, *& auro monetali* (hoc eſt, nummis aureis, qui & *aureoli* vocantur) *zonis refertis incincta*, id eſt, cincta. Hanc zonam aureo monetali refertam ſignat Juvenalis illo verſu,

Zona pro crumena.

Obrutus & zonam læna, morſuque tenebit.

Vopiſcus in Aureliano has leges militares ab eo latas recenſet: *Arma terſa ſint, ferramenta ſanciata, calciamenta fortia, veſtis nova veſtem veterem excludat, ſtipendium in baltheo, non in popina geſtet.* Peſcennius Niger apud Spartianum vetuit, ne milites zonam ſecum deferrent in bellum, ſed ſi quid haberent pecuniæ, publicè commendarent receptui poſt prælium, ſimul & ipſis luxuriei materiam eripiens, & hoſti prædam, ſi quid adverſi accidiſſet. Lampridius in Alexandro, *Miles non timet niſi veſtitus, calceatus, armatus, & habens aliquid in zonula.* Plautis in *Pœnulo*,

Tu qui zonam non habes, quî in hanc veniſti urbem? aut quid quæritis?

In his Plauti verbis duplex eſt alluſio, & ad veſtem Pœnorum more diſcinctam, & ad pecuniam, quæ in zona geſtatur, citra quam in urbe ſumptuoſa non ſat commodè vivitur. Sic apud eundem in *Mercat.* Charinus iter facturus, *Zonam*, inquit, *ſuſtuli, jam machæra eſt in manu, tollo ampullam, atque hinc eo*: zona enim, machæra, ampulla olearia, erant itineraria inſtrumenta veterum. Et in *Trinummo*, *ſector zonarius* dicitur, qui ab Ariſtophane βαλαντιοτόμος, *crumeniſeca*, ſeu *crumenarum ſector*. Sic enim *crumeniſeca*, & *crumeniſex*, auctore Beroaldo, Latinè dici poteſt: ut *fœniſeca*, & *fœniſex* ab antiquis falcarius operarius dictus eſt: & crimen ipſum, *crumeniſecius*, ſive *crumeniſecium*, ut *fœniſecium*, vel *fœniſicium*, quibus verbis Varro, & Columella utuntur. Hinc proverbium, *Zonam perdidit*, in ἀχρημάτους, id eſt, eos qui nihil habent nummorum. Horatius lib. 2. Epiſt. ad Julium Florum:

Proverbium.

Ibit eò, quò vis, qui zonam perdidit, inquit,

quod Acron a Græca quadam fabula tractum putat: Porphyrius a militum conſuetudine, qui omnia ſua ſecum in zona portant, ſecundum illud Lucilii citante Nonio,

Cui neque jumentum eſt, nec ſervus, nec comes ullus,
Bulgam, & quicquid habet nummorum, ſecum habet omne:
Cum bulga cœnat, dormit, lavat, omnis in una
Spes hominis bulga, hac devincta eſt cætera vita.

Bulga quid.

Bulgam appellat Lucilius folliculum, ſive crumenam, & ſacculum de brachio propendentem. Feſtus Gallicum vocabulum appellat, certè Galli & Germani hodie ea voce utuntur. Ad illam porrò veterum (quæ etiamnum hodie populis quibuſdam uſurpatur) nummos in zonis geſtandi conſuetudinem, pertinet illud Chriſti præceptum, quod diſcipulis ſuis dedit, cùm inquit; *Non poſſidete aureum, neque æs in zonis veſtris.* Quibus verbis eos monet, ne ſint ſoliciti de corporis victu, atque cultu, & ut omnia impedimenta muneris ſui bene adminiſtrandi abjiciant. Notabis obiter quod ibi Theophylactus annotat in illa verba, *dignus eſt operarius* τῆς τροφῆς: τροφῆς, inquit, *Chriſtus dixit, non* τρυφῆς. ὐ γὰρ δεῖ τρυφεῖν τοὺς διδασκάλους. Hæc de cingulorum vario & multiplici uſu in genere dicta ſint, quæ ad multa ſacrarum & prophanarum literarum loca, melius atque facilius intelligenda, non parvi, mea ſententia, ſunt momenti.

Chriſti præceptum.

Nunc de eorundem in conviviis uſu quædam ſubjiciamus, ad quem inprimis videtur poſſe referri antiquiſſimus

Cingulorum in conviviis usus.

simus ille Judæorum mos, qui stantes in præcinctu agnum Paschalem comedebant: de quo vide Scaligerum lib. 6. *de emendatione temporum.* Videtur huc etiam alludere Martialis hoc carmine:

Longa satis nunc sum, dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona brevis.

Illyriorum mulieres, teste Athenæo lib. 20. a viris in conviviis adhibitæ, ipsos ebrios factos domum abducebant, καὶ κακόβιοι, inquit, πάντες εἰσὶ, καὶ ζώννυνται τὰς κοιλίας ζώναις πλατείαις, ὅταν πίνωσι· καὶ τοῦτο μὲν πρῶτον μέτρια ποιοῦσιν, ἐπειδὰν δὲ σφοδρότερον πίνωσι, μᾶλλον ἀεὶ συνάγουσι τὴν ζώνην, Hoc est, *malæ sunt vitæ omnes, & quando bibunt latis zonis ventrem præcingunt, quas initio mediocriter, postquàm autem validius biberunt, magis semper cogunt, arctiusque constringunt.* Hodie contrà a gulosis helluonibus fieri consuevit, qui, postquàm ventrem suum multo cibo potuque referserunt, cingula, quibus præcincti sunt, laxare solent (id quod nos Germani vulgò dicimus, Ein bauren lässy thün) quò plus adhuc cibi vinique ingerere possint. Observandum præterea Romanos milites balteos suos, quibus semper erant accincti, in mensa deponere fuisse solitos, de quo sic Vulcatius Gallicanus, *Nam statim*, inquit, *ad signa edici jussit, & programma in parietibus fixit, ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnem, discinctus rediret.* Ejusdem rei luculentius testimonium nobis Trebellius Pollio suppeditat, in Vita Salonini Gallieni: *Unum*, inquit, *ponam, quod jucunditatem quandam, sed vulgarem habuit, morem tamen novum fecit. Nam cum cingula sua plerique militantium, qui ad convivium venerant, ponerent, hora convivii Saloninus puer, sive Gallienus, is auratos, constellatosque* (hoc est, ex stellarum sculptura, cujusmodi cingulis hodie fœminæ utuntur) *rapuisse perhibetur. Et cum esset difficile in aula paulatim requirere quod periisset, ac taciti militares utri detrimenta pertulissent, postea rogati ad convivium, cincti accubuerunt. Cumque ab his quæreretur, cur non solverent cingulum, respondisse dicuntur, Salonino deferimus. Atque hinc tractum morem, ut deinceps cum Imperatore cincti discumberent. Negare non possum, alium plerisque videri hujus rei ortum esse morem. Dicunt enim militare prandium ab eo quod ad bellum milites paret, a cinctu initum: cujus rei argumentum est, quod a discinctis etiam cum Imperatore cœnatur.* Huc quoque forsan pertinet locus ille Plutarchi in *Camillo:* ἀποδυσάμενος τὴν μάχαιραν καὶ τὴν ζωστῆρα τοῖς σταθμοῖς, id est, *gladium unà cum balteo exutum lancibus apposuit.* Quæ idcirco posui, quia digna & memoria videbantur, & cognitu. His forsan non incommode addi poterit, quod Sigismundus Baro in suis *Commentar. Rerum Moscovitar.* scribit, magno Rusciæ principi jam inaugurato, inter prandendum muneris quasi loco offerri cingulum latum, auro, argento, gemmis pretiosis confectum, quo cingitur. Hodie plerique populi cingulis præcincti ad cibum capiendum solent accedere. An verò cinctum, vel discinctum cibum sumere valetudini sit convenientius, illud Medicis dijucandum relinquo: mihi cùm consuetudini hac in re serviendum, tum cinctura ne qua nimis arcta, & angusta, quæ cibi descensum in ventriculum, ipsamque concoctionem impedit, & anhelitum reddit graveolentem: neque laxa nimis, fluxaque videtur esse utendum. Mulieres nonnullæ, quò graciles, atque junceæ (quos *cingulos*, teste Festo, veteres appellarunt) videantur, ad convivia solent accedere zonis arctissimè constrictæ atque compressæ, cum maximo valetudinis suæ, præsertim si sint gravidæ incommodo, ac detrimento: unde sæpè in ipso convivio convivis spectantibus, & irridentibus, illas solvere rursus atque laxare coguntur. His zona verè est tormentum, ut eleganter a Tertulliano appellatur lib. *de Pallio.*

Historia.

An cinctum vel discinctum cibum sumere, sit valetudini convenientius.

Germani ad convivia armati procedunt.

Jam verò gladiis quoque accinctos, & armatos mensæ accumbere, apud populos quosdam moris est, apud alios non item. Germani olim, teste Corn. Tacito, ad negotia, nec minus sæpè ad convivia procedebant armati. Hodie quoque Germanis familiare est, & in seriis negotiis, & in conviviis armatos adesse, sicuti ordinem militarem decet, & hodie a præcipua nobilitatis parte hæc eadem consuetudo retinetur. Nonnunquam tamen antequam accumbant, gladios deponunt, præsertim si loci sint angustiæ, hæc simul vulgò dictitantes, Es ist hie güter frid / hoc est, *bona hîc est pax*, ac proinde non opus esse gladiis. Et certè mensæ, quæ pacis est amicitiæque socia, arma nequaquam videntur convenire. Cæterum antiquitùs apud Romanos in pace, prohibitam fuisse vulgò gladiorum gestationem, sicuti etiam per Italiam, & Galliam fieri consuevit, & certum ea in re privilegium eorum, quibus erat gestandi (quod inde *Gladiatorium* nominabatur) Lazius hisce T. Livii verbis lib. 4. Decadis 5. conatur probare, quum Genthii Illyriorum regis captivitatem describeret: *Et principium orationis*, inquit, *ab accusatione stultitiæ suæ, postremò ad preces, lachrymasque effusus, genibus Prætoris, in potestatem se dedit. Primò bonum animum habere jussit, ad cœnam etiam invitatus, in urbem ad suos rediit, & cum Prætore eo die honorificè est epulatus: deinde in custodiam Cajo Caßio tribuno militum est traditus, vix gladiatorio accepto, decem talentis ab eo rege receptis ut in eam fortunam recideret.* Hæc de vestitu conviviali cùm totius corporis, tum ceterarum ejus partium, ut capitis, pedum, atque cinctus satis sint dicta.

Gladiorum gestatio prohibita apud Romanos in pace: sicut apud Italos, & Gallos.

Vestitus qualis conveniat.

Omnino autem, ut huic quoque loco finem imponam, quemadmodum in cæteris rebus omnibus: ita his quoque adhibenda est mediocritas. Sic igitur vestitus tuus primò omnium tuæ personæ, sexui, ætati, muneri, facultatibus, consuetudini denique patriæ atque civili, aptus & accommodatus. Denique neque sit cynicus, hoc est, sordidus, squallidus, lacerus, cænosus, lutulentus, & malè olens: neque Sybariticus, hoc est, nimis operosus, splendidus & sumptuosus, ita ut neque τυπαρὸς, ac proinde convivarum contemptor, neque φιλόκομψος, sive φιλόκοσμος dicaris: sed sit liberalis, mundus ac purus. Denique ut decorum est splendidiore solito amictu ad convivia accedere, ita simul danda est opera, ut benè moniti potius, quàm nimis splendidis vestibus ornati ad illa accedamus. In primis vero summoperè nobis animarum nostrarum salus cordi est, ut ad salutiferum illud convivium Dominicum, non sumptuosis vestibus, quemadmodum hodie a vulgo hominum fieri solet, sed veste potius illa, verè nuptiali atque spirituali, hoc est, vera fide atque charitate induti & ornati, accedamus.

CAPUT

CAPUT XXX.

DE CONVIVAE ADVENTU, NE IS NIMIS SIT VEL MATURUS, VEL TARDUS. AD JANUAM AEDIUM UBI PERVENTUM, QUOMODO CONVIVA ET CONVIVATOR SE GERERE DEBEANT. DE JANUARUM SITU, EAS PULSANDI, APERIENDI, CUSTODIENDIVE ANTIQUA CONSUETUDINE: DE EARUNDEM ORNATU SUPERSTITIONEQUE VETERI.

Adhuc de convivatoris, & convivæ præparatione dictum est: nunc consequens videtur esse, ut de convivæ adventu dicatur. Is igitur tempore opportuno ac constituto prandii sive cœnæ fieri debet, ita ut neque maturus nimis sit, neque nimis tardus, unde magna sæpè incommoda nascuntur. Nam primò qui citius quàm par est, ad convivia accedunt, qui a Græcis eleganter, ut est apud Plutarchum *Sympos. 7. Probl 7.* τρεχέδειπνοι appellantur: illi magnæ nonnunquam sunt in convivio adornando occupatis molestiæ, & impedimento. Deinde ipsi quoque pudore afficiuntur, dum se præpropero hoc nimis suo adventu, universæ familiæ molestos esse sentiunt. Sed secundò, multò adhuc magis cavendum est, ut ne nimis tardè seroque ad convivium accedamus, quod qui faciunt eleganter a Græcis ζοφεροδόρπιδες, hoc est, *noctucœnæ*, & κολυσιδειπνοι, hoc est, *remoricœnæ* appellantur, teste Plutarcho lib. 7. *Proble.* propterea quod sua mora & cunctatione cœnam remorantur, illamque in obscuram noctem protrahi faciunt. τρεχέδειπνον quoque a nonnullis τὸν ὑστερίζοντα τοῦ δείπνου appellari, Plutarchus ibidem testatur, propterea quòd is, qui moram aliquam interposuit, tantò majorem postea currendi celeritatem adhibere cogitur, ut in tempore adsit: quo tamen nomine illos quoque qui nimis citò veniunt appellari, paulò ante dictum est. Item ἐπιθυμόδειπνος, eodem teste Plutarcho, Græcis dicitur, qui quamvis multis sit occupatus negotiis, tamen cœnitandi cupiditate ductus, vocationem non renuit, sed tardius accedit, quo nomine Cæsaris cujusdam scurra, a Batto fuit appellatus. Hac autem in parte qui peccant, illi & sibimetipsis, & convivis reliquis, & ipsi convivatori seu convivii domino, magna sæpè incommoda atque molestias conciliant. Nam ipsi primùm hac sua cunctatione efficiunt, ut & magna parte convivii frustrentur, & locum incommodiorem, seque minus dignum sortiantur, secundum trita illa nostra, quæ vulgo jactantur, Wär sich versaumpt / der hat den schaden / hoc est, *qui nimiam trahit moram, incommoda patitur:* &, *Tardè venientes malè sedentes*, cùm contrà, ut vulgò dicitur, wol gesässen / ist halb gässen. Deinde convivis jam sedentibus, ludibrio nonnunquam solet esse & irrisui, & ab illis variis jocis perstringitur, cujusmodi sunt illa, Er kompt wenn man daß braatiß gibt? Wir hand auff in mit der linckenhand gewartet. Item / Es gebürt sich nit / daß vil harrend auff einen narren. Deinde ipsis convivis sunt molestiæ, dum vel expectare nimis diu coguntur, ac proinde ad iram concitantur, secundum illud Plauti, *Mora & fames bilem in nasum conciunt:* vel postquàm jam sessum receperunt, surgere rursus, ac sedes suas mutare coguntur. Præterea ipsi quoque convivii domino, totique familiæ, hac sua cunctatione, plurimùm molestiæ exhibent, dum vel cibi aduruntur nimis, ac corrumpuntur, vel ipsi cum plurimis aliis negotiis sint occupati, illum denuò ad cœnam vocare coguntur. Theocriti Scholiastes indicat hos senarios in eum, qui tardè ad cœnam veniret, vulgò olim fuisse jactatos,

De convivæ adventu, qualis nimirum is esse debeat.
Non citius, quàm par est, ad convivia accedendum.
τρεχέδειπνοι.
Nec minus tardè quoque ad convivium accedendum.
ζοφεροδόρπιδες, & κολυσιδειπνοι.
Ἐπιθυμόδειπνοι,
& sibimetipsis & convivis, & convivii domino incommoda conciliant.
Sibimetipsis.
Convivis.
Convivii domino.

Ὅστις ἐπὶ δεῖπνον ὀψὲ κληθεὶς ἔρχεται
Ἢ χωλός ἐστιν, ἢ οὐ δίδωσι συμβολάς.

Id est,

Quisquis vocatus tardus ad cœnam venit,
Aut claudus est, aut non dat ille symbolas.

Theocriti verba hæc sunt,

Ἢ μὲ ποτὶ δαῖτα κλητὸς ἐπείγεαι,
An quoquam ad cœnam properas conviva vocatus?

Et additur, *eos qui vocati sunt celeriùs ire, qui non vocati, tardiùs. Etenim qui vocatus, se venturum promisit, incivile putat, si convivatori sit in mora. Qui non vocatus venit, vel pudore tardior est, vel quia exclusus spe alterius convivii. Ita qui symbolam dedit, properat ne mulctetur denuò, si post tempus venerit. Qui non dedit, hujus rei securus, ut lubet ambulat.* Hæc Scholiastes ille Erasmo interprete in *Adag.* Huc quoque referri potest illud Eubuli Comici apud Athenæum lib. 1.

Ἀσυμβόλου δείπνου γὰρ ὅστις ὑστερεῖ
Τοῦτον ταχέως νόμιζε καὶ τάξιν λιπεῖν.
Qui cœnam ad immunem venire prorogat,
Hunc credito posse ordinem relinquere.

Illi quoque qui peregrè ad aliquem proficiscuntur, dabunt operam, ut vel ipso prandii, aut cœnæ tempore veniant, vel ante: ne, si post venerint, patri matrique familiâs, ac toti familiæ molestiam, negotiumque facessant,

Peregrè proficiscentium adveniendi tempus.

Inceſſus ad convivia qualis requiratur.
Convivatoris officium ſi convivæ moram trahunt.
Luc. 24.
Convivæ prætereà officium.

ſant, dum novæ illis epulæ ſunt parandæ. Huc quoque videntur pertinere, quæ Cicero in *Officiis* de inceſſu præcipit, ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut ſimiles pomparum ferculis eſſe videamur: aut (id quod τρεχέδειπνοι facere ſolent) in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates, quæ cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam. Sed ut conviva neque nimis citò: neque nimis tardè (niſi magna id neceſſitas poſtulet) ad epulas accedere debet: ita convivatoris partes ſunt, ut convivas, qui moram trahunt, vel ipſemet, vel per famulos, & ancillas ſuas denuò vocet, quemadmodum Regem illum in parabola Euangelica feciſſe legimus. Illud quoque, quòd ad convivam attinet, non videtur eſſe prætereundum: ut nimirum is, ſi quem vel vicinum, vel amicum habeat, quem etiam invitatum eſſe noverit, illius ædes prætereundo illum vocet, ubi illo comitatus ad convivium veniat, id quòd non modò decorum eſt, atque civile: verumetiam amicitiæ, benevolentiæque ſignificationem habet.

Conviva ſi ad hoſpitis ædes jam pervenerit, quid facere debeat.

Jam verò poſtquàm conviva ad hoſpitis, ſeu convivatoris domum pervenit, primò quidem ſummoperè cavebit, ne illam temerè irrumpat, aut januam nimis crebrò, protervè, violenterque pulſando (quod Plautus *protervè foribus injuriam facere* appellat) convivatori, ejusque familiæ moleſtiam aliquam exhibeat, ſed patienter potiùs expectet donec domus ei aperiatur, cogitans familiares multis negotiis diſtrictos, & impeditos teneri, quò minus illi pulſanti ſtatim domum aperire poſſint. Sed tamen intereà paterfamiliâs, ſive convivator dabit operam, ut convivis atque hoſpitibus domus pateat, vel certè quàm celerimè aperiatur, ne diu præ foribus cogantur expectare: & ſi nocturnum fuerit tempus, mox aderunt aliqui, qui illis lumen præferant, ne forſan in tenebris impingant, atque offendant: vel ipſe paterfamiliâs hoſpites atque convivas introducet in domum, vel per ſuos familiares illos introduci curabit, ut ille Joſephi œconomus dicitur fratres ejus in domum ipſius introduxiſſe, Gen. 43. verſ. 24.

De januis.
NOTA.

Nunc antequàm ulteriùs progrediar, quoniam januæ pulſandæ, aperiendæque facta eſt mentio, facere non poſſum, quin de januis, quarum apud veteres magnam religionem fuiſſe reperio, quædam cognitu& utilia, & jucunda interponam. Hic autem mihi primò omnium in mentem veniunt illa Dei verba Apocalyp. 3. *Ecce ſto*, inquit, *ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Quibus verbis Deus ſignificat, ſe ſalutis noſtræ ſtudioſiſſimum, cùm interno ſancti ſui Spiritus inflatu, tum extrinſecùs verbo, ac ſacramentis ſuis cordium, animorumque noſtrorum fores aſſiduè pulſare, ut nos ad pœnitentiam perducat. Quicunque itaque Deo, ſalutaria præcipienti atque monenti, mentis ſuæ januam aperuerit, illique obtemperaverit, illo utetur conviva, hoc eſt, illius conſpectu, colloquio, convictuque cum immenſa & infinita animi corporisque ſui voluptate perpetuò fruetur. Hæc Deus eleganti hac allegoria docet, quæ quidem a re conviviali, & vulgari hac januæ pulſandæ, aperiendæque conſuetudine, de qua nunc agemus, eſt petita. In edito olim januam fuiſſe, gradibusque ad eam aliquot aſcendi ſolitum, quod hodie quoque fieri videmus in Optimatum ædibus, regiisque principum, Turnebus in ſuis *Adverſ.* docet ex illis Virgilii verbis:

---- *Poſtesque ſub ipſos,*
Nituntur gradibus.

De januæ pulſatione.

Quod ad januæ ſive forium pulſationem attinet, Latinis id eſt *fores ferire, pulſare*, & *pultare, verberare*, ut paſſi n apud Terentium & Plautum. Græcè κόπτειν, (Unde forſan noſtrum **klopffen** / id eſt, *percutere*) & κρούειν, quæ vox poſterior ſæpè in ſacris literis occurrit, ut Actor. 12. Apocalyp. 3. Luc. 13. Matth. 7. Hinc θυροκόπτης, & θυροκόπος, ὁ τὰς θύρας κόπτων Suidæ. Et θυροκρουστῶν, *fores pulſitans* Heraclidi. Ariſtophanes in *Veſpis*:

---- ἀπὸ γὰρ οἴνου γίνεται
Καὶ θυροκοπῆσαι, καὶ πατάξαι, καὶ βαλεῖν
Κἄπειτ' ἀποτίνειν ἀργύριον ἐκ κραιπάλης.

Fores porrò pulſantur variis modis, ut pedibus, calcibus, ſaxis, & inſtrumentis quibuſdam artificialibus. Sic enim κορώνη Græcè dicitur annulus oſtii, quo pulſatur, vel ob figuram, vel garrulitatem ſic dictus, qui etiam κόραξ dicitur, & κοράκιον, & κρίκος, item ῥόπτρον, ἐπισπαστὴρ, & ἐπίσπαστρον.

κόπτειν & ψοφεῖν quomodo differant.

Obſervandum autem olim januas & fores ab ingredi volentibus percuſſas fuiſſe, & intrinſecùs etiam ab iis, qui exire volebant: unde Suidas in illud Ariſtophanis, ἀλλ' οὐχὶ κόπτω τὴν θύραν, inquit, ἐπὶ τῶν ἔξωθεν τὴν θύραν κρουόντων τὸ κόπτειν λέγεται· ἐπὶ δὲ τῶν ἔσωθεν, ψοφεῖν· quæ accuratè diſtinxit Menander. Nam de iis, qui præ foribus ſtabant, verba faciens, ait, κόψω τὴν θύραν, *pulſabo januam*: de iis verò qui ſunt intrò, ἀλλ' ἐψόφηκε τις τὴν θύραν ἐξιών. Idem teſtatur Ariſtophanis interpres, in illa verba: ψοφεῖ τις ἔνδον, de eo qui foras vult exire. Januam vehementer violenterque pulſare Plautus vocat, *Protervè foribus injuriam facere*, in *Rudente*. Sic ferè Ennius apud Nonium, *Quis eſt qui noſtris foribus tam proterviter?* Cætera deſunt. Frangere fores, *Penè effregiſti foribus cardines*, in *Amphit.* Ibid. *Quid tam vaſto impetu has foreis toto convolſit ordine?* Apuleius lib. 1. *oſtium accedo, & januam fortiter oppeſſulatam pulſare vocaliter incipio. Morem*, annotat Beroaldus, *expreſſit uſitatiſſimum, ut ſcilicet, qui pulſat oſtium, etiam forinſecus inclamet.* Item mihi videtur colligi poſſe ex illo loco *Actorum* duodecim: pulſante Petro januam veſtibuli, acceſſit ancilla audiendi gratia (quis nimirùm adeſſet) καὶ ἐπιγνοῦσα τὴν φωνὴν τοῦ Πέτρου, &c. Unde colligimus Petrum januam vocaliter, hoc eſt, voce ſimul edita pulſaſſe, quem ancilla illa ſtatim agnovit. Sic Lucæ decimo tertio, *Et cœperitis foris ſtare, & pulſare januam, dicentes, Domine aperi nobis*, &c. Apud nos ſunt etiam nolæ, ſeu tintinnabula, quibus aperiendi januas

Januam vocaliter pulſare.

nuas signum datur, quæ apud veteres non videntur in usu fuisse. Hic quoque observandum, moris fuisse apud Romanos, ut cum lictores jussu Consulum, aliquem e domo evocarent, fores ædium virga percuterent, quasi eo signo publicam adesse personam innotesceret. Si cui tamen ob dignitatem claritatemque deferebant, virga fores percuti vetabant. Cum enim Pompeius M. Possidonii domum summi sapientiæ professoris esset ingressurus, fores virga percuti vetuit, & fasces submisit, testis est Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 27.

Domum, sive januam aperire, *recludere*, *reserare*, *pandere*, *repandere*, *patefacere* dicunt Latini, Græcè ἀνοίγειν.

De antiqua januas claudendi aperiendique ratione Apud Græcos.

Apud veteres porrò Græcos ostia ita fuerunt posita & comparata, ut extrorsum aperirentur: unde etiam *fores* volunt dictas, quasi foras aperiri solitas. Atque idcirco qui exibant, & in publicum domo prodibant, fores percutere, crepitumque edere digitis consueverunt, (quod Græcè ψοφεῖν propriè dicitur, de quo suprà) ne qui foris starent, quive præterirent, a valvis læderentur, aut in angiportu interciperentur. Plutarchus hoc idem literis memoriæque prodidit in *Publicola*, his verbis: τὰς δὲ αὐλείους (januas) πρότερον οὕτως ἔχειν ἁπάσας λέγουσιν, ἀπὸ τῶν κωμῳδιῶν λαμβάνοντες. ὅτι κόπτουσι, καὶ ψοφοῦσι τὰς ἑαυτῶν θύρας ἔσωθεν οἱ προϊέναι μέλλοντες, ὅπως αἴσθησις ἔξω γίνοιτο τοῖς παρερχομένοις, ἢ προεστῶσι, καὶ μὴ καταλαμβάνοιντο προϊούσαις ταῖς κλισιάσιν εἰς τὸ στενωπόν. Itaque in Plauti, & Terentii fabulis nunquàm ferè quisquàm egreditur domo, ut non antea crepuisse fores dicerentur. Nam quoniam illæ fabulæ è græco fuerunt conversæ, idcirco quarundam consuetudinum, quibus olim Græci usi sunt, impressa in eis vestigia cernere licet. Plautus in *Curcul. Sentio sonitum. Tandem Ædepol mihi morigeri pessuli fiunt.* Item: *Sed interim fores crepuere, linguæ moderandum est mihi.* Item in *Casina*, *Taces, nostra foris crepuit.* Item, *sed crepuerunt fores.* Et, *sed crepuit ostium, exitur foras.* Et in *Bacch. sed foris concrepuit nostra.* In *Pœnulo*, *Fores hæ fecerunt magnum flagitium. Ad. Quid est flagitii? Co. Crepuerunt clarè.* Apud Romanos antiquis temporibus non ita fores aperiri fuisse solitas M. Valerii Publicolæ exemplum docet, qui, teste Plutarcho in ejus vita, hoc honoris insigne habuisse dicitur, ut fores ædium ipsius, non introrsum trahendo, sed in viam publicam pellendo aperirentur: unde colligimus id Romæ rarum fuisse, quod in Græcia quondam vulgatum fuit, ubi omnium ædium fores eo modo pandebantur. Ejusdem rei Plinius quoque meminit lib. 36. de Val. Publicola & ejus fratre his verbis: *Adjici decreto ut domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur.* Eadem de re vide Alexandrum ab Alex. lib. quinto, cap. vigesimoquarto his verbis: *Sed tamen triumphales domos hoc amplum habuisse ferunt, ut fores de via aperirentur, non intus, sicut de Puplicolæ familia proditum est.*

Apud Romanos.

Nunc de januæ custodibus aliquid dicamus. Antiquitùs illustres domos, qui etiam hodie mos est, legimus habuisse suos custodes, quibus januarum, ædiumque custodia commissa erat, quique aperiendi & claudendi, & homines vel intromittendi, vel extroducendi, canes, fures, mendicos abigendi potestatem habebant. Virgilius lib. 9. *Æneid.*

De januæ custodibus.

----- hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.

Servius, *Æditus fuit, quod, ut suprà diximus, ingenti honore apud majores fuit.* Illic enim & epulabantur, & Deos colebant, census etiam omnis illic servabatur: quod & Plautus docet in *Asinaria*, in qua inducit servum Atriensem in tota familia plurimum posse. Dicuntur etiam *Liminarchæ* & *famuli ad limina.* Silius 1. *Punicor.*

Famuli turbato ad limina somno
Expavere trucem per vasta silentia vocem.

Ubi *famuli ad limina* sunt liminis præfecti, cubiculique custodes. Hi a Græcis θυρωροί, & φύλακες τῆς θύρας, πυλωροί a Latinis *janitores* & *ostiarii*, in fœminino genere *janitrices*, & *ostiariæ* appellantur. Plautus in *Asinaria*,

Ita hæc morata est janua, extemplo janitorem
Clamat, procul si quem videt ad se ire calcitronem.

θυραυλεῖν, πλανᾶσθαι κατὰ τὴν χώραν, ἢ παρὰ τὰς θύρας αὐλίζεσθαι. Apud Romanos Imperatores habebant suos ministros ad fores, & admissionales, qui eos, qui salutatum veniebant admittere vel dimittere solebant, quorum mentio fit ab Ælio Lampridio in vita Severi Imperatoris: *Salutabatur*, inquit, *quasi unus de Senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis, aut solus iis, qui administri ad fores fuerant, cum antea salutare principem non liceret, quod eos videre non poterat. Admissionales* ergo dicebantur, quorum officium erat admittere intra cubiculum volentes salutare principem & alloqui. Ab Ammiano Marcellino dictus est *magister admissionum*, qui præerant hujuscemodi negocio, sive officio admittendi in cubiculum, & introducendi ad principem: quæ dignitas, ut idem ait, fuit honorata. Suetonius in *Vespasiano*, *quidam*, inquit, *ex officio admissionis*, id est, unus ex admissionalibus Palatinis. In primis verò sacræ ædes suos habuerunt custodes & janitores. De templi Hierosolymitani janitoribus, vide multa 1. Par. 26. Horum officium erat asservare quatuor portas, & introitus atriorum, ne impuri & immundi secundum legem, atque præputiati templum ingrederentur: dare item operam, ne qui ad portas tumultuarentur. Hoc in primitiva Ecclesia Diaconorum munus & officium fuisse, ex Dionysio Areopagita, & aliis scriptoribus constat, qui portas custodiebant, post Psalmos decantatos, & sacram alicujus Prophetæ, aut Pauli, & Euangelii lectionem atque enarrationem, priusquam consecrationis mysterium ordiretur sacerdos, catechumenos, energumenos, desertores & pœnitentes exire jubebant alta voce clamantes, *Catechumeni exeunto*, vel *si quis Catechumenus remansit, exeat.* A qua quidem

Imperatorum custodes ad fores.

Admissionales.

Sacrarum ædium custodes.

Cate-

Appellatio Missæ, cœnæ dominicæ, unde attributa. Æditimi & æditui unde dicti.

Catechumenorum dimissione, vulgus appellationem *Missæ* cœnæ dominicæ attribuit, quemadmodum ex Isidoro probat Rhenanus in *annotat.* in lib. 4. Tertulliani *adversus Marcionem*, & *de Corona militis.* Hi postea *ostiarii* dicti sunt. De æditimis sive æedituis templi Serapidos custodibus, qui etiam *pastophori* nuncupati sunt, vide Pierium in *Hierogl.* lib. 43. *Æditimi* quasi ædium intimi: *æditui* a tuendis ædibus dicti sunt, ut est apud Charisium. Quin etiam canes ceu fidelissimi januarum custodes adhiberi solent. Unde Homerus Ιλ. χ. Αὐτὸ δ' ἂν πύματόν με κύνες πρώτῃσι θύρῃσιν ὠμησταὶ ἐρύουσι. Ubi Eustathius, Πρῶται, inquit, θύραι Homero sunt, οἱ αὔλειοι, quas moris erat a canibus custodiri, quas etiam προθύρους manifestiùs vocat.

De januarum ornamentis atque religione. Janus.

Postremò de januarum ornamentis atque religione, sicut erat propositum, dicatur. Ut urbium, atque templorum portas: ita privatarum quoque ædium, ostia sive januas sacras fuisse veteribus, religioseque cultas, passim ex veterum monumentis constat. *Januæ*, ut suprà dictum est, a Jano, cui consecratæ erant, fuerunt denominatæ, cui gentiles, teste Isidoro, omnem introitum, vel exitum sacraverunt. Unde Lucanus:

Ferrea belligeri compescat limina Jani.

Portumnus portarum deus.

Cicero libro *de Nat. Deorum 2. Cumque*, inquit, *in omnibus rebus, vim haberent maximam prima, & externa, principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est deductum: ex quo transitiones perviæ Jani, foresque in liminibus prophanarum ædium, januæ nominantur.* Hæc Cicero. Sic Portumnum finxerunt portarum Deum, penes quem clavis tutelam, & claudendi vim ac potestatem esse putabant, qui idcirco clavem manu tenere fingebatur, teste Festo. Hoc in loco Gyraldus parum sibi constare dicit: an pro *Portuno*, sive *Portumno*, *Vortunum* legendum sit, cum plerique Janum, & Vortunum eundem fecerint, & ei Deo sit clavis attributa. Hac imagine hodie S. Petrus exprimitur. Similiter *Forensis Deus* dictus est, quem furibus præesse existimabant. Singulæ quoque januæ, sive ostii partes, peculiaribus quibusdam Diis fictitiis sacræ erant. Ut cardines, Cardeæ deæ, (quam quidam libentius *Carnam* vocant) quæ, ut canit in sexto *Fastorum* Ovidius, ab Jano compresso, acceperit cardinum potestatem, prius *Crane* nuncupata, dein per antistichon, *Carna.* Hanc & *Cardineam* viri alioquin eruditi, inter quos Sipontinus, appellarunt. *Cardines* ab eo munere, quod in valvis, ostiisque sustinendis præstat, dignitatem, auctoritatem, reique summam significare Pierius docet lib. 49. inde etiam *Cardinales* dicti, de quibus vide ibidem. Liminum similiter custodem atque præsidem finxerunt Limentinum deum. De his Diis scribit Tertullianus in libro *de Idololat. Certi enim esse debemus, si quos latet per ignorantiam literaturæ secularis, etiam ostiorum Deos apud Romanos, Cardeam a cardinibus appellatam, & Forculum a foribus, & Limentinum a limine, & ipsum Janum a janua.* Et paulò post: *Etiam apud Græcos Apollinem θυραῖον, & antelios dæmonias ostiorum præsides legimus.* Et Augustinus *de civitate Dei* libro quarto, capite octavo, sub finem: *Unusquisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omnino non sufficit. Tres deos isti posuerunt: Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non poterit Forculus simul fores & cardinem limenque servare. Nulla in janua, quacunque esset hora, veteres loqui fas esse arbitrabantur.* Nam Pythagoricum, & Ægyptiorum dogma sapientum id fuit, quum Deum innuerent silentio esse colendum, a quo sunt rerum primordia. Cælius libro 16. cap. 3. ibidem in janua olim, meridiei & austri symbola visa fuisse testatur. Limina quia sacra veteribus, idcirco limen calcari in ingressu domus sine scelere a nova nupta minimè posse putabatur. Ita enim ingrediebantur illæ, ut limen pedibus non tangerent, neque per se transirent aut transcenderent, sed aliorum manibus sublevarentur ac tollerentur, quod refert Plutarchus in Romulo. Huc pertinet illud Catulli in carmine nuptiali & Manlii:

Forensis Deus qui furibus præest. Cardea, sive Carnea, Cardinum dea. Cardinales, unde dicti. Limentinus liminum Deus.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

Et illud fortasse Lucretii libro primo:

Nam sublata virum manibus, tremebundaque ad aras
Deducta est, non ut solenni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari hymenæo.
Sed casta inceste, &c.

Lucanus libro secundo de Nuptiis Catonis, & Marciæ,

Turritaque premens frontem matrona corona,
Translata vetuit contingere limina palma.

Ovidius 1. *Eleg.* *Missa foras, iterum limen transire memento*
Cautiùs, atque altè sobria ferre pedem.

Hunc morem veterum Romanorum, in novis nuptis domum mariti introducendis, Plautus quoque mirè & luculenter expressit, in *Casina* his verbis:

Sensim superat, tolle limen pedes nova nupta, sospes
Iter incipe, &c.

Ex his patet, quod nova nupta non solum non contingebat pedibus limen domus, in quam deducebatur, sed nec ejus ex qua exibat, ut observavit Turnebus in suis *Adversariis.* De nova nupta, & Imperatoris levatione, vide Petrum Pithæum *Advers.* lib. 2. cap. 6. Huc quoque non incommodè videtur posse referri superstitio cultorum Dagonis, qui limen portæ templi transilire solebant, eò quod idoli illius caput atque manus ibi jacuerant, ut 1. Sam. 5. scriptum est. Eandem superstitionem Sophonias quoque capite primo videtur perstringere, cum inquit: *Qui transiliunt limen.* Unde Chald. Paraphrastes vertit: *Qui non ambulant in statutis*

Palæ-

stinorum. Postes similiter veteres venerari fuerunt soliti. Valerius Maximus, libro 2. capite 5. scribit: *prædones quosdam cum a Scipione Africano foribus reseratis intromissi fuissent, postes januæ tanquam aliquam religiosissimam aram, sanctumque templum veneratos fuisse.* Huc quoque pertinet illud Virgilii, secundo *Æneidos:*

Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.

Turnebus in suis *Adverſ.* lib. 12. cap. 5. in hæc verba: *Hoc, ut opinor,* inquit, *e Romanorum moribus dictum est, qui religionis aliquid liminibus & postibus tribuebant. Apud Plautum limen inferûm & superûm, quadam religione salutatur, & apud Tibullum liminibus oscula dantur, ut hîc apud Maronem postibus: & qui ædem dedicabat, postem tenebat: ad deorumque placandam iram, poste caput tundebant:* Tibullus,

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus,
Non ego tellurem pedibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.

Et apud Poëtas, amatores dant postibus serta. Quod si non satis religionis opinionem confirmat: at certè verisimile eandem posti, quàm limini reverentiam & cæremoniam tributam. Igitur amplectuntur postes, & osculantur, eorum religione se tutas fore, & immunes ab hostium injuria existimantes. De more Judæorum antiquo, in festivitate Paschali Agni mactati sanguinem postibus ædium aspergendi, vide Exodi duodecimo capite, de quo mysterio suprà dictum est. Huc facit quòd, Beroaldo teste, mos fuit quorundam gentilium, convivis domum intrantibus aut ingressis, ostendere limen, dicendo, *Extra illud nihil,* id est, ad mensam audita, cave foras elimines, ut Horatius loquitur epistola sexta ad Torquatum. Vetus quoque Romanorum mos fuit, ut novæ nuptæ mariti domum intrantes, axungia postes ungerent: ea enim religione tenebantur, ut axungia putarent pleraque mala arceri. Servius libro quarto *Æneidos*, morem fuisse ait, *ut nubentes puellæ simul cum venissent ad mariti limen, postes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo ungerent, & inde uxores dictas.* Sed Plinius & Masurius non oleo, aut axungia, sed lupino adipe postes inungere moris fuisse, prodiderunt, ne scilicet malum aliquod medicamentum inferretur. Ab illo postes ungendi more, *Unxia Juno* cognominata, teste Martiano. Alexander ab Alex. ejusdem consuetudinis meminit, libro 2. capite 4. *Sponsus,* inquit, *illam domi operiens, in qua sedes erat conjugii futura, paratu magno januam lana cingit & coronat: multaque lauro exornat, postesque vittis laneis primùm a nova nupta attingi & ornari, oleoque & adipe suillo, vel lupino inungi jubet: ne quid perniciosæ pestis in domum irrepat, quod Magorum commentum fuisse dicunt, ut felle nigri canis suffitas domos, & genitale sub limine defossum habeant, contra mala medicamenta, & amatoria maleficia maximè proficere arbitrati. In foribus verò villarum, lupi rostrum, ne quid deperiret, neve mala fascinatio in domum irreperet.* Alii stellam marinam vulpino sanguine illitam, ne quid periculi foret, aut noxæ, defixere. εἰρεσιώνη dicebatur ramus oleaginus lana obvolutus, arborum fructibus circumpendentibus, qui ante januas ædium per puerum poni erat solitus in honorem Apollinis, ut testantur Pausanias, Suidas, & Aristophanis interpres in *Plut. & Equit.* Plutarchus in *Theseo,* Eustathius Ιλ. χ. fol. 1389. Id fieri consuevit in Pyanepsiis, de quo festo vide plura ibid. Hanc autem januas in nuptiis, aliisque festivitatibus coronandi consuetudinem Tertullianus aliquot in locis attingit. Ut libro 2. *ad uxorem: Moratur Dei ancilla cum Laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus solennibus regum incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur. Et procedit de janua laureata, & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Et in *Apologetico: Cur die læto non laureis postes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est solennitate publica exigente inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris.* Ibidem de hostibus Cæsarum, *Quàm recentissimis, & ramosissimis laureis postes præstruebant? quàm clarissimis, & elatissimis lucernis vestibula enubilabant?* Idem libro *de Idololat. Ergo, inquis, honor Dei est, lucernæ pro foribus, & laurus in postibus, non utique quod Dei honor est: sed quòd ejus qui pro Deo ejusmodi officiis honoratur, &c.* Et paulò pòst: *Si autem sunt, qui in ostiis adorantur, ad eos & lucernæ, & laureæ pertinebunt, Idolo feceris, quicquid ostio feceris.* Et paulò pòst: *Scio fratrem per visionem eadem nocte castigatum graviter, quod januam ejus subitò adnunciatis gaudiis publicis servi coronassent.* Et iterùm: *Accendant igitur quotidie lucernas quibus lux nulla est, adfigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus imminent ignes. Illis competunt & testimonia tenebrarum, & auspicia pœnarum. Item, plures jam invenies Ethnicorum fores sine lucernis & laureis, quàm Christianorum.* Eundem morem hi quoque Juvenalis versus declarant Satyr. 6.

Uxores unde dictæ.

Juno Unxia unde cognominata.

Mos januas ornandi lauro atque lucernis.

Ornentur postes, & grandi janua lauro.

Item Satyra 12.

Hîc nostrum placabo Jovem, laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis.

Lipsius hîc pro *operatur,* legit *operitur,* id est, tegitur, vestitur. Hunc porrò januas lauro, & lucernis ornandi morem, in omni publica privataque lætitia, Seneca quoque perstringit *epist.* 68. *Quid tu existimas ea tantùm optabilia esse, quæ per voluptatem & otium veniunt? quæ excipiuntur foribus ornatis?* Lucernæ porrò hujus-

hujusmodi pensiles erant, suspendebanturque catenulis, accensæ ad ædium singularum januas aut fenestras. Unde Persius,

---- *Unctaque fenestra*
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

De more sabbatis lucernas accendendi, nec solùm ædibus, sed etiam arboribus sacris appendendi: de more sacrificulorum atque vatum, lucernam & laurum præferendi: denique lucernas ad ædes lenonias suspendendi, ceu notam novi lupanaris, vide Lipsium *Elect.* lib. 1. cap. 3. Huc quoque pertinet quod Plutarchus *probl. Rom.* eos, quos peregrè mortuos falsò fama nunciavit, reversos per fores non admittebant: sed conscenso tecto in domum demittebant: cujus consuetudinis aliquot a Plutarcho rationes afferuntur, quas legere poteris *probl.* 5. Inter alia dicit hunc morem similem esse Græcorum consuetudini, qui prophanos habebant, neque se iis permiscebant, neque ad sacrificia admittebant eos, quibus factum funus, & sepulchrum tanquam mortuis. Romam itaque eos similiter, quos semel sepultos, ac rebus humanis exemptos esse fuerat creditum, existimaverunt non debere per ostium ingredi, per quod sacrificatum exitur ac sacrificatu reditur: sed eum deorsùm ex aëre voluerunt in atrium sub dio positum demitti, expiationes enim omnes ferè solent sub dio peragere. Ac omnino mos hic fuit gentilium antiquissimus, ut post ostium ac postes collocarent suos lares ac penates, ac aliorum fictorum numinum simulachra, ut felix esset & faustus tam egressus quam ingressus: cujus Alexander ab Alexand. meminit lib. 5. cap. 24. Hunc morem, qui in Judæa quoque invaluerat, Isaias cap. 57. ver. 8. graviter perstringit his verbis: *Et post ostium, & retrò postem posuisti memoriale tuum,* hoc est, post ostii valvas & postes, *ficulneorum tuorum deorum atque superstitionis monumenta collocasti, cum ego potiùs tibi præceperim, ut legem meam in foribus & januis scriberes, ut ejus memoria subinde tibi refricetur,* ut Deut. 6. scriptum est. Similes autem gentilium illorum sunt plerique etiam hodie Christiani, qui nullam domus partem vacuam idolis habent, quæ pro Deo colunt, quæ nominare supervacaneum fuerit, ut scribit Franciscus Forerus Ulyssiponensis Theologus & concionator ad hunc locum. De more juxta limina epulandi, deosque colendi, suprà dictum est ex Servio. De more in foribus & atriis domorum, in quibus ara, focus, & lar familiaris erat, non deorum modò simulachra: sed majorum & defunctorum imagines collocandi: nec non hostium spolia, enses, clypeos, galeas, currus, ac devictarum navium rostra affigendi, vide Alexandrum ab Alex. lib. 5. cap. 24. De Romanorum more postes hostium spoliis ornandi sic scribit Polybius: ἔν τε ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκῦλα. Livius: *Spolia ejus urbis ante currum laturus? & fixurus in postibus suis?* Maro *Æneid.* 7.

Barbarico postes auro spoliisque superbi.

Iterum: *Multaque præterea sacris in postibus arma.*
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra.
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Sed ne ea quidem ædibus abalienatis licebat emptoribus refigere aut tollere, ut Plinius literis mandat. Belgarum verò mos fuit barbaricus, Alexandro ab Alexand. teste, cæsorum hostium capita postibus tanquam spolia affigere: qui etiam Galatarum, qui ultrà Rhenum incolunt, usus traditur, ut spolia hostium sanguine perfusa, & trunca capita foribus affigant. Geloni hostium cutes, ut eæ omnibus spectaculo sint, ac fortium factorum insigne documentum, & hostibus pertimescendum foret. In Ægypto autem in vestibulis domorum, alas vulturum proponere, indicium nobilitatis & vetustatis familiæ censebantur. Apud Phryges pardalis pro foribus affixa (Homero teste) signum immunitatis erat, ne hostium incursibus pateret. Ad fores Pontificis Max. pro splendore dignitatis, viridis laurus affixa videbatur, teste eodem lib. 2. cap. 8. *Janualis porta* Romæ a Jani signo ibidem affixo fuit denominata, ut idem auctor est. Romanorum Imperatorum civica corona querna, quæ erat clarissimum illorum clementiæ insigne, unà cum lauro in vestibulo ædium Palatinarum poni fuit solita, quæ ob id a Plinio dicitur *janitrix Cæsarum, pontificumque,* quæ & domos exornat, & ante limina excubat. Ovidius de lauro,

Postibus Augusti est eadem fidissima custos.
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Idem in 4. *Fastorum.* *Stare Palatinæ laurus, prætextaque quercu,*
Stet domus, æternos tres habet una deos.

Quercum Ovidius posuit metonymicῶς pro corona civica, quæ erat querna. Suetonius de Tyberio: *Et civicam in vestibulo coronam recusavit.* De janua laureata suprà ex Tertulliano dictum est. Servius in verba Virgilii *Æneid.* 1.

Tum foribus divæ, &c.

Magno, inquit, *studio, & labore templorum fores fiebant, quas quibusdam insignabant historiis: ut, in foribus letum Androgeo.* Item,

In foribus pugnam ex auro, solidoque elephanto.

Celtas hospitalissimos, januas ædium suarum nunquam claudere fuisse solitos, Æthiopum autem ædes ἀθύρους, id est januis caruisse, Nicolaus testatur in lib. *de mor. gent.* Hæc de januis, quibus postremò ridiculum admodum, & joculare Æsopi factum juvat addere, quod est hujusmodi: Xanthus dominus, cùm quodam tem-

tempore Philosophos atque Rethoras ad convivium invitasset, jussit Æsopo ante vestibulum stare, & nullum indoctum ingredi sinere, sed solos doctos. Hora itaque prandii, clauso vestibulo, Æsopus intus sedebat. Cùm igitur quidam ex invitatis januam pulsasset, quærit ille intùs, τί σείει ὁ κύων, id est, *quid movet canis?* Ille existimans se canem vocari, iratus discessit. Sic ergò unusquisque veniens, rursus abibat iratus, putans se injuria affici, Æsopo eadem omnes interrogante. Cum autem unus illorum pulsasset, & ad illam Æsopi quæstionem, *Quid movet canis?* respondisset *caudam & aures*, Æsopus existimans illum aptè recteque respondisse, aperta janua illum ad herum duxit, & inquit: *Nullus philosophus ad convivium tuum venit, ô here, præter hunc solum.* Xanthus itaque valdè fuit contristatus, cùm se ab invitatis deceptum esse existimaret. Postridiè cùm invitati ad ludum litterarium venissent, expostularunt cum Xantippo præceptore suo, quòd putidum illud pecus, Æsopum nempe, in vestibulo collocasset, a quo per summam ignominiam *canes* fuerunt appellati. Xanthippus Æsopo gravissimè succensens, quæsivit ex illo cur invitatos suos hac tam insigni injuria affecisset. Cui ille: *Tu mihi, Domine, mandaras, ut ne quem indoctum intromitterem: at hi qui januam pulsarunt omnes, uno excepto, inscitiam suam satis prodiderunt, dum mihi quærenti quid canis moveret, respondere non potuerunt. Ergò cùm indocti omnes viderentur, nullum illorum introduxi præter hunc, qui doctè mihi respondit.* Hac Æsopi excusatione omnes facilè acquieverunt, hocque illius factum collaudarunt.

Sed illud quoque non est silentio prætereundum, de quo sic scriptum est in operibus Talmudicis, tractatu qui inscribitur *Bacca Batra* cap. 6. *Mos fuit maximus Jerosolymis, ut si quis alicui convivium pararet, quod tamen aliqua in parte corrupisset, is teneretur persolvere domino & invitatis precium pudoris.* Mos alius maximus fuit Jerosolymis, ut eo tempore quo convivium aliquod in quibusdam ædibus celebraretur, ad ostium earum ædium expanderent mappam, tunc omnes invitati ingrediebantur, quibus ingressis mappa auferebatur. Hunc morem audio adhuc hodie apud Judæos Polonos usitatum, sed addunt etiam phialam plenam aqua, ut omnes invitati in ostio domus statim lavent.

CAPUT XXXI.

DE SALUTATIONIBUS SACRIS ATQUE CIVILIBUS. AC PRIMO DE IIS, QUAE VERBIS CONSTANT, QUAS VERBALES POSSIS APPELLARE, DE VARIIS ILLARUM MODIS ATQUE FORMULIS.

Verum ut institutum meum persequar, cùm famuli atque ancillæ, quibus hospites atque convivas deducendi, introducendi, excipiendique a dominis data est provincia, sese erga illos humaniter, officioseque gerent: tum verò atque inprimis ipse convivator unà cum uxore, liberis totaque familia eosdem placido atque sereno vultu, verbis humanis, denique manus apprehensione, complexu, osculo, prout patriæ mos atque consuetudo (cui inprimis serviendum) feret atque postulabit, honorificentissimè, humanissimeque excipiet atque salutabit. De more hospites in cœnaculum introducendi egregium exemplum habes 1. Sam. 9. ver. 22. Vicissim convivæ, simul atque convivatoris seu patrisfamiliâs ædes ingressi fuerint, similiter & ipsum patremfamiliâs & totam illius familiam, & sese invicem humaniter officioseque salutabunt, secundum illud Christi præceptum, quod discipulis suis dedit, quod quidem huc quoque commodè referri potest: εἰσερχόμενοι, inquit, εἰς τὴν οἰκίαν, ἀσπάσασθε αὐτήν λέγοντες εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. Quoniam autem salutationum cùm in communi vitæ consuetudine, tum in conviviis potissimùm, non solùm vetustissimus, sed & utilissimus est usus ad charitatem conciliandam atque confirmandam, operæpretium mea sententia fuerit in genere de iis nonnulla dicere.

Salutatio igitur, quæ Græcè ἀσπασμὸς, & εὐλογία, Hebraicè ברכה *Beracah* appellatur, hoc est, *benedictio* (ut vulgò vertunt) duplex mihi videtur posse statui, una interna, altera externa. Interna nihil est aliud, quàm εὐχὴ (sic enim Suidas ἀσπασμὸν exponit) hoc est, animi votum, quo salutem animi & corporis alicui a Deo, ceu fonte salutis omnisque boni, precamur. Hujusmodi salutatio, seu benedictio, hoc est, salutis precatio, quæ animo fit atque corde, Christianos vehementer decet, quemadmodum contrà imprecationes, execrationes, atque vota dira ab illis alienissima esse debent. Externa autem salutatio, quæ quidem ab interna promanat, actio quædam est civilis, honesta atque pia, qua partim vultu, qui tacitus quidam animi est sermo, partim verbis, partim etiam gestibus nonnullis honorificis atque humanis, nostram charitatem, benevolentiam, observantiamque erga alios testificamur. Illa autem rursus est bipertita, vel verbalis, ut ita loquar, quæ in verbis: vel realis, quæ in corporis motu, atque gestibus consistit. *[margin: De salutatione. Salutatio duplex. Interna. Externa.]*

Quò ad salutationem verbalem, quæ verbis constat, (quæ Græcis προσαγόρευσις & προσφώνησις dicitur) illa rursus bifariam videtur dividi posse, ita ut vel in nominibus atque titulis honorificis: vel in certis verborum formulis atque phrasibus consistat. *[margin: Salutatio externa duplex.]*

Quò ad nomina, quibus in salutationibus utimur, illa vel sunt propria (ut Grammatici loquuntur) vel appellativa, eaque vel naturæ, atque sanguinis, ut est nomen patris, & filii, novercæ, & privigni: vel fortis *[margin: Nomina in salutationibus usurpari solita.]*

ſortis atque conditionis, ſive etiam conjunctionis cujuſcunque, ut ſunt nomina domini, & ſervi: præceptoris, & diſcipuli: clientis, & patroni: tutoris, & pupilli: collegarum, &c. Præſtantiſſimùm fuit, inquit Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 19. apud Romanos, ſuis nominibus quemque venerari, & ſalutare, ſalutantibusque reddere ſalutem. Ideò Nomenclatorem dictum, qui nominatim ſingulos appellat: ut puta in foro, reos: aut

Nomenclator.

in convivio, convivas. Magiſtratuum candidati ſecum habebant hujusmodi nomenclatores, qui illis civium ſingulorum nomina, quæ quidem illi tenebant, ſuggerere ſolebant, quò ſingulos ſuis nominibus appellare, atque ſalutare poſſent, ad illorum favorem, atque ſuffragia aucupandum. Iidem etiam ab Imperatoribus adhibebantur in exercitu, quò ſingulos milites, id quod ad illorum benevolentiam conciliandam non exigui erat momenti, poſſent appellare. Apuleius: *Et ad nomenclatorem mox citati venerunt.* Suetonius in *Auguſto* teſtis eſt, illum die ſenatus nunquàm patres, niſi in curia ſalutaſſe, & quidem ſedentes, ac nominatim (id eſt, propriis nominibus, ut *ſalve Pollio, ſalve Meſſala)* ſingulos nullo ſubmonente: (non indigens nomenclatore) & diſcedens eo modo ſedentibus ſingulis valedicebat. Hodie quoque experientia quotidiana teſtatur in ſalutationibus permultum ad amorem & benevolentiam facere, ſi quis nomine ſuo proprio, aut etiam cognomine aliquem ſalutet. Hinc Theologi illud quoque, quod Deus Moyſem proprio ſuo nomine appellavit atque vo-

Caſus ſalutatorius.

cavit, ceu ſingulare quoddam eximiæ humanitatis divinæ indicium atque ſignum interpretantur. Et quoniam in ſalutando, ſive proprio quem, ſive appellativo nomine appellemus, vocativo caſu utimur (ut *Jacobe, Rodolphe, Domine, pater, &c.*) hinc caſus ille etiam *ſalutatorius* a nonnullis veterum eſt vocatus. Si qui tamen præcipua dignitate & honoribus excellerent, illos olim propriis ſalutare nominibus haud decorum videbatur, ut Alexander ab Alexand. teſtatur. Idipſum hodie quoque moris eſt, nam regem, principem, aut magiſtratum aliquem proprio nomine, ut *Joannem, Petrum,* &c. in ſalutationibus appellare, a decoro videtur planè eſſe alienum. Diſcipuli Chriſtum appellantes in Euangelio, illum non propriis ſuis nominibus, ſed *Rabbi*, magiſtrum & dominum ſuum vocant. Et certè naturæ, ſanguinis atque officii nomina plerumque in ſalutationibus, neſcio quo modo, plus honoris atque amoris præ ſe ferunt, quàm nomina propia. Itaque Græci quoque teſte Alexandro ab Alexand. non proprio, ſed officii nomine, aut muneris, quod gerebat, ſalutare

Adon.

religioſiùs putarunt. Apud Hebræos nomen *Adon*, quod *dominum* ſignificat, uſitatum fuit in ſalutationibus, quo vel dignitate ſuperiores, vel peregrinos atque extraneos honoris gratia appellare conſueverunt, ut ex multis ſacræ ſcripturæ locis conſtat, & *Adoni* quidem, hoc eſt, *mi domine*, hominibus, *Adonai* autem Deo

Adon & Adonai. ἄττα.

tribuitur, ut Grammatici obſervant. Apud Homerum nomen honorificum quo ſeniores a junioribus appellantur, honoranturque, eſt ἄττα· ut Ιλ. θ. φοίνιξ ἄττα γεραιὲ, verba Achillis ad Phœnicem: & in *Epigram.* ἄττα γέρον δῖος με καλεῖ γάμος. Videtur mihi reſpondere appellationi Helvetiæ alter ätti / hoc eſt, *pater ſenex*, qua juniores quosvis ætate provectos honoris ergò ſalutare conſueverunt. Vox enim illa ἄττα, ut & Helveticum nomen ätti / hoc eſt, *pater*, a Chaldaica voce *abba*, *patrem* ſimiliter ſignificante, videtur promanaſſe, duplici β in duplex τ converſo. Euſtath. in Οδ. π. p. 502. vocem ἄττα πρωτόθετον, ἀπαράγωγον, ἀκίνητον, ἀμετάληπτον ἤγουν ἀνημμύδοτον a veteribus dicit fuiſſe indicatam. Cato in lib. *de pueris educandis* dicit, a pueris & matrem *mammam*, & patrem *tatham* appellari. Ut autem vox ἄττα, ſic πατέρος quoque (quæ mihi videtur ejuſdem eſſe cum illa ſignificati) apud Homerum eſt uſitata, quando juniores ſenes,

Πατὴρ unde dictus.

& quidem peregrinos appellant: ſicuti etiam apud Helvetios fieri conſuevit. Πατὴρ autem, ut hoc quoque addam, Deus dicitur, interprete Euſtathio ὡς τὸ πᾶν τηρῶν· homo autem, ὡς τοὺς παῖδας τηρῶν· mihi converſis literis potiùs ab Heb. אב videtur derivatum. Hæc de nominibus.

Formulæ ſalutatoriæ.

Quoad autem phraſes ſeu formulas ſalutatorias, illæ ut nunc, ita olim quoque, apud multos populos variæ fuerunt atque multiplices, quarum exempla quædam proponam. Apud Hebræos hujuſmodi ferè fuerunt ſalutandi formulæ. Angelus Gedeonem frumentum excutientem ſalutavit his verbis: *Jehova tecum vir fortis.* Judic. 6. Sic Boaz meſſores ſuos his verbis ſalutavit, *Dominus vobiſcum*: cum illi reſponderunt: *Benedicat tibi Jehova.* lib. 2. ver. 4. Eadem ſalutandi forma angelus coràm Maria virgine uſus eſt, χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ. Chriſtus hac ſæpe ſalutandi formula uſus eſt, *Pax vobis*, & eandem diſcipulis ſuis præſcripſit, Matth. 10. *Ingreßi domum aliquam, ſalutate eam dicentes*, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ, id eſt, *pax ſit huic domui.* Hebraicæ hujus ſalutationis multa exempla in ſacris litteris reperiuntur, ubi voce שלום *Schalom*, hoc eſt, *pacis*, omne boni genus intelligitur. Sic Sunamitis illa ad Eliſæum profectura virum ſuum ante diſceſſum ſalutavit, inquiens, *Schalom*, id eſt, *pax eſt, vale.* 2. Reg. 4. ver. 23. tametſi verbum illud alii

A Schalom Hebræo ſalus videtur denominata. Grüſſen a gratia.

aliter interpretantur. A *Schalom* quoque, *ſalus* latinum videtur eſſe derivatum, & inde *ſalutatio*. Hodie quoque Judæi, & Turcæ hac pacis voce utuntur in ſalutando, & reſalutando. Nam ut ex præceptore meo Rabbi Menahem olim intellexi, is qui ſalutat, ſolet dicerè, *Salemaleck*, hoc eſt, *pax tibi*: cui reſalutans reſpondet, *Veleck Salem, Et tibi pax.* Huic ſimilis eſt vernacula illa noſtra ſalutationum forma, Gott grüß dich / & grüß dich Gott: id eſt, *Deus te gratiet*, ut ita loquar, hoc eſt, gratiam ſuam atque ſalutem tibi largiatur. Nam vocabulum grüß / id eſt, *ſalutatio*, & grüſſen / hoc eſt, *ſalutare*, a latino vocabulo *gratiæ* videtur profluxiſſe: quo ſimiliter atque pacis nomine in ſacris litteris quodvis boni atque ſalutis genus intelligitur. Apud Græcos in ſalutationibus & antiquiſſimum, & uſitatiſſimum eſt χαῖρε vocabulum. Euſtathius in Οδ. γ. in illa verba,

Χαῖρε.

Χαῖρε ξεῖνε, πάρ᾽ ἄμμι φιλήσεαι, inquit, ἔθος ἦν ἐπιφωνεῖν τοῖς ξενιζομένοις τὸ, χαῖρε ξεῖνε, *inde nomen* χαῖρε *etiam epiſtola apud poſteriores præpoſitum fuit.* Paulus quoque ſcribendis epiſtolis, cùm in exordio, tum etiam in fine ſalutationes affixit: Suidas contrà illos hallucinari, inquit, qui hunc morem epiſtolis inſcribendi χαίρειν a Cleone primùm (de quo etiam Ariſtophanis Scholiaſtes in *Nubibus*) voluit uſurpatum fuiſſe,

eſſe

esse enim antiquissimum. Ibidem Cleonem χαίρειν, Platonem εὖ πράττειν, Epicurum εὖ ἄγειν, literis suis inscribere fuisse solitos, testatur: addit Aristophanis Scholiastes, Pythagoræos τὸ ὑγιαίνειν usurpasse. Suidas χαίρειν τοῦτό ἐστι προσαγόρευσις ἀπαλλασσομένων, ἢ προσερχομένων, hoc est, *fuit appellatio seu salutatio discedentium, aut advenientium*: positum etiam fuit in principio epistolarum. Idem auctor docet, veteres vocem usurpasse non modò, quando primùm conveniebant, ut nunc quoque, sed etiam discedentes, & ἀντὶ τοῦ ὑγιαίνειν, & ἐρρῶσθαι, χαίρειν διεκελεύοντο ἀλλήλους· quemadmodum aves quoque, eodem teste, τὸ χαῖρε, καὶ τὸ εὖ πράττειν, καὶ τὸ Ζεὺς ἵλεως ab hominibus edoctæ, precantur, nescientes quid dicant, nec affectu aliquo erga homines præditæ. Hæc ille. Hodie profectò multi hominum sine ullo vel intellectu, vel amoris affectu, se invicem, avium illarum instar, salutant. Apud Aristophanem in *Pluto*: χαίρειν μὲν ὑμᾶς ἐστιν ὦ ἄνδρες δημόται, ἀρχαῖον ἤδη προσαγορεύειν, καὶ σαπρόν. Ἀσπάζομαι δ' ὅτιὴ προθύμως ἥκετε, ex hoc quoque loco constat verbum χαίρειν in salutationibus fuisse antiquissimum, pro quo Chremulus dicit se malle uti verbo ἀσπάζεσθαι, ceu recentiore. Latini porrò suas quoque habuerunt tam in congressu, quam in digressione peculiares salutandi formas. In congressu duplici ferè verbo usi sunt, uno manè, *Ave* nimirum (quòd teste Festo, & *cupere* significat, forsan ab Hebræo *Juah*, id est, *cupivit*, *desideravit*, & *gaudere*) altero vesperi, quod fuit *Salve*. Hoc manifestè colligitur ex his Dionis Cassii verbis de Adriano Imperatore: *Hadrianus*, inquit, *judices salutavit, non dicens, Ave: quæ matutina erat salutatio: sed vespertino usus verbo, Salvete, inquit*. *Vale* autem in digressionibus fuit usurpatum. Utrumque autem, nempe *Vale*, atque *Salve*, conjungebant veteres, discedentes ab iis quos nunquam visuri essent. Plautus in *Curculione*, Ave, salve. Vale. Vale & salve.

---- *vale, atque salve,*
Nam & operam & pecuniam benignè præbuisti.

In Cistellaria, *Quando ita tibi lubet, vale atque salve.*
In Captiveis, *Limen superûm, inferûmque salve, simul autem vale.*
In Mercatore, *Vale, atque salve, etsi aliter ut dicam, meres*
Tu Aristophontes, de me ut meruisti, ita vale.

Quin ita salvere, & valere jubebant mortuos. Virgilius,

Salve sancte parens, iterum salvete recepti
Nequicquam cineres, &c.

Et iterum lib. 11. Æneid.

---- *Salve æternum mihi maxime Palla,*
Æternumque vale.

Hæc inde *novissima verba* appellat, ut lib. 6.

Lustravitque viros, dixitque novissima verba.

Servius, Id est, *Ilicet: nam* Vale *dicebatur post tumuli peracta solennia.* Idem interpres in verba illa *Æneid.* 11. paulò ante citata, *Varro in libris Logistoricis dicit, ideò mortuis salve, & vale dici, non quòd valere, aut salvi esse possint* (melius nos Christiani) *sed quòd ab his recedimus, eos nunquam visuri. Hinc ortum est, ut etiam maledicti significationem interdum* Vale *obtineat, ut Terentius:* Vale interdum maledicti significationem habet.

Valeant qui inter nos dissidium volunt,

hoc est, *ita a nobis discedant, ut nunquam ad nostrum revertantur aspectum. Ergò quum mortuo dicitur* Vale, *non etymologia consideranda est, sed consuetudo, quòd nullis vale dicitur, nisi a quibusdam recedamus.* Hæc ille. Hæc de salutatione verbali, hoc est, quæ fit verbis.

Omnes porrò hæ salutandi formulæ, quibus alii aliis bene precamur, vel fiunt in sacris, ac re divina administranda, sive in sacris cœtibus, atque concionibus: vel in communi & quotidiana vitæ consuetudine, de quibus nunc potissimùm agimus. Quò ad illas, quæ fiunt in sacris, illarum exemplum perfectissimum habes Num. 6. Deus namque ipse certam quandam, & quidem egregiam benedicendi seu salutandi formam sacerdotibus præscripsit, qua illi in sacrorum administratione usi fuerunt. *Loquere*, dicit Deus Moysi, *ad Aaronem, & filios, sic benedicetis filiis Israel, dicetisque ad eos, Benedicat tibi Dominus, custodiat te, illuminet faciem suam super te, & misereatur tui. Levet Dominus faciem super te in pace. Ponent nomen super filios Israël, & ego benedicam eis.* En hic habes quasi prototypon, fontem atque caput omnium tam sacrarum & solennium, quàm vulgarium benedictionum, precationum, salutationum, ominationum faustarum, quibus homines uti solent. Solenni illa atque sacra salutationis formula hodie quoque sacrorum antistites, ante & post sacras conciones, remque divinam, uti consueverunt. Huc quoque referendæ salutationes illæ Apostolicæ in epistolarum principio atque fine. Quòd autem ad vulgares illas salutationes attinet, quæ in communi vitæ consuetudine usurpantur, illæ rursus variæ sunt, atque multiplices, ac proinde variè quoque vel secundùm hominum congressum atque digressum, vel secundùm tempora, vel secundùm varias actiones, illarumque eventum vel secundum vel adversum, alias denique circumstantias distingui possunt. Exemplorum quorundam, præsertim Germanicorum, appositione rem illustrabimus. In congressu, ut Hebræi, *Pax tibi*, *Dominus sit tecum*: Latinè, *Salve*: Germ. Gott grüß dich / biß Gottwillkom / oder willkommen: Galli, *Dieu vous garde*. In digressu, Græce ἔρρωσο· Latinè, *Vale*: Germ. Gott behüt dich: Gall. *a Dieu, a Dieu vous commande*: Allobroicè, *adissuo*. Secundùm tempora, ut manè, diem faustum: vesperi, vesperam: noctu, noctem nobis invicem precamur: Güten morgen: Ein güten tag: Ein güten aben: Ein güt nacht. Gall. *bon jour*, & Sacra salutationis formula. Vulgares salutationes.

 bon an:

bon an: bon soir: bone nuict, bon di, bona sera, bona notte, &c. Sic ineunte novo anno: Gott gäb dir ein gůt glückhafftig jar / Gott gäb dir vil gůter: nova ineunte hebdomada, Ein gůte wochen / vellicantes etiam nonnunquam nobis invicem aurem. Secundùm varias actiones atque fortunas, seu eventus. Ut iter inituro dicimus: Gott wölle dich beleiten / dein gleidsmann seyn / Wölle Gott daß wir bald mit fröuden wider zůsamen kommen. Redeunti, biß Gottwillkommen. Et qui balneavit, Gott gesegne dir dein bad / den leyb / un die trůnck. Qui filiolo auctus est, Gott seye gelobt daß du gereychet bist. Ei quæ peperit, Gott seye gelobt das er dich entbunden hat. Qui novam inducit vestem, mit lieb verschleyssen / mit gesundheit verbrächen. Opus facientibus, Gott hälff euch: Munus, aut honorem adepto, Gott gäb dir vil glück zů deinen ehren. Epulantibus bene precandi formulæ Græcis familiares sunt, ferè hujusmodi, χαίρετε δειπνοῦντες, εὐημερεῖτε συμποσιάζοντες, &c. Gott gesegne euch das essen / Gott ehr das gloch. Lugentibus, Gott er gebe dich deines leids Ægrotanti, Gott tröste vnd stercke dich / Gott wolle es besseren. Sunt ita salutationes vel gratulatoriæ ob prosperam fortunam: vel consolatoriæ ob adversam. In conviviis denique salutationes valdè sunt usitatæ: ut in congressu atque digressione: in ciborum appositione: in propinationibus: in sternutationibus, de quibus omnibus suis in locis dicetur, quæ nunc breviter perstrinxisse sat fuerit. Salutationes hujusmodi minimè damnari debent, sed sunt probandæ, dummodo absit vel superstitio, vel hypocrisis & simulatio.

CAPUT XXXII.

DE SALUTATIONIBUS: QUAE VEL TOTIUS CORPORIS, VEL CERTARUM EIUS PARTIUM QUODAM GESTU, MOTU, CONTACTU, ATQUE DEOSCULATIONE FIUNT. DE EARUNDEM USU ET ABUSU.

Salutatio realis. Salutationum realium divisio.

Nunc consequens est, ut de reali, sive malis appellare, cæremoniali salutatione scribamus, hoc est, illa, quæ fit ipsius corporis gestu, motuque vel totius, vel certarum ejus partium, quæ quidem fit partim cum aliquo contactu ejus personæ, quæ salutatur: partim sine ejus contactu. Observandum autem est, hujusmodi corporis motus atque gestus, de quibus nunc agemus, cùm in civilibus atque politicis hominum: tum in sacris & religiosis, Dei atque etiam Deorum falsorum salutationibus, atque supplicationibus adhibitos olim fuisse, & etiamnum hodie adhiberi.

Capitis gestus in salutationibus.

Primo autem de iis agemus salutationum generibus, quæ sine ejus, qui salutatur, contactu fiunt. Hujusmodi est capitis, ut ab illo potissimùm exordiar, certus quidam motus atque habitus. Nam caput in salutationibus moveri & inclinari solet: & aliquando velari atque tegi, aliquando aperiri ac denudari. Romani, uti suprà dictum est, Deos suos operto, homines autem aperto atque detecto capite salutabant. Fuerunt tamen nonnulli qui Imperatores quoque operto capite salutarunt divinos illis honores tribuentes. Quin imò ex ipsis Imperatoribus nonnulli, ut C. Caligula, & Diocletianus, cum sibi divinam vim ac potestatem arrogarent, contra majorum instituta tecto capite salutari voluerunt, qui Deorum proprius honor erat secundum Romanorum morem. Aliàs & Romanorum & gentium ferè omnium communis hic fuit mos, & adhuc est, ut illi, qui alios salutant, honoris gratia, caput aperiant: de quo suprà. Petrus Laurentii Celsi Venetorum ducis pater, principem filium nunquam æquo animo adire salutandi causa poterat, quod graviter ferret, se patrem jam senio gravem, ad novum exemplum cogi, ut aperto capite filio occurreret. Qua re tandem filius animadversa, prudenter excogitavit, ut pileo suo crux aurea imponeretur, quam visam pater non gravatè salutaret: quam crucem ad hunc usque diem principes Veneti retinent, testis Egnatius lib. 9. cap. 11. Draculas Ungariæ Transalpinæ præfectus, inauditæ crudelitatis homo, cum Turcarum legati pilea Phrygea ex patriæ instituto deponere recusassent, confirmandi moris gratia, tres capitibus eorum clavos affixit, ne amplius amoveri possent. Idem, ut hoc quoque de monstro illo addam, innumeros Turcas palis præfixit, & inter eos cum amicis lautè discubuit. Mendicos præterea omnes perditæ ignaviæ, miserabilisque valetudinis & fortunæ, lautissimo convivio excepit: deinde cibo vinoque completos injecto igne absumpsit. Author Bonfinius lib. 1. Decad. 3. Sic quoque Orator quidam Italus, eò quòd caput suum coram principe Moscovitarum verba facturus non nudarat, crudeliter fuit interemptus. Cum enim Orator patriæ suæ consuetudinem (qua nullius dignitas, vel majestas tecto capite orantis offendi putatur) allegaret, efferus princeps ferreo clavo pileum cranio affigi jussit, asserens se ritum hujusmodi tali modo non violaturum, sed confirmaturum, auctor est Albertus Crantzius in sua historia, & Olaus lib. 11. cap. 11. *Septentrion. hist.* Salutationes autem Dei sacras a viris aperto: a mulieribus operto capite fieri debere, suprà ex Paulo dictum est.

Mos aperto capite salutandi.

Draculæ principis Valachiæ sævitia. Pilei caput aperire nolentium clavis affixi capiti. Mendicorum & valetudinariorum epulantium concrematio.

Salutationes manibus fieri solitæ.

Manibus quoque salutationes, atque supplicationes sacræ pariter atque prophanæ fieri olim consueverunt, & adhuc solent. Veteres Romani, teste Plinio lib. 18. cap. 2. in adorando dexteram ad osculum referebant, totumque corpus circumagebant. Quòd in lævum Galli majore religione se facere putabant. Apud Persas honoris genus erat, coram digniore in Coras, hoc est, vestium manicas manus immittere, ut auctor est Cælius lib. 7. cap. 15. Hinc a Cyro sororis Darii filii fuerunt necati, quòd illi occurrentes in coras non im-

immisissent manus, quod uni tantùm regi fieri assueverat. De manuum extensione, atque expansione in salutationibus religiosis, hoc est, supplicationibus, vide 1. Reg. 8. & Tertullianum in *Apologetico* cap. 30. *Illuc* (in cœlum) *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus*, &c. & ibid. *Sic itaque nos ad Deum expansos ungulæ fodiunt*, &c. Manus quoque suas osculari salutantes olim consueverunt, & deinde porrigere, qui etiamnum hodie mos est in Italia.

Huc præterea pertinet γονυκλισία, hoc est, *genuflexio*, sive *geniculatio*, cujus ut nunc, ita olim in salutationibus honorificis creberrimus usus fuit. Ab Hebræis hujusmodi gestus ברך *barak* dicitur, quod, ut volunt grammatici propriè significat aliquem alloqui sive salutare cum geniculatione: unde ברך *Berek*, genu appellatur quod placidè flectitur, & כרע *Cara* idem significat: γονυκλεῖν & γονυπετεῖν cùm genua sive crura flectere, seu incurvare: tum sese ad alterius genua pedesque abjicere & prosternere significat, quorum utrumque in civilibus, atque religiosis salutationibus fieri solet. Hinc in sacris litteris γόνατα κάμπτειν Rom. 14. Ephes. 3. & θεῖναι γόνατα, Act. 7. & 20. pro precatione & adoratione accipitur: & genu flectentes in primitiva Ecclesia, qui genibus flexis orabant. γονυκάμπτην, ut Eustath. testatur Ιλ. τ. pag. 1234. Homero est καθεδεῖσθαι, *assidere*, ad differentiam τοῦ ἵστασθαι: (Hesychius exponit ἀναπαύεσθαι) at posteriores illam vocem usurparunt ἐπὶ ἱκεσίας, καὶ προσκυνήσεως, pro γονυπετεῖν. Petrus cum Cornelius Centurio ei obvius factus coràm eo procidisset, noluit sibi illum honorem deferri, *Surge*, inquit, *& ego ipse homo sum*. Act. 10. *Reliqua mihi sunt septum millia virorum, qui ante Baal genua non incurvarunt*, id est, illum adorarunt.

Huc etiam refertur totius corporis prostratio in terram, quam nonnulli verbo Hebræo השתחוה *Hischtachaveh* intelligunt, quòd Græci aliquando una voce προσκυνεῖν: aliquando participio πεσών: vel alio aliquo apposito circumlocuti sunt. Matt. 4. ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι. c. 18. πεσὼν οὖν ὁ δοῦλος προσεκύνει αὐτῷ λέγων, κύριε. & paulò pòst, πεσὼν παρεκάλει αὐτόν. Apo. 7. ἔπεσον ἐνώπιον τοῦ θρόνου, ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, καὶ προσεκύνησαν τῷ θεῷ λέγοντες. Nonnulli hoc verbum ἀπὸ τῶν κυνῶν, id est, *canibus* adulantibus domino suo volunt esse derivatum. Herodotus in *Poly.* testatur, Spartanorum legatos, cùm diceretur illis necesse illis fore προσκυνέειν βασιλῆα προσπίπτοντας, negarunt sibi ἐν νόμῳ εἶναι ἄνθρωπον προσκυνέειν, Probus in *Conone*. Apud Persas, Medos & Indos Reges adorare, & in salutando homines toto corpore procidere solebant. Quare Ismenias Thebanus jussus Artaxerxem adorare, ne contra decus faceret, prolapsum annulum sustulit, & ita adorantis speciem præbuit. Ælianus *de varia historia*.

His postremò addam, quæ Mercerus piæ memoriæ præceptor meus observandus, de verbis quibusdam Hebraicis vel totius corporis vel quarundam ejus partium prostrationem, inflexionemve significantibus tradidit. Quod ad verbi השתחוה *Hischtachaveh*, genuinam significationem; in annotationibus suis in Pagninum (id est Dictionarium Pagnini Lugduni impressum anno 1575,) hæc apposuit: *Verbum hoc significare propriè corporis prostrationem, quæ reverentiæ causa etiam hominibus fiebat, maximè principibus aut magnis viris, uti apud Orientales moris erat, Suetonius in Augusto dixit*, supplicare. *Et sæpe in novo Testamento, & aliàs per unum verbum προσκυνεῖν adorare, & interjecto participio πεσών, aut simili redditur. Tribuitur autem Deo, quòd aptius non habeamus, sed tum internam adorationem significat, cujus hæc externa certum signum est. Verbum ergo hoc & Latriæ (ut vulgò in Scholis vocant) cultum, & Duliæ cultum complectitur: quorum ille Deo, hic hominibus etiam exhibetur, quum illis assurgitur.* Hujus synonymum est verbum סגד *Sagad*, teste eodem Mercero, qui ait Chaldæum Paraphrastem pro וישתחו *Vaistachaue* Gen. 48. v. 12. habere וסגיד *Segid*, utrumque tamen Isa. 44. v. 15. conjungitur: utrumque totius corporis prostrationem & inflectionem sonat. Reddere poteris, *inflectet se & procidet*. Quidam enim volunt סגד *Sagad*, vocem Chaldæam in illo Isaiæ versu conjungi, ut Chaldæa vox per Hebræam exposita sit, vel certè סגד *Sagad*, generalius erit. In Hebræo textu tantùm quater occurrit. Et ברך *Barak*, *genu* est, a Themate ברך *Barak*, quòd *benedicere* est, & *genu flectere*, quòd placidè flectatur benedicendo aut salutando, ut nonnulli volunt utrumque hujus radicis significatum eodem reducentes, hinc illud Josephi Gen. 41. 43. quàmvis aliæ sint hujus vocis expositiones. כרע *Caraa*, *curvare se*, *incurvare se*, *facie & corpore in terram prosterni*, קדד *Kadad*. Item aliud adorationis genus, quod vertice fieri solebat.

Quò ad salutationes, quæ fiunt cum apprehensione sive contactu eorum qui salutantur, illæ ut hodie: ita olim quoque multiplices fuerunt, secundùm varia corporis membra, quæ veteres in salutationibus attingere, apprehendere, atque etiam exosculari consueverunt. Osculum namque olim in salutationibus, ut hodie quoque, apud omnes ferè gentes usitatissimum fuit. Ac primò quidem, ut a superioribus partibus sive membris corporis, ad inferiora progrediar, mentum attingere ejus, qui salutatur, moris olim fuisse, ex illo Homeri versu Οδ. τ.

Γονυκλισία.

Totius corporis prostratio.

Ismenias.

Salutationes cum contactu. Osculandi genera.

Ἀψαμένη δ' (Penelope) γενείου, Οδυσῆα προσέειπεν.

Et Ιλ. α. de Thetide,

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.

Sic Eumæus, & Dolius Ulyssis servi, caput & humeros domini osculantur: & item Ulysses eorum. Οδ. φ.

Καὶ κύνεον ἀγαπαζόμενοι κεφαλήν τε, καὶ ὤμους·
Ὣς δ' αὔτως κεφαλὰς, καὶ χεῖρας ἔκυσσε.

Sic Οδ. τ. Μήτηρ δ' Ἀμφιθέη μητρὸς περιφῦσ' Οδυσῆι,
Κύσσ' ἄρα μιν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλά.

Et Οδ. π. Eumæus Telemachum advenientem excipiens,

Κύσσε

Κύσε δέ μιν κεφαλήν τε, καὶ ἄμφω φάεα καλὰ,
Χεῖράς τ' ἀμφοτέρας, θαλερὸν δέ οἱ ἔκπεσε δάκρυ.
Ὡς δὲ πατὴρ ὃν παῖδα φιλοφρονέων ἀγαπάζει
Ἐλθόντ' ἐξ ἀπίης γαίης δεκάτῳ ἐνιαυτῷ
Μοῦνον τηλύγετον, τῷ ἐπ' ἄλγεα πολλὰ μογήσει,
Ὡς τότε Τηλέμαχον θεοειδέα δῖος ὑφορβὸς
Πάντα κύσεν περιφὺς ὡς ἐκ θανάτοιο φυγόντα.

Confer hunc locum, cum illo in Euangelio patris filium ſuum perditum peregrè redeuntem, atque pœnitentem excipientis. Euſtathius in hunc ipſum locum, *hoc*, inquit, *Eumæus facit non tanquàm ſervus, nam ſervorum non erat ambos oculos oſculari: ſed veluti aliquis ſanguinis propinquitate conjunctus, id quod ſequens ſimilitudo docet, qua paternus quidam affectus Eumæi erga Telemachum ceu filium exprimitur.* Deinde manuum, præſertim dextræ, apprehenſione, atque exoſculatione ſe invicem veteres ſalutare conſueverunt, atque etiam pacta atque fœdera inire. Paulò ante dictum eſt, quomodo Ulyſſes ſervorum ſuorum caput, atque manus exoſculatus ſit. Sic ibidem Ulyſſes ſervi Dolii dexteram exoſculatur,

Salutatio fieri ſolita manuum apprehenſione atque deoſculatione.

Ὡς ἄρ' ἔφη, Δόλιος δ' ἰθὺς χεῖρας πετάσας,
Ἀμφοτέρας, Ὀδυσεὺς δὲ λαβὼν κύσε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ.

Item Ιλ. ω. - - - - - ἀγχι δ' ἄρα στὰς
Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γοῦνατα, καὶ κύσε χεῖρας.

Plutarchus in *Catone Utic.* ἀπολιθέντων τὰς χεῖρας: hoc genus honoris, quod milites Catoni ex provincia redeunti exhibuerunt, Imperatoribus tantùm, iiſque perpaucis tunc temporis tributum fuiſſe, idem auctor teſtatur. M. Livius, & Cl. Nero Conſules, ob rem adverſus Haſdrubalem ad Metaurum proſperè geſtam, decreto patrum Romam uno tempore ambo venerunt. Eos univerſa multitudo non ſolùm ſalutavit, ſed dextras etiam victrices, quæ Romano populo ſalutem peperiſſent, certatim oſculati ſunt cives, ut teſtis eſt Sabellicus lib. 5. *Ænead.* 5. Seneca: *Hos ego deprehendam alienorum ſervorum oſculantes manum.* Cornel. Tacitus de Nerone: *Ad genua ipſius advolvi, & dextram oſculis fatigare.* Obſervandum quoque hic eſt, fuiſſe apud veteres oſculi quoddam genus, quo ſolebant pueri parentes, aut alios, vel amantes inter ſe, alterius auribus manu utraque apprehenſis, oſculari. De quo Canterus lib. 1. *novarum lectionum* cap. 17. ex veterum monumentis hæc tradit cognitu jucunda: *Hoc oſculi genus*, inquit, *veteres* χύτραν, *ſive ollam vocabant: credo quòd in eo geſtu ut caput ollæ, ita aures anſarum ſpeciem referre viderentur.* Ac Græcum quidem hujus rei exemplum adfert primum Jul. Pollux lib. 10. cum de coqui inſtrumentis differens, hæc ἐν παρόδῳ interſerit: εἰδέναι δ' οὐ φαῦλον, ὅτι καὶ χύτρα φιλήματός ἐστιν εἶδος, ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη, τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα. ὑπόδηλοῖ δ' Εὐνίκος ἐν Ἀντείᾳ,

Mos oſculandi auribus alterius apprehenſis.

Χύτρα olla, ſalutationis ſpecies.

Λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν.

Qui verſus Latine ſic reddi poteſt:

Ollam prehenſis oſculator auribus.

Aliud deinde apud Theocritum ὁδοιπόροις invenimus:

Οὐκ ἔραμ' ἀλκίππας, ὅτι με πρὰν οὐκ ἐφίλασε
Τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.

Quin & Clemens Alexandrinus hujus conſuetudinis, etiam ſuo tempore uſitatæ, meminit lib. *Stromatum* 5. cauſam interim reddens myſticam. Sic enim ait: οὐκ οὖν εἰκῇ τοῖς παιδίοις παρακελευόμεθα, τῶν ὤτων λαμβανομένοις φιλεῖν τοὺς προσήκοντας, τοῦτο δήπου αἰνιττόμενοι, διὰ ἀκοῆς ἐγγίγνεσθαι τὴν ἀγάπης τὴν συναίσθησιν, &c. Meminit & Plutarchus initio libelli περὶ τοῦ ἀκούειν. Inter Latinos autem hoc oſculi genus expreſſit primùm Plautus in *Pœnulo*, ubi Milphio ſervus Adelphoſio meretrici ſic adblanditur:

ἀσπασμὸς Græcis propriè quid.

Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſuavium.

Et in *Aſinaria* Leonida ad Philænium inquit:

Prehende auriculis, compara labella cum labellis.

Tibullus deinde lib. 2. inter felicis anni eventus hunc quoque annumerat:

Et fœtus matrona dabit, natusque parenti
Oſcula comprenſis auribus eripiet.

Malè enim legitur in exemplaribus,

Oſcula compreſſis naribus eripiet.

Denique apud Italos hodieque iſtum oſculandi morem in uſu eſſe, quidam referunt.

Quò ad manuum apprehenſionem ſive contactum, ejus multa admodum exempla extant. Euſtathius in illud Οδ. Γ.

- - - Χερσίν τ' ἠσπάζοντο.

exponit ἀντὶ τοῦ ἐπεσπῶντο, καὶ εἷλκον διὰ δεξιώσεως εἰς ἑαυτοὺς, καὶ τοιοῦτον ἀεὶ τοῖς παλαιοῖς κυρίως ὁ ἀσπασμός. ἐστὶ δὲ καὶ νῦν πολλοὺς τῶν ἐξ ἐθνῶν ἰδεῖν ἐν τῷ ἀλλήλοις διασυναντᾶν, τείνοντας τὼ χεῖρε, καὶ τά τε στήθη πελάζοντας, καὶ τὰς χεῖρας ἐπικυρτοῦντας, καὶ εἰς κύκλον περιάγοντας, καὶ περιπλεκομένους ἠρέμα, καὶ ἐστὶ τοῦτο αὐτοῖς ὁ ἀσπασμὸς ἀπὸ τοῦ σπᾶσθαι. Hinc ergò conſtat ἀσπασμὸν propriè Græcis illam ſalutationem dici, quæ fit manibus: hinc

paulò

paulò pòst addit, καὶ εἴρηται τὸ χερσὶν ἀσπάζεσθαι πρὸς διαστολὴν τῶν λόγοις ἀσπαζομένων. Idem in illud Ιλ. φ. τῇ δὲ περὶ οἱ, Εἷλε πατὴρ, &c. interpretatur πρὸς ἑαυτῷ ἔλαβεν, ὃ καὶ ἀσπάζεσθαι λέγεται ὅ ἐστι πρὸς ἑαυτὸν σπᾶσθαι. item in illud Οδ. τ. Ulyssem Autolycus & ejus filii:

Χερσίν τ' ἠσπάζοντο ἔπεσσί τε μειλιχίοισι.

Τὸ δὲ χερσὶν ἠσπάζοντο ἦγουν ἐδεξιοῦντο, καὶ εἰς ἑαυτοὺς ἐπεσπῶντο. χείλεσι δὲ ἀσπάζεσθαι non invenitur apud poëtam. Dicitur quoque salutatio hæc, quæ fit manibus, δεξίωσις Græcè, de qua voce suprà multa dicta sunt lib. I. de modo hospites excipiendi. His similia sunt illa Eustath. in Ιλ. β. ἐν τοῖς ὅρκοις οὐδὲν ἔλαττον εἰς πίστιν ἐλογίζετο καὶ τὸ τῶν δεξιῶν χειρῶν ἅπτεσθαι· ἴσον γὰρ ἡ δεξίωσις αὕτη, καὶ εἰς ἓν ἀποκαταστάσεως, καὶ οἷον ἑνώσεως. Α δέχω, δέξω, δέξα ὡς δόξα, & pleonasmo *jota* δεξιά. Δεξιὰ κυρίως ἡ ἄνωθεν ῥοπὴ, καὶ ἡ ἀγαθὴ ἐνέργεια in sacris literis. Item δεξιὰ veteres vocabant τὰ συνετὰ, ἀριστερὰ δὲ, τὰ μωρά. Item δεξιὰς τὰς συνθήκας, δεξιοὶ etiam docti, & milites strenui, laudeque digni fuerunt appellati. δεξιὸς εὖ παιδευθεὶς. δεξιοῦσθαι φιλοφρονεῖσθαι. δεξίωσις ὑποδοχή. Suidas. Idem in illud Aristophanis in *Nubibus*: κύσόν με, καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν. ἐπὶ πίστει, inquit, καὶ συνθήκῃ διδόναι τὰς δεξιὰς ἀλλήλοις εἰώθασιν. Alcumena apud Plautum in *Amphit.*

Salutatio quæ fit dextera.

Dexteræ notatio & significatio.

Ecastor equidem te certò heri hic advenientem illico,
Et salutavi, & valuissesne usque exquisivi simul
Mi vir, & manum prehendi, & osculum tetuli tibi.

His verbis complectitur breviter Plautus morem antiquum advenientes salutandi. Paterculus: *Salutationis nova quadam exultatio, & manuum contingendi cupiditas.* Virgilius *Æneid.* lib. 7.

Dexteram dare, apprehendere, osculari.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Dextra, inquit Servius *Æneid.* 3. *fidei sacra.* Unde Virgilius,

- - - - *atque animum præsenti pignore firmat.*

Sic prædones quidam, teste Valerio Max. lib. 5. cap. 5. Scipionis Africani in ædes intromissi, dexteram cupidè apprehenderunt, ac diu osculati, positis ante vestibulum donis, quæ deorum immortalium numini consecrari solent, læti, quia Scipionem vidisse contigisset, ad lares proprios reverterunt. Trebellius Pollio testis est, Gallienum matronas ad consulatum suum rogasse, iisdemque manum sibi osculantibus quaternos aureos sui nominis dedisse. Huc quoque pertinet lepida admodum illa historia de Amalasunta regina Longobardorum, Theodorici regis Italiæ filia. Illa enim cùm post regis sui mortem liberis carens, prudenter ac graviter regnum administraret, & magno apud subditos in honore, atque gratia esset, tandemque ei a proceribus oblata esset libera facultas ex proceribus aliquem sibi regem atque maritum eligendi, eique nubendi, accersivit ad se quendam eximiæ atque spectatæ virtutis virum, Theodatum nomine. Is cum se ad aliquod regni negotium vocari putasset, obviam prodeunte ei regina, de equo desiliit, seque incurvavit osculaturus ejus manum. Cui illa subridens respondit: *Non manum, sed faciem oportere eum osculari*, quo indicabat illum non jam subditum, sed maritum regemque fore. Ab hoc illa ingratissimo marito tandem in Vulsinensis lacus insulam religata, in balneo strangulata fuit, ut auctor est Bonfinius lib. 7. Decad. I. & Ritius lib. I. *Reg. Hisp.* & Paulus Diaconus. Salutationis inditium antiquitatis fuisse dexteram junctam dexteræ, Varro, atque etiam Callimachus in Ætiis testatur. Unde Virgilius in eandem sententiam Æneam inducit cum patre in Elysiis loquentem ita queri, *Cur dextræ jungere dextram non datur?* In hunc sanè diem mos hic perdurat, ut hospites peregrinos, & quoscunque notos peregrè venientes, dexterarum conjunctione salutemus. Plinius, *quandam esse in dextera religionem vel inde apparet, quòd osculis aversa appetitur. Qui adorant*, inquit Hieronymus *Apolog.* I. *in Ruffinum*, *solent manum deosculari, & capita summittere, quod se Job elementis & idolis fecisse negat.* Unde Hebræi deosculationem, pro veneratione usurpant: ejusmodique loquendi forma, inquit Pierius in *Hieroglyph.* per totam jam Italiam, ex quo Hispanos in dominationem admisimus, inolevit, cùm prius id honoris non nisi Pontificibus deberetur. De hac manus, & suas ori labiisque admotas (unde forsan *adoratio* dicta, licet Nonius eam ab *ador* deducat) & alterius osculandi consuetudine cum superstitionis, tum civilis honoris ergò, vide pulchra apud P. Pithoeum *Adversar.* lib. I. cap. 7. ubi cùm sacræ scripturæ quædam loca Job. 30. 13. Reg. cap. 19. Ecclesiast. cap. 29. explicantur. Ammianus rerum gestarum lib. 21. ait, Nebridium, qui contra Constantium unus omnium jurare noluerat, metu militum, qui ferrum in hominem strinxerant, ad Julianum profugisse, suppliciterque jurasse, ut timoris levandi causa ei dexteram porrigeret. Cui Julianus: *Ecquid*, ait, *præcipuum amicis servabitur, si tu dexteram attigeris meam? Mos verò adhuc est*, inquit Pierius in suis *Hieroglyph. nostris præsulibus in admittendis in clientelam amicis manum porrigere exosculandam, quòd firmum quasi fœderis, & conciliationis signum habetur. Dextra*, inquit Isidorus, *vocatur a dando: ipsa enim pignus pacis datur, ipsa fidei testis, atque salutis adhibetur, & hoc est illud apud Tullium: Fidem publicam jussu senatus dedi, hoc est, dexteram* Unde & Apostolus dicit, *Jacobus & Joannes dextras dederunt mihi.* Porrò de manus, atque dexteræ significationibus, atque usu in salutationibus, in rebus divinis, in amicitiis, fœderibus, atque pace contrahenda, faciendaque atque confirmanda, vide plura apud Pierium lib. 15. In *Nebulis* Aristophanes ait: κύσόν με, καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν. Ubi interpres, ἔθος δὲ ἐπὶ πίστει, καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις.

Historia.

Deosculatio, pro veneratione.

Venio ad genua, atque pedes, ad quæ procidere, sive procumbere, ea attingere, exosculari denique, veteres in salutationibus, atque supplicationibus consueverunt. Exempla apud Homerum multa occurrunt. Ut Οδ. N. ubi Ulysses Palladi pastoris similitudinem præ se ferenti supplicat,

Genua atque pedes attingendi, exosculandi, ad illos procumbendi mos.

---- Τὰ

- - - - Τοὶ γάρ ἔγωγε
Εὔχομαι ὥστε θεῷ, καὶ σεῦ φίλα γούνατ' ἱκάνω.
Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων.

Et Iliad. α. de Thetide,

Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.

Odyss. δ. Τοὔνεκα νῦν τὰ σὰ γούναθ' ἱκάνομαι, αἴκ' ἐθέλῃσθα.

Eustathius, ἵκω, ἱκετεύω, periphrasis est τοῦ γουνάζεσθαι. Item Iliad. ω.

Γούνων ἁψάμενοι λιτανεύσομεν, αἴκ' ἐλεήσῃ.

Omnino sæpe apud Homerum γούνων sive γουνολαβεῖν, ἑλεῖν, ἅψασθαι, hoc est genua tangere, apprehendere, usurpatur in supplicationibus, & aliquando metonymicῶς hic ipse gestus pro supplicatione accipitur. Item ἱκάνειν, sive ἱκάνεσθαι γούνατα, ἀντεσθαι πρὸς γουνάτων, γουνοῦσθαι, γουνάζεσθαι, pro λίσσεσθαι, & λιτανεύειν, seu ἱκετεύειν accipitur, ab habitu supplicantium, qui se ad pedes eorum, quibus supplicant, abjiciunt, ac illorum genua attingunt. Latinè *ingeniculare* seu *ingeniculari*, *congeniculare*. Idem significant verba γονυκλίνειν, & γονυκλινεῖν, γονυπετεῖν, γονυκάμπτειν, γονατίζειν, προσκυνεῖν: quæ verba & *genua flectere*, *genu succidere*, *procumbere*, & *ad alterius genua sese abjicere*: & motonymicῶς *supplicare*, seu *deprecari*, *venerari*, atque *honorare* significant. Græci alibi idem vocant προσπίπτειν γόνασιν, vel πρὸς γόνατα. Euripides in *Hecuba*,

Προσπίπτε δ' οἰκτρῶς τοῦ δ' Ὀδυσσέως γόνυ.

Latini etiam id appellant *genua prensare*: Tacitus, *attingere*, *ad ea manus tendere*, Plinius, *genua amplecti*, Virgilius, *Ad genua accidere*, *genibus advolvi*, *procumbere*, *procidere*. Virgilius *Æneid.* 3.

- - - *Et genua amplexus, genibusque volutans.*

Idem Æneid. 10. *Et genua amplexus* (Homerus ἁψάμενος, λαβών, ἑλών) *affatur talia supplex.*

Ovidius Metamorph. 9.

Dicentem, genibusque manus adhibere parantem.

Idem 13. *Metam. Genibus procumbere.*

Heb. כרע Cara, id est, *curvavit sua crura*, *curvavit se pedibus*, seu *cruribus*, (unde כרעים Ceraim, *crura* a curvitate dicta) & differt a verbo *Hischtachaveh*, quod prosternere se in terram corpore & facie significat, & est non pedum, sed totius corporis, & faciei, ut vult Kimchi Psalmo 95. *A genibus repellere*, Ciceroni in orat. *post reditum in senatu. Tu*, inquit, *meum generum, propinquum tuum: tu affinem tuam, filiam meam, superbissimis & crudelissimis verbis a genibus tuis repulisti.* Plautus in *Rudente*, Trochalio servus,

- - - *Per ego hæc genua te obtestor senex*
Quisquis es. D. quin & tu ergo omitte genua, & quid sit mihi expedi.

Unde colligitur servum illum supplicem Damonis genua fuisse amplexum. T. Livius lib. 45. *Summitentemque se ad pedes sustulit, nec attingere genua passus.* Suetonius in *Tyberio*: *Ac priusquàm in capitolium flecteret, descendit e curru, seque præsidenti patri* (Augusto Cæsari) *ad genua summisit.* Idem de Tyberio: *Adulationes adeò aversatus est, ut neminem senatorum aut officii, aut negotii causa ad lecticam suam admiserit. Consularem verò satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem ita suffugerit* (retrò fugerit, nolens a viro consulari adorari per genua) *ut caderet supinus.* Idem de Claudio Cæsare, quem gregarius miles extractum, præ metuque ad genua sibi accidentem Imperatorem salutavit. Apulejus lib. 2. *Hujus diu manus deosculatus, & ipsa genua contingens, Miserere, ait, Sacerdos, miserere per cœlestia sydera*, &c. Sic vidua illa Sunamitis (2. Reg. 4) cùm ad Elisæum Prophetam venisset, sese ad illius pedes abjecit, illos apprehendit, a quibus servus Gehazi illam summovere est conatus. Thebanus hunc supplicandi morem, atque religionem elusit, atque irrisit. Nam cùm pro quodam Gymnasii principi supplicaret, procumbens coxam illius pro genibus attigit: principeque præ fastu indignante, Quid, inquit, *annon hæc tua sunt, ut genua?* Sic, ut obiter hoc addam, jurantes apud Judæos (est autem jusjurandum supplicationis quædam species) fœmur illius, cui se obligabant, solebant tangere, ut ex cap. 24. & 48. Genesis constat. Huc quoque videtur referendum, quod Gen. 48. vers. 12. Josephus dicitur ambos suos filios eduxisse a genibus ejus, scilicet Iacobi, quæ forsan honoris, & reverentiæ ergò illa amplexi fuerant, cùm illos (ut versu præcedente 10 scriptum est) Jacob amplexatus, osculatusque fuisset.

Pedum exosculatio. Osculandi mos & antiquus, & multis populis familiarissimus. Mos osculandi apud Judæos.

Nunc de pedum quoque exosculatione dicamus. Christus Luc. 7. ad Simonem Pharisæum inquit, φίλημά μοι οὐκ ἔδωκας, αὕτη δ' ἀφ' ἧς εἰσῆλθον, οὐ διέλιπε καταφιλεῖσαί μου τοὺς πόδας. Ac omnino osculum & antiquissimum, & commune ferè, ac pervagatum apud omnes gentes, cùm amoris & amicitiæ: (unde φίλημα a Græcis appellatur) tum venerationis, fidei, obedientiæ, & observantiæ symbolum, in salutationibus, atque supplicationibus, creberrimè fuit usurpatum. Unde Nomadum asperrima rusticitas culpata fuit, qui ne filios quidem suos osculabantur. Apud Judæos, quàm usitatum fuerit osculum in amicorum salutationibus mutuis, cùm vel primùm convenirent, vel rursus digrederentur, innumera sacræ scripturæ loca testantur. Moyses socero suo obviam progressus, seque incurvans eum osculatus est. Exod. 18. Esau fratrem suum Jacobum redeuntem ex Mesopotamia, diuque non visum, osculo excepit, Gen. 33. Jacob Rachelem salutat osculo, Gen. 39. Raguel Tobiam, Tob. 7. Joseph omnes fratres, Gen. 45. Hinc Augustinus lib. 1. *quæst.* supra Gen. cap. 87. ait, consuetudinis fuisse in illa simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquos oscularentur. Sic Judas osculo salutat Dominum: Luc. 15. legimus, patrem exosculatum esse

esse perditum filium pœnitentiam agentem: & presbyteros Ephesinos Paulum postremò eis valedicentem. Elisæus vocatus ab Elia, vel tantum pallio tectus, petit ut sibi liceat osculari patrem, & matrem: quòd & facit, addito insuper sacrificio, & amicorum convivio. Jacob patriarcha nepotes suos ex Josepho, quos illi adduxerant, osculatus, & amplexatus fuit, Gen. 49. vers. 10. Sic Arpa discessura, ut Ruth. lib. 1. scriptum est, socrum suam osculata est, ei hoc modo valedicens. Gen. 31. Laban conqueritur Jacobum fuga sua non permisisse, ut osculari posset filias suas. Sic secundo Samuelis decimonono, David Barzillai dimittit osculo. Tobiæ decimo, Raguel Saram filiam suam. Ex his constat apud Judæos in amicorum congressu, atque digressu osculationes mutuas fuisse usurpatas. Interdum etiam dissidentes facta reconciliatione testabantur osculo depositam offensam, ut 2. Sam. 14. David Absolomo seditioso reconciliatus, eundem osculo excepit. Huc etiam referri potest illud osculum Luc. 15. quod pater filio prodigo, quem in gratiam receperat, fixit. Interdum etiam fuit testimonium approbatæ virtutis. Ut Darius Zorobabelem rectè de veritate differentem osculo complectitur, 3. Esd. 4. Hinc Prov. 27. scriptum est, *Meliores sunt plagæ diligentis, quàm fraudulenta oscula odio habentis.* Tale fuit Judæ osculum, quod Christo dedit Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & Joabi, qui Amasum osculatus occidit, 2. Sam. 20. & filii illius, de quo est in fabula, qui simulans se velle matrem osculari, cùm ad supplicium duceretur, ore admoto, auriculam ejus mordicus avulsit. His quoque annumerari meritò debet Absolomi illud hypocriticum osculum 2. Sam. 15. Is enim invasurus regnum patris, osculabatur manus accedentium, hoc modo insinuans se in gratiam populi, ut ab illo rex crearetur. Porrò in Apostolica & primogenia quoque illa Christianorum Ecclesia, Christianos mutuis osculis mutuam charitatem, animorumque in eadem religione consensum contestatos fuisse, satis constat. Hinc dicitur *osculum sanctum*, ut 1. Cor. 16. & 13. 1. Thess. 5. *osculum charitatis* 1. Pet. 5. quia ejus fuit symbolum. Hic mos diu in ecclesia primitiva duravit, & inde factum, ut gravi de causa tempore cœnæ Dominicæ, præsentes sibi oscula mutua dederint. Quòd enim in actione profitebantur, id hoc symbolo confirmare volebant, consensum scilicet & charitatem: de quo vide Tertullianum in *Apolog.* & Justinum in 2. *Apolog.* ubi elegantissimus de hoc osculo legitur locus. Inter cætera ait, ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα, παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. Augustinus in libello *de Anima* cap. 6. idem testatur, quo in loco osculi usum legitimum, his verbis eleganter exprimit: *Corporale*, inquit, *osculum impressione labiorum, certis & honestis horis conceditur: ut in reconciliatione, in pacis contestatione, communione cœnæ, amoris professione, ut inter sponsum & sponsam, cum advena & hospes suscipitur, & in Catholicæ unionis signo.* Ambrosius in cap. ult. 2. epist. ad Corinth: *Sunt quædam oscula spiritualia, non carnalia, in quibus testimonium synceræ, & puræ charitatis apparet, non autem affectus libidinosi indicium est.* Hic autem mos se invicem osculandi in sancta synaxi postea mutatus est in osculationem circumgestatæ crucis, aut aliquarum reliquiarum, quam *Pacificale* nominant. Sacris pontificiis Romæ ritu solenni per mutuas osculationes pacis augurium celebratur, de quo extant hi versus:

> *Ipse etenim casta dum operatur mente sacerdos,*
> *Oscula dat, quæ dent ille vel ille aliis.*

Pierius in *Hierog.* Apud Persas quoque amicos sese invicem osculo excipere fuisse solitos. Xenophon in *Cyripædia*, & Herodotus in *Clio* testatur. *Salutationis loco*, inquit Herodotus, *in via sibi occurrentes, se mutuò salutant. Quòd si alter paulò fuerit humilior, genas osculantur duntaxat: Sin autem alter fuerit multò inferior dignitate, prostratus adorat honoratiorem.* Apud Lacedæmonios oscula non modò concessa fuerunt, sed etiam instituti ludi, propositaque præmia iis, qui seniores lepidius suaviarent. Nisæorum id inventum, & a Megarensibus etiam in honorem Dioclis observatum: de quo vide Cælium lib. 15. cap. 9. Apud Græcos quàm osculandi mos fuerit usitatus, ex suprà commemoratis testimoniis satis liquet. Apud Romanos mulieres cognatos osculo salutabant, cujus a Plutarcho in *prob. Rom. Prob.* 6. multæ rationes afferuntur, ubi inter alia osculum illud dicit consanguinitatis tesseram fuisse. Cato hoc ideo institutum tradit, ut explorarent, an mulieres temetum olerent. Capitale enim erat Romanis fœminis gustare vinum: ideoque ferunt fœminam, quæ sub Romulo vinum biberat, a marito impune occisam. Huc videtur referri posse illud Hieronymi: *Vinum*, inquit, *nunquam redoleas, ne fortè illud philosophi audias: Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. Osculo quippe salutabant priores.* Eadem de re differit in lib. *de Mulierum virtutibus*, ubi honoris, ac præmii loco has fœminarum Romanarum salutationes sancitas fuisse tradit. Nam cùm Aboriginibus in Tyberim invectis, Roma quædam nomine inter mulieres, quas secum adduxerant, nobilis, auctor fuisset ut classis absumeretur incendio, ac proinde ibi coacti fuissent sedem figere, hocque illis feliciter successisset, ad auspicati illius facti memoriam propagandam, hoc honoris genus mulieribus constituerunt. De hac consuetudine Romanorum vide etiam Plin. lib. 14. cap. 13. ex Catone, & Athenæum lib. 10. cap. 3. Alienæ autem fœminæ osculum figere, verbere dignum habitum est, ut etiam testatur Augustinus *de Civ. Dei* lib. 21. cap. 11. Etenim judicabant, non carere suspicione sinistri affectus, alienæ in collum ruere. Ideo mos ille salutandi postea rectè a Tyberio Cæs. edicto sublatus est. Principes Ro. peregrè profecturi, & mox urbem repetentes, ita condito more, senatores osculo soliti fuerunt accipere, ac proinde in Nerone Tranquillus: *Neque adveniens, neque proficiscens quenquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem.* Cælius lib. 4. cap. 3. Donatus tria osculandi genera facit, osculum, basium, & suavium. Oscula, officiorum sunt: basia, pudicorum affectuum: suavia, libidinum vel amorum. *Osculum dare, præbere, ferre*, Plauto in *Epidico*,

> *Quid est pater, quod me excivisti ante ædes? P. tuam ut matrem*
> *Videas, adeas, advenienti des salutem, atque osculum.*

In

Oscula fraudulenta.

Oscula Christianorum primitivæ ecclesiæ.

Oscula Persarum.

Oscula Spartanorum.

Oscula Romanorum. Cæl. lib. 30. cap. 8.

Osculandi genera.

In Belgico, Flandria, Anglia, Gallia, non tantùm amicos, ſed & hoſpites oſculantur mulierculæ, & hi viciſſim illas. Hæc in genere de oſculo, nunc ad pedum exoſculationem revertamur. Suprà dictum eſt, veteres non modò caput, oculos, genas, frontem, os, atque faciem, verumetiam manus, ac dexteram præſertim exoſculari fuiſſe ſolitos: verùm genuum atque pedum exoſculatio, quòd ſciam, illis non fuit uſitata. Genua quidem apprehendere atque tangere, non autem oſculari ſolitos fuiſſe legimus: & tamen mos genua, pedeſque Imperatorum oſculandi poſtea a Romanis uſurpari cœpit. De quo ſic ſcribit Pomp. Lætus in ſuo *Compendio Rom. hiſtoriarum*: *Imperatores antea manus exoſculandas nobilibus præbebant, poſt ſuis manibus ſublevabant ad oris oſculum. Vulgus genua oſculabantur. Diocletianus edicto ſanxit, uti omnes ſine generis diſcrimine proſtrati, pedes exoſcularentur: quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis, & margaritis. Quòd feciſſe ante Cajum Caligulam memorant*, &c. Hæc ille. De Cæſare Caligula ſic ſcribit Suetonius, *C. Caligula Imperator oſculabatur paucos, manum ſuam, pedemve plurimis, iisque Senatoribus ad oſculandum præbebat: ita ut ii, quos ipſe oſculatus eſſet, ei etiam in Senatu gratias agerent, licet ſalutatores quotidie in conſpectu omnium oſcularetur.* Teſtis eſt Seneca C. Julium Cæſarem porrexiſſe ad oſculandum ſiniſtrum pedem Pompejo Pœno, ut ita oſtenderet ſocculum auratum, margaritiſque diſtinctum: cujus etiam Polyd. Virgilius meminit lib. 4. cap. 13. *de Rerum invent.* Maximinus ſimiliter Imperator, ob corporis robur ſuperbiſſimus, pedes oſculandos offerebat ſe alloquentibus, teſtis eſt Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 19. Plutarchus quoque teſtis eſt, Romanorum ſacerdotum pedes olim reliquos fuiſſe exoſculatos. Similiter Pontificum Rom. pedes, non vulgaris tantum ſortis atque conditionis homines: verùm ſummi quoque reges atque Imperatores exoſculantur. Sic olim Carolus Magnus Adriani Pontificis, teſte Blondo Decad. 2. lib. 2. & Crantzio in *Metropoli* lib. 2. cap. 1. Juſtinianus Imperator Conſtantini Papæ, teſte Platina. Stephani II. Pont. pedes humi proſtrati oſculati ſunt Pipinus, filius ejus Carolus Magnus, Luitprandus Longobardorum Rex, & ſtapedes ejus apprehenderunt, & frenum equi illius tenentes, ſtratoris officia ei præſtiterunt, teſtis eſt Martinus in *Chronico*, Blondus lib. 1. Decad. *Heinricus V. Imperator ad veſtigia Paſchalis II. Rom. Pontificis corruit, exurgensque in nomine Trinitatis, in ore, in fronte, in oculis pacis ei oſculum fixit, ſtratoriſque implevit officium, moxque dexteram Pontificis apprehendens, ad templum ſimul ivêre.* Chronicon Caſſinenſe lib. 4. cap. 4. Sic Creſcentius Rom. Othonis ſeveritatem formidans, Joannem XVII. Pontificem a ſe profligatum, ex Hetruria revocavit, eique cum cæteris Senatorii ordinis viris, ac plebis ingenti multitudine obviam proceſſit, & ad pedes ejus provolutus, & eos oſculatus eſt, ſupplexque veniam impetravit, teſtis eſt Platina. De hac autem Pontificum Rom. deoſculatione pedum, ſic diſſerit Polyd. Virgilius lib. 4. cap. 13. *de Rerum inventione*: *Romani Pontifices*, inquit, *deoſculandos pedes exhibendi morem a Chriſto ſe accepiſſe prætexunt. At Chriſtus non Magdalenæ oſculandos pedes obtulit: ſed ſponte peccata fatentem, & ſuam miſericordiam non ſolo amplexu genuum, ut Ethnici, ſed etiam oſculo pedum implorantem, ejus conſolandæ cauſa, admiſit. Hoc ipſum honoris genus alioquin non minus repudiaturus, etſi ſibi revera debitum, quàm appellationem magiſtri boni. Sic quoque Petrus Cornelium Centurionem ad genua procidentem manu ſua ſublevavit, Surge, homo ſum, inquit, tui ſimilis: tantùm abfuit ut oſculandos pedes exhibuerit. Decipimur ſpecie recti, & ſæpè cum Caligula pedes protendimus, dum Chriſti humilitatem vel ſpernimus, vel fucato conſervandæ Apoſtolicæ auctoritatis titulo exornare laboramus.* Hæc ille. Solent quoque multi Pontifici Rom. ſalutationis loco adſcribere devota pedum oſcula beatorum. Hiſpani quoque atque Itali ſolent in ſuis ſalutationibus, ac valedictionibus dicere, *Baſo tes voſtres mans*, aut *baſo tes voſtras podas*, oſculor tuas manus, aut pedes. Hæc de oſculo, quòd ut olim, ita hodie quoque honoris, & amoris ergò in ſalutationibus rectè adhiberi poteſt, modò abſit ſuperſtitio, ambitio, atque libido, quibus plerunque verus oſculi uſus corrumpitur, ac in fœdum, tetrumque abuſum degenerat.

Mos genua pedeſque oſculandi.

Nunc operæpretium fuerit cauſas exponere, propter quas veteres in ſalutationibus atque ſupplicationibus prophanis pariter atque ſacris & caput, & dexteram, & genua eorum, quos ſalutabant, attingere, atque etiam nonnunquam oſculari conſueverunt: quarum lectio, uti ſpero, non jucunda modò, verumetiam utilis erit, Euſtathius in illa verba Iλ. α.

Cauſæ cur veteres in ſalutationibus, atque ſupplicationibus certas corporis partes attingere, atque etiam interdum oſculari conſueverint.

Καί μιν (ſcilicet) γουνάσομαι, καὶ μιν πείσεσθαι οἴω.

Veterum namque, inquit, *hic mos fuit, ut ſupplicantes caput ejus, cui ſupplicabant, & manum dexteram, vel etiam genua apprehenderent. Caput autem non totum contingebant, ſed vel* ἀνθερεῶνα, *ſecundum Homerum*, hoc eſt, *mentum*: vel γένειον, *ſive* μέσην γενειάδα, *barbam, ſeu barbæ meditullium, ſecundum illud Euripidis*: ὁρῶ τὴν δεξιὰν κρύπτοντα, καὶ πρόσωπον ἔμπαλιν στρέφοντα, ὡς μέσου προσθίγω γενειάδος. *Idem indicat etiam illud*, μὴ πρὸς γενείου μὴ, ξένη τὰ φίλτατα, &, ἀλλ' ὦ φίλον γένειον αἰδέσθητί με. *Hoc autem fiebat* διὰ τὸ ἡγεμονικὸν, ἐν αὐτῇ γὰρ τὸ λογιστικὸν, hoc eſt, *quia caput pars eſt princeps corporis humani, in qua rationalis facultas conſiſtit. Dexteram verò attingebant* διὰ τὸ πρακτικὸν, *quòd in illa maxima inſit agendi facultas. Genua denique* διὰ τὸ κινητικὸν, καὶ βαδιστικὸν, hoc eſt, *propter motus, & progreſſionis potentiam. Symbolicè itaque eos, quibus fiebant ſupplices, per caput quidem, quod attingebant*, εἰς τὸ συνθέσθαι, καὶ καταινεῦσαι, hoc eſt, *ad conſenſum: per dexteram*, εἰς τὸ πρᾶξαι, hoc eſt, *ad actionem: per genua denique*, εἰς τὸ κινηθῆναι, hoc eſt, *ad progreſſum, ea quæ petebant, ſibi præſtandi cauſa, incitabant. Vel etiam ut illorum, quibus ſupplicabant, animi inclinarentur ſeu flecterentur, cùm in genibus potiſſimùm corpus frangatur, atque flectatur. Erant itaque hæc ſymbola quædam, & velut* οἰωνισμοὶ τοῦ τῆς ἱκετείας τέλους, hoc eſt, *auguria finis ſupplicandi. Nec verò lævam ſive ſiniſtram manum attingebant*, διὰ τὸ δυσοιώνιστον, hoc eſt, *mali ominis, ſive augurii vitandi gratia. Non enim ſiniſtra curabant, unde etiam* τὰ μὴ αἴσια, hoc eſt, *non auſpicata*, σκαιὰ καὶ ἐπαριστερὰ, *læva ſeu ſiniſtra nominabant: ſicuti*

ſicuti contra bona, δεξιὰ, id eſt, *dextra*, *dicentes*, τύχην δεξιὰν, *fortunam dextram* : & νόημα δεξιὸν, *mentem dextram* : & δεξιοῦσθαι, *pro* φιλοφρονεῖσθαι *uſurpantes. Sciendum quoque eſt*, addit idem, *quòd licet ſupplicantes & caput*, *& dexteram*, *& genua apprehendere fuerunt ſoliti* : *tamen totum ſupplicationis actum veteres per Synecdochen vocabulo* γουνάζεσθαι *expreſſerunt*, *idque propterea*, *quòd ſupplicantibus genua maximè ſunt in promptu*, *cùm vel caput ob ejus celerem converſionem*, *vel dexteram*, *quæ nonnunquam abſconditur*, *non ita facilè ſit attingere. Poſteriores ab hoc verbo* γουνᾶσθαι *invenerunt verbum* γονυπετεῖν, *quod componitur ἐκ τοῦ* γόνυ, *& τοῦ* πέτειν, *ex quo* πίπτειν, *ut ἀπὸ τοῦ* ῥέπειν, ῥίπτειν, & hinc γονυκλισία *derivatur.* Hæc Euſtathius. De iiſdem ſic Plinius lib. 11. cap. 45. *Hominis genibus*, inquit, *quædam & religio ineſt*, *obſervatione gentium. Hæc ſupplices attingunt*, *ad hæc manus tendunt*, *hæc ut aras adorant*, *fortaſsis quia ineſt iis vitalitas. Namque in ipſo genu utriusque commiſſuræ dextra lævaque a priore parte gemina quædam buccarum inanitas ineſt*, *qua perfoſſa*, *ceu jugulo ſpiritus fugit. Ineſt & in aliis partibus quædam religio*, *ſicut dextra oculis averſa* (quæ *opiſthenar* dicitur) *appetitur*, *in fide porrigitur. Antiquis Græcis in ſupplicando mentum attingere mos erat. Eſt in aure ima memoriæ locus*, *quem tangentes atteſtamur.* His accedit tertius teſtis admodum locuples, qui in illa verba *Æneid.* 3.

> *Dixerat*, *& genua amplexus genibusque volutus*
> *Hærebat*, *&c.*

ſic differit : *Phyſici dicunt eſſe conſecratas numinibus ſingulas corporis partes* : *ut aures*, *Memoriæ. Hinc eſt*, *Cynthius aurem vellit & admovit* : *frontem*, *Genio* : *unde Deum venerantes tangimus frontem* : *Dextram*, *Fidei* : *unde paulò poſt*,

Auris ſacra Memoriæ. Frons ſacra Genio. Dextra ſacra Fidei.

> *Ipſe pater dextram Anchiſes*, *haud multa moratus*,
> *Dat juveni*, *atque animum præſenti pignore* (manuum conjunctione) *firmat.*

Et, *- - - - Cur dextram jungere dextræ*
Non datur?

Item, *Jungimus hoſpitio dextras*, *& tecta ſubimus.*

Genua denique miſericordiæ conſecrata ſunt : *unde hæc tangunt rogantes.* Hæc ille. quòd ad genua duplex affertur ratio, cur illa in ſupplicationibus contingi fuerint ſolita. Una eſt Plinii, quòd nimirum in illis ſit vitalitas, ut ipſe loquitur. Hinc Theocritus, οἷς γόνυ χλωρὸν, hoc eſt, *quibus genu eſt viride*, hoc eſt, qui vigent robore : cui ſimile illud Horatii, *dumque virent genua.* Sic Homerus quoque corporis vigorem, genuum vigore ſeu robore æſtimavit. Ut Οδ. ο.

Genua miſericordiæ ſacra. Genua cur in ſupplicationibus conjungi fuerint ſolita. Ratio prima.

> Ἐν δὲ βίην ὤμοισι, καὶ ἐν γούνασιν ἔθηκε.

Et ſæpe apud illum genua λαιψηρὰ, cum verbis μένος, βίη, ἀρετὴ, hoc eſt, *vires*, *robur*, *virtutem* ſignificantibus, conjunguntur. Hinc tritum illud θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, hoc eſt, *in Deorum vi ac poteſtate ſitum eſt* : tametſi nonnulli miſericordiam (cui genua ſunt conſecrata) interpretantur. Hinc etiam Apollonii interpres, & Etymologici magni auctor, γόνυ volunt dictum eſſe quaſi κόνυ, ἀπὸ τοῦ κονεῖν, hoc eſt, ἐνεργεῖν. Alii tamen, vel quòd γωνίαν, id eſt, *angulum* ſui flexione facit, vel quaſi ἀπὸ τοῦ εἰς γῆν νεύειν, quòd in terram inclinetur. Sic ſæpe γούνατα ἔῤῥωσαν, τὸ ὀρθοῦν pro firmitate virium : contrà γούνατα λύεσθαι, βλάβεσθαι, & aliquem γούνατα λῦσαι ſive ὑπολῦσαι, pro virium enervatione & infirmitate apud eundem accipitur. Similes multæ in ſacris literis reperiuntur dicendæ formæ. Ut Nahum 2. *Cor liquefactum erit*, *& colliſio genuum*, &c. cui ſimile illud Homeri Οδ. δ.

γόνυ unde dictum.

> Ὣς φάτο τῆς δ' αὐτοῦ λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ.

Pſal. 109. *Genua mea debilitata ſunt a jejunio.* Sic Homerus dies caniculares dicit virorum genua debilitare. Ezech. 7. *Omnia genua ibunt tanquam aqua.* Iſa. 35. *Genua debilia roborate.* Eadem locutio & Job. 4. & alibi reperitur. Secunda ratio affertur a Servio, quòd genua miſericordiæ ſunt conſecrata. Hinc Iſidorus lib. 11. *Orig. Genua*, inquit, *ſunt commiſſiones fœmorum & crurum* : *& dicta genua*, *eò quòd in utero genis ſint oppoſita. Cohærent enim ſibi ibi*, *& cognata ſunt oculis lachrymarum indicibus & miſericordiæ* : *nam a genis genua dicuntur.* Denique complicatum gigni, formarique hominem dicunt : ita ut genua ſurſum ſint, quibus oculi firmantur, ut cavi & reconditi fiant. Ennius,

Ratio ſecunda. Genua unde dicta.

> *Atque genua comprimit arta genu.*

Inde eſt, quòd homines, dum ad genua ſe proſternunt, ſtatim lachrymantur. Voluit enim eis natura uterum maternum rememorari, ubi quaſi in tenebris conſedebant, antequam ad lucem devenirent. Huc quoque facit, quòd Iſa. 66. ver. 12. mollis piorum tractatio depingitur conſuetudine matrum, quæ infantes ſuos curantes, aut cum iis ludentes, ſolent illos in genibus habere, ac motitare : *Super latus*, inquit, *portabimini*, *& ſuper genua lætificabimini.* Sic apud Homerum de Ulyſſe :

> Παῖδα νέον γεγαῶτα κιχήσατο θυγατέρος ἧς.
> Τόν ῥά οἱ Εὐρύκλεια φίλοις ἐπὶ γούνασι θῆκε,
> Παυομένῳ δόρποιο,
> *Invenit puerum*, *peperit*, *quem filia parvum*
> *Euryclea illum mox inter genua locavit*,
> *Deſtitit ut cœnare.*

 Gen. 48.

Gen. 48. Joſephus dicitur ambos ſuos filios a Jacobi genibus eduxiſſe: inter quæ ſimiliter illi forſan ſedebant. Sic Iob. 3. *Genibus quare exceptus ſum? cur lactatus uberibus?* Sic Rachel ad Iacobum: *Ingredere ad ancillam meam, & pariat ſuper genua mea.* Ergo quia infantes nati obſtetricum, atque nutricum genibus excipi primùm, & ab iiſdem, nec non matribus molliter genibus foveri & agitari conſueverunt: hinc quoque factum puto, quòd genua indulgentiæ, atque miſericordiæ fuerunt conſecrata. Nos quidem Chriſtiani in ſalutationibus noſtris ſacris, ſive ſupplicationibus Dei, & caput, hoc eſt, providentiam atque omniſcientiam, & dextram, hoc eſt, fidem atque potentiam: & genua, hoc eſt, ejus miſericordiam, non quidem manu, ſed mente, atque fide noſtra apprehendimus, & amplectimur.

Porrò his commemoratis ſalutandi modis, qui fiunt certarum partium corporis contactu, atque deoſculatione, addere poteris complexum, qui hodie apud multas nationes eſt in uſu, ita ut vel convenientes primum, vel digredientes ſeſe mutuò manibus vel circum collum, vel circum humeros, vel etiam cinctum circumductis complectantur: cui cæremoniæ plerunque etiam oſculum accedit. Sic Jacob patriarcha nepotes ſuos ex Joſepho, quos illi adduxerat pater, humaniſſimè oſculatus eſt, & יחבק להם *Jehabbec, labam*, id eſt, *amplexatus eſt illos*, Gen. 48. verſ. 10. Hæc ſatis ſint dicta de variis ſalutandi modis, in quibus omnibus cùm regionis in qua es, conſuetudini tibi eſt ſerviendum, a cæremoniis extraneis, & inuſitatis abſtinendum: tum in primis danda opera, ut externis his actionibus, atque cæremoniis ſalutatoriis animus tuus reſpondeat. Nam deteſtanda eſt Chriſtianorum quorundam hypocriſis, qui, quos externis verbis atque geſtibus humaniter & honorificè ſalutant, illos animo ſuo contemnunt, oderunt, execrantur, perditos cupiunt, Iudæ proditoris ſimiles. Qui quidem licet homines fallant, Deum certè minimè fallent, illumque ſeverum aliquando, gravemque perfidæ hujuſce ſuæ ſimulationis ultorem experientur. Nam quid hoc eſt aliud, quàm, ut eſt in proverbio, *altera manu panem oſtentare*, hoc eſt, ore, atque geſtibus externis pacem, amicitiam, benevolentiamque præ ſe ferre: *altera manu geſtare lapidem*, hoc eſt, animo atque corde inimicitiam, & ſimultatem gerere, perniciemque cogitare? Deteſtanda quoque eſt alia Anabaptiſtarum verè miſanthropos hypocriſis, qui neminem ſalutandum eſſe ajunt, & ſalutati ab aliis, neminem reſalutant, ſimiles ſuperbiſſimorum illorum Numidiæ regum, qui Majeſtate ſua dignum eſſe exiſtimabant, nulli mortalium vel oſculum, vel ſalutem impertiri, & Neronis illius immaniſſimi monſtri, qui nedùm ſalute, ſed ne reſalutatione quidem quenquam impertivit. Demetrium quoque ferunt, præter ſe, & Antigonum patrem regem nec nominaſſe quenquam, nec ſalutaſſe. Horum itaque regum ſuperbiſſimorum, atque crudeliſſimorum imitatores exiſtimandi ſunt Anabaptiſtæ, qui contra multorum ſanctiſſimorum hominum, atque etiam Angelorum exempla atque præcepta: contrà ipſius Dei mandata, quæ in ſacris literis extant: imò contra ipſum jus naturæ ſalutationibus abſtinent, abſtinendumque eſſe præcipiunt. Salutationes conſtat ex ſacris literis, a viris ſanctiſſimis, ab Angelis, ab Apoſtolis, ab ipſo Chriſto omnium ſanctorum, angelorumque coryphæo atque principe & uſurpatas, & præceptas fuiſſe. Chriſtus Matth. 10. 11. diſcipulis ſuis præcipit, ut ingredientes in domum aliquam, omnes ejus incolas ſalutent, & ſalutationis formulam præſcribit. Idem Matth. 5. Inimicos quoque vult ſalutari. Ait enim: *Si tantùm ſalutaveritis eos, qui ſalutarunt vos, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani id faciunt?* Quòd autem præcepit, id exemplo quoque ſuo expreſſit. Salutabat enim Apoſtolos crebrò, dicens, *Pax vobis.* Et cùm eſſet a mortuis excitatus, dixit mulieribus, quæ a ſepulchro redibant, *Avete.* Videtur item inter Apoſtolos fuiſſe conſuetudo, ut accedentes & revertentes mutuò ſeſe ſalutarent, ac etiam præceptorem, id quòd vel ex hypocritica illa Iudæ proditoris ſalutatione poteſt colligi. Notæ ſunt Paulinæ ſalutationes in principio, & fine epiſtolarum. Idem Corinthiis, & aliis præcepit, ut ſe mutuò ſalutarent oſculo ſancto. Gabriel ſalutavit S. Mariam; Angelus Gedeonem ſalvere juſſit, dicens, *Dominus tecum.* Mater quoque Samſonis audivit ab Angelo ſalutem. Hæc exempla docent, ſalutationes eſſe opus honeſtum, atque pium. Præterea cùm ſalutatio nihil ſit aliud, quàm fauſta & felix precatio, ſi Dei juſſu debemus pro nobis invicem precari, certè debemus etiam nos mutuò ſalutare: & eſt hoc charitatis erga proximum non poſtremum opus. Dubium quoque non eſt, quin ſalutationes mutuæ plurimum faciant ad animorum conjunctionem mutuam tuendam atque augendam. Ex quo ipſo conſtat, illas utiles atque neceſſarias eſſe in Chriſtiana Rep. & Eccleſia. Huc facit præclarum illud Auguſtini dictum Serm. 42. *de Sanctis: Si quis obvium hominem ſibi non ſalutarit, aut ſalutanti non reddiderit ſalutem, a viatore non habebitur homo, ſed truncus, lapis, aut Mercurius, qui ſtans in via monſtrat iter, & nihil loquitur.* Anabaptiſtæ autem ad hujuſce ſui erroris defenſionem citant illud, quòd Chriſtus Luc. 10. ſeptuaginta diſcipulis dixit, *In via neminem ſalutaveritis*: quo nihil aliud ſignificare voluit, quàm ut ne ullis aliis officiis atque actionibus humanis, ſe a divino ſuo munere avocari patiantur: aut ſi ſecundum litteram illa verba ſunt intelligenda, dicemus perſonale ſive ſpeciale fuiſſe illud præceptum, non generale. Auguſtinus in hunc locum, verbis hiſce dicit exaggerationem ſignificari feſtinationis: addit ibidem interpretationem ſubtilem, & allegoricam: *Nos populo*, inquit, *dum prædicamus Euangelium, vobis utique ſalutem dicimus: nulla quippe alia re, quàm Euangelio filii Dei poteſtis fieri ſalvi. Proinde ſalutandi eſtis hoc genere ſalutis: at non in via, id eſt, obiter, vel obliquè: quòd illi faciunt, qui non ex animo prædicant veritatem, ſed ad quæſtum prædicant, ad honores, vel ad invidiam, & odium alicui conflandum: non ut auditores Domino lucrifaciant, ut illi faciebant, de quibus Paulus Philippenſes monuit. Nam qui viatorem ſalutant, non accedunt illum hac de cauſa, non ad ejus domum proficiſcuntur, ut bene illi precentur, ſed obiter id faciunt, & in via.* (ἐν τῇ παρόδῳ) Jn einem fürgang. Simile huic Chriſti præcepto eſt illud Eliſæi (quod etiam objici poteſt) 2. Reg. 4. ver. 29. Eliſæus enim Gehazi famulo ſuo abituro inter alia mandat, ne quempiam in via ſalutet, nec ſalutantes viciſſim ſalvere

Complexus.

Quæ in ſalutationibus obſervanda.

Deteſtanda hypocriſis in ſalutationibus.

Hypocriſis Anabaptiſtarum.

Salutationes uſitatæ viris ſanctis, Angelis, Apoſtolis, & Chriſto.

Salutationes honeſtæ, piæ, utiles atque neceſſariæ.

Cur Eliſæus famulo præceperit, ne aliquem in via ſalutaret.

salvere jubeat. Videtur ergo Elisæus salutationes damnasse. Verùm hic mens Vatis magis, quàm verba spectanda. Nam ut Kimhi scitè vereque expressit hoc in loco, non aliud sibi voluit, quàm ut festinaret, nec moras in via necteret: sed animus illius & cogitatio uni tantùm rei atque negotio, cujus efficiendi causa mittebatur, esset intenta: nec respiceret cor ejus ad aliud quippiam, vel in ore vel in opere vel in sermone. Vel etiam hoc præceptum dicemus fuisse speciale pro temporis aliarumque circumstantiarum ratione, propter quas salutationem illam differri aut suspendi oportuit, cùm alia graviora officia essent obeunda. At, ajunt, neminem posse alteri salutem dare, igitur salutationes esse supervacaneas. Respondeo, eodem argumento etiam deprecationes tolli, cùm salutatio nihil aliud sit quàm votum seu precatio quædam: nam salutantes proximum nostrum, illi salutem non quidem nos damus, sed a Deo, ceu vero salutis datore atque auctore precamur. Supervacanea quoque secundum hanc illorum argumentationem erit diligens illa & accurata benedictionis solennis præceptio, qua Deus Sacerdotes uti voluit, uti Num. 6. scriptum legimus. Salutatio tamen non videtur esse impendenda excommunicatis & hæreticis obstinatis, secundùm illud Ioannis: *Iis non esse dicendum*, Ave. Hæc de salutationibus, quæ cum apud alias nationes, tum apud Romanos fuerunt usitatissimæ. Magni enim honoris loco ducebatur salutatio, & inter præcipua officia memorabatur. De salutationibus matutinis clientum, quibus suos patronos honorabant, & aliorum civium, passim multa extant. Unde salutantibus distribuebantur sportulæ, sive pecuniarum, sive cibariorum quotidianorum. Et proceres ejus Reip. pro foribus ædificarunt vestibula, ubi consisterent & quodammodo stabularentur matutino tempore salutantes, priusquam per Admissionales in salutatorio admitterentur. Ab hac quasi consistitione seu constabulatione, quidam spacia illa volunt *Vestibula* fuisse appellata, quæ a Græcis προπυλαῖα vocantur, Germanicè Vorhof. Ovidius tamen in *Fastis*, *Vestibulum* a Vesta deduci existimat,

Salutationes non esse supervacaneas.

Vestibula unde dicta.

Hinc quoque vestibulum dici reor, unde precamur
Quam famur Vestam, quæ loca prima tenet.

Legimus tamen quosdam salutationis specie & simulatione per insidias fuisse occisos. Hoc postremò coronidis loco addam, quòd Adrianus Imperator senatores ad epulas suas adeuntes stans (cùm reliqui Imperatores sedentes) excipiebat, teste Ælio Spartiano, qui etiam, ut testis est Dion Cassius Nicæus in ejus vita, monenti olim cuidam ut quiesceret, respondit, *præpositos rerum oportere stantes mori.* Nec illud quoque fuerit silentio prætereundum, quod Sigismundus Baro in suis *Comment.* de Moscovitarum cæremoniis in ingressu in alterius domum adhiberi solitis, literis memoriæque prodidit. In singulis ædibus & domiciliis imagines habent sanctorum pictas aut fusas in honorificentiore loco positas. Cùm itaque quis alium accedit, domum ingressus, caput statim aperit, ac ubi sit illa imago circumspicit: qua visa ter se crucis signo munit, caputque inclinans inquit: *Domine miserere:* dein salutat hospitem his verbis: *Deus det sanitatem.* Mox porrectis manibus deosculantur se mutuò, capitaque inclinant. Deinde alter alterum intuetur, uter nimirum se magis inclinaret atque demitteret: atque ita ter quaterque alternatim caput inclinantes honoremque sibi invicem exhibentes quodammodo concertant.

Porrò post mutuas illas convivatoris atque convivarum salutationes, mutua plerunque eorundem sequuntur colloquia, antequam mensæ accumbatur. Convivator dabit operam, ut hora illa, qua convivæ adesse jussi sunt, omnia cocta sint atque parata, ne convivis diuturna mora atque cunctatio molesta sit & odiosa. Quòd si autem nondum cibis coctis necessariò illis aliquantisper fuerit expectandum, blandis sermonibus atque excusationibus illos demulcere conabitur. Huc quoque pertinet Athenæi præceptum lib. 4. δεῖ γὰρ καὶ τὸν πρῶτον εἰς ἀλλοτρίαν οἰκίαν ἐρχόμενον ἐπὶ δεῖπνον μὴ γαστριζόμενον εὐθὺς ἐπὶ τὸ συμπόσιον χωρεῖν, ἀλλά τι δοῦναι πρότερον τῷ φιλοθεάμονι, καὶ καταγοῆσαι τὴν οἰκίαν. Hoc est, *oportet eum qui inprimis in alienam domum ingreditur, non ita accedere ad convivium, ut ventrem statim expleat, sed aliquid prius videndi studio tribuere, domumque ipsam contemplari.* Hoc docet exemplis nonnullis ex Homero & Aristophane petitis: ut Οδ. δ.

Αὐτοὶ δ' εἰσῆλθον δόμον. οἱ δὲ ἰδόντες
Θαύμαζον κατὰ δῶμα διοτρεφέος βασιλῆος
Ὥστε γὰρ ἠελίου αἴγλη πέλεν ἠὲ σελήνης
Δῶμα καθ' ὑψερεφὲς Μενελάου κυδαλίμοιο.

Id est,

Intravere domum divinam, ipsique videntes
Mirati sunt spectantes sacri atria regis:
Nam qualis splendor Solis Lunæque nitentis
Fulgebat clari Menelai tecta per alta.

Ad idem docendum Aristophanis quoque testimonio utitur. Sic apud Plutarchum in ejus *symposio* Thales Periandri domum ingressus, palæstras spectavit, & lucum ad mare probè exornatum, non quòd eorum quicquam admiraretur, sed ne contemnere Periandrum, ejusve magnificentiam despicere videretur. Huc quoque facit illud Aristophanis in Comœdia Σφῆκες: ubi inter alia convivialia præcepta, hoc quoque traditur. Ἔπειτ' (postquam accubueris, antequam cibi inferantur) ἐπαίνεσόν τι τῶν χαλκωμάτων, ὀροφὴν θέασαι, κρέκα δ' αὐλῆς θαύμασον. Scholiast. *Quoniam illi, qui in conviviis accubuerunt, antequam cibaria inferuntur, laudant domus vasa atque supellectilem, domum & ea quæ sunt in aula.* Verùm quemadmodum domus convivato-

vivatoris collustrari, & cùm ipsa domus, tum si qua sunt illa hodie digna, laudari possunt, ac debent: ita quoque summa est adhibenda cautio, ne quis curiosè nimis singulas domus partes, culinam præsertim, inspiciat ac perscrutetur: id quod valdè odiosum est, ac incivile: ac is præsertim, qui culinam ingreditur, aut nimis curiosis oculis introspicit: id vel malitia quadam, ac calumniandi studio, vel etiam delitiarum, cupediarumque amore facere videtur. Atque idcirco qui id faciunt, hujusmodi quodam apud Germanos proverbio perstringuntur, büb / oder mit dem hund auß der kuchy / hoc est, *pueri, atque canes e culina exeunto.* Quo dicto vel pueris, vel etiam canibus gulosis atque molestis, importuni hujusmodi homines comparantur. Huc quoque referendum est illud omuli cujusdam dictum ad Antoninum Pium Imperatorem Romanum, *Cùm in alienam domum veneris, & mutus, & surdus esto,* testis Julius Capitolinus.

CAPUT XXXIII.

DE MANVVM PEDVMQVE ABLVTIONIBVS SACRIS ATQVE PROPHANIS ANTE EPVLAS REMQVE DIVINAM VSITATIS.

De manuum pedumque lotione.

Nunc ut reliqua, quæ cibi potusque sumptionem antecedere solent, ordine persequar, inter illa manuum quoque, atque etiam pedum ablutio meritò est recensenda, quæ, ut hodie, ita olim quoque apud omnes ferè gentes ante cœnam: & quidem antequam mensæ accumberetur, usitatissima fuit. Unde apud Plautum, *Al. Lavisti. Am. Quid posteaquam lavi? Al. Accubuisti.* Lambinus: *Priusquam mensæ accumberent, lavabant veteres maximè peregrè venientes.* Dictum est supra de Balneis, ac totius corporis ablutione: nunc de pedum tantùm, manuumque lotione dicendum, qua veteres cùm aliàs, tum verò atque inprimis ante epulas atque sacrificia partim sanitatis, partim munditiei, partim religionis, partim denique superstitionis causa usi fuerunt, id quod exemplorum appositione facilè patebit. Ac primò quidem omnium apud Judæos antiquitùs hujusmodi pedum manuumque lotionem ante cœnam fuisse usitatam, ex sacris literis satis constat.

Pedum lotio.

Quò ad lotionem pedum, illa Judæis & Orientalibus omnibus in communi usu fuit. Hoc autem officii genus apud Hebræos hospitibus atque peregrinis potissimùm exhibebatur, ita ut antequam illis cibus daretur, illorum prius pedes, itineris labore lassi, calidi atque pulverulenti abluerentur, refrigerarentur atque reficerentur: id quod apud nos quoque post cœnam, antequam cubitum eatur, fieri consuevit. Sic Iudic. cap. 9. v. 21. primò pedes suos lavisse, deinde comedisse atque bibisse dicuntur. Similiter Josephi fratribus familiæ illius præfectus aquam dedisse scribitur, qua abluerunt pedes suos ante epulas, Genes. 43. Sic Patriarchas aliquoties legimus hospitum, quos exceperunt, pedes prius abluisse, ac deinceps illis cibum præbuisse, Genes. 18. & 19. Christo quoque idem officium nonnunquam exhibitum fuisse legimus. Sic enim mulier illa peccatrix Lucæ septimo, Christi in Simonis Pharisæi ædibus accumbentis epulantisque pedes sacrosanctos lachrymis suis irrigavit, capillis absterlit, ore osculata est, unguento denique odorato perfudit atque inunxit: & idcirco Pharisæo illi, a quo ad convivium fuerat invitatus, exprobravit, quòd sibi intranti in domum ejus, ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας οὐκ ἔδωκεν, *aquam pedibus suis non dederit.* Ex quo loco satis manifestè constat, hoc officii genus hospitibus atque convivis simul atque domum fuerunt ingressi, exhibitum fuisse. Hujus porrò mulierculæ devotio, ut scitè admodum Cyprianus loquitur in libro *de Ablutione pedum*, usa est capillis pro linteo: oculis pro catino: lachrymis pro baptismo: tetigit, lavit & unxit unguento. Mactata intrinsecus anima, proprium in sancta sanguinem intulit, singula suum præbuere mysterium, cor contritum erupit in lachrymas, fides lavit, charitas unxit. Hæc multa in conspectu tuo congerens holocausta, de fonte cordis fletus hausit, quos protulit, de pœnitentiæ pixide unguenta, quæ obtulit, caputque pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusis pedes sacros involvit & tersit. Nihil sibi de se retinens, totam se tibi donavit: & tu affectum potiùs, quàm factum attendens: ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecus pœnitentem. Paulus quoque exigebat a probatis viduis, ut Sanctorum pedes abluissent. Hujusce consuetudinis apud Christianos primitivæ Ecclesiæ illustre sanè laudabileque exemplum extat apud Sozomenum libro primo, capite undecimo. Tempore Quadragesimæ quidam ex itinere ad Spiridionem divertit, quem cùm ille valde fessum videret, *Age*, inquit, *filia*, *lavato hospiti pedes, & quòd comedat ei appone:* (en hîc quoque pedum lotio cibi sumptionem præcedit.) Cùm verò filia responderet, nec panem, nec farinam seu polentam esse, & veniam petiisset, mandavit filiæ, ut carnes suillas, quas domi salitas habebat, coqueret: quibus coctis, hospitem fecit secum accumbere, deque appositis carnibus ipse cœpit comedere, hortans hospitem, ut idem faceret. Id cùm ille facere recusasset, diceretque se Christianum esse: *Hanc*, inquit, *ob causam, eò minus recusare debes, Verbum enim Dei pronunciat, Mundis omnia esse munda.* En egregium boni, hospitaliterque patrisfamiliâs exemplum, qui ipsam filiam suam (sic apud Homerum filiæ regum hospites in balneis lavant) hospitis pedes lavare, eique carnes coquere atque apponere jussit. 2. Samuel. undecimo, versu 8. quod David Uriæ dicit, *Descende in domum tuam, & lava pedes tuos*, videtur Synecdochicôs antecedens pro sequente poni, sive pars pro toto, hoc est, Ede, bibe, cura corpus tuum, quoniam ante cibum & potum solebant pedes lavare. Quoniam autem olim ad hanc rem utebantur ministrorum & servorum opera, idcirco

Spiridionis filia lavit hospitum pedes.

Carnis suillæ esus.

Lavare pedes pro sordido ministerio.

lavare

lavare pedes aliquando significat sordidissima & ignobilissima quæque munera obire. Sic enim Abigail post mortem Nabalis, facie tenùs sese in terram incurvans, respondet David, ipsam in uxorem ambienti, 1. Samuel. 25. *Ecce ancilla sit tua famula, ut lavet pedes servorum domini sui*: tametsi R. Kimhi putat, eam his verbis significare nuptias cum aliquo ex famulis Davidis, quòd uxores solebant illis temporibus maritis suis lavare pedes. Sic Christus, ut perfectum suæ humilitatis specimen ederet, quod discipuli imitarentur, eò sese abjecit atque demisit, ut illorum pedes lavaret, de quo sic Joannis cap. 13. *Surgit a cœna & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim & cœpit lavare pedes discipulorum & extergere linteo, quo erat præcinctus.* De hac lavatione pedum multa præclare & divinitùs disserit Augustinus *Tractatu* 56. & 57. *in Joannem*, cujus inter alia hæc sunt verba consolationis plenissima: *Humani*, inquit, *affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, & sic afficimur, ut si dixerimus, Quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, & veritas in nobis non sit. Quotidie igitur pedes lavat nobis, qui interpellat pro nobis, & quotidie nos opus habere, ut pedes lavemus, id est, vias spiritualium gressuum dirigamus. In ipsa oratione Dominica confitemur, Demitte nobis debita nostra, sicut & nos demittimus debitoribus nostris.* Ut *Tract.* 57. *Baptismo quidem totus homo abluitur, sed dum iste postea vivit in seculo, humanis affectibus terram, velut pedibus calcans, ipsa scilicet vitia hujus conversatione contrahit, unde dicat, Demitte nobis debita nostra. Ac sic etiam inde mundatur ab eo, qui pedes lavit discipulis suis, nec desinit interpellare pro nobis.* Huc quoque facit egregia illa Cypriani precatio, in *Tractatu de Ablutione pedum* sub finem, digna quæ semper in mente, atque ore nostro versetur: *Clementissime magister*, inquit, *quoties ego doctrinæ tuæ transgressus sum regulas, quoties edicta tua, Domine sancte, contempsi: & cùm diceres mihi: Revertere, non sum reversus: cùm minareris, non timui: cùm bonus esses, & lenis, exasperans fui, ultra septuagies septies in cœlum, & coram te peccavi, quis tot sordes abluet? quis abradet stercora conglobata? Quicquid dicat Petrus, necesse est, ut ipse nos abluas, neque enim lavare nos possumus, sed in omnibus, quæ agimus, indulgentiæ tuæ lavacro indigemus. Ad mensæ tuæ participationem Iudas proditor est admissus, sed ab hoc lavacro salutari exclusus: lavari in fine non potuit, quia apostolatus sui honorem detestabili cupiditate fœdavit. Quia verò apud te fons vitæ est, & miserationum quæ a seculo sunt profunditas infinita, quos abluisti baptismo, quos lavisti sanguine tuo, quos semper lavas quotidiana peccata donando, transfer a paludibus seculi hujus, & luto vitæ præsentis ad purgatissimum gloriæ tuæ regnum, ubi nec scabies ulla, nec lippitudo, ubi nemo fluxum sanguinis patiens, nemo immundus, ubi nullo amplius opus est lavacro, configurato corpori claritatis tuæ corpore nostro, secundùm promissa tua, necesse est ut impleas, & qui incepisti in nobis opus bonum, perficias, solidesque per te Christum Dominum nostrum.* Ad hunc porrò morem abluendi hospitum pedes, Paulus quoque alludit 1. ad Timotheum 5. capite, de vidua in Diaconissam eligenda verba faciens, *si lavit pedes sanctorum*, quo & hospitalitatem & humilitatem ejus notat. Hoc enim magnam animi demissionem arguit, cùm vilissima & sordidissima hominis pars ferè sint pedes, quos qui ita contrectare, & curare non gravabitur, certè nec vilia quælibet alia munera & ministeria, quæ pauperibus ægrotantibus impendi necesse est, obire nunquam recusabit. Egregium quoque pœnitentis humilisque animi exemplum edidit mulier illa in Euangelio, quæ Christi pedes suis lachrymis lavit, suisque capillis, quibus mulieres valdè superbiunt, extersit. Psal. 60. v. 10. Moabum, hoc est, populum Moabiticum Deus per contemptum appellat *ollam*, vel *pelvim lotionis suæ*, & *super Edom* dicit, *se projecturum calceamentum suum*, hoc est, Moabitæ mihi serviliter subjecti erunt, veluti lebes, & pelvis, in qua pedes lavare soleo, quæ Festo *pelluvium* dicitur, & *pelvis*, Græcè ποδόνιπτρον, & νιπτὴρ Joannis 13. & ποδονιπτὴρ Clementi Alex. Herodotus lib. 2. literis memoriæque prodidit, Amasin regem Ægyptiorum pelvim habuisse auream, in qua tam ipse, quàm omnes semper convivæ pedes abluere atque etiam in illam evomere atque emingere consueverunt. Hanc rex ille tandem confregit, ex eaque dæmonis statuam fecit & in celeberrimo urbis loco statuit. Hæc de pedum ablutione.

Christi exemplum. — NOTA — *Pelluvium pro idolo cultum.*

Nunc de manuum lavatione dicamus, quæ, ut hodie, ita antiquitùs apud Judæos ante epulas, atque sacrificia usitatissima extitit. Scribæ & Pharisæi, ut Math. 15. scriptum est, Christum interrogantes, ajunt, *Cur discipuli tui transgrediuntur traditionem Majorum? non enim manus suas lavant, quando panem* (hoc est, cibum) *comedunt.* Idem testatur Marcus septimo cap. *Pharisæi*, inquit, *& Scribarum nonnulli qui Hierosolymis venerant, cùm vidissent quosdam ex discipulis Christi*, κοιναῖς χερσὶν, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἀνίπτοις, *communibus seu pollutis*, hoc est, *illotis manibus, panes comedere, illos graviter reprehenderunt.* Nota hîc, *commune* vocari id, quod est prophanum, impurum & immundum: qua significatione idem vocabulum etiam Actorum 10. ad Romanos 14. & ad Hebræos 10. accipitur, ut etiam vernacula nostra lingua, Gemein / ist unrein / hoc est, *commune est immundum.* Hinc κοινοῦν, hoc est, *communicare*, Matth. 15. Actorum 21. & 10. *inquinare* & *polluere* significat. Sunt etiam qui nomen Latinum *cœnum*, a *communi* dictum putant. Addit Marcus Euangelista: Pharisæi enim omnesque Judæi ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι. Theophylactus illud πυγμῇ interpretatur, ἄχρι τοῦ ἀγκῶνος. πυγμὴ γὰρ λέγεται, τὸ ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος ἄχρι καὶ τῶν ἄκρων δακτύλων, hoc est, *a cubito ad digitos usque extremos.* Hujusmodi videri queat illa Turcarum lotio, quæ *Abdar* dicitur, alii *Aptam* vocant, quinque sensuum organis pernecessaria: qua manus & brachia ad cubitos usque abluunt, dehinc os, nares & totam faciem ad aures usque, &c. ut testis est Cuspinianus. Ideo (inquit Camerarius in hunc locum) sicut opinor, quòd Græci illud spacium inter mensurarum nomina ponentes, πυγόνα appellarint. Addit idem, πυγμῇ quod crebrò interpretati sunt, videtur a pugilum iteratis pugnis translatum esse, qui sunt πύκται & πυγμάχοι & πυγμὴ illa est pugna: πυγμῇ igitur iterum atque iterum, neque causa esse videtur, cur alia scriptura exquiratur. Beza, *Quasi pugillatim*, inquit, *dicas, ut translatione a pugilibus sumpta, summum lavandi*

De manuum lavatione Judæis usitata. — *Manuum lavatio ante epulas & sacrificia.* — *Pharisæorum manus lavandi consuetudo.* — *Commune quid significet.* — *Cœnum unde dictum.* — πυγμή. — *Turcarum lotio.*

vandi ſtudium, ac veluti certamen. Idem, ſicut a στιγὴ tertius caſus στιγῇ adverbialiter accipitur, ſic etiam πυγμῇ derivari puto a πυγμὴ, quod non modò decurtatam cubiti menſuram, ſed ipſam quoque pugillationem, hoc eſt, pugilum certamen ſignificat. Syriaca verſio habet, niſi דבטילאית *Dabbethilaith*, *diligenter laverint manus*, &c. Addit Marcus, *Tenentes majorum traditionem: & a foro venientes*, hoc eſt, a negotiis forenſibus, *ne cibum quidem capiunt Phariſæi, & omnes Judæi, niſi prius* βαπτίσωνται, id eſt, ſe in aquas demerſerint, id eſt, abluerint, ſicuti poculorum quoque ac ſextariorum & æramentorum & lectorum ablutiones iiſdem uſitatiſſimæ fuerunt. Hîc βαπτίζεσθαι plus eſt, quàm χερνίπτειν, quod illud videtur de corpore univerſo, unde Baptiſterium, de quo ſuprà: iſtud de manibus duntaxat intelligendum. Neque verò βαπτίζειν ſignificat *lavare*, niſi à conſequente. Nam propriè ſignificat tingendi cauſa immergere. Huc quoque pertinent ſex illæ hydriæ lapideæ, quæ dicuntur poſitæ eſſe κατὰ τὸν καθαρισμὸν, id eſt, *ad purgationem* ſeu *luſtrationem* Judæorum, Ioan. 2. Ex his ergo conſtat, Iudæos, & inprimis Phariſæos accurata manuum ablutione ante cibi ſumptionem uſos fuiſſe, non modò ſanitatis, munditiei ac civilitatis cujuſdam cauſa, ſed etiam religionis ergò, ita ut illam ſine ſcelere prætermitti minimè poſſe exiſtimarent. Perſuadebant namque ſibi ſtulti illi homines, ſe externis hujuſmodi lotionibus verè & coram Deo a peccatis mundari, & idcirco externæ potiùs corporis ablutioni, quàm internæ animi munditiei atque puritati ſtudebant, neglectiſque Dei præceptis, quæ maximi erant momenti atque ponderis, externas hujuſmodi majorum ſuorum traditiones atque præcepta mordicùs tenebant, diligentiſſimeque obſervabant. Quo ſanè nomine a Chriſto diſcipulos ſuos excuſante, graviſſimè reprehenduntur, quemadmodum Euangeliſtæ in ſequentibus docent. Idem teſtatur Lucas cap. 11. Nam cùm a Phariſæo quodam ad jentaculum ſive prandium (ὅπως ἀριστήσῃ παρ᾽ αὐτῷ) vocatus eſſet, Chriſtus domum ingreſſus, ἀνέπεσεν, *accubuit.* Id cùm vidiſſet Phariſæus, valde admiratus eſt, quòd Chriſtus non prius ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου, id eſt, *ablutus fuiſſet ante prandium* (hinc quoque colligi poteſt, prandia Judæis fuiſſe uſitata) Chriſtus itaque hac occaſione Phariſæorum hypocriſin graviſſimè reprehendit, dum eos dicit exteriorem poculi patinæque partem purgare, cùm intus pleni ſint rapina, & ſcelere. Hoc ſimili ducto a re præſenti, vaſis nimirum epularibus, docet non corpus tantùm, ſed etiam & quidem multò magis, animum a vitiorum ſordibus eſſe repurgandum. Huc quoque facit ſcita & elegans illa Plutarchi ſententia *Sympoſ.* lib. 1. *Probl.* 2. πολὺ μᾶλλον προσήκει τῆς ψυχῆς, ἢ τὸν πηλὸν ἀπονιψαμένους τῶν ποδῶν ἐλαφρῶς πότον ἀλλήλοις συμφέρεσθαι, id eſt: *Multò magis oportet ex animo eluere, quàm cœnum a pedibus detergere, ut in convivio poſſimus facilè, & comiter cum aliis verſari.* Obſervandum porrò, hodie quoque à Judæis eundem morem ſuperſtitioſè obſervari: tenentur enim lavare ante, & poſt cibum, ante gratiarum actionem: unde dicunt vulgo, *aquæ priores oderunt carnem porcinam: at aquæ poſteriores interfecerunt hominem.* Hujuſmodi uſitata dicendi formula ex hiſtoriis ſive fabellis quibuſdam nata eſt. Ferunt enim quendam veniſſe in aliquod hoſpitium, qui cùm manus, antequam menſæ aſſideret, non laviſſet, hoſpes cùm illum putaret non eſſe Judæum, illi carnem porcinam appoſuit. Deinde ferunt etiam alium quendam, eò quòd poſt cibum non laviſſet manus, & vultum, remanſiſſe de piſce, neſcio quid, in barba, atque ita in forum abiiſſe. At quendam cùm eum vidiſſet, adiiſſe uxorem, dixiſſeque: *Maritus tuus dixit, te aureos nummos tot debere mihi dare,* quibus datis, abiit. At paulò poſt, cùm maritus domum rediſſet, uxorque illi hæc narraſſet, maritus iratus uxorem interfecit, quòd periculum, ut poſt hac evitetur, ajunt etiam *Lavare manum ante cibum, liberum eſt cuivis hoc facere, aut non: at poſt cibum tenentur hoc facere.* Præterea Sacerdotum olim apud Iudæos mos fuit manus abluendi ante ſacrificium, lege divina inſtitutus: & populus quoque variis ablutionibus utebatur, antequam ad talem rem divinam accederet. Quæ quidem lotiones erant inſtitutæ, non quòd per ſe mundarent, vel delerent, atque expiarent peccata: (qua tamen prava opinione multorum animi erant imbuti) ſed partim, ut commonefierent hac actione ad rem, cultumque divinum non eſſe accedendum illotis manibus, hoc eſt, mentibus, atque conſcientia polluta: ſed prius vera pœnitentia animorum ſordes deponendas, puritatique, & innocentiæ ſtudendum eſſe: partim quòd erant typi atque figuræ ſanguinis Chriſti, quo verè ab omni peccatorum cœno emundamur. Nec verò ante ſacrificia tantùm, atque epulas, verumetiam aliâs, quando conteſtari volebant, ſe alicujus innoxios eſſe ſceleris: neque impuris ſe facinoribus immiſcuiſſe, aſſenſumve præbuiſſe, in multitudinis conſpectu manus abluebant, ut ſcilicet ex illa manuum, mundicia, animi puritatem indicarent: non ſecus, atque Romani olim candidati magiſtratuum, veſtis candore ſuam innocentiam, & animum alienum a ſanguine, & crudelitate, candidum, & ingenuum (cujuſmodi ſanè in magiſtratu requiritur) propalàm venditabant. Hinc Deuteron. 21. præſcripſit Deus cæremoniam, qua Senatores civitatum lotione manuum teſtarentur, ſe innoxios eſſe a cæde reperti in vicinia cadaveris. Sic Pilatus, Matth. 27. ſuæ innocentiæ proteſtandæ gratia, ut qui in Chriſti innocentis cædem non conſentiat, ſed tantùm Iudæorum importunitate coactus, illum ad ſupplicium dedere cogatur, manus ſuas impuras atque ſanguinolentas coram toto populo lavat. Verùm hæc manuum Pilati ablutio, ipſius potius Chriſti innocentiæ locuples teſtis extitit: qui quidem non propter ſuam, ſed alienam potiùs culpam diros illos cruciatus, mortemque pertulit, qua verè immanes ac impuræ noſtræ manus, menteſque fuerunt expiatæ. Ad hujuſmodi autem legales manuum ablutiones David alludit Pſal. 26. cùm inquit: *Lavabo manus meas in innocentia, & circumdabo altare tuum,* hoc eſt, ſtudebo puritati vitæ, & innocentiæ, cujus ſignum erat externa illa manuum ablutio. Huic opponuntur impiorum manus atque dexteræ mali conſilii, munerumque plenæ: de quibus mox in eodem Pſalmo ſequitur. Sic Pſal. 73. verſ. 13. per hypotypoſin impiæ & prophanæ multitudinis cogitationes exprimens: *certè fruſtra,* inquit, *mundavi cor meum, & lavi in innocentia manus meas,* hoc eſt, fruſtra ſtudui innocentiæ, integritati, & honeſtati: ubi ſimiliter alluſio fit ad antiquas illas, & cæremoniales manuum ablutiones.

Baptiſterium.
βαπτίζειν propriè quid.

Phariſæi a Chriſto reprehenduntur.

Plutarchi ſententia elegans.
Judæorum conſuetudo ſuperſtitioſa.

Sacerdotum apud Judæos mos abluendi manus ante ſacrificium, lege divina inſtitutus, & cur.
Non ſolùm ante ſacrificia atque epulas, ſed etiam aliâs Judæi manus abluebant.

Hujuſ-

Ethnicorum consuetudo.

Hujusmodi porrò manuum, aliarumque corporis partium, nec non vestium ablutionibus Ethnicos quoque ante impura sua sacra summa cum superstitione usos fuisse legimus. Theophrastus in lib. *Charact.* δεισιδαιμονία ἐστὶ δειλία πρὸς δαιμόνιον, ὁ δεισιδαίμων ἢ ἀπονιψάμενος τὰς χεῖρας, καὶ περιρρανάμενος ἀπὸ ἱεροῦ, δάφνης εἰς τὸ στόμα λαβὼν οὕτω τὴν ἡμέραν περιπατεῖν. Paulò post: καὶ μὴν τὰ τελέσθαι κεφαλὴν λούσασθαι, καὶ πυκνὰ τὴν οἰκίαν καθαρεῖν, καὶ οὐδ' ἐπιβλῶσαι μνήματι. Hæc verba Franciscus Robortellus sub finem libelli *de Elegia*, profert ex vetustissimo libro manuscripto, quem se habere dicit. Sic apud Virgilium Æneas nefas esse dicit, se attrectare sacra, quandoquidem tum primùm ex bello tanto, ac recenti cæde venerit, *donec se flumine vivo abluerit.* Idem testatur receptum fuisse veteribus Sophoclis interpres super *Ajacem.* Macrobius libro tertio *Saturnaliorum*, capite primo, *Constat*, inquit, *Diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari: cùm verò inferis litandum est, satis actum videtur, si aspersio sola contingit.* De sacris igitur Superorum ait Æneas: cùm se violatum nosset, multa cæde pollutum:

Tu genitor cape Sacra manu, patriosque penates,
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Plura exempla vide de purificatione, ad Sacra superiorum pertinente Deorum: ibidem. At Dido cùm Sacra diis inferis instituit, ait *Æneid.* 4.

Annam chara mihi nutrix hic siste sororem:
Dic corpus properet fluviali spargere lympha.
Sparserat & latices simulatos fontis Averni.

Et alibi. Nec non cùm Misenum sepulturæ mandari refert, *Æneid.* 6.

Idem ter socios pura circumtulit unda.
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Circumtulit aqua hìc idem est, quod aqua purgavit. *Circumferre* enim pro lustrare, verbum est antiquum & pontificale, ut notat Servius ad hunc versum. Sic Plautus in *Amph. Quæso quin tu istam jubes pro cerrita* (tanquam insanam, & a Cerere irata vexatam) *circumferri*, hoc est, lustrari & purgari: propterea quod qui lustrant, eum quem lustrant, sæpe aliquid circumferentes, circumeunt: unde & *lustrare* circuire est. Inde & περιαγνίζειν apud Græcos, & περικαθαίρειν, & περιμάσσειν, id est, *circumpurgare*, *circumlustrare*: quòd res certæ certaque februa sive purgamina circumferebantur ei, qui expiabatur. Et ἀπομακτής, περιμάκτειαι, περικαθαρτής, qui lustrat. Sed & περιστίαρχος dicebatur, qui domum aut concionem urbemque lustrabat: in quo nomine inest & circuitus quædam & ambitus significatio. De hac aquæ aspergine, & aspergello partim e rore marino, partim ex oliva felici, partim e lauro confici solita, & in genere de veterum lustrationibus, vide Turnebum *Advers.* libro 13. Capite 21. Sed & Virgilius, cùm facit Æneam apud inferos ramùm Proserpinæ consecraturum, ita refert *Æneid.* 6.

Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua.

Eadem de re sic Festus: *Itaque funus prosecuti, ignem supergrediebantur aqua aspersi, quod purgationis genus appellabant suffitionem.* Præterea Ethnicis fuisse in usu aspergines aquæ lustralis, historia Ecclesiastica testatur: in qua sic de Valentiniano scribitur: *Cùm nondum esset Imperator, & comitaretur Julianum Apostatam, venissetque ad Faunum, ibi æditus aqua sua illum aspersit. Ille indignatus, ei colaphum impegit, dixitque: Cur meam purpuram aqua tua contaminasti?* Theodoretus, Ἑκατέρωθεν δὲ τῶν θυρῶν εἱστήκεσαν νεωκόροι, περιρραντηρίοις τοὺς εἰσιόντας περικαθαίροντες ὡς ἐνόμιζον. Ab utraque januæ parte steterunt æditui, qui vasis plenis aqua lustrali ingredientes prius lustrabant, ut sibi persuadebant. Sozomenus: ἐπεὶ δὲ ἔμελλον ὑπερβαίνειν τοῦ ναοῦ τὸν οὐδὸν, θαλλοὺς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεὺς νόμῳ ἑλληνικῷ περιέρραινε τοὺς εἰσιόντας, id est, *Cùm autem jam superaturi essent templi limen, Sacerdos quidam ramos madefactos manibus tenens, ingredientes more Ethnico aspergebat.* Aspergillum ex lauro potiùs fieri solitum, ex illo Juvenalis patet:

- - - - Lustrari si qua darentur,
Sulphura cum tædis, & si forte humida laurus,

Ethnicis usitatæ fuerunt aspergines aquæ lustralis.

Id est, aqua perfusa, & madens ad aspergendum & purgandum. Ejusdem moris testis quoque est auctor libri *de morbo sacro*, qui Hippocrati vulgò ascribitur, cùm tamen Galenus ex Hippocratis familia eximendum dixerit. Ejus verba Latinitate donata hæc sunt: *Deus itaque*, inquit, *est, qui maxima, & sceleratissima peccata purgat & purificat, & liberatio nostra existit: ipsique terminos templorum ac delubrorum nostrorum diis Designamus: ut nullus, qui non purus sit, eos transcendat. Et ingressi respergimur, non veluti qui inquinemur, sed, si quod etiam prius peccatum habemus, purificemur.* Cicero lib. 1. *de Legibus* docet: *Aspersione aquæ labem corpoream tolli, & castimoniam corporis præstari.* Vide & Augustinum libro 31. *de Civitate Dei.* Apulejus lib 9. *Confestimque discussa pigra quiete, alacer exurgo, meque protinus purificandi studio, marino lavacro trado, septiesque submerso fluctibus capite, quòd eum numerum præcipuè religioni aptissimum, divinus ille Pythagoras prodidit. Septies submerso capite.* Ex superstitione priscorum, qui aquæ fluviali quasi purgatoria immergebant capita, juxta illud Persii,

- - - - Tyberino in gurgite mergis

Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.

Juvenalis quoque similiter,

Ter matutino Tyberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet. - - - -

Septenarius numerus in omnibus rebus potentissimus. Cùm septenarius numerus sit in rebus omnibus, & potissimùm in religionibus potentissimus, scitissimè dixit, se septies caput fluctibus immersisse. Consimiliter lib. 4. *Regum*, Helisæus Propheta inquit leproso: *Vade, & lava te septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, & mundaberis.* Item paulo post: *Lavit*, inquit, *septies in Jordane, juxta sermonem Prophetæ, & mundatus est.* Septenario numero (ut auctor est D. Augustinus in *epistola*) universitatis significatio sæpe figuratur: qui etiam ipsi Ecclesiæ tribuitur, quod est instar universitatis. Clemens Alexand. lib. 4. *Stromat.* Baptismatis imaginem a Mose Poëtis traditam fuisse dicit: unde Homerus Penelopen dicit: ὑδρηναμένη καθαρὰ χροῒ εἵματ' ἔχουσαν, ἔρχεσθ' ἐπὶ τὴν εὐχήν· hoc est, *hausta aqua mundas gestantem in corpore vestes, venisse ad preces:* & Telemachum ablutum manus pelago Minervæ vota fecisse. Hunc quoque Judæorum morem esse tradit, ut sæpe in ipso lecto tingerentur. Ac omnino de Christianorum, opinor, sui temporis moribus, verba faciens, inquit, λελουμένους φασὶ δεῖν ἐπὶ τὰς ἱεροποιίας, καὶ τὰς εὐχὰς ἰέναι καθαροὺς καὶ λαμπροὺς, hoc est: *Dicunt nos ablutos ad sacrificia & preces accedere mundos, & splendidos:* & hoc quidem fieri signi symbolive gratia. Sed addit rectè a quodam dictum esse, ἴσθι μὴ λουτρῷ, ἀλλὰ νόῳ καθαρός, hoc est: *Esto non lavacro mundus, sed animo.* Subjungit deinceps sententias quasdam, cujusmodi est illa, notatu dignissima: ἱκανὴ δ' οἶμαι ἀνθρώπῳ κάθαρσις μετάνοια ἀκριβὴς καὶ βεβαία, hoc est: *Sufficiens, mea quidem sententia, hominis est purgatio, perfecta, firma, stabilisque pœnitentia.* De labris atque vasis, cùm Judæorum, tum Romanorum, quæ ante templa posita, aquas lustrales continebant, quibus sacerdos atque populus ad sacra accessuri, prius se aspergebant: vide Guilielmi Choulii librum Gallicum *de Antiqua Romanorum religione.* Athenæus lib. 9. χέρνιψ, inquit, ἦν ὕδωρ εἰς ὃ ἀπέβαπτον δαλὸν ἐκ τοῦ βωμοῦ λαμβάνοντες, ἐφ' οὗ τὴν θυσίαν ἐπετέλουν, καὶ τούτῳ περιρραίνοντες τοὺς παρόντας ἥγνιζον, hoc est: *aqua erat, in qua torrem ex ara, in qua sacrificia peragebant, capientes tingebant, qua quidem aqua circumstantes conspergebant, atque purgabant.*

Labra atque vasa aquas lustrales continentia. Χέρνιψ.

Aquæ benedictæ origo. Lib. 5. cap. 8. Hinc satis constat, aquam Christianorum benedictam, ut vulgò appellatur, sive lustralem, ex antiquis illis Judæorum, atque gentilium cæremoniis promanasse: cujus tamen Polyd. Virgilius Alexandrum ejus nominis primum Romanorum Pontificem auctorem facit, quem scribit instituisse, ut hujusmodi lustralis aqua sacraretur, & ad dæmones effugandos, in templo, domique servaretur. Turcæ quoque hujusmodi aquis lustralibus utuntur, & quidem maximam illis vim tribuunt. Præparant se Turcæ ad orationem lotione, quæ apud eos triplex est: de quibus multa in illorum *Alcorano* legere licet.

Aquæ lustralis usus apud Turcas.

Græci quoque ante epulas manus lavarunt. Porrò ut apud Judæos, ita apud Græcos quoque moris fuisse, ut ante epulas manus lavarent, passim ex scriptorum veterum monumentis satis constat. Apud Homerum quidem semper ferè ante epulas ablutionis manuum fit mentio: ut Ιλ.

Ἦ ῥα, καὶ ἀμφίπολιν ταμίαν ὤτρυν' ὁ γεραιός,
Χερσὶν ὕδωρ ἐπιχεῦαι ἀκήρατον, ἡ δὲ παρέστη
Χέρνιβον ἀμφίπολις πρόχοόν θ' ἅμα χερσὶν ἔχουσα.
Sic fatur, servamque senex capere imperat undam
Inque manus liquidam diffundere, constitit illa
In manibus, pelvimque tenens, gutturnium & ipsum.

Et Οδ. Α. Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ χρυσείῃ ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος
Νίψασθαι. - - - -

Athenæus lib. 1. cap. 12. *observatione dignum esse* dicit, *quòd Homerus Ulyssem manus lavantem facit priusquam cibum capiat, quòd in Iliade facientes nunquam reperiuntur:* rationem addit: *nam in Odyssea vita est otiosorum, & delicatè in pace viventium, unde illi corpora curant, balneis, lavacrisque indulgent, talis, ac pila ludunt.* Hæc ille. Idem tradit Eustathius Οδ. Α. fol. 34.

In manuum ablutione consideranda. Personæ. In hac porrò manuum ablutione ut Judæis, ita Græcis quoque, atque Romanis, aliisque usitata, hæc videntur consideranda. Primò personæ per quas illa fit. Apud Homerum cùm ancillarum, ut ex suprà commemoratis testimoniis liquet, tum præconum id fuit ministerium, secundùm illud Οδ. Α.

Τοῖσι δὲ κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευον,
Σῖτον δὲ δμωαὶ παρενήνεον ἐν κανέοισιν.
Inque manus lympham præcones fundere primùm
At servæ panem vimeis gessere canistris.

Fuit omnino hoc apud Græcos, & Romanos servorum officium, secundùm illud Virgilii,

Dant famuli manibus, lymphas, cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.

Sic Elisæus, Eliæ prophetæ discipulus atque minister describitur ab hoc ministerio 2. Regum 3. ver. 11. Nam quidam ex famulis Jorami regis inquit: *Est hic Elisæus filius Saphati, qui fundebat aquam super manus Eliæ,* id est, illius minister, nam synecdochicῶς pars pro toto accipitur. Judæi fabulantur pro suo more, in monte Car-

Carmelo, cùm Elias contra Baalitas certaret, fuumque madefaceret holocauſtum, velletque impleri aquis foveam, quam altari circumduxerat, Eliſæum ad ejus manus fudiſſe aquas, utque non deficerent, vi divina illius digitos ita cœpiſſe deſtillare aquas, perinde ac ſi verſi fuiſſent in totidem fontes.

Deinde conſideranda inſtrumenta manibus, pedibusque abluendis & abſtergendis deſtinata. Hebraicè מזרק *miſrak*, *gutturnium* dicitur, etiam alio nomine משאב *miſcab*, id eſt, *vas*, ex quo effunditur guttatim aqua ad manus abluendas. Euſtathius Iλ. Ω. πρόχοος Homero, λέβης χέων ὕδωρ τὸ κατὰ χειρός. Apud Homerum hæc memorantur, ἡ πρόχοος ſive πρόχους. Euſtath. Οδ. α. ἀγγεῖον ἐν ᾧ τὸ ὕδωρ. & Οδ. Σ. δι' ἧς ὕδωρ χερσὶν ἐπιχεῖται· aliâs & Οδ. Σ. ξέστην ποτίζειν χρήσιμον· & alibi, ὀξεοδόχον ſignificat. Pollux, πρόχοον Homero dicit eſſe τὸ ὑδροφόρον ἀγγεῖον. Latinè, *Guttus*: Plinio, *Gutturnium*, *aqualis*. Varro: *manalis urceolus a nonnullis a manando, vas anguſti oris, unde guttatim aqua latex manibus affunditur.* λέβης Homero, interprete Polluce, eſt τὸ ὑποδεχόμενον ἀγγεῖον. Euſtath. Οδ. α. λέβης, τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον χερνίβιον καθ' ὃ νιπτόμεθα, παρὰ τὴν λαβὴν ſecundùm veteres dictum, ſive potiùs ὅτι λείβεται ὕδωρ εἰς αὐτόν. Hoc etiam λεβήτιον poſſe dici Pollux teſtatur: ut πρόχους, προχοΐδιον, & utrumque χερόνιπτρον. Euſtathius Iλ. Ω. in illa verba, χέρνιβον ἀμφίπολος, χέρνιβον, inquit, *Homerus præter ſuam conſuetudinem hoc tantùm in loco dixit, quòd nos χερόνιπτρον appellamus, hoc eſt*, τὸ τοῦ ὑγροῦ ὑποδεκτικὸν ἀγγεῖον, id eſt, *vas liquoris receptaculum, quod Homerus λέβητα vocare conſuevit: aliâs χέρνιβα ſolet appellare* τὸ κατὰ χειρῶν διδόμενον ὕδωρ. *Pollubrum* Feſto, malluvium trulleum, vas quo aqua ex ablutis manibus polluta excipitur, handbecke / handwaſſer geſchirr. Ἀπόνιπτρον quoque λεκάνην, id eſt, pelvim illam manibus lavandis deſtinatam a veteribus appellatam fuiſſe, Athenæus veriſimile eſſe putat, libro 9. ut ποδόνιπτρον, ſive ποδονιπτὴρ Clementi Alexand. & νιπτὴρ Joan. 13. *pelvis*, *pelluvium* Feſto, vas lavandis pedibus aptum. Idem χέρνιβον Homero, Atticis, teſte Athenæo, χερνίβιον dicitur, Eupoli χερόνιπτρον, Epicharmus χερόνιβα appellat. Apud Tragicos, & Comicos paroxytonos reperitur ſcriptum χερνίβα. Clemens Alexand. lib. 2. cap. 3. *Pædagog.* τί δὲ κεραμεοῦν ἢ τὸ χερνίβιον, οὐ δέξεται τὸ ἀπόνιμμα τῆς χειρός, hoc eſt, *Quid vero ſi fuerit pelvis fictilis, an ablutarum manuum ſordes non excipiet?* οὐδὲ ὁ ποδονιπτὴρ (Joan. 13. νιπτὴρ dicitur) τὸ ἀπόνιμμα τοῦ ποδός, hoc eſt, *& vas fictile, quo pedes lavamus, pedum ſordes.* Περιρραντήρια quoque nonnulli volunt eſſe inſtrumenta ad abluendas manus, verùm Brodæus lib. 1. *Miſcell.* cap. 38. dicit pura fuiſſe in templis aut concionibus vaſa, aqua luſtrali plena, qua aut Sacerdotes, aut æditui ingredientes aſpergerent: id probat nonnullis Theodoriti, Sozomeni & Æſchinis teſtimoniis, qui hac voce in illa ſignificatione utuntur. Illa porrò, quæ ſunt manibus pedibuſque extergendis ſeu abſtergendis (quod Græcis eſt, ἐκμάσσειν ſive ἀπομάσσειν) idonea, a Græcis ἐκμαγεῖα & χειρόμακτρα appellantur, teſte Polluce. Suidas, χειρόμακτρον ὁ παρὰ ῥωμαίοις καλεῖται μανδύλιον, παρὰ τὸ μάττειν τὴν ὕλην· a Romanis *mantile* vocatur, ſic dictum ab extergenda materia. Sic Chriſtus λεντίῳ, quo fuit præcinctus, cœpit ἐκμάσσειν, id eſt, *extergere* pedes ſuorum diſcipulorum. Et mulieris illius pœnitentis Lucæ ſeptimo ἐκμαγεῖον fuit capillitium illius, quo Chriſti pedes ἐξέμασσε, ſive ἐξέμαξε, id eſt, *extersit*. De verbo ἀπομάσσειν, id eſt, ἀποσπογγίζειν, ἀναμάσσειν, ἐκμάσσειν & ἐκμάσσεσθαι, unde ἐκμαγεῖον ſecundum veteres, id eſt, ἔκμαγμα, ἀποτύπωμα, σφραγίς, & ἀπόμακτρα, id eſt ἀποκαθάρματα, & μαγδαλιά, vide Euſtath: Οδ. τ. 684. & Οδ. γ. 728. Athenæus libro 9. χειρόμακτρον vocat, ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάττοντο ὠμολίνῳ, id eſt, *manus abſtergebant*, quod Philoxenus Cytherius ἔκτλεμμα appellavit: aliâs etiam ὠμολίνον vocatur, de quibus Athenæus lib. 6. ſub finem. Vaſa & inſtrumenta. πρόχοος. λέβης. χερόνιπτρον. ποδόνιπτρον. ποδονιπτής. χέρνιβον, χερνίβιον.

Nunc de materia lavationis dicatur. Illa eſt aqua, quæ vel eſt pura & ſimplex (ὕδωρ ἀκήρατον, hoc eſt, καθαρὸν μὴ ἔχον κηρόν τινα, Euſtathio interprete, ab Homero Iλ. Ω. dicitur) vel mixta ex aliis quoque rebus. Χέρνιβα Homerus aquas, quibus manus abluebantur, appellavit. Euſtath. Οδ. α. χέρνιβα δὲ τὰ εἰς χεῖρας νίμματα καταχεόμενα, οἷς πολλάκις καὶ τὶ προσεδίδοντο καθαρτικὸν χειρῶν, ſecundum illud Antiphanis, δότω τὶς δεῦρο ὕδωρ καὶ σμῆγμα. Pollux, χέρνιβα μὲν τὸ ὕδωρ Homerus appellat. Dicta eſt etiam ὕδωρ κατὰ χειρὸς καὶ κατὰ χειρῶν, teſte Athenæo lib. 9. Euſtathius Οδ. κ. τὸ χεῖρας νίπτεσθαι ἀφ' οὗ χέρνιβα, καὶ χερνίπτεσθαι ἡ πλείων χρῆσις κατὰ χειρὸς εἴωθε λέγειν, καὶ κατὰ χειρῶν. Ariſtophanes tamen Grammaticus, eodem teſte, voluit, antiquos propriè κατὰ χειρὸς appellare ſolitos ablutionem manuum, quæ ante prandium, cœnamve fiebat: quæ verò pôſt, νίψασθαι· quod quidem diſcrimen qui ignorant, illos irridet. Idem diſcrimen inter κατὰ χειρὸς & νίψασθαι Polemon quoque ſtatuit, teſte Athenæo, & Euſtathio Οδ. α. pag. 4. ex Tryphone, & Ammonius. Ariſtophanes in comœdia Σφῆκες, *Poſtquam accubuerunt*, Materia lavationis. Aqua pura. χέρνιβα. ὕδωρ κατὰ χειρός. Diſcrimen inter κατὰ χειρὸς, & νίψασθαι ſive ἀπονίψασθαι.

> Ὕδωρ κατὰ χειρὸς, τὰς τραπέζας εἰσφέρειν
> Δειπνοῦμεν, ἀπονενίμμεθ' ἤδη σπένδομεν.

En hoc in loco primò ponitur accubitus: deinde ablutio manuum (ὕδωρ κατὰ χειρός) tum menſarum illatio: deinde cibi ſumptio: poſtea τὸ ἀπονίψασθαι, id eſt, *ablutio manuum*: poſtremò libatio, quæ uſitato ferè more ſe ex ordine conſequebantur. Scholiaſtes in illa verba (ὕδωρ κατὰ χειρὸς) *ſubintellige* petere. *Nam hæc erat loquendi forma uſitata: antequam menſa inferretur*, ὕδωρ κατὰ χειρὸς δὸς ὦ παῖ· *peracta autem cœna*, ἀπονίψασθαι δὸς ὦ παῖ. *Ariſtophanes*, φέρε παῖ ταχέως κατὰ χειρὸς ὕδωρ, παράπεμπε τὸ χειρόμακτρον, *quod poſt cœnam factum eſt.* Verùm Athenæus & verbum νίψασθαι docet Homerum uſurpaſſe in ablutione manuum, quæ facta eſt ante epulas, & κατὰ χειρὸς nonnunquam dici de illa, quæ poſt cœnam fit: ita ut nullum videatur hoc eſſe diſcrimen, niſi forſan illud ab Atticis fuerit obſervatum. Κατὰ χειρὸς δοῦναι, ſive διδόναι κατὰ χειρὸς ὕδωρ τινὶ, Græcis idem eſt quod Homero ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας χεῦειν, *manibus dare aquas*, ſive id fiat ante cœnam, ſive pôſt. Sic κατὰ χειρὸς αἰτῆσαι, & κατὰ χειρὸς λαμβάνειν ſive δέξασθαι, &c. Græci dicebant, ut apud Athenæum videre licet lib. 9. ubi poëtarum quædam teſtimonia recitat. Polluci ſimiliter τὸ νίψασθαι μὲν dicitur τὸ πρὸ τῆς τροφῆς· ἀπονίψασθαι δὲ Diſcrimen inter νίψασθαι, & ἀπονίψασθαι.

ἢ τὸ μετὰ τὴν τροφήν. Tertullianus aquam, quæ manibus datur, *aquam manualem* appellat, *Apologetici* cap. 30. *Post aquam manualem, & lumina*, &c. *Malluvium* Festo, quo manus lavantur: *Malluvia*, quibus manus sunt lotæ: *Pelluvia*, quibus pedes. Idem, *Malluvium latum in commentario sacrorum significat, manus qui lavet: a quo malluvia, quibus manus sunt lotæ: perinde ut quibus pedes, pelluvia.* Apud Caprum Grammaticum, ut annotat Turnebus in suis *Adversariis*, aqua, qua manus initio cœnæ, vel prandii lavamus, vel pedes abluimus, *aquam* eleganter *pedibus*, & *manibus* a veteribus appellatam fuisse, testatur: credo quòd aquam pedibus cùm poscerent, & manibus, tantùm dicere solerent, *Aquam pedibus*, *Aquam manibus*, nullo adjecto verbo. Nec verò pura tantùm & simplici aqua, veteres ad manus abluendas usos fuisse reperio, verumetiam saponibus sive smegmatis, & odoriferis quibusdam unguentis. Athenæus libro nono, *Veteres*, inquit, *utebantur ad manus abluendas* καὶ σμήγματι ἀπορρύψεως χάριν, hoc est, *Smegmate sive sapone, sordis depellendæ gratia*: ut testatur Antiphanes in Coryco, κέλευσόν τινα φέρων ἀπονίψασθαι, δότω τις δεῦρο ὕδωρ, καὶ σμῆγμα. Addit præterea, odoribus quoque manus ungere fuisse solitos: καὶ εὐώδεσι τὰς χεῖρας κατεχρίοντο τὰς ἀπὸ μαγδαλιᾶς τιμὰς ἀτιμάσαντες, quas Lacedæmonii κυνάδας appellabant. Eundem hunc morem veterum ungendi manus rebus odoriferis, comprobat Epigenis, & Antiphanis testimoniis, nec non Philoxeni, cujus hæc sunt verba, in libro quem inscripsit δεῖπνον. Ἔπειτα δὲ παῖδες νίπτρ᾽ ἔδοσαν κατὰ χειρῶν σμήγμασι ἰρινομίκτοις χλιαροθαλπὲς ὕδωρ ἐπεγχέοντο τόσον, ὅσον ἔχρῃζεν, ἐκτρίμματά τε λαμπρὰ σινδονυφῆ δόσαν, χρίσματά τ᾽ ἀμβροσιόδμα καὶ στεφάνους ἰοθαλέας. Hoc est, *Pueri postea manibus aquas dederunt, cum saponibus irino unguento mistis, quibus tantum affundebant aquæ, quantum fas erat: dederunt præterea mantilia lintea, & unguenta suavissimi odoris, atque coronas violaceas.* Et hæc videntur fuisse aquæ unctæ, quarum Horatius lib. 2. *Sat.* meminit, ubi Lambinus, *Aquam unctam*, hoc est, *unguento perfusam conviviis præbere luxuriæ non ferendæ esse*, ait, *sive ea aqua adhibeatur ad manus lavandas, sive ad balneum.* Nardum pulverem vento impactum laudat Dioscorides ad cheroniptram, id est, ad manuum ablutionem: Celsus lib. 28. cap. 1. Σμῆγμα Theocriti Scholiastes *saponion* interpretatur a σμήχω, id est, *purgo*. Verùm de unguentis, & ungendi more suo loco pluribus dicetur. Hodie quoque Germani, & aliæ nationes aqua stillatitia rosarum, florum, lavendulæ liquoribus, aliisque aquis odoratis, ad manus in conviviis splendidioribus abluendum uti solent. Ἀπόνιπτρον veteres, teste Athenæo, appellabant τὸ ἀπόνιμμα (abwäschetten) tametsi eadem voce etiam videntur usi esse ad significandam λεκάνην, hoc est, *pelvim*, quæ etiam χερόνιπτρον appellatur. Eustathius, τὸ δὲ μετὰ τὴν κάθαρσιν καταπεσὸν ὑγρὸν ἀπόνιπτρον ἐκαλεῖτο, sive χειρῶν ἀπόνιμμα. Propriè tamen, ut auctor est Athenæus lib. 6. & post illum Eustathius annotat, Ὀδ. Α. ἀπόνιμμα Athenienses appellabant illas lavationes, sive aquarum effusiones, quibus vel mortui, vel scelere aliquo polluti lustrabantur, seu expiabantur. Athenæus, ἐπὶ τῶν εἰς τιμὴν τοῖς νεκροῖς γινομένων, καὶ ἐπὶ τῶν ἐναγεῖς καθαιρόντων. Eustathius, ἀπόνιμμα ἐπί τε χοῶν νεκρικῶν, καὶ ἐπὶ ἐναγῶν καθαιρομένων. Hunc verò morem super fossas, sive sepulchra mortuorum aquas & unguenta effundendi, nec non scelere aliquo obstrictos aquis expiandi Athenæus testimoniis quorundam Poëtarum confirmat lib. 9. sub finem. Idem etiam hodie a Christianis fieri solet, qui in exequiis defunctorum sepulchra aqua lustrali solent aspergere. Observandum porrò est, veteres panibus quoque olim usos fuisse ad manus abstergendum, quos deinde canibus projiciebant. Athenæus lib. 4. de Arcadum sacris epulis verba faciens, inquit: μετὰ δὲ τὸ δεῖπνον, σπονδὰς ἐποιοῦντο οὐκ ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας, ἀλλ᾽ ἀποματτόμενοι τοῖς ψωμοῖς, καὶ τὴν ἀπομαγδαλίαν ἕκαστος ἐπέφερε, τοῦτο ποιοῦντες ἕνεκα τῶν ἐν ταῖς ἀμφόδοις γινομένων νυκτερινῶν φόβων. Hoc est, *post cœnam libationibus operabantur, non quidem lotis manibus: sed jure seu offa, bucella, frusto panis, & quo se abstersserat quisque, id secum aufferebat: id faciebant ob terrores nocturnos, qui in compitis solent accidere (quorum causa,* addit Eustathius Ὀδ. Τ. *Hecate videbatur esse)* Sic ille. Erasmus addit, *arbitror sanè non inutile remedium adversus canes in compitis adorientes viatorem.* De his Apomagdaliis vide multa apud Erasmum in *Chiliad.* Eustathium, Pausaniam, Julium Pollucem, Suidam, Aristophanis interpretem, Plutarchum in Lycurgo. Hæc de materia olim in manibus vel lavandis, vel ungendis, & abstergendis adhiberi solita.

Aqua mixta saponibus, & odoriferis unguentis.

Aqua uncta.

Ἀπόνιπτρον, veteribus quid.

Ἀπόνιμμα, propriè quid.

Panis usus ad manus abstergendas.

De modo lavandi manus.

Nunc de modo manus lavandi dicatur. Antiquitus, sicuti ex Homero, & aliis scriptoribus constat, ancillæ, sive famuli gutturnium quidem aqua plenum dextra, pelvim verò seu pollubrum, quo aqua excipiebatur, sinistra manu tenentes, ex gutturnio aquas super convivarum manus effundebant, atque ita illas abluebant. Deinde mantilibus easdem extergebant. Hoc ex multis Homeri locis colligi potest. Hinc Fabius Pictor, *Aquam manibus dato, pollubrum sinistra manu teneto: dextra, vas cum aqua.* Virgilius *Æneid.* 1.

Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.

Alii ergo, interprete Donato, aquam abluendis manibus dabant, alii mantilia porrigebant, quibus manus ablutæ tergerentur. Et *Georg.* lib. 4.

---- manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonsisque ferunt mantilia villis.

Ibi Servius: *Mantilia, quibus manus terguntur. Varro appellat mantelia, quasi manutenias.* Ejus Diminutivum *mantellum* Plautus posuit in *Sticho*:

Nec his sycophantiis, nec fucis ullum mantellum objiciam.

Lucilius autem *mantella* dicit, *Mappas, mantella, merumque*, quæ Græci μάνδυα vocant. Similis hodie ferè apud Gallos, Italos, Polonos & alias nationes manus lavandi mos atque consuetudo observatur. Nam ministrorum unus gutturnium, ex quo aqua funditur, dextra: malluvium autem sive lebetem, quo aqua excipitur,

pitur,

pitur, finiſtra tenens, aquam vel ſingulis, vel ſimul multis affundit. Adeſt deinde alius miniſter mantile iiſdem porrigens ad manus extergendum. Aliquando duo mantile illud longiuſculum geſtant, quorum unus principium, alter extremum ejus manibus impoſitum tenent. Sæpe tamen unus idemque miniſter & gutturnium & malluvium & mantile humeris injectum geſtans, hoc convivarum manus lavandi abſtergendique miniſterium obit. In Germania gutturnia, malluvia atque mantilia parietibus ſunt affixa, itaque convivarum ſinguli, quo ordine a convivatore ad accumbendum vocantur, ad gutturnia accedentes, manus αὐτοχειρία, id eſt, ſibimetipſis lavant, deinde mantilibus, quæ prope ſunt, eaſdem abſtergunt. Sed tamen in principum conviviis, antiquus ille & multis gentibus familiaris mos, de quo paulò antea dictum eſt, obſervatur. Hinc in Imperatorio illo coronationis convivio, de quo ſuprà, omnium primus Brandeburgicus Elector, qui pocillatoris munere fungitur, e curia deſcendens, equum generoſum conſcendit, & ad menſam quandam, in medio foro poſitam, properans, auream inde pelvim & mappam accipit, iisque in Curiam rediens Cæſari & Regi, ut manus lavent atque abſtergant, adminiſtrat: poſt pelvis, mappa & equus Comiti Zollerano antiquo jure cedit.

Dicendum nunc quando & quoties in conviviis manus abluantur. Antiquitùs & ante epulas & in ipſis epulis, & poſt, manus lavari ſolitas fuiſſe reperio: id quod ex ſuprà commemoratis locis ſatis conſtat, præſertim ubi de diſcrimine κατὰ χειρὸς, & νίψασθαι: item νίψασθαι & ἀπονίψασθαι dictum eſt: quorum uno manuum lavatio ante cœnam: altero, illa quæ fit poſt cœnam, veteribus fuit ſignificata. His adde, quæ Euſtathius ſcribit Ὀδ. A. pag. 34. σημειοῦνται δὲ οἱ παλαιοὶ ὅτι παρ' Ὁμήρῳ περὶ τῶν βρωμάτων εὑρίσκονται νιπτόμενοι, ὡς ἂν εὐαγῶς ἐπὶ τὰς σπονδὰς ἔλθωσιν· εἰ δὲ καὶ μετὰ τὸ φαγεῖν ὡς εἰκὸς ἐνίπτοντο, σιωπᾷ ὁ ποιητὴς ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ κατὰ σχῆμα τὸ καλούμενον σιωπώμενον. Notandum apud Homerum convivis, poſtquam ſeſſum receperunt aquam fuiſſe datam, ſecundum illud Ὀδ. α.

> ----- οἱ μὲν ἔπειτα,
> Ἑξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε, θρόνους τε
> Τοῖσι δὲ κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

Sic apud Gallos poſt epulas convivis adhuc ſedentibus aqua ad manus abluendas ſubminiſtrabatur. Idem hodie quoque apud pleraſque gentes moris eſt. Cælius libro vigeſimo octavo, capite primo: *Servatum & illud veteribus*, dicit, *ut per ſingula fercula manus abluerent*, *ſignificat id Lampridius in Heliogabalo*: *Paraſitis*, inquit, *in ſecunda menſa ſæpe ceream*, *ſæpe ligneam*, *ſæpe eburneam*, *aliquando fictilem*, *nonnunquam etiam marmoream*, *vel lapideam exhibuit*, *ita ut omnia illis offerrentur videnda ex diverſa materia*, *qua ipſe cœnabat*, *cùm tantùm biberent per ſingula fercula*, *& manus*, *quaſi comediſſent*, *lavarent*.

Poſtremò de uſu quoque hujuſmodi ablutionum quædam dicenda. Is duplex eſt, ſacer nimirum & prophanus. Sacer rurſus vel vere ſacer & religioſus, ad quem referendæ illæ manuum ablutiones veteris Teſtamenti, ante ſacrificia ab ipſo Deo inſtitutæ, de quibus ſuprà: vel ſuperſtitioſus, cujuſmodi fuerunt illæ Judæorum, præſertim Phariſæorum, ante cibi ſumptionem manuum ablutiones, & gentilium, qui ad epulas atque ſacrificia illotis manibus atque pedibus accedere nefas eſſe ducebant. Hinc proverbia ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνειν, *illotis pedibus ingredi*, & ἀνίπτοις χερσὶν, id eſt, *illotis manibus*, de quibus plura Eraſmus in ſuis *Adagiis*. Æneas ſophiſta in epiſtola quadam, οἱ μὲν πολλοὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἀνίπτοις ποσὶν ἐπιπηδῶσι τοῖς ἱεροῖς, id eſt, *Plerique illotis*, *quod ajunt*, *pedibus irrumpunt ad ſacra*. *Illotis manibus negotium aggredi* apud Juriſconſultos dicitur, pro imparatum ac non ſatis inſtructum accedere, deducta locutione ex Deorum Sacris, ad quæ ſine præparatione (cujus pars erat manuum ablutio) nefas fuiſſet accedere. Cajus l. 1. *ff. de orig. jur.* Deinde, ſi in foro cauſas dicentibus nefas, ut ita dixerim, videtur eſſe nulla præfatione facta judici rem exponere, quantò magis interpretationem promittentibus inconveniens erit, omiſſis initiis, atque origine non repetita, atque illotis, ut ita dixerim, manibus protinus materiam interpretationis tractare? Heſiodus in *operis & diebus* vocat, ne quis manè Jovi libet vinum χερσὶν ἀνίπτοις, id eſt, *manibus illotis*:

> Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
> Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Id eſt,

> *Ne unquam manè Jovi vinum libaveris ardens*
> *Illotis manibus*, *neque Divûm præterea ulli*.

Ac ne vel amnem quiſpiam ingrediatur, aut fontem χεῖρας ἀνιπτος, id eſt, *manibus illotis*, idem præcipit. Sic apud Homerum rem divinam auſpicantur a manuum lotione, atque etiam convivium, utpote rem ſacram.

Aliter uſus ablutione pedum atque manuum, eſt prophanus, qui partim ad munditiem, partim ad ſanitatem corporis refertur. Nam primò ut olim, ita hodie quoque ἄλουτον pedes ac præſertim manus cibum capere, ſordidum, illiberale atque agreſte putatur, convivis nauſeam faſtidiumque pariens. Similiter poſt cibi quoque ſumptionem, manus cibis pinguibus ſordidatæ omnino ſunt abluendæ, ne iis vel veſtes, vel cæteras corporis partes contrectando inquines atque polluas.

[Margin notes: Quando & quoties in conviviis abluantur manus. — De uſu ablutionum. Uſus ſacer duplex. — Religioſus. Superſtitioſus. — Uſus prophanus.]

CAPUT

CAPUT XXXIV.

DE MORE VESTES NONNUNQUAM QUASDAM ET ARMA DEPONENDI, ANTEQUAM AD MENSAM ACCUMBATUR. DE MORE SEDENDI AD MENSAM, DE SEDIBUS ATQUE SELLIS. DE MORE ACCUMBENDI MENSAE, DE LECTIS ACCUBITORIIS, EORUM NOMINIBUS, MATERIA, APPARATU, NUMERO. DE CONSUETUDINE STANDI ATQUE ETIAM INAMBULANDI IN CIBO CAPIENDO.

Quoniam ut antiquitus, ita hodie quoque ferè moris eſt, ut convivæ, poſtquam manus laverint: ex ordine ſinguli menſæ aſſideant ſive accumbant: (tametſi apud Homerum ſedentibus primo convivis, & aquas ad lavandum manus datas & menſas ſingulis appoſitas fuiſſe legimus) idcirco non incommodè poſt manuum lotionem de convivarum accubatione, ſive in genere de vario atque multiplici convivarum in epulando ſitu & collocatione, videtur eſſe dicendum. Prius tamen illud quoque non eſt ſilentio prætereundum, aliquando pallia veſteſque ſuperiores, nec non gladios antè deponi, quàm menſæ accumbatur: aliquando hæc in ipſa quoque menſa retineri. Apud nos quidem plerunque pallia ſeu veſtis ſuperior deponitur. Nam ſimul atque convivarum aliquis domum eſt ingreſſus, ſtatim vel ipſemet pallium deponit, vel id, quod eſt civilius, ipſemet hoſpes ſeu convivator id honoris convivæ præſtare conatur, ut illum pallio exuat: vel denique, ſi conviva id non patitur (quod etiam non facilè quis debet pati, niſi dignitate auctoritateque convivatorem longè ſuperet) præſtò ſunt liberi vel famuli, qui hoſpitis juſſu, convivarum ſingulos palliis ſuis promptè exuunt, illa certis in locis reponunt, & ſurgentibus e cœna convivis ac diſcedere volentibus, illa reddunt illorumque humeris injiciunt. Eodem modo mulieres quoque poſt ingreſſum atque ſalutationem ſuperioribus illis ſuis ſtolis (quas Schuben vocamus) vel ab ancillis & pediſſequis ſuis, vel a familiaribus atque domeſticis exuuntur. Quò ad gladios, illi quoque aliquando deponuntur, præſertim ſi locus ſit anguſtior: aliquando autem, & quidem plerumque, gladiis accincti Germani menſæ accumbunt. In aulis autem, & nobilium ædibus, ac magnæ dignitatis, auctoritatisque virorum conviviis, moris eſt in Germania, ut convivæ palliis amicti accumbant: quæ deponere incivile ac ruſticum habetur, niſi id Princeps, aut nobilis, qui ſupremum in convivio locum obtinet, omnino voluerit. Apud nos quoque in nuptialibus conviviis, mulieres ſuperiores illas ſuas ſtolas, quas in aliis deponunt, in menſa ſolent retinere. Verùm antiquitùs idem quoque apud Judæos moris fuiſſe, ut palliis amicti accumberent, Chriſti exemplo videtur probari poſſe. Is enim, ut Joan. 13. ſcriptum eſt, ex ſacroſancta illa ſua cœna, quam cum diſcipulis agitavit, ſurgens τίθησι τὰ ἱμάτια, id eſt, *ponit veſtimenta*, nimirum pallium (ſic enim τὸ ἱμάτιον, συνηρημένως θοἰμάτιον Attici dixere, qui eſt amictus quidam exterior) καὶ λαβὼν λέντιον διέζωσεν ἑαυτὸν, id eſt, *linteo ſeſe præcinxit*, ad lavandum diſcipulorum ſuorum pedes. Qua lavatione peracta, ἔλαβε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, ἀναπεσὼν πάλιν, hoc eſt, *accepto rurſus pallio, accubuit.* Hinc ergo colligimus, Chriſtum pallio indutum accubuiſſe: qui communis videtur tunc fuiſſe Judæorum mos & conſuetudo, cùm præſertim Chriſtum in externo vitæ cultu νόμῳ καὶ χώρᾳ, id eſt, legi, atque regionis moribus ſeſe accommodaſſe legamus. Scitè admodum, ut illud quoque obiter addam, Auguſtinus in illa verba, tractatu 55. in Joan. illam veſtium Chriſti depoſitionem, ſive mutationem, hoc modo per allegoriam interpretatur: *Quid autem mirum*, inquit, *ſi ſurrexit a cœna, & poſuit veſtimenta ſua, qui cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit? Et quid mirum, ſi præcinxit ſe linteo, qui formam ſervi accipiens, habitu inventus eſt ut homo?* Et paulò poſt: *Linteo quidem ut ſe præcingeret, poſuit veſtimenta quæ habebat: ut autem formam ſervi acciperet, quando ſemetipſum exinanivit, non quod habebat depoſuit, ſed quod non habebat accepit. Crucifigendus ſanè ſuis expoliatus eſt veſtimentis, & mortuus involutus eſt linteis, & tota illa ejus paſſio, noſtra purgatio eſt.* Hæc ille. Verùm de conviviali habitu, & veſtium commutatione, quæ in conviviis fieri ſolet, quoniam ſuprà pluribus dictum eſt, idcirco eò nunc ſum brevior.

De convivarum ſitu. Nunc de convivarum ſitu vario, atque multiplici inter epulandum, collocatione, ordine, loco honoratiore, vel minus honorato, & aliis hujuſmodi, quæ eodem pertinent, dicatur. Situs, Græcè κεῖσθαι, eſt relatio partium corporis inter ſe, quam ratione loci vel naturalis, vel fortuiti, in quo collocatæ ſunt, habent. Is autem eſt duplex, naturalis & fortuitus. Situs naturalis, eſt relatio partium inter ſe, quam ratione loci naturalis, in quo collocatæ ſunt, habent: ut eſt ſitus membrorum corporis: ut ſitus capitis, ſurſum: ventris, in medio: pedum, deorſum. Situs fortuitus, eſt relatio partium corporis inter ſe, quam ratione fortuiti loci, in quo collocatæ ſunt, habent: hujuſmodi eſt convivarum ſitus, inter epulandum triplex ferè: nimirum ſeſſio, accubatio, ſtatio: quibus tamen etiam inambulatio addi poteſt. Epulantur namque homines vel ſedentes, vel decumbentes, vel ſtantes, vel etiam inambulantes: unde etiam cœnam ipſam vel *ſedentariam*, vel *diſcubitoriam*, vel *ſtatariam*, vel *inambulantem* (ſicuti ab Apuleio dicitur) appellare poſſumus. De ſingulis ordine agemus, exordio ducto a Seſſione, ceu omnium antiquiſſima, & hodie quoque apud omnes ferè gentes maximè uſitata.

Sedendi mos in epulis antiquiſſimus.

1. De ſeſſione.

usitata. Philo de Josepho, seu vita politica, convivii, quo Josephus fratres suos excepit, mentionem faciens, inter alia inquit, ἑξῆς δὲ προστάξαντος κατὰ τὰς ἡλικίας καθέζεσθαι, μήπω τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων, ἐθαύμαζον οἱ Αἰγύπτιοι· hoc est: *jussi deinde sedere juxta ætatis ordinem (nondum enim discumbendi mos receptus erat) mirabantur, &c.* Ex hoc ergo loco satis constat, antiquissimum fuisse morem sedendi in epulis. Athenæus similiter lib. 1. Εὐωχοῦνται, inquit, apud Homerum καθήμενοι, hoc est, *epulantur sedentes.* Idem eodem in lib. καθέζονται δ' ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται, hoc est, *sedent in conviviis Heroes, non decumbant.* Id etiam Alexander Rex aliquando imitatus est, ut auctor est Duris, qui cùm quadraginta duces aliquando excepisset convivio, illos in argenteis curribus sedere fecit, & in sellis purpureis, vestibus substratis, collocavit. Testatur Hegesander, neque in Macedonia moris fuisse quenquam in convivio discumbere, nisi extra retia aprum interfecisset: tunc temporis enim sedentes cœnabant. Itaque Cassander cùm trigesimum & quintum vitæ suæ annum attigisset, tunc etiam comedebat sedens apud patrem, cùm certamen illud non potuisset perficere, quamvis robustus esset, ac bonus venator. Quin etiam ut apud Romanos virilis toga insigne erat virorum, sic apud Græcos fuisse in publicis conviviis accubationem Aristoteles in 7. lib. *de Repub.* his verbis videtur indicare: ἐὰν δέ τις φαίνηταί τι λέγων, ἢ πράττων τῶν ἀπηγορευμένων, τὸν μὲν ἐλεύθερον, μήπω δὲ κατακλίσεως ἠξιωμένον ἐν τοῖς συσσιτίοις ἀτιμίαις κολάζειν καὶ πληγαῖς. Id est, *Quòd si constet aliquem quippiam eorum vel dicere vel facere, quæ vetita erunt, isque ingenuus sit, nec dum in conviviis publicis accumbat, castigandus erit ignominia, virgaque cædendus.* Athenæus lib. 11. ab initio: Apud Adrastum καθίσαντες οἱ ἀριστεῖς δειπνοῦσι, id est, *optimates sedentes cœnant.* Et paulò post: *Veteres sedentes cibum cepisse, vel ex illo quoque manifestum esse dicit, quòd Autolyco, qui ex Ithaca ad divitem populum venerat, sedenti nutrix cibum apposuit.* Idem auctor lib. 5. ἐκαθέζοντο δὲ καὶ δειπνοῦντες οἱ τότε, Hoc est, *tunc temporis sedebant cœnantes:* unde crebrò illud apud Homerum occurrit Οδ. α.

Ἑξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε, θρόνους τε

Item Οδ. η. Δαινύμεναί τε παρ' ἄμμι καθήμενοι ἔνθαπερ ἡμεῖς.

Hinc sæpenumerò apud Homerum ἵζειν, καθίζειν, παρίζειν, ἐφιζέσκειν, ἐφιζάνειν, ἕζεσθαι, ἐφέζεσθαι, quæ omnia *sedere* sive *sessum recipere* significant. Sic idem Homerus Ιλ. λ.

---- αὐτὰρ ἔπειτα
Ες κλισίην ἐλθόντες ἐπὶ κλισμοῖσι κάθιζον,

Et Οδ. υ. Δαιτύμονες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζοντο ἀοιδοῦ
Ἥμενοι ἑξείης.

Athenæus lib. 7. idem docet his verbis: *Cùm igitur sibi persuaderent Deos esse præsentes moderatè & temperanter dies festos agitabant antiqui. Itaque neque solebant accumbere, sed epulabantur sedentes.* Catullus ipsos quoque Deos sedentes, non accumbentes facit in carmine de Pelei & Thet. nuptiis,

Qui postquam niveis flexerunt sedibus artus.

Et Apollonius *Argon.* lib. 2.

Αὐτὰρ ἐπεὶ μέγα δόρπον ἐνὶ μεγάροισιν ἔθεντο
Δαίνυνθ' ἑζόμενοι.

Sellæ porrò seu instrumenta sedendi, hæc fere ab Homero passim commemorantur: δίφροι, θρόνοι, κλισμοί, θρῆνυς, de quibus sic Athenæus lib. 5. & post eum Eustath. Οδ. δ. ὁ θρόνος ἐλευθέριός ἐστι καθέδρα σὺν ὑποποδίῳ, ὅπερ θρῆνυν καλοῦσι, ἀπὸ τοῦ θρήσασθαι, τοῦτ' ἐστι καθέζεσθαι· hoc est, *Thronus cathedra est liberalis cum hypopodio sive scabello, quod Threnyn vocant, a verbo* θρήσασθαι, *quod sedere significat:* ὁ δὲ κλισμὸς περιττοτέρως κεκόσμηται ἀνακλίσει· hoc est, *Clismus autem sedes est cultior & instructior ad recumbendum apta,* τούτων δὲ εὐτελέστερος ἦν ὁ δίφρος, Id est, *utroque autem, throno scilicet & clismo, vilior erat sella, quæ diphros vocabatur:* unde Ulyssi mendici specimen præ se ferenti, δίφρος ἀεικέλιος, & mensa parva fuit apposita. Item κλιντὴρ δίφρος ἀνακλιτὸς, εἶδος φορείου. ἢ κλινίδιον ἔχον ἀνακλίσεις, οἷον τὸ νῦν κλινοκαθέδριον; Etymologus & Varinus, κλισμὸς, ἡ καθέδρα· ἢ ὁ θρόνος ἔχων ἀνάκλισιν, ἢ ἀνάπλιντρόν τι ᾧ καὶ τάπης ἐξ ἐρίου ἐπίκειται προσκεφάλαιον δηλαδή. Varinus. Hæ fuerunt sellæ profundiores, instratæ cum anaclintro, id est, parte quæ dorsi reclinationem excipit, quibus ut olim, ita hodie quoque nonnulli accumbunt magis, quàm assident mensis. A *sedendo* (inquit Varro) *sedes, sedile, sedium, sella & seliquestrum: & ab his etiam subsellia.* De his, & maximè quid *scimpodium, scamellum,* (quod juniores *scabellum* vocamus) *suppedaneum* ex veterum auctoritate, vide Crinitum *de bon. discipl.* lib. 2. cap. 3. De subsellio, bisellio, sella, throno, scamno, scabello, hemicyclo, vide Franciscum Marium lib. 2. De variis quoque sedilium nominibus & generibus, vide Beroaldum in Apuleium lib. 1. Isidorum lib. 20. cap. 11. *Orig.* Servius in illa carmina *Æneid.* 7.

Instrumenta sessionis.
ὁ θρόνος.
ὁ κλισμός.
ὁ δίφρος.

Hæ sacris sedes epulis, hîc ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Perpetuis, inquit, *hoc est, longis, ad ordinem exæquatis sedentium: majores enim nostri sedentes epulabantur, quem morem habuerunt a Laconibus & Cretensibus, ut Varro docet in libris de gente populi Romani, in quibus dicit quid a quaque traxerit gente.* Idem testantur illa Ovidii *Fast.* 5.

Ante focos olim scamnis considere longis,
Mos erat, & mensæ credere adesse Deos.

Isidorus quoque lib. 20. *Etym.* ex eodem Varrone scribit, apud veteres Romanos non fuisse usum accumbendi,

& postea viros discumbere cœpisse, ac mulieres sedere, quòd turpis visus est in muliere accubitus. Cicero *pro Murana*: *Lacedæmonios quidem*, dicit, *quotidianis epulis in robore accumbere: Cretensium autem neminem unquam gustasse cubantem.* Athenæus lib. 4. οἱ κρῆτες καθήμενοι σιτοῦσι. Macrobius *Satur.* lib. 3. cap. 6. in illos Virgilii versus:

Hæc ubi dicta, dapes jubet & sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili.

Mos sedendi in sacris. *Non vacat*, inquit, *quòd dixit sedili. Nam propria observatio est, Herculis sacris operari sedentes.* Et Cor. Balbus ἐξηγητικῶν lib. 18. ita ait: *Apud aram maximam observatum, ne lectisternium fiat.* Plutarchus Numæ Pompilio ascribit illud Pythagoricum, καθῆσθαι προσκυνήσοντας (in Aldino exemplari προσκυνήσαντας legitur) hoc est, *adoraturi sedeant*: id quod proverbii loco usurpatur: quo quidem significatur, vota certa concipi oportere, & in iis, quæ optima sunt, persistendum & perseverandum esse: quidam tamen alium putant esse sensum, quòd nimirum eos, qui operantur sacris, oportet non obiter, ac velut aliud agentes hoc facere, sed vacuos, ac totos rei divinæ vacare ac intentos esse. Unde Plutarchus idem tradit, quoties Pontifex auguria,
Hoc age. seu sacra aggrediebatur, præcones clamabant: *Hoc age. Ea vox hortabatur, ut qui sacra audirent, reverenter & attente id facerent.* Idem in *Problematibus rerum priscarum* refert, qui Diis vota fecissent, in templis manere, & quietem agere solitos, quòd actiones hujus vitæ frequenter hominem involvant atque implicent molestiis. Servus ille apud Plautum: *Sive juxta aram sedeam, & dabo meliora consilia.* Unde *sedere* secundum Plautum est, *consilium capere.* Ex illo loco similiter mihi videtur posse colligi, sedentes olim deos adorasse. Auguria quoque, ut testatur Servius in 9. *Æneid.* post designatas cœli partes, sedentes captabant. Unde Virgilius 9. *Æneid.*

Pilummi Turnus sacrata valle sedebat:

Hoc est, consilia capiebat, aut augurabatur: quod idem suprà quoque indicavit, latenter inducens Picum solùm sedentem: ut,

---- parvaque sedebat
Succinctus trabea: -----

Quod est augurum, quum alios stantes induxerit. Sessio in sacris sedulitatem, ac sedatam mentem significabat maximè requiri. Sic illi, qui Jezabelis impulsus adversus Nabothum testimonium falsum dixerant, sedisse dicuntur, forsan ex trito more: quoniam testes sedentes perhibebant testimonia, quo significabatur illos sedato, quieto & tranquillo animo, affectibus vacuo, debere illud suum munus præstare. Sic Judices sæpe dicuntur sedisse in portis. De sella, & sessionis variis significationibus vide Pierium. Hunc porrò morem assidendi post orationem, cùm Christiani nonnulli superstitiosè imitarentur, Tertullianus illos graviter reprehendit in lib. *de Oratione.* Ex superioribus porrò constat Romanos quoque antiquitùs sedentes epulari, atque etiam sacris suis operari fuisse solitos. Valerius Max. lib. 2. cap. 1. *Fœminæ*, inquit, *viris cubantibus, sedentes cœnitabant, quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnandum invitabantur: quod genus severitatis ætas nostra diligentiùs in capitolio, quàm in suis domibus servat: videlicet quia magis ad rem pertinet Dearum, quàm mulierum disciplina contineri.* Legimus quoque apud Strabonem Lusitanos sedentes cœnitare fuisse solitos, in pariete hemicyclos habentes. Hæc de sessione.

2 De accubitu, seu accubatione. Nomina accubationis. Nunc de Accubitu, seu Accubatione dicendum, quæ quidem post sessionem antiquitus apud omnes ferè gentes usurpata fuit. Hujusmodi corporis situs a Chaldæis verbo סמך *Semak* exprimitur, ab Hebræo verbo סבב *Sabab*, quod tamen verbum propriè *circuire*, sive *circumdare* significat, eò quòd convivæ sedebant per gyrum, sive circuitum. 1. Sam. 16. *Non accumbemus* (לא נסיב *Lo-Nasib*) ad comedendum. Hinc מסב *Meseb*, id est, *accubitus*, Cant. 1. *Cum esset in acccubitu suo.* Inde מסיב *Mesib*, *conviva*, & solùm invenitur in num. plurali, Psalm. 140. ver. 10. *Caput* מסבי *Mesibbai*, alii *obsidentum me* verterunt. Hieronymus; *fel convivarum meorum*: quod tamen etiam videri possit deductum esse a סבא *Saba*, quod significat *potare*, seu *inebriari*, quod fieri solet in conviviis. רבץ *Rabaz* quoque Hebræis est *accubare*, quod Isa. 14. ver. 30. & Psal. 23. ver. 1. de hominibus usurpatur, aliâs plerumque animantibus tribuitur, & ita illud Grammatici a שכב *Schacab*, volunt differre, quòd hoc proprium sit hominum, illud animalium brutorum. Verùm hæc duo posteriora vocabula generatim quamvis accubationem, illud propriè epularem videtur significare Græci accubationem his verbis exprimunt,
Αναπίπτειν. ἀναπίπτειν, ut Luc. 14. ἀναπίπτειν εἰς τὸν ἔσχατον τόπον. Matth. 1. & 6. ἀνέπεσε Christus, & duodecim
Αναπεσεῖν. ejus discipuli Luc. 22. Athenæus lib. 1. cap. 18. ἀναπίπτειν propriè vult de animo dici, & idem significare, quod ἀθυμεῖν & ὀλιγωρεῖν, id est, *contristari & parvi facere*: id quod testimoniis nonnullis probat. Idem tamen lib. 10. ex auctoritate Græcæ linguæ, etiam hujus significationis exempla affert: & sic est propemodum verbo
Ανακεῖσθαι. hoc usus Euripides in Fabula, cujus titulus *Cyclops.* ἀνακεῖσθαι idem significat, Matth. 26. ἀνέκειτο *Christus cum*
Κατακεῖσθαι *duodecim*, id est, recubuit, sive accubuit. Athenæus lib. 1. cap. 18. hoc verbum ἀνακεῖσθαι propriè vult de sta-
Κατακεκλίσθαι. tuis dici: unde illos idem testatur derisos fuisse, qui de accumbentibus hac dictione usi sunt, exempla affert ex Diphilo & Philippide: nonnunquam tamen idem verbum accumbentibus dicit accommodari, sed rarius: id quod Sophoclis testimonio comprobat. Unde Συνανακείμενοι convivæ appellantur, Luc. 14. Κατακεῖσθαι autem idem auctor propriè vult dici de accubatione. Κατακεῖσθαι similiter de accumbentibus propriè dici testatur Athenæus lib. 1. cap. 18. Aristophanes in Σφῆκες,

Παῦ᾽ ἀλλὰ δεῦρο κατακλινεὶς, προσμάνθανε
Συμποτικὸς εἶναι, καὶ συνουσιαστικός.

Φιλ. Πῶς

Φιλ. Πῶς ἂν καταπκλίνω, φράζ' ἀνύσας. Βδε. εὐσχημόνως.

Φιλ. Ωδί κελεύεις (Scholiast. φαίνεται ὅτι πρὸς τῷ σώματι ἔχων τὰ γόνατα κατεκλίθη) καταπκλιθῆναι. Φιλ. μηδαμῶς.

Φιλ. Πῶς δαί. Βδε. Τὰ γόνατ' ἔκτεινε.

Ex his verbis simul aliquo modo accumbendi modum colligere licet. Verbo ἀνακλιθῆναι Matthæus usus est cap. 14. eodem sensu, Christus enim jussit convivas suos ἀνακλιθῆναι, & mox ἀνέπεσον. Theophylactus ibi, ὑπέταξεν αὐτοῖς ἀνακεῖναι πάντας, hoc est, *injunxit eis* (discipulis) *ut discumbere facerent omnes.* Hoc verbum, cùm propriè neutrum sit, hîc degenerat in formam conjugationis *Hiphil.* In Basiliensi verò editione legitur ἀνακλιθῆναι passiva significatione, quasi dicas reclinari. Matth. 2. *Multi venient ab Oriente, & ἀνακλιθήσονται cum Isaaco & Jacobo in regno cœli.* παρεμβάλλειν, & καταπκλίνεσθαι Plutarcho idem significat *Prob.* 2. lib. 1. Latini dicunt *Cubare*, *Accumbere*, *Accubare* & *Discumbere.* Cicero Pæto, *Accubueram hora nona, quum id literarum exemplum in codicillis exaravi.* Cicero *pro Murena, Qui quotidianis epulis in robore accumbunt.* Idem 4. *Tuscul. morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes: inde accubatio epularis amicorum.* Idem de *Senect. Epulis accumbere Divûm*, Virgilius, & *Toris discumbere pictis.* Idem, *Mensis accumbere.* Statius, *Maturè veniunt, discumbitur.* Columel. lib. 2. cap. 1. *Villicus sit frugalitatis exemplum, nec nisi feriis diebus accubans cœnet.* Acron voluit Deorum esse *accumbere*: virorum *discumbere*: ferarum *recumbere*, id quod sibi ridiculum videri Lambinus scribit in Horatium, cùm ita loquatur Cicero oratione de suppliciis: *ut muliebria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo, præter ipsum & prætextatum filium.* Et pro Dejotaro: *Huc te e balneo priusquam accumberes, ducere volebat.* Idem *in Catil.* 2. *ad Quirites: Qui mihi accubantes in conviviis complexi mulieres impudicas, vino languidi, conferti cibo.* Terentius *Eunucho: At dum accubabam, quàm videbar mihi esse pulchrè sobrius?* Itaque hoc tantùm interesse putat Lambinus inter illa duo priora, *accumbere*, & *discumbere*, quòd *discumbere* semper de pluribus dicitur: ut M. Tullius *ad Attic.* lib. 5. epistola prima: *Discubuimus omnes præter illam: accumbere* autem, & de uno, & de pluribus sive hominibus sive Diis. Qui autem *recubare* putat ad feras tantùm pertinere, legat primum versum Virgilii in *Tityro*: & illum locum Ciceronis *pro Deiot. Cùm in lectulo recubuisses.* Et Orat. *Cùm cæteris in campo exercentibus, in herba ipse recubuisset.* Et *de divinat* 2. *Deinde cùm se collegisset: idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse.* Nam ex illis locis intelligere licet, *recubare*, seu *recumbere*, non esse ferarum proprium. Est autem *recumbere* toto corpore jacêre, ita scilicet composito, ut faciliùs somnum capere possis: interdum tamen pro *accumbendi* verbo usurpatur: ut epist. ad Torquatum lib. 1.

Accumbere, discumbere, recumbere quomodo differant.

Recubare non de feris tantum dicitur.

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.

Hæc Lambinus, observandus meus præceptor piæ memoriæ. Hæc de verbis.

Apud Hebræos porrò usitatas fuisse accubationes in epulis, ex veteri, & novo Testamento constat. Quid, quòd notatur a Rasi, in tractatu Talmudico, *Suca* dicto, charta secunda, facie altera, veterum convivia fieri solita בהסיבה *Behesibah*, id est, *cum decubitu*, decumbentes scilicet in lectis super latus sinistrum, non recti stantes, aut sedentes sicut nos. Sic Christus in ultima cœna cum discipulis suis accubuit, ubi Joannes dicitur ἀνακεῖσθαι ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ, hoc est, *in Christi sinu recubuisse*: & paulò post, ἐπιπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ, id est, *pectori Jesu incubuisse*, nimirum secundùm illius temporis conviviorum morem, cùm in sumendo cibo protensi recumberent humi seu in pavimento lectis instrato, ita ut quasi circulum quendam facerent, capitibus quidem semper introrsum ad epulas, pedibus verò extrorsus porrectis. Quare semper sequens in prioris sinu recumbere videbatur, dum caput ejus quasi incumbebat pectori superiùs accumbentis. Sic ergo tum accubuit Joannes, ut caput haberet in suo lectulo versus Jesu caput: itaque attingere facile sinum ejus potuit, Et ideò interrogaturus eum, incubuit, seu inclinavit caput procidendo in pectus Jesu, cùm Petrus innuisset ut percontaretur de proditore. Hujusce accubationis formam, seu delineationem, vide apud Illyricum in *clave sacræ scripturæ*, in nomine *Sinus.* Sic Plinius lib. 4. epist. 12. *Cœnabat Nerva cum paucis, Veiento proximus, atque etiam in sinu recumbebat.* Apud Livium Decad. 4. lib. 6. *Placentiæ in convivio quodam L. Quintii Flaminii Consulis Rom. meretrix quædam famosa, cujus amore deperibat, ab illo accersita, & infra eum accubuisse dicitur. Ad cujus scorti procacis, in sinu ejus recubantis, nutum atque libidinem, captivus quidam attractus, in ejus conspectu securi percussus fuit.* En hæc quoque inter epulandum in sinu ejus recubuisse dicitur: id quod fuit amoris sed turpis atque nefarii signum: ut contrà illa S. Joannis recubatio in sinu Jesu, argumentum fuit puri, sanctique illius amoris erga discipulum illum suum charissimum.

Christus cum discipulis suis in ultima cœna accubuit.

Sed quæritur hîc simul, quomodo Christus dicatur cum discipulis suis accubuisse, sive recubuisse, cùm tamen moris fuerit in epulo Paschali stare, non accumbere. Theophylactus, cui Beza & Camerarius suffragantur, vult, Christum primò stantem comedisse Pascha, deinde discumbentem tradidisse proprium mysterium. πρῶτον μὲν γὰρ τὸ τυπικὸν τελέσαι, εἶτα ἀναπεσὼν τὸ ἀληθινὸν ἐπετέλεσε. Tremellius, vir doctissimus, de hoc Christi discubitu sic disserit: *Christum discubuisse memorant Euangelistæ in cœna, qua Pascha comedit, quod prima fronte cum divino instituto videtur pugnare. Præcipitur enim Exod. 12. ver. 3. ut edentes Pascha, lumbos accinctos, pedes calceatos, ac baculum teneant manibus: &, ut citò comedant, quæ fieri nequeunt a discumbentibus.* Sed sciendum est ibi præcipi, qua ratione exituri ex Ægypto, prima illa vice comedant Pascha: paulò antequam exeant ex Ægypto, & iter ingrediantur: quia ita exigebat illius temporis necessitas. Sed in Lege deinde, ubi præcipitur, ut cæremonia illa Agni Paschalis quotannis renovetur, ea non adduntur. Quamobrem omnes Hebræi doctores, tum antiqui, tum recentes, summo consensu docent, mandatum illud

Quomodo Christus dicatur cum discipulis suis accubuisse, cùm tamen moris fuerit in epulo Paschali stare.

illud de aſpergendis ſanguine poſtibus, de induendis calceis, & cingendis lumbis, atque ſumendis baculis, & cum feſtinatione comedendo Agno, non ſe extendiſſe ad generationes ſequuturas, ſed tantùm fuiſſe noctis illius, qua egreſſuri erant ex Ægypto. Imo antiquiſſima fuit apud eos traditio, (quod in Thalmud, tractatu de Paſchate commemoratur) ut manducaturi Paſcha, in ſignum libertatis adeptæ, diſcumberent. Nihil ergo contra divinum inſtitutum in cœna Chriſti eſt: quia ſecutus eſt Chriſtus illam Paſchatis inſtitutionem, quam Deus in ſuo populo voluit conſervari. Joannes tamen Ruſſiæ metropolita in quadam Epiſtola ad Pontificem Romanum inter alia exprobrans Romanis Azymorum uſum in cœna Dominica, inquit, quòd illo tempore nec azymi erant, nec Paſcha fiebat, nec Dominus tunc comedebat Paſcha Judæorum, ut daret azyma Apoſtolis, probabile eſt ex eo, quòd Judæorum Paſcha ſtando fit, & comeditur: quod in cœna Chriſti non fiebat, ut Scriptura dicit: *Recumbentibus eis cum duodecim.* Item, *& diſcipulus recubuit ſuper pectus ipſius.*

Græci atque Romani in epulis ſuis accubuerunt.

Porrò Græcos quoque atque Romanos olim in epulis ſuis accubuiſſe μικροῦ δεῖν ὑπτίους κατακειμένους, ut Lucian. inquit in convivio Lapitharum, paſſim ex veterum monumentis atque picturis liquidò conſtat: de quo ſic Lambinus in illud Horatii Od. 27. lib. 1.

Et cubito remanete preſſo, &c.

Accubandi ritus.

Hoc corporis habitu ac ſitu cœnabant Græci ferè omnes, & Romani illi veteres, accumbentes ſcilicet & cubito innitentes, non ſedentes: cujus rei complura in ruinis & parietinis Italiæ veſtigia ac monumenta vidi. Et paulò poſt: *Ex his locis perſpicuum eſt ita compoſito corpore cœnaſſe veteres, ut modicè inflexa & incurvata ſuperiore corporis parte, reliqua jacerent, quod eſt accubare.* Idem auctor adhuc manifeſtiùs hunc veterum in epulis accumbendi morem deſcribit, in illud Horatii,

Jacere pro accubare.

---- & quibus,
Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet.

Id eſt, qui piſces aſſati ita ſint convivis ſuaves & grati futuri, ut illi etiam cibo vinoque confecti ac ſaturi, & penè dicam nauſeantes, in eum tamen corporis ſitum ſeſe de integro componant, quo ſitu eſſe ſolent convivæ tantiſper dum cibum capiunt. Hoc igitur inprimis ſciendum eſt, inter prandendum & cœnandum, non ſediſſe veteres illos Romanos, ſed accubuiſſe. Accumbebant autem ſingulis in lectis terni aut quaterni, hoc modo (nam eadem opera hujus verbi vis aperietur) ſuperiore parte corporis modicè inflexa, capite leviter erecto, tergoque aliquantulum ſublevato, nempe cervicalibus aut pulvillis ſubjectis: reliqua parte corporis in lectos reclinata, & jacente in cubito altero nitebantur: atque utranque manum quidem ad epularum & poculorum uſum adhibebant, ſed maximè dexteram. Fingamus igitur tres lectos eſſe diſcubitorios, & in ſingulis quaternos convivas diſcumbere, & menſam rotundam mediam inter lectos eſſe collocatam: ita fient duodecim convivæ ex una menſa communi cibum capientes. Jam ſingulorum lectorum convivæ, quos quaternos eſſe poſuimus, hoc modo diſcumbebant, ut ejus qui ſummus accumberet, pedes ponè ſecundum porrigerentur, & ſecundi ponè tertium, & ita deinceps: rurſus ejus, qui ſecundus accumberet, occiput ad umbilicum, aut pectus primi obverſum eſſet: ac ſic deinceps cæteri accubabant. Quamdiu igitur veſcebantur & potabant, eo corporis ſitu manebant. Ubi verò cibum capere vel deſierant vel intermiſerant, tum dorſi ſpinam, quæ antea erat inflexa & ad epulandum compoſita, reponebant, & caput in cervical reclinabant: nonnunquam etiam ſedentium inſtar erigebant. Philander in Vitruvium, *Ex antiquis*, inquit, *marmoribus animadverti poteſt jacuiſſe, aut non ſediſſe, ut nos ſolemus: id eſt, ut ſpina cum femore rectum angulum efficeret, & item femur cum tibia (nam id eſſe ſedere docuit Galen. libro tertio de Uſu partium corporis) ſed diſtentis aliquando cruribus, nonnunquam dextro poplite lævum premente genu, interdum complicitis cruribus in alternas viciſſitudines, aliquando in coxam, ſeu coſſim inſidentes, quo geſtu ſedere ſolent ſartores, & Turcæ cibum capiunt.* Idem dicit ſe vidiſſe Romæ in æde D. Euſtathii & aliis locis, Mutinæ etiam ſcalptum in marmoribus ſingulis jacentem in lecto hominem ſubjecto pulvillo cubito, appoſita ad lectum tripode menſa, aliquando monopodio. Hujuſmodi duo marmora ſe vidiſſe Venetiis quoque teſtatur. Hanc deinde rem (id eſt, accumbendi apud veteres ritum) duabus picturis appoſitis declarat. Præterea Romæ in ædibus Hieron. Maffæi, & Matthæi Saſſii videri dicit marmora non admodum abſimilia, ubi ſunt lecti duo decubitorii, cum menſa una. Hunc ipſum Juſtus Lipſius lib. 3. *Antiq. lect.* ſic deſcribit: *Accumbebant reclinata ſupera parte corporis in cubitum ſiniſtrum, infera in longum porrecta, & jacente: capite leviter erecto, dorſo a pulvillis modicè ſuffulto.* Ab hac ratione interpretatur, & emendat Plauti verſum in *Milite*.

Sed procumbunt, & ſe percellunt, dimidiati dum appetunt. Ut enim apud Horatium faſtidiens, & languidus in cubitum ſeſe conviva reponit: ita contra inhians & imminens toto corpore in cibum procumbebat, & a decoro illo habitu recedebat: qualem geſtum exprimere voluit Plautus. Sed cum veteres conſueviſſent in lectis diſcumbere, Annibalem ſcribit Plutarchus nunquam cubantem cœnaſſe: Tiberium verò trans Rhenum ſedentem in ceſpite nudo cibum cœpiſſe, Suetonius auctor eſt: Catonem etiam Uticenſem nunquam jacuiſſe niſi dormiturum, ſed ſediſſe poſt cœpta civilia bella, & auditam Pharſalicam cladem, idem Plutarchus tradit. Maſiniſſam autem meridie ante tabernaculum ambulantem, vel ſtantem ſolitum capere cibos legimus apud Frontinum libro quarto *Stratagem.* capite tertio. Gracchus verò Conſul in ſecundo Punico bello exercitum Volonum, quòd in prælio ſocios deſeruiſſent, ea pœna affecit, ut per omne belli tempus cibum ſtando caperent. Nimirum cùm deſertores amicorum ſtarent, aliis honorificum videbatur quòd ſederent, ſcribit Livius lib. 4. Decad. 3. Decubitus autem plurium talis erat, & hoc modo omnes æqua parte ad menſam pertingebant. Primus decumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur ponè dorſum ſecundi: ſecun-

In vitis ipſorum.

secundus verò occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto: pedes jaciebat ad tergum tertii: & sic deinceps tertius, sic quartus. Nec verò singuli convivæ singulares lectos habebant, sed aut terni, aut plerunque quaterni unum lectum occupabant. Horatius,

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Plures etiam tribus in lecto accubitorio jacuisse, Martialis indicat *Epigram.* lib. nono in Mamurram:

Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.

Querebatur Mamurra, quòd lectus, quem comparare velle videri optabat, minus quadraret, cùm sex tantùm caperet, ipsius autem mensa amplior esset, atque capacior. Si plures, sordidum id & minime lautum habebatur. Cicero in Pisonem: *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans,* &c. *Græci quini stipati in lectulis, sæpe plures, ipse solus.* Ita fiebat, ut ex una communi mensa vix esset, ut suprà duodecim vescerentur. A quo numero illa Augusti famosa cœna apud Suetonium Δωδεκάθεος dicta. Apud Macrobium tamen in cœnæ Pontificiæ descriptione in duobus tricliniis decem modò convivæ nominantur, ut pateat in magnifico aliquo epulo vix binos lectum unum occupasse. His ita recumbentibus, Mensæ cum ferculis per unum, & alterum servum apponebantur, collocabanturque in repositoriis ad hoc paratis, quæ & *trapezophora* videntur dici: Lazarus Bayffius. Hunc autem accumbendi morem inclinante imperio adhuc fuisse, ex veterum scriptis constat. Sic enim Sidonius, ejus sæculi scriptor, lib. 1. Epistolarum scribit: *Recumbente post se filio Camilli fratris, qui duabus dignitatibus & ipse decursis, pariter ornaverat Proconsulatum patris, patrui Consulatum. Hunc propter Paonius,* &c. Observandum quoque est, ut apud Romanos virilis toga insigne erat virorum, & civium: sic apud Græcos fuisse in publicis conviviis accubationem. Aristoteles enim in septimo libro *de Repub.* hoc videtur his verbis indicare: ἐὰν δὲ φανῇ τι λέγων ἢ πράττων τῶν ἀπηγορευμένων, τὸν μὲν ἐλεύθερον, μήπω δὲ κατακλίσεως ἠξιωμένον ἐν τοῖς συσσιτίοις ἀτιμίαις κολάζειν καὶ πληγαῖς, id est, *Quòd si constet aliquem quippiam eorum vel dicere vel facere, quæ vetita erant, isque ingenuus sit, necdum in conviviis publicis accumbat, castigandus erit ignominia, virgisque cædendus.*

Nunc de lectis, in quibus olim epulantes accumbere, seu discumbere consueverunt, dicendum. In cœnaculo ergo mensa collocabatur, circum illam lecti erant. Sunt autem omnino lecti duplices, alii cubiculares, in quibus noctu somno & quieti indulgetur: alii triclinares, seu discubitorii, in quibus olim ad mensam, sive ad epulas accumbebatur. Hebraicè utrique *Mithoths* appellantur, quasi ἀνακλιντήρια, *reclinatoria, strata, lecti*, super quibus homo reclinat, & se extendit, *Natach*, id est, *extendit, inclinavit, reclinavit.* Et quidem in sacris literis sæpe vox hæc usurpatur pro lectis triclinaribus, ut 2. Regum quarto, ver. 10. *Faciamus quæso cœnaculum parietis parvum & ponamus ei ibi lectum, & mensam, & sellam, & candelabrum.* Ezech. vigesimo tertio cap. Israëlitarum idololatriam atque superstitionis studium depingit, allegoria ducta a scortationibus, & quæ cum illis conjuncta sunt, compotationibus atque commessationibus inhonestis. *Propter quos*, inquit Deus, *te lavisti, & stibio sucasti oculos tuos, & ornasti te ornamento* (alludit ad morem meretricum, quæ ante epulas sese lavare, comere, ornare atque fucare solent, quò amasiis suis placeant) *& sedisti super lectum honorabilem, mensaque præparata est ante ipsum, & thymiama meum & unguentum meum posuisti super eum.* En hic lecti, mensæ, suffitus, unguentorum fit mentio, quæ omnia in conviviis olim fuerunt usitatissima. Similis est descriptio adulteræ in *Proverbiis* Solomonis cap. 7. quæ juveni, quem apprehensum osculabatur, dicit se adornasse cœnam (*carnes sacrificiorum pacificorum mihi sunt, hodie reddidi vota mea*) & ornamentis ornasse lectum suum constantem lignis affabrè incisis, & fune Ægyptio. Horum lectorum mentio fit etiam Amos 3. & Estheræ 1. & 7. ubi Aman in cœnaculo, quod *domus convivii* appellatur, dicitur cecidisse super lectum, super quo erat Esthera. Hinc triclinium sive cœnaculum ipsum ab Hebræis *Beth mithet*, id est, *domus lectorum*, appellatur. Græci *lectos*, & in genere omnia in quibus accumbitur, quorum variæ differentiæ, κλίνας, κλινίδας, κλινίδια, κλιντῆρας, κλιντήρια, & ἀνακλιντήρια, ἀνάκλιντρα, ἐπίκλιντρα, ἀσκάντας, σιβάδας & σιβάδια (unde σιβαδοποιεῖν, *lectum sternere*) ἡμικύκλια, σκίμποδας, χαμεύνας χαμεύνια, χαμευνάδας proprie lectulos seu toros humiles, humi stratos) φυλλάδας (proprie sunt tori e frondibus coacervatis) πτερίδας, (forsan quia ex filice herba πτερὶς dicta) προσκεφάλματα, προσκεφάλαια, & aliis hujusmodi nominibus appellant, secundum varias illorum formas, quantitatem, materiam, &c. de quibus vide Pollucem lib. 6. cap. 1. & Cælium lib. 27. cap. 25. & lib. 26. cap. 29. Latinè *lecti* (ut & *lectica*) teste Varrone lib. 4. a *legendis*, hoc est, *colligendis stramentis atque herbis, ex quibus fierent* (quod nunc quoque in castris fieri videmus) *dicti*: quanquam alii a Græcis potiùs deduci volunt, qui λέκτρον *lectum* dicunt, vel quod fatigatos ad quiescendum *alliciat*: nonnulli etiam a collectis pannis ad cubitandum. Inde *lectulus* & *lecticula* & *lectisternium*, cùm Sacrorum gratia lecti & pulvinaria in templis sternebantur ad discumbendum, sedendum sive etiam pernoctandum. Sic, teste Philostrato lib. 2. Rex apud Indos in lecto e stramentis facto accubabat, juxtaque ipsum ex agnatis ejus ad summum quinque, cæteri sedentes in sellis epulabantur. *Tori* quoque appellantur, a *tortis* herbis dicti, quæ accumbentium humeris supponebantur, ut vult Isidorus & Servius lib. 5. *Æneid.*

Mensa. Lecti. Lectorum nomina. Tori unde dicti.

Proximus ut viridante toro consederat herbæ.

Et lib. 2. *Æneid.* *Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.*

Servius: *toro alto, summus enim semper est pontificalis locus, & Æneas ubique quasi sacratus inducitur.* Martialis,

Imperat extructos frangere nona toros.

Virgilius, ----- *Toris jussi discumbere pictis.*

Ovidius *Amor.* lib. 1. Eleg. 4.

Cùm premet ille torum, &c.

Stibadia. Unde & *stibadia* tori sive cubilia ex herbis facta nominantur, quas Græci στιβάδας vocant. Stibadii crebra mentio est apud Sidonium, Martialem, Servium. Plato lib. 2. ἐπὶ καλαμόν ἵνα παραβεβλημένοι, ἢ φύλλα καθαρὰ κατακλινέντες ἐπὶ στιβάδων ἐστρωμένων μίλακί τε, καὶ μυῤῥίναις εὐωχήσονται αὐτοί τε, καὶ τὰ παιδία, ἐπιπίνοντες τοῦ οἴνου ἐστεφανωμένοι, καὶ ὑμνοῦντες τοὺς θεούς. Hæc ille de victu frugali, quem fictæ suæ Reipub. civibus præscribit. Ad tori etymologiam videtur alludere Apul. lib. 5. statim ab initio, his verbis: *Psyche teneris, & herbosis locis, in ipso toro graminis suavè recubans, &c.* *Stibadium* Isidorus vult dictum a *stipitibus* quasi *stipadium.* Servius in illud *Æneid.* lib. 1.

Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Stibadia, inquit, *antiqui non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur: unde & triclinium sterni dicitur.* Sic Cicero, *Sterni triclinia & in foro & in rostris jubebat.* *Triclinium* quoque pro lecto discubitorio, sive accubitorio accipi, suprà pluribus fuit explicatum. Dicuntur etiam *Accubita*, & *Anacliteria*, lectuli super quibus quiescimus. Apud Lampridium de Commodo scribitur, quòd *non accubuit, nisi in accubitis, quæ pilum leporinum habuissent, aut plumas perdicum subalares.* De eodem Spartianus, *lectum eminentibus quatuor anacliteriis fecerat, minimo reticulo undique inclusum, cumque foliis rosæ, quibus demptum est album, replebat.* Ex his apparet accubita, anacliteria ad lectos pertinuisse. Vide Cælium lib. 26. cap. 29. & lib. 27. cap. 25. *Accubitos* non apud Lampridium tantùm, sed apud ipsos etiam Jurisconsultos pro culcitris & toralibus accipi, Crinitus probat lib. 23. cap. 1. *de Honest. discip.* Accubitus aliàs pro ipso accubandi actu accipitur. Plinius lib. 18. cap. 2. *Plerisque hominum tricliniis accubitu iêre per lectos.* *Strata* etiam atque *spondæ* (qua voce propriè tabulæ utrinque lectum continentes significantur) dicuntur lecti in quibus discumbitur. De variis lectorum nominibus atque differentiis, vide etiam Isidorum lib. 20. cap. 11.

Lectorum materia. Nunc de materia lectorum triclinarium dicatur. Primis & antiquissimis temporibus fuerunt quadrati, ex herbis sive cespitibus atque graminibus, ex stramentis & palustri ulva conflati: unde etiam *lectos*, *toros*, *stipadas* sive *stipadia* & *strata* antiquitùs appellant, uti suprà dictum est. Postea ex lignis & præsertim ex acerina materia & fraxino confecti sunt, quem morem ab Arcadibus & Bœticis Romanos sumpsisse, Lazius vult lib. 5. *de Rom. Repub.* Hujusmodi lecti videntur *Archaici* ab Horatio dicti lib. 1. Epist. ad Torquatum:

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.

Lecti Archaici Sotherici. *Archaicos* Turnebus in suis *Adversariis* vult dictos humiles, parvos, inelegantes, non sumptuosos ab Artifice sic notatos, ut Seneca vocat *lectos Sothericos* de artificis nomine rudes, impolitos, inelegantes. Ita etiam Acron & Porphyrion. Sed Lambinus (cui etiam suffragatur Nannius libro secundo *Miscell.*) vult *Archaicos* Græco vocabulo, priscos sive antiquos esse intelligendos, antiquo modo & more fabricatos, quasi antiquæ consuetudinis, non recentis luxuriæ, quo sensu etiam Dionysius Halicarnass. τραπέζας ξυλίνας ἀρχαϊκὰς dixit. Potest uterque locus cùm de materia, tum de forma rudi atque vili intelligi. Persius *Satyr.* 1. citreorum lectorum mentionem facit, cùm ait:

----- *Non quicquid denique lectis,*
Scribitur in citreis.

Lecti citrei. Lectos discubitorios intelligit, qui ut & mensæ ex citro fiebant. Terentius,

Lectorum pedes iligni. *Lectulos in Sole iligneis pedibus faciundos dedit,*
Uti potetis vos.

Lecti lignei Tuberonis. Lecti Punicani. Lecti ærati. Lecti argento & auro operti. *Lecti* iligneis pedibus ob firmitatem ilicis fiunt, unde πρίνινοι ἄνθρακες, duri & solidi, & πρινῶδες *durum* significat. Seneca epistola 66. Tuberonis lectos ligneos memorat. Eorundem Cicero quoque in Oratione *pro Muræna* meminit his verbis: *Stravit pelliculis hœdinis lectos punicanos.* Videntur hîc Tuberonis sordes perstringi, quòd non ex ære aut ebore, aut testudine lectos comparasset, nec eos peristromatis, tapetis, aut Babylonicis stravisset. *Punicanos lectos* Isidorus vocat *lectos parvis & humiles primùm a Carthagine advectos, & inde nominatos. Cn. Manlium primùm, cùm Romani Asiam subjecissent, triclinia* (sic lectos vocat) *ærata Romam vexisse*, testis est Plinius lib. trigesimo tertio, capite undecimo. Tandem crescente luxuria, ex auro, argento, ebore, & testudinum putaminibus fuerunt confecti, ut Plinius eodem in loco testatur.

Lecti eburnei & testudinei. *Lectos mulierum*, inquit, *jampridem totos scimus operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidisse primus traditur Carbilius Pollio eques Romanus, non, ut operiret, aut Deliaca specie faceret, sed Punica. Idem & aureos fecit. Nec multò post argenti Deliacos imitati sunt.* Idem libro nono capite decimotertio: *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria, his vestiri Carbilius Pollio instituit.* Ac omnino lectorum eburneorum & testudineorum crebra passim apud auctores fit mentio. Sic enim Varro lectos alios ex ebore, alios ex testudine apud Romanos fuisse dicit libro octavo. Et ibidem, *Nemo*, inquit, *facit triclinii lectos nisi pares & materia & forma & figura.* Apuleius libro decimo *Metam.* *Lectus Indica testudine perlucidus, plumea congerie tumidus, veste serica floridus.* Martialis 12. ad Amænum:

Gemmantes prima fulgent testudine lecti.

Juvenalis *Satyrâ* undecima, veterum Romanorum frugalitatem cum sui temporis hominum luxuria comparans,

Nemo

Nemo (inquit) *inter curas & seria duxit habendum.*
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum.
Sed nudo latere, & parvis frons area lectis,
Vile coronati caput ostendebat aselli.

Javolenus D. lib. 32. l. 100. *cui testudinea legata essent, & lectos testudines pedibus inargentatos deberi, Trebatius responderunt.* Lectorum porrò sive stratorum eburneorum luxum Amos quoque cap. 6. Hierosolymitanis atque Samaritanis sui temporis Dei nomine exprobrat, in quibus molliter & delicatè recumbentes compotationibus immanissimis indulgebant. Sic Clemens Alexand. cap. 3. *Pædag.* sui temporis luxum perstringens, inter alia memorat κλίνας ἀργυρόποδας & ἐλεφαντοκολλήτους, id est, *lectos argentipedes & ex ebore compactos*, nec non χρυσοσιάκτους τε καὶ χελώνας πεποικιλμένας κοίτης κλισιάδας, hoc est, *auro interspersas & testudine variatas cubitis valvas*, quæ tunc temporis fuerunt usitatæ. Idem, σκίμποδες, inquit, (erat humile grabbatum) *nihilo deteriorem præstant* κατάκλισιν, hoc est, *accubitum, quàm lectus eburneus.* Ex his constat, eburneorum atque testudineorum lectorum maximum olim usum fuisse. In Assueri convivio magnificentissimo, lectuli aurei & argentei fuerunt in pavimento strati, ut Esth. 1. cap. scriptum est. Lecti regis Persarum luxuriosissimi descriptionem habes apud Athenæum lib. 12. ad illius caput ædificium quoddam erat πεντάκλινον, in quo auri 50. millia talenta semper erant reposita, & id appellabatur προσκεφάλαιον βασιλικόν, hoc est, *cervical*, sive *pulvinus regius*: & ad pedes alia erat ædicula τρίκλινος, in qua erant semper tria millia talenta argenti, quòd ὑποπόδιον βασιλικὸν vocabatur. Heliogabalum, tradit Lampridius, solido argento habuisse lectos triclinares, & cubiculares. Laminarum aurearum, & argentearum in toro discubitorio meminit Suetonius in Caligula: *Romæ*, inquit, *in publico epulo ob detractam lectis argenteam laminam confestim carnifici tradidit.* Ad furtum illud de lectis triclinaribus Epigrammatarius quoque poëta carmine quodam alludit. Apud Virgilium *Æneid.* 1. in regali convivio Dido regina dicitur aurea se composuisse sponda.

Sequitur nunc ut de illorum apparatu dicamus. Hi namque lecti (id quòd ferè sub cœnæ horam fiebat) Lectorum apparatus.
insternebantur aulæis, purpura, aut alia veste stragula, pro copia aut inopia convivatoris. Hinc *lectisterniator* Plauto in *Pseudolo*, servus qui lectos sternit, qui etiam *lectistrator* vulgò dicitur. Terentius *Heaut. Accurrunt servi, soccos detrahunt, video alios festinare, lectos sternere, cœnam apparare.* Cicero *pro Murena*, *Tubero homo eruditissimus ac Stoicus, in epulo quodam publico ac funebri, stravit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos. Lectus lepidè stratus*, Plautus in *Pœnulo.* Illa porrò, quibus lecti sternuntur, a Græcis δαπίδες, τάπητες, στρώματα, & Vestes stragulæ.
περιστρώματα· a Latinis *vestes stragulæ*, sive *stragula*, *thoralia* & *accubitalia* appellantur, nec non *stromata*, & Toralia.
peristromata. Stragulum, quod insternebant, dictum a *sternendo*, Varro. *Toral*, inquit Turnebus in suis *Adversariis*, *involucrum erat tori, hoc est, congestæ plumæ, vel herbæ, vel arundinis operimentum, quod & elegantiore rursus stragulo obducebatur convivii causa, aut feriarum. Toralia lecti stragula appellantur*, Bayffius. *Accu-* Accubitalia.
bitalia pro ipsis stratis, seu stragulis accipiuntur, ut in epistola Valeriani Imperatoris ad Losymionem Syriæ Procuratorem: *Nam cùm Claudio, Legionis Martiæ Præfecto, complura forent pro militiæ instituto tribuenda, misit illi Valerianus Imperator accubitalium Cypriorum* (ut vocat) *paria duo, interulas puras, togam, &c.* Crinitus *de Honest. disciplin.* lib. 23. cap. 2. *Instratum quoque nominant omne id, quod insternitur.* Habebant & pulvinos, Pulvini. Cervicalia.
quibus hinc inde sese fulcirent, & etiam cervicalia ad cervicem. Martialis in 3.

Cubitis trudit hinc, & in convivas
Effultus ostro, sericisque pulvinis.

Philarchus apud Athenæum lib. 4. de Lacedæmoniis: καὶ πάλιν αὐτοῖς στρωμνάς τε τοῖς μεγέθεσιν οὕτως ἐξησκημένας πολυτελῶς, καὶ τῇ ποικιλίᾳ διαφόρως, ὥστε τῶν ξένων ἐνίους τῶν παρακληθέντων ὀκνεῖν τοὺς ἀγκῶνας ἐπὶ τὰ προσκεφάλαια ἐρείδειν. Hos pulvinos Ælius Lampridius videtur *subalares culcitras* vocare in Heliogabalo. Hujusmodi stragularum vestium, quibus lecti olim sternebantur, maximus luxus fuit. Heliogabalus, teste Lampridio, primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit. Tibullus, Stragularum vestium luxus.

Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem,
Nec sonitus placidæ ducere possis aquæ.

Cicero in secunda Antoniana: *Conchyliatis Cn. Pompei peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres.* Vestes ergo stragulæ, aut conchyliatæ, aut purpureæ, aut Babylonicæ a locupletissimis patribus familiâs circumdabantur. Sic Clemens Alexand. lib. 2. cap. 3. στρωμνὰς ἁλουργὰς, καὶ ἄλλων χρωμάτων δυσπορίστων, id est, *stragulas vestes purpureas, & aliorum colorum paratu difficilium*, commemorat suis temporibus usitatas. Similiter Philo, στρωμνὰς ἁλουργεῖς, ἐνυφασμένας χρυσῷ, καὶ ἀνθοβαφεῖς ἑτέρας παντοίων χρωμάτων πρὸς τὸ τῆς ὄψεως ἐπαγωγὸν, id est, stragula purpura, auro intertexta, variis florum coloribus depicta refert, quæ suis temporibus fuerint in usu. Virgilius lib. 1. *Æneid.* in descriptione regalis epuli,

Jam pater Æneas, etiam Trojana juventus,
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro,

Id est, Stragulis vestibus ex ostro confectis. Ibidem,

Arte laboratæ vestes, ostroque superbo.

Lecti eburnei strati vestibus coccinis referuntur ab Horatio Satyr. lib. 2. Satyra 6.

--- *ponit uterque*

In locuplete domo vestigia: rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

Lambinus in illum Horatii versum Satyr. lib. 2. Satyra 4.

Et Tyrias dare circum illota toralia vesteis,

Horatii versus exponitur.

Id est, *& circum toros dare, id est, circundare toris illota toralia, videlicet vestes stragulas purpureas illotas, & ita toralia, & vestes Tyriæ unum erunt.* Plerique per Tyrias vestes, significari putant convivarum vestes, hoc sensu: & tene oportet committere, ut convivæ vestes suas Tyrias toralibus illotis, atque immundis inquinent? sed errant. Nam primùm verba Horatii non recipiunt hanc sententiam. Quod cum sit perspicuum, non est, quòd eos pluribus verbis refellam. Deinde veteres non solebant cœnare purpurati, sed albati potius, ut alibi docuimus. Omnino purpureas vestes inter cœnandum, & dum accumberent, non habebant. Contrà autem lecti, in quibus discumbebant, & in quibus dormiebant, stragulis vestibus textilibus, aut purpureis insternebantur. M. Tullius Cicero lib. 5. *Tuscul.* collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto. Catullus de Pel. & Thet. nuptiis,

Hæc vestis priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Ibidem, *Purpureave tuum consternens veste cubile.*

Titus Livius lib. 33. Annalium, *Et, cum tibi vero liceat purpura, in veste stragula uti, matremfamiliâs tuam purpureum amiculum habere non sines?* Lucretius lib. 2.

Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus si in picturis, ostroque rudenti
Jactêris, quàm si plebeia in veste cubandum.

Apud Homerum aliquoties fit mentio stragulorum, seu tapetum purpureorum, qui sedibus fuerunt instrati: ut Ιλ. ι. de Achille,

Εἷσεν δ' ἐν κλισμοῖσι τάπησί τε πορφυρέοισι,

Id est, Phœnicem, Ulyssem, Ajacem legatos ab Agamemnone.

Τάων (ancillarum Circes) ἡ μὲν ἔβαλλε θρόνοις ἔνι ῥήγεα καλὰ
Πορφύρεα καθύπερθ' ὑπένερθε δὲ λῖθ' ὑπέβαλλεν.

Οδ. κ. & Οδ. γ. Euridæa ad famulas,

------ ἐν δὲ θρόνοις εὐποιήτοισι τάπητας,
βάλλετε πορφυρέους.

Stratus auro, argento, purpura, amplior aliquot hominibus, quam Diis immortalibus adornatur: Phavorinus in Oratione qua legem Liciniam suasit apud Gellium lib. 15. cap. 8. Leno apud Plautum in *Pseudolo* minatur servis suis, *se illorum latera loris ita varia effecturum, ut sunt peristromata Campanica* (in Campania elaborata, quibus Campani utebantur) *picta, & Alexandrina & tapetia conchyliata belluata*, id est, in quibus erant belluæ acu pictæ. Στρώματα, hoc est, stragula purpurea in foro quoque strata fuisse in Cotys nuptiis, testatur Athenæus lib. 1. cap. 2. στρώμνας apud Homerum διαπρεπέσας esse dicit Athenæus lib. 1. cap. 10. cujusmodi & Ulyssi substrata fuerint, & Nestor apud Telemachum plurimis se abundare gloriatur. Heliogabalus, teste Lampridio, stravit & triclinia de rosa, & lectos, & porticus, ac sic per ea deambulavit, idque omni florum genere, liliis, violis, hyacinthis, narcissis. Nec cubuit in accubitis facilè, nisi his, quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subalares, sæpè culcitras mutans. Στρωτῶν inventores Persæ, teste Athenæo 1. Lepide factum traditur a Vario Antonino Aug. qui *Heliogabalus* est appellatus in amicorum conviviis. Nam cum his cœnam forte exhiberet, quibusdam simul discumbentibus, non accubitus quidem pro consuetudine, sed reflatibus folles substerni curavit, idque ipsum mirifica arte, & ingenio. Sic ut convivæ reflatis paulatim follibus infra cæteros sub ipsis mensis ridiculè subsiderent, Crinitus *de Honest. discipl.* lib. 19. cap. 10.

Στρωτῶν inventores. Heliogabali Imp. jocus elegans de suorum convivarum discubitu. Lectorum numerus.

Nunc postremò de lectorum numero quædam adjiciamus. Tres, ut plurimum, lecti olim circum mensam erant, unde *triclinii* nomen. Varro, *Nam ut qui triclinium constrarunt, si quem lectum de tribus unum imparem posuerunt, aut de paribus nimium, aut parum produxerunt, unà corrigimus, & ad consuetudinem communem, & ad aliorum tricliniorum analogias.* Ubi simul notabis morem triclinia consternendi. Juvenalis Satyr. 5.

Tertia ne vacuo cessaret culcitra lecto.

Vel duo etiam, quod Plautus Biclinium in *Bacchid. Act.* 4. posterior ætas a Vespasianorum imperio *Sigma* vocare cœpit, de quo supra pluribus. Cleomenis frugalitas laudatur a Plutarcho in ejus Vita, quòd non nisi tribus lectulis usus est, in conviviis solennioribus duos adhuc addidit. Nec verò duo tantùm, aut tres, sed plures etiam lecti fuerunt strati pro numero convivarum, a quorum lectorum numero ipsa loca convivialia denominata fuisse, supra dictum est. Lectos olim exemptiles fuisse, non loco affixos, P. Nannius *Miscellan.* lib. 1. Terentii & Homeri quibusdam testimoniis comprobat. Et hæc de lectis discubitoriis, uti a Plinio denominantur, qui etiam *lecti triclinii, triclinares* ab Ælio Lampridio, & *triclinarii* nominantur, quorum olim in epulis tam sacris, quàm prophanis maximus usus fuit. Hodie quoque nonnunquam in lectis, quos Germani Gutschen / Galli *couches*, a cubando, vocant, sedentes epulari solemus. Sunt autem illi sex ferè pedum longitudinis,

gitudinis, ut ſinguli tres convivas capiant: quanquam ſinguli tantùm hujuſmodi lecti in ſingulis zetis, vel hypocauſtis, ut vocant, noſtris habeantur.

Porrò notandum eſt, veteres ſæpiſſimè in ipſa terra ſive humo diſcumbentes epulari fuiſſe ſolitos, ita ut terra ipſis, & menſæ, & lectorum loco fuerit, qui mos etiam hodie nonnunquam uſurpatur. Eſt autem hujusmodi diſcubitus convivialis ipſi naturæ, meo quidem judicio, valde accommodatus. Nam primò terra verè omnium noſtrûm menſa eſt & duci debet, hoc eſt, parens atque nutrix, quæ nobis alimenta eſculentaque ſaluberrima ac jucundiſſima aſſiduè gignit atque ſuppeditat: unde meritò a Græcis φερέσβιος, ac ζείδωρος: a Latinis etiam *Opis* fuit nuncupata. Deinde illa quoque communis eſt omnium hominum lectus, in quo & vivi & mortui recubant atque requieſcunt. Et huc facit Plinianum illud ſanè perquam elegans terræ elogium: *Terra*, inquit, *eſt illa, cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cœlum Dei, quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper: noviſſimè complexa gremio, jam a reliqua natura abdicatos, tum maximè ut mater operiens. Aquæ ſubeunt in imbres, rigeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes: Aer denſatur nubibus, furit procellis. At hæc benigna, mitis, indulgens, uſuſque mortalium ſemper ancilla, quæ coacta generat? quæ ſponte fundit? quos odores ſaporesque? quos ſuccos? quos tactus? quos colores? quam bona fide creditum reddit onus? quæ noſtri cauſa alit?* Hæc ille de terræ laudibus, quas nos meritò illi cœli terræque conditori ac conſervatori, nempe Deo Optimo Maximo aſcribere debemus. Eſſe autem accubationem ſeſſione aptiorem ad cibum capiendum, Plutarchus *Sympoſ.* 7. *Problemat.* 11. his verbis ſignificat: *Sicut* κλίνη, inquit, hoc eſt, *lectus commodior eſt bibentibus, quàm* καθέδρα, id eſt, *ſella, propterea quòd ille corpus continet, omnique motione vacuum præſtat, ita maximè convenit animam in quiete conſervare.* Hujuſmodi verò diſcubitus terreſtris, ſeu humicubationis epularis pulcherrimum ſanè habemus exemplum in admirandis illis epulis, quas Chriſtus ingenti hominum turbæ præbuit. Illi namque Chriſti convivæ ἐπὶ τῆς γῆς, ut Marcus cap. 8. ſcribit, hoc eſt, *ſuper terram*, ſive, ut idem cap. 6. loquitur ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ, viridi in gramine, ſive, ut Matthæus 14. cap. ſcribit, ἐπὶ τοὺς χόρτους, hoc eſt, *fuſi per herbas* (Clemens Alex. lib. 2. cap. 3. *Pædag.* ἐπὶ τῆς πόας χαμαὶ exponit) unà fuerunt epulati. Quo quidem, ut Theophylactus in 14. cap. Matth. ſcribit, *Chriſtus docere voluit* τὴν εὐτέλειαν, ἵνα καὶ σὺ μὴ ἐπὶ κλινῶν πολυτελῶν, καὶ στρωμάτων ἀναπαύῃ, hoc eſt, *frugalitatem, ne tu quoque in pretioſis lectis, ſtratiſque accumbas.* χόρτους alii *herbas*, alii *gramina* vertunt, vulgata *fænum*, Syrum *Asba*, id eſt, *herbam*. Sic Celtæ, teſte Athenæo lib. 4. convivis χόρτον ὑποβάλλειν, id eſt, *gramina ſubjicere* fuerunt ſoliti. χόρτος nonnullis niſi de herbis reſectis dici videtur: in qua ſignificatione etiam 1. Cor. 2. accipi videtur. Inde χορτάζεσθαι, & χορτάσαι, ut teſtatur Euſtathius Ιλ. λ. propriè de brutis dicitur, quorum cibus eſt gramen: transfertur tamen ad humani quoque cibi ſatietatem. Sic apud Virgilium lib. 1. *Æneid.*

Tum victu revocant vires, fuſique (diſcumbentes) *per herbam*
Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.

Polydius, teſte Athenæo lib. 14. cum in via ſacrificaret, Peteum prætereuntem retinuit, cumque eum inter herbas ſedere feciſſet, germinaque confregiſſet pro menſa, appoſuit illi ex iis, quæ immolata fuerant. His ſimilia illa Tibulli lib. 3. Eleg. 5.

---- *Pubes diſcumbet in herbas,*
Arboris antiquæ, quæ levis umbra cadet.
At ſibi quiſque dapes, & feſtas extruet altè,
Ceſpitibus menſas, ceſpitibusque torum.

Ovidius lib. 3. *Faſtorum*, de Feſto Annæ Perennæ:

----- *Virides paſſim disjecta per herbas*
Potat.

Apud Homerum quoque ſæpè legimus comedentes ſuper virgulta pellibus ſtrata ſediſſe, ſecundum illud:

----- τῷ δὲ συβώτης,
Χεῦεν ὑπὸ χλωρὰς ῥῶπας, καὶ κῶας ὕπερθεν.
(Hinc Ovidius, *Qui poterat pelles addere, dives erat.*)
Ενθα καθέζετο.

Et Οδ. Γ. ---- καὶ ἵδρυσεν παρὰ δαιτὶ,
Κώεσιν ἐν μαλακοῖσιν, ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσι,
Id eſt,
Collocavit eos in pellibus mollibus, in arenis marinis.

Euſtathius, *Conſidera*, inquit, hîc ἡρωικὴν εὐτέλειαν, hoc eſt, *Heroicam frugalitatem. Nam filius Neſtoris regis, peregrinos collocavit non* ἐπὶ ἁλιπορφύρων ταπήτων, ἢ ἄλλης τινὸς περιεργοῦ στρωμνῆς τιμωμένης πολλοῦ. ἀλλ᾽ ἐπὶ ψάμμου ἐν δέρμασιν, μαλακοῖς μέντοι, hoc eſt, *Non in tapetiis purpureis, aliisve ſtragulis ſumptuoſis, ſed in arena atque pellibus, mollibus tamen.*

Et Οδ. Ζ. Εἷσεν δ᾽ εἰσαγαγὼν, ῥῶπας δ᾽ ὑπέχευε δασείας,
Εστόρεσεν δ᾽ ἐπὶ δέρμα ἰονθάδος ἀγρίου αἰγὸς,
Αὐτοῦ ἐνήιαιον μέγα, καὶ δασύ.

Mos diſcumbendi in humo.

Lectum ſella eſſe commodiorem.

Χόρτος.

Hoc

Hoc est, *illum introducens sedere fecit, substratis illi virgultis densis, super quas stravit pellem capræ agrestis atque juvenis, ad cubandum, dormiendumque aptam, magnam atque densam*, ῥῶπες, inquit Eustathius, sunt ἱμαντώδη φυτὰ, *virgulta*, sive *plantæ flexibiles, vimineæ*, παρὰ τὸ ῥέπω. τῷ δὲ ὑπέχευεν, *verbo suffundendi seu substernendi significare voluit* στιβάδα *stratum molle ex foliis atque graminibus teneris, ne illud nimis durum foret, atque densum*. δέρματος autem, (qua voce hîc utitur) & κώεος, qua alibi sæpè, hanc idem differentiam affert, quòd δέρμα quidem significat, τὸ ἁπλῶς ἐκδερόμενον, *id quod simpliciter excoriatur*: κῶας autem, sive κώας, ἐν ᾧ κεῖταί τις, ἢ κοιμᾶται, ἀπὸ τοῦ κῶ, hoc est, *in quo quis jacet, aut dormit*, vestis stragula, sive stragulum. Strata ergo, sive stragula Homerica partim virgultis, partim pellibus constabant. Cum Juditha ab Holoferne ad epulas fuisset invitata, ancilla ei humi pelles dicitur stravisse, ut super illis accumbens, cibum caperet. Athenæus porrò hujusmodi convivium, in quo humi discumbitur, eleganter δεῖπνον χαμαιπετὲς appellat lib. 4. ubi mirabilem Parthorum Regum morem commemorat: *Amicus*, inquit, *regis ad epulas vocatus, non est ejusdem mensæ particeps, sed* χαμαὶ ὑποκαθήμενος, *humi, longè infrà regem, in excelso lecto cubantem, sedens, quicquid ab illo projicitur cibi, canino planè more rituque comedit*: id quòd Athenæus vocat κυνὶ σιτεῖσθαι. *Sæpe quoque numero qualibet de causa* ἀποσπασθεὶς τοῦ χαμαιπετοῦς δείπνου, hoc est, *a terrestri illa cœna abstractus, loris tessellatis, virgisque cæditur: atque cum factus est sanguinolentus, eum, a quo plagis est cæsus, tanquam benefactorem*, ἐπὶ τὸ ἔδαφος πρηνὴς προπεσὼν προσκυνεῖ, id est, *pronus humi procumbens, adorat atque veneratur*. Paulò post narrat, Regem Heraclionem Beriæum cùm circiter mille milites ad cœnam vocasset, eos discumbere fecisse ἐπὶ τοῦ ἐδάφους ἐν ὑπαίθρῳ, id est, *humi sub dio*. Calecutienses similiter hodie humi procumbentes comedunt in trulla ænea, ut testis est Ludovicus Romanus, idem tradit ipsum quoque Regem Calecutiensium humi recubare absque stragulis, quem sacerdotes circumstant, non propius, quàm ad quaternos passus accedentes, regisque verba summa cum reverentia excipientes. Canarienses quoque solo accumbentes, cibum capere, Americus Vesputius testatur. Carolo Burgundiæ duci nocte illa, qua ad montem Hericum Gallos vicit, trepido adhuc, nec satis victoriæ suæ fidenti, mensa est humi apposita, & tria aut quatuor cadavera subducta ex eo loco, ut esset ubi Princeps sederet victor. Tum unus aut alter fascis allatus straminis: ibi fessus e labore prælii, & saucius, & parum securus, sumpsit eam cœnam, qualem conjicere quisque potest illo & loco, & tempore, & rerum motu potuisse apparari. Ludov. Vives *de Concord. & Discord.* lib. 3. Turcæ epulaturi, subjiciunt floreas, *Hactser* vocatas, deinde insternunt tapetia aut pulvinaria. Alii in nuda humo discumbunt. Mensa illorum *Tsophra* dicta, ex corio fit, & explicatur, & contrahitur, ut marsupium. Non assident nostrorum more, nec discumbunt veterum ritu, ut cubito innitantur, sed decussatim pedibus inter se complicatis, more sartorum, testis est Bartholomæus Georgievizius. Hodie agricolæ, vindemiatores, messores atque milites sæpissimè sub dio humi recubantes, cibum solent sumere. Nullus Tartaris mensarum & sediliorum est usus. Cutes equorum jam tum fumantes, & recens bestiæ detractas pro scamnis consessuri consternunt. Sed hæc satis de duplici hoc convivarum situ, sessione nimirum & accubatione: quibus addendum, mixtum olim fuisse convivarum situm, ita ut in iisdem epulis alii quidem sederint, alii verò accubuerint. Sic enim, uti supra dictum est, apud Romanos fœminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant, teste Val. Maximo lib. 2. cap. 1. Idem testatur Isidorus lib. *Etymol.* 20. ex Varrone *de vita populi Rom.* hac ratione addita, quod turpis visus est in muliere accubitus. Hujus rei exemplum illustre occurrit apud Apuleium lib. 1. *Intuli me, cumque accubantem exiguo admodum grabatulo, & commodum cœnare incipientem invenio, assidebat pedes uxor, & mensa vacua posita.* Et paulo post: *Jubet uxorem decedere, utque in ejus locum assideam jubet, meque etiamnum verecundia cunctantem, abrepta lacinia detrahens*, Asside, *inquit*, istic. *Illuc assidebat pedes*, Beroaldus corrigit, *penes*, hoc est, juxta maritum: ut conveniat cum verbis Luciani, γυνὴ δὲ αὐτοῦ καθῆστο πλησίον. Similiter apud Parthos, Rex in excelso lecto recumbebat, amici ab illo invitati humi sedebant, de quo supra.

Parthorum mos mirabilis. *Calecutiensium mos.* *Turcarum mos.* *Mixtus convivarum situs.*

Stando quoque nonnunquam fit epulatio, quam Mamertinus *prandium statarium* vocat, quod sumitur raptim, & quasi in pedes stando σταδιαῖον ἄριστον. Hujusmodi fuit Judæorum quondam Paschale illud epulum, de quo supra. Terentium, Varronem & Hannibalem post res afflictas non sedentes, ut antea, sed stantes cœnitasse legimus: quemadmodum Cato junior post bellum civile, non accumbens, ut prius, sed sedens cibo parciore usus est, de quo Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 21. Hannibalem neque cubantem cœnasse, neque plus sextario vini indulsisse testis est Justinus lib. 32.

Standi mos inter epulandum.

Denique inambulando nonnunquam homines cibum capiunt. Sic Apuleius *jentaculum ambulatorium* eleganter vocat, quod sensim ambulando equus carpebat in prato, lib. 1. statim ab initio. Monachus quidam, *Pios* nomine, teste Suida, ambulandi cibum capiebat, qui interrogatus, cur id faceret, respondit, οὐ βούλομαι τῷ βρώματι ὡς ἔργῳ χρήσασθαι, ἀλλ' ὡς παρέργῳ. Idem alteri cuidam similiter interroganti, hujusmodi responsum dedit: ἵνα μὴ ἐν τῷ ἐσθίειν ἡδονῆς σωματικῆς αἰσθάνοιτο ἡ ψυχή. Alio sensu *cœnam ambulantem* Martialis vocat, ubi appositæ epulæ ad proximè accumbentem ordine transeunt, qui mos in cœnobiis receptus, servatur etiam nunc. Hæc satis sint dicta de quadruplici ferè convivarum inter epulandum situ atque habitu, qui apud alias atque alias gentes, nec non aliis atque aliis temporibus varius est atque multiplex, sicuti dictum fuit.

De convivarum gestibus.

Verùm huc quoque pertinent, quæ de variis convivarum gestibus, corporis, vel totius, vel certarum ejus partium, motu atque compositione inter epulandum præcipi ac disputari solent. De his Erasmus in libello suo *de Civilitate morum* sic disserit: *Accumbens*, inquit, *utranque manum super mensam habe, non conjunctim, nec in quadra. Quidam enim indecore, vel unam, vel ambas habent in gremio. Cubito vel utroque, vel altero inniti mensæ, senio morbove lassis condonatur: idem in delicatis quibusdam aulicis, qui se decere putant quicquid agunt,*

agunt, dissimulandum esse, non imitandum. Interea cavendum, ne proximè accumbenti cubito, neu ex adverso accumbenti (quem ἀντιπρόσωπον *Græci eleganter vocant) pedibus sis molestus. In sella vacillare, & nunc huic, nunc alteri nati vicissim insidere, speciem habet subinde ventris flatum emittentis, aut emittere conantis. Corpus igitur æquo libramine sit erectum. Mantile, si datur, aut humero sinistro, aut brachio lævo imponito. Inurbanum est oculis circumactis observare, quid quisque comedat, nec decet in quenquam convivarum diutius intentos habere oculos: inurbanius etiam transversis hirquis intueri, qui in eodem accumbunt latere: inurbanissimum, retorto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera mensa. Sedentem pedibus ludere stultorum est, quemadmodum & manibus atque digitis gesticulari, jactare brachia, motare caput, vultum in varios mutare habitus, levitatis & inconstantiæ est argumentum.* Verùm oculorum, superciliorum, frontis, genarum, oris, vultus totius, labrorum, dentium, capitis, cervicis, humerorum, genuum atque pedum, totius denique corporis, qualem in hominum congressu, colloquiis, ac præsertim inter epulandum, compositionem, motum, gestum, atque moderationem esse conveniat, idem auctor pluribus eodem in libello explicat. Cicero quoque lib. 1. *Offic.* de morum atque gestuum civilitate scitè admodum, eleganterque hunc in modum in genere disserit: *Deorum,* inquit, *in omnibus factis, & dictis, in corporis denique motu & statu cernitur, idque positum est in tribus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto, in quibus continetur cura etiam illa, ut probemur ab iis, cum quibus, & apud quos venimus.* Et paulò post: *Nos autem naturam sequamur, & ab omni, quod abhorret, ab ipsa oculorum, auriumque comprobatione, fugiamus. Status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Quibus in rebus duo sunt maximè fugienda, ne quid effœminatum, aut molle, aut ne quid durum, aut rusticum sit. Nec verò histrionibus, oratoribusque concedendum est, ut iis hæc apta sint, nobis dissoluta.* Et paulò post: *Ergo & a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, & huic simile vitium in gestu, motuque caveatur. Nam & palæstrici motus sæpe sunt odiosiores: & histrionum nonnulli gestus ineptiis non vacant, & in utroque genere, quæ sunt recta & simplicia laudantur.* Clemens Alex. lib. 2. *Pædag.* cap. 7. *Quòd si sederint,* inquit, *ne pedes sæpe permutent, nec alterum femur alteri superponant, nec manum mento sustentent. Illiberale enim est, & indecorum seipsum non ferre, idque datur vitio adolescenti.* Idem sub finem: *Sit autem gravis quoque aspectus, collique conversio, ac motus honestus, & decorus, & manuum quoque in loquendo gestus.* De gestuum moderatione vide quoque Ambrosium lib. 1. cap. 17. Hæc Erasmi, Ciceronis, aliorumque præcepta de corporis vel totius, vel certorum ejus membrorum apto, civili atque decoro gestu, motuque cùm in omni hominum congressu atque cœtu: tum verò, atque in primis in conviviis diligenter, accurateque sunt servanda.

CAPUT XXXV.

DE CONVIVARUM COLLOCATIONE, ATQUE ORDINE. QUAENAM HAC IN RE CONVIVATORIS ATQUE CONVIVARUM SINT PARTES. DE LOCORUM DISCRIMINE SECUNDUM VARIAS GENTES.

Nunc consequens videtur esse, ut de convivarum collocatione, atque ordine dicatur. *Collocare*, seu *ordinare* Græcè dicitur τάττειν, ἱδρύειν, διατάττεσθαι τὰς κλίσεις, ἁρμόττεσθαι ἀποδιδόναι τάξιν. Plutarchus, νέμειν κλισίαν. pro quo Luc. 14. δοῦναι τόπον, εἰς τὴν ἐσχάτην χώραν καταστάθεις, Plutarchus 7. *sapien. con.* Luc. 14. ἔσχατον τόπον, ποιεῖν ἀναπεσεῖν, Joannis sexto, κλίνειν, Nonnus. Apud Plutarchum libro 1. *Sympos. Problemat.* 2. quæritur, *an convivas is, qui convivio excipit, ipse debeat* κατακλίνειν, id est, *collocare, an verò collocationem convivarum arbitrio permittere, ita ut unusquisque eorum locum, quem vult, capiat:* & in utramque partem speciosæ admodum, probabilesque rationes afferuntur. Verum ut a sacris literis exordiar, in iis cum exempla, tum præcepta hujusce rei clara admodum, & illustria habemus. Josephus, sicuti Genes. 43. capite scriptum est, in splendido illo & magnifico epulo, quo fratres suos excepit, illos secundum ætatis ordinem sedere jussit: ita ut Ruben primo, Simeon secundo, Levi tertio, Judas quarto, Benjaminus ultimo loco assideret. Et additur, *Admiratique sunt viri illi*, hoc est, *Josephi fratres, alter ad alterum:* nimirum vel quòd tantum sibi honoris haberetur, vel quòd de ætate non interrogati, sua tamen debita singulis loca essent assignata: cùm se putarent esse ignotos, neque facilè ex habitu corporis colligi potuerit, quis nam alterum ætate anteiret. Sæpenumero enim seniores videntur juniores esse. Philo in libro *de Josepho* ejusdem rei mentionem facit, his verbis: *Jussi deinde sedere juxta ætatis ordinem, mirabantur Josephi fratres, quòd Ægyptii non aliter, quàm Hebræi, ordinis rationem ducerent, & in honorandis hominibus ætatis rationem haberent: sic animis suis secum reputantes, hic fortasse magistratus pro sua prudentia non solùm seriis & magnis rebus, ad pacis bellique recta munia spectantibus induxit decorum ordinem: verùm etiam honestatem in istis levioribus, & penè ludicris, quam Ægyptii hactenus rudiores nesciverunt.* Nam ἱλαρότητα ἐπιζητοῦσι εὐωχίαι, σεμνὸν ἄγαν, καὶ αὐστηρὸν συμπότην ἥκιστα παραδεχόμεναι, hoc est, *Hilaritatem convivia desiderant, gravem nimis, & austerum convivam minimè admittentes.* Ex his ergo constat, Josephum ex more Hebræorum fratres, convivas suos non temere, atque promiscuè, sed secundùm ætatis ordinem, sedere jussisse. Samuel cum Saulem, & ejus famulum, unà cum aliis, qui

An convivas is qui convivio excipit, ipse debeat collocare, an verò collocationem convivarum arbitrio permittere.

Josephus fratres, convivas suos, secundum ætatis ordinem sedere jussit.

qui erant 30 numero, epulo excepisset splendido, dicitur Sauli & ejus famulo, locum dedisse in capite invitatorum, hoc est, summum sive præcipuum, ac principem, quæ illius προεδρία regiæ dignitatis, ad quam vocabatur, quasi præludium fuit, ut & portio carnis, qua similiter a Samuele honoratus fuit. At objiciat non nemo, Jacobus tamen capite 2. reprehendit sui temporis Christianos, quòd in Synagogis suis divitibus, splendidè vestitis, honorificam sedem assignarent, pauperes autem, & sordidis vestibus amictos, vel stare juberent, vel ad hypopodia sua rejicerent: quibus verbis videtur omne personarum discrimen (quod προσωποληψίαν vocat) tollere. Nam quòd de Synagogis dicit, idem ad convivia quoque, & reliquos cœtus transferri potest: imò sunt, qui hunc locum de agapis, hoc est, Christianorum antiquis syssitiis interpretantur. Respondeo, Jacobum his verbis non personarum omne discrimen tollere, & velle omnibus parem & æqualem vel loci vel aliarum rerum honorem haberi: sed culpat illorum perversum judicium, & arrogantiam, qua non tam virtutis atque religionis habita ratione, quàm divitiarum, divites quidem, quantumvis impios, nimiùm honorabant, iisque adulabantur omnibus modis: contrà pauperes omnino negligebant ac contemnebant, ut ferè fieri solet. Hic potiùs locus monet, eos qui convivis sedes assignant, ut non tam externum corporis, quàm internum animi ornatum spectantes, locis honoratioribus illos potiùs cohonestent atque ornent, qui virtutibus, quàm qui vestium splendore fulgent. Sæpe tamen numero fit, id quòd ipsa experientia testatur quotidiana, ut homines etiam ignobiles atque turpes, ob vestium splendorem, nobilibus ac magnæ virtutis & dignitatis hominibus minus splendidè vestitis, præferantur. Christus quoque partim verbis, partim facto & exemplo suo, quænam hac in re cùm convivatoris, tum convivæ sint partes, egregiè docuit. Nam cùm, sicuti Luc. 14. cap. scriptum est, die Sabbati in cujusdam Pharisæorum principis domo epulatus fuisset, & vidisset quosdam Pharisæorum nimis ambitiosè πρωτοκλισίας ἐκλέγεσθαι, hoc est, *affectare*, atque *captare*, parabola apta, & idonea hanc illorum ambitionem graviter perstrinxit, simulque docuit convivas quidem non debere primum in conviviis locum temere occupare, ne cum illorum ignominia atque dedecore in extremum rejiciantur: convivatoris verò partes esse suum cuique invitatorum pro dignitate locum assignare, ita ut quò quis sit ἐντιμότερος, hoc est, *majoris dignitatis*, *& auctoritatis*, tantò illi honoratior quoque locus tribuatur. Sic idem, cum magnæ illi hominum turbæ epulum dedisset, ut Marc. 6. scriptum est, τάξεως quoque, seu εὐταξίας in illis collocandis rationem habuit. Nam, uti testatur Marcus, ἐπέταξεν αὐτοῖς ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια συμπόσια, ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ. Καὶ ἀνέπεσον πρασιαὶ πρασιαὶ, ἀνὰ ἑκατὸν, καὶ ἀνὰ πεντήκοντα.

Συμπόσια συμπόσια. Illud συμπόσια συμπόσια vulgata *secundum contubernia* exponit: Erasmus, *distributis conviviis*: alii, *sigillatim per convivia*: alii, *per singulos convivarum ordines*: Gallicè, *par lundes*: Germanicè, In gesellschafft und rotten / allwegen ein rott in eines manns maden. Hebræi enim pro vocabulis distributivis, uti solent vocabulis geminatis. Convivia ergo vocat, quæ Galli vulgo *tablées*, hoc est, hominum numerum, quantum una mensa capere potest. Syrus, *Semakim semakim*, id est, *discumbentes discumbentes*. Theophylactus, διακεχωρισμένως, ἀντὶ τοῦ τραπέζαις διαφόροις, id est, *separatim*, *per mensas diversas*. Deinceps illud συμπόσια συμπόσια explicatur per πρασιαὶ πρασιαί. Syrus, *discubitus discubitus*, hoc est, interprete Tremellio, per diversos ordines, quò inter ordinum aliquod esset inter discumbentium series ad apponendos & colligendos

Πρασιαὶ πρασιαί. panes. Vulgò, *divisi in viridaria*. Theophylactus, πρασιαὶ πρασιαὶ, hoc est, διάφορα κόμματα, καὶ μέρη· πρασιαὶ γὰρ λέγονται τὰ ἐν τοῖς κήποις διάφορα κόμματα, ἐν οἷς φυτεύονται διάφορα πολλάκις λάχανα, hoc est, πρασιαὶ *sunt consitorum olerum ordines*. Idcirco nonnulli verterunt *per areolas*, hoc est, per spacia quædam continentia convivas, ut areolæ hortenses (gartenbett) sua olera. Πρασιαὶ Hesychio αἱ ἐν τοῖς κήποις τετράγωνοι λαχανίαι, (Krautbett) hoc est, ut Plinius vocat, *pulvinorum tori*, aut *sulcorum tramites*. Suidas, πρασιαὶ, αἱ τοῦ κήπου λαχανίαι, καὶ πράσιον λάχανον. Omnino per συμπόσια, & πρασιὰς, intelliguntur turmæ centenariæ sive centuriæ, & quinquagenariæ, in quas Christus magnam illam convivarum suorum multitudinem distribuerat. Hoc ergo suo exemplo Christus docuit, cum cæteris in rebus, tum

Ordinem in convivis collocandis esse adhibendum. in convivarum collatione, εὐταξίας esse convivatori rationem habendam. Et huc faciunt quæ a Plutarcho sub Timonis persona differuntur problemate paulò ante citato. Nam primò adducit Pauli Æmilii Imperatoris exemplum, qui cum debellato Perseo, in Macedonia multa convivia victorialia agitaret, admirabili omnium rerum ordine, atque apparatu usus, dixisse fertur, τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς εἶναι καὶ φάλαγγα στῆσαι φοβερωτάτην, καὶ συμπόσιον ἥδιστον, hoc est, *Ejusdem esse viri, & armatam aciem quàm maximè formidabilem, & convivium quàm jucundissimum instruere*: nam in utroque εὐταξίαν, id est, *ordinis artem*, rationemque reperiri. Et Homerus viros præstantissimos, regnandique peritissimos, κοσμήτορας λαῶν, hoc est, populorum ordinatores, appellare consuevit. Deinde ab ipsius Dei magni exemplo argumentatur, qui secundum Philosophorum sententiam, nihil vel addendo, vel detrahendo, sed suis quæque in locis constituendo, ἀκοσμίαν εὐταξίᾳ εἰς κόσμον μετέβαλε, hoc est, *confusam rerum molem*, *ad ordinem*, *formamque pulcherrimam redegit*, atque ita mundum constituit. Verùm his majoribus & gravioribus omissis, *Vidimus*, inquit, τὴν περὶ τὰ δεῖπνα δαπάνην οὐδὲν ἔχουσαν εὐτερπὲς, οὐδὲ ἐλευθέριον, εἰ μὴ τάξεως μετάσχοι, hoc est, *Sumptum*, *qui conviviis impenditur*, *nihil habere jucundi aut liberalis*, *si absit ordo*. Proinde ridiculum esse τοῖς ὀψοποιοῖς, καὶ τραπεζοκόμοις, hoc est, *coquis*, *mensæque ministris*, curæ esse quid primo, quid secundo, medio, ultimove loco apportent: atque adeò etiam unguentis, sertis, fidicinæ (si adhibeantur) suum esse ordinem atque locum: illos autem, qui ad hæc vocantur, temerè, & fortuitò juberi discumbere, neque ætatis, magistratus, aliarumve id genus rerum ullam haberi rationem, cum quidem conveniente instituto, ordine, & honore afficiatur præstantior, &, qui eo minor est, assuescat locum cedere digniori: & denique is, qui collocat, exerceatur in judicio, & conjectura de decoro facienda. Neque enim suus in consessu, suus in astando locus est potiori, nullus est in dis-

discumbendo, neque convivator in præbibendo ordinem servabit, ita ut huic potiùs, quàm alii prius præbibat, in locis autem mensarum distribuendis personarum discrimina negliget, & principio statim τῇ ἀγουσῶν μίαν μυκωνον ἀποφαίνας τὸ συμπόσιον, hoc est, *totum convivium faciet unam* (quòd ajunt) *Myconum*, significans, interprete Erasmo in *Adagio* (*Omnia sub unam Myconum*) indistinctos adhuc convivas: unde constat hoc adagium, de indiscretis atque confusis dictum. Homeri quoque auctoritas, quæ hîc adducitur, ad idem probandum non parum valet. Is namque viros honore dignos, cùm aliis rebus, tum etiam sede honorandos esse, multis exemplis docet. Sic enim Lyricorum ille princeps ἕδρῃτε, κρέασίντε, ut etiam Saulem Samuel, de quo suprà 1. Samuel.9. ἠ δ' πλείοις δεπάεσσιν, inquit, hoc est, *assessu*, *carnis missu*, *plenisque culullis*, Sarpedonem excipit (ut etiam Athenæus testatur lib. 1. cap. 6.) quibus verbis ordini primas honoris tribuit. Alcinoum quoque laudamus, quum hospitem juxta se collocaret, Οδ. η.

Una Myconus.

Ιλ. μ.

Homerica convivas collocandi ratio.

υἱὸν ἀναστήσας ἀγαπήνορα Λαομέδοντα
ὅς οἱ πλησίον ἷζε μάλιστα δέ μιν φιλέεσκε.
Gnatum jussisset cùm surgere Laomedonta
Carus præ reliquis ipsum qui pone sedebat.

Επιδέξιον sanè & φιλάνθρωπον, hoc est, humanum hoc illius, & scitum dextrumque factum fuit, quòd supplicem in locum dilecti recepit. Hominum generis, dignitatisque rationem habendam esse, docet Crinitus lib. 2. cap. 4. De collocatione convivarum, sive consessu apud veteres, vide egregium locum apud Eustathium Ιλ. β. f. 186. ver.36. Agamemnon convivio excepturus Græcorum præstantissimos, primum locum Nestori dat, senectutis & prudentiæ ergò: sextum, sive postremum Ulyssi, ob prudentiam: intermedia loca Idomeneo, Ajaci & Diomedi, fortitudinis ergo. Extremæ, quoniam veluti termini sunt, honorificentiora sunt intermediis: & propterea etiam prudentiæ, quæ fortitudinem honestatis, & mediocritatis limitibus circumscribit, extrema loca committuntur utrinque. Similiter in statione navium, propugnaculorum vice, Achilles unum, Ajax alterum extremum tuentur apud eundem. Pisistratus Nestoris filius, ut apud eundem Οδ. γ. statim ab initio Minervæ atque Telemachi apprehensa manu,

----- καὶ ἵδρυσεν παρὰ δαιτὶ
Κώεσιν ἐν μαλακοῖσιν, ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσι,
Πάρ τε κασιγνήτῳ Θρασυμήδεϊ καὶ πατέρι ᾧ.

Huc facit illud, quod crebrò occurrit,

Εξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε,

Hoc est, ex ordine, non ἀκόσμως, καὶ ἀτάκτως. Plura alia apud eundem Poëtam hujusmodi exempla occurrunt, quibus docet, eos, qui alios hospitio, convivioque excipiunt, debere operam dare, ut singulis pro cujusque dignitate loca, sedesque commodas & honorificas assignent. Quin etiam diis ille certas sedes tribuit. Neptunum enim, quanquam ultimus venisset in concionem, nihilominus

ἷζεν ἄρ' ἐν μέσσοισι, Ιλ. υ. ver. 15.

Hoc est, *in medio collocavit*, nimirum hoc loco ei conveniente. Minerva autem videtur eximium hunc locum habuisse, ut semper Jovi proximè assideret, idque Poëta innuit de Thetide canens,

Η δ' ἄρα Διὶ πατρὶ καθέζετο, εἶξε δ' Αθήνη.
Assedit patrique locum cedente Minerva.

Id quod etiam Pindarus disertiùs dixit,

Πῦρ πνέοντος ἅπερ κεραυνοῦ ἄγχιστα ἥμενη,
Spiranti flammas quæ propè fulmini assidet.

Etsi ergo antiquæ Hebræorum consuetudini, Christi exemplo, atque præcepto, antiquis populorum moribus atque adeò ipsi naturæ atque rationi, quæ εὐταξίαν omnibus in rebus postulat, conveniens videtur esse, ac consentaneum, ut ipse convivator, seu convivii Dominus convivas pro sexus, ætatis, dignitatis, conditionis, aliarumque circumstantiarum ratione, bene apteque collocet & ordinet: tamen summum hîc judicium, summa cautio adhibenda, præsertim in solennioribus epulis. Nam sæpe ex hujusmodi convivarum collocatione, dum alii aliis præferuntur, maxima odia, inimicitiæ, simultates exoriuntur, vel jam sopitæ renovantur ac rursus accenduntur, id quòd conviviorum fini, qui est mutui amoris, benevolentiæ conservatio, justo atque legitimo, valde contrarium est, & inimicum. Adhæc igitur evitanda summa est convivatori adhibenda dexteritas & prudentia, dandaque opera, ut ita convivas collocet atque ordinet, ne vel ipse in odium, offensionemque convivarum incurrat, vel inter ipsos convivas æmulationem, odia, simultatesque excitet. Regulæ itaque quædam, & præcepta hîc sunt ei observanda. Primò enim dabit operam, ut patrium morem ac consuetudinem hîc diligenter observet, eique pareat.

Conviviorum finis.

Præcepta observanda in collocandis convivis ad mensam.

Deinde, ut peregrinis, senioribus atque magistratibus magis honorifica, quàm civibus, junioribus atque privatis, loca assignentur, id quòd ferè omnium gentium consuetudine cùm antiqua, tum recenti tritum est, & usitatum, ipsique rationi convenientissimum.

Præterea si multi (id quod non sæpe fit) ἰσοφάριοι τοῖς ἀξιώμασι, hoc est, *pares dignitate convenerint*, ita ut difficilis sit dijudicatio, tum secundum Plutarchi præceptum, cùm multa sint loca honorata, satis illi erit copiæ, & facultatis honores distribuendi, modò judicio ac conjectura valeat. Sic enim alium honorabit loco

primo, alium medio, alium quòd eum collocabit vel juxta se, vel amicum aut familiarem suum, aut magistrum aliquem. Reliquis deinde vel munusculis, vel assiduis, humanis, & honorificis salutationibus, compellationibus, colloquiis, satisfacere conabitur. Illa quoque nonnunquam, si adsint convivæ honore & dignitate æquales, iidemque morosi, ars atque machina adhiberi poterit, Plutarcho auctore, ut nimirum patri, si adsit, si aut avo, socero, aut alicui cognatorum, ei denique, cui apud convivatorem peculiaris sit quædam honoris prærogativa honestissimus locus tribuatur. Id sequutus est Achilles apud Homerum, qui cum videret Menelaum, & Antilochum, de equestris victoriæ premio contendere, metueretque ne ira & contentio longius serperet, atque progrederetur, hoc excogitavit commentum, ut tertio, Eumelo nimirum, præmium illud tribueret, cum verbis quidem præ se ferret atque simularet, se id miseratione ductum facere, reipsa autem atque facto æmulationis, contentionisque illorum causam tolleret. Hîc mihi in mentem venit id, quod Venetiis cum ibi essem, accidit. Nam cum Principatum, qui tunc vacabat, duo potentissimi, opulentissimique viri ambirent, Senatus ille pro sua prudentia æmulationis, contentionisque illius reprimendæ gratia, Lauredano, illustris quidem dignitatis, & spectatæ virtutis sapientiæque viro, duobus tamen illis competitoribus opibus atque divitiis, forsan etiam generis splendore, aliquanto inferiori, illum honorem detulerunt, Principemque crearunt.

Ιλ. ψ.

Præterea, ut Plutarchus bene, & sapienter monet, non semper in collocandis ad mensas convivis respiciendum est ad gloriam, aut uniuscujusque dignitatem, sed ad jucunditatem, καὶ τὴν ἑτέρου πρὸς ἕτερον σχέσιν, καὶ ἁρμονίαν, id est, *quomodo alius ad alium sit affectus, & quomodo ipsis inter se conveniat, id quod alius quoque in rebus locum habet.* Nam, exempli gratia, qui domum ædificat, non lapidem Atticum aut Laconicum ob nobilitatem proponit: neque pictor colori pretiosissimo principem locum attribuit: neque navis compactor atque fabricator Isthmicam abietem, aut Creticam cupressum, reliquis priorem lignis ponit: sed hæc omnia eo modo atque ordine inter se componit, concinnat, atque coagmentat, quo totum opus validum, pulchrum, & utile maximè videtur futurum. Ipse quoque Deus, quem bene Pindarus ἀριστοτέχναν appellavit, non ubique suprà ignem, infrà terram posuit: sed hæc omnia inter se composuit, quemadmodum corporum usus & necessitas postulabat. Hanc ergo habent constitutionem, quam non naturalis locorum distributio, sed novi operis confectio exigit. πανταχοῦ μὲν οὖν ἀταξία, inquit, πονηρὸν, ἐν δὲ ἀνθρώποις, καὶ ταῦτα πίνουσιν ἐγγινόμενοι μάλιστα τὴν αὐτῆς ἀναδείκνυσι μοχθηρίαν ὕβρει, καὶ κακοῖς ἀμυθήτοις, ἃ προϊδέσθαι, καὶ φυλάξασθαι τακτικοῦ, καὶ ἁρμονικοῦ ἀνδρός ἐστιν, hoc est, *Confusio, ordinisque perturbatio ubique mala est, verùm ubi ea incidit in homines, & quidem potantes, contumelia, aliisque innumeris malis pravitatem suam demonstrat, quæ providere, atque præcavere hominis est ejus, qui ordinis atque concinnitatis est gnarus.* Sed deinceps magis speciatim sub Lampriæ persona exprimit, quæ sibi optima convivas inter se in mensa componendi, collocandique ratio videatur. *Videtur mihi*, inquit Lamprias, *Pammenes Thebanus haud injuria reprehendisse Homerum, ut amatoriæ rei ignarum, qui tribus tribubus, curias curiis adjungi jussit, cùm potiùs amici amicis sint adjùngendi*, ἵνα ἡ σύμπασα ἡ φάλαγξ δι' ὅλης ἔμψυχον ἔχουσα δεσμὸν τοῦτον, hoc est, *Ut tota phalanx animato hoc devincta vinculo tantò magis conspiret. Pammenem ergo secutus, ita convivas disponam, non ut divitem diviti: juvenem juveni: principem principi: amicum amico adjungam.* ἀκίνητος γὰρ, καὶ ἀργὴ πρὸς εὐνοίας ἐπίδοσιν, καὶ φύσιν ἡ τάξις, id est, *Hæc enim dispositio otiosa est, neque ad benevolentiam parandam, augendamve quicquam conducit. Verùm id, quod unicuique deest accommodans, jubeo* φιλολόγῳ μὲν ὑποκατακλίνεσθαι φιλομαθῆ, δυσκόλῳ δὲ πρᾶον, ἀδολέσχῳ δὲ πρεσβύτῃ φιλήκοον νεανίσκον, τῷ δὲ ἀλαζῶνι, τὸν εἴρωνα· τῷ δὲ ὀργίλῳ τὸν σιωπηλὸν, hoc est, *Homini libenter de humanioribus & liberalibus artibus discenti, discendi studiosum apponam: moroso mansuetum: loquaci seni adolescentem audiendi avidum: glorioso subsannatem: iracundo tacitum: diviti munifico probum pauperem, ut tanquam e pleno poculo, in vacuum aliquid ex illo, in hunc defluat: Sophistam verò assidere Sophistæ, aut Poëtam Poëtæ nolo.*

Hesiod.

Πτωχὸς γὰρ πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Urit enim cantor cantorem, & egenus egenum.

Rixosos etiam, dicaces, & iracundos divello a se invicem, interjiciens placidum aliquem tanquam ad emolliendum extremorum rigorem: deditos contrà palæstræ, venationi, aut agriculturæ conjungo. Similium enim quædam sunt μάχιμα, *quæ pugnam cient, ut galli: quædam sunt* ἐπιεικῆ, *quibus inter se convenit, ut graculi.* Hæc sunt Plutarchi præcepta de convivis ad mensam collocandis, quæ non videntur esse contemnenda.

Mulierum collocatio.

Quod ad mulieres attinet, illæ antiquitus in solennioribus atque celebrioribus epulis, plerunque separatim a viris in certis cœnaculis cœnarunt, nec unà cum viris eodem in cœnaculo, eademve mensa cibum sumpserunt. Apud nos quidem mulieres, modò in separatis a viris cœnaculis, vel mensis, modò eodem in cœnaculo, sæpissimè etiam eadem in mensa unà cum viris collocari atque epulari solent. Moris quoque est, ut mulieres primò, & quidem plerunque a matrefamiliâs in superiore mensæ parte, deinde viri infra illas, & quidem plerunque a patrefamiliâs ad mensam collocentur. Philo Judæus tradit, apud Judæos quoque moris fuisse, ut mulieres senes in festivis conviviis unâ cum viris epularentur. διανενέμηκε δὲ ἡ κατάκλισις, χωρὶς μὲν ἀνδράσιν ἐπὶ δεξιὰ, χωρὶς δὲ γυναιξὶν ἐπὶ εὐώνυμα, hoc est, *Discubitus ita distribuitur, ut seorsim viri dextrum latus: seorsim mulieres sinistrum teneant.* Apud Græcos, uti supra ex Cicerone dictum est, non fuit moris, ut in virorum convivio mulieres accumberent. Hodie quoque moris est in Principum, & nobilium solennioribus, ac præsertim nuptialibus conviviis, ut convivii magister, quem Hofmeister vocant, manu tabellam, libellumve tenens, cui singulorum utriusque sexus convivarum nomina sunt inscripta, mulieres primò atque virgines: deinde viros ex ordine singulos nominatim appellet, & accumbere jubeat, qui mos etiam apud vete-

veteres videtur fuisse: quò munere qui fungebatur, is ὀνομαλογκλήτωρ a Græcis, hoc est, *nomenclator*, ἢ τῶν δείπνων ταξίαρχος, hoc est, *cœnarum gubernator*, fuit appellatus: ut scribit Athenæus lib. 2. cap. 5. ab hac nimirum nominum appellatione. ὀνομαλογκλήτωρ.

Dabit porrò is, qui convivas collocat, operam, non modò ut debitis in locis singuli, sed etiam ut quàm commodissimè sedeant. Nam verum est ilud, quòd vulgò dicitur, *dimidium pastus, qui bene sedit, habet*: quod nos Germani sic efferimus, wol gsässen, ist halb gässen. Id Homerus quoque docet, dum sæpe convivas facit collocari ἐν μαλακοῖσι κώεσιν, hoc est, *pellibus atque stratis mollibus* (cujusmodi sunt apud nos pulvini, super quos sedemus) & pedibus illorum θρῆνυν, hoc est, ὑποπόδιον, scabellum subjici. Οδ. α.

Ὑπὸ δὲ θρῆνυς ποσὶν ἦεν,

Et Ιλ. ξ. ---- ὑπὸ δὲ θρῆνυν ποσὶν ἥσει

Τῷ κεν ἐπισχοίης λιπαροὺς πόδας εἰλαπινάζων.

Quemadmodum apud nos quoque mulierum, præsertim gravidarum atque etiam senum, & valetudinariorum pedibus hujusmodi scabella sive hypopodia subjici solent.

Dabit etiam convivator operam, ne convivæ nimis arctè, & angustè sedeant, id quòd illis valdè molestum esse solet: teter etiam sæpe inde odor nascitur, secundùm illud Horatii, lib. Epist. 1. ad Torquatum,

Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

Hoc est, interprete Lambino, licet plures tecum comites adducas: sed hoc est metuendum, ne è multitudine convivarum arctè sedentium, existat alarum odor gravis, & teter, qui hìc *capræ* nomine, Ode 12. *hirci* nomine intelligitur. Huic loco convenit illa quæstio, quam Plutarchus lib. 5. *Sympos. probl.* 6. movet, quid causæ sit, quòd initio cœnæ angustè, postmodum laxè sedeatur: cùm contrarium videatur debere fieri, corporibus in cœna cibo potuque distentis. Hujus rei tres ab illo afferuntur rationes. Prima petita est ab ipso discumbentium situ atque forma: eò quòd cœnantes in latum discumbant, dextras in mensam protendentes: cœnati autem magis in latus sese obvertant, corporisque figuram acutam reddant, neque jam secundùm superficiem ferè, sed ad lineam spatium occupent, id illustrat simili ducto a talorum jactu. Sicut ergo tali minus loci occupant, si recti, quàm si proni cadant: ita unumquemque discumbentium principio in faciem proclinari, dum in mensam intuentur, deinde transformare accubitum in altitudinem ex latitudine. Secunda ratio petita est ex stragulo, quod, dum accumbitur, dilatatur & laxius fit, non secus atque calcei, usu ipso atque attritu paulatim diducuntur, & pedi spatium concedunt. Tertia ratio quæ ab illo sub senis cujusdam jocantis persona affertur, hujusmodi est: quòd cùm duo sint uniuscujusque convivii præsides atque antistites, Fames nimirum atque Bacchus: illa quidem ab initio cœnæ cibis nimiùm inhians, discumbentium ordinem perturbat atque confundit, unde illæ loci angustiæ: Bacchus autem quem omnes optimum exercitus ducem fuisse confitentur, quique λυαῖος, ἢ χόρειος, *Lyæus & Choreus*, a solvendo, & choris instituendis dictus est, convivantium chorum rursus εἰς τάξιν ἱλαρὰν, ἢ φιλάνθρωπον καθιστάναι, hoc est, *ad ordinem venustum atque humanum redigere.* Hæc postrema ratio levis admodum est, cùm Bacchum, teste ipsa experientia, ἀταξίας potiùs omnis, quàm τάξεως auctorem atque effectorem esse constet. Atque hæc quidem de hac quæstione sint dicta, quæ quoniam huc pertinet, non fuit prætermittenda.

Cur initio cœnæ anguste postea laxè sedeatur.
1.
2.
3.
Bacchus cur λυαῖος, ἢ χόρειος dictus.

Ad has autem loci angustias odiosas sanè & molestas evitandum, dabit quoque convivator operam, ne plures invitet, quàm locus convivialis capere possit: de quo suprà dictum est. Tametsi illud quoque verum est, quòd locus sæpe angustus plures capit convivas, si illi amici sint atque concordes, quàm amplus, si minùs benè inter se convenit.

Convivator non plures invitare debet, quàm locus convivialis capere possit.

Verùm quoniam satis multa de convivatoris officio in collocandis convivis dicta sunt, illud quoque videtur adjiciendum & quærendum, an non ipse quoque convivator convivis assidere debeat, & quem ille sibi locum in convivio delegere debeat. Mihi quidem humanitati conveniens videtur esse, si quoque convivator unà cum convivis accumbat, id quòd etiam apud veteres videtur fuisse usitatum. Sed locum ille sibi non primum, sed postremum potiùs pro sua modestia deliget, qui & ad circumspiciendum omnia, & ad surgendum, si ita opus fuerit, sit accommodatus. Nam ille intentos in omnes partes oculos suos habere debet, & nonnunquam surgere, operamque dare ut omnia, quæ ad convivium pertinent, bene legitimeque administrentur, omniaque, quibus ipsis convivis opus est, illis abundè, liberaliterque suppeditentur. Nec vero primus accumbet, id quod indecorum valdè, ac incivile videtur esse, licet id apud quosdam inferioris Germaniæ populos in usu esse intellexerim. Apud Romanos, teste Plutarcho lib. 1. *Sympos. probl.* 3. cùm duæ mensæ invitatis tribuerentur, convivator in tertii lecti loco primo plerunque accumbebat. Ratio elegans additur, quæ simul illius munus & officium complectitur: Ἐνταῦθα γὰρ ὥσπερ ἡνίοχος, ἢ κυβερνήτης ἐπιδεξιὸς πρὸς τὴν ἐπίβλεψιν ἐξικνεῖται τῆς ὑπηρεσίας, καὶ τοῦ φιλοφρονεῖσθαι, καὶ τοῦ διαλέγεσθαι τοῖς παροῦσιν οὐκ ἀπήρτηται τῶν συνεγγυς τόπων· Hoc est, *Ibi enim tanquam auriga atque gubernator dextrè potest intueri in ministeria, & a proximis locis non ita longè removetur, quin compellare convivas humaniter & colloqui.* Locus porrò infra eum, ut Plutarchus addit, erat uxoris aut liberorum: qui suprà, is Consuli (quando is aderat) ceu convivarum honoratissimo tribuebatur. Ex hoc loco videtur colligi posse, uxorem quoque & liberos in epulis unà cum reliquis convivis accumbere, fuisse solitos.

An convivator quoque convivis assidere debeat.

Dicendum porrò est in genere de locis, quorum, ut Plutarchus in eodem *problemate* differit, alius apud alios honoratur. Nam Persis medius, quem accumbens Rex occupat, videtur honestissimus: apud Græcos primus: apud Romanos mediæ mensæ ultimus, quem ipsi ὑπατικὸν, hoc est, *consularem* vocabant. Apud quos-

De locis. Locus medius honoratissimus apud Persas, Celtas, Numidas.

quosdam Græcorum juxta Pontum habitantium, ut Heracleotas, mediæ mensæ primus, in quo, ut paulò antea dictum, convivator Romæ solebat accumbere. Hæc Plutarchus. Celtæ, cum plures simul cœnarent, sedebant in circulo, seu in orbem. Medius erat optimus & fortissimus, veluti chori totius princeps, qui alios vel rerum bellicarum experientia, vel generis nobilitate, vel divitiarum splendore antecellebat. At qui proximi ex utraque parte illi assidebant, ob virtutis, & reliquarum rerum præstantiam, hunc locum consequebantur. Apud Numidas quoque medium locum honoratissimum fuisse habitum, ex Sallustii historia Jugurthina constat. Nam eum post Micipsæ mortem Adherbal, Hiempsal, & Jugurtha convenissent, ut inter se de cunctis negotiis ad regnum pertinentibus disceptarent: Hiempsal, qui minimus ex illis erat, natura ferox, etiam antea ignobilitatem Jugurthæ, qui materno genere impar erat, despiciens, dextra Adherbalem adsedit, ne medius ex tribus, quòd apud Numidas honori ducitur, Jugurtha foret. Dein tamen, ut ætati Jugurthæ concederet, fatigatus a fratre, vix in partem alteram transductus est. Idem scribit Sabellic. lib. 1. *Enneadis 6.* Hic locus medius apud plerasque gentes honoratissimus habitus fuit. Apud Romanos medii lecti ultimus locus Consuli tributus fuit, ac proinde *consularis* dictus, ac præcipuus habitus: cujus rei, neque ut quia primus, neque ut quia medius, rationem definiri posse testatur. Licet itaque multæ rationes afferantur, tres tamen sibi videri maximè probabiles. Una, quòd dejectis Regibus Consules, cum ad popularem formam omnia redigerent, seipsos è medio, & regio loco deorsum subduxerunt, ne vel ipse locus, tanquam regii imperii, ac potestatis reliquiæ quædam, molestus esset civibus. Secunda, quòd cùm duæ mensæ convivis tribuerentur, tertia, ejusque primus locus, convivatori maximè congruebat, ob causas supra commemoratas: locus autem infra eum uxoris esset, & liberorum: is qui supra eum erat, jure ac merito convivarum honoratissimo, hoc est, Consuli tribuebatur, ut propè convivatorem esset. Tertia ratio est, quòd hic locus ad actiones obeundas maximè opportunus & idoneus erat. Non enim Consul Romanorum (observatu hæc, quæ sequuntur, sunt dignissima omnibus magistratibus) more Archiæ Thebanorum Polemarchi, hoc est, Imperatoris sese gerit, ut litteris inter cœnandum, aut sermone aliquo considerationem requirente, oblatis, tantùm fatus εἰς ἕω τὰ σπουδαῖα, hoc est, *in crastinum seria* rejiciantur, epistolam rejiciat, ac poculum Thericleum arripiat: sed in hoc ipso temporis articulo solicitum admodùm ac circumspectum se præbeat. Quippe non modò nox incutit gubernatori, qui sapit, dolorem, ut est apud Æschylum, sed in quovis convivio, quavis animi recreatione & oblectatione convenit Magistratui, ac Principi curare, ut & audiat, & mandet, quæ opus est, & subscribat. Hoc quò faciliùs atque commodiùs efficere possit, hunc habet locum eximium, ubi secunda mensa ad primam applicata angulus flexu suo intercapedinem facit, quæ spacium accedendi, alloquendi, & audiendi præbeat scribæ, apparitori, stipatori corporis, nuncio ab exercitu venienti. Cùm interim Consul neque molestiam cuiquam convivarum exhibeat, neque ipse quoque obturbetur, sed & dextram, & vocem liberam habeat, atque expeditam. Hæc Plutarchus. Hodie quoque apud nos magistratus, & viri principes in exteriore mensæ parte sedere solent, ut manum habeant liberam, & is locus ferè honoratissimus habetur.

Medii lecti ultimus locus apud Romanos præcipuus habitus & cur.

Romanorum Consulum mos laudabilis.

Hunc autem Romanorum Consulum morem, cujus Plutarchus meminit, utinam hodie Christiani Consules, atque magistratus sedulò imitarentur, ac inter ipsas atque pocula muneris, officiique sui memores, de iis agerent, cogitarent ac consultarent, quæ ad Reipub. suæ fidei commissæ, salutem pertinerent, omnibusque ad se accedere volentibus, facilem quovis tempore aditum, accessumque præberent. Meliore profectò, felicioreque in loco pleræque Christianorum Respub. essent. Verùm, proh dolor, multò plures hodie magistratus vinosi ac oscitantis illius Thebanorum Imperatoris similes reperiuntur, qui inter epulandum omni vel cogitatione, vel sermone, vel litteris, quæ incidunt, considerationem requirentibus, rejectis ac repudiatis, pocula ampla, & capacia accipiunt, atque exhauriunt assiduè, seque immoderato potu ita ingurgitant, ut inter ipsos, atque quadrupedem nihil ferè quicquam intersit. Hoc itaque modo sæpè maximarum rerum agendarum occasiones, quæ in minimis plerunque temporum momentis consistunt, negliguntur, ipsaque Respub. maximis periculis exponitur. Ergo, ut ad propositum redeam, is, qui primus, & ad caput lecti decumbebat, *summus* dicebatur: qui ad pedes *imus*. Hinc illa Plautina,

Quis locus primus, summus, imus, medius fuerit.

Da puer ab summo.

Iterum: *Standum est in lecto, si quid de summo petas.*

Et Horatius, *Secutis omnibus imis.*

Summum locum dignissimum antiquitus fuisse, ex illo Virgilii videtur colligi:

Thorus altus.

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

Ubi Servius *altum torum*, locum summum interpretatur, quem ait Pontificalem fuisse. At Justus Lipsius lib. 3. *Antiq. lect.* non summum, sed medium locum honorificentissimum habitum confirmat. Cicero *epist.* lib. 9. *ad Pætum: Accubueram hora nona. Ubi? apud Eutrapelum, & quidem suprà me Atticus, infrà Verrius, familiares tui. En summus*, inquit Lipsius, *Atticus fuit, medius Cicero: quid autem clarius, quàm Ciceronem consularem senem dignissimo loco accubuisse? Ita apud Virgilium,*

---- aulæis jam se regina superbis,
Aurea composuit sponda, mediamque locavit,

Ut decebat reginam. Servius in hæc verba, Ipse enim apud majores domini locus fuerat, ut aperte docet Sallust. 3. histor. igitur discubuère, Sertorius inferior: in medio super eum T. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo Antonius: & infrà scriba Sertorii Versius, & alter scriba Mecænas in imo: medius inter Tarquinium & Denatium Perpenna. Ecce e duobus lectis alterum medium Sertorius occupat, ut Imperator: alterum Perpenna, ut convivii dominus. Ad hunc morem Plautus alludit in Sticho,

Haud

Haud postulo equidem medio in lecto accumbere.
Scis tu medium esse imi subselli virum.

Quibus verbis indicat Parasitus, se nolle medium, aut summum accumbere, satis esse se in imo hærere: id quod sequentia docent,

Ergo Oratores populi summates viri,
Summi accumbent: ego infimatis, infimus.

Sic igitur distinctè concludit Lipsius: *Si tres conviva erant uno in lecto, medius fuit dignissimus, proximus honore summus. Si quatuor, medium censeri arbitratur, proximum a summo. Si duo tantùm, dignissimus summus fuit.*

Sacerdotum accubitus.

De Sacerdotum accubitu apud Romanos sic Festus: *Ordo Sacerdotum æstimatur Deorum* (hic desunt quædam) *maximus quisque Maximus videtur Rex: deinde Dialis: post hunc Martialis: quarto loco Quirinalis: quinto Pontifex Max. Itaque in conviviis solus Rex supra omnes accubat: sed Dialis supra Martialem & Quirinalem: Martialis supra proximum: omnes dein supra Pontificem. Rex, quia potentissimus: Dialis, quia universi mundi sacerdos, qui appellatur Dius, sive Divus: Martialis, quia Mars conditoris urbis parens: Quirinalis, socio Imperii Romani Curibus ascito Quirino: Pontifex Max. quòd judex, & arbiter habetur rerum divinarum humanarumque.* Gellius quoque lib. 10. cap. 15. testatur, super Flaminem Dialem in conviviis apud Romanos neminem accubuisse, nisi Regem sacrificulum. Servius tamen *Æneid.* 2. Summum semper fuisse Pontificalem locum testatur, quem etiam hodie Pontifices Rom. obtinent.

Dextræ quoque alicujus personæ principis assidere, sive accumbere, sive id fiat in convivio, sive alio in loco, semper honorificum fuit habitum. Hinc Christus in sacris literis ad Dei patris sui dexteram sedere, atque etiam stare dicitur, ad illius honorem, & majestatem, in quam est evectus, declarandam. Legimus Joannis, filii Henrici VII. Imp. nuptias cum Regis Bohemiæ filia aliquandiu Petri Moguntini, & Coloniensis Antistitis superbia fuisse interturbatas, quòd uterque dexteræ Principis assidere contendebat. Cyrus tamen, ut Xenophon testatur, convivas a sinistro latere locabat honoris gratia, ceu cordi propinquiores & chariores. Verùm hæc satis de loco honoratiore, & convivatoris officio in collocandis ad mensam convivis.

Convivarum officium.

προεδρίαν conviva non debet nimium affectare.

Christi præceptum.

Nunc de convivarum quoque hac in parte officio dicendum. Primo ergo conviva secundùm Christi præceptum non affectabit nimiùm προεδρίαν, seu πρωτοκλισίαν in convivio: quo nomine Scribæ atque Pharisæi ab illo gravissimè reprehenduntur, qui, quemadmodum Luc. 20. & 14 & Mat. 23. scriptum est, & ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, & πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, & πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις, hoc est, *salutationes in foro, primas in Synagogis sedes, primosque cœnis accubitus nimis ambitiose affectabant.* Hujusmodi ergo φιλοτιμίαν vitandam esse, Christus egregiè parabola illa Luc. 14. docet, cùm inquit, *Si invitatus fueris ab aliquo ad nuptias,* μὴ κατακλιθῇς εἰς τὴν πρωτοκλισίαν, hoc est, *noli in primo & honorificentissimo loco accumbere, ne si honoratior aliquis sit invitatus, tu ab invitatore loco cedere, & cum ignominia atque dedecore tuo extremum locum tenere. Sed potiùs ubi vocatus fueris, extremum locum occupa: unde postea ad altiorem & digniorem locum cum gloria tua eveharis.* Addit hujusce parabolæ epimythion observatu dignissimum, ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται, καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται. Hac de re Plutarchus quoque in suo illo *convivio 7. sapientum* egregiè præcipit sub Thaletis persona.

Plutarchi præceptum.

Nam cùm Alexidemus Milesius Thrasybuli tyranni filius spurius ex cœnaculo sese proripuisset iratus, eò quòd aliis prælatis minus sibi dignam sedem a convivatore assignatam esse arbitrabatur: Thales vanam & stultam hanc hominis illius ambitionem hujusmodi verbis egregiè sapienterque perstrinxit, *Itane verò*, ait, *metuis ne, quemadmodum Ægyptii stellas ajunt viribus pro loci in quem attolluntur, aut devehuntur conditione augeri, minuive: ita tibi quoque locus claritatem, obscuritatemve adferat? Certè Lacone illo es deterior, qui, cùm ei in choro quodam ultimum locum præfectus adsignasset, Bene, inquit, abs te factum est, qui hujus quoque loci cohonestandi rationem repereris, cùm non hominem loco, sed locum potiùs homine ornari atque cohonestari existimaret.*

Laconis facetè dictum.

Non ergo curandum est, quo loco, aut post quos collocemur: sed potius ὅπως εὐάρμοστοι τοῖς κατακειμένοις ὦμεν, ἀρχὴν καὶ λαβὴν φιλίας εὐθὺς ἐν αὐτοῖς δηλοῦντες, hoc est, *ut cum iis, quibus accumbimus, nobis bene conveniat, statimque in nobis ipsis principium, ansamque amicitiæ inesse ostendamus*, dum non succensemus locanti, sed laudamus, quòd talibus nos adjunxerit. Etenim qui loci causa irascitur, is magis τῷ συγκλιτῇ, ἢ τῷ κεκληκότι, hoc est, *ei juxtà quem positus est, quàm vocatori*, seu, *collocanti* irascitur, & utrique fit infensus. Similis est Senecæ lib. 1. *de ira* oratio: *Minus honorato loco positus irasci cœpisti convivatori, vocatori* (κεκληκότα Plutarchus vocat, forsan est ὀνομακλήτωρ hoc in loco) *ipsi qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? Honestiorem te, aut turpiorem potest facere pulvinum?* Assuescant ergo convivæ ἀτύφως, καὶ ἀδελφῶς κατακλίνεσθαι μετ' ἀλλήλων εὐθὺς ἀπὸ τῶν θυρῶν (& eleganter Plutarchus 1. *Sympos. probl.* 2. loquitur) hoc est, *sine fastu atque fraterne seu amicè statim a janua*, hoc est, *a principio cœnæ unà versari atque accumbere.*

Senecæ oratio de ira.

τῆς προεδρίας ambitiosa captatio maxima sæpe odia, atque cædes funestas gignere solet.

Nam hujusmodi προεδρίας, sive πρωτοκαθεδρίας, πρωτοκλισίας, πρωτείων ambitiosa captatio cùm in foro, in theatris, in incessu quovis atque cœtu: tum in conviviis maxima sæpe odia, simultates, inimicitias, certamina, atque cædes funestas gignere solet, quemadmodum plurimis exemplis probari posset. Ergo cùm in aliis actionibus, vitæque humanæ consuetudine: tum in epulis quoque secundum Christi, & Apostolorum præcepta, alii aliis loco, atque honore cedere, & alios potiùs, quàm nosmetipsos honorare studeamus, honorem mundanum non tam sectemur, quàm fugiamus, qui tamen, ut verè ille dixit, fugientem sequitur.

Admonitio.

Romanorum juvenum mos laudabilis

Laudabilis fuit ille juvenum Romanorum mos, qui, teste Valerio Max. lib. 2. cap. 1. invitati ad cœnam, diligenter quærebant, quinam ei convivio essent interfuturi, ne senioris adventum discubitu præcurrerent. Huc quoque facit illud Erasmi præceptum in lib. *de civilitate morum*: *Sedis*, inquit, *honorem alteri*

libenter

libenter cede, & ad honoratiorem locum invitatus comiter excusa: si tamen id crebro, serioque jubeat aliquis auctoritate præditus, verecundè obtempera, ne videâre pro civili, præfractus. Huc quoque referendi sunt alii convivarum gestus civiles atque decori, qui in conviviali hoc consessu sunt observandi, de quibus suprà dictum est.

CAPUT XXXVI.

DE CONSECRATIONE MENSAE: QVA JVDAEI, CHRISTIANI, ET ALIAE GENTES OLIM VSAE SVNT, ET HODIE VTVNTVR.

De Precationibus.

Quoniam post accubitum, ut olim, ita hodie quoque plerunque precationes fiunt, quæ a nobis vulgò *mensæ consecrationes* appellantur, de iis nunc commodus videtur esse dicendi locus. Ac preces quidem cum reliquarum actionum omnium: tum conviviorum exordia pariter, atque terminos esse debere, non sacræ modò litteræ, verùm etiam prophanarum gentium monumenta, ritus atque consuetudines docent: de quibus suo in loco dicetur. Plato certè, ut unum ex multis proferam, in *Alcibiade* sub finem, preces Deo quibusvis vel splendidissimis victimis longè gratiores esse dicit, idemque non uno in loco omnium nostrarum actionum exordia a Deo ducenda esse docet. Et est certè (ut verè, sciteque inquit Eustathius Ιλ. π. παρὰ τῷ θείῳ ἐνεργὴς ἡ εὔλογος εὐχὴ, hoc est, *efficax est apud Deum precatio cum ratione conjuncta.* Hujusmodi autem ante, ac post cibi sumptionem mos precandi, in solemnioribus præsertim epulis, apud Judæos & antiquitus, & nunc quoque est usitatissimus, de quo nobis dicendum.

Precum utilitas.

Judæorum precationes ante & post epulas.

Primò ergo omnium Judæus paterfamiliâs, quem sua lingua באל הבית *Baal habait*, vocant, id est, οἰκοδεσπότην, *Dominum familiæ*, ut Exod. 22. ver. 7. scriptum est, simul ac mensæ, cum omnibus suis convivis sive domesticis accubuit, præmittit admonitionem ad preces & cibi appositi consecrationem. Mox ordiuntur unanimiter canere vel Psalmum vel rythmum, qui extat in libello cui titulus est, סדור הברה והצמירות *Siddur haberah vehasmirot*, id est, *Tractatio vel ordinatio Benedictionis & Cautionum.* Quo decantato incipit ante sumptionem cibi paterfamiliâs orare: *Benedictus sit Dominus Deus noster, Rex mundi qui cibat totum mundum bonitate, gratia, beneficentia & misericordia sua, qui dat alimentum omni carni. Cujus bonitate nec hactenus defuit, nec deerit cibus unquam propter magnum ejus nomen. Solus enim is est qui vegetat & conservat omnia, & benefacit omnibus, & cibum præparat singulis creaturis suis quas condidit. Benedictus sis tu Domine qui cibas omnia.* Deinceps poculum vino repletum dextra manu apprehendit atque in hunc modum consecrat, dicens: ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן *Baruk atta Jehova Elohenu mælak haolam bore peri haggæphan,* id est, *Benedictus sis tu Domine Deus noster Rex mundi, conditor fructus vitium.* Hac benedictionis formula dicta, primus omnium vinum ipse degustat, idemque mox omnibus mensæ accumbentibus degustandum porrigit. Et hanc orationem Hebraice קדוש *Kiddusch*, id est, sanctificationem vocare solent: qua nimirum & Christus Cœnam suam sacram & mysticam exorsus est, ut Lucas scribit: *Et accepto poculo benedixit,* (nam τὸ εὐχαριστήσας, nihil significat nisi ויברך *Vaiebarek*, id est, *& benedixit*: hoc est, consecravit precibus & benedictione, gratiarumque actione) *ac dixit: Accipite vos, & dividite inter vos. Dico enim vobis quòd non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat.* Post calicis benedictionem & sumptionem, idem statim panem quem integra massa constare oportet, accipit, eumque utraque manu tenendo, his verbis consecrat: ברוב אתה יהוה אלהנו מלך העולם מוציא לחם מארץ *Caruk atta Jehova Elohenu mælak haolam mozi læcham meæraz,* id est, *Laudatus & Benedictus sis tu Domine Deus noster, qui educis de terra panem.* Hocque dicto, paterfamiliâs paululum de pane edit, simulque singulis mensæ accumbentibus buccellam de eo distribuit: quo facto, tum demum relictis epulis manus injiciunt. Hunc ritum benedicendi calicem & panem in festivis tantûm diebus observant, aliâs enim panem duntaxat, & non poculum pariter consecrare solent. Plerumque autem paterfamiliâs ante pastum, cibum mensamque consecrat, post sumptum autem cibum unus ex invitatis, cui honoris causa injungitur a patrefamiliâs. Habent enim apud se hanc Regulam, ut dicant, ובע׳ל הבית הבוצע את לחם יברך בראשית הסעודה *Ubaal habait haboze æth læcham jebarek bereschit haseudah,* id est, *Dominus ædium, qui panem scindit primò cibum consecrare debet.*

Sumptis verò epulis, ac finito convivio, gratias agunt, quod munus rursus paterfamiliâs, aut honoratior quivis inter convivas, præsertim si sit hospes (honori enim ducitur) usurpat. Is poculum vino refertum utraque manu tenendo sic ad gratiarum actionem, quotquot mensæ assident, adhortatur: נברך אלהנו שאכלנו משלו *Nebarek Elohenu Schæacalnu Mischælo*, id est, *Benedicamus sive gratias agamus Deo nostro, quia edimus de suo.* Hoc dicto respondent actutum convivæ, ברוך אלהנו שאכלנו משלו ובטובו חינו *Baruk Elohenu Schærakalnu mischællo ubetubo chainu*, id est, *Sit laudatus Deus noster, de cujus bonis comedimus cujusque benignitate viximus.* Hancque gratiarum actionem Hebræi ברכת המזון, id est, *Benedictionem cibi* vocant, vulgo, das groß *Benedicite*, sive gratias. Atque hoc est poculum, quo Christus a Cœna sua mysterium sanguinis sui, discipulis suis commendavit. Post hæc qui orando præit, sic denuò orat ברוך הו אברוך שמו, id est, *Benedictus sit ipse, & benedictum sit nomen ejus.* His deinceps addit prolixiorem quandam orationem, cujus formula extat in libello

qui

qui סדור הברכות והזמירות *Siddur haberakoth vehasmirot*, id eſt, *Tractatio de benedictionibus & canticis* inſcribitur: extat etiam in 8. cap. Deut. Sed præter hanc communem precationis formam, habent etiam peculiares quaſdam, quibus certis diebus feſtivis utuntur, ut in Sabbatho, in initio Novilunii, quod ראש חדש, id eſt, *initium Menſis* vel *Calendas* vel *Novilunium*, Νεομηνίαν vocant, & in feſto encæniorum quod Hebræi חנכה *Chanukah*, id eſt, *dedicationem* & *conſecrationem* nominant, ſcilicet altaris, quod Judas Machabæus 2. Machab. 2. cap. inſtauravit, poſtquam Antiochus ſanctuarium contaminavit: in feſto פורים *Phurim*, id eſt, *Urnarum* ſeu *ſortium*, quæ tempore Eſther & Mardochai miſſæ fuerunt in urnas, qui dies non ſecus atque Bacchanalia a Chriſtianis magna cum luxuria atque petulantia celebrantur. De peculiaribus hiſce precandi formulis extat libellus apud Judæos, quas commemorare nimis longum foret, vide ipſum libellum ſupra citatum, vel Fagium, qui eaſdem tranſcriptas edidit. Porrò his precationibus omnibus a præeunte finitis, omnes convivæ, qui menſæ aſſident, ſequentem orationem ſubmiſſa voce, & tacitè apud ſe dicunt: *Timete Dominum ſancti ejus, quia non eſt penuria iis, qui eum timent. Leones penuria premuntur & eſuriunt: qui autem Dominum inquirunt, non carebunt ullo bono.* Poſt illa rurſum qui orando præit, hac precatiuncula, cujus ante mentio eſt facta, alta voce prolata, gratiarum actionem concludit: *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, Rex mundi, qui creas fructum vitis.* Hæc ubi dixit, ex conſecrato poculo, quod manu tenet, paululum bibit, idque mox omnibus convivis ordine deguſtandum præbet, atque ita diſtribuit. Sic initium convivii fit a benedictione calicis, & in eadem terminatur: quem ritum & Chriſtus in ſacra ſua cœna obſervavit, ut eam Lucas Euangeliſta tradit. Atque hæc quidem eſt communis precandi forma, qua hodie Judæi in ſolennioribus conviviis utuntur, niſi quòd pro ratione uniuſcujuſque feſti, alia quædam adhuc adjiciunt, de quibus vide Fagium. Veriſimile eſt autem, Chriſtum quoque quibuſdam, quæ in illis precibus continentur, maximè quod principium & finem attinet, uſum fuiſſe, non autem aliis, quæ a poſterioribus Judæis fuerunt addita. Durat quoque hic mos adhuc hodie apud Judæos, ut habita gratiarum actione pro ſumptis cibis זמירות *zemiroth*, id eſt, *carmina*, ſive *cantilenas* dicant. Secundùm quem morem Chriſtus quoque, peracta ſua cœna, hymnum cum diſcipulis ſuis dixiſſe fertur ab Euangeliſtis. Paulus Burgenſis, vetuſtam Judæorum traditionem atque conſuetudinem fuiſſe dicit, ut comeſo agno Paſchali, Pſalmos, *Laudate pueri Dominum*, cum ſequentibus uſque ad Pſalmum, *Beati immaculati, qui ambulant in lege Domini*, ab 112. ad 119. decantarent, & hunc hymnum eſſe putat, quem hîc Chriſtus cum diſcipulis ſuis cecinerit. Illorum certè Pſalmorum materia cum eo, quod agno paſchali memorabatur, probè convenit, ita ut ſit veriſimile hos ipſos Pſalmos etiam a Domino decantatos fuiſſe. Habent præterea Judæi plures adhuc benedictiones, quibus in feſtivis conviviis utuntur, cum inter edendum lautum aliquid apponitur. Cum enim melius vinum apponitur, dicunt, *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, qui bonus es, & benigne facis omnibus.* Et hanc benedictionem vocant ברכת טוב והמטיב *Bircat tob vehammetib*, id eſt, *Benedictio Benigni & Benefactoris.* Cum Aromata apponuntur, dicunt, *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex mundi, creator arborum aromaticarum:* hanc benedictionem appellant ברכת המוגמר *Bircat hammugmar*, id eſt, *Benedictio conſummati*, ſcilicet convivii, quia ultimo apponi ſolebant aromata aliaque odoramenta, ut & apud nos etiam mos eſt. Cum ſuave odoramentum aliquod apponitur, dicunt, *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, qui creas ſpecies aromaticas.* Hanc benedictionem nuncupant ברכת הכושק *Bircat Hamuſcak*, id eſt, *Benedictio delitiarum*, vel *rei appetitæ.* Cum fructus arborum apponuntur, dicunt, *Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui creas fructus arborum.* Cum apponuntur opſonia, dicunt, *Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui creas genera ciborum:* hanc benedictionem vocant ברכת הפרפרת *Bircat Hapharpharat*, id eſt, *Benedictio opſonii.* Ex his omnibus apparet, veteres illos Judæos nullos cibos abſque benedictione, & gratiarum actione ſumere fuiſſe ſolitos. Huc nimirum & Apoſtolus reſpexit, 1. Tim. 4. cum dicit *omnem creaturam Dei bonam, & non rejiciendam eſſe, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim*, inquit, *per ſermonem Dei & precationem.* Sic 1. Cor. 10. *Sive igitur editis*, inquit, *ſive bibitis, ſive quid facitis aliud, omnia in gloriam Dei facite.* Porrò ſuper carnibus, piſcibus, ovis, oleribus, caſeo, & pulmento nullam benedictionem recitant, de quo tale Rabbinorum præceptum extat: *Res, quæ propter convivium, in convivium afferuntur, non egent benedictione, ut caro, piſces, olera, caſeus, pulmentum.* Obiter quoque hîc indicanda eſſe videtur illa Manichæorum ſuperſtitioſa oratio, qua ante panis eſum uti fuerunt ſoliti, quæ eſt hujuſmodi: *Neque ego te meſſui, neque molui, neque expreſſi, neque in clibanum miſi, ſed alius fecit hæc & attulit mihi, ego ſine culpa comedo.* Hac oratione utebantur eò quod exiſtimabant eum qui panem comederet, neceſſario ipſum quoque eſſe comedendum in panem mutatum. Teſtis eſt Epiphanius libro 2. Tom. 2. *contra Hæreſ.* Utuntur quoque Judæi brevi hac gratiarum actione, Chaldaicis verbis comprehenſa, poſt ſumptum cibum: *Benedictus ſit miſericors, Rex mundi, Dominus cibi:* & pro cibi benedictione ſolent etiam uti Pſalmo 23. *Dominus paſtor meus, ideo in nullo deficiet, &c.* Chriſtum in Euangelio crebro legimus ante cibi ſumptionem preces ad Deum fudiſſe, id quòd vocibus εὐλογεῖν, & εὐχαριστεῖν exprimitur, ut Marci 8. Chriſtus εὐχαριστήσας, & εὐλογήσας *fregit panes & piſciculos, populoque diſtribuit.* Item Matt. 14. *Acceptis quinque panibus & duobus piſcibus* ἀναβλέψας εἰς οὐρανὸν εὐλόγησεν, hoc eſt, *ſublatis in cœlum oculis, benedixit:* ubi Theophylactus εὐλογεῖ τοὺς ἄρτους τάχα μὲν καὶ ἵνα πιστώσηται ὡς οὐκ ἀντίθεός ἐστιν, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ πατρὸς ἦλθε, καὶ οὐρανόθεν, ἅμα δὲ καὶ ἵνα παιδεύσῃ ἡμᾶς ἁπτομένους τραπέζης εὐχαριστεῖν, καὶ οὕτως ἐσθίειν. Hoc eſt, *conſecrat: ſive benedicit panes, forſan ut fidem faceret, ſe non eſſe inimicum Deo, ſed a patre atque e cœlo prodiiſſe, ſimulque me doceret, ut menſam attingentes gratias prius agamus, ac deinceps cibum capiamus.* Idem in Marco capite ſexto, *In cœlum*, inquit, *ſuſpicit, ut nos doceat cibum a Deo petere & non a Diabolo, id quòd faciunt illi, qui injuſtis opibus aluntur: ſimulque turbæ illi ſignificare voluit ſe non eſſe Dei hoſtem, ſed Deum invocare.* Chriſti conſecratio menſæ. Εὐλογεῖν.

Eustathius in illa Homeri de Achille precante,

Εὔχετ' ἔπειτα μέσῳ στὰς ἕρκεϊ, λεῖβε δὲ οἶνον
Οὐρανὸν εἰσανιδών. ----

Cœlum intueri inter precandum. *Locum*, inquit, *indicat, quò mittuntur preces. Non enim ad terrestrem Jovem preces fundit, sed cœlestem: unde ait*, ζεῦ ἄνα, *ad significandum* τὸν ἄνω τόπον. *Sic etiam* ἀνερύειν τὰ θυόμενα, *significant, ad quem respiciunt ea quæ mactantur, nimirum* τὸν ἄνω. *Verbo autem* εὐλογεῖν *pulchrè respondet* εὔχεσθαι καὶ εὐχὴ, παρὰ τὸ εὖ χεῖν, ἤτοι ῥεῖν λόγους, id est, *quoniam verba bene funduntur, sive fluunt. Vel potiùs* παρὰ τὸ ἔχεσθαι τοῦ εὖ, ἤτοι τοῦ ἀρίστου, τοιοῦτον γὰρ ἡ πρὸς τὸ θεῖον ἀνάτασις δι' εὐχῆς, *quoniam precationibus quis conjungitur, & agglutinatur ei, quod est bonum seu optimum*, hoc est, *divino numini. Potest etiam* εὐχὴ *dici*, ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν, *cujus contrarium* δυσανασχετεῖν. ὁ μὲν γὰρ εὐχόμενος ὁπωσοῦν εὖ ἔχει ἐφ' ᾧ ποιεῖ, ὁ δὲ δυσανασχετῶν, δυσκόλως ἔχει, id est, *Nam qui precatur, is bene se habet: secus si quis fecerit, malè se habet.* Hæc Eustathius Ὀδ. μ. quæ precationis vim, usumque egregiè exprimunt. Porrò εὐλογῆσαι Suidæ ἐπαινέσαι, ὑμνῆσαι, ἐγκωμιάσαι, hoc est, *laudibus celebrare.* Idem, εὐλογοῦντες μὲν οἱ ἄνθρωποι τὸν θεὸν λόγους αὐτῷ προσφέρουσι μόνους, ἔργῳ δὲ αὐτὸν εὐεργετῆσαι οὐ δύνανται· ὁ δὲ θεὸς εὐλογῶν, βεβαιοῖ τοὺς λόγους τῷ ἔργῳ, καὶ παντοδαπὴν παρέχει φορὰν ἀγαθῶν τοῖς εὐλογουμένοις, Hoc est, *Homines benedicentes Deum, verba illi solùm offerunt, reipsa autem illi benefacere non possunt: at Deus benedicens reipsa atque facto verba confirmat, & omnis generis bona largitur illis, qui ab illo benedicuntur.* Huic verbo εὐλογεῖν respondet verbum Hebræorum ברך *Berek*, quod similiter alia significatione Deo, alia hominibus tribuitur. Philo in lib. *de vita theoretica*, similiter mentionem facit precum, quæ apud Judæos initio cœnæ fieri solitæ fuerunt: προσεύχονται, inquit, *sublato in cœlum vultu, atque manibus*, θυμήρη γενέσθαι, καὶ κατὰ νοῦν ἀπαντῆσαι τὴν εὐωχίαν, *ut ex animi voto convivium succedat: absolutis precibus, seniores discumbunt.* Hic porrò mos precandi ante cœnam, & illa finita a Judæis ad Christianos promanavit, de quo sic Polydorus Virgil. *Nostris*, inquit, *mos est mensam jam instructam sacris quibusdam sanctificare verbis, priusquàm vesci incipiant, quòd ad imitationem Christi fit: quippe qui eum ritum servasse fertur, cùm in deserto quinque panes, cùm in Emauso coram duobus discipulis mensam sanctificavit.* Præterea usus agendi gratias post sumptum cibum, id quòd & illum facere consuevisse constat, & Apostolus fieri præscripsisse videtur: qui ait, *Bonum esse quodcunque cibariorum genus, si cum gratiarum actione sumatur.* Potest & ab Hebræis videri mutuò sumptum, quia illi immolatas edebant escas.

Εὐχὴ unde dictum.

Εὐλογεῖν quomodo Deus, & homines dicantur.

Christianorum consecrationes mensæ.

Christianorum priscorum mos. Patrum testimonia de consecratione mensæ. Tertullianus de Agapis primitivæ Ecclesiæ verba faciens *Apol.* 3.9. *Oratio*, inquit, *auspicatur, & claudit cibum.* Huc facit *Distinct.* 44. C. *Nullus. Quando autem conveniunt Presbyteri ad convivium aliquod aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat: & tunc secundùm ordinem sedeant, alteri honorem præbentes, & per cibum & potum benedicant, & aliquis illorum aliquid de sancta scriptura legat. Post refectionem similiter hymnum dicant, ad exemplum Domini, sicut in Cœna fecisse legitur, &c.* D. Hieronymus *ad Eustochium* Tomo I. de consecratione mensæ sic scribit: *Unde nobis sollicitis providendum est, ut solennem diem non tam ciborum abundantia, quàm spiritus exultatione, celebremus. Quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare martyrem* (Petrum intelligit in cujus natali hæc scripserat) *quem scias Deo placuisse jejuniis. Ita tibi semper comedendum est, ut cibum & oratio sequatur, & lectio.* Id paulò ante in Epist. *ad Marcellam* D. Ambrosii exemplo confirmat, quoniam dicit in Epistola quadam scripsisse, nunquàm se cibum, Origene præsente, sine lectione sumpsisse: nunquam iniisse somnum, nisi unus e fratribus sacris litteris personaret. D. Joannes Chrysostomus, cùm Annam Samuelis Prophetæ matrem, post epulas intentè Deum orasse dixisset, *ut illi sterilitatem solveret*, hæc subjicit, *Hoc igitur a fœmina lucro consecuti sumus, ut sciamus & post convivium orare. Quisquis enim ad hoc præparatus fuerit, nunquam in ebrietatem aut vinolentiam incidet, nunquam edacitate distendetur, sed quoniam expectationem præconis habet freno imposito animo, conveniente mensura attinget ex omnibus, quæ fuerint apposita, multaque benedictione tum animam, tum corpus implebit. Siquidem convivium, quod a precatione cœptum, in precationem desinit, nunquam deficiet, sed quovis fonte uberius nobis omnia afferet bona. Ne igitur tantum negligamus lucrum. Absurdum enim fuerit, si quum famuli nostri, si quando partem aliquam eorum, quæ nobis apposita sunt, acceperint, nobis gratias agant, beneque nobis precantes, abeant: nos, cùm tot tantisque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo persolvamus, præsertim cùm hinc multam simus consecuturi securitatem. Ubi enim precatio & gratiarum actio, eò sancti Spiritus advenit gratia, abiguntur Dæmones, & omnis adversaria potestas diffugit, ac discedit. Qui se conversurus est ad orandum, non audet quicquam absurdè loqui, ne in medio quidem convivio: aut si loquutus fuerit, mox resipiscit. Proinde oportet tum in initio, tum in fine convivii gratias agere Deo, ob hanc præcipuè causam, quòd quemadmodum dicere cœperam, haud facilè prolabentur in ebrietatem, si nos ipsos in consuetudinem constituerimus. Quin, si quando surrexeris crapula potuque gravatus, ne sic quidem abjicies consuetudinem, &c.* Veteribus in usu fuisse non prius ordiri epulas, quàm Sacerdos, aut seniorum aliquis cibis precibus suis benedixisset, argumento est illud 2. Sam. 9. vers. 13. ubi Sauli interroganti de Samuele responsum est: *Cùm veneritis in civitatem, illicò invenietis eum, priusquam ascendat ad excelsum ubi comedet: neque enim populus comedit, donec ille veniat: nam ipse benedicit hostiæ, postea comedunt invitati.* Prudentius hujusmodi sanè piam elegantemque precandi formulam ante prandium composuit:

Precandi formula ex Prudentio.

Christi prius genitore potens,
Huc nitido, precor, intuitu
Flecte salutiferam faciem,
Fronte serenus, & irradia,
Pocula ni prius, atque cibos

Christe tuus favor imbuerit.
Omni sanctificante fide
Fercula nostra Deum sapiant.
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.

Te

Te sine dulce nihil Domine:
Nec juvat ore quid appetere,
Christus & insinuat in patinas,
Seria, ludicra, verba, jocos,
Denique quod sumus, atque agimus.
Trina superna regat pietas.

Sic autem gratiarum actionem idem prosequitur:

Pastis visceribus, ciboque sumpto
Quem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem lingua Deo patri rependat.
Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum,
Grates reddimus, & sacramus hymnos.

Sunt hujus generis complures precandi formulæ apud probatissimos auctores, cujusmodi etiam in Bibliis reperiuntur. Sic piæ & devotæ benedictiones, atque gratiarum actiones in rythmos conjectæ ante, & post mensam dicendæ, vel canendæ, Germanicæ atque Latinæ excusæ sunt Tegemseæ, anno 1576. Verùm omnium optima, perfectissima, & ad impetrandum efficacissima censeri debet illa precandi forma, quæ ab ipso Christo præscripta est: quæ quidem mira verborum paucitate, sex, septemve concisa membris, magna mysteria complectitur, omniaque ea, quæ vel ad Dei gloriam, vel nostram necessitatem, atque salutem spectant, vel etiam proximi emolumentum. Hæc igitur precatio omnium precationum caput est, norma, regula, atque compendium. Oratio Dominica.

Porrò mensæ benedictionibus veterem Ecclesiam usam fuisse, cùm ex iis, quæ jam antea posita sunt, tum ex iis, quæ sequuntur, apparet. Chrysostomus non semel mentionem facit benedictionis mensæ, quæ usitata fuerit monachis per Ægyptum: cujus etiam descriptio extat apud Clementem lib. 7. *constitutionum*. In Horologio verò Græcæ Ecclesiæ integra formula hujus benedictionis describitur. Primò, antequam cibi apponantur, legitur totus Psalmus 145. *Exaltabo te Deus meus, rex, & benedicam nomini tuo in seculum, &c.* Deinde appositis cibis, recitatur a Sacerdote benedictio mensæ, & quæ apposita sunt, ita benedicuntur: *Christe Deus noster, benedic cibo, ac potui servorum tuorum: quoniam tu es sanctus & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.* Postea quando cibum gustarunt in mensa, surgunt, & simul omnes recitant illam benedictionem, cujus & Clemens, & Chrysostomus mentionem faciunt: *Benedictus es Domine Deus* (ὁ ἐλεῶν) *qui misereris nostri, & pascis nos a juventute nostra: qui das escam omni carni, reple gaudio & lætitia, seu hilaritate* (σωφροσύνῃ) *corda nostra, ut semper omnem habentes sufficientiam* (αὐτάρκειαν) *seu habentes in omnibus animum præsentibus contentum, exuberemus* (περισσεύωμεν) *in omne opus bonum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor, virtus, seu imperium,* (κράτος) *adoratio, cum sancto spiritu, Amen.* Post sumptum cibum, primò recitatur hæc Gratiarum actio: *Gloria tibi sancte, gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas ad lætitiam, imple nos etiam Spiritu sancto, ut inveniamur in conspectu tuo accepti, & non confusi seu pudefacti* (αἰσχυνόμενοι) *quando reddes unicuique secundum opera sua.* Deinde legitur Psalmus 122. *Lætatus sum in his, qui dicunt mihi, in domum Domini ibimus.* Postea additur hic versus: *Sicut in medio discipulorum tuorum* (cœnantium) *adfuisti Salvator, dans ipsis pacem: ita veni etiam ad nos, & salva nos.* Tandem legitur ex Psalmo 22. *Edent pauperes, & saturabuntur: laudabunt Dominum qui quærunt eum, usque ad finem,* Κύριε ἐλέησον. Concluditur demum hac precatiuncula: *Benedictus es Deus, qui misertus nostri, ex opulentis donis tuis pavisti nos. Ejus gratia & benignitate* (φιλανθρωπίᾳ) *detur nobis frui, & nunc & semper, in secula seculorum, Amen.*

In Latina Ecclesia fuit forma benedictionis mensæ fermè similis. Hæc scilicet: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria patri, & filio, &c.* Sicut erat in principio, Κύριε ἐλέησον, *&c. Pater noster*, &c. *Benedic Domine nos, & tua dona, quæ de tua largitate sumpturi sumus, per Christum Dominum nostrum. Mensæ cœlestis participes faciat nos, Rex æternæ gloriæ.* Post sumptum cibum: *Confiteantur tibi omnia, Domine, opera tua, & sancti tui benedicent tibi. Gloria patri. Agimus tibi gratias omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis & regnas in secula seculorum, Amen.* Deinde legitur Psalmus 51. *Miserere mei Deus, &c.* Et subjiciuntur versus: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. In Domino gloriabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. Magnificate Dominum meum, & exultemus nomini ejus in idipsum. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & usque in secula. Deus det nobis suam pacem.* In cœna recitantur hi versus: *Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Vivent corda eorum in seculum seculi. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Gloria patri, & filio, & spiritui sancto. Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui vivit & regnat in secula seculorum. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini in æternum. Gloria patri, &c.*

Hujusmodi ferè consecrandi mensam formulis hodie quoque Catholici, sive Pontificii utuntur, addito crucis signaculo: quòd quidem apud Primitivæ Ecclesiæ Christianos in quotidiana vitæ consuetudine valdè usitatum fuisse constat. Hinc Tertullianus lib. *de Corona militis*: *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum: ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubile, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætendetur auctrix: consuetudo confirmatrix: & fides observatrix.* Idem libro secundo *ad uxorem*: *Latebisne tu cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas, &c.* Catholicorum mensam consecrandi ritus.

Habent

Catholici certas & peculiares quasdam certarum rerum benedictiones, & generalem cujuslibet creaturæ consecrationem, habent.

Rationes quas propter in conviviis sunt adhibendæ preces.

Habent præterea Catholici hodie certas & peculiares quasdam certarum rerum, ut aquæ, frondium, atque florum, agni Paschalis, lactis, mellis, casei, panis, & laganorum, ovorum, pernarum, vini, benedictiones: & generalem quandam cujuslibet creaturæ consecrationem, in quibus expressis conceptisque verbis petunt, ut Diaboli vis ac potestas ex iis expellatur, & per has consecrationes fiat sanitas mentis, atque corporis. In die Resurrectionis consecrant lac, mel, carnes, caseos, ova, panes, pernas, &c. quas res consecratas etiam vendunt tanquam ad salutem animarum utiles. Sic in die Ascensionis S. Mariæ consecrant herbas, plantas, radices, fructus arboreos, quibus deinceps singularis adsit vis divina. In die Joannis benedicunt vino, quasi prius fuerit impurum, & maledictum. In die S. Stephani pascuis benedicunt. In die S. Marci, segetibus. Omnino 1. ad Timoth. 4. vult Paulus verbum Dei, &, quæ inde proficiscitur, precationem, & gratiarum actionem in usu ciborum a fidelibus adhiberi: cujus sanè rei hæ a Theologis, & quidem optimæ, gravissimæque rationes afferuntur.

Primò, ut admoneantur ne cibos, vel pecorum vel infidelium instar, sine piis cogitationibus sumant: sed ex ipsius Dei larga, munificaque manu se illos capere cogitent, qui quidem corporum nostrorum curam gerens, iis alimoniam bonam ac salutarem præbet.

Secundò, ut commonefiamus Adamum donationem illam divinam (Genes. 1.) nobis per lapsum (Genes. 3.) amisisse, & nos propter peccata, propter abusus, & ingratitudinem, indignos esse illis etiam corporalibus donis: sed per, & propter Christum donationem illam nobis restitui, qui etiam idcirco panes in manus suas sumpsit, & post benedictionem seu gratiarum actionem, ex suis manibus jussit populo dividi, & apponi. Inde in benedictione mensæ dicitur, *Per Jesum Christum Dominum nostrum.*

Tertiò, ut habeant fideles certum testimonium, & privilegium, se iis absque offensione Dei, & læsione conscientiæ uti posse.

Quartò, ut precatione agnoscamus, & fateamur benedictionis divinæ esse, ut usus cibi corpori & valetudini utilis sit ac salutaris, sicut inquit Psalm. 104. *Aperiente te manum tuam, omnia implentur bonis, ut vinum exhilaret, & panis confirmet cor hominis.* Et Psalm. 145. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione, seu beneplacito.*

Quintò, quia in usu ciborum facilè admittitur vel abusus, vel intemperantia, ne igitur ita edamus sicut Epulo ille Luc. 16. qui postea audit: *Recepisti bona tua in vita tua.* Vel sicut inquit Psalm. 17. de viris mundi, quorum *pars est in hac vita, ut venter ipsorum impleatur.* Et Jeremiæ duodecimo cap. *saginantur ut oves ad diem occisionis.* Ideò additur verbum & oratio, ut juxta dictum Salomonis Eccles. 4. *Edamus in lætitia panem nostrum, ut Deo placeant illi ipsa etiam opera nostra.* Et sicut Job. cap. 1. post convivia filios suos sacrificiis sanctificabat, si quid fortè peccassent. Utque moneamur in ipso usu cibi corporalis cogitandum esse non tantùm ut edamus & saturemur, sed ut operemur etiam cibum, qui non pereat, sed permaneat in vitam æternam, quem filius hominis nobis dat: Joan. 6. vel sicut Luc. 14. dicitur, ut cogitemus etiam de edendo pane in regno cœlorum.

Sextò, quia in saturitate facilè evenit, quod scriptum est, *Sedit populus edere, & bibere, ac surrexit ludere.* Item; *impinguatus, & recalcitravit,* ideò additur oratio & gratiarum actio, ut juxta quòd scriptum est Deut. 8. *cùm comederis, & saturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, ne postquàm comederis, & saturatus fueris, elevetur cor tuum, & obliviscaris Domini tui:* vel Esa. 5. *opus Domini non respicitis, & opera manuum ejus non consideratis.* Hæ sunt rationes gravissimæ, propter quas preces conviviis sunt adhibendæ, quibus addere licet illud Ecclesiastici cap. 32. *A mensa surge etiam in tempore, & non sis ultimus, sed festinans domum te recipe, & lude ibi, & facito quod libet: ita tamen, ut nihil patres mali, neque tumultueris: sed age gratias pro omnibus creatori tuo, qui te condidit, & opibus suis saturavit.* Hæc ille. Quod si convivii domino, & quidem meritò gratias agimus, quòd nobis cibum, potumque præbuit: quantò magis illi Domino dominorum, patri atque pastori nostro cœlesti ac munificentissimo, gratias & agere, & habere debemus, cujus immensa & infinita benignitate alimur, atque pascimur? *Cibo enim implet Deus, & lætitia corda hominum, benefaciens etiam incredulis,* Act. 14. Damnanda itaque meritò est Christianorum quorundam (si digni sunt hoc tam augusto nomine) consuetudo impia & prophana, qui pecorum instar ad cibum capiendum irruunt non præmissis precibus, indeque rursus sine gratiarum actione sese proripiunt, id quòd impiæ sanè ingratitudinis erga Deum manifestum est indicium. Multi pro precibus piis, potius utuntur imprecationibus, execrationibus, atque blasphemiis diris, & horrendis. Multi etiam ita se cibo vinoque immoderato ingurgitant, & obruunt, ut nihil amplius Christiani hominis officio dignum vel loqui, vel etiam cogitare possint. Atque adeò ipsas aviculas videmus habere plus rationis, quàm impuros illos homines: quæ postquàm cibo expletæ, & saturatæ fuerint, voces gutture suo fundunt suaves, atque canoras, quibus Deo conditori, & altori suo quasi gratias agunt. Mirum itaque profectò non est, alimenta nostra sæpè in corporis nostri perniciem converti: meretur namque id impia nostra, atque nefaria erga Deum ingratitudo. Gentes quoque nonnullæ veræ religionis expertes & olim, & hodie quoque feruntur non nisi precibus sacrisque adhibitis, cibum sumere. Naucratitarum memorabile est exemplum, (qui fuerunt incolæ Naucratidis urbis Ægypti, teste Stephano, a Milesiis conditæ, ut testis est Strabo libro 17.) hi, ut Athenæus refert lib. 4. καὶ κατακλινθέντες ἐπανίστανται εἰς γόνατα, καὶ ἱεροκήρυκος τὰς πατρίους εὐχὰς καταλέγοντος συσπένδοντες, hoc est, *etiam post discubitum surgebant rursus, atque in genua procidebant, & praeunte præcone, seu sacrorum administro, patrias quasdam preces simul profundebant, quibus absolutis, denuò mensæ accumbebant.* Huc quoque facit illud T. Livii Decad. 4. lib. 9. ubi, postquàm narravit quendam Placentiæ L. Quintii Flaminii Consulis Rom. jussu in ipso epulo securi fuisse in scorti

Ecclesiastes

NOTA.

Ethnici quoque precibus usi in cibo capiendo.

Naucratitarum exemplum.

cujus-

cujusdam gratiam percussum, addit facinoris illius amplificandi gratia: *Commissum est facinus hoc sævum atque atrox inter pocula, atque epulas, ubi libare Diis dapes, ubi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis in sinu Consulis recubantis mactatam humanam victimam, & cruore mensam respersam.* Julianus Imp. cùm Daphnen (quæ fuit Antiochiæ amœnissimum suburbium) ad publicum epulum venisset, Sacerdos Apollinis, atque æditui cibum imperatorium priùs lustrasse dicuntur, testis Sozomenus eccl. *histor.* lib. 3. cap. 14. Quoniam sacrificiis preces semper ab Ethnicis adhibebantur, λιταὶ dictæ sunt θυσάδες a Sophocle, id est *preces*, cum sacrificiis adhibitæ: & ἀρνὸν, & ἀρνὶ (per syncopen ἀπὸ τοῦ ἀρῶ, ἀρῶμαι) id est, *agnum* volunt dictum ἀπὸ τῆς ἀρᾶς, id est, εὐχῆς· quia ἐν εὐχαῖς παρελαμβάνετο τὸ ζῶον θυόμενον, quoniam cum votis atque precibus sumebatur bestia mactanda, & quia aliâs optabilis est pecorum possessio, hæc Eustathius Ιλ. α. Eodem spectat proverbium illud, *ne a chytropode cibum nondum sacrificatum rapias*: *quo*, interprete Erasmo, *monemur, ne ritu pecudum ad cibum capiendum irruamus, sed ita demum edamus, si prius inde primitias Diis immolaverimus. Antiquitus enim, ut auctor est Plutarchus in Symposiacis, inter res sacras habebatur mensa quotidiana, ac proinde cibum sumpturi, Diis consecrabant* τὰς ἀπαρχὰς, hoc est, *primitias: ac deinde non indecore, neque tumultuanter, sed religione quadam ad convivium accedebant non aliter, quàm ad sacrum epulum: qui mos & hodie durat apud bene moratos Christianos*, Hæc ille. Turcas quoque antequam cibum sumant precationem præmittere, testis est Bartholomæus Georgevix. Apud Calecutienses monstrosus traditur esse hujusmodi mensam execrandi potiùs, quàm consecrandi mos ac consuetudo. Rex illorum cibum sumpturus prius non discumbit, quàm quaterni Sacerdotes regias dapes Dæmoni in hunc fermè modum obtulerint. Nam passis manibus, eisdemque supra verticem elatis, ac sensim utraque manu a se retracta, pollice tantùm prominente, Idolo esculenta, quibus Rex vesci debet, offerunt, ac ibi tantisper opperiuntur, donec non sit vero absimile quempiam esse potuisse. Ea adducti ratione id agunt, ne Rex quicquam sumere velle videatur, quòd Idolo honoris gratia non prius sit oblatum, testis est Ludovicus Romanus. His ferè similia sunt quæ de Lituanis & Samogitis narrantur. Hi enim in domibus sub fornace, vel in angulo vaporarii ubi mensa stat, serpentes fovent, quos Numinis instar colentes (en antiqui illius atque tartarei serpentis astutiam) certo anni tempore precibus sacrificuli evocant ad mensam. Hi verò exeuntes, per mundum linteolum conscendunt, & super mensam assident: ubi postquam singula fercula delibarunt, rursus descendunt, seque abdunt in cavernis. Serpentibus digressis, homines læti fercula illa prægustata comedunt, ac sperant illo anno omnia prosperè sibi eventura. Quod si ad preces sacrificuli non exierint serpentes, aut fercula super mensam posita non delibaverint, tum credunt se anno illo subituros magnam calamitatem. Quòd si igitur Ethnici, Turcæ, Calecutienses, non nisi precibus adhibitis epulari, & cibos impuris illis suis Diis, seu potius Dæmonibus consecrare solent, quantò magis nos Christianos in vera religione natos, & educatos decet, cùm in omnibus aliis actionibus, tum in epulis quoque, verum Deum invocare, illique pro acceptis muneribus atque beneficiis gratias agere? *Si Ethnicis*, inquit Erasmus *in colloq. religiosa erat mensa: quanto magis oportet esse sacram Christianis, quibus habet imaginem quandam illius sacrosancti convivii, quòd Dominus Jesus postremum egit cum suis discipulis. Et ob id receptum est, abluere manus, ut si quid odii, livoris, aut turpitudinis alicui forsitan resideat in animo, id ejiciat ante, quàm accedat ad cibum capiendum. Hoc exemplum nobis ab ipso Christo traditum est, ut ab hymno cibum auspicaremur, & rursus hymno finiremus.* Hæc Erasmus.

Preces in sacrificiis adhibitæ.
Λιταὶ θυσάδες.
Ἀρνός.
Proverbium.
Turcarum mos.
Calecutiensium mos horribilis.

Hoc autem precandi, mensamque consecrandi munus aliquando obeunt Ecclesiæ atque Sacrorum Antistites: (ut in Imperatorio epulo mensam consecrant Archiepiscopi, Treverico verbis præeunte, cui reliqui duo respondent) aliquando liberi patrisfamiliâs: aliquando ipse paterfamiliâs: nonnunquam etiam convivarum aliquis, qui cæteris ætate, & auctoritate est superior.

Cœnæ Dominicæ consecratio.

Porò si prophanis quoque epulis preces debent interponi, quantò magis sacrosancto illi epulo Dominico preces piæ, sanctæ, & ardentes & præmitti, & illud comitari, ac denique consequi debent? Et hæc est, quæ vulgo dicitur, Cœnæ Dominicæ benedictio, sanctificatio, aut consecratio. Atque hic quidem fuit antiquissimus sanè, laudabilissimusque Christianorum primitivæ Ecclesiæ mos, quemadmodum Justinus, Irenæus, Dionysius, Augustinus, & alii testantur. Justinus *Apologia* 2. tradit, post lectionem & interpretationem scripturæ, omnes κοινῇ ἀνίστασθαι καὶ εὐχὰς πέμπειν, hoc est, *consurgere, & preces fundere fuisse solitos*, sive ut ibidem loquitur, αἶνον, καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπειν, καὶ εὐχαριστίας ποιεῖσθαι, &c. His finitis, & vinum Præposito afferebatur, qui εὐχὰς ὁμοίως, καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει. Hoc est, *pro sua virili preces, gratiarumque actiones Deo offert*: καὶ ὁ δῆμος ἐπευφημεῖ λέγων τὸ ἀμὴν, Hoc est, *quibus finitis, populus fausta acclamatione dicit Amen.* Has preces deinceps sequitur διάδοσις καὶ μετάδοσις, hoc est, *distributio panis, atque vini.* Et hinc ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, hoc est, *ob has preces hic cibus, mentis nimirum, non veneris, Eucharistia sive Gratiarum actio appellatur.* Post communionem commonefacimus nos invicem de dilectione, & conjunctione fraterna, & contribuimus eleëmosynas, quibus egentibus subventatur. Et ἐπὶ πᾶσί τε οἷς προσφερόμεθα εὐλογοῦμεν τὸν ποιητὴν τῶν πάντων, hoc est, *super omnibus illis, quæ offeruntur, benedicimus patrem factorem omnium*, per Filium & Spiritum sanctum. Hujusmodi verò precum antiquitùs in celebratione Cœnæ Dominicæ adhibitarum, mentionem faciunt etiam Irenæus lib. 4. Dionysius Areopagita, Augustinus epistola 59. *ad Paulinum*, explicans illud Pauli 1. Timoth. 2. de precationibus, &c. Chrysostomus *Homilia* decima octava in 2. ad Corinth. & in 1. Timoth. 2. Tertullianus in *Apologetico*, Ambrosius *de consecratione* 2. cap. Propter has ergò præeuntes, & subsequentes actionem cœnæ Dominicæ a tota Ecclesia conceptas pastore præeunte preces, ipsa cœna Dominica, & εὐχαριστία, & etiam *sacrificium*, sive *oblatio* a veteribus fuit appellata, ut Theologis nonnullis placet.

cet. Et hæc de mensæ benedictione seu consecratione satis sint dicta: quæ quidem post primam ferculorum appositionem ferè fieri consuevit, & id certè etiam decoro videtur esse consentaneum, ut non, nisi appositis cibis fiat. Huc postremò etiam referri debent illæ benedictiones, seu precationes faustæ, quibus & convivæ singuli, dum primùm adveniunt, vel mensæ accumbunt, vel de mensa surgunt, & illi qui fercula apponunt, uti solent, cujusmodi est illa Germanis usitata precandi formula, Gott gesägne es / oder es gesägne es Gott/ hoc est, *Deus vobis cibum hunc benedicat.*

CAPUT XXXVII.

DE LIBATIONIBUS ANTE ET POST EPULAS ADHIBITIS, DE ILLARUM NOMINIBUS, MATERIA, CAEREMONIIS, INSTRUMENTIS, USU.

Ἀπαρχαὶ, & σπονδαὶ sive λοιβαὶ Ethnicorum veterum.

Ad precationes porrò videntur referendæ Ethnicorum veterum ἀπαρχαὶ, hoc est, *primitiæ*, & σπονδαὶ, sive λοιβαὶ, hoc est, *libationes*, quibus illi in deorum suorum honorem ante, & post convivium uti consueverunt, Athen. lib. 4. καὶ περὶ τῆς θοινάσεως ἣ ἃ δεῖ ποιεῖν ἡμᾶς διδάσκει πάλιν ὅμηρος, ἀπαρχὰς τῶν βρωμάτων νέμειν τοῖς θεοῖς, id est, *Homerus præterea quæ ante convivia nobis sint facienda docet, Diis nempe primitias ciborum esse persolvendas*, exempla passim occurrunt. Hæc Plato quoque *in conviviis*, ut idem Athenæus monet, observavit: μετὰ γὰρ τὸ δειπνῆσαι σπονδάς τε φησὶ ποιῆσαι, καὶ τὸν θεὸν παιωνίσαι τοῖς νομιζομένοις γέρασιν, hoc est, *post cœnam & libamina diis offeruntur, & carmine Deum statutis honoribus celebrant*, id quod a Xenophonte quoque traditur. Sic Christus quoque, si licet sacra miscere prophanis, post sacrum illud suum epulum hymnum in patris sui cœlestis honorem unà cum discipulis suis cecinisse scribitur. Apud Epicurum autem οὐ σπονδὴ, οὐκ ἀπαρχὴ τοῖς θεοῖς, hoc est, *neque libatio, neque primitiæ diis offeruntur*: sed, ut Simonides inquit, *de muliere* ἀκόσμου, ἄθυτα δ' ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει, hoc est, *illibata sæpe sacra devorat.* Turnebus in suis *Adversariis* in illa Flacci,

> *Ante larem proprium viscos, vernasque procaces,*
> *Pasce libatis, dapibus, &c.*

Libare dapes quid.

Hæc annotat: *Ego hoc crediderim referendum ad antiquorum pietatem, qui partem cœnæ lari diisque donabant, ea in focum mittebant lari sacrum, ut constat, id enim erat libare dapes. Ex ea consuetudine, ut arbitror, scribit Varro, ut a Marcello citatur: Quocirca oportet bonum civem legibus parere, & deos colere, in patellam dare* μικρὸν κρέας. *Et Cicero de Finibus: Atqui reperiemus Asotos primùm ita non religiosos, ut edant de patella, id est, ut edant ea, quæ Diis e cœna libata sunt.* Sed ritus ille optimè intelligetur e Plutarcho, ita in libello *de Fortuna Rom.* scribente: *Ocresiam virginem*, inquit, *identidem primitias, & libationes a regia mensa accipere, & ea ad focum perferre consuevisse, cumque aliquando pro more ea in ignem injiceret, &c. Ad hunc itaque morem alludens, ea se castitate, & sanctimonia ruri dicit cœnare Horatius, ut dapibus, nisi ante Deo piè libatis, vesci non soleat. Inde & Dii patellarii a Plauto festivè jocante sunt dicti, quibus in patella libabatur, non magna sacrificia fiebant. Tales dii erant in larario domestici penates, & lares.* Hæc ille. Verùm operæpretium erit hîc de libationibus, quæ cùm in sacrificiis, tum in fœderibus, tum in conviviis adhiberi olim consueverunt, paulò copiosiùs scribere. Libationes partim religiosas & in sacris, partim prophanas, & prophanis in epulis adhiberi fuisse solitas, Macrobius testatur lib. 3. *Sat.* cap. 11. de quo suprà in tractatu *de mensis*. Verùm ut ordine procedat hæc nostra tractatio, primò de nominibus agemus.

Dii patellarii. — Libationum divisio.

Libationum nomina. Σπένδειν. Σπένδεσθαι. Ἐσπεικός.

Græci duo habent vocabula quibus actionem hanc exprimunt, ea sunt σπένδειν, & λείβειν, quæ secùndum nonnullos videntur a se invicem differre: cùm tamen apud Homerum & alios auctores sæpissimè confundantur. Ac σπένδειν quidem (cujus prototypon secundum Heraclidem, teste Eustathio, est σπείδειν, unde Futurum σπείσειν, & σπεῖσαι) Hesychius exponit ἐκχέαι, προσενέγκαι, θῦσαι θεῷ, hoc est, *effundere, offerre, sacrificare Deo*: & apud eundem σπένδεσθαι passim pro θύεσθαι. Sic ἐσπεικὸς à Suida exponitur pro τεθυκώς. Paulus 2. Philippen. ἀλλ' εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, hoc est, *etiamsi pro libamento offerar super hostia, sacrificioque fidei vestræ.* Alludit Paulus ad morem vinum libandi, hoc est, effundendi super victimam, ut significet se paratum esse similiter suum sanguinem libare, sive profundere pro illorum fide, quæ sit optimum sacrificium, sive pro Christo, qui sit hostia illa verè piacularis, quam illi fide apprehenderint, atque colant. Idem verbum præsertim in passivo, sæpè pro fæderis contractu usurpatur, quod sacrificiis, & libationibus intercedentibus fieri consuevit. Hinc σπονδὴ, *libatio*, sæpe etiam pro fœdere usurpatur: & σπονδὰς ποιεῖν, sive ποιεῖσθαι, & *libare*, & *fœdus inire* significat. σπονδὰς τοῖς θεοῖς ποιεῖσθαι, Xenophon. *Pædag.* 4. & ποιεῖν, Platoni idem quòd σπένδειν τοῖς θεοῖς. Et ἄσπονδος, *fœderis expers*, ἔκσπονδος, *a fœdere exclusus*, ἔνσπονδος, confœderatus, παράσπονδος: *fœdifragus.* σπονδὴ aliquando non tam *libationem*, quàm *libamen*, aut *libamentum*, id est, vinum, quod libatur significat.

Alterum est λείβειν, sive λίβειν, sive λοιβᾶσθαι. Hesychius, σπένδειν, & ἐκκινεῖν. Galenus scribit propriè significare τὸ στάζειν, id est, *stillare.* Unde λοιβὴ θυσία οἴνου, ut Hesychius exponit, δι' ὑγρῶν θυσία,

θυσία, hoc eſt, *ſacrificium quòd fit per humida.* Euſtathius Ιλιαδ. η. in illa Homeri,

> Οἶνον δ' ἐκ δεπάων χαμάδις χέον,

Poëta, inquit, *interpretatur* λείβειν, *quaſi idem ſit* ἐπὶ σπονδῆς λείβειν, & χέειν: *unde etiam* νεκρικὴ χοὴ. λοιβὴ *apud Sophoclem dicitur in illis verbis*, τύμβον λοιβαῖσι σέβω. Idem Οδ. γ. λείβειν idem eſſe, quod σπένδειν illud indicat, quod ſtatim ſubjungit,

> Αὐτὰρ ἐπεὶ σπεῖσάν τ' ἔπιόν θ' ὅσον ἤθελε θυμός.

Id quod potionis juſtæ, atque ſufficientis eſt indicium. Conſtat etiam paſſim idem eſſe λείβειν, καὶ ἤβειν, & Jonicum, atque Æolicum eſſe τὸ εἴβειν, derivatum a λείβειν, ut vox αἰψηρὸς a λαιψηρός. Ἐκ τοῦ δὲ εἴβειν, εἴβη-μος ὑσάζων. Hæc duo porrò verba libationem Græcis ſignificantia, licet, ut Euſtathius annotat in illa Homeri verba,

> Ἐπεὶ δ' αἴθοπα οἶνον λεῖβε,

idem videantur ſignificare: tamen illorum denominativa nonnihil a ſe invicem differunt. Nam λοιβάτιον, λοιβάπον & quòd a λείβω, & σπονδεῖον, quòd a σπένδω derivatur, ita ſecundum nonnullos differunt, quòd λοιβάτιον σπονδεῖον quidem de olei: σπονδεῖον autem de vini libatione propriè dicatur. Eſſe quoque aliquam inter λείβειν, & σπένδειν differentiam hinc conſtat, quòd λείβεσθαι de lachrymis dicitur: & nonnunquam etiam de aquis: unde τὰ λείβηθα, hoc eſt, & λοιβήτερος τοπικὸν eſt: ac σπένδεσθαι in illa ſignificatione nonnunquam uſurpatur. Præterea σπένδεται τις ἐπὶ φιλίᾳ, hoc eſt, *libat quis amicitiæ ergò*, at non dicitur λείβεσθαι. A λείβειν porrò derivatur κελεβὴ, quaſi χελέβη παρὰ τὸ χέειν λοιβὴν εἰς αὐτὸ, ſive, ut alii volunt, ἀπὸ τοῦ χέειν & λείβειν ſecundum illud, σέψον τὴν κελέβαν. Idem in Οδ. M. in illa verba, *quomodo differant.*

> Οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν
> Ἀλλ' ὕδατι σπένδοντες.

Poëta, inquit, σπένδειν, & λείβειν *idem eſt: pro* σπένδω *autem dictum eſt* σπείδω. Idem in Ιλ. Π. duo hæc verba docet idem ſignificare.

Hebraicè נסך *Naſak*, ut Græcum λείβειν & σπένδειν, & *fundere* & *libare* ſignificat. Unde נסך *Naſak* & מסך, ממסך *Mimſak*, *commixtionem*, *effuſionem* atque *libationem* ſive *libamen* ſignificat. 70. interpretes σπονδὴν vertunt. Ut autem *Mincha* propriè aridorum: ſic *Niſech* liquidorum ſacrificium fuit. Sacrorum libaminum, quæ è vino & ſicera erant, fit mentio Exod. 25. Num. 28. & 29. 2. Reg. 23. & alibi.

Libare Latinis, ut volunt Grammatici, propriè eſt *leviter deguſtare*, & quaſi *primis labris attingere:* dictum, ut quidam putant, a *labiis*, quaſi *labiare*. Virgilius, Libare.

> *Purpureoſque metunt flores, & flumina libant.*

Per Metaphoram aliquando pro *leviter attingere* uſurpatur. Virgilius,

> *Oſcula libavit natæ, dehinc talia fatur.*

Denique *libare* (id quod ad propoſitum noſtrum facit) Iſidorus vult propriè idem eſſe quod *fundere*, voce deducta a *Libero* quodam, qui in Græcia uſum reperit vitis. Idem, *Libatio*, inquit, *tantummodo calicis oblatio eſt.* Hinc illud,

> - - - - *Et libavit de ſanguine uvæ.*

Sic eſt ſæcularium quidam Poëtarum, *Nunc*, inquit, *pateras libate Jovi.* Ovidius quoque 3. *Faſt. Libationem* a *Libero* vult dictam,

> *Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen.*
> *Libaque quod ſanctis pars datur inde focis.*

Varro lib. 4. *Liba* (quæ fuerunt placentæ ex farre & melle Deorum ſacrificiis aptæ: unde forſan Germanicum Läbküchen) ideo dicta vult eſſe, quòd libandi cauſa fierent, vel quòd libarentur priuſquam eſſent cocta. Horatius epiſt. ad Fuſcum:

> *Utque Sacerdotis fugitivus, liba recuſo,*
> *Pane egeo jam mellitis potiore placentis.*

Hinc conſtat *libum* eſſe placentam mellitam. Athenæus tamen libro tertio ſignificat libum ſive placentam ex lacte & ſumine & melle componi. Mihi & *libare*, & *libatio*, & *libamen* ſeu *libamentum* & *libum* a Græca voce λείβειν & λοιβῆς videntur derivari. *Vinum* quoque *dare* Latinis auctoribus idem quod *libare*. Cato *de re Ruſtica*, capite 134. *Poſtea Cereri exta, & vinum date*, id eſt, libate. Nam vinum quod libabant, quaſi Diis dabant ac propinabant. Notandum porrò ut *Naſak* Hebraicum, ita *libare* Latinum nonnunquam etiam de aridis uſurpari.

Erat enim apud Ethnicos omnino duplex libatio, qua cùm in ſacrificiis, tum in epulis uti conſueverant. Una erat dapum atque ciborum, quorum partem aliquam decerpentes, illam in ignem focumve conjicere, atque ita Diis ſuis religioſæ ſuæ erga illos gratitudinis teſtificandæ gratia, conſecrare ſolebant, de quo paulò antea. Altera fuit potus atque liquorum, de qua nunc agemus. Illa autem Hebraicè נסך *Naſak*, Græcè σπονδὴ & λοιβὴ, Latinè *libatio* dicta, nihil aliud erat, quàm vini, ſiceræ, aquæ, lactis, olei, aut alterius alicujus liquoris ex vaſe effuſio, vel in aram, ſeu victimas, vel in terram, certis adhibitis cæremoniis atque precibus in Dei, Deorumve honorem olim facta. Latini *vinum*, ut dixi, *dare Diis*, pro *libare* uſurpant. Sic multibiba illa lena apud Plautum in *Curcull.* vini quiddam defundens, inquit:

> *Venus de paulo paululum hoc tibi dabo lubenter:*

Nam tibi amantes propinantes vinum dant,
Mihi haud ſæpe tales hæreditate eveniunt.

Sic *vinum fundere*, item *vergere*, & *invergere* pro *libare* ſæpe apud Latinos ponitur. Statius lib. 6. Theb.

Spumanteſque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratiſſima cymbia lactis.

Anus apud Plautum in *Curculione*,

Ipſum expeto tangere, invergere in me liquorem,

Hoc eſt, Infundere. Virgilius lib. 6.

Invergit vina Sacerdos.

Lucretius lib. 5.

Illi imprudentes ipſi ſibi ſæpe venenum
Vergebant, nunc dant aliis ſolertiùs ipſi.

Unde conſtat verbum hoc proprium ſacrum ſæpe transferri ad prophanum uſum. Quam autem Servius inter *fundere*, & *invergere* differentiam ſtatuat, poſtea explicabitur. Judæi habuerunt olim ſanctas & religioſas ſuas libationes, ut ex Num. 28. & aliis ex locis conſtat, quæ in Dei honorem celebrabantur. Oſeæ 9. *Non libabunt Domino vinum.* Has libationes, ut alios quoque Judæorum ritus atque cæremonias Ethnici κακοζηλίᾳ quadam fuerunt imitati. Primò autem de libationum Ethnicarum materia, deinde forma atque modo, ritibus, ſive cæremoniis agemus.

Libationum materia.

Quò ad materiam, obſervandum eſt primò id, quod Euſtathius Ιλ. Α. annotat, τὰς σπονδὰς ἐν ἄλλοτε, καὶ ἄλλῳ ὑγρῷ γινομένας πρὸς τοὺς καιρούς, hoc eſt, alio atque alio humore, ſive liquore pro temporum ratione fieri ſolitas fuiſſe. Apud Hebræos libamina fiebant ex aqua & ſicera, ut conſtat ex 28. & 29. Num. Apud Ethnicos in pleriſque licet ſacrificiis vino libare moris eſſet: tamen erant quædam ſacra, in quibus non erat fas vino libare. Hinc alia ſacra dicta ſunt οἰνόσπονδα, nempe in quibus fas erat vinum libare: alia ἄοινα, ſive νηφάλια (quæ *abſtemia* apud Gellium lib. 3. cap. 29. appellantur) in quibus vini nullus erat uſus. Ac vinum quidem apud Ethnicos (ut etiam apud Hebræos) in pleriſque ſacris, ſeu ſacrificiis libatum fuiſſe, ejusque ſimul cauſam Euſtathius loco ante citato, his verbis explicat: *Vinum etſi non unà cum molis ſalſis ſumebatur, tamen utile erat in libationibus poſt molas ſalſas. Non minus enim illius, quàm hordei inventio ad civilem, & manſuetam vitam pertinet: ſerò enim fuit inventum.* His verbis rationem reddit, cur libatio, id eſt, vini effuſio in ſacrificiis fuerit uſitata.

Sacra οἰνόσπονδα. Sacra ἄοινα. Vinum apud Ethnicos in pleriſque ſacrificiis libatum fuit.

Non quodvis vinum in ſacris potuit adhiberi. Vinum ſpurcum.

Notandum autem non quodvis vinum in ſacris potuiſſe adhiberi. Nam ex Græca, & amputata vite, ſeu fulmine tacta, aut quæ vulneratis pedibus calcata, aut immunditie polluta fuerat, aut juxta quam homo laqueo pependerat, quæque circumciſis vinaccis profluxerat, vinum Diis libare infauſtum erat. Pythagoreorum quoque ſymbolum fuit, ne Diis libarent ex amputatis vitibus. Hinc *Spurcum* vinum dicebatur, quòd ſacris adhiberi non poterat, ut ait Labeo Antiſtius lib. 10. *Commentarii juris Pontificii*, cui aqua admixta eſt, defrutumve, aut igne tactum eſt, muſtumve antequam deferveſcat.

Vino meraco veteres in libationibus uſi fuerunt. χάλις. χαλίκρατον quid.

Obſervandum præterea, veteres omnino mero, ſeu meraco vino in libationibus uſos fuiſſe: de quo ſic Euſtathius Ιλ. λ. πάντως οἱ παλαιοὶ ἀκράτῳ ἔσπενδον, κατὰ τὸ, σπονδαὶ ἄκρητοι, hoc eſt: *Omnino veteres vino meraco in libationibus utebantur, ſecundùm illud, Libationes meracæ.* Idem Ιλ. β. in hæc ipſa Homeri verba: σπονδαὶ ἄκρητοι, hoc eſt, *libationes meracæ:* ἀκράτους, inquit, id eſt, *meracas dixit libationes propterea, quòd mero libabant: quo innuebant*, τὸ τῆς γνώμης ἀμιγὲς ψεύδους, καὶ ἄδολον, id eſt, *mentis ſynceritatem expertem fraudis atque doli* (ſic contrà vino aqua mixto doli atque ſuperſtitiones in ſacris adumbrabantur) quòd ſi quando autem cratere vinum dicuntur miſcuiſſe, non aquæ atque vini, ſed duorum vinorum commixtio ibi intelligenda. Idem in illud Hom. Ιλ. Γ.

- - - - κρητῆρι δ' οἶνον
Μίσγον.

ἄλλως δέ γε οὐ μεμιγμέναι, ἀλλ' ἄκρητοι ἐλείβοντο αἱ σπονδαί. Idem Ὀδ. Γ. ἡ ἐπὶ Διονυσίῳ σπονδὴ ἴσον ἴσῳ κεκραμένον (κεκλαμένον in exemplari) οἶνον ὕδατι εἶχεν, hoc eſt, *Vinum Dionyſio libari ſolitum, aquali aqua fuit permixtum*, ſecundùm Comicum, ut alibi explicatum eſt, quæ libatio diverſa fuit ab Homericis libationibus, quas ἀκρήτους, ſive ἀκράτους appellat.

Apulejus libro quarto: *Poſt iſtum ſermonis terminum poculis memoriæ defunctorum commilitonum vinum mero libantes: dehinc canticis quibuſdam Marti Deo blanditi, paululum conquieſcunt.* Hinc nefas erat libare vino Græcæ uvæ, quoniam aquam habeat. Nota hîc ſimul morem hymnum canendi poſt cœnam. Apud Æſchylum quoque ſunt σπονδαὶ χαλίκρητοι, ubi Euſtathius ait, ſe dubitare, num ibi libationes ἄκρητοι ſint intelligendæ, hoc eſt, puræ ſive meracæ, ἐπὶ τῷ Διονυσίῳ κερασθῆναι. Nam χάλιν ajunt eſſe Dionyſium, ex quo vinum meracum, unde etiam χαλιμὰς mulier dicitur veteribus ἡ ἀπὸ μέθης χαλωμένη τὸ σῶμα. Heſychius, χαλίκρατον & εὔκρατον, hoc eſt, *merum*, ſive *meracum* exponit, ut Suidas quoque χαλίκρητον, pro μὴ κεκραμένον in quodam Epigrammate. Scholiaſtes Apollonii Rhodii, χαλίκρατον μέθυ, exponit non modo ἄκρατον, verumetiam χαλῶν τὰς φρένας, ſubjungens, Athenienſibus χάλιν dici τὸ ἄκρατον.

ἄκρατον. Apollonius χαλίκρητον postea vocat ζωρὸν, libro primo *Argonaut.* Stephano videtur χαλίκρητον significare vinum meracum, alio meraco mixtum, ut aqua misceri solet, a κεκρᾶσθαι, hoc est, *miscendo*, & χάλις voce significante ἄκρατον. Sic, ut paulò antea dictum est, Eustathius, quoties in libationibus fit mentio mixtionis vini, vult vinum alio vino, non autem aqua mixtum, esse intelligendum. Aristophanis Scholiastes in illa Pluti,

Οἴμοι ἡ κύλιξ ἴσον ἴσῳ κεκραμένης.

Addit, οἴνου καὶ ὕδατος, hoc est, *vino & aqua* ζωρότερον γὰρ τὸ τοιοῦτο κέρασμα. Alludit ad cauponas. Quæritur autem, cur aliis Diis datur ἄκρατος σπονδὴ, *libatio meraca*: Mercurio autem κεκραμένη, id est, mixta? Respondemus id fieri, quoniam Mercurius & vivis & mortuis dominatur, & ab utrisque honores accipit.

Cur aliis Diis detur ἄκρατος σπονδὴ Mercurio autem κεκραμένη.

Observandum hîc quoque, veteres ex vino consecrato ad libationes, augurari solitos fuisse, quod divinationis genus οἰνομαντεία dictum est, ut Peucerus testatur. Homerus sæpe meminit vini αἴθοπος in libationibus, de qua voce alibi. Atque illos quidem optimo suavissimoque vino in libationibus usos fuisse, vel ex epithetis illis, quibus passim Homerus utitur, apparet: cujusmodi sunt, οἶνος ἡδύποτος, μελίφρων, μελιηδὴς, &c. Hæc de libationibus, quæ vino fieri consueverunt.

οἰνομαντεία
Vino optimo suavissimoque in libationibus usi fuerunt veteres.

Nunc de iis dicendum, in quibus non vinum, sed alii liquores, ut mulsum, aqua, mel, lac, oleum adhibebantur. Hujusmodi autem libationes atque sacrificia à Græcis νηφάλια, ἄοινα, ἀμέθυσα, & speciatim ὑδρόσπονδα, μελίσπονδα, γαλακτόσπονδα fuerunt dicta. ὑδρόσπονδα, hoc est, *libationes aqueæ* fuerunt illæ sociorum Ulyssis, quarum mentio fit Οδ. μ. Nam cùm vino fuissent destituti, aquam Soli libarunt, de quo sic Homerus,

De libationibus, in quibus non vinum, sed alii liquores adhibebantur.

Οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν
Ἀλλ' ὕδατι σπένδοντες ἐπώπτων ἔγκατα πάντα.

Hinc Eustathius pro hordeis dicit usos fuisse quercus foliis: pro vino aqua, πρὸς ἀνάμνησιν τῆς παλαιφάτου τροφῆς, hoc est, *ad recordationem pristini victus*, qui constabat glandibus & aqua. Idem Ιλ. Ζ. *Omnino libationes antiquitus mero celebrabantur: fit tamen quarundam libationum mentio, quæ planè fuerunt* ἄοινοι, hoc est, vini expertes, ut libatio quæ Soli fiebat melle. Idem Οδ. κ. ex Athenæo docet, Græcos Soli sacrificantes, solitos fuisse mel libare, vinum non inferentes altaribus: δεῖν λέγοντες τὸν πάντα περιπολοῦντα καὶ συνέχοντα ἀλλότριον εἶναι μέθης. Plutarchus *Sympos.* 4. νηφάλια ταῦτα, καὶ μελίσπονδα θύουσι, id est, *sacra sobria, & quæ mellis libamenta habent.* Idem in libro περὶ ἀοργησίας: ἀμεθύσους, καὶ ἀοίνους διάγειν ὥσπερ νηφάλια, καὶ μελίσπονδα θύοντες. Hinc νηφαλιεύειν & νηφαλίζειν, Polluci & Hesychio est ejusmodi sacris uti. Hujusmodi erant Cereris sacra, de quibus primo in libro. In sacris similiter Deæ Ruminæ inferre vinum expiatione dignum fuit: quippe illi sacrum facientes hostiæ lac, non vinum inspergebant. Et in sacris Bonæ Deæ, cùm vinum libabant, lac esse dicebant. Vestæ quoque non vino, sed de Numico flumine, ut ait Servius, libabant, quibus diebus mense Junio molæ frumentariæ & asini sertis & pane coronabantur. Proditum quoque memoriæ est, Romulum nunquam vino in sacris, sed lacte libasse. Quin etiam Athenienses Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Uraniæ, Nymphis non vino, sed aqua melle diluta, sacrificarunt, teste Suida. Pausanias tamen, ait Eleos thure cum tritico melle subacto, additis oleæ ramis, aris suffire solitos & uti vino. Solis autem Nymphis, καὶ ταῖς δεσποίναις, id est, Cereri & Proserpinæ vinum minimè libare consuevisse, nec ad aram omnium Deorum. Sunt & qui hoc sacrum Dionysio interdum, & Erechthei filiabus exhibitum tradunt, ut testatur Philochorus. Plutarchus in libro *de Sanitate*: αὐτῷ τῷ Διονύσῳ πολλάκις νηφάλια θύομεν, ἐθιζόμενοι καλῶς μὴ ζητεῖν ἀεὶ τὸν ἄκρατον. Silius Italicus lib. 13. *Punicorum*,

Corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum,
Fundunt mella super Bacchique & lactis honorem.

Ex his constat, in libationibus sacrificiorum inferorum antiquitùs, non vinum tantùm, verum etiam mella, atque lac invergere fuisse solitos. Idem ex Virgilio constat: tametsi in feriis vina Numæ lege libare vetitum aliquando fuerit, juxta illud:

Vino rogum ne aspergito.

Oleo quoque usi sunt. Virgilius:

Pingue super oleum fundens ardentibus extis.

Hæc de libationum materia.

Nunc de earum ritibus atque cæremoniis variis dicamus. Ac primò quidem cùm manuum ablutionem, tum certas preces in libationibus adhibitas fuisse, cùm ex aliis auctoribus, tum ex Homero satis constat, ut Ιλ. Ζ. Hector ad matrem:

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι· οὐδέ πῃ ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
Αἵματι, καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάεσθαι.

Hîc utrumque vides conjungi. Sic Ιλ. Ι. antequam biberent:

Αὐτίκα κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν, &c.

Et Οδ. γ. nec non Οδ. φ. ejusdem lotionis manuum, quæ ante libationem facta fuit, iisdem verbis fit mentio. His accedit Hesiodi testimonium clarum & illustre lib. 2. *de op. & diebus*:

Μηδέ-

Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισι
Οὐ γὰρ τοίγε κλύουσι, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.

Preces ante libationem. Apud Homerum potissimum creberrima fit mentio hujusmodi precum in libationibus adhibitarum, ut Ιλ. ι. inquit Nestor ad Græcos:

Φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε,
Ὄφρα Διὶ κρονίδῃ ἀρησόμεθ', αἴκ' ἐλεήσῃ.

Sic Οδ. γ. Lysistratus Nestoris filius, cum Telemacho atque Minervæ hospitibus partem viscerum & poculorum vini dedisset, Minervam his verbis alloquitur:

Εὔχεο νῦν ὦ ξεῖνε ποσειδάωνι ἄνακτι.
Τοῦ γὰρ καὶ δαίτης ἠντήσατε δεῦρο μολόντες.
Αὐτὰρ ἐπὴν σπείσῃσθε, καὶ εὔξεαι, ἣ θέμις ἐστὶ,
Δὸς καὶ τούτῳ ἔπειτα δέπας μελιηδέος οἴνου
Σπεῖσαι. ἐπεὶ καὶ τοῦτον ὀΐομαι ἀθανάτοισιν
Εὔχεσθαι. πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι.

Sequuntur postea preces, quas Minerva ad Neptunum fundit, quibus peractis, deinde Telemacho poculum tradidit, ut ille libaret simul. Sic Οδ. ι. in fine,

Τοῦ ὁ γέρων κρητῆρα κεράσσατο, πολλὰ δ' Ἀθήνῃ
Εὔχετ' ἀποσπένδων.

Virgilius lib. 4. *Georg.* describit convivium magnificum, quo Cyrene filium loco festivo excepit: libationis quoque meminit, his verbis:

- - - - *Panchæis adolescunt ignibus aræ*,

hoc est, thure aræ illato.

Et mater, Cape Mæonii Carchesia Bacchi
Oceano libemus, ait.

Id est, Hoc Carchesio vinum pretiosissimum in honorem Oceani libemus, & in hanc aram thure succensam defundamus.

- - - - *Simul ipsa precatur*
Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores
Centum, quæ sylvas, centum quæ flumina servant:

En preces quas fundunt ad Oceanum, ac Nymphas sorores, quibus aut sylvarum & ruris custodia aut fluviorum & aquarum cura commissa erat. Sequitur ipse libationis actus:

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:

πυρομαντία. Id est, Ter vinum ardenti foco asperserat. Sequitur omen: unde πυρομαντία:

Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa.

Id est, Ter flamma ad summum conclavis tectum ferebatur, idque relucebat. Unde bono omine capto animoque confirmato Cyrene, sic ad filium loqui incipit. Virgilius in *Æneid.*

In mensam læti libant, Divosque precantur.

Sic libans Dido in convivio precatur:

Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.

Et apud Horatium,

- - - - *Et alteris, te mensis* (mensa secunda, in qua solet libatio fieri & Deorum precatio) *adhibet Deum:*

Id est, Te ut Deum obsecrant, & tibi ut Laribus libant. Itaque mox libatio sequitur:

Te multa prece, te prosequitur mero,
Defuso pateris.

Σπονδεῖος pes unde dictus. Quoniam autem in sacris hujusmodi libationibus voce morosa & cunctabunda usi sunt, hinc σπονδεῖος, hoc est, *spondæus* pes dictus est, constans duabus syllabis longis, quod ἐν ταῖς σπονδαῖς ᾄς ἐποιοῦντο πρὸς τοὺς θεοὺς τοιούτῳ μέτρῳ ἐχρῶντο, teste Hephæst. Schol. Arnobius de Sacrificiis verba faciens *operæ pretium*, inquit, *est etiam verba ipsa depromere, quibus cùm vinum datur*, (id est, libatur) *uti, ac supplicare consuetudo fuit*,

Mactus hic vino inferio esto.

Inferio, inquit Trebatius, *verbum ex causa additum, eaque ratione profertur, ne vinum omne omnino, quod in cellis & Apothecis est conditum, ex quibus illud, quod effunditur, promptum est, esse sacrum incipiat, & usibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc verbo, solum erit, quod infertur, sacrum, nec religione obligabitur, ut inferium* Vinum inferium. *videlicet vinum dicatur sacrum, quod Diis infertur.* Et hæc de manuum ablutione & precibus verbisque conceptis & sacris, quibus olim libantes usi fuerunt.

Nunc

Nunc ut reliquos libationum ritus atque ceremonias persequar, primò quidem ministri seu famuli (qui idcirco dicti sunt σπονδοφόροι) libamina, hoc est, liquores, quibus libabatur (inter quos præcipuum erat vinum) afferebant, iisque crateras ad summum implebant (quod Homero est ἐπιστέφεσθαι, Virgilio *coronare*, de quo alibi) quos deinde in medio collocabant. Hinc sæpe Homerus, Οδ. Γ. Σπονδοφό-

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο,

Item, Στῆσαν τε κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο

Λεῖβον δ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖς αἰεὶ γενέτῃσιν, Οδ. Β. sub finem,

Athenæus lib. 14. Cyatho enim tunc non utebantur, neque cotyla, sed cratera Diis statuebant non argenteum, neque lapillis distinctum, sed ex terra coliade: hunc quoties implevissent, libantes Diis ex phiala vinum postea fundebant, cymbio nuper mistum tingentes, ut etiam nunc apud nos in Phiditiis fieri solet, Plutarchus *Polit. præcept.* Τοῦ κρατῆρος αὐτομάτως ἐπὶ ταῖς σπονδαῖς ῥαγέντος.

Hic quoque usitata fuit vini mixtio, cujus sæpe apud Homerum fit mentio, non cum aqua (non enim licebat antiquitùs Diis vinum aqua dilutum dare, sive libare) sed cum alio vino meraco, de quo suprà.

Ex crateribus porrò deinde vina in minora pocula infundebant, quæ Homerus δέπαϊα ferè vocat aurea: ex quibus deinceps pars vini effundebatur. Homerus Ιλ. Κ. in fine, Δέπαϊα.

---- ἀπὸ δὲ κρητῆρος Ἀθήνῃ

Πλείου ἀφυσσόμενοι λεῖβον μελιηδέα οἶνον.

Hoc est, *ex cratere pleno haurientes*, scilicet in minora pocula, *libabant mellitum vinum*. Eustath. ἀφυσσόμενοι, id est, ἀντλίσαντες. Οδ. Θ.

Καὶ δέπας ἀμφικύπελλον ἑλὼν σπείσασκε θεοῖσι.

Δέπας Hesychio ποτήριον, παρὰ τὸ δέχεσθαι τὸ πόμα. Et Athenæo lib. 11. δέπαστρον idem significat, Athen. lib. 9. inde δεπάζω, hoc est, πίνω. Homerus quoque nominat ἄλεισον poculum libatorium, Οδ. Θ. Δέπας quid.

Ὃ (Ulyssi) ἐγὼ (Alcinous) τὸ δ᾽ ἄλεισον ἐμὸν περικαλλὲς ὀπάσσω

Χρύσεον, ὄφρ᾽ ἐμέθεν μεμνημένος ἤματα πάντα

Σπένδῃ ἐνὶ μεγάρῳ διί τε ἄλλοισί τε θεοῖσιν.

Est ἄλεισον Suidæ ποτήριον, Hesychio poculum torno factum: Eustathio περιφερὲς, hoc est, *rotundum* seu *circulare*. Omnino autem vasa hujusmodi, quorum in libationibus olim usus erat, a Græcis generali vocabulo dicta sunt σπονδεῖα, ut Athenæus lib. 11. ex Clearcho & Nicandro probat: ab Antimacho Colophonio, dicit, λοιβάδας vocari, *libatoria* nonnulli vertunt. Item λοιβεῖον, & λοιβάσιον *vas libatorium* appellatur, quo tamen, ut & Pollux lib. 10. & Athenæus lib. 11. & Eustathius specialiter vas illud, quo oleum Diis libabatur, significari volunt. Suidas λοιβεῖον exponit θῦμα, hoc est, *ipsum libamen*. Latini libatoria hujusmodi vasa *crateras*, *pateras*, *sympuvia*, &c. appellant. Virgilius, Ἄλεισον quid. Σπονδεῖα. λοιβάδες. λοιβεῖον, λοιβάσιον.

Pateris libamus, & auro.

Pateræ, inquit Varro, *dictæ*, *quòd pateant*, quibus etiam nunc in publico convivio antiquitatis retinendæ causa, cùm magistri fiunt potio circumfertur: & in sacrificando de eis hoc poculo magistratus dat Deo vinum, hoc est, libat. Etiam patellæ dictæ, Juvenal. Satyr. 6. Pateræ unde dictæ.

Et Vaticano fragiles de monte patellas.

Arnobius similiter de libationibus verba faciens: *Date*, *quæso*, inquit per Ironiam, *Diis immortalibus ut bibant*, *scyphos*, *brias*, *sympiniaque depromite. Sympinium* etiam *sympulum* fuit vocatum, cyatho haud dissimile: cujus Cicero meminit lib. 3. *de Legibus*, & Plin. lib. 35. cap. 12. *In sacris non murrhinis*, *crystallinisve*, *sed fictilibus Sympulis prolibabatur innocentiùs.* Sunt autem Sympula calices fictiles, & vascula quibus utebantur in sacrificiis. Apulejus Catinum, & Sympulum (non pauci perperam legunt *sympuvium*) sacrificiis adhiberi solita ostendit in *Apologetico*, sic scribens: *Paupertas populo Rom. imperium a primordio fundavit: proque eo in hodiernum Diis immortalibus sympulo*, *& catino fictili sacrificat.* Sergius Galba, teste Suetonio, quum exercitus luce prima ad expiandum somnium, præmissis qui rem divinam apprarent, Tusculum excurrisset, nihil invenit, præter tepidam in ara favillam, atratumque juxta senem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum: hoc fuit præsagium ejus mortis. Idem vas etiam *Sympuvium* fuit vocatum. Hinc Juvenalis, Sympinium. Sympula quid. Catinum. Sympuvium. Depesta.

Sympuvium ridere Numæ, nigrumque catinum.

Varro inter vasa vinaria olim in sacris adhibita *Depestam* (forsan a δέπας Græco) numerat: *Guttum a guttis* dictum, quo vinum dabant, & minutatim fundebant, & quo sumebant minutatim, a sumendo *Sympulum* nominaverunt. *In Sympuli locum*, addit ibidem, *in conviviis è Græcia successisse Epichysin*, *& Cyathum*: *in sacrificiis remansisse Guttum & Sympulum.* Hinc *Sympulatrices* mulieres sacris deditæ, ut ait Festus. Hæc de vasis libatoriis, quæ σπονδοχεῖα a Græcis appellantur. Epichysis & cyathus.

Porrò libationis unus quidam quasi præsultor videtur fuisse, qui deinceps singulis ex ordine pocula dedit plena vini ad libandum atque bibendum: id quod ex quibusdam Homeri locis videtur posse colligi, ut Οδ. Γ. ferè ab initio:

Αὐτὰρ ἐπὴν σπείσῃς τε καὶ εὔξεαι, ἣ θέμις ἐστὶ,

Δὸς καὶ τούτῳ ἔπειτα δέπας μελιηδέος οἴνου,

Σπεῖσαι. ----

Hic Pisistratus jubet Telemachum postquam ipse libarit, alteri quoque poculum tradere, ut similiter libet. Vel etiam famuli singuli pocula vini plena dederunt, ex quibus libarent. Hinc sæpe illud occurrit apud Homerum:

Νώμησαν δ' (διεμέριζαν Hesychio) ἄρα πᾶσιν ἐπαρξάμενοι δεπάεσσιν.

Sic Οδ. θ. Alcinous ad Pontonoum,

Ποντόνοε κρητῆρα κερασσάμενος μέθυ νεῖμον,
Πᾶσιν ἀνὰ μέγαρον, ἵνα καὶ Διὶ τερπικεραύνῳ
Σπείσομεν. ----

Et paulò post Pontonous hoc illius mandatum sic dicitur fuisse executus:

Ποντόνοος δὲ μελίφρονα οἶνον ἐκίρνα
Νώμησεν δ' ἄρα πᾶσιν.

Κεραννύειν sive κιρνᾷν. Notabis verbum κεραννύειν sive κιρνᾷν, significare non modò *miscere*, sed etiam *infundere vinum*, ut multis in locis Eustathius annotat.

Σπόνδικες. Vinum porrò antequam fundebat sacerdos in sacris (σπόνδικες inde hujusmodi sacerdotes vocabantur, οἱ τὰς σπονδὰς χέοντες, Hesychius) prius simpulo ligneo propinabat, vel fictili, quod etiam *simpuvium* vocatum est. Portio sive gutta vini aut cujuscunque alterius liquoris, quæ inter libandum è pateris fundebatur, a Græcis σπονδῆτις σαγών, hoc est, *stilla libatoria* dicta est.

Σπονδῆτις σταγών. Hæc ipsa autem effusio varia fuit & multiplex. Et ut olim in veteri Testamento, quemadmodum constat ex 25. & 30. Exod. Num. 28. *vinum libari*, hoc est, *effundi* consuevit super omnes victimas: ita Ethnici quoque in suis sacrificiis hujusmodi vini super victimas effusionibus plerunque usi fuerunt. Ac primo quidem vinum inter cornua hostiæ, antequam illa esset mactata, spargere solebant. Unde Virgilius lib. 4. *Æneid.*

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Ibi Servius: *Non est*, inquit, *sacrificium, sed hostiæ exploratio, utrum apta sit.* Item *Æneid. 6.*

Quatuor hic primùm nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos.

Servius in illum locum, in Quarto ait:

- - - - *Media inter cornua fundit.*

Fundere. Vergere. *Et fundere est supina manu libare: quod fit in sacris supernis: Vergere autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis fit.* (nota hic diversos libandi gestus.) Hæc autem pertinent ad victimarum explorationem, ut si non stupuerint, aptæ probentur. Plutarchus *de Defectu Oracul.* οὐδὲ γὰρ προθυόμενοι καὶ καταστέφοντες ἱερεῖα, καὶ καταπένδοντες, hoc est, *neque verò ante sacrificando* (molæ salsæ inspersionem significat, preces, pilorum evulsionem & concremationem, quæ ab Eustathio sæpe προθύματα appellantur) *neque infulis, vittisque victimas coronando, neque hostiæ vinum infundendo*, contra rationem istam facimus. Rursum Plutarchus eodem in libro: *Nisi*, inquit, *bestia toto corpore, dum libamentis mactatur, sive libamentis perfunditur, ab imis usque articulis succutiatur & contremiscat.* Hinc καταπείσις, perfusio hujusmodi dicta est, qua hostia solebat perfundi. Plutarchus *de defectu oracul.* πρὸς τὴν κατάσπεισιν ἀπαθὲς, καὶ ἀκίνητον, hoc est, *nihil affici neque moveri, dum humor invergitur.* Ex his ergo colligitur, hostiam primò fuisse vino aliove liquore perfusam, ut probaretur. His adde Ovidii testimonia *Fastor.* lib. 1.

κατάσπεισις. Hostia cur primò vino aliove liquore perfusa.

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.
Vera fides sequitur, noxa est tibi deditus hostis,
Spargit ad effuso cornua Bacche mero.

Deinde super exta aliasve partes hostiæ in ignem conjectas, vina fundere consueverunt. Hinc Homerus Ιλ. λ.

Σπένδων (Nestor) οἶνον, ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν.

Et Οδ. μ. Οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν.

Cui simile illud Virgilii de sacrificio:

Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue super oleum fundens ardentibus extis.

Sic Apollonius lib. 1. *Argonaut.*

Ὁ δὲ ἀκρήτους χέε λοιβάς.

Libatio Joan. Grammat. quid. Scilicet super fœmora, quæ paulò ante dixerat fuisse concremata. Hinc Joan. Grammaticus in Hesiodum libationem definit *vini effusionem in id, quod immolatur.*

Aliàs extra, puta sacrificia, vinum in humum effundebant, secundum illud Homeri Ιλιαδ. η. sub finem:

Οἶνον δ' ἐκ δεπάων χαμάδις χέον, οὐδέ τις ἔτλη
Πρὶν πιέειν, πρὶν λεῖψαι ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.

Et Virgilius *Æneid.* lib. 5.

Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho,

Fundit

Fundit humi.

Apud Virgilium *Æneid.* lib. 5. & exta, & vina in mare ejiciuntur:

Exta porriciuntur.

Stans procul in puppi (Æneas) *pateram tenet, extaque salsos*
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Item, - - - - *extaque salsos*
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Apud eundem quoque leniter vini aliquid ex patera defundebant in mensam: ut:

Dixit, & in mensa laticum libavit honores

Item, *In mensam læti libant, Divosque precantur.*

Arnobius gentilium libationes falsè perstringit.

Sed operæpretium erit Arnobii verba hîc subjicere, qui festivè hujusmodi libationes describit simul, & irridet: *Merum*, inquit, *thuris est socium, quòd explanari similiter poscimus, cur id superfundatur incensioni? Si enim ratio, cur fiat, non ostendetur, nec habebit sui expositam causam, non istud jam errori objiciendum est ludicro, sed (ut dicatur expressius) insaniæ, dementiæ, cæcitati. Ut enim jam sæpius dictum est, debet omne, quod geritur, causam sui habere perspicuam, nec caliginis alicujus obscuritate contectam. Si ergo fiditis facto, aperite, monstrate, liquor iste cur detur, id est, vinum superfundatur altaribus. Nunquid enim Numinum corpora sitim sentiunt aridam, & eorum necesse est siccitates humore alio temperari? Nunquid nobis, ut mortalibus, mos est cœnis intermiscere potiones: pari etiam more post solitos victus liborum, & pultium, hostiarumque cæsarum, quò putrefiat faciliùs, & percoquatur cibus, frequentissimo irrigant, accipiuntque se vino? Date quæso immortalibus Diis ut bibant, scyphos, brias, pateras, sympiniaque depromite: & quoniam tauris, pinguibusque se dapibus, atque optimis inferciunt escis, ne quod in stomachi tramite malè transvoratum substiterit viscus, properate, Jovi Optimo Maximo merum, ne præfocetur, date: cupit eructare, nec potis est: at in illa labatur, & dissolvatur abstructio, periculum maximum est, ne oblisus interrumpatur spiritus, ut viduatum remaneat sine suis administratoribus cœlum. Sed frustra, inquis, inequitas nobis: non enim nos superis ob eas profundimus merum causas, tanquam illos existimemus aut sitire, aut bibere, aut suavitatis ejus affectione lætari. Honoris ergò eis datur, quò fiat illorum elatior, amplior, augustiorque sublimitas, altaria super ipsa libamus, & venerabiles cnissas carbonibus excitamus extinctis. Et quæ gravior infligi contumelia Diis potest, quàm si eos credas accepto mero propitios fieri: ut honorem existimes his habitum magnum, si modò vini exigui rorem super vividam jeceris, atque instillaveris prunam?* Et paulò post: *Nimirum quia apud vos plus valet nullam habens consuetudo rationem, quàm rerum inspecta natura, veritatis examinatione ponderata. Quid est enim Deo cum vino? aut in ejus materia vis qualis aut quanta est, quòd cùm effusum fuerit, sublimitas ejus augescat, & honorata existimetur auctoritas? Quid, inquam, Deo cum vino est, Venereis re proxima, nervos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris & castitatis inimica? quòd in insanias & furores mentes sæpius præcipitavit excitas, ipsosque illos Deos maledictis compulit exauctorare dementibus? Ita ne istud non nefas, & plenum sacrilegii crimen est, honori hoc dare, quòd si tu avidiùs sumpseris, quid facias, nescias: quid loquaris, ignores, ad extremum temulenti, luxuriosi ac perditi convitium, calumniamque merearis.*

Libationum usus multiplex.

Nunc postremò addamus quædam de vario & multiplici libationum usu. Primò itaque illis usi sunt in omnibus sacrificiis, quemadmodum suprà explicatum est. Prima sacrificii pars erat libare: secunda, immolare: tertia, reddere: quarta, litare, Alexander ab Alex. libro quarto, capite 17.

σπονδὴ & fœdus & libamen significat.

Deinde libationes fuerunt usitatissimæ in fœderibus: unde etiam apud Græcos una & eadem vox σπονδὴ & *fœdus*, sive *inducias*, & *libamen* significat, propterea quòd ut sacrificiis, ita libaminibus quoque intercedentibus illa olim contrahi, atque sanciri consueverunt: ut Ιλ. Β.

Σπονδαί τ' ἄκρητοι, καὶ αἷς ἐπέπιθμεν,

Id est, *Sacramenta libatione meri sancita, & dexteræ datæ.* Xenophon *Hellen.* 3. ἔπεμψαν ἐστεφανωμένους δύο κήρυκας ὑποφέροντας σπονδάς. apud Pollucem, σπονδὰς ἐπενεγκεῖν pro libamentis, quæ sanciendis fœderibus adhibentur, accipiendum existimatur. Hinc σπένδεσθαι σπονδὰς Luciano idem, quod σπονδὰς ποιεῖσθαι, *fœdus inire*, seu *inducias pacisci.*

Sicut sponsalibus quoque, quæ & ipsa mutua quædam sunt viri & uxoris fœdera, libationes fieri solitas vel inde patet, quòd Festus dicit, sponsum & sponsam ex Græco dictam esse, quòd ii σπονδὰς, interpositis rebus divinis, faciant.

In exequiis quoque libationes multiplices adhibitas fuisse, libro primo ostensum est in tit. *de Conviviis funeralibus.*

Convivium concordiæ faciendæ causa. Accubatio. Crater. Vota. Convivarum 6. millia. Libatio.

Denique in conviviis cùm sacrificialibus, hoc est, iis quæ sacrificia statim fuerunt consecuta, tum etiam in aliis omnibus libationes usitatissimas fuisse, passim ex auctoribus colligitur. Præ cæteris exemplum libationis illustre extat apud Arrianum lib. 8. de Alexandro magno, & Macedonibus. Nam Alexander M. discordia, quæ inter Persas & Macedones exarserat, composita, quò Diis gratias ageret, sacrificio facto, convivium populare instituit, in quo primi circa ipsum honoris gratia Macedones accubuêre, deinceps Persæ: post eos aliis gentibus devictis, quicunque aut dignitate, aut virtute præstabant. Tum cratere, quo Rex biberat, ad eos qui circa ipsum discubuerant circumlato, vota suscepta sunt, incipientibus Græcis Vatibus, & Magis, tum alia exercitui, Regique prospera, tum maximè æternam Macedonum ac Persarum concordiam, & communis imperii societatem precantibus. Novem millia virorum huic convivio interfuisse fama est, eosque omnes ex eodem cratere bibisse. Apud Homerum certè in omnibus ferè epulis τῶν σπονδῶν καὶ λοιβῶν, hoc est, *libationum*

tionum fit mentio. Nec verò bibebant, nisi libatione prius Diis facta: id quod colligitur ex illo loco Homeri Ιλ. η. sub finem:

Οἶνον δ' ἐκ δεπάων χαμάδις χέον, ὐδέ τις ἔτλη
Πρὶν πιέειν, πρὶν λεῖψαι ὑπερμενέϊ κρονίωνι,

Apud Homerum etiam proci,

---- θεοῖσι
Σπείσαντες, μακάρεσι πίον μελιηδέα οἶνον.

Et Achilles priusquam biberet,

---- λεῖβε δὲ οἶνον
Οὐρανὸν εἰσανιδών. Διὰ δ' ὐ λάθε τερπικέραυνον.

Unde apud Virgilium Dido

Dixit, & in mensa laticum libavit honorem.

Et alibi, *In mensa læti libant, Divosque precantur.*

Servasse hoc privatim Romanos legimus apud Dionem Cassium, qui inter alios honores Augusto delatos, hunc quoque commemorat, quòd decretum fuit, ut per Genium ejus vulgò jurarent, & in conviviis omnibus pro salute ejus libarent. Ethnici, ut ex hoc & aliis testimoniis scriptorum prophanorum constat, nefas ducebant, nisi sacrificiis priùs, atque libationibus factis, cibo ac potui indulgere: pudeat ergo nos Christianos NOTA. neglectis precibus (quæ quidem veræ sunt Christianorum libationes atque sacrificia) ad cibum, potumque capiendum plerumque prorumpere. Optandum quoque esset, ut quemadmodum Ethnici olim in falsorum Deorum honorem aliquem cibi potusque portionem in hostias, in focum atque humum profundebant: sic nos Christiani in Christi vicarios, hoc est, in pauperes, & inopes cibi potusque nostri portionem profunderemus: qui quidem gratissimus Deo est cultus atque honos.

Observandum porrò, veteres post epulas, antequam cubitum irent, maximè libationibus operari solitos fuisse: id quod ex multis Homeri locis constat. Sed præ cæteris locum habes illustrem Οδ. Δ.

Ἀλλ' ἄγε (inquit Minerva ad Nestorem) τάμνετε μὲν γλώσσας κεράασθε δὲ οἶνον.
Ὄφρα ποσειδάωνι, καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι
Σπείσαντες, κοίτους μεδώμεθα· τοῖο γὰρ ὥρη.
Ἤδη γὰρ φάος οἴχεθ' ὑπὸ ζόφον, ὐδὲ ἔοικε
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν, ἀλλὰ νέεσθαι
Ἦρα διὸς θυγάτηρ, τοὶ δ' ἔκλυον αὐδησάσης
Τοῖσι δὲ κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔβαλλον
Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο,
Νώμησαν δ' ἄρα πᾶσι ἐπαρξάμενοι δεπάεσσιν
Γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, ἀνιστάμενοι δ' ἐπέλειβον.

Linguæ Mercurio cur sacrificentur. Hinc Athenæus lib. 1. *Libabant enim e cœnis discedentes, quæ libationes Mercurio fiebant, non autem, ut postea, Jovi* τελείῳ *perfecto, sive adulto. Mercurius enim,* ὕπνου προστάτης εἶναι, id est, *somno videtur præesse. Libant etiam eidem linguas a cœna discedentes, eò quòd linguæ illi, ceu deorum, hominumque interpreti atque internuntio tribuuntur.* Eustathius eadem de re in versus illos Homeri paulò ante allegatos, eleganter sanè hunc in modum disserit: quæ quia utilia simul sunt, & jucunda lectu, subjiciam: His verbis:

Dividite linguas, miscete vinum, &c.

Homerus antiquam consuetudinem indicat. Veteres enim post sacrificium cubitum se recepturi, victimarum priùs linguas sacrificabant, illas in ignem conjicientes: idque de Ionum, sive Atticorum more. Dabant autem illas, atque consecrabant Diis, vel ut sese a maledicentia repurgarent: vel quòd lingua membrum sit præstantissimum: vel etiam quòd ea, quæ inter pocula dicta erant, Diis dedicabant, ut quæ illis testibus essent dicta. Quin etiam secundum aurem poculorum libabant, divinam augurantes auditionem. Vel quod in convivio dicta silentio oportet premere: unde etiam est proverbium, μισῶ μνάμονα συμπόταν, hoc est, *odi memorem compotorem, hoc est, eum* Proverbium. *qui silentio digna memoria retinet, ac patefacit. Nam alias laude dignus est, qui eorum, quæ sunt honesta, memor est compotor, quique pro hesterna intemperantia honestos atque liberales sermones potest proferre, quos epulæ hesternæ cum cratere habuerunt commixtos sive conjunctos. Præterea hac quoque de causa linguæ sacrificantur, ut in lingua servetur id solùm, quod in illa est optimum, ne de illa, ceu* ἐπαμφοτεριζούσης, hoc est, *in bonam & malam partem inclinante, propter multorum hominum* ἀμφοτερόγλωσσον, *is qui de illius vi duplici* Pittacus nimirum. *sententiam tulit, gloriari meritò possit. Is autem fuit, qui interrogatus, quodnam esset in victimis pulcherrimum, linguam misit: deinde rursus interrogatus, quodnam in victimis esset deterrimum, iterum linguam misit. Hoc significare voluit, multos lingua & prodesse & obesse, quod quidem opus est calumniæ* δίστομον γὰρ οἷόν τε ξίφος ἡ γλῶσσα, hoc est: *est namque lingua veluti gladius anceps, contrariorum vim habens, nimirum & nocendi sive lædendi, & commodandi.* (His similia sunt, quæ Jacobus scribit in sua Epist. cap. 3.) *Adhæc diis linguas consecrabant sub vesperam, ceu jam tacituri, & linguam, ceu depositum custodituri: & idcirco illas Mercurio dedicabant, ceu* λόγου δοτῆρι, hoc est, *datori sermonis. Forsan etiam, ut omni* λογοδιαῤῥοίᾳ, id est, *loquacitate, seu garrulitate liberarentur* τραπεζορρήτορες ὄντες, *quemadmodum convivantibus accidunt. Veteres porrò linguas Mercurio ultimo libasse, ut memor esset cubilis, Homerus quoque indicat. Et forsan talis erat apud posteros* ὁ πότιμος Ἑρμῆς:

μῆς, *Mercurius potabilis, de quo Dipnosophista, qui dicit* Ερμῆν *esse* εἶδος πόσεως, hoc est, *genus potionis apud Stratidem.* Et paulò post, *Præter hæc sciendum consecratas fuisse linguas, ut bona audirent, quibus proferendis lingua subservit. Mercurio autem illas sacrificabant* ὡς τῷ λόγων ἐφόρῳ, *ceu sermonis præsidi.* Unde Comicus Mercurio δυσφημα, infausta quædam dicente, exprobrat, id ei inquiens τῷ κήρυκι τούτων ἡ γλῶττα, quod perinde est, ac si diceret, *Frustra linguæ sacrificantur talium præconi.* Aristophanes in *Pace*,

Ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται,

Id est, *Lingua ipsa seorsim inciditur.*

Interpres admonet proverbialiter dictum. Sumptum autem ex Homero Ὀδ. γ.

Ἀλλ' ἄγε τέμνετε μὲν γλώττας,

Id est, *Eia age jam linguas incidite.* Ejusque sententiæ Callistratum citat auctorem. Rursum in *Pluto*, ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι τούτων τέμνεται, id est, *Præconibus horum præcidi solet.* Callistratus, ut citat interpres, tradit olim in sacrificiis linguam exectam præconibus dari solitam. Nam alioquin sunt qui dicant, ex victimis Mercurio deberi linguam. Est autem in Aristophanis verbis ἀμφιβολία non infaceta, qua lingua utrolibet referri potest, vel ad boves, vel præcones. Interpres admonet allusum esse ad proverbiale dictum, ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι, *Lingua præconi.* Quo rectè videbimur usuri, cùm præmii nonnihil debere significabimus, qui in conficiendo negotio pro sua virili adjumento fuit, aut εὐαγγέλιον dandum læta nuncianti. Sic enim vocat Homerus mercedulam, quæ dari consuevit lætum adferentibus nuntium. Apud Plutarchum Antipater, cùm incidisset mentio de Demade jam senio imbecilli fractoque, *Velut*, inquit, *ex immolata victima, solus venter & lingua superest. Apparet linguam, ceu prophanum membrum sacris adhiberi non solere. Et Pittacus Amasidi regi mittit è victima linguam, ut membrum pessimum & idem optimum. Præcones autem linguam habent venalem, & in sacrificiis admonebant populum, ut linguis faverent.* Plautus in Prologo *Pœnuli*,

Exerce vocem, per quam vivis, & colis.
Nam nisi clamabis, statim te obrêpet fames.

Hæc Erasmus in *Adagiis.* Addit autem Eustathius: *In vetusto Commentario scribitur, symbolicè hoc dici consuevisse,* ἀλλ' ἄγε τάμνετε μὲν γλώσσας, hoc est, *agedum, dividite linguas, quod idem valet, quod age sileamus, parentes nocti. Stultum enim ajunt esse dicere,* τέμνετε τοὺς λόγους. *Unde ex hoc linguas dividendi more id innuit.* Idem scholium testatur, in solo Nestoris sacrificio Poëtam moris istius meminisse, qui quidem sit Atticus hinc profectus. Possit etiam fortasse quis festivè inter sermones conviviales hoc usurpare: ἀλλ' ἄγε τέμνετε μὲν γλώσσας, κεράσασθε δὲ οἶνον, quando linguæ sale conditæ jubentur apponi. τάμνετε autem γλώσσας Ionica dialecto, pro θύετε, id est, *sacrificate*, accipitur. Illas porrò linguas cum libamine concremari solitas, illa verba indicant, γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, ὅ ἐστι ἐτίθουν, hoc est, *linguas in ignem conjiciebant*: surgentes autem libabant.

Observandum etiam præter libationem potionemque quæ super lingua fieri consuevit, fuisse etiam poculum, ut Ælius Dionysius tradit, ἀγαθοῦ δαίμονος, hoc est, *boni Dæmonis*, appellatum, quòd remotis mensis proferebatur, de quo infrà. Hæc Eustathius de libationibus illis, quæ post epulas olim fieri consueverunt. Horatius,

Et venerata Ceres, ut culmo surgeret altò,
Explicuit vino contractæ seria frontis.

In quæ verba Turnebus in suis *Adversariis*: *significari libationem puto, qua antiqui post epulas uti solebant. Nam pateram tenentes, ex ea aliquid in honorem Dei, ut hic rusticus in honorem Cereris, venerantes precantesque fundebant, deinde bibebant.* Hic ergo colonus ait, se cum suis convivis veneratum Cererem, vinum post cœnam bibisse, & contractæ frontis rugas vino explicuisse. Apollonius in *Argonaut.* lib. I.

Οὐδ' ἐπὶ δὴν μετέπειτα κεραιοσάμενοι δὴ λοιβὰς
(Ἡ θέμις ἐστὶ) θέως ἐπί τε γλώσσῃσι χέοντο
Αἰθομένας, ὕπνου δὲ διὰ κνέφας ἐμνώοντο.

De Argonautis convivium sacrorum Apollinis celebrantibus. De his sic Scholiastes, ἡ θέμις, hoc est, *si fas est: Quoniam*, inquit, *mos erat veterum, ut dormituri craterem miscerent, & hostiarum linguas Mercurio sacrificarent, vinumque libarent, idque forsan naturali quadam ratione ducti. Nam quoniam Mercurius sermo esse dicitur, illius autem instrumentum est lingua, quæ somno irruente quiescit, idcirco meritò illam Mercurio immolant.* Direchidas autem in Megaricis talia literis memoriæque prodidit. Alcathus Pelopis filius, ob Chrysippi cædem, Megaris pulsus in exilium, in aliam quandam urbem sese recepit. Is cum incidisset in leonem quendam, qui Megaram depopulabatur, adversus quem etiam alii a rege Megarensium missi fuerant, illum prosternit, ejusque lingua supra rogum posita, Megaram rediit. Cùm verò illi, qui ad venandum missi fuerant, a se prostratam illam feram esse dicerent, allata pera illos mendacii coarguit. Quamobrem rex Diis sacra faciens, postremò linguam altari imposuit: unde mos ille Megaræ semper permansit. Philochorus autem in lib. *de Sacrificiis* hanc affert causam, quod lingua optima sit & princeps pars corporis: & Homerus, ἀλλ' ἄγε τάμνετε γλώσσας, pro παύετε τοὺς λόγους, dixit. Hesiodus:

Ἄλλοτε δὴ σπονδῇσι θυέεσσί τε ἱλάσκεσθαι
Ἠμὲν ὅτ' εὐνάζῃ, καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ.

Observabis hîc cùm tempus duplex, quo libationibus atque sacrificiis operam dabant, matutinum nimirum atque

atque veſpertinum: tum finem, qui erat, ut Deos placarent, ſibique propitios redderent. Scholiaſtes in vocem σπονδῇσι addit, *Hic erat alter modus cultus, & ille quotidianus, libationibus conſtans in conviviis & compotationibus.* Euſtathius in illa Homeri Οδυ. η. ᾧ πυμάτῳ σπένδεσκον, ὡς ὀνειροπομπῷ καὶ ὑπνοδότῃ ἐκείνῳ ἔσπενδον τηνικαῦτα καιροῦ. Plutarchus in *Sympoſ. 7. ſapientum*: Σπείσαντες οὖν μούσαις, καὶ ποσειδῶνι διαλύωμεν (εἰ δοκεῖ) τὸ συμπόσιον. Idem 7. *Sympoſ. Probl.* citans verſum illum Homeri,

Σπένδοντας δεπάεσσιν ἐϋσκόπῳ ἀργειφόντῃ
Ὧι πυμάτῳ σπένδεσκον ὅτε μνησαίατο κοίτου.

----- *ultimo*

Mercurio libans cùm jam dare corpora ſomno
Eſt animus. -----

Nonne conjungunt, inquit, *cum vino rationem, quando ut præſenti*, καὶ συνεπισκοποῦντι τῷ φρονιμωτάτῳ θεῷ, *& una diſpicienti prudentiſſimo Deo vota faciunt* (κατεύχονται) *jam diſceſſuri.* Athenæus libro 19. *Cùm conſurrexiſſent atque libaſſent, reliquum quod erat meri, dederunt famulo, qui illis poculum porrexerat exhauriendum.* Ariſtophanes: σπεῖσον ἀγαθοῦ δαίμονος, ſcilicet κρατῆρα, pro τὸ μετὰ τὰς τραπέζας ἄκρατον σπεῖσον, quum videlicet bono genio libatur, ut proſperam mittat fortunam. Verùm de hoc poculo Dæmonis alio in loco plura dicentur.

Notandum quoque quod Euſtathius ſcribit Ιλ. Α. de libationum uſu: Οὐ γὰρ λείβειν, inquit, οἶνον καιρὸς οὐ μόνον κατὰ τὰς θυσίας, ἀλλὰ καὶ κατ᾽ ἀρχὴν ὁδοιπορίας, καὶ ἀπόπλου, καὶ ὕπνου, καὶ ξενίας καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Mos quoque fuit veterum Romanorum, ut vinum novum libarent Diis immortalibus, priuſquam ipſi guſtarent: cujus rei exemplum habes in Od. 31. lib. 1. Horatii:

----- *Quid orat, de patera novum*
Fundens liquorem?

Et Od. 5. lib. 4.

Te multa prece, te proſequitur mero
Defuſo pateris.

Ad eundem modum idem Poëta alludit lib. 2. Satyr. 2.

Ac niſi mutatum parcit defundere vinum:

Ubi codices alii, ut vulgati, habent *diffundere*: alii *defundere*, quæ ſcriptura Lambino verior videtur, ut ſit ſenſus: *Tantùm abeſt ut hic Avidienus vinum Diis libaret, deinde ipſe biberet, ut non niſi corruptum & acidum defunderet, &c.*

Dii poſtremò, quibus convivantes libare ſolebant, a Græcis dicti ſunt Dii παρασπόνδιοι, ut erant Mercurius, bonus Dæmon, &c. Piſidæ, teſte Nicolao *de mor. gent.* convivantes parentibus, ut alii Diis paraſpondiis, ἀπάρχεσθαι, id eſt, *primitias libare* ſolebant.

FINIS LIBRI SECVNDI.

ANTIQVITATVM CONVIVIALIVM

LIBER TERTIVS:

PARTIM IPSVM SVBSTANTIALEM, CONVIVIORVM ACTVM (QVI IN CIBI POTVSQVE SVMPTIONE, ET IN COLLOQVIIS MVTVIS VIDETVR CONSISTERE) PARTIM ILLA QVAE CONVIVIA VEL COMITANTVR, VEL CONSEQVVNTVR, COMPLECTENS.

CAPVT I.

DE CIBORVM APPOSITIONE, FERCVLORVM NOMINIBVS, PERSONIS ILLA APPONENTIBVS, DE EORVNDEM NVMERO ET ORDINE. CVIVSMODI CIBORVM GENERA ANTIQVITVS PRIMO FVERINT APPOSITA, ET IN GENERE QVIS CIBORVM INGERENDORVM SALVBRIS ORDO DE MEDICORVM SENTENTIA.

Hactenus ferè dictum de iis quæ convivium antecedunt, nunc de ipso convivii, ut ita loquar, actu dicamus. Ac convivium quidem omne in duas ferè principes partes videtur posse dividi: nempe in mensam primam & mensam secundam. Primò autem omnium dicendum de ciborum appositione, exordio ducto a nominibus.

Ciborum nomina Latina.

Ferculum quid. Ferculum unde dictum.

Ferculum æquivocum.

Dapes igitur sive cibi qui apponuntur, *fercula* Latine dicuntur. *Ferculum*, teste Nonio, *est missus cibi, ita dictus quòd mensæ inferatur. Ferculum* dictum a *ferendo*, Prisciano teste libro quarto, per quod vas ipsum epularum propriè intelligitur, aliquando cibos ipsos significat. Horatius:

Multaque de magna superessent fercula cœna.

Appellantur etiam *τράπεζαι*, Polluci mensæ primæ, secundæ, tertiæ. Latinè quoque *mensæ* pro ferculis. Isidoro *Ferculum* missus carnium. Petron. Arbiter; *Postquam ferculum allatum.* Aliàs etiam pompæ triumphalis gestamina *fercula* appellantur: ut simulachra oppidorum, Deorum, spolia hostium, coronæ, machinæ, pegmata, & id genus alia, quæ ferri solent in pompa triumphali. Sic *fercula ludorum*, fercula quæ in ludis: quæ in sacris feruntur, *sacrorum*: de quibus sic Cicero: *Cavendum est, ne tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut similes pomparum ferculis esse videamur.* Idem repetitum a S. Ambrosio his verbis lib. 1. *de officiis*: *Sunt qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum.* Livius *ferculum* appellat lignum, quo suspensa opima spolia gerens Romulus in capitolium ascendit. *Fercula* etiam missus a Latinis fuerunt appellati: unde Gallica vox *mets* idem significans, ut Ælius Lamprid. in vita Heliogabali: *Celebravit item tale convivium, ut apud amicos singulos singuli missus appararentur.* Et paulò post: *tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederentur.* Item paulò post: *Sybariticum missum semper exhibuit ex oleo & garo, quem quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt.* Idem auctor de eodem Imperatore, *Exhibuit parasitis cœnas de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in mensam mittebat his eduliis picta quæ apponerentur, quot missus esset habiturus.* Idem ait, *Heliogabalum solitum struere omnes missus carne phasianorum.* Ut autem *fercula*, sic *missus* quoque *ludorum* dicuntur, ut Suetonius in *Domitiano*: *In his Circensium die, quò facilius centum missus peragerentur, singulos a septenis spatiis ad quina corripuit.* *Cœna* etiam vocabulum nonnunquam pro missu accipitur: ut missus piscium, *cœna piscium*: missus avium, *cœna avium* dicebatur. Hinc etiam nonnulli Cœnam Dominicam volunt *Missam* dictam, quòd uno missu seu ferculo constet, nempe corpore Christi: sed hoc videtur esse argutum.

Missus.

Missus Sybariticus.

Cœna pro missu.

Græcè ferculum ciborum περιφερόμενον, (Plato *de Repub.* οἱ λίχνοι ἀεὶ τοῦ περιφερομένου ἀπογεύονται) παρατιθέμενον, & παράθεσις dicitur Athenæo lib. 5. διακόνους ἢ τοὺς τὰς παραθέσεις φέροντας αὐτὸς εἰσήγαγεν.

Hebraicè נשאת, *Niseth levanda*, *ferculum*, *donarium* dicitur 2. Sam. 19. *An comedendo comedimus cum Rege, aut ferculum accepimus?* נשא *Nasa*, quod *ferre*, *levare* significat. Italicè *vivanda que si porta in tavola.* Germanicè, Tracht: nimirum a tragen / hoc est, *ferendo*, unde & Latinis *ferculum*, & etiam Gricht vocant.

Quin

Quin etiam ein Gang propriè appellant, quoties simul fercula aliquot mensæ imponuntur: Gallicè *assiette* dicitur: Tracht autem, sive Gricht ipsa fercula, sive cibos varios qui apponuntur, quos Galli *mets* appellant

Cibi Latinè propriè *apponi* dicuntur, ut & mensæ. Cicero *ad Atticum: Lancibus & splendidissimis canistris, non olusculis nos soles pascere, quid te in vasis fictilibus appositurum putem?* Idem *ad Atticum* epistola decima quarta: *Hæc ad te scripsi apposita secunda mensa apud Vestorium.* Idem *in Verrem*: *Is cœnam isti dabat, apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia.* Idem in *Tusculan. Zenocrates adduxit legatos ad cœnam in Academiam, iis apposuit tantùm, quod satis esset nullo apparatu.* Plinius libro trigesimo sexto: *Extant leges Censoriæ, glandia, & glires in cœna apponi vetantes.* Plinius junior in *Panegyr. Non ante medium diem distentus solitaria cœnis spectator convivis tuis immines: nec jejunus ipse eructans non tam apponis, quàm objicis cibos.* Apud Plautum in *Amphit.*

Cœna apposita est, cœnavisti mecum,

Hoc est, Dapes in cœnam appositæ sunt. Sic in *Trinumo,*

Apposita sit cœna, popularem quam vocant.

Inferre etiam *cibos* Latinis idem est quod *apponere*. *Continuare dapes*, est novas assiduè dapes apponere. *Mensas epulis extruere.* Ciceroni *Mensæ extructæ*, idem. *Mensas extruere* Plauto.

Græcè παρατιθέναι Marc. 8. παραθέσεις φέρειν, Athenæus lib. 5. Germanicè, aufftragen / fürtragen / fürlegen. Οδ. ϱ.

> Σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα
> Εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα χαριζομένη παρεόντων
> Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλεν.

Εἰσκομίζειν, Philoni. ἔπειτα γοῦν καὶ πλείους εἰσκομίζονται τράπεζαι. Vox τράπεζαι hîc *fercula* videtur significare, ut etiam *mensæ* apud Latinos. Virgilius,

Exempta fames epulis, mensæque remotæ.

Hebraicè שום *Sum*, *apponere cibum* significat, ut Genesis 45. *Jussit*, scilicet Josephus, *apponere panem*, hoc est, cibum. Et paulò post: *Et apposuerunt illi seorsim, & illis seorsim, Ægyptiis qui comedere solebant cum eo seorsim. Non enim possunt Ægyptii comedere cum Hebræis panem, quia illud abominatio est.* Hîc videtur esse contradictio. Nam postquam dixit, *Ægyptios cum Josepho comedere fuisse solitos*, paulò post subjungit, *Ægyptiis non esse licitum cum Hebræis cibum capere.* Respondeo: Josepho de more Principum cibos seorsim fuisse appositos.

Hæc de nominibus, quoad verò rem ipsam, hoc est, ipsam ferculorum, sive ciborum appositionem, tria videntur esse observanda. Primò a quo illa apponantur: secundò, quot, & qualia fercula: quo ordine, quæ primo, quæ secundo loco, & ita deinceps: tertio, quo modo, quibusve ritibus atque cæremoniis.

In ferculorum appositione 3. notanda.

Personæ cibum apponentes.

Quoad primùm, apud Homerum ancillas ferè, atque famulos legimus munus hoc obiisse, ut passim ex illius scriptis apparet: exempla vide suprà in titulo de ministerio conviviali. Athenæus libro quinto, eos, qui hoc ministerio funguntur, appellat διακόνους τοὺς τὰς παραθέσεις φέροντας, qui erant δειπνοφόροι a Latinis *dapiferi*: à Germanis Truckjassen / a ferendis cibis, a Gallis *panetiers* nominantur, de quo suprà. Suidas, δειπνοφόροι αἱ φέρουσαι τοῖς κατακεκλημένοις ἐν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερῷ τὰ δεῖπνα. Coquorum quoque antiquitùs id videtur munus fuisse. Abrahamus cùm tres illos angelos hospitio convivioque excepisset, ipsemet butyrum, lac, & vitulum coctum apposuit: & juxta eos sub arbore stetit, illis nimirum ministrandi causa, cum Sara uxor ejus esset in tabernaculo cibis parandis atque coquendis intenta. Gedeon coqui munere fungitur, apparavit hœdum caprarum, panes azymos confecit, carnes posuit in canistro, jus posuit in olla, eduxit ad angelum, & obtulit. Judic. 6. Hic *offerre* pro cibum apponere, aufftragen. In epulis illis admirandis, quibus Christus ingentem hominum multitudinem perexigua panis atque piscium portione pavit, ipsi discipuli cibos illos a Christo acceptos, atque benedictos seu consecratos populo παρέθηκαν, id est, apposuerunt, atque distribuerunt, sicut Marc. 6. v. 8. & Matt. 14. scriptum extat. Ejus Theophylactus hanc rationem affert, ut nimirum discipuli cibos illos suismetipsis manibus attrectantes, tantò altiùs ac firmiùs tantum miraculum animis, memoriæque suæ imprimerent. Hodie ipse aliquando paterfamiliâs sive convivii dominus, aliquando materfamiliâs, nonnunquam famuli, & ancillæ hoc apponendi cibos ministerio funguntur.

Ferculorum numerus.

Nunc secundo de ferculorum numero, qualitate, & ordine intervalloque dicendum. Romæ olim magnificus apparatus erat, ut epulæ trinis ferculis distinguerentur: qui mos hodie durat in plebe, ubi tres adhibent missus, drey trachten: hic ad sena, & plura itum est fercula, ut & hodie apud nobiles. In piscibus Romani summam luxuriam tripartitò distinguebant, ut una esset murænarum, altera luporum, tertiæ mixtionis: & ne frigescerent, focos quoque cum opsoniis transferri institutum est: quod hodie quoque videas: foculos enim patinis subjiciunt ignitis carbonibus. Servius in illud Virgilii,

Fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant
Atria, ——

Tangit, inquit, *Romanam historiam: nam ut ait Cato, & in atrio, & duobus ferculis epulabantur antiqui.* Augustus potentissimus Romanorum Imperator, teste Suetonio, cœnam ternis ferculis, aut, quum abundantissimè senis præbebat, ut non nimio sumptu, ita summa comitate. Antoninus Heliogabalus, teste Lampridio, exhibuit aliquando tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum. Olim in Germania

mania tria ferè tantummodo fercula apponebantur, ein vorässen / mitteläßen / vnnd nachäßen: hodie longè aliter fieri solet, ferculorum numerus quotidie augetur & amplificatur.

Quod ad ferculorum ordinem attinet, quorum alia primo, alia secundo loco, alia deinceps apponuntur, de eo variæ & olim fuerunt, & hodie sunt multorum populorum consuetudines: varia item medicorum de eodem judicia atque sententiæ: τοῖς ὀψοποιοῖς καὶ τραπεζοκόμοις σφόδρα μέλει τί πρῶτον, ἢ τί δεύτερον, ἢ μέσον, ἢ τελευταῖον ἐπάξουσι, ait Plutarch. *Sympos. probl.* 2. Turnebus in suis *Adversariis* annotat in lautissimis cœnarum conviviis primos ferculorum missus, primosque gustus, & tanquam primam mensam antiquitùs *ante cœnam* fuisse appellatam. Secunda autem fercula, ipsumque veluti solidum corpus cœnæ, *cœnam* fuisse dictam: hoc duobus testimoniis probat. Primum est Macrobii, cujus hæc sunt verba: *Ante cœnam*, inquit, *echinos, ostreas crudas, quantum vellent, deinde mox in cœna summa, synciput, aprugnum, &c.* Alterum est Petronii: *Jussi ergo*, inquit, *discubuimus, & gustatione initiati, vino etiam Falerno inundabamur. Gustatio*, inquit Turnebus, *est ei prima pars cœnæ, gustus aliis: ut Martiali,*

Ferculorum ordo.

Ante cœnam. cœna

Gustatio sive gustus.

Prima tibi dabitur ventri lactuca, movendo,
Utilis, & porris fila resecta suis.
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ.
Hæc satis in gustu, cætera nosse cupis.
Mentiar, ut venias, pisces, conchylia, sumen.

Nonnulli etiam eam cœnæ partem *Prandium* volunt ab Horatio dictam, quod, quàm propriè cœnam vocabant, antecedat, cùm ita canit: Prandium pro gustu.

----- Ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet. -----

Hoc enim, ut vult Justus Lipsius, dicere Cælius voluit, initio cœnæ mora ponenda esse: quod Galenus & medici probant: non autem nihil sumendum præter mora. Vocarunt ante cœnam etiam *Promulsidem*, ut Turnebus in suis *Adversariis*, & Justus Lipsius libro tertio *Antiquit. lect.* annotant, ideo videlicet, quod daretur ante mulsum. Nam antiqui in conviviis primum haustum e mulso ducebant, illoque primam sitim sedabant: quòd & vacuis & inanibus venis initio dulcem esse potionem putarent infundendam. Itaque ex austero vino mulsum conditum reprehenditur. *Aristippus*, inquit Horatius, *forti miscebat mella Falerno.* Mulsum itaque principio cœnæ vel confectum apponi moris fuit, vel ejus loco separatum vinum & mel, ut conviva quisque pro arbitrio id temporis mulsum sibi conficeret. Hinc apparet cur Varro scripserit lib. 3. *de re rustica*: *Faunus venit in altaria, & mel ad principia convivii, & in secundam mensam administratur.* Lusit in hac promulsidis voce nimiùm argutè scortillum illud apud Petronium, quæ protracto peculio pueri Gytonis: *Hoc tam rude*, inquit, *belle cras in promulside libidinis nostræ militabit. Nam hodie post asellum diaria non sumo.* Significans videlicet illud pueri vasculum minutum, quasi ante cœnam sibi fore ad libidinem solidam, & robustam irritandam, interprete Lipsio. Alii promulsidem interpretantur, quòd vice mulsi convivis ad appetentiam provocandam dabatur. Athenæus lib. 4. prima fercula, sive missus eleganter cœnæ procemium appellat ex Dromea parasito sic scribens. Is enim interrogatus in urbe ne, an in Chalcide lautiores cœnæ fierent, respondit τὸ προοίμιον τῶν ἐν Χαλκίδι δείπνων χαριέστερον εἶναι τῶν ἐν ἄστει παρασκευῆς, τὸ πλῆθος τῶν ὀστρέων, καὶ τὴν ποικιλίαν, προοίμιον εἰπὼν δείπνου· Hoc est, *Procemium cœnæ in Chalcide illustrius esse, quàm totum Atheniensium apparatum*: sub nomine procemii ostreorum copiam, & varietatem indicans: Tale est illud Alexidis Poëtæ:

Promulsis.

Mulsum initio cœnæ apponi solitum.

Πρῶτον μὲν ἔσται παρὰ Νηρεῖ τινι ἰδὼν
Γέροντι φυκίοισιν ἠμφιεσμένῳ
Ἔλαβον ἐχίνους τε, ἔστι γὰρ προοίμιον
Δείπνου χαρίεντος ταῦτα πεπρυτανευμένα.

In primis ostrea apud Nereum quendam intuitus
Senem fucis indutum
Accepi acerinaceos: nam initio
Cœnæ eleganter apparatæ hæc apponentur.

Primi ergo cibi sive fercula quæ fuerunt apposita antiquitùs & *principium cœnæ*, & προοίμιον, *procemium* & *antecœna, gustatio, gustus, prandium, promulsis* fuerunt a veteribus appellata, ut ex testimoniis commemoratis liquet. Germani Vorässen. Hebraicè פרפראות שלפני המזון *Parperaoth Schaliphne Hamason*, quod Galli vocant *entrée de table*, introitum, hoc est, principium mensæ: at פרפראות שלאחרת *Parperaoth Schalacharits*, contrarium, quòd scilicet Galli vocant *sortie de table*, hoc est, exitium cœnæ. Quamvis, ut volunt nonnulli Rabbinorum hoc nomine פרפראות *Parperaoth* volunt significari quicquid unà cum pane editur, (quod Itali vocant *companatico*) ut sunt legumina, olera & his similia: At קנוח סעודה *Kinuah Seudah*, esse omne id quod post convivium editur, quod Galli vocant *la deserte*, sive *sorte de table.* Omninò ergo secundum antiquos cœna potest dividi vel in tres partes: nimirum in antecœnam, gustationem sive gustum, & in cœnam propriè dictam, & in mensam pomorum, sive mensas secundas. Vel in duas partes, in mensam primam, & mensam Cœnæ caput quid.

secun-

secundam. Mensa prima rursus in duo membra, nimirum in antecœnam, & cœnam. Cœnæ porrò propriè dictæ præcipuum ferculum, *caput cœnæ* dictum fuit. Exempli gratia, si gallina, pulli, oliva, rapula, capparis, & alia hujusmodi secundo loco fuissent apposita, hæc omnia simul *cœna* fuerunt dicta: caput autem illius cœnæ, gallina. Ita Martialis:

----- Mulus tibi quatuor emptus
Librarum cœnæ pompæ caput fuit.

Cicero 5. *Tuscul. negavit se jure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum.* Simili ratione Græci κεφαλὴν δείπνου appellant. Alexis:

Βοτρύδιόν τι χερεῖον ἐν πολημίῳ
Ἐπιπαίζεται, κεφαλὴ δ' ἢ δείπνου γίνεται.

Ostrea apud veteres ante duos cibos comedebantur.

Veteres porrò in principio cœnæ ostrea præbere consuevisse, præ cæteris Plutarchus quoque videtur testari. 8. *Sympos.* 9. his verbis, αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι, τῶν πρότερον ὀστρέων ἔχειν ὠμὸν λάχανον, ὥσπερ ἔφησεν Πλάτων ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μεταχθεῖσαι, τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς ἐσχάτης τάξιν ἔχουσιν. Hoc est, *Mensæ frigidæ, quòd ante ostrea olus crudum habent, ut dicit Plato, a cauda ad os translatæ, primum pro ultimo ordinem habent,* ita locum hunc correxit, & vertit Mercurialis lib. 4. *lect. variarum.* Addit ibidem: *Ex quo conjicere quoque licet, mensas frigidas vocatas, quas nunc acetaria Latini appellant, & antiquitus in ultimo mensæ ponebantur, tempore Plutarchi cepisse primo loco in mensas ferri.* Cui etiam adstipulari videtur Martialis, qui lactucam prius ultimo loco positam, sua ætate ante alias dapes esitatam testatur hoc distticho:

Lactuca.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Vixit autem Martialis iisdem temporibus, quibus Plutarchus: cùm alter sub Domitiano, alter sub Trajano, qui Domitiano post Nervam successit, floruerit: ut hac ratione potuerit uterque usum acetariorum eo tempore innovatum nobis significare. Huc quoque facit Pliniana illa convivii descriptio in epistola *ad Erutium: Heus tu promittis ad cœnam, nec venis. Dicitur jus, assem impendium reddes, nec id modicum. Paratæ erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulso & vino. Nam hanc quoque computabis, imò hanc inprimis, quæ perit in ferculo, oliva, bætitæ, cucurbitæ, bulbi, &c. An tu apud nescio quem ostrea, vulvas, echinos.* Ostrea porrò ante alios cibos comedendi vetus fuit consuetudo, sicut & herbas loco cœnæ ultimo antiqui ponere consueverunt. Plutarchus itaque declarans novorum morborum causas, inter alias commemorat τὴν περὶ τὰ σιτία καὶ τὰ ὄψα, καὶ τὰς ἄλλας διαίτας τοῦ σώματος διαλλαγὴν, hoc est, *Novum cibariorum usum, novamque victus sive diætæ rationem,* & τὴν τάξιν αὐτῶν ἐδεσμῶν καὶ μετακόσμησιν οὐ μικρὰν ἔχειν διαφορὰν, hoc est, *ordinem etiam ciborum immutatum non leve discrimen afferre.* Subjungit præter commemoratum exemplum aliud de propomatis: de quibus suo in loco dicetur: nunc enim de cibis tantùm agimus. Lactucam porrò antiquorum epulis finisse, ille quoque Moreti scriptor testatur hoc versu:

Lactucam antiquorum epulas finiisse.

Grataque nobilium requies lactuca ciborum.

Et Athenæus lib. 2. οἱ μέν τοι ἀρχαῖοι πάντες πρὸ τοῦ δειπνεῖν οὐ παρέφερον οὐδὲ μήτρας, οὐδὲ θρίδακας, οὐδὲ ἄλλο τι τῶν τοιούτων ὥσπερ νῦν γίνεται, ubi multa de ejus viribus tradit inter alia: κοινῶς μέντοι ἡ θρίδαξ (quæ etiam θριδακίνη dicitur) εὐστόμαχος, ψυκτική, εὐκοίλιος, ὑπνωτική, εὔχυλος, ἐφεκτικὴ τῆς πρὸς τὰ ἀφροδίσια ὁρμῆς, hoc est, *Lactuca omnino stomacho confert, refrigerat, ventrem solvit, somnum conciliat, bonum gignit succum, Veneris vim atque impetum sedat*: unde etiam εὔνουχος a Pythagoricis, ut ibidem attestatur, fuit appellata: & Callimachus finxit Venerem Adonim inter lactucas abscondisse: qua fabula significare voluit, ὅτι ἀσθενεῖς εἰσὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια οἱ συνεχῶς χρώμενοι θρίδαξι. His adde quòd Aristoxenus homo voluptuarius, eodem teste libro 1. non dubitavit lactucas in horto suo vesperi, atque mane mulso irrigare, quas *virides placentas* appellabat e terra natas. Causam autem cur veteres cœnam lactucis claudere sunt soliti, hanc putat esse Christoph. à Vega lib. 1. cap. 7. quòd antiqui vim quandam ventrem cohibendi, & ipsum roborandi tribuebant lactucæ: quæ verò talis naturæ sunt, ante reliquos edi non debent, ne eorundem descensum inhibeant. Galenus tamen novit lactucam nec astringere, nec laxare: ac facilè evinci a natura, ac proinde ad primas mensas ipsam ministrari præcepit, præter id quòd præparatio ex sale, oleo & aceto ipsa per ventrem celeriùs demittit.

Lactucæ vires.

Cur veteres cœnam lactucis claudere sint soliti.

Ova quoque olim in principio prandii apponebantur: unde est illud Horatianum, *ab ovo usque ad mala,* lib. 1. Satyr. 3.

------ Si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret.

Ova.

Hinc Lambinus: *Proverbium,* inquit, *est, quod valet, a prima mensa ad secundam.* Cicero libro nono Epistola ad Varronem: *Integram famem ad ovum affero.* Apponebant enim veteres etiam ova in prima mensa. Hinc latiùs apud Horatium cœnarum artem editurus, primùm omnium de ovis tradit:

Longa quibus facies ovis erit.

Idem testatur Varro in *Endymionibus* apud Nonium his verbis: *Discumbimus mussati, dominus maturat ova, ac cœnam committit.* Ita legendum tribus Nonii locis Justus Lipsius censet in suo lib. *antiquitat. lect.* aut certè, *Dominus maturo ovo cœnam committit.* Nonius enim ipse disertim explicat: *Committit,* id est, incipit, nimirum ut Latinè *committi* dicuntur ludi. Idem ex Athenæo cognoscere licet, quamquam idem tradit lib. 14. etiam in secunda mensa apponi solita his verbis: ἐδίδοτο δὲ καὶ ὠὸν ἐν τῇ δευτέρᾳ τραπέζῃ. Ovum

cur

cur in Bacchicis orgiis fuerit consecratum, & gallinane prius fuerit, an ovum, vide Plutarchum *Sympos.* 2. *Problem.* 3. Horatius lib. 2. Satyr. 4.

Mora.

----- *Illc salubres*
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet. ------

Levinus Lemnius in *explicat. Herb. biblic. Fructus*, inquit, *hujus arboris* (mori) *salubriter expetitur in refrigerandi usum, æstivis præsertim mensibus, quibus potissimum viget: idque in prima mensa, atque ante cibum assumptus: nam peracto prandio, aut cœna in corpus admissus putrescit ac morbis ex corruptione excitatis seminaria ministrat, ut cerasa, pruna, corna, persica, uvæ recentes, &c. quæ ante cibum refrigerant, sitimque sedant ac calidam hepatis intemperiem mitigant ac reprimunt. Nec verò gravatè post cibum admittere soleo, modò horum fructuum succus deglutiatur non admisso in corpus cartilagineo illo stamine, quod a pediculo, cui fructus adhærescit, per morum se porrigit. Sic enim vino exhilaratis fumos reprimit, ut poma succulenta, punica, arengia, limones & mala citrea, quæ absoluto prandio hoc efficiunt, ut quis minus ebrietati succumbat, & mens illi minus fumo ac vapore vini obnubiletur. Sic enim a naturali ratione non videri possit alienum, nec valetudini contrarium, quod Horatius de moris cecinit.* Hæc Lemnius, quæ ad loci hujus explicationem videntur facere. Lambinus in eundem Horatii locum: *Non dicit*, inquit, *Catius eum salubres æstates traducturum, qui, posteaquam se obsonio expleverit, prandium moris claudet, & terminabit (mea quidem sententia) sed qui nihil præter mora nigra & matura ex arbore decerpta, in prandio comedet. Nam perspicuè Galenus docet, mora esse principio apponenda.* Apud Venetos principium cœnæ olim fuisse gobium, Martialis hoc disticho testatur,

Gobius.

In Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Veteres cibum sumpturos rutam prius edisse, testis est Erasmus in *Adag. Ne festines.*

Ruta.

Porrò de ordine ferculorum ac sumendi cibi quæ sit medicorum sententia, nunc videamus. *Cibus*, inquit Galenus libro tertio de *Symptom. caus.* capite primo, *Parum conveniente ordine, aut intempestivè sumptus concoctionem vitiat.* Idem in eodem libro & capite: *Ciborum inconveniens ordo est, cùm fructus primò: deinde alia emollientia, ut oleum ex garo, sumuntur.* Idem libro secundo *de Aliment. facul.* capite *de Sycaminis*: *Ex cibis qui subducuntur, posteriores quidem sumendi, qui tarde permeant, omnium autem primi, qui celeriter pervadunt.* Celsus libro primo, capite secundo: *Cibus*, inquit, *a salsamentis, oleribus similibusque rebus melius incipit, tum caro assumenda, quæ assa optima aut elixa est. Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. Si quis itaque hoc parum valet, palmulas pomaque & similia melius primo cibo assumit.* Hìc Paulinus Celsi interpres, *Secunda mensa*, inquit *quæ fructibus & bellariis constat. Omnem enim cœnationem veteres in duas mensas partiebantur. Prior ovis, oleribus, salsamentis, carnibus adornabatur. Posterior fructibus ac bellariis.* Idem paulò post: *Cæterùm fructus posterioris mensæ ex arboribus illi decerpebant, uti priorem mensam e villa atque agro eximebant. Unde quod toto cœnationis tempore fieret, ab ovo ad mala factum dici solebat.* Valleriola libro secundo *loc. Com.* capite sexto: *Ordo*, inquit, *hic esse debet, ut quæ levia sunt, & alvum subducentia, prius: posterius verò, quæ plenius alunt, ingerantur: nec dura mollibus, nec astringentia subducentibus, nec crassiora tenuibus, nec concoctu gravia facilibus præmittantur.* Christophorus a Vega eadem de re adhuc diligentiùs & accuratiùs præcipit libro secundo *de art. med.* quæ quoniam utilia simul & jucunda sunt lectu subjiciam: *Ordo:* inquit, *est præscribendus, quo uti expediat in diversorum alimentorum usu in eadem mensa. Quidam enim voluerunt anteponenda esse alimenta quæ difficile coquuntur, iis quæ facilè: quoniam venter magis calidus est in fundo, ea parte qua carnosior & jecori proprior. Tali igitur ordine alimenta erunt ingerenda, ut æquo tempore omnia coquantur, ne crudum cocto misceatur. Id verò fiet, ubi quod difficilius coquitur antecedat, & imam ventris partem, quæ calidior est, præoccupet: quod verò faciliùs coquitur, superiorem, & minus calidam. Quidam contrarium asserunt, oportere dicentes alimenta ea primo loco assumere, quæ faciliùs coquuntur, ut cocta descendant, & reliqua deinde coquantur. Nam si ea antecedant, quæ difficiliùs coquuntur, ea quæ facilius coquuntur interim superata, & cocta non descendent, inferioribus nondum coctis, duæque inde sequentur noxæ. Prima quòd coctum crudo miscebitur: secunda, quoniam retentum quòd jam coctum est, corrumpitur, non gubernatum a natura. Alii verò medio quodam modo respondent distinguentes. Nam si parum interest inter alimenta, ita ut facilitate coctionis non longè superentur & superent, ea quæ difficiliùs coquuntur antecedere debent, reliqua subsequi, ut pari temporis intervallo à partibus ventris differentibus superentur. Quòd si magna intersit, expediet ea præcedere quæ faciliùs coquuntur, ut cocta citiùs statim descendant, neque ab aliis impediantur, aut eisdem misceantur & confundantur. Nos verò ad evidentem veritatis assequutionem & perspicuam doctrinam hac utemur distinctione. Alimenta quædam liquidam habent substantiam, quædam solidam: & ex solidis quædam citiùs, quædam tardiùs superantur a calore ventriculi: ventriculus autem non habet in partibus suprema, & infima parem calorem: siquidem infima crassior est & carnosior & jecori propiùs sita. Ubi alimenta eam habent differentiam, ut quædam liquida sint tenuis substantiæ, quædam solida, si ingerantur simul, nihil omnino refert, sive præcedant liquida, sive sequantur. Exemplum est jus carnis & caro, si quis hæc duo eadem mensa accipere debeat, nihil refert jus antecedere, aut subsequi: nam si antecedat, adveniente carne, facilè invicem miscentur & in unam deducuntur substantiam, masticata ac comminuta prius carne, quod in externis rebus conspicimus. Si namque in vas fundas jus aut aquam, deinde comminutam carnem statim caro jus imbibet, nedum in ventre, ubi calor comminuens hæc eadem commiscere solet. Si vero præcedat, sequatur tamen jus, totam carnis substantiam jus pervadet, cui ad amussim commiscebitur. Ea est ratio, ob quam sine manifesta*

Ciborum inconveniens ordo quis.

Quo ordine alimenta ingerenda.

Alimentorum distinctio.

festa noxa quidam ante, quidam post jus ingerunt, & potum (quamvis liquida substantia sit) cum cibis, & post cibos accipimus. Quòd si alimenta solida fuerint, sed disparis naturæ: aut liquida, sed crassæ substantiæ, uti fercula, quæ facilius coquuntur præire debent, subsequi verò reliqua, quod Galenus docuit libro secundo de Alimen. facul. *cap.* de Piscibus, *dicens*, quia & hujus communis edicti meminisse oportet, videlicet omnia cibaria pravum succum cum humiditate obtinentia, ex facili descendere, eoque prima mensa esse assumenda. *Rursus libro tertio* de ratione vict. acut. comm. 2. *inquit*: Nam perpetuò prius ingerenda sunt, & quæ faciliùs corrumpuntur, & quæ subducuntur magis. *Sed & ratio valida hanc comprobat sententiam. Cùm enim alimentum, quod facilè coquitur, præassumitur, prius coquitur ac descendit, deinde aliud sequitur, quod eò diutiùs immoratur, quò longiore tempore eget ad coctionem. Non enim coctum alimentum in ventre momento temporis descendit, sed quod superiori parte continetur, tardiùs: decet igitur id tardiùs coqui, uti tardius descendit, ut diu retentum perficiatur: & tam id quod facilè, quàm id quod difficile coquitur, parum a cempleta coctione descendat.. Ubi verò unum tantùm alimentum assumatur, quemadmodum pars superior tardiùs coquetur, ita magis immorabitur, donec perficiatur. Ex his excluditur opinio dicentium, quod si pari intervallo distent ciborum naturæ cum caloribus partium ventris, is qui magis reluctatur coctioni, antecedere debet, ut uno tempore omnino coquantur: nam inde fieret ut totum alimentum in brevissimo tempore descenderet, aut superior pars corrumperetur. Primum autem non fit, quoniam quivis facilè agnoscet, plus quàm duarum horarum tempore, ventrem onus in intestina deponere, quo tempore levior sensim redditur venter. Secundum igitur, id est, alimentum in ventre corrumpi, accidet, si duarum horarum spatio coctum retineatur in ventre. Excluditur quoque aliorum placitum, qui dixerunt alimenta tardioris coctionis antecedere debere, eadem re validiore ratione.*

CAPUT II.

DE MENSIS SECUNDIS, ILLARUM NOMINIBVS, MATERIA VARIA ATQVE MVLTIPLICI. DE FERCVLORVM EDVLIORVMVE VARIETATE VITANDA CEV VALETVDINI ADVERSA. GESNERI JVDICIVM DE MODO ET ORDINE IN FERCVLIS ADHIBENDO. DE CERTIS CVM ANTIQVIS TVM RECENTIBVS RITIBVS AC INSTRVMENTIS, IN CIBORVM APPOSITIONE ADHIBITIS.

Nunc dicendum de secunda mensa, quæ quasi secunda pars est convivii sive catastrophe, quam etiam *convivii epilogon* appellare possis, secundum illa Dionysii Halycarnassei verba in lib. *de arte Rhetor.* ἡγοῦνται τοὺς ἐπιλόγους ὥσπερ ἐν δείπνῳ τραγήματα εἶναι τῶν λόγων, hoc est, *Existimant epilogos sermonum perinde se habere, atque bellaria in cœna. Secundæ mensæ* nomine veteres intelligebant quosvis cibos, suaves præsertim ac delicatos, qui ultimo loco convivis jam cibo potuque expletis ac satiatis apponebantur, ad illorum famem sitimque jam extinctam, quasi rùrsus accendendum & irritandum. Hic enim fuit mensæ secundæ finis, ut & Galenus lib. 1. *aliment.* & Aristoteles *Sect.* 21. *Prob.* 6. testantur: unde etiam non minus eleganter quàm verè παραμύθια ἡδονῆς, hoc est, *voluptatis solatia*, seu potiùs *irritamenta* a Platone fuerunt appellata, licet honesta ratione & physica videantur introducta ad concoctionem & digestionem ciborum. Athenæus lib. 14. docet etiam apud veteres fuisse secundas mensas πολυτελῶς μεμεριμνημένας, id est, *eleganter & accuratè apparatas*, idque confirmat Pindari testimonio. Unde etiam quidam apud Athenæum lib. 14. ad mensas secundas accommodat illud, αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, Der Schlaaffttrunck ist besser dann das Nachtmal. Clemens Alexand. lib. 2. *Pædag.* cap. 1. οὐκ ἔχει γὰρ ὅρον παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἡ λιχνεία. καὶ γὰρ εἰς τὰ πέμματα, καὶ τὰ μελίπηκτα, πρὸς δὲ καὶ εἰς τὰ τραγήματα ἐξώκειλεν ἐπιδορπισμάτων πλῆθος ἐξευρίσκουσα, παντοδαπὰς θηρωμένη ποιότητας, hoc est: *Hominum ingluvies nullum habet modum. In liba enim placentas & bellaria provecta est, merendarum & cœnæ appendicum multitudinem inveniens.* Dicæarchus lib. 1. *expeditionis Trophonii*, teste Athenæo de iisdem sic scripsit: *Accessit secunda mensa, quæ in cœnis magnum sumptum præbet: Coronæ, unguenta, suffimenta, quæque hæc consequi seu comitari consueverunt. Dabatur ovum etiam in secunda mensa, nec non lepores, turdi cum placentis mellitis inferebantur.* Hinc etiam ille apud Athenæum existimat meritò de mensis secundis illud Euripidis posse usurpari, ὁρᾷς τὸ δεύτερον τράπεζον ὡς ἡδὺς ὁ βίος. Mensæ secundæ insigne luxus irritamentum, inquit Cælius lib. 7. cap. 10. non aliunde, quàm ab Ionia legimus irrepsisse. Verè dixit Alcetes in Polyclea, *ut* testis est Athenæus lib. 14.

Ὁ πρῶτος εὑρὼν κομψὸς ἦν τραγήματα,
Τοῦ συμποσίου γὰρ διατριβὴν ἐξεῦρέ πως,
Ἀργοὺς ἔχειν μηδέ ποτε σιαγόνας,

hoc est,

Scitus fuit is qui prior bellaria
Convivii moram venustam reperit.
Habere maxillas nec unquam inutiles.

Mensæ secundæ nomine veteres quos cibos intellexerint.

Men-

Mensas secundas etiam in honorem Deorum exhibere consueverunt. Ex his ergo adhuc commemoratis constat, mensas has secundas minime profectò secundas, sed adversas potiùs & inimicas hominum animis atque corporibus, ad voluptatem, ad luxuriam, ad gulam & ebrietatem totas esse comparatas: quas idcirco omnino ex hominum, præsertim Christianorum, consuetudine sublatas vehementer sanè esset optandum. Nam dici satis non potest, ac ne cogitari quidem quot & quanta ex secundis his mensis mala atque incommoda proficiscantur: cùm tamen Pontanus lib. 2. *de conviv.* cap. 4. secundam mensam magnum conviviis splendorem afferre dicat, cui etiam magnopere videatur esse studendum. Nam *ut optimo cuique Poëtæ*, inquit ille, *ultimus actus magnæ curæ est; sic ab iis, qui convivia parant, magna secundæ mensæ cura est suscipienda.*

Hæ porrò mensæ secundæ variis nominibus a Græcis insigniuntur. Dicuntur enim τράπεζαι δεύτεραι, hoc est, *mensæ secundæ*: & in singulari, τράπεζα δευτέρα, *mensa secunda*, ad differentiam mensæ primæ: nam ut suprà dictum, veteres suas epulas in has quasi duas partes distribuebant. τραπέζας etiam simpliciter, hoc est, mensas, nimirum κατ' ἐξοχὴν a veteribus dictas fuisse Athenæus testimoniis Archæi & Aristophanis probat. Aristoteles in lib. *de Ebrietate*, δευτέρας τραπέζας vocat, teste Athenæo. Idem non malè dicit a primo δευτέραν τράπεζαν fuisse appellatas in singulari numero. Antiphanes, Εἶτ' ἐπεισῆγε χορείαν, ἢ τράπεζαν δευτέραν. καὶ παρέθηκε γέμουσαν πέμμασι παντοδαποῖς, hoc est, *Post introduxit choream, sive secundam mensam, & apposuit onustam bellariis multiplicibus.* — Græca nomina mensam secundam significantia.

Appellantur etiam τράπεζαι ἐπιδόρπιαι, ἐπιδορπίσματα, ut Athenæus lib. 14. τοιούτων ἡμῖν παρατιθεμένων ἐπιδορπισμάτων, & μεταδόρπια, ἐπιδορπισμοὶ, ἐπιδορπήσασθαι ἔλεγον τὸ ἐντραγεῖν, & ἐπιδειπνεῖσθαι, quod Athenæus Archippi, & Herodoti testimoniis comprobat. ἐπιδειπνίδες, τραγήματα, Aristoteles in lib. *de Ebrietate* τραγήματα dicit mensas secundas a veteribus appellari: τρωγάλια γὰρ ἐπιδορπισμὸν εἶναι, hoc est, *nam bellaria esse secundas mensas.* τραγεῖν, φαγεῖν Suidæ nimirum, ut Eustathius tradit Od. Z. ἐκ τοῦ τρώγειν, aorist. 2. ἔτραγον, unde τράγος (*hircus*) ζῶον βορώτατον, animal voracissimum: item ex τρώγειν, & τραγεῖν, τρωγάλια, τράγημα, τραγηματίζω. τράγημα autem atque βρῶμα perinde differt, atque ἔδεσμα, & τρωγάλιον. Ibidem: ὄντως γάρ ἐστι δορπισμὸς τραγηματισμός ὥς ἐστι. καὶ δεῖπνον ἕτερον παρατίθεται τραγήματα. Unde φιλοτραγήμων Athenæo ὁ χαίρων τραγήμασι, & opponitur φιλοδείπνῳ. Ἐπαίκλια quoque καλεῖσθαι τὰ μετὰ τὸ δεῖπνον τραγήματα Athenæus Apionis, Diodori, atque Pamphili testimoniis comprobat. ἔπαικλα & ἐπιδόρπια a barbaris ἀνάδειπνα vocari testis est Eustathius Od. M.

Dicuntur quoque ἐπιφορήματα· cujus vocis hæc notatio ab Athenæo affertur ex Tryphone: *Tryphon, inquit, antiquam fuisse consuetudinem, ut convivarum singulorum, priusquam ingrederentur,* μοῖραι, id est, *portiones mensis essent appositæ: postea autem multa & varia inferri consuevisse: unde* ἐπιφορήματα, hoc est: *illationes fuerint appellatæ, ab inferendo, quasi secunda fercula.* Herodotus, σιτίοισι δὲ ὀλίγοισι χρέονται, ἐπιφορήμασι δὲ πολλοῖσι, hoc est, cibis paucis utuntur, bellariis autem multis. Hinc proverbium, ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα τέλος τί ἐστιν καὶ ἐναιμόνιον (videtur in his verbis esse mendum) ut Aristides inquit lib. 3. *Proverbiorum.* De hoc sic Erasmus in *Adagiis*: ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα, hoc est, *Abydena illatio*, seu *irruptio*: Dici solitum ubi quis obstrepit, aut convivantibus, aut aliud quippiam agentibus, & tumultu molestiam affert. Zenodotus ait extare proverbium apud Eudoxum in fabula, cui titulus suppostititius. Atque hinc esse natum, quòd olim Abydeni (Asiæ civitas fuit, ad Hellespontum sita, quæ & Milesiorum colonia fuit) mos fuerit, si quem civem, aut hospitem acciperent convivio: prætereà in sacris, & in solennibus epulis, ut pòst unguentum, & coronas, infantes a nutricibus inducerentur, circumferrenturque suaviandi. Idem etiam hodie apud nos, præsertim in nuptialibus epulis, fieri consuevit. Vagientibus autem, & clamantibus pueris: garrientibus item, & obstrepentibus nutriculis, convivium tumultuosum & injucundum reddebatur. Ergo cum amicis aliquot suaviter colloquentibus, interveniat rabula aliquis, & immodicè loquax, qui confabulationem sua loquacitate sit inamænam redditurus, rectè dicemus Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα. Tametsi in quibusdam codicibus ἐπιφώνημα legi, id est, *acclamatio*: verùm, ut opinor, mendosè: quandoquidem Athenæus lib. 14. mentionem faciens hujus adagii, demonstrat plurium auctorum testimoniis, ἐπιφορήματα dici bellaria, sive secundas mensas ab *inferendo*, non ab *acclamando.* Stephanus similiter, Zenodotus, & Suidas ἐπιφόρημα legunt. Solus Hesychius legit ἐπιφώνημα, indicans & hoc dici in eos, qui hospites calumniabantur. Cæterum quòd in nonnullis codicibus legitur ἀβυδηνῶν pro ἀβυδηνὸν, minimum interest ad sensum. — Proverbium.

Ἐπιτραπεζώματα quoque οἷον τὰ ἐπιτιθέμενα ταῖς τραπέζαις βρώματα a Platone appellari mensas secundas, Athenæus testatur: cujus hæc sunt verba in Menelao. Εἰπέ μοι ὡς ὀλίγα λοιπὰ τῶν ἐπιτραπεζωμάτων· ὁ γὰρ θεοῖσιν ἐχθρὸς αὐτὰ κατέφαγεν, hoc est, *Dic mihi quàm pauca reliqua sunt epitrapezomata*, id est, *bellaria. Hic enim Diis invisus ipsa comedit.*

Dicuntur etiam πέμματα. Unde πέμματ' Ἀττικά, id est, *bellaria Attica.* Erasmus in *Adag.* de lautitiis & cupediis quibusvis dici, & etiam ad quamcunque rem valdè suavem, & jucundam transferri posse existimat. Plato *Polit.* lib. 3. ψέγεις καὶ Ἀττικῶν πεμμάτων τὰς δοκούσας εἶναι εὐπαθείας, Id est, *Damnas & Attica bellaria, quæ videntur ad lautitias pertinere.* πέμματα Suidæ πλακούντια. Ἀρτύματα Eupolis pro bellariis seu pemmatibus posuit. — Bellaria Attica.

Εὔθρυπτα bellaria deliciosè parata dicuntur, quæ in sacris inferebantur. Unde Apollo Εὔθρυπτος dictus. Hypatus mons in Bœotia (teste Pausania) supra Glissantem urbem. In eo autem Jovis templum, ex quo *Hypatus* cognominatus. Ara in delubri vestibulo, quod *Erechthion* appellabant. Ad eam verò nihil, quod animatum esset, immolabatur: verùm omnis generis tantum bellaria & libamenta.

Quin etiam κέρας ἀμαλθείας *cornu Amalthea*, nimirum ob suam lautitiam, mensas secundas a Diis fuisse appel-

appellatas vult Philoxenus apud Athenæum. His nominibus secundas mensas a Græcis olim fuisse appellatas, Athenæus testatur lib. 14. ubi etiam copiosè docet cujusmodinam illæ ciborum sive eduliorum genere constiterint: nimirum ovis, lacte, caseo, melle, Jovis cerebro, leporibus, turdis, conchis, jusculis quibusdam, placentis variis, præsertim ex melle confectis, rapis, fabis, malis, pyris, mespilis, nucibus, denique omni fructuum genere. Jovis cerebrum, quod Athenæus lib. 14. inter secundæ mensæ delitias numerat, pro epulis atque cibo opiparo & suavi usurpari docet Erasmus in *Adag. Jovis & regis cerebrum.* His accesserunt vinum suave, unguenta, coronæ, musica instrumenta, & aliæ hujusmodi voluptatis illecebræ.

Jovis cerebrum.

A Latinis appellantur *mensæ secundæ* atque *bellaria*: de quibus sic Gellius lib. 13. cap. 11. *M. Varro in libro, qui inscribitur*: Nescis quid vesper serus vehat, *de secundis mensis, cujusmodi esse eas oporteat, præcipit. His enim verbis utitur: Bellaria,* inquit, *ea maximè sunt bellita,* (*μελόπηκτα*) *quæ mellita non sunt: πέμμασι enim cum πέψει,* hoc est, *concoctione, societas infida.* Quod Varro in hoc loco dixit *bellaria*, ne quis fortè in ista voce hæreat, significat id vocabulum omne mensæ secundæ genus. Nam quæ τραγήματα Græci aut πέμματα dixerunt, ea veteres nostri *bellaria* appellarunt. Vina quoque dulciora est invenire in Comœdiis antiquioribus hoc nomine appellata, dictaque ea esse *Liberi bellaria. Bellaria,* teste Pompeio, olim dictæ res bellis aptæ seu bellica instrumenta: unde nonnulli *bellaria* omne secundæ mensæ genus volunt dicta, quòd ut illa belli, ita hæc mensarum sunt instrumenta: sive, ut alii volunt, a bonitate, quodque mensæ illæ secundæ belle splendideque essent instructæ, uti supra dictum est. Franc. Patritius testatur *bellaria* dicta, quòd bellatoribus sint opportuna. Mihi potiùs *bellaria* videntur dici, vel (ut etiam bellum) per antiphrasin, quasi minime bella ac bona, eò quòd corpori animoque valde sunt perniciosa: vel etiam quòd quasi bellum habeant stomacho atque valetudini indictum, hoc est, ei plurimùm noceant & obsint. Observabis igitur hanc vocem *bellariorum* aliquando latè accipi pro omni ciborum atque etiam vini dulcis genere, quæ mensis secundis inferuntur; aliquando angustius pro omnibus delicatis crustulis, placentis, libis, laganis, melle atque saccharo conditis, quorum in mensa secunda est usus, secundum quam significationem a fructibus distinguuntur. Servius lib. 1. *Æneid.* in illa:

Τραγήματα.

Bellaria.

Postquam exempta fames epulis mensæque remotæ.

Quia, inquit, *apud majores mensas apponebant pro discis: unde est, Et mensæ gratæ secundæ. Duas enim habebant mensas, unam carnis, alteram pomorum.* Idem in eodem lib. in illa:

Postquam prima quies epulis mensæque remotæ.

Licet sub extranea persona, tamen Romanorum exequitur morem, apud quos duæ mensæ erant, una epularum, altera pomorum. Hinc colligo, mensam secundam etiam dictam esse mensam pomorum. Unde etiam Lampridius de Alexandro Severo Imp. Rom. *Pomis,* inquit, *vehementer indulsit, ita ut secunda mensa illi sæpius poneretur: unde etiam jocus extitit. Non secundam mensam Alexandrum habere, sed secundum.* Horatius Satyr. 2. lib. 2.

----- Tum pensilis uva secundas,
Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu.

Mensæ alteræ.

Dictæ sunt etiam *alteræ mensæ* ab Horat. *Carminum* lib. 4. Od. 5.

----- & alteris
Te mensis adhibet Deum.

Quæ verba Turnebus in suis *Adversariis* ita explicat: *Romani tui, Auguste, pro Deo te colunt, & in mensa secunda, in qua solet libatio fieri, & Deorum precatio, te ut Deum obsecrant, & tibi ut Baccho libant.*

Germani mensas secundas vocant, nachricht / oder nachtisch. Galli *disertè de table.* Itali *missi secondi.* Hispani, *frutas de santen.*

Mensæ secundæ materia.

Saccharum.

Constant autem hæ mensæ secundæ, ut olim veterum, partim jusculis quibusdam, partim lacte atque caseo: partim trageis mellitis atque saccharatis, partim frugibus, pomis atque nucibus, vel coctis, vel etiam conditis: partim denique vinis quibusdam dulcibus.

Veteres porrò Romanos non habuisse bellaria ex saccharo concinnata, caruisseque tanta voluptate, quanta est in eduliis ex saccharo confectis, quæ nostris temporibus multifaria, scitissimoque sapore condita componuntur, Beroaldus his Plinii verbis 12 lib. probare conatur: *Saccaron,* inquit, *& Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis avellanæ magnitudine, ad medicinæ tantùm usum.* Idem forsan Celsi etiam testimonio probare possis, qui mensæ secundæ nomine fructus tantùm, eosque arboreos intelligit, cùm inquit lib. 1. cap. 1. *Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coalescit. Si quis itaque hoc parum valet, palmulas, pomaque & similia melius primo loco assumit.* Plinius quoque ejusdem rei testis citari potest, qui lib. 12. cap. 2. de arborum usu atque utilitate verba faciens: *Arbores,* inquit, *postea blandioribus fruge succis hominem mitigavêre. Ex iis recreans membra olei liquor viresque potus vini, tot denique sapores annui sponte venientes: & mensæ (depugnetur licet earum causa cum feris, & pasti naufragorum corporibus pisces expetantur) etiamnum tamen secundæ.* His verbis apertè significat, mensas secundas arborum fructibus constitisse. Pollux bellaria dicit esse myrtidas, caricas & mespilos. Græcorum etiam in conviviis pyra aqua mersa erant, quod apud nos in æstate rosacea fit. Plinius etiam sua tempestate per Hispaniam observari dixit, ut in secundis mensis glandibus vescerentur. Menedemo verò fuisse bellaria pyra & mala punica, tum matura, tum præcocia, sæpe caricas, & hujusmodi memoriæ prodidit Laërtius. Plutarchus in *Artaxerxe*, Reges Persarum de more regio initiandos pro bellariis therebinthum

Fructus arborei.

Therebinthum.

thum deguſtaſſe ſcribit. Lacedæmonii bellaria non comedebant: quamobrem cùm Thaſii Ageſilao Regi eſculentum obtuliſſent, aliquot bobus & pecudibus acceptis, reliqua renuit, inquiens, *Date Ilotibus*: hi Spartanorum ſervi erant. Veterum bellaria Amphis Poëta Comicus uno quaſi faſciculo his verſibus complexus eſt;

---- ἢ δή ποτ' ἤκουσας, βίον
Ἀλληλιμμένον αὐτοῦ τυχεῖν ἔστι σαφῶς
Ἀμητες, οἶνος ἡδὺς, ὠὰ, σησαμοῦ
Μύρον, στέφανον, αὐλητρὶς, ὦ Διόσκορε
Ὀνόματα τῶν δώδεκα θεῶν διελήλυθας.

Hoc eſt,

Jam forte ubi audiviſti, victum
Unctum poſce. Palam conſequi licet
Ametes, vinum dulce, ova, ſeſamum,
Unguentum, coronam, tibicinam, ô Dioſcori
Nomina duodecim Deorum percurriſti.

Alii poma & mel ſecundis menſis dedicarunt: alii ſemen papaveris quoque cum melle & lactuca ad conciliandum ſomnum. Pertinent huc uvæ, ficus, pyra, arboreique fructus alii. Iberi glandem quoque huc referebant. Græci ova cum turdis, leporinas carnes, mellitas placentas, linguas toſtas tanquam ſermonis ſymbola: alii vina dulcia huc inferebant, quæ *Liberi bellaria* dicebant. Plato ficus, ciceres, fabas, myrthi baccas, glandes de fago prunis toſtas approbat. Has ſecundas menſas Atticæ delitiæ in primis extulêre, ut in his exquiſita res. Hodie arborei fructus in uſu ſunt, ficus, pyra, poma, amygdala, caſeus multiplex: Aretius. Legimus apud Athenæum lib. 4. veteres inter bellaria poſt cœnam interdum etiam folia lauri adhibuiſſe. Quod Mercurial. lib. 4. cap. 6. *lect. var.* pluribus rationibus factum putat: ſed potiſſimùm hiſce duabus, tùm ut foliorum vi exiccatoria fumi ad caput elati abſumerentur: tum etiam ut odor vini ac ciborum, qui ſolet ſæpenumerò a ſaturis hominibus gravis emitti, abſconderetur: id quod Martialis in 5. facetè & clarè admodum ſignificat:

Poma.

Lauri folia.

Fœtere multo Myrtale ſolet vino,
Sed fallat ut nos, folia lauri,
Merumque cauta fronde non aqua miſcet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire Paule videris contra,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Hæc de ferculorum ordine, & de prima atque ſecunda menſa. Intervallum quoque ferculorum quæ apponuntur, ſi longum ſit, & valde odioſum & damnoſum eſſe ſolet. Nam ſic convivia in multum tempus protrahuntur cum magna temporis atque valetudinis, ne dicam rei quoque familiaris jactura ac detrimento. Nam & tempus, quod gravioribus & utilioribus rebus debebat impendi, ita inaniter conſumitur ac perditur, & interim dum poſtrema alimenta menſæ apponuntur, priora ſunt propè cocta, quo fit ut cocta crudis miſceantur cum magno valetudinis diſpendio. Is mos eſt apud Germanos: at verò apud Gallos, Anglos, Scotos, Hiſpanos, Italos, Turcas, brevi tempore ut omnia ferè fercula ſimul apponuntur.

Ferculorum porrò ſive ciborum qui apponuntur varietas quantum incommodi valetudini hominum importet, cùm unanimis Medicorum conſenſus, tum experientia, tum ipſa ratio ſatis ſuperque teſtatur. Vulgò dicitur, *Varia delectant*, Græcè ποικιλότης τερπνότης. Verùm ciborum varietas atque diverſitas licet in præſenti delectet, tamen in poſterum dolores, moleſtias, nauſeam, morboſque innumeros gignit atque conciliat. Huc facit Hippocratis dictum lib. *de flatibus*: *Cibos varios & diſſimiles inter ſe ſimul aſſumere, ad pravam victus rationem pertinet. Seditionem enim movent quæ ſunt inæqualia, aliquaque citiùs, aliqua tardiùs concoquuntur.* Sic Galenus quoque in *commen. de ratione victus*, ciborum varietatem, præſertim ubi variis conſtent facultatibus, nocentiſſimam eſſe teſtatur. Horatius ſimiliter Satyr. 2. lib. 2. ubi victum frugalem ac ſimplicem pro dignitate laudaſſet, hanc ſaporum condimentorumque coacervationem ut pernitioſam his verbis deteſtatur:

Ferculorum varietas valetudini eſt inimica.

Accipe nunc, victus tenuis, quæ quantaque ſecum
Afferat: imprimis valeas bene, nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit, at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchilia turdis,
Dulciaque in bilem vertunt, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita, vides, ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat unâ,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Aristoteles *Probl. Sect.* 1. ἡ ποικίλη τροφὴ νοσώδης: ταραχώδης γὰρ καὶ οὐ μία πέψις, id est, *cibus varius morbosus: turbulentus enim est, neque ejus una concoctio est.* Christophorus a Vega lib. 3. *In unica*, inquit, *mensa pluribus cibis uti in hominum est consuetudine non sine magno salutis dispendio. Licet quidem panem reliquis alimentis miscere, quoniam panis est materia alimentosa, ut cera aut oleum materia medicamentosa: & quemadmodum ceram omnibus ferè sine noxa miscemus unguentis: ita & panem omnibus alimentis, uti carnibus, piscibus, leguminibus, fructibus & oleribus: at miscere legumina carnibus, aut has piscibus, aut omnia hæc eadem mensa, malum est. Ex alimentis enim quædam sunt pituitosa, quædam biliosa aut alterius naturæ: quædam etiam ex iis citò, & quædam tardè coquuntur, ut coctum crudo misceatur. Quòd si retineantur amplius, id quod coctum est, corrumpetur & putrefiet non gubernatum a natura: quòd si venter eadem expellere tentet, crudum cocto mixtum expelletur, ac per intestina deducetur, aut ad jecur etiam ipsum: inde verò ne enumerari quidem possunt qui oriuntur morbi.* Hæc ille. Carnes & pisces simul edere perniciosum est, ob diversam admodum naturam, dispari namque tempore coquuntur, & deinde digeruntur. Pisces quoque & lac eadem mensa conjungere pessimum est: præter id enim quòd ventrem flatibus distendunt, lac brevi corrumpitur, inde verò nausea & vomitus sequuntur. Non vomentibus tamen ulcera cutis, impetiginem & scabiem inferre solent, nobis id quotidiano experimento probantibus. Idem: *Caseum & carnes in eodem convivio edere vetitum Hebræis secundum legem. Parvulum in lacte, vel cum lacte matris non edes*, ex Misnajoth cholin f. 2. col. 2. Clemens quoque Alex. lib. 2. *Pæd.* cap. 1. pluribus docet cibum ἁπλοῦν καὶ ἀπερίεργον maximè esse eligendum, quoniam is ad digestionem, & corporis levitatem perquàm sit accommodatus: inde corporis augmentum, sanitas, robur justum. αἱ δὲ πολυειδεῖς ποιότητες ἀποπλύσεις ποικίλας ἐντίκτουσι βλάβας, καχεξίας σωμάτων, ἀνατροπὰς στομάχων, &c. hoc est: *Sunt autem multiplices qualitates respuendæ, quæ varia detrimenta pariunt, malas corporum habitudines, stomachorum subversiones.* Vide plura apud eundem hac de re. Plutarchus *Sympos.* lib. 4. *Probl.* 1. disputat, εἰ ἡ ποικίλη τροφὴ τῆς ἁπλῆς εὐπεπτοτέρα, hoc est, *multiplex ne cibus, an verò simplex concoctu sit facilior.* Primò sub Philini persona affert argumenta, quibus probat simplicem cibum concoctu esse faciliorem vario. Ut primò, ὅτι τὰ θηρία τροφαῖς μονοειδέσι καὶ ἁπλαῖς χρώμενα, μᾶλλον ὑγιαίνει τῶν ἀνθρώπων, id est, *quòd bruta animalia, quia cibis utuntur unius generis, & simplicioribus, saniora sunt hominibus: quæ verò inclusa aluntur, proclivia sunt ad morbum, obnoxiaque cruditati, quòd mixto & condito utantur alimento. Deinde, quòd nemo medicorum fuit tam temerarius, aut ad res novandas audax, ut offerret febricitanti cibum varium, sed simplicem*, & ἄκνισον, ὡς εὐπήκοον μάλιστα τῇ πέψει, id est, *nidoris expertem, ut concoctionis maximè patientem exhibeat. Affici enim oportet alimentum, mutarique subactum ab iis quæ insunt nobis facultatibus.* Sed & tinctura simplicium colorum facilius inhæret: & fragrantissimum oleum maximè seplasiariis medicamentis mutatur: & alimentum simplex uniusque generis facillimè a concoctione afficitur. Multæ autem & variæ qualitates invicem nonnihil contrariæ, repugnando sese mutuo abolent (instar multitudinis convenarum ac promiscuæ turbæ in civitate) neque consentientem admittunt constitutionem, dum una quævis suapte natura alienis reluctans coitionem respuit. Vinum nobis evidens hujus rei indicium suppeditat. Celerrimè enim inebriat diversorum vinorum usus, quas *allænias* Græci dicunt. Similis autem est ebrietas cruditati a vino non cocto profectæ: ideoque vitant mixtum vinum potores: & qui miscent, clàm id faciunt, ut qui insidias struant. Mutatio enim & inæqualitas animum de statu suo deturbant. Quamobrem Musici quoque magnam adhibent cautionem in multitudine nervorum agitanda: quibus nihil præter mixtionem & varietatem mali adest. Præter hæc argumenta commemorata, aliis quoque rationibus utitur ad idem probandum, nec non Philonis auctoritate, atque Socratis, qui dicere solebat ab illis cibis esse cavendum, qui non esurientes ad edendum allicerent, quo quidem dicto nihil aliud quàm multiplicem ciborum varietatem vitandam esse præcipiebat. Deinde sub Marcionis persona, in eodem *Probl.* alia in contrariam partem argumenta afferuntur ad probandum nutrimentum multiplex simplici præstare, nec voluptatem omnino a sanitate esse segregandam, quæ inter se conferre poteris.

Macrobius similiter lib. 7. *Sat.* sub Disarii medici & philosophi nobilissimi persona, iisdem ferè rationibus, quibus Plutarchus utitur, probat simplicem cibum præferendum esse multiplici, ut qui digestu sit facilior. Poteris utraque loca inter se conferre. Seneca ad Lucilium: *Multos morbos multa fercula fecerunt.* Antiphanes Delius medicus Græcus: Μία δὲ νόσου αἰτιῶν ἐδεσμάτων ἡ πολυειδία, teste Clemente Alex. lib. 2. *Pæd.* cap. 1. Plinius lib. 11. c. 53. *Homini cibus utilissimus simplex: acervatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora.* Avicenna 3. 1. *doc.* 2. cap. 7. *Nihil deterius est, quàm si multa simul ac varia ciborum genera conjungantur, atque justo longius deinde in comedendo tempus protrahatur: cùm enim postremum accedit nutrimentum, primum jam aliquo modo confectum est, partes ergo in coquendo non adsimilantur. Atque inde sanè morborum scaturigo, qui ex repugnantium sibi humorum discordia nascuntur. Cùm diversorum ciborum diversa sit natura efficitur, ut alii aliis celerius, tardiusve conficiantur. Quod cum accidit, miram ingenerant in ventriculo cruditatem: ac proinde ciborum varietate in eadem mensa copia, ac productione in longas moras nihil nocentius homini ad salutem esse, omnibus ex æquo medicis visum est.* Sic itaque, ut Horatius, & Martialis monent, *convictus facilis, & sine arte mensa.* His quæ adhuc dicta sunt de ferculorum numero, ordine, intervallo, varietate, adjicere libet colophonis loco Gesneri piæ memoriæ censuram super convivio cujusdam amici, quam D. D. Wolphius observandus meus affinis, bibliothecæ illius amplissimæ possessor, mihi communicavit: ea igitur est hujusmodi: *Quum somnus cœnam tuam secutus minus integer esset, & nox molestior, quàm solet, cùm mediocriter cœno, succensere cœpi sumptibus tuis non inutilibus modò, sed etiam damnosis iis, quos tu lautè, & benignè tractare voluisti. Itaque cogitavi non gratias quidem tibi agere, ut vulgò fieri solet, pro sumptuosis conviviis, sed*

Gesneri censura super convivio cujusdam amici.

hoc

hoc differre donec simplicius & frugalius alias me reciperes: in præsentia verò hac censura quo modo & ordine id facere debeas ex professionis mediæ penetralibus te docere. Quamvis enim ut in bello leges civiles silent, ita in conviviis medicorum, & sanitatis præcepta vulgò negliguntur, non decet tamen virum sapientem ea, quæ vulgò malè & sine ratione fieri solent, imitari. Audi igitur æquo animo censuram, quam ego ingenuè & libere, non tam ex mea sententia, quàm ex veterum, Græcorum præsertim, medicorum tibi proponam. Hanc si probaveris, communicabis etiam aliis amicis tuis, qui ad sua te convivia vocare solent: sin minus, rationibus, vel auctoritate ea dilui a te velim quæ non admiseris.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines, &c.

Quem igitur convivii modum dicemus? An ut fercula non sint plura pauciorave duobus aut tribus, aliove numero? Non potest neque ferculorum numero, neque mensura aut pondere modus rectè præscribi: idem aliis parum est, quod aliis nimium, aliis mediocre. Respectus igitur convivarum habendus est. Studiosis duplici nomine minus convenit quàm reliquis, cum & ingenii majora, & corporis exercitia minora (plerique nulla propemodum) habeant. Quamobrem non egent copioso alimento, neque id vincere & concoquere possunt, cum ventriculus eis non æquè ut laborantibus caleat, ideoque copia alimenti vel omnino ab eis non coquitur, vel non rectè, vel nimis tardè: ἀπεψίαν, δυσπεψίαν, *&* βραδυπεψίαν *vocant. Hinc vapores aut multi, aut mali, aut longo tempore ad caput feruntur, & exhalant, sensus & cogitationes opplentur, turbantur, & studiis ineptæ fiunt.* Αὐὴ ψυχὴ σοφωτάτη, *monebat Democritus. Exercitia corporis quantò plus alimenti requirunt, tanto minus quæ ingenii sunt. Hippocrates verissimè tria saluberrima pronuntiavit,* πόνε ἀοκνίην, τροφῆς ἀκορίην, σπέρματος συντήρησιν. *Rectè etiam Hesiodus celebravit:* οὐκ ἐν ἐπὶ μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ, *quæ verba ad victus frugalitatem pertinent. Sed non opus est pluribus testimoniis, modum ut in quavis re, ita in victu etiam tum communi, tum convivali optimum esse, & in iis etiam rebus servandum, quæ præter quotidianam consuetudinem extendi solent. Hoc enim te minimè negaturum puto, in tua verò cœna modum non observatum negabis? Sed quomodo non immoderata est cœna ubi circiter tres horas continuò accumbitur, ferculis, poculis, & bellariis semper appositis, atque variantibus, & ubi multa semper nova ponuntur, & multæ omnium reliquiæ supersunt? Nec aliud apponitur, donec omnes defessi, aut fastidiosi jam priora non amplius attingunt. Accedunt subinde repetitæ monitiones strenuè vescendum esse præsentibus, nec aliud sperandum ferculum, etsi plura sequantur. Jam cùm etiam in unius generis cibariis modum excedere insalubre sit, (ut si pisces tantùm, sive omnes una, sive diversis apparati rationibus: vel carnes solùm, sive avium duntaxat, sive quadrupedum apponantur) longè insalubrius est, si cibaria non nimia solùm, sed diversi quoque generis fuerint, & in hac ipsa varietate non melius dicam, sed minus noxiè ea conjungantur, quæ facilia sunt concoctu, minusque alunt, præsertim si ordine certo ingerantur: ut si quis initio vel cerasa, vel butyrum, vel raphanum edat: deinde panem cum jusculo: tertio ova sorbilia, vel oryzam, vel aliud legumen: quarto loco piscem. Hic præter piscem omnia facilia sunt concoctu partim sua natura, partim ordinis causa, nam si is invertatur, omnia difficiliora erunt. Quod si pisces carnibus misceantur, cum utraque ut multum alunt, ita concoctione multa indigent, longè insaluberrimum omnium hoc convivium judico, idque eò magis quo magis ipsa etiam variant. Quid autem magis varium toto convivio esse potuisset? Elixi primùm pisces appositi, lacustres puto simul, & fluviatiles: deinde carnes avium & quadrupedum assæ: mox iterum pisces assi. Caseus deinde, & opera lactaria, bellaria, nuces, persica. Rursus hanc cœnam secuta est cœnula, sive comessatio cum sumanalibus, raphanis, pane dulciario. Pocula interim semper plena, nec expectabatur sitis, quæ infundi postularet, aut saltem poculi exiccatio. Hoc solum in convivio tuo laudaverim, quòd unum genus vini appositum est, idque neque dilutius aut acerbius, neque fortius, quàm studiosis conveniebat. Gallos, Italos, & Hispanos nunquam, ajunt, pisces simul, & carnes conjungere, quòd tamen non prorsus affirmaverim. Hoc sane longè meliùs, & moderatiùs, quàm nos, faciunt, quòd licet plura fercula apponantur, singulorum tamen exigua copia est, ut vel una, vel duabus vicibus omnia apponantur. Tam longo tempore ne ditissimi quidem, & voluptuosissimi accumbunt. Vini genus unum duntaxat, non sitienti nemo infundit. Sed hæc, & hujusmodi tu meliùs nosti, ego medicorum tibi sententias depromere pergo, quæ ad convivium tuum reprehendendum, & tuam, convivarumque tuorum valetudinem tuendam deinceps faciant. Et ne sim immodicus in laudando convivii modo, nunc dicam de ordine cibariorum.* Quis modus in ferculis adhibendus. Studiosis non convenit copiosum alimentum, & cur.

Ordinem ciborum vulgarem tu quidem, & convivialem, quique mulieribus placet, sed planè insalubrem servasti. Quam enim fecisti secundam mensam, prima esse debuit. Raphani, nuces, persica, uvæ, panis dulciarius, & quæ hujusmodi cibi cæteris præponi debent, nunquam postponi. De cibariorum ordine.

Persicum frigidum & humidum est, caro ejus comesta facilè corrumpitur, omninoque noxam infert, ac propterea haud in secunda mensa, sicut nonnulli faciunt, sed ante reliquos cibos offerri oportet: fluitat enim, & statim putrescit. Illud observandum quod perpetuò verum est, cuncta vitiosi succi, quæ liquida, & lubrica sunt, & quæ prompte secedunt, præ cunctis opsoniis comedenda esse, ita enim & ipsa citò egeruntur, & cæteris iter parant. Quòd si posteriùs sumantur, facilè corrupta integris alimentis contactu suo putredinem inferent. De persicis ex Ætio. Canon.

Virens adhuc, humescensque nux, ad alvi ductionem aridæ præstat, præcipuè si cum garo offeratur: si tamen aridæ juglandes aqua præmaduerint, virentibus similes erunt. Debent igitur ex canone præcedente ab initio mensæ sumi tum virides, quum alvum molliunt, tum aridæ, quæ jam oleaginem, & pingue quippiam habent. Pinguia autem omnia, ut oleum, butyrum, &c. in prima mensa sumenda sunt: postremò enim sumpta supernatant, & ut Ægineta Galenus quoque scribit, facilè in bilem vertuntur, nauseam cient, & os ventriculi claudi non patiuntur, cùm relaxent, capiti & pectori nocent, (nux a nocendo, κάρυα διὰ τὸ βλάπτειν τὸ κάρας) *eò plus autem nocebunt, quò eis vicintora sunt, quoque magis immorantur ventriculo: ab initio sumptæ non immorantur, sed promptè descendunt. Galli hodie ab initio apponunt nucleos decorticatos in aqua salsa. Non simul omnia in ollam injiciuntur a* De nucibus.

coquis,

coquis, sed prius quæ tardiora sunt coctu, posteriùs quæ faciliora, ut minus diu ignem ferant. In ventriculis diversa est ratio, diutiùs enim immorantur, quæ posteriùs injecta fuerint. Ab Aëtio lib. 1. c. 262. inter alia quæ ante cibum sumpta alvum laxant, hæc numerantur: Malva, beta, caseus recens cum melle, atriplex, cucurbita, popones, ficus, caricæ, uvæ dulces, præcipuè ubi humidæ sunt, mora, juglans, pruna recentia, aut sicca mulso prius madefacta.

De raphano.

Non satis mirari queo crudam a nonnullis post cœnam comedi concoctionis juvandæ gratia: id quidem se illi experimento comperisse contendunt, quorum tamen exemplum nemo adhuc impunè imitatus est. Dioscorides quidem in fine edi præcipit, sed reprehenditur a Galeno. Simeon Sethi conciliare eos conatur: sed nulla Simeonis, aut Dioscoridis in victbus ciborum, aut medicamentorum apud medicos auctoritas est, Galeni maxima. Veteres etiam lactucam edebant in fine mensæ, sed posteriores melius in prima tantùm, ut scribit Martialis. Aloisius Mundella epist. 11. *contra Dioscoridem, &* Trallianum *(qui puto ex illo descripsit) raphanos, sive radiculas (quas Amphis poëta aliâs* μέθης φάρμακον, *id est,* ebrietatis medicinam *appellat) in prima tantùm mensa sumendas docet, omnium hujus ætatis medicorum accedit consensus, & Galli, & Angli sic utuntur. Simeon Sethi in* Rhodacinis, *sic enim vocant Persica:* Δεῖ δὲ ταῦτα πρὸ τῆς ἄλλης τροφῆς προσφέρεσθαι, καὶ ἄκρατον τούτοις ἐπιπίνειν· δεῖ δὲ παρατηρεῖσθαι τὸ ἐπιπίνειν τούτοις ὕδωρ, ἢ ὀξεῖαν προσφέρεσθαι τροφήν.

Cibaria diversa vitanda.

Diversa cibaria non simul sunt ingerenda, præsertim si cum viribus, & facultatibus pugnant: ventriculum enim & stomachum malè afficiunt. Galenus lib. 3. diætæ acutorum, Comment. 37. *& alibi. Ex multis composita citius corrumpuntur, quàm ex paucis. Rasis lib.* 25. Continent. *cap. dicens:* Refectionis tempus ne sit longum, neque diversi cibi, *&c. Avicenna:* Olim contenti erant solius carnis esu in prandio, & solius panis vesperi. *Apparet ergo nihil salubriùs esse frugali, & simplici cibo: nihil in posterum esse jucundius, nihil studiis aptius. Epicurus pane & aqua solis aliquando vescebatur, voluptatis secuturæ magis gratia, quàm præsentis. Nos cœlum terræ miscemus, hoc est, quæ in terra crescunt, ut olera, & fructus arborum: quæ in aquis, piscium omne genus: & quæ in aëre volitant, unum in ventrem coacervantur: & quarti elementi, hoc est, ignis loco, fortia vina, aromata, raphanos, nasturtia, synapi, &c. Ita confusis elementis tempestates varias, concussiones, & tanquam tonitrua toto corpore cieri nihil mirum est, ut ex continuis vaporibus catarrhos, fluente, refluente tanquam in Euripis materia,*

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.

De ciborum diversitate, item de ordine Anton. Gazius cap. 60. & 61. in cœna florida. Pisces facilè solubiles sunt, & citius concoquuntur quadrupedum carne præsertim assa: nos tamen carnibus etiam assis, eoque durioribus, pisces præsertim assos componimus, vel postponimus. Pisces cum oleribus non comedendos præcipiunt medici (præcipuè Aëtius) quòd ulcerum, & scabiei diversa genera inde oriantur. Nostri non modò conjungunt, sed olera etiam, quòd deterius est, postponunt, & pisces frixos sæpenumerò addunt, qui ut per se insalubres sunt, ita cum oleribus insaluberrimi.

Lactaria.

Lactaria opera recentia (ut etiam lac ipsum) non modò ante reliquum cibum edi debent, cum pauco sale, & melle, vel saccharo, sed ita ut intervallum aliquod inter ipsa, & cibum post sumendum, intersit: quemadmodum & inter cætera quæ vel manifestè molliunt alvum (ut cerasa dulcia, pruna, &c.) vel facilè corrumpuntur: ubi verò neutrum contigit, ut in communibus jusculis immediate reliquo cibo præponantur. Nostri & in medio, & fine apponunt. Inter Socratis virtutes numeratur, quòd nunquam in conviviis plus edere, aut bibere solitus sit, quàm domi. Sed quia paucorum hæc virtus est, nec minus accusandi, qui materiam peccandi præbet, quàm ille qui peccat, frugale convivium esse convenit. Danda est opera ut ejusdem generis homines, & qui cibis etiam eisdem delectentur, ad convivium pariter vocentur, non chirotechnæ simul, & studiosi: non creophagi, & ichthyophagi. Caro super prunas assa non debet post alium cibum sumi, nec bibendum prius est, nisi modicum, si cogat necessitas.

Cæremoniæ quæ in ciborum appositione adhibentur.

Nunc postremò de certis quibusdam cùm priscis, & antiquis, tum recentibus cibos apponendi ritibus atque cæremoniis dicendum. Fuit olim moris, Athenæo teste lib. 2. ut convivii domino simul ac discubuisset traderetur γραμματίδιόν τι, id est, *scheda*, quæ descripta ordine opsonia omnia haberet, ut jam tum sciri posset, quid primum, quid postremum coquus missurus esset. Hîc simul observa coquos ipsos consuevisse cibos inferre. Porrò non singulos servos, ut hodie ferè moris est, singula fercula, sed mensas ferculis onustas duos servos convivis jam accumbentibus antiquitùs apponere fuisse solitos, Bayffius probat in lib. *de Vas.* de quo vide suprà in mensæ tractatu.

Notandum etiam quòd Erasmus in proverbium illud, Ἀμαζόνων ἄσμα, hoc est, *Amazonum cantilena*, annotat, moris fuisse antiquitùs, ut epulæ lautiores, tibicine præcedente inferrentur, ut acipenser. De consuetudine manus abluendi per singula fercula suprà dictum est. Heliogabalus, ut testatur Ælius Lampridius in ejus vita, exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, sed per singula lavarent, & mulieribus uterentur & ipse, & amici. Celebravit item tale convivium, ut apud amicos singulos singuli missus appararentur, & cum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter super aggerem, alter in Celio, alter trans Tyberim, & ut quisque mansisset, tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederentur, ireturque ad omnium domos, cum & lavarent per singula fercula, & mulieribus uterentur. Turpis hic fuit mos, cujus hîc postremò mentio fit, contrà pius & honestus fuit mos Judæorum, de quo suprà, singulis ferè ferculis atque potionibus certas quasdam precationes interponendi, quemadmodum etiam Christiani singulorum ferculorum appositioni benedictiones adhibere solent. Apud Germanos qui cibos apponunt simul ita precantur, das gesägne Gott / hoc est, *Deus hæc vobis benedicat*: respondent convi-

convivæ, Lohn dir Gott / id est, *hoc Deus tibi remuneretur*, sive, agimus tibi gratias. Moris quoque est apud nonnullos, præsertim literatos, ut singulis ferculis vel gratiarum actiones, vel lectiunculæ quædam sacræ interponantur. Apud Persas ἀθρόα πάντα τὰ σιτία ἐπὶ τὴν τράπεζαν παρετίθεντο, hoc est, *omnia simul edulia mensæ apponebantur*, teste Athenæo lib. 4. qui ferè mos est apud Gallos, Hispanos, Italos & alias gentes. Idem auctor lib. 1. docet hunc antiquorum fuisse morem, ut toto conventus tempore mensa plena, cibisque onusta adesset, quæ etiam nunc apud multos barbaros consuetudo obtineat, apud quos mensæ semper sint κατηρεφέες παντοίων ἀγαθῶν, hoc est, *variis bonis cooperta*, secundùm Anacreonta. Post convivarum demum discessum famulæ cibum, mensam & pocula auferebant. Idem mos etiam hodie est apud Germanos. Addit ibidem Athenæus panes cum canistris fuisse appositos: id quod ex multis Homeri locis constat, & Eustathius quoque Οδ. θ. annotat. Didymus etiam testatur hunc fuisse antiquorum morem, ut cœnæ canistris (κανέοις græcè) inferrentur: unde proverbium αὐτῷ κανῷ, hoc est, *unà cum ipso canistro*, quod citatur apud Zenodotum, ἀνήρπακας ἁπαξάπαντ᾽ αὐτῷ κανῷ, hoc est, *ipso canistro cuncta rapuisti simul.* Quadrat in eos, Erasmo teste & interprete, qui rem intemperanter profundunt, devorant & abliguriunt.

Vasa porrò escaria, quibus cibi mensæ apponebantur, ut hodie ita olim fuerunt multiplicia. Κάτινον nuncupabant vas magnum concavum escarium, in quo pultem, aut jurulenti aliquid portabant (Mußblatten) Persius Sat. 3. — Κάτινον.

- - - - *positum est algente catino Durum holus.*

Horatius, - - - - *laganique catinum.*

Scribit M. Varro, Siculos vas, in quo ponebant esculenta, *catinon* appellare: utebantur & Romani catino in sacrificiis, ut scribit Apulejus. Dicitur & *catinus* & *catinum*, ut nonnulli volunt, a capiendo.

Πίναξ quoque est vas quo cibi apponuntur: unde Marci 6. legimus sanctissimi illius viri Joan. Baptistæ caput in carcere amputatum, ceu ferculum quoddam ἐπὶ πίνακι *patina* impositum, ac impurissimæ illi saltatriculæ datum fuisse. Extat elegans jocus incerti cujusdam poëtæ, in quendam avarum, qui convivis suis argenteos quidem, sed πεινάλεους πίνακας, hoc est, *famelicos, ciborum inanes catinos* apponebat, — Πίναξ.

Ἀργυρέῳ λιμῷ τις εἰς εἰλαπίνην με καλέσσας,
Ἔκτανε πειναλέους τοὺς πίνακας προφέρων.
Ὀχθήσας δ᾽ ἄρ᾽ ἔειπον ἐν ἀργυροφεγγέϊ λιμῷ,
Ποῦ μοι χορτασίη ὀστρακίνων πινάκων.
Ἐζήτουν πινάκων πόθεν οὔνομα τοῦτο καλέσσω,
Καὶ παρὰ σοὶ κληθεὶς, εὗρον ὅθεν λέγεται.
Πείνους γὰρ μεγάλους, μεγάλους πίνακας παρέθηκας,
Ὄργανα τοῦ λιμοῦ πειναλέους πίνακας.

Hoc est,

Argentea fame quidam invitatum me ad convivium
Cruciavit, famelicos apponens orbes,
Suspirans autem dixi in fame argento coruscante,
Ut mihi saturitas est orbium fictilium.
Quærebam unde πίνακες, hoc est, orbes, *nomen hoc haberent:*
Et invitatus a te etymologiam inveni.
Nam apposuisti nobis magnos orbes magnæ pinæ, id est, esuriei.
Famis instrumenta famelicos orbes.

Magida à magnitudine, quæ & *patina*, quod pateat appellatur.

Lanx, quæ & *langula*, dicitur a latitudine. *Tympanum* patinis, & lancibus simile, sed magnitudine excellens. *Concha* vas oblongum concavum a conchæ similitudine. *Paropsis* patinæ genus aliquantum concavæ, in qua opsonia ponuntur. Juvenalis, — Magida. Lanx. Tympanum. Concha. Paropsis.

Quàm multa, magnaque paropside cœnat.

Dicitur autem παροψὶς a παρὰ præpositione, & ὄψον obsonium. Ferè in veteribus exemplaribus semper *parapsis* legitur, & Hesychius non tantùm *paropsidem* appellari, sed etiam *parapsidem* observat, ut Turnebus annotat in suis *Adversariis.* Jo. Baptista Pius in suis *Commentariis in Sidonium*, mendum esse, inquit, in pervulgatis exemplaribus, *paropsis* enim scribendum, non *parapsis.* Apud Horatium, — Paropsis unde dicitur.

Tabulas cœnabat omasi, &c.

Tabulas more Græcorum (qui πίνακας vocant) paropsides vult intelligendas Turnebus in suis *Advers.* De patinis vide Drusium 1. *Cent. Misc.* 22. pag. In patella olim Diis apponebantur epulæ, tum res divina Diis penatibus, laribusque fiebat, aut de cœna eis libabatur. Nonius in voce *patella* profert hoc ex Varrone in *Eumenid. Patella esurienti posita provocat Neapolitanas piscinas.* Et hoc ex eodem in *Manio*: *Quocirca oportet bonum civem legibus parere, & deos colere, in patellam dare* μικρὸν κρέας. Hinc apud Plautum in *Cistellaria*, *patellarii Dii* appellantur Dii minuti, ut lares & penates, vel ex eo quòd in patella epulæ apponebantur, & patellis, non pateris colebantur: vel a piscibus minutis, qui in patellis apponebantur, non in pateris, quemadmodum cibi tenuiores, & viliores, ut olluscula, & terra nata, in patellis ponebantur. Unde Horatius in epist. ad Torquatum, — Patella.

Nec

Nec modica cœnare times olus omne patella.

Verùm de hujusmodi vasis dicere infinitum esset, de quibus suprà in genere dictum est, & plura, si placet, videre poteris apud Bayffium & F. Marium *de Partibus ædium* lib. 2. cap. 3. Item Plinium lib. 33. cap. 11. Antonini Getæ Imperatoris ingenio admodum venusto, atque eleganti præditi lepidum sane hujusmodi commentum a veteribus refertur. Is igitur consuetudinem hanc in parandis conviviis servabat, ut ipsa fercula in appositis literis notari, atque intelligi vellet, scientibus idipsum servis. Nam sicubi in prandio voluisset exhibere perdices, pavos, porcillos, pisces, ac pernas, tum primæ dictionum literæ ad hunc modum *ppppp*. Vel mutatis aliter literis *fff*. Tum alia varii generis edulia pari literarum ordine denotabat, in quo visus est aliqua ex parte L. Luculli cœnas, & ordinem imitari. Hæc Crinitus *de Discipl.* lib. 14. cap. 11. ex Ælio Spartiano, cujus verba hæc sunt: *Habebat etiam istam consuetudinem, ut convivia, & maximè prandia per singulas literas juberet scientibus servis, vel in quo erat anser, aprugnus, anas: item pullus, perdix, pavus, porcellus piscis, perna, & quæ in eam literam genera eduliorum caderent: item fasianus, farta, ficus, & talia.* Huc alludere videtur Juvenalis Satyr. 11.

Interea gustus elementa per omnia quærunt.

Hoc est, per singulas literas, quæ elementa dicuntur, quòd quemadmodum illa coëuntia omne corpus perficiunt, sic etiam literæ conjunctæ literalem vocem, quasi corpus aliquod componunt. Tametsi alii *elementa* hìc propriè accipiunt, ut nimirum significetur, volatilia, aquatilia, & terrestria animantia quæri ad epulandum.

CAPUT III.

DE MORE ANTIQVO CIBOS DIVIDENDI, DISTRIBVENDIQVE SINGVLIS CONVIVIS. DE PARTIVM EPVLARIVM NOMINIBVS ATQVE DIFFERENTIIS, AC MORE CONVIVAS HONORATIORES PARTIBVS LAVTIORIBVS HONORANDI, AC ETIAM ABSENTIBVS DE COENA MITTENDI. QVAE OLIM τῆ δαιτρικῆ DISCIPLINA, QVI MVNVS ILLVD OBIRE SINT SOLITI. MOS NONNVNQVAM ANIMALIA INTEGRA COCTA IN MENSIS APPONENDI.

Ciborum, nec non poculentorum appositionem sequitur plerunque consecratio, prægustatio, atque distributio. De consecratione suprà dictum, nec non de prægustatione, nunc igitur de divisione, atque distributione dicendum. Fuit sane hic mos & antiquissimus, & plerisque gentibus communis, ut ciborum poculentorumque certas partes, seu portiones singulis convivis distribuerentur. Hæc ab Hebræis מנות פתים נתחים *manoth pittim nethachim*, a Græcis μερίδες, μοῖραι, μερισμοί (ἴδια quoque carnium particulæ dicuntur) a Latinis *partes* vulgò dicuntur. *Strobila* Umbrorum lingua dicta sacrificiorum, epularumque partes. Homero carnes victimæ exteriores ὑπέρτερα, interiores ἔγκατα dicuntur, Plutarchus *Sympos.* 5. *Probl.* 8. אשפר *æschphar*, *frustum carnis*, scilicet pulchrum a שפר *Schaphar* inquit Kimhi: at faciunt compositum ex tribus quasi אחד משׂשה בפר *Æchad mischischah bapar*: *Unum ex sex in tauro*, hoc est, sexta pars tauri: alii ex אש *æsch* igne, & פר *par*, *tauro*, quasi frustum carnis bubulæ igni assatæ. θετταλικὴ ἔνθεσις, ut Junius annotat in suis *Adagiis*. *Thessalica buccea*, pro ingenti ponitur, Athenæo teste, & Polluce lib. 6. Hermippus in μοίραις. ὁ ζεὺς ξυνέπλαττε τὴν θετταλικὴν ἔνθεσιν, id est, *At Juppiter mansum efformabat Thessalum.* Phileterus in *Lampadigeris*, θετταλότμητον κρέας χοιροβαρὲς, suillæ carnis portionem Thessalico more sectam vocat, frustum ingens quantum manu tolli poterat, inde nata dicti gratia, quòd Thessali in prægrandia frusta carnes partiri solebant: unde & Crates in *Lamia*, Ἐπεὶ τριπήχη θετταλικῶς τετμημένα, id est, *Nam sunt tricubita more secta Thessalo.* Non absimiliter à gentis polyphagia, *Frisonicum ferculum* pro magno, vulgare dicterium appellat. Alioqui Thessali olim audiebant strenui gurgites, & insigniter edaces, unde illud Antiphanis Comici, Ἀεὶ γὰρ ὀξύπεινός ἐστι, θετταλὸν λέγεις, hoc est, *usque esurit, nunquam satur, tu Thessalum depingis.*

Mos distribuendi singulis convivis certam cibi atque potus portionem apud Hebræos.

Apud Hebræos quidem hunc fuisse morem ex nonnullis sacræ scripturæ locis satis patet, apud quos partim coqui, partim ipsi patresfamiliâs, conviviique Domini hoc dividendi, distribuendique singulis convivis cibi atque potus munere functi sunt. Huc videtur alludere Christus Lucæ 10. cum Mariam verbis Christi operam dantem, dicit elegisse ἀγαθὴν μερίδα, *bonam partem*, quæ ab illa non sit auferenda. Videtur metaphora ducta à partibus convivialibus. David Rex, quemadmodum 2. Samuel. 6. & 1. Paralipom. 16. scriptum est, postquàm holocausta, & pacifica offerendi finem fecit, populo Dei nomine benedixisse, singulisque ex illo, tam viris, quàm fœminis (cum nimirum omnes regio epulo excepisset,) certam placentæ, panis, carnis, atque pultis portionem, nec non unicuique lagenam unam, scilicet vini distribuisse dicitur. Sic Elcanah, 1. Samuel. 1. ver. 4. & 5. Samuelis pater, cum Deo pacificum sacrificium obtulisset, in epulo, quod

quod quidem de more antiquo fuit consecutum, Peninnæ uxori suæ, omnibusque ejus filiis, atque filiabus certas partes tribuit. Hannæ verò alteri illius uxori מנה אחת אפים *Manah achat appaim*, *partem maxime honorabilem dedit*, propterea quòd illam singulari quodam amore complectebatur. Vocem quæ ibi ponitur אפים *Appaim*, aliqui vertunt *honorabilem*. אף *aph* vox Hebraica duo significat, nempe *vultum*, seu *faciem*, nec non *iram*: unde afferuntur hujus loci geminæ interpretationes. Prima est, Elcanam dedisse Hannæ portionem præstantissimam, & idcirco dualis numerus est adhibitus, quòd ejus portionis duplex qualitas esset, ut quæ haberet pinguetudinem, & eadem ex altero latere careret, ut ea vesceretur pro vario appetitu, quam interpretationem secutus est R. L. Ben Gerson. Vel dicitur hoc nomine, quòd ea pars cùm pulchra esset, & honorabilis, alliciebat faciem, & vultum discumbentium ad se præ cæteris optandam & expetendam. Germanicè commodè vertes, den aller ansichtigsten teil. Sin verò sequamur alteram significationem, nempe iræ, dicemus Elcanam eam partem dedisse Hannæ, ut ejus mœrorem ac tristitiam, ex sterilitate conceptam, sedaret. Qui enim sunt in mœrore, dum se vident donis quibusdam honorari, utcunque leniuntur. Dedit ergo eam partem, quæ huc videbatur conducere. Quamvis ægritudinem, ac molestiam alii referunt ad ipsum Elcanam, nimirum quòd ipse dando suam partem Hannæ, tristis & mœstus fuerit, quòd eam doleret sterilem esse. Utraque interpretatio Martyri verisimilis, & ad verba historiæ posse accommodari videtur. Vox מנה *Manah* in plurali מנות *Manoth*, *portionem*, *partem*, seu *particulam* ab aliis detractam significat, a מנה *Manah*, quod *subtrahere*, *sequestrare*, *desumare*, & *deputare* significat. Sæpe in sacris litteris pro portionibus certis cibariorum in sacrificiis, & in epulis accipitur, ut Exod. 29. *& pectusculum sit tibi in partem.* Levit. 7. *Et erit ei armus dexter in portionem.* Nehemiæ. 8. *Et mittite partes quibus non est paratum quicquam.* Hic משמנים, id est, *pinguium*, & partium nomine videtur sacrificii portiones significare, quæ familiis afferentium cedebant, & convivis eorum. Esth. 9. *Et missio partium quisque proximo suo. Partes Levitarum & Sacerdotum*, Nehem. 12. *partes cantorum* ibidem, & cap. 13. Esther. 9. *Et mittant sibi mutuo partes epularum & ciborum.* Quemadmodum apud Judæos sacrificiorum pacificorum pars Deo offerebatur, pars sacerdotibus, pars offerentibus cedebat: ita quoque in Ethnicorum sacrificiis fieri consuevit. Aristophanis interpres in *Pluto*, in voce κωλῆς (ubi de Mercurii sacrificio verba fiunt) κῶλα, inquit, τὰ ἐμπρόσθια μέρη τῶν ἱερείων, ἐστὶ δὲ ἱερὸν Ἑρμοῦ, ὁ βραχίων τῶν ἀλόγων ζώων, hoc est, κῶλα, sive κωλαὶ *vocantur anteriores partes victimæ: erat autem brachium animalium brutorum Mercurio sacrum. Aliter*: τὰ ἐμπρόσθια μέρη τῶν ἱερείων τὰς ἀγκυλὰς, ὀστώδεις, διαβάλλει ὃν ὡς ὀστέα τοῖς θεοῖς προσφέροντας, id est, *Anteriores partes victimarum, ut poplites, ossea, perstringit itaque illos ceu ossa Diis offerentes.* Idem Scholiastes paulò pòst in illa verba: σὺ δ' ἂν τὰ νομιζόμενα σὺ τούτων (sacrificiorum) λαμβάνεις (Carrio ad sacerdotem Jovis) τοῦτο δέον εἰπεῖν τὸ δέρμα, καὶ τὰς κωλᾶς. ἐπειδὴ νόμος ἦν τὰ ἀπολειπόμενα τὸν ἱερέα λαμβάνειν. *Præsiciæ* dictæ sunt partes quæ Diis offerebantur. Porrò hunc morem antiquum partes convivis tribuendi manifestè quoque indicat locus ille Samuelis 1. cap. 9. ver. 23. & 24. ubi Samuel coquo jubet certam partem, armum nimirum in convivio, quo illum unà cum aliis exceperat, Sauli apponere. Hoc autem armo (quæ pars solebat esse sacerdotum) ceu symbolo Samuel illum monere voluit, ut nonnulli arbitrantur, ut Rex factus cum Dei ministris conjunctè viveret, ita enim illum habiturum esse Rempublicam florentem. Alii armum datum putant, quòd ea pars maximè valeat ad onera ferenda: ac si eum moneret Samuel, ut cogitaret, se non ad ludum, & ad voluptates, sed ad maximum Reipublicæ onus sustinendum, regem deligi. Reges enim debent populum quasi humeris suis sustinere ac sustentare. Ut autem hic armus Sauli, ceu Regii honoris atque muneris symbolum, datum est: ita apud Græcos (de quo postea) Regibus τὰ νῶτα, καὶ τὰ μηρία dari fuerunt solita. Observabis etiam hîc simul coquos apud Judæos partes distribuisse, ut apud Græcos similiter μάγειροι dicti. Penes quos cibos dividendi olim munus fuisse, illud quoque Platonis est argumentum, qui in *Phædro* Dialecticæ, rationisque dividendi ignaros, imperitis, & ineptis coquis comparat, qui carnes, quas scienter secare debebant, potius discerpunt, atque dilacerant. μαγειρεύειν itaque & *mactare*, & *carnes dividere* atque *distribuere* significat, quod olim coquorum fuit munus, de quo plura suprà in titulo *de ministris mensæ*. Josephus quoque in epulo illo, quod fratribus suis exhibuit, (Gen. 43. ver. 34.) partes illis, & Beniamino quidem, fratrum minimo, quintuplo majorem, quàm reliquis, portionem dedisse dicitur. Ibi partes, sive fercula משאות *meschaoth* dicuntur, quæ vox etiam ponitur 2. Regum 11. & Hierem. 40. *Dedit quoque ei magister militum cibaria & munuscula.* Ab hac porrò œconomia, sive more conviviali, quo vel patresfamiliàs, vel convivatores quicumque in epulis cùm privatis atque domesticis, tum publicis, singulis certum dimensum, sive portionem cibi, potusque dare solebant, nonnulli volunt natas esse illas dicendi phrases in sacris litteris usitatas. Ut Psalm. 11. *Hac est pars*, sive *portio calicis eorum*: & Psalm. 16. *Iehova pars portionis meæ & calicis mei.* Hinc etiam *frangere panem* Hebræis est fractum distribuere. Isa. 58. *Frange esurienti panem tuum*, hoc est, distribue, sis liberalis, & ad eleëmosynam dandam proclivis. Sic Christus cùm aliis in epulis, tum in ultima illa sua cœna panem fregisse, & distribuisse dicitur ex more Judæorum, apud quos paterfamiliàs mensæ benedicens, discumbentibus convivis, panem frangere, ac cibos dividere solebat. Itaque Hebræis שבר *Schavar*, *frangere* ac *distribuere* significat: unde שבר *Schever frumentum* dictum est, quia, ut nonnulli volunt, frangitur molendo, ut inserviat alimento hominis, & quia in alimentum distribuitur, item quia vendendo distribuitur. Hinc quoque Chaldæus Paraphrastes pro Hebræo ברך *Ibareck*, quod *benedicere* significat, utitur his verbis, הואפריס *Hupharis*, hoc est, *ipse frangebat*. Pro verbo etiam κλᾶν Math. 14. & κατακλᾶν Mar. 6. & Luc. 9. ponitur etiam verbum μερίζειν, hoc est, *dividere*, sive *partiri*, Marci 8. Habebant olim Orientales non panes elevatos, ut nos habemus, ita ut ad scindendum gladio esset opus, sed latos pinsebant, atque subtiles instar placentæ: unde

Manah.

Partes sacrificiorum.

κῶλα quæ partes victimarum.

Præsiciæ.

Armus cur Sauli epulo appositus.

Coquorum olim partes convivis distribuere.

μαγειρεύειν quid significet.

Mos panes frangendi.

Panes Orientalium.

unde manibus frangebant, atque inde *frangere panem* in sacris litteris sæpe dicitur. Tales erant ἄζυμοι panes, & apud nos hodie panes Alpinorum lati, & non spissi, qui facilè franguntur, non perinde scinduntur. Sibenthaler brot / gerstenbrot / fleppen / &c. Fractio similiter panis cùm pro quovis alio convivio, tum pro cœna Dominica sæpe in sacris litteris usurpatur, de quo suprà. Ut ergo ab illa cibos dividendi consuetudine Græcis δαῖς, ἀπὸ τοῦ δαίειν, ita Hebræis similiter fractio panis, quodvis convivium, cœna aut refectio quæ cibo potuque constat, dici consuevit. Observandum etiam hìc obiter, fractionem panis in cœna Dominica in Orientali Ecclesia, & in Africa diu olim fuisse in usu, quemadmodum ex primitivæ Ecclesiæ monumentis constat, quæ etiam hodie in quibusdam Ecclesiis est usitata, ut panis azymus sumatur & frangatur. Ad illam consuetudinem Paulus alludens, inquit, *Panis quem frangimus*, &c. Fractio hæc panis in cœna Dominica, Christi, & meritorum ejus applicationem, ejusdem mortem atque passionem, nec non nostram cum Christo, & inter nos mutuam communionem: denique corporis, carnisque nostræ mortificationem significat, ut docent Theologi. Dionysius Areopagita scitè admodum pieque hanc panis fractionem ac distributionem interpretatur in sua *Hierarch.* cap. 3.

Fractio panis in cœna Dominica.

Apud Græcos porrò eundem, qui apud Hebræos, cibos dividendi, ac singulis convivis certas cibi (de potione postea uberiùs dicetur) tribuendi consuetudinem, & antiquam fuisse & valde tritam & usitatam, passim ex auctoribus liquet. Apud Homerum certè plurima ejus consuetudinis vestigia extant. Ut Ὀδ. ο.

Παρ' δὲ Βοηθοΐδης κρέα δαίετο καὶ νέμε μοίρας.

Hinc & Athenæus libro primo, & eum secutus Eustathius Ὀδ. α. sub finem γ. ο. ρ. & aliis multis in locis, nec non Suidas in voce δαίτη, δαιτρὸς, δαιτρεύειν, & ipsas epulas creberrimè ab Homero δαῖτας ἐΐσας ἀπὸ τοῦ δαίεσθαι ἐπίσης, sive ἰσομοίρως, æquabili partium divisione ac distributione olim usitatissima volunt esse dictas, & δαιτρὸν τὴν ἴσην ἑκάστῳ μοῖραν διαιροῦν, hoc est, æqualem cuique partem distribuentem, & δαιτρεύειν, more δαιτροῦ carnes dividere, ac distribuere, sive δαιτρὸν ἄγειν, *coquum agere*, & δαιτρὸν Homero idem quod *divisum*, & δαιτροσύνη, ipsa ars sive scientia cibos aptè dividendi atque distribuendi, de quibus vocabulis suprà quoque est dictum. Ejusdem consuetudinis Clemens quoque Alexandrinus meminit lib. 2. cap. 3. *Pædag.* ubi instrumenta ad ejusmodi ciborum divisionem idonea commemorat. μαχαίριον, inquit, ἐπιτραπέζιον (tischmässer) ἣν μὴ ἀργυρόηλον ᾖ, ἢ ἐξ ἐλέφαντος πεποιημένον τὴν λαβὴν οὐ τέμνει, ἢ ἐπὶ τὴν μοῖραν τοῦ κρέως Ινδικὸν σίδηρον χαλκευτέον. hoc est, *Culter, sive gladiolus qui in mensa ponitur, si clavos non habuerit argenteos, vel non fuerit factus ex ebore capulus, non scindit, aut ad carnem dividundam Indicum ferrum nobis fabricandum?* Culter Hebraicè מאכלת *Maacalath*, ab edendo, seu consumendo, & מחלת *Machalath*, ab incidendo, sive commutando, a Rabinis סכין *Saccin* vulgò appellatur, qui e ferro cuditur, & cotibus paratur ad conviviales & coquinarios usus. Idem sacrificiis adhibebatur. Silius, *Centum cadat hostia cultris.* Unde *cultrarii*, *victimarii*, qui & *popa*, victimarum immolatores, & cultro carnes dividunt *lanii*.

Culter.

Cultrarii.

De hac porrò carnium, aliorumque eduliorum in sacrificiis, conviviisque æquabili divisione atque distributione antiquitùs usitata, elegans extat Plutarchi *Problema* lib. 2. hujusmodi, πότερον οἱ παλαιοὶ βέλτιον ἐποίουν πρὸς μερίδας, ἢ οἱ νῦν ἐκ κοινοῦ δειπνοῦντες, hoc est, *Laudabiliusne fecerint majores certis portionibus, an recentiores communibus dapibus victitantes*, de hoc disputatur utramque in partem. Ac primò quidem rationes afferuntur, cur satiùs esse videatur communibus epulis vesci secundum recentem consuetudinem, suam cuique portionem tribui, qui mos fuit antiquorum. Prima ratio ducta est ab ipso conviviorum fine, οὐ γὰρ τοῦ φαγεῖν χάριν, οὐδὲ τοῦ πιεῖν, ἀλλὰ τοῦ συμπιεῖν, καὶ συμφαγεῖν καλοῦμεν ἀλλήλους, hoc est, *Non enim bibendi, atque edendi, sed unà combibendi, atque comedendi gratia nos mutuo ad epulas invitamus.* At ista κρεωδαισία, hoc est, *carnium in partes divisio*, sublata κοινωνία, hoc est, *communione*, multas cœnas, multosque cœnantes facit, neminem alterius convivam, quando veluti ἀπὸ κρεωπολικῆς τραπέζης (fleischbanck) à lanii mensa pondere acceptam quivis sibi partem proponit. Confert hujusmodi epulas Demophontidarum convivio, quo Orestem exceperunt, in quo apposito unicuique convivarum peculiari calice, atque scutario vini pleno, nec non propria mensa, ipse Orestes jussus est pro se bibere, neque alios observare. Præthereà & sermonis, & cantus, atque musicæ, & ipsius crateris communio (qui ὅρον οὐκ ἔχων ἐν μέσῳ πρόκειται πηγὴ φιλοφροσύνης ἄφθονος, hoc est, *nullis certis circumscriptus cancellis in medio propositus uberrimus mutuæ benevolentiæ fons existit*) nos ad communitatem invitat, cum ista certa panis, carnisque divisio ἀκοινώνητόν τι, καὶ ἀνελεύθερον, hoc est, *a communione alienum quid, atque illiberale esse* videatur. Secunda ratio ducta est à justitia, sive justa proportione, cui ista partium distributio videtur adversari. Nam panis & carnis injustissima portio æqualitatis mensura injustissimè se venditat apud inæquales. Idem enim & ei qui parvo indiget, nimium est, & ei cui multo opus est, non sufficit. Hoc ipsum simili appositione illustrat ducta à re medica, quemadmodum is qui multis ægrotantibus æqualia medicamenta mensuris, & ponderibus exactis distribueret, esset valdè ridiculus, ita etiam haberi debet convivator qui homines neque sitientes æqualiter, neque esurientes æquali universos modo, æquali modo curare vellet, mensuram justamque partem unicuique debitam, arithmetica non geometrica ratione definiens. In cauponam quidem imus publica omnes mensura una utentes, ad cœnam autem quisque proprium apportantes ventrem venimus, quem non æquale, sed id quod justum est atque sufficiens impleat. Neque vero Homericæ illæ cœnæ militares atque castrenses huc sunt transferendæ, sed æmulanda potiùs antiquorum humanitas, qui ut omnem venerantur communionem, non modò ὁμωρόφους, & ὁμοροφίους, ἀλλὰ καὶ ὁμοχοίνικας, & ὁμοσίτους, id est, *contubernales, & sub eodem tecto degentes, sed etiam coëpulones, atque commensales* plurimi fecerunt. Valeant ergo Homericæ cœnæ, a fame, & siti non usque adeò immunes, quibusque præsunt Reges Italicis cauponibus ad rem attentiores, qui in ipsis præcisè commemorent quantum in cœna

Rationes cur communibus potius cibis utendum, quàm sua cuique portio tribuenda.

Demophontidarum epulum.

Communioni in epulis maximè studendum.

apud

apud ipsos quivis biberit. Pindaricæ nimirum meliores, in quibus heroës venerandam juxta mensam permiscentur, iisdemque cum cæteris ferculis utuntur. Ea enim vera est ἀνάμιξις καὶ σύγκρασις, *permixtio*, cum omnia omnibus sint communia. Illud verò potiùs est divisio atque distractio amicissimorum, cùm ne opsonio quidem eodem communicare possint. Hinc Plinius in *Epistola ad Avitum* libro 2. reprehendit quendam, apud quem cœnavit, ceu sordidum & sumptuosum, his verbis: *Nam sibi, & paucis optima quædam, cæteris vilia & minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne jus esset recusandi. Et aliud sibi, & nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet) aliud suis, nostrisque libertis. Animadvertit qui mihi proximus recumbebat, & an probarem, interrogavit: nequaquam. Tu ergo, inquit, quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono, ad cœnam enim* (videtur ad notionem nominis alludere) *non ad notam invito, cunctisque rebus exæquo, quos mensa & toro æquavi.* (qui ἰσοδίαιτοι eleganter a Luciano dicuntur) *Etiamne libertos? etiam: convictores enim tum, non libertos puto*, &c. Hinc illud Epigrammatarii poëtæ:

Cur sine te cœno, cum tecum Pontice, cœnem?

Sic Suetonius testis est, C. Jul. Cæsarem pistorem pedibus constringendum dedisse, quòd alium sibi, quàm convivis panem subjecisset. Cato cùm in Hispaniam navigaret, *Non aliud*, inquit, *vinum bibi, quàm remiges.* Xenophon quoque in *Pædia* laudat Cyrum, quòd convictoribus eadem, quæ sibi esculenta proponeret.

Rationes cur æqualis portionum distributio magis probanda.

Contra afferuntur, ut ad Plutarchi *Problema* redeamus, aliæ rationes ad illam æqualem portionum distributionem comprobandam, quæ & ipsæ petitæ sunt ab antiquitate, ab ipsa natura, à communione & amicitia, ad quam illa videtur facere. Æqualitatem enim, quæ juxta Euripidem sociorum est, atque civitatum maximum vinculum, mensæ communio maximè requirit, cujus usus à natura non lege necessarius est, neque ab opinione novatus atque introductus. Plura porrò de communibus edenti inimicus est, qui minus accipit, quique tanquam celeri fluctu incitatam navem non potest assequi. Non enim φιλικὸν, οὐδὲ συμποτικὸν εὐωχίας προοίμιον, *amicum & convivio dignum epularium est exordium*, ὑφόρασις, καὶ ἁρπασμὸς, καὶ χειρῶν ἅμιλλα, καὶ διαγκωνισμὸς, hoc est, *suspicio, rapina, manuum concertatio, cubitorum pulsatio*. sed absurda hæc sunt, & canina, & quæ plerunque in convitia, atque rixas desinant, non convivarum modò invicem, sed etiam adversus conviviorum administratores atque convivatores. Quandiu autem ἡ μοῖρα, καὶ ἡ λάχεσις ἰσότητα (ἰσότης φιλότης, hoc est, *æqualitas amicitiæ parens*) τὴν περὶ τὰ δεῖπνα, καὶ συμπόσια κοινωνίαν ἐβράβευον, hoc est, *quandiu Mœra, & Lachesis, cui a sorte nomen, in cœnarum & conviviorum communione æqualitatem administraverunt*, nihil indecorum, atque illiberale videre licuit, sed & convivia δαῖτας, & convivas δαιτυμόνας & τραπεζοκόμους, *structores* appellarunt, δαιτρὰς, *divisores*, ἀπὸ τοῦ διαιρεῖν, καὶ διανέμειν, id est, *a dividendo atque distribuendo.* Lacedæmonii similiter κρεωδαίτας, hoc est, *carnium divisores* habuerunt non vulgares, sed primarios viros, quando id munus etiam Lysandro in Asia Rex Agesilaus mandavit. Tum demum διανεμήσεις, hoc est, *distributiones* è conviviis fuerunt ejectæ, cum nimirum placentæ, candyli, caricæ, aliæque ὑποτριμμάτων καὶ ὄψων παραθέσεις, *condimentorum & opsoniorum fercula* non poterant dividi, sed devicti istis delitiis, gulæque studio τὴν ἰσομοιρίαν, hoc est, *portionum æqualitatem* abjecerunt. Argumento est, quòd etiamnum sacrificia, & publicas cœnas προσμερίδα portionibus distributis agitant, ob victus simplicitatem atque munditiem, ut omnino qui νέμησιν, hoc est, *distributionem* in usum revocat, simul etiam reducat frugalitatem. At objiciat aliquis ὅπου τὸ ἴδιόν ἐστι, ἀπόλλυται τὸ κοινὸν, hoc est, *ubi proprium est, ibi commune perit.* Respondeo, id fit ubi non est æqualitas. οὐ γὰρ οἰκείου κτῆσις, ἀλλ' ἀφαίρεσις ἀλλοτρίου, καὶ πλεονεξία περὶ τὸ κοινὸν ἀδικίας ἦρξε, καὶ διαφορᾶς, ἣν ὅρῳ, καὶ μέτρῳ τοῦ ἰδίου καταπαύοντες οἱ νόμοι τῆς ἴσα νεμούσης εἰς τὸ κοινὸν ἀρχῆς καὶ δυνάμεως ἐπώνυμοι γεγόνασι, hoc est, *Non enim propriæ rei possessio, sed alienæ ablatio, & id quod commune est, sibi vindicandi libido initium extitit injustitiæ atque discordiæ, quam leges termino, atque modo proprietatis tollentes ab illa quam habent, commune æqualiter distribuendi vi & facultate nomen suum apud Græcos sunt sortitæ:* νόμοι dicti ἀπὸ τοῦ νέμειν. Hæc denique partium æqualis distributio ad communionem pertinet, & pauperi quidem atque humili animum addit: divitem autem atque potentem citrà molestiam castigat, illumque ad ferendam æquo animo æqualitatem condefacit. Hæc à Plutarcho in illo *Probl.* eleganter sanè de illa portionum æquali distributione in veterum sacrificiis atque epulis usitatissima disputantur, ex quibus etiam colligitur illam sorte (quam eleganter Euripides τῆς τύχης παῖδα, hoc est, *fortunæ prolem* appellat) olim fieri fuisse solitam. Hinc, teste Suida, ductum est proverbium, quod est apud Aristophanem in *Equit.* πρὶν λαχεῖν τὰ κοινὰ κατεσθίειν, hoc est, *priusquam sortiaris, communia devoras*, in eum qui non expectata partitione rem invadit. Hinc tibiæ quoque conviviales παροίνιοι dictæ, erant pares & æquales ad significandum æqualitatem conviviorum. Et Ceres iccirco non solùm *spicifera*, sed etiam *legifera* appellata, cui ob eam rem agerent θεσμοφόρια: ut eadem sit & ciborum, & justitiæ inventrix, ut tradit Scaliger lib. 1. *Poët.* Hujusmodi autem partium circumlationem a Xenophonte συμπεριφορὰν dici Cælius testatur lib. 28. cap. 1. Ejusdem vocis Clemens quoque Alex. meminit libro 2. *Pædag.* cap. 1. cujus verba hæc sunt: μὴ γὰρ ἀφαιροῦμεν τὴν συμπεριφορὰν, ἀλλὰ τὴν ὄλισθον τῆς συνηθείας εἰς συμφορὰν (elegans allusio συμπεριφορᾶς καὶ συμφορᾶς) ὑποπτεύομεν, hoc est, *Non enim ferculorum circumlationem tollimus, sed consuetudinis prolapsionem, & calamitatem suspectam habemus.*

Mos convivas honorandi partibus lautioribus.

Observandum est præterea, moris olim fuisse, ut qui erant inter convivas honoratiores lautioribus atque præstantioribus partibus honorarentur. De more hospitibus primò, deinde magistratui dandi partes, vide lib. 1. *de conviviis hospitalibus.* Athenæus lib. 1. εἰσὶ δὲ καὶ ἀρίστοις κατὰ δεῖπνα τιμαί. *Sunt etiam* (apud Homerum) *optimatibus in cœnis honores*: quales fuerint illi honores subjungit. Nam & Tydides carnibus, & pluribus

Κρεωδαῖται Spartanorum.

poculis honoratur. At Aiax νώτοισι διηνεκέεσσι γεραίρετο, *longis decoratur tergoribus*, quos honores etiam Reges consequuntur, ut Menelaus, Idomeneus, & Agamemnon, qui poculo etiam copiosiore honoratur. Sarpedon similiter à Lyciis iisdem & sedis, & carnium honoribus afficitur. Eustathius in illa Homeri, νώτοισι δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γεραίρεν (in sacris Jovi factis post partam ab Aiace victoriam in monomachia cum Hectore Ιλ. η.) *Ideò*, inquit, *id factum est, ajunt*, διότι οὐκ ἔκλινε νῶτα τῷ πολεμίῳ, ἢ καὶ τοῖς αὐτῷ παρατεθεῖσιν ὁ βασιλεὺς δεξιοῦται τὸν νικητὴν, id est, *quoniam hosti dorsum non inclinarat, vel Rex amicè atque honorificè Aiacem excipit ceu victorem ferculis, quæ ipsi fuerunt apposita.* Nam videntur iis, qui in dignitate, atque principatu fuerunt constituti, τὰ νωτιαῖα κρέατα, (Hochruckenstuck) *carnes ex tergo* fuisse appositæ. Herodotus quoque testatur, Spartæ Reges honoris loco in sacrificiis immolatorum tergora, atque pelles accipere fuisse solitos, primosque sedere in convivio, omnique illis duplo majora fuisse tributa. Omnino autem passim apud alios etiam historicos, atque poëtas honores leguntur Optimatibus fuisse in epulis exhibiti. Apud Homerum quidem manifestum est, & Sarpedonem a Lyciis sede atque carnibus fuisse decoratum (Ιλ. μ.) & Tydidi honoris ergò plura, & pleniora fuisse pocula tributa (Ιλ. δ. & θ.) & Menelaum bovis tergora cuidam dedisse (Telemacho & Pisistrato Οδ. Δ. ferè ab initio) τά ῥά οἱ (γέρα) πάρθεσαν αὐτῷ. Idem auctor in illa Ιλ. θ.

Τυδείδη, περὶ μέν σε τίον Δαναοὶ ταχύπωλοι
Ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι:

sic commentatur, ὅρα κἂν τούτοις ὡς σμικροπρεπῆ τὰ τῶν ἡρώων γέρα. οἷον προεδρία καὶ κρέατα, καὶ οἴνου πλήρη ποτήρια. Sic Οδ. Δ.

Ὣς φάτο, καί σφιν νῶτα βοὸς παρὰ πίονα θῆκεν
Ὄπτ' ἐν χερσὶν ἑλὼν, τά ῥά οἱ γέρα πάρθεσαν αὐτῷ.

Menelaus hîc apponit pinguia bovis terga regiis juvenibus, quæ illi honoris loco apposita fuerant. Eustathius: *Hinc apparet, ut ajunt veteres, majorem partem Regibus fuisse appositam honoris ergò, unde etiam aliis gratificandi facultatem haberent, ut hîc facit Menelaus, qui hospitibus honorificum illud suum munus apponit: & Agamemnon in Iliad. tergoribus honorat Aiacem.* Hinc etiam Lycurgus legibus sanxit Lacedæmoniorum regibus διμοιρίαν, hoc est, *duplo majorem partem* præberi. Observa hîc regiarum epularum frugalitatem. Non enim ei χλιδανόν τι, sed bovis terga apponuntur, ut etiam apud alios fit, pinguia tamen, quo nimirum delicata esset Regia portio. Homerus Οδ. θ.

Οἱ δ' ἤδη μοίρας τ' ἔνεμον κερόων τε οἶνον,

Eustathius: *hoc est*, εἰλαπιναστικόν, hoc est, *conviviale. Observa autem quòd μερίδας appellat μοίρας κοινότερον γεράφας.* Deinde paulò pòst Ulysses præconem alloquens jubet illum νώτου ἀπὸ προταμόντα *Demodocum cantorem lauta carnium parte honorare.* Ibi Eustathius: *non terga solùm, verùm etiam μηρία*, hoc est, *fæmora fuisse περισπούδαστα, in pretio & honore*; Posidonius, uti ajunt, indicat, dum scribit ex partibus præstantissimum fœmur (μηρίον) accepisse: pro qua parte etiam sæpe ad mortem usque depugnabant. Hercules ab Eurystheo convivio exceptus cum singulis convivis sua fuisset apposita portio, ei autem ab Eurysthei filiis ταπεινότερα fuissent apposita, unum ex illis occidit; Athenæus lib. 4. ἦν δὲ φασὶ παλαιὸν ἔθος, ἕκαστον ἀεὶ τοῦ αὐτοῦ μοίρας δωρεῖσθαι οἷς ἐβούλετο. Hujusce consuetudinis & in sacris, & in prophanis litteris crebra fit mentio. Sic Josephus, ut suprà dictum est, partes a conspectu suo, hoc est, e paropside sibi apposita fratribus suis misisse, & Beniamino quidem quinduplo majorem dedisse dicitur. Plura exempla ex sacris suprà reperies. Cyrus similiter Rex Persarum, ut scribit Xenophon lib. 8. *Pæd.* si quem ex amicis volebat a multis coli, & honorari, cibariorum partes de mensa ad eum mittebat. Illos enim suspicimus, ac veneramur, quibus viderimus aliquid mitti de regia lance, velut cariores illi sint, & amicorum intimi. Persici hujus moris Plutarchus quoque meminit in *Sympos.* libro 7. *Probl.* 4. ubi tradit hunc honorem præcipuè deferri solitum amicis, ducibus & corporis custodibus, quos σωματοφύλακας vocant. Apud Moscovitas similiter Rex convivis suis, præsertim oratoribus atque legatis, de mensa sua panis frusta, atque salem, nec non aliorum opsoniorum particulas per dapiferos suos honoris ergò, & gratiæ atque honoris sui testificandi gratia, certis quibusdam atque solennibus verbis adhibitis mittere solet: illi quibus ea mittuntur consurgendo, & caput inclinando Principi gratias agunt, ut testis est Sigismundus Liber Baro in suis *Comment. rerum Moscovitarum.*

Partes quæ olim honoratiores.

Mos partes absentibus mittendi de cœna.

Nec verò præsentibus tantùm, verùmetiam absentibus partes de cœna mittendi antiqua fuit consuetudo, quæ etiamnum hodie obtinet, quæ quidem partes, Hofessen sive bescheidessen / vernacula nostra lingua appellantur. Græci hoc appellarunt πέμπειν ἀπὸ τραπέζης. Xenophon *Pæd.* 8. τούτοις ἔπεμπεν ἀπὸ τραπέζης. Ibidem: οἷς ἂν ὁρῶσιν πεμπόμενα ἀπὸ τῆς βασιλέως τραπέζης. Cicero quoque dicit, *De mensa mittere.* Suetonius in *Caligula: Equiti Romano contra se hilarius, avidiusque vescenti, partes suas misit.* Pertinax Imperator Rom. amicis si quando de prandio suo mittere voluit, misit offulas binas, aut omasi partem, aliquando lumbos gallinaceos. Fasianum nunquam privato convivio comedit, aut alicui misit, teste Julio Capitolino. Et paulò ante: *Nisi quòd missum esset edulium, quotquot essent amici, novem libras carnis per tres missus ponebat. Si autem plus aliquid missum esset, etiam in alium diem differebat.* Ad eandem consuetudinem referenda illa Apulei libro 7. *Interdum tamen in simulatione promendi quæ poscebat usus, ad puellam commeabat assiduè, partesque subreptas clanculo, & prægustatas a se portiones, offerebat hilaris.* Et lib. 2. *Abi*, inquit, *fatue, qui in domo funesta cœnas, & partes requiris.* Beroaldus in illa verba, *significanter locutus est: Nam partes dicuntur eduliorum in mensa, quas amoris testificandi causa solent Principes convictoribus dare apud Suetonium & Xenophontem legimus.* Græcè μερίδες dicuntur. Scribit Dicæarchus, non fuisse moris apud antiquos in cœnis partes distribuere: postea obtinuit consuetu-

consuetudo, ut deficientibus eduliis partes viritim darentur, cum prius potentiores infirmorum alimenta corriperent, & inde contingeret, ut ex voratrina suffocarentur. Unde factum est proverbium, μερὶς οὐ πνίγει, id est, *Pars non strangulat.* Ælius Spartianus in vita Antonini Caracallæ: *Post hoc fratrem patruelem Afrum, cui pridie partes de cœna miserat, jussit occidi.* Ex his patet hæc edulia mittendi consuetudo. Observandum hîc, religioni charitatique Christianæ valdè consentaneum, ut de epulis nostris, præsertim lautioribus, non modò amicis atque propinquis, verùm etiam pauperibus mendicis atque ægrotantibus partes crebro mittamus, ac ita illos nostræ mensæ participes faciamus. Hoc modo ipsum Christum habebimus ὁμοτράπεζον, imò convivii Regem atque Dominum, qui epulis nostris benedicet, illasque ad animi, corporisque nostri salutem diriget. In cœna Dominica olim panis, vinique distributio (quam Græci, ut Justinus, διάδοσιν, & μετάληψιν vocant: Dionysius Areop. διανέμησιν καὶ διανομήν) antiquitùs per Diaconos fiebat, qui etiam absentibus partes afferebant sive mittebant. Justini verba hæc sunt: οἱ λεγόμενοι παρ' ἡμῶν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντων ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. Item paulò pòst: καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Ex his apparet antiquitùs non modò in prophanis, verùm etiam in sacris epulis partes absentibus de cœna fuisse missas. De consuetudine antiqua partes secum domum ex sacrificiis atque epulis deportandi suo in loco dicetur, cum de iis agemus, quæ convivium consequi solent. NOTA.

Apud Romanos porrò atque Latinos cibos aptè incidendi, dividendique accuratam fuisse rationem passim scriptores testantur. Eo munere qui fungebantur illi *structores* a Latinis fuerunt appellati. Juvenal. Sat. 5. Structores.

Structorem intereà (ne qua indignatio desit)
Saltantem spectas, & chironomonta volanti
Cultello, donec peragit dictata magistri
Omnia, nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Structorem vocat a struenda mensa: unde est illud Virgilii *Cura penum struere.* Hunc appellat *saltantem*, hoc est, optimè agilem, quodam corporis tripudio ante Dominum servientem. Eundem præterea vocat *chironomonta*, qui quadam manuum agilitate, & veluti lege opsonia incidit: a χεὶρ *manu*, & νόμος *lege.* Quòd autem ait, *donec peragat*, id est, persequatur, *omnia dictata*, id est, præcepta: *magistri*, hoc est, præceptoris ejusmodi artis: notandum in urbe fuisse qui artem incidendorum ritè opsoniorum docerent per varia animalia formata ex ligno, qua de re idem poëta Satyr. 11. sic canit: Magistri τῆς δαιτρικῆς.

- - - - Quin ipsa manubria cultellorum
Ossea: non tamen his ulla unquam opsonia fiunt
Rancidula, haud ideò pejor gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & Phœnicopterus ingens,
Et Getulus oryx, hebeti lautissima ferro
Cæditur, & tota sonat ulmea cœna Saburra.

Ex his manifestè apparet Romæ fuisse doctores, qui ludum structorium aperirent, ut Trypherus temporibus poëtæ, qui ludum juxta Saburram (regio fuit urbis celebratissima) ubi tradens discentibus præcepta scindendi opsonia, quæ ex ligno habebat formata, hebeti cultello docebat, quo gestu hæc vel illa secaret: & inde *cœnam ulmeam* nominat, quoniam ex ligno opsonia essent formata. Seneca *de brevitate vitæ*: *Quùm videam quàm suspensi sint, quomodo aper a coquo casus exeat, quanta celeritate signo dato gladii ad ministeria decurrant, quanta arte scindantur aves in frusta non enormia.* Plinius item lib. 10. *Postea culinarum artes, ut clunes spectentur, ut dividantur in tergora, ut a pede uno dilatata repositoria occupent.* Ludus structorius.

Illud autem officium servis olim demandatum erat, qui secare solebant, quæ ad mensam offerebantur. Unde Seneca lib. *Epist.* 6. *Epist.* 47. ad Lucilium sic scribit, ubi de servis loquitur: *Alius*, inquit, *pretiosas aves scindit, & per pectus, & clunes certis ductibus circumferens eruditam manum, & in frusta excutit.* Subjungit deinceps: *Infelix qui uni huic rei vivit, ut altilia decenter secet, nisi quòd miserior est, qui hoc voluptatis causa docet, quàm qui necessitate discit.* Hodie varia est, & multiplex apud diversas gentes cibos incidendi, dissecandique ratio. Fit hæc ciborum dissectio, sive anatomia, quæ a Germanis zerlegen / oder fürschneyden dicitur, aliquando ab ipso convivatore, seu convivii Domino, aliquando ab aliquo convivarum honoratiore atque digniore, vel certè ejus artis peritiore, ut ferè in Germania fieri consuevit. Quibusdam in locis id juvenum est, qui convivio intersunt, munus: in aliis servorum, ut olim apud Romanos. In Anglia, & aliis in locis, puellæ atque mulieres ejus artis peritissimæ ministerium illud obeunt. Plerisque in locis, ut quisque videri vult lautissimus atque civilissimus, ita ultrò solet officium illud (quod olim servile erat) sibi desumere. Hinc fit ut qui artis istius sunt ignari, a reliquis ferè derideantur, minusque civiles, atque liberales habeantur: quemadmodum Themistocles, quum Lyram, quæ pro more in cœna circumferebatur, recusaret, seque ejus imperitum esse confessus esset, indoctior est habitus. Erasmus *de civil. morum*, *Discenda est*, inquit, Servi olim soliti cibos dissecare.

inquit, *a primis statim annis secandi ratio non superstitiosa, quòd quidam faciunt, sed civilis, & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter cervix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas: qua de re sigillatim præcipere ut prolixum sit, ità nec operæpretium. Illud in universum tradi potest, Apitiorum esse, omni ex parte, quicquid palato blanditur, abradere.*

De modis incidendi copiosè disserit Michael Savanorola *tract.* 2. *Rub.* 51. nec non de partibus animalium, & earum qualitate, quæque aliis præstantiores, ejusdem *tract. Rub.* 32. Vide etiam de partibus animalium pedestrium, volatilium, &c. Christoph. de Vega lib. 2. & Bruynerium *de re cibaria.* Oportet namque eum, qui callidè, atque ita ut decet, hoc munus vult obire, primò tenere aptam, & commodam singula opsonia incidendi rationem (quod Græcis est ὀρθοτομεῖν:) deinde nosse quæ partes vel internæ, vel externæ quadrupedum, piscium, avium, aliorumve opsoniorum, magis vel minus sint lautæ, ac delicatæ, quo honoratioribus semper meliores, ac præstantiores partes apponat. Qui ignarus est hujus artis, caveat ne vel sua sponte, & ultrò munus hoc usurpet, vel sibi oblatum temere recipiat, ne inepta, & agresti sua ciborum dilaceratione potius, quàm divisione convivis reliquis irrisui sit, atque ludibrio. Incivile quoque est, atque illiberale aliquem rei istius gnarum atque peritum, si cibaria incidere rogetur, illud obstinatè, atque contumaciter recusare.

Omnino ut in genere quædam de opsoniorum dissecatione dicamus, illa quodammodo videtur esse duplex. Una, quæ est crudorum, antequàm coquuntur: ut cum carnes crudæ partim in macello a laniis in majores, partim a coquis in culino minores in partes dividuntur, quo faciliùs atque commodius ollis, aliisque vasis coquinariis imponi, atque coqui possint. Altera est ciborum divisio jam coctorum in minores adhuc partes, quò facilius comedi, ac concoqui queant, quæ rursus est bipertita. Nam primò carnes, atque etiam alia opsonia jam cocta, vel antequàm mensæ conviviali imponantur, in culina sive in abaco: vel mensæ jam imposita dividuntur in majores partes. Deinde convivæ partes sibi appositas minores adhuc in particulas secant, quò facilius illas manducare, atque masticare possint. Sic enim senes, præsertim edentuli, vel etiam alii dentium infirmitate laborantes, carnes, aliosque cibos in minimas particulas concidere atque comminuere solent.

Animalia non nunquam integra apponuntur.

Notandum postremò, integra nonnunquam animalia coqui, atque etiam in mensa convivis apponi fuisse solita. Sic enim apud Indos, testis est Philostratus, integros non modò pisces, atque aves: verùmetiam leones, capreas, apros fuisse appositos, ita ut quisque convivarum ex propria sede surgens, & particula ab iis animalibus abscissa, aut avulsa in propriam sedem reverteretur. Idem in Persarum natalibus fieri consuevit, teste Herodoto & Athenæo lib. 4. Huc quoque referendus bos ex myrrha, thure, & pretiosissimis aromatum generibus compositus, & spectatoribus distributus ab Empedocle Agrigentino in victoriali epulo. Athenæus lib. 1. Macrobius lib. *Saturnal.* 3. c. 12. refert Cincium in oratione, qua suasit legem Fanniam de moderandis sumptibus, objecisse suo seculo, quòd porcum Trojanum mensis inferrent. Erasmus in *Adagiis, Gulæ*, inquit, *veteres architecti & hoc commenti sunt, ut bos, aut camelus totus apponeretur differtus intus variis animantibus. Hinc & porcus Trojanus venit in populi fabulam, quòd ita varias animantium species utero tegeret, quemadmodum duriùs equus texit armatos viros.* Macrobii verba sunt: *Quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille Trojanus equus gravidus armatis fuit. S. Rullus Romæ primus integrum aprum una mensa apposuit.* Huc referendus est bos ille, qui apud Germanos in Imperatoriæ coronationis epulo ex veteri consuetudine integer multis aliis animalibus farctus ligneo veru in foro torreri solet, ex quo pars aliqua ad inauguratum Imperatorem delata, reliqua multitudini diripienda cedit.

CAPUT IV.

DE CIBI SVMPTIONE, EIVS NOMINIBVS, GESTIBVS INCIVILIBVS, ET INPRIMIS GVLA ATQVE INGLUVIE CEV ANIMO, CORPORI, ATQVE FORTVNIS PERNITIOSISSIMA FVGIENDA. DE REPLETIONIS IMMODERATAE REMEDIIS.

Nunc tandem ad ea accedamus quæ sunt de convivii, ut ita loquar, substantia. Illa autem sunt cibi, potusque sumptio & sermocinatio, sive colloquium mutuum, quod quasi alter quidam est mentis cibus atque pabulum, conviviique suavissimum, saluberrimumque condimentum. In omni namque convivio editur, bibitur, sermo cæditur, de quibus nunc ordine agemus, ac de quibus tribus etiam Ecclesiasticus cap. 31. & 32. brevia quidem, sed bona sane atque utilia præcepta tradit. Ac primò de esu, sive cibi sumptione dicatur, exordio a nominibus ducto.

Hebræis verba *cibum capere* significantia sunt אכל *acal*, quod est generalissimum: ברח *Barach*, unde בריה *Biriach*, *prandium*, *cibus* (quidam *morsellum delicatum* vertunt) בלע *bala* quod propriè est *absorbere*, &c.

Græcis edere est ἔδειν, ἐσθίειν, βρώσκειν, βρωσείειν, βρύκειν, φαγεῖν sive φάγεσθαι, ut est Luc. 14. ἀπὸ τῶν φηγῶν, id est, glandium cibo prisco, ut vult Eustathius Οδ. τ. in illa Penelopes verba proverbialia ad Ulyssem, οὐδὲ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης: & Ιλ. ε. de quo suprà. Hinc *esculum* quoque

quæ

quæ eſt de genere glandiferarum arborum, vocatam volunt ab eſu, quo antiqui primum uſi fuerint. Item τρωγεῖν & τρώγειν, unde τρώγος animal voraciſſimum, teſte Euſtathio Οδ. Z. Hinc forſan Gallica *droges*, & *dragee*. Ερεπτειν quoque *comedere* Græcis ſignificat, propriè de brutis. Pollux lib. 6. τὸ συντόνως ἐσθίειν, ἀδδηνῶς ἐσθίειν. ἀπολοπαδίζειν, *apposita patella* (quæ Græcis τήγανον, & ζάγκλιον, καὶ λοπὰς dicitur) *opſonium comedere*, Athenæus lib. 1. Γρῶ etiam antiquis *comedo*, & διαφθείρω: unde nonnulli & γράσιν volunt deductam, quàm etiam κράσιν veteres ſcribunt, τὸ ἡμίξηρον χόρτον τοῖς ἀλόγοις φίλον, & γραῦς, anus, χρόνῳ διαφθαρμένη, & γράφειν. Ιλ. ζ. φλᾷν idem quod *comedere cum ſono*; Ariſtophanis Scholiaſtes. ſchmatzgen/ ἐπιτιλίζεσθαι. τένθειν idem quod ἐσθίειν, Ariſtophanis Scholiaſti; & ἐγκάψαι Homero idem ſignificat.

Latinis eſt *edere*, *comedere* ἀπὸ τοῦ ἔδειν, forſan hoc ab Hebræo עץ *ez*, quod *arborem*, ſive *lignum* ſignificat, ut φαγεῖν, ſive φηγεῖν ἀπὸ τῶν φηγῶν, quoniam primus mortalium eſus fuerunt arborei fœtus. Hinc *edor* ab antiquis appellatum fuit *Far*, quod poſtea *ador* vocaverunt teſte Feſto, eò quòd populus Rom. trecentis propemodum annis ex omni frumenti genere ſolo farre uſus fuerit, ut ex Verrii ſententia refert Plinius lib. 18. cap. 7. *Cibum capere*, & *capeſcere* idem Ciceroni. *Veſci* quod ex *ve*, & *eſca* volunt eſſe compoſitum. Cicero in *Orat. Quæ eſt in hominibus tanta perverſitas, ut inventis frugibus glande veſcantur.* Idem *de Nat. Deor. Dii nec eſcis, nec potionibus veſcuntur.* Hic notabis *veſci* etiam de potionibus dici. Hinc *veſcum* quicquid edibile. Virgilius,

- - - - Veſcumque papaver.

Veſci aliquando abſolutè ponit Virgilius,

Veſcitur Æneas ſimul, & Trojana juventus.

Eſſe etiam Latinis pro *edere* uſurpatur, forſan quia homo eſſe, hoc eſt, vivere non poteſt ſine eſu. Unde ſapienter ille monuit, *Edere oportet ut vivas, non vivere ut edas. Mandere* quoque, & *manducare* (unde, teſte Varrone, *manducum* opſonium dicitur) Latinis idem eſt quod *comedere*, & ut Grammatici volunt, propriè ea quæ dura ſunt, & dentibus reluctantur, quaſi *manibus cibum ducere*, hoc eſt, ſumere, ſive capeſſere. Hinc Gallicum & Italicum *manger*, ſive *mangiare*. Manus namque ut aliarum ferè actionum omnium, ita comedendi quoque præcipuum eſt inſtrumentum. Nam ut cætera animalia, quemadmodum eleganter Cicero inquit, cibum partim oris hiatu, & dentibus ipſis capeſſunt, partim unguium tenacitate accipiunt, partim aduncitate roſtrorum, ita homo manibus cibum apprehendit, illumque ori admovet, atque ingerit. Animalium tamen nonnulla, ut Plinius inquit lib. 11. cap. 43. ut manibus utuntur, priorum miniſterio pedum, ſedentque ad os illis admoventia cibos, ut ſciuri. *Manus eſt*, inquit Ambroſius *Hexam.* lib. 6. c. 9. *quæ cibum ori miniſtrat.* Hinc eleganter Gregorius Nyſſenus in libro *de opificio hominis* propter alias cauſas, tum etiam propter ſermonem, homini maximè proprium, manus hominibus tributas eſſe hac ratione concludit: *Nam niſi manus, quibus cibum pararet, atque in os mitteret, habuiſſet, neceſſariò os ſumendis è terra cibis, ut in cæteris brutis, idoneum fabricare cogebatur: os autem ejuſcemodi loquelæ atque ſermoni planè ineptum fuiſſet, unde ut loqui poſſet, manus homini dedit.*

Manus (unde manducare) cibi capiendi inſtrumentum.

Hæc de nominibus, nunc de reipſa. *Propterea capitur-cibus, ut ſuffulciat-artus*, inquit Lucretius. Unde rectè cibus a Græcis ὄνεαρ dicitur, ἐκ τοῦ ὀνεῖν τὸ ὠφελεῖν, ὅτι ὀνήσιμον ἡ τροφή, ut Euſtathius docet, Οδ. α. & τροφὴν Philo medicus apud Plutarchum lib. 6. *Sympoſ. probl.* 2. nutrimentum vult dictum ἀπὸ τοῦ τηρεῖν τὴν φύσιν, id eſt, *quod naturam conſervet.* Et Homerus Ιλ. ι.

Cibi utilitas.

Σίτου, καὶ οἴνοιο, τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή.

Et ἤια παρὰ τὸ εἴειν τὸ πορεύομαι, ſive ἔειν τὸ ὑπάρχειν, eò quòd cibi ſunt cauſæ τοῦ εἶναι, ζῆν καὶ περιϊέναι, teſte Euſtathio. Et Hebraicè cibus & ſympoſion dictum eſt *Seudah*, quaſi dicas *fulcimentum* à *Saad*, id eſt, *ſuſtentare*, qui hominis vitam ſuſtentat, atque fulcit. His vocibus pulchrè docetur homines menſæ aſſidere debere ut vitam cibo ſuſtentent, non ut crapulæ, & vino indulgeant. Nam cum tota corporis noſtri moles, ut Galenus lib. 1. *de tuenda valetud.* ſcribit, in perpetuo ſit fluore, cumque niſi altera ſimilis ſubſtantia in ejus, quæ defluxit, locum reponatur, univerſum diſſipari fuerit neceſſe, idcircò ſummus rerum artifex inſitas quaſdam vires deficientis ac deſiderati ſemper appetentes, ſtatim ab initio indidit. Non enim ſugere, veſci, bibere, ut etiam reſpirare à quoquam diſcimus, ſed ſtatim à principio facultates in nobis habemus, quæ hæc omnia citra docentem perficiant. Cibo igitur, quicquid ſolidioris ſubſtantiæ effluxit, reſtituimus: potione, quicquid humidioris. Cæterùm cùm id, quod ſingulis partibus defluxit, tale ſit, qualis eſt ipſa particula, nihil autem eorum quæ eduntur, bibunturve, tale prorſus ſit, neceſſum fuit animanti ea primum aſſumere, deinde etiam retinere, tertiò immutare, atque concoquere, ac quàm maximè licet corpori alendo, reſtituendoque ſimilia efficere: & poſtremò excrementa, quæ neceſſario has mutationes ſubſequuntur, expellere: ad hæc itaque efficienda Deus ceu optimus artifex cùm externa, tum interna membra, nec non facultates quaſdam, ut ἑλκτικὴν, καθεκτικὴν, ἀλλοιωτικὴν, & ἐκκριτικὴν eſt fabricatus, de quibus ſubtiliùs Medici, atque philoſophi diſſerunt, nobis illa pingui, ut ita loquar, Minerva attigiſſe ſatis fuerit. Cicero lib. 2. *de natura Deorum*, perſpicuè ſanè, eleganterque totam cibi capiendi atque nutritionis rationem expreſſit.

Nunc de cibi capiendi partim ſalubri, partim civili, decoro, atque urbano modo geſtuque dicatur: de quo Eccleſiaſticus cap. 31. optimè ſanè, ſapientiſſimeque præcipit. Horum ſumma eſt, in convictu hominum, conviviiſque ſobrietati, temperantiæ, modeſtiæque eſſe ſerviendum. Contrà ingluviem, atque voracitatem, ut rem agreſtem, odioſam, animo, corporique pernitioſam, vitandam ſummopere eſſe atque fugiendam. Ingluvies certè atque gula cùm animo, corpori atque fortunis pernitiem, damnumque maximum

 affert,

affert, tum omnium ferè gestuum, atque morum in mensa illiberalium atque incivilium, de quibus Erasmus & alii, potissima ferè est causa. Sed operæpretium fuerit ipsius Ecclesiastici verba proponere, cumque illis aliorum de civilitate morum præcepta, atque monita conferre, &c. *Cum ad mensam magnificam, sive divitis sederis, ne aperias faucem tuam super eam*, hoc est, ut faucibus tuis illi inhies: *nec dicas*, id est, cogites animo tuo, *multa esse apposita*, hoc est, quoniam ingens ferculorum copia suppetit, idcircò tibi esse helluandum. Quidam simpliciter sic exponunt: *Cave ne multum loquaris super mensa aliena*: quod quidem bonum est præceptum secundùm illud: Εὔτακτον εἶναι τ' ἀλλότρια δειπνοῦντα δεῖ. Alii sic intelligunt, *Non multa verba facias de cibis, qui apponuntur, sive multi sint, sive pauci, sive boni, sive mali, ne in eorum, qui te invitarunt, offensionem incidas, quin potius gratus taceas, & tibi appositis fruaris.* Hoc primum est illius sapientissimum sanè præceptum, quo monet cùm in omni convivio, tum verò atque in primis in divitum, & potentiorum epulis splendidis atque magnificis, ad quas vocati sumus, nobis in primis modestiæ, abstinentiæque esse studendum, ne in illorum odium, invidiamque incurramus. Hanc enim statim rationem subjungit: *Fac memineris*, sive *cogites, quantum malum sit oculus nequam*, hoc est, invidus. Ecquid nequius oculo creatum est, quippe qui ab omni facie sua, hoc est, quacunque de causa, sive cujusvis rei molestæ objectu lachrymetur, hoc est, contristetur & offendatur, ita ut lachrymas effundat per oculos cupiditatis, tristitiæque indices, cùm nimirum viderit te ita cibos avidè devorare. Prima igitur causa, ob quam Ecclesiasticus gulam, atque ingluviem in epulis vitandam esse censet, est, quoniam illa cùm ipsis convivatoribus, præsertim avaris, & invidis, tum convivis est odiosa, id quòd etiam verbis sequentibus copiosius docet. Ergò ne in convivatoris pariter atque convivarum contemptum, odium, invidiamque incidamus, in conviviis præsertim asymbolis, voracitas vehementer est fugienda. Huc facit illud Comici,

In mensa aliena præsertim divitum modestiæ studendum.

Εὔτακτον εἶναι τ' ἀλλότρια δειπνοῦντα δεῖ.

Hoc est,

Modestum esse decet eum, qui alienis vescitur.

Cibi alieni non avidè appetendi.

His quoque similia sunt illa Prov. 23. *Quum sederis ut comedas cum Principe, considerando considera*, hoc est, prudenter, diligenterque adverte, *quæ ante te sunt posita. Si tu gulæ tuæ indulgere voles, gutturi tuo cultrum intentabis*, hoc est, tibi nocebis. Alii sic: *gulæ tuæ modum pone, & si vis compos tui manere, ne concupiscas cibos ejus.* Addit enim: *Ne concupiscas pulmenta ejus, quum cibus sit fallax.* Et paulò pòst: *Ne comedas panem malum oculum habentis*, hoc est, invidi, *neque concupiscas pulmenta, sive edulia ejus. Quoniam ut æstimavit animo suo, sic est: comede, & bibe, dicet tibi, cor autem ejus non est tecum. Bucellam tuam, quam comedisti, evomes* (wirsts wolmüssen köiwen) *& perdes verba tua dulcia.* Quidam tamen, ut illud addam, hunc volunt esse illorum Ecclesiastici verborum sensum: Gulæ non esse indulgendum, propterea quòd oculus, id est animi cupiditas, quæ objectu aspectuque rerum jucundarum excitatur (unde dicimus *cupiditatis oculos ad rem aliquam adjicere*) prava est, & incitata semel, non facilè coërceri rursus, ac reprimi potest. Liranus totum hunc locum sic exponit: *Non dicas*, id est, *non quæras ferculorum varietatem: sed gratus accipe, quod proponitur, memineris malum esse illum oculum, qui minus impleri potest, quam venter*: (sic nos Germanicè dicimus de guloso, man möcht im den bauch füllen / möcht te man im nun die augen erfüllen.) *Ab omni facie lachrymabitur*, id est, *ægrè feret si minus parata sint fercula delicatè, quàm cupiat appetitus.*

Addit Ecclesiasticus, μὴ ἐκτείνῃς χεῖρα, καὶ μὴ συνθλίβου αὐτῷ ἐν τρυβλίῳ, hoc est, *Ne extendas manum quocunque aspexerit, nec eam cum ipso in catinum inferas.* Manus, ut paulò antea dictum, potissimum est cibi sumendi capiendive instrumentum, quo & cibum apprehendimus, contrectamus, & ori admovemus atque ingerimus. Huc facit tritum illud Homeri:

Manibus cibi decore sumendi.

Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.

Id est, ἔπεμπον, ἢ ἔβαλλον, hoc est, in cibos coctos & appositos manus mittebant: & est periphrasis τοῦ ἤσθιον, interprete Eustathio Odyss. α. ubi plura de vocabulo ὀνείατος, & ἰάλλειν. Dicit autem, τὸ δὲ χεῖρας ἴαλλον, ἀστείως, hoc est, *urbane dici*, ὡς εἴπερ αἱ χεῖρες ἐπὶ ἔργον ἐπέμποντο, οἷα καί τινες θεράπαιναι: hoc est, *perinde ac si manus, ceu ministræ quædam sive famulæ, operi immitterentur*, seu adhiberentur. Addit ibidem: *aliud est* χεῖρας ἐπὶ ἰάλλειν, καὶ τὸ χεῖρας ἀπὸ ἰάλλειν: *illud enim esse*, εἰς βρῶσιν ἄγειν, hoc est, *cibo immittere: illud verò contrà*, ἀπέχειν, sive ἀπάγειν, hoc est, *amovere, sive removere.* Manus porrò, cum sit præcipuum organum, quo cibus capitur, illa in primis decenter est in conviviis regenda atque moderanda: id quòd Ovidius venustis his versibus est complexus:

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.

Huc faciunt illa Erasmi: *Quod porrigitur, aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum est: nam quod digitis excipi non potest, quadra excipiendum est.* Item, *Si quis è placenta, vel artocrea porrexit aliquid, cochleari, aut quadra excipe: aut cochleari porrectum accipe, & inverso in quadram cibo, cochleare reddito. Si liquidius est, quod datur, gustandum sumito, & cochleare reddito, sed ad mantile extersum. Digitos unctos vel ore prælingere, vel ad tunicam extergere, pariter incivile est, id mappa potius, aut mantile faciendum.* Item, *Digitos in jusculenta immittere agrestium est, sed cultello, fuscinave tollat, quod vult.* Cibos igitur contrectamus, atque accipimus vel solis manibus, vel adhibito etiam alio aliquo instrumento, vel cochleari, cultro, fuscinula, quadra, id quòd plerunque civilius videtur esse atque urbanius. *Cochleare* Martiali dicitur quo liquida sorbemus. Græcè κοχλιάριον, μύστρον Athenæo, μυστιλάριον Polluci, κοχλιώρυχον, δοίδυξ eidem. Germanicè

Cochlearis usus.

manicè löffel. *Tudicula* Columellæ est cochleare majus, quòd idem volunt esse, quod a Græcis φορλώνη, ἀλετρίβανον, λάκης Nicandro, Germanis kochlöffel. Cochleariorum, ligneorum, orichalceorum, vel argentariorum in jusculis, & pulmentariis apud Germanos frequentissimus est usus: apud Gallos, Italos, aliasque nationes non item, apud quas manibus solis, nullo adhibito cochleari, juscula, sive panes in jure macerati, comeduntur. Leo Affricanus testatur, Aphricanos illos, qui Numidæ olim fuerunt dicti, cava manu, ceu naturali instrumento, pro cochleari uti ad jus sorbendum. Horum autem apud veteres quoque fuisse in cibo capiendo usum, vel ipsa nomina testantur. Idem docet illud Martialis distichon quod ab Isidoro citatur, quo cochlearis etymon ususque ostenditur:

Sum cochleis habilis & nec minus utilis oris,
Nunquid scis potiùs cur cochleare vocor?

Omnino ergò decenter, quadam quasi cum religione cibi apprehendi, atque attrectari debent.

Cavendum porrò est, ut Ecclesiasticus monet, ne omnia, quæ apposita viderimus, attingamus: cui similia sunt illa Erasmi: *Ne ex toto eligas disco, quòd solent liguritores: sed quod fortè ante te ipsum jacet, sumas:* quod vel ex Homero discere licet, apud quem creber est hic versiculus:

οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.

Id quoque si fuerit insigniter elegans, alteri cedat, & quod proximum est accipias. Ut igitur intemperantis est, in omnes patinæ plagas manum immittere: ita parum decorum patinam invertere, quò veniant ad te lautiora. Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem, præfatus excusatiunculam recipias, sed resecta tibi portiuncula reliquum offeras ei, qui porrexerat, aut proximè assidenti communices. Ecclesiasticus ergò, ut ad illud redeamus, similiter monet: primò, ut ne in omnia, quæ apposita sunt, manibus nostris involemus, eaque aliis quasi præripere conemur: deinde ne, quæ ante alium posita sunt, sed quæ ante nos, accipiamus: vel, ut alii interpretantur, ne unà cum alio simul & semel manum in catinum immittamus, id quòd ipsum quoque valde incivile est, atque agreste. Rationem addit: *Quæ sunt proxime ex te ipso considera, ac rem omnem perpende*, hoc est, ex te ipso fac conjecturam, quod invitus, aut volens ferat proximus tuus, & modestum te præbe in omnibus: quod ab altero tibi fieri nolis, id alteri ne feceris. Nolis autem alterum ea, quæ tibi sunt apposita, tibi præripere, ac unà tecum manum in catinum quoquò versus inferre: noli ergo id alteri facere.

Addit Ecclesiasticus, φάγε ὡς ἄνθρωπος τὰ παρακείμενά σοι (Homerus προκείμενα subinde vocat) καὶ μὴ διαμασῶ, μὴ μισηθῇς, hoc est, *Comede quasi homo ea quæ tibi sunt apposita: nec te ingurgites, sive sis vorax, ne in odium incurras.* Διαμασᾶσθαι, sive διαμαστᾶσθαι componitur a διὰ, quod intendit, & μαστᾶσθαι quod *mandere* sive *manducare* significat: unde διαμασᾶσθαι, est vehementer, & avidè comedere, seu potiùs vorare: hinc μαστητῆρες (inde forsan Gallicum *maschoires*) masculi oris, qui dum cibus manditur, moventur: & μάσαξ, esca, ut oris: διαμάστημα, id quod ore mansum est, μάσαξα, μάστημα, τρίφον λέγεται, καὶ τὸ στόμα καὶ τὸ μάστημα ὁμωνύμως. ὡς καὶ χοίνικα λέγομεν καὶ τὸ μέτρον, καὶ τὸ μετρούμενον. Διαμάστησις, *manditio, manducatio.* Hoc quoque versu voracitatem fugiendam docet duplici de causa. Primò, quòd cibos vorare, seque ingurgitare θηριῶδες, id est, *belluinum*, alienumque a natura hominis, qui ex omnibus animantibus, ut rationis, ita etiam pudoris, modestiæ, temperantiæque particeps est. Hinc sæpe homines voraces bestiis comparantur. Clemens Alexand. hujusmodi homines ἐπὶ γαστέρα ἕρποντας, θηρία ἀνδρείκελα κατ' εἰκόνα τοῦ πατρὸς αὐτῶν ὡς τοῦ λίχνου θηρίου, hoc est, super ventrem serpentes, belluas hominibus similes, imò patris sui ceu belluæ voracis imaginem referentes vocat. Deinde, quòd edacitas hominum odium parit, ut suprà quoque dictum, & mox rursus sequetur. His ergo verbis, *Comede ut homo* (in quibus tacita quædam est hominis atque bestiæ antithesis) comprehenduntur ferè omnia, quæ de temperantia, atque sobrietate, deque morum civilitate, in mensa adhibenda, præcipi solent atque possunt. Ut ergo in aliis actionibus, ita quoque in cibo capiendo, præsertim cum aliis, meminerimus nos esse homines, ac proinde mentis, rationis, ordinis, pudoris, modestiæ participes. Comedamus ergo ut homines, humanæ naturæ congruenter, hoc est, modestè, temperanter, sobriè, adhibito pudore, ordine atque modo. Non imitemur lupos, canes, feles, aliasque bestias voraces, quæ sine intermissione vorant, seque invicem devorant, de cibis acerrimè certant, illosque sibi invicem præripere conantur. Ethnici quoque philosophi hoc potissimùm argumento homines a gulæ, ebrietatis, voluptatumque amore, atque studio deterrere sunt conati, ducto a naturæ illorum dignitate atque præstantia, hoc est, cùm ab interna illorum forma, id est, ratione, tum externa corporis figura, qua utraque a bestiis differunt. Sallustius: *Omnes homines, qui sese student præstare cæteris animantibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.* Cui similia sunt illa Ovidii:

[Margin: διαμασᾶσθαι]

[Margin: Voracitas ab humana natura, rationeque aliena.]

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est.

Et paulò post: *Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,*
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Jussit (hinc ἄνθρωπος dictus) *& erectos ad sydera tollere vultus.*

Cicero in Paradoxis: *Voluptatem summum esse bonum, vox mihi pecudum videtur esse, non hominum. Tu cùm tibi sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius, sic te ipse abjicies atque prosternes, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem aliquid putes interesse.* Aristoteles

teles teste Cicerone lib. 5. *Tuscul. disput.* cum Sardanapali opulentissimi Syriæ regis epitaphium legisset, quod incidi jusserat in busto,

Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit: at illa jacent multa, & præclara relicta.

Quid aliud, inquit, *in bovis, non in regis sepulchro inscriberes?* Musonius de victu, ut citatur a Stobæo: Cùm ἀμετρία, hoc est, *excussus* nulla non in re sit vitiosus, tum in victu maximè suam naturam prodit, dum ὀψοφάγους, id est, *liguritores*, & helluones ex hominibus in sues, aut canes, quò ad ingluviem, transformans, omnis honestatis in manibus, visa, esuque oblitos, tantam ipsis insaniam cupediarum amor gignit. Quid autem turpius, quàm ita se præstare circa victum, ut bruti potius animalis, quàm prudentis hominis imago sit? Hæc ethnici senserunt, qui in summa veræ religionis ignoratione versati sunt, natura duce, atque magistra: quantò magis id nos Christianos sentire decet, qui non modò nati sumus singulari Dei beneficio, sed etiam renati sive regenerati semine illo incorruptibili verbi divini, atque cœlesti spiritu. Ergo non modò ut homines, sed etiam ut Christiani homines, a voracitate belluina abhorrere vehementer, atque abstinere debemus. Non enim *est regnum Dei* (ad quod nos vocati sumus) *esca & potus*, ut sapientissimè Paulus monet ad Rom. 14. cap. *sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Idem. 1. Cor. 6. τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ, καὶ ἡ κοιλία τοῖς βρώμασι, ὁ δὲ θεὸς καὶ ταύτα, καὶ ταύτην καταργήσει. Non, ut bestiæ, ad edendum, & bibendum: sed potius ad Deum, secundùm illius voluntatem, colendum: & ad proximo, hoc est, cuivis homini, qui ope nostra, auxilioque indiget, inserviendum, commodandum a Deo formati, & in hisce terris collocati sumus. *Gulosis* dicit Clemens Alex. *cibos appetere, quos mox fimus excipit: nobis autem* τοῖς θηρωμένοις τὴν βρῶσιν τὴν ἐπουράνιον, ἄρχειν ἀνάγκη τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν γαστρὸς, hoc est, *cœlestem cibum venantibus, necesse est ventri, qui sub cœlo est, imperare.* Idem lib. 2. *Pædagog.* cap. 1. ubi pluribus præcipit πῶς περὶ τὰς τροφὰς ἀναστρεπτέον, hoc est, *quomodo in alimentis versari oporteat*, ubi non solùm voracitatem & ingluviem ceu ab omni non modo divina, sed humana quoque ratione alienissimam, verumetiam omnes inciviles, indecoros, illiberales, agrestes, planeque belluinos membrorum corporis motus gestusque in cibo sumendo, vitandos esse docet, quæ cum illis quæ Erasmus & alii de civilitate morum scripserunt, conferri poterunt: hic brevitatis ergò prætermittuntur.

Porrò addit Ecclesiasticus adhuc quædam, quæ & ipsa ad morum civilitatem, qua in cibo capiendo utendum, pertinent. *Modestiæ*, sive disciplinæ *causa desiste primus, nec te insatiabilem præbeas, ne quid offendas. Etsi sederis inter multos, manum primus ne extenderis.* In quibusdam exemplaribus additur, *nec prior poscas bibere.* His quoque verbis moderationem, atque modestiam in cibo capiendo adhibendam docet. Nam cum insatiabilis illa, quasique lupina, sive canina edendi cupiditas fœdissima sit, odioque hominum dignissima, cibi potusque modus est conservandus, & ubi expletum est naturale desiderium desinendum, non quò inexplebilis rapit cupiditas progrediendum. S. Martinus Dumiensis Episcopus, in libello ad Mironem Galliciæ regem, inter alia de continentia hæc scripsit: *Ede citra cruditatem: bibe citra ebrietatem. Nec præsentibus delitiis inhærebis, nec desiderabis absentes. Victus tibi ex facili sit: nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapores. Desideria tua parvi redime, qui hoc tantum curare debes, ut desinant, atque quasi ad exemplar compositus divinum, a corpore ad spiritum, quantum potes, te festina reducere*: Epictetus: μέτρον ἔστω σοι παντὸς σίτου, καὶ πότου, ἡ πρώτη τῆς ὀρέξεως ἐμπλησις· ὄψον δὲ καὶ ἡδονὴ, αὐτὴ ἡ ὄρεξις, καὶ οὔτε πλείονα τῶν δεόντων προσοίσῃ, οὔτε ὀψοποιῶν δεήσῃ, ποτῷ τε τῷ παρατυχόντι ἀρκεσθήσῃ· Hoc est, *Prima repletio appetitionis, modus sit omnis cibi potusque. Ipsa autem appetitio, obsonii, & voluptatis loco sit. Si enim neque plura, quàm opus est, ingeres, neque instructoribus opsoniorum egebis, & potum quemvis approbabis.* Huc facit illud Homericum, quod crebrò occurrit:

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο,

id est, ἐξεπλήρωσαν, παρὰ τὸ ἕω τὸ πληρῶ τὴν ἔφεσιν τοῦ φαγεῖν, καὶ πιεῖν, Eustathio interprete, Odyss. α. ubi addit: ὅτι ἀνοικεῖον ἐλευθέροις μέχρι κόρου ἐσθίειν, καὶ ὡς οἱ παλαιοί φασι, δουλοπρεπές. τὰ γοῦν σεμνὰ πρόσωπα ὁ ποιητὴς ἐσθίειν φησὶν ἕως οὐκ ἔτι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης, καὶ ἕως πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο. Addit ibidem, potum esui præponi vel forsan fortuitò, vel ὅτι βιαιότερον ἡ δίψα τῆς πείνης, διὸ καὶ τὸ τῆς ἀναγκαίας θεραπεύλικὸν τὴν πόσιν τῆς ἐδητύος προέθετο. His similia sunt illa Ovidii:

Neve diu præsume dapes, sed desine citrà,
Et capias paulò, quàm cupis esse minus.

Sallustius testatur, cibum Numidis adversus famem atque sitim non libidini, neque luxuriæ fuisse, de bello Jugurthino.

Adhuc Ecclesiasticus voracitatem ostendit esse incivilem, illiberalem, brutam atque belluinam: ab humana natura, rationeque alienam: Deo, hominibusque odiosam: nunc eandem animo pariter, atque corpori noxiam vehementer, atque damnosam esse docet, ac proinde summopere vitandam: *Quàm parvo, sive paucis homo bene institutus atque moratus, est contentus: quò fit ut in cubili suo non anhelet. Vigiliæ laboriosæ, & cholera, atque contorsio hominis intemperantis comes est. Somno salubri fruuntur viscera temperantis, manè is surgit, & est apud se*, sive compos animi. Commemorat hoc in loco commoda, atque incommoda corporis, atque animi, quæ ex temperantia, aut ex gula atque crapula consequi solent. Homo modestus & sobrius est parvo contentus, naturæque desideria cibo & potu facili, ac parabili explet: itaque hac victus moderatione ac sobrietate tuetur valetudinem tum mentis, tum corporis. Πλησμονὴν Philo περὶ βίου θεωρητικοῦ, verè dixit ἐχθρὸν, καὶ ἐπίβουλον εἶναι ψυχῆς, καὶ σώματος, hoc est, *inimicam esse, atque insidiari corpori, & animo.* Huic simile est illud

illud Clementis Alexand. ὑπερβλύζουσα τὴν αὐτάρκειαν δίαιτα τὸν ἄνθρωπον κακοῖ· νωθῆ μὲν τὴν ψυχὴν, ἐπισφαλὲς δὲ, εἰς νόσον ἐργαζομένη τὸ σῶμα. Sic Hieronymus, *Epularum*, inquit, *largitas & corpus frangit, & animum.* Tria hic corporis incommoda commemorantur, quæ ex immoderato cibo potuque consequuntur: nempe ἀγρυπνία πονώδης; hoc est, *vigilia molesta* atque *laboriosa*, secundùm tritum illud:

Ex longa cœna stomacho fit maxima pœna
Ut sis manè levis, sit tibi cœna brevis.

Contrà temperantis hominis somnus est quietus, sine anhelante spiritu, atque dulcis, quo qui fruitur, is manè surgit impiger, & alacer ad opus suum. Huc facit illud Horatii lib. 2. Satyr. 2.

Alter (qui parcè, & tenuiter vivit) *ubi dicto citius curata sopori,*
Membra dedit: præscripta ad munia surgit.

Sic Ion, teste Plutarcho *Sympos.* lib. 7. in præfatione, τραπέζας ἀφελεῖς, καὶ ἀφλεγμάντους laudabat, cujusmodi essent Platonis, quas dicebat sequi ὕπνους τε καθαροὺς, καὶ βραχυονείρους φαντασίας τοῦ σώματος, εὐδίαν καὶ γαλήνην ἐχούσας, hoc est, somnum syncerum, visa somniis brevibus occasionem præbentia, corpore quieto, & tranquillo. Ut autem somno animales facultates reparantur, coctiones alimentorum, atque crudorum humorum perficiuntur: ita contra insomnium, atque vigiliæ, quarum causa est immoderata cibi, potusque ingurgitatio, animales vires frangunt, atque debilitant, cruditatesque pariunt, ceu causa omnis generis morborum.

Secundum incommodum est cholera, morbus acutus, & valdè periculosus, estque evaporatio, sive effusio fellis in pectore: ejus notæ sunt, ventriculi, & intestinorum morsus, quem sequitur fluxus ventris, & vomitus excrementorum variorum, quandoque cum syncope, sudore, pulsu inæquali, & parvo, cum convulsionibus crurum, & brachiorum. Sitis quoque accedit, quando morbus tamdiu perseverat, donec stercus per os excernatur.

Tertium est στρόφος, id est, *tortus*, sive contorsio intestinorum, quæ varia est, atque multiplex.

Omnino autem voracitas, atque ingluvies, cùm ipsa per se sit morbus, quem *caninam appetentiam*, atque *bulimon*, sive μαλακίαν, & πίκαν secundùm Medicos appellare possis: tum omnis generis morborum parens est, atque procreatrix, quemadmodum & Medici, & ipsa experientia quotidiana satis superque docet. Ubi cibus præter naturam, ut Hippocrates inquit 1. *Aph.* 17. hoc est, plus æquo ingestus est, morbum facit. Nunquam enim ad satietatem, sæpè infra illam cibum sumpsisse profuit. Sic enim melior fit concoctio, & excrementorum minus gignitur. Hinc idem auctor lib. 6. *Epidem. part.* 5. *Aph.* 20. verissimè, sapientissimeque dixit, ἄσκησις ὑγιείης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων· hoc est, *Sanitatis studium est, non satiari cibis, & ad labores impigrum esse.* Idem non minus eleganter, quàm verè, ἔνδειαν dixit εἶναι μητέρα τῆς ὑγιείης, hoc est, indigentiam seu temperantiam in victu matrem esse sanitatis: unde ex contrario colligere licet, gulam matrem esse adversæ valetudinis, atque morborum. Continentia in victu, & tenuis apparatus vires a calore nativo & penitus insito imminutas & labefactatas reficit, resarcit, & recreat: nimia verò copia, & luxuria opprimit, obruit, atque extinguit: quòd quidem his verbis confirmat Theognis: Voracitas morborum mater.

Πολλῷ τοι πλέονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἤδη
Ἄνδρας, ὅσοι μοίρας πλεῖον ἔχειν ἔθελον.

Idem etiam a Medicis crebrò usurpari solet. *Ubi ad cibum ventum est*, inquit Celsus lib. 1. *de medic.* cap. 2. *nunquam utilis est nimia satietas, sæpè etiam inutilis nimia abstinentia.* Tantum igitur, ut Cicero quoque monet, cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur, non opprimantur vires. Sumatur ergò cibus citra cruditatem, & potus citra ebrietatem. Hinc doctissimus ille Disarius medicus, & philosophus idem præstantissimus apud Macrobium lib. 7. *Satur.* cap. 4. sapientissimè admonebat, & Socrates suadere solitus erat, illos cibos potusve vitandos, qui ultra sitim famemve sedandam, appetentiam producerent. Nocet namque dolore cœpta voluptas: quam verissimè Plato omnium malorum escam dixit. Cruditates, ut eodem in loco Disarius inquit, eveniunt aut qualitate succi, in quem cibus vertitur, si non sit aptus humori, qui corpus obtinuit: aut ipsius cibi multitudine, non sufficiente natura ad omnia, quæ congesta sunt, concoquenda. Eodem in capite pluribus docetur, cibum simplicem præferendum esse multiplici, ut qui sit digestu facilior. Hinc etiam legimus in *Decret. Canon. ult. de consecratione*, quosdam morbo articulari & podagra laborantes, ad simplicem mensam, & pauperes cibos reductos, convaluisse. Constat eos qui escis utuntur vilissimis, esse robustiores, saniores, & generosiores, ut famuli dominis, coloni possessoribus: nec solùm fortiores, sed etiam prudentiores, ut philosophi divitibus. Cicero, Sustentatur valetudo, inquit, notitia sui corporis, & observatione earum rerum, quæ aut prodesse, aut obesse soleant: & continentia in victu omni, atque cultu corporis tuendi causa, & prætermittendis voluptatibus: postremò arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent. Meritò itaque Diogenes Cynicus eos irridere solitus est, qui pro bona valetudine Diis rem divinam facerent, & deinde cibo, potuque contra sanitatem se ingurgitarent: afferens insanum esse ea a Diis precari, quæ in nostra sunt potestate. Idem Persius Satyr. 2. eleganter his versibus expressit:

Poscis opem nervis, corpusque fidele senectæ,
Esto age, sed grandes patinæ, tucetaque (genus est farciminis ex carnibus suillis minutim concisis: *cibos regios* Fulgentius interpretatur) *crassa*
Annuere his superos vetuere, Jovemque morantur.

Hoc

Hoc eſt, impediunt ne reddant robuſtum. His verbis ſimiliter irridet eos, qui corporis vires ſibi dari petunt, cùm ad eas aſſequendas immoderatus epularum luxus omnino obſtet. Meritò ergo nos quoque Chriſtiani irridendi ſumus, & levitatis, inconſtantiæque accuſandi, qui cum bonam valetudinem, quæ non in noſtra, ſed in Dei eſt poteſtate, precemur, interea illam noſtra ingluvie perdimus, atque corrumpimus.

Gula menti inimica.

Nec verò minus animo atque menti, quàm corpori nimia hæc immoderataque cibi ingurgitatio nocet. Temperantiam cibi, atque potus rectè Græci σωφροσύνην appellarunt, quaſi σώζουσαν τὴν φρόνησιν, hoc eſt, *prudentiæ cuſtodem, atque conſervatricem:* unde etiam Democritus monebat, αὔην ψυχὴν εἶναι σοφωτάτην, hoc eſt, *animam ſiccam*, id eſt, *ſobriam, atque temperantem eſſe ſapientiſſimam.* Idem dicebat, ſatius eſſe mori, ἢ διὰ ἀκρασίαν τὴν ψυχὴν ἀμαυρῶσαι, hoc eſt, *quàm per intemperantiam animum obnubilare.* Vide quæ in hanc ſententiam ſcribat Junius in ſuis *Adagiis* lectu digniſſima. Huc quoque pertinet ſcitum illud Epicteti dictum: Ἐν ταῖς ἑστιάσεσι μέμνησο, ὅτι δύο ὑποδέχῃ, σῶμα καὶ ψυχήν, καὶ ὅ, τι αὐτῷ σώματι δῷς, τοῦτο ταχὺς ἐξέχεας, ὅ, τι δ' ἂν τῇ ψυχῇ, διὰ παντὸς τηρεῖς· Hoc eſt, *inter epulandum conſidera duos tibi excipiendos convivas, corpus & animam. Tum quod omne in corpus collatum repente effluxurum ſit: quod autem in animam, perpetuò ſervandum.* Contrà, ut verè Clemens Alex. inquit, ἀνθρώποις τὰ μὲν πολλὰ βλάβην, καὶ λύπην ἐγέννησεν ἡ ἡδονή· δυσπάθειαν δὲ, καὶ λήθην, καὶ ἀφροσύνην πολυτροφία ἐντίκτει τῇ ψυχῇ· Hoc eſt, *Hominibus autem ſæpenumerò quidem damnum, & moleſtiam procreavit voluptas: graves autem affectiones, & oblivionem, & inſipientiam in animo parit nimia alimenti copia.* Hinc Eccleſiaſticus noſter illum qui moderato cibo utitur manè ſurgere, & animi compotem eſſe dicit: unde contra licet colligere, illum qui ſe cibo nimio obruit, in multum diem ſtertere, & animi, & mentis eſſe impotem. Muſonius in lib. *de Alimentis* dixit: ἀρχὴν καὶ ὑποβολὴν τοῦ σωφρονεῖν εἶναι τὴν ἐν σιτίοις, καὶ ποτοῖς ἐγκράτειαν· hoc eſt, *initium, & fundamentum ſapientiæ eſſe continentiam circa cibum, atque potum.* Cicero lib. 5. *Tuſcul. diſput.* multa de victus frugalitate diſſerens, *adde*, inquit, *ſiccitatem, quæ conſequitur hanc continentiam in victu: adde integritatem valetudinis. Confer ſudantes, ructantes, refertos epulis tanquàm opimos boves: tum intelliges qui voluptatem maximè ſequantur, eos minimè conſequi, jucunditatemque victus eſſe in deſiderio, non in ſatietate.* Timotheum, clarum hominem Athenis, & principem civitatis, ferunt, cum cœnaviſſet apud Platonem, eoque convivio admodum delectatus eſſet, vidiſſetque eum poſtridie, veſtræ quidem cœnæ non ſolùm in præſentia, ſed etiam poſtero die jucundæ ſunt. Quid, quòd ne mente quidem rectè uti poſſumus multo cibo, & potione completi? Eſt præclara epiſtola Platonis ad Dionis propinquos, in qua ſcriptum eſt, his verbis: *Quò cum veniſſem, vita illa beata, quæ ferebatur, plena Italicarum, Syracuſanarumque menſarum nullo modò mihi placuit, bis in die ſaturum fieri, nec unquam pernoctare ſolum, cæteraque, quæ comitantur huic vitæ, in qua ſapiens efficitur nemo unquàm, moderatus verò multò minus. Quæ enim natura tam mirabiliter temperari poteſt? quomodo igitur jucunda vita eſſe poteſt, a qua abſit prudentia? abſit moderatio?* Huc quoque pertinet quod ſcripſit Theopompus lib. 5. *Philipp. Multa edere, & carnibus veſci, rationis, & conſilii uſum adimit, animoſque tardiores, & eos immani quadam duritia, ac ſtultitia complet.* Horatius lib. 2. Satyr. 2.

> ----- *quin corpus onuſtum*
> *Externis vitiis, animum quoque prægravat unà,*
> *Atque affigit* (*affligit* Lambinus legendum putat) *humo divinæ particulam auræ.*

Huic illud affine Sapientis: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animum, ac ſenſum deprimit multa cogitantem.* Plinius ait, *magis avidi ſunt ciborum, quibus ab alvo longius ſpatium, iidem minus ſolertes, quibus obeſiſſimus venter.* Hinc Perſius Satyr. 1.

> *Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi calve*
> *Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.*

Principibus ac magiſtratibus in primis gula eſt fraudi.

Id eſt, cum ventri tantùm inſervias. γαστὴρ παχεῖα λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. Proverbium Hebræum, quod habetur in *Talmud Beracoth: Venter plenus res malas profert.* Gregorius 31. has quatuor gulæ filias tribuit, ineptam lætitiam, ſcurrilitatem, multiloquium, & hebetudinem mentis circa intelligentiam. Etſi ergò omnibus hominibus, tum verò atque in primis iis, qui magna munera ſuſtinent, vel politica, vel eccleſiaſtica, quique res magnas atque præclaras moliuntur, a gula, atque ingluvie, ceu certiſſima animi, corporiſque peſte, rerumque gerendarum impedimento maximo, ſibi cavere debent. Ciborum enim redundantia, uti jam dictum eſt, cruditatem efficit, vires debilitat, aciem mentis obtundit, languorem animis affert, deſidiam, ignaviam, ſtuporem, tarditatem ingenerat, atque poſtremò vitam brevi temporis ſpatio conſumit. Illos autem, quos Deus vel reipub. vel eccleſiæ, vel utriuſque cuſtodes conſtituit, oportet eſſe ſanos, atque valentes, ad mala præcavenda ſagaces, & ad pericula magna propulſanda magnanimos. Huc facit illud Eccleſiaſtici cap. 10. *Vœ tibi terra, quando rex tuus puer eſt* (non tam ætate, quàm judicio, atque mente) *& principes tui manè comedunt. Beata ea terra, quum rex tuus filius eſt nobilium, & principes tui in tempore*, hoc eſt, commodo & opportuno, *cibum capiunt propter fortitudinem, & non propter potationem.* Nam ut Muſonius apud Stobæum inquit, σκοπὸς τῆς τροφῆς δεῖ ποιεῖσθαι ὑγείαν τε καὶ ἰσχύν, ὡς τούτων μόνον ἕνεκα βρωτέον, ἃ δεῖται πολυτελείας οὐδεμιᾶς. Qui igitur minus convenit quàm illos ei vitio inſervire, quod morbos innumerabiles corpori, & tarditatem animo infert, adde etiam ignominiam inſignem, atque dedecus. Nihil enim profectò fœdius, & flagitioſius Reipub. procere, vel Eccleſiæ paſtore ructante, oſcitante, nauſeante, ſomno deſidiaque languente. Cenſuit Plato non potuiſſe virtutem tradi Siculis, & Italis eo tempore, quo ille eas oras peragravit, propterea quòd ſe bis in die extructis epulis ſatiarent, & rectè quidem cenſuit. Corpus enim cibis expletum, ſaginaque grava-

gravatum, ut paulò antea ex Horatio dictum est, non solum virtutis, rationisque imperium minimè sequi potest, verùm etiam mentis altitudinem deprimit, indolemque totius honestatis extinguit. Quomodo ergò quæso honestatis atque virtutis capaces, & ad res magnas, laudeque dignas efficiendum apti & idonei esse possunt multi Christiani rerumpub. ecclesiarumque præpositi, qui non bis, sed ter, quaterve in die saturi fiunt, imò qui dies noctesque se tanquam anseres, aut boves cibis saginant, atque infarciunt. Accedit etiam illa deformitas, quæ in corpus ex nimio adipe redundat: abdomen enim prodigiosè distenditur, labra tument, malæ fluunt, oculi obruuntur, aspectus hebescit, eoque tandem species humana redigitur, ut non hominem, sed hominis monstrum te intueri putes. Adde ponderis gravitatem, quæ vix loco moveri potest. Is enim, qui ex nimia luxuriá saginam contrahit, mole sua gravissimè laborat, neque mancus solùm, & claudus: sed membris omnibus captus est. Quid dicam de misera servitute? Ingluvies namque adeo morosa, atque difficilis domina est, ut eo tempore, quo vel universi populi salus agitur, quamvis occasio rei benè gerendæ instet atque urgeat, hominem tamen à studio communis salutis avertat, ut ventrem expleat, & turpissimæ cupiditati satisfaciat. Quomodo ergò aliis imperare, & munus aliquod honestum exequi poterit is, qui gulæ, ceu importunæ turpique dominæ, est mancipatus? In media namque muneris functione insaturabilis abdominis imperio coactus, officium repentè deseret, totumque se ad studium impurissimæ illius cupiditatis applicabit. Præterea ut olim Esau ille gula impulsus primogenituræ jus atque dignitatem, libertatemque simul suam vendidit: sic hodie multi homines gulosi omnem dignitatem, libertatemque suam aliis prostituunt: cujusmodi sunt gnathones, atque parasiti aulici, qui cibi cupiditate perpetuæ servituti sunt addicti: omniaque ad aliorum voluptatem seu potius libidinem, nihil ad veritatem loquuntur, & faciunt. Diogenes Cynicus (alii tamen volunt Aristippum fuisse: nam de illo inter scriptores Græcos non satis convenit) cum aliquando betas cœnæ gratia ablueret, Plato illum intuitus, summissa voce dixit: *Si Dionysio obsecutus fuisses, olera non cœnares*: cui ille, *Atqui si tu olera cœnare didicisses, Dionysio tyranno non servires*: quo responso illi turpem servitutem exprobravit, cui se cibi lautioris gratia addixerat. Adhuc explicata sunt magna atque gravia animi, corporis, atque fortunæ mala & incommoda, quæ ex gula proveniunt, ex quibus constat illos, qui ei serviunt, fine suo, quem sibi habent propositum, valdè frustrari. Illi enim voluptatem, jucunditatem, atque delectationem quærunt: at contra justo Dei judicio maximis, gravissimisque animi, corporisque doloribus atque laboribus implicantur. Gula servitutis causa.

His adde quòd Gula homines ad paupertatem, mendicitatemque redigit. Multi namque opes opimas, patrimonia lautissima brevi temporis spatio abliguriunt, atque absumunt, tandemque ad probrosam, ignominiosamque inopiam atque paupertatem rediguntur. Hinc sæpe fit, ut quando abdomen quidem illud insaturabile, quo magnam opum vim absumpserunt, manet adhuc, atque durat: opes autem & facultates deficiunt, ad malas artes, ad omnis generis scelera atque flagitia impellantur. Ecclesiasticus 19. *Cave asotiam, & ne assuefacias te ad helluationes, ne incidas in mendicitatis periculum, cùm destituat te crumena, & cogeris a fœneratoribus accipere.* Sic Aristoteles in *Ethicis*: ἄσωλοι καθτοκιζόμενοι γίγνονται πένητες, hoc est, *Prodigi helluones exhausti fœnore fiunt pauperes.* Nulla est vorago, nullum barathrum, quod magis absorbeat, magisque præcipitet rem, quam Gula, quæ quo magis impletur, magis esurit: quò melius prandet, melius cœnare studet. Quam autem insatiabilis sit voracitas, eleganter sanè Ovidius his versibus expressit, Erisichthonis insanam ingluviem describens: Gula paupertatis parens.

Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aër
Poscit, & appositis queritur jejunia mensis.
Inque epulis epulas quærit, quodque urbibus esse,
Quodque satis poterat populo, non sufficit uni,
Plusque cupit, quò plura suum demittit in alvum,
Utque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes,
Utque rapax ignis non ulla alimenta recusat,
Innumerasque faces cremat, & quò copia major
Est data, plura petit, turbaque voracior ipsa est:
Sic epulas omnes Erisichthonis ora prophani
Accipiunt, poscuntque simul, cibus omnis in illo
Causa cibi est, semperque locus fit inanis edendo.

Juvenalis Satyra undecima:

Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregiùs (magis egregiè) *cœnat, meliusque miserrimus horum,*
Et citò casurus (in paupertatem lapsurus) *jam perlucente ruina.*

Hoc est, egestate apparente. Plura vide in illa Satyra in eandem sententiam.

Talibus a dominis (luxuriosis) *post cuncta novissimus exit*
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo, &c.

Facetè Diogenes cum luxuriosi cujusdam nepotis venalem domum proscriptam legeret: *Sciebam*, inquit, *quòd vino, ciboque oppleta quàm primum dominum evomeret.* Idem cum nimio luxu ad inopiam redactus adole-

 scens

ſcens oleas in cœna eſitaret, fortè prætericns, *ſi ſic pranſus*, inquit, *eſſes, non ita cœnares.* Non inſulsè etiam Bion Boryſthenites philoſophus peracutus, & gravis ad quendam, qui poſſeſſiones ſuas voraverat, inquit: *Terra Amphiaraum abſorbuit, tu autem terram.* Non opus eſt hîc veterum quorundam lurconum exempla commemorare, qui patrimonia ſua per luxuriam ſubitò prodegerunt: cujuſmodi fuit Fabius ille, qui a devorato patrimonio *Gurges* fuit cognominatus: C. Sergius cui *Oratæ* nomen fuit, quòd id genus piſcium magna aviditate voravit: Abidius civis Rom. quem Cato *proterviam feciſſe* per jocum dixit: Æſopi tragœdi filius, qui quò majorem pecuniæ vim citius in ventrem mergeret, liquefactos uniones prandio appoſuit, & pſittacos, & aviculas cantu commendabiles, & in deliciis habitas, magno quoque emptas, pro ficedulis condire non dubitavit. Quotidiana, pro dolor, experientia magnam ejuſmodi exemplorum copiam ſuppeditat, ut auctiones, proſcriptionesque quotidianæ teſtantur. Eſt igitur gula vitium omnium ferè vitiorum antiquiſſimum, omniumque malorum principium, atque ſeminarium. Primi namque illi noſtri parentes cum partim ſuperbia, partim gula incitati, & impulſi, auctore & ſuaſore diabolo, contra Dei legem arboris illius, quæ boni & mali ſcientiam continebat, fructum attigiſſent, ac deguſtaſſent, ſe ſimul, atque nos illorum poſteros, non in temporalem modò, ſed æternam miſeriam præcipitarunt. Hæc fuit origo humanæ miſeriæ, hoc malorum omnium ſeminarium, hinc mortis initium natum eſt, quæ crudeli dominatu omnes poſtea homines oppreſſit. Ergo vel hac ſola de cauſa meritò gulam cane pejus & angue odiſſe, fugere, execrari: contrà ſobrietati, atque temperantiæ ſtudere debemus. De gula vide Agrippam libro *de vanitate ſcientiarum* cap. *de arte coquinaria*, Thomam Aquinat. in lib. *quæſt. diſputat. quæſt.* decimaquarta, in qua trifariam peccatur, nempe in cibi ſubſtantia, cùm exquiſitus nimium eſt, & delicatus: in quantitate, ſi nimius eſt, & non ſecundum leges ſumptuarias: qualitate, ſi nimium delitiosè ſit conditus, qui non τροφὴ, ſed τρυφὴ, *non cibus, ſed cupediæ* dicuntur. Gregorius 30. *Moral.* docet nos 5. modis gulæ vitium tentare. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit: aliquando lautiores cibos quærit: aliquando quæ ſumenda ſunt, præparari accuratiùs appetit. Aliquando in ipſa quantitate ſumendi menſuram refectionis excedit. Aliquando ipſo æſtu immenſi deſiderii quis peccat: quæ continentur in hoc verſu,

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudiosè.

Nunc reliqua Eccleſiaſtici, quæ ad cibi ſumptionem pertinent, perſequamur. Subjungit repletionis immoderatæ quædam remedia (medicum agens:) ex quibus ipſis colligere licet, quantum damni afferat immodica cibi ingurgitatio: Καὶ εἰ ἐβιάσθης ἐν ἐδέσμασι, ἀνάστα μεσοπόρων, καὶ ἀναπαύσῃ, hoc eſt, *Si fueris ad cibos coactus, exurge, obambula, vome, & conquieſcas:* (additur a nonnullis, *ne morbum corpori tuo contrahas.*) Præceptum hoc eſt ἰατρικὸν, de ingurgitatione violenta aut ejicienda, aut concoquenda. Nam deambulatio moderata, ac quies ad crudum cibum concoquendum valent: vomitus verò ad ſublevandum, exonerandumque ſtomachum. Hinc Valleriola lib. 12. *locorum communium: Quòd ſi aut depravato more, aut ciborum illectamentis quis ſe pluſculum invitarit, ſatagat inedia longa, ſomno, quiete, vomitu, aut lenta in poſterum diem deambulatione, tantam ciborum molem deponere, & cruditati hac via mederi.* Unde eſt illud Celſi lib. 1. cap. 2. *Qui benè concoxit, manè tutò ſurget: qui minus, quieſcere debet, ac neque ſe labori, aut exercitationi credere.* Quòd dicit, ſi coactus fueris ad nimium edendum, hîc & convivator, & conviva ſui officii admoneri poterunt. Conviva quidem, ne vel ſua ſponte, cupiditate illum impellente, corpus, ſtomachumve ſua immoderata ciborum copia repleat, neve ſe à quoquam plus edendum bibendumve impelli patiatur, quàm pietatis ſanitatiſque ratio patiatur. Convivator autem leniter quidem atque humaniter convivas ſuos ad manducandum invitabit atque alliciet, invitum autem ad plus, quàm ipſe velit, edendum bibendumve coget neminem. Eſt enim hoc non à decoro ſolùm civili, ſed pietate quoque charitateque alieniſſimum. Et tamen ſunt quidam importuni moleſtique homines, qui aſſiduis vocibus, quaſi facibus, convivas ad immoderatam cibi potuſque ſumptionem impellant: qui dum civiles atque humani videri volunt, agreſtes profectò vehementer ſunt atque inhumani, qui convivis ſuis maxima mala atque detrimenta conciliant.

Repletionis immoderatæ remedia. 1. Maturè è menſa ſurgendum.

Porrò immoderatæ repletionis quatuor remedia ſubjungit Syracides. Primò monet eſſe ſurgendum: quo monet non debere aliquem menſæ ita eſſe affixum, ut inde ceu a præſepi avelli ampliùs nequeat. Surgere commodo & opportuno tempore, antequam cibo nimio atque potu ita onereris, ut vix tibi ſurgendi amplius ſit facultas. Videre enim licet quoſdam apud menſam ita ſe cibo nimio potioneque ſaginare atque implere, ut movere ſe loco, ubi ſedent, atque ſurgere amplius non poſſint: vel ubi ſurrexerint, ſtatim recidant huc illuc ruant atque impingant: ita ut ſint irriſui omnibus. Nonnulli etiam, quoniam neque manus amplius officium ſuum facere poſſunt, ceu trunci quidam atque ſtipites, ſive ſacci pleni à menſa aufferuntur atque aſportantur. De his ſic eleganter Cicero lib. 2. *de Finib. Aſoti*, inquit, *qui in menſam vomunt, & qui de conviviis aufferuntur, crudique poſtridie ſe rurſus ingurgitant, qui Solem, ut ajunt, nec Occidentem unquam vident, nec Orientem, qui conſumptis patrimoniis egent.*

2. Poſt cœnam deambulandum.

Secundò monet eſſe deambulandum. De ambulatione a cœna ſeu cibo ſumpto, multa benè atque ſalubriter Medici præcipiunt, de quibus ſuo loco uberiùs dicetur. Plutarchus in libro *de Sanitate tuenda*, Ariſtotelis auctoritate probat, deambulatione à cœna calorem naturalem exuſcitari, ſomno autem ſuffocari atque opprimi: tametſi alii quiete adjuvari concoctionem, motu perturbari: & idcirco quieti potiùs, quàm deambulationi à cœna ſerviendum eſſe exiſtimant. Quid dicam de iis, qui præ nimia cibi potuſque redundantia neque loco conſiſtere, neque incedere amplius atque deambulare poſſunt: hi certè Eccleſiaſtici conſilio minimè parere poſſunt.

3. De vomitu.

Tertiò vomitus ſive vomitionis mentionem facit, quæ quidem ingluviei atque crapulæ comes eſſe ſolet, atque pediſſequa, ſecundùm illud Iſa. 28. v. 8. *Quia omnes menſæ impletæ ſunt vomitu, & ſordibus:* ubi tamen

per

per vomitus metaphoricôs falſæ doctrinæ atque blaſphemiæ, quas impii temerè ſine judicio atque ratione impuro ſuo ore evomunt. Hi ſunt aſoti illi (quaſi ἄσωστοι, Clemente Alexandrino interprete, hoc eſt, *ſalutis expertes*) qui, ut paulo antea ex Cicerone dictum, in menſam vomunt, & fruſtis eſculentis vinum redolentibus omnia replent. Plutarchus in lib. *de Sanitate tuenda*, præclarè ſanè vereque ἐμέτους καὶ κοιλίας καθάρσεις ἀπὸ φαρμάκων μιαρὰ παραμύθια πλησμονῆς appellat, hoc eſt, *vomitus atque purgationes ventris per medicamenta, turpia redundantiæ eſſe remedia.* Utrunque igitur niſi magna urgente neceſſitate non vult uſurpari: ac proinde communem multorum conſuetudinem merito reprehendit, qui & vacuationis cauſa corpus replent, & rurſum repletionis gratia idem exinaniunt contra naturam, non minus repletionis, quàm vacuationis impatientes. Nam & πλήρωσιν ὡς κώλυσιν ἀπολαύσεως, hoc eſt, *impletionem ceu impedimentum fruendi voluptatibus moleſtè ferunt*, & τὴν ἔνδειαν ὡς χώραν ἀεὶ τῶν ἡδοναῖς παρασκευάζουσι, hoc eſt, *vacuando ſemper receptaculum novis voluptatibus parant*: cùm manifeſtum ſit utrumque eſſe damnoſum: utroque enim corpus perturbatur & convellitur. Vomitus autem hoc peculiare dicit eſſe malum, τὸ τὴν ἀπληστίαν αὔξειν τε καὶ τρέφειν, hoc eſt, *quòd inſatiabilem edendi cupiditatem alit atque auget.* Id in ſequentibus probat, ſimulque docet quid damni afferant crebri alvi expurgationes. Ac paulo poſt: ἄριστον μὲν οὖν τὸ μετρίᾳ διαίτῃ καὶ σώφρονι τὸ σῶμα ποιεῖν περί τε κενώσεις καὶ πληρώσεις αὐτοτελὲς ἀεὶ καὶ συμμέτρον, hoc eſt: *Optimum ergo fuerit moderata & temperata victus ratione corpus ita comparare, ut ultrò ſit ad evacuationes, repletioneſque benè compoſitum.* Optimè ergo, ſapientiſſimeque monet Plutarchus, temperantiæ, ſobrietatique eſſe ſtudendum, ita ut vomitionibus, alvique purgationibus (quæ valetudini plurimum officiunt) non ſit opus. Sed tamen ſi neceſſitate flagitante illis ſit opus, citra medicamenti uſum, & nimiam operam, nulla corporis cum conturbatione illas vult tentari: de quo præcepta ſubjungit. Poſtremò addit, quoſdam medicamenta illa vomitionum atque purgationum corpus corrumpentia ac conturbantia ita arripere, quomodo libidinoſæ mulieres ἐκβολίους, καὶ φθορίους, pharmaca abortum aut fœtus interitum efficientia arripiunt, ut impleri rurſus, ac voluptates percipere poſſint. Celſus lib. 1. Cap. 3. pluribus agit de vomitu, & dejectione. Vomitum ait ab Aſclepiade eſſe rejectum in volumine quodam, quod *de tuenda ſanitate* compoſuit. *Hoc*, inquit, *non reprehendo, ſi offenſus eorum eſt conſuetudine, qui quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliuntur.* Purgationes quoque dicit ab eodem fuiſſe expulſas, quas quidem pernitioſas eſſe fatetur, ſi nimis valentibus medicamentis fiant. Sed hæc tamen ſubmovenda eſſe non eſt perpetuum: quia corporum temporumque ratio poteſt ea facere neceſſaria, dum & modo, & non niſi cùm opus eſt adhibeantur. Ergo ille quoque ipſe (Aſclepiades) ſi quid jam corruptum eſſet, expelli debere confeſſus eſt. Ita non ex toto res condemnanda eſt. Vomitus utilior eſt hyeme, quàm æſtate. Nam tum & pituitæ plus, & capitis gravitas major ſubeſt. Inutilis eſt gracilibus, & imbecillum ſtomachum habentibus. Utilis eſt plenis, & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parum concoxerunt. Nam ſive plus eſt, quàm quod concoqui poſſit, periclitari, ne corpus corrumpatur, non oportet. Si verò corruptum eſt, nihil commodius eſt, quàm id, qua via primùm expelli poteſt, ejicere. Itaque ubi amari ructus cum dolore, & gravitate præcordiorum ſunt, ad hunc protinus confugiendum eſt. Sed inprimis obſervatu dignum, quòd ait: Itaque iſtud (vomere) luxuriæ cauſa fieri non oportere confiteor: interdum tamen valetudinis cauſa rectè fieri experimentis credo. Commoneo tamen, ne quis, qui valere & ſeneſcere volet, hoc quotidianum habeat.

Quartò Eccleſiaſticus de corporis exercitatione monet, quæ ad πλησμονὴν, cujus paulò antea facta eſt men- 4. De exer-
tio, emendandam, & in univerſum ad digerendos & expellendos humores ſuperfluos atque noxios, & bo- citationis
nam valetudinem tuendam mirificè conducit. Verba ejus hæc ſunt: Ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις σου γίνου ἐντρεπής, καὶ uſu.
πᾶν ἀῤῥώστημα οὐ μή σοι ἀπαντήσοι, hoc eſt, *In omni negotio promptum, alacrem, diligentem, ſolertem te præbe, nec ullus morbus te invadet.* Hinc Plutarchus lib. *de ſanitate*: οὐ γὰρ ἀργίας ὤνιον ἡ ὑγίεια καὶ ἀπραξίας, ἅγε δὴ μάλιστα γνώμην κακῶν τοῖς νόσοις πρόσεστι, καὶ οὐδὲν διαφέρει τοῦ τὰ ὄμματα τῷ μὴ διαβλέπειν, καὶ τὴν φωνὴν τοῦ μὴ φθέγγεσθαι φυλάττοντας, ὁ τὴν ὑγιείαν τῇ ἀχρησίᾳ καὶ ἡσυχίᾳ χρήζειν οἰόμενος, hoc eſt: *Non enim otio, & inertia venalis eſt ſanitas, quæ duo maxima ſunt malorum morbos comitantium: & ſi quis bonam valetudinem quiete, & actionum abſtinentia putat ſe paraturum, perinde facit, ac ſi quis diſpiciendo oculos, aut vocem non loquendo conſervare inſtituit.* Ac paulò poſt: ἥκιστα δὲ τὴν ἀργίαν ὑγιαίνειν ὑποληπτέον, ἣ τὸ τῆς ὑγείας τέλος ἀπόλλυσι, καὶ οὐδὲ ἀληθὲς ἐστι τὸ μᾶλλον ὑγιαίνειν τοὺς ἡσυχίαν ἄγοντας, hoc eſt, *Minimè igitur putandum eſt, deſidiam ſalubrem eſſe: quoniam ſanitatis finem illa perimit: neque verum eſt quieti & otio deditos magis valere*: id exemplis quibuſdam appoſitis probat. Sic Cyrus apud Xenophontem ait, ſe ἐκπονεῖν τὰ εἰσιόντα, οὕτω γὰρ τήν τε ὑγίαν μᾶλλον παραμένειν καὶ ἰσχὺν προσγίνεσθαι, hoc eſt, *Se elaborare cibum ſumptum: ita enim & ſanitatem conſervari, & robur corporis augeri.* Huc facit nota illa Hippocratis ſententia: πόνοι, σιτία, ποτὰ, ὕπνοι, πάντα μέτρια, hoc eſt: *Exercitia, cibus, potus, ſomnus, omnia mediocria.* Idem inter præcepta ſaluberrima ponit ἀοκνίην πόνου, hoc eſt, *impigrum eſſe ad laborem.* Plura ſuprà de exercitationis utilitate dicta ſunt.

Subjungit Eccleſiaſticus præceptum de beneficentia, qua noſtro pane, ac cibo alios ſuſtentandos, reficiendoſque eſſe docet. Eſt enim hujuſmodi benignitas maximè peculiaris & laudabilis, ut contrà illiberalitas in cibo potuque præbendo maximè eſt odioſa. Poſſunt hæc etiam ad convivatorem referri. Nam quemadmodum conviva, ut paulò antea Syracides monuit, ſe in cibo potuque præſertim alieno ſumendo, modeſtum, temperantemque gerere debet, ita convivatoris eſt non reſtrictè atque ſordidè, ſed liberaliter atque copioſè cibum potumque convivis ſuis communicare. Atque ita quæ & convivatoris & convivæ ſint, quoad manducationem ſeu cibi ſumptionem, partes, Syracides optimè ſapientiſſimeque docuit.

CAPUT V.

DE ABSTINENTIA VEL AB OMNI VEL A CERTIS CIBORVM GENERIBVS, MVLTIPLICIQVE EIVS FORMA ATQVE MODO.

Nunc quoniam de nimia inordinata immoderataque ciborum appetentia, hoc eſt, de gula, ingluvie atque voracitate dictum eſt: conſequens videtur eſſe, ut de Abſtinentia quoque a cibis partim laudabili atque honeſta, partim vitioſa atque vituperabili dicam.

Abſtinentia a cibo in genere a Græcis appellatur Νηστεία, a νὴ particula privante & στεῦμαι, quod eſt *validum & firmum eſſe*, quòd ea corporis vires enerventur. Sive, ut alii volunt, a νὴ particula extenſiva, quod abſtinentia a cibo res quædam ſit firma atque robuſta: quoniam is qui ea utitur, dolorem perpeti, quàm ab hoc ſuo propoſito diſcedere mavult. Sunt qui νηστείαν, & νηστεύειν a νὴ privato, & ἐσθίειν ſive σιτεῖσθαι volunt dictum eſſe. Unde νῆστις teſte Suida & Euſtathio, cùm ἄσιτος ſive ἄγευστος σίτου quaſi νήστιες Ιλ. 2. 1242. 43. appellatur: tum inteſtinum, quod eſt inter ſtomachum atque ventrem. Κεστρῖνος νῆστις ab Athenienſibus vocabatur ὁ τὰ πολλὰ ἄδειπνος περιπατῶν. Euſtathius Οδ.374. 42. Dicitur etiam à Græcis ἀσιτία, ἀβρωσία, ἀπαστία, ἀγευστία· ἄκμηνος ἢ παρὰ τὴν ἀκμὴν, ὅ ἐστι ἀσιτίαν Æolicè, ἢ ὡς μὴ καμὼν ἐν παρασκευῇ ἀρίστου, id eſt, *qui nihil laborat in prandii apparatu.* Et à cibo abſtinens ſive jejunus inediave laborans, ἄσιτος, ἀπόσιτος, νῆστις, ἄπαστος, ἄγευστος, &c. Ἄπαστος ἐδητύος ſæpe apud Homerum ἄγευστος. Ιλ. α. Euſtathio 104. 45.

Hebraicè appellatur צום *Zom*, quod ut literarum tranſpoſitione: ita modo tantùm ſignificandi variat a verbo מוץ *Moz*, quòd jejunium emulgeat & exhauriat vires & pinguedinem corporis. Appellatur etiam jejunium in ſacris ſæpe afflictio. Unde Aben Ezra inquit: *Ubicunque in ſacris literis afflictio animæ invenitur, ibi intelligitur jejunium.* Affinis huic alia vox צמא *Zama*, quæ ſignificat *ſitire.* Nam qui multum jejunant, ſitire conſueverunt: quia corporis humores inedia & jejunio exiccantur. Hinc Plutarchi extat *Probl. Symp.* lib. 6. *Quam ob cauſam jejunantes ſitiant, quàm eſuriant gravius?* & *Probl.* 5. ejuſdem libri: *Cur famelici ſi bibant, fame liberentur: ſitibundis verò ſi comedant, increſcat ſitis?*

Jejunium, teſte Iſidoro, eſt parſimonia victus abſtinentiaque ciborum: ſic dictum ex quadam parte viſcerum tenui ſemper & vacua: quod vulgò *jejunium* vocatur. Unde *jejunii* nomen creditur derivatum, quòd ſui inedia viſcera vacua & exinanita exiſtunt. Faſten Germanicè à *faſtidiendo* dictum. Hæc de nominibus: nunc de reipſa.

Abſtinentiæ diviſio.

Abſtinentia à cibo omnino videtur eſſe quadruplex, nempe naturalis, voluntaria, miraculoſa, violenta ſive coacta. Naturalem voco, cùm quis natura vel ſana ac bene conſtituta: vel morbo aliquo vitiata atque corrupta à certis cibis abhorret, ac proinde ab iis abſtinet.

I. Abſtinentia naturalis, & ea duplex

Nam primò ſunt, qui bona licet & inculpata valetudine ſint præditi: tamen natura abhorrent a certis cibis illosque minime ferre poſſunt, quos ſi vel prudentes vel imprudentes ſumpſerint, illos ſtatim ejiciunt, quod ni fit, ſæpè morbos graves atque difficiles incidunt. Nam ut ad cibum aliquem naturali appetitu movemur, ut amplectamur: ita alium naturali odio fugimus, & ab illo abhorremus. Quam hominum aliam atque aliam proprietatem in ciborum atque aliarum etiam rerum delectu Græci ἰδιοσυγκρασίαν vocant. Hoc efficit, ut alius bubulam, ſuillam alius, caſeum, poma vel impensè amet ſummaque aviditate proſequatur, illisque juvetur: vel extremè oderit.

Deinde morbida eſt a cibis abſtinentia, cùm appetitus aut periit, aut remiſſus admodum eſt atque languidus, quæ appetitus dejectio ciborumque averſio a Græcis ἀνορεξία & ἀποσιτία Hippocrati, & ναυσία ſive ναυτίασις, a Latinis *nauſea* & *faſtidium cibi* appellatur. Dicitur autem ναυσία, Latinè *nauſea*, à navibus & navigatione, quòd navigantibus præſertim in mari nauſea oboriri ſoleat. Eſt autem nauſea cùm vomendi appetitus, tùm faſtidium ciborum, quæ ferè ſunt conjuncta. Hæc abſtinentia valetudinaria atque morbida plerunque pœna eſt intemperantiæ atque gulæ juſta debitaque, ex illaque promanat. Sic enim juſto Dei fit judicio, ut homines ciborum præſertim delicatiorum nimium appetentes atque avidi, poſtquam illis ſeſe præter omnem modum rationemque ingurgitaverint eorundem tandem nauſea atque faſtidio ſanè moleſtiſſimo periculoſiſſimoque torqueantur. Et hæc de abſtinentia naturali.

Abſtinentia voluntaria, eaque quadruplex.

Abſtinentiam porrò à cibis voluntariam voco, quæ certa voluntate, ratione atque conſilio ſuſcipitur: quæ quidem pro diverſo fine varia eſt atque multiplex. Nam vel eſt medica, vel politica atque civilis, vel religioſa, vel ſuperſtitioſa.

1. Medica.

Medicam appello, qua homines ſive ſani ſint, ſive ægroti, valetudinis ſuæ vel tuendæ, vel recuperandæ cauſa de medicorum conſilio atque ſententia a cibis vel omnibus vel certis complexioni valetudinique ſuæ adverſis atque inimicis abſtinent, ſibique temperant: idque vel ad tempus quoddam, vel perpetuò. Hæc vulgò ab illis *Diæta* appellatur: de qua illi potiſſimùm ſunt conſulendi.

Abſti-

Abstinentia politica sive civilis est, qua honestatis utilitatisve causa ad tempus aliquod vel ab omnibus, vel a certis atque peculiaribus cibis abstinetur. Sic enim sæpe homines utilia aliqua atque necessaria negotia, quæ illis incumbunt, exequendi conficiendique causa, ab omni cibo potuque ad tempus aliquod abstinent, ac in animum suum inducunt non prius cibum capere, quàm illa fuerint exequuti. Ita David cùm persequeretur Palæsthinos, & victoriam haberet in manibus, interdixit, ne quis cibum caperet ante vesperam. Sic Hebræi quidam voverunt, se neque cibi quid, neque potus sumpturos priùs, quàm Paulum interfecissent, ut in Actis Apostolorum scriptum est. Verùm ut hæc Judæorum abstinentia in malo hoc proposito, atque conatu vehementer fuit vituperanda: sic eadem si vel à singulis hominibus, vel à multis simul honesta quædam atque utilia negotia tantò facilius conficienda adhibeatur: quis dubitet, quin maximam laudem mereatur? Multi tamen hodie Christianorum ita gulæ crapulæque sunt dediti, ut vel maximi momenti negotia sive privata intermittere, quàm vel minimùm à cibi potusque sumptione publica, sive ingurgitatione potiùs sibi temperare malint. Huc quoque referenda illa abstinentia sive jejunium, quod nonnunquam à Rebuspublicis benè institutis pro tempore indici solet, quo carnis, vini, aliorumve ciborum delicatiorum usus ad tempus aliquod, vel etiam perpetuò prohibetur, fine politico. Sic Anglos audio quadragesimali tempore carnium usum prohibere, quò nimirum & piscatores pisces suos vendere possint: & tantò major postea atque uberior suppetat carnium facultas. Apud antiquos quosdam populos vini delitiarumque quarundam importatio, usúsque fuit interdictus, ne iis hominum corpora atque animi enervarentur atque mollescerent. 2. Politica.

Sequitur tertia abstinentiæ voluntariæ species, quam religiosam appello, quæ nimirum ab ipso Deo instituta est atque præcepta, & religionis ergò suscipitur atque usurpatur: quæ vel est moralis, vel cæremonialis. 3 Religiosa, eaque duplex.

Moralis rursus vel est ordinaria & quotidiana: vel extraordinaria, & ad tempus aliquod instituta. 1. Moralis, quæ est vel Ordinaria.

Abstinentia ordinaria & quotidiana nihil est aliud quàm temperantia sive sobrietas in cibo atque potu, quæ à Græcis σωφροσύνη dicitur, quæ quidem virtus piis religiosisque hominibus est familiaris. Illi enim non solùm valetudinis honestatisque civilis ergo (ut ab Ethnicis quoque multis iactitatum legimus) verumetiam multò magis religionis causa, divinæ voluntati obsequendi, & actionibus meditationibusque piis tantò faciliùs incumbendi gratia, tenui victu contenti, a ciborum præsertim lautiorum crebrò immoderatoque usu abstinent, sobriè & temperanter cum gratiarum actione cibum sumunt.

Abstinentia religiosa extraordinaria quovis tempore suscepta, est illa, quæ *jejunium* κατ' ἐξοχὴν Latinis dicitur, Hebraicè *Tzom*, quæ sic describi potest: Abstinentia non tantùm a cibo & potu ordinario, sed etiam ab omnibus aliis rebus corpus oblectantibus, præter modum usitatum, quantum vires ferre possunt, profecta ab animo pœnitenti veraque fide ad domandam carnis libidinem atque petulantiam effrænatam, & ad ambiendam precibus Dei clementiam, propter calamitates vel jam prementes, vel jam instantes. Hæc abstinentia cùm publica est, tum privata, cujus sanè in veteris novique Testamenti literis, nec non primitivæ Ecclesiæ monumentis plurima & præcepta, & exempla, & elogia habemus, quæ nos meritò ad illam colendam crebroque usurpandam incitare atque impellere debent, hisce præsertim nostris miserrimis periculosissimisque temporibus. Verùm proh dolor, ut aliæ virtutes, mores, consuetudines Christianæ: ita hæc quoque ut antiquissima, ita laudatissima sanè Christianaque consuetudo ac disciplina inter nos planè languet, ac compotationum comessationumque quasi tempestatibus obruta jacet. Alii enim religiosè sibi videntur jejunare, si abstineant certis diebus a carnibus, ab ovis & aliis hujusmodi, cùm interim eodem tempore piscibus aliisque cibis lautissimis: nec non vinis, poculentisque suavissimis sese inferciant atque obruant, & omni delitiarum voluptatumque generi indulgeant. Alii verò perversum jejuniorum abusum, qui hodie longè lateque dominatur, unà cum eorum vero, legitimoque usu de Ecclesia planè sustulerunt. Et hæc de abstinentia morali. Extraordinaria.

Abstinentiam cæremonialem voco, qua à certis quibusdam cibis religiosè abstinetur: propterea quòd illi à Deo fuerunt prohibiti, quæ ante Christi adventum in Ecclesia Dei locum habuit, post illum fuit sublata. Ac primò quidem ante lapsum primis illis parentibus omnium quidem aliorum fructuum paradisi liberrimus usus esusque concessus fuit, ab unius tantùm arboris fructibus ut abstinerent, iisdem severiter, mortis pœna proposita, mandatum fuit, quod cùm illi impiè nefarieque violassent, se nosque suos posteros in æternam mortem miseriamque præcipitarunt, ex qua nos rursus Deus pro immensa sua misericordia unigeniti sui Filii morte liberavit. 3. Cæremonialis.

Deinde post fœdum illum lapsum, seu potiùs apostasiam, cùm ex amœnissimo illo horto fuissent pulsi, idem quidem, qui priùs, illis victus fuit, ex arboribus nimirum terraque nascentibus, sed cum ante peccatum sine illorum sudore atque laboribus terra illis sponte proferebat: post peccatum autem laboriosissima terræ cultura illis fuit acquirendus. Tunc quoque temporis ex communi ferè Theologorum consensu, carnium usus erat prohibitus, quæ sacrificiis erant destinatæ, quo videbantur à Dei mensa submoti. Duravit hæc abstinentia ad Noachi usque tempora, ante quæ nulla esus carnium in sacra scriptura fit mentio. Justinus martyr contra Tryphonem manifestè inquit, *Noacho primùm edendi carnes datam esse licentiam.* Josephus similiter lib. 13. & 18. *Antiquit.* vult populo Hebræo non statim post Adami lapsum concessum fuisse carnium esum, & quidem non ante Noachi tempora.

Post diluvium liberrimus fuit ciborum usus Noacho concessus: carnibus quoque animalium in cibum concessis. Nam ut Theologi volunt, credibile est terræ fructus horrenda illa aquarum illuvione multis modis vitiatos fuisse, ut non tam boni & salubres tunc extiterint, quàm fuerunt ante diluvium, quam jacturam in

hominis alimento, Deus novo privilegio compenſavit. Deinde tam graves atque funeſtas pœnas humano generi inflictas, ſingulari aliquo beneficio compenſare voluit, Noacho ad conſolationem. Et tamen in tanta ciborum licentia, abſtinentia à ſanguine ex Dei mandato religioſè fuit ſervanda. Gen. 9. *Omne reptile quod eſt vivens, vobis erit in eſcam, ſicut germen herbæ, dedi vobis omnia: veruntamen carnem cum anima ejus quæ eſt ſanguis ejus, non comedetis.*

Duravit iſta licentia usque ad Moſen, ſub quo ex ſevero Dei præſcripto ciborum uſus certis terminis circumſcriptus, & accuratior eorum delectus inſtitutus fuit. Animalia itaque lege divina quædam fuerunt munda, quorum uſus illis in cibum erat conceſſus: alia immunda, a quorum carnibus illis religioſiſſimè erat abſtinendum.

Munda erant primò viva, deinde ex quadrupedibus ungulam habentia & ſimul ruminantia, ut ſunt bos, ovis, capra, cervus, caprea, bubulus, capricornu, dama, urus, alces, &c. Ex piſcibus pinnulas & ſquamas habentes. Ex avibus mundæ, non reptantes. Immunda erant primò aut à feris rapta, lacerata, aut ſponte mortua. Deinde ex quadrupedibus ruminantia & non findentia ungulam, ut ſunt camelus, lepus (vide Plutarchum *Sympoſ.* lib. 4. *Problem.* 5.) cuniculus: aut findentia ungulam, ſed non ruminantia, ut ſus. De Judæorum abſtinentia a porcina carne, vide Plutarchum *Sympoſ.* lib.4. *Probl.*5. Juſtinum lib. 36. Tacitum lib.21. Oroſ. lib. 2. cap. 8. Juvenalis Satyram 6.

Obſervant ubi feſta mero pede Sabbata reges
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Idem Satyra 14. *Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem,*
Nil præter nubes & cœli numen adorant.
Nec diſtare putant humana à carne ſuillam,
Qua pater abſtinuit: mox & præputia ponunt.

Huc quoque pertinet facetum illud Auguſti Cæſaris dictum, quo tempore Herodes Judæorum Rex Chriſto recens nato mortem meditabatur. Nam cùm audiviſſet inter pueros quos in Syria Herodes intra bimatum juſſiſſet interimi, filium quoque ejus occiſum, ait: *Melius eſſe arbitror Herodis porcum eſſe, quàm filium.* Auctor eſt Macrobius libro 2. capite decimo. Tum ex piſcibus, pinnulas & ſquamas non habentes. Denique ex avibus, aquila, accipiter, mergus, milvus, vultur cum aliis rapacibus, corvi omnis generis, ſtruthiocamelus, ulula, cuculus, niſus cum ſuo genere, noctua, bubo, veſpertilio, onocrotalus, ciconia, cycnus, ardea, graculus, upupa & hirundo, reptantes omnes.

Hac abſtinentia ab immundis illis animalibus, pii de virtutum officiis fuerunt admoniti, qua de re ſcitè admodum ſcribit Strigelius in argumento in *Deuteron. Non ſimus tenaces injuriarum ut cameli: non timidi, ut lepores: non labefactemus doctrinam rectè explicatam: ſicut cuniculi fundamenta ædium convellunt: non volutemus nos porcorum ritu in cœno vitæ flagitioſiſſimæ. Abhorreat etiam natura noſtra crudelitate, quam tyrannicæ aves exercent: & ab ἀστοργίᾳ ſtruthionis, qui deſerit ova & pullos ſuos: non ſimus cuculi ingrati erga bene meritos: non upupæ contaminantes nidum Eccleſiæ: non hirundines garrulæ, hoc eſt, arguti cives ſine virtute.* Eadem de re vide plura egregia ſcripta a Thoma Aquin. *Prima ſecundæ Quæſt.* 102. *De præceptis cæremonialibus Vet. leg.* quantum ad ſuas cauſas. Euſebium *de Præparat. Euang.* lib. 8. cap. 3. Huc quoque referenda abſtinentia à certis animalium partibus, ut a ſanguine. De abſtinentia a ſanguine, ejus cauſis, vide Martyrem 1. Sam. 14. Levit. 7. & 17. Deut. 12. ab hædo cum lacte matris cocto. Exod. 25. ab adipe bovis, ovis, capreæ in ſacrificiis, Levit. 7. Erat præterea illis religio veſci nervo contrahente, qui eſt in cavo femoris: quoniam in eo perſtrictum fuit cavum femoris Jacobi Patriarchæ, cùm luctatus eſſet cum angelo, Gen. 32. Huc poſtremò refer abſtinentiam a fermento in diebus Paſchatis. Denique abſtinentia a טרפות *teriphot*, id eſt, *carnibus diſcerptis* atque dilaceratis lege divina Iſraelitis fuit mandata. טרפה *terepha* autem, id eſt, *rapta* aut *diſcerpta caro*, cujus eſus eſt vetitus: complectitur etiam id, cujus pulmo eſt perforatus, & id genus, etſi alioqui non ſit diſcerptum, neque in eo agnoſcatur inciſio. Elias autem notat in *Tisbe* ſignificari hoc nomine omnes cibos interdictos. Hæc ſunt ejus verba in Latinam linguam tranſlata, טרפה *terephah*, *quo veſci Lex prohibet, abſolutè poſitum carnem jumenti aut feræ, quæ a lupo vel urſo, vel ſimili beſtia diſcerpta ſignificat.* Veruntamen Rabini utuntur tranſlatè & pro reliquis vetitis cibis. Vocant item טרפה ſi pulmo foramen habeat, & id genus alia. Item faciunt octodecim genera טרפות *terephot*, nomen טרפה *terephah* ſignificat in genere cibum, cujus eſus vetitus.

Abſtinentia hæc cæremonialis in Eccleſia veteris Teſtamenti firmiſſimè religioſiſſimeque ſervata fuit: proptereà quòd ab ipſo Deo fuit præſcripta: cui in omnibus ſine ulla exceptione recuſationeque eſt obediendum. Daniel itaque ne lege divina prohibitos cibos animalium comedere cogeretur, leguminibus potiùs veſci, quàm regiis Nabuchodonoſoris dapibus frui maluit. Daniel. 1. Tobias ſimiliter in urbe Niniva captivus nunquam ſe gentilium cibis inquinari paſſus eſt. Et Juditha Holofernis cibo potuque uti noluit. Machabæus cum ſeptem filiis & Eleazaro ſub Antiocho porcinas carnes contra legem divinam guſtare noluerunt: maluerunt mortem oppetere quàm in ea re legem divinam violare. Sic mater cum ſeptem filiis mori maluit, quàm ſuillas guſtare carnes. Et Petrus Act. 10. religione quadam ductus, inquit: *Domine, nunquam quicquam immundum intravit in os meum.*

Cæremonialis abſtinentiæ abrogatio.

Abſtinentia hæc cæremonialis, quam violare nefas erat Chriſti adventu, cum aliis Moſaicis ritibus antiquata atque ſublata fuit, & ciborum uſus ad priſtinam libertatem, quam Apoſtoli quoque conſtanter docuerunt,

runt, quæque Noacho data fuerat, a Christo fuerit revocatus, Matth. 15. *Quod intrat per os, non inquinat hominem.* Acto. 10. Petro dicitur: *Quod Deus sanctificavit, tu ne immundum dixeris.* Rom. 14. *Regnum Dei non est cibus aut potus.* Coloss. 2. *Nemo vos judicet in cibo & potu.* 1. Cor. 10. *Omne quod in macello venditur, emite, nihil interrogantes propter conscientiam.* Idem constat Act. 15. cap. Tit. 1. *Omnia munda mundis.* 1. Timoth. 4. Dæmoniorum doctrina dicitur *ciborum prohibitio.* Hanc libertatem Ecclesiæ quoque Orientales retinuisse ac conservasse videntur, id quod Canon Apost. testatur *Can.* 53. *Si Episcopus, presbyter aut diaconus diebus festis noluerit vesci carnibus & vino, fastidiens non propter corporis exercitium, deponatur tanquam propria conscientia injustus & causa scandali multis factus.* Similis huic est Canon 51. Idem ex Eusebio lib. 5. cap. 3. in historia Attali & Alcibiadis lib. 1. cap. 10. Tripartita, de Spiridone & similibus. Eleutherius vanas hominum observationes tollendi studiosus fuit, contra Severianos hæreticos, ut ne quis Christianus ab illis abstineret cibariis, quæ consuevissent mortalibus usui esse. Quod & contra Judæos est, qui ex præscripto legis porcina ac quorundam aliorum animalium carne non vescuntur, id quod in Levitico fusiùs proditur. Citra jejunium nefas est Christiano homini cibum aliquem, quo vescuntur mortales, abominari, idque Servator mandavit, dicens discipulis suis: *In quamcunque urbem intraveritis & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* Apostolus item Timotheo jussit, ut prædicaret, *nihil ex cibis, quibus homines vescerentur, esse rejiciendum,* &c. Item ad Corinth. *Esca vos non condemnat Deo,* &c. *Omnis enim cibus bonus est, si cum gratiarum actione sumatur: sanctificatur per verbum Dei & preces,* &c.

Hæc tamen ipsa libertas quomodo sit charitate moderanda, & nonnunquam cùm vitandi scandali, tum domandæ carnis causa à cibis etiam licitis sit abstinendum, egregiè Apostolus Paulus docet 1. Cor. 8. & 10. Rom. 14.

His postremò adde quòd Apostoli Spiritus sancti instinctu Christianis sui temporis abstinentiam cùm idolothytis, tum a sanguine suffocato præceperunt. Hoc Apostolorum præceptum quidam, teste Thoma Aquin. voluerunt intelligendum esse non secundum literam, sed secundum spiritualem intellectum, ut scilicet prohibitione sanguinis suffocati, idolothytorum, ipsius homicidii, violentiæ atque rapinæ, idololatriæ prohibitio mysticè intelligatur. Alii, eodem teste, volunt hæc cibaria esse prohibita, non propter legalium observantiam, sed gulæ comprimendæ causa. Tertia est opinio eorum, qui volunt ista ad literam fuisse prohibita non cæremonias observandi causa, sed quò faciliùs Judæi atque gentiles victus communione in unum coalescere possent. Judæis enim propter antiquam consuetudinem sanguis & suffocatum erant abominabilia. Immolatorum autem esus in Judæorum animis potuisset gignere suspicionem de gentilibus, quasi illi ad idololatriam rediissent. Itaque hæc ad tempus aliquod fuerunt prohibita, donec Judæi atque gentiles in unum coaluerunt. Postea autem cessante causa cessavit effectus, patefacta nimirum Euangelicæ doctrinæ veritate: quoniam Dominus docuit, nihil eorum quæ os intrant, hominem inquinare, Matth. 15. Hæc Thomas. Et hæc satis sint dicta de Abstinentia cæremoniali ejusque abrogatione.

Sequitur nunc quarta species Abstinentiæ voluntariæ, superstitiosa nimirum, quæ præter Dei verbum sive præceptum ab hominibus veræ religionis expertibus quadam Judæorum κακοζηλίᾳ olim culta fuit, & adhuc hodie colitur. Hujusmodi fuit cùm antiqua illa gentilium, tum hæreticorum quorundam Ecclesiæ primitivæ, tum denique Mahumetanorum, (de quibus quidem vide Jacobi Peuzeri, viri doctissimi, Saracenica sive Mahometica) aliorumque populorum nostris temporibus vera religione carentium a certis cibis severa rigidaque abstinentia, cujus exempla quædam illustria proferam. 4. Superstitiosa abstinentia.

Pythagorici ab omnibus carnibus abstinebant, quòd metuerent animarum in similes animantes, quas edissent, transmigrationem. Horum auctor fuit Pythagoras Samius, qui vixit tempore captivitatis Babylonicæ, teste Augustino lib. 7. *De Civitate Dei* cap. 2. Et lib. 18. cap. 25. quique fuit eodem teste lib. 7. cap. 35. & lib. 8. cap. 4. Hydromanticus & Necromanticus. De Pythagoricorum abstinentia ab esu animatorum, nec non de ipso Pythagora & ejus symbolis, vide Plutarchum lib. 8. *Sympos. Probl.* 7. Pythagoricos de marinis, mullo maximè urticaque abstinuisse, & Gallum album coluisse, testis est Plutarchus *Symp.* lib. 4. *Prob.* 5. Idem lib. 4. *Probl.* 3. testatur, Orphicis & Pythagoricis statutis deditos non modo cor & cerebrum, ut ortus principia, sed ova quoque eandem ob causam abominatos fuisse. Hinc versu illo:

Ισόν τι κυάμους ἐσθίειν κεφαλάς τε τοκήων,

Id est,

Sive fabam comedas, caput aut genitoris idem sit:

volunt Pythagoricos per κυάμους innuisse ova, διὰ τὸ κύησιν, id est, *a generatione*, cùm sentirent perinde esse vesci ovis atque animalibus, quæ ova gignunt. Hinc ergo constat Pythagoricos ovis quoque abstinuisse. Quæritur illo *Probl. Gallina prius ne fuerit, an ovum?* Sic Appollonius ille Tianæus abstinuit a carnibus. Empedocles Agrigentinus Pythagoricus, ac proinde ab animantibus abstinens, equis victor in Olympico certamine, bovem myrrha, thure aliisque aromatibus impletum distribuit spectatoribus. Athenæus libro primo, cap. 1. De hac abstinentia vide & Platonem *de legibus* lib. 6.

Similiter antiquos illos Ægyptii sacerdotes, ex quo cœperunt fictitio illi suo cultui divino inservire, carnibus & vino semper abstinuisse, testatur Hieronymus libro secundo *contra Iovianum*, citans ex Chæremonte Stoico illorum descriptionem. Rationem ibidem addit Hieronymus his verbis: *Propter tenuitatem sensus & vertiginem capitis, quam ex pravo cibo patiebantur, & maximè propter appetitum libidinis, qui ex his cibis atque potu nascuntur. Iidem pane quoque raro vescebantur, & si quando comedebant, simul sumebant hyssopum, ut escam* Ægypti Sacerdotes.

graviorem illius calore tantò faciliùs possent concoquere. Oleum tantùm in oleribus noverant, verùm & ipsum parum propter nauseam & ad gustus asperitatem leniendam. Quid loquar, addit Hieronymus, *de volatilibus, quum ovum quoque pro carnibus vitaverint, & lac, quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse docebant colore mutato?* Hæc S. Hieronymus de Ægyptiorum sacerdotum abstinentia. Herodotus libro secundo, ubi pluribus agit de infinitis Ægyptiorum cæremoniis, inter alia testatur, apud illos nefas fuisse vel pisces vel fabas gustare. A porcinis carnibus non minus quàm Judæi, Ægyptii quoque olim abstinuerunt. Suillum pecus detestati sunt adeò, ut si quis porcum vel attigisset solum, is cum omnibus indumentis flumine ablueretur. Eandem ob causam subulcis templorum omnium aditu fuit interdictum. De Judæorum Ægyptiorumque abstinentia a suilla carne ejusque causis vide plura apud Plutarchum lib. 4. *Sympos. Probl.* 5. Ibidem testatur Judæos leporum quoque esu abstinuisse, & ideo verisimile esse dicit, propterea quòd illos ceu pollutos & impuros aversentur. Jovis quoque Prophetas in Creta non solùm a carnibus, sed & ab omni cibo cocto abstinuisse, S. Hieronymus eodem libro Euripidis testimonio confirmat. Polydorus Virg. *Priscis*, inquit, *temporibus nec carnibus vescebantur, nec animalia Diis immolabant, sed liba & fructus, cæteraque hujusmodi sacrificia pura Diis offerebant.* Nam vesci carnibus, ut inquit Plato lib. 6. de Leg. & Deorum aras polluere sanguine, impium videbatur.

Mysos legimus, inquit Cælius Rhodig. lib. 18. cap. 23. *Deorum cultui adeò mancipatos, ut esitandis animantibus eximiè abstineant: quo nomine pecora etiam ab iis declinari omnia. Vivendi ratio illis in lacte, melle, caseo.* Barceas mulieres gustu vaccinæ & suillæ carnis abstinuisse, testis est Joan. Ravisius.

Atheniensium. Apud Athenienses in templo Cereris Eleusiniæ inter leges Triptolemi tria quoque hæc extabant præcepta: *Honorandos parentes, venerandos Deos, carnibus non vescendum*, ut idem Hieronymus Xenocratis testimonio comprobat. Apud eosdem prohibitum fuit gustare agnum ἄπεπλον, *intonsum*, cùm ejusmodi animal aliquando apud eos defecisset.

Babyloniorum. Babylonios olim piscibus tantùm victitasse Herodotus scribit, & Persarum Magos excepta farina & olere nihil in cibum admisisse idem testatur. Orpheus in carmine suo carnium esum detestatur. De carnium esu impuro, vide Philostratum lib. 1. Augustinus *de Civit. Dei*, scribit, Porphyrium docuisse abstinendum esse a carnibus & cibis crassioribus. Volaterranus lib. 4. capite septimo Anthrop. scribit Indorum Magos, quando ad Solis sacerdotium evecti erant, carnibus penitus abstinuisse. Et cap. 7. Qui Isidis sacris erant initiandi decem dies a carnibus & vino abstinebant. Idem solitus est facere Numa Pompilius pro frugibus sacra facturus. Plutarchus in libello *de Iside & Osiride* ait sacerdotes Heliopoleos prorsus abstinuisse ab omnibus cibis, qui carnis petulantiam alere & augere possent, & vinum in templum Dei sui nunquam intulisse. Juvenalis Satyr. 15.

> - - - - *Lavatis animalibus* (ovibus) *abstinet omnis*
> *Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.*
> *Carnibus humanis vesci licet.*

Irridet Saitas & Thebanos, qui oves colebant, ac proinde ab illarum esu abstinebant, quod bis pariant, & lanicio velamento corpori, lacte verò & caseo alimenta præstent.

Britanni olim leporem & gallinam & anserem gustare fas non putabant. Hæc tamen alebant animi voluptatisque causa. Auctor est Cæsar Comment. lib. 5. *de Bello Gall.* Sic Lybes orillam non gustabant: erat enim apud eos facinus inexpiabile, si quis edisset.

De Ægyptiorum, Syrorum, Græcorum, Pythagoreorum abstinentia a piscibus, vide Plutarchum lib. 8. *Symp. Probl.* 8. Quare Pythagorici de animalibus maxime pisces pro cibo sunt aversati. De symbolo Pythagoreorum: *Pisces non gustato*, vide Reuchlinum lib. 2. *Cabalæ*. De Ægyptiorum abstinentia a piscibus, vide Herodot. lib. 2.

Ethnicorum a certis animalium partibus abstinentia. Porrò a certis quoque animalium partibus Ethnicos olim superstitione quadam abstinuisse, auctores testantur. De Ægyptiorum sacerdotùm abstinentia ab ovis, atque lacte suprà ex Hieronymo dictum est, quos postea imitati fuerunt Manichæi, ut infrà dicetur. Plutarch. lib. 8. *Sympos. Probl.* 8. testatur veteres nefas duxisse vel vulvam, vel cerebrum, vel polypodis caput gustare: multos quoque veterum a cucumere, pepone, malo Medica, pipere omnino abstinuisse. Plutarchus apud Gellium testatur, Aristotelem scriptum reliquisse, quòd Pythagoras μήτρας καὶ καρδίας καὶ ἀκαλυφῆς καὶ τοιούτων τινῶν ἄλλων ἀπέχεσθαι, id est, *vulva, corde & marina urtica, atque id genus quibusdam aliis abstinuerit.*

Indi, teste Philostrato lib. 2. Tigrium non nisi clunes comedebant, cæteris animalis hujusce partibus vesci prohibebantur. Ferunt enim hoc animal, cùm primùm nascitur, priores pedes versus Solem attollere, quem illi ceu Deum adorabant.

Huc quoque referenda illa Pythagoræ symbóla: *Cor ne edito*, id est, ne te excrucies. Et, μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων, id est, *ne gustes ea quibus est nigra cauda.* Ii sunt, Reuchlino interprete, falsi fratres, quos *atratos* vocant. τὸ γὰρ ψεῦδος ἐν ἐσχάτοις μέρεσι μελαίνεται, ut scripsit Tryphon Grammaticus, id est, *Falsum enim in extremis nigrescit.* Plutarchus in lib. *de Liberis instituendis*, hoc symbolo vult prohiberi consuetudinem cum improbis. De his & aliis Pythagoræ symbolis, vide plura apud Reuchlinum lib. 2. *Cabalæ*, & Erasmum in *Adag.*

Ethnicorum abstinentia a quibusdam frugibus. Hæc sint dicta de Abstinentia Ethnicorum superstitiosa ab animalibus, quam hæretici, ut postea dicetur, fuerunt imitati, de quo antequam verba faciam, prius de Ethnicorum abstinentia a quibusdam frugibus atque fructibus quædam sunt dicenda.

Alanos

Alanos Scythiæ populos carnibus quidem vesci, non autem panem manducare fuisse solitos, testis est Joannes Ravisius. De Pythagoreorum abstinentia a fabis, passim multa occurrunt apud auctores Græcos & Latinos.

Horatius, inquit Lambinus, *facetè cognatam Pythagoræ fabam dixit, quasi Pythagoras existimarit fabam animal esse, vel certè in fabis mortuorum animas inesse, atque idcirco ab hoc cibo abstinuerit, veritus ne in fabam aliquam animus paternus immigrasset.* Tertullianus Pythagoram quem Samium Sophistam, desidem & imbellem, Geometriæ, Astrologiæ & Musicæ devotum vocat, dicit, ne per fabalia quidem transeundum discipulis suis tradidisse, lib. *de Anima:* Horatius in Sat. 5. lib. 2.

Pythagoras cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen.
O quando faba Pythagoræ cognata simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo.

Variæ tamen causæ adferuntur, cur Pythagoras voluerit a fabis abstinere, quas refert Laërtius ex Aristotele: Aristoteles, inquit, in libro de fabis Pythagoram scribit jubere a fabis abstinere, aut quòd partibus virilibus inhonestè similes sunt (unde κυάμας quidam volunt appellatas, quasi sint εἰς τὸ κύειν ἄξιοι, id est, *ad ferendum uterum efficaces*) aut quod Orci portis (sterile enim quiddam est faba) aut quod corrumpit, aut quod naturæ universi similis est, aut quod ad paucorum principatum pertinet: fabis enim sortiuntur magistratus. Hoc postremùm etiam Reuchlinus approbat lib. 2. *Cabalæ.* Plutarchus libro *de Liberorum educat.* hoc symbolo vult significari, Abstinendum esse à tractandis Reipub. muneribus, propterea quòd antiquitùs in creandis magistratibus suffragia per fabas vice calculorum ferebantur. Quanquam idem in *Problem.* diversam adfert causam, nempe quòd omnia legumina ventum & humorem impurum adferant, atque hanc ob causam ad Venerem incitent. Ex quo etiam Pythagoræis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflammationem magnam. Plinius ob id existimat a Pythagora damnatam fabam, quòd hebetet sensus, & pariat insomnia, vel quod animæ mortuorum sint in ea. M. Tull. Cicero libro 1. *de Divinat.* eandem ferè causam adfert, his verbis: *Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quòd habet inflationem magnam is cibus tranquillitati mentis quærentis vera contrariam.* Idem lib. 2. *Iam Pythagoras & Plato, locupletissimi auctores, qui in somnis certiora videamus, præparatos quodam victu atque cultu proficisci ad dormiendum jubent. Faba quidem Pythagorici utique abstinuere: quasi verò eo cibo mens, non venter infletur* Tertullianus libro *de Anima: Præsumptio ut cum Pythagorici ob hanc quoque speciem fabam respuunt, onerosum & inflatui pabulum.* Aristoxenus tamen apud A. Gellium contra affirmat, Pythagoram nullo legumine sæpius usum, quàm fabis, quòd is cibus & alvum sensim subduceret & levigaret: porculis quoque minusculis, & hœdis tenuioribus solitum vesci. Plinius tradit fabam existimatam esse hebetare sensus, insomnia quoque facere. Festus ait fabam nec tangere, nec nominare Diali Flamini licuisse, quòd ea putetur ad mortuos pertinere. *Nam & Lemuralibus jacitur larvis*, inquit, *& parentalibus sacrificiis adhibetur, & in flore ejus luctus literæ apparere videntur.* Varro quoque idem testatur & Plinius. Herodotus libro secundo, & Theon Grammaticus apud Plutarchum in *Sympos.* testantur apud Ægyptios tantam fuisse fabarum religionem, ut eas neque ferre neque comedere fas fuerit, imò ne aspicere quidem sacerdotibus licuit. Hinc Pythagoras, qui in Ægyptum discendi gratia profectus, sacerdotum arcana mysteria cognoverat, fabas videtur damnasse. De hac abstinentia a fabis apud Sacerdotes Ægyptios etiam vide Jacobum Pontanum in *progymnasmatis.*

Ferunt Romanos ante Antonium Musam, ob religionem lactucas minimè commanducasse: cujus causam aliqui voluerunt esse: quoniam Venus Adonim ab apro interemptum sub lactuca condiderit, qui antea id olus quoque ederat. Lactucas libidinibus Venereis refragari non est dubium.

Brassicam Ægyptios non edisse, testis est Herodotus: eosdem a sale quoque abstinuisse, idem auctor testatur. Plutarchus quoque lib. 5. *Sympos. Problem.* 10. Ægyptiorum sacerdotes cum sint castissimi, sale in universum abstinuisse testatur, adeò ut pane quoque insulso vesci fuerint soliti. Ejus causæ afferuntur, vel quòd ob calorem sal ad rem Veneream incitet, & ad generandum haud parum facere credatur, cùm ipsi sese castitati dicaverint: vel quòd sit condimentorum jucundissimum. De salis divinitate atque præstantia, vide ibidem plura. Et *Sympos.* lib. tertio, *Problem.* quarto.

Pelusiotæ Ægypti sacerdotes cepis abstinuerunt: quia solum olerum contrarias Lunæ vices habet minuendi atque augendi: ut testis est Gellius. Hinc S. Hieronymus, *Impelle, si vales, Pelusioten, ut edat cepe.* Adde, quòd allium & cepas inter Deos jurejurando habet Ægyptus: ut testatur Plinius lib. 19. cap. 6. Unde Poeta ille Satyrographus:

Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu:
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina. - - - -

Cepis aliàs caput gravatur, cerebrum infestatur, somnusque gravis inducitur. Tradit Diodor. Siculus, Ægyptios utilitatis causa abstinere alios faba, lente alios: nonnullos caseo, alios cepis & porris. Hæc de Ethnicorum abstinentia superstitiosa à certis cibis, satis sint dicta.

Porrò hæretici quoque multi partim Judæorum, partim Ethnicorum perversa præposteraque imitatione religionis specie atque simulatione superstitiosissimè a certis cibis abstinuerunt, & ab iis abstinendum esse docuerunt. Hæreticorum à certis cibis abstinentia.

Essæo-

Essæorum. Essæorum (ut ab illis exordiar) quidam coluerunt practicam, quos Josephus descripsit. Alii verò circa θεωρίαν fuerunt occupati, qui vulgò θεραπευταὶ fuerunt appellati, quorum vitam Philo peculiari libello descripsit. His, eodem teste, fuit τράπεζα καθαρὰ τῶν ἐναίμων, id est, *mensa pura a dapibus cruentis*, hoc est, animantium, quæ sanguinem habent. Rationem addit, quòd opsonia opipara θρεμμάτων, id est, ex animantibus judicarent διερεθίζειν τὴν ἐπιθυμίαν, id est, *irritare concupiscentiam*. Similiter à vino abstinuerunt, quòd οἶνος sit ἀφροσύνης φάρμακον, id est, *dementiæ venenum* seu *irritamentum*. *Hæc scribens Philo*, inquit Sozomenus libro 1. cap. 12. *significare voluit illos Hebræos, qui sua ætate religionem quidem Christianam profitebantur, adhuc tamen morem Iudæorum* Ἰουδαικώτερον *in vita sequebantur, & eorum instituta servabant.* Idem repetit Nicephorus, & Sophronius quoque testatur in vita Marci: *Philo*, inquit, *videns primam Ecclesiam Alexandriæ Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ, de eorum conversatione scripsit.*

Encratitarum. Ex Tatiani schola circiter annum Domini 181. progressi fuerunt, qui se appellarunt Ἐγκρατίτας, sicut Irenæus apud Eusebium loquitur: vel ἐγκρατίτας sicut Epiphanius loquitur. Hi juxta Irenæi descriptionem τῶν ἐμψύχων ἀποχὴν εἰσηγήσαντο, id est, *abstinentiam a carnibus animantium introduxerunt.* Epiphanius dicit ἐμψυχοφαγίαν ἀπαγορεύουσι, id est, *animantium manducationem prohibent.* Iidem ne in mysteriis quidem vino uti voluerunt, sed aqua: unde dicti sunt ὑδροπαραστάται. Et de Severianis idem dicit, οἴνου παντελῶς ἀπέχονται, id est, *à vino omnino abstinent.* Rationem abstinentiæ a vino Encratitarum atque Severianorum hanc proponit Epiphanius: *Vinum enim* χολᾶν (macht toll) *turbare mentem homini, & jam ad libidines, jam ad iram, jam ad insaniam excitare, id quod probarunt exemplis Noë, Loth, &c. Dixerunt autem inde hoc fieri, quia serpens seu diabolus terræ comminatus vitem produxerit, & venenum illud draconis in vino ita turbare mentem, & ideo vinum esse diabolicum, illoque utentes esse* ἀνόμους & ἁμαρτωλοὺς, id est, *iniquos & peccatores.* Sed Epiphanius rectè respondet, non vini, sed intemperantiæ hanc esse culpam, quæ in aliis etiam rebus rectè prohibeatur.

Abstinentiæ autem à carnibus Encratitæ hanc rationem reddiderunt, sicut Epiphanius scribit. Dixerunt enim se βδελύσσειν καὶ ἀπαγορεύειν, id est, *abominari & prohibere manducationem animantium* κατὰ φόβον καὶ ἴνδαλμα, *propter metum & imaginationem quasi spectrum, ne damnarentur ob perceptionem carnium animantium.* De Tatianis & Encratitis, vide Eusebium *Eccles. hist.* libro quarto, cap. 38. Irenæum libro primo, cap. 34. Epiphanium libro secundo, Tom. 1.

Nazaræi etiam nefas putabant carnibus vesci, quod quò faciliùs persuaderent discipulis suis, rejiciebant libros Mosis post diluvium.

Ebionitarum. Ebionitæ quoque, ut testatur Epiphanius Tom. 2. lib. 1. carnium esum damnarunt. Hanc autem suam à carnibus & animatis omnibus abstinentiam tueri conabantur, partim S. Petri exemplo, quem & ipsum ab animatis & carnibus omnique edulio ex carnibus confecto abstinuisse nugabantur: partim quòd talia ut ex coitu & corporum commixtione nata, immunda esse dicerent: *juxta has*, ut rectè addit Epiphanius, *illorum nugas, quas ore suo evomunt, ipsi quoque toti erant abominabiles, ut qui ex viri & mulieris permixtione sunt procreati.* Idem Ebionem hæreticum (quod nomen Hebraicè *inopem* significat) & mente & spe & ope inopem esse dicit, ut qui Christum nudum hominem putet, ac proinde veræ fidei atque spei sit inops.

Marcionitarum. Marcion, quem Tertullianus in catalogi hæreseôn natione Ponticum, Episcopi filium fuisse testatur, dicebat eos non posse salvari, qui carnibus vescerentur. Hunc Tertullianus hoc nomine hæreticum accusat, quòd sanctitatem aliquam in piscibus constitueret.

Montanistarum. Montanistarum quoque notæ sunt ξηροφαγίαι. Nam, ut Tertullianus auctor est, vescebantur solùm pane, sale & leguminibus: bibebant aquam: abstinebant certis temporibus a carnibus & vino. Hæc ex Tertulliani libro *de Iejunio* adversus Psychicos colligi possunt. Fuit autem Tertullianus sectæ illi addictus. Videtur igitur is in libro *de Cultu fœminarum*, Montanistas his verbis expressisse: *Quidam ipsam Dei creaturam sibi interdicunt, abstinentes vino & animalibus exulantes* (sic in libro *de Resurrectione carnis*, *carnis exules* vocat) *quorum fructus nulli periculo aut sollicitudini adiacent, sed humilitatem animæ suæ in victus quoque castigatione Deo immolant.* Sic enim idem de Montanistarum sub Psychicorum, id est, Christianorum persona, quos loquentes introducit, jejunio verba facit: *Arguunt nos Montanistas* (Psychici) *quòd jejunia propria custodiamus, quod etiam Xerophagias observemus siccantes cibum ab omni carne* (en cur Xerophagiæ dictæ, id est, *siccorum esus*) *& omni jurulentia & uvidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus vel bibamus: lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui*, &c. Et paulò post: *Xerophagias verò novum adfecti officii nomen, & proximum Ethnicæ superstitioni, quales castimoniæ Apim, Isidem & magnam matrem certorum eduliorum exceptione purificant, cùm fides libera in Christo ne Iudaicæ quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debeat*, &c. Idem Montanicas hasce suas Xerophagias defendens eodem in libro: *Sed de providentia* (inquit) *Spiritus sancti, prædamnans jam hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda & despicienda opera Creatoris, quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Iovem hodiernum de Pythagora hæreticum, non apud Paracletum. Quantula est enim apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis & Dominicis afferimus abstinentes ab iis, quæ non rejicimus, sed differimus.* Ac omnino sanctus ille pater, hic in re humanum quid passus, in toto hoc suo libro, Montanica illa jejunia, Xerophagias, jejunationes, stationes, cibi disciplinam, carnis vinique abstinentiam, victus castigationem, ταπεινοφροσύνην appellat, acerrimè cùm Paracleti, hoc est, advocati, Spiritus nimirum sancti inspiratione, tum sacræ scripturæ testimoniis & exemplis, tum traditionibus non scriptis defendit atque confirmat adversus Psychicos, ut vocat, hoc est, Christianos, qui eas cùm novitatis, tum Judaicæ atque Ethnicæ superstitionis nomine damnabant, ab Apostolo Paulo prædictas & damnatas esse dicebant.

Mani-

Manichæi a Manete Persa (qui etiam *Manichæus* & *Mannichæus* & *Cubricus* fuit dictus) sic appellati circa annum Domini 247. inter multos alios errores impios & impuros abstinentiam quoque a certis cibis tradiderunt. Hi enim, ut testis est Augustinus lib. 6. *contra Faust.* cap. 6. & lib. 3. cap. 5. & lib. *de Hæresibus*, non vescebantur carnibus, tanquam de mortuis vel occisis fugisset divina substantia, tantumque ac tale inde remansisset, quod jam dignum non sit in electorum ventre purgari. Nec ova saltem sumebant, quasi & ipsa, cùm franguntur, expirarent, nec oporteat ullis mortuis corporibus vesci, & hoc solum vivat ex carne, quod in farina, ne moriatur excipitur. Sed nec alimonia lactis utebantur, quamvis de corpore animantis viventis mulgeatur sive sugatur, non quia putarent divinæ substantiæ ibi nihil esse permixtum, sed quia ipse sibi error non constabat. Nam & vinum non bibebant, dicentes fel esse principum tenebrarum, cùm vescantur uvis. Nec musti aliquid vel recentissimi sorbebant. Iidem conjugia quoque atque fœtus damnabant. Observandum autem est, quòd solis electis suis (perfectioribus & sacris initiatis) simpliciter usu carnium, ovorum, lacticiniorum & vini interdicebant. Auditoribus verò suis (hi erant similes catechumenorum apud Catholicos) tanquam imperfectioribus secundum veniam illa edenda concedebant, sicut scribit Augustinus *contra Faustum* libro trigesimo, capite quinto.

Manichæorum abstinentia a carnibus, ovis, lacte, vino.

Postea sub annum Domini 300. a Priscilliano quodam in Hispaniis & Galliis eadem hæresis renovata fuit, carnes scilicet esse execrandas & immundas, atque ideo ab usu earum abstinendum. De his vide Bernardum *Serm.* 66. in Cantica. Superstitiosa hæc Manichæorum & Priscillianistarum a carnibus abstinentia Synodo Ancyrana circa annum Domini 308. *Can.* 14. Toletana prima *Can.* 21. Braccarensi celebrata in Hispania anno 690 *Can.* 14. & 32. Gangrensi, *Can.* 2. damnata fuit. Augustinus passim contra Manichæos damnat istam carnium abstinentiam, nisi sobrietatis & dilectionis gratia fiat. Vide Augustinum lib. 2. ad Januar. cap. 19 20. 21. lib. 2. *de Moribus Manichæorum*, ubi docet abstinendum nonnunquam a carnibus partim ad delectationem atque lasciviam coërcendam, partim charitatis ergò, ne infirmi offendantur. Hæc de superstitiosa hæreticorum antiquorum abstinentia.

Priscillianistarum.

Nostris temporibus Mahometani cùm a carnibus porcinis, tum a vino abstinent. Apud Moscovitas metropolitæ, Episcopi & Archiepiscopi carnibus perpetuò abstinent. Tamen cùm illi invitant hospites Laicos aut Sacerdotes eo tempore, quo carnibus vescuntur, habent hanc prærogativam, ut carnes illis in suo convivio apponant, quod Abbatibus, quos *Igumenos*: & Prioribus, quos *Archimandritas* vocant, prohibitum est: testis est Sigismundus Baro in *Comment. rerum Moscoviticarum.* De eorundem jejuniis solennibus & abstinentia cùm à carnibus, tum etiam à piscibus, vide plura apud eundem. Extra tempus jejunii die Sabbato vescuntur carnibus, Mercurii verò abstinent. Iidem, quicquid mulierum manibus suffocatur, sive gallina sit, sive aliud aliquod animalium, ab eo tanquam impuro abhorrent. Itaque cum viris absentibus fortè & servis, gallinas jugulare volunt, stant pro foribus, gallinam aliudve animal manibus tenentes & cultrum, prætereuntesque viros, ut ipsi jugulent, vehementer rogant.

Mahometanorum & Moscovitarum.

Rex & optimates urbis Calecutii inconsultis sacerdotibus non audent carnibus vesci: cæteris autem licet quibusvis vesci carnibus, exceptis vaccis, quæ *Nirani* & *Doliar* dicuntur. Vescuntur quoque Calecutienses muribus & piscibus Sole exustis, testis est Ludovicus Rom.

Calecutiensium.

Atque hæc quidem satis sint dicta de superstitiosa ciborum certorum prohibitione & abstinentia ab iis, de qua Paulus Apostolus vaticinatus est 1. Tim. 4. Et hæc satis sint dicta de abstinentia voluntaria, quam fecimus partim medicam, partim politicam, partim religiosam, partim superstitiosam.

III. Miraculosa abstinentia.

Sequitur abstinentia miraculosa, quæ humanas vires superat, & a Deo nonnunquam mirabili ratione ad doctrinam veram commendandam atque confirmandam sanctis viris fuit concessa. Hujusmodi fuit & Mosis, & Heliæ, & Christi jejunium seu abstinentia ab omni cibo 40. dierum spatio. Hoc nobis mirari potiùs, quàm imitari licet.

IIII. Violenta seu coacta abstinentia.

Postrema est abstinentia violenta seu coacta, qua homines cibo potuque destituti, ab illo necessariò abstinere coguntur: ut in annonæ caritate & inopia fieri consuevit. Hac abstinentia Deus hominum partim fidem atque patientiam explorare atque examinare: partim impietatem, intemperantiam, libidinem, lasciviam atque petulantiam coërcere atque punire consuevit: quemadmodum egregiè Lavaterus in suo libello *de Fame* docet.

Hanc sequitur fames, quæ etiam *esuries*, *esuritio* & *esurigo* a Latinis, a Græcis λιμός, & si sit vehementior, βουλιμία· ab Hebræis רעב *Raab* a & רע, quod sit maximum malum, & רעבון *Raabon* appellatur. Sunt autem apud Hebræos tria nomina famem significantia, quæ ab illis sic distinguuntur. רעב *Raab*, inquiunt, est, quum nulla extant frumenta: כפן, *Caphan*, quum sunt frumenta, sed carè & magno pretio venduntur: & בצרת *Bazoretz*, quum neque pecunia adest neque frumenta, quam duplicem penuriam innui volunt litera ב *beth*, quasi sit duplex afflictio. Fame rectè Cicero ad Atticum libro quinto, nihil miserius esse dixit. Horatius Od. 21. Illam *miseram* appellavit. Homerus quoque Οδ. μ. ait mortes omnes esse hominibus tristes & acerbas, sed omnium miserrimum esse fame mori. Verba ejus hæc sunt:

Πάντας μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

CAPUT

CAPUT VI.

DE POTATIONE CEV ALTERA SUBSTANTIALI CONVIVII PARTE. DE POTATIONIS NOMINIBVS, FINE SEPTVPLICI, MATERIA VARIA. DE AQVARVM VTILITATE AC DIFFERENTIIS. AN AQVA NVTRIENDI VIM HABEAT, ET QVAE POTV SIT SALVBERRIMA. DE AQVAE NIVATAE, FRIGIDAE, CALIDAEQVE VSV ANTIQVO IN EPVLIS, DE VARIIS MODIS AQVAE REFRIGERANDAE.

Syracides porrò ſapientiſſimus ut aliorum, ita convivialium quoque morum officiorumque magiſter, optima ſanè maximeque naturali methodo, poſtquam de manducatione ejuſque juſto, ſalubri atque civili modo diſſeruit, nunc de potatione (quæ quaſi ſecunda eſt convivii pars ſubſtantialis, unde etiam multa conviviorum nomina apud Hebræos, Græcos atque Germanos denominantur) præcipit, de qua ſimiliter nobis nunc videtur ſcribendum. Ac potu quidem in epulis poſt cibum ſumptum (ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον) non autem antè utendum eſſe paſſim medici præcipiunt ac monent, unde Orientales non bibere ſolitos ad menſam Lipſius ait lib. 2. *Satyr.* cap. 6. Hinc Hippocratis in illo aureo ſuo aphoriſmo πόνοι, σιτία, ποτὰ, ὕπνοι, πάντα μέτρια, cibum ponit ante potum, ut qui præcedere debeat. Et idcirco edendi verbum in authoribus plerunque præponitur, unde intelligitur ab eſu non a potu eſſe incipiendum. Homerus Οδ. α.

Καὶ φαγέμεν πιέμεντε.

Idem Οδ. ε.

Αζηχὲς φαγέμεν καὶ πιέμεν.

Iſocrates in *areopag.* ἐν καπηλείῳ δὲ φαγεῖν, ἢ πιεῖν οὐδεὶς οὐδ' ἂν οἰκέτης ἐπιεικὴς ἐτόλμησε. Æſchines in *Cteſiph.* καὶ ἐπὶ τῆς αὐτῆς τραπέζης ἔφαγες καὶ ἔπιες, καὶ ἐσπείσας. Gen. 24. ***Et comederunt & biberunt.*** Eſt. 4. ***Et ne comedatis, neque bibatis.*** Exod. 32. ***Et ſedit populus ad comedendum & ad bibendum.***

Quod ad illud ſcholæ Salernitanæ,

Ut vites pœnam, a potibus incipe cœnam,

Interpretes potuum nomine cibos liquidos intelligunt. Sed non ut humida cibaria ſiccioribus præire debent, ſic & potus cibum præcedet. Quin contra & prandium & cœna ſemper a cibo, nunquam a potu auſpicanda, neque unquam committendum, ut jejuno ventriculo potui locus detur. Nec verò vinum vacuo ventriculo ingeſtum unquam ſalutare eſſe poteſt. Quare nec illa quorundam conſuetudo probanda, qui mane vel domi, vel œnopolia accedentes, offas vino maceratas comedunt, roborandi, ut ipſi ſibi perſuadent, ventriculi gratia. Non enim ſic tenorem ejus conſervant, ſed potiùs diſſolvunt.

Bibendi porrò actionem (ut primò de nominibus, deinde de re ipſa dicatur) Hebræi duobus ferè nominibus exprimunt, ut שתה *Scatha*, & שכר *Schakar*, quod plerunque in malam partem uſurpatur, *inebriari* ſignificans, unde שכור *Schichor*, *ebrius* ſive *temulentus*, & in fœm. שכורה *ebria*, 1. Reg. 1. Eſa. 31. & שכרון *Schikaron*, *ebrietas*, & denique שכר *Sechar*, *ſicera* ſive omnis potus inebrians. Nonnunquam tamen idem verbum bonam in partem accipitur pro liberaliter ſe invitare ſive potare, item expleri ſive ſaturari potu, ut Gen. 43. ubi utrunque vocabulum conjungitur, ישתו וישכרו *Iiſtu*, *Veiſceru*, *biberunt* (fratres Joſephi) *& inebriati ſunt*, ſive potiùs liberaliter potarunt ad ſatietatem uſque citra ebrietatem. סבא *Saba* potare vinum ſeu ſiceram abſumere, ſeu haurire, quod verbum & ſono & ſignificatione cum noſtro vernaculo ſauffen / id eſt, *potare*, congruit. סבא *Sobe potator*, ein ſauffer. Rabini hoc nomine etiam cauponem vocant, qui vinum vendit.

Βρέχειν quoque quod propriè *irrigare* ſignificat, metaphoricè καὶ ἐπὶ τοῦ πίνειν εἴρηται, teſte Antiphane apud Athenæum lib. 1. δεῖ γὰρ φαγόντας δαψιλῶς βρέχειν. Inde βεβρεγμένος, id eſt, *bene potus*, quaſi bene irrigatus, appotus, qui plurimum ſe bibendo invitavit. Heſychio ὑπομεθύων. Sic Hebraicè שקה *ſacab*, & *potum dare* ſive *propinare* & *irrigare* ſignificat. Job 21. Pſalm. 64. *Viſitaſti terram & inebriaſti eam*, id eſt, irrigaſti. Metaphora ducta eſt eleganter a plantarum irrigatione. Nam quemadmodum (uti Antiſthenes apud Athenæum docet) plantæ diurnis nocturniſque aquis irrigatæ creſcunt atque florent, quibus ſi deſtituantur, illas exiccari atque emori eſt neceſſe, ſic animalium vita potione utili ſuſtentatur, ſine qua illam extingui eſt neceſſe.

Bibere autem vocabulum Latinum videtur vel a Græco πίνειν eſſe derivatum, vel a βίος, id eſt, *vita*, ut *bibere* dicatur quaſi *vivere*, quòd nimirum animalium vita abſque potu conſtare non poteſt, ut paulò ante dictum eſt. Tametſi in nimium bibaces ſive ebrioſos rectè tritum illud uſurpatur (*Queis nihil eſt aliud vivere, quam bibere*) qui nimirum vivunt ut bibant, non bibunt, ut vivant. Invenitur etiam paſſivum hujus verbi *bibo* in tertia perſona. Idem prætereà hoc *bibendi* verbum, ſuis compoſitis ſæpe & ſacris & prophanis in literis pro cujuſvis tam bonæ quàm malæ rei hauſtu, perceptione, fruitione perpeſſioneve accipitur. Ut Horatius lib. Carm. 2.

Pug-

Pugnas, & exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.

Id est, cupidè studioseque audit, cognoscit, percipit. Sic *combibere artes*, Cicero *de finibus*: *Sed tamen inf ici debet his artibus, quas si, dum è teneris combiberit* (didicerit, perceperit) *ad majora veniet paratior.* Aurelius, *ut Poëta optimus maximus teneris imbibitus annis non facilè elaberetur.* Contrà *ebibere* pro oblivisci videtur accipi apud Plautum *Amphit.* *Non ego cum vino simul ebibi imperium tuum*, id est, oblitus sum imperii tui (nam vinum est memoriæ mors.) *Et memor sum & diligens, ut quæ imperes, compareant.* Sic in sacris literis Job. 15. *Bibere iniquitatem*, id est, discere, percipere. Et trigesimo quarto, *bibere subsannationem*, id est, discere, aut assuefieri sceleribus, & derisioni hominum. Sic Proverb. 9. *Bibere* pro discere accipitur. Apocal. 18. *De vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes*, id est, ab ea didicerunt idololatriam. Sic idem verbum in sacris literis per Metaphoram spiritualium atque divinorum bonorum perceptionem fruitionemve significat. Ut *bibere sanguinem Christi*, Joan. 5. *Bibere aquam*, quam Christus Samaritanæ illi mulierculæ & omnibus eam sitienter appetentibus præbet ac pollicetur, Joannis quarto, Isaiæ quinquagesimo quinto, Proverbiorum quinto & nono, prima Corinthiorum decimo, *bibere spiritualem potum.* Deinde *bibere* & simpliciter & cum adjectione poculi sive calicis Domini, cladis quoque & calamitatis sive crucis (quæ calix & poculum dicitur) perpessionem significat. Ut Matthæi vigesimo cap. *Potestis poculum bibere*, id est, perferre & perpeti eam calamitatem, *quæ mihi est subeunda?* Innumera hujusmodi dicendi formæ in sacris literis exempla occurrunt, ut Jer. 25. 49. Matth. 26. Joan. 18. & alibi. Sic, ut Erasmus annotat in suis *Adagiis*, *eodem bibere poculo*, est iisdem affici incommodis communibusque malis esse obnoxium. Plautus in *Casina*: *Ut senex eodem hoc poculo quo bibi biberet.* Paulò diversius est quod ait Aristophanes in *Equitibus*:

Οὔποτ' ἐκ ταὐτοῦ μεθ' ἡμῶν πίεται ποτηρίου.

Ille nobiscum haud eodem potat unquam poculo,

Taxat fellatorem. Hujusmodi autem dicendi formæ videntur translatæ vel a bibendi certaminibus, ubi coguntur convivæ ebibere certas mensuras non sine fastidio, & corporis valetudinisque læsione: vel ab iis qui metuunt venena: vel denique quòd sicuti patresfamiliâs soliti sunt olim singulis familiaribus suum dimensum cibi atque potus distribuere: sic & Deus summus paterfamiliâs non tantùm beneficia, sed etiam pœnas certa mensura atque pondere hominibus dispertitur pro sua vel clementia vel justitia.

Potare quoque Latinis est quod bibere, quod a Græco deducitur. Potare.

Item *haustum facere* apud Latinos eleganter dicitur pro potare, ut annotavit Sipontinus. Ovid. 3. *Fastorum* inquit, *exiguis haustibus bibere.* Veteres, quemadmodum etiam hodie populariter fit, *haustum* vocabant potum una vice factum. Unde etiam *hausto* frequentativum, & compositum *exhaurio*, quod est, *evacuo*, a quo similiter frequentativum *exhausto.* Virgilius 2. *Æneid.* Haustum facere.

Hausit spumantem pateram.

Item *ducere* eleganter accipitur pro bibere, ut *calicem* sive *poculum ducere.* Horatius Od. 3. libro tertio: Ducere.

Ducere nectaris succos:
& Od. 12. lib. 4. *Ducere Liberum:*
Od. 17. lib. 6. *Innocentis pocula Lesbii ducere.*
Ita lib. 2. Satyr. *Ducere oblivia vitæ solicitæ.*

Id est, quodammodo potare seu exhaurire oblivia curarum. Sic Germanis quoque ziehen / id est, ducere, sive trahere idem est quod potare, & eum qui multum potis est potare dicunt, vulgò eum *posse bene ducere*, Er möge wol ziehen. Græci similiter verba ἕλκειν & σπᾶν in eadem significatione usurpant. *Vina* etiam *liquare* pro bibere apud Horatium lib. 1. *Carm. Vina*, inquit, *liques*, ex antecedente consequens significat, id est, vinum bibas & tibi indulgeas: ex antiquorum consuetudine, qui vinum ut defæcarent & liquidius redderent, minusque nocens fractis velut viribus, antequam biberent, colo transmittebant. Tertullianus: *Conquirito altilium enormem saginam, defæcato senectutem vini.*

Germanicum trincken a tricliniis videtur derivatum, in quibus maximè bibitur, ædificiis compotationibus destinatis. Hæc de nominibus.

Nunc ad rem ipsam accedamus, exordio ducto a fine, qui quidem omnibus in rebus & actionibus primò atque potissimùm videtur spectandus. Est autem bibendi, sive potationis varius, & multiplex finis atque usus. Bibendi finis & usus.

Nam primo quidem omnium bibitur sitis sedandæ seu extinguendæ gratia, qui potus vulgò a medicis *sedativus* dicitur, quem illi circa prandii sive cœnæ finem naturæ maximè congruere affirmant: quippe cùm tunc ob calidi siccique cibi æstuationem vera sitis maximè nos urgeat. Hinc potum iidem augendum minuendumve esse præcipiunt pro ipsius sitis ratione. Est autem sitis bibendi desiderium, sive ut Athenæus Sitis quid. definit lib. 3. ἐπιθυμία θερμοῦ ποτοῦ, ἢ ψυχροῦ. id est, *appetitus calidæ frigidæve potionis*, vel ut idem paucis definit, *cupiditas qualiscunque potionis.* Et paulò post, δίψην ἐπιθυμία τοῦ πώματος, *sitire est appetitus potionis, ut esurire cibi.* Quemadmodum igitur sagax providaque natura ad cibum sumendum cibi appetentia animantia excitavit, sic ad potionem humidi desiderio, hoc est, sitis. Et ut cibo quicquid siccioris substantiæ effluit restituimus, sic potione quicquid humidioris periit resarcimus, teste Galeno libro primo, *de tuenda sanitate.* Atque hæc quidem potionis præcipua est utilitas, siccitatis nimirum ablatio, & humidæ in nobis substantiæ

pereuntis, & collabentis instauratio, ac veluti renovatio quædam. Etsi autem gravis est famis affectio, tamen sitim multò impotentiorem ac toleratu difficiliorem esse tùm ipsius, unde fit, causæ consideratio, tum experientia arguit. Ipsa enim cum frigido & humido reprimatur, ignea est, & ob id efficacior celeriorque censenda videtur. Unde & animalia siti affecta vehementius etiam importuniusque urgentur, & ad restinguendam procurrunt. Quò facit illud Davidis Psalm. 42. *Sicuti cerva desiderat ad fontes aquarum, ita sitivit anima mea ad te.* Quoniam itaque sitis vehemens & acris animalibus valde est molesta, importuna atque noxia, nonnulli δίψαν (quæ etiam δίψος dicitur) Græcè sitim volunt vocatam, quasi ἴψαν, id est, *noxam*, ἀπὸ τοῦ ἴπτειν, quod βλάπτειν, id est, *lædere* sive *nocere* significat.

Sitis toleratu difficilior fame.

Quò autem malum hoc gravius est, & funestius humano generi, tanto major est Dei Opt. Max. & benignitas erga nos, quibus tam varios & multiplices potus quasi remedia quædam ad tantum corporis incendium restinguendum suppeditat, & illius justitia atque severitas erga eos, quos nonnunquam justo judicio importuno hoc malo gravissimè affligi atque vexari, vel certè omnino opprimi atque suffocari patitur. Ut autem fames cibi, ita sitis potus optimum est suavissimumque condimentum: unde Dario Persarum Regi bis ab Alexandro Magno acie superato, ex fuga defesso atque sitienti legimus aquam turbulentissimam & cadaveribus inquinatam suavissimam fuisse visam. Ex hujus denique finis primi ac principis consideratione colligi potest, quanta sit illorum perversitas atque dementia qui vel non sitientes libidine tantum illos impellente bibunt, vel etiam immoderata potus ingurgitatione sitim non modò non depellunt & extinguunt, verumetiam illam magis magisque accendunt & inflammant, unde morbi maximaque valetudinis incommoda consequuntur.

Sitis potus optimum condimentum est.

2\. Secundò bibitur cibos sumptos tantò faciliùs atque commodiùs commiscendi, concoquendi, eliquandi atque ex ventre in totum corpus diducendi gratia. Hinc duplex alius a medicis potus statuitur, unus quem *commixtivum* seu *permixtivum*, alter quem *delativum* vulgò nominant. Prior est, qui unà cum cibis ingeritur, iisque alternatim ac modicis intervallis interponitur sæpius ac permiscetur, ad eorundem & commixtionem & eliquationem faciens. Hunc non vel ad prandii sive cœnæ finem, vel eò usque donec sitis urgeat differendum, sed cibis assumptis sæpiùs & ἐναλλὰξ, id est, *alternatim* interponendum esse Medici docent, quoniam cibi permistione hujusmodi alternæ potionis molliores redditi, per membra nutritioni inservientia faciliùs atque commodiùs pervehuntur. Ad hunc referri debet vulgatum illud,

Potus permixtivus.

Inter prandendum sit sæpe parumque bibendum.

Alter potus à Medicis *delativus* ideo dictus est, quia ad cibum prima concoctione jam peracta, atque etiam paulò antequam aliud quippiam edatur, ex ventre in totum reliquum corpus deferendum distribuendumque bibi debet. In utroque vinum cæteris omnibus potionibus præferendum, ob facilem quam efficit in membra omnia distributionem, unde scitè admodum ὄχημα τῆς τροφῆς, hoc est, *cibi vehiculum* ab Hippocrate nuncupatur, tametsi contrà hodie potatoribus magis cibus potiùs est ὄχημα τοῦ οἴνου, vini vehiculum, a Germanis vulgò weynleiterly vocatur: cibos enim ingerunt, quò plus potare possint. Verùm de eodem hoc potu multa egregia Medicorum præcepta extant: mihi hæc perstrinxisse satis fuerit, de quibus alio quoque in loco plura forsan dicendi sese offeret occasio.

Potus delativus.

3\. Tertius bibendi finis atque usus in medicina latissimè patet, cùm nimirum bibitur morbos quosvis, sive humores crudos, vitiosos atque varios, ex quibus morbi nascuntur depellendi, & evacuandi, sanitatisque recuperandæ causa. Huc referuntur omnes illæ medicatæ potiones, quæ hominibus valdè insuaves, acerbæ, amaræ atque odiosæ solent esse, quas qui effugere cupit, is cibi potusque temperantiæ studeat. Verùm de illis hîc non est dicendi locus.

4\. Quartò bibitur non modò necessitatis atque sanitatis, verumetiam voluptatis honestæ gratia, ut cùm nonnunquam quis vel se vel etiam alios plusculum invitat, animum tristem lætificandi, exhilarandique, ac tristitiæ depellendæ causa. Id si fiat moderatè, atque intra modum, non fuerit contra officium, cùm sacræ quoque literæ vinum non modò ad necessitatem, sed etiam ad voluptatem sive lætitiam nobis a Deo tributum, atque concessum esse testentur. Huc facit illud Proverbiorum vigesimo: *Date vinum his qui amaro sunt animo, bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Item Ecclesiastici 3. *Vinum ad jucunditatem creatum est, & non ad ebrietatem ab initio.* Sed de hoc posteà pluribus, quando de vini commodis disputabitur.

5\. Quintò bibitur etiam religionis sive superstitionis ergò: & huc cùm religiosi illi & mystici cœnæ dominicæ potus, nec non libationes veteris Testamenti, tùm superstitiosæ gentilium libationes atque compotationes in Deorum honorem factæ referri debent.

6\. Sextò amicitiæ vel ineundæ & contrahendæ, vel etiam firmandæ stabiliendæque gratia bibi solet: qui idem in universum justus, legitimusque conviviorum finis censeri debet: de quo suprà pluribus. Hinc Athenæus lib. 5. de hospitalibus conviviis verba faciens, eleganter sanè vinum dicit videri ἑλκυστικόν τι πρὸς φιλίαν, id est, *ad amicitiam attrahendi vim quandam* habere: & alius quidam, *vinum amicitiæ fomitem*, & *sodalitatis metropolim* appellavit. Huc referendi potus sive potationes illæ, quæ fœderis contrahendi sanciendique causa suscipiuntur: inter quos principem facilè locum obtinet mutuus ille Christianorum in epulo Dominico potus, de quibus suprà dictum est.

7\. Septimò non tam utuntur, quàm abutuntur sæpe homines potu sibi a Deo ad salutem concesso, ad mutuam perniciem atque exitium. Hujusmodi sunt venenatæ potiones, quas impii & nefarii homines aliis propinant, illos vel subita ac repentina morte, vel lento diuturnoque morbo conficiendi interimendique causa: cujusmodi toxicarum potionum omissis Theramenis, Socratis apud Athenienses & aliorum antiquis exemplis, quoti-

Abusus potationis. Potiones venenatæ.

quotidiana, proh dolor, experientia nobis plurima & tristissima exempla suppeditat. Hujusmodi quoque sunt amatoriæ illæ potiones, quæ alios ad sui amorem seu libidinem potiùs pelliciendi causa parari atque præberi solent, quas tamen plerunque vel mors repentina, vel lenti ac diuturni morbi consequuntur.

Denique hisce commemoratis potionibus meritò annumerari debent celeberrimæ illæ ac frequentissimæ, diurnæ ferè nocturnæque hominum ebriosorum perpotationes atque propinationes, quæ multis licet speciosis honoris amicitiæque titulis tegantur, revera mortiferæ sunt atque veneficæ. His namque homines innumera animi, corporis atque fortunæ mala & detrimenta, ac tandem mortem quoque non modo temporalem, verumetiam (nisi resipuerint) æternam funestissimamque sibi invicem accersunt atque conciliant. Verùm de hoc suo loco uberius. NOTA.

Hæc de potionis fine, nunc de ejus materia exordio ducto a nominibus. Potationis igitur materia sive id quod bibitur Hebraicè generatim dicitur, שתי *Scheti*. Item שקוי *Schicui*, id est, *potus*, vel *poculum* aùt *irrigatio*. Psalm. 101. *Et poculum meum cum fletu miscebam*. Oseæ secundo, *Oleum meum & potus meos*. Ibi potus non solùm pro *vino* dixit, sed pro omni quod ex quavis re paratur poculo, sive ex pomis, sive ex ordeo, vel quacunque id natura humida efficiatur. סבא *Soba*, *potus* scilicet vini vel siceræ. Isaiæ primo, Oseæ quarto. Conficiebantur enim potus apud Hebræos ex frumentis, piris, malis punicis, cornis, mespilis, sorbis, moris, nucleis pineis: ex herbis, asparago, cumila, origano, quæ omnia quamvis vini nomen non propriè sortiantur, sicera tamen & potus in sacris libris dicuntur: de quibus passim in antiquis Deuteronomicis mentio fit in libro Misraioth *de decimis*. Hinc משקה *Maschke*, *potum dans*, vel *pincerna*, & *potus* vel *poculum*. Levitici undecimo: *Et omnis liquor qui bibitur*, id est, omnis potus. Esaiæ 32. *Et potum sitienti auffert*. Potus materia. Nomina Hebraica.

עסיס *Aasis* similiter significat omnium rerum humidarum succum ad potum idoneum, ut quæ ex malis, aut pomis, aut caricis, aut aliis rebus pocula parantur, quæ aut seorsim bibuntur, aut vino permixta suaviores reddunt potiones. Derivatur à עסס *Aasas*, id est, *conculcare*, *comprimere*, eo quòd fit conculcatione aut compressione. Cantic. 8. *Et mustum malorum granatorum meorum*. Isaiæ 29. *Et quasi musto sanguine suo inebriabuntur*. Idem vocabulum reperitur Joëlis primo & tertio. Kimhi testatur hoc vocabulo vinum significari & omnem potum, qui contusione & calcatione exprimitur. Jonathan reddit *vinum merum*, Rabi Selom. *vinum bonum*.

Græcè potus dicitur πῶμα, πόσις, ποτὸν, ποτὴς, ἦτος (quod est poëticum) πότημα, πότισμα Dioscorides. Nomina Græca.

Latinè dicitur *potus* & *potio*, quæ secundum Grammaticos ita differunt: *Potus* nimirum vini, aquæ similiumque dicitur: *potio* verò a medicis datur ægrotanti, quod Græcis dicitur φάρμακον. Nonnunquam tamen *potio* pro *potu* accipitur, & confunditur hæc a Latinis differentia. Ut Cicero *pro Cluentio*: *Iam verò illud quàm non probabile, quàm inusitatum judices? quàm novum? in pane datum venenum faciliùs ne potuit, quàm in poculo? latius potuit abditum aliqua in parte panis, quàm si totum colliquefactum in potione esset*. Idem *de finibus*, *Cum cibo & potione fames sitisque depulsa est*. Ibidem, *Demus scutellum dulciculæ potionis*. Item *poculenta* potus dicuntur. Antiquitùs quoque ut esca pro cibis, ita posca pro potibus fuit usurpata, quando, ut notat Barbarus in antiquissimis Festi codicibus, & in Ferentini vetusto monumento *posculenta* pro poculentis leguntur. Aliàs *posca* dicta fuit vinum acidum, aqua mixtum quod pro vili plebecula antiquitùs venale extitit, ut annotat Hier. Mercurialis lib. 3. *observat*. Cælius lib. 30. cap. 21. *Oxycratum*, inquit, *aqua est aceto temperata*, *Latinis* poscam *dicere moris est*. Potus, potio, posca. Latina nomina. Posca.

Potus a nonnullis triplex statuitur: Non nutriens, ut aqua: nutriens, ut vinum & zythum, quod cerevisia hodie dicitur: nutriens simul & alterans, ut vinum absynthites, nectarites, hyssopites, & cerevisia herbis condita. Potus porrò apud omnes ferè homines sunt aqua, aut succus uvarum, *vinum* appellatus, aut succus pomorum appellatus *Sidra*, aut succus ordei appellatus *zytum*, ac *cerevisia*. Potus quotuplex statuatur.

Potus antiquissimus maximeque simplex, communis & naturalis est aqua, secundùm illud Boëtii de prima ætate: Aquæ potus antiquissimus.

Somnos dabat umbra salubres
Potum quoque lubricus amnis.

Clemens Alex. lib. 2. pæd. 2. cap. φυσικὸν καὶ νηφάλιον, ποτὸν ἀναγκαῖον διψῶσιν ἐστιν ὕδωρ, id est, *potus naturalis*, *sobrius*, *sitientibus necessarius est aqua*. Idem paulò infrà aquam, ceu σωφροσύνης φάρμακον, id est, *temperantiæ medicamentum* appetendum, vinum autem ceu πυρὸς ἀπειλὴν, id est, *ignis minas* esse fugiendum docet. Observandum etiam, ut vox *panis* apud Hebræos pro quovis cibo accipitur, ita vocem *Maim*, id est, *aquarum*, pro quovis potu accipi in sacris literis. Nam ut panis est cibus, ita aqua est potus omnium gentium communissimus atque naturalissimus. 1. Regum decimo tertio: *Non comedam panem*, *neque bibam aquam in loco isto*. Isa. 3. *Omnem baculum panis & omnem baculum aquæ*. Oseæ secundo: *Dant panem meum*, *& aquam meam*. 2. Reg. 6. vers. 22. *Quin appone eis panem & aquam*, *ut comedant & bibant*: & mox sequitur versu sequente, *Apparavit itaque eis apparatum magnum*, *& comederunt ac biberunt*: unde colligitur panem & aquam pro quovis cibo potuque generatim poni. Hujusmodi autem synecdochica dicendi forma S. Spiritus videtur homines frugalitatis atque sobrietatis admonere. Aquæ etiam in Scriptura sacra significant bonum absolutum, quo desiderium & animæ & corporis satiari potest. Scaturigo talis solus Deus est supremum & consummatissimum bonum. Hoc deserto Israëlitæ foderunt, id est, maximis laboribus & impensis pararunt sibi lacunas, hoc est, alienos Deos, ad creaturas nimirum se convertentes ad eos, qui non sunt Dii, neque desyderia eorum exsaturare potuerunt. Aqua pro quovis potu. Aqua pro summo bono.

 Porrò

Aquarum utilitas.

Porrò aquarum innumeræ sunt utilitates atque commoditates, ad bibendum, medendum, lavandum, purgandum, coquendum, incendia restinguendum, agros hortosque irrigandum, navigandum, ita ut non sine causa Pindarus Poëta μεγαλοφωνότατ@, ut eum Athenæus appellat, carminum suorum exordium ab aquæ laudibus duxerit, ἄριστον μὲν ὕδωρ, id est, *optima quidem est aqua.* Quare Philosophi quoque nonnulli veteres, ut Thales Milesius, aquam omnium rerum principium & originem esse dixerunt. In eadem sententia nonnullis Hesiodus quoque videtur fuisse: dum Chaos omnium rerum initium statuit. Nam per Chaos illum nihil aliud volunt intellexisse quàm aquam, quam ille Chaos appellarit ἀπὸ τῆς χύσεως, id est, effusione, quippe cùm aqua sit χυτόν τι καὶ ῥυτόν, id est, *res quædam fusilis atque fluxa.* Hanc illi opinionem ex sacra historia de mundi creatione hausisse videntur, in qua statim ab initio aquarum fit mentio, quibus incubans Spiritus sanctus, varias animalium, atque plantarum formas finxisse inde videatur: unde rectè etiam aqua videtur dicta quasi à qua omnia nascantur, alantur atque foveantur. Hinc apud Ægyptios quoque, cùm illorum Sacerdotes docerent omnia liquoris vi, ac potestate consistere, legimus in more fuisse positum, ut hydria ad templum summa cum religione deferretur, ac postea in terram procumbentes manibus ad cœlum sublatis, gratias divinæ bonitati pro tanto munere agerent. Cælius lib. 27. cap. 5. Aquarum præconium egregium vide apud Plinium lib. 3. cap. 1.

Aquæ potus antiquissimus communis.

Verùm nos omissis innumeris aliis aquæ commodis, nunc de ea tantùm quatenus potui servit, quædam dicemus. Aquæ potus omnium est antiquissimus, & maximè communis, ac pervagatus, & reliquarum potionum ferè causa & origo: unde rectè ab illo exordium ducitur. Omnium antiquissimum esse aquæ potum, sicuti & cibum glandium antiquitas credidit. Hinc Virgilius in *Georgicis*:

Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.

Vires.

Certè secundùm sacram quoque historiam ante Noachi, & horrendi illius diluvii tempora, non nisi aquæ potus videtur in usu fuisse. Plinius omnes terræ vires aquarum beneficio esse dicit, & Athenæus similiter lib. 2. ἐκ τῶν ὑδάτων, inquit, οἶνος φύεται, *ex aquis vinum nascitur.* Plinius lib. 34. cap. 22. Naturam dicit aquæ nobis liquorem ceu saluberrimum ad potum dedisse, tametsi Celsus aquæ potionem omnium imbecillissimam appellat lib. 2. cap. 18. Aquam Medici docent ad tres usus bibi, nempe ut sitim sedet, ut calorem extinguat, ut alimenta elixet atque diducat. Sitim quidem sedat, ubi illa ex intemperie calida orta est, aut simul cum siccitate sine humore. Nam si bilis in ventre adest, aqua ibi diutius commoratur atque corrumpitur. Elixationi ciborum ita prodest, ut sine ipsa elixari non possint solida elementa, nisi vinum aut liquor alius vires ejusdem impleat. Diductioni verò ciborum inservit tum ea quæ cum cibis ad elixationem bibitur, tum ea quæ jam coctis assumitur. Defert hæc cibos in universum corpus, quibus delatis iterum in renes & vesicam recurrit: inutilis enim est alitioni, teste Galeno libro tertio *de ratione victus acut. com.* 39. inquit enim: *Neque prorsus imas partes penetrat, neque siccitatem humectat.* Plistonicus, teste Athenæo, aquam affirmavit esse πεπτικώτερον, hoc est, *magis digerere quam vinum.* An (ibi annotat Gesnerus) quòd ipsa faciliùs concoquitur, an quòd juvet aliorum concoctionem? quod placet. Idem Athenæus aquæ bibendæ rationem valetudini accommodatam sic describit. Oportet igitur sanitatis studiosos exercitationibus mediocribus uti, ne nimium sudent, & lavacris ita, ut corpora madefaciant, ac mollia reddant. Postea aquam bibere, προπίνειν, (Gesnerus, an simpliciter pro πίνειν, an vel ante cibum: unde fortè *propomata* dicta?) utilissimum, ut quæ hyeme quidem & vere sit ferè calida, æstate frigida, ne stomachum lædat: denique mediocri oportet quantitate bibere. *An*, inquit Gesnerus, *his verbis manè primum jubet se exercere, deinde lavare, postea aquam bibere, & demum prandere?* Ad hydroposian ergo salubrem tria secundùm hæc Athenæi verba requiruntur: primò aquæ qualitas bona, de qua postea; deinde quantitas mediocris & temperata (nam ut idem inquit, illis qui ἀπνευστὶ ... id est, nimis multum aquæ bibunt, stomachus minus bene afficitur atque vitiatur, unde ciborum corruptio) postremò ordo, nempe post exercitationem & lavacra. (Quando aqua bibenda, an cum cibo an post, vide Cardanum libro *de aqua* pag. 15.) Addit deinceps Athenæus, *Quod si quis nostrûm id difficulter facit, aquam dulcem aut calidam* (hîc Gesnerus rectè *vinum dulce atque calidum* legit) *præassumito, maximè vinum protropon appellatum dulce Lesbium, quod est* εὐστόμαχον, id est, *stomacho conducit. Nam vinum* γλυκάζον, *dulce, minus caput aggravat, ut testis est Hippocrates lib. de diæta,* ὁ γλυκὺς *minus est* καρηβαρικὸς τοῦ οἰνώδεος (nota hîc γλυκὺν καὶ οἰνώδη opponi) *vinum dulce minus caput gravat quàm vinosum, minus mentem captat, & est* διαχωρητικότερος, *per viscera melius quàm reliquum digeritur.* Ibidem Athenæus ex Dioclis atque Protagoræ sententia aquæ vim & facultatem in genere describit. ὕδωρ ἐστὶ πεπτικόν, id est, *digerendi vim habet*, est ἄφυσον. id est, *non inflat* (Gesnerus, *per accidens fortè quosdam inflat calore ventriculi imminuto*) ψυκτικόν τε μετρίως, *mediocriter refrigerat*, est ὀξυδερκές, id est, *visum acuit* (macht lutere ougen / ut nos vulgò dicimus) καὶ ἥκιστα καρηβαρικόν, id est, caput minimè gravat, denique est κινητικὸν ψυχῆς καὶ σώματος, id est, *corpus animumque movet.* Hæc de ὑδροποσίας, id est, *potionis aquæ usu*, & utilitate Athenæus disserit libro 2. Porrò in aquæ potu quæ observanda, & aquæ commoda in bibendo, vide egregia apud Cardanum *de aqua.* Addit ibidem Athenæus Eubulum affirmare fuisse solitum solam aquam bibentes esse εὑρετικούς, id est, solertes & ingeniosos rerum inventores, contra vinum ἐπισκοτεῖν τὸ φρονεῖν, menti caliginem offundere. Contrà, eodem teste, Amphis comicus dixit, quosdam aquam bibentes esse ἀβελτέρους, *stupidiores.* Subjungit etiam exempla quorundam ὑδροποτῶν. hoc est, qui vel per totam vitam, vel per quoddam temporis spacium non nisi aquæ

Aqua juvat digestionem. Potio aquæ bibendæ. Ad hydroposiam utilem 3. requiruntur. Potionis aquæ utilitas. Aquam bibentes solertes sunt. ὑδροπόται.

aquæ potu usu fuerunt. Ut Theodorus Larissæus, Glaucon, Anchimolus & Moschus philosophi, Matris Atheniensis, Lampus musicus, Moschion, Polemon Academicus, Diocles Peparethius, Demosthenes. Iberi qui quamvis omnium hominum essent ditissimi, tamen ob parsimoniam & aquam tantùm bibere & semel in die cibum capere soliti sunt, vestibus verò splendidissimis indui. Apud Massilienses similiter ut idem testatur lib. 10. mulieres lege jussæ fuerunt ὑδροποτεῖν. Idem author lib. 2. tradit exempla quorundam Regum qui certis quibusdam aquis ceu delitiis ita fuerunt oblectati, ut vel ex longinquis regionibus magnis cum sumptibus illas sibi adferri, ac secum vehi curarint. Sic enim Persarum sive Parthorum Reges ex Coaspe fluvio Susam præterfluente, & Eulæo tantum biberunt, ut etiam testis est Plinius lib. 31. cap. 3. Secundus item Ægypti Rex Philadelphus cognomento, cùm filiam suam Berenicen Assyriæ Regi despondisset, magnis impensis curavit Nili aquam afferri, ut solius hujus fluminis aquam filia sua biberet. Eorum qui absque cibo aquæ potu vitam sustentarunt exempla tradit Celsus lib. 13. cap. 14. De aquæ coctæ usu atque potu initio cœnæ apud Persas vide Drusium *observ.* lib. 12. cap. 15. Mulieres ὑδροποτεῖν, Reges.

An aqua alendi vim habeat quæstio est. Aquam esse τρόφιμον, id est, *alere*, inde ait Athenæus patere, quòd animalia quædam hac sola nutriantur, ut cicadæ. Homerus, eodem teste, ὕδωρ τροφιμώτατον esse testatur, *maximam habere vim alendi*, ubi meminit quod plenum sit alnorum ὑδατοτρεφέων, id est, *aquis nutritarum*. Hujusmodi arborum in sacris literis crebra fit mentio, ut Psalmo primo & alibi. Cur arbores & plantæ pluviis potiùs, quàm affluentibus aquis nutriantur, & cur marina non alantur Plutarchus docet in *quæst. physicis*. Galenus multis in locis negat aquam alere, ut lib. 3. *de ratione victus*, *com.* 39. lib. 4. *de usu partium* 4. *sect. aphoris.* 13. Aristoteles tamen *Probl.* 13. *sect.* 1. quærit cur mutationem aquarum gravem, aëris verò non gravem esse affirment, & addit, *An quòd aqua corporibus alimento est, quo jam habito complexoque peregrinamur, aer autem nulli est alimento.* Dicunt aliqui Aristotelem hîc fuisse loquutum de aquis medicatis, quas ipse dixit multarum specierum ut anisi aut fœniculi, atque has nutrire. Alii, ut Christophorus a Vega, volunt Aristotelem aquam alere dixisse, quoniam alimentorum conducit coctioni & diductioni. Sic Cardanus quoque lib. *de aqua*, contra Galenum aquam vult nutrire: *Mirum est*, inquit, *quod Galenus concesserit aërem nutrire, & neget illud de aqua quæ longè corpulentior est.* Solida igitur membra ex terreis nutriri videntur, & liquida ex potibus vino atque aqua, spiritus ex aëre. Sedat autem aqua sitim non solùm nutriendo, sed etiam temperando membra supercalefacta. Unde aqua frigida melius sitim sedat quàm calida aut tepida. Cùm enim utraque sitim sedet, constat quòd enutriendo sitim sedat, non sola qualitate. Videmus etiam pisces aqua sola nutriri, quod & Rondelet expertum se testatur. Et animalia si bibant aquam, seriùs ex fame pereunt, quàm si omnino nihil bibant. An aqua nutriendi vim habeat.

Cùm autem aquæ, quæ potui est apta, Græcè πότιμος dicta, plures sint differentiæ a loco unde manant, a substantia, & illius qualitatibus sumptæ, in genere dicendum, quænam ex medicorum sententia optima sit ad potandum saluberrimaque aqua. Ea nempe quæ a Græcis ἄποιος, hoc est, *qualitatis omnis expers* dicitur, hoc est, quæ nec gustu, nec olfactu alienam ullam qualitatem præ se fert, nec dulcis, nec salsa, nec acida, nec acris, nec male olens, nec putris, nec alio quovis modo est insuavis. Est eadem etiam pellucida, levis, quæ ne minimo quidem tempore in præcordiis commoratur, facilique in illa fertur via, & citra molestiam, nec inflationes parit, citò calefit, & citò refrigeratur, si quid in ea calefit seu coquitur, id similiter fit citò, hyeme calet, æstate friget, &c. Hujusmodi aqua Galeno, Hippocrati, Paulo, Plutarcho, Vitruvio, Athenæo & aliis Medicis optima videtur esse atque saluberrima. Quæ aqua potui sit aptissima.

Aquæ porrò potabilis quinque sunt in universum species, nempe aqua pluvia, fontana, putealis, fluviatilis, palustris, Græcè ὕδωρ ὄμβριον, πηγαῖον, φρεάτιον, ποτάμιον, λιμναῖον. Has sic breviter & generatim complexus est Celsus lib. 2. *Aqua levissima pluvialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hæc ex nive aut glacie, gravior his ex lacu, gravissima ex palude.* Harum singularum explicatione omissa, de nivatis, quas ἀπὸ κρυστάλλου καὶ χιόνος ὕδατα vocant, quædam dicemus. Hæ quidem omnium ut crassissimæ, ita perniciosissimæ quoque habentur. *Nivem quidem*, inquit Plinius lib. 31. cap. 3. *glaciemque subtilissimam elementi ejus videri miror, apposito grandinum argumento, e quibus pestilentissimum potum esse convenit. Nec verò pauci inter ipsos è contrario ex gelu aut nivibus in saluberrimos potus prædicant, quoniam exactum sit inde quod tenuissimum fuerit.* Hæc ille. Nivatæ autem aquæ (ut eam Theodorus Priscianus lib. 2. capite decimo tertio vocat) creberrimum fuisse antiquissimis temporibus usum, satis Athenæus ex Alexi, Strati, Dexicrate, Euthycle & Xenophonte libro tertio probat, uti etiam nives potasse, easque in fossis magnis, quibus quernos ramos superinjiciebant, conservare consuevisse, memoriæ mandavit. Idem Plutarchus quoque sexto Symposiacῶν fieri solitum fuisse scribit cum paleis, & rudibus pannis nivibus circumductis, easque ab aëre tuentibus, & frigiditate acquisita conservantibus. Unde & D. Augustinus lib. 1. *de civitate Dei*: *Quis dedit*, inquit, *paleæ tam frigidam vim, ut obrutas nives servet? vel tam fervidam, ut poma immatura maturet?* (cur nivem paleis & vestibus involutam veteres fuerint conservare soliti, vide Plutarchum lib. *Sympos.*) Hinc Alexander M. cùm præclaram Indorum civitatem Petram obsideret, 30. subterraneas scrobes effodit, quas nive ad infrigidanda militum pocula adimpleverat: ita luxuria potus commenta est reponendæ nivis officinas. Plinius in hujusmodi nivium atque glaciei potus his verbis invehitur lib. 19. cap. 4. *Heu*, inquit, *prodigia ventris. Aquæ quoque separantur, & ipsa naturæ elementa vi pecuniæ discreta sunt. Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in gulæ voluptatem vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat. Decoquunt alii aquas, mox & illas hyemant. Nihil itaque homini sic quomodo rerum naturæ placet.* Heliogabalus quoque Rom. Imperator, ut testis est Lamprid. in ejus vita, in viridario domus suæ montem excavavit, in Aquæ potabilis species. Nivatæ aquæ veterum delitiæ.

 quem

quem hybernas nives & glaciem ad æstus refrigerium reconderet. Ante eum Nero excogitavit aquam decoquere vitroque demiſſam in nive refrigerare, & in piſcinis nive refrigeratis ſub caniculæ æſtu ſervare. Nec nivis algore contenti ejus aquam per vas ex lapide velut pumice percolatam (*colum nivarium* vocat Bayfiius vas, quo aqua ex nivibus colari ſolebat) bibere ingenioſa ſitis illecebra Romanos & Græcos docuit. Unde Martialis,

Non potare nivem ſed aquam potare rigentem
De nive commenta eſt ingenioſa ſitis.

Seneca libro decimoquinto ad Lucil. *Quid tu illam æſtivam nivem non putas callum interioribus obducere?* appellat nivem æſtivam, quæ decocta refrigerabatur. Nam, ut idem inquit, *didicerunt Romani monſtrante luxuria nives ad tempus æſtatis locis ſubterraneis cuſtodire.* Alexis Poëta Comicus:

Καὶ χίονα μὲν πίνειν παρασκευάζομεν,
id eſt:
Et ab bibendum nives nos accingimus.

Hinc *nivaria cola*, quibus nives attenuabantur, ut Martialis ſcribit. Ad antiquam hanc conſuetudinem videtur Salomon alludere, Prov. 26. cùm inquit, *Sicut frigus nivis tempore æſtatis, legatus fidelis mittentibus eum.* Eadem tamen ſimilitudine eodem in capite utitur ad ſignificandam rem quæ minus convenit, cùm inquit, *Sicut nix æſtati, ita ſtulto gloria,* ſcilicet minimè convenit. Noſtris quoque temporibus nivem ad vini refrigerium Schleſitæ, Boëmi, Ungari, Moravi ſubterraneis ſcrobibus recondunt. Hanc autem nivalis aquæ potionem quamvis Galenus 7. *Method*: ad curandos æſtuantis ventriculi affectus plurimum conferre dicat, tamen frigidæ potionem in libello *de boni & mali ſucci alimentis*, & in lib. *de affectibus*, eiſdem verbis teſtatur adoleſcentibus primum inſenſibilem, ſed morbidam tamen in præcordiis altercationem parere, & inde ingraveſcente ætate, affectus in articulis, nervis, viſceribus incurabiles afferre. Chriſtoph. a Vega lib. 2. *de arte medendi*, teſtatur in Hiſpania hanc eandem pernicioſiſſimam conſuetudinem exortam eſſe apud quoſdam æſtate tantùm, apud alios omnibus anni temporibus vinum nive diluendi: cùm tamen ex frequenti nivis uſu aut ſolius aut vino mixtæ, maximum immineat periculum hydropicis, aut mali habitus, ex jecoris & ventris imbecillitate & coli dolore. Quod ſic eorum quiſpiam ab his & ſimilibus morbis liberetur hac una tantùm ratione id ſibi eveniſſe putet, quòd pari ratione incontinentes ſunt in uſu calidorum, ut piperis, zingiberi, cinnamomi, & mellis, quæ omnia nivis malitiam aliquatenus corrigunt, ſed utrumque exceſſum ut mortiferum damno. Apud Athenæum tamen ſunt quibus aquæ ἐκ χίονος, id eſt, *nivatæ*, utiles admodum videntur eſſe, nec non pluviæ, quæque ſunt ex glacie, lib. 2.

Aquarum præterea differentiæ ſtatuuntur ſecundùm ſaporem, colorem, odorem, loci ſitum, quas hîc brevitatis cauſa prætermitto.

Aquarum quatenus miſcentur cum vino differentiæ.

Sunt præterea aquarum differentiæ quatenus miſcentur cum vino. Eſt aqua quædam in Cranore paulum calida, quæ duos vel tres dies vinum ſibi admixtum conſervat, teſte Athenæo lib. 2. In Teno contrà fons eſt, cujus aqua vino non miſcetur, ut idem teſtatur. Hinc aquam etiam ἄκρατον, id eſt, *indilutam*, dixere veteres, ut Sophron. ὕδωρ ἄκρατον εἰς τὴν κύλικα, id eſt, *aquam indilutam in calicem.* Ibid. *Aquæ ex locis editioribus atque collibus defluentes minimum vini ſufferre poſſunt*: Athenæus ex Hippocrate: in hunc locum (*vinum paucum ferre poſſunt*) Geſnerus ſic annotat: *Sic & Comarius, ut hîc legitur tranſtulit. Gratarollus putat optimam aquam, ut ſalubriter bibatur pauco vino indigere, malæ verò multum vinum miſcendum. Sed forſan hæc loquutio multa, vel pauca aqua indigere ad vinum pertinet: unde & oligophoron, & polyphoron dicimus, non aquam.* Hæc ille. His addamus quod Athenæus tradit, quoſdam etiam fontes vino miſcere fuiſſe ſolitos, ut Antiochum Epiphanem, & Medam Phrygium. De aquis inebriantibus, & vel fœcunditatem, vel ſterilitatem afferentibus (unde illæ πολύγονοι ſeu πολυγόνοιοι, hæ ἄγονοι appellantur) aliiſque admirandis multarum aquarum viribus atque effectis vide Athenæum lib. 2. Plinium lib. 31. cap. 2.

Aquarum differentia ex frigore & calore.

Plures quidem aliæ aquarum differentiæ afferri poſſent, ſed poſtrema ſit nobis illa, quæ maximè ad convivia pertinet, ſecundum frigus & calorem diviſio ſeu differentia. Eſt itaque alia aqua frigida, ὕδωρ ψυχρὸν a Græcis dicta, alia calida, quæ ὕδωρ θερμὸν, alia denique medio in loco, egelida atque tepida, quæ a Græcis ὕδωρ χλιαρὸν, γαλακτῶδες, lactis modò tepida, atque etiam μεσοκέρας (ut Athenæus lib. 3. multis teſtimoniis probat) ab Athenienſibus fuit appellata. Fuit autem olim in antiquis illis Græcorum atque Romanorum menſis atque cœnis, cùm frigidæ tum calidæ aquæ maximus uſus.

Aqua frigida.

Primò igitur de frigida dicamus, ut de illa quæ ad potandum maximè eſt apta atque idonea ſecundum illud etiam Chriſti Matth. 10. ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ, id eſt, *Aquæ frigidæ potum qui dederit uni ex minimis iſtis in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam.* Pontianus apud Athenæum lib. 3. veteres dicit noviſſe τὴν τοῦ πάνυ ψυχροῦ πόσιν, id eſt, *valde frigidæ potionem*, idque probat Alexis teſtimonio, qui dicit in Paraſito, ſe belle ſummaque cum voluptate bibere aquam putealem, quæ quidem eſt frigidiſſima. Eſt autem aqua vel ſuapte natura frigida, & quidem alia alia frigidior, vel arte adhibita nive, glacie, ſale, nitro. Veteres enim, ut Athenæus eodem in loco multis teſtimoniis confirmat, variis rationibus atque artibus aquam vel frigidam conſervare, atque refrigerare fuerunt ſoliti. Uſitatiſſima fuit ratio per nives, de qua ſuprà dictum eſt. Protagorides lib. 2. comicarum hiſtoriarum, hujuſmodi quoddam aquæ refrigerandæ artificium commemorat, quo Regis Antiochi milites uſi fuerunt. Aquam interdiu in aprico loco ponebant, & quod craſſum erat ſub noctis principium excolantes, reliqua noctis parte in hydriis fictilibus ſub dio in editiori-

Aqua quomodo frigida fit.

Aquæ refrigerandæ ratio.

editioribus domus partibus exponebant. Per totam deinde noctem duo pueri ipsa vasa exteriùs irrigabant, & diluculo incipiente purgantes rursus, fæcemque subtrahentes, & tenuem ipsam aquam maximè sanitati aptam facientes, inter paleas hydrias ipsas collocabant: sicque demum illa utebantur, nullam nivis inopiam cognoscentes. Non admodum ab hoc diversus erat ille refrigerandi aquam modus, quem Galenus in Alexandria, atque universa Ægypto servatum se vidisse testatur, 4. *comm.* 6. *epid.* ubi occidente Sole prius aquam calefactam testaceis vasis injiciebant, eaque vasa fenestris ad ventos expositis, ut tota nocte refrigerarentur, suspensa, deinde ante Solis exortum humi deposita frigida aqua conspergebant, ac interdum ipsis folia frigida vitium, lactucæ, & similium circumponebant, ut frigus aquæ noctu acquisitum conservaretur. Semus Delius, teste Athenæo, lib. *Nesiadis* 2. in insula Cimolia loca refrigeratoria excavata scribit, in quibus æstatis tempore vasa fictilia tepida aqua plena deponebant, postea aquam nulla re nivibus differentem exportabant. Alium refrigerandi modum fuisse tradit Plutarchus ex Aristot. 6. *sympos.* 6. ubi cotibus, & silicibus, nec non plumbeis laminis aquæ injectis eam refrigerari docet. In puteis quoque vinum refrigerandi morem habuisse veteres Athenæus authoribus quibusdam probat. Celebratur præterea cùm a Græcis tum à Latinis Neronis aquæ refrigerandæ inventum, de quo sic Plinius lib. 31. cap. 3. *Neronis Principis inventum est decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare, illa voluptas frigoris contigit sine vitiis nivis. Omnem utique decoctam utiliorem esse convenit: item calefactam magis refrigerari, subtilissimo invento.* Sed Nero pro aqua sua decocta tandem coactus fuit bibere aquam cœnosam, ut autor est Suetonius. Vitiosæ autem aquæ remedium est, si decoquatur ad dimidias partes. De eadem sic Juvenal. Satyra. 4.

Galenus. | Plutarchus. | Vitiosæ aquæ remedium.

Cùm stomachus domini fervet potuque ciboque
Frigidior Geticis petitur, decocta pruinis.

Ejusdem Martialis quoque his verbis meminit in *apophoretis*,

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis
Quò tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

Suetonius: *Nero aquam è subjecta lacuna potaturus manu hausit, & hæc est*, inquit, *Neronis decocta:* unde Martialis:

Niveæ custodia coctæ.

De hujus decoctæ frequenti apud Romanos usu Athenæus lib. 3. testatur, ubi Mercurialis in suo lib. *Observationum*, ut & Cælius lib. 27. cap. 6. notat convivas illos errasse, qui apud illum authorem probare nitebantur antiquiores Nerone decocta fuisse usos. Nam cùm Cynuleus jussisset aquam decoctam afferre, Ulpianus illum increpuit, quòd Romano barbaro verbo usus esset. Galenus quoque eadem de aqua sic scribit libr. 7. *Method.* ὧν ἐνίοις μὲν οὐ μόνον τὸ πρόσφατον ἔδωκα πηγαῖον, ἀλλὰ καὶ τὸ διὰ χιόνος ἐψυγμένον: ὡς ἐν ῥώμῃ σκευάζειν ἔθος ἔχουσι προθερμαίνοντες τὴν κατασκευὴν, ἣν αὐτοὶ προσαγορεύουσι διόκταν, ubi malè Linacer vertit *bis coctam*, pro *decoctam:* quæ vox Latina à Græcis fuit usurpata. Ibidem Galenus refert se interdum stomachi & membrorum intemperiem aqua nivibus refrigerata curasse. Plutarchus 8. *sympos.* ejusdem aquæ calefactæ prius, ac deinde refrigeratæ mentionem facit, ubi dicit homines etiam τῇ ψυχρότητι, id est, *frigiditate* luxuriari. *Omnis aqua*, inquit, *prius calefacta magis refrigeratur, ut ea quæ Imperatoribus paratur igni admota dum ferveat, vase deinde multa nive accumulata circundato frigidior redditur.* Ejus rationem reddit simili ducto a corporibus nostris. Nam quemadmodum nostra corpora, ubi laverimus facilius frigescunt: quia lavatio a calore accidens corpus multis meatibus patens rarius facit, ita ut jam externum aërem confertim recipiens vehementiùs mutetur: sic aqua dum è puteo hauritur icta, eaque agitatione præcalefacta celerius refrigeratur. In illo problemate docet aquam e puteo haustam, si in ipso aëre in vase suspensa pernoctet, frigidiorem reddi ea, quæ recens est hausta.

Aquæ porro frigidæ potum, si is frequens sit atque copiosus, obesse potiùs, quàm prodesse sanis, medici docent. Calorem enim innatum extinguit, pectus offendit, ciborum appetentiam dejicit, & nervosis omnibus adversatur partibus, ut testis est Hippocrates lib. 5. *aph.* 18. & 24. Aquæ quò frigidiores eò deteriores: sunt enim σκληροὶ, γεωδέστεροι, ac proinde δυσκατεργαστότεροι, id est, *difficilioris digestionis*, nimirum ob frigiditatis excessum, ut Athenæus docet lib. 2. Legimus etiam nonnunquam homines intempestivo frigidæ aquæ potu repentina morte fuisse extinctos. Hinc Scaliger *exercit.* 33. *Aqua epota frigida*, inquit, *homini labore, & Sole æstuanti nocet. Messorem enim à meridiana tritura sitibundum primo ad fontem haustu vidimus extinctum.* Athenæus similiter lib. 2. scribit ex Aristophane Tiresiam, cùm ex Tilphosa fonte Boeotiæ similiter frigidissimo bibisset, frigusque ob senectutem ferre non posset, subitò fuisse mortuum. Asclepiadem tamen medicum testis est Plinius lib. 29. cap. 2. mentes hominum traxisse admirabili artificio, vinum promittendo ægris, dandoque tempestivè, tum frigidam aquam, quò vulgi gratiam venaretur. Aquæ tamen temperatæ frigidæ maximus est & saluberrimus usus: de quo multa medici, inprimis Cardanus lib. *de aqua.* Hæc de aqua frigida, nunc de calida.

Aquæ frigidæ frequens potus noxius est.

Calidum potum contra naturam esse Plinius probat argumento brutorum, quæ frigidum persequuntur, & neque ipse, neque Galenus, ullam ferè hujusce potionis nisi in ægrotis mentionem fecerunt. Crebra tamen in antiquis Romanorum cœnis non modò frigidæ, sed calidæ quoque aquæ fit mentio: unde utramque in usu fuisse constat. Hinc Juvenalis:

Aqua calida. | Aquæ calidæ frequens apud veteres usus fuit.

Quando vocatus adest calidæ, gelidæque minister?

Martialis, *Poscis aquam calidam, sed nondum frigida venit*
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Et iterum: *Frigida non desit, non deerit calda petenti.*

Eandem Plautus intellexerat Persæ versu illo a Lipsio correcto:

I. Ite foras, hic volo ante ostium, & januam meos participes bene accipere.
Statuite hic lectulos, ponite hic quæ assolent, hic statui volo primum
Aquilam (sive aquulam) unde ego omnes hilares, ludentes (alii *lubentes*)
lætificantes faciam ut fiant mihi.

Athenæus lib. 3. Eupolis, Alexis, Philemonis & Antiphanis testimoniis confirmat calidæ potum à veteribus in conviviis fuisse usurpatum. Seneca *de ira* lib. 1. cap. 12. *Irascuntur*, inquit, *boni viri pro suorum injuriis, sed idem faciunt, si calida non bene præbeatur, si vitrum fractum, si calceus luto sparsus est.* Idem eodem in lib. 2. cap. 25. *Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogare, aut turbatus thorus, aut mensa negligentiùs posita, ad ista concitari insania est.* Paulus I. C. l. 18. *de instr. & inst. leg. Nec multum refert inter cacabos & ahenum, quod supra focum pendet: his aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur.*

Miliarium. Posteriori seculo vas huic aquæ proprium repertum, quod *Miliarium* dixerunt. Id erat ex ære, ponebaturque in mensa cujus formam Seneca his verbis describit *quæst. Natur.* lib. 3. cap. 24. *Facere solemus dracones & miliaria & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus per declive circundatas: ut sæpe eundem ignem ambiens aqua, per tantum fluat spacii, quantum efficiendo calori sat est. Frigida namque intrat, effluit calida.* Nominat iterum lib. 4. cap. 8. *Quemadmodum minora balnearia, & minora miliaria citiùs calefiunt, sic hæc foramina,* &c. Hoc miliarium, inquit Lipsius in suo *elect.* lib. pertinuisse ad calidam, fortasse primi observavimus, & confirmamus ex Athenæo lib. 3. τοιοῦτοί τινες εἰσὶν, ὦ ἑταῖροι, οἱ ἐλπιάνδοι σοφισαὶ, οἱ καὶ τὸ μιλιάριον καλούμενον ὑπὸ Ῥωμαίων τὸ εἰς θερμοῦ ὕδατος κατεργασίαν κατεσκευασμένον, ἰπνολέβητα ὀνομάζουσι. *Legi*, inquit Lipsius, *& in priscis glossis* Miliarium θερμιτρὸν, *quasi dicas* calfactorium. Varro lib. 4. *Calix a calido, quòd in ea calida puls apponebatur, & calidam eo bibebant.* Etiam apud Græcos idem mos fuit. Lucianus, τράπεζα δὲ τῇ κλίνῃ παρεστήκει ποτήριον ἔχουσα, καὶ ὕδωρ ἕτοιμον καὶ ψυχρὸν, καὶ θερμόν. Athenæus lib. 2. προπίνειν ὕδωρ, ἐν μὲν χειμῶνι καὶ ἔαρι θερμὸν ὡς μάλισα, ἐν δὲ τῷ θέρει ψυχρόν. Apud eundem lib. 3. quæritur utrum aqua calida an frigida post ficus bibenda sit, & utranque in partem afferuntur rationes. Nec in

Thermopolium. usu tantùm calida, sed, quod mirum, in delitiis fuit. Inde apud Plautum thermopolii fit mentio, cùm hilarior invitatio describitur, aut solutior luxus, ut *Curcullione* de ebriosis:

Quos semper videas bibentes esse in thermopolio.

In Trinumo - - - *Satin' in thermopolio?*
Condalium es oblitus, postquam thermo potasti gutturem.

Id est, Satisne annulum tuum in thermopolio oblitus es, postquam guttur potione calida demulsisti. Thermopolium taberna ubi dulces potiones venibant. Idem in *Rudente.*

Ne thermopolium quidem ullum ille instruit:
Ita salsam præbet potionem, & frigidam.

Ubi *thermopolia* vult Lipsius non aliud esse quam cauponas in quibus hæc calida veniret, calida, inquam, pura puta, non potio nescio quæ dulcis & confecta, quod sine authore veteri, & vulgus interpretum, & eximium dicit affirmare Turnebum. Verum in thermopoliis non aquam tantum calidam puram putam, sed alias quoque potiones dulces, atque calidas vendi solitas fuisse, locus ille Plauti manifestè videtur indicare in *Pseudolo,*

Ps. *Quid si opus siet, ut dulce promat indidem* (ex pectore) *ecquid habet?*
Ch. *Rogas? murrhinam, passum, defrutum, mellinam, mel quojusmodi.*
Quin in corde instruere quondam cœpit thermopolium.

Dulcium legato apud Jurisconf. hæc continentur, mulsum, passum, defrutum & similes potiones: item uvæ, fici, palmæ, caricæ. l. *Ulti. ff. de trit. vin.* Item Paul. lib. *sentent.* 3. *Dulcibus legatis sapa, defrutum, mulsum, dulce etiam vinum, palmæ, caricæ, Uvæ passæ debebuntur.* Rectè ergò, quod pace Lipsii viri doctissimi dixerim, & Lambinus *thermopolium* locum definit, ubi dulces potiones vendebantur, quas calidas bibere solebant, & eximius Turnebus idem sensit, qui etiam locum hunc restituit, cum in libris manuscriptis scriptum esset *thermopolium*, in vulgatis *Oenopolium.*

Thermopolia sublata. Thermopolia porrò Romæ a Claudio fuisse sublata, & calidam in cauponis prostare ab eodem interdictum esse, Dio Cassius his verbis significat, τά τε καπηλεῖα ἐς ἃ συνιόντες ἔπινον, κατέλυσε, καὶ προσέταξε μήτε κρέας που ἑφθὸν, μήθ' ὕδωρ θερμὸν πιπράσκεσθαι, καὶ τινας ἐπὶ τούτῳ μὴ πειθαρχήσαντας ἐκόλαζεν. Cajus similiter Caligula cauponem quendam interfecit, quod per dies funeris Drusillæ calidam vendidisset. Idem Dio τὸ, inquit, πωλήσαντα θερμὸν ὕδωρ ἀπέκτεινεν ὡς ἀσεβήσαντα, scilicet quasi impium, & luxuriæ sive lasciviæ administrum in publico luctu. Illustris quoque est Dionis locus de Druso Tiberii filio, quem ebrietatis accusat, quod aliquando cum Prætorianis ad ignem restinguendum è convivio excitatus, aquam illis poscentibus, calidam infundi jusserit, nimirum quasi convivii res esset, non incendii. Hinc Tiberius quoque Imperator cognominatus *Biberius Caldius Mero.* Caldius videlicet a frequenti calidæ potu. Calidæ hujusmodi potionis a Plinio quoque videtur mentio fieri lib. 7. cap. 4. his verbis: *Operosissima tamen securitas mortis in M. Ofilio*

Hilaro

Hilaro ab antiquis traditur, comœdiarum hiſtrione, cum populo admodum placuiſſet natali die ſuo, conviviumque haberet, edita cœna calidam potionem in pultario popoſcit, ſimulque perſonam ejus diei acceptam intuens e capite ſuo in eam tranſtulit, tali habitu rigens nullo ſentiente, donec accubantium proximus tepeſcere potionem ammoneret. Tacitus quoque *Annalium.* 13. calidæ mentionem facit, his verbis: *Illic epulante Britannico, quia cibos, potuſque ejus delectus ex miniſtris guſtu explorabat, ne omitteretur inſtitutum, aut ne morte utriuſque proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt. Innoxia adhuc, & præcalida, & libata guſtu potio traditur Britannico: dein poſtquam fervore aſpernabatur, frigida in aqua diffunditur venenum.* Pollux quoque lib. 9. cap. 6. ſcribit calidam chalco (quæ Mercuriali lib. 1. *Obſervat.* quadrantis Italici, vel paulò plus menſura videtur eſſe) vendi ſolitam, quæ paucitas, ut idem obſervat, non lotioni, ſed potui inſervire potuit. Sic Philemon apud Athenæum, qui utilitatem & copiam calidæ demonſtravit, eam ſcribit quadrante vendi.

Hujuſmodi porrò aqua calida, quam antiqui potabant, quamque Medici frequenter ſub vocabulo θερμὸν nominabant, qualisnam fuerit, calidane per ſe, an igne Soleve calefacta, & purane an mixta, cur denique adhibita fuerit, meritò quis cum Mercuriali, atque Lipſio viris doctiſſimis miretur. Equidem & per ſe calefactam adhibitam exiſtimaverim, tametſi Mercuriali nunquam inter convivia veteres aquam calefactam bibiſſe viſum fuerit, quod ea potius ad vomitum concitandum, quàm ad voluptatem ſanitatemve faciat, & Plinius quoque naturæ inimicam tradat, & neque ipſe Galenus ullam hujuſmodi potionis, niſi in ægris mentionem fecerint. Verùm calefactam aquam in conviviis fuiſſe adhibitam, cùm alia ſuperiùs commemorata, tum illud Martialis epigramma, vel ipſo Martiali teſte ſatis arguit,

Aqua calida, quam antiqui potabant, fuerit ne per ſe calida, an igne, ſoleve calefacta.

Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit,
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

Item illa Pauli J. C. *Nec multum refert inter cacabos, & ahenum, quod ſupra focum pendet, his aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur.* Hinc manifeſtè videtur poſſe colligi aquæ igni calefactæ uſum in veterum conviviis fuiſſe. Deinde quæritur purane, an mixta fuerit adhibita, atque adeò in delitiis habita. Equidem Lipſio facilè aſſentior, qui duplicem calidæ uſum agnoſcit, & cùm ſolitariam, tum & vino infuſam vult bibi fuiſſe ſolitam. Idem tamen gulonibus expetitam maximè, & laudatam cum vino ſe comperiſſe ſcribit, cujus cauſam affert, quod procliviùs & jucundiùs potio fervens, quàm frigida iret in bulgam, id quod ſeipſum aliquando expertum non abhorrere dicit. Addit deinceps hujuſce aquæ calidæ uſus apud veteres clara teſtimonia. Athenæus lib. 11. ex Ariſtotele docet, ollis Rhodianis aquam, qua vinum miſcebatur, calefieri olim fuiſſe ſolitam injecta in ea myrrha, maſtiche, croco, balſamo, amonio, cinnamomo, & aliis aromatibus cùm ebrietatis, tum Veneris coercendæ gratia. Apud Apuleium Fotis accipit poculum, & deſuper aqua calida injecta porrigit ut bibat, lib. 2. Beroaldus, *Mixtura aquæ calidæ pocula temperabantur: omnem decoctam aquam utiliorem eſſe convenit: item calefactam magis refrigerari ſubtiliſſimo Neronis invento.* Martialis,

Purane an mixta aqua in conviviis adhibita fuerit.

Me conviva leget miſto quicunce, ſed ante
Incipiat poſitus, quam tepuiſſe calix.

Alibi, *Jam defeciſſet portantes calda miniſtros*
Si non portares Sextiliane merum.

Hi verſus diſertè probant mixtionem. Sed clariſſime Plautus, qui vinum ita mixtum intelligens, *calidi* nomine uti, non *calidæ* voluit, *Curculione*:

Ubi quid ſurripuêre operto capitulo calidum bibunt.
Triſtes atque ebrioſi incedunt.

Et in *Milite* eleganter potionem eam exprimit puer ebrius,

Neque equidem heminas octo exprompſi in urceum
Neque ille hic calidum exbibit in prandio.
Pa. Neque tu bibiſti? Lu. Dii me perdant, ſi bibi,
Si bibere potui. Pa. Quid jam? Lu. Quia enim abſorbui
Nam nimis calebat, amburebat gutturem:

Et quæ ſequuntur, neque enim eſt ut ſcena ea intelligatur ſine hoc more.

Calda porrò (ut veteres loquebantur) ſive calida cur uſi fuerint veteres, meritò nonnulli mirantur, cujus uſum Plinius his verbis damnavit, *Notandum*, inquit, *nullum aliud animal* (præter hominem ſcilicet) *calidos potus ſequi, ideoque non eſſe naturales.* Aquæ calidæ potus, inquit Chriſtoph. a Vega, frequens catharros efficit, ventriculi imbecillitatem atque hecticam. Poſſunt tamen afferri probabiles quædam rationes, cur à veteribus calidæ potus cùm meræ, tum vino mixtæ fuerit uſurpatus. Ac primò quidem ſanitatis ea in re videtur habita ratio. Plato enim lib. 1. *de Rep.* aquæ calidæ mentionem faciens, illa dicit inteſtina refrigerari, & appetentiam concitari. Hinc Medici quoque Græci, teſte Mercuriali, ad reprimendum rerum fervorem caldæ potum ante alios cibos ſummopere commendant. Veriſimilis eſt quoque illa Mercurialis conjectura, ad remittendam cùm vinorum, tum aquarum vehementiorem frigiditatem calidam fuiſſe adhibitam: quando rationi eſt conſentaneum inter multos convivas fuiſſe, qui frigidiſſimo potu, alios qui ſubfrigido, egelidove delectarentur, rurſus aliquos qui ab omnibus frigidis læſi calidum amarent, ſolitam fuiſſe aquam calidam vel etiam calefactam & refrigeratam apponi, ut unicuique, quod magis optaret potus temperamentum, efficere liceret.

Cur a veteribus calidæ potus uſurpatus fuerit.

liceret. Certè hodie quoque in conviviis aliis frigidiſſimam potionem, aliis ſubfrigidam, vel etiam calefactam præberi videmus, prout quiſque hac vel illa delectatur, atque etiam juvatur. Adhæc cum Orientalium hominum ob aërem quo fruuntur calidiſſimum ventres ſint frigidiſſimi, quòd multis rationibus naturalibus probari poſſet: veriſimile eſt illos ad temperandam ventriculi frigiditatem tantò frequentiore calidæ aquæ vel puræ, vel vino infuſæ potu uſos fuiſſe. Veriſimile præterea ut Mercuriali, ita mihi quoque videtur, quoſdam luxuriæ quoque cauſa calefacta illa aqua uſos fuiſſe, qui nempe vomere cupiebant, ut tantò copioſiùs & majori fame rurſus ſeſe ingurgitarent. Id Antiphanes in Omphale hiſce verſibus probat:

----- ἐν χύτρᾳ δέ μοι
Ὅσας ὕδωρ ἑψὸν, (aliter ſcriptum, ἕψοντα μηδὲν, forſan legendum ἑφθὸν) ὄψομαι
Οὐ γὰρ κακὸν ἔχω, μήδ' ἔχοιμ' ἐὰν ἢ ἄρα
Στρέφῃ με περὶ τὴν γαστέρα, ἢ τὸν ὀμφαλὸν
Παρὰ φέρτατα δακτύλιος ἐπί μοι δραχμῆς.

- - - - In olla autem mihi
Aquam coctam non contingat cernere.
Non enim malè mecum agitur, nec agatur precor. Sin autem
Turbent meum tormina ventrem vel umbilicum
Paratus ex optima mihi annulus drachma eſt.

Et Strabonicus apud Athenæum 8. *Dipnoſ.* idem teſtatur. Is enim Rhodios appellavit *albos Cyrenæos*, quod ut his colore diſſimiles, ſic laſcivia ſimiles forent, colligens autem illud ex conſueto ipſis calidæ potu perſpicuum fecit, Rhodios non ob aliud calidam potaſſe, quàm ut ejus ope acceptos cibos revomerent, ſicque iterum impleri poſſent. His poſtremò addam quod Philo quoque calidæ potionis mentionem facit, quæ refrigeraretur, lib. περὶ φυτουργίας, his verbis, νῦν μὲν γὰρ ἄχρι τοῦ σῶμα, καὶ ψυχὴν παρεθῆναι, πίνουσι ἀθρόως καὶ ἀπνευστὶ χαίροντες ἔτι καὶ προσφέρειν τοῖς οἰνοχοουμένοις κελεύοντες, κἂν διαμένωσιν ἀγανακτοῦντες, ὅτι τὸ θερμὸν λεγόμενον παρ' αὐτοῖς ποτὸν περιψύχουσι. *Non enim uſque ad animi corporiſque languorem potant abſque reſpiratione bibentes, & ultrò pincernas urgentes, indignanteſque illis ceſſantibus, dum caldam, quam vocant, frigefaciunt.* Hinc colligi videtur poſſe illos calidam aquam prius refrigeraſſe, antequàm illam vino miſcerent, vel etiam puram biberent, calefaciebant autem prius ad illius cruditatem mitigandam, quòd minus ſtomacho noceret. Quin etiam vinum calidum aquæ ſimiliter calefactæ commiſcere prius, ac poſtea refrigerare rurſus, veteres conſueviſſe, ex illa Ariſtæneti epiſtola videtur poſſe colligi, ubi hæc verba ponuntur, ὁ γὰρ ἔμμετρος οἰνοχόος ἐξεπίτηδες τοσοῦτο θερμότερον τοῦ δέοντος τὸν οἶνον συνέμισγεν ὕδατι διαπύρῳ. ὅσον ἔμελλεν ὁ ψυχρότατος ὁλκὸς ἐπιπελάζων, αὐτὸ τὸ χρεῶθεν ἐπιψύχειν. ὅπως ἂν μόνης γε τῆς ἀμέτρου θερμῆς τῷ ψυχρῷ μιγνυμένης τὸ σύμμετρον καταλήψοιτο. Hæc de aquæ calidæ uſu antiquo in epulis: de quo qui plura legere volet, legat Italicum tractatum Antonii Perſii, Venetiis impreſſum, & inſcriptum *De bevercaldo*: de conſuetudine item Japoniorum, qui calidam æſtate, & hyeme frigidam bibunt aquam vide Johannem Maffæum in *hiſtoriis Ind.*

CAPVT VII.

DE VINO, EIVS DEFINITIONE, NOMINIBVS, ORIGINE, AVCTORE, COMMODIS.

Omnino autem duo ſunt præſtantiſſimi ſaluberrimique potus humano generi a Deo tributi atque conceſſi, aqua nempe & vinum: quorum illa quidem homini cum cæteris animantibus eſt communis, hic verò hominis quaſi proprius eſt potus. Ac quoniam de aqua actum eſt, nunc dicendum de vino, cujus vim, naturam, uſum, commoda, & incommoda, Syracides noſter (ut ad illum redeamus) egregiè hoc in loco demonſtrat. Primò igitur de vini nominibus illius vim ſignificantibus, deinde origine atque authore, tum effectis bonis pariter, atque malis, quorum Syracides hic meminit, differemus.

Vinum propriè quid.

Vinum propriè dictum eſt ſuccus uvarum, ſive ſuccus in vite, qui fervendo vires è muſto ſibi fecit, quod & dulceſcit primo calore proprio & acquiſititio. Sive ut alii illud definiunt, Vinum eſt ſubſtantia liquida ex uvis expreſſa, quæ ebullitione vires acquiſivit. Quia ergo vinum eſt ſuccus uvarum, ſive vitis, hinc eleganter & Homerus ἐρισάφυλον Οδ. λ. & Euripid. in *Bacch.* ἀμπέλου ῥοὴν, *vitis ſuccum*, & Pindarus ἀμπέλου γόνον, *vitis fœtum*: & ipſam vitem Græci vulgo ἄμπελον οἰνοφόρον, *viniferam*, & οἰνάδα, Aſtydamus apud Athenæum οἰνομήτορα, id eſt, *vini matrem*, nominant, ſic *gæphan jajin*, id eſt, *vitis vini*, ſeu *vinifera* legitur Num. 6. Imò ἄμπελον, id eſt, *vitem*, Ariſtophanis interpres vult dictam διὰ τὸ ἐν αὐτῇ ἔχειν τὸν πηλὸν, id eſt, *quod vinum* (nam πηλὸς *vinum* ſignificat) *in ſe contineat.*

Vini nomina Hebræa.

Vinum ab Hebræis יין, ſive ין *Iain*, ſive *Ion* dicitur, unde veriſimile eſt *Jacchi* nomen, qui idem qui Bacchus fuiſſe dicitur, derivatum. Verbum autem hoc *Iain* ferè ſemper Chaldæus Paraph. tranſtulit חמר *chamar*, id eſt, *vinum rubrum*, ut Homerus οἶνον αἴθοπα ferè ſemper nominat, forſan quia tunc temporis vina rubra

bra præstantiora judicabantur albis. Eustathius Ιλ. α. p. 102. 24. αἴθοπα dicit vinum ab Homero appellari οἷον ἀποκεκαυμένον τὴν ὄψιν, ἤτοι μέλαν ἢ ἐρυθρὸν, ἢ καὶ θερμὸν καὶ ἐκκαίοντα, παρὰ τὸ αἴθειν· & idem p. 806. 24. *Nomen hoc*, inquit, *vino nigro est impositum laudis ergò. Est namque vinum nigrum efficacissimum, quodque in bibentium habitu diutissimè moratur.* Sunt qui nomen hoc significatione volunt cognationem habere cum voce יון *javan*, id est, *lutum liquidum* seu *fæx*, a turbiditate, quod in terra Chanaan omnia vina fuerint turbida, & fæculenta, rubrique coloris. חמר *chamar*, *vini rubedo*, aliqui *turbationem* seu *turbiditatem* aut *fervorem* exponunt, quod vinum rubrum etiam effervescat & cerebrum turbat. Kimhi vinum lutosum & turbidum rubrum esse intelligit, & ita dictum putat quod in terra Israël præstabilius sit. De voce עסים *hasis* suprà est dictum.

תירוש *thirosch* propriè mustum seu vinum novum significat, a ירש *Iarasch*, id est, *possedit*, quòd vinum omnium optima sit possessio. Sunt qui illud volunt derivari a ירש *Jarasch*, altera significatione, hoc est, ad paupertatem miseriamque redigi, eò quòd vini abusus immoderatus plerunque paupertatis est causa. Chaldæi *thirosch* vocant מארית sive מרת *merit* sive *merat*, *vinum prodromum*, quod derivatur ab eodem themate, a quo Hebræum scilicet a ירת *Jarath*, mutato *schin* in *thau*, tametsi non desunt, qui a Latina voce *merum* Chaldæum volunt derivatum, forsan contrà *merum* a Chaldaico vocabulo promanavit.

Græci vinum οἶνον appellarunt, quasi οἰόνουν, διὰ τὸ οἰήσεως τὸν νοῦν ἐμπιπλᾷν, id est, *quòd mentem nostram vanis & elatis opinionibus* (hoc enim οἴησις propriè Græcis) *impleat*, vel ὅτι οἴεσθαι νοῦν ἔχειν ποιεῖ τῶν πινόντων τοὺς πολλοὺς οὐκ ἔχοντας, id est, *quòd multos illud bibentes facit opinari, sibi mentem esse, qua carent*, ut Plato voluit in *Cratylo*, & qui eum secutus est Plutarchus lib. 7. *Sympos.* Item Eustathius Ιλ. 2. p. 500. παρὰ τὸ αἴτιον εἶναι οἰήσεως τὸν οἶνον τοῖς πίνουσι, φρονηματίζει γὰρ ἀλαζονικῶς ὁ οἶνος τοὺς ἀμέτρως φιλοῦντας αὐτὸν, id est, *quòd causa sit vanæ opinionis illud bibentibus, gignit enim vinum in iis, qui immoderato ejus amore sunt capti, superbas, vanasque opiniones.* Idem author eodem in loco nonnullos ait existimare, οἶνον dictum παρὰ τὸ οἴω τὸ νομίζω, καὶ τὸν νοῦν, id est, *quòd mentem afferat*, idque convenienter Athenæi opinioni, & Comici illius dicto, ἄρδεσθαι οἴνῳ τὸν νοῦν ὡς λέγειν τι δεξιὸν, *mentem irrigari vino, ut dextri quid, seu opportuni proferat.* Huc faciunt illa Platonis lib. 1. *de Leg.* Homo, ὁπόσῳ πλέον αὐτοῦ γεύηται, τοσούτῳ πλειόνων ἐλπίδων ἀγαθῶν πληροῦται, καὶ δυνάμεως εἰς δόξαν· καὶ τελευτῶν δὴ πάσης ὁ τοιοῦτος παῤῥησίας, ὡς σοφὸς ὢν, μεστοῦται, καὶ ἐλευθερίας, πάσης δὴ ἀφοβίας, ὥς τε εἰπεῖν τε ἀόκνως ὁτιοῦν, ὡσαύτως δὴ καὶ πρᾶξαι. *Quo quis illud copiosiùs hauserit, tantò majore spe impletur, tantoque animosiùs de se sentit, idemque præsentia quadam atque liberalitate tanquam sapiens repletur: pellitur omnis metus, ut intrepide quidvis pariter & dicat*, & *agat*. Fuerunt etiam, qui οἶνον voluerunt denominatum ἀπὸ οἰνέως, *Oeneo*, vini inventore, ut Nicanor Colophonius, & Melannipedes Milesius senserunt, teste Athenæo lib. 2. Alii, ut refert Eustathius (id quod Athenæo quoque magis probatur) ἀπὸ τοῦ ὀνεῖν, ὅ ἐστι ὠφελιμεῖν, sive ἀπὸ τῆς ὀνήσεως, id est, *ejus utilitate*, ad quam etymologiam Homerus videtur aliquando alludere, ut Ιλ. secunda:

Ἔπειτα δὲ αὐτὸς ὀνήσεαι αἴκε πίησθα.

Si biberis magnum referes mihi crede juvamen.

Et Οδ. τ. Ἔπειτα καὶ αὐτὸς ὀνήσεαι πιών.

Sic idem cibos quoque ὀνείατα appellavit ἀπὸ τοῦ ὀνίσκειν ἡμᾶς, id est, *quod nos juvent.* De οἴνου etymologia, vide plura apud Eustathium Οδ. 29. 34. Quid si potiùs & οἴνου, id est, *vini*, & οἴνης nomen (quo antiqui, teste Athenæo lib. 2. vineam appellarunt) dicamus a *Iain*, sive *Ion* Hebræo profluxisse, εὔοινος boni vini terra, ἡδύοινος, suave vinum ferens, πολύοινος, locus vini ferax, πολυοινία, vini copia, ἀπὸ τοῦ οἴνου dicuntur. Vini servandi reponendique in cellis vinariis modus à priscis servatus, pluribus explicatur a Galeno lib. 1. *de Antidotis.*

Iones, teste Hesychio, vinum πηλὸν vocarunt ἀπὸ τοῦ πάλλειν καὶ σείειν ἡμῶν τὰς φρένας, id est, *quod mentes nostras vibret atque commoveat:* nam idem vocabulum πηλοῦ propriè cœnum sive terram aqua irrigatam significat. Simile quid de voce *Iain*, & *Iavan* suprà dictum est. Hinc κάπηλος ὁ πωλῶν τὸν οἶνον, *caupo vini venditor*, sed potius corruptor. Nam Scholiastes Aristophanis in *Pluto*, κάπηλον vult dictum esse παρὰ τὸ κακύνειν τὸν πηλὸν, *quod vinum corrumpat*, qui mos est cauponum. Ad quem alludens Paulus 2. Cor. 2. eleganter per metaphoram dixit, καπηλεύειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, id est, *cauponari sermonem Dei*, hoc est, sermonem Dei ceu vinum salutiferum cœnosis, turbulentis, atque pestiferis humanarum opinionum, atque traditionum aquis lucri causa corrumpere, quòd cap. 4. vocat δολοῦν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Ἄμπελος quoque dicta vitis, διὰ τὸ ἐν αὐτῇ ἔχειν πηλὸν, de quo suprà. Iones.

Dicitur etiam vinum Græcè μέθυ, quod verbum Poëtis duntaxat est usitatum: ut μέθυ ζωρὸν apud Apollonium: & μέθυ εὔζωρον apud Euripid. id est, *vinum meracum.* Homerus Οδ. η.

Ποντόνοε κρεοστάμενος μέθυ νεῖμον, πᾶσιν ἀνὰ μέγαρον.

Homerus Οδ. η. μέθυ, & Οδ. ξ. γλυκὺ, id est, *dulce*, vocat. Potest tamen hoc censeri non pro perpetuo epitheto (quoniam aliquod vinum potest esse, quod non sit dulce) sed pro epitheto certi vini, cujus in illis locis fit mentio. Plutarchus in *Sympos.* lib. 3. *Probl.* 2. vult μέθυ propriè esse τὸν ἄνευ κρυς ἄκρατον. Hoc porrò verbum a μεθίημι deductum esse, Eustathius sæpè testatur, vel quod nos μεθήμονας, id est, *negligentes* reddit, vel quod ejus usu homines μεθίενται εἰς εὐφροσύνην καὶ ἄνεσιν, id est, *recreantur ac relaxantur*, in fine Ιλ. 2. & Οδ. η. Eadem reperiuntur apud Athenæum, quo teste, & Bacchus *Methymnæus* ac μεθυδότης, & urbs Thraciæ vitibus abundantissima *Methona*, & alia urbs Lesbi insulæ πολύοινος *Methymna* fuit ab eodem nomine appellata.

Teme-

Græca nomina.

Vini etymon.

μέθυ.

Temetum.

Temetum quoque Latinum Hen. Stephano videtur inde originem ſuum habere, ita ut ex μέθυ primùm *Methum*: deinde verò *temethum* præfixa una ſyllaba dictum fuerit, quod & in aliis quibuſdam vocibus Latinis, quæ è Græcis factæ ſunt, videre licet, tandem & mutationem ſpiritus in tenuem acceſſiſſe.

Vini etymon.

Vinum Latinè nonnulli volunt eſſe dictum à *vi*, quod menti vinum vim inferat, ſive quod magna ſit ejus vis & ad bonum, & ad malum pro diverſo nempe ejus uſu. Varro, *Vitis a vino, idque à vi, hinc vindemia, quod eſt vini demia, aut vitis demia.* Vinum potius a Græco οἶνε videtur eſſe derivatum. Veteres vinum appellarunt *temetum*, quod eſſet gravius. Unde *temulenti* ebrii dicuntur, & *temulentia* ebrietas, & *abſtemii*, qui temeto, id eſt, vino carent. Ab hoc nonnullis, & *temerè*, id eſt, ſtultè, ſive inconſideratè, & *temerarius*, id eſt, audax, & *temeritas*, id eſt, audacia, & denique *temerare*, & *contemerare* (quod propriè de ſacris dicitur) id eſt, violare, ſive contaminare, videntur eſſe derivata. Vinum enim immoderatè ſumptum homines temerarios & audaces reddit, & ad ſacra pariter atque prophana temerandum, hoc eſt, polluendum, violandumque impellit. Alii tamen, ut paulò ante dictum eſt, *temetum* a Græco μέθυ volunt eſſe derivatum. Sunt etiam qui *temetum* dictum volunt, quod *tentet* & labefactet nimium mentem, deinde membra.

Merum.

Merum propriè dicitur vinum ſolum, purum ſine aqua, quod etiam *vinum meracum* appellatur. Nam *merum* Latinis in genere ſignificat modo id quod eſt ſolum, ſive ſolitarium, ſecundum illud Terentii, *Nil habeo niſi ſpem meram*, unde *merulam* avem quidam dictam exiſtimant, quod ſolitaria incedat. Modo *purum* ſignificat ſive *ſyncerum*. Plautus,

Neſcio quid eſt non merum quod gemit.

De vini origine atque inventione.

Hinc & *merendam*, de quo ſuprà, & *meridiem* vult dictam Iſidorus. Nonnulli, ut ſuprà dictum eſt, *merum* a Chaldæo *mera*, id eſt, vinum ſeu muſtum ſignificante, volunt promanaſſe. Hæc de nominibus quorum explicatio & jucunda eſt, & ad vini vim atque naturam intelligendam apprimè conducit.

Nunc de vini origine atque inventione dicatur. Vinum Syracides dicit κτισθῆναι, id eſt, *conditum eſſe*, ſed nec à quo, nec quando additur, id quod ex aliis ſacræ ſcripturæ locis non ſit manifeſtum. De vitium vinique origine, inventione atque inventoribus primis variæ fuerunt olim Ethnicorum fabulæ, de quibus vide Athenæum lib. 2.

Noachus primus vitiſator.

Sed nos omiſſis fabulis, ſacris literis edocti, ſcimus vitium vinique uſum poſt horrendum demum illud univerſæ terræ diluvium cæpiſſe: unde Deucalionis temporibus Dionyſium finxerunt Ethnici hoſpiti ſuo int erra Africa oſtendiſſe, ut patet ex Auguſtino lib. 18. *de Civitat. Dei* cap. 13. Noachus enim, ut Gen. 9. ſcriptum eſt, cum egreſſus eſſet ex Arca terram ſtudioſe coluit, vineamque manu ſua ſevit, ex qua cum primum fructum cepiſſet, lætus factus bibit ad ebrietatem uſque, ſomnoque profundiore correptus, nudus ſummo cum dedecore atque ignominia jacuit, unde maledictio poſtea, atque ſervitus fuit conſecuta. Hic ergo primus ἀμπελοφύτης ſeu *vitiſator* extitit, qui, ut inquit Lactantius lib. 2. cap. 14. non modò Liberum, ſed etiam Saturnum, atque Uraniam multis anteceſſit ætatibus. Cujus deinceps filii, atque nepotes qui hinc inde per totum terrarum orbem diſperſi, cæteris mortalibus vitis ſerendæ atque colendæ artem a patre acceptam tradiderant, innumeris procul dubio hujuſmodi fabulis occaſionem dederunt. Principalis tamen, ut omnium honorum, ita

Deus vini author & largitor.

vini quoque dator, autorque agnoſcendus celebrandusque eſt Deus Optimus Maximus, qui Noacho ceu miniſtro ad tantum bonum hominibus impertiendum, illosque vites ſerendi, vinique conficiendi rationem docendum uſus eſt. Meritò itaque Hoſeas cap. 2. ſuarum concionum, graviter Iſraëlitas reprehendit, quod panem, aquas, linum, oleum, vinum, cæterosque potus, quorum copia abundabant, non, uti par erat, ſoli Deo ceu ſidiſſimo ſuo marito, ſed Ethnicorum nimirum more, atque imitatione, commenticiis, fictitiiſque quibuſdam Diis (quos illorum deamatores, & amaſios appellat) impie, nefarieque acceptos ferrent. Idem ſub finem Cap. 2. elegantiſſima ſanè gradatione demonſtrat, frumenti, vini, atque olei, id eſt, omnium frugum atque fructuum terra naſcentium, principem cauſam eſſe Deum Optimum Maximum, qui idem omnium bonorum, tam corporeorum, quàm ſpiritualium fons eſt uberrimus. Cauſas verò ſecundas & inſtrumentales eſſe cœlos, atque terram. *Deus*, inquit, *exaudiet cœlos, cœli terram, terra frumentum, vinum, oleum, hæc denique Iſraëlem.* Impiè ergo Manichæi vinum fel principem tenebrarum eſſe exiſtimarunt, a quo etiam ceu re impura omnino abſtinuerunt.

Vini vis & utilitas multiplex.

Vini porrò, ut & plurimorum medicorum, atque phyſicorum literæ, & ipſa experientia quotidiana ceu teſtis locupletiſſima docet, magna vis & efficientia, multiplex uſus atque utilitas, ita ut rectè & *vinum* Latinè à *vi*, ſeu virtute, & οἶνος Græcè ἀπὸ τοῦ ὀνεῖν, id eſt, *juvando*, dictum eſſe videatur, de quo ſuprà. Aſclepiades medicus de vino dando volumen edidit, in quo vini utilitatem mirificis laudibus extulit, idque vix deorum potentiæ æquari poſſe dicere auſus eſt. Mirum itaque profectò non eſt, Ethnicos olim Bacchum,

Æſculapius & Bacchus quo nomine in honore ſint habiti. Vinum deorum donum optimum.

quem vini primum eſſe authorem ſibi falsò perſuaſerunt, ceu Deum coluiſſe. *Æſculapius & Bacchus*, inquit Galenus in *Exhortatione ad bonas artes*, *ſive quondam homines fuerint, ſive Dii ab initio ſummos honores promeruerunt, alter ob monſtratam artem medendi, alter quod nos docuerit vitium colendarum rationem.* Vinum, teſte Athenæo lib. 2. optimum Deorum donum eſſe, dixit Mneſitheus, ſimiliter affirmans a Diis illud datum eſſe hominibus ceu maximum bonum, ſi eo rectè utantur, ſin minus, ceu maximum malum. Cum autem innumeræ ſint vini commoditates ad coquendum, ad lavandum, atque purgandum (unde vino legimus olim infantes a mulieribus ablutos, ut etiam hodie fieri ſolet, de quo Celſus lib. 8. cap. 1.) denique ad medendum, ulcera ſiccandum, glutinandum, atque ſanandum (unde Luc. 10. Samaritanus ille ſaucii illius vulneribus oleum, vinumque infudit) tamen iis omnibus omiſſis, de illo nunc tantummodo quatenus potui inſervit, pauca quædam atque ſelectiora ex innumeris antiquorum ſcriptis delibando proferemus.

Ac Syracides quidem noster, ut ad illum redeamus, vini commoda simul & incommoda breviter quidem, sed perfectè videtur esse complexus: sed de incommodis post, nunc de commodis. Cum igitur duæ sint hominis partes ex quibus est conflatus, utriusque sanitatem, ac proinde totam hominis vitam vini sobrio potu constare, Syracides his verbis docet, *Vinum vitæ humanæ accommodatum est, si moderatè bibatur. Et quæ hæc est vita ubi deest vinum?* *Vini*, inquit Theogenes, *immoderata potio mala est, moderata autem non solùm non mala, verum etiam bona, commodaque existit.* Hinc Bacchus passim *medicus*, & *sanitatis author* olim fuit appellatus, & etiam oraculo quodam præceptum fuit, ut Bacchus ὑγιάτης, id est, *sanator* cognominaretur, quemadmodum Athenæus lib. 3. Mnesithei testimonio confirmat. Hoc autem cognomine, ut Eustathius inquit in Ιλ. ρ. p. 347. 16. significatum fuit, τ͂ οἶνον ὑγιαςικὸν εἶναι, id est, *vinum sanandi vim habere.* Est enim vinum hominis alimentum pariter atque medicamentum. Hinc Eubulus apud Athenæum Bacchum sic loquentem inducit: *Prudentibus viris ego tres misceo crateras, primum quem sanitatis, secundum quem amoris & voluptatis, tertium quem somni ergò bibant, quo epoto sapientes ad convivium invitati domum se recipiunt.* Vinum quemadmodum medici unanimi consensu affirmant, probè, celeriterque nutrit, humectat, calefacitque solidas partes, vires corporis omnes roborat atque confirmat, succorum, colorisque bonitatem facit, concoctionem distributionemque ciborum adjuvat, urinam & sudores promovet, corporis habitum calefacit, & adversus senectutis duritiem & frigiditatem summum remedium est. Sicut enim igne ferrum, ita vino corpora senum molliuntur atque temperantur. Adhæc somnum conciliat, spiritus & sanguinem fovet, bilis amaræ acrimoniam mitigat ac frangit, nativum calorem accendit & conservat, membris robur addit, fœminis fœcunditatem creat, vomitionem sistit, putredini resistit, cicutæ atque veneni optimum est antidotum. De his quæ breviter perstrinxi, pleni sunt Galeni, Hippocratis, Dioscoridis, aliorumque medicorum libri. Augustinus libro *ad Sacras virgines* cap. 1. accuratè admodum uno quasi fasciculo has vini vires atque commoda complexus est: *Est quidem in multis*, inquit, *vitæ mortalium vinum necessarium. Debilem stomachum reficit* (unde Paulus Timotheo hydropotæ ob stomachi imbecillitatem, & frequentes morbos vini modicum usum ceu ἐπιτήδειον φάρμακον, ut Clemens Alex. inquit lib. 2. cap. 2. medicamentum corroborans atque confirmans suadet) *vires deficientes reparat, algentem frigore calefacit, vulneribus infusum medetur.* Sic Plutarchus libro 3. *Sympos. Problem.* 5. medicos vino & languenti stomacho, atque ob imbecillitatem confirmationis indigenti mederi, & fluxus ventris & sudoris eruptiones sistere testatur. Ibidem etiam ubi vinum potum est haustam cicutam veneni vim retundere scribit, quo signo nonnulli vini calorem monstrari ajunt. Galenus lib. *Quod animi mores*, &c. *Vinum liberalius haustum malum, modicè bonum esse* dicit, *quo si commodè quis utatur, & concoctioni, & digestioni, & sanguinis generationi, & nutritioni abunde confert.* Idem lib. 3. *de Temper. Vinum tum roborat, tum nutrit celerrimè, quod ut assimiletur mutationem requirit minimam.* Vinum ergò ad corporis non sanitatem modò, verumetiam robur, viresque facit. Hinc Homerus Ιλ. ζ.

Vini sobrio potu hominis vita sustentatur.

Cur Bacchus medicus fuerit appellatus.

Vinum alendi & medendi vim habet.

Vini commoda.

Augustinus.

Galenus.

Homerus.

Ανδρὶ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει.

Vinum viro defatigato magnum robur addit.

Idem Ιλ. τ. dicit, *Virum cibo, vinoque repletum* πανημέριον πολεμίζειν, vel per totum diem pugnare posse. Hinc vinum ab Euripide eleganter ἀρκεσίγυιον, id est, membrorum confirmator appellatur.

Nec verò corpori tantùm, verùmetiam animo mentique moderatus vini potus plurimum prodest. Ac ipsam primò mentem ingeniumque acuit, atque confirmat. Chæremon Tragœdus apud Athenæum lib. 2. vinum eo rectè utentibus, σοφίαν, εὐμάθειαν, εὐβουλίαν, id est, *sapientiam, docilitatem, prudentiamque* conciliare dicit. Apud eundem ὑδροπίνων, id est, *temperatè vinum bibens*, φρονιστικὸς fieri dicitur. Hinc οἶνον quoque à Græcis nonnulli dictum volunt, quod homini mentem afferat, de quo suprà. Huc quoque facit lepidum illud Græcorum Epigramma,

Vinum quid animo conferat.

Οἶνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ
Ὕδωρ δὲ πίνων, χρηστὸν ἂν οὐδὲ τέκης.
Id est,

Vinum lepido magnus est equus Poëtæ.
Aquam verò bibens, nihil paries boni.

Huc quoque facit illud Propertii lib. 4. *Eleg.* 6.

Ingenium potis irritat Musa poëtis,
Et mox: *Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec*
Injiciat radios in mea vina dies.

Apud Macrobium lib. *Saturnal.* 2. Euangelus, *Agite*, inquit, *antequam surgendum nobis sit, vino indulgeamus, quod decreti Platonici authoritate faciemus, qui existimavit fomitem quendam & incitabulum ingenii virtutisque, si mens & corpus hominis vino flagret.* Idem sensisse videtur, qui dixit: *Vinum modicè sumptum, intellectui videtur acumen afferre.* Huc quoque faciunt illa Horatii:

Fœcundi calices quem non fecêre disertum?

Item Epistola ad Mœcenatem:

Nulla placere diu nec vivere carmina possunt
Quæ scribuntur aquæ potoribus, &c.

Item lib. 1. Car. Od. 18. *Siccis omnia nam dura Deus proposuit, &c.*

Hinc Rufus testatur Persas, atque Helenos volentes disserere, ratiocinari, consilium dare Reip. gerendæ, versus condere, musicam exercere, vino prius usos fuisse, seque experientia didicisse vino mentem hilarem reddi, veritatem pandi, ingenium acui & rationem. Idem testatur Plutarchus lib.7. *Sympos. Problem.* 9. & idcirco antiquissimos Dionysium εὔβουλον, id est, *bonum consiliarium*, & ipsam noctem εὐφρόνην, id est, *prudentiæ aptam* fuisse appellatam. Et Probl. sequente 10. pluribus disserit de vini moderatè sumpti commodis, unde inter pocula consultationes de rebus gravibus fieri posse docet.

1. Mentem & ingenium acuit.

Vinum præterea quoniam nutriendo copiosum generat spiritum, & solo etiam sæpe odore spiritum recreat (secundum illud Ovidii,

Et jam deficiens sic ad tua verba revixi
Vt solet infuso vena redire mero.)

2. Animum exhilarare. Syracides.

hinc magnam hominis animum lætificandi, & exhilarandi, tristificis contra tabificisque curis atque mæroribus liberandi vim habet. Unde Syracides noster, καὶ αὐτὸς ἐκτίσθη εἰς εὐφροσύνην ἀνθρώποις. Ἀγαλλίαμα καρδίας καὶ εὐφροσύνη ψυχῆς οἶνος πινόμενος ἐν καιρῷ αὐτάρκης, id est, *Ipsum* (vinum) *ad exhilarandos animos creatum est. Lætitiam cordis animique hilaritatem parit potus vini justus atque opportunus.* His verbis vini usum justum duabus rebus ostendit, tempore, atque modo, sive ea moderatione, qua non plus aut minus quàm natura postulet, sumatur: debet igitur potus vini esse cùm εὔκαιρος, id est, *tempestivus* seu *oportunus*, *tum* αὐτάρκης, id est, *justus*, *moderatus.* Qui bibunt alieno tempore, ut illi, quos Isaias cap. 5. dicit manè surgere ad potandum, aut plus sumunt quàm naturæ vires ferre possint, ii non utuntur optimo dono Dei, sed abutuntur, ac proinde justo Dei judicio non lætitiam, sed tristitiam potius, atque mœrorem sibi accersunt. De hoc porrò vini moderatè sumpti, optimo effectu multa quoque alia in sacris & prophanis litteris, pulcherrima testimonia extant. Judic. 9. Vinum Deum hominesque lætificare dicitur, quod quo sensu dicatur, vide Drusium in *quæsitis per Epistolam.* Sic Proverb. 23. vinum jubetur iis dari, qui amaro tristique sunt animo, quo suæ miseriæ, egestatis, inopiæ, dolorum atque laborum obliviscantur. Psalmo similiter 104. Psaltes Deum canit cùm alias fruges atque fructus, tum vinum quoque (unde eleganter in sacris & prophanis litteris *terræ sanguis* dicitur) producere ad cor hominis exhilarandum, quod Buchananus sic reddit,

Vini justus usus duabus rebus constat.

Quoque hilarent mentes jucundi pocula vini.

Syracides noster cap. 40. *Homini*, inquit, *ad usum vitæ necessaria sunt aqua, ignis, ferrum, sal, farina, mel, lac, vinum, oleum, vestes. Hæc omnia piis cedunt in bonum, impiis verò ad damnum.* Et cap. 41. *Vinum*, inquit, *& musica exhilarant cor, ac sapientia jucundior est utroque.* Denique Esd. 3. legimus vinum securitatem, jucunditatem, tristitiæ, debitique oblivionem afferre. Hinc Augustinus libro *ad Sacras virgines* cap. 1. *Vinum*, inquit, *tristitiam removet, omnes animi languores delet, lætitiam infundit, convivas honesta colloquia miscere facit.* Hæc sacræ scripturæ testimonia, ac vini præconia de vino εὐκαίρως, μετρίως, καὶ ἐπισταμένως sumpto intelligi debent. Hic autem agnoscenda nobis atque prædicanda summi, atque cœlestis illius nostri patrisfamiliâs clementia, atque benignitas, qui nos non tantùm alit ex dimenso, ut olim diligentes patresfamiliâs suos domesticos, sed etiam liberaliùs pro paterna sua indulgentia tractat. Atque idcircò non aqua tantùm, quæ sufficere posset ad sedandam sitim, & ad refrigerandas, & humectandas partes in corpore hominis calore assiduo exhaustas, & arefactas, uti nos voluit, sed vini usum post diluvium addidit, primum ut senescentis, & deficientis naturæ vires conservaret: deinde ut animum à laboribus, molestiis & ærumnis, quibus hæc vita scatet (de quo vide Syracidem nostrum cap.40.) avocatum interdum recrearet,& exhilararet. Unde colligitur Deum non delectari perpetua tristitia, miseria, & squalore hominum, quos ad nominis sui gloriam condidit, & in agnoscendo ac celebrando suo conditore vult nos esse animo placido, læto, tranquillo, & composito. Hinc Julianus Imp. Dionysium sive Bacchum, per quem vinum intelligit in libello suo, quem *Cæsares* inscripsit, appellat παίγμονα καὶ φιλογέλωτα καὶ χαριτοδότην, id est, *lusus jocique studiosum & gratiæ datorem.*

Augustinus.

NOTA.

Illis porrò commemoratis sacrarum literarum testimoniis pulchrè consentiunt atque congruunt multa prophanorum authorum testimonia, quæ operæpretium fuerit subjungere. Ac ipsum quidem primo vinum Athenæus lib. 8. & eum secutus Eustathius (ut supra dictum est) idcirco μέθυ volunt a Poëtis Græcis fuisse vocatum, quod eo usi homines μεθίενται εἰς εὐφροσύνην καὶ ἄνεσιν, id est, *sese demittunt ad hilaritatem*, *animique recreationem.* Hinc ipse Bacchus quem antiquitas vini inventorem credidit, a Græcis εὔιος & ἰήιος dictus est eodem Athenæo teste. Eandem ob causam a Marone *lætitiæ dator*, & vulgò à Græcis atque Latinis *Lyæus* ἀπὸ τοῦ λύειν, & *Liber* a liberando dictus est, teste Seneca libro *de Tranquillitate vitæ*, quod nimirum animum a servitio curarum liberet. Eandem ob causam Homerus vinum & εὐήνορα Οδ. 4. hoc est, interprete Eustathio 190. ἀνδρείας παρασκευαστικόν, id est, *fortitudinis incitamentum*, & crebrò εὔφρονα καρπὸν ἀρούρης, hoc est, interprete Eustathio Ιλ. γ. p. 312. εὐφραντικόν, lætificantem telluris fructum appellat. Idem,

Bacchus εὔιος & ἰήιος.

Οἶνόν τοι μενέλαε θεοὶ ποίησαν ἄριστον
Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας.

Jucundum Menelae Dii fecere juvamen
Vina Dei, curasque virûm disperdere pravas.

Euripides in Bacchis,

Βότρυος ὑγρὸν, πῶμ' ηὗρε κ' εἰσηνέγκατο
Θνητοῖς, ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
Λύπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς.

Ὕπνον τε

Ὕπνον τε λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν
Δίδωσιν, οὐκ ἔστιν ἄλλο φάρμακον πόνων.
Lyæus usum vitium mortalibus
Invenit, ut curas mero depelleret,
Olivionem ferret, & malis sopor
Quæ singulis diebus his nos obruunt.
Non efficacius mali est pharmacum.

Theognis apud Athenæum lib. 2.

Παύσας δ' ἐκ κραδίας ἀνίας ἀνδρῶν ἀλαπάζει
Πινόμενος κατὰ μέτρον, ὑπὲρ μέτρον δὲ χερείων.

Galenus in libro, in quo docet animam sequi corporis temperaturam, λύπης, inquit, ἁπάσης, καὶ δυσθυμίας κουφιστὴς οἶνος πινόμενος, id est, *Tristitiam, & mærorem vinum allevat omnem.* Idem eodem in libro inquit, *Vino animus noster & mitior simul & fidentior redditur.* Sic Socrates apud Xenophontem in *Symposio*, Ἀλλὰ πίνειν μὲν, ὦ ἄνδρες, καὶ ἐμοὶ πάνυ δοκεῖ. τῷ γὰρ ὄντι οἶνος ἄρδων τὰς ψυχὰς ὥσπερ ὁ μανδραγόρας τοὺς ἀνθρώπους κοιμίζει, τὰς δὲ φιλοφροσύνας, ὥσπερ ἔλαιον φλόγα, ἐγείρει. *At ut bibamus, viri etiam mihi valdè placet. Revera enim vinum rigans animos, curas quidem, non secus atque mandragora homines, sopit: hilaritates autem velut oleum flammam excitat.* Citatur ab Athenæo lib. 2. Panyasis,

Οἶνος γὰρ πυρὶ ἶσον ἐπιχθονίοισιν ὄνειαρ
Ἐσθλὸν ἀλεξίκακον πάσῃ συνοπηδὸν ἀοιδῇ
Ἐν μὲν γὰρ θαλίης ἐρατὸν μέρος ἀγλαΐης τε, &c.
Est cibus igni par vinum mortalibus ipsum
Cujusvis medicina mali, medicina dolorum,
Maxima lætitiæ pars, & splendoris in ipsis, &c.

Theognis, Τῷ πίνειν ἀπὸ μὲν χαλεπὰς σκεδάσεις μελεδῶνας
Θωρηχθεὶς δ' ἔσεαι πολλὸν ἐλαφρότερος.
Bibendo dispelles multas graves curas
Potus erit multò hilarior.

Idem, Εἰ πίομαι πενίης θυμοφθόρου οὐ μελεδαίνω
Οὔτε κακῶν ἀνδρῶν οἵ με λέγουσι κακόν.

Cui simile est illud Horatii libro *Carm.* 1. *Od.* 18.

Qui post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?

Hoc est, Quis potus militiæ, aut paupertatis incommoda queritur, & habet in ore? Anacreon,

---- σκεδάσαι θέλω μερίμνας.

Id est, Dispellere volo curas scilicet vino. Idem,

Ὅταν πίω τὸν οἶνον εὕδουσιν αἱ μέριμναι,
Quando vinum bibo, dormiunt curæ.
Ὅταν ἐγὼ πίω τὸν οἶνον ἀπορρίπτονται μέριμναι, πολυφρόντιδές τε βουλαί
Quando vinum bibo abjiciuntur curæ.

Vide apud Junium *proverb. Helenæ crater.* Plato lib. 1. *de Legibus*, *Vinum*, inquit, *haustum continuò hominem seipso lætiorem, atque hilariorem reddit.* Idem vinum eleganter αὐστηρότητος, *austeritatis senilis* ἐπίκουρον & φάρμακον appellat, quod senes faciat quasi repubescere, & mœstitiæ oblivionem capere, ita non secus atque ferrum igni impositum mollius fiat, & tractabilius, ita hominum mores vino emolliuntur atque mitescunt. Simile fere est illud Xenonis philosophi dictum, ut lupini amarissimi crebra aquarum aspergine macerati dulcescunt, ita animos tristes & amaros vino irrigatos mitescere. Macrobius lib. 2. *Saturn.* παραμυθεῖται ὁ οἶνος τὴν τοῦ γήρως δυσθυμίαν, inquit Theophrastus. Quod & Poëtæ significarunt, Baccho hederæ semper virentis coronam tribuentes, quod corpus vino moderatè bibito, quasi in perpetua viriditate conservetur. Clemens quoque Alexandrinus libro *Pædag.* capite secundo, Senibus Christianis liberaliorem vini potum permittens, addit vinum ab aliis loco medicinæ propter solam sanitatem adhiberi, ab aliis verò, εἰς ἄνεσιν, καὶ διάχυσιν, id est, *ut se relaxent & exhilarent.* οἶνος γὰρ πρῶτον μὲν αὐτὸν αὐτῷ ἵλεων ποιεῖ τὸν πίνοντα μᾶλλον ἢ πρότερον, καὶ τοῖς συμπόταις μειλιχιον, καὶ τοῖς οἰκέταις πρᾳότερον, καὶ προσηνέστερον τοῖς φίλοις, *Vinum enim primum quidem facit eum, qui plusquam ante bibit, ipsum sibi ipsi æquum, & clementem, & convivis suavem, & famulis mitiorem, & amicis jucundiorem.* Huc faciunt multa Græca vini epitheta, quæ passim apud authores antiquos occurrunt. Homerus οἶνον εὐφροσύνα, λαθικηδέα, λυσιμέριμνον, eleganter dixit Ιλ. γ. hoc est, interprete Eustathio 1355. πανσίλυπον, καὶ εἰς λήθην παντὸς βλάβους ἄγοντα· cui simile illud, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. Item, νηπενθές. Sic Chæremon Tragicus apud Athenæum lib. 2. Vinum γελῶντα, Mnesitheus similiter idem moderatè sumptum, & aqua temperatum εὐθυμίαν afferre dixerunt. Sophocles, τὸ μεθύειν πημονῆς λυτήριον, *noxæ solutionem* esse dixit. Euripides in *Bacchis* vitem eleganter πανσίλυπον vocat, vinoque sublato nihil jucundi hominibus reliqui dicit. Astydamas similiter vitem, ἐκεσφόρον λύπης, id est, ceu tristitiæ antipharmacum mortalibus monstratum esse ait. Simonides apud eundem Athenæum οἶνον vocat ἀμύντορα δυσφροσυνάων, id est, *insipientiæ depulsorem.*

Vinum & medicinæ & relaxationi servit.

Vinum tristitiæ antipharmacum.

forem. Hac de causa *Liber* vini repertor dictus fuit vel quod det licentiam & libertatem loquendi vel quòd liberet a curis: de quo vide Jac. Pontanum libro secundo *Pædagog*.

Similes his Græcorum multæ apud Horatium, aliosque Latinos poëtas elegantissimæ sententiæ reperiuntur. Horatius:

---- O fortes pejoraque passi
Mecum sæpe viri, nunc vino pellite curas.

Tale est illud *Carm.* libro secundo, Ode undecima,

---- Dissipat Euius
Curas edaces, &c.

Et Epod. nona, *Curam, metumque Cæsaris rerum juvat*
Dulci Lyæo solvere.

Hic eleganter alludit ad Græci nominis etymon, de quo suprà. Idem epistola ad Vall. lib. 1.

Ad mare cum veni generosum & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret.

Et libro secundo *Carminum*, Ode decimatertia,

Illic omne malum vino cantuque levato.

(Sic Ecclesiast. 41. *Vinum & musica cor exhilarant.* Item Satyra 7. lib. 2.

Nunc vino quærens, nunc somno fallere curas.

Idem Ode 7. Vinum Massicum *obliviosum* vocat, quia ægritudinem & molestiarum oblivionem parit, sive per se, sive propter somnum, qui liberàliorem potum subsequitur. Sic idem lib. 2. Sat. 5.

Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ.

Quod, interprete Lambino, idem quodammodo valet, quod potare, seu haurire oblivia curarum, nunc veterum libris, nunc somno. Ejusmodi est illud Virgilii *Æneid.* 6.

----- Lethæi ad fluminis undam
Securos latices & longa oblivia potant.

Item Horatius libro primo *Carminum* Ode decima octava,

Siccis omnia nam dura Deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

Et iterum Od. 27. *Natis in usum lætitiæ scyphis.*
Pugnare Thracum est.

Huc quoque faciunt elegantes illi Varronis versus,

Vino nihil jucundius quicquam cluet
Hoc continet coagulum convivia
Hoc hilaritatis dulce seminarium.
Hoc ægritudinem ad medendum invenerunt.

Sic Tibullus libro tertio, *Eleg.* septima:

Odit Lenæus tristia verba pater.

Et Ovidius, *Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos:*
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.
Illic sæpe animos juvenum rapuêre puellæ
Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

Sic apud Lucianum in Dialogis *Deorum*, cùm Juno Jovi exprobrasset, quod filium haberet effæminatum, & mollem, Bacchum scilicet significans, qui tamen in suo invento multorum malorum esset author, respondit Jupiter in hunc modum, *Nihil hoc est, quod ais, Non enim vinum hæc, neque Dionysius facit, sed excessus potationis indecorus. Qui verò modicè biberit, hilarior fit & jucundior.*

CAPVT

CAPUT VIII.

DE EBRIETATE, EIVS NOMINIBVS, DIVISIONE, INCOMMODIS ANIMI, CORPORIS ATQVE FORTVNAE.

Porro quemadmodum vini temperatus, moderatus, & opportunus usus corpori animoque, sicuti dictum est, apprimè utilis est, & salutaris: ita contra ejusdem immoderatus usus, seu abusus potiùs, qui hodie, proh dolor, passim in orbe Christiano regnat, atque dominatur, teterrima sane est funestissimaque animi, corporisque pestis, atque adeò omnium malorum causa, quemadmodum Syracides noster hoc ipso in loco breviter quidem, sed luculenter, atque perspicuè docet. Hic verò vini turpis, indecorus, ac detrimentosus abusus, sive intemperantia, Latinè *ebrietas*, Græcè μέθη appellatur, ut ipsum vinum ejus subjectum μέθυ dicitur. Hic operæpretium fuerit nomina priùs, quibus ebrietas, ebriosi, ipseque inebriandi actus ab Hebræis, Græcis atque Latinis exprimitur, proponere, ex quibus ipsis vitii hujusce fœditas, ac turpitudo aliquo modo elucebit. Hebraice שכר *Schacar*, cùm immoderatam vini alteriusve potus ingurgitationem, tum liberaliorem potum nonnunquam significat: inde שכרון *Schicaron*, id est, *ebrietas*, Ezech. 23. cap. 39. de qua voce suprà. *Vini abusus exitialis.* *Ebrietatis nomina.*

Græci, & quia illorum lingua valdè copiosa est, & locuples, & quia olim natio illa huic vitio maximè fuit dedita, plurimis vocabulis hoc vitium, eoque laborantes significantibus abundant. Maximè commune nomen, quo ebrietas à Græcis insignitur, est μέθη, quod nonnullis videtur esse derivatum à μέθυ, quod *vinum* significat, eò quòd ebrietas vino maximè committitur. Athenæus, Eustathius, & alii eandem utriusque nominis notationem afferunt, ἀπὸ τοῦ μεθιέναι, de quo supra satis. Quibus addere libet Philonis testimonium, quod extat in libro *de Plantatione Noë*. *Quidam*, inquit, μέθην, *volunt dictam*, ὅτι τῆς μεθέσεως τῆς ψυχῆς αἰτία γίγνεται· *quia causa est remissionis animi. Relaxatur autem insipientium quidem ratio ad peccandum licentius: rectè sapientium verò ad fruendum tranquillitate hilaritateque.* Alii tamen ἀπὸ τοῦ μετὰ τὸ θύειν, id est, post sacrificia μέθην, & μεθύειν volunt denominari, propterea quòd peractis sacrificiis in Deorum honorem olim liberaliori potui indulgere fas esse existimabant, ut testis est Athenæus libro 2. Idem habes apud Philonem loco paulò ante citato: ubi docet prisci sæculi homines, non nisi peractis votis & sacrificiis placato Numine, post corporum & animarum purificationem, aquis ablutos, & sacrarum legum cognitione imbutos, lætitiæ genioque indulsisse. Etymologus μέθην vult dictam παρὰ τὸ μὴ θεῖν, quoniam οἱ μεθυσθέντες sæpe sunt ἀκίνητοι, id est, *immobiles*, donec ἀμεθυσθῶσιν. Hinc μεθύειν, *ebrium esse*, nonnunquam *inebriare*, μεθύσκειν, *ebrium reddere*, passim μεθύειν, μεθύσκεσθαι, & ἐμμεθύσκεσθαι, *inebriari*, quod tamen verbum, ut & Hebræum *Schacar*, non modò in malam partem pro immoderata vini ingurgitatione, sed etiam pro liberaliore potu nonnunquam usurpatur, ut Joan. 2. ὑπερμεθύσκεσθαι, *supra modum inebriari*, contrà ἀπομεθύσκεσθαι, *exinebriari*, ut ita loquar, id est, ebrietate liberari. μέθυσος, *ebrius*, interdum *ebriosus*, quod etiam in fœminino genere usurpatur a Libanio, οὐκ ἔστιν ἡ γυνή μοι μέθυσος, μεθύση Atticis, apud Aristophanem in *Vespis*, & *Nubibus*, μεθύστρια Polluci, id est, *ebriosa*, μεθυστικός, *ebriosus*, ad ebrietatem proclivis, item quod inebriandi vim habet, μεθυσοκότταβος, *temulentus*, propriè de eo, qui jam ebrius cottabo, sive cottabis ludit, de quibus suo in loco. ἡμιμέθυσκος, *semiebrius*, Polluci. μεθυπλήξ, Eustathio Il. 148. 14. *Græca nomina.* *μέθη.*

A vino præterea seu præcipuo ebrietatis subjecto plurima hujusmodi verba atque nomina synonyma ad ebrietatem pertinentia derivantur, ut φίλοινος, id est, πρὸς οἶνον ἕτοιμος, interprete Athenæo lib. 2. *ad vinum propensus*, & inde φιλοινία, id est, *vini amor*. Item οἰνομανής, id est, *vini amore insaniens*, Eustathio Il. p. 484. Sic & ἔξοινος (quod tamen aliquando sobrium significat) κάτοινος, οἰνωμένος, διοινωμένος, καλοινωμένος, ἐποίνιος, πάροινος, qua voce Paulus utitur Tit. 1. 1. Tim. 3. unde παροινία, *ebrietas*, & quæ ejus comes, *petulantia*, & παροινιάζειν, id est, *convitiis & contumeliis afficere*, παροινία & παροίνημα, *convitium*, *calumnia*, & ἐμπαροινεῖν, temulentum alicui contumeliam aut injuriam inferre.

Οἴνωσις *bene potum* seu *appotum esse*, *incipere inebriari*, minus quam μέθη. Græci enim μέθην ebrietatem, quæ mentem de sede sua deturbat, οἴνωσιν verò eam, quæ liberalis est, vocant, ut Galenus, οἴνωσις, ἤτοι μέθη. Plutarchus *de loquacitate* cùm citasset hos Homeri versus ex Od. 2. de vino,

> Ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ μάλ' ἀεῖσαι
> Καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκεν,
> Καί τι ἔπος προέηκεν ὅπερ τ' ἄῤῥητον ἄμεινον.

Scribit videri ibi poëtam exprimere differentiam inter οἴνωσιν & μέθην, quæ à philosophis investigatur, οἰνώσεως μὲν ἄνεσιν, μέθης δὲ φλυαρίαν· nam μέθη est λήρησις πάροινος, id est, *garrulitas vinosa*. Idem initio lib. 3. *Sympos.* citatis iisdem Homeri versibus subjungit, οἰνώσεως ἐνταῦθα τοῦ ποιητοῦ, καὶ μέθης (ὡς ἐμοὶ δοκεῖ) διαφορὰν ὑποδεικνύντος. ᾠδὴ μὲν γὰρ, καὶ γέλως, καὶ ὄρχησις οἰνωμένοις μετρίως ἔπεισι. τὸ δὲ λαλεῖν, καὶ βλέπειν ἁβλέπτερον, ἢ σιωπᾶν, παροινίας ἤδη καὶ μέθης ἔργον ἐστί. Similiter Zeno dicit hominem sapientem debere quidem οἰνοῦσθαι, sed non μεθύσκεσθαι. Idem tamen sine discrimine utrunque verbum copulat, ut lib. 2. *de Alex. fortuna*, in quo nonnulli reprehendunt μέθην καὶ οἴνωσιν. Philo in illa quæstione, εἰ μεθυσθήσεται ὁ σοφός, ἔστι τοίνυν τὸ μεθύειν διττὸν, ἓν μὲν ἴσον τῷ οἰνοῦσθαι, ἕτερον δὲ ἴσον τῷ ληρεῖν ἐν οἴνῳ· Quæritur *utrum sapiens inebriabitur*.

bitur. Est igitur duplex ebrietas, altera vino madere significat, altera vino delirare. Οἰνοπότης præterea Plinio *vini potor*, & οἰνοπότις in fœ. gen. Anacreonti. οἰνοποτῶν, οἰνοποτὴρ, οἰνοποτάζων, Homero, Polluci: unde οἰνοποσία, id est, *vini potio*, seu *potatio*. Item οἰνοφλυξ & οἰνοφλυξωγὸς, *qui vino bullit, qui vinum eructat, vinosus*, Xenophonti, Polluci: unde οἰνοφλυγία, id est, *vinolentia*, & οἰνοφλυγεῖν, id est, *vino esse deditum*, sive *vino se ingurgitare:* οἰνόφλυκ]ος quoque *temulentus* dicitur Basilio. Eustathius Ιλ. ζ. 159. 3. φλῶ γὰρ τὸ ὁρμῶ ἔχω, *impetum habeo*, unde nonnullis οἰνοφλυξ videtur derivatum. Item Ιλ. φ. p. 330. ἐκ δὲ φλύασω φλύζω, φλύκ]ις & οἰνοφλυξ καὶ οἰνοφλυγία, ὅτε τὸν οἶνον φλύζ τις, ὡς οἶνον ἀναζέων ἐν τῷ λαλεῖν, quoniam etiam secundum Herodotum, οἴνε καλιόντος ἀναπλώεσιν ἔπεα. οἰνοβαρὴς, id est, *vino gravis*, Ιλ. α. (Ovidius, *Graves vino somnoque jacebant*) & οἴνῳ βεβαρηώς Homero Οδ. ζ. & τ. *vino gravatus*, unde οἰνοβαρείω, id est, *vino sum gravis*, sive *sepultus*, Homero Οδ. φ. cui simile οἰναχθὴς Hesychio *vino gravis*. οἰνόληπ]ος quoque *vino quasi captus* Plutarcho, & οἰνοπλὴξ, sicuti etiam μεθυπλὴξ, quasi *vino percussus* dicitur, hoc est, ebrius. Sic Tibullus Eleg. 2.

Nequicquam multo percussum tempora Baccho
Excitat, &c.

Aliquando & *ebriosum* significat. Præterea οἰνοπλάνη]ος, *vino errans*, Euripidi, οἰνοφερὴς, *ad vini potum proclivis* Hesychio, οἰνοκάχλανος *temulentus*, & οἰνοκάχλη *vino gaudens* seu *vinosa* Polluci, χαλιμὰς a veteribus dicta fœmina ἡ ἀπὸ μέθης χαλωμένη τὸ σῶμα. Eustathio Od. 132. 5. οἰνοπίπης, qui circumcirca vagis oculis investigat quid bibat (Aristophani ἀπὸ τοῦ πιπίζειν, id est, *fugere, pipire*) ut γυναικοπίπης, παρθενοπίπης, ab ὀπιπεύειν *circumspicere*, vel *observare*, ἐπιτηρεῖν, *intentis oculis captare*.

A vini quoque meraco potu hujusmodi quædam nomina ebrietatem significantia promanant. Hujusmodi est vocabulum θώρηξις, quod peculiariter ἀκρατοποσίαν, id est, *vini meracioris potum* significat, quod eo pectus incalescere, & quasi armari putetur, ut placet omnibus qui Hippocratis *aphorism.* 21. lib. 2. (λιμὸν θώρηξις λύει) interpretati sunt, teste Cornelio. Eadem de voce vide plura apud Henr. Stephanum. Ακροθώρηξ sive ἀκροθώραξ *leviter appotus*, quasi pectore tenus, ut ait Budæus (mavult tamen Henr. Stephanus *summo pectore tenus*, ἀπὸ τοῦ ἄκρον, & θώραξ.) Erasmus *Chil.* Cælius lib. 3. cap. 39. Erotianus apud Hippocratem, exponens vocabulum θωρῆξαι, scribit ἀκροθώρηκας ad suam usque ætatem vocari solitos, τοὺς μὴ ἐπὶ πλέον οἰνωμένους. At Scholiastes Aristophanis & Suidas exponunt, ἀκρομέθυτος, ἀκρατοπότης, ἀκρατοκώθων, ἀκροχάλιξ, quod Camerarius interpretatur, *qui incipit inebriari*, sive *qui incalescit potu*. Sed expressiùs reddetur, *Cui pectus incalescit potu meraciore*. Aristoteles *Probl. sect.* 3. *Prob.* 2. τοὺς σφόδρα μεθύοντας, id est, *valde ebrios*, & ἀκροθώρακας inter se opponit, scribens, διὰ τί οὐχ' οἱ σφόδρα μεθύοντες παροινοῦσι, ἀλλ' οἱ ἀκροθώρακες μάλιστα, id est, (Camerario interprete) *Non debacchantur prorsus jam ebrii, sed incalescentes potu.* Idem, οἱ δὲ ἀκροθώρακες κρίνουσι μὲν διὰ τὸ μὴ σφόδρα μεθύειν, κακῶς δὲ, διὰ τὸ μὴ νήφειν, id est, *qui autem sunt* ἀκροθώρακες *judicant quidem, quod non valde sunt ebrii, sed malè judicant, quia non sunt sobrii.* Plutarchus quoque in 3. *Sympos. Problem.* 8. hanc Aristotelis sententiam examinans, idem quod is omnino sentire videtur. ἀκροθώρακας scilicet corpus non adeò dissolutum habere, ut & moveri, & secundum ipsum aliquatenùs operari non valeant, at eorum discurrendi vim minime liberam esse, nempe cum judicium phantasiæ, & non rationem sequuntur. Hac eadem de voce, qua & Clemens Alexand. & Philo utuntur, vide Mercurial. lib. 2. *Var. Lect.*

Ακρατοπότης, *merobibus*, ἀκρατοποτεῖν, *mero deditum esse* apud Aristotelem in *Probl.* ἀκρατὴς quoque Aristoteli idem qui ἀκρατοπότης in *prob. sect.* οἱ ἀκρατέστεροι πίνοντες, ἢ ὅλως ἄκρατον μᾶλλον κραιπαλῶσι, id est, *qui dilutiusculum bibunt, quàm qui merum, ex toto magis crapulam sentiunt.* ἀκρατοποσία, *vini intemperantia, meraca vini potio.* Dioscorides lib. 5. ἀκροποσίας certamen quale Alexander edidit in India, id est, certamen temulentiæ, Plutarchus in *Alexandro.*

Ζωροπότης quoque *merobibus*, Suidæ, Hesychio. ἀκρατοπότης μεθυσὴς, ζωροποτεῖν *merum bibere* in Epigram. Eustathii, Apollonides lib. 2. *Epig.* εὐζωρότερον πίνειν idem quod ἀκρατοποτεῖν meracius potare. ζωρότερον (inquit Hesychius) ἀκρατέστερον. ζωρότερον πίνω, *intemperantius bibo*, pro ζωρότερος, ait Phrynychus: Orator dicit εὔζωρος. Εὔζωρον *bene meracum*, εὖ particula vim intendente; Euripides, εὔζωρον μέθυ, οἶνος εὔζωρος apud Aristophanem in *concion.* εὔζωρος κύλιξ apud Plutarchum in *Theseo*: inde compositum εὐζωρότερον, sive irregularius εὐζωρέστερον Athen. κέραζον εὐζωρέστερον, libro nono. Sæpius apud Homerum ζωρότερον πίνειν, item κεράσαι (sive subintelligendo οἶνον sive ποτὸν, aut πόμα) sicut apud Latinos quoque meracius bibere. ζωρὸν *merum meracum*, ζωρὸν μέθυ *merum* apud Apollonium in *Epigramm.* & ζωρὸν δέπας *potus meracus* ibidem in *Epigramm.* Quidam (ut author est Plutarchus 3. *Sympos. Problem.* 4.) apud Homerum ζωρὸν exponunt non ἄκρατον sed θερμὸν ἀπὸ τοῦ ζωτικοῦ, & τῆς ζέσεως: ita Sosicles, alii derivantes hoc vocabulum a ζα significante illis magnitudinem quandam, & ὧρος significante annum, ζωρὸν exposuerunt quasi ζαωρὸν, id est, πολυετῆ, ut annosum vinum intelligatur. Comparativa autem loco positivorum usurpari non est novum aut insolens. Quidam etiam quasi ζωηρὸν dictum voluerunt, ut *vivacior potus*, & cujus vis mixtura nondum extincta sit, accipiatur, quæ etymologia superioribus est tolerabilior: Eustathius verò mavult ζωρότερον idem esse quod ἀκρατέστερον. ζωρὸς quidam exposuerunt etiam εὔκρατος, contraria planè significatione, unde scribit Athenæus lib. 10. Theophrastum ἐν τῷ περὶ μέθης tradere ζωρότερον esse τὸ κεκραμμένον, adducentem hoc Empedoclis, ζωρά τε τὰ πρὶν ἄκρητα ubi ζωρὰ, & ἄκρητα sibi opponuntur.

Ακρατοκώθωνας similiter vocant τοὺς πλέον ἄκρατον σπῶντας, *qui multum meri hauriunt, merobibos*, ἀπὸ τοῦ κώθωνος, *cothone* poculo Laconico ad militiam idoneo, quasi dicant, *vini meri pocula.* Athenæus lib. 1.

Celsus

Celsus lib. 7. cap. 27. Pollux. ἀκρατοκώθων⊕ Hyperides dixit. Hesychio quoque κώθων non tantùm genus est poculi, sed etiam ἄτακτ⊕, μέθυσ⊕, *ebriosus*. φιλοκωθωνιςὴς ὁ μέχρι μέθης Athenæo libro 10. item πολυκώθων Arcadion a Polemone in quodam epitaphio dictus fuit, eodem teste lib. 10. Hinc κωθωνίσαι, *potare*, seu *compotare*, sive *cothone certare*, *& ludere*, & κωθωνισμὸς, id est, *compotatio*, sive *lusus*, & *dimicatio*, *quæ fit cothone*. Athenæus ex Eubulo, βεβρεγμέν⊕ ἥκω καὶ κεκωθωνισμέν⊕, id est, *ebrius*. Et Aristoteles in *Probl.* κωθωνιζόμενοι ταῖς μεγάλαις, *amplis & fæcundis poculis se proluentes*, & ἐπικωθωνίζεσθαι Polluci τὸ πρωαίτερω πίνειν, *ultra modum bibere*: Sic μεθυσοκότταβοι similiter dicuntur ebrii, a *cottabo* poculi genere, de quo infrà.

Ἐπισκυθίζειν, ἐπισκυθίζεσθαι, ἐπισκυθίσαι, sive σκυθιςὶ πιεῖν, ἀκρατοπιεῖν, ζωρότερον πιεῖν, sive ζωροποτεῖν Callimacho, & inde σκυθικὴ πόσις, id est, ἀκρατοποσία, id est, *meri potio*, & intemperantia, sive ebrietas, quia Scythæ erant multibibi, & merobibi, ut Plautinis verbis utar, ac vinolenti, indeque σκυθίσαι, id est, μεθύσαι, Herodotus lib. 6. Lacones quando volunt ἀκρατέςερον πίνειν, ἐπισκυθίσαι dicunt, Athenæus lib. 10. pro quo homines sicci & temperantes solebant dicere ἐπίχυσον, id est, *dilue*, & *aquam infunde*. Et apud ipsum Achæus in Æthone Satyrico ægreferentes Satyros inducit, quod dilutiùs biberent, καλῶς μὲν ἦν ἄγειν σκυθιςὶ πιεῖν. Phliasius Timon, teste Athenæo lib. 10. τοὺς τὸν πολὺν σπῶντας οἶνον ἄκρατον vocavit ἀῤῥυθμοπότας, *incomposite & intemperanter bibentes*. Eodem in libro ebriosi eleganter *calicum remiges* appellantur.

Verba quoque βαπτίζεσθαι & βρέχεσθαι usurpantur pro *inebriari*. Philo, πρὶν τελέως βαπτίζεσθαι, *antequam omnino inebriati fuerint*, & βεβαπτισμένοι apud eundem idem quod βεβρεγμένοι: δαψιλῶς βρέχειν apud Athenæum. ἀποβεβρέχθαι Polluci. Sic vita temulenta ὑγρὸς καὶ ἄσωτ⊕ βίος dicta apud Philonem. τάξαι quoque Hesychio μεθύσαι, id est, *ebrium esse*.

A verbo denique πίνειν multa hujusmodi nomina formantur, ut οἰνοπότης, οἰνοποτὴρ, οἰνοποτάζων, οἰνοποσία, οἰνοποτεῖν, οἰνοποτάζειν, φιλοπότης, de quibus suprà, πολικὸς Athenæo 10. πολυπότης, πολυποσία, δυνατὸς πιεῖν. Item ἀμυςὶ πιεῖν, ἀμυςίζειν (de quo suo in loco) χανδὸν πίνειν: οἶνον χανδὸν ἑλεῖν, Οδ. φ. θρακία πρόποσις, σκυθικὴ πρόποσις, διαθερμαίνεσθαι, σιοσεῖσθαι Polluci; quæ omnia significant meraciorem intemperatioremque potum. Apud eundem μασχάλην αἴρειν, *maschalam tollere*, a more sive gestu in ebrietate usitato, unde Homerus χεῖρας ἀνίσχοντες γέλω ἔκθανον, de quo Erasmus in *adagiis*.

Vox quoque κραιπάλη, *crapula*, pro ebrietate Metonymicôs usurpatur, cum tamen propriè ebrietatis sit effectus, capitis nimirum lucta, fluctusque, & agitatio, quando ex vinolentia caput tremit. Suidas κραιπάλην definit ἐκ τῆς πολλῆς οἰνώσεως παλμόν. Galenus in *Aphor.* scribit omnem noxam ex vino factam, à Græcis κραιπάλην nominari παρὰ τὸ κάρηνον sive κάρα, sive κρᾶτα, id est, *caput*, & πάλλειν, id est, *concutere*. Germani hujusmodi dolores capitis τοὺς πάλλοντας κρᾶτα eleganter tröscher & schmidknecht appellant. Thomas putat κραιπάλην propriè dici ebrietatem ex pridiana die, seu hesterna, μέθην ex præsenti, ut Ammonius quoque sentit. Hinc Alexis: Κραιπάλη.

Εἶτ' οὐχ ἁπάντων ἐςὶ τὸ μεθύειν κακὸν
Μέγιςον ἀνθρώποισι, καὶ βλαβερώτατον.
Ἐχθὲς ὑπέπινες, εἶτα νῦν κραιπαλᾷς
Καλανύςαξον, παύσῃ γάρ, εἶτα σοὶ δότω
Ῥάφανόν τις ἑφθήν.

Jam verò nonne malorum omnium est ebrietas
Maximum hominibus, & nocentissimum?
Heri subbibisti, ideò nunc crapula vexaris
Obdormito, ac levaberis: deinde tibi det
Radiculam quis elixam.

Κραιπαλᾶν, & ᾶν, & κραιπαλίζειν, est *ex ebrietate laborare*: & κραιπαλόκωμος ὁ κατὰ μέθην γενόμενος ὕμνος, ἑωλοκρασία, Polluci hesternæ repletionis gravedo, & incommoda temulentiæ pridianæ.

A poculis quoque amplis, quæ ἐκπέταλα dicuntur, appellatus est ebriosus homo πελλοχάρων, gaudens amplis poculis. Eustathius Ιλ. ι. 73. 27. Sic κυπελλοχαίρων, Od. 567. 42. Diotimus Athenæus χώνη, id est, *infundibulum* fuit cognominatus, eo quod infundibulo in ore posito bibebat ἀπαύςως, *sine intervallo*, seu intermissione vinum infusum, teste Athenæo lib. 10. c. 12.

Latinè ipsa nimia immoderataque bibendi aviditas *ebrietas* & *ebriositas* appellatur, quæ tamen duo vocabula Cicero 4. *Tuscul.* ita vult differre a se invicem, ut amator, & amans. Ebriositas itaque propriè est affectatio, vel habitus, cum quis libenter, sæpe, citò & facilè fit ebrius: ebrietas verò est ebriosi status, cùm scilicet quis actu est ebrius, sic ira differt ab iracundia, invidia ab invidentia. Eodem modo ebrius, & ebriosus non secus differunt atque invidus, & invidiosus. Ebriosus enim propriè dicitur ad ebrietatem proclivis, vel qui sæpe ebrius est, ut Cicero *de Fato*, *Stilphonem Megaricum philosophum scribunt ipsius familiares & ebriosum, & mulierosum fuisse*. At ebrius, qui actu est ebrius. Potest enim quis esse ebrius, qui tamen natura & consuetudine ab hoc vitio maximè abhorreat, & contra quis ebriosus esse potest etiam cum vini nihil gustaverit. *Ebriolus* quoque, & *ebriacus* (unde Itali *imbriaco*) veteribus teste Nonio, dictus est ebriosus. Huic opponitur sobrius qui in cibo & potu temperans est, quasi sine ebrietate, a quo sobrietas, & sobrius etiam dicitur, qui non est actu ebrius. Unde *non sobrius* pro ebrio accipitur. Ebrius porrò (ut de illius notatione Ebrietas & ebriositas quomodo differant.

 tatione

tatione dicamus) videtur dici quasi *ebiberius* ab hauriendo potu, nam multa pocula sive multum vini ebibendo homines fiunt ebrii. Nisi forsan quia teste Marcello prorsus omnia *inebra* appellantur, quæ tardant, vel morantur agentem (unde *aves inebræ*, quæ in auguriis aliquid fieri prohibent) *ebrietas* similiter dicta quasi *inebra*, id est, mora, & impedimentum ad quidvis bene, rectè commodeque agendum.

A *bibo bibax* dicitur, *bibosus*, *bibaculus*, *bibulus*, *merobibus*, *bibacitas*. A *potando*, *potus*, *appotus*, *potator*, *perpotare*, *perpotatio*. A *vino*, *vinosus*, *vinolentus*, *vinolentia*. A *temeto*, *temulentus*, *temulentia*. *Crapula* quoque apud Latinos propriè omnem noxam a vinositate proficiscentem significans, sæpe metonymicôs pro ebrietate usurpatur, unde *crapulare* est ebrietati indulgere.

Madere similiter vino & madidum esse pro ebrio ponitur. Plautus *Mostell. Madet homo*, id est, ebrius est. Madere & madidi unguento, vinoque dicuntur, qui unguento sunt illiti, & vini pleni. Tibullus,

Vina diem celebrent, non festa luce madere
Est pudor, errantes & malè ferre pedes.

Siccus.

Madido opponitur siccus quod sobrium sæpe significat. Hæc de nominibus, ex quibus ipsis vitii hujusce fœditas pestifera, atque perniciosa apparet.

Ebrietas duplex est, animi & corporis.

Nunc ut de re ipsa dicamus: sciendum est primo ebrietatis vocabulum in sacris atque etiam prophanis authoribus esse πολύσημον hoc est, modo propriè, modo metaphoricè cùm in bonam, tum etiam malam in partem usurpari. Duplex itaque omnino est ebrietas, una quidem animi & metaphorica, altera vero corporis, corporea ac propriè dicta.

Ebrietas animi bipertita est.

Metaphorica porrò sive spiritualis ebrietas, quæ est animi, rursus est bipertita, alia quidem bona, alia verò mala.

Bona & sancta ebrietas.

Bona est quam Marsilius Ficinus in argumento dialogi 2. *de justo*, ebrietatem superlunam seu cœlestem appellat, excitatam nectaris potione, per quam animus extra se, & supra se positus, morborum mortalium obliviscitur, & divina suspicit, quorum splendore primum caligat, sed illorum saporem gustans, calore novo e priori habitu permutatus, unde mox perspicuè cernit spiritualia, & illa dum salubriter gustat, summo cum fructu nutritur. Unde in Psalmo scriptum est, *inebriabimur ab ubertate domus tuæ*, & Hierem. 3. *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus saturabitur bonitate terræ.* De bona hac & sancta ebrietate etiam David canit Psal. 22. *Calix* sive (ut Ambrosius legit) *poculum inebrians*, *quam præclarum?* Eandem Paulus diserte his verbis exprimit, atque definit ad Ephe. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxus, sed repleamini spiritu sancto, loquentes vobis in vicem Psalmis & hymnis.* Hinc S. Ambrosius quoque *de Helia & jejunio* cap. 16. *Est*, inquit, *ebrietas culpæ, est & gratiæ. Et forte hæc naturæ, quæ gratiæ, quia ad similitudinem & imaginem Dei facti, Spiritu sancto repleti esse debemus.* Cyprianus de Sacramento Domini calicis, in locum illum Psal. 22. *Calix tuus*, &c. de eadem ebrietate spirituali pulchrè disserit. Hujus quoque luculenta fit mentio in proverbiis Salomonis, ubi Sapientia homines invitat ad vinum bibendum, quod in mensa sua copiosè & affatim miscet. Quin & à Christo, qui vera est sapientia, nobis tale vinum promittitur in regno cœlorum. Ergò spiritualis atque cœlestis hæc ebrietas est, qua animus Spiritu sancto ceu lætissimo saluberrimoque vino repletus, Dei rerumque divinarum, atque cœlestium amore flagrat, in Deo ceu summo bono non modo acquiescit, verùmetiam gaudet, atque exultat, illum debitis meritisque honoribus atque laudibus afficit ac celebrat: quæ quidem ebrietas in hoc mundo inchoata, in altero seculo perfecta est & absoluta.

Ebrietas animi prava & vitiosa.

Altera verò ebrietas animi prava atque vitiosa, quæ a Græcis ἄοινος appellatur, a Marsilio *ebrietas sublunа*, & *mundana* appellatur, quæ, ut idem docet, lethæo potu, hoc est, carnali excitatur, per quam anima extra se posita, & infra se divinarum rerum obliviscitur, & delirat. Sive ut aliter definitur, mala est animi vertigo, & amentia, qua seductores & seducti ita sunt fascinati, & quasi incantati, ut temerè levique momento, huc & illuc sententiis atque cogitationibus suis impellantur, atque ruant, nescientes quid dicant aut faciant. De hac vide Isa. 26. Sic omnes gentes dicuntur inebriatæ vino scortationis Babylonicæ meretricis Apocalypseos 17. 18. 19. Theophrastus, teste Plutarcho lib. 7. *Sympos. Prob.* 10. τὰ κουρεῖα ἄοινον μέθην, hoc est, *tonstrinas ebrietatem vini expertem* solebat appellare, propter garrulitatem nimirum, quæ, ut hodie, ita olim quoque in illis locum habebat. Nam illic desidentes homines non secus atque ebrii inter pocula voces effutiunt temere per jugulum nonnunquam, ut ait Plinius, redituras. Sic insolentia atque superbia morumque licentia *panaria ebrietas* appellatur, quæ secundis rebus comes esse consuevit. Unde Horatius, *Fortuna dulci ebria.* Hæc autem ebrietas ἄοινος periculosior est, quam ebrietas illa vinosa. Nam vini æstus paucis horis, aut somno defervescit, hæc diu, ac per omnem ferè vitam durare consuevit. De gemina hac ebrietate vide plura apud Cælium lib. 7. cap. 13.

Panaria ebrietas Cæl. lib. 28. cap. 32.

Ebrietas corporea quid.

Ebrietas porrò corporea, de qua hic nobis est sermo, nihil est aliud quam intempestiva, immodica, immoderatave vini, vel cujusvis etiam potionis ingurgitatio. Thomas in 2. 2. *quæst.* 150. *Ebrietas*, inquit, *quæ* μέθη *a Græcis dicitur, status est hominis, qui mentis suæ non est compos ob nimium vinum sumptum.* A medicis sic ferè definitur, *Ebrietas est mentis turbatio, judicii atque rationis ex fumis, sive exhalationibus ad caput elatis a vino hausto, aliove potu vaporoso ob immoderatum calorem.* Clemens Alexand. lib 2. *Pædag.* cap. 2. μέθην, παροινίαν, & κραιπάλην (quæ tria pro ebrietate usurpantur) ita definit simul atque à se invicem distinguit, μέθη μὲν ἐστιν ἀκράτου χρῆσις σφοδροτέρα· παροινία δὲ ἡ ἐκ τῆς χρήσεως ἀκοσμία· κραιπάλη δὲ ἡ ἐπὶ τῇ μέθῃ δυσαρέστησις, καὶ ἀηδία, ἀπὸ τοῦ τὸ κάρα πάλλειν, *Ebrietas meri usus est vehementior: debacchatio vero,*

quæ

quæ Græcè eſt παροινία, *indecorum quod ex illo uſu promanat : crapula autem dicitur moleſtia, & faſtidium, quæ propter ebrietatem exiſtit, ſic dicta quod caput vibret, & exagitet.* Hæc de ebrietatis definitione.

Nunc porrò de ejus incommodis agendum, quæ quidem tot & tanta ſunt, ut nullius vel cogitatione comprehendi, vel oratione enumerari poſſint. Nullum hodie vitium magis eſt tritum, commune ac pervagatum, quodque magis in orbe præſertim Chriſtiano regnet, atque dominetur, quàm tetrum, immane, atque funeſtum hoc ebrietatis vitium ſane vitioſiſſimum, cujus quaſi ſinu gremioque omnia reliqua vitia continentur. Et ut olim terra triſtiſſimo funeſtiſſimoque illo aquarum diluvio tota fuit obruta, quo omnes ejus incolæ, pauciſſimis exceptis, internecione deleti atque extincti fuerunt, ita quoque poſtremis hiſce noſtris perditiſſimis temporibus, atque moribus univerſum ferè mundum paucis exceptis, (ſicuti etiam à Chriſto prædictum fuit Luc. 21.) hoc quaſi vini, ebrietatis, atque compotationum cataclyſmate ſive diluvio obrutum, oppreſſumque videmus eſſe, quo plurimi quotidie mortales abſumuntur, atque perduntur. Ab hoc vitio nos ſacræ veteris & novi Teſtamenti literæ, ſeu ipſe potius Spiritus ſanctus per illas graviſſimè, vehementiſſimeque dehortatur, propoſitis nobis innumeris malis, incommodis, ac detrimentis quæ ex illo promanant: quæ quidem nos merito, niſi σκληροκαρδίᾳ quadam planè ἀμεταvόητοι obduruiſſemus, ac callum, ut ita loquar, ad omnem impietatem obduxiſſemus, ad illud non modo vitandum atque fugiendum, verum etiam toto pectore execrandum commovere atque impellere debebant. Ipſe inprimis Chriſtus de noſtrorum temporum deſperata deplorataque intemperie, morumque extrema impietate ac corruptela (quam ille divinæ mentis acie prævidebat, nos proh dolor, quotidie experimur) cùm verba faceret, quàm ſapienter, quam fideliter nos monet, ne mundi hujuſce immundi exemplo, & imitatione corda noſtra aggravemus, & obruamus crapula & ebrietate? Sed pleriquc hodie Chriſtianorum, proh Dei hominumque fidem, Chriſti, à quo nomen ſuum tàm auguſtum habent, quò etiam ſuperbiſſimè gloriantur, ſervatoris, ac præceptoris ſui optimi optimis fideliſſimiſque hiſce conſiliis monitiſque neglectis atque contemptis dies noctesque crapulæ ebrietatique indulgent, ita ut nihil vel homine ſolum, nedum Chriſtiano homine dignum cogitare, dicere, aut facere poſſint, ſintque brutorum potius quam hominum ſimiles, quorum vita, ut Clementis Alexandrini verbis utar, nihil eſt aliud quam commeſſatio, crapula, balnea, temetum, matulæ, otium, potus, κῶμος, κραιπάλη, βαλανεῖα, ἄκρατος, ἀμίδες, ἀργία, πότος. Mirum itaque profecto non eſt tot hodie in Chriſtiano noſtro orbe mala, clades, & calamitates cùm publicas, tùm privatas graſſari, tot ac tam horrenda futurarum ſcilicet majorum adhuc graviorumque calamitatum ſigna, prodigia atque portenta in cœlo terraque edi, cùm nos, qui Chriſtiani dici & haberi volumus, intemperantiſſima hac noſtra luxurioſiſſimaque vitæ morumque conſuetudine (ut de cæteris innumerabilibus ſceleribus atque flagitiis, quæ inde promanant, taceam) nullum divinæ, & quidem juſtiſſimæ iræ, atque furoris divini provocandi, ac incitandi finem faciamus. De ebrietate legantur quæ ſcripta ſunt Prov. 20. 21. Oſeæ 7. Amos 6. Joëlis 1. Luc. 21. Epheſ. 5. & aliis multis in locis ſacræ ſcripturæ, quæ quoniam Syracides noſter hoc ipſo in cap. 31. in quo convivialia dat præcepta, breviter atque ſummatim eſt complexus, illa, Deo juvante, explicare, & cum ſacrorum, tum prophanorum etiam authorum, atque ſcriptorum teſtimoniis ſelectioribus illuſtrare ſtudebimus.

Ebrietatis incommoda.

Non mirum eſt autem, ut de illo primum dicam, ſapientiſſimum hunc noſtrum magiſtrum in conviviali hac ſua præceptione, de vino quoque tempeſtivè, modiceque ſumendo præcepta dare, vini modicè immodiceve bibiti commoda atque incommoda recenſendo, cùm in omnibus conviviis potus, ac inprimis vini potus principem videatur locum obtinere: eique magis, quam cibo homines indulgeant. Citius enim & facilius cibo, quam potu homines implentur, ut inquit Hippocrates libro 2. *Aphoriſ.* Deinde cùm in conviviis maximè requiratur animorum hilaritas, ſermoniſque feſtivitas (quæ ſi abſint quaſi mortua videntur eſſe, ac proinde ne conviviorum quidem nomine digna) ad illam profecto excitandam, atque gignendam plus momenti atque ponderis afferre moderatum potum vini præſertim, quam cibi ſumptionem, ſatis eſt manifeſtum. Unde etiam mirum non eſt ipſa convivia ab Hebræis, Græcis, & aliis quoque in linguis à potatione potiſſimum denominari. Verum ut moderatus vini præſertim potus ad convivas exhilarandum, totumque convivium ornandum ac decorandum pertinet, (unde eleganter εὐθύμων συμποσίων πρύτανις, id eſt, *lætorum ſympoſiorum moderator* ab Jove Chio appellatur apud Athenæum libro 10. cap. 16.) ita contrà nihil eſt, quod convivium quodvis magis deturpet, atque deformet, quâm vini, alteriusve potionis inebriandi vim habentis immoderata ingurgitatio, quam multi turpes, indecori, & inhoneſti geſtus, dicta, atque facta conſequuntur. Itaque meritò ebrietatem conviviorum quorumvis fœdiſſimam labem, atque maculam, imò peſtem atque perniciem appellabimus, fini conviviorum, qui eſt mutui amoris conciliatio atque confirmatio, maximè contrariam atque inimicam.

Quare Syracides de vino modice ſumendo præcepta det.

Ebrietas conviviorum labes & peſtis.

Hæc porrò Syracidis παραίνεσις duas habet partes, una eſt dehortatio, altera αἰτιολογία, ſive ratio. Quod ad primam, ἐν οἴνῳ inquit, μὴ ἀνδρίζου, id eſt, *in vino ne viriliter agas*, ſive ne te virum exhibeas, hoc eſt, ne vires tuas oſtentes, ſicut Iſa. cap. 5. huic generi hominum *væ* imprecatur, *Væ vobis, qui robuſti eſtis ad potandum.* Sunt enim multi, qui magnam vini vim exhauriendo, ſeu potiùs perdendo (ſecundum illud Homeri οἶνον φθινύθουσιν ὑπὲρ βίον ἐξαφύοντες Οδ. ζ.) virtutis, ac fortitudinis laudem captant, quorum hæc eſt oratio, quæ Panyaſſidis illius apud Stobæum:

Admonitio Syracidis eſt bipertita.

Ξεῖν' ἄγε δὴ καὶ πῖν' ἀρετή δέ τις ἐστι καὶ αὐτὴ
Ὅστ' ἀνδρῶν πολὺ πλεῖστον ἐν εἰλαπίνῃ μέθυ πίνῃ
Εὖ, καὶ ἐπισταμένως, ἅμα τ' ἄλλον φῶτα κελεύῃ.

Τοῦ

Ἶσόν θ' ὅς ἐν δαιτὶ καὶ ἐν πολέμῳ θεὸς ἀνὴρ
Ὑσμίνας διέπων ταλαπενθέας, ἔνθάτε παῦροι
Θαρσαλέοι τελέθουσι, μίμνουσί τε θοῦρον ἄρηα
Τοῦ μὲν ἐγὼ θείμην ἶσον κλέος, ὅς ἐνὶ δαιτὶ
Τέρπηται παρεὼν, ἅματ' ἄλλον λαὸν ἀνώγῃ.

Id est,

Age dum hospes, quin bibis? Hoc enim virtutis est,
Si quis in virorum convivio plurimos calices exiccaverit
Rectè, sciteque, aliumque simul provocaverit.
Tam inter epulas fortis vir esse potest, quam qui in bello
Pugnas sequitur luctuosas, in quibus pauci
Animosi sunt, ac Martem impetuosum excipiunt:
Huic ego illum æquali laude contulerim, qui epulis
Assidens gaudet, aliumque pariter cœtum incitat.

Alludit ergo Syracides noster ad immania illa poculorum certamina, quibus alii alios roboris ac fortitudinis suæ ostentandæ gratia cum magna suæ valetudinis, omniumque bonorum animi atque corporis jactura, denique cum magno non modo temporalis, sed etiam æternæ mortis periculo vincere, ac superare conantur. O infelix certamen, ô tristem atque luctuosam, vereque Cadmæam victoriam. *Nascitur*, inquit Augustinus lib. *ad sacras virg.* c. 1. *ex hac potandi infelicitate inter provocatos & provocantes ignominiosa certatio, & vincenti est turpitudo deterior.* Hujusmodi παροίνιον ἀγῶνα, ut a Philone appellatur, sive ἀκρατοποσίας certamen olim Alexander ille Magnus in India proposuisse fertur, in quo primum præmium erat talentum, secundum minæ triginta, tertium verò decem: nec non Dionysius Syciliæ tyrannus Athenis in festo Choum, cujus præmium erat corona aurea, teste Athenæo lib. 10. cap. 12 Mithridates similiter *Bacchus* cognominatus similia bibacitatis, voracitatisque certamina, atque præmia proposuit, teste Plutarcho lib. 1. *Sympos. Probl.* 1. Sed hodie, proh dolor, potatoria hujusmodi certamina atque pugnæ inter Christianos quotidie ferè exercentur magno cum Christiani nominis dedecore, atque ignominia, quorum graphicam planè & elegantem descriptionem videre licet apud D. Ambrosium lib. *de Helia & jejunio* cap. 13. in qua totum illud caput consumitur. Fit autem plerunque, justo Dei judicio, ut vinolenta, violentaque illa certamina non modò verborum, verùmetiam pugnorum atque telorum dimicationes, ac tristes tandem tragicæque cædes consequantur. Præterea strenui illi potatores, dum se multum vini potando, seu potiùs perdendo vires suas jactare & ostentare conantur, quavis vel mollissima muliere molliores, infirmioresque animo pariter, atque corpore redduntur. Nam ut vinum moderatè sumptum animo corporique vires addit, unde οἶνον εὐήνορα Homerus appellat, hoc est, Eustathio interprete, ἀνδρείας περιποιητικὸν, ἢ πίνοιτο συμμέτρως, ita contrà ἀμέτρως· καὶ οὐδὲ ἐν καιρῷ προσφερόμενος, ἀποσυνῶσαί τε ἔχει, καὶ ἀνήνορα θέσθαι (ut Eustathius inquit Οδ. Δ.) hoc est *immoderatum, ac intempestivè sumptum animi, corporisque vires frangit atque debilitat.* Non ergo ἄνδρες sed ἀνήνορες, & ἄνανδροι, atque adeò ἀνδριάντες, hoc est, *non viri atque fortes, sed molles, effœminati, ac quasi statuæ quædam seu idola illi ποτηρομάχοι sunt existimandi.*

Rationes cur fugienda sit ebrietas.

Subjungit secundo loco Syracides rationem cur fugienda sit ebrietas, primò generatim, deinde in specie enumerando animi, corporisque incommoda, quæ ex ebrietate nascuntur. Primò ergò in genere inquit, πολλοὺς γὰρ ἀπώλεσεν ὁ οἶνος, scilicet ἀμέτρως, καὶ ἀκαίρως πινόμενος. Multos enim perdidit vinum immoderatè, ac intempestive haustum, quemadmodum contrà suprà dixit vinum ἐν μέτρῳ, id est, συμμέτρως πινόμενον, vitæ humanæ proficuum esse, sive accommodatum. Sic Dionysius Halicar. lib. 2. *antiquit.* μέθην dicit esse φθορᾶς ἀρχὴν, id est, *corruptionis principium.* Et Pontianus apud Athenæum lib. 10. vinum, scilicet intemperanter haustum, omnium δεινῶν malorum metropolim non minus eleganter, quàm verè appellat, ebrietas ibidem maximum malorum omnium dicitur. Hinc vinum impiorum Deut. 32. felli draconum, & veneno aspidum insanabili comparatur. Lucretius quoque & alii vinum crebrò virus, sive venenum eleganti paronomasia appellarunt. Unde Augustinus lib. *ad sac. virg.* cap. 1. *Rusticanum, sed sanum est dictum, Vinum medicamentum, plus justo sumptum venenum cognoscitur.* Sic apud Senecam lib. 12. *epistola* 84. vinum veneno, opio, elleboro comparatur, quia mortiferum, somniferum, secreta aperit. Sic Prov. 23. Vinum colubro venenato, atque mordenti comparatur. *Ne contempleris*, inquit Solomon, *vinum quando rubet, & cum in phiala colorem suum diffundit, postremum enim ejus veluti serpens mordet, & velut regulus.* Atque hac quidem de causa Spiritus sanctus *væ* illud creberrimè intonat, & imprecatur ebriosis hominibus. Isa. 5. & 28. Eccles. 10. Amos 6. Hab. 2. qua particula omnium malorum cumulus significatur. Igni quoque ebrietas sæpe in sacris & prophanis literis comparatur, propterea quòd ignis instar παμφάγος, hoc est *edacis*, brevi tempore plurima bona conficit, atque consumit. Unde illud tritum: *Ignem in gremio gestare*, qui assiduo utatur potu, de quo Cœlius lib. 28. cap. 31. Eandem merito illi Pandoræ pyxidi comparabimus, ex qua omni tempore innumera mala in terram eruperunt, & adhuc erumpunt, atque redundant: quibus homines miserrimè gravissimeque affliguntur, atque vexantur. Sic ebrietatem publicorum malorum omnium causam dixit Seneca lib. 12. *epist.* 84. Rectè ergo Syracides vinum perditionis, exitii, atque interitus multorum causam statuit: Perdit enim primò animum & illius bona, hoc est, mentem, rationem ingenium, judicium memo-

Vinum immoderatè sumptum hominem corrumpit.

Ebrietas multis perditionis, exitii, & interitus causa.

memoriam, docilitatem, virtutes omnes, affectus, atque ſenſus corrumpit. Deinde perdit corporis ſanitatem, robur, formam atque pulchritudinem. Perdit hominis authoritatem, dignitatem, gloriam, decus, opes, atque fortunas. Perdit non ſingulos modo homines, ſed totas nationes, regna, imperia, Reſpub. atque Eccleſias. Nec vero temporalis modo, verùm etiam æternæ perditionis eſt cauſa, ut ſacræ teſtantur literæ. Et ut bona quævis perdit, ita, id quod eſt conſequens, contra cauſa eſt, radix, atque ſcaturigo omnium malorum. Mala autem alia ſunt, ut à theologis appellantur culpæ, id eſt, vitia, ſcelera, atque flagitia, alia pœnæ, ſive pœnalia: mala pœnæ rurſus alia ſunt temporalia, alia æterna, ut æterni illi tartarorum cruciatus. Mala temporalia rurſus vel ſunt animi, vel corporis, vel fortunæ, ut vulgò appellantur. Horum omnium malorum parentem, ac procreatricem eſſe ebrietatem cùm ſacræ atque prophanæ literæ, omniumque ſeculorum hiſtoriæ, tum ipſa experientia quotidiana locupletiſſimè teſtantur.

Ebrietas malorum omnium cauſa.

Sed quod in genere dixit Syracides, id deinceps in ſequentibus ſpeciatim probat, atque confirmat à partium enumeratione. Nam cum duæ ſint principes partes hominis ex quibus eſt compoſitus, animus ſcilicet atque corpus, utriuſque partis, ac proinde totius hominis corruptricem peſtemque certiſſimam eſſe ebrietatem demonſtrat. Primò ergò inquit, *κάμινος δοκιμάζει στόμωμα ἐν βαφῇ, οὕτως οἶνος καρδίας ἐν μέθῃ* (in quibuſdam exemplaribus eſt *ἐν μάχῃ*) *ὑπερηφάνων*, id eſt, *Caminus probat aciem gladii in tinctura, vinum in corde ſuperborum in ebrietate ſive in pugna:* hoc eſt, ut fornax probat duritiem mucronis, dum mergitur: ita vinum cor ſuperborum, quum inebriantur: vel dum poculis certant. Similis planè huic eſt illa Eratoſthenis ſententia,

Ebrietas animi corporiſque corruptrix & peſtis.

Vino corda aperiuntur.

Οἶνός τε πυρὶ ἶσον ἔχει μένος, εὖτ' ἂν ἐς ἄνδρα
Ἔλθῃ, κυμαίνει δ' οἷα λίβυσσαν ἅλα
Βορρῆς ἠὲ νότος. τὰ δὲ καὶ κεκρυμμένα φαίνει
Βυσσόθεν, ἐκ δ' ἀνδρῶν πάντ' ἐτίναξε νόον.

Vinum igni æqualem habet vim: ubi hominem
Subierit, quem conturbat, ut Lybicum mare
Aquilo, vel Auſter: itaque prodit latentia
In mentis receſſu, animumque univerſum concutit.

His conſentanea ſunt illa Theognidis,

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
Γιγνώσκουσ', ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον,
Καὶ μάλα περ πινυτοῦ, κακότητα δὲ πᾶσαν ἐλέγχει
Ὥς τε καταισχύνειν καὶ πρὶν ἐόντα σοφόν.

Igne aurum, argentumque viri periti
Dignoſcunt, vino animus humanus arguitur.
Licet admodum ſapiens, vitium omne detegitur.
Ita ut qui prius videbatur ſapiens pudore ſuffundatur.

Philochorus ſimiliter, teſte Athenæo lib. 2. dicere ſolebat, bibentes nimirum non modo ſeipſos *ἐμφανίζειν*, id eſt, *patefacere*, ſed aliis quoque, poſtquam dicendi libertatem ex vino ſunt adepti, *ἀνακαλύπτειν*, id eſt, *detegere*, atque *revelare*. Huc facit illud Æſchyli, *κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστι, οἶνος δὲ νοῦ*, *Æs formæ ſpeculum eſt, vinum mentis.* Sic Alcæus, *οἶνος ἀνθρώποις δίοπτρον*, id eſt, *vinum hominibus eſt inſtar dioptræ*, qua cognoſcuntur eorum mores, *διὸ καὶ καλῶς*, ut eſt apud Athenæum lib. 10. *οἱ παροιμιαζόμενοι λέγουσι, τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια*, *unde rectè quidam proverbii loco dicunt: Vinum caret clavo*, de quo vide Eraſmi *Adag.* Hinc Plutarchus, *τὸν οἶνον τῆς παρρησίας, καὶ δι' αὐτὴν ἀληθείας γονιμώτατον* vocat, hoc eſt, *libertatis dicendi, ac per eum veritatis fœcundiſſimum* eleganter vocat *Sympoſ. probl.* lib. 7. *prob.* 10. *τὸ γὰρ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος*, quod enim eſt in corde ſobrii, id eſt in ore ebrii, ut idem ait de Garrul. Voller mund / ſagt deß hertzen grund. Clemens Alexand. lib. 2. *pædag.* cap. 5. *μάλιστα ἐν οἴνῳ καθορᾶσθαι τὰ ἤθη τῶν ὑπούλων συμβέβηκε τῆς ὑποκρίσεως ἀπογυμνούμενα διὰ τὴν ἀνελεύθερον παρρησίαν τῆς παροινίας· δι' ἣν κατακοιμίζεται μὲν ὁ λόγος ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ καρηβαρήσας τῇ μέθῃ. τὰ δ' ἐκλελυμένα ἐπεγείρεται πάθη, καταδυναστεύοντα τῆς ἀσθενείας τοῦ λογισμοῦ*, id eſt, *Fraudulentorum hominum mores, in vino maximè perſpici ſolent, ut qui ſint omni ſimulationis involucro nudati propter illiberalem loquendi licentiam, obortam ex ebrietate, qua quidem ratio ipſius animæ ſopitur, vino oppreſſa atque gravata, & affectus illiberales atque ſcurriles excitantur, qui animum infirmum & imbecillum impotenti dominatu oppreſſum tenent.* Plato ſimiliter in vino ceu ſpeculo multorum ingenia videri, atque cognoſci poſſe dicebat, ut citatur a Plutarcho lib. 3. *Sympoſ.* Sic Antiphanes, *duobus exceptis*, inquit, *poteris omnia celare, vino nimirum & amore. Utrunque enim viſu atque ſermone, prodit homines licet negantes, & diſſimulantes.* Itaque Pittacus, teſte Athenæo lib. 10. Periandrum Corinthium monebat ne fieret ebrius, neque laſciviret, *ne noſcatur*, inquiens, *qualis ſis, neque etiam qualem te eſſe ſimules, cùm ut ſpeculum æreum formæ ita vinum mentis ſit index.* Huc quoque facit illud *οἶνος καὶ ἀλήθεια*, id eſt, *vinum, & veritas*, ſive *ἐν οἴνῳ ἀλήθεια*, *in vino veritas*, quod Athenæus citat lib. 2. Durat & hodie vulgo tale proverbium, non audiri verum niſi tribus hominum generibus, pueris, ebriis, & inſanis. Hinc Cicero in *Topicis*, inter ea quæ certam faciunt fidem commemorat, pueritiam, ſomnum, imprudentiam, vinolentiam, inſaniam. Non ineptè ergo ille Æſopum increpavit: *Quid quæris, ridiculum caput, illas feneſtras, per quas*

Vinum ſpeculum mentis.

Vinum ſpeculum ingeniorum.

Plato in Alcibiade, veritatem eleganter vini filiam appellat.

alterius cogitationes quis intueri poteſt? vinum enim nos aperit, & oſtendit, nec ſinit nos latere, ſed ſpeciem atque larvam detrahit, lege tanquam pædagogo longiſſime remoto. Unde & Dionyſii templo, ut idem teſtatur, victoriæ inſigne fuit tripus, nam ex tripode loqui eos dicimus qui vera loquuntur. Plato lib. I. *de legib.* in extremo ſcitè admodum vereque dixit οἶνον βάσανον τῶν τρόπων εἶναι, *vinum eſſe morum tormentum*, imo nullum tormentum eſſe minus ſumptuoſum, minuſque noxium, ac periculoſum, quam vinum ad explorandos, & exquirendos hominum affectus, & mores. Recte hæc Plato & ſenſit, & ſcripſit. Prodit enim ſemetipſum homo vino ſaburratus, & mores ſuos oſtendit, arcana etiam in apricum proferens, quæ ab illo ſobrio vix ullis tormentis & quæſtionibus acerbiſſimis extorqueri potuiſſent, οἴνου γὰρ καθιόντος ἐπιπλώουσιν ἔπεα, id eſt, *ſubſidente vino ſupernatant verba.* Nam ſobrios aut metus, aut pudor cohibet, quò minus effutiant ea, quæ ſatiùs putarint ſupprimere. At vinum & pudorem diſcutit, & timorem abigit. Platonem ſequutus Horatius vinum & ipſe *leve tormentum* appellat, *Od.* 21. lib. 3.

Tu leve tormentum ingenio admoves
Plerunque duro.

Idem lib. *de arte poëtica* ad Piſonem,

Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent
An ſit amicitia dignus.

Et Epiſt. ad Loll. I. lib. 4.

Commiſſumque teges & vino tortus, & ira.

Idem poëta, quemadmodum vinoſum fuiſſe conſtat, alibi quoque diſſerit de hac vini, quam habet, vi, hominum naturas quantumvis tectas, ac reconditas explorandi, atque experiendi, ut libro I. Satyr. 4.

Condita cum verax aperit præcordia Liber.

Hoc eſt: Interprete Lambino, cum Bacchus veritatis amator, & ſimplex aperit conſilia in præcordiis condita. Catullus *condita pectoris* appellat. Idem Horat. Od. II. Epod. II.

Simul calentis inverecundus Deus
Fervidiore mero arcana promorat loco.

Idem Od. 18. *Arcanique fides prodiga, pellucidior vitro.*

Id eſt, ut Lambinus interpretatur, fides non continens clauſa conſilia ſibi commiſſa, ſed ea omnibus aperiens, & indicans. Aptiſſima autem vitri ſimilitudine uſus eſt ad ſignificandam eorum levitatem, ac perfidiam, qui conſilium alioqui occultum ſibi commiſſum continere, & tegere non poſſunt. Quemadmodum enim vitri natura, quæ pellucida eſt, nihil earum rerum, quibus imponitur occultare aut tegere ſolet, imò eas perſpicuas, & aſpectabiles, omniumque oculis expoſitas relinquit: ſic ingenia vana, & futilia nihil rerum occultarum clauſum habere poſſunt, ſed eas non ſolum lingua, verum etiam fronte, ac vultu aperiunt, & declarant. Horatius lib. I. *Epiſt.*

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.

Ovidius lib. I. *de arte* idem teſtatur,

Tunc aperit mentes ævo rariſſima noſtro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Huc quoque faciunt illa Propertii lib. I. *Eleg.* 9.

Ipſe Deus tacito permiſit lene miniſtro
Ederet ut multo libera verba mero,
Ipſe Deus ſomno domitos emittere vocem
Juſſit, & invitos facta tegenda loqui.

Plinius lib. 14. cap. 22. *Tunc animi ſecreta proferuntur, alii teſtamenta ſua nuncupant, alii mortifera loquuntur, rediturasque per jugulum voces non continent, quàm multis ita interemptis. Vulgoque veritas jam vino attributa eſt.* Veriſſimè ergo Syracides noſter ſuperborum corda vino non ſecus atque ferrum igne explorari, examinari, aperiri, ac detegi ſcribit. Quod autem ille de ſuperborum, ſeu arrogantium corde dicit, idem de cæteris quoque affectibus animi atque cogitationibus veriſſime affirmari poteſt & debet, quæ quidem per vinum ſive ebrietatem ceu per feneſtram quandam facillimè cognoſcuntur. Superbiæ autem potiſſimum mentionem facit, propterea quòd affectus ille omnium eſt vitioſiſſimus, magnamque cum ebrietate cognationem atque affinitatem habet, unde ſæpenumerò ebrietas metaphoricῶς pro ſuperbia ſeu arrogantia in ſacris atque profanis literis uſurpatur.

Qua ratione homines temulenti ſe prodant. Ebrietas loquacitatis & vanæ & turpis cauſa.

Produnt autem homines temulenti ſuam mentem, naturam, ingenium, mores, affectus, conſilia, arcana ſuæ fidei commiſſa atque concredita cum fronte, atque vultu (qui tacitus quidam mentis eſt ſermo) tum geſtibus (qui corporis ſunt ſermo) atque factis ridiculis, turpibus ac inhoneſtis, tum denique atque in primis oratione, ſive ſermone, qui mentis eſt interpres ac ſermo. Eſt enim ebrietas loquacitatis, garrulitatiſque non modo temerariæ, inconſyderatæ, vanæ atque ridiculæ, verum etiam turpis, inhoneſtæ, atque impiæ cauſa, ex qua plurima ſæpe damna, atque mala proficiſcuntur. Plutarchus in libro περὶ ἀδολεσχίας, τῇ οἰνώσει, id eſt liberaliori potationi exhilarandi, recreandique vim, τῇ μέθῃ autem, id eſt, *ebrietati*, φλυαρίαν καὶ ἀδολεσχίαν, id eſt, *futilem, inanem, & importunam quidvis quod in buccam venerit effutiendi licentiam tribuit.* Idem lib. 3. *Sympoſ.* τὸ γὰρ λαλεῖν, καὶ βλέπειν ἀβέλτερον ἢ σιωπᾷν παροινίας καὶ μέθης ἔργον ἐστὶ, id eſt,

garrire

garrire atque circumspicere temerè atque stultè, ebrietatis opus est. Idem in libro *de garrulitate*, τῆς μέθης οὐδὲν οὕτω κατηγοροῦσιν, ὡς τὸ περὶ τοὺς λόγους ἀκρατὲς, καὶ ἀόριστον, id est, *ebrietas nullo nomine magis culpatur, quam ob immoderatam & infinitam loquendi libidinem.* Bias in quodam convivio cum sibi tacenti a garrulo quodam stoliditas objiceretur, *Quis verò stultus*, inquit, *inter pocula posset tacere?* Athenis autem quidam convivium regiis legatis præbens, operam dedit, ut iis hoc cupientibus philosophos eodem vocaret. Ibi cum reliqui colloquio instituto ultrò citroque pro sua quisque persona disseruissent, Zenonem qui tacitus sese continebat, comiter allocuti hospites cum salutassent poculo, *de te vero ajebant, quid dicemus regi!* Respondit Zeno: *Aliud nihil, quam esse senem Athenis, qui inter pocula silere sciret.* Idem, ἡ σιγὴ βαθύ τι καὶ μυστηριῶδες, καὶ νηφάλιον, ἡ δὲ μέθη λάλον, ἄνουν γὰρ καὶ ὀλιγόφρον, διὰ τοῦτο καὶ πολύφωνον. Hinc Philosophi definiunt ebrietatem λήρησιν πάροινον. Idem in *Sympos.* οἶνον πολύφωνον vocat, quia homines reddit loquaces. Idem lib. I. *Sympos. prob.* I. πάντων μὲν ὁ Διονύσιος λύσιός ἐστι, καὶ λύδιος, μάλιστα δὲ τῆς γλώττης ἀφαιρεῖται τὰ χαλινὰ, καὶ πλείστην ἐλευθερίαν τῇ φωνῇ δίδωσι, id est, *Bacchus dictus est Lysius, sive Lydius, eò quòd omnia solvat, sed linguam potissimum solvit frænis, plurimumque libertatis voci concedit.* Idem lib. 7. *Sympos. prob.* 10. πολύφωνος ὁ οἶνός ἐστι, καὶ λαλιᾶς ἀκαίρου, καὶ φρονήματος ἡγεμονικοῦ καταπίμπλησι. Athenæus lib. I. vinum γλωσσαλγίας, id est, *nugacitatis* causam esse dixit, apud eundem Alexis testatur vinum reddere homines φιλολόγους, id est, *loquendi cupidos.* Hinc Philoxenus, eodem teste, οἶνον, eleganter appellavit εὔρρειταν, καὶ πάμφωνον, id est, *bene fluens, omniaque dicens.* Et Homerus etiam Ιλ. ξ. ait hominem etiam πολύφρονα, id est, valde prudentem ac sapientem à vino impelli, ut cantet, & molliter rideat, & saltet, & nonnulla loquatur, quæ taceri præstitisset. Homeri verba hæc sunt,

Stultus inter pocula tacere nequit.

Inter pocula silere.

Οἶνος γὰρ πολύφρονά περ μάλ' ἀεῖσαι
Καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκε
Καί τι ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον
Nam vinum vel prudentem cantare coëgit
Et tenerum ridere, pedesque inferre choreis
Atque tacenda loqui, nec idonea dicere dictu.

Theognis in eandem sententiam sic eleganter canit,

Ὅσδ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκέτ' ἐκεῖνος
Τῆς αὐτοῦ γλώσσης καρτερὸς, οὐδὲ νόου,
Μυθεῖται δ' ἀπάλαμνα, τὰ νήφουσι γίνεται αἰσχρά.
Quisquis bibendo modum superaverit, is non amplius
Suæ linguæ compos est, neque mentis;
Verba effatur balba, quæ sobriis dedecori sunt.

Omnino ebrietatem caussam esse ἀθυροστομίας, γλωσσαλγίας, πολυλογίας, ἀδολεσχίας, φλυαρίας, μωρολογίας, αἰσχρολογίας, λοιδομαχίας, experientia quotidiana testis est locupletissima.

Addit porrò Syracides alia quibus significat quantam perniciem ebrietas animo afferat; πικρία ψυχῆς οἶνος πινόμενος πολὺς ἐν ἐρεθισμῷ, καὶ ἀντιπτώματι. Πληθύνει θυμὸν μέθη ἄφρονος εἰς πρόσκομμα, ἐλαττοῦν ἰσχὺν, καὶ προσποιοῦν τραύματα, id est, *vinum copiosius sumptum acerbitatem animi parit cum rixis, & contumacia. Animum stulti majorem efficit ad offendiculum, vires enervat, infertque vulnera.* His verbis Syracides primò quidem docet ebrietatem verè esse θυμοφθόρον, hoc est, animum, quæ melior est hominis pars, depravare atque corrumpere, deinde etiam corpori quanto eadem sit damno, paucis attingit. Quoad primum, animum hominis (quem Syracides hic καρδίας, ψυχῆς, καὶ θυμοῦ nominibus exprimit, quorum medium quidem est generale, duo verò extrema magis sunt specialia) a Platonicis tres in partes seu facultates fuit distributus, nempe in rationem, iram, atque cupiditatem, quarum primam ceu principem, atque reginam reliquarum in capite veluti in arce, secundum in corde, tertiam subter præcordia locarunt. Alii, quos secutus est Cicero lib. I. *off.* & lib. I. *Tusc. quæst.* aliisque multis locis, eundem in duas partes diviserunt, quarum una sit particeps rationis, altera rationis expers, in qua quidem sint appetitus, sive motus cùm iræ, tum cupiditatis. Syracides autem noster licet unius tantum partis, quæ *irascibilis* dicitur, præcipuè mentionem faciat, illiusque incommoda quæ ex ebrietate in illam redundant, ut sunt πικρία, ἐρεθισμὸς, θυμὸς (quæ quidem a philosophis vel species iracundiæ, vel etiam effectus statuuntur) tamen reliquas quoque animæ partes, seu facultates simul perstringit, quas quidem omnes ebrietate vitiari atque corrumpi satis superque constat. Irascibilis autem potissimum mentionem videtur facere, propterea quòd vinum immoderatum seu ebrietas in illam potissimùm animi partem seu facultatem immanem suam exitialemque vim depromit, manifesteque exerit. Nam cum & iræ & vini præsertim immoderatè hausti (unde utrumque crebrò in sacris & prophanis literis igni comparatur) ignita quædam vis sit atque ardens, necesse profectò est, ut quandò vinum immodicum iræ, ceu ignis igni, aut ceu oleum camino additum fuerit atque suffusum, magnum inde atque horrendum existat furoris insaniæque incendium, unde plurima animi corporisque mala, ac detrimenta proficiscuntur. Interim verò reliquis quoque animi partibus ebrietas minimè parcit, sed una eademque opera illas quoque infestare solet, atque funestare. Nam postquam caput potissimùm atque cerebrum calidissimis suis vaporibus implevit, ipsam primo mentem rationemque, ceu principem ac plane divinam humani animi partem, qua sola brutis animalibus præstamus, proximeque ad Dei angelorumque similitudinem accedimus, tyranni

Platonici animum in 3. partes seu facultates distribuerunt.

Ebrietas rationem hominis perturbat insaniæ causa.

 instar

instar immanissimi, de sanitatis dignitatisque suæ statu dejicit, atque deturbat, hominemque non modò quadrupedi, sed trunco etiam, atque stipiti simillimum reddit. Hinc Galenus lib. *Quod animi mores, &c. Vinum totum corpus, ac præsertim caput calidis vaporibus implens, cùm motus immoderatiores efficit in cæteris animæ partibus, tum consilia præcipitat rationalis partis.* Huc facit illud Clementis Alex. lib. 2. cap. 2. *pædag. Quemadmodum Elpenor fregit calcaneum cùm cecidisset propter ebrietatem, ita ebriosorum cerebrum caligine offusum in epar, & in cor,* hoc est, ἐπὶ τὴν φιληδονίαν, καὶ τὸν θυμὸν, id est, *voluptatem & iram majori casu decidit, quàm fingunt poëtæ Vulcanum cælitus a Iove in terram fuisse dejectum.* Unde colligi potest magna nefariaque ebriosorum hominum erga Deum ingratitudo, qui mentem, & rationem sibi à Deo tributam atque concessam ad benè agendum atque contemplandum & ad æternam illam, & immortalem vitam assequendum intemperantissimis illis suis potationibus perdunt, ac labefactant. Huc facit illud Epicteti, Αἰσχρὸν τοῖς τῶν μελιτῶν δωρήμασι γλυκάζοντα τὴν κατάποσιν τὸ τῶν θεῶν δῶρον λόγον πικραίνειν τῇ κακίᾳ, id est, *Turpe est muneribus apum potionem edulcorare: rationem autem deorum munus vitiorum amaritudine inquinare.*

Deinde in inferiores quoque illas animi partes in quibus appetitus, affectus motusque iræ, atque cupiditatum continentur, impetum facit, iisque horrendam quandam stragem, atque vastitatem infert, omnes affectus quasi furia quædam violento impetu concitat, perturbat, ac in transversum rapit, secundum illud Lucretii:

- - - - vehemens violentia vini
Conturbare animum consuevit corpore in ipso.

Hinc itaque toto animo, intellectu nimirum, & affectu, quæ duæ principes ejus sunt partes, corrupto ac perturbato, stuporem quendam immanem, memoriæ mortem, brutam atque belluinam omnium divinarum, humanarumque rerum ignorantiam, errores turpissimos, opiniones monstrosissimas, cupiditates denique & appetitus feros, atque feroces, omne rationis imperium, atque regimen repellentes, furorem denique & insaniam dæmoniacam consequi est necesse. Quamobrem non immeritò vinum & ebrietas ab Hosea cap. 4. *cor aufferre*, a Christo *cor aggravare*, a Plinio *mentem mutare, ac furorem gignere*, a Sthenelo apud Athenæum καὶ φρονέοντας εἰς ἀφροσύνας ἀναβάλλειν dicitur. Hinc eadem non minus eleganter quàm verè a Pythagora μανίας μελέτη, id est, *insaniæ meditatio*, a Theodoreto, Augustino, & Seneca, *insania voluntaria*, a Philone ἐκστάσεως, καὶ παραφροσύνης αἰτία, nec non ἀφροσύνης φάρμακον, a Chrysostomo & Basilio, αὐθαίρετος οἰνικὸς δαίμων, ab Augustino *dæmon manifestarius* fuit appellata. Plato lib. 6. *de legibus. Quin vino*, inquit, *refertus, est tam animi, quàm corporis rabie concitatus, quovis & trahit, & trahitur, & est ebrius tanquam mente captus.* Seneca lib. 2. *natural. quæst.* cap. 20. *Ebrietas donec exiccetur, dementia est, & nimia gravitate fertur in somnum.* Idem epistola 60. ad Lucilium circa finem: *Ebrietas*, inquit, *unius horæ liberam insaniam longi temporis tædio pensat.* Apud Athenæum multa in hanc sententiam extant atque citantur testimonia, ut lib. 1. cap. 9. *Vinum multum atque meracum prudentibus mentem eripere*, & lib. 10. cap. 9. *dementiæ atque nugarum esse causam, imò ipsam esse insaniam*, & cap 12. *Bacchum insanum insaniæ esse authorem*, & cap. 15. *merum multum mentem aufferre*, & cap. 16. ex vino ψευδεῖς δόξαι promanare dicuntur. Idem lib. 1. cap. 8. Homerum probat εἰς τὴν αὐτὴν ἦθέναι πλάσιγγα τὴν μέθην τῇ μανίᾳ, *ebrietatem insaniæ facere similem.* Plutarchus *de garrulitate*, μανίᾳ ὁμόστοιχος μὲν ἡ ὀργὴ (inquit) κατ᾽ ἐνίους, ἡ δὲ μέθη σύνοικος, μᾶλλον δὲ μανία, τῷ μὲν χρόνῳ ἥττων, τῷ δὲ ἑκουσίῳ, ὅτι τὸ αὐθαίρετον αὐτῷ πρόσεστι, id est, *Insaniæ ira est comes, ebrietas contubernalis, imò ut insaniæ cedit duratione, ita eam hoc superat quod ultrò asciscitur.* Philo *de phyturgia*, μαινομένην appellavit, ἀρετὴν τὴν περὶ τὸν οἶνον ἐργασίας, καὶ τὰς ἐξ αὐτοῦ κατόχετους γινομένους βακχὰς, μαινάδας, ἐπὶ μανίας καὶ παραφροσύνης αἴτιος τοῖς ἀπλήστως ἐμφορουμένοις ὁ οἶνος. Huic simile est illud Prov. 20. *Subsannatores facit ebrietas, & tumultus parit ebrietas. Quisquis illa delectatur non erit sapiens.* Sic Theognis,

Ὃς δ᾽ ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκ ἔτι κεῖνος
  Τῆς αὐτοῦ γλώσσης καρτερὸς, οὐδὲ νόου.

Quisquis bibendo modum superaverit, is non amplius
Suæ linguæ compos est, neque mentis.

Vel sic, *Sed quicunque modum superaverit, ille nec ultra*
  Consilii compos, is neque mentis erit.

Idem, Ἄφρονος ἀνδρὸς ἄγαν, καὶ σώφρονος οἶνος, ὅταν δὴ
  Πίνῃ ὑπὲρ μέτρον, κοῦφον ἔθηκε νόον.

Tam stolidi, quam sapientis vinum
Immoderatè potum levissimum reddit animum.

Hesiodus idem eleganter docet his carminibus apud Athenæum lib. 10.

Οἷα Διόνυσος δῶκ᾽ ἀνδράσι χάρμα, καὶ ἄχθος
Ὅστις ἄδην πίνῃ, οἶνος δ᾽ οἱ ἔπλετο μάργος
Σὺν δὲ πόδας χεῖράς τε δέει, γλῶσσάν τε νόον τε
Δεσμοῖς ἀφράστοισι, φιλεῖ δ᾽ ὁ μαλθακὸς ὕπνος.

Gaudia quanta viris Bacchus dedit, atque laborem
Si quis multa bibit fiunt insania vina:
Illa pedes, mentemque ligant, linguamque, manusque
Non fractis vinclis, somnus demulcet & illum.

Hinc

Hinc Græci & μέθην ἀπὸ τοῦ μεθιέναι, quod mentem de ſtatu ſuo deturbet (ut illi contraria virtus ſobrietas σωφροσύνη quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν, id eſt, *prudentiæ cuſtos, & conſervatrix* dicta eſt,) & οἶνος vinum ἀπὸ τῆς οἰήσεως, id eſt, vana, & ſuperba opinione, qua animum implet, & ipſe Bacchus μαινάδης, ejusque comites Bacchæ μαινάδες ab inſaniendo a poëtis dictæ fuerunt, & illius feſta Bacchanaliorum quoque ut olim ab ethnicis, ita hodie quoque a Chriſtianis ſummo quoque cum furore, atque rabie celebrantur. Hinc Bacchari circa fana ſervum Ulpianus dixit pro furere, quaſi Bacchi numine afflatum in l. 1. §. *idem* ff. *de ædil.* παρὰ τὸ βακχεῖν, quod in Bacchanalibus clamores ab ebriis tollebantur, quaſi Bacchi ſpiritu afflatis.

Ebrietas ergo omnium virtutum animi expultrix, vitiorumque proſeminatrix, &, ut Auguſtini verbis utar in lib. *ad ſacras virg.* cap. 1. flagitiorum omnium mater, culparum materia, radix criminum, vitiorum omnium origo, homines ad Dei imaginem fictos & formatos non modo belluis, atque feris, ſed immaniſſimæ furioſiſſimæque illi beſtiæ infernali, hoc eſt, Diabolo quàm ſimillimos reddit, ſicuti quotidiana experientia ſatis ſuperque teſtatur. Hujuſce ergò impuri dæmonis (ſic enim Theodoretus, Baſilius, Auguſtinus, ebrietatem ipſam appellant) tetro funeſtoque afflatu & inſtinctu in rabiem acti, ad omnis generis vitia, ſcelera, atque flagitia præcipiti quodam impetu rapiuntur, ſecundum illud poëtæ, ἐμέθυον, ἱκανὴ στρέψασις εἰς ἁμαρτάνειν, id eſt, *Ebrius ſui, idonea videtur hæc eſſe omnis peccati excuſatio.* Hinc enim opiniones, cogitationes vanæ, inanes, impiæ, ac inhoneſtæ, quæ deliria potius, atque ſomnia, quam cogitationes dici merentur. Hinc audacia, temeritas, impudentia, inverecundia, hinc ſocordia, ſecuritas atque ignavia, hinc levitas, & inconſtantia, hinc petulantia atque libido, hinc iræ ardentes, odia acerbiſſima, inimicitiæ, & ſimultates graviſſimæ, hinc invidia, livor, atque æmulatio, quibus affectibus ceu facibus quibuſdam tartareis homines incenſi, & inflammati perniciem ſibi invicem verbis factiſque cùm apertè, tum occultè moliuntur atque machinantur. Hinc dicta atque verba temeraria, vana, ſtulta, intempeſtiva, & importuna, quibus homines partim ſtultos animi ſui ſenſus atque affectus abſtruſos, atque reconditos produnt, & omnibus irridendos propinant, partim ſua aliorumque ſecreta atque arcana publica atque privata fidei ſuæ commiſſa in apertum proferunt, unde plurima poſtea & in ipſos, & in alios atque adeò ſæpe in Rempub. totam atque Eccleſiam dedecora atque damna redundant. Hinc præterea rixæ ſanguineæ, jurgia, convitia, contumeliæ, calumniæ, opprobria, blaſphemiæ, quas homines ebrioſi vel in ipſum Deum, veram religionem ejuſque Antiſtites, vel in alios quoſvis homines cùm præſentes tum etiam abſentes, tam vivos, quàm mortuos ejaculantur, atque evomunt, unde plurima damna atque detrimenta proveniunt. Hinc verba impudica, obſcœna, libidinoſa, quibus auditorum animi præſertim puerorum atque puellarum offenduntur, & ad impuras libidines incitantur. Hinc clamores, cantiunculæ, voceſque ineptæ, ridiculæ, impiæ, beſtiales atque furiales. Hinc vultus, totiuſque corporis geſtus indecori, inciviles, incompoſiti, agreſtes, furioſorum planè geſtibus ſimillimi. Denique nullum eſt ſcelus, nullum facinus atque flagitium tam grave, tam atrox, tetrum atque funeſtum, ad quod ſuſcipiendum ac perpetrandum homines ebrietate non impellantur. Alii enim vino, quod iræ eſt incitamentum, incitati ad pugnas, ad verbera, ad pulſationes, ad cædes denique non hoſtium tantùm ſuorum atque alienorum, verumetiam propinquorum, atque amiciſſimorum proſiliunt: Hinc Salomon: *Ubi eſt væ? ubi dolor? ubi contentiones? ubi murmur? ubi vulnera ſine cauſa? apud eos nimirum qui vinum ſectantur.* Alii eodem incenſi ac inflammati ad ſtupra, ſcortationes, adulteria, inceſtus deſignandos furibundo quodam impetu feruntur atque ruunt. Nam, ut Tertullianus ait lib. 2. *in Marcionem, ebrietas eſt ſcortationis comes*, &, ut Auguſtinus, *caſtitatis naufragium*, &, ut Hieronymus, *vinum eſt libidinis incendium*, &, ut Plinius lib. 14. cap. 22. inquit, *ebrietatis ſummum præmium eſt libido portentoſa ac jucundum nefas.* Hinc Horatius ſcitiſſimè craterem *Veneris ſodalem*, & Apulejus *lagenam Veneris gladiatoriæ* antecœniam appellavit, propterea quòd ſit præludium & præparatio quædam ad Veneris palæſtram exercendam. Hinc vinum lac Veneris vulgò dicitur, ὃν πολλὺν σπῶντες, ut Ariſtophanes ait apud Athenæum lib. 10. παρανόμων ἀφροδισίων ὄρεξιν λαμβάνουσι, hoc eſt, *quo nonnulli intemperanter hauſto portentoſis atque nefandis amoribus inflammantur.* Nam, ut eſt apud Terentium, *ſine Cerere & Baccho friget Venus.* Cui ſimile illud Euripidis, οἴνου δὲ μὴ παρόντος οὐκ ἔστιν Κύπρις, &, quod legimus in Græcorum monumentis, Νεκρὸν ἀφροδίτη Διονύσου δίχα καὶ δήμητρος· & apud Athenæum 6. Ἐν τῇ κενῇ γὰρ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως οὐκ ἔστι, πεινῶσιν γὰρ ἡ κύπρις πικρά. Cibus enim & potus irritamenta ſunt libidinis, peculiariter autem vinum irritat libidinem. Sic Apuleius Veneri ebriam cœnam affingit, cùm interim eſuriat Pſyche. Et certè magna eſt Bacchi Veneriſque cognatio, unde apud Oſeam quoque cap. 4. vinum atque ebrietas cum ſcortatione conjungitur, quorum utrumque mentem aufferre dicitur, ad quem locum illuſtrandum, & ſimul utriuſque vitii vim pernicioſam atque peſtiferam breviter exprimendam, Ovidii illud pertinet:

Ebrietas virtutum animi expultrix, & vitiorum ſeminatrix.

Vinum rixarum & diſſidiorum cauſa.

Vino inflammatur libido.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Uno namque modo vina Venusque nocent.
Ut Venus enervat vires, ſic copia vini
Et tentat greſſus, debilitatque pedes.
Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum ſæpe parit ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat:
Perdidit horrendo Trojam Venus improba bello,
At Lapithas bello perdis Iacche gravi.

Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat uterque suis.

Hæc quæ adhuc dicta sunt præter alia exempla, duarum Lothi Patriarchæ filiarum comprobari possunt exemplo, quæ propter prolis cupiditatem patri suo alternis vicibus vinum vel merum vel mandragoram forsan mixtum propinarunt, ceu Veneris lac & irritamentum, quò faciliùs, tutiùs & fructuosiùs patris sui vino somnoque sepulti concubitu frui atque inde concipere possent, id quod etiam accidit. Ita verisimile est, duas has sorores, quæ Jacobum communem suum maritum deperibant, & sobolis desiderio flagrabant, simili stratagemate usas fuisse, hoc est, Mandragoræ succum vel vino permistum adhibuisse, illius inebriandi, exhilarandi, sopiendique gratia, quo tantò liberiùs ejus coitu frui ac impraegnari possent. Quibus exemplis quoniam etiam Mandragoræ fit mentio, ideò placuit hanc meam de ea epistolam inserere, scriptam ad Cl. V. Adolphum Occonem: quæ ita se habet. *Optimè adhuc memini, Dn. & amice clariss. & chariss. te per litteras ad Dn. Jacobum Ruegerum, virum doctiss. & humaniss. communem nostrum amicum scriptas, a me petiisse, ut de voce* דודים Dudaim, *quæ Gen. 30. & Cant. 7. extat, judicium ac sententiam meam ad te perscriberem. Verùm quoniam non ignorabam, varias de illa voce Hebræa, ut olim, ita hodie quoque virorum doctorum esse sententias, non ausus fui, tenuis præsertim & exigui ingenii judiciique mei mihi optimè conscius, de illa aliquid ad te scribere, ad te inquam, virum doctiss. & rei medicæ, herbariæ, totiusque adeò Philosophiæ peritissimum, ne secundum illud,* γλαῦκ' εἰς ἀθῆνας. *Nunc verò quoniam novam inter nos instituimus, vel antiquam potiùs per mutuum litterarum officium renovavimus & confirmavimus amicitiam, de hac ipsa voce, quæ quidem amoris amicitiæque est symbolum, aliquid ad te scribere est animus: non quo me existimem acutissimo tuo ingenio satisfacere posse, sed promtissimæ meæ tibi, quavis in re gratificandi, voluntatis testificandæ gratia. Vox ergo Hebræa (ad quam probè intelligendam Delio natatore ut ita loquar, opus esse videtur) bis tantum in sacris litterarum monumentis reperitur, nempe Gen. 30. v. 14. & Cant. 7. sub finem.*

De mandragora. *Ac in Genesi quidem legimus Rubenum Jacobi Patriarchæ filium tempore messis triticeæ, (quæ in regionibus illis est circa mensem Majum & Junium, ut hordeacea circa mensem Aprilem) in agrum vel animi, vel, ut est verisimile, rusticandi & metendi gratia exivisse, ibique invenisse Dudaim, matrique suæ Leæ ceu donum gratum & jucundum (quæ forsan illum plantæ hujus quærendæ & investigandæ causa illuc miserat) attulisse. Hanc cum Rachel soror ejus conspexisset, ejus cupiditate incensa (nam objecta movent sensus) vehementer ab illa contendit, ut ejus sese participem faceret. Hoc ipsa primum ei denegavit, acerbe simul ei exprobrans, ac cum illa expostulans, quod cum se communis illius sui mariti concubitu privasset (nam per alternas vices cum marito illo suo dormire consueverant) nunc hoc quoque fructu, charissimique filii sui dono spoliare conaretur. Tandem vero Rachel concesso sorori suæ mariti communis illa nocte concubitu, ceu mercedis loco, plantam illam impetravit, unde constat illam magno fuisse habitam in precio, cum tanta inter duas sorores de illa fuerit contentio, cum Rachel illam cum mariti sui consuetudine conjugali commutare non dubitaverit.*

Alter locus ubi ejusdem plantæ fit mentio, est Cant. 7. הדודים נתנו ריח Haddudaim nathenu reach, *id est* Dudaim dederunt odorem suum. *Utroque in loco* Dudaim *Rabbi quidem Schelomoh interpretatur* ficus optimas & odoriferas: *alii* violas, *quidam* Satyrion, *nonnulli* poma gratissimi odoris & saporis *interpretantur. Sunt qui volunt esse quæ* Juden kirse *vulgo vernacula nostra lingua appellantur. Plerique tamen theologorum & interpretum & Judæorum & Christianorum, & veterum & recentium mandragoram hac voce Dudaim utroque in loco volunt significari. Atque hæc quidem interpretatio quoniam & auctoritate doctissimorum quorumvis virorum & conjecturis atque rationibus verisimillimis nititur, mihi quoque maximè probatur.*

Nam primum quidem nomen hoc Dudaim *uterque paraphrastes Chaldæus utroque in loco vertit* יברוחין Jabruchin *in plurali, cujus singulare est* יברוח Jabruach. *Atqui Arabes hodie mandragoram lingua sua vulgo appellant* Iabora & Iabroach, *quæ quidem voces cum Chaldæa, unde etiam promanarunt, magnam habent profecto litterarum sonique affinitatem. Quid si vox quoque* mandragoræ *a voce* Iabora *sive* Jaborach *Arabica sit derivata?*

Deinde LXX. interpretes Gen. quidem c. 30. verterunt μῆλα μανδραγορῶν, *id est*, mala *sive* poma mandragorarum. *Canticorum autem 7. c.* μανδραγόρας, οἱ μανδραγόραι ἔδωκαν ὀσμήν, *id est*, mandragoræ exhalarunt odorem, *suavem scilicet & jucundum.* Mala *sive* poma mandragorarum *in Genesi verterunt convenienter historicis rei herbariæ, qui tradunt mandragoræ masculi (nam mandragoram fœminam sterilem vel fructu exili esse volunt) fructum esse pomum odoratum blandum & amabile, cujus figura & magnitudo est instar vitelli ovi, sive nucis avellanæ. Romani hujusmodi fructus* mala canina & terrestria *appellarunt, eandem ob causam Græci mandragoram* ἀντίμηλον *propter mali similitudinem appellarunt. Et quia mala ista suavissimi fragrantissimique sunt odoris, Salomon Cant. 7. ejus mentionem facit, unde etiam Gregorius perfectorum virtutem per herbam istam medicinalem & odoriferam allegoricè vult intelligi. De iisdem pomis odoriferis & soporiferis sic scribit Dioscorides:* καὶ ἐσθιόμενα καρωτικὰ, καὶ ὁ ἐξ αὐτῶν χυλὸς, πλεονασθέντα δὲ καὶ ἀφώνους ποιεῖ.

Huc accedit vetus quoque translatio Latina, quæ nomen hoc Dudaim mandragoram *interpretatur. Porrò huic interpretationi plerique & Rabbinorum & Patrum atque Theologorum veterum suffragantur. R. D. Kimhi radicem herbæ esse ait, quæ similis sit hominis. Mandragoram autem propter binas ejus radices divaricatas hominis formam præ se ferre Avicenna, Dioscorides & alii medici atque philosophi prodiderunt. Hinc Pythagoras antiquissimus celeberrimusque philosophus mandragoram* ἀνθρωπόμορφον, *Columella* semihominem *appellavit: cujus hi sunt versus:*

Quam-

Quamvis ſemihominis veſano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœſtamque cicutam.

Zoroaſtres Diamonon *atque etiam* Archinon *vocare eſt ſolitus. Huic autem de humana forma ſententiæ ipſum quoque* mandragoræ *nomen aliquo modo videtur ſuffragari. Quid ſi enim* μανδραγόρας *dictus ſit quaſi* ἀνδραγόρας *ablata* μ *litera initiali, quaſi* ἄνδρα ἀγορεύων, *id eſt*, virum prædicans *ac præ ſe ferens. Sic* ἀνδράχλος *dicta eſt herba quædam quaſi* ἀνδρείκελος *(facta ſyncope, mutata tenui in aſperam) quòd viro ſit ſimilis. Hæc tamen (quam alii* andraden *a viro frangendo dictam eſſe volunt, ut etiam annus climactericus 63. eandem ob cauſam vocatus eſt) an eadem ſit cum mandragora, quam* ἀνθρωπόμορφον *vocant, ambigunt eruditi, teſte Cœlio Rhodig. lib. 2. cap. 12. Albertus M. ſcripſit mandragoram ſic hominis formam repræſentare, ut ſexus ac aliorum accidentium differentias oſtendat. Duplicem autem plantæ hujus ſexum (quem aliis quoque plantis ineſſe Levinus Lemnius in libro ſuo* de occultis naturæ miraculis *docet) duplicemque ejus radicem more humano divaricatam ipſa quoque vox Hebræa* Dudaiim *(quæ quidem dualis eſt numeri) manifeſtè videtur indicare. Ac mas quidem eſt candidus, quem alii* Morion *ſive* Norion, *alii* Arſen, *teſte Plinio, alii* Hipoplomon *vocant. Mandragoras autem fœminei ſexus eſt niger &* Tridachia *appellatur: quia folia habet non multum abſimilia lactucæ. Hoc tamen de humana figura non ignoro a nonnullis in dubium revocari, quod qui hodie venales reperiuntur, & hujuſmodi ſpeciem præ ſe ferunt, non natura, ſed arte, & induſtria humana tales exiſtunt.*

Præterea ſi vocis hujus etymon ſpectes, inde quoque videtur colligi mandragoram illa ſignificari. Derivatur enim a דוד, *quæ vox tria ſignificat. Primò* caldare *vel* caldarium, *vas in quo calefiunt & coquuntur carnes. (plural.* דודים ollæ, lebetes) *unde veriſimile eſt mandragoram ſic dictam vel a forma vel a colore nigro, quo mandragoras fœmina eſt prædita. Deinde* דוד *& in plurali* דודים *cùm* amorem *ſive* charitatem, *tum* ubera *ſive* mamillas *(quæ quidem amoris ſedes ſunt & illecebræ) ſignificat. Cant. 5. 7. Prov. 7. Tertio* דוד *ſignificat patruum &* דודה patruam, *nimirum ab amoris affectu. Porrò (ut obiter hæc quoque addam) a nomine Hebræo* Dod & dodim *derivantur voces Græcæ* τίτθος mamma *(unde* τιτθολαβεῖν *apud Ariſtænetum, quod proprium eſt amaſiorum) &* τιτθίον, mamilla, *&* τίτθη, *ſeu accentu in ultima* τιτθὴ, *id eſt*, mamilla *&* nutrix, *quæ etiam* τηθὰ *&* τιθήνη *appellatur. Hinc etiam* τιθελὴς *&* τιθαλλώδης, *id eſt*, a ſua avia *ſeu* avo nutritus *&* educatus, *item* delicatus, luxurioſus, ſtolidus *&* fatuus, *quod plerunque tales ſolent evadere, qui ab avis ſive aviis ſuis aluntur delicatiùs. Ab hac autem voce Hebræa* Dod *& (quæ inde deducuntur) nominibus Græcis* τιτθὸς, τιτθὶς *&* τιτθὴς mamillam *ſignificantibus, cui dubium quin vocabula noſtratia* dutten *&* düttle / *id eſt*, ubera *&* mamillæ, *ſint propagata, unde etiam* ein titteli *&* tittenſüly *vocatur puſio, infans, qui adhuc ab uberibus matris ſuæ pendet, item homo mollis & delicatus, qui ſimiliter Græcè* τίτθος, τιθέλης *&* τιθαλλώδης *vocatur. Hinc ergo (ut ad propoſitum redeam) mandragoræ Hebræis* Dudaim *ab uberibus ſimul & amoribus dictæ ſunt, partim quia ad amorem conciliandum, ad Venerem irritandam & vim generativam promovendam multifariam conducere exiſtimantur: partim quia ejus fructus, qui* μῆλα, *id eſt*, mala *appellantur (quibus ob figuram rotundam ſeu orbiculatam ſunt ſimilia) uberibus quoque ſive mamillis eandem ob figuram non ſunt diſſimilia, quæ quidem a Græcis idcirco* μῆλα, *ab Ariſtæneto in epiſtolis amatoriis* μῆλα στέρνων *appellantur. Omnino ergo nomen hoc Hebræum (*Dudaim*) amoris ſive Veneris, & (quæ amoris & ſedes, & organa & illecebræ ſunt) uberum ſive mammillarum ſignificationem habens, mandragoræ vim & naturam amatoriam ſive Veneream manifeſtè indicat, de qua multa phyſices reique herbariæ periti tradunt. Quamobrem mirum non eſt, Gen. 30. ubi agitur de duarum ſororum, quæ ambæ Jacobi fuerunt conjuges* ζηλοτυπίᾳ καὶ ζυγομαχίᾳ, *& in cantico illo amatorio ſive epithalamio ſpirituali plantæ hujus odoriferæ & ſoporiferæ luculentam expreſſamque mentionem fieri, & inter delitias ac illecebras amatorias recenſeri. Hanc ob cauſam etiam* κιρκαῖα Circæa, *ſive, ut Plinius vocat,* Circejus *fuit dictus mandragoras, quòd radix ejus philtris & amatoriis potionibus ac veneficiis crederetur apta eſſe & idonea, propter Circen famoſam & fabuloſam, quam poëtæ finxerunt hujuſmodi uſam fuiſſe fructibus & radicibus. Præterea medici volunt mandragoram cùm vim habeat* ψυκτικοῦ, *id eſt*, refrigerandi, *matrices calidas & humidas ad conceptionem diſponere & idoneas reddere, eas nimirum ad juſtam temperiem reducendo, menſtruorum fluxum ſiſtendo ac reſtringendo: denique ſomnifica ſua vi retinendi ſeminis vim matrici impertiendo, ac proinde fœcunditatis eſſe cauſam & ſterilitatis remedium: cùm aliâs uterus vel nimis calidus & ſiccus, vel nimis frigidus & humidus, teſte Hippocrate & aliis medicis, conceptui nequaquam ſit idoneus; vult tamen Mathiolus mandragoram caliditatis quoque cujuſdam eſſe participem, & inprimis humiditatis, & idcirco ſoporis conciliandi magnam vim habere. De hac autem vi ſoporifera mandragoræ multa paſſim extant apud medicos & philoſophos. Plutarchus lib. 3.* probl. convivialium, probl. 5. *Vinum ſua natura docet eſſe frigidum, cùm omnia* ψυκτικὰ *ſint* ὑπνωτικὰ *& talem quoque eſſe mandragoram. Sic apud Xenophontem in* convivio ſapientum *(quæ verba citantur ab Athenæo lib. 11.* Dipnoſoph.) *ſcriptum eſt:* Vinum animos rigans, curas & moleſtias ſopit, ut homines mandragora, hilaritatem verò excitat, ut oleum flammam. *Ad eandem alludit eleganter Plato his verbis:* τὸ δὲ γυναῖον ναύκληρον μανδραγόρᾳ ἢ μέθῃ εἴτινι ἄλλῳ ἐμποδίσαντες *&c. His addere lubet illa Ruperti Theologi verba in Cantic. 7. illa verba:* Mandragora dederunt odorem ſuum: Mandragora, *inquit*, mala habet ſuaveolentia, quæ & ἀνθρωπόμορφος appellatur, quòd habeat radicem formam hominis ſimulantem: cujus cortex vino mixtus ad bibendum datur his, quorum corpus propter curam ſecandum eſt, ut ſoporati dolorem minimè ſentiant, ſterilibus quoque mederi fertur, ut concipiant. *His verbis uno quaſi faſciculo complexus eſt vim & naturam hujus plantæ, quam deinde allegoricôs ſcitè admodum ad vocationem gentium accommodat. Ex hac mandragoræ homines inebriandi, ſopiendi & obſtupefaciendi vi nata ſunt trita & pervulgata illa proverbia:* Mandragoram bibit, *ſive* de mandragora

bibit:

bibit: ſub mandragora dormit, de homine pigro, ſomniculoſo, ſocorde, oblivioſo, ſtupido: de quibus Eraſmus in ſuis Chiliadibus. Hoc itaque ſtratagemate, nempe vino mandragora infecto & Annibal teſte Julio Frontino lib. 2. Stratagem. Imilcon, teſte Poliæno lib. 3. Stratagematum, ceu lenocinio & veneficio quodam, Aphros vini nimis avidos deceperunt ac devicerunt. Cùm igitur planta hæc ad amorem conciliandum, ad Venerem irritandam, ad generandi concipiendique facultatem promovendam, ad inebriandum & ſopiendum plurimùm valeat, mirum profectò non eſt, illam tantopere ac tam certatim a duabus illis ſororibus fuiſſe expetitam. Nam primùm, cùm, ut dixi, mandragoræ vis ſit maxima amoris conciliandi & Veneris inflammandæ (unde in philtris olim maximus & creberrimus ejus apud ethnicos fuit uſus) cui dubium, quin duæ iſtæ ſorores, quaſi corrivales propter Jacobum patriarcham communem ſuum maritum ζηλοτυπȣ̃σαι, φιλονίκως ϰ̀ μέχρι τειχῶν πολλάκις ἀλλήλαις συμπλεκόμεναι, ut elegantiſſimis illis Ariſtæneti verbis utar, hac eadem planta mariti ſui ſibi devinciendi & conciliandi gratia, quem deperibant ambæ, uſæ ſeu potiùs abuſæ fuerint? At dixerit non nemo, hoc non eſt veriſimile, cùm id fuiſſet planè alienum a pietate & religione vera, quæ in Jacobi familia, ceu vera eccleſia, vigebat. Reſpondeo: Alienum quidem id eſſe planeque abhorrere a pietate & religione (non enim philtris & hujuſmodi medicamentis ſeu potiùs veneficiis conciliandus eſt amor, ſed honeſtis moribus, amoribus, geſtibus, ſermonibus & aliis hujuſmodi rationibus) dubium etiam non eſſe, quin purus putus Dei cultus in ſanctiſſimi illius patriarchæ familia locum & exercitium ſuum habuerit. Verùm quis ignorat, illi ipſi religioni nonnullas ſuperſtitionum gentilium maculas fuiſſe aſperſas & admixtas: id quod non paucis exemplis poteſt comprobari. Quamobrem mirum non eſt, duas Labani idololatræ filias (cujus rei argumento ſunt etiam Teraphim, id eſt, imagines a Rachele furto ablatæ & occultatæ) nimio mariti ſui amore æſtuantes, & in tranſverſum raptas philtris hujuſmodi ethnico modo rituque uſas fuiſſe. Et idcirco ut alia permulta, ita hoc quoque ſororum iſtarum exemplum nequaquam ad imitationem eſt trahendum, cùm legibus non exemplis ſit vivendum. Deinde cùm Rachel fuerit ſterilis, ut magna concipiendi pariendique ſobolem cupiditate flagrarit, non mirum fuit illam mandragoram tam ardenter expetiiſſe, cùm matrices calidas nimis & ſiccas & idcirco ſteriles vi ſua ψυκτικῇ & humida ad conceptum partumque aptas reddat & idoneas. In Orientalibus enim illis regionibus calor & æſtus maximus viget, qui quidem illic habitantibus plurimorum dolorum, moleſtiarum, morborum & ſymptomatum graviſſimorum eſt cauſa, ita ut refrigerantibus & humectantibus adverſus nimiam caliditatem & ſiccitatem illis maximè ſit opus. Itaque in illis oris τὰ ψυκτικὰ, id eſt, refrigerandi vim habentia ſunt etiam ἀναψυκτικὰ, id eſt, animos & corpora reficiendi recreandique vim habent. Quod igitur Rabi Abenezra negat mandragoram ad conceptum conferre propter frigidam ſuam qualitatem, ſed illum potiùs impedire, rectè reſpondetur, id locum quidem habere in corporibus & matricibus frigidis & ſiccis, non item in calidis & ſiccis (quales ſunt mulierum Orientalium) in quibus mandragoras teſte Plinio, Conſtantino & aliis, conceptionem promovet & adjuvat. Auguſtinus ſimiliter lib. 22. contra Fauſtum Manich. cap. 56. Mandragoram non vult fœcunditatis, ſed animi & deliciarum cauſa fuiſſe expetitam, cujus hæc ſunt verba. Rem, inquit, comperi pulchram & ſuaveolentem, ſapore autem inſipido, & ideo cur mulier illam tantopere concupierit, ignorare me fateor, niſi fortè propter pomi raritatem & odoris jucunditatem. Ibidem mandragora allegoricôs vult figurari bonam famam, quam allegoriam copioſè explicat. Verùm medicis & rerum naturalium peritis plus hac in re aſcribendum eſt fidei, quàm S. Auguſtino, qui theologiæ majorem, quàm philoſophiæ ſcientiam habuit. Interim tamen non negaverim fæcunditatem illam, qua Rachel poſt ſterilitatem ſuam potita eſt, clementiæ & potentiæ divinæ potius ceu cauſæ primariæ, quam mandragoræ cauſæ ſecundæ & inſtrumentali acceptam eſſe ferendam. Adhæc cùm mandragoræ & poma odore ſuo atque eſu, & ſuccus vel ſolus vel vino permixtus ſecundum omnium medicorum & philoſophorum ſententiam, atque adeò ipſam experientiam inebriat, ſopiendique homines vim maximam obtineat, veriſimile eſt hanc quoque ob cauſam de mandragora duas illas ſorores tantopere inter ſe contendiſſe. Bibitur, inquit Plinius lib. 22. c. 13. & ad ſomnum conciliandum & contra ſerpentes, & ante ſectiones punctioneſque ne ſentiantur. Cyrillus item teſtatur medicos ſucco mandragoræ uti adverſus ægrotorum vigilias. Hanc vim ſoporiferam Levinus quoque Lemnius ſe in muſæo ſuo expertum fuiſſe teſtatur.

Lib. de herbario ſacro cap. 2. & de occultis nat. mirac. cap. 10.

Conſtat autem vinum & ſomnum duos eſſe amoris comites ac fomites, unde vinum rectè lac Veneris appellatur. Somnus ſimiliter corporis animique vires vigiliis & laboribus fractas, debilitatas & exhauſtas rigando & humectando mirificè reficit et recreat, unde homo poſtea cùm ad actiones tum ad actum Venereum tantò eſt alacrior & promptior.

Præterea cùm Lea oculis fuerit lippis prædita, hanc quoque ob cauſam probabile eſt illam mandragora uſam fuiſſe ceu remedio adverſus oculorum inflammationes et ulcera idoneo valde et efficaci.

Poſtremò ſuperioribus rationibus & conjecturis, unde conſtat voce Dudaim mandragoram intelligi, tres adhuc colophonis loco addi poſſunt.

Prima ducta eſt a loco. Mandragoras enim teſte Mathiolo ex Galeno, in montoſis locis potiſſimum naſcitur, & idcirco magna ejus copia in Gargano monte Apuliæ provenire dicitur. Talis autem regio Judæa valde montoſa.

Secunda ducta eſt a tempore. Nam meſſis triticeæ tempore a Rubeno Dudaim fuit inventa: conſtat autem mandragoram meſſis tempore provenire, ut rei herbariæ periti tradunt.

Tertia eſt, quod Cant. 7. ſtatim poſt mentionem vitium & malorum granatorum Dudaim fit mentio. Atqui mandragoras gaudet vitibus iisque facilè agnaſcitur, quibus ſi applantatur, ita vim ſuam iis infundit, ut vinum inde confectum & infectum bibentibus καταφορὰν, id eſt, ſoporem profundum inducat. Unde Plutarchus in libello de audiendis Poëtis, Quemadmodum, inquit, mandragoras juxta vites naſcens, ſuamque in vinum vim diffundens efficit, ut ſuaviùs dormiant, qui id biberunt: ſic poëſis e philoſophia doctrinam depromens, eamque fabulis permiſcens, facilem ejus & gratam adoleſcentibus perceptionem præbet.

Et

Et hæc quidem de mandragora, quæ non ἀπροσδιόνυσα hîc inserenda esse putavi, quæ Lectoris benevoli equidem candido judicio libenter subjicio.

Redeo ad incommoda ebrietatis: quæ quot & quanta corpori interdum importet damna, nemo est qui vel cogitatione, nedum oratione consequi queat. Hæc Syracides noster breviter perstringit, dum vinum sine modo sumptum vires dicit imminuere, scilicet corporis: nam eleganti antithesi dicit illud animum quidem insipientis augere, vires autem scilicet corporis imminuere. Corporis ergo & sanitatem, & robur, & formam quoque convellit atque labefactat. Ebrietas enim stomacho cruditatem inducit, epar inflammationibus accendit, pulmones putrefactos dissolvit, corpus totum tremore concutit, caput vertigine rotat, pedes certis gressibus incedere prohibet. Hæc ipsa dum spiritus violenti superna petunt, & inde repercussi venas implent, atque obstruunt, frequenter morbi comitialis, sæpe etiam mortis repentinæ causa est. Adde his oculorum lippientium rubedinem, anhelitus fœtorem intolerabilem, dentium putredinem atque scabriciem, aurium undosum spiritum, linguæ balbutiem atque hæsitantiam, manuum tremorem & ineptas gesticulationes, pedum incertos lubricosque gressus, turpes ventris causa ronchos & motus, alvi & vesicæ vinculorum relaxationem, frontis rugas, narium mucorem, nasi rubedinem coctili cancro similem, acutissimos calculi dolores, lentos podagræ & chiragræ cruciatus, aquæ intercutis fœdissimum fluxum, & infinitos alios morbos, qui ex isto semente instar segetis luxuriantis enascuntur. Hinc Lucretius canit,

Incommoda corporis quæ ex ebrietate oriuntur.
Ebrietas sanitatem & robur corporis labefactat.

Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt.

Seneca ad Lucil. de ebrio: *Adjice illum ignorantem sui, dubia & inexplanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum.* His similia illa Juvenalis sunt Satyr. 6.

Quum bibitur concha, quum jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exurgit mensa lucernis.

Ex ebrietate pulmones ustione vini quotidiana putrescunt, & per ora veluti mortuorum spiritus tetros emittunt. Augustinus lib. *ad sacr. virg.* cap. 1. His similia sunt illa Clementis Alexan. lib. 2. *Pæd.* cap. 2. Οἴνῳ δὲ ἀμέτρῳ ἡ γλῶττα μὲν παραποδίζεται (unde etiam *tempestas linguæ* ab Augustino vocatur) παρεῖται δὲ τὰ χείλη, ὀφθαλμοὶ δὲ παραστρέφονται, οἷον κολυμβώσης τῆς ὄψεως ὑπὸ τοῦ πλήθους τῆς ὑγρότητος, καὶ ψεύδεσθαι βεβιασμένοι, κύκλῳ μὲν ἡγοῦνται περιφέρεσθαι τὰ πάντα. ἀριθμεῖν δὲ οὐ δύνανται τὰ πόρρω ὡς ἐστὶ μόνα, καὶ αἱ βάσεις καθάπερ ῥεύματι ἀποφέρονται, λυγμοί τε καὶ ἐμετοί, καὶ παραφροσύναι, id est, *vino immodico lingua præpeditur, labia solvuntur, oculi detorquentur ac divertuntur (cùm præ humiditatis multitudine visus tanquam in piscina natitet) & mentiri coacti existimant quidem omnia in orbem circumagi, numerare autem non possunt quæ procul sunt, tanquam sint unica, gressus tanquam fluctu impellente subsidunt, nec possunt locum tenere, ructusque ac singultus, vomitusque atque deliria pro ludo & delectamento subeunt.* Eosdem postea vocat σφαλλομένους, αὐχμῶντας, ὠχρῶντας τὰ πρόσωπα, πελιδνούς, id est, *cespitantes, sordidatos, vultu pallido & livido præditos, hesternæ temulentiæ aliam infundentes.* Plinius quoque quantum ebrietas noceat corpori, his verbis docet lib. 14. cap. 22. *Hinc* (ex ebrietate) *pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus effundentes plena vasa, &* (quæ sit pœna præsens) *ferales somni & inquies nocturna. Postera die ex ore halitus fætidi, &c.* Valeriola lib. 2. *Loc com. Quid vino,* inquit, *perniciosius? quid pestilentius? cùm id immodicè sumtum vitam ac valetudinem perdat, paralysin, stuporem, apoplexiam, nervorum incontinentiam, furorem, rabiem, convulsionem, vertiginem, arthritidem, cæcitatem, malum habitum, omniumque frigidorum morborum colluviem tandem inferat? &, ut in summa dicatur, verissima sit homini pestis?* Vinum ἄκρατον, inquit Mnesitheus apud Athenæum lib. 1. efficit παράλυσιν τῶν σωμάτων. Ennius articulari morbi fuit consumptus, quem ex immodico usu vini contraxerat, teste Sereno. Vinum morborum esse causam, Plutarchus quoque docet lib. 2. *Symp. Prob.* 1. Idem 3. *Symp. Prob.* 3. eadem ebrietatis quæ senectutis dicit esse manifestissima symptomata, nempe τρόμους ἄρθρων, ψελλισμοὺς δὲ γλώσσης, πλεονασμοὺς δὲ λαλιᾶς, ὀξύτητας δ' ὀργῆς, λήθας τε καὶ παραφορὰς διανοίας, id est, *tremorem membrorum, linguæ hæsitantiam, garrulitatem, iras acres, oblivionem, & errorem mentis:* ac proinde mirum non esse, si senes facilè inebrientur, nihil seni tam esse simile quàm juvenem temulentum. Idem eodem in lib. 3. *prob.* 5. quo quæritur, *an vinum facultate sit frigidum*, eadem quæ a frigore, ab ebrietate quoque corpori accidere scribit incommoda, nempe τρόμους, βαρύτητας, ὠχριάσεις, σάλους τοῦ περὶ τὰ γυῖα πνεύματος, ἀσάφειαν γλώττης, ἔντασιν τῶν περὶ τοῖς ἄκροις νεύρων καὶ ἀποναρκήσιν· τοῖς δὲ πλείστοις εἰς πάρεσιν αἱ μέθαι τελευτῶσι, hoc est, *tremorem, gravedinem, pallorem, agitationem spiritus in membris, linguæ titubationem, contentionem extremitatum in nervis ac torporem. Plerisque ebrietatem in resolutionem desinere, ubi merum calorem omnino profligavit & extinxit.* Hæc porrò incommoda corpori a temulentia illata sanari dicit tegmine ab initio injecto atque decubitu: postridie lavacro, unguento, cibisque sensim calorem corporis vino profligatum revocantibus. Dioscorides libro quinto capite septimo similiter testatur, omnem ebrietatem præsertim jugem, ac continuatam valdè esse perniciosam: quoniam nervi copioso vino diebus singulis obsessi trucidant manus, totiusque corporis compago solvitur. Seneca ad Lucilium, *Epulæ cruditates afferunt, ebrietates nervorum torporem tremoremque, & libidines pedum, manuum, articulorumque omnium depravationes.* Quare Propertius lib. secundo Eleg. 4. eleganter canit:

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Hac de re vide plura apud Avicennam 3. 1. *doc.* 2. cap. 8. ubi testatur sex morborum genera in humanis corporibus

An utile sit nonnunquam inebriari.

poribus excitari, vino immodicè sumpto, quæ etiam Galenus lib. 3. *de Temperamentis*, confirmat. Avicenna tamen loco ante citato, non parum emolumenti ex eo consecuturum putat, si quis semel in mense inebrietur, quo videlicet per ebrietatem vomitus exciteтur, ut qui maximè ab ægritudinibus chronicis, hoc est, longis ac malis tueri nos queat. Sed Rabbi Moses *Tractatu* quarto ad Soltanum Babyloniæ, hanc illius sententiam ceu falsam, his verbis convellit: *Nocet*, inquit, *ebrietas omnis, & maximè assidua. Erravit ergo, qui esse putavit utilem ebrietatem semel in mense.* Quin eadem etiam a Gulielmo Plantino lib. 1. cap. 8. *de curatione membrorum*, & Gerdonio parte 2. l. 4. cap. 21. & a Valesco lib. 1. *Philonii* cap. 8. redarguitur, ut quibus præservari, quàm curari melius esse videatur. Ut ergo sobrietas atque temperantia mater est atque nutrix sanitatis, ita contrà ebrietas parens est atque procreatrix, & nutricula blanda, perniciosa omnis generis morborum: nec animum tantùm, verumetiam corpus sua sanitate privat atque spoliat. His adde, quòd per ebrietatem externis quoque modis violentis, ut casu, lapsu, offensione, percussione corporis membra gravissimè lædi, vel etiam totum hominem subita morte interire sæpissimè contingit. Hinc ergò apparet, quàm gravi scelere sese obstringant strenui isti potatores, qui dum & ipsi sese vino nimio ingurgitant, & alios ad idem faciendum impellunt atque cogunt, non se modò, verumetiam alios innumeris morborum, mortisque vel lentæ, vel etiam repentinæ periculis exponunt, suum, aliorumque animum, corpusque perdunt, ita ut ἀνδροφονίας meritò, atque αὐτοφονίας nomine sint accusandi. Non vinum profectò, sed virus potiùs atque venenum, & animi & corporis, immanissimi illi potatores sibi invicem propinant: atque ita sese mutuò, ceu Cadmæi fratres conficiunt atque consumunt.

NOTA.

Ebrietas etiam bona quæ dicuntur fortunæ perdit.

Nec verò animum tantùm atque corpus, sicuti dictum est, & utriusque bona, quæ animi corporisque bona appellantur, temulentia perdit, verumetiam in opes, & facultates ad vitam hanc corpoream sustentandam necessarias grassatur, & illas quoque absumit atque perdit: unde egestatem, mendicitatemque ignominiosam consequi est necesse. Nulla profectò est pestis, quæ rei domesticæ tantùm obsit. Nam quod per multos dies toti familiæ alendæ sufficere poterat, uno die, aut etiam pauculis horis ebriosus paterfamiliâs absumit, neque pecuniæ modò, verumetiam temporis jacturam facit, quod in opere faciendo debebat impendi: & familiam totam negligens, tam uxorem quàm liberos egestate perire sinit, ita ut non in alios melius quam in ebriosos illud Apostoli conveniat, 1. Tim. 3. *Si quis suis, & maximè familiaribus atque domesticis non prospicit, ac consulit, is fidem abnegavit, & est infideli deterior.* Unde Augustinus libro *ad Sacras virgines* capite 1. *Ebrietas, ut cernimus, quotidie amplarum familiarum plurimas labefacit, & cura gubernationis destitutas, parentum avorumque suorum benè diuque congregata, atque ingenti pretio comparata, vili numero distrahere fecit.* Hinc Diogenes Cynicus cùm videret hominis vino deditissimi ædes vænales esse, ex januæ inscriptione, *Sciebam*, inquit, *te præ vini crapula tandem domum evomiturum*, author est Bruso. lib. 1. cap. 9. Hinc rectè Solomon, *Qui vinum amat, & pinguia, non ditescet.* Idem cap. 23. sic scribit: *Non sis inter potatores vini, & cum illis qui devorant carnes. Potator enim & comessator ad inopiam redigetur, & laceris vestibus induet se, qui assuevit dormitationi.* Nec verò privatæ tantùm, verumetiam publicæ inopiæ, egestatis, caritatisque causa est ebrietas. Nam quò plus vini absumitur, seu perditur potiùs atque corrumpitur, tantò magis vini & annonæ caritatem & inopiam crescere & augeri necesse est. Tantam itaque mendicorum turbam alienis inhiantium hodie inter Christianos passim grassari atque vagari cum maximo rerumpub. dedecore, damno ac periculo, mirum profectò non est, ejusque causam ebrietati potissimùm atque luxuriæ effrænatæ atque indomitæ esse ascribendam, nemo credo, qui sanæ sit mentis, inficiabitur. Nec verò egestatem tantùm, verumetiam dedecoris atque ignominiæ notas plurimas hominibus ebrietas inurit, propter multa turpia dicta atque facta, quæ ab iis ebrietate excæcatis designari solent. Nullum profectò est vitium quod hominis honorem, famam, existimationem, dignitatem authoritatemque magis deformet atque minuat. Quid dicam, quòd tempus quoque, quo nihil preciosius, quodque honestis atque utilibus actionibus, laboribusque impendi oportebat, similiter ut & alia preciosissima quæque bona perdit. Unde Augustinus ebrietatem *temporis amissionem* vocat, & illam tempora furari, dies surripere dicit. Huc quoque pertinent hæc ejusdem patris verba, observatione dignissima: *In ebriosis*, inquit, *non ratio ulla, non ullum vitæ gerendæ consilium, non gestorum aut lectionum memoria, nec ulla artium, aut industriæ providentia: utpote quem prandio accumbentem Solis occidentis videt occasus, & cœna pernoctantem insperatus occupat dies, & dum jugi amentia dies noctesque discumbendo dormitat, bibit, in hac vita adhuc positus sepelitur. Ebriosos*, dicit Paulus, *noctu ebrietati indulgere:* at hodie Christiani diurnum nocturnumque tempus in immanissimis illis suis helluationibus atque potationibus consumunt. Denique quod cumulus est omnium malorum, ebrietas homines cœlestis illius regni hæreditate æterna privat, & in tartaream illam æternarum miseriarum regionem præcipitat, secundum illud Pauli: *Ebriosi regnum Dei non possidebunt.* Et quis miretur Deum ebriosis hominibus æterni illius ignis, mortisque pœnam comminari, atque etiam sine fide atque pœnitentia hinc decessuris infligere, cùm ebrietas omnis quasi impietatis improbitatisque legum atque juris violatrix, vitiorum flagitiorumque omnium procreatrix atque nutrix, Deo hominibusque infesta atque inimica. Ebrietate namque potissimum lex illa divina, ab ipso Deo multis ante sæculis in monte Sinai & promulgata, & literis memoriæque consecrata, quæ omnium legum mater est & origo, æquitatis officiique, quo Deo, hominibusque sumus obstricti, epitome atque compendium, impiè nefarieque violatur, quemadmodum pluribus facilè demonstrari posset. Ebriosi namque, ut rem paucis perstringam, primò in ipsum Deum graviter peccant atque injurii sunt, dum idolo illi suo sive dæmoni, ceu Deo alieno hoc est, Baccho dediti atque mancipati (qui multa in illorum mentibus idola, hoc est, errores, atque opiniones perversas atque præposteras gignit) Deum verum, ejusque cultum justum atque legitimum negligunt, imò etiam

Ebrietas publicæ inopiæ causa est.

Ebrietas æterni exitii causa.

Ebrietate tota lex divina violatur.

Ebrietas idololatria est.

etiam despiciunt, contemnunt atque irrident. Deinde nomen, numenque illius augustum ac sacrosanctum suis blasphemiis atque dejerationibus, quas inter immania illa sua pocula eructant, polluunt atque contaminant. Præterea Sabbatum aliosque dies festos, divino honori consecratos, nefariis illis suis potationibus, multisque quæ illas comitantur, ac consequuntur, non modò vanis, verumetiam impiis actionibus violant ac conspurcant. Jam verò, quantum damni & detrimenti homines ebriosi proximo suo inferant, nemo est, qui verbis explicare possit. Nam primò parentes, aliosque qui illis parentum loco esse debebant, ut præceptores, tutores, patronos, magistratus suos, homines denique senili ætate atque prudentia præditos non modò debito justoque honore detraudant, sed etiam ignominia, dedecore, plurimis contumeliis atque injuriis afficiunt. Deinde sunt ad cædes, ad stupra & adulteria, ad mendacia atque perjuria proclives atque propensi, quibus proximi vita, fama atque fortunæ læduntur. Denique cupiditatis suæ, quam in illis ebrietas accendit, nefariæ oculos ad proximi servos, ancillas, uxorem, opes atque fortunas adjiciunt, illisque potiri omni virium suarum contentione moliuntur. Meritò ergo ebriosi ceu manifestarii totius legis divinæ violatores in Deum hominesque injurii, contumeliosi atque ingrati, non temporalibus modò, verumetiam æternis pœnis a Deo mulctantur.

Ebrii Sabbathum violant.

CAPUT IX.

EBRIETAS POPULIS UNIVERSIS AC OMNIS AETATIS, SEXUS, ORDINIS CONDITIONISVE HOMINIBUS EXITIALIS, OMNIS SOCIETATIS OFFICIIQUE PERTURBATRIX. DE VINIS FACTITIIS, QUORUM DUO SUNT PRAECIPUA, ZYTHUM ATQUE SIDRA, DE QUIBUS PAUCA.

Syracides porrò noster in generali illa propositione non simpliciter dicit vinum homines perdere, sed addit multos, quod ipsum quoque consideratione dignum est: nam inde quàm latè pateat, atque diffusa sit vis ebrietatis pestifera, quamque non paucis tantùm, sed universo hominum generi infesta atque noxia sit, manifestiùs adhuc patebit. Primò ergò constat totos populos, hujusce vitii contagione ceu peste atque lue quadam infectos, devastari atque perdi. Populi φίλοινοι καὶ πολυπόται ab Athenæo lib. 10. cap. 4. hi commemorantur: Tapiri, qui vini adeo fuerunt avidi, ut nullo unguento nisi vino usi fuerint. Phigalenses, qui in cauponis semper habitarunt, timidi atque imbelles. Bizantii, qui mercaturæ quoque dediti, totam noctem perpotare fuerunt soliti. Tirynthii atque Argivi, qui inter pocula pugnaces fuerunt, in præliis strenuè fugerunt. Milesii ebriosi simul & ὑβρισταί, id est, *injurii*. Elienses vinolenti, atque mendaces. Thraces omnes bibacissimi extiterunt. Chalcidenses, qui neglectis optimis institutis, totos se potationibus, ignaviæ atque intemperantiæ dediderunt. Methymnæi, qui a Cleomene tyranno atque Periandro contumeliosissimè unà cum suis uxoribus tractati fuerunt. Assyrii, qui mulieres quoque unà secum in cauponas atque convivia publica ducere consueverunt, quas cuivis præsentium ad potandum provocare liberum erat atque concessum, ipsique tandem à mulieribus domum abducebantur, unde κακόβιοι ob insignem luxuriam fuerunt appellati. His addit Ariæos, qui singulis diebus inebriari atque epulari fuerunt soliti, tandemque à Celtis fuerunt victi. Item Ægyptios, qui destituti vino, hordaceum vinum conficiunt, quo poto non secus atque vino obruti, lætari, canere, saltare consueverunt. De Parthis vetere proverbio dictum est, quò plus biberint, eò plus sitire. Habet enim hoc temulentia, ut posteaquàm obsurduit palatum, magis ac magis cupiant haurire. Sic & veteri proverbio, *Leontini semper juxta pocula*, vel *crateras* dicuntur. Hos enim ubi Phalaris expugnasset, ne quando rebellionem pararent, ademptis armis ad compotationes & voluptates rejecit. Indorum quoque φιλοινίαν Athenæus lib. 10. cap. 12. describit, apud quos Alexander Magnus ἀκρατοποσίας certamen instituit, ut idem testatur. Hinc Ἰνδικοὶ κῶμοι καὶ μέθαι, ad quas Antiochum Epiphanem conversum scribit. Clemens Alexan. lib. 2. *Pædag.* cap. 2. ebrietate maximè uti dicit Scythas, Celtas, Iberos atque Thraces, gentes bellicosas, quibus pulchrum hoc, ac beatæ vitæ studium, & institutum videtur esse, ἡμεῖς δὲ, addit ibidem, τὸ εἰρηνικὸν γένος, εἰς ἀπόλαυσιν, οὐκ εἰς ὕβριν ἑστιώμενοι, νηφαλίους πίνομεν φιλοτησίας· *Nos autem qui sumus genus pacificum, ad usum, non ad petulantiam, & contumeliam convivantes, sobriis haustibus amicitiæ ergò bibimus, ut vero & convenienti nomine amicitiæ pocula appellentur.* De Thracum porrò atque Scytharum, ferocissimarum gentium, vinolentia simul atque violentia multa veterum testimonia extant, quam Plato lib. 1. *de Legibus*, his verbis notat, Σκύθαι μὲν καὶ Θρᾶκες ἀκράτῳ παντάπασι χρώμενοι γυναῖκές τε καὶ αὐτοὶ καὶ κατὰ τῶν ἱματίων καταχεόμενοι καλὸν καὶ εὔδαιμον ἐπιτήδευμα γιγνώσκουσι. Ad hanc & Anacreon, & Horatius in suis carminibus sæpe alludunt. Hinc *Scythicæ* atque *Thraciæ potationes* pro meracibus atque luxuriosis olim proverbii loco fuerunt usurpatæ, quemadmodum apud Græcos de homine saturo, & qui moris habet se cibo potuque ingurgitare, proverbium fuit: *Est merus* ἀσκὸς, & *merus* θύλακος. Item *est lagena, cotylo & cotyla*, de quibus vide Casaubonum in Theophrasti *Characteres*: sicut de temulentia Junii *historiam Batavicam*. Apud Ger-

Populi ebriosi.

Germanos, teste Tacito, *diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebræ ut inter vinolentos rixæ, rarò conviciis, sæpiùs cæde & vulneribus transiguntur.* Et paulò post: *Adversus sitim non eadem intemperantia. Si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minùs facilè vitiis quam armis vincentur.* De Græcorum quoque bibacitate plenæ sunt veterum historiæ. Unde *græcari, pergræcari*, *Græcorum more bibere*, pro intemperantiùs potare. Horatius lib. 2. Sat. 2.

Militia assuetum Græcari, seu pila velox.

M. Tul. Cicero *Verrin.* 3. *Fit sermo inter eos, & invitatio, ut Græcorum more biberetur.* Plautus *Mostell.*

Dies noctesque bibite: pergræcamini,
Amicas emite, liberate, pascite parasitos, opsonate pollucibiliter.

Idem *Bacch.* *Atque id pollicetur, se daturum aurum mihi,*
Quod dem scortis, quodque in lustris comedam, & congræcem pater.

Quod si quis autem & harum, & quæ commemoratæ sunt, & aliarum gentium antiquarum, quæ quidem ebrietati inservierunt, historias evolvat atque consideret, reperiet præcipuam illarum exitii atque interitus caussam extitisse ebrietatem atque luxuriam, quæ, teste Paulo, ebrietatis est comes, & ut scitè Hieronymus in illum locum inquit: *Primogenita est ebrietatis filia.* Unde contrà alios populos legimus vinum ad se importari prohibuisse, ne illo effœminarentur, ac severis legibus atque pœnis ebrietatem coërcere fuisse solitos, ut de Lacedæmoniis, Locrensibus, Epizephyriis, Massiliensibus aliisque populis literis memoriæque proditum est: de quo Athenæus lib. 10. cap. 9. & 10. Hodie, proh dolor, Christianorum gens atque natio, ebrietatis studio, & amore reliquas ferè gentes omnes, quantumvis barbaras, crudeles, immanes, à vera religione abhorrentes, & alienas longè, vincit ac superat: ac proinde justo Dei judicio ab iisdem quotidie ferè armis vincitur, illarum rapinæ, direptionibus atque depopulationibus est exposita: illarum denique imperio atque tyrannidi magis magisque subjicitur. Ut igitur veteres illi Byzantii atque Thraces sua ebrietate atque intemperantia libertatem imperiumque perdiderunt, sic novi isti Byzantii atque Thraces, hoc est, Turcæ truces atque feroces, partim sua sobrietate, partim nostrorum ducum militumque intemperantia (id quod vel inviti cogimur fateri) Christianorum libertatem imperiumque magis magisque imminuunt ac labefactant, contrà sui imperii fines atque terminos latius indies extendunt.

Populi abstemii.

Christiani cur Turcis bello inferiores sint.

Ebrietas omnis ætatis, sexus atque conditionis hominibus noxia & exitialis est.

Ebrietatem porrò omnis ætatis, sexus, conditionis atque ordinis hominibus exitialem esse, nemo sobrius credo, sanæque mentis negabit. Quoad ætatem, Plato in lib. 2. *de Legib.* senibus quidem liberaliorem vini potum usumque concedit, ὡς ἐπίκουρον τῆς τοῦ γήρως αὐστηρότητος φάρμακον, ὥστε ἀνηβᾶν αὐτοὺς, καὶ δυσθυμίας λήθην γίγνεσθαι, μαλακώτερον ἐκ σκληροῦ τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος, καθάπερ εἰς πῦρ σίδηρον ἐνθέντα γιγνόμενον καὶ οὕτως εὐπλαστότερον εἶναι, id est, *ceu auxiliare adversus senectutis austeritatem pharmacum, quo rejuvenescere videantur, & mœstitiæ illos capiat oblivio, ipseque habitus animi mollis è duro factus, ut ferrum igni impositum, tractabilior fiat.* Idem docet Clemens Alexandr. lib. 2. cap. 2. *Pæd.* ubi senibus eousque permittit vino indulgere, dum & rationem & memoriam habuerint adhuc vigentem, & corpus immotum & inconcussum. Vide Galenum lib. *Animi mores temperaturam corporis sequi*, & lib. 5. *de sanitate tuenda*, ubi vinum senibus aptissimum esse dicit. Senes mero magis delectari, & quæ ejus causa, vide Plutarchi *sympos.* lib. 1. *Probl.* 7.

Senibus quatenus indulgere liceat.

Pueris autem & adolescentibus non absque ratione vini usum Plato interdicit ad 8. usque ætatis annum, ad furiosum juventutis habitum coërcendum: deinde ut vino moderatè utantur ad annum usque 20. suadet, ab ebrietate verò, immoderataque vini intemperantia abstineant, cùm absurdum simul sit & periculosum πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν, id est, *ignem igni addere.* Immoderatus verò vini usus non juvenili tantùm, sed etiam senili ætati indecorus est, turpis atque perniciosus. Idem docet Clemens Alexand. lib. 2. cap. 2. ab initio: vult enim pueros & puellas omnino abstinere: ex quo ceu igne igni addito erumpant, ὁρμαί τε ἄγριαι καὶ φλεγμαίνουσαι ἐπιθυμίαι, καὶ διάπυρον ἦθος, *agrestes & immanes appetitiones, cupiditates ardentes, mores ignei, &c.* Plura ibidem quomodo potus singulis ætatum gradibus sit accommodandus, docet. Idem ex Platone docet, & confirmat Galenus libro, *Quod animi mores, &c.* Idem libro quinto *de sanitate tuenda*, vinum pueris alienissimum, senibus aptissimum esse docet. Pueris & nutricibus non esse dandum vinum Aristoteles monet *de Somno & vigilia.* Et Avicenna, *Vinum pueris*, inquit, *dare, est ignem igni addere lignis debilibus.* Sed quod de immoderato vini usu dictum est, illum non modò juvenili, sed etiam senili ætati esse indecorum, turpem & perniciosum, de utroque sexu est intelligendum. Apud Massilienses & Milesios vini usus mulieribus fuit interdictus, teste Leont. lib. 3. cap. 87. & 88. nec non apud Romanos: de quo vide plura apud Athenæum lib. 10. cap. 13. ex Polybii lib. 6. Valerium Maximum lib. 2. Dionysium Halycarnass. in Romulo, Plutarchum in *Probl. Rom.* cap. 6. Arnobium lib. 2. *adversus gentes*, Tertullianum in *Apolog.* Gellium lib. 4. cap. 14. Ælianum lib. 2. *Variæ historiæ*, Ciceronem libro 2. *de natura Deorum*, & lib. 3. & 4. *de Repub.* ut citatur a Carolo Sigonio in *Fragmentis*, Plinium lib. 14. cap. 13. Dionysius Romulum mulieribus vinum prohibuisse scribit, φθορᾶς μὲν ἀπονοίας ἀρχὴν νομίσας, μέθην δὲ φθορᾶς. Mulierum contrà vinolentarum exempla antiqua vide apud Athenæum lib. 10. cap. 13. Sed non opus est recitare temulentarum mulierum exempla antiqua, hodierna habemus inter nos Christianos plurima. Quàm verò mulieribus vitanda sit ebrietas, vide multa apud Augustinum lib. *ad Sacras virgines* cap. 3. Hieronymus in lib. *de Virginitate conservanda*, Adolescentulas dixit, ita vinum debere fugere ut venenum, ne pro ætatis calore ferventi bibant, & intereant. *Inde est*, inquit Isidorus lib. 10. cap. 4. *quòd apud veteres Romanos fœminæ non utebantur vino, nisi sacrorum causa certis diebus.* Mulier quippe ebria, ut testatur Ecclesiastes cap. 26. vers. 11. ac mente alienata

nata animum graviter offendit: ut quæ turpitudinem ſuam non celet. ὀργὴ μεγάλη γυνὴ μέθυσος, οἱονεὶ χόλος θεοῦ ῥινομάχλη γυνή. ὅτι ἀσχημοσύνην αὐτῆς οὐ συγκαλύπτει. *Ira magna eſt mulier ebria, tanquam ira Dei temulenta.* Ignatius Metellus, ut teſtatur Valerius Max. lib. 6. cap. 3. uxorem quòd vinum bibiſſet, fuſte percuſſam interemit. Idque factum non accuſatore tantùm, ſed etiam reprehenſore caruit, unoque exiſtimante, optimo illam exemplo violatæ ſobrietatis pœnas pependiſſe. Et ſanè quæcunque fœmina vini uſum immoderatè appetit, & virtutibus omnibus januam claudit, & delictis aperit. *In triclinio Choa:* Proverbium de muliere biboſa, nimiſque garrula: de quo vide Junium in *adag.*

Præterea cujuſcunque homines ſint ordinis atque conditionis, ebrietas illis omnibus ceu certiſſima peſtis ſemper eſt fugienda. Eorum autem inprimis periculoſa valdè, & cùm illis ipſis, tum aliis & dedecori atque ignominiæ, & noxæ atque fraudi maximæ eſt, quos Deus in excelſiore aliquo honoris ac dignitatis gradu locavit, quoſque aliis hominibus præfecit, cujuſmodi ſunt cùm Regnorum atque Rerumpublicarum, tum Eccleſiarum rectores, ſacrorumque Antiſtites. Hi in primis rebuſpublicis atque Eccleſiis maxima damna ac detrimenta important. Unde veriſſimè Solomon dixit Eccleſiaſtici decimo: *Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt, & cujus principes manè commeſſantur.* Et idem Proverbiorum trigeſimo primo, *Regibus vinum dare prohibuit* hanc addens rationem, *ne juris obliviſcantur.* Sic Oſeæ quoque ſeptimo & Amos ſexto, ebrietas in Regibus regnique proceribus graviſſimè damnatur. Hinc Solon legislator ſapientiſſimus Principem morte mulctandum cenſuit, ſi ebrius deprehenderetur. Nec inſcitè mulier illa quæ a Philippo Rege temulento injuſtè damnata fuerat: *Provocarem*, inquit, *ad Philippum, ſed ſobrium.* Nec enim Philippum verum, vel Regem eſſe arbitrabatur, qui per ebrietatem mente alienatus pro tribunali ſedebat. Auguſtus ergo Imperator laudandus, qui rebus bellicis incumbens, ter inter cœnandum tantùm bibebat, teſte Suetonio. Plato, Ariſtoteles, Euſebius, & maximus medicorum Galenus, laudant legem Carthaginenſium, qua nullus in militia, & caſtrenſibus rebus occupatus, vinum ullo tempore guſtare permiſſus eſt, ſed toto militiæ tempore aquam bibebant. Apud Indos Regi minimè licebat ullo tempore ebrium fieri, at apud Perſas uno tantum die, quo Soli ſacra faciebat, & inebriari, & Perſico more tripudiare erat conceſſum, ut teſtis eſt Athenæus lib. 10. cap. 11. Multa in hiſtoriis antiquis extant Regum atque principum temulentorum exempla, quos conſtat omnes ſua temulentia maxima regnis atque rebuſpub. quibus præfuerunt, vulnera inflixiſſe, ac tandem tragicum, ignominioſumque vitæ exitum fuiſſe ſortitos. Sic enim Ela Rex Iſraëlis in Thirſa potans, & temulentus occiditur, 3. Reg. 16. Holofernem Juditha vino ſomnoque ſepultum trucidavit. Judith. 2. Balthaſar Rex Chaldæorum poſtremus per temulentiam & crapulam ſacra vaſa ſuperbia violavit: quapropter regno ſimul & vita ſpoliatus fuit, ſicuti ſcriptum eſt Dan. 5. Horribile temulentiæ facinus a Cambyſe Cyri filio deſignatum fuit in Paraxaſpis amici paterni filium, qui eum admonuit ebrietatis fideliter quidem, ſed infeliciter, teſte Seneca lib. 3. *de Ira.* Alexander ille Magnus multis rebus præclarè geſtis, multis potitus victoriis, totoque ferè Oriente in poteſtatem ſuam redacto, intemperantia temulentiaque in Cliti, aliorumque amiciſſimorum fideliſſimorumque hominum cædem prolapſus eſt, tandemque magno poculo, quod Proteas illi propinarat exhauſto, vitam turpiſſimè finiit. Unde Seneca, *Alexander Magnus ſcypho Herculano, victus eſt, antea invictus,* lib. 12. *Epiſt.* 84. De quo vide Q. Curtium, & Athenæum lib. 10. cap. 11. ubi plura de inſana illius φιλοποσίας tradit, quem etiam ob ebrietatem ἀναφρόδιτον, id eſt, minus in Venerem propenſum fuiſſe ſcribit, cùm aliâs vinum Veneris ſit lac, id eſt, irritamentum, ut vulgò dicitur. Eadem de Alexandri Magni πολυποσίας etiam Plutarchus habet lib. 1. *Sympoſ. Prob.* 1. & 6. in libro *de ſanitate tuenda*, ubi inquit, illum qui non auſus eſt adverſari illum cogenti ad bibendum interiiſſe. Ut autem Proteæ ceu pernicioſiſſimi adulatoris damnanda fuit propinatio illa, qua Regi illi mortem immaturam attulit, ita contra laudanda & imitanda Calliſthenis ſobrietas, qui tanto Regi ſe ad illas ſpecie humanas & amicas, reipſa autem immanes atque pernicioſas invitanti parere noluit, ut teſtis eſt Athenæus ibidem, nec non Plutarchus 1. *Sympoſ. Prob.* 1. qui addit, idcirco illum craterem ſibi propinatum recuſaſſe, ne Æſculapio ſibi eſſet opus, quemadmodum ibidem docet Plutarchus, vinum morborum eſſe cauſam. Quàm paucos, proh Deum immortalem, hodie in Regum & Principum aulis Calliſthenes, quàm multos autem Proteas, ſeu potius Proteos, hoc eſt, pernicioſiſſimos aſſentatores reperire licet, qui ſe in omnes formas vertunt, ac Principum ſuorum libidinibus atque cupiditatibus nefariis turpiſſimè obſequuntur. Athenæus eodem in libro plura profert Regum vinolentorum exempla, ut Philippi patris Alexandri, qui cùm natura, tum ob ebrietatem furioſus, & in pericula temerarius, ac moribus intemperans fuit, ſcurras atque tibicines ſemper ſecum habuit, multaque per temulentiam indecora, & à majeſtate Regia aliena geſſit. Item Dionyſii junioris Siciliæ tyranni, qui per dies aliquando nonaginta continuos potare fuit ſolitus, & ob ebrietatem ἀμβλυωπότερος τὰς ὄψεις, id eſt, *hebetiore viſu* fuit: unde illius adulatores Διονυσιοκόλακες dicti, ſe nihil cernere, neque epulas, neque calices appoſitos agnoſcere, & ab illo manu duci fingebant, de illius monſtroſa bibacitate, vide plura ibidem. Item Niſæi Regis Syracuſanorum, & Apollocratis (qui ambo Dionyſii prioris filii fuerunt) quorum ille quidem intemperantiſſimus ſimul & libidinoſiſſimus extitit, ac veluti in morte fuiſſet deprehenſus, cognoviſſetque ſe paucos menſes victurum, ebrietati, ventrique indulgebat: illum autem adulatorum quidam à patre alieniſſimum fecerat. Tertius ejuſdem Dionyſii filius fuit Hippatinus tyrannus, qui & ipſe ob temulentiam jugulatus fuit. Arcadioni quoque, qui Philippi fuit inimicus, ebrietas mortem attulit, ut Epitaphium quoddam illius a Polemone conſcriptum teſtatur. Cleomenes Lacedæmonius ἀκρατοπότης, cultro ſibimetipſi mortem conſcivit, teſte Herodoto. Amaſis quoque Rex Ægyptiorum, & Nicoteles mirificè ebrioſi fuerunt, teſte Phania Ereſſio, in lib. qui inſcriptus fuit τυράννων ἀναίρεσις ἐκ τιμωρίας, id eſt, *tyrannorum interitus ex ultione*

Regum temulentia quanta rebuſpub. damna inferat.

Philippus pater Alexand Magni ob ebrietatem furioſus.

ultione. Scotta quoque Creontis filius ebrietati valdè fuit deditus, ex ſympoſio ſedens in throno à quatuor domum geſtari ſolitus. Antigonus quoque Rex valdè bibax, poſt epulas dormire conſuevit, veſperique è ſomno excitatus ad potationes rediit, jus raró ſobrius dixit, ac proinde Ariſtus & Themiſon duo fratres Cyprii, illi ſemper aſſiſtebant, regnumque gubernabant. Hujuſmodi Antigonos hodie inter Chriſtianos plurimos invenire licet, qui aliorum arbitrio ſeu potiùs libidini ſumma rerum permiſſa: illi interim vino, Veneri, ventrique indulgent, nulla habita ſalutis ſuorum ratione. Antiochus ἐπιφανὴς, & ob furorem ἐπιμανὴς cognominatus, bibaciſſimus ſimul & prodigaliſſimus extitit, multaque Romæ, ubi obſes fuit, tum alibi turpia, inhoneſta, Regiaque majeſtate indigna geſſit. Talis fuit etiam alius Antiochus, qui ab Arſace in Media victus, & occiſus fuit, in cujus funere talia Arſaces dixiſſe fertur: *Fefellit te, ô Antioche, audacia & ebrietas: ſperaveras enim te in magno poculo regnum ebibiturum.* Antiochus ſimiliter ille Magnus, quem Romani debellarunt, vinolentiſſimus fuit, qui cùm duo maxima opera Græcorum, nempe liberationem, bellumque adverſus Romanos ſuſcepiſſet, ob ebrietatem ſpe, conatuque illo ſuo fruſtratus fuit. Ab his autem vinolentiſſimis ſimul violentiſſimiſque Regibus populus Dei graviſſimè afflictus atque vexatus fuit: ut Joſephi & aliorum hiſtoriæ teſtantur. His adde Darium Perſarum Regem, de quo Athenæus lib. 10. cap. 11. (de Perſarum Regum ebrietate memorabili, vide Crinitum lib. 6. capite 2.) Agronem Illyriorum Regem, qui ebrietati atque compotationibus deditus, tandem laterum dolore fuit conſumptus, necnon alium ejuſdem gentis (quæ ut ſuprà dictum eſt, ipſa quoque ebrietatem ſectata eſt) regem *Thentionem* nomine, qui per temulentiam multa ἀσελγῆ deſignavit, Pleuratum fratrem ſuum occidit, in ſubditos crudeliſſimus extitit, ut idem teſtis eſt libro eodem. De Mithridatis regis bellicoſiſſimi bibacitate voracitateque, qui idcirco *Bacchus* fuit cognominatus, & ebrietatis edacitatiſque certamina inſtituit præmiis propoſitis, vide Plutarchum *Symp.* lib 1. *Probl.* 2. & Muretum *Lectionum var.* lib. 2. Quantum præterea damni & M. Antonii conſulis, & Tiberii, Neronis, Caligulæ, Bonoſi, aliorumque Imperatorum Romanorum ebrietas, Romano Imperio dederit, ex hiſtoriis ſatis conſtat, qui ferè omnes ut non fuerunt ſicci, ita nec ſicca morte hinc ad inferos migrarunt. Filolmus Gothorum rex milites ſuos non ſolùm commilitones, ſed combibones effecit, ad exemplum Saturnaliorum, quæ ſervos dominis in menſa coæquant, unà cum eis comedere, & in longam noctem potare ſolitos. Cum ſolito more noctem cum ſuis potando duceret, ab ipſis ebrietate ſuffuſis, in ingens dolium liquore repletum, quod pro explenda bibacium gula in media aula collocatum erat, per ludibrium præcipitatus interiit, teſtis Joan. Magnus lib. 7. cap 17. Eis & aliis hujuſmodi exemplis conſtat, quàm calamitoſa ignominioſaque ſit Regum, Principum atque Magiſtratuum ebrietas non ipſis tantùm, verumetiam univerſæ Reipub. quæ illorum fidei & cuſtodiæ a Deo eſt commiſſa atque concredita. Multis ergo nominibus Chriſtiani Magiſtratus, ſi ebrietati crapulæque ſtudent, ſunt vituperandi. Primò quod cum Deus illos ad tam excelſam atque ſublimem honoris & dignitatis ſedem evexerit, illoſque cæteris hominibus præfecerit, ſui & nominis & honoris participes fecerit, illi inſano hoc ebrietatis & gulæ ſtudio committunt, ut in ſues atque beſtias immanes deformentur. Deinde quod temulentia hac ſua ſomnolenta, ſomnolentiaque temulenta, Rempublicam negligunt, illius aut prorſus nullam aut perexiguam curam gerunt. Tum quod ebrietate ceu inſana conſultrice, rationi conſilioque inimica impulſi, plurima ſæpe committunt atque deſignant, unde non in ipſos tantùm, ſed in univerſam Rempublicam dedecora atque damna redundant. Denique voluptuariæ, luxurioſæque hujusmodi ſuæ vitæ exemplo ſubditos ſuos ad eandem vitæ morumque conſuetudinem ſuapte ſponte atque natura ſatis proclives atque propenſos incitant, quo fit, ut totum Reipublicæ corpus hoc quaſi contagioſo inſanabilique morbo correptum tandem conſumatur atque intereat. Nec verò in pace tantùm, ſed multo etiam magis in bello periculoſa eſt ebrietas, cùm militum, tum verò atque in primis Ducum atque Imperatorum. Hannibal feliciſſimus Pœnorum Imperator, tum primùm vinci cœpit, cùm & ſemetipſum & exercitum ſuum Campano luxu atque temulentia enervari paſſus eſt, ut teſtatur Livius 3. Dec. 3. Hinc Plato quoque, quod citatur a Galeno libro, *Quod animi mores, &c.* vinum prohibebat militibus in caſtris, judicibus ac gubernatoribus & Magiſtratibus, & ſervis & viris ac mulieribus liberis operam daturis. Ibidem, *Vinum*, inquit Plato, *ut inimicum cenſet vitandum, quod ſi ſemel corpus invaſit, & gubernatorem vetat, quò minus navis clavos, ut convenit, verſet, & milites in acie ſobrii ſint. Judices quoque cùm exercenda eſt juſtitia, errare facit, & præſides omnes malè moderari, nihilque ſani jubere.* Non ſine cauſa igitur Carthaginenſes militibus ſuis vini uſu olim interdixerunt. Unde rectè Juvenalis Sat. 14.

Adde quod & facilis victoria de madidis, &
Blæſis, atque mero titubantibus, &c.

Omiſſis veteribus exemplis, quid cauſæ eſt, quamobrem Chriſtiani Turcis plerunque ſuccumbunt, niſi quòd ipſi ebrietatis atque gulæ amore inſaniunt, quo illorum animi corporiſque vires enervari eſt neceſſe: Turcæ autem abſtemii, tenui vilique cibo & potu contenti, famis atque ſitis patientiſſimi, & conſiliis corporiſque viribus plurimum pollent?

Ebrietas religionis & ſacrorum præſulibus inprimis ignominioſa & damnoſa.

Porrò in iis potiſſimùm, qui Eccleſiæ, religioni rebuſque ſacris præſunt, valde turpis, inhoneſta, & cùm ipſis, tum univerſæ Eccleſiæ ignominioſa atque damnoſa eſt ebrietas. Non ſine cauſa igitur in veteri Teſtamento olim Deus mortis pœna interpoſita vetuit Aaroni & reliquis Sacerdotalis ordinis atque dignitatis viris, ne in rei ſacræ atque divinæ procuratione vinum biberent. Sic enim Levit. 19 ſcriptum eſt, *Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini, ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatiſque*

filios

filios Israel omnia legitima ejus, quæ locutus sum ad eos per manum Mosis. Idem Ezech. 45. cap. repetitur his verbis, *Et vinum non bibet ullus Sacerdos, quando ingressus est atrium interius:* in hæc loca vide Augustinum lib. *ad Sacras virgines* capite primo. Sic Nazaræis, qui Domino erant consecrati, præcipit Moses Numer. sexto, ut a vino, & ab omni quod inebriare potest, abstineant, nec quicquam quod ex uva expressum est bibant. Uvas prætereà neque recentes, neque siccas gustent omni eo tempore, quo voto fuerint Domino obligati. Isaiæ capite vigesimo octavo graviter acriterque Sacerdotum & Prophetarum temulentiam reprehendit, qui cùm reliquorum libidines, continentiæ sobrietatisque exemplo frangere, nec non verbis illos ab ebrietate deterrere debuissent, illi contrà sese similiter vino ingurgitabant, & multo vino meraciùs sumpto obruebantur, vel ad vomitum usque. Itaque mens illorum ebrietati aliisque flagitiis atque libidinibus, quæ inde oriuntur, obscurata, & a statu suo dejecta, minimè verum cernere, rectèque judicare potuit. Similis in hoc genus hominum ob ebrietatem, & quidem gravissima invectiva extat cap. 36. In novo Testamento Paulus episcopis, presbyteris atque diaconis ebrietatem vehementer fugiendam esse docet, nec ad tam augustum munus eligendos esse, qui vitio illi sint dediti, 1. Tim. 3. & ad Tit. cap. 1. Enumerat ibidem multas egregias virtutes, quibus ecclesiæ pastorem ornatum esse deceat, quarum quidem omnium exterminatrix est ebrietas, ex quo ipso constat, quàm illa sit ecclesiæ antistiti fugienda. S. Hieronymus ministrum instituens ecclesiasticum: *Nunquam vinum*, inquit, *redoleas. Vinolentos & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet: Qui altari serviunt, vinum & siceram non bibant.* Concilii Agathensis Canon extat, *dist.* 35. *Ante omnia clericis vitanda ebrietas, quæ omnium vitiorum comes atque nutrix est. Itaque is quem ebrium fuisse constiterit (ut ordo patitur) aut 30. dierum spacio a communione submoveatur, aut corporali subjiciatur supplicio.* Extat eadem de re Canon ex Concilio Naveton. *distinct.* 44. *Nullus presbyterorum, quando ad anniversarium diem, trigesimum, aut septimum, aut tertium alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam, se inebriari ullatenus præsumat, nec precatus amore sanctorum, vel ipsius animæ, bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus, & ritus inconditos, & fabulas inanes ibi referre aut cantare præsumat.* Item ex eadem ibidem: *Quando autem conveniunt presbyteri ad aliquod convivium, aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat, & tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes, & per vices cibum & potum benedicant, & aliquis de illorum clericis aliquid de sancta scriptura legat. Post refectionem similiter hymnum dicant ad exemplum Domini, sicut in cœna fecisse legitur. Et se contineant omnes presbyteri (maximè in talibus locis) ut non vituperetur ministerium eorum.* Hinc olim cùm in Oriente, tum in tota Græcia clericis fuit prohibitum, ne cauponas & popinas ingrederentur, nisi peregrinarentur in aliena regione; de quo Sozomenus lib. 3. cap. 36. & Socrates lib. 5. cap. 18. *Tripartita historiæ* lib. 6. cap. 29. Extat eadem de re decretum Concilii Laodiceni cap. 24. *Demque Canon: Non oportet,* & Can. sequ. *distinct.* 44. *Non opus est rationes alias afferre, propter quas ebrietas ecclesiæ pastori sit fugienda: nam qui illas non per se videt, is omnis rationis, imò communis sensus videtur esse expers.* Petrus Ravennas graviter sanè vereque hac de re ita disserit: *Ebrietas*, inquit, *in laico crimen est, in Sacerdote sacrilegium, quo alter animam suam præfocat, alter se prophanat, & spiritum sanctitatis extinguit. Ebrietas enim mater est litium, furoris genitrix, petulantiæ magistra. Huic qui obnoxius est, homo non est, hac qui laborat, non modò peccatum facit, sed ipse est peccatum. Hæc enim est rabies voluntatis, invitatus hostis, pernicies honestatis, & pudoris injuria. Ubi enim regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, & judicia subvertuntur.* Sic in Canon. *decret. distinct.* 35. *ministris templi vinum prohibetur ac siceram bibere, ne ebrietate graventur corda eorum, & vigeat perpetuò sensus, ac tenuis sit, vel quia venter mero æstuans despumat in libidines.* Extat Canon Apost. 42. ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κύβοις σχολάζων καὶ μέθαις, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. His adde, quòd Ethnici quoque quasi tacito naturæ instinctu sacerdotibus suis vel omnino, vel certè quando rei divinæ vacabant,, vino abstinendum esse judicabant. Ægyptios sacerdotes a carnibus, & vino semper abstinuisse, testis est Hieronymus libro secundo *adversus Iovinianum.* Volateranus lib. 13. cap. 4. scribit Amphiaraum summum vatem jussisse sacerdotibus, qui responsa clara accipere & reddere vellent, integrum diem a cibo, a vino autem triduò abstinere. Hinc apud Trœzenios, teste Alexandro ab Alex. libro 6. capite 2. qui ad Adriati aram rem divinam facere volebant, & Deorum responsa petere, ii paulò ante commemoratum Amphiarai præceptum observabant. Essæos quoque scribit Josephus in *Antiquitat. Iudaic.* nec non in libello peculiari, quem de illorum vita composuit, à vino abstinuisse, cujus hanc rationem Philo addit, quòd vinum sit ἀφροσύνης φάρμακον, id est, *dementiæ venenum.* Legimus præterea Severianos & Tatianos qui se ἐγκρατεῖς, sive ἐγκρατίτας, id est, *continentes* appellabant, & à carnibus, & à vino omnino abstinuisse, ita ut ne in mysteriis quidem vino uti voluerint, sed aqua, testis est Epiphanius. Encratitas erroris convincit Clemens Alexandrinus lib. 2. *Pædag.* cap 2. exemplo Christi, qui & vinum bibit in conviviis (unde *vini potor* fuit per contumeliam appellatus, Luc. 7.) & cœnæ mysterium vino instituit, vinumque ipse bibit, vide locum. Manichæi similiter vinum non bibebant, cùm illud dicerent fel esse principis tenebrarum, cùm vescantur uvis. Nec musti aliquid vel acerbissimi sorbebant, ut testis est Augustinus *de Hæresibus.* Sic Plutarchus quoque in *sympos.* scribit nefas olim fuisse mustum gustare. Verùm ut damnata est superstitiosa hæc Ethnicorum atque hæreticorum quorundam abstinentia a vino, ita contrà colenda est summopere omnibus Ecclesiæ, rerumque sacrarum administratoribus atque doctoribus temperantia in cibo atque potu, dandaque opera, ut vino modicè sobrieque utantur, ebrietatem ceu anguem venenatum atque pestiferum fugiant, oderint, execrentur: & ab illa cùm vitæ sobriæ exemplo, tum verbis, gravissimè auditores atque discipulos suos deterreant ac dehortentur.

Clericis cauponæ & popinæ prohibentur.

Ebrietas in sacerdote sacrilegium.

Verùm ut tandem hunc de ebrietate locum concludam, de cujus turpitudine atque pernicie ne cogitari

Ebrietas omnia officia, quibus alii aliis ſunt obligati, violat.

quidem ſatis, nedum dici poteſt, illa conſtat non modò commune noſtrum officium, quo omnes ſumus Deo, atque proximo obſtricti, verumetiam propria atque peculiaria officia, quibus alii aliis pro varia vitæ conditione, ſtatu, ſocietate ſunt obligati, perturbari atque violari. Sic enim exempli gratia, & magiſtratus, ut paulò antea dictum eſt, ſenatores, judices cæterique Reipublicæ proceres, præ temulentia ſui plerunque muneris, & officii in puniendis improbis, defendendis innocentibus, legibus ſartis tectis tuendis: jure denique ſuo cuique tribuendo, obliviſcuntur, & omnem ferè Reipublicæ curam abjiciunt. Et contrà ſubditi magiſtratus ſuos, quorum temulentiam imitantur, non eo quo par eſt amore, honore, obſervantia atque obedientia proſequuntur, quin potiùs illos ceu vinoſos homines, ſuique ſimiles contemnunt atque deſpiciunt. Nam vinum, ut ille verè dixit, facit omnes æquales. Deinde verbi divini miniſtri (quos vini miniſtros ſeu mancipia potiùs veriùs dixeris) atque præcones, quibus eccleſiæ animarumque ſalus a Deo commendata eſt, ebrietati inſervientes, ſacroſanctum & auguſtum ſuum munus, quod in verbi divini præconio, legitima Sacramentorum adminiſtratione, vitæ honeſtæ, piæ ſanctæque actione conſiſtit, vel negligenter admodum & oſcitanter obeunt, vel etiam turpiter cum funeſta ſuæ aliorumque ſalutis jactura produnt ac deſerunt. Et viciſſim id quod eſt conſequens, auditores atque diſcipuli horum ſuorum paſtorum, ſeu impoſtorum potiùs, atque compotorum exemplo ad ebrietatem, ad quam ſuapte natura ſunt propenſi, magis inflammantur: deinde non illos modò, verumetiam quod eſt horrendum, ſacras illorum conciones, ceu ſonoras quaſdam cantiones atque fabulas: atque adeò ipſum verbum Dei, ſacramenta, totam denique religionem deſpiciunt ac pro ludibrio habent, vel certè non tanti faciunt, quanti facere meritò debebant. Præterea linguarum & artium tam ſacrarum quàm prophanarum doctores atque magiſtri ebrietati indulgentes, non quo par erat ſtudio, opera, diligentia, aſſiduitate, juventutem ſuæ curæ fideique commiſſam: quæ quidem totius Reipublicæ Eccleſiæque eſt ſeminarium, cùm bonis artibus atque literis, tum honeſtis atque civilibus moribus inſtituunt atque erudiunt: quin imò hoc officium ſuum turpiter negligunt. Et viciſſim diſcipuli præceptorum ſuorum temulentiam imitantes, in illorum monitis, dictatis atque præceptis percipiendis, repetendis, memoriæque, (cujus mors eſt vinum) infigendis, valdè ſe negligentes præbent: ac omnino debitam, juſtamque præceptoribus ſuis obſervantiam, obedientiamque minimè præſtant. Adhæc in matrimoniis, quæ omnium civitatum ſunt ſeminaria, ebrietatis vitio, atque culpa multifariam, & quidem graviſſimè periculoſiſſimeque peccatur. Nam primò mariti ebrioſi uxores ſuas, quas ſecundùm Apoſtoli præceptum tanto amore, charitateque complecti debebant, quanta Chriſtus Eccleſiam conſponſam, corpuſque ſuum complectitur, ebrietati efferati, ac veluti furiarum tædis ardentibus exagitati, contumelioſiſſimè crudeliſſimeque verbis, verberibuſque tractant. Et contrà uxores temulentæ pudorem omnem exuunt, pudicitiamque ſuam plerunque proſtituunt, remque familiarem negligunt atque perdunt. Hinc diſſidia graviſſima, divortia funeſtiſſima, familiarum labes atque naufragia calamitoſiſſima. Deinde parentes temulenti ſuorum liberorum juſtam & honeſtam inſtitutionem educationemque negligunt, illis ſua illa temulentia omnium malorum ſunt authores: & viciſſim liberi a vinoſis parentibus proſeminati, ac proinde paternæ maternæque temulentiæ ſtrenui plerunque imitatores, effractis ruptiſque omnibus pudoris atque pudicitiæ repagulis, non modò illos, qua par erat obſervantia, non colunt, verumetiam contemnunt, irrident, multis contumeliis injuriiſque onerant, tandemque patrimonia vel lautiſſima brevi tempore dilapidant, id quod Deus illa Noachi & illius liberorum hiſtoria nos docuit. Hinc conſtat conjugum ebrietatem cùm ἀτεκνίας (nam homines ἀναφροδίτους reddit) tum κακοτεκνίας, id eſt, malorum & improborum liberorum eſſe cauſam, idque cùm ob exemplum, tum generationem vitioſam. Et huc facit illud Diogenis ad adoleſcentulum quendam deſipientem & inſanum, *Pater ebrius te ſeminavit*, teſte Plutarcho lib. *de Educatione liberorum.* Plutarchus ſimiliter eos qui multum meri bibunt, ſegniores ad coitum eſſe, nihilque validi aut bene temperati gignere ſcribit, ſed ob ſeminis frigiditatem ac pravitatem inanes eſſe eorum cum mulieribus coitus, *Symp.* 3. *Prob.* 5.

Subditorum animos reddit feroces & contumaces.

Denique & domini erga ſervos & ancillas ſuas præ ebrietate ſæpenumerò vel nimis ſunt remiſſi, molles atque diſſoluti, vel plus æquo duri, ſævi & contumelioſi: & viciſſim ſervi atque ancillæ ſuis patribus atque matribus familiâs, non modò legitima juſtaque officia & miniſteria non præſtant, verumetiam illos ſæpe maximis injuriis, contumelia atque dedecore afficiunt, rei familiari maxima damna ac detrimenta important. Hinc ergo conſtat ebrietatem & Reipublicæ, & Eccleſiæ, & Scholæ, & matrimonii atque privatarum familiarum, atque adeò omnis cùm generalis, tum ſpecialis atque privatæ hominum ſocietatis atque communionis, omniſque officii capitalem atque fatalem eſſe peſtem. Hæc de ebrietate ſint dicta, de qua, teſte Athenæo libro decimo, ſcripſit Theophraſtus, & Chamæleon Heracleota. De eadem vide Athenæum libro decimo ferè toto & paſſim alib.: Philonem in libro περὶ τῆς φυτουργίας ſub finem, & libro peculiari περὶ τῆς μέθης, Plinium de vitanda ebrietate libro decimo quarto, capite vigeſimo ſecundo, Chryſoſtomum Homilia decima tertia in priorem ad Timotheum 5. cap. Ambroſium libro primo *de officiis*, capite vigeſimo, & libro *de Helia & Jejunio*: Auguſtinum libro *ad Sacras virgines*: Baſilium qui peculiarem contra ebrietatem librum conſcripſit: Clementem Alexandrinum libro ſecundo *Pædag.* capite ſecundo: Baſilium *de ebrietate*: Petrum Martyrem in Judicum caput nonum: Guatherum in caput ſecundum Habacuk, ſeptimum caput Oſeæ, Joëlis primum, &c. Senecam 83. *epiſt.* Item Antonii Fagii libellum contra ebrietatem, & Jacobum Pontanum *Progymnaſmatum* libro tertio. Hæc de vino propriè dicto, ejus differentiis, commodis & incommodis.

Vina factitia quæ ſint.

Vina factitia, & arte parata ad medicinæ potiùs, quàm ad vitæ uſum ferè ſunt innumerabilia, quæ alienam habent cum vino admixtam unius cujuſpiam ſimplicis, aut fructus, aut herbæ ſubſtantiam: unde

etiam

etiam nomina sua sortiuntur. Ut *vinum scylliticum* e scylla paratum, *Thethalassomenon*, id est, marina aqua constans. *Cydonites*, *Absinthites*, *Hyssopites*, *Penanthinum*, *Rhoites*, *Rhodites*, *Melomeli*, *Hydromeli*, *Omphacomeli*, *Aromatites*, *Nectarites*, &c. penè infinita, quæ magis ad varios corporis affectus levandos, quàm ad quotidianum usum sunt excogitata: quibus etiam sæpe ebriosi homines ad crapulam, aliaque corporis incommoda atque morbos ex immoderata potatione obortos discutiendum, mitigandumve utuntur: quò alacriores ad belluinas illas suas potationes redeant. De his vinis vide plura apud Dioscoridem lib. 5. & Plinium lib. 14. cap. 6. Bruyerium & alios. Sed duo sunt præter vinum cùm olim, tum hodie quoque triti & usitati apud populos, illos præsertim, qui vitibus carent, potus, qui tamen etiam vinis factitiis annumerantur, vino nimirum latius pro quovis potu inebriante accepto.

Primus est, qui ex hordeo conficitur, quo Ægyptii olim fuerunt usi. Ægyptii, inquit Herodotus libro secundo in *Euterpe*, vino utuntur facto ex hordeo: desunt enim in ea regione vites. Hecatæus, teste Galeno, de Ægyptiis scribens, illos & ἀρτοφάγους εἶναι, & τὰς κριθὰς εἰς τὸ πόμα καταλύειν, panis esse voraces, & hordeum in potum conjicere. Et ibidem in periodo Europæ, Pœonas ait bibere βρυτὸν ἀπὸ τῶν κριθῶν, *brytum bibere ex hordeis*, & parabiam ἀπὸ κέγχρου καὶ κονύζης, id est, *mylio & conyza*. Zythum Ægineta, & recentiores Græci *Phucam* vocant. Strabo libro 17. de Ægypto scribens, *Cerevisia*, inquit, *quanquam propriè apud illos fiat, tamen communis est, & apud quemque diverso modo conficitur.* Multus ejus in Germania, Brittania, Neustria, Picardia Gallia & Belgica usus est. Conficitur ex hordei & tritici succo, cum lupo salictario, quem lupulum nominant, Galli *du hobelon*, aqua multa fervefactis & despumatis vehementerque agitatis. Potus vulgò *Biera*, & *Cervoyse* (*Cerevisia* a Cerere, hoc est, a fruge dicta, quòd sit potio ex seminibus frumenti vario modo confecta) a Germanis & Gallis appellatur. Galenus *zythum* vocat. Dioscorides tamen libro secundo capite 311. duo hujusmodi ex hordeo potionum genera confici scribit, alterum quod *zythum* nuncupatur, alterum quod *Curmi* (φυκάδιον vulgò Græci vocant) & a Poëtis quandoque *Pelusiacus potus*. Hermolaus, sed dubitans, *Curmi* vult idem esse quod *Cervisia*: eodem teste Aristotele, pinum vocat vinum, quod ex hordeo fit. Suidas, ζυθὸς, inquit, οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος, *vinum ex hordeo confectum*: quod Sophocles & Æschylus βρύτον vocarunt. Ejus authorem primum apud Ægyptios aut Dionysium Hammonis filium, aut Osyridem, quem ille sibi in filium adoptavit, cujus uxor Isis fuit, ut est apud Diodorum Siculum, omnes ferè fatentur. Quare à loco primæ inventionis *Pelusiacus potus* a Pelusio Nili Ægyptiaci ostio nominatur, secundum illum versum a Columella citatum, *Et Pelusiaci porriget pocula zythi.* Inde ad alias nationes vini nativi copia carentes fuit propagatus & diversis nominibus appellatus. Aristoteles quoque πῖνον nuncupavit, nempe vinum hordeaceum, quo temulentos aut pronos decumbere aut supinos idem testatur: in quod vide Juliani Imperatoris elegantissimum epigramma apud Pontanum. Ejusmodi vinum ex frumento coctum Græcis est πυρογενὲς, Athenæus lib. 10. cap. 16. Sed, ut Aristoteles inquit, libro *de Ebrietate*, εἰς τὰ νῶτα καταπίπτουσι οἱ τὸ κρίθινον πεπωκότες ὃν πῖνον καλοῦσι, id est, *retrorsum sive in tergum cadunt, qui bibunt hordeaceum, quod* πῖνον *vocant.* Citat deinde Aristotelis verba, quorum hic est sensus: Nam qui reliquis potionibus inebriandi vim habentibus implentur, in omnem partem, & in dextram & in sinistram & proni & supini cadunt, sed soli qui vino sunt inebriati retrorsum atque supini decumbunt. Vinum autem κρίθινον etiam βρῦτον à nonnullis appellari, Sophoclis atque Æschyli testimoniis probat. Hellanicus eodem teste, βρῦτον etiam ex radicibus confici scribit, cujus hæc sunt verba, πίνουσι δὲ βρῦτον ἐκ τῶν ῥιζῶν, καθάπερ οἱ Θρᾷκες ἐκ τῶν κριθῶν. Plinius lib. 14. cap. 22. luculentam hujusmodi potionis mentionem facit his verbis, *Est & Occidentis populis*, inquit, *sua ebrietas, fruge madida, pluribusque modis per Gallias Hispaniasque nominibus aliis, sed ratione eadem. Hispaniæ jam & vetustatem ferre ea genera docuerunt. Ægyptus quoque e fruge sibi potus similes excogitavit, nullaque in parte mundi cessat ebrietas. Meros quippe hauriunt tales succos, nec diluendo ut vina mitigant. At hercule illic tellus fruges parere videbatur. Heu mira vitiorum solertia, inventum est quemadmodum aqua quoque inebriaret.* Hæc ille. Cornelius Tacitus de Germanorum victu verba faciens cap. 31. *Potui*, inquit, *est humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus.* De Cerevisia sive hordeacea sive triticea Germaniæ communi, vide plura apud Willichium in Comment. in Taciti Germaniam. Vina porrò hujusmodi hordeacea sive ex cerealibus facta, valde Dioscorides atque Galenus damnant, uti flatuosa, pravi succi, & ex putredine genita. Unde partim acrem calidum potestate fieri ejus generis potum, partim frigidum, aqueum & aridum volunt, hæc enim Galeni verba sunt, lib. 6. *de Simpl. facul. c. de zytho.* Dioscorides verò urinas eò impelli nervosque affici, cerebri membranas tentari, elephantiasim contrahi, malosque succos eo potu gigni affirmat lib. 32. cap. 311. & 312. Zythum sive Cerevisiam irridens cavillatur etiam Græcum illud Epigramma,

Zythum.

Cerevisia.

Curmi.

Pelusiacus potus.

> Τὶς; πόθεν εἶς Διόνυσε; μὰ γὰρ τὴν ἀληθέα Βάκχον
> Οὔ σ' ἐπιγιγνώσκω. τὸν Διὸς οἶδα μόνον.
> Κεῖνος νέκταρ ὄδωδε. σὺ δὲ τράγου. ἦ ῥά σε Κελτοὶ
> Τῇ πενίῃ βοτρύων τεῦξαν ἀπ' ἀσταχύων
> Τῷ σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον,
> Πυρογενῆ μᾶλλον καὶ Βρόμον, οὐ Βρόμιον,

Id est, Erasmo interprete:

> *Bacche quis? unde venis? verùm tibi dejero Bacchum*
> *Te haud novi, tantùm est cognitus ille Jovis.*

Is nectar redolet, hircum tu. Dic age num te
E ſpicis finxit Gallia vitis inops?
Non igitur Bacchum te dixero, ſed Cerealem (unde **Cereviſia** quaſi *Cererviſia*) *Et frumentigeram, nec Bromium, immo Bromum.*

Verùm licet & Epigramma hoc Græcum & antiquorum medicorum authoritas reprobare eos potus videatur, qui ex hordeo conſtant, experientia tamen conſtat Brittannos, Belgas, Germanos, Pannonas, alioſque Septentrionis incolas, Zythi potores & pulcherrimos & ſaluberrimos, & robuſtiſſimos eſſe. Neque enim fieri poſſet, ſi tam damnoſa atque inſalubris hæc hordeacea potio eſſet, quam illam priſci authores atque medici faciunt, quin ex illius aſſiduo potu, non in gravem valetudinem, qui eo utuntur inciderent, cùm contrà nulli ſint præ his aut forma, colore aſpectuque pulchriores, nulli valetudine firmiores aut corporis habitu ſalubriores. Hoc & Valeriola lib. *Locorum Com.* & Manardus lib. *Epiſt.* 5. *epiſt.* 2. & lib. 27. *Epiſt.* 5. Antonius Niger *de tuenda valetudine* teſtantur. De cereviſiæ autem conficiendæ ratione, temperamento, differentiis variis, quæ petuntur ex modo coctionis, conſiſtentia, colore, ſapore, odore, ætate, doliis ſeu vaſis, de ejuſdem uſu, commodis & incommodis, conditura, vide Willichium in Taciti Germ. Item tractatum *de conſervanda valetudine*, a nobiliſſimo viro Henrico Ranzovio, Prorege Holſatiæ conſcriptum, nec non Hadriani Junii *hiſtoriam Batavicam.* Omnino ut hic quoque potus ingens eſt Dei beneficium, ita ingens eſt hominum ac impia planè improbaque ingratitudo erga Deum, qui illo ad ebrietatem & ad animi corporiſque perniciem abutuntur, ut hodie in multis Chriſtiani orbis partibus fieri videmus.

Sidra. Quartus potus multis nationibus uſitatus eſt, qui ex pomorum ſucco conficitur, eo modo in doliis ſervatur, & *ſidra* vulgò, ab Hebræis *ſecar* appellatur, cujus duo ſunt præcipua genera: Unum quod ex pyris fit, quod a Normannis *du pere* vulgò appellatur, à Græcis *apıre* ſive *apiites*, Latinè *pyraticum*, nimirum à pyris. Liquaminis è pyris conficiendi rationem ad fœminarum jejunia, quod *caſtimoniale* dicebatur, vide apud Benedictum Curtium lib. 23. *hort.* cap. 16. ex Palladio. Alterum genus eſt. quod ex pomis conficitur, quod Galli vulgò *du Cydre* appellant. Utrumque genus a Germanis hochbaumer & bärlymoſt appellatur, hoc eſt, *potus arboreus ſive pyraceus.*

Apud Hebræos potus ex omni pomorum genere confici ſolebat, qui quidem *Secar* fuit appellatus, de quo ſuprà. Hieronymus in illud Levitic. 10. *Vinum & ſiceram non bibes*, &c. annotat hac voce comprehendi quicquid inebriare poteſt, quod tametſi verum eſt, tamen magis propriè ab aliis videtur definiri, qui hac voce volunt notari omnes potiones è fructibus expreſſas, quarum eadem ferè eſt ſuavitas, atque illecebra quæ vini. Apud Orientales certè hodie tam ex dactylis palmarum, quàm ex aliis fructibus ſuaviſſimi delicatiſſimique potus conficiuntur.

CAPUT X.

DE BIBENDI MODO, PARTIM MEDICO, PARTIM LIBERALI ET CIVILI, PARTIM ILLIBERALI ET INHONESTO. DE PROPINATIONVM NOMINIBVS, ORIGINE, FINE, VSV ET ABVSV.

Modus bibendi duplex. Adhuc de bibendi fine & materia dictum eſt, nunc de bibendi modo dicamus, qui quidem duplex in genere videtur poſſe ſtatui. Unus quidem juſtus, honeſtus, legitimus, ſanus atque ſalubris, qui partim ad neceſſitatem, ſitim nimirum depellendam, partim ad ſanitatem, partim etiam ad voluptatem liberalem atque honeſtam refertur. Alter verò modus bibendi eſt immoderatus, immodicus, immodeſtus, inhoneſtus, turpis, illiberalis, perniciosus, voluptuarius planè atque Epicureus, non humanus, ſed belluinus, qui ad ebrietatem refertur, qui quidem varius ac multiplex & olim fuit apud gentes barbaras atque feroces, & hodie, proh dolor, eſt apud Chriſtianos, qui quidem bibendi modus atque ratio, modi rationiſque omnis eſt expers, à modo rationeque vera alieniſſima.

Non incommodè etiam forſan triplicem ſtatuemus bibendi modum: unum quidem, ut ita loquar, medicum, qui partim ad neceſſitatem, partim ad ſanitatem refertur; alium liberalem atque civilem, qui voluptatis honeſtæ amicitiæque ergò ſuſcipitur, tertium denique illiberalem atque ſervilem, imò belluinum, qui modum omnem excedit. Ad hos tres bibendi modos accommodari poſſunt tres, quatuor, pluresve illi Eubuli, Aſclepiadis, Apulei, & aliórum crateres. Eubulus enim apud Athenæum lib. 1. (quod etiam citatur a Cælio lib. 15. cap. 16.) ſub Bacchi perſona monebat tres tantùm prudentibus viris crateres miſcendos, primum ſanitatis, ſecundum voluptatis, tertium ſomni, quo epoto ſapientes, qui ſunt vocati, domum abeunt. Quartum verò dicit non noſtrum eſſe, ſed ὕβρεως, *injuriæ*, ſeu *contumeliæ*, quintum βοῆς, id eſt, *vociferationis*, ſextum κώμων, id eſt, *laſciviæ*, ſeptimum ὑπωπίων, *ſuggillationum*, octavum κλήτορος, *vocantis*, nonum χολῆς, id eſt, *bilis*, decimum μανίας, id eſt, *inſaniæ*. Primo ergò cratere ſanus, & neceſſarius, ſecundo & tertio liberalior, reliquis ſeptem illiberalis & immoderatus potus ſignificatur, eiuſque ſimul incommoda enumerantur. Aſclepiades ſimiliter apud eundem, calicem primum ad ſitim, ſecundum ad voluptatem, tertium ad ebrietatem, quartum ad inſaniam pertinere dictitabat. De ſimili Apulei dicto ſuprà dictum eſt.

Jam

Jam verò quoad primum illum bibendi modum, de illo diligenter & accuratè Medici præcipiunt ac disputant, illumque cum ipsius potus substantia, qualitate, quantitate, tum bibentis natura, habitu, ætate, sexu, consuetudine, tum denique temporis, loci, alimentorum quæ sumpta sunt, aliarumque rerum circumstantiis probè definiunt: de quibus omnibus ipsorum libri, qui extant plurimi, sanitatis suæ studiosis sunt consulendi, nos, quantum instituti nostri fert ratio, breviter dicemus. Ac primùm quidem hoc illorum saluberrimum, maximeque naturale præceptum, ut ad necessitatem, non ad voluptatem, aut intemperantiam, vinum, aquam, aliumve potum sumamus, parcitas adhibeatur atque modus, intemperantia omnis vitetur. Deinde ut inter edendum ad cibi commixtionem, & commodam delationem atque distributionem bibendum esse suadent, ita vel jejuno bibere, vel à cibo, dum concoctio perficitur, nocentissimum esse docent. Nam a cibo potasse concoctionem evertit, flatusque multos & cruditates gignit. Jejuno verò ventre vinum sumpsisse, nervos, caputque lædit, & multorum malorum seminarium existit. Nec etiam post fructuum esum, malorumve ciborum ingerendum potum existimant, præsertim multum, & generosi vini: efficit enim, ut præcipiti lapsu vitiosus succus in vasa permeet, & incoctus putredinem, & malum humorem recipiat. Si tamen fructus horarii sint, humidi, & putredini obnoxii, ut cærasa, mora, persica, melones & hujusmodi, aut nihil prorsus bibendum, aut exiguum meri potentis. Sic enim Isaac, in diætis particularibus, partic. 1. cap. de persicis, ac persicarum esu, vinum vetus, & odoratum bibendum jussit, sed modicum tamen. Valleriola tamen si a cibo malo (fructibus præsertim,) bibendum sit, aqua, quàm vino uti salubrius existimat, ne & vini potu fervor, & ebullitio accedat: præcoxque cibi in viscera transitus (est enim vinum penetrator summus, ut vulgò dicitur) & putredo, obstructio, cruditas aut corruptela sequuntur, quod facere vinum haustum solet. Aqua verò frigiditate sua, & fervorem, & putredinem inhibet. Præstiterit tamen ad celerem fructuum subductionem, post illorum esum jusculum optimæ carnis calidum sumpsisse, ut facilius mali succi cibus labatur, & paucam contrahat in ventriculo moram. Dormituris porrò, & à cœna (nisi valida admodum sitis urgeat) nocentissimus est ex medicorum sententia potus, & ob id rectè illud dicebat Hippocrates 5. *Aphoris.* 271. *Qui noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus, si superdormierint, bonum. Somnus enim sitim eam* (quæ falsa atque mendosa ut plurimum est) *sedare solet.* Potio item aut vini, aut aquæ, si frigida sunt, & mox ab exercitio, aut balneo sequantur, exitialis esse solet. Unde est illud Celsi lib. 1. cap. 3. *A labore sudanti adversissima frigida potio*, & illa Dioscoridis lib. 6. cap. 33. *aqua frigida abundè pota, aut meracum vinum liberalius epotum præsertim a balneo, aut cursu, aut vehementi exercitatione strangulatus, & dolores infert. In quibus* (subdit) *sanguinis missio protinus, & vacuatio, imminentia solvunt pericula.* Nec minus regionis natura varias bibendi leges præscribit. In frigida regione liberalius vinum potandum (quod probè facere Germani, Belgæ, Poloni, & aliæ nationes norunt) & in calida parciùs bibendum. Sic & consuetudo; multo enim potui assueti faciliùs pleniores haustus tolerant, ut insueti minus, juxta illud Hippocratis lib. 2. *aphoris.* 50. *Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent.* Qui imbecillum cerebrum habent, vinum non tolerant. Signum enim fortitudinis cerebri ac bonitatis ejus (inquit Avicenna) est à vini generosi vaporibus non lædi, vinique potentiam sustinere. Quòd si quis vini immodico haustu temulentus fiat, consilium fuerit vomitum ciere, inediam somnumque imperare, & succum malorum punicorum, vel oxicratum potandum dare, aut caulium succum. His enim remediis ebrietas sanari solet, vel omnium authorum testimonio. Hæc Valleriola lib. 2. *loc. com.* cap. 7. de congruo potionis tempore, mensura, ordine atque modo, valetudini perquàm accommodato. De quibus vide etiam Jacobum Pontanum lib. 2. *progymnas.* De his vide Levin. Lem. lib. 2. de occult. nat. miraculis c. 2.

Levinus quoque Lemnius lib. 2. *de occult. nat. miraculis* cap. 38. quis modus ac mensura sit in potione adhibenda docet. Principiò sanis existimat non posse certò aliquid, aut determinatè præscribi, cùm plerique diversæ potandi consuetudini sint assueti, quam citra valetudinis jacturam mutare nemini sit facilè. Deinde optimum, ac securissimum bibendi modum pro sua cuique ætate, pro temporum ratione, pro inveterata consuetudine, pro vini natura ac viribus decernendum putat. Prætereà potu utendum ad desyderio satisfaciendum, & ut cibus in sicco nec sit, nec fluitet, sed moderato potu madescat. Subinde itaque modicisque intervallis corpus potione refocillari, ac cibum super infuso liquore identidem macerari oportere, quò commodiùs peracta concoctione venas subeat, atque in corpus digeratur. Ebrietatem, potumque vel inter initia, primoque mensæ accubitu, vel inchoata jam ceptaque concoctione noxium esse docet. Consultum quoque arbitratur inter edendum non confertim, nec avidè, sed sensim, ac paulatim bibendum, quò commodè utraque misceri queant, parique concoctione perfici. Qui verò ea utantur edendi consuetudine, ut ad prandii medium potu sibi temperent, affatim illis bibendum esse monet, quò potus penetret, ac per cibum undique diffundatur. An expediat mensas claudere potu, an cibo vide Christoph. a Vega lib. 2. *Sect.* 3. sub finem. Veteres potu cœnas suas & inchoare & terminare, atque claudere videntur fuisse soliti. Clemens quoque Alex. lib. 2. *pæd.* cap. 2. quædam medica & salutaria dat potus sumendi præcepta pro sexus, ætatis atque temporum ratione. De cibi potusque capiendi ratione salubri vide Celsum lib. 1. cap. 2. & tertio.

Nunc consequens est, ut de reliquis duobus bibendi modis dicamus, quorum unum liberalem atque civilem, alterum illiberalem, incivilem, barbaricum atque violentum appellare possumus. Ad utrunque referuntur προπόσεις, ut à Græcis appellantur, sive ut à Latinis, *propinationes*, ut olim ita hodie quoque in conviviis præsertim solennioribus usitatissimæ: de quarum origine, & abusu hîc proprius videtur esse dicendi locus, exordio ducto a nominibus. Nomina propinationem significantia.

Hebraicè השקה in *hiphil potare, propinare, potum præbere, irrigare* significat, & cùm pro terræ irrigatione, tum

tum potu, qui vel hominibus vel animalibus etiam brutis præbetur, crebrò sacris in literis usurpatur, ut Genes. secundo: *Et irrigabit omnem superficiem terræ.* Genes. vigesimo nono: *Potum præbuit ovibus.* Num. quinto: *Et potavit mulierem aqua.* Jerem 35. *Potabis eos vino.* Job. 22. *Non lasso aquam propinasti, neque famelico præbuisti panem*, Esther primo: *Propinabant in vasis aureis.* Hab. 2. *Væ qui propinat, sive potum præbet socio*, &c.

προπίνειν. Græcis προπίνειν, teste Athenæo lib. 14. propriè est τὸ ἑτέρῳ πρὸ ἑαυτοῦ δοῦναι πιεῖν, *alteri pro se dare bibere*, ad quam significationem probandam allegat illud Homeri, Ὀδ. υ. Ulysses

Ἀρήτῃ δ' ἐν χερσὶ τίθει δέπας ἀμφικύπελλον,

Et illud Ιλ. ι.

Πλησάμενος δ' οἴνοιο δέπας δείδεκτ' Ἀχιλῆα.

Addit Athenæus, πληροῦντες γὰρ προέπινον ἀλλήλοις μετὰ προσαγορεύσεως. Adducit idem author illud Anacreontis, ἐγὼ δ' ἔχων σκύφον Ἐρξίωνι τῷ λευκολόφῳ ἐξέπινον, ἀντὶ τοῦ προέπινον. Eustathius quoque Ὀδ. υ. p. 503. in illum versum Homeri Ἀρήτῃ δ', &c. πρόποσίς quædam est, id quod Ulysses hîc facit προτείνει γὰρ τῷ ἑστιάτορι δέπας, ὥστε πιεῖν, ut idem in Iliade Achilli, & postea servo Eumæo. Nam etiam illud Ιλ. ι. πλησάμενος, &c. erat προπίσεως καθ' ἣν πληροῦντες δέπας, ἐδίδουν πρός τινα, id est, *secundum quam implentes poculum illud alicui tradebant, ut etiam hic Ulysses Aretæ, & hoc est propriè* προπίνειν τὸ πρὸ ἑαυτοῦ διδόναι τινὶ πίνειν, aliquando significat etiam τὸ ποτήριον ἀποχαρίζεσθαι. Sic Pindari Scholiastes προπίνειν exponit τὸ ἅμα τῷ πόματι καὶ τὴν φιάλην χαρίζεσθαι. Ergo antiquitùs προπίνειν Græcis idem erat, quod *poculum tradere* seu *porrigere*, antequam quis biberet, item *poculum donare.* Verùm non servatam fuisse posterioribus seculis antiquam illam verbi hujusce significationem (mutatis enim consuetudinibus mutantur etiam verborum significationes) vel illa Athenæi verba satis manifestè indicant, προέπινον δ' ἀλλήλοις οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς (τοῦτο γὰρ προεκπιεῖν ἐστιν,) ἀλλὰ μεστὸν τὸν σκύφον. Budæus προπίνω σοι reddit etiam, *Poculo te provoco*, afferens illud ex Athenæo, Ἀλέξανδρος οὖν αἰτήσας ποτὲ ποτήριον δίχουν, καὶ πιὼν, προὔπιε τῷ Πρωτέᾳ, & addit eum semper sic uti. Ex eodem prætereà affert illud, προπίνω σοι κύλικα, & etiam illud, προπίνω σοι κύλικα πλήρη. Apud eundem Athenæum legimus etiam προπίνειν φιλοτησίαν, & apud Demosthenem in plurali προπίνειν φιλοτησίας, *propinare pocula amicitiæ*, περὶ τῶν παρεσβρεύσεων ἐπαιάνιζε Φιλίππῳ, καὶ φιλοτησίας προὔπινε, scilicet κύλικα. Προπίνειν, inquit Suidas, est διὰ τοῦ οἴνου τιμᾶν, καὶ προδιδόναι. Sic Demosthenes patriæ proditores dicebat προπίνειν τὰς πατρίδας τοῖς ἐχθροῖς. Sic Aristophanes illud citans προὔπινόμην interpretatur ἀλλήλους ἐδεξιούμεθα. Et rursus, *filiabus pharmacum porrexit, & ipse quoque bibit* δυστυχοῦς κοινωνήσας προπόσεως καὶ φιλοτησίας.

Propinare. Latinis *propinare* (quam vocem a Græcis mutuati sunt) est prægustato leviter vino poculum alteri offerre. Beroaldus in illa Juvenal. Satyr. 5.

- - - - Quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula: quis vestrum temerarius usque adeò, quis
Perditus, ut dicat Regi, bibe?

Propinare, inquit, *propriè est poculum porrigere, & præbere ad bibendum.* Martialis,

Qui nulli calicem tuum propinas
Humane facis, Herme non superbe.

Tranquillus in Tiberio, ignotissimum quæsturæ candidatum nobilissimis anteposuit ob epotam in convivio propinante se vini amphoram, hoc est, porrigente & præbente. Nec solùm *propinare* ad potionem refertur, sed etiam ad alia. Unde Julius Capitolinus in M. Antonio: *ut parte cultri veneno lita vulvam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans.* Unde & Terentius metaphoricôs dixit in *Eunucho*,

Hunc ego vobis comedendum & deridendum propino,

Hoc est, trado & præbeo, sicut pocula præbentur bibenda.

Præbibere. Idem quoque Latinis est *præbibere.* Apulejus lib. 10. *Heus ait, puer lautum diligenter ecce illum aureum cantharum mulso contempera, & affer parasito meo: simul quòd ei præbiberim commoneto.* Hîc quoque *præbibere* idem est, quod *propinare* sive προπίνειν, siquidem ex ritu conviviali solebat archisymposiarcha sive dominus convivii antebibere, & mox alii subsequebantur, quasi ille describat convivis bibendi legem. Dido Virgiliana cùm præbibisset, & summo tenus ore poculum attigisset,

Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

Sic Phormio Terentianus ex procacitate parasitica inquit, *Prior bibas, prior decumbas.* Gurgulio Plautinus, *Propino*, inquit, *militi magnum poculum, ille ebibit.* Hæc de nominibus.

Propinandi mos antiquus. Est autem propinandi consuetudo antiquissima, olim & ab Hebræis & à Græcis, & à Romanis sive Latinis usurpata. Apud Hebræos, uti jam antea dictum est, paterfamiliâs solebat cùm primùm mensæ accubuisset cum domesticis suis, poculum vino refertum dextra manu tenendo, hujusmodi precatione uti, *Benedictus sis tu Domine Deus noster, Rex mundi, creator fructus vitis.* Hac oratione finita, prior vinum degustabat, idemque mox omnibus mensæ accumbentibus degustandum porrigebat, & hæc erat illius propinatio. Aliquando non ipse paterfamiliâs, sed alius aliquis ex convivis honoratior, cui hunc honorem paterfamiliâs deferret,

defert, illa & oratione, & propinatione cœnam inchoat. Propinationum etiam sed inhonestarum atque turpium, quales pleræque ferè esse solent, mentionem descriptionemque luculentam apud Habac. cap. 2. de qua suo loco pluribus. Apud Persas quoque atque Medos usitatas fuisse propinationes convivii illius Regis Assueri historia Estheræ cap. 1. satis indicat: de qua consuetudine vide Observationes Drusii in locum illum Estheræ.

Sed in primis apud Græcos & antiquas & valde usurpatas fuisse propinationes, præter ea, quæ fuerunt commemorata, alia quoque plura authorum testimonia satis testantur. Athenæus lib. 1. id Homeri testimoniis comprobat, *ἵνα δή τις*, inquit, *αὐτοῖς καὶ διὰ τῆς προπώσεως ἀσπασμὸς οἱ μὲν θεοὶ χρυσέοις δεπάεσσι δειδέχατ' ἀλλήλους* (Ιλ. δ.) *ἤτοι ἐδεξιοῦντο προπίνοντες ἑαυτοῖς ταῖς δεξιαῖς, καὶ τις δὲ δείδεκτ' Ἀχιλλέα, ἀντὶ τοῦ ἐδεξιοῦτο, ὅ ἐστι προέπινεν αὐτῷ, τῇ δεξιᾷ διδοὺς τὸ ποτήριον.* Idem paulò ante docet heroas solitos fuisse se invicem poculis honorare secundum illud *καὶ Ἀγαμέμνονα πλείοσι δέπασι τιμᾷ.* Item, *Τυδείδης μὲν καὶ κρέασι, καὶ πλείοσι δεπάεσσι τιμᾷ.* Plutarchus *Symp.* lib. 1. *λόγους, προπόσεις, φιλοφροσύνας.* Epigram. 1. *ἔτ' οὖν χρόνος ὠκὺς ἡμῖν, πάντα χύδην ἔσω, ψαλμός, ἔρως, προπόσεις.* Sed præter Athenæum & alios, Suidas propinationum Græcanicarum originem atque usum his verbis luculenter describit, verbi *προπίνειν* significationem explanans, *οἱ ἀρχαῖοι βασιλεῖς ἐπιτελοῦντες ἑορτὴν πάνδημον, ἐν φιάλαις χρυσαῖς, ἢ ἀργυραῖς κιρνῶντες ἐδέχοντο μὲν παρὰ τοῦ οἰνοχόου αὐτοί, ἀπέπινον δὲ μικρὸν τῆς κύλικος, ὡς σύμβολον ὄντος τούτου φιλίας πολλῆς, καὶ τότε παρείχοντο ᾧ ἂν ἐβούλοντο καὶ τὴν κύλικα, καὶ ἐκαλεῖτο προπίνειν, ἡ δὲ ἡμέρα φιλοτησία*, hoc est, *Græciæ reges, sive principes solenni die, quem Philotesium appellabant, miscentes aureis atque argenteis poculis vina, calicem primum a pocillatore sumebant; ac parum ex eo præbibentes, quod magnæ amicitiæ erat symbolum, illum deinde cui volebant, porrigere solebant, atque hoc quidem illis erat προπίνειν.* Idem author eadem de re sic disserit in voce *φιλοτησία· φιλοτησία* inquit, *φιλία, δεξίωσις. Αἰλιανὸς δοκεῖ τῷ δήμῳ διὰ μὲ ἔτ' φιλοτησίαν τήνδε, φιλοτησία ἡ φιάλη ἡ διδομένη ἐν τοῖς πότοις· ἐν γὰρ τοῖς συμποσίοις φιλοφρονούμενοι ἀλλήλους, ἐπεδίδοσαν οἴνου κύλικα. Ἣν φιλοτησίαν ἐκάλουν, ὡς Ὑπερίδης φησί, καὶ Ἄλεξις. καὶ Ὅμηρος, δειδέχατ' ἀλλήλους· καὶ αὖθις, ἐγχείτω τις τούτῳ φιλοτησίαν· καὶ φιλοτησίας τὰς δεξιώσεις διὰ τῆς φιλίας, καὶ φιλοτησίαν προπίνειν ἐστίν, ἡνίκα τις ἐν ἀρίστῳ ἀπὸ τῆς δοθείσης αὐτῷ φιάλης πιὼν μέρος, τὸ λοιπὸν παρέχῃ φίλῳ, καὶ τὴν φιάλην χαρισάμενος*, hoc est, *Philotesia est amicitia, salutatio. Ælianus videtur populo philotesiam istam dimetiri, Philotesia est phiala quæ in compotationibus datur. In iis enim amicitiæ ergò humaniter se mutuo excipientes vini calicem sibi invicem porrigebant, quem philotesiam appellabant* (metonymicôs nimirum, quia symbolum erat amoris & amicitiæ quo nomine verissimè quis illud sacrosanctæ Domini Cœnæ poculum insignierit,) *ut Hyperides inquit & Alexis. Homerus item, excipiebant se invicem, & rursus, infundat quis huic philotesiam. Philotesias autem appellabant ipsas invitationes, quæ amicitiæ ergò fiebant. Et philotesiam propinare est, quando quis in convivio ex phiala sibi data partem quandam bibens, reliquum amico porrigit, ipsam phialam illi donat.* Idem addit, *φιλοτησίας τῆς φιλικῆς δεξιώσεως· οἱ Αἰτωλοὶ ἐς Ἀθήνας τὸν οἶνον ἐκόμιζον, φιλοτησίας ἐκ τοῦ θεοῦ κοινωνῆσαι καὶ τοῖς τῶν Ἀθηνῶν τροφίμοις βουλόμενοι*, id est, *Philotesia est amica invitatio, Ætoli vinum Athenas deportabant, cùm philotesias ex Deo Athenarum alumnos vellent facere participes.* Hesychius indicat hanc philotesiam adhiberi post cœnam, cum in signum amicitiæ ex eodem vino bibant omnes, qui mos etiam hodie inter Christianos obtinet, antiquitùs *ἀγαθοῦ δαίμονος* crater, hodie à Christianis vulgò *S. Joannis benedictio* appellatur. *φιλοτησία* ergo cùm pro ipsa propinatione seu invitatiuncula ad bibendum, quæ amicitiæ benevolentiæque ergò fit, accipitur, tum pro die festo & solenni, quo illa olim celebrabatur, tum pro poculo quo hujusmodi fit invitatio. Hinc *κρατὴρ* quoque *φιλοτήσιος* dictus est, ad quem Plutarchus in lib. *de fortuna Alexandri* egregiè alludit, dum docet Alexandrum barbaros quidem armis, Græcos autem civilibus institutis conatum esse ad humaniorem sanctioremque vitæ rationem traducere, *ὥσπερ*, inquit, *ἐν κρατῆρι φιλοτησίῳ μίξας τοὺς βίους, καὶ τὰ ἤθη, καὶ τοὺς γάμους, καὶ τὰς διαίτας*, id est, *velut in philotesio* (hoc est, propinatorio cratere, qui amicitiæ conciliandæ causa alteri præbibi solet) *miscens vitas, mores, conjugii ac vivendi rationes.* Lucianus, *φιλοτησίας προπίνειν ἑκάστῳ τῶν παρόντων.* Demosthenes, *φιλοτησίας προπίνειν*, *amicos ad potandum invitare.* Aristophan. in *Acharn.* *πίνε, καταχεῖσο, λάβε τὴν δὲ φιλοτησίαν*, ubi interpres, *φιλοτησίαν* appellabat *τὴν φιάλην τὴν διδομένην ἐν τοῖς συμποσίοις.* Catachresticus hujus vocis usus est apud Athenæum lib. 6. de Clearcho tyranno, ubi per jocum *φαρμάκου*, id est, *veneni*, *φιλοτησία* dicitur, & exponitur invitatio ad potandum, possis etiam *poculum* interpretari. Hujusmodi certè sunt immoderatæ illæ violentæque propinationes seu invitationes ad bibendum, quæ licet amicitiæ specie atque prætextu fiant, tamen noxiæ sunt ac quasi venenatæ, ac proinde rectè *φαρμάκου φιλοτησίαι* possunt appellari. Plato tamen, teste Gellio lib. 15. 2. existimavit largiores lætioresque in conviviis invitatiunculas vini non inutiles esse. Et huc facit illud Clementis Alexand. libro secundo, *Pædag.* capite secundo, ubi ebriosorum mores describens, quosdam illorum, inquit, videre licet *ἡμιμεθεῖς, σφαλλομένους περὶ τοῖς τραχήλοις ἔχοντας στεφάνους ὥσπερ τοὺς ἀμφορεῖς διαπτύζοντας ἀλλήλοις τὸν ἄκρατον, φιλοτησίας ὀνόματι*, *semiebrios, cespitantes, in collis coronas habentes, non secus ac amphoras, merum sibi invicem quasi sputo irrorantes seu affundentes amicitiæ nomine.*

Propinationes Græcorum.

φιλοτησία.

Crater philotesias.

Apud Romanos quoque hujusmodi propinationes, quas etiam *invitationes* nominat, in usu fuisse passim apud authores videre licet. Herodianus libro primo: *ὁ δὲ ὡς συνήθη φιλοτησίαν, κατὰ πολλὰ λελεγμένη, καὶ γυμνάσια τὰ περὶ θηρία διψῶν ἔπιεν ἀνυποπτήτως*, Politianus vertit *poculum de more propinatum*, alii vertunt *poculum ab amica temperatum*, Martia videlicet, nam paulò ante de hac ipsa dixerat. Solebat ipsa & miscere & porrigere primam potionem, quò ad amicos majore cum voluptate biberet. Hodie apud Christianos quàm tritæ & usitatæ sint hæ propinationes, ut de aliis nationibus barbaris taceam, quid opus est multis verbis?

Propinationes Romanorum.

Propinationum usu liberalis.

verbis? experientia quotidiana id satis testatur. Constat ergò propinandi morem antiquum, multisque populis usitatum, olim hospitii, amoris amicitiæque symbolum fuisse, id quod φιλοτησίας nomen satis declarat. Et certè ut cibum, ita potum quoque in convivio alteri porrigere ac propinare amoris amicitiæque ergò, si id fiat cum modo atque ratione, minimè videtur esse reprehendendum. Nam multa hujusmodi cibi potusque communicatio valde liberalis, civilis, amica atque humana videtur esse. Quemadmodum contrà incivile, illiberale, inurbanum, ἀνελεύθερον καὶ ἀκοινώνητον videtur esse, si quis mensæ accumbens unà cum cæteris, ipse solus per se edat ac bibat, nec convivas suos cibi potusque participes facere studeat. Valde quoque laudabilis esse videtur ille Helvetiorum mos, quo peregrino primùm advenienti, & in triclinium ingredienti à conviva uno atque altero poculum vini porrigitur, de quo in primo libro dictum est in titulo *de conviviis hospitalibus*. Atque hæ sunt illæ salutationes διὰ προπόσεως.

Propinationum abusus inter Christianos.

Verùm ut nihil est tam bonum, tam honestum atque laudabile quod non deformet atque deturpet hominum abusus, ita hæc quoque propinandi consuetudo & antiqua & per se amoris amicitiæque plena, ac proinde honesta atque laudabilis, jam à multis seculis in turpissimum perniciosissimumque abusum degeneravit, qui hodie passim in orbe Christiano regnat atque dominatur. Nam vel ad Plutonis usque cancellos, ut ita loquar, hodie Christiani sibi invicem specioso amoris atque amicitiæ obtentu propinare, seque vel blanditiis, vel etiam vi aperta ad plus, quàm illorum officii atque salutis ratio postulet bibendum cogere solent, quæ quidem propinationes ἀναγκοποσίαι potiùs, quàm φιλοτησίαι dici merentur, cum magna animi corporisque pernicie, & æternæ salutis periculo conjunctæ. Ac mihi quidem merito optimoque jure partim cum antiquis illis diaboli ac primorum nostrorum parentum, partim cum meretricis illius, cujus in Apocalypsi fit mentio, propinationibus luctuosissimis sane funestissimisque videntur posse comparari. Nam primò quidem quemadmodum tartareus ille Draco Euam primùm, illa deinde Adamum maritum suum ad fatalia illa poma

NOTA.

contra expressam Dei legem degustanda blandissimis verborum illecebris atque lenociniis invitavit, unde mors animi atque corporis omniumque malorum cumulus in illos, nosque illorum posteros redundavit: sic quoque vini isti gurgites ad immania illa sua πόματα atque pocula se invicem quasi serpentinis quibusdam cùm blanditiarum, tum minarum sibilis ac plurimis tortuosis flectuosisque fraudibus atque fallaciis invitant atque impellunt. Deinde quemadmodum nobilis illa meretrix in Apoc. cap. 17. sanctorum atque martyrum sanguine ebria, poculo illo suo aureo, quod manibus tenebat, pleno abominationis, immunditiæ atque libidinis, cùm reges, tum alios terræ incolas inebriavit, & ad turpissimas libidines, amores atque stupra pellexit: sic quoque turpissimi isti potatores ac propinatores quavis meretrice audaciores & impudentiores sese invicem immanissimis & quasi Circæis illis propinationibus ad amentiam insaniamque redigunt, & ad turpissima quævis scelera atque flagitia designandum incitant & impellunt. Harum autem ipsarum propinationum gra-

Propinationis impiæ graphica descriptio apud Hab. 2.

phicam & illustrem descriptionem habemus apud Prophetam Habac. cap. 2. qua potatorum istorum cùm propinandi mos, studium, propositum, atque finis, tum pœna gravissima, justissimaque, suis, ut ita loquar, coloribus depingitur. Propheta namque seu potiùs Spiritus S. per Prophetam Chaldæorum populo atque regibus partim vinolentiam & ebrietatem, partim violentiam atque tyrannidem immanem exprobrans, hujusmodi gravissima sanè oratione atque apostrophe utitur: *Væ*, inquit, *qui potum præbes, sive propinas socio sive sodali tuo, seu qui socium ad potandum invitas.* Primo particula *Væ* dira atque funesta, quam aliis quoque in locis, ut Isa. 5. & 28. Eccles. 10. Amos 6. Spiritus S. ebriosis intonat, significatur potatores istos insanos omni infortuniorum atque malorum genere mulctari atque mactari, id quod ipsa experientia quotidiana satis docet. Contra tamen Epicuri illi de grege porci inter insanas illas suas compotationes atque propinationes sibi invicem gratulantur, bona atque fausta quævis pollicentur, augurantur atque precantur. Spiritus sanctus *Væ* inquit illis, qui & se & alios vino immoderato ingurgitant, at impuri illi atque mendaces Spiritus *væ* inquiunt, hoc est, malè sit siccis atque sobriis, qui genio ebrietatique indulgere nolunt, contrà *Euge*, bene sit illis, qui strenuè potant. Addit sodali, socio sive proximo suo. Et si omnes homines scelerati atque flagitiosi suorum & scelerum atque flagitiorum, & malorum cupiunt habere socios, tamen id ebriosorum hominum maximè est proprium. Non enim contenti semetipsos immoderata vini copia obruere, alios quoque quàm plurimos in sui hujusce sceleris atque flagitii societatem protrahere conantur. Quærunt igitur dies noctesque bonos socios (uti vulgò appellantur gût gsellen / *bonos compagnions*) cum quibus potent, helluentur, plurimumque ex eo voluptatis capiunt, si illos quoque vini quàm plurimum ingurgitare videant. Agrestis, immanis, infida atque turpis est istiusmodi gregalium societas, cùm antiqua illa vel Lupercorum vel Lapitharum atque Centaurorum sodalitate meritò comparanda, licet hodie Christianorum plerisque hæc maximè honesta, fida ac sacrosancta societas esse videatur. Nulla quoque hodie societatis vel ineundæ ac contrahendæ, vel conservandæ atque tuendæ melior commodiorque ratio videtur esse, quàm per immanes istas propinationes. Quod autem in genere Propheta dixit, id speciatim magis explicat, luculenterque vinolentorum istorum seu violentorum potiùs hominum mores, studium atque finem exprimit, *conjungens* sive *addens*, inquit, *fervorem tuum.* Vox חמתך *Hamathcka* quadrifariam ab interpretibus exponitur, quæ quidem significata omnia potatoribus atque potationibus illis vesanis optimè quadrant atque conveniunt: alii interpretantur *utrem tuum*, hoc sensu vel utres totos vini plenos sociis tuis propinas, ad illos vino nimio obruendum, cui

Utres.

simile est illud Oseæ 7. *Regem ægrotare faciunt utre vini.* Utres hîc, quibus Orientales olim, & hodie quoque vina sua recondere atque asservare consueverunt, his in locis synecdochicῶς pro quibusvis amplis & capacibus poculis usurpantur, quæ ebriosi homines sibi invicem propinant, ac perinde est ac si nos diceremus, vel integra vini dolia sibi mutuo propinant. Alii hanc vocem exponunt iram seu incandescentiam, quæ à

calore

calore similiter atque fervore apud Hebræos nomen suum habet, est enim cordis fervor, ut etiam à physicis definitur. Sensus ergo est, *qui addis sive intendis iram tuam.* Solent namque violenti isti potatores ira accendi atque inflammari quando illi quos ad bibendum invitant, nolunt vel etiam non possunt libidini suæ satisfacere atque obtemperare. Ac omnino ebrietatis comitem esse iram, atque iracundiam, notissimum, ipsoque usu quotidiano exploratissimum est, quæ tandem in insaniam atque furorem desinit. Hinc rixæ, jurgia, verbera, cædes. Sunt qui hanc vocem interpretantur *venenum*, quasi diceret: *addens venenum tuum.* Non enim vinum, sed virus potius atque venenum Epicurei illi potatores sibi invicem propinant, ac proinde veneficii rei sunt, cùm immoderatam vini vim, ad aquam hauriendam sese mutuò cogunt, veneni instar corpori maximè noxiam atque pestiferam esse constet. Denique nonnulli hac voce simpliciter calorem sive æstum intelligunt, quo significatur acre, incitatum, incensum ac inflammatum istorum potatorum studium, quo ad se aliosque inebriandum rapiuntur. Sequitur porro propinationum istarum atque propinatorum finis impius, quem sibi habent propositum. *Et etiam inebrias*, inquit, *ut aspicias turpitudinem eorum.* Propinationis justæ moderatæque justus legitimusque usus censeri debet charitas, amor, atque amicitia mutua, cujus vel ineundæ, vel fovendæ, atque confirmandæ causa nonnunquam a piis probisque viris illa olim adhibita fuit, ut etiamnum hodie adhiberi potest, ac debet: ac proinde rectè φιλοτησία a Græcis fuit appellata. In primis autem optima, laudabilissima, charitatique Christianæ convenientissima est illa propinatio, qua quis vel peregrino, vel alteri alicui sitienti lassoque, præsertim pauperi, inopi, ægroto potum præbet, quam Deus amplissimis præmiis remunerabitur. At verò immoderatarum istarum atque Cyclopicarum propinationum, quibus hodie plerique Christianorum quotidie ferè utuntur, finis non est amor, charitas, amicitia, honor, observantia, (quam tamen helluones isti verbis bellè simulant, ac præ se ferunt) sed ebrietas, & quæ illam necessario sequitur, turpitudo, dedecus, ignominia, quam sibi invicem inurunt. Et certè constat, teste experientia quotidiana, plerosque acrium illorum potatorum hoc tantum spectare, ut illos, quos vel amicitiæ, vel honoris specie, atque simulatione ad immoderatè bibendum invitant, atque cogunt, cunctis irridendos propinent, de quo suprà quoque in explicatione hospitalium conviviorum pluribus fuit dictum. Nec verò temporalis tantum, verumetiam æterni dedecoris, atque ignominiæ illis authores existunt. Quàm ergò propinationes istæ intemperantes a Christiana charitate sint alienæ, vel hinc quoque satis fit manifestum, quod qui iis utuntur, si vel tota vini dolia aliis infundere possent, ad illorum animum corpusque perdendum, id facere minime recusarent, cum interim peregrinis, pauperibus, viduis, puerperis, ægrotis, & quibuscunque aliis fame sitique laborantibus vel pauxillum cibi potusque porrigere, atque præbere mirum in modum graventur.

Propinationis legitimus finis.

Propinatio laudabilis quæ.

Sequitur nunc secundo loco pœna cum justa, tum gravis & atrox quæ violentos istos potatores manet, quæ similiter in Babyloniorum persona nobis proponitur. *Satiatus es*, id est, saturaberis, inquit, *ignominia magis, quàm gloria.* Potatores illi intemperantissimis illis suis propinationibus sibi quidem gloriam, atque decus, hominumque gratiam, atque favorem, contrà verò aliis ignominiam, atque dedecus conciliare, atque conflare conantur, sed justo fit plerunque Dei judicio ut ipsi contrà perpetuæ ignominiæ, atque dedecoris notis inurantur. Addit per sarcasmum, *bibe etiam tu ac denudare*, quasi diceret: Tu qui alios ad immoderatè bibendum atque adeò ad vomendum impulisti, atque coëgisti, quo illorum animi corporisque nuditatem, extremamque ignominiam atque dedecus cum magna animi tui voluptate intueri, atque ita oculos, animumque tuum pascere posses, tu quoque cogeris bibere calicem amarum, & acerbum, calicem, inquam, iræ atque furoris divini, quem dominus sua dextera, id est, justo suo judicio tibi propinabit, unde vomitus ignominiosus erit super gloriam tuam, id est, gloria tua ignominiæ labe atque macula deformabitur. Hunc calicem vindictæ divinæ, (cujus etiam mentio fit Isa. 15. & Jerem. 25. 49. & 51. & Apoc. 14. Psal. 11. 75) si strenui isti calicum remiges sibi ante mentis oculos proponerent, non tanta profectò audacia, atque impudentia se, & alios ad vini calices assidue exiccandos invitarent, atque allicerent. Verum, proh dolor, nos Christiani furiosis illis nostris, & assiduis propinationibus Deum quoque ad dirum illum atque tristem iræ, atque furoris sui calicem nobis propinandum, seu, ut est in Apocal. cap. 16. ad septem illas iræ suæ phialas super nos effundendum, hoc est, ad innumeras clades atque calamitates nobis infligendum provocamus. Observanda etiam hic dicendi forma qua Habacuh utitur *(circundabit, sive circundabitur super te calix dextræ domini)* qua mihi videtur ad antiquum propinandi morem alludere, quo paterfamiliàs dextra sua poculum vini plenum tenendo, ac illud prælibando atque precando, proximo porrigebat, ex quo deinceps singuli convivarum ex ordine bibebant, de qua ἐγκυκλοποσίᾳ suo loco pluribus dicitur.

Pœna potatorum.

CAPUT

CAPUT XI.

PROPINATIONVM QVIBVS HODIE CHRISTIANI VTVNTVR, CVM ANTIQVIS ILLIS GRAECORVM, ROMANORVM, SCYTHARVM, THRACVM, ALIARVMQVE NATIONVM COMPARATIO, ATQVE DESCRIPTIO, CERTIS QVIBVSDAM CONSTANS CIRCVMSTANTIIS, SIVE CAPITIBVS. HVIVSMODI SVNT PRIMO CERTAE QVAEDAM CORPORIS EXERCITATIONES CEV PROGYMNASMATA, NEC NON ANTIDOTA SIVE ANTIPHARMACA, PARTIM ESCVLENTA (QVAE PROPOMATA APPELLANTVR) QVIBVS HOMINES SE AD DIRVM ILLVD PROPINANDI CERTAMEN QVASI PRAEMVNIVNT. DEINDE PERSONAE IPSAE A QVIBVS CERTAMEN ILLVD EXERCETVR, TVM VINVM QVO POTISSIMVM PROPINATORES MVLTIFARIAM AD SESE INEBRIANDVM ABVTVNTVR. DE VINI VEL MERACI, VEL DILVTI ATQVE TEMPERATI VSV. DE VARIIS VETERVM VINI TEMPERATVRIS.

De propinationibus Christianorum aliorumque populorum hodie usitatis.

His præmissis nunc statui de Christianorum, aliorumque populorum propinationibus, quæ hodie sunt in usu, paulò latius scribere, illasque cum antiquis illis Scytharum, Thracum, Sybaritarum, Græcorum, aliarumque nationum barbaricis, luxuriosisque propinationibus conferre, quæ collatio cùm ad antiquos quosdam ritus atque cæremonias cognoscendum, & id quod est consequens, ad multa sacrorum, prophanorumque scriptorum loca tanto meliùs intelligendum, tum ad deploratos hosce nostros perditosque mores non tam cognoscendum, quàm deplorandum, execrandumque, uti spero, conducet. Pudeat, pudeat, inquam, tandem aliquando nos, qui Christo nomen dedimus, illius sacris initiati atque imbuti sumus, ac proinde Christiani dici atque haberi volumus, illas antiquas Thracum, Scytharum, aliarumque gentium a Christiana religione alienissimarum propinandi consuetudine monstrosissimas tam strenuè imitari, quibus profectò animi corporisque nostri non temporalem modò, sed æternam etiam nostram salutem, pro qua Christus vitam, sanguinemque suum profudit, perenni atque perpetuo illi nostro hosti perdendam propinamus, atque prodimus. Hæc porrò mea descriptio atque comparatio certis quibusdam circumstantiis definietur, de quibus ordine agam.

NOTA.

Ac prima quidem circumstantia, seu primus locus sunt cùm exercitationes, & quasi progymnasmata, tum antidota seu antipharmaca quæ præsumi solent. Nam primò quemadmodum Athletæ atque pugiles ad futurum certamen sese præparant progymnasiis quibusdam, sic etiam multi ad infelix hoc atque funestum propinationis certamen infelicissimè certandum, vel certè sustinendum, corporis prius quibusdam exercitationibus utuntur. Ad sudorem usque se exercent, ut deinde ad sudorem usque potare, ac plurimum vini haurire, seu perdere potius possint. Huc pertinent peregrinæ exercitationes, & volutatio in cœno, & pectorosa cervicis repandæ ostentatio, per quæ omnia prædicatur sitis quæri, ut ait Plinius lib. 14. cap. 22. Impiis hic est ac perniciosus exercitationis finis, qui non ad corporis robur & sanitatem (qui quidem justus, & proprius corporeæ exercitationis finis censeri debet) sed potius & ad animi, & ad corporis pestem perniciemque refertur. Deinde antidotis quibusdam utuntur ad ebrietatem vel arcendam, vel etiam irritandam. Sybaritas ferunt olim crambem prius esitasse, quo plus deinde bibere possent. De hac Erasmus in *Proverbio*, *Crambe bis posita mors est.* Plinius inter brassicæ species tertio loco refert & cramben, quam Dioscorides tradit, præterquam quod aliàs ad multa remedia efficax sit, etiam ebrietatis & crapulæ incommoda tollere, si cruda edatur ante cœnam ex aceto, ut judicavit M. Cato. Inest autem peculiaris quædam vis Crambæ obsistendi vino, ut si in vineto seratur, vinum proveniat dilutius. Proinde apud Ægyptios & Sybaritas solenne erat ante omnia sumere cramben coctam: quibusdam mos erat ex Amethystino vasculo crambes semen ante compotationem capere, quo citra periculum ebrietatis vino indulgere possent. Suidas scribit illam antiquitùs in conviviis adhiberi solere, verùm recoctam adeò nauseam afferre, ut Græcis in fastidii proverbium abierit. Eadem de re vide Angeli Polit. *miscell. cent.* 1. cap. 53. Sic Christiani quoque multis utuntur antipharmacis, quibus se munire conantur ad ebrietatem propulsandam, ac ut tanto largiùs bibere possint. Hujusmodi sunt amara potissimum, & ea omnia quæ humores aquosos per urinam expurgant, quibus præsumptis, fit ut fumi aliò quàm ad caput deferantur, ac vinum venas subire prohibeatur, exiccante etiam amarore humiditatem. Ut sunt amigdalæ amaræ,) de quarum numero quinario, eo non arceri ebrietatem, contra Plutarchum vide exercitationem Marcelli Squarejalupi) persicorum nuclei, foliorum persici arboris succus expressus, absinthii Pontici dilutum, nux muscata, oleum ex uvis expressum, sesami semina. Item panis bucella copioso melle imbuta, quibus omnibus præfertur brassica Catoni ad fastidium usque nobilitata, quæ vulgo *Caulis* appellatur, de quibus Levinus Lemn. 2. cap. 17. Drusi (qui Tiberii Cæsaris fuit filius) medicum bibacissimum ferunt, ferunt, 3. aut

Antidota ad ebrietatem vel arcendam vel irritandam.

Ebrietatem quæ antidota arceant.

aut 6. amygdalas amaras ſubinde ante compotationem comedere ſolitum, ne inebriaretur, teſtis eſt Plutarchus, 1. *Symp. prob.* 6. Chriſtoph. quoque à Vega lib. 3. *de arte medendi*, ebrietatis cum præcavendæ, tum arcendæ quædam præcepta tradit cap. 5. *de capitis doloribus.* Mercurial. lib. 4. cap. 6. *Lect. variarum: Veteres ut evitarent ebrietatem, ac interim multum biberent, interdum lauro, hedera, anetho, ſimilibusque aliis eos coronatos inter potandum fuiſſe* teſtatur, de quo infra pluribus.

Huc referenda ſunt antiquorum προπόματα, de quibus ſic Hen. Stephanus in ſuo *lexico*: Πρόπομα, *quaſi diceret, propinamentum, potus qui propinatur. Sed peculiariter de certo quodam potionis ſeu potus genere dictum fuit πρόπομα, ſive quod eo in propinando uterentur, ſive etiam, quod illum cæteris præbiberent (quum πρόπομα præcedat τὸ ἄριστον apud Plutarchum.) Erat autem hic potus ex vino, & melle confectus, quum vini ſextariis quatuor mellis deſpumati unus miſceretur citra quidem cocturam, ſed longa inſolatione. Verùm fuerunt & alii προπομάτων conficiendorum modi, utpote quæ ad varios uſus comparata eſſent. Vide Aëtium, qui vina purgantia vocat προπόματα, & alibi roſarum flavæ bilis purgatorium itidem πρόπομα. Quinetiam ſub nomine κονδίτου videtur πρόπομα comprehendere, cum ſcribat lib.* 11. *cap.* 10. μετ᾽ οἴνου ἢ κονδίτου, ἢ ἑτέρου προπόματος. *Apud Athenæum legimus* εἰς πρόπομα *(intellige autem de eo quo voluptatis gratia utebantur) injici hæc fuiſſe ſolita,* πέπερι, σμύρναν, κύπειρον, μύρον αἰγύπτιον. *Diſcimus ex eodem in antecœniis (ut loquitur Apuleius)* προπόματα *locum habuiſſe. Scribit enim ille, vel potius Phylarchus apud illum* πρόπομά τι πρὸ τοῦ δείπνου περιεφέρετο καθὼς εἰώθη τὸ πρῶτον. *Non dubium eſt autem, quin & in anteprandiis (liceat enim hanc vocem ad illius exemplum fingere) idem fuerit προπομάτων uſus. Imo verò anteprandium quoddam videtur Plutarcho fuiſſe, ſeu potus quidam anteprandianus (& hoc nomine uti fas mihi eſto) Sympoſ. lib.* 1. *quæſt.* 6. *a quodam Heraclide pugile. Hic alios vocabat ad* πρόπομα, *alios ad* ἄριστον, *alios ad* δεῖπνον, *alios ad* κῶμον. *Sed ſive ante prandium, ſive ante cœnam προπόμασι utebantur, hoc conſtat, fuiſſe quædam potus genera, à quibus compotationis initium faciebant, vel quæ compotationis quaſi præludium erant. Niſi potiùs ad illam verbi* προπίνειν *reſpicientes ſignificationem, de qua dictum eſt, & ad illam verbalis* πρόποσις, inde προπόματα *nomen accepiſſe putemus, quod eſſent veluti propinamenta, id eſt, quod ea potus genera propinationibus primum fuerunt deſtinata.* Hæc Stephanus in ſuo *lexico*. Apud Plutarch. 3. *Sympoſ. prob.* 7. Ariſtænetus Nicæus quibuſdam in libris ſe legiſſe ait, dulcia vino admixta reprimere ebrietatem, & Medicorum nonnullos præcipere ebriis, ut dormituri panem melli intinctum guſtent. Hinc muſtum quoque non inebriare, ut in illo *problem.* pluribus probatur. Illi tamen irriſores Actor. 2. diſcipulos Chriſti variis linguis differentes de myſteriis cœleſtibus γλεύκους, id eſt, *muſti*, plenos eſſe dicebant: γλεῦκος propriè vinum novum dicitur. Muſti autem tempus, non eſt tempus certè Solſtitii. Sed γλεῦκος vocarunt & γλεῦξιν, vinum dulce, quod & Σίραιον, & ἕψημα & γλυκύ, quod coquendo ea dulcedo pararetur, ut annotat Camerarius in illum locum.

Antiquorum προπόματα.

προπόματα in antecœniis.

Legitur apud Trallianum 11. lib. fuiſſe apud Romanos propomatis genus, quod illi *Recentatum* nuncuparunt, quodque, ut in eo bibendo magis delectarentur, peculiari quadam arte refrigerabant. Id nomen quid ſignificaret, quodve potionis genus eſſet, multos diu ambiguos tenuit, nec defuerunt qui Alexandri codicem corruptum eſſe crediderint. Mercurialis verò vir doctiſſimus lib. 1. cap. 6. *lect. var.* textum minime corruptum eſſe exiſtimat, recentatumque Romanos vocaſſe vinum antiquum muſto, vel lixivio, vel tortivo commixtum, quaſique renovatum, quomodo pleroſque hodie factitare conſpicimus. *Recentare* enim apud veteres in uſu fuiſſe pro *renovare* author eſt Nonius: quod etiam ex Gn. Mario teſtatus eſt Gellius lib. 15. cap. 25. Unde etiam à Varrone in libris *de lingua Latina*, vinum vetus novum nuncupatum invenitur, hoc ipſum *recentatum* fuiſſe arbitratur, quod caupones pro vetere interdum vendere ſolitos memorat Galenus lib *de cibis boni & mali ſucci.* Hanc autem potionem ceu valetudinariis optatam exiſtimat non communi, & uſitato, ſed diverſo aliquo modo fuiſſe a Romanis refrigeratam, ita ut egelida potius, aut ſaltem modice frigida, quam verè gelida fieret, non autem vel lamina, vel glarea, vel glacie, vel nive, qui fuerunt antiquis uſitati aquam vinumve refrigerandi modi. Vel, ut idem conjectatur, recentatum forſan fuit, quod Græci ἀειγλεῦκος, Latini *ſemper muſtum*, & *ſemper dulce* vocarunt, ita ut refrigerandi conſuetudo non ad bibendi tempus, ſed ad recentati conficiendi modum referatur. Sic enim de hoc loquitur Columella lib. 12. cap. 29. *Muſtum ut ſemper dulce tanquam recens permaneat, ſic facito: Antequam prælo vinacea ſubjiciatur, de lacu quàm recentiſſimum addito muſtum in amphoram novam, eamque oblinito, & impicato diligenter, ne quicquam aquæ introire poſſit. Tunc in piſcinam frigidæ, & dulcis aquæ totam amphoram mergito, ita ne qua pars extet. Deinde poſt dies* XL. *eximito. Sic uſque annum dulce permanebit.* Columellæ aſtipulatur Plinius lib. 14. cap. 9. nec non Florentinus inter Geoponticos lib. 6. cap. 16. Idem porrò author de veterum propomatis in genere ſic ſcribit. Scribit Paulus Æginetа cap. 15. lib. 7. propomata mixtiones quaſdam extitiſſe factas ex mellis deſpumati ſextario uno, & vini quaternis. Ut verò Alexander Trallianus lib. 1. cap. 10. & 11. & alibi ſæpe meminit, propomata nulla alia erant, quam vina factitia diverſorum generum, de quibus plura leges apud Plinium, & Columellam magnos linguæ Latinæ authores, & quæ Aëtius interdum προποτισμοὺς vocat. Hæc autem ſic appellata ea ratione credendum eſt, quod ante reliquos potus, atque cibos ſumerentur. Quam hujuſcemodi vina bibendi conſuetudinem ſub Tiberio Claudio principe invectam Medicorum placitis, novitate aliqua ſe commendantium, ſcribit Plinius lib. 14. cap. 20. Poſt quem Plutarch. 8. *Sympoſ. problem.* 9. dum queritur, tempore ſuo propomatum uſum, qui novis morbis occaſionem præſtaret, inductum, nil aliud intellexit, quàm quod Plinius antea deteſtatus erat, hæc ſcilicet factitia vina bibendi morem. Quamvis προπόματος uti antiquæ conſuetudinis apud Athenæum eſt mentio. Cur verò ita à Medicis commendatum, opinor quòd, ut principibus & nobilibus viris largiorem bibendi copiam facerent, ea vina excogitarint, quæ variè affectos ſtomachos

Recentatum quid.

machos curarent, confirmarent, & ad bibendum impunè magis excitarent, quando etiam non deerant, qui ut copiosiùs potare & edere possent, vina prava, quæ ipsis incitarent vomitum, præpotabant. De qua re sic Juvenalis Satyr. 7.

---- tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens plena quod tenditur urna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter, id est, duo sextarii.
Ducitur (id est bibitur) *ante cibum rubidam facturus orexim*
Dum redit, & terra luteo (alii *luto*, id est, frustis esculentis vinum redolentibus) *ferit intestino.*
Marmoribus rivi properant (sola & pavimenta marmorea vinorum rivis natant) *aut lata Falerno*
Pelvis olet (vomitus vini pelvi excipitur) *nam sic tanquam alta in dolia longus*
Deciderit serpens, bibit, & vomit.

Vinum admotum pedibus, sive *a pedibus* hic vocat vinum pessimum, quod servis (qui *a pedibus* dicuntur) apponi fuit solitum, quod τροπίαν & ἐκτροπίαν, id est, *versionem* appellabat, quod stomachum subverteret, ac perturbaret. Hujusmodi igitur vinum bibebant vomitus ciendi gratia, ut sic evacuato per vomitum stomacho tantò major esset bibendi edendique orexis, id est, appetentia. Unde Seneca, *Vomunt ut edant, edunt ut vomant.* Idem Seneca ad Lucilium loquens de intemperantia mulierum, *Non minus*, inquit, *potant, & oleo, & mero viros provocant. Æque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remittunt.* Hinc ergo apparet veteres illos vini gurgites non modò post, sed ante cœnam quoque cùm vinis malis, tum aliis rationibus vomitus ciere fuisse solitos, quò exinanito stomacho edendi bibendique appetitus excitaretur. Et huc facit illud Martialis:

Nec cœnat prius, aut recumbit,
Quam septem vomuit deunces.

Propomatum varia genera.

Propomatum porrò, ut ad illa redeam, varia genera, quæ ex absynthio, aromatibus, & aliis sunt confecta, videre licet apud Nicolaum Mirepsum *sect.* 38. *num.* 46. & in sequentibus. Vide etiam Ætium lib. 3. cap. 57. lib. eodem cap. 72. Cælium lib. 7. cap. 26. *Sunt & propomata*, inquit, *velut antecedentia pocula, ut sint bibendi procemia.* Est apud Palladium caput lib. 3. quo pacto sponte nascuntur propomata, id est, vina condita, cujusmodi est rosatum, & violatum. Hujusmodi autem propomatum hodie apud Christianos quoque maximus est, & frequentissimus usus, quibus potatores maximi ceu procemiis quibusdam atque præludiis utuntur, ad dirum illud suum propinandi certamen. Ac maximè quidem commune est propoma absynthites, quod, ut Trallianus testatur, vim habet σόμαχον ῥῶσαι, ἢ λεπτῦναι, ἢ ἀπωθῆσαι τὸ περιττὸν ἐν αὐτῷ περιεχόμενον, *stomachum corroborandi, & extenuandi, expellendique excrementa quæ in eo continentur.* Hoc fere propomate (ut taceam innumera alia vina factitia) potatores hodie maxime ab initio cœnæ utuntur ceu pharmaco cùm hesternæ atque præteritæ, tum futuræ ebrietatis, atque crapulæ. Fit autem justo Dei judicio ut impiis istis potatoribus qui vino tam nefariè abutuntur, omnis cibus potusque, qui moderatè sumptus illis non modò salubris, verùm etiam suavis, atque jucundus esse posset, in fel, atque amaritudinem convertatur. Nam amara primo sunt pleraque illa quæ præsumunt propomata, atque cibi, uti dictum est, deinde amaræ & acerbæ sunt illæ ipsæ ad quas se mutuò cogunt, immoderatæ violentæque potationes, denique amarissimæ sunt potiones medicatæ, quibus tandem stomachi cruditates immoderato cibo potuque collectas expurgandi causa, uti coguntur. Sic igitur fit ut voluptuarii isti homines quorum summum bonum est voluptas, quique voluptatem cum aliis in rebus, tum maximè in cibo atque potu consectantur, multiplici atque molestissima nausea fastidioque afficiantur. Quantæ præterea est stultitiæ, imo insaniæ, antidotum, ut est in proverbio, ante venenum sumere? Perinde hi faciunt atque si quis, postquam in animum suum induxisset venenum bibere, antidotum prius aliquod sumeret. Sic enim isti quoque ut vinum immoderatum ceu venenum, avidius atque largius haurire possint, antipharmaca illa præsumunt. Quantò satius esset illos veneno abstinere, ita ut medicamento illis nihil sit opus. Optima ac præstantissima ebrietatis antipharmaca sunt timor Dei, sobrietatis studium, ebrietatis, atque intemperantiæ odium. Cogitare deinde quàm turpe, quàm fœdum, quàm perniciosum, quàm Deo hominibusque piis invisum sit ebrietatis vitium, quàm sit à natura humana, à Christiani hominis officio, a tua persona quam Deus tibi imposuit alienum. Quanta illud mala animi, corporis, atque fortunæ secum trahat. Proponas etiam tibi ante mentis tuæ oculos & Dominum nostrum Jesum Christum, qui salutis nostræ sitientissimus cruci affixus acerbissimam sitim perpessus est, & illius membra, hoc est, plurimos homines inopes, pauperes, ægrotos, qui gravissima fame sitique torquentur, ad quam restinguendam vix minima sæpe vini guttula illis suppetit. Hæc si homines Christiani diligenter, ut fas erat, animis suis secum reputarent, nihil profecto illis opus esset illis vel laboriosis exercitationibus, vel amaris antipharmacis ad ebrietatem arcendam, ab ebrietate enim sua sponte toto pectore abhorrerent, nec ad illam se ullo pacto cogi, impellique paterentur. Plinius lib. 4. cap. 22. cùm alia ebrietatis irritamenta à suæ ætatis hominibus excogitata fuisse scribit, tum venena etiam bibendi causa confici fuisse solita, cum alii cicutam præsumerent, ut bibere mors ipsa cogeret, (en quo dementiæ ebrietas homines adigat!) alii pumicis farinam, & quæ referendo pudet docere.

Propoma absynthites.

Antidotum ante venenum sumere.

Ebrietatis antipharmaca optima quæ sint.

Secunda

Perſonæ ſibi invicem propinantes.

Secunda circumſtantia in propinationibus conſyderanda ſunt perſonæ, & eæ triplices, nempe convivii magiſtri, miniſtri, atque ipſi convivæ. Quoad primos attinet, jam antea dictum eſt apud Hebræos patremfamiliâs dextra manu poculum tenentem præmiſſis certis quibuſdam precibus propinationem fuiſſe auſpicatum, quem deinceps reliqui convivæ ſunt ſecuti, ac ſibi invicem ex ordine propinarunt. Apud Græcos, &, qui illos fuerunt imitati, Romanos moris erat aliquem è convivis ſorte eligi, qui bibendi leges (quas Græcis συμποτικοὺς νόμους, *leges conviviales*, Horatius meritò *inſanas* appellavit) ferebat, quibus cæteros omnes parere neceſſe erat. Hic ergo, qui *Sympoſiarcha*, *convivii rex*, *dominus*, *magiſter*, *bibendi arbiter* fuit appellatus, ceu præſultor ſive promachus propinationem inchoabat, quem mox alii ſubſequebantur ad illius imperium atque dictata bibere coacti. Ad certam enim menſuram atque numerum convivas bibere cogebat, & ceu ἐργοδιώκτης inſtabat, urgebat. Hinc illorum imperia ab Horatio *vini regna*, à Cicerone *magiſteria* fuerunt appellata, & illorum leges quibus convivæ ad inſanas potationes, atque adeo ad inſaniam adigebantur, meritò ab Horatio *inſanæ* fuerunt dictæ Sat. 6. lib. 2. ad quas Cicero quoque eleganter alludit Verrina 5. *Eſt enim Imperator ſeverus, & diligens, qui populi Rom. legibus nunquam paruiſſet, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat.* Hujuſmodi quoque fuerunt illi οἰνόπται qui diligenter inſpiciebant, num omnes ex æquo biberent. Verùm de his antiquis ſympoſiorum magiſtris, illorum nominibus variis, atque munere, quoniam ſupra copioſiùs eſt dictum, idcircò nunc ſum brevior. Apud Chriſtianos ſimiliter hodie convivatores, ſive convivii domini qualeſcunque illi ſint, plerunque bibendi initium faciunt, cæteroſque convivas ſuo exemplo, ac quibuſcunque poſſunt verborum ſtimulis ad inſanas potationes incitant & impellunt. Ipſi quoque plerunque & primi fiunt ebrii, & præ cæteris convivis vino maximè implentur, cùm & ipſi alios inebriare conentur, & convivæ confertim in illos impetum faciant. Hinc fit ut multis vel ineptis nugatoriis atque ridiculis, vel obſcœnis atque fœdis, vel etiam contumelioſis geſtibus atque dictis convivas ſuos graviſſimè offendant, ac in illorum vel odium atque offenſionem graviſſimam, vel certè contemptum incidant, quorum tamen gratiam, favorem atque amorem aucupari ſunt conati: atque ita ut vulgo dicitur, operam & oleum perdunt. Non eſt ergò rarum illud quod vulgò à Germanis jactatur,

> Der Wirt der iſt der aller beſt /
> Wann er iſt voller dann die geſt.

Hoc eſt, *hoſpes, ſeu convivator is eſt optimus, qui præ cæteris convivis vino maximè eſt plenus.* Convivator ergò qui non modo convivarum (quæ certè illius ſunt partes) ſed etiam ſuæmet ipſius ſaluti, famæ, atque exiſtimationi optimè vult conſultum, ab intemperantiſſimis hujuſmodi potationibus ſibi temperet, ad bibendum plus juſto nec ipſe quenquam cogat, nec cogi ſe à quoquam alio patiatur.

Conviviorum miniſtri.

Secundum perſonarum genus ſunt miniſtri, qui vinum vel recondunt, atque depromunt è cella vinaria (unde *promi*, atque *cellarii* dicti) vel ex majoribus vaſis in pocula infundunt (unde οἰνοχόοι & ἐπεγχύται ſunt dicti) vel aqua miſcent, ac temperant (unde *pincernæ* videntur appellari ἀπὸ τοῦ πίνειν, καὶ κιρνᾶν, a Suida ἐπικέρναι) vel pocula prægustant (unde προγεύσαι Græcè, Latinè *prægustatores*) vel denique pocula conviviis porrigunt, atque tradunt, quod Græcis eſt ὀρέγειν. De horum nominibus atque officio ſupra quoque multa dicta ſunt, nunc dicenda ea quæ ad noſtrum hoc propoſitum pertinent. Horum igitur dura, difficilis, & inquieta eſt in iſto propinationum certamine conditio. Nam ſine ulla ferè intermiſſione diurnis nocturniſque laboribus agitantur, vexantur, atque defatigantur potatorum aſſidue vina flagitantium ſumma importunitate. Deinde ipſi quoque dominis ſuis jam defatigatis, & languentibus ſæpe συμμαχεῖν coguntur, & cum ab illis, tum à convivis ad ebrietatem incitantur, atque coguntur, ita ut tandem illi quoque huic certamini ſuccumbant, & neque pes, neque manus amplius ſuum officium faciat, miniſteriique ſui planè obliviſcantur. Quin imò plerunque iſti miniſtri quaſi tubicines, atque buccinatores, claſſicum canunt, & vel ſua ſponte, vel dominorum ſuorum juſſu atque impulſu cùm verbis, tum propinationibus convivas ad ſtrenue potandum impellunt. Quid dicam de variis eorundem fraudibus, atque fallaciis, quibus miſeros convivas ſæpe decipiunt, dum aliis pleniora, aliis minus plena, aliis meraciora, aliis dilutiora pocula, aliis vina validiora, aliis tenuiora porrigunt, atque miniſtrant, ſæpe etiam juramentis falſis de manifeſtis ſuis fraudibus atque dolis ſe excuſantes? Eò denique tandem res redit, ut miniſtri dominis ſuis, atque convivis exæquentur, atque adeò illis inſultent, illos multis contumeliis, convitiis, atque injuriis afficiant, multis damnis ſua ebrietate mulctent. Quàm illud etiam abſurdum & à ratione alienum principes prægustatoribus uti, veneni nimirum arcendi gratia, cum ipſi & ſibimetipſis, & aliis venenum propinent, dum ſe, alioſque, ad vinum immoderatum, quod veneni inſtar obtinet, hauriendum invitant?

Miniſtrorum dura conditio. Miniſtrorum fraudes.

Convivæ.

Venio ad ipſos convivas, quorum in propinatorio hoc agone nobis cùm qualitas, tum quantitas eſt conſyderanda. Qualitas, dum nimirum vel amici amicis, noti notis, familiares familiaribus propinant, quò fit, ut ſæpè tandem ſibimetipſis inimiciſſimi reddantur. Vel ignoti ignotis propinant notitiæ, amicitiæque contrahendæ cauſa, ſed tandem evenit, ut neque intueri ſe invicem ampliùs, nedum noſſe poſſint. Innoteſcit etiam illis ſæpè mutua animi ſtultitia, atque improbitas, unde mutuus poſtea contemptus, atque odia naſcuntur. Propinant etiam ſæpè inimici inimicis, non tam inimicitiæ deponendæ, quàm vel tegendæ aſtutè, atque occultandæ, vel etiam magis inflammandæ gratia, atque hoc eſt, quod vulgò dicitur, auffhoffrächt trincken / *aulico more bibere*, quoniam ſimulare, atque diſſimulare aulicorum eſt proprium, quam artem, qui ignorat, is exeat ex aula, in qua omnia fucata ſunt, & ſimulata. Propinant præterea ſæpè ætate, dignitate, authoritateque ſuperiores inferioribus, ut magiſtratus ſuis ſubditis, Eccleſiarum paſtores, ſcholarumque moderatores ſuis auditoribus, atque diſcipulis, parentes ſuis liberis, ſeniores junioribus, atque ita peſſimo

ſuo exemplo præter & contra omne decorum atque officium ſuum eos quos regere, moderari, & in officio continere, quibus ſobrietatis, omniumque virtutum exemplo prælucere debebant, corrumpunt, atque depravant. Hinc fit ut ſe tandem illis contemnendos, atque irridendos propinent, nam æqualitas, ut vulgò dicitur, parit contemptum. Illi itaque viciſſim omni depoſito, abjectoque pudore, atque obſervantia, illos ſine ulla ſæpe honoris præfatione, ad idem bibendi certamen provocant, id quod ipſum quoque ab omni decoro, non dico Chriſtiano, ſed civili quoque atque liberali eſt alieniſſimum. Tales erant illi potatores (quorum hodie inter Chriſtianos numeroſiſſimus eſt numerus) Hoſeæ temporibus, qui, ut propheta ille teſtatur cap. 7. reges ſuos illorum die ſcilicet natali, ſive inaugurationis atque coronationis, utre vini ægrotare faciebant, (ut ille loquitur) hoc eſt, immoderatis ſuis capaciſſimorum poculorum (quæ utrium nomine Synecdochicôs intelligenda) propinationibus ad ebrietatem compellebant, quæ corporis mentiſque ſanitatem labefactat, quo nimirùm deinde illis cùm corpore debilitatis, tum animo effœminatis atque dementatis faciliùs pro ſuo arbitrio abuti poſſent. Illi enim, ut mox ſequitur, vino & ebrietate, ad inſaniam redacti, manus ſuas ad illuſores extendebant (alludit ad ebrioſorum ineptas, & indecoras geſticulationes) hoc eſt, impiis illuſoribus, Dei hominumque contemptoribus (tales enim, teſte Solomone, vinum reddit) ſeſe conjungebant, illos in deliciis habebant, ferebant in oculis, oſculabantur, familiariter, atque hilarè amplexabantur, in manibus habebant (qui mos eſt ebrioſorum hominum) atque ita ſuam illis authoritatem, dignitatemque ſibi a Deo tributam turpiter proſtituebant, quam ſingulari morum probitate, gravitateque tueri debuerant. Annon quæſo illorum Regum multi hodie Chriſtianorum Reges, atque Principes ſimillimi reperiuntur, ita ut Hoſeas non tam ſuorum temporum Reges deſcripſiſſe, quam de noſtræ ætatis Principibus, atque Magiſtratibus pluribus vaticinatus fuiſſe exiſtimari poſſit.

Præterea & viri mulieres non ſuas modò, verùmetiam alienas, & mulieres viciſſim oblitæ omnis pudoris, atque verecundiæ naturalis, viros non ſuos modò, verùmetiam alienos, & ipſæ mulieres ſe invicem ad ebrietatem provocant. Denique pares cum paribus ut facillimè, ſecundum tritum proverbium, congregantur, ita ſe quoque invicem maximè ad immanes illas propinationes laceſſunt atque impellunt. Sæpe etiam numerò fit (ut illud quoque addam) ut convivæ poſtquam neminem convivarum vident, vel velle, vel etiam poſſe voluntati ſeu potius libidini ſuæ ſatisfacere, atque morem gerere, ad ſervulos atque ancillas vel viliſſimas decurrant, illis propinent, illis compotoribus utantur, id quod cùm apud antiquos, tum etiam hodie apud populos quoſdam valde indecorum videtur eſſe, atque incivile, cum tamen idipſum hodie multis humaniſſimum, liberaliſſimumque eſſe videatur. Servis vel ancillis labore nimio defatigatis, atque ſitientibus, cibum potumque nonnunquam præbere illos reficiendi, recreandique cauſa, humanitatis videtur eſſe, ſed eoſdem ad ebrietatem cogere, ut hodie plerunque fieri ſolet inter Chriſtianos, valde cùm incivile eſt, tùm inhumanum.

Quoad quantitatem, vel unus uni propinat, quod monomachiæ cujuſdam ſive duelli inſtar obtinet. Aliquando unus, dum vult ἀνδρίζεσθαι, ut Syracides loquitur, hoc eſt, corporis ſui vires, roburque oſtentare, plures, vel ſimul convivas omnes ad bibendum provocat, qui ferè Gallorum mos eſt, dum illud ſuum *allons*, hoc eſt, agedum uſurpant. Nonnunquam plures, vel convivæ omnes in unum aliquem, ut convivii dominum, peregrinumve aliquem impetum faciunt, & ſi illum propinationibus ſuis proſtraverint, egregiam laudem, & ſpolia opima ſibi videntur retuliſſe. Denique plures ſæpe pluribus, ut qui ſedent in una menſa, aliis qui ſedent in altera menſa certam vini menſuram propinant. Hæc de perſonis, ex quarum ipſarum conſideratione propinationum iſtarum indignitas, atque fœditas magis apparet.

Tertia propinationum circumſtantia, vinum. Sequitur tertia circumſtantia in propinationibus conſideranda, vinum nempe quo illæ potiſſimum exercentur. Quæ autem de vino dicentur, eadem ferè ad cerviſiam, & alios potus inebriandi vim habentes, referri poſſunt. Vinum ergò, ut inde potiſſimum exordiar, vel purum, ſeu meracum bibitur, vel aqua dilutum, & quaſi fractum, ut Germani vocant, quoniam vis ejus frangitur atque debilitatur. Antequam verò de antiquorum vini temperaturis dicam, operæpretium erit de nominibus quædam præmittere. Hebraicè מסך *maſak*, & *vinum miſcere aqua*, & *infundere* ſæpe ſignificat. Ut Iſa. 5. Prov. 9. Rabbini interpretantur ערב *aarab*, & כרכל *cercel* (unde forſan κερᾶν Græcum) id eſt, miſcuit. Hinc מסך *maſak*, Pſal. 75. mixtio, & ממסך, Proverb. 23. *vinum mixtum.* מזג *maſag* quoque Hebræis idem quod *miſcere*, unde מזג *maſag*, *poculum mixtum* ſeu *temperatum*, Cant. 7. & יין מזוג *jain maſug*, *vinum aqua temperatum.* Græcis ſimiliter κεραννύειν, ſive κερᾶν, κιρνᾶν, κεραίρειν, &c. cùm οἶνον μίσγειν τῷ ὕδατι, id eſt, *vinum aqua miſcere*, tum ſimpliciter ἐγχεῖν, & διδόναι πιεῖν, id eſt, *infundere*, *& poculum miniſtrare* ſignificat, ut Euſtathius & alii Grammatici docent. Cùm itaque hæc vinum aqua miſcendi conſuetudo apud Orientales fuerit uſitatiſſima, non eſt mirum & Hebræis, & Græcis unum idemque vocabulum cùm vinum aqua diluendi, tum infundendi ſignificationem habere, cùm vinum non niſi aqua dilutum infundere ſint ſoliti, cùm vina haberent fortia. Hinc & κέρας, & κεραστὴς, & *pincerna* denominatur, & vinum hodie vulgari lingua Græca κεράσις appellatur. Vinum autem purum, ſeu meracum à Græcis appellatur ἄκρατος, quod aliquando conjungitur cum οἴνῳ, aliquando ſine adjectione οἴνου ponitur, ut *merum* apud Latinos: & οἶνος ἀκέραιος, *vinum purum*, non adulteratum, cujuſmodi eſt cauponum. Huic opponitur οἶνος κεκραμένος, *vinum aqua temperatum.* Item οἶνος εὐκέρατος, ſive εὔκρατος, εὔκρας, & εὐκραὴς Polluci, & aliis Græcis eſt vinum aqua temperatum, atque dilutum, cui opponitur δύσκρατος, *malè temperatum.* Item οἶνος αὐτοκέρας, αὐτόκρας, αὐτοκραὴς, αὐτηκρὴς, Jonicè, & αὐτόκρατος ὁ μηδεμιᾶς προσθήκης δεόμενος, (cujuſmodi eſt vinum cauponum) per ſe mixtum, quod ejus temperiei eſt, ut admixtione nulla illi ſit opus. κέρασμα, *mixtura*, Hippocrati ſignificat aquæ mixturam, qua aquæ frigiditas calidiore addita frangitur, ut annotat Galenus *Com.* 3. εἰς τὰ περὶ διαίτης. κρᾶμα vinum

pro-

propriè aqua mixtum, ſeu dilutum ſignificat. Plutarchus *de Sanitate tuenda*, τὸ κέρασμα καί τοι ὕδατος μετέχον πλείονος, οἶνον καλοῦμεν. Hac voce Clemens Alexandrinus lib. 2. *Pædag.* cap. 2. ſæpe utitur. κρᾶσις, *mixtio*, *mixtura* peculiariter de ea mixtura dicitur, qua aqua vino miſcetur, de qua poſteà. νεόκρατος, ſive νεοκρὰς Polluci, ὁ νεωςὶ κεκραμμένος, *vinum recens mixtum* ſeu *dilutum*. Latini *vinum miſcere*, & *temperare* dicunt. Tibullus lib. 1. *Eleg.* 7.

Temperet annoſum Martia lympha merum.

Idem libro ſecundo *Eleg.* prima,

Miſtaque ſecuro eſt ſobria Lympha mero.

Miſcere Latinis ſimiliter, & aqua temperare, & infundere ſignificat.

De authore primo temperaturæ vini varia traduntur. Alii enim Staphylum Sitheni filium, ut ſcribit Plinius, vinum aqua miſcere primum cœpiſſe volunt, alii, ut vult Staphylus apud Athenæum, Melampum id primum feciſſe tradunt. Philochorus apud Athenæum libro quarto, vini κρᾶσιν σύμμετρον ab Amphyctione Rege Athenienſes primum edoctos fuiſſe teſtatur, & idcircò templum ſive aram Dionyſii ὀρθοῦ, id eſt, *recti* condidiſſe, quoniam tunc ὀρθός ἐςι τῷ ὄνῃ καὶ οὐ σφαλερὸς, ὅταν συμμέτρως, καὶ κεκραμμένως πίνηται. Polyphemus contrà ut barbarus, & temulentus, increpat Ulyſſem vinum aqua temperantem, cùm illud ſic corrumpi exiſtimaret, de quo vide Eraſmum in *Adag. Perdidiſti vinum infuſa aqua.* Plato contrà monet, ut Bacchum temulentum Deum Nymphis ſobriis Deabus temperemus.

Hujuſmodi porrò mixtio longis temporum intervallis non exiguam varietatem accepit, tum à natura vini, tum à natura bibentium, tum etiam à tempore quo potabatur. De quo ſic Mercurialis ex Athenæo & aliis, libro 1. *Lectionum variarum*, capite 18. *A natura vini primum variata eſt mixtio, quando Maroneum vicies tanto aquæ addito ob ejus vim miſcendum eſſe voluit Homerus: cujus generis vini facultas vigorque indomitus etiam Mutiani ter conſulis tempore durabat, qui ejus ſextarios ſingulos octonis aquæ miſceri comperit. Sic enim Falernum indomitum vocavit Juvenalis, quod vix & ipſum multa aqua domaretur: ut Galenus aliud* ὀλιγοφόρον, *quod pauca aqua vincebatur. Atqui communes vini temperaturas tres extitiſſe, ex Proverbio antiquo,* ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία ἢ μὴ τέτταρα, *monſtrat tertio Symp. Plutarchus, ubi ait: Qui Dionyſii harmonias callebant, eos tres vini cum aqua conſonantias aſpexiſſe, ſeſquialteram, diapaſôn, & diateſſaron.* πέντε *namque hemioliam denotaſſe, quæ efficiebatur tribus aquæ partibus, duas vini addendo.* τρία *indicaſſe diapaſôn, quæ fiebat, uni vini parti duas aquæ immiſcendo.* τέτταρα *diateſſaron ſignificaſſe, quæ naſcebatur ex tribus aquæ partibus, & una vini ſimul temperatis.* Addit idem Plutarchus, *poſtremam & ſeſquitertiam portionem tanquam remiſſam & ſobriam iis in uſu fuiſſe, qui in Prytanæo dominabantur, & qui Philoſophiæ aut contemplationibus incumbebant: nempe quos mente præditos atque ſobrios eſſe conveniebat.* De qua etiam temperatura Jon poëta apud Athenæum ſermonem faciens dicebat:

A natura vini quomodo variata ſit mixtio.

Tres communes vini temperaturæ.

Εὑρὼν ὁ μάντις Παλαμήδης ἐμαντεύσατο
Πλὴν ἔσεσθαι τοῖς Ἕλλησι πίνουσι τρεῖς
Πρὸς ἕνα κυάθους.

Hujuſce temperaturæ Heſiodus quoque meminit lib. 2. *Op. & Dier.* his verſibus:

Κρήνης δ' ἀενάου, καὶ ἀπορρύτου, ἥτ' ἀθόλωτος
Τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου.

Id eſt,

Et fontem perennem & defluentem, qui ſit lympidus,
Tres aquæ partes infundas, & quartam immittas vini.

Alios verò a prædictis eam mixtionem effugiſſe: unde Menander apud Athenæum,

- - - - Οὐ γὰρ ἄν ποτε
Ἔπινον τρεῖς ὕδατος, οἴνου δὲ ἓν μόνον.

Temperaturam porrò, quæ ex duabus aquæ partibus, & una vini mixtis conficiebatur, mentem turbare, & levem quandam ebrietatem inducere creditum: eam autem, quæ ex duabus vini partibus, aquæ tribus mixtis ſub πέντε complexa contemperabatur, ſomnum inducere, curarum obliviones parere, paſſiones ſedare, dictum. Sed illud πέντε πίνειν ſecus intelligi debere, Athenæus cenſuit, qui hanc mixtionem ex duabus vini partibus & quinque aquæ factam fuiſſe ſcripſit, atque ad id comprobandum nonnullorum poëtarum teſtimonio uſus eſt. Qui meraciùs bibere volebant, præter dictas mixtiones ex adverſo quinque vini partes duabus aquæ miſcebant. Id quod Athenæus idem Anacreontis authoritate comprobat:

Ἄγε δὴ φέρ' ἡμῖν ὦ παῖ
Κελέβην, ὅπως ἄμυςιν
Προπίω, τὰ μὲν δέκ' (alii legunt τὰ μὲν δύ') ἐγχέας
Ὕδατος, τὰ πέντε δ' οἴνου
Κυάθοις, ὡς ἂν ὑβριςιῶσαν.

Agedum affer nobis puer
Celeben, ut amyſtin
Propinem, decem quidem (ſive *duo*) *infunde*
Aquæ, quinque autem vini
Cyathis ut inſoleſcentem.

Eustathius Ὀδ. η. aliter proverbium illud est interpretatus, ubi ait, τρία significasse unius vini cyathi cum duobus aquæ confusionem, πέντε duorum vini cum tribus aquæ: τέτταρα totidem vini quot aquæ: quod dicitur & ab Hippocrate, & apud Athenæum, ἴσον ἴσῳ. Ab his verò extitisse & quartam bibendi rationem, ut si quis merum bibere maluisset quàm παράλυσιν afferre, sicuti superiorum trium mixtionum, duas priores hominum sanorum esse, & tamen hilariorum, postremam insanorum, scripsit. Potest alia fortasse non inepta proverbii, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα, explicatio afferri: quod illo vetaretur quartum cyathum, sive ultra quintum potari, sed vel tertium duntaxat, vel usque ad quintum. Scribit Plinius à Democrito conditum esse volumen, quare cyathi quaterni & sextarii non essent potandi. Eubulus quoque apud Athenæum quartum cyathum ὕβρεων, sextum κώμων, & post hunc alios aliorum vitiorum esse majorum fecit, ut intelligere possimus, quartum cyathum nunquam laudatum.

A natura bibentium mixtio variatur.

A natura bibentium quoque variata fuit vini temperatura: quoniam sani & natura calidi ac desides majorem aquæ mensuram adhibebant: ex adverso frigidi, debiles, & exercitati minorem. Et propterea senes (ut disputat Plutarchus) qui magis mero gaudent, meraciorem mixtionem semper secuti inveniuntur: idque Achilles apud Homerum animadvertens, cum Phœnicem & Ulyssem senes esse, ac in armis tota die occupatos, ob idque non aquoso, sed meraciore vino, quemadmodum cæteros senes, gaudere sciret, vinum paucum aquæ misceri jubet, sub hisce verbis, ζωρότερον δὲ κέραιρε. Qua voce usus est quoque Hippocrates libro *de Exectione*, item *de Nat. mulieb.* & alibi. Etsi non defuerunt, quibus apud Plutarchum hanc Homericam sententiam in diversos trahere sensus placuerit. In anxietudine, oscitatione, & horrore dicebat Hippocrates, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος λύει τὴν νοῦσον; videlicet vinum pari aquæ portione epotum solvit morbum, quam mixtionem appellans meraciorem Galenus, sub his verbis, ἕκαστον οὖν τῶν εἰρημένων οἴνου πόσις θερμαίνει ἀκρατέστερον, demonstrat similem vini temperiem magis mero cæteris accessisse. Denique secundum tempus vini mixtiones diversas fuisse constat, cùm præter

Mixtiones diversæ secundum tempus.

Medicorum præcepta, qui dilutiùs æstate, meraciùs hyeme bibendum voluerunt, etiam veterum mores attestentur. De liberis & ingenuis loquor: quoniam me non latet, Catonem præcepisse, ut mancipia, & universa ruris familia hyeme aquosius & parcius, vere & æstate, quando magis laborarent, largiùs ac meraciùs potarent: quomodo Hesiodi sententiam interpretandam puto, qui meracis potionibus per viginti dies ante Canis ortum, totidemque postea uti suadet. Hactenus Mercurialis de variis vini temperaturis, de quo etiam consulere poteris Erasmum in *Proverb. Perdidisti vinum infusa aqua.* Item, *aut quinque bibe, aut ter, aut ne quatuor.* Athenæum ipsum vide lib. 1. & lib. 2. de Inventore primo mixtionis Amphyctione, de Nymphis nutricibus Bacchi: de ἀκράτου Jovis servatoris. Lib. 10. περὶ τῆς κράσεως οἴνου, Scytharum ἀκρατοποσία. Vas (ut hoc quoque addam) quo aqua & vinum miscebatur, & *mistarius* a Lucilio poëta fuit dictum, à *miscendo*, & *luter*, à *luto* sive *loto*, quod pro *diluo* veteres usurparunt. A Græcis κρατὴρ ἀπὸ τοῦ κεραννύειν.

Meri potatio quondam probro ducebatur.

Meri potatio quæ ἀκρατοποσία dicitur, olim probro ducebatur, qua quoniam Scytharum gens fera atque barbara delectata fuit, idcirco σκυθικὴ πόσις, sive πρόποσις, id est, Scythica propinatio sive potatio dicta est Polluci & Athenæo. Unde Anacreon:

Ἄγε δὴ τε, μηκέθ' οὕτω	*Agite date, ne amplius ita*
Παταγῷ τε κἀλαλητῷ	*Strepitu & fremitu*
Σκυθικὴν πόσιν παρ' οἴνῳ	*Scythicam potationem inter vina*
Μελετῶμεν, ἀλλὰ καλῶς	*Exerceamus, sed pulchros*
Ὑποπίνοντες ἐν ὕμνοις.	*Potantes inter hymnos.*

ἐπισκυθίζειν.

Et ἐπισκυθίζειν Lacedæmoniorum adagio dicitur, pro eo quod est vinum merum intemperantius bibere. Et Achæus in Æthone Satyrico σκυθοπιεῖν, sive σκυθιστὶ πιεῖν dixit, pro eo quod ἀκρατοπιεῖν meraciùs bibere. Hæc Athenæus lib. 10. Idem refert Cleomenem Regem Spartanorum cum Scythis agentem, consuetudinem & illorum ἀκρατοποσίαν imitantem, ad insaniam fuisse redactum, quemadmodum interpretantur Spartani. Hinc natum (Herodoto teste) apud eosdem Spartanos vulgare dictum, ut si quando velint ζωρότερον, sive ἀκρατέστερον πίνειν, id est intemperantius bibere, dicant ἐπισκύθισον, hoc est, *minimum infundito aqua*, pro eo quòd dicendum erat ἐπίχυσον, id est, *infunde aquam.* Athenæus quoque dubitat, num à Scythis *scyphus* (poculi genus) habeat nomen, ut σκύφος dictus sit, quasi σκύθος.

Scythæ & Thraces ἀκρατοπόται.

Scythæ igitur atque Thraces ἀκρατοπόται dicti sunt, id est, *merobibi*, unde plerunque convivia illorum sanguinolenta fuerunt atque tumultuosa. Atque utinam hic mos plusquam barbaricus intra Scytharum & Thracum fines constitisset, nec ad nos usque dimanasset. Non enim solùm bibimus intemperanter, verumetiam cogimus alios ad bibendum, & recusantem ferro adorimur, quum inhumanius penè sit cogere ad bibendum, qui non sitiat, quam sitientem submovere à potu, quemadmodum eleganter apud Athenæum dixit Sophocles, Τὸ πρὸς βίαν πίνειν, ἴσον κακὸν πέφυκε τῷ διψῶν βίᾳ.

Scythicæ Christianorum propinationes.

Sed Scythicæ illæ propinationes Christianis hodie sunt familiarissimæ, quibus utuntur ad se invicem conficiendum. Quod si quando aqua vinum miscent, id non fit temperantiæ, sed vel ebrietatis, vel avaritiæ causa. Nam & bibones vino nonnunquam utuntur diluto, quò plus vini haurire & absorbere possint, dantque operam ut sibi quidem vinum dilutius, aliis verò meracum infundatur. Caupones præterea pro antiquo more, & consuetudine lucri, & quæstus causa vinum aqua diluunt, seu corrumpunt potius atque adulterant, unde sæpenumero sacræ litteræ ejusmodi cauponum mixturis dolosis veræ doctrinæ, verbique divini corruptelam adumbrant, de quo suprà.

Spurcum vinum.

Unde etiam *spurcum vinum*, teste Festo, dicebant antiqui, cui aqua erat admixta, quod sacris adhibere non licebat. Eodem nomine etiam dicebatur *defrutum*, aut *igne coctum mustumve*, antequam defervescat. Observandum quoque vinum nonnunquam non aqua, sed alio vino efficaciore misceri, unde proverbi-

verbium, *Thasium infundis.* Nam Thasia vina laudatissima quondam fuisse testatur Apulejus *Apol.* I. Sæpe quoque convivis imponitur, dum illis aqua vinum miscere volentibus, pro aqua vinum album aquæ colore simillimum supponitur. De vino meraco post cibum degustari solito, quod *boni Dæmonis poculum* fuit appellatum, & de vino temperato aqua, quod postea biberunt, quodque poculum *Jovis Servatoris* fuit dictum, vide Athenæum lib. 2. de quo infrà pluribus. Thasium infundere.

Quoniam autem veteres à meri potationibus abhorruerunt, mirum non est in cœna Dominica antiquitùs à Christianis non vinum meracum, sed aqua dilutum fuisse adhibitum. De *consec. dist.* 2. legimus quosdam lacte usos esse, alii etiam aquam adhibuerunt, quorum consuetudo mox explosa atque rejecta fuit. Aquarios diligenter refutat Cyprianus *epist.* 5. *ad Cæcilianum*, idemque probat mixtionem, quam Græci κέρασμα vocant, affert etiam rationem probabilem, quia ex latere Domini fluxit sanguis, & aqua. Justinus similiter in 2. *Apol.* pro Christianis, ὕδατος, καὶ κράματος facit mentionem. Et Cyprianus *epist.* 68. *ad Cæcilium*, hac de re ex professo disputat, cujus hæc sunt inter alia verba: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo dominica servetur traditio, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur,* &c. Eadem de re vide Clementem Alex. lib. 2. *Pæd.* cap. 2. statim ab initio, ubi similiter illam vini mixtionem in cœna Domini κέρασμα vocat. Hæc mixtura varias posteà disputationes peperit: an scilicet aqua illa simul cum vino mutetur in sanguinem Christi: an verò vinum in sanguinem, aqua in phlegma mutetur. Quidam disputarunt, aquam sine mutatione accidentibus vini circumfusam in aëre pendere. Hæ disputationes extant *Extra. de celebrat. Missarum* cap. *cùm Martha.* Hæc de vini temperatura sint dicta. Veteres cur in cœna Dominica non merum, sed vinum aqua dilutum adhibuerint. Aquarii refutantur a Cyp.

Vinis porrò vinolenti isti homines in suis propinationibus utuntur non modò meracis, verùm etiam conditis, atque fictitiis quàm plurimis, de quibus suprà dictum est. Iis multa injiciunt, quæ partim ad ebrietatem arcendam, partim ad sitim inflammandam, partim etiam ad nauseam stomacho ex improviso movendam videntur facere. Quinimò solent nonnulli sal quoque & fœda alia poculis aliorum injicere ad vomitum illis concitandum, atque ita illos aliorum ludibrio, ignominiæque exponendum. Persarum multi farinam in vinum jacientes bibunt, alii ovorum lutea, ut author est Athenæus lib. 10. c. 9. Plutarch. lib. I. *Symp. Prob.* docet veteres buglossam vino injicere fuisse solitos, quod hæc convivis εὐθυμίαν, καὶ εὐφροσύνην, id est, hilaritatem, comitatemque conciliare existimaretur. Græci vinum unguento mixtum bibebant, & suprà quàm satis esset, aut necessitas postularet, hac mixtione utebantur, ut testis est Athenæus lib. 15. c. 18. Plinius 31. ita scribit, *At Hercules jam quidam etiam in potu addunt* (unguenta) *tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque corporis parte, exteriore & interiore.* Hinc Juvenalis Satyr. 6. Vina adventitia.

Quum perfusa mero spumant unguenta Falerno.

Athenæus quoque tradit nonnullos olim vinis coctis usos fuisse, unde vinum ἄπυρον Arcadino dixit, id est, *non coctum.* Hodie vina arte parata, & saccharata (quorum plurimus apud Anglos est usus) quæ videlicet peregrinis aromatum saporibus in saccos additis, transmittuntur, ac percolantur, maximo sunt in usu, quæ vini genera vulgò *Clareti*, & *Hippocras* nominibus appellantur. Vinis præterea potatores isti insani utuntur, partim validis, partim tenuibus, & utrumque ebrietatis gratia.

Vina olim meliora atque validiora ab initio cœnæ apud Hebræos quidem fuisse apposita, ex illis architriclini Euangelici verbis videtur posse colligi, Joan. 2. qui postquam degustavit aquam illam in vinum à Christo conversam ad sponsum inquit, *Omnis homo primò apponit bonum vinum, postquam autem convivæ vino se expleverint, tunc id quod est deterius affert: tu verò bonum vinum servasti usque adhuc.* Apud nos contrà vina meliora, atque validiora posteriore loco, priore autem minus bona apponuntur. Fit tamen sæpe ut strenui isti potatores jam vino onusti, quo diutius certamen illud ferre, ac sustinere possint, postremò tenuissima vina postulent, quæ vulgò in minora pocula infunduntur, ut præstantiora in meliora. Quid dicam, quod non contenti uno vini genere, vel etiam duobus, in una cœna multa ac diversa vini genera apponuntur. Res olim apud Romanos inusitata habebatur, quod in triumphali cœna quatuor vini genera à Julio Cæsare, tanto Imperatore, nempe Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum, fuerant apposita, cum hodie in quibusvis, & quotidianis vel tenuissimæ sortis atque conditionis hominum compotatiunculis tot, vel plura etiam vini genera apponantur. Ut autem ciborum, sic vinorum quoque varietas, atque diversitas dubium non est, quin valetudini plurimum officiat. Plutarchus quoque *Sympos.* lib. 4. *Probl.* I. testatur, diversorum vinorum usum ad ebrietatem plurimum habere momenti, αἱ ἀλλοίαι, inquit, λεγόμεναι τάχιστα μεθύσκουσι, id quod vel ipsa experientia quotidiana testatur. Quid dicam, quod non contenti plerique vinis patriis, atque domesticis, quæ nobis Deus sua gratia largitur, quæque valetudini nostræ maximè sunt accommodata, importatis, & adventitiis, plerunque propolarum, negotiatorum, atque cauponum fraudibus adulteratis cum maxima non pecuniæ modò, verumetiam valetudinis nostræ jactura uti malumus? Ut olim Romani non contenti suo Falerno, quod optimum erat & saluberrimum vinum, navibus vindemiam condebant, ut M. Varro loquitur, ex insula Choa & Chia. Eo nomine Clemens Alex. lib. 2. *Pæd.* cap. 2. suæ quoque ætatis Christianos graviter his verbis reprehendit, *Non ergo*, inquit, *vinum Chium magnopere requirendum, si absit, nec Arethusium, si absit. Sitis enim est* ἐνδείας τινὸς πάθος, id est, *indigentiæ alicujus affectio, ad quam explendam quærendum conveniens auxilium, non autem vinum ardens, ac fumosum. Languescentis autem, & imbecillæ propter intemperantiam appetitionis sunt transmarinæ vini importationes, desipiente in desideriis animo vel ante ebrietatem. Nam & Thasium* εὐώδες, id est, *odoriferum, & Lesbium* εὔπνουν, id est, *bene spirans, & Creticum* γλυκύ, id est, *suave, & Syracusanum* ἡδύ, id est, *dulce, & Mendesium quoddam Ægyptiacum, & insulare Naxium, & aliud aliquod* ἀνθοσμίας, id est, *bene flagrans ex Italia. Multa quidem hæc nomina. Moderato convivæ vinum* Vinorum varietas in epulis. Vina adventitia.

 unum

unum, quod ex unius Dei agricultura provenit. Quid enim, an non vinum in sua patria natum cuique sufficit ad suam explendam cupiditatem? Nisi fortè etiam aquam sint importaturi quemadmodum stulti Reges. Choaspes, qui sic dicitur, est fluvius Indiæ, cujus est ad potum optima aqua Choaspia. Quemadmodum autem vinum vinosos, ita quæ invehitur aqua divites miseros efficit in delitiis. Hæc ille. Similis hodie est Christianorum luxuria, qui vina patria fastidientes sæpe omnium optima, atque saluberrima, peregrinis supra modum gaudent, atque delectantur, licet deterioribus, cum magno & rei familiaris, & sanitatis suæ dispendio. Ac omnino Christiani hodie vino ad duo maximè contraria vitia abutuntur, nempe cùm ad ebrietatem atque luxuriam, tum ad avaritiam, ut propolæ, monopolæ, atque caupones. Prætereà insani illi potatores quo plus vini absorbere possint, illud quoque vel calefieri, vel refrigerari curant. De quo vini calefaciendi, refrigerandique modo suprà dictum est, cum de aqua calida ageremus. Sic illi non modò vinorum sapore, odore atque colore, verumetiam cùm calore, tum in primis frigiditate ad ebrietatem abutuntur.

Vini duplex abusus.

CAPUT XII.

DE POCULIS CEU PRAECIPUIS PROPINATIONUM INSTRUMENTIS. DE EORUM NOMINIBUS, MATERIA, ATQUE FORMA MULTIPLICI.

Sequitur tertia & quidem latissimè patens propinationum circumstantia, pocula nimirum, quæ quidem maxima & potissima sunt propinationum, luxuriæ, atque ebrietatis instrumenta. Hæc enim sunt veluti tormenta atque tela bellica, quibus Cyclopici illi potatores se invicem torquent, petunt atque prosternunt. Hinc eleganter Ambrosius libro *de Helia & Jejunio* cap. 13. *Cernas poculorum diversorum ordines, aciem ordinatam putes: vasa exposita aurea, & argentea, pompam arbitreris, cornu in medio vini plenum,* (hic est crater) *non epularis, sed præliaris instrumentum buccinæ, quod discumbentes in certamen accendat.* De poculorum primò nominibus generalioribus, deinde substantia atque materia, tum quantitate, postremò forma dicemus.

Poculorum nomina.

Hebræa. Hebræis commune est nomen כוס *Cos*, in plurali כסות *Cosoth.* Gen. 40. Psal. 10. Hiere. 35. Ab hoc nonnullis χοῦς (quod est mensuræ genus heminarum octo, sive duorum cantharorum) videtur promanasse: & χοῖνιξ quod videtur esse diminutivum a χοῦς, continens duos sextarios, seu unum cantharum. Est etiam χοῖνιξ Græcis dimensum continens tres cotylas.

Græca nomina poculorum. ποτήριον. ποτήρ.

Græci vasa ex quibus bibitur generatim ποτήρια vocant, cujus nominis primus inventor dicitur Amorgius poëta, ἀπὸ τῆς πόσεως, hoc est, *a potatione*, sive ut nonnulli volunt, ἀπὸ τοῦ τηρεῖν τὴν πόσιν, unde Ceres ποτηριοφόρος, hoc est, *poculifera*, sive *poculorum gestatrix* dicta est, quæ in Achaia culta fuit, κατὰ τὴν Ἀνθέων χώραν, ut ex Autocrate probat Athenæus: hinc ποτηριογλύπτης, *poculorum sculptor* sive *cælator.* ποτὴρ etiam Euripidi est idem quod ποτήριον, Hesychio autem est μέτρον ποτόν.

πότημα. ἐκπώματα.

Πότημα quoque est poculum, si Hesychio credimus, qui scribit πότημα, ποτήριον, ἢ ὁ πότος αὐτός, ubi Stephanus pro τόπος putat reponendum πότος. ἐκπώματα quoque Græcis, præsertim Atheniensibus generatim pocula dicta sunt. Sunt & alia quoque apud Græcos plurima vocabula, ut κύαθος, κύλιξ, σκύφος, &c. quæ licet speciatim certa poculorum genera significent, tamen generatim sæpe pro quovis poculo usurpantur. πίναξ quoque cùm pro esculento, tum poculento vase usurpatur. Apud Homerum crebro πίνακες οἴνου, πίνακες κρειῶν, πίνακες σίτου. Dicuntur etiam πίνακες οἴνου, & quidem Eustathio teste Οδ. Π. magis propriè ἀπὸ τοῦ πίνειν, nimirum nomine deducto.

Pocula. Potoria. Poteria. Scyphus. Calix.

Latinis hæc bibendi instrumenta generatim *pocula* dicuntur, nimirum a *potu*, sive *potando* (quæ nomina a Græcis sunt derivata) inde diminutivum *pocillum*, hoc est, parvum poculum, & *pocillator*, id est, pincerna. *Potoria* quoque a Plinio & aliis nominantur. *Poteria* Plautus voce Græca utitur in *Trinummo.* Habent quoque innumera vocabula cùm propria, tum a Græcis derivata, quæ cùm certa quædam & peculiaria poculorum genera denotant, tum generatim pro quibusvis poculis accipiuntur, ut est *scyphus, calix, patera, trulla, cupa, canthara.*

Manus naturalia & maximè propria sunt hominis pocula.

Nunc dicamus de poculorum substantia atque materia. Pocula, ut inde exordiar, hominis maximè propria atque naturalia sunt manus, quas natura, seu Deus potiùs naturæ author, homini soli ceu animali & erecto & excelso, & mentis, rationisque participi, ad rationis prudentiæque suæ munera exequenda tribuit, ut Aristoteles & Galenus testantur. Diogenes itaque cum vidisset puerum aquas manibus haurientem, abjecit poculum, quod habebat ex ligno, dicens, *Nesciebam, quod natura haberet poculum.* De hoc poculo naturali eleganter dictum est illud a Calphurnio in *Bucolicis*,

Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit.

Hoc poculo sæpe milites, & ipsi quoque duces in bello, aliorum poculorum inopia, uti coguntur. Deus quoque, sicuti scriptum est Judic. 7. hoc poculo naturali explorare voluit Gedeonis milites, qui adversus Madianitas erant pugnaturi. Illos enim a Gedeone ad pugnam illam voluit deligi, qui manu ad os reducta aquas bibebant, canumque instar lambebant, contrà illos rejici, qui flexis poplitibus, sese ad aquam bibendum

dum abjecerant. Nero quoque Imperator crudelissimus, atque luxuriosissimus (id quod sæpe ejusmodi hominibus accidere solet) in misera illa sua fuga, cum ad necem quæreretur, extrema siti afflictus, aquam cœnosam (pro delicata illa sua decocta) ex subjecta lacuna potaturus, manu (cum antea sumptuosissimis poculis usus esset) haurire fuit coactus, ut testis est Suetonius in ejus vita. Idem Dario, & aliis sæpe potentissimis ac superbissimis Principibus accidit. Manibus potatores multifariam in immanissimis illis suis propinationibus abutuntur, ut experientia quotidiana testatur, quò fit, ut illæ justo Dei judicio plerunque tremore corripiantur, Deo sic manifestè fœdissimum manuum abusum puniente ac vindicante.

Capitibus sive craniis humanis Scythæ olim, aliique populi Barbari usi sunt, quibus etiam nunc hodie nonnulli utuntur, de quo primo in libro dictum est, in explicatione epularum funebrium. His adde quod Sigismundus Baro in suis *Commentariis rerum Moscoviticarum* tradit, Suvatoslaum principem Rhutenorum anno mundi 6480. Cui es princeps Pieczenigorum ex insidiis interfecit, & ex cranio ejus poculum confecit auro circundato, cum hac inscriptione, *Quærendo aliena, propria amisit.* Pocula ex craniis.

Jam verò partes quædam animalium ad poculorum usum destinantur. Ac cornuum quidem ad eam rem antiquissimum usum fuisse legimus. Athenæus lib. 11. tradit antiquos ex cornibus bovillis bibere fuisse solitos, & idcirco Dionysium κερασφυῆ, *cornutum* fingi, & Taurum a pluribus nuncupari, & ταυρόμορφον, id est, *taurina facie* conspici in Cyzico. Ejusdem moris ex cornibus bibendi id quoque esse indicio, quod & vinum aqua miscere κεράσαι dicatur, & vas ipsum in quo hujusmodi mixtio fiebat, κεραστὴς appelletur ἀπὸ τοῦ κέρως quasi κεραστὴς, ἀπὸ τοῦ εἰς κέρας ἐγχεῖσθαι τὸ πόμα, id est, *quod potus in cornu infundatur*: de quo vide Mercurialem *de re gymnastica* lib. 1. c. 9. Hinc Ambrosius quoque loco paulò ante citato, *Cornu*, inquit, *in medio vini plenum.* Addit Athenæus ibidem, *Nostris quoque temporibus cornuum apparatus cernitur, quæ* ῥυτὰ *nonnulli appellant.* Poëtæ præterea multi antiquos inducunt ex cornibus bibentes. Profert etiam exempla Centaurorum, Thracum, Paphlagonum, Perhæborum, Philippi Regis Macedonum, Regum Pæoniæ, qui ex cornibus (quorum labra nonnunquam vel auro, vel argento operiebant) bibere consueverunt. Athenienses autem argentea cornua facientes ex iis bibebant. Ælianus autor est Ptolomæo Secundo ex India cornu bubulum allatum, quod tres amphoras caperet. Xenophon similiter lib. 6. ἀναβ. Cyri, Græcos testatur in Paphlagonia in sacrificio atque epulo celebri è corneis poculis in regione illa usitatis bibisse: & lib. 7. in epulo Seuthæ Regis Thracum docet Xenophontem primum surgentem accepto cornu verbis spopondisse, se suosque Regi fore fidos amicos, deinde Seutham unà cum illo cornu illud ebibisse. Ejusdem rei Athenæus meminit lib. 4. Quidam autem cornua aurea usurpabant, alii osculum poculi aureum, vel argenteum faciebant. Pæonios ajunt boves educare, qui cornua gestent tantæ magnitudinis, ut capere possint tres, aut quatuor choas, & idcirco ex iis facere pocula, quorum labia auro, argentove circumducebant, Athenæo teste. Philostratus quoque in libro *de vita Apollonii Thyanei* refert, Regum pocula olim fuisse cornua. Esse autem in vicinis locis Phasidos fluvii asinos, qui unum in fronte cornu haberent, quo cum elephantis fortiter pugnant, ex illorum cornibus Indi pocula conficiebant, asseruntque qui ex tali poculo biberit, eo die nullo morbo, nec vulneris dolore, aut ignis flamma offendi, nec veneno intaxari posse. Hoc verò animal non *Rhinocerota*, cui unum ex naribus cornu prominet, sed *Monocerota* Plinius appellat. Unicornes Indiæ boves, duos vivos Sulthano ex Æthiopia muneri missos, ac circa templum Mechæ septis inclusos, Ludovicus Romanus Patritius se vidisse gloriatur. At non solùm monocerotis cornua, sed cervorum quoque cornua contra virus esse efficacia experimentis constat, quorum etiam nidore fugantur serpentes, & scobe eorundem vermes infantium enecantur, teste Plinio lib. 8. c. 27. Virgilio in *Georg.* Non temerè igitur veterum quoque medicorum instrumenta fuerunt cornea. Cornibus enim liquores mensurabant, cornibus in sacrificatione pro cucurbitulis modò ex aurichalco, vel etiam vitro conflatis utebantur, cornibus clysteria administrabant, teste Galeno lib. 1. & 2. *de Composs. medic.* & lib. 13. *Methodi.* Atque hanc quidem ob causam cornibus quoque veteres ceu saluberrimis poculis usi fuerunt, ut etiam annotat Langius *epist. medic.* 29. de salubriore poculorum materia, ubi ex lævigatis cervorum cornibus, quum monocerotis desint, confecta sibi non improbari tradit. Nicandri quoque Scholiastes memoriæ mandavit veteres è cornibus potare fuisse solitos. Samogithas Urorum cornibus pro poculis uti, testis est Sigismundus Baro in *Comment. rerum Moscovit.* De hoc cornuum usu antiquo Mercurialis quoque scripsit in libro 1. *Gymnasticæ*, ejusdem meminit lib. 1. *Variar. lect.* ubi verisimile sibi ait videri veteres cornibus usos fuisse tum ob rudes eorum mores, tum fortasse quòd putarent, inde potandi majorem securitatem accedere, unde teste Æliano, Indorum Reges ex asini Indici cornu bibere voluerunt, sperantes se a morbo epileptico, & venenis inde tutos evasuros. Cælius quoque lib. 28. cap. 27. & lib. 3. c. 1. ejusdem rei meminit. Hodie quoque, licet rarior, hujusmodi poculorum κεραστόνων, id est, *ex cornibus* est usus. Vidi ipsemet hujusmodi cornu bovinum ingens, cujus labium argento est obductum. Conveniens profectò est cornupetis illis Bacchi mancipiis hujusmodi poculi genus.

Pocula ex cornibus. Regum pocula quondam fuerunt cornua. Monoceros. Veterum medicorum instrumenta fuerunt cornea.

Ova quoque Struthionum propter amplitudinem pro quibusdam habebantur olim vasis, teste Plinio lib. 10. cap. 1. ex transverso secta fiunt vasa potoria, author de natura rerum. Caput enim infantis magnitudine referunt, rotunda, cum senescunt ebur effingunt. Suspendi solent in templis, quod durissima sint, humoreque exempto quasi ossea redduntur. Ex hujusmodi Struthionum ovis confecta pocula argentea & inaurata elegantis sanè formæ habet Dn. Jo. Conradus Meyerus, inclytæ Reipub. Scaphusianæ Jureconsultus atque Consul consultissimus: quæ convivis suis pro hospitalitate sua propinare consuevit. Pocula ex ovis struthionum.

Prætereà ex variis plantis, arboribus, pocula conficiuntur lignea. Ex fago olim, sicut & hodie pocula fuerunt confecta. Ovidius. Pocula lignea.

Fagina pocula.

----- *Fabricataque fago*
Pocula.

Item Faſt. 5. *Terra rubens crater, pocula fagus erant.*

Et Virgilianus paſtor ait,

Inſanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.

Tibullus, *Faginus aſtabat cum ſcyphus ante dapes.*

Gutti etiam ex ea materia conficiebantur, quo genere vaſorum antiqui ad ſacrificia fuerunt uſi. Unde M. Curius ille juravit è præda ſe nihil aliud attigiſſe, præter faginum guttum, quo litaret.

Pocula è buxo confecta.

E Buxo olim, ut etiam hodie, cùm alia vaſa, tum pocula quoque conficiebantur. Nam cùm torno materies probetur, cui non omnis apta eſt, verùm ea tantùm, quæ dura, atque ſolida, & minimè criſpa eſt, cujusmodi eſt buxi, nulla alia torno utilior, præſtantiorve. Quare Virgilius,

---- *Aut torno raſile buxum.*

Quare ex buxo & vas, in quo ſal terebatur, teſte Polluce, & elementa ad pueros litteris imbuendos in eo formabantur, quæ tabula *pyxion* dicebatur, Herodoto teſte. Pictores etiam artem in buxo docebant: liquidis medicamentis è buxo etiam pyxides fiunt, quod maximè Dioſcorides probat, unde etiam nomen ſuum ſunt ſortitæ, quod frequentiùs ex ea materia fieri ſolitæ. Turbo etiam in ovi ſimilitudinem tornatus è buxo apud antiquos fuit. Perſius Satyra 5.

Nec quis callidior buxum torquere flagello.

Pocula ex terebintho.

Ex terebintho apud antiquos Thericles calices torno facere ſolitus eſt, qui ex nomine authoris *Thericlei* fuerunt appellati, teſte Polluce, (*Thericlei amicus*, proverbium in biboſum) quemadmodum *Antigonides*, *Seleucides*, quibus Antigonus, & Seleucus nomina dederunt, authore Plutarcho in *Æmilio*.

Lagenæ e filis radicum.

Plinius lib. 16. cap. 31. lagenas tradit, id quod eſt memorabile, è radicum filis tum fici, tum etiam ſilveſtrium fieri fuiſſe ſolitas.

Hederacea pocula.

Hederacea porrò pocula apud veteres magno fuerunt in uſu atque pretio, cujus duplex ratio videtur poſſe afferri. Una quod ebrietati frigore ſuo obſiſtunt, ac diſcutiendis capitis doloribus ex temulentia contractis ſunt accommodata, foliis etiam aut ramuſculis foris capiti admotis, & ob id corrollæ quoque conviviales ex hedera potiſſimum confici fuerunt ſolitæ ad temulentiam arcendam. Deinde quod cauponum fraudes, qui vinum aqua miſcent, eo poculo deprehenduntur. Nam teſte Catone libro *de Re ruſtica*, cap. 10. mira hæc eſt hederæ vis atque natura, ut ſi vinum lymphatum in vas hederaceum effundatur, illud continuo per poros reſudet atque effluat, atque internè per lignum diffundatur, aqua verò ob groſſiorem ſubſtantiam remaneat. Tanta enim eſt inter hæc antipathia, hoc eſt, diſcordia, ut alterum alteri admiſceri non ſuſtineat, ſed vaſculum hederaceum vinum reſpuat. Fuit hæc arbor Baccho ſacra, ac ob id cùm ſacerdotes, tum alii ſacra illius celebrantes hederaceis coronis erant redimiti, id quod etiam ex 2. Machab. cap. 6. conſtat. Mirum itaque non eſt pocula quoque ex hedera potiſſimùm antiquitus confecta fuiſſe, quæ quidem a Græcis κισσύβια fuerunt appellata, quorum ab Homero crebra fit mentio. *Ciſſibium,* inquit Pollux, κισσὸς, id eſt, *hedera ambibat, unde poculo inditum nomen.* Athenæus libro 11. de hac voce varias ſententias refert. Philemoni eſt κυσσίβιον, ποτήριον μονωτὸν, id eſt, *poculum habens unicam aurem.* Neoptolemo Pariano videtur eſſe κίσσινον ποτήριον, id eſt, *hederaceum poculum*, quod Euripides in *Andromeda* paſtorum mentione facta, κίσσινον σκύφος, id eſt, *ſcyphum hederaceum* vocat. τὸ γὰρ κισσύβιον, ait idem, ἐπὶ συνόδου ἀγροικῆς λέγεται, ἔνθα μάλιστα πρέπει τὸ ξύλινον ποτήριον. Eumolpus dicit genus eſſe poculi, quod forſan ab initio ex ligno hederaceo fuit confectum. Nicander Colophonius, Foliis hederaceis antiquitùs libabant, unde antiqua pocula Homerus κισσύβια appellat, ut Od. 1.

Κισσύβιον μέγα χερσὶν ἔχων μέλανος οἴνοιο.

Aſclepiades Myrleanus, Scypho, & Cyſſibio in urbe, eorum quibus vel mediocres opes, nullus utebatur, ſed bubulci, paſtores, atque ruricolæ. Sic Polyphemus Cyſſibio uſus eſt, & Eumæus. Dionyſius Samius libro ſexto *de circulo* putavit κυσσίβιον, & κύμβιον unum idemque fuiſſe poculum. *Nam Ulyſſes*, inquit, *cum impleviſſet* κύμβιον (pro κυσσίβιον legit) *mero, porrexit illud Cyclopi.* κισσύβιον igitur alii ἀπὸ τοῦ κισσοῦ, id eſt, *hedera*, ὅτι εἰκάσαι ἄν τις τὸ κυσσίβιον τὸ πρῶτον ἐργασθῆναι ὑπὸ ποιμένων ἐκ κισσίνου ξύλου. Alii tamen volunt dictum ἀπὸ τοῦ χεῖσθαι, τὸ δ' ἐστὶ χωρεῖν. Hæc ex Athenæo. Euſtathius Οδ. Ξ. κισσύβιον ποτήριον ἀγροικικὸν, quod poſtea σκύφος in neutro genere appellatur.

Pocula thamariſcina, & fraxinea. Pocula arundinea.

Verùm ex aliis quoque lignis cùm olim, tum hodie pocula confici ſolent. Cumque præclaræ medendi vires pleriſque lignis inſint, ut thamariſco, fraxino, quorum hæc venenis, & calculo, illud verò ſpleni obſtructo præclarè medetur, lignis ex illis compacti calices non videntur improbandi. Ex ligno quoque Guajaco pocula torno excavata utilia valdè, atque ſalubria videntur eſſe. Babylonii ex arundinibus varia genera vaſorum contexuere, quæ etiam liquida continerent. Pocula ex cupreſſo, ex junipero, ex nucibus moſcatis ob odoris fragrantiam hodie frequenti ſunt in uſu. Poculum ex ſubere confectum D. D. Wolffius habet. Ac omnino olim cum ſobrietati atque frugalitati adhuc locus eſſet in antiquorum convictu, tum catinus, ſcyphus, ac cyſſibium, ex ligno confecta pocula in cenſu vaſorum nobilium quoque erant, de quo ſuprà dictum quoque eſt. Hodie Chriſtianis poculis lignea ſordent, niſi multo ſint auro, argentoque obducta, miro artificio,

ficio, magnisque impensis elaborata. In Martinalibus apud Germanos, quibus nova vina deguſtantur, ligneorum poculorum frequentiſſimus eſt uſus.

Ut autem ligneorum, ſic figulinorum quoque, ſive fictilium ſimulachrorum, vaſorum atque poculorum (quæ κεράμια, & κεράμινα Græcis dicuntur) olim apud Græcos, atque Romanos tam in ſacris, quàm in conviviis creberrimus fuit uſus ad Macedonum uſque tempora, quæ ferè ex terra Samia fingebantur, de quibus vide Mercurialem, *De præſervat. à venenis.* Horum crebra apud authores Latinos fit mentio. Plautus in *Sticho*, Pocula fictilia.

---- Quibus divitiæ domi ſunt, ſcaphio, cantharis
Batiolis bibunt; nos noſtro Samiolo poterio.

Cicero, *Fragmen.* lib. 6. *de Repub. Oratio extat, Læli, quam omnes habemus in manibus, quàm diis immortalibus grata ſint ſympina, ſeu ſympima Pontificum, Samiaque, ut is ſcribit, capedines.* Et pro L. Muræna, *Et expoſuit vaſa Samia, quaſi verò eſſet Diogenes Cynicus mortuus.* De iiſdem vide Iſidorum lib. 20. cap. 4. Lacedæmonios figulinis uſos in epulis nuptialibus virginum, & ſacrificiis traditur, cum in aliis conviviis vaſis potarent. Quin & Argivi in quibuſdam cœnis figulina uſurpabant. *Fama eſt* (inquit Auſonius) *fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem:* qui ex plaſte Syracuſanorum Rex deſignatus, noluit pocula, quæ ipſe olim ex luto finxerat, aſpernari, cum tamen amicis, & in ſuis conviviis aurea præberi curaret. Romanos quoque antiquos cùm in ſacris, tum in epulis figulinis uſos fuiſſe, paſſim ex hiſtoriis conſtat. Non aliis vaſis Numa Pompilius Diis litabat, quam ut Cicero refert in *Paradox.* 2. & lib. *de Nat. Deorum*, fictilibus urnulis, capedunculis, ac ſypullis, quæ erant vaſa fictilia, quibus in ſacrificiis Sacerdotes Diis prælibabant. Hinc Tibullus lib. 1. *Eleg.* 1.

Adſitis Divi: nec nos è paupere menſa
Dona, nec è puris ſpernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.

Juvenalis Satyra quinta,

Pugna Saguntina ſervet commiſſa lagena,

Id eſt, Fictili, à Sagunto civitate Hiſpaniæ, unde vaſa fictilia pulcherrima mittebantur. Martialis,

Ficta Saguntino Cymbria mala luto.

Idem, *Quæ non ſollicitus teneat, ſervetque miniſter,*
Sume Saguntino pocula facta luto.
Arretina nimis ne ſpernas vaſa monemus,
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

Plinius refert lib. 33. cap. 12. Catum Elicium (quem alii *Catum Ælium* vocant) cum Ætolorum legati ei ex fictilibus prandenti vaſa argentea obtuliſſent, ea non acceptaſſe. Et tantus conſul, & victor uſque ad ſupremum vitæ diem nec plura, quàm duo habuit argenti pocula, quæ L. Paulus ſocer ei ob virtutem devicto Perſeo Rege donaverat. Dolia veterum, ut Turnebus annotat in ſuis *Adverſariis*, erant fictilia: unde proverbium, *figlinam à dolio incipere:* Græcum dolium dicit Cumanum. Nam & Cumanam patellam in *Lemmatis* memorat Martialis,

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere teſtam
Municipem miſit caſta Sibylla ſuam.

Et Varro *calices Cumanos*, cum ait, *Dolia atque apothecas triclinares, melicas, calenas, obbas, & Cumanos calices.*

De fictilium porrò vaſorum uſu apud Romanos priſcos Juvenalis quoque teſtatur Satyr. 6.

Et Vaticano fragiles de monte patellas.

Idem Satyr. 11. ſimulachra quoque Jovis fictilia fuiſſe docet,

Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat
Fictilis, & nullo violatus Juppiter auro.

Et tamen Romæ aliquando eò pervenit luxuria, ut fictilia pluris vænirent, quàm murrhina, unde & collegium figulorum illis fuit conſtitutum. Verùm de his vide plura apud Plinium libro 35. cap. 12. Apud Athenæum lib. 11. cap. 2. quidam fictilia vitanda eſſe dicit, propterea quod, teſte Cteſia, apud Perſas fictilibus illi utebantur, quos Rex honore privaverat. Idem tamen addit jucundiſſima ſe ſæpius pocula fictilia cognoviſſe, ut erant illa, quæ ex Copto urbe Ægyptiaca aſportabantur, quæ ex terra multis irrigata aromatibus coquebantur, de quibus etiam Leonic. ſcribit lib. 3. c. 93. Ariſtoteles quoque in libro *de Ebrietate* teſtatur, ollulas χυτρίδας etiam quæ *Rhodiacæ* dicebantur, *cùm ad voluptatem in conviviis fuiſſe adhibitas, tum quia vinum calefaciunt, & ebrietatem arcent. Nam ſi myrrha, maſtiche, reſque ejuſmodi in aquam injecta coquantur, ac mox vino miſceantur, minus qui bibunt ebrios fieri.* Et alibi idem, *Fiunt*, inquit, *ollulæ Rhodiacæ myrrha, lentiſcique floribus, croco, balſamo, amomo, ac cinnamomo ſimul coctis, ex quibus quæ vino miſta fuerit aqua, ita ſiſtit ebrietatem, ut vel Venerem ſedet, ſurgenteſque etiam ſpiritus digerat.* Stoeflerus in ſuo Comm. in Sphæram p. pocula fictilia ebrietatem prohibentia, hoc modo fieri præcipit: *Redigatur braſſica in pulverem ſimiliter roſtra hirundinum, item myrrha conteratur, quoad fieri poteſt, hæc omnia argillæ immiſceantur & interantur, atque ita arte figlina parentur.* Ibidem videre licet explicationem quorundam poculorum, ut ſunt gyalæ, dinon, dactilota,

Romanorum luxuria.

Ollæ Rhodiacæ.

lota, amphora, elephas, canthari sive cantharia, carchesia, ceras, scythia, tinæ, moroëcpoma, monachoëcpoma, &c. Porrò Athenæus lib. 6. ex Joba probat, Romanos usque ad Macedonum tempora figlinis vasis in cœnis usos fuisse. Æginetas, tradit Herodotus, tantùm ἐκ χυτρέων ἐπιχωρίων, id est, urceolis aut ollis in Ægina factis bibere fuisse solitos. Pollux lib. 6. cap. 16. Langius *epist. med.* 29. se dicit fictilium usum ut non insalubrium minimè repudiare, modò non sint ex terra palustri quæ putrilaginem oleat, aut mineris participet, sed ex terra pingui, & spissa, quæ ignis in fornace coctura lapidescit, confecta, qualia sunt in Hispaniis Valentiniana, in Germaniis Coloniensia, valdè opportuna pharmacopolis (ad servandos liquores, electuaria, & eclegmata) vasa. Verùm in his eligendis id tibi maximè proderit, quod, ut D. Hieronymus ait, calix, & urceola fictilis probantur prius, quàm emuntur, sola uxor non ostenditur, ne antea displiceat, quàm ducatur. Quare empturus fictilia, si vinum infusum saporem, aut colorem mutaverit, vel terram resipit, illa quoque facilius quàm uxorem semel ductam repudiare poteris. Quod si ita exactè concocta ac præparata fuerint, tum minus admirabimur Vitruvium lib. 5. cap. 7. vasa fictilia meliùs saporis integritatem, quàm argentea retinere & conservare affirmantem.

De poculis ex metallis & metallicis confectis.

Nunc reliqua poculorum genera persequamur, quæ ex metallis atque metallicis conficiuntur. Hujusmodi pocula uno quasi fasciculo comprehensa ponuntur ab Apuleio lib. 2. in descriptione magnifici epuli: *Ampli calices variæ quidem gratiæ, sed preciositatis unius. Hîc vitrum affabre sigillatum, ibi crystallum impictum, argentum alibi clarum, & aurum fulgurans, & succinum mirè cavatum, & lapides ut bibas, &c.* Exordium igitur ducemus a vitreis. De vitri origine & conficiendi ratione, & de obsidiano vitro, & multis aliis vitri generibus vide Plinium lib. 36. cap. 26. De illius verò usu ad pocula is sic disserit: *Sed quid refert, Neronis principatu reperta vitri arte, quos modicos calices duos, quos appellabant pterotos H-S. sex millibus venderet?* Et paulò post, *Usus verò vitri scilicet ad potandum, argenti metalla & auri pepulit.* Juvenalis Sat. 5. v. 7.

Pocula vitrea.

Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quattuor,

Id est, Calicem vitreum & deformem, cujusmodi calices habuit Vatinius quidam Beneventanus sutor vitrearius, cujus Cor. Tacitus meminit in Nerone: *Nasorum*, ait, 4. id est quatuor rostrorum. Nam ita protensis quatuor rostris instar nasorum fingebantur. Unde est illud Martialis Distichon,

Vilia sutoris calices monumenta Vatini,
Accipe, sed nasus longior ille fuit.

Addit Juvenalis, ----- *Ac jam*
Quassatum, & rupto poscentem sulphura nitro.

Nam vitrea rupta sulphuratis permutabantur. Unde Martialis,

Qui pallentia sulphura fractis,
Permutat vitreis. -----

Statius in Sylvis lib. 2. ----- *Quique comminutis*
Permutat vitreis gregale sulphur.

Vitrea pocula apud Romanos fuerunt usitata.

Vinum fit omnibus ferè coloribus.

Vitreorum diversitate, atque operositate vehementer delectatum esse Verum Imperatorem, Fl. Vopiscus testatur. Ex his constat vitrea pocula olim apud Romanos usitata valde magnoque in pretio fuisse. Nostra quidem ætate nulla ferè alia materia elegantiora præstat potoria, tum magnatibus, tum pauperibus. Cumque vitro, ut testatur Plinius, nulla sit materia sequacior, aut etiam picturæ accommodatior, vitrum fit omnibus ferè coloribus. Rarò tamen sic picti & coloribus infecti calices ad potandum usurpantur à vitæ elegantioris hominibus, tantùm ad ostentationem habentur, nisi quæ margines inauratos habere visuntur, aut raras lineas in calicis orbe rectas transversas. Alii ad escaria vasa, hoc est, tragematum, & saccaratorum vitro picto utuntur, aut rubro, aut cæruleo, aut hyacinthum imitante, aut saphirum. Inopia ligni vitreorum annonam flagellat. Hodie potatores nullo ferè poculorum genere magis gaudent ac delectantur, quàm vitreis, id quod vel illorum cantiunculæ, quibus se mutuò ad potandum incitant, satis testantur, in quibus vitri plerunque fit mentio. Id forsan fit, quia vini color, quo maximè capiuntur, in vitro maximè resplendet. Unde Solomon Prov. 23. *Noli*, inquit, *contemplari vinum quum rubet, & quum phiala* (quidam *vitrum* vertunt) *colorem suum reddit rectà procedentem.* Est autem vitrum ebriosorum hominum moribus, atque ingenio accommodatum. Nam primò quemadmodum vinum, resque aliæ per vitrum resplendent, sic etiam ex vino intemperanter hausto ebriosorum mores, ingenia, atque affectus elucent, atque apparent. Deinde quemadmodum vitrum licet valde splendeat, tamen est fragile (unde ille, *vitrea est fortuna, dum splendet, frangitur*) sic quoque ebriosorum hominum vita, omniaque animi, corporis, fortunarumque bona quantumvis splendida, valde fragilia sunt atque caduca. Denique quemadmodum vitrum virus in se continere creditur, & fractum valde est virulentum, sic quoque vinum immoderatè sumptum virus est atque venenum nocentissimum. Galienus Imp. aspernatus fertur calices vitreos, dicens, *Nihil vitro communius.* Rectè tamen vasa ex vitro conflata Langius in *epist. medic.* eo nomine metallicis salubriora esse dicit, quod nulla sulphuris, aut argenti, plumbi, ac cerusæ virulentiæ participent, & suo congenito frigore saporem vini quavis nive, & glacie melius conservent. Clemens tamen Alex. lib. 2. *Pæd.* cap. 2. vasorum poculorumque vitreorum luxuriam, his verbis perstringit, καὶ μὴν καὶ τορευτῶν περίεργον ἐφ' ὑάλῳ κενοδοξίαν εἰς θραῦσιν διὰ τέχνης ἑτοιμοτέραν, δεδιέναι ἅμα, καὶ πίνειν διδάσκουσαν, περιοριστέα τῆς εὐνομίας ἡμῶν, id est, *Quinetiam curiosa & superflua tornatorum in vitro*

Potatores poculis vitreis maximè delectantur.

Vitrum ebriosorum mores & formam refert.

(Apu-

(Apuleius *vitrum fabrè sigillatum*, id est, eleganter cælatum) *vana gloria ad frangendum propter artem paratior, quæ simul docet & timere, & bibere, à bonis Christianorum legibus est exterminanda.*

Vitreis similia sunt crystallina sculpta ex crystalli glacie hyberno frigore sub nivibus intra rupes concreta, quæ olim magno fuerunt in pretio, atque delitiis, ait Plinius lib. 33. cap. 1. *Abjecta sunt deinde hæc, & sordere cœpere, & auri argentique nimium fuit. Murrhina & crystallina vasa ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa frugalitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est habere quod posset statim totum perire.* Idem lib. 37. cap. 1. *Alius*, inquit, *hic furor, H-S. C. L. M. trullam unam non ante multos annos mercatum à matrefamiliâs nec divite.* Item, *Nero amissarum rerum nuncio accepto, duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos. Hæc fuit ratio sæculum suum punientis, ne quis alius ex his biberet. Fragmenta sarciri nullo modo queunt. Mirè ad similitudinem accessere vitrea. Sed prodigii modo, ut suum pretium auxerint crystalli, non diminuerint.* Suetonius ejusdem rei meminit in illius vita, his verbis, *Nuntiata etiam interim cæterorum exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subvertit, duos scyphos gratissimi usus, quos Homericos à cœlatura carminum Homericorum vocabat, solo illisit.* Ex his apparet quanto olim in honore vasa crystallina à Romanis habita fuerint. Itaque cum Pollio Augustum Imperatorem ad convivium quoddam invitasset, servum à crystallinis ob confractum vas crystallinum mugilibus objici jussit. Apud Apuleium inter alia vasa potoria ponitur etiam crystallum impictum, hoc est, interprete Beroaldo, vel quasi non pictum, & syncerum, quale dicitur *asyntheton:* vel quia pingi solitum est, quod Plinius refert, scribens ex crystallo tingi smaragdos, aliasque translucentes gemmas. In frigido potu maximè crystallina commendantur, cum materia illa sit caloris impatiens. Martialis 10. *Epigram. crystalla* pro *crystallina* dixit: Pocula crystallina.

Candida Septimii rumpant crystalla nitentes.

Idem, *Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno.*

Verus Imperator teste Julio Capitolino, inter alium luxuriæ apparatum (fuit enim luxuriosissimæ vitæ) habuit calicem crystallinum nomine volucrem, ex ejus equi nomine quem dilexit, humanæ potionis modum supergressum.

Porrò vasa murrhina olim apud Romanos non secus atque crystallina (ut paulo ante ex Plinio dictum est) frequenti in usu, magnisque in delitiis habita. Plinius lib. 37. cap. 2. Pompei testatur victoriam (Mithridaticam) primùm in urbem murrhina invexisse, primumque Pompeium sex pocula eo triumpho Capitolino Jovi dicasse, quæ protinùs ad hominum usum transiere, abacis etiam escariisque vasis inde expetitis. Excrescitque indies ejus rei luxus, murrhino LXXX. sestertiis empto, capaci plane ad sextarios tres calice. Potavit ex eo ante hos annos consularis, ob amorem abraso ejus margine, ut tamen injuria illa pretium augeret, neque est hodie murrhini alterius præstantior indicatura. T. Petronius consularis moriturus, invidia Neronis principis, ut mensam ejus exhæredaret, trullam murrhinam CCC. sestertiis emptam fregit. Sed Nero, ut par erat principem, vicit omnes CCC. sestertiis capidem unam parando. Memoranda res, tanti Imperatorem, patremque (parricidam verius dixeris) patriæ bibisse. Oriens murrhina mittit. Inveniuntur enim ibi in pluribus locis nec insignibus, maxime Parthici regni, præcipue tamen in Carmania. Humorem putant sub terra calore densari. Amplitudine nusquam parvos excedunt abacos: crassitudine rara quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorque veriùs, quàm splendor. Sed in pretio varietas colorum subinde circumagentibus se maculis in purpuram, candoremque, & tertium ex utroque ignescentem, velut per transitum coloris purpura rubescente, aut lacte candescente. Has maculas in muræna pisce videre est, teste Jano Lascari. Sunt qui maximè in iis laudent extremitates, & quosdam colorum repercussus, quales in cœlesti arcu spectantur. His maculæ translucere quicquam aut pallere vitium est. Item sales, verrucæque non eminentes, sed ut in corpore etiam pingues placent, plerumque sessiles. Aliqua & in odore commendatio est. Contraria huic causa crystallum facit, gelu vehementiore concreto. Nec alibi certè reperitur, quàm ubi maximè hybernæ nives rigent, glaciemque esse certum est, unde & nomen Græci dedere. Hæc Plinius de vasis atque potoriis murrhinis quorum crebra apud authores fit mentio, quæ cum ob coloris nitorem tum odoris suavitatem veteribus fuerunt expetita. Hinc Martialis in *Apophoretis*, Vasa murrhina.

Si calidum potas, ardenti murrha Falerno
Convenit, & melior fit sapor inde mero.

Laudatur Augustus Cæsar quod Alexandria capta, nihil sibi præter unum murrhinum calicem ex instrumento regio retinuerit, & mox vasa aurea assiduissimi usus conflaverit omnia, author est Seneca in ejus vita. Scribit Jabolenus Jurisconsultus, murrhea vasa, quæ ad usum edendi, & bibendi causa parata sint, esse in supellectili. Cassius Jurisconf. murrhina vasa (sunt Græcorum καλλάια ὄςρακα, hodie corruptè vocantur *Porcellana*) in gemmis non esse scribit, in quo dissentit à Plinio, qui murrham inter gemmas numerat. Poculorum murrhinorum Lucanus meminit his verbis,

----- *Non auro, murrhaque bibunt.*

Murrhinorum simul, & crystallinorum meminit Juvenalis Sat. 6.

Grandia ponuntur crystallina, maxima rursus
Murrhina, deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior.

Idem Sat. 7. *Empturus pueros, argentum, murrhina, villas.*

Mar-

Martialis 3. Epigram.

Opimianum morionibus nectar,
Crystallinisque murrhinisque propinas.

Pocula ex succino, seu electro conflata.

Murrhinis atque crystallinis adjungi possunt pocula ex succino, sive electro conflata, quibus veteres usi fuerunt, de quibus Plinius lib. 37. cap. 2. *Proximum locum in delitiis fœminarum tamen adhuc tantum succina obtinent, eandem omnia hæc quam gemmæ authoritatem, sanè majorem aliquibus de causis crystallina, & murrhina, rigidi potus utraque. In succinis causam ne delitiæ quidem adhuc excogitarunt.* Subjungit deinceps multas Græcorum fabulas de succini ortu. Apuleius lib. 2. inter alia vasa seu pocula pretiosa ponit etiam succinum mirè cavatum, scilicet in pocula electrina: in quæ sic commentatur Beroaldus, *Prisci crediderunt succum arboris succinum esse, & nomen argumento est, ut author est Plinius.* A Germanis appellatur *glessum*, & ob id insularum una in Septentrionali Oceano *Glessaria* nominata. Liquidum primo destillare, indicio sunt quædam intus translucentiæ, ut formicæ, culices, lacertæ. Candidum odoris præstantissimi, fulvo major authoritas, summa laus phalerno, ita à vini colore dicto. Attritu digitorum accepta vi caloris, attrahit in se paleas, & folia arida, ut magnes lapis ferrum, unde *harpaga* à rapiendo vocitarunt. Taxatio succini in delitiis maxima est, in tantum ut hominis quamvis parva ex succino effigies, vivorum hominum vigentiumque pretia superet. Domitius Nero princeps capillos uxoris suæ Poppeæ succinos appellabat. Alio nomine *electrum* appellant à sole, ex fabula vulgatissima. Juvenalis Satyr. 5. de poculorum luxuria sui temporis:

---- ipse capaces
Heliadum crustas, & inæquales beryllos
Vitra tenet phialas, tibi non committitur aurum.

Per Heliadum crustas intelligit potoria ex electro facta. *Heliadum*, id est, sororum Phaetontis, quæ in arbores populos fletu nimio mutatæ sunt, ex quibus electrum fluat, & inde calices fiant, secundum poëtarum fabulas. Vocant & electrum metallum ex auri argentique mixtura, cui authoritas fuit apud priscos, Homero teste, qui Menelai regiam electro fulgere tradit. Helena in templo Minervæ sacravit calicem ex electro mammæ suæ mensura. Cum enim auro insit argentum vario pondere, alibi nona, alibi octava parte, ubicunque argenti quinta portio inest, *electrum* vocatur, ut scribit Plinius lib. 33. cap. 4. vide de electro multa etiam lib. 27. cap. 2. Jurisconf. *Si quis*, inquit, *electrum ex alieno auro, argentoque miscuerit.* Julius Capitolinus author est Cor. Macrum *pateram electrinam habuisse, quæ per convivas circumferretur, in cujus meditullio effigies Alexandri Magni expressa videbatur, quod idcirco posui, quia dicuntur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant, vel argento.* Hæc ille. *Poculum ex electro naturali*, inquit Langius in suis *med. epistol.* *quod auro, & quinta ejus parte constat conflatum, quia stridore, & maculoso in superficie interna arcu, quo nitor ejus obsolescit, virus infusum prodit, cæteris etiam ex auro obryzo metallicis poculis præferrem.*

Pocula ærea.

Æreorum quoque poculorum antiquissimum fuisse usum ex veterum monumentis constat. Æreis enim poculis diis libabant, & bibebant, eorumque quoque repositoria χαλκοθήκας appellabant. Herodotus Ægyptiorum sacerdotes ex æreis tantum poculis bibisse author est lib. 2. Ac omninò Ethnici in suis sacris æreis ferè instrumentis usi fuerunt, id quod Judæorum imitatione, seu κακοζηλίᾳ potius videntur fecisse, quorum similiter instrumenta sacra ærea fuerunt, ut literis sacris proditum est. In agro Tigurino paucis abhinc annis urna fictilis effossa est, in qua craticula fuit ærea opere vermiculato. Apud Romanos vasa Corinthiaca χαλκώματα dicta, quanto fuerint in pretio passim authores testantur. Illa autem tum primùm ex ære fieri cæperunt, cum Corintho à L. Mummio devastata incendio, simulachra ex omnifariis æris, argenti, & auri metallis conflata, in unam massam confluxerunt, ut testis est Plinius lib. 34. cap. 2.

Pocula ex lapidibus pretiosis atque gemmis confecta.

Porro ex lapidibus pretiosis, atque gemmis (quæ *gemmata potoria* Plinius vocat) calices olim conflatos fuisse ex authoribus constat. Plinius lib. 33. cap. 1. de suorum temporum luxuria verba faciens: *Nec hoc fuit satis*, inquit (scilicet ex crystallinis, & murrhinis vasis potare) *turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ causa tenere Indiam juvat, & aurum jam accessio est.* Hoc ipsum Virgilius quoque severè admodum, & verè reprehendit carmine suo Georgico cum ait,

Hic petit excidiis urbem, miserosque penates,
Ut gemma bibat, & Serrano dormiat ostro.

Cyprianus in epistol. ad Donat. *suspirat illo in convivio, bibat licet in gemma.* Martialis,

Gemmarum Scythicis vel luceat ignibus aurum,
Aspice, quot digitos exuit iste calix.

Et Satyrographus Satyr. 5.

---- Et inæquales beryllos,

Id est, calices beryllis, & aliis lapidibus pretiosis distinctos. Inæquales dixit, quia, ut testatur Plinius libro trigesimo sexto, sexangula figura poliebantur, ut color repercussu angulorum excitaretur. Idem:

Qui numeret gemmas (gemmatos calices) *unguesque observet acutos,*
Da veniam, præclara illic laudatur Iaspis
Nam Virro (ut multi) gemmas ad pocula transfert
A digitis.

Partim

Partim ergo calices potorios lapidibus, & gemmis ornabant, partim ex lapidibus pocula figurabant. Unde Plinius tradit ex onychite lapide, & ex murrha escaria facta: aliorum quoque lapidum meminit, ex quibus pocula fierent. Cicero 6. in Verrem, convivium describens quo rex Siciliæ Verrem prætorem exceperat, *Exponit*, inquit, *suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ, ut mos est regius, & maximè in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam*, addit, *vas vinarium ex una gemma pergrandi trulla excavata cum manubrio aureo. Ex marmore Zeblicio* (ut Agricola nominat ab oppido Missenæ juxta quod effoditur: videtur autem Ophitæ cognatum esse: nam vulgò etiam *serpentariam* nominant) *cochlearia & pocula faciunt Missenæ, quod veneno resistere persuasi sint.* Gesnerus in libro *de figuris lapidum.* Idem, *Pocula*, inquit, *fiunt ex metallis diversis, auro, & argento præcipua, vulgaria è vitri materia funduntur, vel luto argillavè à figulis tornantur.* Ex gemmis verò murrhina, Jaspide, Crystallo: item è marmoribus, Alabastrite in primis, quæ pellucent (quale pulcherrimum doctissimus Medicus affinis meus Caspar Wolphius Venetiis olim emptum dono mihi dedit) ex ophite quoque, & ei cognato apud Misenos Zeblicio marmore, Salina quoque duo ex Alabastrite habet Caspar Wolphius.

Pocula aurea & argentea.

Nunc postremo dicendum de poculis aureis, atque argenteis, (ספות כסף *Sippoth cæsaph* crateres argentei vocantur, 2. Reg. 12. 14.) de quibus Athenæus lib. 6. & 4. multa habet. Athenæus apud Græcos rarum antiquitùs auri, & argenti usum fuisse pluribus docet. Unde Duris Samius refert Philippum regem Macedonum Alexandri M. patrem, unam tantum ex auro phialam habuisse, quam noctu sub pulvinari celare solitus fuit. Res videbatur admiranda, si quis poculum argenteum in Græcia conspexisset, cum ditissimi quique ex æreis poculis biberent. Plura in hanc sententiam ibi videre poteris. Apud Romanos similiter auri & argenti usum antiquitùs rarum fuisse pluribus docet Plinius lib. 33. cap. 4. Tam rarus olim auri, atque argenteæ supellectilis Romæ usus fuit, ut Fabricius Imperator Rom. plus quam unam ex argento pateram, & salinum habere vetuerit. At posteà & apud Græcos, & apud Romanos, postquam illi Asia fuerunt potiti, tantus auri & argenti usus inolevit, ut nihil in conviviis magnificentius haberetur, quam pleno se auro proluere, & Poppea Neronis uxor soleas jumentis suis aureas induceret, templa, triclinia, ac mulierum cellæ, & hostiarum cornua auro fulgerent. Verus Imperat. teste Fl. Vopisco, argenteum mensale quod privatus habuerat, ministeriis conviviorum, quæ in templis fierent, dedicavit. Apud Hebræos Salomonis regis temporibus auri atque argenti omnia fuerunt plena. Nam & templum auro fulgebat, omniaque vasa sacra ex auro atque lapillis pretiosis erant conflata, & regia Salomonis, atque supellex tota aurea erat, nec non gemmis atque lapidibus pretiosis distincta, sicuti scriptum est 1. Reg 11. Et in primis versu 21. scribitur omnia regis Solomonis potoria fuisse aurea, omnia item vasa domus saltus Libani ex auro puro fuisse, ita ut argentum præ auri copia pro nihilo fuerit reputatum. Josephus quoque addit, multa etiam vasa, nec non pocula gemmis torno elaboratis, & expolitis quàm artificiosissimis constitisse. Magna autem illa auri atque argenti, nec non eboris, aromatum aliarumque rerum pretiosarum copia ex Tharsis, atque ophir (quam nonnulli *Peru* hodie dictam insulam auro abundantissimam esse existimant) Hirami regis beneficio in Judæam advehebatur. Multi prætereà qui singulis ferè annis ex omnibus orbis terrarum partibus ad Salomonem, illius Sapientiæ fama commoti, confluebant, munera secum pretiosissima, ut vasa aurea, & argentea, vestes, arma, aromata, equos, mulos afferebant, ut testes sunt sacræ literæ. Inter hos principem facile locum tenet regina illa Sabæorum, quæ magnam aromatum, auri atque gemmarum vim Salomoni attulit. In convivio Assueri regis Persarum atque Medorum, quod dedit populo Susis (civitas ob loci amœnitatem sic dicta, nam *Susum* Hebræa voce est lilium in quo reges Persarum hyemare solebant, ut in Ecbatanis æstatem degebant, Athenæus lib. 12. cap. 3.) potabant omnes ex vasis aureis, quæ assiduè mutabantur, vinum regium & quidem copiosum juxta manum, id est, imperium, sive opes regis, sicut Ester primo scriptum est statim ab initio. Sic Ptolomæus, ut testatur Athenæus lib. 11. cap. 4. nec non Varro, Pompejo res gerente circa Judæam mille convivas totidem vasis aureis (cum vasa mutarentur cum ferculis) saginavit, ut scribit etiam Plinius lib. 30. cap. 10. De scypho aureo in Claudii Imperat. Rom. convivio à T. Junio viro prætorio (alii Ovinium fuisse prodiderunt) surrepto, & quomodo Imperator furtum illud ultus sit, vide Crinitum lib. 12. cap. 2. *de honest. discipl.* & Corn. Tacitum. Ejusdem Suetonius quoque meminit, qui pro aureo scypho, fictilem postero die illi appositum fuisse scribit in vita Claudii, nec non Plutarchus ejusdem in *Galba* meminit.

Luxuria Romanorum.

Salomonis regis magnificentia.

Assueri regis Persarum & Medorum magnificentia.

Sed quid opus est plura antiqua luxuriosi usus auri atque argenti exempla proferre, cùm hodiè apud Christianos non modò templa, altaria, simulachra, aliaque vasa sacra, verùm etiam prophanæ ædes, vestes, pocula, vasa atque supellex omnis auro, argento, ebore, marmore, gemmis atque margaritis resplendeat, cum illi interim, qui illa possident, plurimis vitiis, sceleribus atque flagitiis sordidi sint atque squalidi. Ac in primis aureorum argenteorumque poculorum hodie tam communis est usus, ut nullus ferè tam vilis abjectæque conditionis homo reperiatur, qui non argenteum aliquod vas atque poculum possideat. Hujusmodi autem potoria, quæ hodie vulgò ex argento conflata parantur, argento vivo, nonnullis videntur valdè esse noxia vitæ humanæ, idque probabili sanè ratione. Nam vix fieri potest, quin tempore atteratur aurum, & reliquiæ argenti vivi potibus admisceantur, quæ quidem viscera exedant, atque perrumpant tabe dira. Constat certè aurificum & artificum inaurantium corpora tremore pertentari.

De eodem hoc pretiosorum poculorum luxuria, vide Clementem Alex. lib. 2. *Pædag.* cap. 3. ubi aliquot poculorum sumptuosorum genera enumerat, ut sunt Thericlei calices, antigonides, canthari, labronii, lepastæ, psecteres & oenochoæ, &c. De his aliisque innumeris poculis vide Athenæum lib. 11. totus ferè ille liber in poculorum descriptione consumitur.

Hæc de poculorum ſubſtantia atque materia, in qua ipſa Chriſtianorum monſtroſa luxuria atque libido hodie paſſim ſe prodit. Nam primo quidem lignea, fictilia atque vitrea pocula (niſi ſint valdè ſumptuoſa) plurimis ſordent, qui quidem niſi ex auro & argento bibere nolunt, idque non ſanitatis, ſed luxuriæ atque ſuperbiæ cauſa. Deinde immanes illi potatores in immaniſſimis illis ſuis propinationibus eò tandem inſaniæ atque furoris progrediuntur, ut contemtis abjectiſque uſitatis poculis quantumvis ſplendidis atque pretioſis, quibusvis vaſis, inſtrumentis atque etiam veſtibus nonnunquam fœdiſſimis ad potandum abutantur. Hujuſmodi ſunt vaſa vinaria in quibus vina reconduntur & aſſervantur, ut canthari ſive oenophoria, item vaſa eſcaria, aquaria atque coquinaria, aliaque inſtrumenta ad longè alios uſus deſtinata. Pileis quoque atque calceis immundis ſæpè immundi illi porci ad impuras illas ſuas propinationes utuntur. Solent etiam nonnunquam in nuptiis ex ſponſæ calceis ſibi invicem propinare. Quid dicam quod pelves quoque atque matulas, quibus ſæpè in medio triclinio poſitis fœda illorum excrementa excipiuntur, tandem ad propinandum quoque adhibent, quod quidem planè Sybariticum eſt. Sybaritas enim primos matulas in convivia inferre ſolitos fuiſſe teſtatur Athenæus lib. 12. cap. 6. Annon quæſo horrenda hæc eſt planè potatorum illorum libido, quæ horrendam pœnam atque vindictam divinam mereatur? Denique vina nova ſibi invicem in fictilibus poculis (quæ *cruſulæ* vulgò appellantur) propinantes, ipſa quoque tandem pocula fracta atque comminuta ſæpenumerò ſibi invicem propinant.

Pocula turpis formæ. Nunc de poculorum forma atque figura dicamus, quæ ut olim, ita hodie varia eſt atque multiplex, non tam ad uſum neceſſarium atque honeſtum, quàm ad luxuriam atque temulentiam comparata. Alia enim ventroſa & patula: alia anguſta & ſtrictiora, Plinio lib. 33. in procemio: *Heu*, inquit, *prodigioſa ingenia, quot modis auximus pretia rerum? Acceſſit ars picturæ, & aurum argentumque cælando carius fecimus. Didicit homo naturam provocare & artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines cælare juvit, ac per obſcænitates bibere.* Idem lib. 14. cap. 22. *Jam verò quæ vaſa adulteriis cælata, tanquam per ſe parum doceat libidines temulentia, ita vina ex libidine hauriuntur.* Hujuſmodi fuerunt phallovitrobuli apud Julium Capitolinum, id eſt, vaſa potoria ex vitro propriè (licet & ex alia materia) oblonga, & inſtar priapi. Unde Juvenal. Satyr. 2.

Vitreo bibit ille priapo.

Hujuſmodi pocula, proh dolor atque pudor hodie quoque inter Chriſtianos viſuntur. Apud Græcos multa fuiſſe poculorum genera à re navali cognominata, ut carcheſia, cymbia, quæ fuerunt pocula procera, & navibus ſimilia, Macrobius teſtatur lib. 5. cap. 21. *Saturnal.* & Euſtathius Ιλ. γ. p. 12. 81. Cantharum quoque Libero patri dicatum (ut Scyphus Herculi) & poculi & navigii genus fuiſſe, & Herculem ſecundum antiquam hiſtoriam poculo tanquam navigio immenſa maria tranſiſſe ibidem tradit. Hodie quoque apud Germanos multa navigiorum forma pulcherrima pocula conficiuntur. L. Craſſus Orator confeſſus eſt duos Scyphos Mentoris artificis manu cælatos ſeſtertiis C. emptos habuiſſe, nunquam tamen ſe his uti propter verecundiam auſum fuiſſe, teſtis eſt Plinius lib. 33. cap. 11. Propertius lib. 1. *Eleg.* 14. *Lesbia Mentoreo vina bibas opere.* Variæ olim in poculis figuræ atque imagines excidebantur, ut Deorum, hominum, animalium, ſtellarum, aliarumque rerum. Hoc indicat celebre illud & quidem elegans atque venuſtum Anacreontis carmen, quo eroticῶς exprimitur, cujuſmodi poculum fieri ſibi expetat, ut in eo videlicet non armatos duces, non cœli ſigna, Pleiades vel Bootem requirat, ſed ventres, ſed amores, ſed racemos & Bacchum. Vide Crinitum lib. 9. cap. 4. Huc alludit Juvenal. Satyr. 1.

Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum,

hoc eſt, pocula argentea, antiquis (ut ait Seneca) nominibus artificum nobilia, quæ & archetypa dicebantur. Notandum, cùm alias figuras, tum maximè caprum in poculis exciſum fuiſſe, quod animal ſit Baccho infenſum. Unde Martialis in 13.

Stat caper in phiala Thebani vellere Phrixi,
Cultus ab hoc mallet vecta fuiſſe ſoror.

Sic hoc loco *ſtantem extra caprum* vocat, id eſt, extantem & cælatura eminentem. Sic Ovidius in *Metamorph.*

Altius extantem ſignis, multæque in pondere maſſæ
Ingentem manibus tollit cratera duabus.

Pocula Grammatica. Pocula literis & carminibus præſertim Homericis, inſignire ſolebant, cujuſmodi poculorum genera *Grammatica* fuerunt à Græcis appellata. Athenæus lib. 11. cap. 4. Hujuſmodi poculum argenteum literatum in Capua Campaniæ Palladi depoſitum viſebatur. Suetonius teſtatur Neronem duos habuiſſe ſcyphos gratiſſimi uſus, quos *Homericos* à cælatura carminum Homeri vocabat. Apud Achæum Tragicum grammatici poculi fit mentio. Hujuſmodi fuit & illud, in cujus ambitu verba hæc legebantur: Διὸς σωτῆρος, id eſt, *Jovis ſervatoris.* De iiſdem Cælius lib. 7. cap. ultimo. Poculi aſtrologici, quod inter alia munera Ferdinandi Imperatoris legati Conſtantinopolitano Cæſari attulerunt, deſcriptionem habes apud P. Jovium: *Excelſum erat Germanico more ex auro poculum lectiſſimis exornatum gemmis, eruditæque inſuper admirationis argenteam machinam, in qua non horarum modo ſpatia, ſed errantium etiam ſyderum motus, menſtruique Solis ac Lunæ coitus, exactiſſima ratione monſtrabantur: intus ſcilicet dentatis rotis, certiſque ponderibus, admirabili momento, vel in multum ævum minutiſſimas temporum menſuras diſpenſantibus: quin inter celeres, tardoſque orbes, in tam vario inæqualique polorum ordine, audaci quadam ſupremi motoris æmulatione conjuncta congruerent. Ea à peritiſſimis Aſtronomis excogitata perfectaque Maximiliani Cæſaris fuiſſe dicebatur.* Hæc ille. Pocula ſigillata. *Scyphi ſigillati* dicti à Cicerone,

rone, id est, sigillis ornati, in 6. in Verrem: *Cum ſederem*, inquit, *domi triſtis accurrit Venerius, jubet me ſcyphos ſigillatos ad prætorem ſtatim afferre.* Signa & ſigilla dicuntur ſimulacra Deorum vel heroum, vel alterius alicujus rei, quæ Græcè ἀγάλματα & ἀγαλμάτια & εἴδη θεῶν appellantur. Hujuſmodi ſigilla vaſis & ſcyphis illigabantur cælatorum & vaſculariorum artificio, quæ idcirco *ſigillata* fuerunt dicta, ut Bayfius in lib. *de vaſculis* annotavit. Ornabantur etiam pocula aliaque vaſa emblematis dictis ἀπὸ τοῦ ἐπεμβάλλεσθαι, quod vaſis adjicerentur & revellerentur, cum libitum erat, de quibus copiosè Budæus in *annotat.* Illigabantur & aureis cruſtis vaſa, ut eſt apud Plautum in *Pediculis*, infra eodem in hæc verba: *Cymbia argentea cruſtis aureis illigata.* Quarum cruſtarum meminit Cicero in 6. in Verr. his verbis: *Cybiratæ fratres vocantur, pauca improbant, quæ probarant, iis cruſtæ aut emblemata detrahebantur. Sic Haluntini excuſſis deliciis cum argento puro domum reverterunt. Vaſa pura* dixit Jureconſultus non cælata in l. *Si in rem, ſupra de rei vindicat.* A cruſtis autem hujuſmodi dicti *cruſtarii*, quorum artificii vaſa cruſtis illigabantur. Plin. lib. 33. *Habuit & Teucer cruſtarius famam. Incruſtare* quoque dicimus. Horatius Serm. 1. *Syncerum cupimus vas incruſtare.* Hujuſmodi cruſtarum meminit & Juvenalis, Pocula emblematis & cruſtis ornata.

- - - - Ipſe capaces
Heliadum cruſtas, &c.

Vaſa aureis cruſtis illigata etiam *Chryſendela* à Martiale dicuntur in 6.

Ponuntur ſemper Chryſendela Calperiano
Sive foris, ſeu cum cœnat in urbe domi.

Dicuntur & *lances Chryſendelæ* ab eodem in *Apophor.* De vaſis auri puri, & de cruſtis & emblematibus poculorum, vide etiam Turnebum in *Adverſ.* lib. 8. cap. 10.

Figurabantur etiam pocula exſculptis intus ceu crebris ſpeculis, ut vel uno intuente, totidem populus imaginum fiat, quod evenit figura materiæ. Calicis vaſorum quatuor meminit Juvenalis, quem amplum fuiſſe veriſimile eſt, cum objiciat quendam poſſe ſiccare calicem vaſorum quatuor. Solebant veteres etiam mortuorum imagines, quos caros habuerunt, memoriæ cauſa in poculis exſculpere. Sic Corn. Macer, teſte Julio Capitolino, pateram habuit ex electro, quæ per convivas circumferebatur, in cujus meditullio effigies Alexandri expreſſa viſebatur. Sic Epicurei amoris memoriæque ergò Epicuri imaginem in poculis ſuis ſculpi curabant, ut quoties biberent, toties illius recordarentur, ut teſtis eſt Cicero lib. *de finibus.* Hieronymus refert quoſdam etiam Apoſtolorum imagines in vaſis excidiſſe, cujus hæc ſunt verba in Jon. proph. cap. 4. *Timuit videlicet* (ſcilicet Canthejus Rom. à quo ſe reprehenſum & ſacrilegii accuſatum dicit, quod pro cucurbita hederam tranſtulerit) *ne ſi pro cucurbitis hederæ naſcerentur, unde occultè & tenebroſè biberet, non haberet.* Et revera in ipſis cucurbitis vaſculorum (quas vulgo *Saucomarias* vocant) ſolent Apoſtolorum imagines adumbrari, à quibus & ille non ſuum ſibi nomen aſſumpſit. Pocula ſpeculis figurata. Imagines in poculis exſculptæ.

Nunc ut ad noſtra tempora veniamus, hac quoque in parte Chriſtianorum ſeſe prodit luxuria, quæ antiquam illam Græcorum atque Romanorum luxuriam non modò æquaſſe videtur, ſed etiam longè ſuperare. Nam cum multæ ſint, variæ atque multiplices poculorum formæ atque figuræ, quas enumerare operoſiſſimum foret: tamen novæ ferè quotidie excogitantur, ita ut nihil ferè in rerum natura eſſe videatur, ad cujus imaginem atque ſimilitudinem illa non effingantur. Quemadmodum igitur ebrietas ipſos homines vera ſua forma, hoc eſt, ratione exutos in varias ac portentoſas animalium brutorum formas convertit atque commutat: ſic eoſdem ad varias & novas quotidie poculorum formas excogitandum impellit. Alia morionum larvis, alia draconibus, alia ocreis ſimilia fieri curant. Habent etiam nonnulli ad diaboli imaginem formata, ut ita nimirum ſe illius myſtas eſſe teſtentur. Sic in poculis quoque ſuam petulantiam produnt. Chriſtianorum pocula multiformia ad luxuriam comparata.

Sunt autem pleræque illæ formæ non tam ad neceſſitatem aut commoditatem aliquam, quàm ad luxuriam atque ebrietatem comparatæ. Sunt pocula αὐτόματα, quæ certo modo in menſa collocata ad eum, cui illa ſunt exhaurienda, moventur. Sunt pocula ἄποδα, ut ita loquar, quæ ſiſti ac collocari non poſſunt, ſed ab eo, qui illa accepit, vini plena vel manibus ſemper ſunt cum moleſtia tenenda vel exiccanda, & hujuſmodi verè ſunt illa hoſpitalia pocula, ſeu potiùs inhoſpitalia, vulgò a Germanis Wellkom dicta, quæ peregrino ſive hoſpiti primùm advenienti proponuntur neceſſariò exhaurienda, quæ plerunque ita ampla ſunt atque capacia, ut illis epotis hoſpes ille bonus, ubi terrarum ſit, neſciat. Utuntur etiam nonnunquam ſcyphis quibuſdam ſive trullis ore anguſto præditis, in quas vina per infundibulum infunduntur. Has qui ejus rei ſunt, tam citò epotant atque alia vaſa, quæ ſunt ore ampliſſimo, & in eo nonnulli artem ſuam oſtentant: alii qui idem tentant, facillimè inebriantur. Hujuſmodi potoria Germanicè Guttruff vocantur, forſan a guttis illis antiquis ſic dicta, quæ fuerunt cùm vaſa unguentaria, tum pocula ſacra, ſic appellata, quòd guttatim ex illis liquores fluerent: unde etiam vox guttern videtur derivata. Multis etiam in locis certi quidam conficiuntur calices, in quorum pede alea vitro eſt incluſa. Hunc qui exhauſit, vitrum illud cum alea movet, quòd ſi jecerit unitatis notam, calix illi denuò eſt ebibendus: ſin autem aliam numeri notam, tunc ſecundum eam, qui poſt eum a ſiniſtra parte in menſa ſedet, calicem illum vini plenum in manus accipere & exhaurire cogitur: quo epoto, deinceps eodem modo alium quærit aleæ jactu. Denique innumera pocula ab illis potatoribus finguntur, quibus non modò ſocios ſuos ad bibendum invitant, ſed etiam fallunt atque decipiunt, ita ut plus bibere cogantur, quam ipſi illis propinaverint. Ut ergo materia, ſic forma quoque poculorum accommodatur ad ebrietatem.

CAPVT XIII.

DE POCVLORVM QVANTITATE. DE MORE AD CERTAM POCVLORVM MENSVRAM ATQVE NVMERVM PROPINANDI. DE PRECATIVNCVLIS QVIBVSDAM, ATQVE ETIAM IMPRECATIONIBVS INTER PROPINANDVM ADHIBERI SOLITIS. DE MORE POCVLA AD SVMMVM VSQVE IMPLENDI, CERTAM VINI POCVLORVMVE MENSVRAM CONVIVIS PRAESCRIBENDI. DE POCVLO ILLO CHRISTO IN CRVCE PROPINATO DISPVTATIO.

Pocula ampla & capacia.

Nunc de poculorum quantitate dicatur, quæ quidem potiſſimùm in propinationibus eſt ſpectanda. Athenæus lib. 11. ſtatim ab initio Dicæarchi Meſſenii (qui Ariſtotelis fuit diſcipulus) teſtimonio probat, Græcos antiquitùs μικροῖς ἐκπώμασι κεχρῆσθαι, καὶ ὑδαρέστερον πεπωκέναι, id eſt, *minoribus poculis fuiſſe uſos & dilutiùs bibiſſe.* Ejuſdem rei teſtis eſt Chamæleon Heracleotes in libro *de ebrietate*, qui docet magnorum poculorum uſum apud Græcos non antiquum, ſed novum eſſe, a populis barbaris primò inventum & in Græciam translatum, qui ἀπεστερημένοι τῆς παιδείας ὁρμῶσιν ἐπὶ τὸν πολὺν οἶνον, καὶ πορίζονται τροφὰς περιέργους, καὶ παντοίας, id eſt, *a diſciplina alieni ad largiorem vini potum epularumque magnificentiam immani quadam cupiditate rapiuntur.* Hinc poſtea inquit: τὰ μεγάλα τῶν ἐκπωμάτων ἐπιχώρια γέγονε τοῖς δυνάσταις, id eſt, *majora pocula principibus ſeu optimatibus cœperunt eſſe uſitata.* Notanda ratio, quam addit: Εἰ γὰρ οἱ ταῖς ἐξουσίαις χρώμενοι καὶ τῷ πλουτεῖν, περιττῶσι τὴν μέθην ταύτην, οὐδὲν θαυμαστόν, οὐκ ἔχοντες γὰρ ἑτέραν ἡδονὴν ταύτης καλλίω οὐδὲ μᾶλλον εὐχερῆ, καταφεύγουσι εἰκότως ἐπὶ τὸν οἶνον. Ac ſanè apud Græcos olim & meraca potio & grandia pocula hominis parum politi notæ erant: Barbarorum enim id eſſe exiſtimabant, non Græcorum, quod declarant antiqua proverbia, ἐπισκυθίζειν & Θρηίκιη ἄμυστις, apud Callimachum: apud Horatium, *Threicia amyſtis.* Sic & guloſitatem *vitium Barbarorum* appellarunt & proverbio notarunt, quod apud Servium obſervatum, ἡ πλησμονὴ τῶν Βαρβάρων. Vide Caſſaubonum in Theophraſti *characteres.*

Rhyton.

(Judicum cap. 5. *phiala fortium* pro poculo peramplo ac patente accipitur.) Præterea addit ibidem paſſim in Græcia neque in picturis, neque in antiquorum ſcriptis magnum poculum inveniri præter Heroica. Nam ῥυτὸν potorium ſic appellatum, teſte Theophraſto dabatur ſolis Heroibus & bibacioribus: quod ipſum nonnulli volunt διὰ τὴν ὀξύτητα τῆς ἐπιφανείας τῶν δαιμόνων, hoc eſt, *ob celerem dæmonum apparitionem demonſtratum fuiſſe.* Illos enim χαλεποὺς καὶ πλήκτας, id eſt, *difficiles & percuſſores eſſe exiſtimant, idque magis noctu, quàm interdiu. Ne igitur moribus potiùs & conſuetudine, quàm ebrietate tales eſſe videantur, faciunt illos magnis poculis bibere. Rhyton porrò capiebat 2. choas, cujus meminit Martialis. Neſtoris quoque poculum apud Homerum celebratur inſigni magnitudine, quod vix juvenis aliquis geſtare poterat, at ille tollebat illud* ἀμογητὶ, id eſt, *facillimè nulloque labore. Præterea potorium illud datum Cyclopi ab Ulyſſe, quod* κισσύβιον *vocat Poëta, alii* κύμβιον, *nequaquam parvum extitiſſe inde apparet, quòd eo ter poto monſtrum illud horrendum, quod vertice feriebat ſydera, ebrius jacuit per antrum. Hoc quoque nonnullis viſum eſt barbaricum fuiſſe quoddam poculum, ex Cyconum præda allatum. Poſſit tamen etiam quis illam Cyclopis ebrietatem non tam poculi magnitudini, quàm vel vini viribus tribuere, vel quòd Cyclops lactis non autem vini potui aſſueverit.* Hæc Athenæus. Ex quibus conſtat Græcos antiquitùs parvis poculis uſos fuiſſe & quidem bene dilutis, poculorumque magnorum uſum eſſe barbaricum. Iidem tamen poſtea amplis & capacibus poculis fuerunt uſi. Magnum poculum Athenæus lib. 11. putat eleganter dici poſſe φρέαρ ἀργυροῦν, id eſt, *puteum argenteum.* Hujuſmodi fuit *carcheſium* dictum, & alia innumera.

Neſtoris poculum.

Puteus argenteus.

Pocula magna apud Hebræos.

Apud Hebræos reges atque Optimates capacioribus poculis fuiſſe uſos conſtat ex illo Hoſ. 7. *reges faciunt ægrotare utre vini*, ubi utris nomine ampla pocula intelliguntur. Sic Amos 6. cap. populi principes dicuntur vinum bibiſſe in phialis aut pateris. Nam vox *Mizrak*, qua Amos utitur, derivata a ſpargendo, vas propriè patulum (ἐκπέταλα Græcis ſunt latiora pocula. Cælius lib. 28. cap. 6.) amplum & capax ſignificat, ut volunt Grammatici: quod Latine *craterem* ſive *phialam* rectè verteris.

Exempla poculorum capacium.

Πατέλλια dicta ſunt pocula perampla, teſte Euſtath. Ιλ. Cælius lib. 16. cap. 6. (quæ ab Homero ἐκπέταλα appellantur) unde πατελλοχαίρων, *ebrioſus*, qui poculis amplis gaudet. Amphithetum erat poculi genus ita factum, ut quavis ex parte poſitum ſtaret, nullumque certum haberet fundum. Probabiliùs eſt, quod inter varia addit Heſychius, Amphitheton eſſe poculum, quod ob magnitudinem ambabus tollitur ac reponitur. Id Hollandi nautæ vocant *buſam.* Hinc proverbium: *Ex Amphitheto bibiſti*: in eum, qui meraciùs & largiùs potaret. Eraſmus in *Proverb.* Cicero in Verrem nominat *pocula Heraclea* ſive *Heraclia* magna & capacia, quæ Herculis tanti Herois, qui in potoribus maximis numerabatur, ſitim extinguere & ſatiare poſſet: quorum poculorum etiam apud Athenæum fit mentio. *Nec Elephantus ebiberit*, proverbium Eraſmus vult

dici

dici de poculo prægrandi, quum elephantus proboſcide magnam aquarum vim qualibet hauriat. *Fundo carens calix:* proverbium, quod etiam de prægrandi poculo intelligi poteſt. Vide Junium in *proverbiis.* Athenæus lib. 4. de Celtis: Απορρόφῶσι ἐκ τȣ͂ αὐτȣ͂ πότηρίȣ κτ̃ μικρὸν, ȣ̓ πλεῖον κυάθȣ, πυκνότερον ϳ̃ τȣ͂το ποιȣ͂σι.

Romanos quoque magnis & capacibus poculis uſos fuiſſe cùm multa alia literarum monumenta, de quibus poſteà forſan pluribus: tum illa Galeni verba ſatis teſtantur lib. 1. *Methodi Therap.* ſtatim ab initio, ubi de Romanorum luxuria ebrietateque verba faciens, dicit illos in cœnis ſolitos fuiſſe προπίνειν ἀλλήλοις ϗ ἀμιλλᾶσθ περὶ μεγέθȣς ἐκπωμάτων, id eſt, *ſibi invicem propinare & magnitudine poculorum certare*, ita ut is optimus cenſeretur, non qui plurimis inſtrumentis muſicis aut etiam ſermone philoſophico uti novit, ſed qui multos eosque maximos calices exiccarit. Cicero in ſua interrogatione Piſoni objicit maximos calices, quibus ille utebatur, & hos Placentinos. Idem exprobrat Antonio: *Quod ſi inter cœnam in immanibus illis tuis poculis accidiſſet*, &c. Pocula magna apud Romanos.

Hodie Chriſtiani, ſed in primis Germani poculorum magnitudine Græcos & Romanos videntur longè ſuperare: monſtroſæ certè magnitudinis poculis uti conſueverunt, de quo vide plura apud Cornarium in libello *de conviviis Græcorum & Germ.* Horatius *Od.* 9. *Capaciores affer huc puer ſcyphos.* In quem locum ſic Lambinus: *Affer majores calices, ut bibamus liberaliùs.* Sic Satyra ſeptima, lib. 2. *Et calices poſcunt majores*, quod Græci dicunt αἰτεῖν μείζȣς, ſubaudi κύλικας. Athenæus lib. 2. Αἰτȣ͂ντ@ ϳ̃ τȣ͂ γραμματικȣ͂ λεωνίδȣ μεῖζον ποτήριον, &c. M. Tullius autem *Verr.* 3. *fit ſermo inter eos & invitatio, ut Græco more biberetur, hoſpes hortatur, poſcunt majoribus poculis*, ibi Pædianus *poſcunt*, id eſt, *provocant.* Sed mihi videtur hoc quoque loquendi genus a Græcis expreſſum. Sic enim loquuntur, Αἰτεῖν πιεῖν μεγάλῃ κύλικι. Athenæo lib. 15. ἐπὶ τȣ́τοις ὁ Ουλπιανὸς ᾔτει πιεῖν μεγάλῃ κύλικι, &c. Ita Plautus in *Rudente* non ineptè: *Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit.* Juvenalis Satyra 6. *Quum bibitur concha*, id eſt, grandi poculo, ὑπερβολικῶς. De poculis magnis, quibus mulieres utebantur, vide Pherecratis carmina.

Hic porrò de bibendi menſuris poculorumque numero, quem veteres ferè in ſuis propinationibus obſervarunt, dicendi erit locus. Ac variis quidem menſuris veteres potaſſe conſtat. Hinc apud Romanos vocabula ſunt inventa, *Triens*, *Quadrans*, *Quincunx*, *Septunx*, & reliqua, quæ non magis pocula quàm menſuras ſignificant, à quibus tamen calices potorii fuerunt nominati: id quod ex illo Martialis lib. 8. conſtat: *Dat numerum cyathis*, &c. In illo ſeptuncem pro hauſtu 7. cyathorum, trientem pro hauſtu 4. Quincuncem pro 5. Beſſem pro 8. cyathis poſuit. Præ cæteris autem tres potiſſimùm videntur obſervandi: Sextans, Deunx & Triens: quarum duæ rariùs, tertia frequentiùs, & a pluribus in quotidiano uſu videtur uſurpata. Sextante temperatos ac valetudinarios: Deunce intemperatos & bibaces potaſſe valde eſt veriſimile. Nam Suetonius auctor eſt, Auguſtum Cæſarem ſextante bibiſſe, eumque ſexies tantùm in conviviis publicis ori admoviſſe, ejus verba hæc ſunt: *Vini quoque natura parciſſimus erat: Non amplius ter bibere eum ſolitum ſuper cœnam in caſtris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit. Poſtea quoties largiſſimè ſe invitaret, ſenos ſextantes non exceſſit: aut ſi exceſſiſſet, rejiciebat. Et maximè delectatus eſt Rhetico, neque temere interdiu bibit.* Romani, ut Budæus vult, ſextantem ſive ſextarium, quaſi legitimam & quotidianam virilis potus menſuram ſtatuentes, ab eo quaſi ab aſſe incipientes, reliqua vocabula quaſi ejus partes fecerunt. Auguſtus itaque, ut idem Suetonii verba interpretatur, ita plerunque ſibi temperabat ſuper cœnam, ut ternos ſextantes, id eſt dimidiatam aliorum menſuram biberet, & cùm licentiùs bibere propoſuerat, ſextarium non excederet, ac ne excedere quidem poſſet citra rejectionem, quippe qui infirma valetudine fuerit. Verum ſimiliter Imperatorem vitæ fuiſſe parciſſimæ, ita ut ſextarium vini tota die nunquam potaverit, ſæpe intra heminam, teſtatur F. Vopiſcus. Sic Martialis de ſemetipſo & Cinna: De menſuris, & numero poculorum. Menſurarum nomina. Sextans.

Sextantem poto, tu potas Cinna deuncem.
Et quereris, quòd non Cinna bibamus idem.

Idem de Luſco bibone ad Aulum:

Potator nobilis, Aule, lumine uno
Luſcus, Phryx erat alteroque lippus.
Huic dicit medicus, Bibas caveto.
Vinum ſi biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx oculo, Valebis, inquit,
Miſceri ſibi protinus deunces,
Sed crebros jubet. Exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Ex his videtur poſſe colligi, Deuncem ſive undecim unciarum calicem ebrioſorum potius & intemperantium hominum: Sextantem verò temperatorum menſuram extitiſſe. Cæterùm in communi ferè omnium uſu extitiſſe calicem quinque paulò plus minuſve unciarum, *Trientem* appellatum, Mercurialis (qui hac de re diſſerit lib. 1. *antiq. lect.* cap. 22.) putat inde poſſe colligi, quòd Poëtæ, qui omnibus aliis auctoribus melius veterum, in edendo præſertim & bibendo, mores expreſſerunt, cùm de hujuſcemodi potus menſuris vaſiſque loquuntur, ferè ſemper trientes nominant. Propertius lib. 3. Deunx. Triens.

Cùm fuerit multis exacta trientibus horis.

Perſius Satyra tertia:

Sed tremor inter vina ſubit calidumque trientem.

Martialis, qui cæteris copioſiùs de his rebus luſit, lib. I.

Crebros ergo bibas licet trientes.

Et lib. 4. *Sed nec poſt primum legat hæc, ſummumve trientem.*
Sed ſua cùm medius prælia Bacchus amat.

Et lib. 9. *Septem poſt calices Opimiani*
Denſa jam jaceam triente blæſus.

Et lib. 10. *Candida Setini rumpant cryſtalla trientes,*
Dormiat in pluma nec meliore Venus.

Et, *Cùm potes amethyſtinos trientes.*

Item lib. 11. *Miſce dimidios puer trientes.*

Et, *Et numerat noſtros adſtricta fronte trientes,*
Tanquam de cella ſit cadus ille ſua.

Et lib. 14. *Setinos moneo noſtra nive frange trientes,*
Quando ego vos medico non prohibente bibam?

Hinc colligere quivis poteſt, calices quotidianos, & à cunctis ferè pro potu uſitatos, trientes fuiſſe, quæ erat quarta ſextarii pars. Unde etiam fit veriſimile (ut Budæus quoque vult) Sextarium eam forſan fuiſſe potus menſuram, quam in cœna quotidie ſumebant, quamque inter quatuor partes, ſive in trientes quatuor dividebant. Obſervandum magnos potores ſæpe ab ipſis poculis ſive menſuris, quas ebibere conſueverant, cognomina fuiſſe ſortitos, ut *Cotyla*, *Methretes*, *Amphora*, *Tricongius*.

Potatores magni a menſuris cognominati.

Veteres porrò cùm Græcos tum Romanos, qui Græcos imitabantur, in conviviis ſolennioribus atque ſplendidioribus ad certum poculorum, & quidem æqualem numerum atque menſuram, quam convivii magiſter plerunque præſcribebat, potare, ſeque invicem ad bibendum invitare fuiſſe ſolitos, paſſim ex veterum monumentis conſtat. Aſconius in 3. *Verrina Ciceronis* in illa verba: *Fit invitatio ut Græco more biberetur: Primò reprehendit eos, qui grandibus (inquiunt) poculis & meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis, & hoc putant Græco more potare.* Addit deinceps: *Eſt autem Græcus mos (ut Græci dicunt)* συμπιεῖν κυαθιζομένους, *cùm merum cyathis libant, ſalutantes primò Deos, deinde amicos ſuos nominatim: toties merum bibunt, quoties & Deos & charos ſuos nominatim vocant.* Κύαθον Athenæus ἀντλητῆρα, Suidas ἀντλητήριον μέτρον ὑγροῦ vocat, ἀγγεῖον β. ἢ κοχλιάριον, dictum ἀπὸ τοῦ χύω, quaſi χύαθος. Vox licet Græca, tamen Latinis quoque uſitata. Fuit vaſculum parvum, quo partim ad bibendum utebantur, partim eo modum potionis metiebantur, & certis cyathis vini certos cyathos aquæ miſcebant: quod qui faciebant, *ad cyathum ſtare*, & *cyathiſſare* (qua voce Plautus utitur) Græcè κυαθίζειν dicebantur. Nam cyatho hauriebant vinum & aquam è vaſis, & in pocula fundebant, quod κυαθίζειν Græci appellant, noto Marcelli joco, cujus naves machinis Archimedis levatæ in puppim aut proram, deinde illiſæ mari, aquam cùm plurimam haurirent, aut gravibus libramentis depreſſæ acciperent aquam, ludens dixit: *Archimedem ſuis manibus pro cyathis uti.* Turnebus in ſuis *Adverſariis*. Hinc cyathi etiam dicti ἀρύσαιναι, nec non ἀρυστῆρες & ἀρύστιχοι dicti ἀπὸ τοῦ ἀρύσασθαι, id eſt, *hauriendo*, teſte Athenæo libro decimo, capite quarto. Hinc κυαθίζειν, ut vult Eraſmus in ſuis *Adagiis*, etiam dicebantur ii, qui poculis indulgebant, ut κωθωνίζειν: vel potiùs videtur hoc in eos convenire, qui parcè bibunt, nec ſextarios hauriunt, ſed cyathis ſubinde repetitis, tamen inebriantur. Solent enim quidam ita proponere: *Quiſque bibet heminam non amplius:* & ſæpenumerò fit, ut paulatim incaleſcente libidine plus bibant. Idem in illa verba Militis apud Plautum in *Pœnulo*: *Proh, nebulæ, cujus ego cyatho ſeptem noctes non emam. Loquitur*, inquit, *miles ille non abſque ſpecie proverbii de muliere faſtidioſa, ſed non perinde formoſa, & cyathum dixit pro minimo pretio, cui res erat cum cyathis. Cyathus minimum erat poculum, crater amplius.* Lambinus illum locum ex veteribus ſuis libris ſic legit: *Quoties ego vel nebulæ cyatho ſeptem noctes non emam*, hoc eſt, eodem interprete, quam ego ita contemno, ut ejus noctes ſeptem cyatho nebulæ, id eſt, cyatho rei futilis & frivolæ nolim emere: quam lectionem etiam Turnebus libro *Adverſar.* 20. capite primo probat: *Fortaſſis*, inquit Turnebus, *ſumma potio decem cyathorum erat, quibus ſe invitarant, & Græcam cantionem cecinerant: Quinque bibe, tres bibe & ſemiquatuor: quæ ſumma decem cyathorum eſt.* Et ſic putant nonnulli illa Plauti verba intelligenda: *Volo ego nos pro ſummo bibere, nulli relerimus*: poſtea hoc ſenſu: *Volo nos pro ſummo bibere, ut modum quem dicemus, ne ſuperemus, iſque ſit cyathorum ſummus modus in potando: vel potiùs, hoc ſummum ſit & ultimum quod bibimus, nullique poſtea relinamus e cado, ſed finem potandi faciamus.* Sed Turnebus mavult ibi legi: *Nolo*, hoc ſenſu: *Nolo nos bibere immanibus hauſtibus, nulli poſtea relinamus, cadum aperiamusque ſummis hauſtibus bibituros: ſubitò enim cadus verti poſſet, ut ait, quod eſt exhaurire, ſi tam magnis poculis nos ingurgitaremus:* ut apud Horatium:

Convivæ coacti ad certum poculorum numerum & menſuram bibere. Græco more bibere. Cyathus quid.

Invertunt Aliſanis vinaria tota,

Id eſt, exhauriunt. Nam cadus, qui inanitur, invertitur, Vmbſtürtzen.

Erat mos apud veteres, ut propinantes aut bibituri, Deum quempiam aut hominem ominis cauſa præfarentur, eumque gignendi cauſa proferebant. Sic apud Lucianum in *Lapithis* Alcidamus Cynicus ſponſæ Herculis nomine propinat. Eraſmus. Hinc Horat. Od. 19. lib. 3.

Propinaturi Deum aut hominem aliquem præfabantur.

Da Lunæ properè novæ

Da

Da noctis mediæ, da, puer, auguris
Murenæ (ſubaudi cyathum aut poculum) *tribus aut novem*
Miſcentur Cyathis pocula commodis
Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet ſupra
Rixarum metuens, tangere Gratia.

Id eſt, Poëta Muſarum amore flagrans novies bibet, ſi volet inſanire, ſed Gratiæ vetant eum, qui à rixis & convitiis abhorreat, plus quàm tres vini cyathos haurire. Quod autem prohibet Græca cantio, ne 4. biberent, ad veterum ſuperſtitionem pertinet, qua creditum eſt impares numeros ad omnia efficaciores eſſe. Unde illud: *Numero Deus impare gaudet.* Et Democritus, teſte Plinio lib. 29. cap. 6. numerum quaternarium condito volumine improbavit, rationemque reddit, quare quaterni cyathi ſextariive non eſſent putandi. Septenos cyathos Toxilus apud Plautum in *Perſa* vult propinari, cujus hæc ſunt verba: ---- *Age puer, A ſummo ſeptenis cyathis committe hos ludos, move manus, propera,* &c. Hæc de Cyatho dicere volui, propterea quòd Græcis atque Romanis hæc uſitatiſſima fuerit menſura, ad quam bibere fuerunt ſoliti, quaque potus ſuos dimetiebantur. Solebant ergo veteres cùm in Deorum, tum in amicorum & amicarum honorem atque gratiam certum cyathorum numerum in ſuis illis invitationibus ſive propinationibus exhaurire. At primò quidem obſervandum veteres Græcos in cœnis tres crateres (eſt autem crater, quem Latini *crateram* vocant, vas in quo veteres vinum aqua temperabant) in Deorum gratiam ſtatuere ſolitos fuiſſe: primam Mercurio, alteram Gratiis, tertiam Jovi Servatori, quam Διὸς σωτῆρος vocabant: ſed & earum una poſt epulas remotis menſis ſtatuebatur ad libationem & invitationem. Præterea ad numerum Muſarum novem cyathos propinare ſolebant, vel in Gratiarum honorem tres duntaxat. Unde in proverbium conſuetudo abiit: *Aut ter bibendum aut novies*: quod Auſonius his verbis expreſſit:

Tres crateres.

Mos vel 9. in Muſarum vel 3. in Gratiarum honorem ebibere.

Ter bibe, vel toties ternos, ſic myſtica lex eſt.
Vel tria potandi, vel ter tria multiplicanti.

Idem in epiſtola nuncupatoria ad Symmachum, præpoſita grypho, ejuſdem conſuetudinis meminit his verbis: *Super menſuram meam facta eſt invitatio, non illa de ludibrii convivio, ut Græco more biberetur, ſed illa de Flacci ecloga, in qua propter mediam noctem & novam Lunam & Murenæ auguratum ternos ter cyathos attonitus petit vates. Hunc locum de ternario numero illico noſtra illa poëtica ſcabies cœpit exculpere.* Et paulò poſt: *Captos inter prandendum verſiculos ante cœnæ tempus abſolvi, hoc eſt, dum bibo & paulò antequam biberem.*

Ut autem in Deorum, ſic in amicorum quoque & amicarum cùm præſentium, tum abſentium gratiam bibere, & quidem ad certum cyathorum numerum ſolitos fuiſſe ex antiquis ſcriptis colligi poteſt, ad illorum memoriam inter bibendum recolendum ac renovandum. Hujus moris exemplum eſt apud Theocritum *Eid.* 14.

Mos in amicorum & amicarum gratiam certa vini pocula propinandi.

Ἴδη δὲ προϊόντος ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον
Ω τινος ἤθελ' ἕκαστος· ἔδει μόνον ᾧ τινος εἰπεῖν.

Et Eid. 11. - - - Ἀτὰρ πόσον αἰὲν ἔρωτος
Ἀκράτω ἐπιχεῖν. - - -

Id eſt, ſemper amoris vinum fundebat ſeu bibebat. *Amoris vinum eſt* (inquit interpres) *quod quis bibit amicam ſuam aut amicum memoria repetens.* Quod ipſum ex illo quoque ejuſdem Theocriti verſu colligere licet:

- - - - - θάλυς
Καὶ πίομαι μαλακῶς μεμνημένος Ἀγιάνακτος.

Horatius, *Vultis ſeveri me quoque ſumere*
Partem Falerni? dicat Opunciæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta?

Item Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Sed benè Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat
Nomen, & abſentis ſingula verba ſonent.

Horatius iterum Od. 19. lib. 3.

Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ, &c.

Heic *vinum Murenæ* dicit, ut ille Siculus οἶνος ἔρωτος. Turnebus in illa verba in ſuis *Adverſ.* ſic ſcribit: *Tres cyathos vini petit ſibi dari. Puerum enim ad cyathum habebant, qui quot petebant cyathos vini, admetiebatur, in poculumque fundebat. Sic & Græci, quos Flaccus videtur imitatus eſſe, cyathos ſibi nomine eorum miſceri petebant, quos charos habebant. Alexis apud Athenæum:* Καὶ τὴν μεγάλην δὸς ὑποχέας φιλίας κυάθων τῶν παρόντων τέτταρας τὰς τρεῖς διὰ ἔρωτος, προσαποδώσεις ὕστερον καὶ Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως νίκης καλῶς, καὶ τοῦ νεανίσκου κύαθον Δημητρίου, φέρε τὸν τρίτον φίλης ἀφροδίτης.

Mos bibendi tot cyathos quot sunt in amici aut amicæ nomine literæ.

Quin & illud erat moris, ut in honorem amici aut amicæ tot cyathos haustibus singulis biberent, quot literæ in eo nomine essent. Hunc morem festivum hoc Martialis epigramma testatur lib. I.

Nævia sex cyathis (*Lesbia sex cyathos*, alii legunt) *septem Justina bibatur,*
Quinque Lycæa, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno:
Et quia nulla venit, tu mihi somne veni.

Idem lib. II. *Nunc mihi, dic quis erit, cui te, Calatisse, deorum*
Sex jubeo cyathos fundere? Caesar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit
Qui posuit sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quinta mihi da suavia, fiat ut illud
Victor ab Odrysio quod Deus orbe tulit.

In hoc carmine cyathorum, rosarum, basiorum numerus respondet his tribus nominibus, *Caesar Domitianus Dalmaticus.* Huc quoque illud Plauti in *Sticho:*

Sag. *Vide quot cyathos hos bibimus?* St. *Tot, quot digiti sunt tibi in manu.*

Cantio Græca est, ἢ πέντε πίν᾽, ἢ τρία πίν᾽, ἢ μὴ τέτταρα.

Tibi propino decuma fonte, tibi tute inde, si sapis.
S. *Benè vos, benè nos, benè te, benè me, benè nostram Stephanium.*
Bibe si bibis. St. *Non mora erit apud me.*

Mos tot cyathos bibendi quot in manu digiti.

Turnebus in suis *Adversariis* in eadem Plauti verba sic scribit: *Legem bibendi proponit servus, ut olim solebat in conviviis, ut tot cyathos bibant, quot digitos habent in manu, id est, quinque. Tot enim in manu sunt digiti. Itaque subjicit Græcam cantionem: Aut quinque bibe, aut ter bibe, aut ne quatuor.* In Athenæo legitur, ἢ πίνε τρία, id est, *tria bibe*, quod integrius puto: cantionemque interpretatur de vini temperatione, quinque vini cyathorum ad duos aquæ, aut trium ad unum, quo sensu non videtur accepisse Plautus: sed ad quinque tantùm cyathos vini retulisse, quibus non duos aquæ cyathos, sed semicyathum misceri jubet. Nam quinque cyathorum decima est semicyathus. Sequitur autem protinus: *Tibi propino decima fonte*, quod valet aquæ decima parte.

Observandum autem est in hoc Plauti loco Stichum (quem alter servus convivii strategum, hoc est, magistrum fecerat) velle pro illo suo imperio bibi decem cyathos, quot literis constet nomen amicæ suæ tunc absentis Stephanii. Et solebant amicarum suarum & eorum, quos amabant & venerabantur & colebant, nomina commemorare, antequam biberent. Deinde observanda hîc trita illa & usitata Græcorum in propinationibus cantio: *Aut quinque bibe, aut tres, aut non quatuor.* Quidam tamen pro ἢ μὴ τέτταρα legunt, ϗ ἡμιτέτταρα, id est, *Et semiquatuor.* Semiquatuor autem, id est duo. Plautus igitur hanc cantionem ad numerum cyathorum vini refert, quemadmodum etiam nonnulli eandem cantionem volunt pertinere ad illum locum Horatii, Od. 19. lib. 3. *Tres prohibet suprà, &c.* Verùm Athenæus lib. 10. & Eustathius Od. I. nec non Plutarchus hanc cantionem aliter intellexerunt, nimirum de vini & aquæ temperatione, non de cyathorum vini numero, quos quis ebibit, de quo suprà.

Precandi formulæ inter propinandum adhibitæ.

Notanda postremò in hoc loco precandi formula in propinationibus usitata, *Bene vos, bene nos, bene me, bene nostram etiam Stephanium.* Item ζήσῃς, id est, *vivas*: de qua formula respondendi inter potandum, aut propinandum vide Just. Lipsium in *ant. lectionibus.* Simili salutatione utitur Toxilus in *Persa* Lemniscelenæ propinans. *Pægnium tardè cyathos mihi das, cedo sanè: bene mihi, bene vobis, benè amicæ meæ. Fuit & hic mos* (inquit Lambinus) *antiquorum illorum Græcorum & Romanorum, benè precari sibi & suis: ad quem hæc verba pertinent. Est enim Græca loquendi consuetudine dictum a Plauto:* Benè vos, benè nos, *& subintelligitur* εὔχομαι, *id est, precor seu opto, quod Latinè diceremus, precor ut vobis benè sit, benè nobis, benè mihi, benè nostræ Stephanio. Vel bene vos vivere precor, &c.* Inter libandum etiam benè eodem modo precari solebant. Ovidius libro secundo *Fastorum:*

Et benè vos, benè tu patriæ pater optime Cæsar
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Sed & propter suos, aut amicorum successus bibere consueverunt, ut Horatius, *Da puer auguris Murenæ:* quod est Græco more dictum, *causa* subaudita. Id est enim propter auguratum Murenæ: vel interprete Ausonio, qui ita scribit, in qua propter mediam noctem & novam Lunam, & Murenæ auguratum ternos ter cyathos attonitus petit vates. Huc referendum, quòd Romanos olim legimus in Liberalibus tot cyathos exhausisse, quot alicui annos precabantur: id quod Ovidius pulchrè ostendit his verbis, lib. 3. *Fastor.*

Sole tamen vinoque calent, annosque precantur
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.

Mos bibendi pro absentium sanitate.

Hanc porrò antiquam Græcorum & Romanorum consuetudinem propinandi in honorem seu pro salute eorum, quos amabant atque venerabantur, cùm præsentium, tum absentium, D. Ambrosius suis quoque temporibus

potibus usitatam fuisse docet libro *de Helia & Jejunio* cap. 17. *Quid autem obtestationes*, inquit, *potantium loquar? Quid memorem Sacramenta? quæ violare nefas arbitrantur. Bibamus inquitant, pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. (piæ devotionis obsequium) Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire judicant. Sicut illi qui calices ad sepulchra martyrum deferunt, atque illic ad vesperam bibunt: & aliter se exaudiri non posse credunt. O stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, &c.*

Videtur etiam olim apud Christianos moris fuisse, ut in compotationibus suis bibituri, Christum invocarent, seque crucis signaculo signarent: id quod illa Gregorii Nazianzeni verba videntur innuere, quæ extant in Oratione prima in Julianum apostatam, ubi de militibus Christianis disserens, qui miris artibus à Juliano decepti, & ad idololatriam inducti fuerant: λέγονταί τοι τῶν ἁλόντων τινὲς ἐξ ἀγνοίας, ἐπειδὴ τοῦτο παθεῖν, καὶ ἀναχωρήσαντες οἴκαδε, τοῖς συσσίτοις κοινωνεῖν τραπέζης, εἶτα τοῦ πότου παρελθόντος εἰς τὴν συνήθη ψυχροποσίαν, ὡς οὐδενὸς ὄντος αὐτοῖς δεινοῦ, τῇ ψυχροφόρῳ κύλικι Χριστὸν ἐπιπεῖν μετὰ τῆς σφραγῖδος ἀναβλέψαντας. τῶν συσσίτων δέ τινος θαυμάσαντος, καὶ τί τοῦτο εἰπόντος, Χριστὸν ἐπικαλεῖσθε μετὰ τὴν ἄρνησιν, hoc est, *Feruntur quidam eorum, qui imprudentes, & per ignorantiam erant capti* (id est, ad idololatricum quid designandum Juliani fallaciis erant impulsi) *postquam in hanc calamitatem incidissent, ac domum reversi cum sodalibus ad mensæ participationem consedissent* (en exemplum syssitionum militarium) *& inde bibendi consuetudo ad frigidam processisset compotationem, tanquam nihil molesti fuissent perpessi, ad frigidi calicis haustum Christum invocasse, ac crucis signatione in altum aspexisse. Hic cum quidam contubernalis admiratione captus, dixisset: Quid hoc rei est? Christum post abnegationem invocatis? &c.* Mos Christum invocandi inter bibendum.

Hunc verò pro absentium sanitate bibendi morem Moscovitis sive Russis quoque usitatissimum esse, Sigismundus Baro *de Rebus Moscoviticis*, ceu oculatus testis, luculenter docet, quem quidem hoc modo describit: *Sciunt pulchrè homines invitare ad bibendum, & quum nullam aliam habent propinandi occasionem, incipiunt tandem bibere pro sanitate Cæsaris, fratris ejus Principis, aliorum denique incolumitate, quos videlicet in aliquo dignitatis & honoris gradu constitutos esse existimant. Illorum nomine quenquam recusare poculum non debere, nec etiam posse existimant, &c.* Sed quid dico de antiquis Græcis, Romanis, Scythis illis sive Moscovitis? hodie Christiani multis in locis ad illorum imitationem tandem pro sua & aliorum salute bibere consueverunt, donec tandem omnem & animi & corporis sanitatem amittant, atque adeò æterna quoque illa salute nobis Christi morte atque sanguine parta spolientur. Et hæc satis sint dicta de antiqua illa (quæ hodie quoque in usu) in Deorum hominumque gratiam & honorem tot vel tot pocula propinandi consuetudine. NOTA.

Ut autem precibus olim atque precationibus: sic etiam diris contrà imprecationibus sese invicem ad bibendum plus æquo invitarunt, seu coëgerunt potiùs. Deorum indignationem atque iram minitabantur iis qui bibere recusabant: id quod ex illis Tibulli carminibus de Libero patre colligi potest, ubi sic canit: Imprecationes inter propinandum adhiberi solitæ.

Jam venit iratus nimium, nimiumque severus:
Qui timet irati Numinis ampla bibat.
Quales his pœnas Deus hic, quantasque minetur
Cadmææ matris præda cruenta docet.

Idem hodie à Christianis fieri solet, qui similiter minis, dejerationibus atque execrationibus horrendis se invicem ad potandum cogunt.

Hanc autem certam vini sive poculorum mensuram, ad quam convivæ singuli adstringebantur, ipse convivii dominus, uti suprà jam aliquoties attigimus, pro conviviali illo suo imperio seu dictatura præscribebat, illamque à singulis convivis importunè solebat exigere. Hinc Ambrosius cap. 13. *de Helia & Jejunio*: *Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub judice, sub lege decernitur agonothetis. Illic furor est stipendium debilitatis, victoriæ præmium, culpa, &c.* Huc facit illud Agesilai Regis Spartanorum apophthegma, quod Plutarchus refert, statim ab initio *apophtheg. Lacon.* Is enim forte quadam in convivio magisterium nactus, pincernæ interroganti quantum cuique convivarum vini juberet apponi: *Si multum*, inquit, *vini in promptu est, cuivis quantum poscat, fundito: si parum, æqualiter inter omnes distribue.* Hac ille dexteritate mirè prospexit, ne vini copia deesset, quibus placeret largior potatio: vel ad bibendum cogerentur, quibus placeret sobrietas. Mos convivis certam vini & poculorum mensuram præscribendi.

Ad hanc porrò & antiquam & valdè tritam ac pervulgatam suam cuique convivarum certam cibi potusque, & quidem plerunque æqualem portionem atque mensuram in conviviis distribuendi consuetudinem (quæ distributio per patremfamiliâs conviviique Regem facta est) crebrò alludunt sacræ literæ illa calicis sive poculi Domini Metaphora, qua cùm bonorum, tum verò atque in primis malorum atque pœnarum divinarum distributio atque collatio in homines intelligitur: quæ quidem certa fit justaque mensura, numero atque pondere, non secus atque vel paterfamiliâs dimensum cuique servo assignabat, ac inter liberos portiones distribuebat, vel bibendi arbiter, conviviique præses suam cuique vini portionem, quam hauriret, statuebat, atque dimetiebatur. Exempla metaphoricarum hujusmodi locutionum habes Psalm. 75. Ezech. 23. Isa. 21. & 50. Hier. 25. Math. 26. Hieronymus in Commentariis Oseæ 2. exponens illud Psalm. 75. *Calix in manu Domini, &c. Duos*, inquit, *calices legimus, & inclinavit ex hoc in illum: de justitiæ calice in calicem misericordiæ: & rursum de calice misericordiæ in calicem justitiæ. Si iniquitates*, inquit, *observaveris Domine, quis sustinebit?* Deus quoque suum cuique calicem præscribit. Duo sunt Dei calices.

Etsi igitur plerunque ad certam mensuram olim in suis illis propinationibus bibere consueverunt, à convivii magistris præscriptam: nonnunquam tamen nullam esse servatam in bibendo mensurationem legimus, ita ut

liberè cuivis tot, quot vellet, pocula ebibendi poteſtas permitteretur: quemadmodum invitat Martialis Cajum Proculum lib.11.

Quincunces (quinque cyathos) *& ſex cyathos, beſſemque* (octo cyathos) *bibamus.*
Caius ut fiat Julius, & Proculus.

Hujus illuſtre exemplum habemus in magnificentiſſimo illo Aſſueri epulo, quod Eſtheræ cap. 1. deſcribitur. Ibi potatio dicitur fuiſſe ſecundùm legem, ita ut nemo cogeretur plus bibere quàm vellet, ſed bibendi modus erat in cujusque voluntate poſitus. Sic enim Rex ſuis aulæ miniſtris præceperat, ut ſingulorum voluntati obſequerentur, neminem ad bibendum cogerent.

Mos a minoribus poculis progrediendi ad majora.

Obſervandum eſt præterea antiquiſſimam hanc fuiſſe Græcorum & Romanorum conſuetudinem, ut ab initio cœnæ minoribus, deinde majoribus poculis uterentur. Hanc conſuetudinem nonnulli ſignificari volunt illis Ciceronis verbis in 6. *Verrin. Fit ſermo inter eos & invitatio, ut Græco more biberetur. Hoſpes hortatur, poſcunt majoribus poculis.* Anacharſis Scytha hunc Græcorum morem ceu abſurdum, & à ratione alienum reprehendebat; quòd cùm initiò minoribus poculis biberent, poſtea jam ſaturi & uvidi ſe majoribus provocarent, ut teſtis eſt Laërtius. Immeritò ergo ab Aſconio videntur reprehendi, qui illud Ciceronis, *Græco more bibere*, interpretantur grandibus & meracis potionibus. Ejuſdem moris, quo quaſi methodo ſynthetica à minoribus poculis progrediebantur ad majora, Philo *de ebrietate* expreſſam mentionem facit his verbis: πιόντες γὰρ ἔτι διψῶσι, καὶ ἄρχονται μὲν τῶν βραχυτέρων κυάθων. προϊόντες δὲ τοῖς μείζοσιν οἰνοχοαῖς ἐγχεῖν παραγγέλλουσι. ἐπειδὰν ἀκρατοθώρακες γενόμενοι χλιανθῶσιν, οὐκέτι κρατεῖν ἑαυτῶν δυνάμενοι, τὰς δὲ οἰνηρύσεις, καὶ τὰς ἀμυστεῖς καὶ τοὺς κρατῆρας ὅλους προσενεγκάμενοι, ἀκράτους πίνουσιν ἀθρόως, μέχρις ἂν ἢ βαθεῖ ὕπνῳ δαμασθῶσιν, οὐκέτι κρατεῖν ἑαυτῶν δυνάμενοι, ἢ τῶν ὄγκων ἀποπληρωθέντων, ὑπερβλύσῃ τὸ ἐπιχεόμενον, *Bibendo enim*, inquit, *ſitiunt* (docet ebrietatem eſſe ἀκόρεσον, id eſt, *inexplebilem*) *incipientes à minoribus cyathis: procedente verò potatione jubent pincernas in majores infundere calices, poſtquam incaluerunt tam parum ſui compotes, infundibula, crateras, amyſtidas integras exhaurientes, & merum ingurgitantes, donec profundus ſomnus occupet, nec ſeipſos, nec quæ ingeſſerunt continere valentes, regurgitante potu nimio, &c.* De eodem more ſic eleganter Ambroſius diſſerit libro *de Helia & jejunio* capite decimo tertio: *Primò minoribus poculis velut voluntariis pugna præluditur. Verùm hæc non ſobrietatis eſt ſpecies, ſed bibendi eſt diſciplina. Etenim ut Tragœdiarum actores primò ſenſim vocem excitant, donec viva vocis aperiatur iter, ut poſtea magnis poſſint perſonare clamoribus: ita iſti quoque in principio proluſoriis ſeſe exercent poculis, ut irritent ſitim: ne fortè reſtinguant eam, & ſatiati poſtea bibere non poſſint. Ergò ubi recalere cœperint, poſcunt majoribus poculis: fervor inardeſcit, arctius cibi ſiti exæſtuat: & ubi imminui vaſa cœperint, potu meratiore reparantur. Certant pocula cum ferculis, & inter moras ſæpe geminantur, Deinde procedente potu longius, contentiones diverſæ, & magna certamina quis bibendo præcellat? Nota gravis ſi quis ſe excuſet, ſi quis temperandum fortè vinum putet. Et hæc donec ad menſas perveniatur ſecundas. At ubi conſummatæ fuerint epulæ, putes jam eſſe ſurgendum. Tunc de integro inſtaurant potum ſuum, & cùm conſummaverint, tunc inchoare ſe dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quaſi inſtrumenta bellorum, &c.* Alexander ſimiliter Trallianus lib. 1. *Probl.* inſtitutum eſſe refert, ut contrariis poculis uterentur, in principio ſcilicet minutis, in fine verò amplioribus: cujus inſtituti hæc ratio affertur: *Ut enim epularum gratia, in quibus frequentiùs bibere decebat, veteres crebriùs potarent, à parvis calicibus inchoabant, & in capaciores deſinebant: quippe cùm parva implere ſatis, ubi potare liberaliſſimè liberet, nequirent. Quòd ſi ab amplioribus incœpiſſent, ocyùs repleri neceſſe erat, & ſubinde minus potare. Siquidem natura à largo protinus hauſtu accepto veluti expleta, copiam omnem ſubſequentem contemnit: ex adverſo, ſi parvis poculis aſſueta paulatim ampliora exhibeantur, facilè copiam quamcunque ſuſtinet.* Cicero tamen in libro *de Senectute*, ſe poculis, ſicut in ſympoſio Xenophontis, minutis & rorantibus delectatum fuiſſe ſcribit.

Apud Indos quoque hoc in more fuiſſe poſitum, Philoſtratus lib. 2. teſtatur, ut ubi jam propemodum ſaturati fuerant, aurei argenteique crateres afferrentur, quorum ſinguli potoribus decem ſufficere videbantur, atque ab his tanquam ex flumine potantes incurvati bibebant. Hodie inter Chriſtianos hic quoque mos eſt valdè uſitatus, ut primò minoribus poculis ceu præluſoriis certent, deinde ubi jam vino incaluerint, amplioribus ſibi invicem propinent.

Mos pocula ſingula ſingulis convivis apponendi.

Notandum porrò aliquando convivis ſingulis ſingula fuiſſe appoſita pocula, ut Homerus tradit in Heroum illorum veterum epulis fuiſſe uſitatum. *Apponitur*, inquit Athenæus lib. 1. cap. 1. *ſingulis Homeri convivis caniſter, menſa & poculum, ut bibant quando volunt.* Et hic ferè mos eſt apud Germanos: ſingulis enim convivis ſingula apponuntur pocula in ipſa menſa. Aliquando autem uno & eodem poculo omnes bibunt. Adhæc pocula aliquando in ipſa menſa epulari apponuntur plena: aliquando (qui magis videtur veterum mos fuiſſe) in abaco, unde convivarum aliquis bibere volens, à miniſtro poculum aliquod ſibi miſceri, impleri ac porrigi jubet, qui hodiè mos eſt Gallorum, Italorum & aliarum nationum. At Germani pocula ante ſe poſita plena ſemper habent, ita ut ſi quis vel parum ex poculo biberit, illicò illud rurſus à pincerna impleatur, quaſi nefas ſit pocula vel vacua, vel ſemiplena in menſa ſtare. Hîc quoque notandum, veteres ſolitos fuiſſe paria pocula in menſa Delphica ponere, quam quidem multis poculis onerabant. Hinc Flaccus:

----- *Et lapis albus*
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet.

Idem declarat Agretius ſic ſcribens: Cicero, *jubeo promi utroſque binos ut habeam: quia in Delphica comparia vaſa ſemper ſunt: unde & ipſe Cicero dicebat, Scyphorum comparia plura.* Turnebus *Adverſ.* lib. 4. cap. 10.

Præ-

Præterea pocula vel ad summum usque implentur, quod nos appellamus gestrichen voll / vel paulò minus. Hinc Stichus apud Plautum in *Sticho*: *ubi illic biberit, vel servato meum modum, vel tu dato. Nolo ego nos pro summo bibere, nulli relerimus postea. Namque edepol, quamvis de subito vel cadus verti potest.* In quem locum sic Lambinus: *Nolo ego nos bibere quàm maximo modo, & quàm plenissimis poculis: nolo ego nos bibere quàm maximis haustibus potest, quare nulli postea cadum relinamus, id est, neminem, qui pro summo bibere velit, vinum ex cado depromere sinamus*, (*relerimus* pro *releverimus* positum) *Namque edepol ita esse & immaniter bibendo, quamvis subitò etiam cadus inversus exhauriri potest.* Ita fere Turnebus explicat *advers.* libro quarto capite vigesimo primo. Vide Lambinum in Od. vigesima nona lib. 3. Horatii,

Tyrrhena Regum progenies tibi,
Non ante verso lene merum cado, &c.

Et Satyr. 8. lib. 2. *Invertunt Alliphanis vinaria tota.*

De hac pocula ad summam usque oram implendi consuetudine, vide etiam suprà quædam cap. 21 lib. 2.

Pocula porro ad summas usque oras implere nonnullis idem videtur, quod *vina coronare* Latinis, Græcis ἐπιστέφειν. Alii verò utrumque verbum interpretantur de more veterum pocula coronis floreis cingendi atque ornandi, de quo infrà pluribus.

Secundùm hanc consuetudinem Romani quoque illi milites, qui Christum crucis supplicio affecerunt, poculum illud aceti atque fellis, quod Christo sitienti propinarunt, hyssopo per ludibrium cinxisse atque coronasse videntur: de quo sic scriptum est Joan. 19. Σκεῦος οὖν ἔκειτο ὄξους μεστόν, id est, *vas autem illic positum erat aceto plenum* (Græci, teste Athenæo lib. 2. ὀξύβαφον vocant ἀγγεῖον τὸ δεχόμενον ὄξος, id est, *vas aceti receptaculum*) οἱ δὲ (milites) πλήσαντες σπόγγον ὄξους, id est, *cùm spongiam implevissent aceto.* Mar. 15. *Unus militum accurrens* καὶ γεμίσας σπόγγον ὄξους, *impleta est spongia aceto.* Et paulò ante ver. 23. cùm ad locum calvariæ perventum esset, dicuntur illi dedisse οἶνον ἐσμυρνισμένον, *vinum muratum* sive *myrrhatum.* Theophylactus, quoniam Matth. vocat acetum felle mixtum, ita hæc conciliat, quòd Marcus generaliter acerbum vel potiùs amarum potum *muratum vinum* vocarit, cum myrrha sit admodum amara: ἴσως ὁ οἶνος ὀξώδης ἦν, ἡ δὲ σμύρνα πικρὰ ὡς χολή, id est, *fortasse erat vinum jam acessens, myrrha autem amara est instar fellis.* Vel forsan quoniam omnia ibi confusè & perturbatè agebantur, ut idem vult, alius quidem ei acetum simplex, ut Lucas scribit: alius acetum felle mixtum, secundùm Matthæum, alius acetum hyssopo coronatum, secundùm Joannem: alius vinum myrrhatum, secundùm Marcum. Quid si bis potio fuerit Christo data: prima, quando in locum supplicii venit, antequam cruci fuit affixus, quam *vinum myrrhatum* Marcus vocat: altera illi jam in cruce pendenti, quam idem *acetum* vocat. Luc. 33. Καὶ ὄξος προσφέροντες αὐτῷ, id est, *offerentes ei acetum.* Matth. 27. *Dederunt ei bibere* ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, id est, *acetum mixtum felle.* Syriaca versio habet מרירתא *Merartah*, quæ vox & *fel* & *absynthium* significat propter utriusque amaritudinem insignem. Nam teste R. David Kimhi in libro *Rad.* morte plectendis potio ex succo absynthii præberi fuit solita, mortis accelerandæ causa. Unde Theophylactus Marci decimoquinto, acetum illi dederunt, ἵνα συντομώτερον αὐτὸν ἡ δριμύτης τοῦ ὄξους θανατώσῃ. Addit Joan. Καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι, id est, *circumpositam sive cinctam & coronatam* (scilicet illam spongiam) *hyssopo* (Syr. אזובא) *admoverunt ori ejus.*

De poculo Christo in cruce propinato.

Impii ergo illi milites, quemadmodum sacrosanctum illius caput corona spinea cinxerunt: sic nunc per summam contumeliam atque ludibrium spongiam illam ceu calicem aceto felleque mixtum Christo propinantes, eum hyssopo cingunt atque coronant: idque ex communi illo pocula coronandi more atque consuetudine. Sic Rodolpho Gualthero viro doctissimo & acutissimo videtur hic locus intelligendus. Nonnus Poëta acetum illud oblatum Jesu mistum hyssopo fecit: vocat enim ὑσσώπῳ κεκερασμένον, id est, *hyssopo temperatum*: quemadmodum igitur olim, uti suprà dictum est, coronæ floreæ vel ipsi flores soluti, atque etiam omnis generis herbæ, buglossus in primis poculis injici fuerunt solitæ: sic Nonnus Poëta voluit milites poculum illud Christo oblatum hyssopo herba miscuisse. Theophylactus similiter aceto, quod reis mortis offerri fuit solitum, additam ait esse hyssopum, ὡς δηλητηριῶδες ceu venenatum quid, sive mortiferum. *Nonnulli*, addit idem, *volunt hyssopum appellari calamum, propterea quòd* τοῦ καλάμου κόμη, *calami coma talis est.* Spongiam itaque calamo apposuerunt, propterea quòd os Christi erat sublime. Hinc Mar. 15. Syriaca versio habet: *Et spongiam alligatam* בקניא *Bekania, arundini, &c.* Camerarius, si conjecturis relinquitur locus, suspicatur in archetypo fuisse ὑσσῷ περιθέντες, ut sit, *suprà pilum spongiam ibi circumdatam Jesu fuisse oblatam.* Nam pilum Romanæ militiæ peculiare telum Græci appellarunt ὑσσόν, (unde verisimile est *hasta* vocabulum fuisse derivatum) de quo fortasse Matthæus *arundinis* nomine usus est telorum generali. Sed pace tanti viri dixerim periculosæ sunt hujusmodi conjecturæ. Omnino hoc poculo, quod milites illi libidine quadam petulantiaque impulsi, nihil tale quicquam cogitantes Christo propinarunt, mortis passionisque Christi cùm acerbitas & amaritudo, tum vis salutaris egregiè sanè fuit adumbrata. Nam primò acetum, fel, myrrha, ingentes animi corporisque dolores, quos Christus exantlavit, mortemque duram & acerbam significant, secundum vaticinium Psalmi 65. Unde & ipse Christus hunc calicem, siquidem ita ferat Dei voluntas, à se removeri petiit, ne illum haurire cogeretur. Hyssopus autem qua calix ille fuit coronatus, mortis, passionis, sanguinisque Dominici in cruce profusi vim & efficaciam salutiferam egregiè denotat. Hyssopi namque veteri illa Lege Mosaica atque ceremoniali frequentissimus usus fuit. Primùm in aspersione superliminaris & utriusque postis, &c. Exod. 12. Secundò in mundatione leprosi, Levit. 14. Nam leprosi aspergebantur sanguine passeris fasciculi hyssopi, & vivo passere in sanguinem immolati intincto. Tertiò, in sacrificio pro peccato & aspersione lustra-

Poculi illius mystici explicatio.

Hyssopi vis.

lustralis aquæ, quæ conficiebatur ex cinere combustæ vaccæ & pro peccato oblatæ. Numer. 19. Fuit ergo hyssopus ille cæremonialis typus & figura sanguinis Christi, qui omnes fideles verè purgat mundatque ab omni peccato, illosque peccatorum suorum conscientia judiciique divini metu perculsos & consternatos reficit & recreat. Hyssopus namque, ut volunt Medici, & purgandi vim internam habet, maximè pulmonem, & animi deliquium passos recreandi erigendique vim habet. Unde David Psalm. 51. versu 9. *Expiabis me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & præ nive dealbabor*, id est, ablues & mundabis me à reatu filii tui sanguine, quo verè expiantur & tolluntur peccata. Unde Augustinus lib. 2. *de Doct. Christ.* cap. 16. *Hyssopus herba quidem humilis, sed magna est ejus vis. Sic mors Christi humilis quidem illa videtur & abjecta, sed magna est ejus virtus.* Suidas *Hyssopus*, inquit, *est* βοτάνη ῥυπτική, & citans illud Davidis: *Asperges me hyssopo, &c. Hyssopus*, inquit, *nullam peccatorum remissionem efficiebat*: τύπος δ' ἐκεῖνα τῶν σωτηρίων παθημάτων, αἷμα γὰρ ἐνταῦθα καὶ ξύλον σωτηρία. Hæc de mystica calicis illius Christi propinatione coronationeque dicere volui. His adde illa Cypriani verba de bono Patientiæ: *Christus felle cibatus fuit, qui cibum cœlestem dedit: aceto potatus, qui salutare poculum propinavit.*

CAPUT XIV.

DE PROPINANDI METHODO ATQVE MODO MVLTIPLICI. DE ANTIQVIS GRAECORVM ET ROMANORVM PROPINATIONIBVS IN ORBEM FIERI, ET A DEXTRIS INCHOARI SOLITIS, QVAE HODIE CHRISTIANIS QVOQVE SVNT FAMILIARES. DE VARIIS LOQVENDI FORMVLIS, SALVTATIONIBVS, CANTIVNCVLIS, GRATVLATIONIBVS, ACCLAMATIONIBVS, GESTICVLATIONIBVS, LVDIS, PRAEMIIS POENIS, QVIBVS POTATORES INTER PROPINANDVM VTVNTVR. DE AMYSTHISMIS VT OLIM, ITA HODIE QVOQVE VSITATISSIMIS. DE VARIIS VINI EFFVSIONIBVS INTER POTANDVM FIERI SOLITIS, CVM SVPERSTITIONIS, TVM AMORIS ERGO, CVIVSMODI FVIT COTTABVS ANTIQVVS SICVLORVM LVDVS.

De propinatione in orbem.

Quarta circumstantia propinationum est methodus, qua potatores utuntur. Huc referri potest illa antiqua, quæ hodie quoque in usu est, à minoribus poculis ad majora & capaciora progrediendi consuetudo, de qua suprà satis est dictum. Deinde aliquando in orbem fit propinatio, aliquando in transversum, freüßweyß / ut Germani vocant. Propinatio illa in orbem & antiquissima est, & ut olim, ita hodie usitatissima. Græci id vocant ἐν κύκλῳ πίνειν, id est, *in orbem bibere*: & ut cibi, ita poculi circumlatio in orbem περιφορὰ & συμπεριφορὰ, *poculum circumferre* περιφέρειν à Græcis appellatur: de quo more sic Athenæus lib. 11. cap. 28. *Plutarchus*, inquit, *phialam sibi dari jussit, qua postquam Musis earumque matri Mnemosynæ, libavit*, προὔπινε πᾶσι φιλοτησίαν ἐπιδεξιῶν φιάλαν, id est, *omnes invitavit amicitiæ poculo, uti appellabat*, οὐ μόνον νεανίᾳ γαμβρῷ προπίνων, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς φιλτάτοις, ἔδωκε τῷ παιδὶ περιφέρειν ἐν κύκλῳ κελεύσας. τὸ κύκλῳ πίνειν τοῦτο εἶναι λέγων, id est, *neque juvenem generum solùm invitans, verumetiam omnes ejus amicos, pueroque dedit ut in orbem circumferret, quod in orbem bibere esse dicebat.* Adducit deinde illud Menandri: Οὐδὲ μίαν ἡ γραῦς ὅλως κύλικα παρῆκεν, ἀλλὰ πίνει τὴν ἐγκύκλῳ, id est, *neque enim vel unum calicem vetula prætermisit, sed bibit in circulum.* Idem: Καὶ ταχὺ πάλιν τὸ πρῶτον περισοβεῖ ποτήριον αὐτοῖς ἀκράτου, id est, *Rursus statim primum meri poculum in circulum fecit circumferri.* Huc facit etiam illud Euripidis in Κρήσσαις· τὰ δ' ἄλλα χαῖρε κύλικος ἑρπούσης κύκλῳ, id est, *In cæteris gaudens cum poculum serpit in orbem.* Ejusdem ἐγκυκλοποσίας mentio fit apud Athenæum lib. 8. ubi citatur illud Sophronis: περίφερε κύκλῳ μεστὸν τὸν σκύφον, id est, *Circumfer scyphum plenum.*

Propinationes in orbem à dextris inchoari solitis.

Porrò à dextris propinationes has in orbem incœpisse auctor est Athenæus lib. 11. ubi sic scribit: Τρόποι εἰσὶ πόσεων κατὰ πόλεις ἴδιοι, id est, *Bibendi consuetudines atque modi civitatibus peculiares sunt*, ut scribit Critias in libro *de Lacedæmoniorum politia*: Ὁ μὲν Χῖος, καὶ Θάσιος ἐκ μεγάλων κυλίκων ἐπιδέξια, ὁ δὲ Ἀττικὸς ἐκ μικρῶν ἐπιδέξια. ὁ δὲ Θετταλικὸς ἐκπώματα προπίνει ὅτῳ ἂν βούλωνται μεγάλα, Λακεδαιμόνιοι δὲ τὴν παρ' αὐτῷ ἕκαστος πίνει, ὁ δὲ παῖς οἰνοχοεῖ, ὅσον ἂν ἀποπίῃ, id est, *Chii & Thasii in symposiis suis magnis calicibus ad dexteram bibunt: Athenienses similiter ad dexteram, verùm minutis poculis potare consueverunt. Thessali autem nullo penitus ordine cuicunque convivarum libuisset, grandes appositos calices propinant. Apud Lacedæmonios verò convivis singulis singuli solent apponi calices, quibus astantes pueri quantum fuerit vini ebibitum, tantundem illicò refundunt.* Eundem morem ἐπιδέξια πίνειν, Anaxandridis quoque testimonio confirmat:

Τίνα δὴ παρεσκεύασμένοι πίνειν τρόπον
Ἐστέ; νῦν λέγετε, τίνα τρόπον πίνειν
Ἡμεῖς; τοιοῦτον οἷον ἂν καὶ σοὶ δοκῇ
Βούλεσθε δή που τὸν ἐπιδέξια, πάτερ

λέγειν,

Λέγειν, ἐπὶ τῷ πίνοντι τ' ἐπιδέξια
Λέγειν, ἄπολλον, ὥσπερεὶ τεθνηκότι.

Ut in veneratione Deorum dextrorsum circumagi solebant, ut Athenæus lib. 4. de Celtis testatur: ita in hac quasi sacra symposi moris fuit pateram in dextrum circumferre. Homerus Ιλ. α.

Μειδήσασα δὲ παιδὸς ἐδέξατο χειρὶ κύπελλον
Αὐτὰρ ὁ τοῖς ἄλλοισι, θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν
Ὠνοχόει γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων.

Et in Epigram. Παῖς διαπεμπέσθη προπόσεις τ' ἐπὶ δέξιον ὦμον.

In Platonis convivio sub finem, Agathon, Aristophanes & Socrates biberunt ἐκ φιάλης μεγάλης ἐπιδέξια, id est, *ex magna phiala ad dextram biberunt.* Ejusdem consuetudinis idem Athenæus luculentam mentionem facit, lib. 10. cap. 10. προπόσεις δὲ τὰς γινομένας ἐν τοῖς συμποσίοις Λακεδαιμονίοις οὐκ ἦν ἔθος πιεῖν, οὐδὲ φιλοτησίας διὰ τούτων πρὸς ἀλλήλους ποιεῖσθαι, hoc est, *Propinationes, quæ in symposiis fieri consueverunt amicitiæ ergò apud Lacedæmonios non fuerunt in usu:* de quo sic eleganter Critias in Elegiis: Propinationes Lacedæmoniis prohibitæ. Propinandi mos eleganter descriptus.

Καὶ τόδ' ἔθος Σπάρτῃ μελέτημά τε κείμενόν ἐστι,
Πίνειν τὴν αὐτὴν οἰνοφόρον κύλικα.
Μὴ δ' ἀποδωρεῖσθαι προπόσεις ὀνομαστὶ λέγοντα,
Μὴ δ' ἐπὶ δεξιτερὰν χεῖρα κυκλοῦν θιάσου.
Καὶ προπόσεις ὀρέγειν ἐπιδέξια, καὶ προκαλεῖσθαι
Ἐξονομακλήδην ᾧ προπιεῖν ἐθέλει.

His verbis Critias eleganter sanè propinationum hujusmodi circularium modum describit.

Hoc studium Spartæ, mos hic servatur in illa,
Ipse suum siccet vinifer ut calicem.
Vel potum donare vocato nomine cuiquam
Inque manum dextram vasa tulisse vetant.
Porrigere a dextris potum, vel dicere nomen
Convivæ cui quis præcupiat bibere.

Subjungit deinceps auctor cùm incommoda immoderatarum hujusmodi propinationum, tum commoda moderatæ potationis, quæ quia sunt elegantia, libuit ea addere: Propinationis immoderatæ incommoda.

Εἰτ' ἀπὸ πιόντων πόσεων γλώσσας τε λύουσι
Εἰς αἰσχροὺς μύθους, σῶματ' ἀμαυρότερον
Τεύχουσιν. πρὸς δ' ὄμμα ἀχλὺς ἀμβλωπὸς ἐφίζει,
Λῆστις τ' ἐκτήκει μνημοσύνην πραπίδων.
Νοῦς δὲ παρέσφαλται, δμῶες δ' ἀκόλαστον ἔχουσι
Ἦθος, ἐπεισπίπτει δ' οἰκοτριβὴς δαπάνη.

Hoc potu linguam solvunt in turpia verba:
Hoc etiam potu corpora debilitant.
Invaditque oculos cæca caligine nubes
Curas lethæo pocula more fugant.
Mens fit hebes, servosque capit lascivia multa,
Ac impensa gravis multa domum aggreditur.

Sequuntur deinceps Laconicæ moderatæque potionis commoda: Potationis moderatæ commoda.

Οἱ Λακεδαιμονίων δὲ κόροι πίνουσι τοσοῦτον,
Ὥστε φρέν' εἰς ἱλαρὰν ἀσπίδα πάντ' ἀπάγειν,
Εἴς τε φιλοφροσύνην γλῶτταν, μέτριόν τε γέλωτα.
Τοιαύτη δὲ πόσις σώματί τ' ὠφέλιμος.
Γνώμῃ τε, κλήσει τε καλῶς εἰς ἔργ' ἀφροδίτης
Πρός θ' ὕπνον ἥρμοσται τῶν καμάτων λιμένα.
Πρὸς τὴν τερπνοτάτην τε θεῶν θνητοῖς ὑγίειαν
Καὶ τὴν εὐσεβίης γείτονα σωφροσύνην.

At Lacedæmonii tantùm potare solent, ut
Non vellant mentem pocula, at exhilarent.
In blandam solvunt linguam, risumque modestum:
Pocula conducunt talia corporibus.
Ac menti & Veneri capiendis fructibus aptè
Ad somnumque parant, meta laboris ubi est.
Efficiunt sanos, quæ jucundissima Divûm
Dona, modestos haud religione procul.

Deinde ſubjungit:

Αἱ γὰρ ὑπὲρ τὸ μέτρον κυλίκων προπόσεις παραχρῆμα
Τέρψασαι λυποῦσ' εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον.
Ἡ Λακεδαιμονίων δὲ δίαιθ' ὁμαλῶς διάκειται,
Ἐσθεῖν, καὶ πίνειν σύμμετρα πρὸς τὸ φρονεῖν,
Καὶ τὸ πονεῖν εἶναι δυνατούς.

Pocula plus æquo nam quæ fæcunda bibuntur
Mox faciunt lætos, tempus in omne nocent.
At Lacedæmonios victus menſura gubernat:
Namque palàm comedunt & moderata bibunt.
Obſcurum non eſt poſſe hos perferre labores.

Apud Scythas nemini licebat circumlatum poculum accipere in ſacris epulis, niſi qui in re militari priùs aliquod virtutis ſignum oſtendiſſet, ut Hieronymus Falotus teſtatur in ſua oratione funebri, in honorem Sigiſmundi Jagellonii habita.

Ἡ κυκλοποσία etiam Romanis familiaris.

Circularis porrò hæc propinatio Romanis quoque perquàm familiaris fuit, quam quidem *circumpotationem* appellarunt, cùm nimirum pocula de manu in manum tradebantur, & in circuitum redibant. Ejus Cicero meminit libro *de Legibus*: *Hæc præterea ſunt in legibus de unctura, quæ ſervilis unctura tollitur, omninoque circumpotatio.* Quod autem Græci vocant περιφέρειν, id Plautus vocat *dare circum*. Sic enim apud illum loquitur Philochares in *Moſtellaria*:

- - - Age tu,
Interim da ab Delphio (initio facto a Delphio) *citò cantharum circum.*

In quæ verba ſic commentatur Lambinus: *Solebat Dominus in conviviis remiſſioribus & hilarioribus jubere poculum ab uno ex convivis initio facto in orbem per alios circumferri, ex quo συμπεριφοραὶ à Græcis dictæ ſunt tales poculi circumlationes, & περιζοβεῖν dicunt iidem Græci, & Pollux, τὰς κύλικας ἐν κύκλῳ περιελαύνειν, in orbem bibere, ut docet Athenæus lib.* 11. *& refert Budæus in Comment. linguæ Græcæ.* Notat & Turnebus Adverſ. lib. 19. cap. 15. Plauto quoque *a ſummo dare* vel *bibere* idem eſt, quod Græcis ἐν κύκλῳ πίνειν, ab eo conviva ſcilicet, qui ſummus accumbit ad imum. Plautus *Perſa*:

Age puer
A ſummo ſeptenis cyathis committe hos ludos.

Quæ verba Lambinus ſic exponit: *Age puer, a ſummo loco præbe pocula ſingulis convivis ſeptenos cyathos. Erat autem apud veteres lex hæc in conviviis rata & ſolennis, ut a ſummo ad imum pocula circumferrentur, idque certo cyathorum numero præfinito, ut inter omnes convivas æqualitas quædam ſervari videretur.* Idem Plautus in *Aſinaria*:

Da puer ab ſummo, age tu interibi ab infimo da ſuavium.

Pertinet huc illud Ciceronis in *Catone*: *Et is ſermo, qui more majorum a ſummo (magiſtro* vox quæ in vulgatis additur, Lipſio videtur exturbanda) *adhibetur in poculis.* Ad hujuſmodi in orbem propinandi conſuetudinem Jeremias quoque cap. 25. videtur alludere, in deſcriptione vindictæ divinæ, omnibus gentibus inferenda, quæ calicis vini omnibus circumquaque gentibus propinati imagine eleganter exprimitur.

Patera in propinationibus uſitata.

Notandum porrò certum poculi genus, pateram nimirùm huic potioni a ſummo fuiſſe ſacram. Varro: *Præterea in poculis erant pateræ, eò quòd pateant latiùs, ſic dictæ. Hiſce etiam nunc in publico convivio antiquitatis retinendæ cauſa, cùm magiſtri fiunt, potio circumfertur, & in ſacrificando hoc poculo magiſtratus dat Deo vinum.* Hoc ergo in loco *circumferri potionem* Varroni idem videtur eſſe, quod in orbem præberi a ſummo: id quod Plauti quoque illud docet *Perſa*:

Age circumfer mulſum bibere, da uſque plenis cantharis.

Chriſtianorum circumpotationes.

Hujuſmodi porrò circumpotationes hodie inter Chriſtianos valde ſunt uſitatæ, quas Galli vocant *boire a tour de rolle*, Germani ein rund trunck / quæ quidem ad convivas omnes æquabiliter inebriandum plurimum valent. Toties in orbem bibitur, donec tandem illis omnia in orbem verti atque rotari videantur. Nec verò in orbem tantùm, ſed etiam in transverſum alii aliis propinant, qui Theſſalorum mos fuit, ut ſupra ex Athenæo dictum eſt.

Minimè etiam videtur hîc ſilentio prætermittendus mirabilis Armeniorum propinandi mos, cujus Xenophon libro 4. *Cyri ἀναβ.* his verbis mentionem facit: ὁπότε δέ τις φιλοφρονούμενός τῳ εἰ βούλοιτο προπιεῖν, εἷλκεν ἐπὶ τὸν κρατῆρα, ἔνθα κύψαντα ἔδει ῥοφοῦντα πιεῖν ὥσπερ βοῦν, hoc eſt, *quando quis amicitiæ ergò alteri volebat propinare, illum oportebat ad cratera accedentem ſeſeque incurvantem ſorbendo bovis ritu inde bibere.* Idem de Celtis Athenæus lib. 4. & de Indis Philoſtratus, de quo ſuprà.

Variæ loquendi formæ in propinationibus adhiberi ſolitæ.

Quinta circumſtantia. In propinationibus conſideranda ſunt verba atque dicendi formæ variæ atque multiplices, quibus potatores ſe invicem ad immodeſtè immoderateque bibendum provocant. Hæc autem vel ſunt ſacra vel prophana, vel blanda, vel minacia. Aliquando enim verbis utuntur blandiſſimis, dum ſibi invicem amoris, honoris, boni ominis ergò propinant. Pro dignitate atque ſanitate ſive ſalute cùm præſentium, tum abſentium, mortuorum pariter atque vivorum ſe bibere jactitant. Multis utuntur obſecrationibus atque obteſtationibus non modò prophanis, verumetiam ſacris atque religioſis, ut ſupra ex Ambroſio dictum

dictum est. Ne Deo quidem atque Sanctis parcunt, quò liberiùs ebrietati possint indulgere, quin imò illorum quoque nominibus ad Cyclopicas illas suas propinationes impiè abutuntur. Supra dictum est, cujusmodi propinandi formulis atque salutationibus veteres usi sint, similibus hodie Christiani utuntur, imò novæ quotidie excogitantur, atque adeò ne à sacrorum quidem & verbi divini abusu sibi temperant, ut in hac schola ingeniosi satis esse videantur. Apud nonnullos moris est, ut quoties poculum aliquod exhauritur, toties verba illa usurpentur: *Cor mundum in me crea Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Propino*, inquit is, qui primò alium invitat qualique stipulator, *hoc tibi*, sive tuæ gratiæ poculum, amoris, amicitiæ, notitiæ, hujus alteriusve personæ sive rei causa, pro tua, hujus illiusve salute. Sive, *saluto te hoc poculo*. Respondet alter, qui invitanti tantundem se vini ebibiturum spondet, hujusmodi similiter salutis precationibus utens: *Prosit tibi*, sive, *Deus tibi benedicat: gratißima mihi hac tua est propinatio, gratißimum hoc officium.* Hic quasi contractus longè sanctiùs & religiosiùs servatur, quàm quivis alii sanctissimi contractus atque obligationes, quem violare nephas ducitur. Qui stat contractu atque promissis, hoc est, tantum vini absorbet, quantum fuit ab invitante absorptum, is ceu re bene gesta ac veluti boni viri functus officio laudatur, is Gallis rationem facere, Germanis officium fecisse, seu modestiæ operam dedisse dicitur, cùm certo certius constet immanes hujusmodi propinationes omni rationi, modestiæ, probique viri officio planè contrarias esse & inimicas. Tandiu igitur rationem faciunt, donec tandem omni ratione spolientur.

Contractus mutuusque obligatio sibi invicem propinantium.

Scolia etiam in conviviis canebantur, in quibus poculum circumlatum ᾠδὸς appellabatur: quod non liceret absque cantu propinare vel excipere: ejus meminit Tryphon Grammaticus, ἐν ὀνομαστικοῖς. Huc quoque referendæ cantiunculæ atque carmina symphoniæ, quibus potatores se invicem ad alacriter multum vini exhauriendum incitant, non secus atque equi aliave animalia vocis sono atque fistulis ad bibendum incitantur. Interim enim dum quis poculum ori admotum plenis vocibus ingurgitat, cæteri compotores cantiunculis quibusdam illi animum addunt. Suidas testis est, ζήσειας, id est, *vivas*, solitum fuisse in conviviis dici iis, qui ἀμυστὶ, id est, uno haustu multum ebiberant. Ut hodie quoque in festivo illo trium Regum convivio, rege bibente, cæteri acclamare solent: *Rex bibit*, sive *rex vivat*. Itaque cùm, Dione teste, Commodus Imperator in theatro feras conficiens, pulcherrimæ fœminæ è manu poculum vini accepisset, cùmque biberet, populus cum Senatu acclamavit, τὸ ἐν συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι· ζήσειας, id est, *Bene vivas*, aut *diu vivas*.

Cantiunculæ inter propinandum usitatæ.

Salutandi formula.

Apud Ægyptios moris fuit, ut sceletum, hoc est, aridum jam inveteratumque sale cadaver convivio inferrent, illud incinentes: *Ede, bibe, talis post mortem futurus.* Ad quod forsan referendum illud Plutarchi in *Antonio*, qui administros hortabatur, largè propinare ac epulis distendi, quoniam foret incertum, an in posterum id essent facturi. Cælius lib. 28. Cap. 4. Præterea ut olim, ita hodie quoque eos, qui strenuè uno impetu multum vini exhauserunt, salute, laude, gratulatione, applausu, faustaque acclamatione prosequuntur. Exemplum antiquæ consuetudinis illustre habes apud Apulejum lib. 10. *Grandißimum illum calicem uno haustu perhausi*, id est, ebibi. *Et clamor exurgit consona voce cunctorum salute me prosequentium.* Ex his verbis liquidò constat, olim quoque moris fuisse, salutem & incolumitatem precari, qui uno potu plurimum hausissent: qui mos etiam hodie inter Christianos est usitatissimus.

Sceletum Ægyptiorum.

Gratulationes & acclamationes inter propinationes.

Jam verò si blanditiæ nihil proficiunt, convertuntur ad minas atroces, ad diras imprecationes execrationesque, ad maledicta, ad convitia, quibus ceu facibus quibusdam se invicem cogunt & impellunt ad plus æquo justoque bibendum. Illi gravi sese affectos injuria putant, si quis respondere detrectet, & a verbis minacibus ad verbera, ad calces, pugnos, vim apertam convertuntur. Mordicus enim antiquum illud Græcorum πολυθρύλλητον tenent: *Aut bibe, aut abi.* Hæc de verbis.

Minæ.

Sexta circumstantia, sunt gestus varii seu potiùs gesticulationes atque ludi planè histrionici, quos potatores in propinationibus illis suis adhibent: suntque veluti invitamenta seu incitamenta potiùs ad immoderatè bibendum. Huc primò referuntur Threiciæ illæ potationes, uti vocantur, quando nimirum uno haustu, ictu seu impetu sine respiratione poculum exhauritur. Plinius inter alias leges, quibus apud Romanos constabat ars bibendi, hanc quoque commemorat: optima fide non respirasse hauriendo. Id Græci venustè uno verbo exprimunt ἀμυστίζειν sive ἀμυστὶ πίνειν, quod est *haustim, & labris non clausis bibere.* Μύζειν enim, hodie muysē/ est *mussare, sugere, os & labra claudere.* Hujusmodi ergo intemperata & barbara compotatio dicta est ἄμυστις, qua raptim, uno haustu & sine respiratione plurimum vini exhauritur. Hoc nomine Anacreon utitur:

Gesticulationes inter propinandum variæ.

Ἄγε δὴ φέρ' ἡμῖν ὦ παῖ, κελέβην, ὅπως ἄμυστιν προπίω.

Et Euripides seu Aristius in *Cyclope*: Ἐδέξατο ἐσπασεν ἄμυστιν ἑλκύσας. Et Aristophanes, ἄμυστιν ἐξέλαψα (vßglappet) hoc est, Suida interprete, ὁμοῦ καὶ ἀθρόως ἔπιον, ἢ παρὰ τὸ ἀπνευστὶ ἐκπιεῖν, παρὰ τὸ μὴ μύειν. Hujus potationis meminit & Horatius *Carm.* lib. 1. *Bassum Threicia vincat amystide:* quo in loco *amystidem* quidam ipsam potationem interpretantur, quod Lambino quoque magis placet, alii poculi genus. Isidoro *Emystis* (pro *amystis*) poculi genus, quo ductim, id est, uno spiritu bibitur. Deinde, teste Suida, ἄμυστις etiam est genus ποτηρίου φιαλώδους. Idem ἀμυστὶ πίνειν, inquit, dicitur, ἐπὶ τῶν ἀπνευστὶ καὶ ἄνευ τοῦ ἀναπαύεσθαι πινόντων. οἱονεὶ μὴ τῶν μυζάντων, hoc est, *de iis dicitur, qui sine respiratione & sine intermißione non crebrò geminatis haustibus, sed uno haustu poculum ad fundum usque evacuant.* Idem auctor idem vult esse ἐξαμυστίσαι, ἀμυστίζειν & ἀμυστὶ πίνειν, & ἄμυστις ἡ ἀπνευστὶ πόσις. Πίνειν ἀθρόως, χανδὸν, ἀπνευστὶ καὶ ἀμυστὶ ferè idem significant. Addit ibidem Commodum Imperatorem: id quod etiam Dion narrat, in solitudinibus, & in æstuationibus Theatricorum certaminum, quando ex superiore loco ursos jaculis impetebat, ingens poculum dulcis

vini

vini solitum fuisse haurire ἀμυστὶ, in quo à spectantibus, ut in conviviis frequens acclamatum ferunt, ζήσ$ας, id est, *vivas*. Sed amphibolicè pronunciatum, Grammatici tradunt, perinde ac dicatur, *comple vivendi modum*, id est, morere, testis etiam est Cælius lib. 7. Cap. 26. Suidas: ζήσας, id est, τελειώσας τ̄ ζωλώ. Olim apud veteres ii, qui griphum sive ænigma propositum inter pocula solvere non poterant, poculum salsum ἀπνεύστὶ ἕλκειν, sine respiratione ducere cogebantur, ut Athenæus Antiphanis testimonio probat, lib. 10. cap. 17. Aliquando hæc duo ἀμυστὶ ἢ ἀπνεύστὶ πίνειν conjunguntur ceu unum & idem significantia: quod Germani sic efferunt: one schnauffen und bart wüschen. Pollux lib. 2. ἀμυστὶ πίνειν, ἀμυστίζειν, χανδὸν πίνειν, ἢ ἀπνευστὶ προπίνειν zù eim suffe. Galli vocant, *d'un traict*, *&c.* Plutarchus 5. *Symp. Probl.* 3. scribit à veteribus fuisse traditum τοὺς ἄθρουν ἢ ἀπνεύστὶ πίνοντας, eos qui uno haustu, & citra respirationem magna siccant pocula (quod ἀμυστίζειν vocant) non facilè inebriari, quòd merum in his non diu moretur, sed impetu impulsum per corpus transeat: ac proinde mulieres quoque, quod illas plerunque sic bibere videmus, non facile ebrietate capi. Thracia hujusmodi potatio hodie Christianis est familiarissima, quam etiam variis nominibus insigniunt.

Præmia & pœna propinantibus proposita.

Præterea variæ illæ & quidem ridiculæ adhibentur manuum gesticulationes atque ludi, vel pro ipsius convivii magistri imperio, vel pro convivarum arbitrio. Turnebus *Advers.* lib. 7. cap. 9. in illa Horatii: *Culpa potare magistra: Excogitatum*, inquit, *erat ludi genus post cœnam, quo non magistri imperio ad bibendum cogebantur, ne nimium ebrietati indulgeretur, sed ut ea coerceretur, nemo nisi qui qua in re peccarat, calicem ducebat, ut bibere pœnæ ac dedecoris esset, non invitationis aut magisterii.* Plautus in *Sticho*: *Qui peccat, poculo multatur. Uter inquit, demutassit, poculo multabitur.* Simile exemplum ex Athenæo paulò ante allatum de eo, qui griphum propositum solvere non poterat. Huc facit illud Plutarchi lib. 1. *Sympos. Probl.* 4. Agamestori Academico, cui crurum alterum tabe consumptum & exile erat, insultantes compotatores jusserunt unumquenque uno dextro stantem in pede poculum ebibere, aut mulctam persolvere. Cùm autem jus mandandi ad ipsum pervenisset, omnes jussit ita, ut ipsum viderent, bibere: allataque inani testa, in eam inserto debili pede poculum exhausit, reliqui omnes cum periculo facto præstare id se non posse viderent, mulctam solverunt. De incompositis mulierum gestibus in bibendo, vide Clementem Alex. lib. 2. Pæd. 2. cap. Plin. lib. 14. cap. 22. *Atque etiam*, inquit, *præmio invitatur ebrietas. Et si Diis placet, emitur alius, ut quantum biberit, tantum edat, & prælium vinolentiæ lege emit. Alius quantum alea quæsierit, tantum bibit.* Huc igitur similiter referri possunt pœnæ sive multæ, nec non præmia, quæ ut olim, ita hodie quoque in funesto hujusmodi propinationum certamine vel strenuè bibentibus, vel id facere detrectantibus sunt proposita. Sic mos olim fuit in festo Choon, ut stantes super utrem biberent, & qui primus poculum exhauserat, is utrem præmii loco accipiebat, dabatur autem certaminis hujusce potatorii signum buccinæ sono à præconibus. Aristophanis Scholiastes in *Acharn.* in illa verba,

Ακούετε λεῴ, κτ̀ τὰ πάτρια τοὺς χοὰς
Πίνειν ὑπὸ τ̄ σάλπιγγ☉· ὅσδ' ἂν ἐκπίῃ
Πρώτισ☉, ἀσκὸν Κτησιφῶντ☉ λήψε).

Id est,

O populi audite juxta patrios ritus sacrificia, scilicet *oportet*
Ebibere a tuba, qui verò ebiberit,
Primus utrem Ctesiphontis accipiet.

Mensis secundis potissimum propinationibus olim indulgebatur.

Septima circumstantia est tempus, quo potissimùm hujusmodi propinationibus indulgetur. Antiquitùs legimus vel mensis secundis, vel peracta jam cœna id fieri fuisse solitum: id quod hodie quoque fieri solet. Huc facit illud Macrobii lib. 7. *Satur.* Cap. 1. ab initio: *Primis mensis post epulas jam remotis, & discursim variantibus minutioribus poculis.* Item illud Ambrosii: *Et hæc donec ad mensas perveniatur secundas. At ubi summotæ epulæ, putes jam esse surgendum: tunc de integro potum instaurant suum: & cùm consummaverint, tum inchoare se dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum.* Sunt tamen (qui statim ab initio cœnæ se immoderatè vino ingurgitant, secundum illa Plinii lib. 13. cap. 22. *Jam verò alios lectum expectare non posse, imò verò nec tunicam, nudos tibi protinus anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium, ac plenè infundere, ut statim vomant rursusque hauriant, idque iterum tertiove: tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam illa effundi non possint, nisi per humanum corpus.*

Vini effusio duplex veteribus usitata.

Nunc ultimo loco addamus quædam de variis vini effusionibus, quæ veteribus fuerunt usitatæ, quæ vel superstitionis vel amoris libidinisque gratia factæ sunt. Apud veteres duplex potissimùm vini effusio in epulis fuit usitata. Una, quæ superstitionis ergò in Deorum honorem fiebat, σπονδὴ Græcè, Latinè *libatio* dicta, quæ quidem propinationes præcedebat: de qua suprà satis est dictum. Athenæus lib. 10. cap. 9. *Libatio Diis, cottabus amasiis dicatus*: ἦν ἀπ' ἀρχῆς, inquit, τὸ μὲν σπένδειν ἀποδεδομένον τοῖς θεοῖς, ὁ ἢ κότταβ☉ τοῖς ἐρωμένοις. Altera quæ in amicarum gratiam fiebat, Græcè κότταβ☉ dicta, de cujus nominibus, inventoribus atque modo nunc agemus.

Cottabi descriptio.

Hujusmodi igitur παιδιᾶς πάροινον εἶδ☉, id est, potatorii sive convivialis lusus genus à Græcis κότταβ☉ Atticè, pro κόσσαβ☉, κοτταβισμὸς & κοττάβεισις appellatur, quique illo utuntur illi κοτταβίζοντες & ἀποκοτταβίζοντες dicebantur, & παίζοντες περὶ κότταβον, nec non μεθυσοκότταβοι, eò quòd jam vino madentes illud agerent. Inventum illud primum fuit a Siculis, quæ gens fuit olim valde voluptuaria atque luxuriosa, & à Græcis præsertim juvenibus amantibus antiquitùs creberrimè usurpatum. Hinc Critias apud Athenæum: κότταβ☉ ἐκ σικελῆς ἐστι χθονὸς εὐπρεπὲς ἔργον. Et Anacreon: σικελικὸν κότταβον ἀγκύλῃ δαΐζων.

Illius

Illis autem varius fuit apud veteres modus atque ritus. Simpliciſſimus hic erat, quo poſtquam ex poculo aliquantum hauſerant, amicorum ſive amicarum ſuarum prolatis nominibus (unde λάταξ ἀφροδίσιος à Siculis dictus) humorem ſive guttam reſiduam (quæ à Græcis λάταξ, λαταγα & κότταβος fuit dicta) lævo cubito innitentes, dextra manu molliter circumagentes in æneam phialam ſive pelvim (κότταβον ſimiliter, κοτταβεῖον & λατάγιον, λαταγεῖον, λαταγὴν dictam) ſic effundebant projiciebantve, ut id reſonaret, & ſi eliſa major ederetur ſonus, ab amaſiis diligi ſe augurabantur. Hunc ſonitum Euripides in *Cliſthene*, his verbis exprimit:

> Πολὺς δὲ κοσσάβων ἀραγμὸς κυπρίδος προσῳδὸν
> Αχεῖ μέλος ἐν δόμοισι.

Athenæus libro ſecundo docet Cottabum à Siculis primùm introductum eſſe in convivia, tantumque ſtudii in eo ludo veteres poſuiſſe, ut & præmia (quæ κοττάβια Athenæo, ſeu κοτταβεῖα Polluci, ἆθλα κοττάβων Euripidi, νικητήρια) τοῖς καλλικοτταβοῦσι, dextrè eo ludo utentibus fuerint propoſita, illa erant bellaria, πυραμοῦντες, id eſt, *placentæ triticeæ*, ſeſeminæ, quæ χαρίσια fuerunt dicta, ex gaudio eorum, qui accipiebant, item oſcula. Deinde calices, qui ad eam rem maximè utiles & idonei eſſe viderentur, conficiebantur, qui κοτταβίδες κύλικες fuerunt dicti, fictiles, teſte Athenæo, lib. 11. cap. 9. Tum rotunda domicilia & gradus ſuis locis peropportuni ædificabantur, ut omnes cottabo in medio locato, ex æquo intervallo & locis ſimilibus ac paribus de victoria certarent. Non enim ſolùm magno ſtudio contendebant, ut ad ſignum propoſitum ejicerent poculi reliquias, ſed etiam ut ſingula, quæ in eo ludo intercedebant, venuſtè ac decenter efficerent. Oportebat enim τὸν ἀριστερὸν ἀγκῶνα ἐρείσαντα, id eſt, *lævo cubito innitentem*, & ἀγκυλοῦντα τὴν χεῖρα *dextram manum circumagentem* ſive συνεστραμμένῃ καὶ ἐγκυκλωμένῃ χειρὶ, *per gyrum ſive ambitum* εὐρύθμως, ut Athenæus loquitur, id eſt, *decenter*, ſive ut Pollux, ὑγρᾷ τῇ χειρὶ, id eſt, *molliter* λατάγην, hoc eſt, *reliquum quod erat in calice*, ἀφιέναι, ῥίπτειν, πέμπειν, βάλλειν, ἀποκοτταβίζειν (ut Græci loquuntur) hoc eſt, *ejicere, demittere, effundere.*

Ab hac autem molli manuum flexione ſeu incurvatura (ἀγκύλη dicta) ipſi κότταβοι dicti ſunt ἀγκυλητοί, id eſt, *ancyleti*, ab Æſchylo *incurvati*, & ἡ τοῦ κοττάβου πρόεσις, id eſt, *cottabi* ſive *humoris ejaculatio*, ſive *demiſſio* ἀπ' ἀγκύλης fuit appellata, teſte Athenæo. Et ἀπ' ἀγκύλης βάλλειν ſive προΐεναι, Polluci. *Qui poterant bene* κοτταβίζειν, inquit Athenæus, *majores ſibi ſumebant ſpiritus, quàm qui dextrè* ἀκοντίζειν, id eſt, *jaculari poterant.* Ejuſdem ludi talis modus à Polluce deſcribitur: κοτταβεῖον è laqueari pendebat ſupinum quoddam & lævigatum (nam pro καὶ τέλειον videtur legendum καὶ λεῖον) ex ære vaſculum. Deinde longa quædam erat virga, quam virgam *cottabicam* appellabant. Erat prætereà cava quædam & rotunda pelvis, quam χαλκίον, id eſt, æneam (nempe à materia) & σκάφην (nimirum à forma) appellabant, ſimilis polo, qui horas demonſtrat. Hoc vas ſive pelvis etiam κότταβος & κοτταβεῖον, teſte Athenæo fuit dicta. Illo igitur quod è laqueari dependebat, oportebat ludentem ſonitum quendam edere, qui τάλαξ dicebatur. Hoc autem Ariſtophanes κοτταβεῖον κατακτὸν vocat, ſive κότταβον, comparans illud tubæ crepitaculo ſive ori lato. Pelvis porrò illa ænea implebatur aqua, in cujus ſuperficie natabant ſphæra & lanx ſive trutina (apud Athenæum πλάστιγξ vocatur illa pars vaſis, quæ ſonitum reddebat latagis, id eſt, guttis illis ejectis caſa percuſſa) & Μάνης (ænea ſtatua, quam Euripides βάκχειον γέροντα, Sophocles χάλκεον κάρα, Euſtathius παικτικὸν χαλκοῦν πρόσωπον appellabat, Cottabi prominula pars. Cælius lib. 13. cap. 54.) & tres virgæ ex myrto, & tria acetaria ſive acetabula. Itaque ludentem oportebat agili mollique manu (unde ad artificioſam illam manus incurvationem non dura, ſed tenera mollique manu opus erat, Athenæo teſte) dejicere ſive demittere guttam ſive liquorem (κότταβον & λάταγα ſive λατάγην dictam) in vaſa pelvi ſubjectæ innatantia, quorum ſi aliquid attigiſſet, ita ut ſonum ederet humor, qui in ipſum defundebatur, is laudabatur: quique plura innatantium vaſculorum demerſiſſet, præmii loco accipiebat πυραμοῦντα & oſculum ab ea, quam præ cæteris amaret.

Eodem de ludo conviviali ſic ſcribit Suidas: *In phialas æneas, quæ* λαταγεῖα *dicuntur, conjiciebant aliquid potionis, & ſi major inde reddebatur ſonus, augurabantur ſe ab amaſiis ſuis amari: Cottabus autem dicitur poculi reſiduum, quod in latagas, id eſt, pelves illas æneas conjiciebant.* Idem, *Cottabus, latax, ænea phiala, quam inter prandendum collocabant vino plenam. Deinde minora pocula ab alto miſcentes ſonum edebant, qui cottabus fuit dictus. Laudabatur is, qui majorem ſonum edere poterat: quique hoc modo ludebant, dicti ſunt methyſocottabi.* Apud eundem extat adhuc copioſior hujuſce ludi explicatio, quæ quia ſuperiori illi Pollucis deſcriptioni eſt conſimilis, idcircò illam hîc prætermitto. Euſtathius ejuſdem ludi meminit Ιλ. τ. 1232. ubi dicit Euripidem videri eo delectatum, propterea quòd crebra apud eum ejus fit mentio. Idem: ἐλέγετο δὲ ἡ λάταξ καὶ λατάγη, ποτήριον ὅσα ἐν ᾧ οἶνος ἦν, χρυσὸς ἀποχέεσθαι εἰς κότταβον, οἷον λεκάνη πλήρης ὕδατος. ἐπινεῖτε ἐπ' αὐτῆς ὀξύβαφα κενὰ, ἐφ' ἃ βάλλοντες τὰς λατάγας ἐκ καρχησίων, ἐπειρῶντο καταδύνειν. Χρῆσις δὲ κοσσάβου ἐν τῷ, πολὺς κοσσάβων ἀραγμός. De hoc ludi genere vide plura copioſè apud Ariſtophanis interpretem in εἰρήνῃ in illa verba:

> Μόλιβδον δὲ τοῦτι τὸ κοῖλον ἐγχέας
> Ἔπειτ' ἄνωθεν ῥάβδον ἐνθεὶς ὑπόμακρον
> Γενήσεταί σοι τῶν καλακτῶν κοττάβων, &c.

Ibi tradit duplicem Cottabi modum. Athenæus lib. 15. Cælius lib. 28. cap. 5. Notabis autem κότταβον dictum & totum ludum: & vinum ſeu alium liquorum, qui in pelvim demittebatur: & ipſum vas, in quod: & po-

& poculum, ex quo liquor ille effundebatur: & ipsum sonum, qui reddebatur. Xenophon lib. 2. ἑλλην. de Socrate: Καὶ ἐπεί γε ἀποθνήσκειν ἀναγκαζόμενος, τὸ κώνειον ἐπὶ τὸ λειπόμενον ἔφασαν ἀποκοτταβίσαντα εἰπεῖν αὐτὸν Κελτείᾳ τοῦτ' ἔστω τῷ καλῷ, quæ verba vertit Cicero *Thusc.* 1. sed more suo, id est, paulò liberiùs, quàm audeat religiosus interpres, hoc modo: *Qui cum conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum venenum ut sitiem obbibisset* (vel, ut doctissimi viri legunt, *obduxisset*) *reliquum sic è poculo ejecit, ut id resonaret.* Ad hunc morem referunt illa Horatii Od. 14.

Et mero tinget pavimentum superbum.

Lambinus tamen simpliciter de solo resperso hunc locum intelligendum putat, ut sit sensus: Ita vino non parcet, ut etiam eo solum respergat: vel tantum bibet, ut statim effundat atque evomat. Ut Cicero *Philip.* 11. *At verò te inquilino (non enim domino) personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes.* Athenæus scribit libro decimo sexto, Alexandrum Magnum solitum fuisse unguento præstantissimo vinoque fragrantissimo solum respergere.

Potest & ad veterum Græcorum morem referri, qui in conviviis solebant puerorum aut puellarum, quas amabant, aut amicorum suorum nominibus commemoratis aut prolatis vinum in humum fundere, quod declarat versus Theocriti εἰδ. ιδ.

Ἤδη δὲ περιϊόντος ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον.

Interpres Theocriti *Idyl.* 2. & 14. εἰώθασι γὰρ οἱ ἐρῶντες ὑπὲρ τῶν ἀγαπωμένων πλείονας κυάθους ἐπιχεῖσθαι, *Moris fuit, ut in symposiis amatores in gratiam eorum, quos amabant, aliquot cyathos libarent, terræ infundentes.* Idem *Idyl.* 14. οὕτω εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς συμποσίοις, ἄκρατον λαμβάνειν καὶ ὀνομάζειν τινὰς ἐρωμένους ἢ φίλους, ἐπιχεῖν τῇ γῇ, καὶ φθέγγεσθαι τῶν φιλτάτων τὰ ὀνόματα, &c.

Cottabismum porrò Romanis quoque fuisse usitatum vel illa Juvenalis declarant *Satyr.* 3.

Si bene ructarit, si rectum minxit amicus:
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

Turnebus in suis *Advers.* ita hunc Juvenalis locum interpretatur: *Si trullam vini ebibit ita, ut & fundum inverterit, & epoto vino labris surgens crepuerit & strepitum dederit.* In eundem locum sic Beroaldus: *Hic illum significari putamus, qui postquam calicem (nam trullas pocula esse & vasa potoria inter omnes constat) in ipso fundo, ructu aut sibilo crepitum facere more detestabili non fuit veritus: ubi idem crimen bis arguere Satyricæ dignitatis fuit. Vel de eo, qui postquam vini calicem hausit, id quod remansit, ita elisit in pavimentum, ut resonaret. Quod insolentissimi animi, audacis & petulantis, nimiæque securitatis fuisse liquet: quem abusum apud compotores & helluones impuros, qui scortis vinoque madidi & epulis distenti erant, Græcis invaluisse multi adnotarunt: ita ut ludus inde convivialis foret, quem* κοτταβίζειν *appellarunt, cùm residuum potum in æneas phialas jactarent, qui si fortè creparet, se ab amica redamari, & mutuo affectu teneri putabant. Quod esse probabile, & ab auctoris sensu non alienum, ex contextu verborum liquere putamus.* Eleganter sanè Charmides quoque ille senex apud Plautum in *Trinummo* alludit ad ludicrum hoc conviviale his verbis, quæ ad servum facit: *Cave sis tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent.* Facetè certè & more suo Plautus heic per cottabos bubulos significat vel plagarum crepitus & sonitus, qui tum redduntur, cùm servi corio bubulo cæduntur: vel lora ipsa bubula, quibus cæduntur. Hujusce ludi a Plinio quoque videtur mentio fieri lib. 14. cap. 22. ubi inter legum convivialium scita illud quoque fuisse scribit, contra bibendi fallacias nihil ad elidendum in pavimentis sonum ex vino reliquisse. Hermolaus ibi ex veteri lectione mavult legi *summum*, quàm *sonum*, ut postremum intelligamus potum, qui *Cottabus* est dictus. Cælius lib. 28. cap. 6.

Porro Scythas quoque, Carthaginenses, Celtiberos & Thraces merobibos legimus solitos fuisse in conviviis merum per vestes effundere, pulchrum id auspicatumque studium esse arbitrantes, ut auctor est Athenæus lib. 10. cap. 10. & Cælius lib. 28. cap. 6.

Hæc de ludicris vini effusionibus sint dicta, quibus olim Græci molles, & Thraces atque Scythæ barbari in illis suis propinationibus fuerunt usi: quæ quidem meritò omnibus piis atque cordatis viris non modò ridiculæ, verumetiam illiberales atque impiæ videntur esse. Nam quid quæso à ratione pietateque magis est alienum, quàm vinum ad animi corporisque salutem nobis à Deo datum ita impiè effundere: idque partim superstitionis, partim amoris libidinisque ergò? Verùm si quis rem diligentiùs animo suo perpendat, facilè intelliget, non minus hac in re Christianos hodie peccare, quàm olim barbari illi irreligiosique homines fecerint.

Vini effusiones turpes Christianis familiares.

Nam primò quidem antiquo illi Græcorum cottabismo similis admodum videtur esse ille Germanorum mos, quo cum invitatio fit in conviviis, is qui vinum hausit, obversum poculi os ad solum, ungue etiam eo percusso, ut si qua vini gutta supersit, ea pavimento aspergatur, ad fidem faciendam optima fide hausti poculi ostentet. Solent etiam nonnulli residuum poculi liquorem ungue excipere, illumque vel ebibere, vel in ejus cui propinant faciem, vel in aliud poculum aspergere, vel etiam in terram effundere. Præterea à vino jam obrutis tantum sæpe vini vel per imprudentiam, vel etiam dedita opera effunditur, ut non modò mensæ, mappæ atque compotatorum vestes madeant, verumetiam pavimenta vino natent, ita ut dubitari meritò possit, plus ne vini sit bibitum an effusum. Nonnulli etiam vinum adhuc crudum per urinam atque secessum effundunt, quo plus vini mox rursus in corpus infundere atque perdere possint. Exeunt aliquoties ad vino se exonerandum, ut deinde rursus vino se onerare atque obruere possint, & ita bibunt ut mingant, minguntque ut bibant. Quo quæso quid turpius? Quid dicam de turpissimis illis cottabismis, hoc est, vomitionibus,

quæ ſæpe in ipſa menſa fiunt, quæ quidem impuris illis hominibus jocus luduſque videntur eſſe. Pollux teſtis eſt κοτταβίζειν (cui affinis vernacula noſtra vox kotzen / *vomere* ſignificans) & ἀποκοτταβίζειν, per jocum etiam accipi pro ἐμεῖν & ἀποβλύζειν, id eſt, *vomere* & *ejicere*. Et ad hunc verbi uſum alludit Ariſtophanes dicens: Τότε μὲν οὐ κατεκοτταβίζετε. νυνὶ δὲ καταμεῖτε. Τάχα δ᾽ εὖ οἶδα ὅτι καὶ κατεχέσονται.

Ut enim κοτταβίζοντες è ſuperiore loco vinum cum crepitu defundebant in pelvem: ita & vino nimio obruti ex ore ſuo impuro atque fœtido vinum in ipſam ſæpe menſam, in pocula, atque adeò in compotorum faciem cum fœdo oris ſono, cum ructu crepituque effundunt atque evomunt. Hujuſmodi autem Cottabiſmi ſeu potiùs Cotzabiſmi immaniſſimis illis vini cibique helluonibus uſitatiſſimi, quàm ſint illiberales, turpes & inhoneſti, quid attinet multa dicere? res ipſa ſatis loquitur. Et tamen nonnunquam in ipſis tricliniis pelves collocantur ad turpem hunc uſum, quæ à Græcis *lecania*, *lebetia* & *ſcaphæ* appellantur, teſte Cælio lib. 27. cap. 6. ad hujuſmodi ſordes excipiendum deſtinatæ: ubi ille pluribus agit de vomitus hujuſmodi ex crapula fœditate ac turpitudine. Turpes, inhoneſtæ atque impiæ ſunt illæ commemoratæ vini effuſiones, quibus hodie multi Chriſtianorum utuntur, in illis ſuis propinationibus, ad quas partim libidine, partim ipſa neceſſitate impelluntur, dum nimirùm corpora ſua majore cibi vinique onere onerarunt, quàm cui ferendo paria eſſe poſſint. Et tamen vinum illud ipſum immoderatum, quo nonnulli ſeſe ingurgitant cum ſumma animi corporiſque ſui pernicie, ſatius eſſet ab illis vel in profluentem, vel in terram effundi. Huc facit ſcitum admodum illud Diogenis Cynici dictum, qui cùm copioſum lautumque vinum ſibi dono datum in terram effudiſſet, ejuſque facti cauſa ab illo quæreretur, reſpondit, *ſatius ſibi fuiſſe viſum illud effundere, quàm illud bibendo tam vinum quàm ſemet ipſum perdere*, auctor eſt Stobæus. Verùm qui & ſuæ & aliorum ſaluti optimè conſultum volunt, illis fœdis ac inhoneſtis vini effuſionibus profuſionibuſque abſtinebunt, potiùſque dabunt operam, ut & cibi & vini partem aliquam pauperibus hominibus, egeſtate, fame ſitique laborantibus impertiant, cujuſmodi ſanè cottabiſmis atque libationibus cùm ipſius Chriſti, tum hominum quoque gratiam ſibi conciliabunt, cùm contrà turpes illæ vini effuſiones Deo hominibusque odioſæ ſint atque inviſæ, &c.

Cottabiſmi turpes, id eſt, vomitus.

CAPUT XV.

DE UNGUENTORUM NOMINIBUS ET USU MULTIPLICI, PRAESERTIM IN EPULIS. HISTORIA EVANGELICA MULIERIS ILLIUS, QUAE CHRISTUM INTER EPULANDUM UNGUENTO NARDINO INUNXIT.

Atque hæc quidem ſatis ſint dicta de potatione ceu altera (ut ita loquar) ſubſtantiali conviviorum actione: quam quoniam antiquitùs unguenta atque coronæ fuerunt comitatæ, idcirco nunc de iis proprius videtur eſſe dicendi locus. Unguenta enim atque coronæ olim in propinationibus fuerunt adhibitæ, non modò ceu oblectamenta, verumetiam ebrietatis atque crapulæ antipharmaca. Unde Juvenalis Satyr. 15.

---- *Inde* (poſt epulationem) *virorum*
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Unguenta & flores multaque in fronte corona.

His ſimilia illa Lucretii *de natura rerum* lib. 4.

---- *Convivia, ludi,*
Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur
Nequicquam, quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.

Primò igitur de unguentis, deinde de coronis agemus. Unguenta non ad voluptatem modò, ſed etiam ad valetudinem pertinent, ut probat Pomponius. Horum priſcis temporibus, præſertim apud Orientales, cùm in omni vitæ conſuetudine & ſacra & prophana, tùm potiſſimùm in conviviis creberrimus & frequentiſſimus uſus fuit.

Unguentum Hebraicè שמן *Schæmen* ſive שמן *Schamen*, à שמן *Saman*, hoc eſt, *impinguare* ſive *incraſſare*, qua voce & oleum & in genere omne unguentum ſignificatur. Græcè μύρον ἀπὸ τοῦ καὶ τῷ πολλοῦ μόρου καὶ πότου (forſan πόνου) ματαίου γίνεσθαι, hoc eſt, *quod multo cum labore & inani diſſoluto potu* (forſan labore) *conficiatur*, apud Athenæum libro 15. Chryſippus vult fuiſſe dictum. Sunt autem unguentorum varia genera, ςακτὰ & ψακαςὰ apud Ephippum & Archiſtratum, quibus opponuntur τὰ παχέα apud Athenæum lib. 12. Item vel à colore, vel à materia, vel à locis, ubi ſunt, dicta, de quibus Galenum ad Glaucum, Dioſcoridem lib. 1. Athenæum lib. 12. & 15. Plinium lib. 14. cap. 1. & alios conſulere poteris. Apud eoſdem authores de oleorum & unguentorum prima origine, confectione & compoſitione: nec non eorundem medico, militari, gymnaſtico, coquinario, conviviali, funebri, ſacro ſive ſuperſtitioſo, voluptuario, luxurioſoque uſu atque ab-

que abuſu reperies. Plinius unguenta Iliacis temporibus vult nondum extitiſſe, quibus nec thure fuerit ſupplicatum: à Perſis vult ad Græcos: (cum expugnatis Darii regis caſtris, in ejus apparatu Alexander unguentorum ſcrinium cœpiſſet) ab illis, præſertim Aſiaticis, ad Romanos tandem fuiſſe translata. Lacedæmonios unguentorum artifices, veluti olei corruptores, ex urbe ſua expuliſſe: Solonem item legibus ſuis μυροπωλίαν, id eſt, *unguentorum venditionem* prohibuiſſe, teſtis eſt Athenæus lib. 15. Verùm nos de unguentis, quatenus ad propoſitum noſtrum, id eſt, ad convivia pertinet, quædam dicemus.

Unguentorum uſus in conviviis.

Fuit ergo unguentorum in conviviis uſus (quem tamen Socrates in Xenophontis convivio repudiat) antiquus quidem & frequens.

Apud Hebræos quidem, quorum regio oleorum fuit abundantiſſima, unde *terra olei* appellatur, uſitatiſſima fuiſſe, cùm aliâs, tùm in conviviis, olea atque unguenta, ex multis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis patet. Ut ex invectiva illa Amoſi in conviviorum luxum cap. 6. ubi inter alia inquit: *Qui bibunt in phialis vinum, & primitiis oleorum*, hoc eſt, lectiſſimis, præſtantiſſimisque unguentis, non ad neceſſitatem, ut ad membra refocillanda, & conſolidandos artus, ſed ad voluptatem luxurioſè utuntur. Chaldæus vertit, *& excellentia pretioſorum unguentorum inunguntur.* Nonnulli per caput ſive primitias unguentorum, intelligunt balſamum, quod teſte Plinio, cæteris odoribus præfertur, uni Judeæ conceſſum, nempe apud Hierichonta lib. 12. cap. 25. & lib. 16. cap. 32. Namque Ægyptium minore omnino laude celebratum eſt. In eo genere, quod triplex erat, opobalſamum excellebat, hoc eſt ſuccus balſami, quem Plinius miræ ſuavitatis eſſe dicit, quod nonnulli hìc per primitias volunt intelligi. Juvenalis,

Hirſuto ſpirant opobalſama ſucco.

De hoc vide plura apud Plinium lib. 23. cap. 6. Quidam Amoſi illum locum ita explicant, qui caput pretioſis unguentis inungunt. Nam unguenta cum per totum corpus, tùm præſertim per caput ſolebant perfundi: de quo, ad quædam S. ſcripturæ loca tantò commodiùs intelligenda, nonnulla dicemus. Ad hunc morem alludit Eccleſiaſtes cap. 9. his verbis: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum ſuper caput tuum ne deficiat*, hoc eſt, perpetua lætitia, vitæque hujus commoditatibus perfruaris. Ex eodem more tracta ſimilitudine David Pſal. 133. fraternæ concordiæ ſuavitatem exprimit hiſce verbis: *Sicut oleum optimum in capite deſtillans ad barbam.* Eodem videtur ſpectare locus ille Pſalm. 141. qui obſcurus admodum eſt & variè explicatur. Septuaginta verterunt, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Secundum quam τ̃ 70. ac vulgatam verſionem, quidam volunt eſſe horum verborum ſenſum: *Percutiat me juſtus, & pius me arguat, oleum autem Roſch*, id eſt, *Principis aut Magnatis, non frangat, lædat, vel non attingat caput meum*, hoc eſt, *malo à bonis & piis caſtigari atque duriùs tractari, quàm ab impiis, cum mea pernicie & exitio, delitiis foveri & ſaginari, ſecundum illud Auguſtini, Magis amat objurgator ſanans, quàm adulator tangens caput.* Et ita ſecundum 70. caput interpretatur peccatores, ipſum Saulum & aulicos: quorum ſumma erat potentia: oleum verò peſtiferas adulationes & blanditias, quibus nos in exitium præcipitant improbi. Alii ſic vertunt eodem ferè ſenſu, *oleum capitis*, hoc eſt, precioſum, non deſtituat ſeu non deficiat caput meum, hoc eſt, fidelis correptio nunquam deſit capiti meo, ceu ſalutaris medicina. Oleum capitis, ut illi interpretantur, eſt præcipuum oleum, ſicuti Amos *Reſchit Schemanini* eadem ſignificatione uſurpat. Et Exod. 30. ſcribitur, *capies tibi* בשמים ראש *Beſchamim roſch*, hoc eſt, *aroma præcipuum.* Sic Pſal. 23. ubi David ſuam beatitudinem, qua Dei beneficio fruebatur, lauti atque delicati convivii imagine depingit: *Inſtrues* inquit, *coram me menſam in facie tribulantium me, impinguas caput meum oleo: calix meus erit exuberans.* Sic Pſal. 45. *Unxit te Deus oleo ſeu unguento exultationis:* ubi ſimiliter alludit S. S. ad unguentum, quo in conviviis, aut delitiarum cauſa olim homines inungebantur. Quoties enim excipiebant convivas honoratiores, quos ſplendidè tractare volebant, eos balſamo, aliisque unguentis fragrantibus perfundebant, ut ita exhilararentur: nam cerebrum, & ſpiritus ſuavi odore mirabiliter reficiuntur, & excitantur. Eodem ſpectat Chriſti ſermo Matth. 6. ubi ad jejunium celandum atque diſſimulandum jubet caput ungere, & faciem lavare, quæ nimirum non jejunantium, ſed convivantium potiùs erant opera. Sic 2. Sam. 14. ver. 2. in luctu prohibetur olei uſus. Ezech. 23. in epularum deſcriptione odorum, thymiamatum & unguentorum fit mentio. Hunc prætereà morem & conſuetudinem convivialem, ſancti Spiritus ductu atque impulſu, ſecuta mulier illa in Euangelio Matthæi vigeſimo ſexto, Marci decimo quarto, Luc. 7. Joan. 11. alabaſtrum, ſecundùm Matthæum μύρου βαρυτίμου, hoc eſt, *unguenti pretioſi:* ſecundùm Marcum μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς, fregit atque effudit ſuper, ſive per caput Chriſti accumbentis atque convivantis in Bethania apud Simonem leproſum ad futuram illius ſepulturam (ſicut Chriſtus ipſe interpretatur) adumbrandam. Hîc duo nobis conſideranda.

Primò ipſa unguenti, quod in genere Matthæus attingit, ſpecies ſive materia, quam Marcus exprimit, cùm addit νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Fuit ergò oleum illud, ſive unguentum nardinum, ſive ex nardo. Nardum antem, teſtis eſt Athenæus libro decimo quinto, ſicuti & ſtacten, & ſambucinum, ſerpillinum, crocinum, ad potum maximè conducere. *Oleum Nardinum*, inquit Plinius libro decimo tertio, Capite ſecundo, *ſive foliatum unguentum, conſtat omphacio, balanino, junco, coſto, nardo, amomo, myrrha, balſamo.* Hinc conſtat unguenti hujuſce magnum pretium, ut non ſine cauſa à Matth. βαρύτιμον, à Marco πολυτελὲς, hoc eſt, pretioſum, ſumptuoſumque fuerit appellatum. Coronas è nardi folio (quod ſimpliciter folium à Plinio κατ' ἐξοχὴν appellatur) lautiſſimas dari teſtatur Plinius libro 21. cap. 3. Tibullus *Eleg.* 2.

Illius puro diſtillent tempora nardo

Idem lib. 3. *Eleg.* 7. *Jamdudum Myrio madefactus tempora nardo.*

Debue-

Debueram sertis implicuisse comas.

Pomponius similiter in lib. 1. D. *de aur. argen.* nardum numerat inter ea unguenta, quæ valetudinis causa parata sunt. Ibi Gurum vult addi Hotomannus in comm. *de verb. sig.* ut à Pliniano distingueret, quod aliis permixtis constat, & voluptatis ac suavitatis causa tantummodo paratur: tametsi hoc quoque elegantiores ungi mulieres suavitatis tantùm causa subjungat. Athenæus lib. 5. ex Polybio, Antiochum Epiphanem, seu potius Epimanem cùm aliis unguentis, tum Cinamominis atque nardinis, ceu preciosissimis, delectatum esse dicit: de quo vide etiam Leonicum lib 3. cap 91. Ejusdem meminit lib. 4. Od. 12. Horatius,

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Hinc colligitur unguentum ex nardo fuisse magni pretii apud veteres. Nardini unguenti in conviviis usitatissimi Athenæus lib. 15. ex Menandro Poëta mentionem facit: cujus Poëtæ hæc verba citat: ἡδὺ τὸ μύρον παιδίε, ἡδὺ πῶς ἐ τὸ νάρδινον· hoc est, *Suave hoc unguentum pueri: quomodo enim non suave est unguentum nardinum.* Epitheton porrò πιστικῆς à Marco appositum, Theophylactus existimat vel peculiare quoddam nardi genus significare, vel nardum ἄδολον, ἢ μετὰ πίστεως κατασκευασθεῖσαν, hoc est, *synceram, incorruptam, fideliter præparatam*: unde quidam *probatam* interpretantur. Posteriorem sententiam Syriaca versio, (*Schatiph-hadebasima denardin rischaja*, hoc est, alabastrum unguenti nardi præstantis) & Valla sectatur. Nam, ut docet Plinius libro decimo tertio cap. primo, miris modis adulterabatur, quum variæ sint nardi species, & novem etiam numerentur herbæ, quæ nardum imitentur: sed πιστικὸς, & πίστις (ut Stephanus in suo *Thesauro Græco* annotat) in hac significatione usurpatum valdè insolens videtur. Prior sententia magis placet Bezæ, Camerario, & aliis, qui volunt Latinam esse vocem corruptam, Græca terminatione inflexam, quemadmodum & de *Sexto* Græcè fecerant ξύστον, & ex *Sextario* ξέστην· Sic & φενόλης à Paulo nominatur *penula*. Similiter itaque à *Spicata* nardo factam esse πιστικὴν, ut intelligatur eximium & admodum pretiosum unguentum confectum de spicis Nardi. Laudatur enim maximè in unguentis, ut tradit Plinius, ea Indicæ nardi species, quæ in aristas assurgit, quam ideò Galenus ad Glauc. ναρδοστάχυν, Plinius *Nardi spicam*: officinæ *spicam nardi* Arabes, teste Avicenna libro secundo capite 646. *Cembul* Indi, hoc est, Spicam Indicam, Hispani *azumbar* & *Espigasil* appellant. De nardi generibus vide plura in meis commentariis in *Periplum maris Erythræi*. Nonnus, πιστικῆς τέλος μέτρον φαιδρομένης ἀπὸ νάρδου. Videri possit (inquit Camerarius) à loco nomen illud esse dictum, quia mediam syllabam producit. Henricus Stephanus in suo *Thesauro Græco* annotat, πιστικὸν, & idem quod ἔμπιστον, hoc est, ad fidem faciendam aptum, significare, & potabile, ut πιστὸν, derivatum παρὰ τὸ πιεῖν, hoc est, à bibendo. Quæ autem potabilia, ea & liquida: unde fit, ut pro liquido accipiatur Marci 14. habens alabastrum unguenti nardi πιστικῆς, id est, liquidæ. Nam liquidis non crassis unguentis perfundi in conviviis solebant. *Quosdam tamen*, inquit Plinius, *crassitudo maximè delectat, linique jam, non solum perfundi unguentis gaudent. Dicitur alioqui potiùs* πιστὸν, à verbo πιεῖν. Hæc ille. Π.στικῆς epitheti a Marco appositi, significatio.

Nunc secundo loco de vase quoque illo unguentario nonnulla dicenda. Pollux inter vasa unguentaria, quibus unguenta effundebantur, λήκυθον, μυρηρὸν, μυρίδα, ἀλάβαστρον, id est, *alabastrum cyathium* numerat: vas quoque in quo unguenta continebantur, phialæ simile, dicit ἐχάλαστρον appellari. Notabis etiam ληκύθους Græcè pro oratione amœna, & pigmentis orationis perpolitæ à Cicerone & Plinio accipi Sic Horatius pro oratione tumida & magnifica: vide Turnebi *Advers.* lib. 9. cap. 3. χύτλον quoque vas olearium dicitur. Alabastri unguentarii usum in conviviis fuisse usitatissimum ex Athenæo patet: ut cap. 14. lib. 15. *Cùm pueri*, inquit, *unguenta in vasculis altis aureis, & in alabastris circumferrent, quidam Cynatri faciem unguento plurimo perunxit.* Ejusdem cap. 17. facit mentionem, ubi dicit, quendam non ex alabastro perungere convivas fuisse solitum: sed per summam luxuriam 4. columbas dimittere solitum perfusas non eodem unguento omnes, sed singulas proprio, quæ circumvolitantes, vestes strataque convivarum perfundebant. ἀλάβαστρον porrò, vel ἀλάβαστρος ὁ ἢ ἡ, sive etiam ἀλάβαστος sine litera ρ, Alabaster vasis unguentarii genus, longitudine fastigiata, in pleniorem orbem desinens: (ut ex Plinio constat) vel forma turbinata sine ansulis, ut alii docent. Neque enim, ut quidam crediderunt, sic vocatur generaliter vas quodlibet unguentarium. *Alabastrum*, inquit Isidorus, *vas unguentarium à lapide sui generis cognominatum, quem alabastriten vocant, qui incorrupta unguenta conservat.* Sic autem appellatur hoc vasis genus, vel (ut Methodius tradit apud Etymologum) quasi ὃ λαβεῖν (hoc est, *quod prehendere*) *propter lævorem sit impossibile*: vel, διὰ τὸ μὴ λαβὰς ἔχειν, hoc est, *quòd ansas non habeat* (sicut & Suidas dicit esse λήκυθον ἢ σκεῦος λαβεῖν διὰ λειότητα, ἀγγεῖον μύρου μὴ ἔχον λαβὰς, λίθινον, hoc est, *vas lapideum ansis carens*: item λίθινον μυροθήκην, hoc est, *lapideum unguenti repositorium.* Latini quoque retinentes hanc vocem Græcam, modò in masculino, modò in neutro genere usurpant. Cicero *Acad.* lib. 3. *Quibus etiam alabaster unguenti putere videtur.* Martial. lib. 11. Ἀλάβαστρον.

Quod Cosmi redolent alabastra, focique Deorum.

Ἀλάβαστρον ab Hesychio exponitur non solùm μυροθήκη, hoc est, *unguenti theca*, sed etiam λίθος ψήφινος, id est, *alabastrites*, ἀλαβαστρίτης, sive ἀλαβαστίτης, (subintellige λίθος) & in fœm. genere ἀλαβαστρῖτις, ἀλαβαστῖτις πέτρα, marmoris genus ita dicti, quòd ex eo alabastra conficiuntur: alio nomine *onyx* appellatur. Dioscorides lib. 5. ἀλαβαστρίτης λίθος ὁ καλούμενος ὄνυξ· Plinius lib. 39. cap. 8. *Onychen inquit, aliqui alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria: quoniam optimè ea incorrupta servare dicitur.* Idem lib. 37. cap. 10. scribit, Alabastriten gemmam nasci in Alabastro Ægypti, & in Syriæ Damasco, candore interstincto variis coloribus. Idem lib. 13. cap. 2. *Unguenta*, inquit, *optimè servantur in alabastris, odores* ἀλαβαστίτης sive Ἀλαβαστρίτης.

odores in oleo. Alabastri mentionem facit Pausanias in *Atticis*, de lacunari quodam verba faciens, quod ornatum esset auro & lapide alabastro. Theocritus in *ἀδωνιαζούσαις*, *συρίῳ δὲ μύρῳ χρύσει' ἀλάβαστρα* dixit, hoc est, *aurea alabastra, unguenti Syriaci.* Sunt qui tradidere alabastrum, id est, hujusmodi vasculum unum tantùm fuisse, ut libram unam caperet. Herodotus etiam in *Thalia* inter munera, quæ Cambyses per legatos ad Regem Æthiopum misit, recenset *ἀλάβαστρον μύρου*, id est, *alabastrum unguenti.* Poculum elegans, & 2. salina ex alabastrite D. D. Caspar Wolfius affinis meus habet: ex quo etiam pyxides unguentariæ, quæ alabastra vocant, sunt. Onychis mentionem quoque facit Horatius Od. 12. lib. 4.

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

In quæ verba sic commentatur Lambinus: *Idem dicit quod paulò ante dixerat. Nam Virgilium ad cœnam ea conditione invitat, si nardi concham, aut onychem afferat. Contrà Catullus, cœnaturum esse apud se Fabullum dicit paucis post diebus, si modò ille cœnam lautam & copiosam attulerit cum vino & sale: se autem nihil præter unguentum fragrantissimum præbiturum.* Sic Catullus:

Cœnabis benè, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dii favent, diebus:
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cœnam, non sine candida puella,
Et vino & sale, & omnibus cachinnis.

Deinde paucis versibus interpositis,

Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidinesque.

Onyx quid. Ὄνυξ (ut ait Dioscorides lib. 2.) *πῶμα ἐπὶ κοσχυλίου ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας, εὑρισκόμενον ἐν τῇ Ινδίᾳ ἐν ταῖς ναρδοφόροις λίμναις. διὸ καὶ ἀρωματίζει νεμομένων τῶν κοσχυλίων τὴν νάρδον.* Id est, *Onyx Conchylii est operculum, purpuræ operculo simile, quod reperitur in India in paludibus iis, quæ nardum ferunt. Itaque & odores suavissimos afflat, quoniam conchylia nardo vescuntur.* Ex his igitur sive testis, sive conchis, fieri poterant ad unguentum

Onyx unguentarius. servandum aptissima, quippe quæ nardi odore jam essent penitus imbuta. Est enim onyx lapis idem, qui alabastrites, ex quo *onyx unguentarius*, id est, vas ad diuturnam unguenti custodiam probatissimum. Vide Hermolaum Barbarum. Duxerunt autem appellationem & hic lapis, & hæc concha a similitudine unguis humani, quia nihil sit in eis rugosum, nihil asperum: sed omnia, ut in ungue, lævia & polita. Propertius lib. 3.

Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares myrrheus ungat onyx.

Vasa olearia sive unguentaria ab Isidoro hæc memorantur: emicadium, scortia, alabastrum, pyxis, lenticula, quod & lichitum, quorum explicationem vide lib. 20. cap. 7. Luc. porrò 7. ubi eadem historia describitur, fœmina ista unguento illo pedes quoque Christi, & lachrymis rigasse, ac capillis extersisse, & deosculata esse, ac denique inunxisse dicitur. Unde Christus, pium hoc illius mulieris factum officiumque amplificandi causa, Simoni dicit: *Tu mihi ingresso ædes tuas aquam non dedisti pedibus meis: at illa lachrymis quoque pedes meos rigavit, eosdemque suis capillis extersit. Tu nullum mihi fixisti osculum: at illa sine intermissione pedes meos deosculata est. Tu denique caput meum non unxisti: at hæc minimè dubitavit vel ipsos pedes meos inungere.* Ex hoc loco colligimus, mulierem illam non modò caput Christi: (id quod fuit communi consuetudine tritum) verum-

Caput inter pocula cur veteres ungere sint soliti. etiam ejusdem pedes, id quod non usque adeò videtur fuisse usitatum, inunxisse. Cur autem caput inter pocula veteres ungere sint soliti, hanc rationem reddit Athenæus lib. 5. ex Myronidis cujusdam libro *de Unguentis*, quia quod præassumptum fuit ab iis, quorum caput est aridum, superius fertur atque attrahitur. Hinc fit, ut cum febres corpora addurant, capitis tempora humectent, ne fercula præsumpta in ipsum caput siccum & vacuum impetu suo ferantur. Ne itaque vinum, præsertim largius & meracius haustum, ad superiora tendat, caput perungendum esse, quò humectatum, ejus impetu minus feriatur atque lædatur. Plutarchus similiter in lib. *de Iside & Osiride*, ex Aristotelis sententia dixit, unguentorum, florum, pratorum odoriferas respirationes non minus ad sanitatem, quàm ad voluptatem conferre, cùm cerebrum natura frigidum &

Quibus unguentis utendum in potu. concretum calore, & lenitate resolvant. Utendum porrò iis maximè unguentis in potu, quæ minimè caput infestent, quæque paulatim stringant, & refrigerent. Quoniam autem oleis variis capita perfundi solebant, ejus ratio reddi potest, quòd & in genere omne oleum capitis ardores refrigerandi vim habet, & certa quædam olea cùm in universum capiti atque cerebro, illud odoris fragrantia recreando, ejus dolores, inveteratasque distillationes tollendo: tum singulis ejus partibus conducat. Sic enim, exempli gratia, quædam olea faciem purgant, varos, & lentigines tollunt, cutis scabritiem emendant, nitidamque reddunt, secundùm illud Psal. 104. *Oleum facit nitere faciem*, & ut Eusebius eleganter loquitur, *faciem hominis αὐγῆτιν & λαμπρὸν*, id est, *pellucidam, & splendidam reddit.* Hinc Plautus in *Truculento* de amica pulchrè compta:

Fervidè in tota floret, ut oleum nitidè nitet,
Nam rebus omnibus nitorem & lucem addit.

Adagium. Unde tractum adagium, *oleo nitidus.* Alia aurium gravitatem, sonos & tinnitus discutiunt, vermiculos in his exiccant. Alia oculorum claritati plurimùm conferunt, eorumque caliginem discutiunt, ut multis exemplis Plinius lib. 23. cap. 4. probat. Capillis quoque hominis oleum *ἀρωγὸν*, id est, *salutare*, testatur Plato in

in *Protagora*, quod tamen cùm plantis, tum pilis aliorum animalium est πολεμιώτατον, hoc est, *inimicissimum*. Non mirum itaque est, capitis unctiones cùm aliàs, tum in sympotiis olim apud Hebræos, aliasque gentes, fuisse usitatas. Huc facit illud Massarii apud Athenæum, *ô felix, an non nosti sensus nostros, qui sunt in cerebro, excitari suavibus odoribus, & puriores suavioresque effici: sicut Alexis ait, sanitatis maximam partem bonos odores cerebro concedere.* Idem Athenæus lib. 15. *antiquos fuisse* φιλομύρους, hoc est, *unguentorum studiosos, vel hinc patere* dicit, *quòd singulis membris corporis, singula & peculiaria unguenta accommodarent. Ut Ægyptio unguento pedes, & crura: Phœnicio maxillas, & mammas: Sisymbrio, alterum brachium: Amaracino cilia, & cæsariem: Serpillino genua & collum.* Idem cor quoque maximè perungi fuisse solitum, scribit, quòd odoribus suavibus recreetur, quodque animæ sedem in corde collocatam esse veteres sint arbitrati. Quoad autem unguentorum usum apud Hebræos, illud quoque notatu videtur dignum, quod Porphyrius in libris, quos *de abstinendo a carnibus* scripsit, ut est apud Eusebium *de præparatione Euangelica*, Essæos e Judæorum gente ungi oleo non pati ait. Quòd si quis oleo tactus fuisset, diligenter, tanquam a magna corporis macula, corpus abstergebatur, quòd eos corpore aridos, non molles esse oporteat. Quoad verò unctionem pedum, cujus Luc. 7. fit mentio, Athenæus cùm lib. 15. tum verò atque in primis lib. 13. multa citat testimonia, quibus probat eam apud Græcos fuisse usitatam, quam tamen, ceu luxuriosam, videtur reprehendere. Nam inter alia, *Mos fuit*, inquit, *apud Athenienses pedes* τῶν τρυφώντων ἐναλείφειν μύροις, hoc est, *delicatorum unguentis imbuere.* Sic Plinius quoque lib. 13. cap. 3. de unguentorum luxuria verba faciens, *sed quosdam*, inquit, *crassitudo maxime delectat, idipsum approbantes: linique jam non solùm perfundi unguentis gaudent. Vidimus etiam vestigia pedum tingi, quòd M. Othonem monstrasse Neroni principi ferebant. Quæso ut sentiretur juvari ab ea parte corporis?* Ergo non modo Athenæus in Græcis, verumetiam Plinius in Nerone hujusmodi uncturam pedum luxuriæ nomine perstringunt: quam tamen Christus admisit, & etiam approbavit, non luxuriæ, sed altioris cujusdam mysterii causa. Homerus ut testis est Athenæus lib. 1. cap. 4. & 12. suos heroas, ceu frugalitatis studiosos, neque coronatos, neque unguentis delibutos, neque suffimentis delectatos dicit: unum dicit Paridem induci, cujus facies a Venere unguento fuerit delibuta. Idem tamen, eodem teste Athenæo lib. 15. unguentorum unctiones cognovit, quæ *olea* appellat. Constat tamen, posteris temporibus Græcos fuisse unguentorum studiosissimos, ut ex innumeris veterum monumentis apparet. Athenæus lib. 15. cùm in primis Sardianos, tum verò etiam Athenienses, apud quos intolerabile eorum fuerit pretium, unguentorum amantissimos fuisse, testatur. Hæc unguentorum luxuria tandem in Rempub. quoque Romanam invasit, de qua conqueritur Plinius lib. 13. cap. 3. *Quando id primùm*, inquit, *ad Romanos penetraverit, non facilè est dicere. Certum est Antiocho rege, Asiaque devictis, ut bis anno quingentesimo, sexagesimo quinto, P. Licinium Crassum, Julium Cæsarem Censores edixisse, ne quis venderet unguenta exotica, sic enim appellavêre. At herculè jam quidam etiam in potu addunt, tantaque amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque corporis parte.* Valerius M. lib. 2. prodidit, Jonas (quorum mollities in proverbium abiit, unde *Jonicus risus* in molles, & voluptuarios dicitur) primos unguenti, coronarumque in convivio dandarum, & secundæ mensæ consuetudinem, haud parva luxuriæ irritamenta, reperisse. Iidem choros quoque, & lascivas saltationes in convivia introduxerunt, ut testis est Martinus Tyrius in opere cui titulus, *Quis sit Philosophiæ finis.* Hinc Horatius in *Odis*:

Antiqui singulis membris corporis, singula & privata unguenta accommodarunt.

De unctione pedum.

Jones unguentorum, coronarum, & secundæ mensæ inventores.

> *Motus doceri gaudet Jonicos*
> *Matura virgo.*

Hinc & apud Aristophanem ἰωνικῶς pro eo, quod ἁβρῶς, hoc est, *molliter, & delicatè vivere.* Ægyptum Plinius terrarum omnium unguentis accommodatissimam esse dicit. Ægyptii certè olei, & myrrhæ copiam inter alia medicamentorum genera, & unguentorum mixtiones primi omnium excogitarunt: quæ ab illis ad alias quoque nationes fuerunt transportatæ. Hinc apud celebriores veterum auctores major unguentorum, atque oleorum pars Ægyptiorum cognomina sibi vendicavit, ut Galenus in impositione vocum, & Hippocrates testatur. Apud illos στακτή, unguenti genus omnium simplicissimum extitit, quod ex sola myrrha constitit, ipsius nimirum myrrhæ gutta, ἀπὸ τοῦ κατὰ μικρὸν στάζειν, id est, *a guttatim decidendo.* Unde Athenæus lib. 15. *myrrhæ pinguetudinem* appellat. Ab Ægyptiis ad Judæos, Persas, Græcos, & alias nationes fuit hic unguentorum usus propagatus.

Quàm unguentorum usus apud Romanos in conviviis profusus luxuriosusque fuerit, plurima auctorum, præsertim poëtarum, antiqua monumenta testantur. Horatius Od. 13.

> *Nardi parvus onyx eliciet cadum.*

Idem lib. 2. Od. 3.

> *Huc vina, & unguenta, & nimiùm breves*
> *Flores amœnæ ferre jube rosæ.*

Idem, *I, pete unguentum puer, & rosas.*

Pueri enim mensæ ministri unguenta circumferre solebant. Uncta quoque aqua, hoc est, unguentis perfusa convivis præberi solita, id quod erat luxuriæ non ferendæ, sive ea aqua adhiberetur ad manus lavandas, sive ad balneum. Solebant lautiores, & elegantiores homines capillum unguento perungere. Cicero *pro Rosc. Amerino* de Chrysogono Syllæ liberto: *ipse verò quemadmodum composito, & delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis judices.* Catullus,

> *Respondi id quod erat, nihil neque ipsi,*

Nec

Nec quæstoribus esse, neque cohorti, cur quisquam caput
Unctius referret.

Archestratus apud Athenæum lib. 2.

Ἀεὶ ᾗ στεφάνοισι κάρα περὶ δαῖτα πυκάζου
Παντοδαποῖς, οἷς ἂν γαίας πέδον ὄλβιον ἀνθεῖ,
Καὶ στακτοῖσι μύροις ἀγαθοῖς χαίτην θεράπευε.

Horatius Od. 7. lib. 2.

Fregi, coronatus nitenteis
Malobathro Syrio capillos,

Id est, Unguento Syrio delibutos, λιπαρὰς, ut supra Od. 4. lib. 1.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto.

Iterum Horatius lib. 1. Epist. ad Villicum suum:

Quem tenues decuêre togæ, nitidique capilli,

Id est, λιπαροὶ, unguento delibuti. Nec longè aberat unguentum foliatum ex Malobathri foliis, & alterum ex Nardispica confectum, quo quisque convivarum lotus se inungere posset: & aër ut salubrior redderetur, odorata Cyphi confectione, & incenso Diis dicato suffumigabatur, Langius in *med. Sympos.* De convivialium unguentorum usu, & Cyphi aromatis incensi confectione, vide Dioscoridem lib. 1. cap. 24. Galenum lib. 2. *de Antidotis.* Oleum Romæ maximo fuit in pretio, & vel rarissimo pretio vendi solitum. Unde proverbium, *Ut in velabro olearii.* Velabrum enim, auctore M. Varrone, Romæ fuit locus, in quo olearii oleum distrahebant. Mos autem huic hominum generi fuit, ut inter se de pretio conspirarent, quò pluris venundarent: unde tractum est suprà commemoratum proverbium, quod de iis dicitur, qui conspirant, remque ex composito gerunt. Plautus in *Captiveis:*

Proverbium.

Una res, omnes compacto rem agunt, quasi in velabro olearii.

Coronas unguentis aspergere veteres sunt soliti, teste Athenæo lib. 15.

Unguenta bibere quoque consueverunt, ut patet ex Luciani *Nigrino*, ubi inquit: *Hos* (scilicet pseudophilosophos, quos ibi pluribus carpit) *qui & unguenta bibant, quo nomine maximè sint reprehendendi, quòd ne uti quidem voluptatibus scirent, sed & in hisce peccarent, & fines earum confunderent.* Sic in convivio Plutarchi Thales Alexidemum narrat adolescentulum insolentis stupidique ingenii, unguentum præclarum, quod Thrasibulo allatum fuerat, in magnum craterem infudisse, meroque affuso ebibisse. Omnino veteres tam potui, quàm cibis unguenta admiscuisse, Plinius, Plutarchus & Athenæus memoriæ prodiderunt. Unde proverbium, *In lente*, sive *in lenticula unguentum*, quo, auctore Turnebo in *Adversar.* nihil aliud significari videtur, quàm in tenuiculo apparatu & victu, ut in lenticulæ pulmento non esse locum unguentis ob edulii utilitatem, quibus in lautis opiparisque conviviis uti solebant: de eodem vide Erasmum in *Chiliad.* Vide & de unguentis, sicut & de coronis I. Pontanum lib. 2. *progymnasm.* & de sparsionibus unguentorum in conviviis, quæ è theatro manarunt, & Justum Lipsium *de Amphitheatro.*

CAPUT XVI.

DE CORONARVM NOMINIBVS, FORMA, MATERIA, VSV VARIO ATQVE MVLTIPLICI, PRAESERTIM IN CONVIVIIS.

Vt autem unguentorum, sic coronarum quoque antiquitùs in epulis celeberrimus usus extitit, unde proverbium, κόννας μὲν στέφανον ἔχων, δίψῃ δ' ἀπόλωλε, Suidæ, id est, *connas coronam quidem habens, cæterum siti perditus:* eò quod tibicen erat vinosus, & in epulis assiduè coronatus potabat, de quo plus in *Chil.* qua de causa de iis quoque nunc dicendum, quantùm ad nostrum propositum pertinet. Corona Hebraicè & עטרה *Aatarah* dicitur Psal. 21. Prov. 4. a עטר *Itter*, hoc est, *coronare*, seu *circuire* in modum coronæ: & פאר *Pheer*, quæ vox & *decorem* sive *gloriam* significat, a פאר *Phaar*, id est, *decorare*, & coronam, sive ornamentum capitis.

Coronarum nomina.

Græcè antiquitùs, teste Appione Grammatico in *Commentariis*, quæ edidit *de lingua Latina* apud Athenæum lib. 15. χορωνὸς, sive, ut aliter scribitur, χόρρωνα fuit appellata: eò quòd χορευταὶ, id est, *histriones*, & saltatores iis olim in theatris uterentur, illarumque adipiscendarum gratia omnia facerent: cujus quidem verbi idem auctor Simonidem quoque in Epigrammatibus meminisse dicit. Corona itaque, si Appioni illi credendum, non Latinum, sed Græcum videri possit vocabulum, licet jam pridem Latini sermonis consuetudine, sit tritum, crassa in tenuem commutata litera. *Corona*, inquit Festus, *cùm videatur a choro dici, caret tamen aspiratione: sive coronæ dicantur, quòd cohonorent eos, quibus imponuntur: unde corolla est diminutivum.* Perottus in suo *Cornucop. Corona ergo, sive, ut veteres scripserunt cum aspiratione,* chorona *à choro videtur originem traxisse, quòd coronas gestare in choris, ac saltationibus mos erat, qui etiam hodie durat.* Isidorus

coronam vult dictam, quòd initio circum aras curreretur, atque ad imaginem circuitus vel chori esse formatam, & nominatam.

Coronarum porrò alia nomina Latina secundum varias illarum species atque formas apud Plinium, & alios auctores hæc ferè sunt. *Strophia* Plinio sunt coronæ tenuiores, quibus antiqui utebantur, unde nata *Strophiola*, ut idem inquit, quibus in sacris utebantur. Sic videntur dicta ἀπὸ τοῦ στρέφειν, id est, *à vertendo*. Hoc vocabulum Plinius tardè communicatum esse dicit, inter sacra tantùm & bellicos honores coronis suum nomen vindicantibus. *Cum verò*, ait idem, *è floribus fierent serta, à serendo sertivæ appellabantur.* Turnebus in suis *Advers.* ex chirographis antiquis locum hunc sic corrigit: *cùm verò è floribus fierent, serta à serendo, sertive appellabantur. Sertum* & *serta*, ut Marius Servius Honoratus, Virgilii interpres ait, *dicimus, cùm nihil adjicitur, ut, sertisque recentibus halant.* Item alibi expressius: *Serta procul tantùm capiti delapsa jacebant. Si autem sertos dixero, addo flores: Si sertas, addo coronas.* Ut Lucanus, *Accipiunt sertas nardo florente coronas.* Serta, serti, sertæ.

Pactili coronæ Plinius summam auctoritatem esse dicit, ut in Saliorum sacris invenimus solennes cœnas, sic enim Turnebus hunc locum emendavit: *Pactiles autem coronæ*, inquit idem, *plerisque videntur compactiles: fortasse tamen fuerint, quarum coronamenta in foculo rotundo, vel uspiam figuntur panguntur que.* Junius in sua *Nomenclat. pactilem coronam* interpretatur, quæ pangitur insertis floribus, Græcè στεφάνωμα πηκτὸν, Germanicè krantz züsamen gehefft. Corona pactilis.

Coronæ sutiles sutos habebant flores aut coronamenta: fiebant ferè è mero rosæ folio. Plinius: *Transiere deinde ad rosaria, eoque luxuria processit, ut non esset gratia, nisi mero folio sutilis.* Hinc illud: *Ornenturque rosis tempora sutilibus. Coronam sutilem* Junius interpretatur, quæ consuitur filis flores constringentibus. Στεφάνωμα ῥαπτόν. Corona sutilis.

. *Corona plectilis è surculis vel ramulis plectitur vel innectitur, ut è ramo lauri aut myrti*, Turnebus. Idem, *corona plectilis, quæ ex herbis odoratis plectitur, non conseritur neque suitur.* Itaque à sertis floribus, & sutilibus coronis differt. Corona plectilis.

Coronæ hybernæ, teste Plinio, dictæ, quæ deficientibus hyeme floribus, ramento è cornibus tincto conficiebantur. *Corollæ*, ut idem inquit, inter initia propter gracilitatem fuerunt nominatæ, mox & *corollaria*, postquàm è lamina tenui inaurata aut inargentata dabantur. *Coronarius*, Græcè στεφανόπλοκος, qui coronas facit. Græcè etiam *corona*, στέφανος, στεφάνη, στέφος, στέμμα dicitur, & στεφανίσκος diminutivum, id est, *corolla*: à στέφω, *corono, redimio, cingo*: quod quidem verbum & κοσμεῖν, id est, *ornare*, (nempe quia corona est ornamentum capitis, unde Festo quoque *corona* à cohonorando videtur dicta) &, (teste Athenæo lib. 15. Scholiaste Theocriti Idyll 31. & Hesychio) πληρῶσαι, id est, *implere* significat: cujus quidem posterioris significationis hanc Athenæus reddit rationem: *Antiquitùs enim*, inquit ille, *sacrificantes* (id quòd Diis gratum acceptumque esse putabant) *coronari consueverunt:* atqui, teste Aristotele in lib. *de Symposio* (qui hodie non extat) nihil Diis κόλοβον, id est, mutilum, seu mancum: sed τέλεια καὶ ὅλα, id est, *perfecta, & integra* offerimus: Corona ergò perfectionis symbolum. Vocem porrò στέφειν, id est, *coronare*, πληρῶσαι, id est, *impletionem* significare, his quoque duobus testimoniis probat. Homerus sæpè, Coronæ hybernæ. Corollæ.

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο,
Id est,
Crateras pueri statuunt, & vina coronant.

Item, - - - - θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει,
id est,
Sed verbis formam Deus ipse coronat,

Hoc est, eos qui sunt deformes ἀναπληροῖ ἡ τοῦ λέγειν πιθανότης, id est, *implet dicendi gratia seu gravitas. Contrà verò*, inquit idem, *quando alicujus commiseratione tangimur, nos quodammodo ipsos capillorum tonsura, coronarumque depositione mutilamus.* Huc quoque pertinet quòd Aristoteles teste Cælio lib. 27. cap. 26. dicit, veteres coronis in conviviis usos esse ad significandum obscurè, augurandumque annonæ fertilitatem, rerumque copiam & abundantiam. Verùm ut στέφειν apud Græcos non solùm στεφανῶσαι, & κυκλῶσαι, id est, *coronare*, sive *redimere*, teste Hesychio, sed etiam κοσμεῖν, & πληρῶσαι, id est, *ornare & implere* significat: sic etiam apud Hebræos supra commemorata vocabula similiter usurpantur, nempe pro decoratione, & pro impletione. Ut Proverb. 4. *Sapientia dabit capiti tuo augmentum gratiæ, coronam decoris dabit tibi.* Sic Psal. 8. *Gratia, & honore coronasti*, id est, ornasti eum. Sic eleganter Proverb. 17. Mulier industria *viri*, filii ac nepotes *senum coronæ*, id est, decus & ornamentum, dicuntur, & Paulus ad Philipp. 4. Pios suum gaudium, & coronam appellat. Quod ad posteriorem significationem attinet, Deus Psal. 65. dicitur annum bonis coronare, id est, augere, seu implere. Sic Psal. 103. *Qui te coronat*, id est, replet, *atque cumulat misericordia, & miserationibus:* & contra afflictione dicitur coronare, id est, implere, seu cingere, Esa. 22. Hæc de nominibus.

Coronarum porrò, quarum antiqui, teste Athenæo, Janum διπρόσωπον primum fecerunt auctorem, & in sacris (in quibus & hostiæ, & sacrificantes, & idola coronari consueverunt) & in certaminibus, ludis, victoriis atque triumphis: (victorum enim hæc fuerunt præmia) & in nuptiis, ceu sponsorum, atque sponsarum insignia, & in regum, ac sacerdotum inaugurationibus, ceu illorum ornamenta: & in funeribus, in quibus Libitinæ, teste Tertulliano, cadavera, (unde Cicero *pro Flacco* meminit aureæ coronæ impositæ mortuo cuidam Castritio) sepulchra, atque adeò cippi quoque, atque columnæ (quod Lucianus in *Nigrino* stultitiæ nomine perstringit) corollis atque floribus insigniebantur: & denique in conviviis cùm sacris, tum prophanis, Coronarum inventores. Coronarum usus multiplex.

ac præſertim in nuptialibus apud omnes ferè gentes antiquiſſimum, frequentiſſimumque uſum fuiſſe reperio. Hinc Plinius lib. 21. cap. 3. *Et jam tum coronæ Deorum honos erant, & larium publicorum, & privatorum, & ſepulchrorum, & manium, ſummaque auctoritas pactili coronæ.* Sutiles Saliorum ſacris invenimus, & ſolennes cœnis. Athenæus ſimiliter lib. 5. inde probat conviviorum originem à veteribus ad Deum fuiſſe relatam, quod coronis deorum propriis in iis uterentur. Cicero *de orat.* lib. 2. Africano illi majori coronam ſibi in convivio ad caput accommodanti, cùm ea ſæpius rumperetur, P. Licinius Varus, *Noli mirari*, inquit, *ſi non convenit: caput enim magnum eſt, laudabile, & honeſtum.* Quoniam igitur coronarum apud gentes uſus partim ſuperſtitioſus, ut in illarum ſacris & in exequiis, partim luxurioſus, in illarum nimirum epulis extitit, hinc factum puto, quòd Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ tantoperè à coronarum uſu abhorruerunt, ut conſtat ex Tertulliani libro *de corona militis*, & Clementis Alexandrini *Pædagog.* lib. 2. nec non ex M. Minutii Felicis Romani quondam cauſidici apologia adverſus Cæcilii calumnias, qui inter alia Chriſtianis hoc quoque exprobravit, quòd neque unguentis delibuti, neque ſertis redimiti eſſent. Cui Minutius ita reſpondet: *Sane quòd caput non coronamus, ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio, capillisve ſolemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut non ſentienti facem, aut non ſentienti coronam, cùm & beatus non egeat, & miſer non gaudeat floribus.* Idem patet ex Luciano, qui in ſuo *Nigrino* Romanos irridet, quòd Chriſtianos non imitentur, & faciant contra naturam, planeque nihil ſapiant. Adde Tertullianum *de cor. mil.*

Coronæ cur Chriſtianis veteribus exoſæ.

Coronarum uſus convivialis.

Quantum verò ad convivialem coronarum uſum attinet, (de quo potiſſimum verba faciemus, & unde nonnulli δαῖτα volunt θάλειαν, id eſt, *virentem* dictam) illum, ſi Athenæo, & aliis credimus, primò peperit utilitas, vel etiam neceſſitas: confirmavit verò atque auxit voluptas, ad utrumque enim coronæ illæ epulares videntur ſpectare. Nam cùm veteres, ut Plutarchus tradit, & ex illo Cælius lib. 27. cap. 26. liberaliùs in ſympoſiis ſuis vino ſe invitarent, ac profuſiùs biberent, ad capitis doloribus, quos merum, largius præſertim hauſtum, parere ſolet, occurrendum atque medendum, faſciis primum ſeu vittis illud vincire atque ligare conſueverunt. Ac ligamina quidem illa ſive vincula (δεσμοὺς Græci vocant) veriſimile eſt ex rudi & vili materia fuiſſe confecta, utpote lino lanave non tincta, *coloria* à Feſto appellata: unde rectè Feſtus coronas laneas antiquis temporibus ait factitatas eſſe, quod etiam Iſidorus tradit. Poſteà ad hanc utilitatem acceſſit ornatus & elegantia coronarum, ex floribus, atque frondibus contextarum: quæ quidem ceu naturalia, jucunda, ac ſalutaria capitis vincula (ſic enim coronæ à Varrone appellantur) blandiſſimo, ſuaviſſimoque ſuo colore, atque odore hominem mirifica utilitate perfunderent ac demulcerent. Hoc Athenæus lib. 15. Ariſtotelis, Ariſtonis, Chii philoſophorum Peripateticorum teſtimoniis confirmat. Ut autem vini ipſius, quod maxima ſæpè mala hominibus dare ſolet: ita ejuſdem ſalutaris cum aqua mixtionis, nec non coronarum (quæ quidem ſalutaria ſunt κεφαλαλγίας φάρμακα) primum auctorem Bacchum antiquitas credidit, ac teſtis eſt Plutarchus 3. *Sympoſ. quæſt.* 1. Hinc Iſidorus, *Coronæ principium gentiles à Libero quodam exiſtimant, quòd & in potando mota vino capita vincire faſciolis inſtituunt: idcirco olim linei & lanei generis corona fuit, ſicut erat ſacerdotibus gentilium.* Cùm itaque, ut Plutarchus loco paulò ante citato docet, merum ipſum caput primùm atque potiſſimùm feriat, atque perturbet, florum exhalationes mirabili contra hoc malum ſunt præſidio, caputque veluti arcem muniunt ad ebrietatem pellendam. Nam & calidi flores molliter aperiendis meatibus faciunt ut perſpirare vinum poſſit, & quæ leviter frigida ſunt, mediocri contactu vapores repellunt, ut violacea inprimis, & roſacea corona. Utrumque enim horum adſtringit ac reprimit odore ſuo ea, quibus caput gravatur. Ariſtophanis Scholiaſtes in illa Ariſtophanis in *Avibus*:

----- Φέρε παῖ στέφανον, καταχεῖσθε.

Τοῖς εὐωχουμένοις περιέκειντο οἱ στέφανοι, καταψύχοντες τὸ κρανίον ἀπὸ τῆς τοῦ οἴνου θέρμης, Hoc eſt, *Moris fuit ut convivæ coronis cingerentur ad caput refrigerandum, recreandumque ex calore vini.* Athenæus (id quod rationi valdè eſt conſentaneum) ipſos Medicos hoc remedii genus excogitaſſe teſtatur. Nam (ut ſcribit Plinius lib. 21. cap. 3.) apud Græcos de coronis privatim ſcripſere Mneſtheus, atque Callimachus Medici, quod nocerent capiti, quoniam & in hoc eſſet aliqua valetudinis portio, in potu atque hilaritate præcipuè, odorum vi ſurripiente fallaciter ſolertiam. De hoc conviviali coronarum uſu ſic eleganter Ovidius quoque cecinit lib. 5. *Faſtor.*

Ebrius incinctis (innexis) *phylira conviva capillis*
Saltat, & imprudens utitur arte meri:
Ebrius ad durum formoſæ limen amicæ
Cantat, habent unctæ mollia ſerta comæ.
Nulla coronata peraguntur ſeria fronte,
Nec liquidæ juncto flore bibuntur aquæ.
Donec eras miſtus nullis Acheloe racemis,
Gratia ſumendæ non erat ulla roſæ:
Bacchus amat flores, Baccho placuiſſe coronam
Ex Ariadnæo ſydere noſſe potes.

Coronarum porrò hujuſmodi Sympoſiacarum utilitas, quam veteres ſpectarunt, magis adhuc apparebit ex illarum materia, hoc eſt, floribus, atque frondibus, ex quibus olim fuerunt contextæ. Ac antiquiſſimæ quidem feruntur eſſe coronæ hederaceæ, quarum ipſarum Bacchum primum auctorem antiquitas fecit. Plinius

Coronæ hederaceæ.

lib.

lib. 16. c. 1. *Feruntque*, inquit, *primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo* (scilicet coronam) *ex hedera*: quam Festus sic ait esse dictam, *vel quòd hæreat, vel quòd edita petat, vel quòd id, cui adhæserit, edat.* Persius *sequacem* vocat, quòd natura sit sequaci, & omnibus adhærescat. Idem testatur Plutarchus 3. *Sympos. Probl.* 1. *Bacchus*, inquit, *ederam quoque facultate sua vino maximè resistentem in honore habendam docuit, eaque bacchantes coronavit, ut minus a vino læderentur, edera suo frigore ebrietatem restinguente.* Idem 3. *Sympos. probl.* 5. *antiquos*, ait, *ut de repentibus draconem: ita ederam de stirpibus Baccho consecraverunt, quia frigidæ & gelidæ sit naturæ, ut & vinum.* Ejusdem de ederæ natura, calida ne sit an frigida, egregium extat *probl.* 2. lib. 3. ubi eleganter inter alia, ederam Dei Boëtii, id est, Bacchi πελάτην, hoc est, *clientem*, & mensæ παράσιτον, hoc est, *asseclam*, sive sociam, vocat. Athenæus quoque lib. 15. antiquos primò omnium hederaceis hujusmodi vinculis, id est, corollis ad ebrietatem arcendam ligasse dicit, quòd edera ipsa & multa esset, & omnibus in locis nasceretur, & ipso quoque aspectu non esset injucunda: quippe quæ frondibus, ac corymbis (qui sunt rami hederæ in orbem circumacti) tempora tegeret, stringendique vim pateretur, sine gravi odore refrigeraret, *ac idcircò*, addit, *videtur Dionysius coronam vitis reliquisse, ac potionis dilutæ auctor extitisse.* Hederam & thyrsos Bacchi sacerdotes ferebant, mulieres quoque, teste Plutarcho in *Probl.* in Bacchanalibus, & nocturnis sacris, cùm Bacchicis furoribus afflari, & corrumpi vellent, ad hederam eo tempore ferebantur, quam manibus divellebant, & lacerabant. Idem testatur Clemens Alex. in suo *Pæd.* Unde lib. 2. Maccab. c. 6. legimus Antiochum Judæos coëgisse, ut rejectis patriis atque divinis legibus & institutis, Bacchantium more hedera redimiti orgia celebrarent, quod qui facere recusabant, illi morte mulctabantur. Hinc ederam Ovidius Baccho gratissimam, & ipsum Bacchum corymbiferum vocat, hoc est, ederæ pampinis & ficulneis frondibus coronatum. Poëtæ quoque, quorum præses Bacchus fuit judicatus, hedera, (nigra præsertim, quæ idcirco *Dionysia*, & *Bacchica* dicta) ut etiam lauro, coronari fuerunt soliti. Unde Virgilius *Eclog.* 7.

Pastores hedera crescentem ornate poëtam.

Cur autem hedera Baccho ab antiquis fuerit consecrata, multas rationes, opinionesque videre poteris apud Benedict. Curtium lib. 5. *Hort.* c. 11. Eandem ob causam hedera signum fuit cauponarum, & vini vendibilis: unde deductum adagium: *Vino vendibili non opus est hedera suspensa*, hoc est, vera virtus non indiget præconio. Pocula quoque hederacea, de quibus infra, apud antiquos frequenti fuerunt in usu, eadem, opinor, de causa, qua etiam coronæ, nempe quòd ebrietati obsistit ac discutiendis capitis doloribus, ex temulentia contractis, est accommoda, foliis etiam, aut ramusculis foris capiti admotis. Huc quoque videtur referendum, quòd nonnulli virgultum illud *Kikaion*, quod Jonæ prophetæ adversus solis æstum umbraculum præbuit, hederam fuisse existimant, cum hujus arboris umbra Ionæ videatur non fuisse incommoda, eò quòd hæc planta, sicuti paulò antè dictum, capitis gravedinem ex æstu, & lassitudine contractam, discutiendi vim habeat. Hieronymus certè secutus, ut ille inquit, veteres translatores, qui vocem *Kikaion* hederam, Græcè κισσὸν interpretati sunt, cùm aliud quid dicerent non habebant, ipse quoque *hederam* vertit: quam ob causam dicit se à Cantherio quodam reprehensum, quòd pro *cucurbita hederam* verterit. Idem tamen testis est vocem קיקיון *Kikaion* lingua Syra, ut Punica *Elkeroam* dici, quam sic describit: Est autem genus virgulti, vel arbusculæ, lata habens folia in modum pampini, & umbram densissimam, suo trunco se sustinens, quæ in Palæstina creberrimè nascitur, & maximè in arenosis locis, mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, citò consurgit in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam suspicis: 70. verterunt κολοκύντην, hoc est, *cucurbitam*, quæ & ipsa ad hunc usum videtur fuisse accommodatissima, ut docet pluribus Levinus Lemnius c. 33. libri de herbis & arboribus sacræ scripturæ. Arias Montanus, vir doctissimus, in suis in Jonam commentariis, *Kikaion* sive *Kik* Hebræis, Arabicis *Kervag*, Græcis κίκι, Latinis *ricinum* esse vult, quæ planta foliorum figura, & magnitudine Platano est simillima, & idcirco ad umbram efficiendam aptissima. Sed hæc obiter.

Adagium. Kikaion.

Coronas ex nardo quoque fuisse usitatas, testis est Plinius lib. 21. c. 3. cùm inquit: *Lautissimum quippe habetur è nardi folio eas* (coronas) *dari.* Est enim nardi odor suavissimus, ut testis est etiam sacra scriptura, ut Cantici 1. *nardus mea dedit odorem suum*: & Cantic. 4. Hebraicè נרד *Nerde*, plural. נרדים *Neradim* dicitur, unde Græcum ac Hebraicum vocabulum promanavit. ἄσαρον species nardi, quam Plinius sic vult dictam, quoniam in coronis non addatur. Hoc etymon Henrich. Stephano mirum videtur, potiusque ita appellatum videtur quoniam in scopis non addatur, præsertim quum Dioscorides quoque contra Plinium esse πόαν στεφανωματικὴν dicat lib. 1. c. 1.

Nardi coronæ.

Inter herbas coronarias melilotus quoque apud veteres non postremum locum tenuit, ac ob id à Latinis modò *sertula*, modò *campanica serta* fuit vocata. Nec id sanè fuit mirum, quippe cùm coronis ad sedandum ebrietatis fervorem institutis, melilotus ad id apprimè conferret: quippe cùm teste Athenæo lib. 3. στέφανοι μελιλώτινοι, id est, *coronæ melilotinæ* sint πάνυ εὐώδεις, καὶ καύσωνος ὥρᾳ ψυκτικώτατοι, hoc est, *fragrantis odoris, & maxima refrigerandi vi polleant.* Hanc sanè ob causam Hieron. Mercurial. in lib. *Variarum lectionum, melilotus videtur apud Athenæum lib.* 15. ἀείφρουρος, *hoc est, semper custos à Cratino fuisse appellata, propterea quòd, ut ille interpretatur, ejus herbæ potestate semper ab ebrietate custodirentur.*

Fuerunt prætereà epulares hujusmodi coronæ ex myrto, teste Athenæo, ad vini evaporationem reprimendum, & paulò pòst coronam Naucratitem (quam Pollux σάμψυχον vocat) eam esse dicit, quæ ex myrto, atque rosis sit composita, quam Anacreon gestare consueverit: cujus quidem nominis rationem ibidem reddit. Cur Myrtus Veneri sit dicata (unde nonnulli Venerem *Murtiam*, seu *Myrtiam* appellatam volunt, & ipsa Myrtus *Paphia* à Statio fuit nuncupata, & à Virgilio *formosa, Venerique gratissima* dicta) vide Curtium

Myrti coronæ.

 lib.

lib. 4. c. 8. *Hort.* Myrtus quoque ſacris litteris celebratur, ut 3. Eſd. 4. 2. Eſd. 8. Eſa. 41. 55. 60. Zacha. 3. 1. Mach. 10. Coronarum Myrtearum in epulis (quæ etiam olim ab ovantibus Romæ fuit uſurpata) creberrima fit mentio apud Anacreontem, & Horatium, ut lib. 1. Od. 4.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire Myrto,

hoc eſt, coronas ex Myrto capiti imponere, &c. Idem lib. 1. Od. 25.

Læta quòd pubes hedera virenti
Gaudeat, pulla magis atque Myrto.

Tibullus, *Hunc* (porcum mactatum) *cum veſte ſequar, Myrtoque caniſtra*
Vincta geram, Myrto vinctus & ipſe caput.

Roſeæ coronæ. Roſearum quoque coronarum in epulis frequentiſſimus fuit uſus, eò quòd, teſte Athenæo, aliquantulum refrigerandi, capitiſque dolores mitigandi vim obtinent. Plutarchus quoque *Symp.* 3. roſaceas, ut & violaceas, coronas leniter frigidas, aſtringendi, eaque, quibus caput gravatur, odore ſuo reprimendi vim obtinere. Idem teſtatur Clemens Alexand. in ſuo *Pæd.* Anacreon Od. 14.

	Εμοὶ μέλει μύροισι	*Sed curo delibutam*
	Καταβρέχειν ὑπήνην.	*Unguento habere barbam.*
	Εμοὶ μέλει ῥόδοισι	*Sed implicare curo*
	Καταστέφειν κάρηνα.	*Meos roſis capillos.*
Idem Od. 4.	Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων	*Roſam amoribus dicatam*
	Μίξωμεν Διονύσῳ,	*Sociemus ad Lyæum,*
	Τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυλλον	*Foliis roſam decoram,*
	Κροτάφοισιν ἁρμόσαντες,	*Capiti revincientes,*
	Πίνωμεν ἁβρὰ γελῶντες.	*Calices jocemur inter.*

Subjungit mox roſæ deſcriptionem vel ipſo floris illius odore atque colore jucundiorem. Item Od. 3.

Εμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ		*Potius manente vita,*
Μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα	Hoc eſt,	*Roſeas meo corollas*
Πύκασον.		*Capiti ferque odores.*

Et Od. 5. Στεφάνους μὲν κροτάφοισι
Ῥοδίνους συναρμόσαντες,
Μεθύωμεν ἁβρὰ γελῶντες.

Horatius Od. 29. lib. 3.

Tyrrhena Regum progenies, tibi
Non ante verſo lene merum cado
Cum flore Mecœnas roſarum, &
Preſſa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me eſt.

Idem lib. 2. Od. 3.

Huc vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amœnæ ferre jube roſæ.

Martialis quoque aliquot Epigrammata extant in floris hujuſce commendationem, ex quibus unum tantum referam, quo miniſtros ſuos ita alloquitur:

Sextantes Calliſte duos infunde Falerni,
Tu ſuper æſtivas Alcine ſolve nives.
Pingueſcat nimio madidus mihi crinis amomo
Laſſenturque (alii *ornentur*) *roſis tempora ſubtilibus.*

Ovidius *Faſt.* 5. de Floribus:

Tempora ſubtilibus pinguntur tecta coronis
Et latet injecta ſplendida menſa roſa.

Et paulò poſt: *Decidere in menſas ut roſa miſſa ſolet.*

Propertius *Eleg.* 4. lib. 3.

Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna ſemper habere roſa.

Roſam Plutarch. 3. *Sympoſ.* 1. & Clemens Alexan. à Græcis ῥόδον vocari affirmant, ἀπὸ τῆς ῥοῆς ὀδωδῆς, quòd odoris fluxum emittat, quæ cauſa ut ocyſſimè marceſcat, & refrigerandi vim habeat. Grammatici ἀπὸ τοῦ ὄζειν, Cælius lib. 27. c. 26. Oleo roſaceo quoque homines olim inungebantur, idque jam à Trojanis temporibus, teſte Homero,

Ῥοδόεντι

Ῥοδόεντι δ' ἔχριζεν ἐλαίῳ.

Plinius lib. 21. cap. 3. *Transire deinde ad rosaria, eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi mero folio.* Rosa etiam Veneri sacra est; Virgilius in *Rosa*:

Syderis & floris est domina una Venus.

Quoniam ut brevi hoc tempore durat, & ocyssimè marcescit, sic forma, & voluptas Venerea citò pereunt secundùm illud Theocriti,

Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.

Hieronymus Angerianus idem festivo disticho notat,

Pulchra brevi durat rosa tempore, forma brevique
Tempore, sic formæ par rosa tempus habes.

Ac omnino conviviis amica & familiaris, silentii quoque symbolum fuit, quo, præsertim in conviviis, fidos quæ sunt inter amicos dicta premi tegique debent. Itaque poëtæ finxerunt Cupidinem Veneris filium Rosam Harpocrati silentii Deo apud Græcos (ut & Angerona apud Romanos) consecratam esse voluisse, eoque munere eum decorasse, ut rosa loquacibus exhiberetur, veluti silentii symbolum. Hinc verisimile est, morem illum profectum, ut multis in locis Germaniæ in cœnaculis rosa lacunaribus supra mensæ verticem affixa conspiciatur, quò quisque sit secreti tenax, ne quid temerè effutiat, sed omnia reticenda meminerit: quem morem carmen illud graphicè depingit,

Est rosa flos Veneris, cujus quò facta laterent,
Harpocrati matris dona dicavit Amor.
Inde rosam mensis hospes suspendit amicis,
Conviva ut sub ea dicta cavenda sciat.

Hinc proverbium quoque illud pervulgatum apud Germanos: *Hæc sint sub rosa acta*, sive dicta. Quo significatur, ea quæ vel dicta, vel facta sunt liberiùs, fida taciturnitate esse tegenda, minimeque foris eliminanda. Germanos quoque olim rosis usos esse ad reprimendos vini vapores, Possidonii testimonio comprobat Appianus lib. 2. *de Bellis civilibus*, qui ibidem illos ebriosos atque ridiculos appellat.

Rosa denique apud omnes nationes flos est spectatissimus, suavissimique odoris, quo cor cerebrumque mirificè recreantur. Sacris quoque litteris celebratur. Sic enim Sapientia æterna patris Eccles. 29. rosæ Hierichuntinæ: (quæ sunt præstantissimæ) & 39. cap. Simeon Pontifex rosæ vernæ comparatur. Rosa.

Rosarum, ut etiam aliorum florum, usum in conviviis apud Hebræos quoque floruisse ex illo Sapien. 2. videtur posse colligi, ubi Solomon homines Epicureos, ac voluptuarios ita loquentes introducit: *Quum ætas nostra imbecilla sit, ævique brevis, & ut fumus, & umbra evanesca, agite fruamur bonis præsentibus, & utamur rebus naturæ, dum juventus adest. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus, & non sinamus elabi florem temporis. Coronemus nos rosis, antequàm marcescant, nullum pratum, aut viridarium sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Ad eundem morem Ezech. quoque cap. 23. videtur allusisse, ubi symposiorum facta mentione, quæ meretrices nonnunquam amatoribus suis apparare solent, inter alia dicit illas coronas quoque gloriæ, id est, egregias & elegantes illorum capitibus imponere. Amicas olim amatores suos coronis revincire, ac floribus opplere solitas fuisse, illa quoque Apuleii lib. 2. satis indicant: *Commodùm cubueram: & ecce Fotis mea, jam domina cubitum reddita, jacta proximat rosa serta, & rosa soluta in sinu tuberante, ac me pressim deosculante, & corollis revincto, ac flore prosperso arripit poculum.* Huc etiam referri potest, quòd statuas quoque meretrices olim coronare fuerunt solitæ, de quo Justus Lipsius libro 2. *Variarum lect.* His adde quòd in luxuriosissimo illo Cleopatræ convivio illa expensum retulit in rosas talentum: cùm per omnia discumbentium triclinia foliorum passim acervi, cubiti mensura pavimentis undiquaque extarent.

Neque sanè lauream coronam, inquit Athenæus, *à potu alienam esse existimare convenit.* Hoc non sine causa dixit: nam laurus præter vim Medicam vires propè divinas adversus fulmina, fulgura, tonitrua, morbum sacrum, maleficia, fascinationes, dæmonas, segetum rubiginem obtinet, ita ut meritò Romani eam *boni Genii plantam* vocaverint. Secundam enim valetudinem adferre existimatur. Proinde laurus & carica Januarii mensis prima die à populo principibus dabatur. Idem lib. 4. veteres, testatur, inter bellaria post cœnam etiam lauri folia adhibuisse, quod Mercurialis lib. 4. c. 6. *Var. lect.* factum putat, tum ut vi foliorum exiccandi vim habente fumi ad caput elati absumerentur: tum etiam ut odor vini ac ciborum, qui solet sæpenumerò à saturis hominibus gravis emitti, absconderetur, id quod Martial. lib. 5. facetissimis carminibus probat. De coronarum laurearum, necnon populonearum usu in sacris, vide plura apud Curtium *Hort.* lib. 3. c. 8. Empedocles laurum tanti fecit, uti optimam conversionem in eam arborem esse existimaverit, quasi post mortalium vitam in bestiarum naturam migrandum sit, unde à lauri foliis voluit omninò esse abstinendum. Scribunt Plinius, & Tranquillus, Tiberium principem tonitrua præter modum expavescentem, tonante cœlo contra fulminum metus nunquam non lauream coronam capite gestasse. Hujusmodi ergo coronas, ob causas commemoratas, quis non ex Athenæi sententia judicet conviviis maximè esse accommodatas?

Conviviis præterea peculiaris fuit corona Philyrea, sicuti ex Ovidio 5. *Fast.* patet: Corona Philyria.

Ebrius incinctis philyra conviva capillis
Saltat, & imprudens vertitur arte meri.

Contexuerunt enim antiqui è philyra, hoc eſt, prætenuiſſimis, quæ inter lignum & corticem tiliæ ſunt, tunicis, coronas. Quibus lemniſci quaſi lanitii, id eſt, faſciolæ pendulæ intortæ, quibus poſſent ſubligari, ne ex capite laberentur, vel potiùs ut aliquid ornamenti iis adderent, aſſuerentur. Quibus verò non niſi aurei appendi debuerunt, propter Hetruſcos, de iis Horatius Od. 38. libro primo:

Diſplicent nexæ philyræ coronæ.

Qui enim deferebant, Græcè *philyrini ſynthematici* dicti. Philyram Veneri Phurnutus dedicat, quia appoſita Venerem citat, & quòd ad nectendas coronas ea maximè utantur.

Coronæ ex apio. Vſitatæ quoque olim fuerunt in conviviis coronæ ex apio. Horatius Od. 7. lib. 2.

- - - - Quis udo
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto?

Id eſt, Valde properare, nectere & concinnare coronas. Idem Od. 36. lib. 1.

Non deſint epulis roſæ,
Non vivax apium, non breve lilium.

Vivax apium, quòd diu viret, contrà *breve lilium.* Idem lib. 4. Od. 11.

- - - - Eſt in horto
Phylli nectendis apium coronis:
Eſt hederæ vis
Multa, qua crines religata fulges.

Anacreon, Ἐπὶ δ' ὀφρύσι σελίνων στεφανίσκους θέμενοι.

Theocritus εἰδ. ζ. πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ. Et εἰδ. ιγ. καὶ θάλλοντα σέλινα. Et εἰδ. ιθ. χλωρὰ σέλινα, apia nitentia appellantur. Pollux lib. 6. cap. 19. Sapphonem, & Alcæum coronarum ex apio convivialium meminiſſe dicit. Ænea, & ſociis ejus cùm primùm in Italiam adveniſſent, humi diſcumbentibus, ac prandentibus, ſolum apio fuiſſe ſubſtratum, idque illis menſæ loco fuiſſe, ſcribit Dionyſius Halicar. lib. 1. *Antiquit. Rom.* Apio honos in Achaia coronare victores ſacri certaminis Nemeæ, Plinius lib. 19. c. 8. Et tamen Nicolaus Leonicus lib. 1. *de Varia hiſtoria*, c. 24. dicit veteres ex omnibus ferè herbis floribuſque ſerta nectere conſueviſſe, præterquàm ex apio. Hoc autem ideò, ut inquit Duris Samius, in iis, quos de certaminibus ſcripſit Commentariis, quoniam lugubre eſt apium, luctibuſque magis, quàm hilaritati conveniat. Quamobrem tumulorum thecas (ut ajunt) antequàm in illis ponerent mortuorum corpora, apii foliis ſternere conſueverunt. Magius tamen *Miſcel.* lib. 2. cap. 17. Joannem Babe. Pium Bononienſem hoc nomine reprehendit, quòd affirmavit tumulos paſſim apio coronari fuiſſe ſolitos. Vide ibidem de Variis coronarum ſepulchralium generibus. Morem apio coronandi putant jam olim ab Hercule inductum, poſt interfectum Nemeæ leonem, quod & Pindarus alicubi videtur indicare. Nam in *Nemeis* hymno 5. dicit, ἵνα ἐν ἀγῶνι βαρυκτύπου θάλησε κορινθίοις σελίνοις, hoc eſt, *Ubi in certamine tumultuoſi floruit Corinthiacis apiis.* Significat quendam in certamine Neptuni Iſthmico fuiſſe à Corinthiis.

Violaceas quoque coronas (ἐκ τῶν ἴων) Plutarchus eandem ob cauſam in conviviis approbat, ob quam roſaceas: quòd nimirum utræque leviter frigidæ adſtringant, atque odore ſuo καρηβαρείας, hoc eſt, *capitis gravedines* reprimant. Apud Platonem in *Sympoſio* Alcibiades Agathonis in Tragœdia victoris, & Socratis quoque caput corona quadam denſa ex hedera & violis parata redimit. Coronæ violaceæ apud Ariſtophanem quoque fit mentio in *Acharn.* & apud Theocritum εἰδυλλ. ζ. στεφάνους ἀνήθινους, ῥοδόεντος, καὶ λευκοΐων, id eſt, *coronæ ex anetho, ex roſa, & ex violis albis* contextæ, fit mentio in Sympoſii paſtoralis læti deſcriptione. Plinius lib. 21. c. 19. Violas purpureas dicit refrigerare, contra inflammationes illini ſtomacho ardenti: imponi & capiti in fronte: crapulam & gravedines capitis, impoſitis coronis, olfactuve diſcutere. Athenæus tamen lib. 15. Coronas ex albis violis cùm caput moveant atque perturbent, vitandas eſſe dicit. Idem Hiceſium citat affirmantem, λευκόϊον, hoc eſt, *albam violam* mediocriter aſtringere, & opima ſuaviſſimaque εὐωδίᾳ eſſe præditam, ſed quæ non diu duret. Nigram autem eadem eſſe vi præditam, ſed multò odoratiorem.

Coronæ ex liliis. Ex liliis quoque (ἐκ κρίνων) fuerunt compoſitæ, ut teſtis eſt Athenæus. Idem Philinum dicit affirmare, κρίνον, id eſt, *lilium*, ab aliis λείριον, (quod Homero eſt nomen generale cujuſvis floris, teſte Athenæo) ab aliis ἴον, id eſt, *violam* appellari: à Corinthiis *ambroſia* dicitur: teſte Nicandro in *Linguis.* τὰ κρίνα, hoc eſt, *lilia*, Theophraſtus ſcribit eſſe purpureos flores. Lilium roſæ nobilitate proximum Plinio, Sacris quoque literis nobilitatur, ut Eccleſ. 29. & 39. ubi roſæ ſemper conjungitur.

Plutarchus *Symp.* 3. *Cypri*, id eſt, liguſtri, inquit, *flos, & crocus & baccaris iis, qui adhibuerunt, ſomnum* ἄλυπον, id eſt, *moleſtia vacuum conciliare.* Exhalare enim mite quidpiam, & gratum, quo inæquabilitates, quæ inebriatorum corpori accidunt, aſperitateſque diffunduntur, ita ut tranquillitate oborta retundatur & digeratur id, quod crapulam erat facturum. *Cypri* Hebræis כפר *Cephar*, plural. כפרים *Cepharim* dicti (unde vox Græca & Latina promanavit) ceu ſuaviſſimi & fragrantiſſimi, fit mentio una cum nardo, & aliis floribus odoratis Cant. 1. & 4. De Cypro & croco idem teſtatur Clemens Alexand. in ſuo *Pæd.*

Baccar radix eſt odorata, à quibuſdam *nardum ruſticum* appellatum. Unguenta ex ea radice fieri ſólita apud antiquos, Ariſtophanes priſcæ Comœdiæ poëta teſtis eſt. *Odor eſt ei Cinnamomo proximus*, Plinius lib. 21. c. 6.

Croci uſum Plinius lib. 21. c. 6. in coronis nuſquam eſſe dicit: herbam enim eſſe folio anguſto penè in capillamenti modum: ſed vino mirè congruere, præcipuè dulci, tritum, & ad theatra replenda. Idem tamen lib. 21. c. 20. inquit, *qui crocum prius biberint, crapulam non ſentient: ebrietati eo reſiſtunt. Coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem: ſomnum facit: caput leniter movet: Venerem ſtimulat.* Ex his conſtat crocum convivialibus coronis eſſe aptum, ut Plutarchus quoque voluit. Croci ob ſingularem odoris ſuavitatem in ſacris quoque litteris fit mentio, ut Cant. 4. Heb. כרכם *carcos* dicitur. Coronæ ex croco Theocritus meminit εἰδ. ιη. De Croci uſu vide etiam I. Lipſium in *Amphitheatro.*

Athenæus plura alia coronarum florearum, & frondoſarum genera commemorat, ut coronam λύγινον, id eſt, *ex vitice*, cujus antiquum uſum fuiſſe docet, de qua Anacreon: *Megiſthes*, inquit, *perhumanus, jam decem menſes ex quo vitice coronatus eſt, ſuavemque bibit vini fæcem.* Hæc Dianæ (quæ idcirco λυγόδεσμος dicta) conſecrata fuit, quia teſte Galeno, caſtitatem ſervat, quando ſubſternitur, aut eſtur, vel bibitur. Hinc ἄγνος dicitur, id eſt, *pura*, *caſta*, ab α privativa, & γονάω, *genero*, quòd inhibet rei venereæ uſum. Quare Paulus quoque his qui in ſomno, aut vigilia copioſiore fluxu abundant, una cum refrigerantibus herbis, viticis ramos ſubſternendos præcipit. Quare Athenienſium matronæ caſtitatem cuſtodientes, auctore Dioſcoride, in Theſmophoriis, id eſt, Cereris ſacris, foliis ejus ſibi cubitus ſuſternebant. Idem denique ex Theophraſto στεφανωματικὰ ἄνθη, id eſt, *flores coronarios*, ſive coronis aptos, hos commemorat: ἴον, διὸς ἄνθος, ἴφυον, φλόγα, ἡμεροκαλὲς, οἰνάνθην, νάρκισσον (quam Clemens Alex. nervis νάρκην, id eſt, *torporem* afferre dicit) ἀνεμώνην, βολβοῦ κώδιον, μελάνιον, ἑλίχρυσον, ξίφιον, ὑάκινθον, λυχνίδα, ἀμάρακον, φρύγιον, πόθον. Florum coronariorum Pollux quoque meminit lib. 6. De iiſdem vide plura apud Plinium lib. 21. c. 3. & 4. & deinceps. Florum in coronis, teſte Polluce, hunc delectum habuerunt, ut iis potiſſimùm uterentur, quorum & color oculis, & odor naribus ſuavem voluptatem afferret. Ex foliiſne magis an ex frondibus corollæ conviviales ſint probandæ, vide Stoëflerum in Sphæram Procli. Hæc de coronarum convivialium materia.

Coronæ porrò, ut Athenæus docet, & capiti, & fronti, & collo, & pectori, (ubi cordis ſedes) adhibitæ fuerunt. Apollonii Scholiaſtes *Veteres*, inquit, *trifariam utebantur coronatione, coronas vel capite, vel fronti, vel collo imponentes*, διὰ τὸ θυμηδὲς τῆς τελμερὸς ψυχῆς, id eſt, *propter triplicis animæ voluptatem.* Teſtis eſt Athenæus, eſſe coronas quaſdam apud Æolas, & Ionas ὑποθυμίδας, & ὑποθυμίδας dictas, quas circa colla geſtare conſueverunt, veluti in Alcæi, Anacreontisque poëmatis videre liceat. Horatius ad eas videtur alludere lib. 2. *Satyr.* 3. Coronæ quibus corporis partibus adhibitæ.

- - - - Potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas,
Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri.

Idem Athenæus teſtatur, Phyletam affirmare, myrti ramum à Lesbiis *hypothymida* nominari, circa quem cùm violas, tum alios etiam flores innectere conſueverint. De hujuſmodi coronis collo ſive cervici appenſis, earumque uſu ſic diſſerit Plutarchus lib. 3. *Sympoſ. Probl.* 1. *Quorundam etiam florum*, inquit, *odoribus ſurſum diſſipatis ad cerebrum, fit ut meatus, qui ſunt inſtrumenta ſentiendi, expurgentur, & humores incidantur, ſenſim abſque vehementi ictu aut agitatione diſcuſſi, ſimulque cerebrum natura frigidum refocilletur. Itaque ſerta e floribus texta præcipuè a cervice ſuſpendentes hypothymidas appellabant, unguentisque quibus ea erant delibuta, pectus inungebant. Teſtatur etiam Alcæus, jubens unguentum ſibi affundi ſuper multa paſſum caput, & canum pectus. Sic etiam inde odores a calore ejaculantur in cerebrum, rapientibus eos naribus. Non enim ideò hypothymides vocaverunt collis appenſas coronas, quòd animum caſtra ſua in corde habere putarent* (eſt enim θυμὸς animus) *ſed propter exhalantem potiùs fragrantiam, quam ipſi apothymiaſin nominant*, &c. Ex hoc eodem loco conſtat coronas a veteribus unguentis quoque perfundi fuiſſe ſolitas, de quo ſuprà. De coronis aureis inter epulas Romanorum legatis a Rege Ptolemæo impoſitis vide Fr. Patritium *de regno.*

Chriſtianis porrò primitivæ Eccleſiæ, ſicuti ſuprà dictum, coronas capiti quidem ex gentium more & conſuetudine imponere erat religio: at verò illas vel manu geſtare, vel etiam collis apponere non dubitaſſe, colligi poteſt cùm ex Tertulliani *de corona militis*, tum ex illis Minutii verbis: *Quis autem ille qui dubitat vernis nos indulgere floribus, cùm capiamus & roſam veris, & lilium, & quicquid aliud in floribus blandi coloris, & odoris eſt? his enim & ſparſis utimur mollibus ac ſolutis, & ſertis colla complectimur. Sanè quòd caput non coronamus, ignoſcite, &c.* Ergò a ſertis ſive coronis illis ὑποθυμίδες dictis non abhorrebant.

Obſervatu præterea dignum, veteres non modò capita atque colla, verùmetiam ipſa pocula coronare fuiſſe ſolitos. Hunc morem colligunt ex illo Homeri verſu Ὀδ. α.

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο,

Quem verſum propemodum ad verbum expreſſit Virgilius lib. 1. *Æneid.*

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Et ſeptimo libro ejuſdem operis,

Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.

Hinc ergò nonnulli colligunt, veteres eſſe ſolitos poculis imponere coronas, quæ ſententia Tibulli auctoritate confirmari poteſt, lib. 2.

Aut è veſte ſua tendet umbracula ſertis
Vincta: coronatus ſtabit & ipſe calix.

 Id-

Idipſum Virgilius *Æneid.* 3. luculenter videtur ſignificare, his verſibus,

> *Tum pater Anchiſes magnum cratera corona*
> *Induit* (coronavit) *implevitque mero.*

Coronabant enim pocula hilaritatis cauſa convivalis & libationis. Idipſum illa quoque Tertulliani verba *de Reſurrect.* teſtantur: Ait enim, *& calix bene ſibi conſcius, & de diligentia miniſtri commendatur, de coronis quoque potatoris ſui inornabitur* (alii legunt *inorabitur*, id eſt, in ora ſive extremitate cingetur potatoris ſui coronis, interprete B. Rhenano) *aut aſpergine florum honorabitur.* At verò Athenæus locum illum lib. 1. his verbis interpretatur: ἐπιστέφονται ἢ ποτοῦ οἱ κρατῆρες, ἤτοι ὑπερχειλεῖς οἱ κρατῆρες ποιοῦνται, ὥστε διὰ ποτοῦ ἐπιστεφανοῦσθαι, id eſt, *Quum crateras ad ſummum uſque labrum implentur vino, ut corona veluti impoſita cingi videantur.* Eandem ſententiam Homeri Scholiaſt. ſectatur. Ut Ιλ. α. & Οδ. 3. ἐπιστέφεσθαι κρητῆρας, interpretatur, ἐπιχειλεῖς ποιεῖσθαι, καὶ μέχρι στεφάνης, ὅ ἐστι χείλους, ἐμπιμπλᾶν, ἢ μᾶλλον ὑπερχειλεῖς ποτοῦ ποιεῖν, hoc eſt, *Ad ſummam uſque coronam & marginem, vel potiùs ſupra illam implere*, undè Pauſaniæ quoque ἐπιστέψαι, id eſt, *coronare*, idem eſt quod πληρῶσαι; contra ἐκστέψαι quaſi dicat *excoronare*, idem quod ἐκκενῶσαι, *evacuare.* Hinc ἐπιστεφὴς quoque in eadem ſignificatione videtur ab Homero uſurpatum Οδ. β.

> Στήσαντο κρατῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο
> Λεῖβον δ' ἀθανάτοισι θεοῖς αἰειγενέτῃσιν.

Sic Ιλ. Θ. Πίνοντας κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο.

Id eſt, ἐπιστεφανωμένους inquit Heſychius, πλήρεις καὶ ὑπερχειλεῖς Suidas, qui addit antiquos ſic impleviſſe crateras boni ominis ergò.

Notandum quoque veteres coronas fuiſſe poculis infundere ſolitos, & ex iis bibiſſe, quod appellabant *coronas bibere*, cujus rei illuſtre exemplum extat apud Plinium lib. 22. cap. 3. *Scelerata*, inquit, *Cleopatra apparatu belli Actiaci gratificationem ipſius Reginæ M. Antonio timente, nec niſi prægustatos cibos ſumente, fertur ab ore* (alii *pavore* legunt) *extremis coronæ floribus veneno illitis. Ipſaque capiti impoſita, mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberent. Quis iſtas timeret inſidias? Ergò concepta* (alii *conjecta*) *in ſcyphum, incipiente haurire* (ſcilicet Antonio) *mox oppoſita manu: En ergo ſum, inquit illa, chare Antoni, quam tu nova prægustantium caves diligentia: adeò mihi, ſi poſſem ſine te vivere, occaſio & ratio nocendi adeſt. Inde eductum e cuſtodia bibere juſſit, illico expirantem.* Ad hunc bibendi morem Polydorus Virgil. lib. 2. cap. 17. vult Virgilium verſibus illis paulò ante commemoratis alluſiſſe. Ad quem etiam Propertius ut videtur, alluſit,

> *Cum tua prætendent demiſſa in pocula ſerta*
> *Et mox deducta carmina voce legis.*

Hujus moris infundendi pateris coronas hilaritatis gratia Iones ferunt eſſe auctores.

Unguentis quoque coronas imbuere veteres fuerunt nonnunquam ſoliti. Sic Rex Perſarum, teſte Plutarcho lib. 7. *Sympoſ. Probl.* 6. coronam è roſa & croco conſertam, unguento intinctam Antalcidæ Spartano miſit. Idem teſtatur Athenæus lib. 11. & Plutarchus 3. *Sympoſ. Probl.* 1. Plinius lib. 21. cap. 11. *Lautiſſimum quippe habetur*, inquit, *e nardi folio eas dari, aut veſte ſerica verſicolores unguentis madidas.* Eò ergo progreſſus eſt veterum luxuriæ, ut non contenti naturali florum odore illum vincere, ſeu potiùs corrumpere tentarent.

Nunc dicendum quoque quo tempore convivii hujuſmodi coronis uti conſueverint. Athenæus lib. 15. Nicoſtrati teſtimonio probat, τὴν εἴσοδον πρότερον τῶν στεφάνων, καὶ μύρων ἡγεῖσθαι τῆς τραπέζης, id eſt, *Unguenta & coronas prius in ſecunda menſa fuiſſe uſurpatas.* Item in libro ſuo, cui titulus δεῖπνον, dicit Philoxenum Dithyrambicum coronam feciſſe principium convivii. Eandem apud Ægyptios quoque conſuetudinem obtinuiſſe, idem teſtatur. Philoſtratus libro 2. teſtatur, Indos quoties apud Regem convivarentur, coronatos ad convivia acceſſiſſe. Communem ferè apud Græcos, & Romanos hanc conſuetudinem fuiſſe, ex veterum ſcriptis conſtat, ut ferè ad finem convivii, cùm largiori potui indulgere vellent, coronas, & unguenta ſumpſerint: ita ut corona fuerit ebriorum inſigne. Unde Mercurius apud Plautum in *Amphit.*

> *Capiam coronam mihi in caput, aſſimulabo me eſſe ebrium.*

Et paulò ante, *Ibo intrò, capiam ornatum, qui potum decet.*

Sic ſenex ille in *Pſeudolo* admirabundus inquit,

> *Quid ego video?*
> *Pſ. Cum corona ebrium Pſeudolum tuum.*

Hinc Propertius, *Sobrius ad lites, at cum eſt impoſta coronis,*
> *Clamabis capiti vina ſubeſſe meo.*

Memorabile quoque eſt quod Pomp. Feſtus ſcribit, Ægyptios inter potandum genus quoddam avium (quas *dagnades*, ſive *dacnades* appellarunt, forſan a δάκνειν, id eſt, *mordendo*) cum coronis devincire fuiſſe ſolitos, quæ vellicando, morſitandoque & cantitando aſſiduè non patiebantur dormire potantes.

Nec verò plectilibus tantùm, ſive ſubtilibus coronis atque ſertis: verùmetiam floribus uſi ſunt, quibus humum, triclinia, ſive loca cœnatoria ſparſerunt. Sic olim Heliogabalus, teſte Æl. Lampridio, triclinia, lectos, ac porticus omni florum genere, roſis, liliis, violis, hyacinthis, & narciſſis ſtravit, atque adeò in tricliniis verſatilibus paraſitos ſuos violis & floribus oppreſſit, ita ut multi animam efflaverint. Hunc coronarum uſum

non-

nonnulli improbant, de quo vide Plutarchum libro 3. *Sympoſ. Probl.* 1. & Cælium lib. 27. cap. 26. Plutarchi interpretem, & Clem. Alexandrinum.

Coronarum florearum hodie quoque in ſacris ac nuptialibus feſtivitatibus frequentem uſum eſſe conſtat. In Germania media, in quæ Miſnenſes, Bœthlandi, ac Thuringi cenſentur, ſingulis convivis ſubinde alias atque alias coronas imponi moris eſt, de variis florum pro tempore generibus aut etiam ex chartarum faſciis pictis, aut ex equinis ſetis tinctis: velut olim, Plinio teſte, ex ramento ex cornibus tincto, concinnatas. Coronariæ mulieres non exiguum apud illos quæſtum faciunt. Menſæ quoque plurimis in locis ſertis, vel etiam floribus ſolutis ſparguntur. In Sympoſiis quoque illis quæ per vices fiunt, corollæ illi, ad quem vices pervenere, imponi ſolent ceu convivii domino. Verùm de coronarum in genere uſu ſacro atque prophano, nominibus atque generibus variis, qui plura cupit cognoſcere, is legat Athenæum lib. 15. Plinium lib. 21. per aliquot capita, Perottum in *Cornucopia*, Theophraſtum, Lazium, Tyleſium, cujus peculiaris *de coronis* libellus extat, Cælium Rhod. 27. cap. 27. Stoeflerum in Procli Sphæram, Thomam Garzonum libro Italico, cujus titulus, *Piazza univerſale. Diſcurſ.* 109. & Hieron. Mercurialem *de re gymnaſtica*, qui præter alia annotat, priſcis illis temporibus priuſquam coronæ ex floribus, herbis & auro in uſum venirent, cœnaturos, cùm ad dolores capitis ex cibo & potu averruncandos, tum ad ebrietatem compeſcendam, laneis aut lineis vinculis tempora & frontem vincire ſolitos. Rationem hujus rei vide ibidem.

CAPUT XVII.

DE SERMONVM CONVIVIALIVM (QVI TERTIA SVNT PARS SVBSTANTIALIS CONVIVIORVM) NOMINIBVS, UTILITATE JVCVNDITATEQVE MIRIFICA. DE GARRVLITATE ET SILENTIO PERPETVO, CEV DVOBVS EXTREMIS, INTER EPVLAS VITANDO. DE GRIPHIS ET AENIGMATIBVS CONVIVIALIBVS. DE FACETIIS ET CAVILLATIONIBVS, AN, ET QVOMODO IIS VTENDVM.

Nunc de ſermonibus convivialibus, qui quidem tertia principalis ſubſtantialisque conviviorum pars videntur eſſe, nobis eſt dicendum. Sic enim Syracides quoque noſter optimus cùm aliorum, tum convivialium quoque officiorum præceptor atque magiſter, poſtquam docuit quomodo quis ſeſe in eſu atque potu gerere debeat, deinceps ſermonis quoque in conviviis benè moderandi optima præcepta tradit. Rectè autem potationi ſermocinationem ſubjungit ceu illius effectum. Nam ut Prætextatus ille inquit apud Macrobium lib. 7. cap. 1. *ſolet cibus cum ſumitur tacitos efficere, potus loquaces*, ſecundum illud Horatianum:

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Accidit itaque ferè ſemper, ut menſarum initio convivæ ſint taciturni, intenti ſcilicet patinis, & latrantem ſtomachum lenire curantes. Poſtea procedente & fervente convivio, liberaliore videlicet potu hilariores facti, ſermones & murmura exoriuntur.

Sermones porrò conviviales ſive epulares, ut ab Apulejo appellantur, à Græcis λόγοι, ἐξηγήσεις, ſive διηγήματα κυλίκια, ἐπικυλίκια, ἐπιτραπέζια (Germanicè tiſchreden) συμποτικά, συμποσιαστικά, λογόδειπνοι, λόγων ἑστίαι, eleganter appellantur. Κυλικηγορεῖν quoque Græcis eſt inter calices ſive ſcyphos loqui. Athenæus lib. 11. Inde κυλικηγόρος, qui inter pocula fabulatur, vel (ut Athenæus cap. 11. ait) ὁ πρὸς κύλικα λαλῶν, ſive ἐν τῷ συμπίνειν (πρὸς οἶνον Athenæus ſæpe, beym wein) λάλος ὤν. Idem docet Euſtathius Od. 1. f. 359. 24. Κυλικηγορεῖν urbanè dicitur ad ſimilitudinem τοῦ δημηγορεῖν, ſic etiam κυλικηγόρος, ut δημηγόρος. Δειπνολογία quoque dicti οἱ περὶ δείπνου λόγοι. Cælius lib. 14. cap. 58. Clearchus δειπνολογίαν vocat τὸ ἀποίημα, alii ὀψολογίαν, Chryſippus γαστρονομίαν, alii ἡδυπάθειαν. Hæc de nominibus. *Sermonum convivialium nomina Græca.*

Nunc de ſermonis convivialis utilitate jucunditateque quædam dicenda. Id certè convivii pulcherrimum ſuaviſſimumque ornamentum ſeu condimentum, atque adeò anima dici poteſt, quo ſublato convivium quodvis non modò injucundum, verùmetiam quaſi mortuum, ac proinde ne convivii quidem nomine dignum videtur eſſe: cujuſmodi convivium à Luciano κωφὸν καὶ ἄφωνον appellatur, quod ſimile eſt ſcholæ Pythagoricæ. Hinc Cicero in libro *de Senectute*: *Ego propter ſermonis delectationem tempeſtivis conviviis delector.* Item *ad Patum*: *Sed me Hercule*, inquit, *mi Pæte, extra jocum moneo te, quod pertinere ad beatè vivendum arbitror, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas. Nihil eſt aptius vitæ, nihil ad beatè vivendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero, ſed ad communitatem vitæ atque victus, remiſſionemque animorum, quæ maximè ſermone efficitur familiari, qui eſt in conviviis dulciſſimus.* Ex his Ciceronis verbis liquidò conſtat, id quod vel ipſa experientia quotidiana ſatis docet, ſermonem conviviis maximè aptum eſſe & accommodatum, ita ut ſi ille abſit, conviviorum nulla voluptas ac delectatio, imò nullus planè uſus eſſe videatur. De ſermone apud menſam: item, an & de quibus diſputandum in convivio, vide Jac. Pontanum lib. 2. *progymnaſ.* *Sermonum convivialium utilitas, & jucunditas.*

Nam cum, ut ſuprà dictum eſt, præcipuus conviviorum finis ſit amoris amicitiæque conciliatio atque conſer- *Oratio ſocietatis humanæ conciliatrix.*

servatio, illa certè non tam eiusdem cibi atque potus, quàm sermonis mutua communione videtur fieri, quemadmodum Plutarchus in *Præfat.* lib. 4. *Sympos.* egregiè docet. Oratio namque, ut Cicero inquit in libro *de Legibus*, & mentis est interpres & maxima humanæ societatis conciliatrix. Idem lib. 1. *Offic. Difficile dictu est*, inquit, *quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. Et quoniam magna vis orationis est, eademque duplex, altera contentionis, altera sermonis: contentio disceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, senatus: sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur, persequatur etiam convivia.* Idem libro *de Senectute*: *Conviviumque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem, quàm maximè possumus, vario sermone (non*, inquit, *propinationibus) producimus.* Idem paulò ante eodem in libro: *Epulabar igitur cum sodalibus omnino modicè, sed erat quidam fervor ætatis, qua progrediente omnia fiunt indies mitiora. Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quàm cœtu amicorum & sermonibus metiebar.* Et paulò pòst: *Ego verò propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus modò, qui pauci jam admodum restant, sed cum vestra etiam ætate atque vobiscum.* Idem *ad Pætum*: *Convivio delector, ibi loquor aliquid, quod in solum, ut dicitur, & gemitum, & risus maximos transfero.*

Ut ergo cibo atque potu corpora, ita sermonibus animi pascuntur ac delectantur. Unde apud Athenæum lib. 6. λόγοι καλοὶ τῆς ψυχῆς τροφή, id est, *sermones pulchri & honesti* eleganter sanè *animi cibus sive pabulum* appellantur. Et verbum ἑστιᾷν metaphoricè pro animum sermonibus pascere seu oblectare, creberrimè apud Platonem & alios auctores accipitur. Plutarchus libro 1. *Sympos. Problem.* 1. *Sunt*, inquit, *qui buglossa vino admiscent, aut solum rigant verbenarum, adiantorumque succis imbuta aqua, quòd hæc conviviis* εὐθυμίαν καὶ φιλοφροσύνην, id est, *hilaritatem aliquam comitatemque parare arbitrantur, imitantes Homericam Helenam, quæ medicamentum vino injecerit, nec intelligunt fabulam illam longo itinere ex Ægypto usque deductam, tandem in sermones decoros & elegantes desinere.* Bibentibus enim illis narrat Helena de Ulysse Οδ. δ.

Ἀλλ' οἷον τόδ' ἔρεξε καὶ ἔτλη καρτερὸς ἀνὴρ
Αὐτὸν μὲν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσας.
Infracta quantum tolerarit mente
Cùm se verberibus fœdè multasset acerbis, &c.

Hoc enim fuit opinor illud νηπενθὲς φάρμακον ἢ ἀνώδυνον, id est, *Nepenthes mœrorem abolens & dolorem amoliens*, nempe oratio præsentibus eventibus atque rebus accommodata. Eustathius quoque Οδ. δ. in illud carmen:

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθὲς, &c.

Illud νηπενθὲς interpretatur λαθικηδὲς, nimirum τὴν ἐν συμποσίῳ φιλικὴν ὁμιλίαν, ἧς ἀνακιρναμένης τῷ φιλοτησίῳ κρατῆρι, καὶ εἴτε σπουδαῖα, εἴτε καὶ ἄλλως ἡδέα, καὶ ἀστεῖα ζήτημα (ζητήματα legendum videtur) ὑποκινούσης, οὐκ ἔστι τὸν συμποσιάζοντα μνησθῆναί τινος τῶν ἔμπροσθεν κακῶν, οἷα χανδὸν ἐμπιμπλάμενον οὐχ οὕτω τοῦ περιζεοῦντος (ἐν κύκλῳ περιελαυνομένου) κρατῆρος, ὅσον τοῦ τῆς ὁμιλίας γλεύκους, ὑφ' ἧς πᾶν λυπηρὸν τῆς τοιαύτης ἐπικυλικίου ἡδύτητος ἐξωθεῖται, &c.

His similia sunt illa Macrobii lib. 7. cap. 1. *Nam (sicut fateri necesse est) in omni conventu aut tacendum est, aut loquendum. Quæramus silentium ne conviviis, an opportunus sermo conveniat. Nam si, sicut apud Athenas Atticas Areopagitæ tacentes judicant, ita inter epulas oportet semper sileri, non est ultra quærendum, inter mensas philosophandum necnè sit. Si verò non erunt muta convivia, cur ubi sermo permittitur inhonestus, honestus prohibetur? maximè cùm non minus, quam dulcedo vini hilarent verba convivium. Nam si Homeri latentem prudentiam inscruteris altius, delinimentum illud quod Helena vino miscuit, non herba fuit, non ex India succus: sed narrandi opportunitas, quæ hospitem mœroris oblitum flexit ad gaudium. Ulyssis enim præclara facinora filio præsente narrabat:*

Πάντα μὲν οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, &c.

Ergo paternam gloriam & singula ejus fortia facta dicendo, animum filii fecit alacriorem, & ita credita est contra mœrorem vino remedium miscuisse. Quid hoc, inquis, ad Philosophiam? Imò nihil tàm cognatum sapientiæ, quàm locis & temporibus aptare sermones, personarum quæ aderunt, æstimatione in medium vocata. De eadem Helena sic Athenæus scribit lib. 5. cap. 3. *Helena Jovis filia, quæ multa ex Ægyptiis sapientibus didicerat*, πανακὲς *revera pharmacum in vinum conjicit, cœpitque narrare Ulyssis casus.* Eustathius Οδ. ε. folio 210. 6. in illud carmen:

----- Παρέθηκε (Calypso Mercurio) τράπεζαν ἀμβροσίης πλήσασα, &c.

ἐπιτραπέζιον τοῦτο νέκταρ, καὶ ἡ ἀμβροσία τὸ φιλοτήσιον αἰνίττεσθαι δύναται ὁμιλίαν τὴν συμποτικήν.

Plutarchus porrò loco paulò ante citato, eleganter dicit, Bacchum non minus Musis, quàm Nymphis esse diluendum, quoniam ἐκεῖναι μὲν τοῖς σώμασιν ἵλεον καὶ πρᾶον, αὗται δὲ τὰς ψυχαῖς μειλίχιον ὄντως, καὶ χαριδότην ἐπάγουσι, id est, *Quòd hæ corporibus mitem, illæ animis revera benignum & beneficum præstabunt.* Sic Macrobius lib. 7. cap. 1. *Crateri liquoris ad lætitiam nati adhibeatur non modò Nympharum, sed Musarum quoque admistione temperies, &c.* His non absimile illud quod apud Heliodorum libro 5. Æthiopicæ historiæ Cnemon dicit ad Nausiclem: Καί μοι δοκεῖς καὶ τοῦ δαιμονίου μάλιστα συνιέναι τὴν Ἑρμῆν τῷ Διονύσῳ συγκαθιδρύων, καὶ λόγων ἥδυσμα τῷ ποτῷ συναναχέων, id est, *Videris mihi rei sacræ rationem optimè callere, qui Bacchum Mercurio associas, & orationis condimentum poculis permisces.* Zenonem ferunt interrogatum à quodam, *cur cùm natura esset severus, in convivio tamen hilaresceret*, lepidè respondisse: *Et lupinum cum sit suapte natura amarum, tamen*

aqua

aqua maceratum dulcescere. Naturale est cibo potuque rigato corpore discuti tristitiam. Verùm hoc non tam cibis atque potui, quàm sermonibus, ceu epulis animi, videtur tribuendum. Athenæus libro secundo ex Hesiodo in *Melampodia*:

Ηδὺ γάρ ἐστι δαιτὶ καὶ εἰλαπίνῃ τε θαλείῃ
Τέρπεσθαι μύθοισιν ἐπὴν δαιτὸς κορέσωνται.

Id est,

Dulce etenim gratis inter convivia lauta
Mulceri verbis saturato corpore primum.

Bachilides quoque poëta benè sanè sapienterque quatuor hæc scribit justo convivio inesse debere: primum est, cibi potusque apparatus: secundum, colloquia suavia: tertium, vera convivarum benevolentia: quartum, bonum vinum, quo senes maxime delectantur.

Ab hac porrò utilissima suavissimaque inter scyphos confabulandi consuetudine, multi præclari libri promanarunt, qui ferè *Sermones conviviales* sive *Convivia* inscribuntur, qui quidem non ea modò, quæ ad convivia epulasve propriè pertinent, verùmetiam multa alia cognitu utilia atque jucunda, ac proinde cognitione dignissima complectuntur. Hujusmodi est *Symposium* Platonis, Xenophontis, Luciani, Plutarchi, Macrobii *Saturnalia*, Athenæi *Dipnosophistarum* libri 15. Antiquis illis similes sunt Georgii Pictoris *Conviviorum* libri duo, necnon *Convivialium sermonum* alii libri duo. Item, *Conviviorum* Francisci Philephi libri duo varia eruditione referti. His adde *Conviviales sermones* Gastii Brisacensis, Joannis Peregrini Petrosolani, Peuttingeri de Germania, Joan. Manlii & aliorum. Hinc Plutarchus lib. 1. *Sympos. Probl.* 1. *Viri*, inquit, *præstantissimi, Plato, Xenophon, Aristoteles, Speusippus, Epicurus, Hieronymus, Dion Academicus operæpretium duxerunt* ἀναγράψασθαι λόγους παρὰ πότον γενομένους, id est, *conscribere sermones, qui inter scyphos fuerunt habiti, existimaveruntque debere nos colligere quicquid de rebus ad humanitatem pertinentibus memoria dignum, sparsim vel apud exteros, vel in Græcia in mensa & inter pocula disputatum sit.* Ad quem morem dicit se jam tres libros confecisse, quorum singuli decem quæstiones conviviales continent. *Sed & quæstiones*, inquit Origines *Homil.* 1. in Cant. Canticorum, *de amore quasi in conviviis propositæ referuntur, inter eos puto, inter quos non ciborum, sed verborum convivium gerebatur.*

Adhuc in genere de Sermonis convivialis utilitate, jucunditateque dictum est, cui omnes sanè vel delicatissimi cibi potusque longè sunt postponendi: nunc id quod caput est, de ejusdem bene temperandi moderandique ratione dicamus. Nam cùm in omni hominum consuetudine atque congressu, tum in hoc quoque jucundissimo suavissimoque cœtu conviviali danda est in primis opera, ut sermone bene, atque ita ut decet, utamur, cujus ut usus justus atque legitimus inter epulas jucundissimus esse solet: ita ejus abusus non injucundus modò atque fastidiosus, verumetiam pernitiosus vehementer esse consuevit. Hìc itaque primò omnium, ut in omnibus actionibus, aurea illa mediocritas servanda est, modusque adhibendus, duo vitanda extrema. Unum est excessus, garrulitas nempe sive loquacitas effusa & effrænis: alterum est defectus: taciturnitas sive silentium pertinax atque perpetuum, cujus sanè utriusque extremi sive vitii plerunque immoderata cibi potusque ingurgitatio causa existit. Gellius libro decimo tertio, cap. undecimo: *Nec loquaces*, inquit, *convivas, nec mutos legere oportet. Quia eloquentia in foro & apud subsellia: silentium verò non in convivio, sed in cubiculo esse debet.*

In conviviis duo vitanda extrema, loquacitas, & silentium perpetuum.

Primò igitur garrulitas sive loquacitas, quæ à Græcis eleganter ἀδολεσχία, φλυαρία, ἀσιγησία, λογοδιαῤῥοία, ἀπεραντολογία, μακρολογία, πολυλογία, λαλία, κενολογία, λογοφιλία, γλωσσαλγία appellatur, cùm omni in congressu, tum in conviviis summopere est fugienda. Clemens Alex. lib. 2. cap. 7. Οὔτε μακρολογητέον, οὔτε πολυλογητέον, οὔτε ἀδολεσχητέον. Hanc garrulitatem Astydamas eleganter *linguæ deambulationem* appellavit in hoc carmine:

Γλώσσης περίπατός ἐστιν ἀδολεσχία,
Ληρεῖς ἐν οὐ δέοντι καιρῷ φιλοσοφῶν.

Id est,

Linguæ garrulitas est deambulatoria,
Nugaris non congruenti tempore philosophans.

Ἀδολεσχίαν Theophrastus definit in *Characteribus* suis λόγων μακρῶν καὶ ἀπροβουλεύτων διήγησιν, hoc est, *longorum & inconsultorum sermonum effutitionem*: de quo vitio vide quæ adnotat Cassaubonus in commentario suo in *Characteres* Theophrasti, cujus quantum sit vitium, apertè docet & scripturæ auctoritas, & ipsa ratio sive natura. Syracides enim cap. 7. inquit: *Ne sis loquax apud seniores, & cum oras, tempera tibi à multiloquio.* Nota quoque est illa Solomonis sententia Prov. 10. cap. 9 *In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua, prudens est.* Et cap. 27. *Cohibet eloquia sua, qui scit scientiam, & pretiosus spiritus est vir intelligens.* Item Ecclesiastic. cap. 6. 11. *Sanè verba multa multiplicant vanitatem, quid amplius homini?* Et Ecclesiastici cap. 19. & 20. multa in hanc sententiam præcepta extant contra garrulitatem: *Qui multa garrit, fastiditur, & qui arrogat sibi potentiam, odio habetur.* Ἔστω πᾶς ἄνθρωπος, inquit Jacobus cap. 1. Epist. suæ, ταχὺς εἰς τὸ ἀκοῦσαι, βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι, βραδὺς εἰς ὀργήν. Hesiodus lib. 2. *Op. & Dier.*

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς. πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

Hoc

Hoc est:

Optimus est hominis linguæ thesaurus, & ingens
Gratia, quæ parcis metitur singula verbis.

Huc facit illud Ciceronis: *Nec verò tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios, sed cùm reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicissitudine nonnunquam utendum putet.* Idem: *Animadvertendum est etiam, quatenus sermo delectationem habeat, & ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.* Plutarchus *Symp.* 8. *Prob.* 1. Nullum cibum, nullumve potum non debito modo apparatum tam insuavem esse dicit, quàm sit sermo ἀκαίρως καὶ ἀνοήτως, id est, *intempestivè & insipienter* in convivio circumagitatus. Præterea cùm Philosophi ebrietatem vituperantes λήρησιν πάροινον, id est, *delirationem è vino obortam* appellent, nihil esse aliud ληρεῖν, ἢ λόγῳ κενῷ χρῆσθαι καὶ φλυαρώδει, id est, *delirare, quàm sermone uti vano atque nugaci.* Cum autem λαλία ἄτακτος & φλυαρία, id est, *garrulitas incomposita atque nugæ* vino accedunt, tunc finem exitumque sequi ἀμουσότατον καὶ ἀχαριστότατον, ὕβριν καὶ παροινίαν, id est, *inscitum planè atque ingratum, contumeliam nimirum & bacchationem.*

Quàm porrò effrænata hæc immoderataque loquendi libido sit indecora, turpis, inhonesta, perniciosa atque odiosa, pluribus Plutarchus docet in aureo illo suo libello περὶ τῆς ἀδολεσχίας, ubi ex professo rem hanc tractat. Primò igitur vitium hoc curatu difficillimum esse probat hoc argumento. Nam oratio, quæ ad morbum illum depellendum valet, est audientium. At garruli neminem audire volunt: semper enim loquuntur. Τοῦτο γὰρ ἔχει πρῶτον κακὸν ἡ ἀσιγησία, τὴν ἀνηκοΐαν, id est, *Hoc enim primum mali iis, qui tacere nesciunt, inest, quod nihil audiunt.* Est namque κωφότης αὐθαίρετος, id est, quædam quasi surditas ultrò accita contra hominum naturam, ut videtur, culpantium, quòd unicam eis linguam, duas aures dederit. Quod si verò quid exiguum garrulus audiverit, id arreptum veluti æstus affluentis maris illicò multiplicatum reddit. Et ut porticus Olympiæ unam vocem multis reflexionibus resonabat, unde ἑπτάφωνος, id est, *septivox* dicta: sic garrulitas vel minima voce si tangitur, statim sonitus reddit varios, ita ut auditus foramina garrulis non in animum, sed in linguam desinere videantur. Deinde cùm aliis vitiis dediti, ut avaritiæ, ambitioni, intemperantiæ, plerunque iis, quæ appetunt, potiantur: garruli contrà voto suo magna cum animi sui molestia frustrantur. Cupiunt enim habere multos auditores, at omnes illos fugiunt & aversantur. Itaque quemadmodum orto silentio in colloquutione aliqua, Mercurium ajunt subintrasse: ita cum in consessum aut convivium notorum garrulus aliquis sese infert, omnes obticescunt, ne illi loquendi ansam præbeant, & si ille vel ultrò hiscit, illicò universi digrediuntur, æstum & nauseam veluti borea circa maritimum promontorium fremente prævidentes. Itaque omnes ab illorum convictu, contubernio, quovis denique congressu atque consuetudine abhorrent, illam quocunque modo possunt, vitant atque fugiunt. Huc facit illud Ecclesiastici cap. 20 *Qui multa garrit, fastiditur: & qui arrogat sibi potentiam, odio habetur.* Unde Aristoteles absurdis quibusdam atque futilibus narratiunculis à garrulo quodam vexatus, subinde dicente: *Nonne hoc mirum est Aristoteles?* respondet: *Non profectò hoc mirum est, sed si quis pedibus præditus te sustinet atque tolerat.* Verùm etiamsi quis illos audire cogatur: tamen animum non advertit. Unde idem Aristoteles cuidam id genus homini post multa verba dicenti: *Molestus tibi mea loquacitate Philosophe fui. Non me hercule*, inquit, *non enim adverti animum.* ὥσπερ οὖν τῶν πρὸς τὰς συνουσίας ἀκαταφόρων ἄγονον εἶναι τὸ σπέρμα λέγουσιν· οὕτω τῶν ἀδολέσχων ὁ λόγος, ἀτελὴς καὶ ἄκαρπός ἐστι, id est, *Ut eorum qui ad Venerem sunt proclives semen ajunt esse sterile: ita & garrulorum sermo futilis est atque infructuosus.*

Garrulitas vitium curatu difficillimum.

Garrulitas a natura aliena.

Præterea loquacitatem vel ab ipsa natura alienam esse docet, eò quod nullum nostrorum membrorum natura perinde atque linguam vallo coërcuit, positis ante eam præsidii loco dentibus, ut si ratione intra resonantia fræna premente, obedire nolens prosiliret, morsibus eam lancinantes, ejus intemperantiam compescerent. Non enim ἀχαλίνων ταμιείων, οὐδὲ οἰκημάτων, ἀλλὰ στομάτων τὸ τέλος δυστυχίαν, id est, *Non enim penuum aut conclavium seris, obicibusve carentium, sed oris effrænis finem esse calamitatem*, dixit Euripides. Hoc ipsum Zeno quoque, naturam nempe binas dedisse aures, & unam tantùm linguam, eamque duplici vallo, nimirum dentium & labiorum coërcitam, ne temerè exiret. Hinc Ecclesiasticus quoque eleganter dicit: *Sepem spinosam prætexis tuis prædiis, quare non potius ori tuo obdis ostium & repagulum?* (Hinc ora ἄθυρα καὶ ἄκλειστα eleganter à Plutarcho appellantur) *Aurum & argentum tuum expendis libra, quare non trutinas verba tua in libella aurificis?*

Garrulis non habetur fides.

Præterea garrulis fides non habetur, quam quidem omnis oratio expetit. Orationis namque finis est fidem facere audienti. Ἀπιστοῦνται γὰρ οἱ λάλοι κἂν ἀληθεύωσι, id est, *loquacibus fides derogatur, etiamsi vera dicant.* Nam sicut triticum vasi inclusum, mensura quidem ampliùs, usu verò deterius reperitur: sic loquacis hominis sermo mendacii largum additamentum habet, quod fidem vero derogat.

Garrulitatis causa ebrietas.

Adhæc ebrietatem ceu insaniæ sociam atque comitem quivis vir verecundus atque modestus vitat: ac nullo nomine ebrietas magis culpatur, quàm τῷ περὶ τοὺς λόγους ἀκρατεῖ καὶ ἀορίστῳ, id est, *loquendi intemperantia atque libidine effrænata.* Pluribus deinceps docet ebrietatem garrulitatis esse causam: unde etiam Philosophi ebrietatem definiunt λήρησιν πάροινον, id est, *vaniloquentiam vinolentam.* Itaque βαθύ τι καὶ μυστηριῶδες ἡ σιγὴ καὶ νηφάλιον, ἡ δὲ μέθη λάλον, ἄνουν καὶ ὀλιγόφρονα, διὰ τοῦτο καὶ πολύφωνον, id est, *silentium arcanum quiddam & sacris simile atque sobrium est, at ebrietas loquax est: mente enim & prudentia vacat, ideoque vocalis.* Malunt multi loqui vel cum pravis hominibus ἐπιδεξίοις, id est, opportuno sermone utentibus, quam cum bonis garrulis. πᾶσαν ἔργου χάριν ἡ τῶν λόγων ἀκαιρία διαφθείρει καὶ ἀπόλλυσι, id est, *omnem facti initam gratiam dictorum importunitas perdit atque corrumpit.* Σοφὸν γὰρ σιγὴ εὔκαιρος, καὶ παντὸς λόγου κρεῖττον.

Πολλοῖς

Πολλοῖς γὰρ ἀνθρώποισιν φάρμακον κακῶν σιγὴ, μάλιστα δ' ἐστὶ σώφρονος τρόπου σημεῖον· inquit Carcinus. Item Demosthenes: ἀσφαλὲς τὸ σιγᾶν. Rabbini Hebræorum, silentium sapientiæ sepem scitè admodum appellarunt.

Præterea quàm ταυτολογίαι, id est, eorundem sermonum crebræ repetitiones, quibus garruli utuntur, molestæ sint odiosæque auditoribus pluribus, docet eleganti hac utens similitudine. Nam quemadmodum vinum ἡδονῆς καὶ φιλοφροσύνης εὑρημένον, id est, *voluptatis comitatisque gratia inventum*, illos qui eo intemperanter uti coguntur, ad tristitiam vinolentiamque redigit: οὕτως καὶ τὸν λόγον ἥδιστον ὄντα καὶ φιλανθρωπότατον συμβόλαιον οἱ χρώμενοι κακῶς, καὶ προχείρως ἀπάνθρωπον ποιοῦσι, καὶ ἄμικτον, οἷς οἴονται χαρίζεσθαι, λυποῦντες. καὶ ἀφ' ὧν θαυμάζεσθαι, καταγελώμενοι, καὶ δι' ὧν φιλεῖσθαι, δυσχεραινόμενοι, id est, *Ita sermonem, cujus suavissimum est & humanissimum commercium, qui malè eo temerè utuntur, inhumanum ac insociabilem reddunt, molestiaque afficiunt eos, quibus se putant gratificari: & deridentur ab iis, quibus volunt esse admirationi: invisique eorum causa fiunt, ob quæ se putant amari.* Itaque cum reliquorum viliorum quædam sint cum periculo conjuncta, alia odiosa, alia ridicula, hæc omnia garrulitati optimè congruunt. Nam & cùm communia narrant, subsannantur, & in odium incurrunt, mala nunciantes: & in periculum veniunt, dum arcana continere nequeunt. Subjungit deinceps exempla quorundam, quibus garrulitas noxia atque perniciosa fuit, dum arcana quædam atque secreta prodiderunt. Natum hinc est illud, *Odi memorem compotorem*: de quo vide Gesneri *Physica*.

Garrulitas odiosa omnibus.

Silentium contrà, quod loquacitati opponitur, rem non modò utilem, sed etiam sacram esse docet. *Loquendi*, inquit, *magistros habemus homines, tacendi deos, adhibito ad sacrificia & arcanos ritus silentio.* Homerus quoque & Ulyssis hominis sapientissimi, & filii ejus, necnon uxoris & nutricis atque sociorum taciturnitatem vehementer laudat. Proinde rectè Pittacus cùm ei hostiam misisset Rex Ægypti, jussissetque optimam & pessimam carnem eximere, exemptam linguam ei misit, ut cùm bonorum, tum malorum maximorum instrumentum. Imò autem Euripidea laude fuit digna, quæ ait se scire:

Silentium.

Σιγᾶν τε ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές.

Id est,

Tacereque in loco, & cum tutum est eloqui.

Docet deinceps arcana omnino quæ esse volumus, nulli prorsus esse committenda, quæ si vel uni significata fuerint, illicò divulgantur. Nam quemadmodum unitas non egreditur suum terminum, sed (quod & nominis ratio docet) simpliciter unum manet: binarius autem principium infinitum est diversitatis, qui statim duplicando mutat suam naturam, & ad multitudinem vergit: sic sermo in primo manens verè arcanus est, si ad alterum efferatur, jam famæ locum obtinet. Et ut avem è manibus dimissam non est facile denuò comprehendere: ita neque sermo ex ore emissus rursum capi ac teneri potest. Unde verba alata Homerus appellat, navim à vento correptam funibus & anchoris inhibent, ejusque velocitatem frangunt: orationi autem ex ore tanquam è portu semel egressæ nulla statio, nullus anchoræ jactus est reliquus, sed magno cum sonitu & fragore vecta, auctorem in grave magnumque aliquod periculum demergit.

Arcana nemini facile committenda.

Præterea τῇ ἀδολεσχίᾳ, καὶ ἡ περιεργία κακὸν οὐκ ἔλαττον πρόσεστι, id est, *cum garrulitate conjunctum est aliud non minus malum, nempe Curiositas.* Garruli namque multa audire volunt & abscondita præsertim atque arcana scrutantur, quo uberior illis garriendi facultas suppetat. Deinde sunt instar puerorum, qui glaciem neque tenere volunt, neque dimittere: imò veluti serpentibus in sinum collectis non continent, sed ab iis produntur. Belonas pisces & viperas partu rumpi ajunt, arcana autem eos, qui non continent, foras prolapsa perdunt, id quod probat exemplis quibusdam. Tonsores autem maximè loquaces esse atque garrulos (unde Theophrastus τὰ κουρεῖα eleganter μέθην ἄοινον appellavit) inde probat, quod omnium loquacissimi ad illos confluunt, iisque adsident, ita ut consuetudinem garriendi inde parent. Itaque eleganter Archelaus Rex garrulo tonsori, qui jam tectis linteo humeris quærebat: *Quomodo te tondebo rex?* respondit: *Tacens.* Hinc proverbium: *Tonsoribus atque lippis notum*: de re maximè nota & pervulgata. Præterea garrulos homines proditoribus omnium deterrimo ac perditissimo hominum generi comparat, imò iis deteriores esse dicit. Garrulus enim proditor nullo conductus est pretio, ultroque suam operam offert, non equos prodens aut munitiones, sed arcana publicans dicta in judiciis, in seditionibus, in certaminibus, de Repub. quæ tandem in ipsius perniciem interitumque vergunt.

Curiositas cum garrulitate conjuncta.

Hæc Plutarchus verè profectò sciteque de garrulitate disseruit, quæ meritò quemvis ab illa deterrere debent. His addit postremò duplicem & quidem generalem cùm garrulitatis, tum cujusvis alterius vitii sanandi atque curandi medicinam, ea est κρίσις & ἄσκησις, id est, *judicium & exercitatio.* Judicium autem præcedit exercitationem, cum nemo se assuefaciat ad vitandum & ex animo omnino evellendum ea quæ ei molesta non sunt. Invisa enim tum demum nobis vitia fiunt, cùm illorum damna atque turpitudo nobis fuerit cognita atque perspicua. Primò ergò cùm garrulitatis incommoda ac turpitudinem: tum ἐχεμυθίας, id est, *silentii* atque taciturnitatis, quæ ei contraria est, laudes, commoda, honestatemque animo suo quis diligenter reputabit atque revolvet. Deinde exercitatio quomodo capienda & τῇ βραχυλογίᾳ, id est, *breviloquentiæ* studendum, pluribus docet: quomodo item interrogationibus & responsionibus utendum.

Garrulitatis remedium duplex.

Etsi autem effusa illa immoderataque loquentia in convivio præsertim omni hominum generi maximè est vitanda: tamen inprimis mulieribus atque adolescentibus, quorum maximum ornamentum est silentium tempestivum atque moderatum, signum pudoris, verecundiæ atque modestiæ, qui quidem internus est animi orna-

Mulieres & juvenilem ætatem silentium maximè decet.

ornatus. Ergo & mulieres in præsentia virorum, & juvenes præsentibus senioribus linguis favere & parci omnino sermonis esse debent: ad audiendum atque discendum, quàm ad dicendum propensiores. Dicendi ergo partes senibus potissimum relinquant, sibi tacendi potiores partes sumant. Turpe enim & vitiosum est eos, qui puerili & juvenili sunt ætate plura in convivio loqui, quàm eos qui sunt ætatis provectioris. Signum enim hoc est & argumentum magnæ immodestiæ, agrestis cujusdam & illiberalis animi. Atque de hoc ipso quidem sic Syracides noster in convivialibus suis præceptis disserit cap. 32. *Senior loquatur: nam ipsum id decet ut rerum peritum.* Et paulò post: *Adolescenti etiam licet loqui semel aut iterum, cum opus est. Et cum interrogatus fuerit, breviter loquatur, sic se gerens ut agnoscat se imperitum esse, qui tacere malit. Non parem se existimet dominis, & seniori loquenti non interrumpat sermonem. Tonitrua conjunctas habent coruscationes, verecundia conjunctum habet magnum favorem.* Hæc ille. Idem cap. 7. *Ne sis loquax apud seniores,* &c. Convivium ergo rectè nonnulli monent simile esse debere alphabeto, in quo sunt Vocales, Semivocales, Mutæ. Vocales sunt senes, docti prudentes, usu periti. Simivocales sunt juvenes, interrogati breviter & modestè respondent. Non interrogati sint mutæ, nec alios loquentes interpellant. Quod autem de juvenili ætate dictum est, idem de muliebri sexu est affirmandum, quem in conviviis maximè taciturnum esse decet. Et tamen hodiè inter Christianos multæ reperiuntur mulieres, quæ excusso omni pudore non dubitant in publicis conviviis canere, mimas agere, ludere, saltare, garrulitateque sua ipsos viros obtundere, & ne ab obscœnis quidem dicteriis abstinent, cum magnæ pudicitiæ castitatisque suæ periculo. Clemens Alexand. lib. 2. *pædag.* cap. 7. σιγὴ μὲν γὰρ ἀρετὴ γυναικῶν ἐστι, ἀκίνδυνον δὲ τῶν νέων γέρας, id est, *Silentium mulierum est virtus, adolescentium honor periculi expers.* De silentio puerorum & mulierum ornamento vide plura apud M. Mantuam in *Polymathia* lib. 11. cap. 3. Hæc de uno extremo.

Non silentio perpetuo utendum inter epulas.

Alterum extremum est perpetuum ac pertinax silentium sive taciturnitas, quæ ipsa quoque in convivio est vitanda. Est namque valdè odiosa atque molesta, & vel odii, iræ atque inimicitiæ, vel nauseæ atque fastidii: vel superbiæ atque arrogantiæ: vel ebrietatis: vel etiam inscitiæ, stultitiæque suspicionem parit. Nam conviva qui semper tacitus, imò mutus & elinguis in convivio sedet, ob aliquam causarum commemoratarum id facere videtur. Itaque illi qui semper tacent, loquuntur imò vociferantur, dum alto illo suo silentio quasi alta voce vitiosos animi sui affectus abstrusos atque reconditos aperiunt atque produnt: ac proinde convivis reliquis plurimùm molestiæ, fastidiique conciliant. Apud Xenophontem Socrates quendam interrogans: ait: *Dic mihi quid sit se turpiter gerere in convivio.* Cui ille respondit: *Quid sit non possum dicere: sed quid mihi videatur, dicam.* Dic igitur quid videatur? Est λυπεῖν τοὺς συμπότας, id est, *convivas molestia afficere*, respondit ille. Cui Socrates: *Hoc tu facis, quia tacendo nobis omnibus es molestus.* Simonides ad quendam in convivio semper tacentem hoc apophthegmate usus est: Εἰ μὲν ἠλίθιος εἶ, σοφὸν πρᾶγμα ποιεῖς, εἰ δὲ σοφὸς, ἠλίθιον. Hoc est: *Si es stultus, sapienter facis, quod taces: sin sapiens, insipienter.* Verissimum quoque est illud Plutarchi libro octavo *Sympos. problem.* primo. Σιωπῶντας μὲν γὰρ ἐμπιπλαμένους μετ' ἀλλήλων κομιδῇ συώδες καὶ ἴσως ἀδύνατον, id est, *tacentes enim eos qui conveniunt impleri nimis quam porcorum mori est affine? atque haud scio an etiam fieri possit.*

Ebrietas utriusque extremi, id est vitii causa.

Utriusque autem hujusmodi extremi, hoc est, cùm futilis & inanis loquacitatis: tum intempestivi, importuni atque morosi silentii potissima causa est ebrietas, quæ hominum linguas aliâs ad intemperanter garriendum & quidvis effutiendum incitat: aliâs quasi vinculis quibusdam ita astrictas & impeditas tenet, ut non modò nihil viro bono dignum effari ac eloqui possint, sed mutæ planè sint atque elingues. Sic enim ebrio, cujus lingua officium suum ampliùs facere non potest, vulgò nos Germani dicimus, os esse abscissum sive amputatum.

Sermones epulares magnorum principum.

Multos contrà legimus magnæ auctoritatis atque sapientiæ viros in conviviis non perpetuo silentio fuisse usos. Cyrum Persarum regem scribit Xenophon in conviviis prudentissimos lepidissimosque sermones habuisse cum principibus, quos mensæ suæ participes fecerat. Optimè enim noverat modestis facetiis, quæ scurrilitate carent, animi vigorem recreare, & ad honestos labores alacrem reddere. Sic Cleomenes rex Lacedæmoniorum in suis conviviis nec ludos ullos, nec cantus adhibebat, sed ipse convivas oblectabat partim quærendo, partim commemorando rem aliquam jucundam auditu, ita ut ejus sermones graves simul essent & jucundi, ita tamen ut abesset dissolutio: testis est Plutarchus in ejus vita. Epulæ quoque Emanuëlis regis Lusitaniæ, teste Orosio in historia de ejus rebus gestis, dulci magis & erudito sermone, quàm coquorum artificio erant conditæ. Adrianus similiter Imperator semper circa se & Romæ & extra urbem Optimates habuit, quos etiam in conviviis adhibebat: quapropter quartus sæpè recumbebat. Venabatur quoties contingebat, prandebatque sine vino (prandium caninum) deinde cum principibus & optimis viris cœnabat, & semper erat cœnatio omnifariam sermonibus referta: teste Dione Cassio. Vespasianus & super cœnam & semper aliâs comissimus, multa joco transigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ & sic scurrilis ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis, id est, obscœnis abstineret, Suetonio teste. Cretenses in suis Syssitiis post cœnam de rebus publicis primùm consultare solent, postea de rebus in bello gestis mentionem faciunt: eosque laudant, qui viri & boni & fortes fuerunt, juvenes interim ad probitatem fortitudinemque simul adhortantes. Athenæus lib. 4. cap. 72.

De materia sermonum convivialium.

Nunc de convivialium sermonum materia est dicendum, quæ quidem varia est, multiplex ac penè infinita, nullis certis terminis circumscripta ac definita. Omnibus namque de rebus, quæ vel in cœlo, vel in terra continentur, atque etiam de iis quæ non sunt in rerum natura inter epulandum verba possunt fieri atque etiam solent. Et quidem quales sunt convivæ, tales plerunque etiam illorum solent esse sermones conviviales.

A ve-

A veteribus sæpè quæsitum & disputatum fuit, quibusnam de rebus inter epulandum dici debeat. Gellius lib. 13. cap. 11. hanc Varronis hac de re sententiam commemorat: *Sermones igitur*, inquit, *id temporis* (inter epulandum) *habendos esse censet, non super rebus anxiis aut tortuosis, sed jucundos atque invitabiles cum quadam illecebra & voluptate utiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat & amœnius. Quod profectò*, inquit, *eveniet, si de id genus rebus ad communem vitæ usum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non est otium.* His similia sunt illa Macrobii lib. 7. *Saturn.* cap. 1. *Deinde ubi sibi locum patere videat* (scilicet philosophus) *non de ipsis profunditatis suæ inter pocula secretis loquetur: nec nodosas & anxias, sed utiles quidem facilesque quæstiones movebit.* Idem, *oportet*, inquit, *versari in convivio sermones, ut castitate integros, ita appetibiles venustate.* Lucianus λόγους ἀστείους καὶ φαιδροὺς conviviis congruere dicit in *Cronosolon.*

Et tamen hunc veterum morem fuisse legimus, ut in conviviis griphi & ænigmata, hoc est, quæstiones jocosæ quidem, sed argutæ, anxiæ, scrupulosæ, difficiles intellectu proponerentur, id quod cum prophanarum, cum sacrarum literarum testimoniis comprobari potest. Athenæus lib. 10. cap. 17. copiosè de illis scribit. Griphi & ænigmata convivialia.

Ac primò quidem γρίφου definitionem affert ex Clearcho Solensi hujusmodi: γρῖφος πρόβλημά ἐστι ἐπιπαιστικόν, προστακτικόν, τοῦ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν, τιμῆς, ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον, id est, Gryphus quæstio est jocosa sive ludicra, quæ imperat cogitatione invenire propositam rem vel honoris vel mulctæ gratia dictam. Suidas, γρῖφος τὸ δίκτυον λέγεται (etiam γρῖπος appellatur) καὶ ὁ δύσκολος καὶ ὁ συμπεπλεγμένος λόγος, ὁ ἔχων πάθος ἐν ἑαυτῷ μὴ φαινόμενον· sive γρῖφος ὁ ἀσαφὴς λόγος· unde λόγος γριφώδης, Hoc est, *griphus & rete sive sagenam, & sermonem difficilem, obscurum, implicitum, nodosum significat.* Vocantur etiam γριπίσματα & γριφεὺς dicitur, qui hujusmodi quæstiones ænigmaticas solvit. A Theodecte Phaselita, qui hujusmodi griphos sive ænigmata & proponendi & solvendi scientissimus fuit, μνημόνια fuerunt appellata, eò quòd ille memoriæ vi pollebat: testis etiam Pollux: ut ex Hermippo Athenæus probat eodem libro.

Dicebantur etiam vulgo ζητήματα κυλίκια, teste Polluce, hoc est, quæstiones pocillatoriæ, quia inter pocula proponebantur. Horum septem genera ab Athenæo commemorantur ex Clearcho, qui peculiarem de illis librum scripsit. Symbola quoque Pythagorica griphi & ænigmata apud Athenæum appellantur. Fuit porrò moris, ut idem testatur, ut ei qui griphum sive ænigma propositum solvere poterat, carnis certa portio præmii loco tribueretur: contrà verò ii qui id non poterant, ἔπινον ἅλμην παραμισγομένην τῷ αὑτῶν πότῳ, καὶ ἔδει προσενέγκασθαι τὸ ποτήριον ἀπνευστί, id est, *potionem salsam uno haustu sine respiratione bibere cogebantur:* & hæc erat illorum pœna: id quod Athenæus Antiphanis poëtæ testimonio probat: γρῖφον προβάλλεις τοῦτον εἰπεῖν δέσποτα, id est, *Ænigma proponis hoc domine solvendum?* Et paulò post de eorum qui non solvissent, pœna sic differit, ἅλμης δ' ἔχειν σε περιφέρειν ποτήριον, Præmia & pœna eorum qui griphos solvere, vel non solvere poterant.

Οἶσθ' οὖν ὅπως γε δεῖ σε τοῦτο ἐκπιεῖν,
Κομιδῇ γε πῶς ἐνέχυρον ἀποφέροντά σοι.
Οὐκ, ἀλλ' ὀπίσω τοι χεῖρε ποτήσαντα δεῖ
Ἕλκειν ἀπνευστί, ----

Id est, *Salsuginis poculum circumferre oportebat;*

Scis ergo illud tibi ebibendum esse.
Num adferentem tibi protinus monstrabam?
Non: verùm rejectis post tergum manibus oportet
Exhaurire uno spiritu.

Griphi Lucianus meminit: *Quid*, inquit, *sunt homines? Dii mortales. Quid verò Dii? Homines immortales. Ænigmata profers & griphos conglutinas equidem, ut Loxias, apertum nihil promis.* Eustathius Ὀδ. χ. fol. 785. γρῖφος δύσκολον ζήτημα ὃ ἐν συμποσίοις ἔλεγέ τις προκειμένης φιάλης οἴνου γεμούσης, καὶ ὁ ἐπιλυσάμενος ὡς ἂν ἀπορηθὲν, ἐξέπινεν. εἰ δὲ μή, ὁ ἀπορήσας ἐνεφορεῖτο τῆς φιάλης. Aristophanes in Σφῆκες·

Οὐδὲν ἄρα γρίφου διαφέρει Κλεώνυμος.
Πῶς δή; προσερεῖ τις τοῖσι συμπόταις λέγων
Ὅτι ταὐτὸ θηρίον ἔν τε γῇ, κἀν οὐρανῷ
Κἂν τῇ θαλάττῃ γ' ἀπέβαλε τὴν ἀσπίδα.

Scholiastes: γρῖφος παροίνιον ζήτημα. Item, γρῖφοι δὲ λέγονται τὰ ἐν τοῖς συμποσίοις προβαλλόμενα αἰνιγματώδη ζητήματα πρὸς λύσιν, Hoc est, *Griphus quæstio est inter pocula.* Item: *Griphi dicuntur quæstiones ænigmaticæ in conviviis propositæ convivis ad solvendum.* Gripho autem hoc intelligitur aquila, cui Cleonymum comparat δειλὸν καὶ ῥίψασπιδα. Pollux: τὸ μὲν τοι συμποτικῶν, αἴνιγμα καὶ γρῖφος· τὸ μὲν παιδιὰν ἔχον, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν. Καὶ ὁ μὲν λύσας γέρας εἶχε κρεῶν τινα περιφοράν· ὁ δὲ ἀδυνατήσας, ἅλμης ποτήριον ἐκπιεῖν, ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τῶν ἁλιευτικῶν γρίφων. Athenæus porrò Athenis eos, qui propositum griphum non solvebant, hanc pœnam subiisse dicit, ut biberent phialam κεκερασμένην, id est, *mistam*, teste Clearcho. Eodem teste ἡ τῶν γρίφων ζήτησις οὐκ ἀλλοτρία φιλοσοφίας, id est, *ænigmatum explanatio non prorsus est aliena à Philosophia. Et quidem veteres per illam sapientiam demonstrabant. Nam quæstiones inter pocula proponebant graves, non quales nunc, quæ sit jucundissima Venus, quis optimus piscis: quarum quæstionum præmia quidem victoribus proponuntur oscula, quæ quidem liberali animo præditis sunt odiosa, mulcta autem victis constituta est meri* pa-

potatio suavis, quam sanitatis ratio postulet. Hæc ille. Exempla autem ænigmaticorum hujusmodi problematum plura vide ibidem.

Plutarchus quoque libro quinto *Symposeωn problem.* statim ab initio convivialium hujusmodi ænigmatum atque griphorum mentionem facit, cum inquit etiam φορτικοὺς καὶ ἀφιλολόγους, homines illiteratos & à literis humanioribus alienos à cœna animum à corpore longissime ad alias voluptates abducere, ænigmata & griphos & nomina certo numerorum symbolo tecta proponendo: unde etiam mimis, ethologis Menandroque & ejus fabulas agentibus locum convivia cesserunt. Idem lib. 8. sub initium in Agroniorum festo peracta cœna scribit convivas solitos fuisse ænigmata & griphos ἀλλήλοις προβάλλειν, id est, *sibi invicem proponere.*

Exempla griphorum in sacris literis. Hujusmodi porrò griphorum sive quæstionum ænigmaticarum, quæ in conviviis olim proponebantur, in sacris quoque litteris exempla occurrunt, quæ quidem ab Hebræis חידות *Chidot* appellantur, a verbo חדד *Chiddad*, quod *acuere* significat, propterea quod acutissimam ejus mentis aciem esse oportet, quæ in hujusmodi dictorum sententiam penetrare possit: vel quod faciant ad acuenda hominum ingenia. Hujusmodi griphus sive ænigma fuit illud, quod Samson in convivio nuptiali convivis suis quos vocaverat, qui erant quinquaginta numero, proposuit ea lege atque conditione, ut si illud solverent intra septem dierum spatium, quo convivium illud durabat, 30. linteamina atque 30. vestes mutatorias ab illo præmii loco acciperent: sin minus, ut ipsi Samsoni totidem linteamina atque vestes dare tenerentur. Ænigma erat: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Jud. 14. Quærit heic D. Ambrosius, cur Samson griphum hunc proposuerit, & ejus hanc rationem adfert. Quoniam in conviviis homines interdum benè poti dicatiùs loqui solent, & intemperantiùs alios proscindere, quæ res in jurgia & rixas frequenter erumpit. Id ne fieret, graves homines ænigmata, seu problemata proponere solebant, colloquiis periculosis omissis, & animo converso ad propositarum rerum explicationem. Quorum exemplum Samson est secutus, & mercedem ei proposuit, qui quæstionem suam explicuisset, quasi scientia & mentis acumen affici debeat præmio: & pœna contrà est constituta inscitiæ & tarditatis: id quod antiquitùs apud Ethnicos fieri consuevit. Unde poëtæ fictis suis fabulis prodiderunt Sphingem præmium solitum proponere ei, qui ænigma solvisset, ut liber dimitteretur. Sin verò defecisset, ut præceps è saxo præcipitaretur.

Porrò Christus quoque parabolarum quarundam involucris atque integumentis multa præclara & βιωφελῆ, *utilia vitæ* præcepta ac documenta in convivio dedit: quemadmodum Luc. 14. scriptum est. Nam κενοδοξίας καὶ φιλοπρωτείας vitiosum affectum parabolis quibusdam, quæ griphis annumerari possunt, perstrinxit ὁ τῆς ταπεινώσεως διδάσκαλος καὶ ἀρχηγὸς, καὶ τελειώτης, ut Theophylactus eleganter loquitur.

Hæc de antiquorum griphis, hoc est, ænigmaticis & parabolicis antiquorum quæstionibus atque sermonibus olim in conviviis usitatissimis: qui partim graves atque serii, partim jocosi fuerunt; cujusmodi quæstiunculis Tauri Philosophi discipuli & familiares, si quando à magistro vocati ad cœnam venissent, tanquam symbolas, sive collectas ad cœnam conjectabant. Accedebant proinde singuli meditati & præparati. Quærebantur autem nec gravia, nec vinosa: sed minuta & lepida, quæ florentem vino animum lacesserent. Ac omnino omnes

Sermones conviviales omnino duplices. sermones conviviales commodè & ad propositum nostrum accommodatè, in hæc duo genera videntur posse dividi, ut alii sint graves atque serii, qui de rebus gravibus atque seriis habentur: alii sint joculares atque ludicri, de quibus posterioribus, qui quidem inprimis epulis videntur congruere, priore loco dicam.

Dicteria, joci, sales. Huc referuntur ea, quæ vulgò à Latinis vocantur *dicta, dicteria, joci, sales, facetiæ, cavillationes*, quæ licet animos hominum valdè oblectent: tamen nobis summa in illis adhibenda cautio atque moderatio, ne vel in Dei vel hominum offensionem atque odium incurramus, si illis incautiùs atque imprudentiùs utamur, id quod sæpissimè fieri solet. Cicero lib. 2. *de Orat.* sub Cæsaris persona de hujusmodi jocis pluribus agit. Idem ad Pætum: *Accipies hospitem non multi cibi, sed multi joci.* Senex ille apud Plautum in *Milite glorioso*:

Vel cavillator facetus, vel conviva commodus
Item ero, neque ego oblocutor sum alteri in convivio.
Incommoditate abstinere me apud convivas commodè
Commemini, & meæ orationis justam partem persequi,
Et meam partem itidem tacere, cum aliena oratio est.

Plato τῶν πεπαιδευμένων, inquit, καλῶς ἔργον ἐπὶ τὸ παίζειν ἐμμελῶς, καὶ κεχαρισμένως, id est, *benè & liberaliter instituti opus est eleganter & cum gratia jocari.* Cicero, *Genus jocandi*, inquit, (sive id fiat verbis, sive factis) *non profusum nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestatis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.* Duplex igitur omnino est jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum: quo genere non modò Plautus noster & Atticorum antiqua Comœdia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt, multaque multorum facetè dicta, ut ea quæ a sene Catone sunt collecta, quæ vocantur ἀποφθέγματα. Facilis igitur est distinctio ingenui & illiberalis joci: alter est, si tempore fit a remisso animo & libero dignus: alter ne homine quidem, si rerum turpitudini adhi-

Facetiarum genera. beatur verborum obscœnitas. Plutarchus *Symposeôn* secundo, *problemate* primo, & post illum Macrobius lib. 7. *Satur.* cap. 3. varia scommatum genera tradunt, quæ ab illis σκώμματα, λοιδορίαι, ψόγοι, διαβολαὶ appellantur, & accuratè a se invicem distinguuntur: dantur etiam ab iis præcepta quædam, quomodo quamque cautè iis sit inter convivas utendum.

Σκώμματος, inquit Plutarchus, τῷ μὴ δυναμένῳ μετ' εὐλαβείας καὶ τέχνης κατὰ καιρὸν ἅπτεσθαι, παντάπασιν ἀφεκτέον.

ἀφεκτέον. Hoc est, *dicteriis sive cavillatiunculis, qui nequit cautè, artificiosè ac tempestivè uti, iis omnino abstineat censeo.* Addit: *Sicut enim lubrico in loco etiam ii subvertunt, qui vel in transcursu tantùm attingunt: ita in vino quævis oratio non satis commoda occasionem nobis peccandi præbet. Est cùm cavillationibus facetis magis, quàm conviciis exagitamur: cùm hæc ab ira* ἀβουλήτως, id est, *inconsultò proficisci sæpe videamus, illa non à necessitate, sed studio contumeliæ & malignitate.* His similia sunt illa Macrobii: *Scomma non minus quidem amarum, quàm accusatio, si apertè proferatur. Sed a sapiente sic profertur, ut dulcedine quoque non careat.* Idem λοιδορίαν quidem definit exprobrationem ad directam contumeliam: σκῶμμα autem *morsum figuratum, qui sæpe fraude vel urbanitate tegitur, ut aliud sonet, aliud intelligat. Nec tamen semper ad amaritudinem pergit, sed nonnunquam iis, in quos jacitur, gratum & dulce est. Quod genus maximè vel sapiens vel alius urbanus exercet, præcipuè inter mensas & pocula: ubi facilis est ad iracundiam provocatio. Nam sicuti in præcipiti stantem vel levis tactus impellit, ita vino vel infusum vel aspersum parvus quoque dolor incitat in furorem. Ergò cautiùs in convivio abstinendum scommate, quod tectam intra se habet injuriam.* Idem, *Tali scommate*, inquit, *quod fœtus contumeliæ est, abstinendum sapienti semper in convivio est.* Plutarchus σκώμματα, id est, *dicteria* seu *cavillationes* magis dicit mordere, quod instar hamatorum telorum diutiùs hærent. Sic Macrobius: *Tantò enim pressiùs hærent talia dicta* (scommata) *quàm directæ lædoriæ, velut hami coagulosi, quàm directi mucrones tenaciùs infiguntur, maximeque dicta hujusmodi risum præsentibus movent, quo velut assensus genere confirmatur injuria.* Plutarchus præclaram hanc Lacedæmone disciplinam fuisse tradit, falsè dictis alios impetere sine molestia, & æquo animo dicteria ferre: nam si quis iniquiùs ferret, alter statim mordendi finem faciebat: Ἐν δὲ τῇ καλῇ Λακεδαίμονι τῶν μαθημάτων ἐδόκει τὸ σκώπτειν ἀλύπως, καὶ σκωπτόμενον φέρειν. Macrobius, *Apud Lacedæmonios*, inquit, *inter cætera exactæ vitæ instituta, hoc quoque exercitii genus a Lycurgo fuit institutum, ut adolescentes & scommata sine morsu dicere & ab aliis in se dicta perpeti discerent. At si quis eorum in indignationem ob tale dictum prolapsus fuisset, alterius ei in alterum dicere non licebat.* Xenophon Socraticus Gobriam scribit cœnantem apud Cyrum, quùm alios Persarum ritus esse admiratum, tum verò illum quo se invicem jucundè interrogantes & scommata quoque non negligentes, vel etiam iis, in quos morsus illi stringi videbantur, voluptatem conciliabant.

Subjungunt deinceps præcepta quædam quomodo jocis illis atque dicteriis salsis quæ in alios jacientur, sit utendum citra convivarum offensionem. Nam, ut Plutarchus inquit, *difficile est dicterium invenire gratum ei qui incessitur, cùm etiam citra molestiam salsis dicteriis uti* οὐ τυχούσης ἐμπειρίας καὶ δεξιότητος, id est, *non vulgaris peritiæ atque dexteritatis esse videatur.*

Primò igitur illa scommata sive dicteria, ut inquit Plutarchus, quæ sontibus molestiam adferunt, grata contrà sunt iis, qui procul a culpa & crimine absunt. Sic Macrobius: *Sunt scommata*, inquit, *quæ in superficie speciem habent contumeliæ, sed interdum non tangunt audientes, cùm eadem si obnoxio dicantur, exagitent: ut contrà sunt, quæ speciem laudis habent, & personam audientis contumeliæ plenam.* Ut si exempli gratia, hominem ab avaritiæ, superbiæ, libidinis, furti aliorumve vitiorum suspicione alienissimum, eorundem vitiorum nomine falsò perstringas, id ille non molestè feret, quin potius iis delectabitur. Contrà si quem commemoratis vitiis vel etiam aliis obnoxium contrariis virtutum nominibus appelles: ut si timidum aliquem Achilli aut Herculi, aut injustissimum Aristidi comparandum dixeris, id acerbissimè feret, verba laudem sonantia sine dubio ad vituperationis notam propter conscientiæ morsum tracturus. Nam ut addit Plutarchus, quemadmodum ii qui res personasve bonas per jocum nominibus probrosis afficiunt, si id accuratè agunt, magis delectant quàm qui apertè laudant. Sic enim Diogenes, teste Macrobio, Anthenem Cynicum magistrum suum solebat velut vituperando laudare. Sic contrà magis etiam mordent, qui honestis nominibus in cavillando utuntur. Quod autem de vitiis animi dictum est, idem etiam de corporis vitiis est censendum.

Deinde Plutarchus docet, ei qui dicteriis concinnè uti volet, discrimen esse tenendum vitiorum atque studiorum. *Alia enim sunt quæ homines ægrè ferunt sibi objici, ut avaritiam, contendendi studium: alia quæ sibi objici gaudent, ut venationis & musicæ studium. Idem discrimen in corporis vitiis est observandum. Nam si quem adunco aut compresso naso præditum, aut calvum salsè perstringas, ridebit: at si cui oris aut nasi tetrum fœtorem exprobres, indignabitur ac succensebit. Oportet etiam*, inquit Plutarchus, *ingeniis eorum, quibuscum agimus, & moribus consideratis jocos usurpare, dareque operam, ut absque molestia & cum gratia colloquamur. Observandum item tempus & locus.*

Præterea uterque auctor monet eorum qui intersunt, ducendam rationem. Nam eadem scommata, ut inquit Macrobius, modò juvare, modò mordere possunt, pro diversitate præsentium personarum. Sunt enim quæ si coram amicis objiciantur nobis, libenter audire possumus. Uxore verò seu parentibus magistrisve præsentibus dici in nos aliquod scomma nolimus, nisi fortè tale sit, quod illorum censura libenter accipiat. Ut si quis adolescentem coram parentibus aut magistris irrideat, quòd insanire possit continuis vigiliis lectionibusque nocturnis: aut uxore præsente, quòd stultè faciat uxorium se præbendo, nec ullam elegantiam eligendo formarum. Hæc enim & in quos dicuntur, & præsentes hilaritate perfundunt.

Commendat prætereà, ut uterque monet, scomma conditio dicentis, si in eadem causa sit, ut si pauperem pauper, aut obscurè natum natus obscurè irrideat. *Ergo*, ut inquit Macrobius, *cùm idem nomen scommatis sit, diversi continentur in eo effectus. Id etiam*, inquit Plutarchus, *diligenter est curandum, ut dicterium obiter & subitò ad interrogationem jocumve alterius aptetur, non longè repetitum & ascitum cum apparatu videatur. Nam sicut iras & pugnas in conviviis obortas facilius ferunt, si verò extrinsecus superveniens aliquis turbas det, vel convitia ingerat, eum pro inimico & odio habent: sic venia datur libertati & dicacitati, si e re præsenti simpliciter*

In scommatis sive cavillationibus jocosis quæ adhibenda cautio secundum Plutarchum & Macrobium.

& absque fastidio nascatur. Si verò nihil ad sermonem præsentem faciat, sed alienum sit, simile est insidiis & contumeliæ scomma. Quod enim intempestivum, & ad institutum non facit, id malevolentiæ & contumeliæ speciem habet: quique iis utuntur, illi ob orationem, rem levissimam (ut ait Plato) gravissimam pœnam subeunt.

Atque hæc quidem duo hi philosophi clarissimi præceperunt de ratione jocis sive dicteriis bene commodeque utendi, ut inde voluptas potius atque hilaritas, quàm molestia proficiscatur, de quibus etiam pulchrè sapienterque differit M. Mantua in sua *Polymathia* lib. 7. cap. 8. Idem Plutarchus lib. 1. *Sympos. problem* de Regis convivii officio differens inter alia inquit: *Qui verò ludi causa sine rebus seriis ad convivia accedunt, eos jubebit* (convivii magister) *accuratè cavere, ne fallant contumelia.* Et paulò post: *At convivii Rex meritò præmium & honorem detulerit ei, qui jocum* ἀνύβριστον, id est, *contumelia carentem, & oblectationem utilem, risumque* μὴ μώμου μηδὲ ὕβρεως, ἀλλὰ χάριτος καὶ φιλοφροσύνης ἑταῖρον, id est, *non momi & injuriarum, sed gratiæ comitatisque socium in convivium introduxerit. Hanc enim ad rem pleraque convivia naufragium faciunt, dum non rectè gubernantur. Est autem hominis modesti & prudentis, iram & inimicitias vitare, quarum occasiones in foro, ex avaritia, in palæstra & gymnasiis, è contendendi studio, in magistratibus & honorum petitionibus, ex ambitione: in cœna autem & inter pocula, è jocis captatæ nobis insidiantur.* Ἐστὶ δὲ τοῦ σώφρονος ἀνδρὸς ἔχθραν φυλάττεσθαι καὶ ὀργὴν, ἐν ἀγορᾷ τὴν ἐκ πλεονεξίας, ἐν γυμνασίοις καὶ παλαίστραις ἐκ φιλονεικίας, ἐν δὲ ἀρχαῖς καὶ φιλοτιμίαις ἐκ φιλοδοξίας, ἐν δὲ δείπνῳ καὶ παρὰ πότον ἐκ παιδιῆς ἐπιτιθεμένην.

Verùm in primis est observandum, quod Macrobius sub finem addit: *Cùm videas,* inquit, *anceps omne esse scommatum genus, suadeo in conviviis, in quibus lætitia insidiabitur ira, ab ejusmodi dictis facessas, & magis* NOTA. *quæstiones convivales vel proponas, vel ipse dissolvas.* Quod genus veteres ita ludicrum non putarunt, ut & Aristoteles de ipsis aliqua conscripserit & vester Apulejus. Nec contemnendum quòd tot philosophantium jura meruit. Cùm ergò Macrobius quoque ab hujusmodi dicteriis inter epulas abstinendum potiùs, quàm iis utendum esse censuerit: multò magis nos Christianos id sentire decet, quorum ut vita tota atque actiones, ita sermones quoque omnes graves potiùs, quàm joculares atque ludicri esse debent. Omnino sales isti atque joci plerunque vel sunt turpes & obscœni: vel contumeliosi, idque vel in Deum, vel in proximum, ita ut partim ad libidinem, partim ad iram provocandam faciant, quemadmodum experientia quotidiana testatur.

Christiani a scommatis abstineant. Quamobrem ab iis abstinendum esse Christianis cùm sacræ literæ, tum ipsa ratio docet. Apostolus Paulus ad Ephes. 4. Πᾶς λόγος σαπρὸς (φαῦλος, μοχθηρὸς sive σεσηπὼς ἢ δυσώδης) ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω, ἀλλ' εἴ τις ἀγαθὸς πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας (nota & usitata enallage id est, πρὸς οἰκοδομὴν χρειώδη sive χρήσιμον) ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσιν, id est, *Nullus sermo corruptus sive futilis, spurcus, levis ex ore vestro exeat, sed si quis est commodus ad ædificationem utilis, quique gratiam auditoribus afferat,* hoc est, qui utilis simul sit & suavis. Idem cap. 5. *Scortatio autem & omnis impuritas aut avaritia ne nominetur quidem inter vos, sicut decet sanctos.* Καὶ αἰσχρότης καὶ μωρολογία, ἢ εὐτραπελία, τὰ οὐκ ἀνήκοντα, ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία. *Et obscœnitas & stultiloquium & dicacitas futilis atque scurrilis* (εὐτραπελία Suidæ μωρολογία, κουφότης, ἀπαιδευσία) *quæ non conveniunt, sed potiùs gratiarum actio.* Idem ad Coloss. 4. Ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, ἅλατι ἠρτυμένος, id est, ἐπιλυθήτω οἷον ἁλὶ τῇ χάριτι. *Conditus sit, quasi sale, gratia,* quibus verbis pia sermonis vetustas & suavitas indicatur. Sic Dominus noster Jesus Christus Matth. 12. *Dico vobis quodcunque verbum* ἀργὸν, id est, *malum, leve, vanum atque futile loquuti fuerint homines, de eo rationem reddituros in die judicii. Ex sermonibus enim tuis justificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis.* Clemens Alex. lib. 2. cap. 6. Αἰσχρολογίας δὲ παντελῶς αὐτοῖς τε ἡμῖν ἀφεκτέον καὶ τοὺς χρωμένους αὐτῇ ἐπιστομιστέον, καὶ ὄψει δριμυτέρᾳ καὶ προσώπου ἀποστροφῇ καὶ τῷ ἀπομυκτισμῷ καλουμένῳ, πολλάκι δὲ καὶ λόγῳ τραχυτέρῳ, id est, *Turpiloquio & nos omnino abstinere oportet, & iis qui illo utuntur, os obruere, & aspectu severiore & vultus aversione, & ea quæ vocatur, subsannatione, & sæpe etiam asperiore oratione.* Ibidem αἰσχρολογίαν definit τὴν περὶ τῶν τῆς κακίας ἔργων λογοποιΐαν, id est, *Turpiloquium est oratio qua habetur de turpibus factis.* Ἀδολεσχίαν quoque φλυαρὸν, id est, nugas ineptas silentio prætermittendas esse docet. Idem præterea cap. 7. *Absit a nobis,* inquit, τὸ σκώπτειν ὕβρεως προκατάρχον, id est, *cavillari, a quo incipit contumelia, ex quibus deinde contentiones, pugnæ, inimicitiæ exoriuntur.* Est autem ὕβρις μέθης διάκονος, id est, *contumelia est ebrietatis administra.* Syracides cap. 31. ἐν συμποσίῳ, inquit, μὴ ἐλέγξῃς τὸν πλησίον, καὶ λόγον ὀνειδισμοῦ μὴ εἴπῃς αὐτῷ, id est, *noli proximo tuo convitiari inter pocula, neque contumeliosè tracta eum in lætitia ejus.* Dicto probroso ne lædas illum, nec in occursu eum affligas. Proverb. 14. vers. *In ore stulti est baculus contumeliæ.* Heic eleganter oratio insipientium appellatur βακτηρία, *baculus,* id est, ἐπίβαθρα, id est, *scipio,* cui incumbit atque innititur contumelia. Hujusmodi autem dicteria contumeliosa aliena esse censenda a conviviis docet argumento ducto a convivii fine, qui est ἡ πρὸς τοὺς συνόντας φιλοφροσύνη, id est, *Benevolentia in eos qui simul sunt:* διὰ γὰρ τὴν ἀγάπην αἱ ἐπὶ τὰς ἑστιάσεις συνελεύσεις, id est, *charitatis enim ergò ad convivia convenitur.* Ex dicteriis autem illis inimicitiæ nascuntur: quamobrem illis est abstinendum. *Quòd si qui,* inquit Clemens, *adsunt* φιλοσκώμμονες, id est, *alios cavillandi cupidi, nobis tacendum, & verba supervacanea, tanquam plena pocula a nobis sunt transmittenda. Lubricus enim est hujusmodi lusus,* &c.

CAPUT

CAPVT XVIII.

AN, ET QVATENVS DE REBVS SERIIS, ET GRAVIBVS ET PHILOSOPHICIS SIT INTER POCVLA DISSERENDVM. DE SERMONIBVS, PROBLEMATIBVS ET PARABOLIS CONVIVIALIBVS CHRISTI. DE LECTIVNCVLIS CVM SACRIS, TVM PROPHANIS ET OLIM ET HODIE INTER EPVLAS, POSTQVE ADHIBERI SOLITIS.

Quoad res ſerias, de quibus inter epulandum verba ſolent fieri, illæ ſunt variæ atque multiplices, theologicæ, philoſophicæ, mathematicæ, logicæ, phyſicæ, politicæ, ethicæ, œconomicæ, quæ partim ad contemplationem, partim ad actionem referuntur.

Apud Plutarchum lib. 1. *Sympoſ.* primum hoc problema extat: *Sitne inter pocula philoſophandum?* Idem argumentum Macrobius quoque lib. 7. *Satur.* cap. 1. eodem ferè modo tractavit, quando nimirum & quibus de rebus ſit philoſophandum in convivio. Ac primò quidem uterque ſub alienis perſonis argumenta quædam afferunt ad probandum, philoſophiæ inter pocula nullum debere eſſe locum. Illam namque tanquam cenſoriam quandam & plus nimio verecundam matrem familiâs debere ſe ſuis continere penetralibus, nec ſe miſcere Libero, cui tumultus ſunt familiares, cùm ipſa hujus ſit verecundiæ, ut ſtrepitum non modò verborum, ſed ne cogitationum quidem in ſacrarium ſuæ quietis admittat. Hanc rationem illuſtrant ſimili ducto à Perſarum, ſive, ut eos Macrobius appellat, *Parthorum conſuetudine.* Nam quemadmodum illi non cum conjugibus ſuis, ſed cum concubinis ſeu pellicibus ſuis convivia inire & ebrietati tripudiiſque indulgere ſolebant, tanquam has & in vulgus produci & laſcivire quoque illas non niſi domi abditas, tueri deceat tectum pudorem: eodem modo Muſicam & hiſtriones induci, philoſophiam autem excludi debere, quod neque nos tam ſeriis rebus vacare poſſimus, neque illa ad colludendum ſit idonea. An inter epulandum de rebus gravibus & philoſophicis ſint verba facienda.

Dein argumentatur à minore ad majus hoc modo: *Philoſophia non eſt producenda, quò Rhetorica ars & profeſſio popularis venire erubuit. Iſocrates enim celeberrimus Græciæ Orator, qui verba prius libera ſub numeros ire primus coëgit, cùm in convivio à ſodalibus oraretur, ut aliquid in medium de eloquentiæ ſuæ fonte proferret, hanc veniam deprecatus, hujuſmodi uſus excuſatione:* ἐν οἷς μὲν ἐγὼ δεινὸς, οὐχ ὁ νῦν καιρός. ἐν οἷς δ' ὁ νῦν καιρὸς, οὐκ ἐγὼ δεινός. *Quæ præſens*, inquit, *locus & tempus exigit, ego non calleo: quæ ego calleo, nec loco præſenti ſunt apta, nec tempori.*

Secundo loco ab utroque rationes afferuntur ferè eædem, quibus probatur philoſophiam non eſſe excludendam è conviviis. Τὴν φιλοσοφίαν, inquit Plutarchus, τέχνην περὶ βίον οὖσαν, οὔτε τινὸς παιδιᾶς, οὔτε τινὸς ἡδονῆς διαγωγὴν ἐχούσης ἀποστατεῖν εἰκὸς, ἀλλὰ πᾶσι παρεῖναι τὸ μέτρον καὶ τὸν καιρὸν ἐπιφέρουσαν, *Philoſophiam namque ceu vitæ magiſtram par eſt nullo etiam a joco, ludo aut delectatione abeſſe omnibus, modumque imponere, niſi fortè temperantiam etiam & juſtitiam velimus a convivio arcere, ſeveritatem earum præſcribendo.* Unde conſtat diſſimilem Rhetoricæ & Philoſophiæ rationem eſſe. Sic idèm in libro *de ſanitate tuenda* culpat eos, qui volunt inter cœnandum ab omnibus philoſophicis diſputationibus eſſe abſtinendum. *Phœnicis caput*, inquiunt illi, *ferunt ſuave quidem eſſe, ſed* κεφαλαλγὸν, id eſt, *caput aggravans: Dialecticam autem eſſe* τρωγάλιον ἐν δείπνῳ, *bellarium nequaquam dulce, & tamen valde laborioſum, caputque vehementer aggravans atque lædens.* Sic Macrobius: *Si philoſophia à conviviis exulabit, procul hinc faceſſant & alumnæ ejus, honeſtatem dico & modeſtiam, nec minus cum ſobrietate pietatem. Quam enim harum dixerim minus eſſe venerabilem? Ita ſit, ut ab ejuſmodi cœtibus relegatus matronarum talium chorus, libertatem conviviorum ſolis concubinis, id eſt, vitiis & criminibus addicat.* Nam πάντων μὲν ὁ Διονύσιος λύσιός ἐστι καὶ λύδιος, μάλιστα δὲ τῆς γλώττης ἀφαιρεῖται τὰ χαλινὰ, καὶ πλείστην ἐλευθερίαν τῇ φωνῇ δίδωσιν, ἀβέλτερον οὖν οἶμαι καὶ ἀνόητον ἐν λόγοις πλεονάζον τὸ ἄκαιρον ἀποστερεῖν τῶν ἀρίστων λόγων, id eſt, *Si Bacchus verè eſt Lyſius & Liber, ac maximè ſolvit linguam frænis, licentiæque plurimum voci concedit: ſtultum ergò, & à ratione alienum eſſe arbitror, velle intempeſtivam orationis redundantiam optimis ſermonibus ſpoliare. Sed abſit ut Philoſophia, quæ in ſcholis ſuis ſolicitè tractat de officiis convivialibus, quæ ſit virtus compotoris, quomodo utendum vino, ipſa convivia reformidet, tanquam non poſſit* ἔργῳ βεβαιοῦν, ἃ διδάσκει λόγῳ, hoc eſt, interprete Macrobio, *rebus aſſerere, quæ ſolet verbis docere, aut neſciat modum, cujus in omnibus vitæ humanæ actibus terminos ipſa conſtituit. Neque enim ita ad menſas invito philoſophiam, ut non ſeipſam moderetur, cujus eſt diſciplina, rerum omnium* τὸ μέτρον καὶ τὸν καιρὸν ἐπιφέρειν, id eſt, *moderationem docere.*

Tertio loco docent quis philoſophandi modus atque ratio inter pocula ſit adhibenda. Ac primò quidem præſentium convivarum ingenia atque mores diligenter ſunt æſtimandi. Nam ſi plures adſunt φιλόλογοι, id eſt, literati, periti, & philoſophiæ amatores, ut in Agathonis Socrates, Phædrus, Pauſanias, Eryximachus, & in Calliæ Charmidæ, Anthiſtenes, Hermogenes, aliique horum ſimiles, concedemus iis ſermonum philoſophicorum uſum, ut non minus Muſis quàm Nymphis vinum diluant. Nam veluti paucæ literæ mutæ diſperſæ inter multas vocales, in ſocietatem vocis facilè manſueſcunt: ita rariores imperiti gaudentes conſortio peritorum,

ritorum, aut consonant si qua possunt, aut rerum talium capiuntur auditu. Si verò plures adsint, qui cujuscunque avis, nervi aut ligni, quàm philosophi vocem audire malint, utile est Pisistratum Athenarum tyrannum imitari. Is enim cùm ei quædam cum filiis discordia fuisset, sentireque hoc inimicis & æmulis suis gaudio esse, ex illa discordia sperantibus in domo regnantis nasci posse novitatem: advocata concione dixit: *Voluisse quidem se liberis suis suam persuadere sententiam, iisque non acquiescentibus patria voluntate, succensuisse, sed hoc sibi postea visum paternæ aptius pietati, ut in liberorum sententiam ipse concederet. Sciret igitur civitas, sobolem Regis cum patre esse concordem.* Hoc commento spem detraxit insidiantibus regnantis quieti. Sic etiam Philosophus inter convivas non admittentes orationem suam, mutato instituto iis morem geret, eorumque rationem probabit, quatenus decoro suo non repugnabit, scietque ὅτι ῥητορεύουσι μὲν ἄνθρωποι διὰ λόγου, φιλοσοφοῦσι δὲ καὶ σιωπῶντες καὶ παίζοντες καὶ σκώπτοντες καὶ σκωπτόμενοι. Hoc est, ut Macrobius inquit, *hæc est una de virtutibus philosophiæ: quia cùm Orator non aliter nisi orando probetur, Philosophus non minus tacendo pro tempore quàm loquendo philosophatur.* Non modò enim extrema est injustitia, ut Plato ait, justum videri, cùm non sis: sed etiam summæ scientiæ philosophari, ita ut hoc non videaris agere, & ludentem res serias conficere. Atque ut Bacchæ sive Mænades ἄνοπλοι καὶ ἀσίδηροι, id est, *inermes, & ferro carentes* apud Euripidem thyrsulis suis feriunt & sauciant eos, quos adoriuntur: ita verorum Philosophorum σκώμματα καὶ γέλωτες, id est, *sales atque risus* eos qui non planè sunt stupidi, afficiunt aliquo modo atque movent.

Est etiam quoddam conviviis accommodatum narrationum genus, quarum alias historia suppeditat, alias sumere ex rebus obviis licet, multa philosophicæ doctrinæ exempla, multa pietatis habentes, studiumque æmulandi fortiter, magnanimè, benignè, humaniter, quibus si quis apud nec opinantes quicquam tale utatur, is bibentes διαπαιδαγωγῶν, id est, *tanquam pædagogus moderans*, non minima ebrietatis mala intercluserit. Macrobius, *Nihil*, inquit, *tam cognatum sapientiæ, quàm locis & temporibus aptare sermones, personarum quæ aderunt æstimatione in medium vocata. Alios enim relata incitarunt exempla virtutum, alios beneficiorum, nonnullos modestiæ: ut & qui aliter agebant, sæpe auditis talibus ad emendationem venirent. Sic autem vitiis irretitos, si & hoc in conviviis loquendi ordo exegerit, feriret philosophia non sentientes, ut Liber pater thyrso ferit per obliquationem circumfusæ hæderæ latente mucrone: quia non ita in convivio profitebitur censorem, ut palàm vitia castiget. Quid mirum si feriet sapiens non sentientes, cùm interdum sic reprehendat, ut reprehensus hilaretur.*

Porrò, ut Plutarchus inquit, elegantiore doctrina præditi homines etiamsi ita philosophentur, ut id præ se haud obscurè ferant: tamen oratione probabili atque ad persuadendum apta magis utuntur, quàm violentia demonstrationum. Vides enim, ut Plato in *Convivio* de Fine differens & primario bono ac omnino Theologica tractans, tamen non demonstrationibus ceu validis nexibus constringit adversarium, sed sumptionibus mollioribus, exemplis atque fabulis fidem auditoribus faciat.

Quarto loco docent quibus potissimùm de rebus sit philosophandum in convivio, si modò philosophandi detur occasio. *Ubi philosophia*, inquit Macrobius, *sibi locum patere viderit, non de ipsis profunditatis suæ inter pocula secretis loquetur: nec nodosas & anxias, sed utiles quidem facilesque quæstiones movebit.* Eodem modo Plutarchus, ζητήσεις ὑγροτέρας, προβλήματα γνώριμα, πεύσεις ἐπιεικεῖς καὶ μὴ γλισχράς, id est, *quæstiones magis familiares atque notas, interrogationes moderatas, neque nimis subtiles in conviviis adhibendas* censet, *ne iis rudiores opprimantur, aut à colloquiis arceantur.* Nam quis ferat in lætitia conviviali Medicum convivis leges præscribentem ciborum aut potuum? quis philosophum de materia prima, de metaphysicis differentem? quis Jurisconsultum de legum nodis disceptantem? Astrologum de Epicyclis? Mathematicum de numeris, de terræ mensura? Dialecticum de Syllogismis? Theologum de Prædestinatione differentem? & id genus alios professores disciplinarum. Ad hoc verò suum præceptum illustrandum utuntur eleganti simili. Sicut enim compotores in conviviis sese choreis atque saltationibus exercent, si verò ad armis depugnandum, aut ad cursum, ad pugillatum, ad discum jactandum eos cogas, non modò injucundum, sed etiam damnosum fuerit convivium, & is qui sodales ad talia lacessiverit, quasi ineptus relegabitur ab alacritate convivii: sic animos quæstiones faciles, concinnæ & utiles movent atque delectant: à contentiosis autem, ut ait Democritus, & perplexis vitilitigationibus abstinendum, quæ & proponentes eas in rebus tenuibus & intellectu difficilibus cum molestia occupatos tenent, & præsentibus sunt odiosa. δεῖ γὰρ τὸν οἶνον κοινὸν εἶναι, καὶ τὸν λόγον, οὗ πάντες μεθέξουσι, id est, *Nam ut vinum, ita orationem oportet omnibus esse communem, cujus omnes participes fiant.* Contrà si fiat in convivio, id Æsopico illi atque fabuloso gruis & vulpis convivio sibi simile videri ait. Vulpes ad cœnam invitatæ grui pultem tenuem in tabula proposuit, quam illa ob liquorem diffluentem rostro suo prehendere atque edere non posset, atque ita ridicula esset, vicissim grus vulpi ad convivium vocatæ cibum in laguncula proposuit, quæ tenue haberet & longum collum, ita ut ipsa quidem rostro per id inserto cibum facillimè capere posset, vulpe interim, quæ id non poterat, esuriente. Ita etiam quando Philosophi inter pocula προβλήματα λεπτὰ καὶ διαλεκτικά, id est, *quæstiones subtiles & dialecticas argutias* sophistarum proponunt, reliquis nihil earum intelligentibus molestiam exhibent, contrà hi, homines nempe rudes & illiterati ἐπῳδάς τινας καὶ διηγήματα φλυαρώδη καὶ λόγους βαναύσους καὶ ἀγοραίους, id est, *incantationes, narrationes nugarum plenas, sermones illiberales atque forenses* dum proferunt, actum est de convivalis societatis fine, & Bacchus injuria afficitur, cùm sint planè ἀπροσδιόνυσα. Plutarchus quoque lib. 8. *Sympos. probl.* 1. statim ab initio, illos qui philosophiam è conviviis ejiciunt, idem vel etiam deteriùs agere dicit, quàm qui lumen inde tollunt. Nam lucerna sublata, modesti ac pudici homines nihilo deteriores fient, quippe qui pluris faciunt se invicem revereri quàm intueri. At verò ubi ἀμαθία καὶ ἀμουσία, id est, *inscitia & bonarum artium imperitia*

ad

ad vinum accesserint, jam ne aurea quidem illa Minervæ lucerna πότον εὔχαριν καὶ κόσμιον, id est, *compotationem gratiosam atque modestam* reddere poterit. *Non ineptè igitur*, addit ibidem, *apud nos in festo Agrioniorum mulieres Bacchum quærunt tanquam fugitivum, ac tandem quærendi finem faciunt, dicentes eum ad Musas confugisse atque apud eas latere occultatum: paulò post cœna finita ænigmata & griphos sibi invicem proponunt. Hoc mysterio atque cæremonia docere voluerunt, inter pocula sermone utendum esse, qui aliquid commendationis eruditionisque contineat, quæ si ebrietati adsit, occultatur* τὸ ἄγριον καὶ τὸ μανικὸν, id est, *vini ferocia & insania à Musis detenta*. Hæc Plutarchus & Macrobius de philosophandi ratione inter pocula præclarè admodum sapienterque videntur disseruisse.

Philosophorum convivia acroamatica.

Moris porrò fuisse olim in conviviis inter philosophos & literatos homines, ut eruditos literatosque sermones conferrent, Gellius quoque lib. 6. 13. testatur; ubi de Tauri convivio disserit. *Factitatum*, inquit, *observatumque hoc Athenis est ab iis, qui erant philosopho Tauro junctiores, cùm domum suam nos vocaret, ne omnino (ut dicitur) immunes & asymboli veniremus, conjectabamus ad cœnam non cupedias ciborum, sed argutias quæstionum. Unusquisque igitur nostrum commentus paratusque ibat, quod quæreret. Eratque initium loquendi eundique finis. Quærebantur autem nec gravia nec verenda; sed* ἐνθυμημάτια *quædam lepida & minuta & florentem vino animum lacessentia. Quale hoc fermè est subtilitatis ludicræ, quod dicam. Quæsitum est, quando moriens moreretur, cùm jam in morte esset: an tum etiam cùm in vita foret. Et quando surgens surgeret, cùm jam staret: aut tum etiam cùm jam esset, ac cùm jam non esset. Talia apud Taurum symbola & alia quæ erant secundarum mensarum, ut ipse dicere solitus erat,* τραγήματα. Quoniam itaque in conviviis confabulationibus eruditis uti consueverunt, hinc proverbium promanavit: ἐκκέκοφθ' ἡ μουσική, id est, *interrupta est Musica*. Quod quidem ab iis usurpari fuit solitum, qui sermones suos cantorum, histrionum, saltationum strepitu interrumpi molestè ferebant.

Hujusmodi porrò philosophorum convivia *acroamatica* dicta sunt: cujusmodi fuit illud Agathonis apud Platonem, & Socraticum Xenophontis. *Acroamata* autem sunt festivæ recitationes ludicræque narrationes. Cicero in orat. *pro signis: Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario de convivio discederet, ibidem convivis inspectantibus emblemata evellenda curavit.* Idem in oratione *pro Archia poëta: Themistoclem illum summum Athenis dixisse ajunt, cùm ex eo quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissimè audiret: ejus, à quo virtus sua optimè prædicaretur.* Macrobius: *Delectatus erat inter cœnam Symphoniacis Turonii Placei mangonis, atque eos frumento donaverat, cùm in alia acroamata nummis liberalis fuisset. Acroamata* dicuntur non solùm ipsæ voces & verba, sed ipsi quoque histriones enarratoresque acroamatum vocales. Sic Alexander Imp. Rom. teste Lampridio, nanos, nanas, moriones, vocales, exoletos & omnia acroamata & pantomimos populo donavit. Plinius in *Epist.* ait: *Interdum acroamata audiebamus, interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur.* Augustus Imp. & ad communionem sermonis tacentes, vel summissim (id est, summissa & depressa voce) fabulantes provocabat, & aut acroama & histriones: aut etiam triviales ex circo ludos interponebat ac frequentissimè aretalogos, teste Suetonio. Aretalogus autem non tam videtur à virtute dici, quæ ἀρετὴ vocatur, quam ab ἀρετός, id est, *gratus* & *placens*, qui narrationes & fabellas acroamataque auribus auditorum grata loquitur: proinde & nugatores eo etiam nomine & garruli censendi, cùm sæpè usu veniat, ut scurræ illi nugentur & garriant.

An Christianos deceat inter epulandum de rebus divinis sermocinari.

Porrò si veteres illi philosophi veræ philosophiæ sapientiæque ignari ac imperiti, non in Scholis tantùm, sed etiam in tricliniis de rebus gravibus atque seriis ad bene beateque vivendum pertinentibus, & de literis atque artibus liberalibus disserere fuerunt soliti, disserendumque esse censuerunt: quantò magis nos Christianos, veræ solidæque sapientiæ cognitione imbutos, decet in nostris symposiis sermones inter nos conferre graves, honestos, pios, religiosos, qui ad ædificationem, ut Apost. Paulus loquitur, hoc est partim ad Dei gloriam, partim ad mutuæ fidei, spei charitatisque confirmationem spectent. Et tamen sunt nonnulli, qui omnem sermonem de Deo, de religione, de rebus divinis, sacris atque cœlestibus, de Christiani hominis officio in convivio valde indecorum, eique minimè convenientem esse existiment. Itaque ut olim nonnulli philosophiæ illi humanæ: sic hodie plurimi Christianorum divinæ illi nostræ atque cœlesti philosophiæ illi, hoc est, Theologiæ in conviviis nullum volunt locum esse relinquendum. Sales tantùm, jocos atque dicteria non modò levia, nugatoria atque ridicula, verumetiam blasphema in Deum, atque contumeliosa in proximum in conviviis volunt locum habere.

NOTA.

Christi sermones conviviales cujusmodi.

Verùm longè alia fuit summi illius nostri sapientissimique magistri atque Domini nostri Jesu Christi mens, sententia ac consuetudo. Is namque, teste Euangelica historia, non modò in templo, in scholis sive synagogis, aliisque in locis, verumetiam in tricliniis, in ipsa mensa non dubitavit, cùm hujusce vitæ piè honesteque transigendæ, tum æternæ illius adipiscendæ optima saluberrimaque præcepta tradere. Illos itaque à quibus cibo potuque corporeo atque caduco pascebatur, ille vicissim nectare atque ambrosia illa cœlesti atque æterna, hoc est, verbo suo optimè fidelissimeque pavit. Fuerunt autem hi illius sermones partim διδασκαλικοὶ, partim ἐλεγκτικοὶ, partim etiam παραμυθικοί. Sic in convivio illo, quo à Pharisæo quodam fuit exceptus, ut Luc. 11. scriptum est, Pharisæorum hypocrisim, fictam simulatamque pietatem, πρωτοκαθεδρίας, honoris atque gloriæ popularis cupiditatem, extremam denique impietatem, improbitatemque magna cum parrhesia reprehendit atque culpavit, illisque divinam vindictam denuntiavit. Fuerunt ergo hi illius sermones conviviales ἐλεγκτικοί.

Idem, ut Lucas scribit cap. 14. cum apud quendam ex primoribus Pharisæorum die Sabbati cibum cepisset, multos ibi habuit sermones pios atque utiles. Nam primò quidem cum hydropicum quendam sanare

ſanare vellet, idque animadvertiſſet Phariſæis atque legis interpretibus vehementer diſplicere, exiſtimantibus facto illo Sabbati religionem violari, hujusmodi illis problema propoſuit: Εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν, id eſt, *Deceatne ſabbato ſanare?* Illis autem tacentibus, Chriſtus ægrotum illum ſanavit, ſimulque hujuſmodi interrogatione falſam illorum opinionem refutavit: *Quis eſt veſtrum, qui ſi ipſius aſinus, aut bos in puteum incidat, non ſtatim extrahat eum die Sabbati?* Hujuſce ille ſuæ interrogationis ceu argumentationis validiſſimæ, quæ fuit à minori ad majus, laqueo ita illos impeditos tenuit, ut nihil quicquam reſpondere potuerint. Habes heic illuſtre exemplum problematum atque interrogationum convivialium, quæ olim in ſympoſiis valde fuerunt uſitatæ, quibus Chriſtus docuit Sabbatum non tam otio atque ceſſatione ab operibus, quàm charitatis officiis ſanctiſſimè coli, atque ita legis divinæ vim atque ſententiam contra perverſam atque præpoſteram Phariſæorum interpretationem egregie explicavit.

Deinde parabola cujuſdam, qui cùm ab initio ſupremum locum occupaſſet, poſtea honoratiori cedere coactus, à convivii domino in poſtremum locum detruſus fuerat, docuit ſpeciatim in conviviis πρωτοκλισίαν non eſſe affectandam, ut à Phariſæis & Legis doctoribus fieri viderat: & ſpeciatim φιλοπρωτείαν & κενοδοξίαν, id eſt, *primatus atque gloriæ amorem* fugiendum, humilitatique ſtudendum eſſe, addita præclara hac ſententia ceu epimythio: *Omnis enim qui ſemet ipſum extollit, deprimetur: quique ſemetipſum abjicit, humiliter ſubmiſſeque gerit, is extolletur.*

Præterea alio ſermone, quem ad convivatorem dirigit, docet non modò amicos, fratres, cognatos, vicinos, divites ſpe ἀνταποδόματος, id eſt *retributionis*, ſed pauperes, claudos, mutilos, cæcos, à quibus nulla ſpes eſt conpenſationis in hoc mundo, nobis ad epulas eſſe invitandos. Multi namque conviviis convivia, gratiam, favorem, honores, opes aucupantur: cùm potius religioni magis ſit conſentaneum conviviis pauperum ſitim, famem, inopiamque ſublevare. Adhæc cum quidam convivarum ex poſtremis illis Chriſti verbis: *Retribuetur tibi in reſurrectione juſtorum*: arrepta occaſione exclamaſſet: *Beatus qui comedet panem in regno Dei:* Chriſtus alia rurſus parabola ab ipſis conviviis ſumpta, & Dei erga Judæos clementiam atque benignitatem, & Judæorum contrà inſignem erga Deum ingratitudinem atque contumaciam, & denique cum Judæorum repudiationem, tùm gentilium ad fidem, religionemque veram vocationem converſionemque egregiè depinxit. Porrò Lucas cap. 7. ſuæ hiſtoriæ mentionem facit alterius convivii, quo Chriſtus à Phariſæo quodam, *Simone* nomine, fuit exceptus. In illo quoque Chriſtus minimè mutus & elinguis ſedit, ſed occaſione mulieris illius peccatricis, quæ illius pedes precioſiſſimo unguento perfuderat, capillitioque ſuo abſterſerat, multa præclara verba fecit de mutua Dei hominumque dilectione, de peccatorum remiſſione, de officiis hoſpitalitatis, &c. Sed in primis ultima illius cœna, quam cum chariſſimis ſuis diſcipulis inivit, plena refertaque fuit multis ſapientiſſimis ſaluberrimiſque ſermonibus, quos & Lucas cap. 22. & Joannes capitibus aliquot copioſiſſimè deſcripſit. Quibus quidem Chriſtus diſcipulos ſuos partim veræ religionis myſteriis vitæque piè honeſteque degendæ præceptis inſtruxit: partim illorum ſuperbiam & ambitionem repreſſit: partim denique ſolatiis ceu antipharmacis adverſus futuras calamitates præmunivit.

Sermones epulares Chriſtianorum priſci ſeculi.

Hujuſmodi Chriſtus convivialibus ſermonibus uſus eſt verè philoſophicis, hoc eſt, pietatis ſapientiæque pleniſſimis, cùm omnem ille homines ea, quæ ad illorum ſalutem faciunt, docendi occaſionem aucuparetur. Hoc itaque Chriſti exemplum cùm omnes Chriſtianos, tum verò atque inprimis Eccleſiæ miniſtros atque doctores imitari decebat, dareque operam, ut non modò in templis, ac pro ſuggeſtu, verumetiam in ipſis ſympoſiis, quavis data & oblata occaſione, homines officii ſui commonefacerent, ad pietatem incitarent, ab impietate omni improbitateque revocarent, rudes & imperitos docerent atque inſtituerent, miſeros & afflictos conſolarentur pulcherrimis ſententiis, hiſtoriis, exemplis ex ſacrarum literarum penu depromptis. Hujuſmodi reliquorum quoque convivarum colloquia mutua in ſympoſiis eſſe debebant, cujuſmodi ſanè primitivæ Eccleſiæ Chriſtianos in Agapis ſuis uſos fuiſſe legimus. *Ita fabulantur*, inquit Tertullianus in *Apolog.* cap. 39. *ut qui ſciunt Dominum audire*, hoc eſt, ſermones inter ſe conferunt, caſtos, pudicos, pios, religioſos, *quorum noverunt ſe auritum habere teſtem ipſum Deum, cuncta videntem atque audientem.* Facit ibidem mentionem cantionum atque precationum, quæ Agapas illas antecedere atque conſequi ſolebant.

Ab hujuſmodi cùm Chriſti, tum Chriſtianorum primogeniæ Eccleſiæ ſermonibus convivialibus quantùm diſcrepent noſtri ſermones conviviales, quotidiana experientia ſatis teſtatur. Erant illi graves, modeſti, caſti, pudici, pii, religioſi: noſtri contrà ſunt leves, nugatorii, mendaces, ſcurriles, turpes, obſcœni, blaſphemi, contumelioſi, quibus Deus pariter atque homines graviſſimè offenduntur. Sanctè profectò veteres Hebræorum ſapientes dixerunt, eos, qui in conviviis ſermonem de rebus divinis non habent, perinde ſe habere, ac ſi de ſacrificiis mortuorum comederent. Contrà verò, qui Dei verbum, Legem & divinæ ſapientiæ opera celebrant, ſuper hos quieſcere divinitatem, & non ſecus eos habere atque ſi de menſa ipſius Dei comederent. Contrà hodie plerique Chriſtianorum ſacrum ſermonem planè ἀπροσδιόνυσον in conviviis exiſtimant, quem ſi quis inferat, illum ceu hominem incivilem, ruſticum & agreſtem explodunt atque ſubſannant. Tametſi proh dolor, tanta eſt hodie noſtrorum conviviorum luxuria atque intemperantia, ut ſi quis ſacrum aliquem & divinum ſermonem iis inferat, ille tanquam margaritas canibus atque porcis objiciens, reprehenſione dignus eſſe videatur. Minimè etiam hîc videtur ſilentio prætermittenda Chryſoſtomi oratio in *Homil.* 13. in epiſtolam ad Romanos: *Et utinam*, inquit, *in tabernis vinariis, in comeſſationibus & balneis: imò & ubique de gehenna diſputaretur. Non enim ſinet in gehennam incidere, gehennæ meminiſſe. Propter hoc ipſum quippe illam & paravit & minatus eſt, ne in eam incidamus, timore ipſius meliores facti.*

Porrò

Porrò illum quoque antiquorum morem fuisse legimus, ut non modò ipsi convivæ sermones inter se conferrent, sed etiam anagnostæ sive lectores adhiberentur, qui antiqua quædam literarum monumenta convivis auscultantibus legerent, eorum animos juvandi oblectandique gratia. Hinc Plinius lib. 1. *Epist.* ad Erucium: *Audisses*, inquit, *Comœdum*, *lectorem vel lyristem*, *vel quæ mea liberalitas*, *omnes.* Seneca loquens de Calphisio Sabino in conviviis illum dicit habuisse servos literatos ad pedes, ut versus, quos referret, subministrarent. Hi Grammatici *analectæ* fuerunt dicti. Nec verò legere tantùm, verumetiam excerpere aliquid & adnotare solebant viri docti apud Romanos inter epulandum: quod utrumque Plinium factitasse legimus, aliosque non paucos. Hinc Persius *Satyr.* 1. Lectiunculæ veterum inter epulandum.

- - - - *Non quicquid denique lectis*
Scribitur in citreis: id est, discubitoriis.

Et Horatius: *Mutavit mentem populus levis*, *& calet uno*
Scribendi studio puerique patresque severi,
Fronde comas vincti cœnant, *& carmina dictant.*

Plinius lib. 3. *epist.* de avunculo suo: *Mox quasi alio die studebat in cœnæ tempus*, *super hanc liber legebatur*, *adnotabatur & quidem cursim. Memini quendam ex amicis*, *cùm lector quædam perperam pronunciasset*, *revocasse & repeti coëgisse*, *huic avunculum meum dixisse*, intellexeras? *nempe cùm ille annuisset*, cur ergo revocabas? *decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus*: *tanta erat parsimonia temporis.* Alexander Severus interdum inter epulandum, sæpiùs tamen finito convivio vel ipse aliquid legere, vel cæteris legentibus benignas aures præbere consueverat, ut testis est Alexander ab Alexand. De eodem sic scribit Ælius Lampridius: *Cùm inter suos convivaretur*, *aut Ulpianum*, *aut doctos homines adhibebat*, *ut haberet fabulas literatas*, *quibus se recreari dicebat & pasci. Habebat cùm privatim convivaretur*, *& librum in mensa & legebat*, *sed Græca magis*: *Latinos autem Poëtas lectitabat.* Cicero *ad Atticum*: *Hunc lege convivis tuis*: *sed si me amas*, *hilaris & bene acceptis.* Et paulò post: *Non assequor ut scribam*, *quod tuæ convivæ non modò libenter*, *sed etiam æquo animo legere possint.* Tiberius similiter ex lectione quotidiana quæstiones discutiendas proponebat, & Adrianus Comœdias, lectores atque Poëtas conviviis suis adhibuit, qui aliquid recitarent, quòd animum post convivia recreare posset, eodem teste. Commemorabile quoque est illud, quod Cornelius Nepos de T. Pomponio Attico memoriæ prodidit: *Nemo*, inquit, *in convivio ejus aliud* ἀκρόαμα *audivit*, *quàm anagnosten*, *quod nos quidem jucundissimum arbitramur. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est*, *ut non minus animo quàm ventre convivæ delectarentur.* Pythagoricos quoque post convivium sacrificia adhibuisse & lectionem, testis est Jamblichus. Varro, teste Gellio lib. 1. cap. 22. In convivio nec omnia legi debere dixit, & ea potissimùm, quæ simul sunt βιωφελῆ, & delectent potiùs, ut id quoque videatur non superfuisse. Pertinax Imp. cùm sine amicis cœnaret, adhibebat uxorem suam & Valerianum, ut cum eodem qui docuerat, fabulas literatas haberet, teste Jul. Capitolino.

Hunc morem secuti sunt Christiani primitivæ Ecclesiæ, adhibitis inter cœnandum sacræ scripturæ lectiunculis, teste inter alios Clemente lib. 7. *Strom.* Hinc Augustinus epist. 109. ad monachas & in libello *de Communi vita sacerdotum*: *Cur acceditis ad mensam*, *donec inde surgatis*, *quod vobis secundum consuetudinem legitur*, *sine tumultu*, *sine contentione audite*, *ne solæ vobis fauces cibum sumant*, *sed & aures esuriant Dei verbum.* Idem in Sermone, quem in cap. *Jejunii* habuit, à fidelibus contendit, ut lectionem sacrarum literarum conviviis loco aleæ ac tesserarum adhiberent. Hac Augustinum ferunt plus, quàm epulis fuisse delectatum, quæ in monachorum contuberniis atque collegiis olim usitatissima fuerat, quam Augustinus epist. 109. monachis maximè commendat. Sidonius in epist. ad Industrium: Vectii viri illustris vitæ morumque consuetudinem describens, inter alia, *Inter hæc*, inquit, *sacrorum voluminum lectio frequens*, *per quam inter edendum sæpiùs sumit animæ cibum*, *Psalmos crebrò lectitat*, *crebrius cantat*, &c. Extat Can. 44. *dist. quando autem*: *Convivium clericorum debet præcedere mensæ benedictio*, *intra mensam lectio*, *post mensam gratiarum actio.* Hoc Polydorus Virgil. ex Servatoris nostri instituto profectum existimat, qui cùm aliàs sæpiùs inter edendum docere consuevit, tum postremò inter cœnandum discipulos vescentes de consummatione omnium ferè mysteriorum religionis docuit, ut Matth. 26. abunde refert. Unde patres, ut memoriam frequentarent tam salutaris instituti, hunc sacræ scripturæ in mensis legendi ritum jam inde ab initio introduxisse videntur. Scribit aliquid tale de Carolo M. Eginhartus, nempe inter cœnandum aut aliquod acroama, aut Lectorem audivisse eum. Legebantur ei historiæ & antiquorum regum gesta. Delectabatur & libris S. August. præsertim iis *de Civit. Dei.* De simili consilio, quod Furiæ Viduæ datum est, vide Hieronymum. Similem morem memini me Tubingæ aliquot ante annos usurpari vidisse in collegio stipendiariorum principis illustrissimi Wirtenbergensis, cui M. Samuel Heylandus vir insigni doctrina pietateque præditus, præceptor & amicus meus observandus, jam per multos annos summa cum laude utilitateque præfuit. Singulis ibi ferculis sacræ scripturæ lectio interponitur. Idem quoque fieri solet Lipsiæ in Collegio Paulino, ubi cæteris studiosis prandium cœnamve sumentibus, unus pulpitum ascendit, & aliquot è S. Bibliis capita legit: quæ quidem à principio usque ad finem ordine hoc modo legi consueverunt. Idem quoque in ludis literarum Lutetiæ fieri solet, ut cæteris prandentibus aut cænantibus, unus pulpitum conscendat legatque aliquot virorum doctorum Commentarios. Cornel. tamen Celsus à cœna intensam cogitationem non esse tutam asserit, quia & Medicorum placita decernunt non esse inter edendum laborandum. Proinde tunc intendere lectioni animum fortè non parum esse noxium quis censuerit.

Lectiunculæ sacræ Christianorum priscorum inter epulas.

M. Samuel Heylandus.

CAPUT

CAPUT XIX.

DE MORE QUORUNDAM POPULORUM CONSULTANDI INTER POCULA. QUO TEMPORE COENAE SERMONIBUS SIT INDULGENDUM. DE VOCIS RISUSQUE MODERATIONE: CLAMORES, ALIOSQUE SONOS INCIVILES ET INDECOROS ESSE VITANDOS. EA QUAE DICTA AUT FACTA SUNT INTER EPULAS, NON TEMERE ESSE ELIMINANDA.

Consultationes inter epulandum.

Observandum porrò consultationes quoque seu deliberationes olim à gentibus quibusdam inter pocula agitari fuisse solitas, ita ut illorum triclinia βουλευτήρια, συνέδρια, sive curiæ quædam esse viderentur. Atque hunc quidem Persarum olim fuisse morem, multi veterum historicorum testantur. Xenophon illos refert temulentos de rebus bellicis consultasse, ut quisque vino cordatior suum de Repub. consilium liberiùs referret: altero tandem die, quid facto opus esset, decernebant. Plutarchus *Sympos.* lib. I. *Proble.* 9. hanc non minus Græcorum, quam Persarum antiquam fuisse consuetudinem, testimoniis quibusdam probat. Ac primò quidem Græcum fuisse illum dicit, cujus hæc sunt verba:

Γαστρὸς ἀπὸ πλείης βουλὴ καὶ μῆτις ἀμείνων.

id est,

Consilium melius capietur ventre repleto.

Græcis quoque cum Agamemnone Ilium obsidentibus, dum ederent ac biberent,

Ο γέρων πάμπρωτον ὑφαίνειν ἤρχετο μῆτιν.

Id est,

Consilium sapiens primus tum texere Nestor Cæpit.

Et hac quidem ipsa de causa auctor regi fuit, ut viros sapientia præstantissimos ad convivium invitaret,

- - - - Δαίνυ δαῖτα γέρουσι
Πολλῶν ἀγρομένων, τῷ πείσεαι, ὅσκεν ἀρίστην
Βουλὴν βουλεύσῃ.

Id est:

Tu cœnam senibus præbe,
Collectis multis, qui consulet optima pare.

Suasit itaque Nestor Agamemnoni Græcorum in bello Trojano regi, ut accersitis senioribus, de afflictis Græcorum rebus in symposio consultaret.

Prætereà plurima bona & antiqua Græcorum instituta à vino sua habuisse initia docet. Nam & Cretensium Andria & Spartanorum Phiditia, βουλευτηρίων ἀπορρήτων καὶ συνεδρίων Ἀριστοκρατικῶν τάξιν εἶχε, id est, *Quondam conciliabulorum arcanorum & consessus Optimatum vim locumque obtinebant.* Tale quoque πρυτανεῖον καὶ θεσμοθέσιον videtur fuisse. Eodem quoque referendus νυκτερινὸς σύλλογος τῶν ἀρίστων καὶ πολιτικωτάτων ἀνδρῶν, id est, *Conventus nocturnus virorum principum, ac Reipublicæ gerendæ peritissimorum* apud Platonem, in quem res maximi momenti considerationeque dignissimæ rejiciuntur. Idem prætereà probat consuetudine illa Græcorum trita, qua ultimo

Mercurio libant, cùm corpora jam dare somno
Est animus.

Οδ. η. Conjungunt itaque cum vino rationem, quando ὡς παρόντι καὶ συνεπισκοποῦντι τῷ φρονιμωτάτῳ θεῷ ceu præsenti & unà dispicienti prudentissimo Deo vota faciebant, jam discessuri. Denique antiquissimi ipsum Bacchum, tanquam Mercurio minimè indigentem, εὔβουλον, id est, *bonum consiliarium*, & noctem εὐφρόνην quasi prudentiæ aptam appellarunt. Hæc Plutarchus de Græcorum consultationibus convivialibus.

Eustathius in illa Homeri Ιλ. ι. Δαίνυ δαῖτα γέρουσι, &c. hæc annotat notatu dignissima: ὅρα ὅπως τὰ τῶν Ἡρώων ἀεὶ συμπόσια σπουδαῖα ἦσαν, ὡς μυριαχοῦ δηλοῦσιν οἱ σοφοὶ οἱ συναγόμενοι τὰ σπουδῆς ἄξια παρ' οἶνον ἐβουλεύοντο. ὡς γάρ φασιν οἱ παλαιοὶ, ῥάονες ἑαυτῶν ἐν οἴνῳ ἐσμὲν, ὃ καὶ ὁ κωμικός φησι. Τὸν νοῦν ἵν' ἄρδω καὶ λέγω τι δεξιόν. καὶ ἡ τοῦ ὁμολογεῖν πρέπουσα δέ φασι κοινωνία, φιλοποιόν ἐστι· *Vide quàm honestæ atque frugales fuerint Heroum cœnæ, ut sæpissimè id testantur sapientes, qui convenientes de rebus gravibus atque seriis inter pocula consultabant. Nam, ut ajunt veteres, nobismetipsis faciliores mitioresque sumus in vino, id quod etiam Comicus testatur, cùm inquit: Ut mentem irrigem, & dextri quid eloquar: deinde convivalis consuetudo amicitiæ conciliandæ vim obtinet.* Addit deinde Persarum atque Rhodiorum exemplum. Nam & Persæ bibentes quidem deliberant, sobrii autem decernunt: & Rhodiorum lex summis Magistratibus imperabat, συσσιτεῖσθαι τοὺς ἀρίστους περὶ τῶν ἕωθεν πρακτέων βουλευσομένους, id est, *convivia simul inire deliberandi gratia de iis, quibus mane facto opus esset. Non igitur*, addit ibidem, *Græci convenientes ad ebrietatem usque bibebant*, ἀλλ' ὅσον τὸ κοινωνικὸν

συντηρῆ-

συντηρῆσαι τὰ σπȣδαῖα βȣλόμενοι; id eſt, *ſed ſocietatis conſervandæ gratia de rebus ſeriis atque honeſtis conſultantes.*

Porrò Bactrianos quoque inter pocula de bellis conſultaſſe, necnon fœdera contraxiſſe, teſtis eſt Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 21. Rhodii lege cavebant, ut proceres eorum quod mane facere expediret, de eo unà prius convivati deliberarent. Brachmannos quoque Indorum Philoſophos inter ſcyphos de graviſſimis rebus conſilia inire fuiſſe ſolitos legimus.

Idem de Germanis antiquis teſtatur Cor. Tacitus, his verbis: *Sed & de reconciliandis invicem inimicis & jungendis affinitatibus & adſciſcendis Principibus, de pace denique & bello plerunque in conviviis conſultant, tanquam nullo magis tempore, aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Gens non aſtuta, nec callida, aperit adhuc ſecreta pectoris licentia joci. Ergo detecta & nuda omnium mens poſtera die retractatur, & ſalva utriuſque temporis ratio eſt. Deliberant, dum fingere neſciunt: conſtituunt, dum errare non poſſunt.* Hæc ille. Antiquum hodie obtinere Germanos quotidiana experientia facit manifeſtum.

Porrò recte ne fecerint illi qui παρὰ πότον, id eſt, *inter pocula*, conſultarunt, Plutarchus quærit lib. 7. *Sympoſ. Probl.* 10. Ac primò quidem rationes afferuntur, cur ab hujuſmodi conſultationibus in vino abſtinendum eſſe videatur. Ratio enim tanquam oculus in humido fluctuans, δυσκίνητον ἡμῖν καὶ δυσεργόν ἐστι, id eſt, *agitare ſeſe commodè nequit, eſtque inefficax. Deinde quicquid nobis eſt moleſtum, id quaſi reptilia à Sole, exagitatum undique, & ſeſe proferens, animi judicium reddit* ἐπισφαλὲς καὶ ἀκατάστατον, id eſt, *lubricum & inconſtans. Præſtat igitur animum in quiete conſervare, omni motu agitationeque liberum atque ſolutum. Aut ſi id fieri nequit, quemadmodum pueris, qui quietis ſunt impatientes, non gladios aut haſtas, ſed crepitacula & pilas quibus ludant, porrigimus: utque Bacchus ferulam ebriis tradidit, leviſſimum telum, & molliſſimum* ἀμυντήριον, id eſt, *defenſionis inſtrumentum, quod cùm celerrimè ferit, minimum nocet. Ita ebriis non tragicæ quædam graveſque quæſtiones, ſed leves atque ridiculæ ſunt proponendæ.* An inter pocula conſultandum.

Prætereà cùm in omni conſultatione id maximè requiratur, ut imprudens rerumque imperitus, prudentes rerumque experientia præditos ſequatur iiſque aſſentiatur, id ebrius certè minimè faciet, vino hoc illi faciendi poteſtatem adimente. Illud namque hominum animos vana quadam & inani perſuaſione opinionibuſque implet, ita ut ſibiipſis non modò nobiles, pulchri, divites, verumetiam omnium ſapientiſſimi eſſe videantur. Unde rectè Plato οἶνον *voluit dictum* ἀπὸ τȣ͂ οἴεσθαι νȣ͂ν ἔχειν. *Hinc itaque fit, ut intempeſtiva quadam & importuna garrulitate, animique elatione in tranſverſum rapti, dum ſe omnibus aliis dignitate auctoritateque præire exiſtimant, audiri potiùs, quàm audire & regere ſeu ducere quàm ſequi alios velint.*

Aliæ contrà ſub Nicoſtrati perſona rationes afferuntur ad probandum conſultationibus inter pocula locum eſſe debere. Quæ quoniam non ita magni, ut priores, ſunt momenti, illas hîc libens prætermitto.

Una illarum eſt, quòd vinum eſt τῆς παῤῥησίας καὶ δι' αὐτῆς ἀληθείας γονιμώτατον, id eſt, *libertatis dicendi, & per eam veritatis fœcundiſſimum: quæ ſi abſint, nihil peritia, nihil judicii ſolertia prodeſt. Hinc antiqui Dionyſium* ἐλευθέριον καὶ λύσιον, id eſt, *à liberandi ac ſolvendi vi & poteſtate appellarunt, eique magnam vaticinandi facultatem adſcripſerunt, non, quod Euripides dixit, ob debacchationes & furores, ſed quòd ſervilem metum & ſervitutem eximens, eaque animum liberans, homines inter ſe veritate dicendique libertate uti doceat.* Hujuſmodi ferè argumentis Plutarchus probare nititur conſultationes de rebus gravibus atque ſeriis non eſſe ἀπροσδιονύσȣς.

Quòd ſi Chriſtianorum convivia talia eſſent qualia eſſe debebant, hoc eſt, temperantia, moderata atque frugalia, non modò ſermocinationes, verumetiam deliberationes de rebus vel ad Eccleſiam atque religionem, vel ad Rempub. pertinentibus in iis agitari, convenientiſſimum ſanè utiliſſimumque foret. Nunc verò ita ſe plerique in illis immoderato cibo potuque ingurgitant atque obruunt, ut nullus ampliùs inter illos rationi, judicio atque conſilio ſit locus relictus, temeritate, audacia, garrulitate, furore atque inſania omnia occupante. Fit tamen ſæpenumerò, ut cibo multo potioneque completi atque diſtenti, quando, ut recte dixit Cicero, ne mente quidem rectè uti poſſumus, de rebus arduis, ut ſacris, politicis judicium ferre conentur. Sic Perſius quoque Satyr. 11. ſui ſeculi homines reprehendit, quòd inter ipſa pocula ebrii & cibo pleni, ac proinde judicio rationeque carentes non dubitarent de poëmatis ferre judicium, bonane an mala eſſent, diſputantes. Sic enim ait:

> - - - - *Ecce inter pocula quærunt*
> *Romulidæ ſaturi, quid diva poëmata narrent.*

Idem quoque Horatius improbat his verbis:

> *Diſcite non inter lances menſaſque nitentes,*
> *Cùm ſtupet inſanis acies fulgoribus, & cùm*
> *Acclivis falſis animus meliora recuſat.*
> *Verùm heic impranſi mecum diſquirite, &c.*

Porrò cùm in conviviis partim ſeria, partim joci verſentur, quomodo joci ſeriis temperandi, & contrà: ipſumque convivii dominum utriſque ſe accommodari oporteat, vide Plutarchum *Symp. Probl.* 4. Atque hæc de materia ſermonum convivialium ſint dicta, &c.

Nunc de tempore quædam dicamus, quo illi potiſſimùm videntur habendi. Apud Homerum legimus convivas cum ſilentio cibum potumque capientes, ut Athenæus lib. 5. annotat, finita demum cœna ſeſe ad ſermones colloquiaque mutua convertiſſe. Hujuſce conſuetudinis plurima apud illum Poëtam exempla occurrunt. Ιλ. β.

Αυτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο
Τοῖς ἄρα μύθων ἦρχε γερήνιος ἱππότα Νέστωρ.

Hortatur autem duces, ut congregato exercitu acies instruant. Ιλ. η.

Αυτὰρ ἐπεὶ πόσιος, &c.
Τοῖς ὁ γέρων πάμπρωτος ὑφαίνειν ἤρχετο Νέστωρ

Iliad. ι. Αυτὰρ ἐπεὶ πόσιος, &c. ὁ γέρων Νέστωρ suadet Agamemnoni, ut Achillem sibi infensum donis placet: Iliad. λ.

Τὼ δ᾽ (Nestor & Machaon) ἐπεὶ οὖν πίνοντ᾽ ἀφέτην πολυαγκέα δίψαν
Μύθοισι τέρποντο πρὸς ἀλλήλους ἐνέποντες.

Ibidem, Αυτὰρ ἐπεὶ τάρπημεν (ego Nestor, Ulysses, &c.) ἐδητύος, ἠδὲ ποτῆτος
Ἦρχον ἐγὼ (Nestor) μύθοισι, κελεύων (Patroclum & Achillem) ὔμμ᾽ ἅμ᾽ ἕπεσθαι
(in Asiam.)

Plura exempla vide apud eundem, in quibus etiam observandum, quod fere semper senio ac dignitate præstantioribus, ut Nestori, Priamo, primæ dantur dicendi partes. Similia exempla extant apud Apollonium in *Argonauticis*, ut lib. 1.

– – – Μετέπειτα (post cibum potumque sumptum) δ᾽ ἀμοιβαδὶς ἀλλήλοισι
Μυθεῦνθ᾽ οἷά τε πολλὰ νέοι παρὰ δαιτί, καὶ οἴνῳ
Τερπνῶς ἑψιόωνται, ὅτ᾽ ἄατος ὕβρις ἀπείη.

Εψιόωνται, inquit Scholiastes, παρὰ τὸ ἑψίαν ἥ ἐστι διὰ λόγων παιδιά, οἷον ἐπεσία τις οὖσα παρὰ τὸ ἔπος. Aliud exemplum vide lib 1. Αλλήλους δ᾽ ἐρέεινον ἀμοιβαδίς. Et lib. 2. Num. 15. & 53. & 55. Item lib. 3. Num. 12.

Plutarchus lib. 5. *symp.* ab initio: *In compotationibus urbani atque belli homines statim a cœna ad colloquium veluti secundas mensas se conferentes, iis se invicem oblectant.* Id Illustrat eleganti simili ducto a nutricum consuetudine. Nam quemadmodum illæ dum cibum infantibus præbent, parum percipiunt voluptatis, saturatis autem iis atque sopitis, ipsæ tum commodo cibo potuque fruuntur. Ita animus voluptatum, quæ edendo bibendoque percipiuntur, particeps fit, corporis appetitionibus nutricis more rituque inserviens, ejusque desideriis sese accommodans concupiscentiamque demulcens: ubi verò illud mediocriter affectum conquievit, ibi tum defunctus suo ministerio & negotio vacuus, ad voluptates suas convertitur, λόγοις εὐωχουμένη καὶ μαθήμασι, καὶ ἱστορίαις καὶ τῷ ζητεῖν τι ἀκούειν τῶν περιττῶν, id est, *sermonibus semetipsum pascens atque oblectans & disciplinis, historiis, rerumque excellentium quæstionibus.* Ibidem ænigmata quoque atque griphos post cœnam proponi fuisse solitos scribit.

Aliquando tamen inter epulandum, dum alia atque alia fercula intervallo quodam temporis apponuntur, sermones & olim habiti fuerunt & hodie quoque haberi solent. Charmus Syracusius teste Athenæo in singula, quæ apponebantur, primus versiculos concinnavit & parœmias: teste Cælio Rhodig. lib. 28. cap. 8.

Vocis moderatio in epulis. Orationis porrò indicem cùm habeamus vocem, ut Cicero inquit, illius quoque moderatio in conviviis maximè requiritur. Sit itaque neque nimis submissa, sed clara & & suavis: nec nimis elata. Vocis enim elatio atque contentio concionibus atque disputationibus convenit, non autem conviviis, in quibus omnia leniter, mansuetè moderateque & fieri & dici debent. Huc facit illud Homeri:

Νῦν μὲν δαινύμενοι τερπώμεθα μηδὲ βοητὺς ἔστω.

Hoc utebantur Homeri dicto olim illi, qui in convivio colloquiove familiari a vociferatione immoderata abstinere jubebant. Horatius:

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est, tollite barbarum
Morem: verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Item, *Lenite clamorem sodales.*

Item Od. 8. lib. 3.

Procul omnis ite clamor & ira.

Pindarus Od. 9.

Ἡσυχίαν δὲ φιλεῖ
Μὲν συμπόσιον, νεοθαλὴς δ᾽ αὔξεται
Μαλθακᾷ νικαφορία σὺν ἀοιδᾷ,
Θαρσαλέα δὲ παρὰ
Κρητῆρα φωνὰ γίνεται.

Hoc est,

Tranquillitatem autem amat
Quidem convivium, & recenter florens
Victoria augetur molli cum cantu.
Audax autem apud craterem est vox.

Clemens

Clemens Alexand. lib. 2. *Pædag.* cap. 7. Σώφρον δὲ καὶ τὸ ἐν τῇ φωνῇ μεμετρημένον. Et paulò antea: *Uterque qui differit vocem suam metiatur justa proportione atque moderatione*: τὸ γὰρ γεγονὸς τῆς προφορᾶς μανιωδέστατον· *Elatus enim clamor pronunciationis res est insanissima.* Addit: *Cum proximis autem ita loqui, ut non audiaris, ejus est qui nullo sensu est præditus, neque enim audiet. Est hoc quidem* ἀγεννείας, id est, *pusilli & abjecti animi: illud autem* αὐθαδείας, id est, *audaciæ arrogantiæque signum.* Ἀλλὰ καὶ τὸ τεθρυμμένον τῆς φωνῆς θηλυδρίας, id est, *Vox fracta & enervata fœminæ propria est vitanda. Sed neque* τροχαλῶς καὶ συνδιωκομένως, id est, *volubiliter & præcipitanter colloquendum*, τούς τε ἀκαιροβόας καὶ τοὺς κεκραγότας ἐπιστομιστέον, id est, *importunis vociferatoribus & exclamatoribus os obstruendum.* Hæc ille de vocis moderatione.

Et tamen hodie Christianorum hominum convivia atque triclinia vocibus seu potiùs vociferationibus atque clamoribus non modò ineptis, incivilibus atque indecoris, verùm bestialibus plane atque furialibus personant, ita ut non hominum voces, sed potiùs vel canum latratus, vel luporum ululatus, vel suum grunnitus, vel denique aliarum bestiarum atque ferarum voces esse videantur. Harum autem causa est Bacchus, unde rectè illum ἀπὸ τοῦ βακχεῖν, quod *ululare* & inconditè clamare significat, Eustathius dictum esse voluit: & eandem ob causam ἐρίβρομος & ἐριβρεμέτης fuit a Græcis appellatus: secundum etiam illud Solomonis: *Ubi væ, ubi rixæ, ubi clamor, tumultus,* &c. NOTA.

Huc quoque referendus est risus incivilis, immodestus, turpis & inhonestus, qui plerunque in conviviis dominatur, ex vino & ipse immoderatè hausto proveniens: secundum illud Ovidii: Risus moderatio.

Cura fugit multo, diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, &c.

Quid sit risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quomodo existat, atque ita repentè erumpat, ut eum cupientes tenere, nequeamus: & quomodo simul latera, os, venas, vultus, oculos occupet, viderit Democritus, neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet, & si pertineret, nescire me tamen id non puderet, *quod ne ipsi quidem illi scirent, qui pollicentur*, inquit Cicero lib. 2. *de Orat.* Est quidem risus homini proprius, unde etiam homo ζῶον γελαστικὸν, id est, *animal risibile* seu *ridendi facultate præditum*, definitur. Verùm ut aliæ facultates naturales: ita hæc quoque modo rationeque est frænanda: de quo vide Mercurialem *de re gymnastica.* Et hoc est quod Clemens Alexandrinus inquit lib. 2. *Pæd.* cap. 5. ἁπλῶς γὰρ ὁπόσα φυσικὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ, ταῦτα οὐκ ἀναιρεῖν ἐξ αὐτῶν δεῖ· μᾶλλον δὲ μέτρον αὐτοῖς καὶ καιρὸν ἐπιθεῖναι πρέποντα, id est, *Omnino enim quæcunque hominibus a natura insunt, illa non sunt ex illis tollenda, neque etiam tolli possunt, sed modus potiùs iis est atque tempus opportunum adhiberi convenit.* (Hinc Menander dixit: γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς, δεινὸν κακὸν, id est, *Risus intempestivus mortalibus grave est malum.*) Nam quemadmodum equus, licet hinnitus ei sit proprius: non tamen semper hinnit: sic homo quoque, quamvis illius proprium est ridere, idque illi a natura insitum est atque insculptum, non tamen semper & quavis de causa ridere debet. Risus namque si justo debitoque modo proferatur, κοσμιότητα, id est, *decorem & honestatem*: sin minus ἀκολασίαν, id est, *intemperantiam* præ se fert. Plato in libro *de Legibus* ait: *In ipso risu maximum inesse signum tum gravitatis, tum levitatis.* Nam quia vehementissimus est motus atque impetus natus ex aliqua re, quæ videtur subturpis ac planè ridicula, videmus quosdam in eo genere ita dissolutè effuseque ridere, ut modestia in his desideretur. In risu igitur est nota qua gravem & moderatum à levi atque stulto facilè possis discernere.

Quæ porrò sit optima risus moderandi temperandique ratio, idem Clemens Alexandr. pluribus docet. Ac primò quidem ipsum risum non nimis intentum, effusum immoderatumque esse debere docet, ac proinde duplicem risum statuit. Alium quidem ἐμμελῆ, εὔκοσμον καὶ σώφρονα, id est, *concinnum atque moderatum*, quem Græcis vult dici μειδίαμα, quem definit τὴν κατ' ἁρμονίαν τοῦ προσώπου καθάπερ ὀργάνου, κόσμιον ἄνεσιν, id est, *Vultus tanquam alicujus instrumenti decoram & concinnam remissionem.* Ita appellata est diffusio & exhilaratio, & risus eorum, in quorum vultu residet modestia. Alius verò risus est ἐκμελὴς τοῦ προσώπου ἔκλυσις, id est, *immoderata & inconcinna vultus dissolutio* (unde *risus solutus* ab Horatio dicitur) quæ si sit in mulieribus, Græcè adpellatur κιχλισμὸς, (unde forsan nostrum vocabulum Gichlen) qui est γέλως πορνικὸς, id est, *risus lascivus ac meretricius*: vel est in viris, & καγχασμὸς, id est, *cachinnatio* appellatur, qui quidem γέλως ἐστὶ μνηστηρώδης καὶ ὑβρίζων, id est, *risus procorum insolens & protervus.* Καγχασμὸς Latinè *cachinnus* risus est solutior, à καγχάζομαι, id est, *solutè rideo*, vel à sono vocis per onomatopoeiam, quod & Porphyrius tradit. *Decachinnamur* dixit Tertullianus pro *deridemus.* Persius Satyr. 1.

Sed sum petulanti splene cachinno.

Nam splen sive lien risus atque jocorum est sedes, ut tradit Plinius lib. 11. *Nat. hist.* Præcipit Seneca, ut risus noster sit sine cachinno. Ab Apuleio risus immodicus & solutior festivè admodum *cachinnabilis* appellatur. Epictetus philosophus *Risus*, inquit, *neque multus sit, neque ob multa, neque solutus. Vituperatur cachinnatio quamvis ridere concessum sit*, inquit Tullius, &c. Ecclesiastes cap. 7. *Melior est indignatio risu: quia tristis vultus pariet lætum cor.* Et paulò post: *Qualis est sonus spinarum sub olla, talis est risus stulti: id quod etiam est vanum.* Et cap. 21. *Stultus autem in risu extollit vocem suam: Vir autem astutus* (id est, prudens) *vix sensim subridebit.* Hoc est, Stultus sonoros cachinnos edit, sapiens autem verecundè subridet: secundum illud tritum:

Per risum multum debes cognoscere stultum.

Huic

Huic ſimile eſt illud Poëtæ:

Πάντας δ', ὡς ἔπος εἰπεῖν, τοὺς ἀνοήτους οἶνος
Καὶ θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καὶ ὀρχήσασθαι ἀνώγει.
id eſt,
Omnes autem ſtultos, ut uno verbo dicam, vinum
Et ridere facit molle, & ſaltare lubenter.

Sed neque rurſus, inquit Clemens, *oportet eſſe triſtem, ſed gravem & cogitantem. Sed ipſum quoque riſum temperatum gerere oportet, & ſi de rebus turpibus fuerit*, ἐρυθριῶντας μᾶλλον ἢ γελῶντας φαίνεσθαι, id eſt, *erubeſcere potiùs videri, quàm ſubridere, ne illis aſſentiri atque lætari videamur. Si autem de rebus moleſtis fuerit, triſtitiæ potiùs, quàm lætitiæ ſpeciem præ nobis ferre debemus. Illud enim eſt humanum, &* λογισμοῦ τεκμήριον, id eſt, *conſiderationis humanæ argumentum: illud autem crudelitatis ſuſpicionem adfert.* Ergo neque ſemper eſt ridendum, neque omnibus, neque apud quoslibet, neque propter omnia, neque omni in loco, ſed diligens & accurata eſt & perſonarum & rerum, & loci & temporis habenda ratio. Ut autem non eſt effuſè, effrænatè inconſiderateque ridendum: ita nec riſus movendus atque captandus, ut idem philoſophus Chriſtianus docet. Μιμηλοὺς ἀνθρώπους γελοίων, μᾶλλον δὲ καταγελάστων παθῶν τῆς ἡμετέρας ἐξελαστέον πολιτείας, id eſt, *Rerum ridicularum, ſeu affectionum potiùs imitatores ex Repub. noſtra ſunt exterminandi. Nam cùm verba a cogitatione atque mente promanent, verba certè ridicula à moribus ridiculis proficiſcuntur.* Καρπὸς γὰρ τῆς διανοίας ὁ λόγος, id eſt, *ſermo enim eſt fructus mentis. Quòd ſi ridiculorum nos ne auditores quidem eſſe convenit, multò minus imitatores. Et multò adhuc eſt abſurdius, aliquem ſemetipſum ridiculum præbere, hoc eſt, probris, irriſioneque dignum. Res omnium precioſiſſima in nobis eſt* λόγος, id eſt, *ſermo ſive ratio: eſt ergo valdè à ratione alienum, orationem, rationemve ludibrio exponere. Quamobrem* χαριεντιστέον, οὐ γελοιοποιητέον, id eſt, *urbanè nobis lepideque eſt loquendum, non autem riſus movendus.* Crudelis & immanis fuit ille C. Caligulæ riſus planeque Sardonius. Is enim, teſte Suetonio, cùm lautiore convivio ſubito in cachinnos fuiſſet effuſus, conſulibus, qui juxtà cubabant, quidnam rideret, blandè quærentibus: *Quid*, inquit, *niſi uno meo nutu jugulari utrunque veſtrum ſtatim poſſe.* Hujuſmodi utinam non multorum Chriſtianorum eſſent riſus blandi atque hypocritici, quibus illi amicitiæ benevolentiæque ſpeciem præ ſe ferunt, animis interim ſuis acerba odia inimicitiaſque fovent, ac cædes, omniſque generis mala cogitant atque moliuntur. Idem quoque cùm lugeret Druſillæ obitum, ridere, lavare, cœnare cum parentibus, conjuge, liberiſve capitale facit, teſte eodem auctore.

Ut autem non eſt temerè in conviviis ridendum, ita ne lachrymandum quidem, ut idem Clemens docet cap. 7. χρὴ δὲ καὶ γελώτων εἴργεσθαι ἐξαισίων καὶ δακρύων ὑπερμέτρων. πολλάκις γὰρ οἱ οἰνούμενοι καγχάσαντες ἐπὶ πλεῖστον, εἶτα μὲν τὰ ὑπήχθησαν οὐκ οἶδα ὅπως, παροινίᾳ τινὶ περιτρεπόμενοι εἰς δάκρυα, *Abſtinendum autem eſt, & à riſu importuno atque ſoluto, & à lachrymis immodicis. Sæpe enim temulenti, poſtquam in cachinnum magnum eruperunt, deinde rurſus neſcio quomodo in lachrymas devolvuntur.*

Huc denique referendi multi quoque alii ſoni inciviles, indecori atque odioſi, qui vel ore, vel aliis corporis membris eduntur, quique ex nimia plerunque repletione proveniunt. Ut ſunt illi, quorum Terentius in *Heauton.* meminit.

Inverſa verba, everſas cervices tuas,
Gemitusque, ſcreatus, tuſſeis, riſus abſtine.

Et Clemens Alexand. lib. 2. *Pæd.* cap. 7. Ποππυσμοὶ καὶ συριγμοὶ καὶ οἱ διὰ τῶν δακτύλων ψόφοι τῶν οἰκετῶν οἱ προσκλητικοὶ, ἄλογοι σημασίαι οὖσαι λογικοῖς ἀνθρώποις ἐκκλιτέον, id eſt, *poppyſmata, ſibili, digitis expreſſi ſoni, quibus famuli accerſuntur, cùm ſint ſignificationes expertes, hominibus ratione præditis ſunt vitandæ.* His addit, συνεχῶς ἀποπτύειν, χρέμπτεσθαι βιαιότερον, ἀπομύττεσθαι παρὰ πότον, id eſt, *frequenter ſpuere, violentius excreare, & etiam emungere in convivio vitandum eſt.* Sic ſenex ille apud Plautum in *Milite glorioſo*:

Minimè ſputator, ſcreator ſum itidem minimè.

Hæc enim convivis nauſeam pariunt, & intemperantiam arguunt. Non enim ſicuti bobus & aſinis ſimul eſt præſepe & ſterquilinium. Et tamen multi uno eodemque tempore ſe emungunt, ſpuunt, cœnant. His adde πταρμοὺς, ἐρυγὰς, id eſt, *ſternutationes, ructus*, qui ſoni convivis moleſti & odioſi omni modo ſunt coërcendi atque comprimendi: ut Clemens Alexand. docet. *Arrogantiæ enim*, inquit, *& inſolentiæ eſt iſtis ſonis aliquid velle addere, non autem detrahere.* De ſternutatione & oſcitatione vide Polyd. Virgilium lib. 6. cap. 11. Præterea ut aurium fricationes, ita ſternutamentorum irritationes, ſunt ſuilli pruritus & confricationes, quæ intemperantem meditantur fornicationem. Addit poſtremò, quod diligenter notandum, καθόλου ὁ χριστιανὸς ἠρεμίας καὶ ἡσυχίας καὶ γαλήνης καὶ εἰρήνης οἰκεῖός ἐστι, id eſt, *In ſumma Chriſtiani propria eſt quies, pax, tranquillitas*, &c. Sternutamento revocari ferculum, menſamve, ſi non poſtea guſtetur aliquid, inter diras habetur, aut omnino non eſſe. Plinius lib. 28. cap. 5. Efflatus quoque atque crepitus ventris in menſa valdè ſunt inciviles atque agreſtes. Claudius tamen Imp. teſte Suetonio in vita ejus, dicitur meditatus edictum, quo veniam daret efflatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cùm periclitatum quendam præ pudore ex continentia cognoviſſet. Idem teſtatur Plinius his verbis: *Per menſas vetabantur munditiarum cauſa deflare. Claudius tamen exiſtimabat licere in convivio pedere*, id eſt, crepitum ventris emittere, & hoc ex ſententia Stoicorum, qui ajunt, Crepitus ventris æque liberos ac ructus eſſe oportere, teſte Cicerone lib. 9. *epiſt. Fam.* 17. 4.

Porrò quemadmodum convivis eſt danda opera, ne ejuſmodi in conviviis vel dicant vel faciant, quæ vel ipſis vel aliis opprobrium damnumve afferant: ſic iiſdem quoque ſummopere cavendum, ne convivæ liberiùs in conviviis dicta factave foras aperiant atque divulgent, unde in convivas dedecus atque damnum aliquod redundare poſſit, id quod à conviviali officio atque fide alieniſſimum cenſeri debet. Huc facit tritum illud Græcorum dictum: Μισέω μνάμονα συμπόταν, id eſt, *odi memorem compotatorem*, de quo ſic Plutarchus lib. 1. *Sympoſ. Probl.* 1. ſtatim ab initio: Ἔνιοι δὲ τὴν παροιμίαν οἴονται τοῖς παρὰ πότον λεγομένοις καὶ πραττομένοις ἀμνηστίαν ἐπάγειν· διὸ τὴν δὲ λήθην οἱ πάτριοι λόγοι καὶ τὸν νάρθηκα τῷ θεῷ συγκαθιεροῦσιν, ὡς ἢ μηδενὸς δέον μνημονεύειν τῶν ἐν οἴνῳ πλημμεληθέντων, ἢ παντελῶς ἐλαφρᾶς καὶ παιδικῆς νουθεσίας δεομένων, id eſt, *Alii Adagium illud imperare cenſent oblivionem eorum, quæ intra pocula dicuntur atque aguntur: ideoque majorum noſtrorum ritu oblivio & ferula unà cum Baccho dedicantur: quo indicatur aut nihil eorum memoria retinendum, quæ per vinum peccantur, aut levi omnino ac puerili pœna corrigendum eſſe.* Ideo Horatius in Epiſt 6. Torquatum vocans ad convivium, promittit ſe curaturum, ut nemo ſit in convivio, *qui dicta foras eliminet*, id eſt, foras efferat atque divulget. Elegans eſt Epigram: lib. 2. Epigram. Græcorum, quod declarat, quàm ſit horribile ac fugiendum id hominum genus, quod quæ dicuntur liberiùs in convivio libero, perfidiſſimè enunciat ac divulgat:

Οὔ μοι πληϊάδων φοβερὰ δύσις, οὐδὲ θαλάσσης
  Ὀρνύμενον στυφελῷ κῦμα περὶ σκοπέλῳ.
Οὐδ' ὅταν ἀστράπτῃ μέγας οὐρανὸς, ὡς κακὸν ἄνδρα
  Ταρβῶ, καὶ μύθων μνήμονας ὑδροπότας.

Fuit mos veterum, teſte Beroaldo, convivii domum intrantibus aut ingreſſis, limen oſtendere, dicendo: *Extra illud nihil*, id eſt, ad menſam audita cave foras dixeris aliis. Quare & noſtra ætate hic mos eſt ſupra menſas roſas habere depictas, ut ſub illis dicta inter pocula non effutiantur. Hinc vulgò Germanicè dicimus: Was wir hier koſend / das bleyb under der roſen / ꝛc.

Verùm operæ pretium me facturum puto, ſi in genere quædam de Sermone, qui quidem ingens Dei donum eſt atque munus, cùm aliàs, tum in convivio bene utendi ratione dixero, de quo multorum cum in ſacris, tum in prophanis literis optima ſapientiſſimaque dicta atque præcepta extant. Primum ergò hoc ſit & generaliſſimum præceptum, ut ne ſimus in proferendo ſermone præcipites, temerarii, inconſiderati, ita ut lingua mentem præcurrat, & ὅττι κεν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν, ut ille loquitur, ſive quicquid in buccam venerit, temerè, inconſideratè, imprudenter impudenterque effutiamus. Unde Heſiodus, teſte Gellio lib. 1. cap. 15. Poëtarum prudentiſſimus, linguam non vulgandam, ſed recondendam eſſe dixit, perinde ut theſaurum: ejuſque eſſe in promovendo gratiam plurimam, ſi modeſta & parca & modulata ſit,

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς. πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

Opponitur ἀμετροεπῆ, cujuſmodi Therſitis lingua fuit, teſte Homero. Itaque ut ſapienter ille monet, conſulto prius, deinde maturè facto opus eſſe: ſic etiam cogitato nobis prius, deinde dicto nobis opus eſſe exiſtimemus. Cogitemus igitur priùs diligenter ac præmeditemur quale ſit illud, quod dicturi ſumus, quònam vergat, bonum ne ſit an malum, plus ne commodi, an incommodi ſit allaturum. *Nam ſemel emiſſum*, ut ille inquit, *volat irrevocabile verbum* (unde Homerus verba πτερόεντα, id eſt, *alata* appellavit) quòd ſæpe maximorum malorum atque damnorum cauſa exiſtit. Et hoc eſt quod Syracides ſapienter monet cap. 33. *Primum fac certus reddaris, deinde loquere: primùm fac bene docearis, & reſpondere poteris.* Idem cap. 28. poſtquam demonſtravit mala atque pericula, quæ a linguæ pravitate maledicentiaque inferuntur (unde Euripides, Ἀχαλίνων στομάτων, ἀνόμου τε ἀφροσύνης τὸ τέλος δυστυχία, id eſt, *effrænis linguæ & mentis vectigal oratio*) ad ejus continentiam moderationemque adhortatur pulcherrimis utens ſimilibus. *Sepem*, inquit, *prætegis ſpinoſam tuis prædiis, quare non potiùs ori tuo valvas obiceſque opponis? Aurum & argentum tuum expendis libra, quare non trutinas verba tua in libella aurificis. Vide ne quaſi in lubrico per ea nutent pedes, & cadas coram inimicis tuis, qui te obſervant.* Idem cap. 21. *Stulti effutiunt nihil ad rem pertinentia, ſapientes autem aurificis libella verba ſua expendunt. Stulti habent in labiis cor ſuum, ſapientes autem os ſuum in corde incluſum habent.*

Sic Gellius lib. 1. cap. 15. *Qui ſunt leves & futiles & importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi, verbis humidis & lapſantibus defluunt, eorum orationem bene exiſtimatum eſt in ore naſci, non in pectore.* Linguam autem debere non eſſe liberam nec vagam, ſed vinclis de pectore imo ac de corde apertis moveri & quaſi gubernari. Sic enim videas quoſdam ſcatere verbis ſine ullo judicii negotio cum ſecuritate multa & profunda, ut loquentes plerunque videantur, loqui ſe neſcire. Ulyſſem contrà virum ſapienti facundia præditum, vocem mittere ait non ex ore, ſed ex pectore. Quo ſcilicet non ad ſonum magis habitumque vocis, quàm ad ſententiarum penitus conceptarum altitudinem pertineret: petulantiæque verborum coërcendæ vallum eſſe oppoſitum dentium, luculenter dixit, ut loquendi temeritas non cordis tantùm cuſtodia atque vigilia cohibeatur, ſed & quibuſdam quaſi excubiis in ore poſitis ſepiatur. Homerica hæc ſunt:

Ἀλλ' ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει
Τέκνον ἐμὸν ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων.

Idem meritò ex omnibus Therſiten ἀμετροεπῆ ἴμυθον appellabat, verba illius multa & ἄκοσμα ſtrepentium ſine modo graculorum ſimilia eſſe dicit. Quid enim eſt aliud ἀμετροεπῆ ἐκολῷα, Ιλ. β. Vide Euſtathium fol. 155. 16. Sapientes ergo propriè λέγειν· ſtulti λαλεῖν dicuntur. Eſt enim magnum inter λέγειν & λαλεῖν

 diſcri-

discrimen secundùm Grammaticos (cujusmodi etiam ferè est apud Latinos inter *Loqui* & *Dicere*) & illud Eupolidis dictum: λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν. Cui respondent Sallustiana illa: *Loquax magis, quàm facundus: & satis eloquentiæ* (seu potiùs *loquentiæ*, ut Val. Probus Grammaticus legendum putavit) *sapientiæ parum.* λέγειν itaque, ut etiam Ammonius testatur, est τεταγμένως & μετ' ἐπιμελείας προφέρειν τὸν λόγον id est, *ordinate, cautè considerateque verba facere*: unde λόγος & *orationem* & *rationem*: ac proinde *orationem* proprie cum ratione conjunctam significat. At λαλεῖν, ut idem auctor testatur, est ἀτάκτως ἐκφέρειν ὅντπερουν λόγον, sive ἐπιτύχοντα ῥήματα, id est, quævis verba, quæ in buccam venerint, inordinatè inconsiderateque effutire. Latinè *garrire*, *nugari*, *blatterare*. Germanicè Laferen oder lallen ἀπὸ τοῦ λαλεῖν, blappen à *blatterando*, dabberen forsan ab Hebræo *Dibber*, schwätzen / quod est fictum à vocis sono, ut & flißmen à φλυαρεῖν vel φλοῖσβ, quod pro maris (quod inde πολύφλοισβον dicitur) atque hominum in præliis sono strepituque sæpe apud Homerum accipitur. λάλοι itaque (unde verisimile est vernaculum nostrum Lalli / quod *fatuum* & in dictis factisque *inconsideratum hominem* significat, promanasse) significantissimo vocabulo, teste Gellio dicuntur, cùm ii, qui impia & illicita dicunt: tum qui stulta & immodica, quorum lingua tam prodiga effrænisque est, ut fluat semper & æstuet colluvione verborum teterrima, qui Latinè *locutulei*, *blaterones* & *linguaces* vocantur. Hujusmodi autem loquacitatem verborumque turbam magnitudine inani vastam Aristophanes poëta facetissimus insignibus vocabulis denotavit his verbis:

Ἄνθρωπον ἀγριοποιὸν, αὐθαδόστομον
Ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατὲς, ἀπύλωτον (aliàs ἄθυρον, ἀθύρωτον) στόμα,
Ἀπεριλάλητον, κομποφακελορρήμονα,

Id est, secundum interpretem, βαρυρρήμονα, σκληρὰ, καὶ συνδεδημένα ἔπη λέγοντα. φάκελοι γὰρ τὰ βαρέα καὶ συνδεδημένα φορτία τῶν ξύλων· Burde holtz / Galli *fagotes.* Vide quæ in hanc sententiam egregiè sanè sapienterque D. Jacobus disserit cap. 3. suæ Epistolæ, ubi linguam clavo atque fræno comparat, quæ tamen ipsa clavo atque frœno, id est, ratione indigeat, cùm malum sit ἀκατάσχετον καὶ ἀδάμαστον, &c.

Inprimis ergò nobis frænandi atque coërcendi sunt affectus, qui ut ad faciendum, sic ad loquendum ea quæ sunt illicita, turpia, inhonesta atque perniciosa homines impellunt. Hinc Cicero: *Sed quoniam in omni vita rectissimè præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: sic ejusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira existat aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut tale quid appareat.*

Deinde ut orat prudens, diligenter circumspicit locum, tempus, personas, ut iis accommodet orationem suam, cujus officium est accommodatè & appositè dicere rebus, personis, locis, temporibus & aliis hujusmodi circumstantiis: sic quoque conviva ut familiari hoc sermone atque colloquio bene utatur, diligenter has ipsas circumstantias secum consyderabit & expendet, quæ sua sit persona, qualis sit convivator, quales convivæ, cujus sint ætatis, sexus, fortunæ, dignitatis, auctoritatis, conditionis, naturæ, quales etiam sint ministri: nam his omnibus accommodanda est oratio. Cogita multos sæpe adesse homines lubricæ fidei ac silentii minus tenaces, coricæos, quadruplatores, exploratores, qui se omnibus sodalitiis ingerunt, qui quidem non solùm, quæ incautiùs alicui exciderunt, eliminant, sed etiam obtrectatione atque calumniis aliorum famæ labem aspergere conantur. Quocirca Horatius salubri consilio quenque instruit, 1. Epist. 17.

Protinus ut moneam, si quid monitoris eges tu,
Quid de quoque viro, & cui dicas sæpè videto.
Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

Sed inprimis cogita te in ipsius Dei præsentia atque conspectu esse, in illius mensa sedere, illius beneficiis frui. Fac igitur, ut illius gloriæ, menti ac voluntati accommodata sit oratio tua, nec quicquam dicas fasciasve, quò illius majestatem excelsam, justissimam dictorum factorumque impiorum vindicem atque ultricem offendas.

Habenda præterea est diligens & accurata ratio loci atque temporis, sicuti dictum est. Huc licet accommodare, quod Jurisconsultus ff. *proconf.* L. *soli*, de xeniis dixit accipiendis: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε οὔτε παρὰ πάντων.

Sed hæc in genere sint dicta: nunc speciatim quædam dicamus, quæ ad familiarem quemvis, sed inprimis convivialem sermonem bene formandum atque regendum pertinent: quorum alia ad materiam, alia ad formam ejus seu conformationem possunt referri.

Primò ergo vitanda sunt omnia dicta impia & blasphema, quibus Dei Numen violatur atque polluitur, contra 3. præceptum primæ tabulæ legis divinæ. Hujusmodi sunt temeraria atque nefaria, imò horrenda juramenta seu dejerationes per Dei nomen, per Christi corpus, vulnera, sanguinem, crucem, mortem, sacramenta, quæ hodie proh dolor, Christianis cùm in omni colloquio familiari, tum verò atque inprimis inter epulas familiarissimæ sunt ac usitatissimæ, ita ut mirum sit terram non protinùs dehiscere, ac impios hujusmodi homines vivos absorberi, & ad ima tartara præcipitari. Huc quoque referendi multi scurriles joci, quibus nonnulli multis sacræ scripturæ locis atque dictis impiè abutuntur. Quid igitur quæso miri est tot mala atque clades funestissimas in Christiano orbe versari, quum Christiani impio atque sacrilego suo ore non

non dubitent inter ipſas epulas, quibus Dei beneficio maximè fruuntur, ipſius Dei optimi atque benigniſſimi ſui paſtoris atque patris nomen verbumque ſalutiferum tam horrendis blaſphemiis atque execrationibus contaminare?

Deinde fugiendæ ſunt omnes calumniæ, convitia, maledicta, obtrectationes, quibus vel præſentium vel etiam abſentium fama læditur, qua poſt animam & vitam homo nihil habet carius & nobilius, quod perdere poſſit: *qua ſemel amiſſa*, ut Ovidius inquit, *poſtea nullus eris*, hoc eſt, nullius æſtimationis atque pretii. Et idcirco rectè monet Cato:

Omnia ſi perdas, famam ſervare memento.

Certè homini liberali atque ingenuo multò gravior & acerbior eſt famæ amiſſio, quàm non modò fortunarum, verumetiam ipſius vitæ jactura. Et hoc eſt quod Apoſtolus Paulus monet, ne ſimus καταλάλοι ψιθυρισαὶ, ὑβρισαὶ, &c. Proſpiciendum diligenter, quid de quoque viro loquamur, ne aut præſentes aceto perfundamus, aut præſentium amicos & familiares. Et tamen impia hæc planeque diabolica (unde etiam nomen hoc accepit) nos mutuò ſive præſentes ſive etiam abſentes cùm aliàs tum inprimis inter epulandum cavillandi calumniandique conſuetudo ita trita eſt inter nos Chriſtianos & uſitata, ut qui diabolicam illam artem optimè callet, laude potius & honore, quàm vituperatione atque pœna dignus cenſeatur, & ceu homo bellus, commodus, facetus, jocoſus, lepidus, venuſtus (his enim titulis virulenti iſti διάβολοι, id eſt, convitiatores atque calumniatores vulgò inſigniuntur) hominum colloquio, conſpectu atque familiaritate digniſſimus judicetur. S. Auguſtinus verò, ut erat vir ſanctus & doctus, menſæ ſuæ hanc ſaluberrimam admonitionem inſcripſit:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi.

Ex hujuſmodi autem convitiis atque calumniis quanta mala naſcantur, quid opus eſt multa dicere? experientia quotidiana id ſatis teſtatur. Nec verò ipſi tantùm alios calumniari minimè debemus, verumetiam aliis calumniantibus nequaquam fidem aſſenſumque præbere, quin imò ſumma gravitate illis os obſtruere, ſui officii charitatiſque Chriſtianæ commonefacere, omnia quæ in aliorum contumeliam dicuntur, in bonam, quàm malam partem interpretari debemus. Quin etiam ſi ipſi quoque convitiis laceſſiti fuerimus, non ira incenſi & inflammati convitia regerere, ſed ſumma cum modeſtia gravitateque illa refellere, neque excuſare debemus.

Cavenda præterea eſt inter epulas omnis αἰσχρολογία, id eſt, *turpiloquium* Cynicum de rebus turpibus & obſcœnis, ut de Venere, de operibus natura neceſſariis: cujuſmodi ſermonibus caninis atque ſcurrilibus hodie Chriſtianorum convivia perſonant, imò hujuſmodi ſermones ſuaviſſima epularum condimenta vulgò æſtimantur. Præterea ψευδολογίαν omnem, id eſt, *mendaciloquium*, ceu rem turpiſſimam, & à Chriſtiano homine alieniſſimam, imò planè diabolicam cane pejus & angue odiſſe atque execrari debemus. Mendaciloquio enim homines proximè ad Diaboli, qui quidem pater eſt mendaciorum, imaginem atque ſimilitudinem accedunt, & à Deo, qui eſt ipſiſſima Veritas, quàm longiſſimè disjunguntur. Nullum eſt ferè vitium quod homines magis in Dei hominumque extremum odium & contemptum adducat, quàm mendacia dicendi libido. Solomon Prov. 12. *Abominatio eſt Domino labium mendax*. Syrac. cap. 20. *Mendacium in homine turpiſſima eſt macula, vulgata tamen inter indomitos & rudes. Ne fur quidem tam ſceleratus eſt, quàm homo qui ſe ad mendacia aſſuefecit, ſed tamen ad corvos relegatur uterque. Mendacium homini eſt res turpiſſima, neque unquam mendax poteſt honorem ſuum.* ἦθος ἀνθρώπου ψευδοῦς ἀτιμία, καὶ ἡ αἰσχύνη αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ ἐνδελεχῶς, id eſt, *Conſuetudo hominis mendacis eſt ignominioſa & ſuum eum dedecus perpetuò comitatur.* Idem capite vigeſimo quinto, *Tria ſunt quæ odi ex animo & omnium mihi moleſtiſſima ſunt: quando pauper eſt ſuperbus: Dives, qui libenter mendacia loquitur: & decrepitus ſenex inventus in adulterio.*

Nec verò à manifeſtis tantùm mendaciis, verumetiam omnibus, quæ vel minimam mendacii ſpeciem ſuſpicionemve habent, nobis ſummopere cavere debemus. Vitanda itaque omnis μωρολογία, κενολογία, ματαιολογία, id eſt, *ſermo de rebus frivolis, vanis, nugatoriis.* Cautio quoque ſumma adhibenda, ne nova temerè atque crebrè dicamus, quod qui faciunt, illi garruli, nugatores ſeu nugigeruli, falſiloqui atque mendaces vulgò habentur. Ne quis ergò nova niſi probè cognita & explorata, & quidem illorum ſimul auctorem proferat, ne ea finxiſſe videatur. Quin etiam non facilè atque temerè de rebus extraneis, peregrinis, inuſitatis, à noſtræ regionis conſuetudine alienis licet veris, quas vel ipſi vidimus, vel ex aliis cognovimus, vel etiam legimus, verba debemus facere, ne in ψευδολογίας ſuſpitionem incurramus. *Deforme etiam eſt*, inquit Cicero, *de ſeipſo prædicare, falſa præſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum. Nec te collaudes*, inquit Cato, *nec te culpaveris ipſe.* Quid dicam quòd multi ſenes præſertim impia atque nefaria ſuæ juventutis dicta factave, ut furta, rapinas, uſuras, fraudationes, ſtupra, matronarum virginumque violationes, ceu res præclarè laudabiliterque geſtas inter epulandum narrant atque prædicant, quorum illos pudere maximè atque pœnitere oportebat?

Eſt quoque à decoro valdè alienum, aliorum ſecreta ſive arcana inquirere curioſiùs atque percontari, id quod iis qui interrogantur, valdè eſt moleſtum atque odioſum, & ii qui interrogant, perfidiæ nomine ſuſpecti fiunt, quaſi cognitis ſecretis velint obeſſe. Sed multò adhuc eſt turpius & inhoneſtius, ſi quis vel interrogatus, vel etiam ultrò ac ſua ſponte arcana vel publica vel privata ſuæ fidei concredita aliis patefacit. Arcana ergo & ſecreta, auctore Horatio in Epiſtolis, ſive ſobrius ſit ſive ebrius, taceat & celet: nam celanda

effutiens, ſceleſtior fure æſtimatur. Arcana namque ſæpe præſtant iis rebus, quæ à furibus ſurripiuntur. Vitanda præterea in conviviis eſt πολυλογία, μακρολογία & ταυτολογία, quæ incredibile dictu eſt, quàm ſit auditoribus moleſta atque odioſa. τὰς ἐντεύξεις μὴ πυκνὰς ποιοῦ τοῖς αὐτοῖς, μήδε μακρὰς περὶ αὐτῶν, ut Demonicum ſuum docuit Iſocrates, Laconicè magis quàm verboſè copioſeque loquendum.

Præterea φιλονεικία quoque in convivio omnique familiari colloquio valde eſt vitioſa. Unde Epictetus: Ερίζειν, inquit, καὶ φιλονεικεῖν πάντη μὲν ἄτοπον, μάλιστα δὲ ἐν ταῖς παρὰ πότον ὁμιλίαις ἀπρεπές. Οὔτε γὰρ ἂν μεθύων νήφοντα διδάξειε, οὔτ' αὖ μεθύων πρὸς νήφοντος πεισθείη· ἔνθα δὲ ἂν μὴ παρῇ νῆψις, τέλος εἰκῆ σε παρέξει διατείνεσθαι, id eſt, *Litigare & contendere cùm ubique indecorum eſt, tum inter pocula maximè. Neque enim ebrius aliquis docere ſobrium poteſt: neque ſobrius ab ebrio perſuaderi. Ubicunque igitur non adfuerit ſobrietas, tandem nequicquam te contendiſſe apparebit.* Contentionis autem evitandæ ibidem optimam rationem ſubjungit, quæ eſt hujuſmodi: *Hominem*, inquit, *cum quî converſaris, tribus modis conſidera, nempe ut præſtantiorem te, aut inferiorem, aut æqualem. Præſtantiori quidem auſcultare & obtemperare convenit, inferiori non obtemperare: æquali autem conſentire. Hoc ſanè modo nunquam in contentionem incides.*

Ut igitur φιλονεικία in convivio omnique colloquio familiari valde eſt vitioſa: ita etiam κολακεία, id eſt, *adulatio* ſeu *aſſentatio* turpis eſt & inhoneſta, quæ quidem omni liberali & ingenuo homini, nedum Chriſtiano valde eſt indigna. Eſt enim adulatio blanda quædam mendaciorum vitiorumque nutrix: unde rectè Anſelmus in *Epiſt. ad Rom.* 16. adulatorem definit *blandum inimicum.* Caninum planè hoc eſt vitium: unde etiam vox Latina deducta eſt à canibus ad homines. Eſt enim adulatio blandimentum canum, ut ait Nonius Marcell. Nam ut canes ſuis dominis: ſic adulatores ceu viliſſimi ſervi quibuſvis lucri cibique gratia in turpiſſimis quibusque dictis factisve aſſentantur: unde rectè eleganterque à Crate συνδειπνοφάγοι, hoc eſt, *connivepulones* fuerunt appellati, qui nimirum connivendo epulantur.

Eſt præterea incivile valde atque indecorum aliorum dicta interloqui atque interpellare: aliis itaque loquentibus linguæ favendum & expectandus verborum finis. Hinc illud vulgatum manavit: *Duo concinere poſſunt, at non pariter verba facere*: unius enim oratio alterius ſermonem interrumpit Simul quoque loqui & cibum capere cùm indecorum eſt, tum valde noxium, de quo ſuprà. His poſtremò duo ſunt adjicienda. Unum eſt, ut ebrietatem vitemus, quæ quidem omnium dictorum factorumque incivilium atque turpium potiſſima eſt cauſa: de quo ſuprà pluribus eſt dictum. Alterum eſt, ut Deum, quo ſine boni nihil nec cogitare, nec dicere, neque facere poſſumus, oremus, ut ille ſuo ſpiritu mentem linguamque noſtram ita regat atque gubernet, ut ne quid dicamus, quod vel ab illius voluntate atque gloria, vel noſtra proximique noſtri ſalute atque utilitate ſit alienum.

CAPUT XX.

DE MUSICAE DIVISIONE, VI, UTILITATE AC SUAVITATE, USU MULTIPLICI, IN SACRIS, BELLIS, EPULIS APUD HEBRAEOS, GRAECOS, ROMANOS, ETC. DE LYRA ET MYRTO ἄσαρκος DICTA IN CONVIVIIS CIRCUMFERRI SOLITA. DE SCOLIIS ET CANTIUNCULIS EPULARIBUS. AN ET QUATENUS MUSICA IN EPULIS ADHIBENDA, DE EIUS ABUSU.

Syracides noſter de ſermonis convivialis decoro moderatoque uſu præclarè ſanè ſapienterque pro more ſuo verba faciens, Muſicæ ſimul cantusque luculentam mentionem faciens: quem quidem in conviviis omnino vult adhiberi ceu maximum illorum decus & ornamentum. Verba ejus hæc ſunt: Καὶ μὴ ἐμποδίσῃς μουσικά. ὅπου ἀκρόαμα μὴ ἐκχέῃς λαλιὰν καὶ ἀκαίρως μὴ σοφίζου. σφραγὶς ἄνθρακος ἐπὶ κόσμῳ χρυσῷ, σύγκριμα μουσικῶν ἐν συμποσίῳ οἴνου, καὶ καλασκευάσματι χρυσῷ σφραγὶς σμαράγδου μέλος μουσικῶν ἐφ' ἡδεῖ οἴνῳ, hoc eſt: *Nec muſica prohibe. Et ubi eſt acroama, ſive quando carmina canuntur, noli loquaciter obſtrepere, & intempeſtivè ſapientem agere. Nam concentus muſicorum in ſympoſio eſt quaſi inſigne carbunculi in ornatu incluſum aureo. Et modulatio cantorum adhibita ad ſuave vinum eſt tanquam ſigillum ſmaragdi in apparatu aureo, ſeu in auro fabrefacto poſitum.* His verbis Syracides egregiè muſicam convivalem commendat. In convivio varia delectatio adhibetur, alia ex cibo & potu, quo venter jucundè paſcitur, alia ex cantu, quo aures ſuaviter afficiuntur, alia ex variis ſpectaculis, quibus oculi paſcuntur, alia ex unguentis, floribus, odoribus, quibus nares recreantur. Sed omnium optima & liberaliſſima eſt ſermonis, quo uno animus maximè delectatur & paſcitur. Poſt ſermonem autem Muſica videtur primas obtinere, quæ idcircò hîc à Syracide cum ſermone conjungitur.

Muſicæ diviſio.

Eſt autem Muſicæ cùm ejus, quæ aſſa voce, ſive humana tantùm exercetur, tùm quæ fidibus atque inſtrumentis conſtat, quam Organicam ſive inſtrumentalem vocant, magna vis & efficacia. Priſci ſapientes triplicem Muſicam fecerunt, mundanam, humanam, organicam. Mundanam eam cenſuerunt, quæ in illo concinno cœleſtium corporum motu, atque in elementorum diſſimillimorum conſenſu quaſique concentu cerni-

cernitur. Ejus motus concentum inde colligunt, quòd tantorum corporum motus tacitus esse non possit: & quia concinnus sit, suavem esse necesse sit. Quam harmoniam non modò Plato & Ptolemæus tradiderunt, verumetiam Homerus & Augustinus, aliique viri graves & sapientes videntur approbare. Vide Platonem in *Timæo*, Ciceronem in *Somnio Scipionis*, & *de Universit.* Macrobium lib. 6. Virgilium 6. *Æneid.* & 4. *Georgic.* Humana musica videtur ea dici, quæ fit hominis voce. Organica denique ea, quæ fit organis ad edendos concinnos sonos affabrè factis. Organorum autem (ut in *Protheoria* in Psalmos Chrysostomus scribit) alia sunt ἐμφυσώμενα Athenæo, sive πνευματικὰ, sive ut hæc eadem Plutarchus vocat, ἔμπνευστα, quæ inflata ab hominibus sonum edunt, ut sunt cornua, litui, tubæ, buccinæ, classica, tibiæ & fistulæ. Alia sunt ἔγχορδα, Plutarcho ἐντατὰ, quæ constant nervis atque chordis, & vel plectro vel digitis tanguntur, ut citharæ, testudines, lyræ, psaltoria, sambucæ, pandutæ, barbiton, nablium, pectis & alia hujus generis. Alia verò κρουστὰ, quæ pulsantur, ut tympana, sistra, cymbala & campanæ. Unde & sonorum tria genera putantur, quorum primum viva voce animantis edatur: secundum fiat organorum inflatione: tertium denique pulsu. Cato: *Melos autem*, inquit, *in cantibus est bipertitum*, *unum quod est in assa voce* (hoc est, sola voce linguæ tantummodo, aut vocis humanæ non admistis aliis Musicis) *alterum*, *quod vocant organicum.* Alii volunt Musicam esse triplicem, vel ore vel manu, vel flatu editam. Cicero in *Rosciana*, *cantum vocum*, *nervorum & tibiarum* nominat, quam aliis vocabulis *harmonicam*, *organicam* & *rhythmicam* vocant ejus artis magistri.

Organorum musicorum divisio.

Tria sonorum genera.

Musicæ porrò incredibilis sanè est vis atque virtus ad animos pariter atque corpora (quorum est arctissima societas atque affinitas, summaque συμπάθεια) variis modis movendum atque afficiendum. Illam mentibus nostris esse cognatam, testatur Alexan. Aphrodisius lib. 1. *Prob.* 76. & 119. Aristoteles in *Politicis*, Musicam adfirmat conducere ad mores & animum, facere enthusiasticos. Theophrastus in peculiari libro, quem *de Musica* conscripsit, tria ejus facit principia, nempe dolorem, voluptatem, instinctum divinum: quoniam horum unumquodque homines ad canendum incitat atque impellit: de quo vide plura apud Plutarchum lib. 1. *Sympos. Prob.* 5. Athenæum lib. 14. Boëtium in *Musica*, Fr. Patritium *de regno* lib. 2. cap. 15. & lib *de Rep.* 2. Item Osorium *de instit. Principis*, lib. 4. & Danæam in *Antiquitat.*

Musicæ vis & efficacia.

Quantum Musica valeat ad hominum animos vel leniendum vel incitandum, docet & Davidis exemplum, qui mali spiritus impetum, quo Saul vexabatur, musicis sonis frænavit: & Helisæi, qui cùm esset animo nonnihil adversus Regem commoto, psaltem advocari jussit. Musica ergò ad hominum animos ira atque furore inflammatos restinguendum atque placandum, plurimum habet momenti atque ponderis. Similia sacris illis exempla Athenæus adfert lib. 14. de Clinia Pythagorico, qui, ut testis est Chamæleon Ponticus, cùm & vivendi ratione, & moribus paulò esset difficilior atque morosior, si quando erat ira vehementiore correptus, lyram pulsando eam lenire atque mitigare studebat: Achilles etiam Homericus cithara leniebatur, quam solam ex Eëtionis spoliis Homerus illi permisit, quæ illius iracundiam posset cohibere. Unde non temerè pleræque Græcorum civitates, teste Martiano Capella, sanciverunt, Asclepiade auctore, ut perturbationes animorum & morbi corporum ad lyræ modulos curarentur. *Hinc olim remedia ægris præstantes*, ait Macrobius, *præcinere dicebantur.* Et Xenocrates lymphatos modulis carminum dementia liberavit. Quare verisimile est illud Aristotelis, equos lymphatos desperata rabie correptos solo tibiarum concentu mitescere. Nil igitur mirum à Theophrasto in libello *de afflatu Numinis*, memoriæ proditum ischiacorum dolores lenibus tibiarum Phrygiæ harmoniæ modulis sedatos, tibicinemque scitè & modulatè canentem viperarum morsibus mederi. Gellius lib. 4. capite decimo tertio, Athenæus priorem opinionem confirmat lib. 14.

Musicæ vis ad movendos animos.

Musicæ vis ad morbos sanandos.

Non etiam silentio prætereunda Martiani Capellæ verba: *Quid afflictationibus corporeis, nonne assidua meditatione succurri? febrem curabant, vulneraque veteres cantione. Asclepiades tuba surdidissimis medebatur. Ad affectiones animi tibias adhibebat Theophrastus. Ischiadas quis nescit expelli? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Thaletem* (alii *Thaleatem* legunt) *Cretensem citharæ suavitate compertum est morbos ac pestilentiam fugavisse. Erophilus ægrorum venas rhythmorum collatione pensabat.* Hæc ille. Herophilus Medicus venarum quoque pulsus rhythmis Musicis dicebat moveri.

Legimus præterea phreneticos ab Asclepiade, vel tibiarum, vel fidicularum cantu adhibito, sanatos. Dicitur quoque Ismenias Thebanus ischiaticos tibiæ sonis incolumitati restituisse. Brodæus lib. 4. *Miscell.* cap. 31. hæc omnia quæ de Musica morborum illorum corporis curatione allata sunt, in dubium videtur revocare: nec sibi verisimile videri ait, morbos illos musicis sonis sanari posse. Addit idem auctor, se audire in Apulia phalangium araneorum genus esse (Itali *tarentulam* nominant) alio anni tempore ad nocendum non magnam vim habens, in magnis verò solis ardoribus, acerbitatis virus pestiferum infligere: cui perniciei unam hanc salutarem inventam esse medicinam, ut ictus vario ac multiplici cantu tibiarum, ac citharistarum, aliorumve musicorum permulceatur. Hoc quoque licet nonnulli id se in Apulia vidisse testentur, se difficulter credere testatur: & idcircò se id in medio relinquere. Addit tamen postremò, se non negare, quin tibiarum tubarumque sonus ægros hujusmodi à somno revocet, & ad saltandum incitet, quo lethargus mitigetur.

Musicæ in humanos animos, inque corpora ipsa vim esse maximam Hieron. Magius cùm veterum monumentis, tum experientia eorum quæ quotidie eveniunt, comprobat *Miscell.* lib. 4. cap. 13. *Musica*, inquit Athenæus lib. 14. *confert ad exercitationem mentisque acumen*: *quamobrem omnes & Græci & Barbari*, *qui aliquo humanitatis cognitionisque sensu pollent*, *ea utuntur.* Aristoteles in *Politicis* cantilenas eleganter vocat μιμήματα, ὁμοιώματα καὶ σημεῖα ἠθῶν. Apud Arcadas, Lacedæmonios & Græcos omnes, quantum olim fuerit

fuerit Musicæ studium pluribus docet Athenæus lib. 14. Græci, ut ille testatur, antiquitùs Musicæ fuerunt studiosissimi. Sed postquam magna Rerumpub. perturbatio atque confusio fuit consequuta, omnesque leges & disciplinæ consenuerunt, ipsa quoque Musicæ disciplina fuit corrupta, ejusque mores emerserunt absoni, quibus singuli utentes pro humanitate mollitiem, pro temperantia intemperantiam animique dissolutionem colunt.

Musicæ usus multiplex. In sacris.

Fuit autem antiquitùs Musicæ varius & multiplex usus & in pace & in bello, cùm in sacra, tum in prophana humanæ vitæ consuetudine. In sacris olim apud Hebræos Musicam fuisse adhibitam, & carmen illud egregium, quo Hebræi Mosis ætate in arca vel tollenda vel deponenda usi fuerunt, & Levitarum illa quotidiana carmina in tabernaculo atque templo statis horis decantari solita: nec non Davidis hymni satis testantur. Quò ad primitivam Ecclesiam, constat ex historia Ecclesiastica in Oriente citiùs, Occidente tardiùs cantus in templis, reique divinæ celebratione fuisse usurpatos. Ethnicos quoque in suis illis nephandis sacris musica usos fuisse, satis superque constat. Et quidem cùm Arcadas, tum Græcos omnes antiquitùs Deorum immortalium laudes resque gestas heroum carminibus decantare fuisse solitos, testis est Athenæus libro decimo quarto.

In bellis & certaminibus.

Præterea in bellis & certaminibus ut hodiè, ita olim maximus & frequentissimus Musicæ usus fuit. Nam ut eleganter est apud Athenæum scriptum, τὸ ἀρχαῖον μουσικὴ ἐπ' ἀνδρίαν προτροπὴ ἦν, id est, *Antiquitùs Musica erat incitamentum ad fortitudinem.* Itaque, ut testis est Athenæus ex Herodoto, & Clemens Alexandrinus, in bellis suis Ethrusci utebantur tuba, Lydi tibiis ac syringibus, Arcades fistula, Cretenses lyra, Lacedæmonii tibia, Thraces cornu, Ægyptii tympano, Arabes cymbalo, Siculi instrumentis quibusdam, quæ appellabant πύκλιδας. Multi etiam Barbarorum, teste Athenæo, τὰς ἐπικηρυκείας, id est, legationes de pace obibant cum citharis, hostium nimirum animos leniendi mitigandique causa. Hodie apud omnes ferè gentes in bellis usitata instrumenta musica sunt tympana, tubæ, buccinæ, tibiæ, fistulæ, quibus varii soni eduntur. Est igitur Musica & belli & pacis alumna atque comes. De tibiarum usu antiquo in præliis apud Lacedæmonios vide Fr. Patritium *de reg.* lib. 2. Thucydidem, Polybium libro quarto, Fabium libro primo, Gellium lib. 11. Plutarchum in vita Lycurgi, Polydorum libro primo cap. 15.

In funeribus.

In funeribus quoque atque exequiis olim Musica fuit adhibita. Funus ad tubam aut tibiam deducebatur, unde Persius:

Hic tuba candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto. - - - -

Qui ad hujusmodi nænias accersebantur tibicines, τυμβαύλαι à Græcis, à Romanis *siticines* aut *sicinnistæ* nominantur. Galenus, βομβώδεις δ' εἰσὶν ἕτεροι, τοῖς ἐξ εὐρυτάτων αὐλῶν ἐοικότες, ὁποίους ἔχουσιν οἱ τυμβαύλαι καλούμενοι. Sic τελησαύλαι vocabantur, qui in triremibus tibia canebant. Sic Vitellius Imperat. Rom. in epulo funebri, quod in Neronis honorem celebrari curavit, citharœdum placentem admonuit palàm, ut aliquid de Domitio diceret, inchoantique Neroniana cantica (id est, in Neronis laudem edita, vel ab ipso Nerone inventa & usurpata) primus exultans etiam plausit, id est, plausu excepit & approbavit, Suetonius in vita Vitellii. Hunc morem apud Judæos quoque invaluisse, ex Euangelica historia constat, Mat. 9. *Venit*

Tibicines, & tibiæ funebres Hebr.

Christus, inquit, *in domum principis synagogæ, cujus filia mortua fuerat, viditque* αὐλητὰς, id est, *tibicines.* Syraicè צמרא *zemare*, à צמר, *tibia cecinit.* Porrò mos fuit valde antiquus apud Judæos, tibicines adhiberi ad luctum mortuorum, quos Thalmuditæ vocant חוללין *Cholilin*, id est, *aulædos*, a חליל *Chalil*, id est, *tibia.* Pagninus: חליל *tibia*, inquit, *sunt qui dictam putent quasi prophanum instrumentum, cujus sit usus in publicis choreis & solennitatibus: unde* חוללים *Cholelim*, id est, *tibicines, quod habetur* Psalm. 87. *quasi prophani, id est, publicis & prophanis lætitiis inservientes, tibicines.* Hebræi potiùs חליל id est, *tibiam*, à concavitate deducunt. Nam חליל est *concavus.* Huc & מחיל, id est, *Chorus:* etsi alii choream prophanam & publicam, ubi tibia canitur, exponant. Sed erant & sacræ choreæ, Exod. decimoquinto. De illa consuetudine multa

Chalil.

passim leguntur in Thalmudicis, & in scriptis Rabbinorum: præsertim autem in Thalmud Hierosolymitano tractatu *de Benedictionibus* capite tertio, & in tractatu *de Sabbato* cap. 23. & in Baba Mezia cap. 6. item in Rabbi Schelomonis *Comment. in Ezech.* cap. 25. ubi inquit: *Sunt quæ adhiberi consueverunt ad luctum & ad lætitiam, sed non est in eis par ratio: cujusmodi sunt aulœdi pro sponso & pro mortuo.* De funebrium tubarum forma, à Cæsellio, Capitone, Gellio, Nonio & cæteris ignorata, & in genere de tubis, tibiisque, quem sonum Siticines incitant: & cur gravem sonum organa musica, quæ inflantur, emittant, vide Hieron. Magii *Miscell.* libro primo, cap. 12. De cantilenis lugubribus & fistula funebri, vide etiam Plutarchum in lib. 3. *sympos. probl.* 8.

Musicæ usus convivialis Apud Hebræos.

Sed nos omisso reliquo Musicæ usu, de conviviali potissimùm dicemus, id quod nostri est propositi. Constat ergo apud omnes ferè gentes Musicam in conviviis, præsertim splendidioribus, ut sacris, natalitiis, nuptialibus, funebribus maximè in usu fuisse. Nam, ut ab Hebræis exordiar, cùm in sacris, tum etiam prophanis illorum epulis tritam fuisse canendi psallendique consuetudinem, ex multis sacrarum litterarum testimoniis liquidò constat. Patresfamiliâs olim cùm vel accumberent, vel à cœna surgerent, hymnos quosdam canebant, dum nimirùm solennes festosque dies juxta legis præscriptum agitarent. A quo laudabili more Christus quoque non videtur abhorruisse, quando post cœnam Paschalem illa nocte, qua proditus fuit, unà

In ecclesia primitiva.

cum Apostolis hymnum cecinit, ac in montem olivarum exivit, Mar. 14. Καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον, &c. Ad hujusmodi cantum convivalem Paulus quoque videtur alludere ad Ephes. cap. 5. cùm inquit: *Nolite inebriari*

vino,

vino, in quo est luxuria, sed potiùs date operam ut compleamini spiritu, loquentes vobismetipsis ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, *psalmis, hymnis & odis spiritualibus,* ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, id est, *canentes atque psallentes vestro Domino* (unde Augustinus:

Non vox, sed votum: non chordula musica, sed cor
Non cantans, sed amans cantat in aure Dei.)

Gratias agentes Deo semper de omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi. Heic Paulus videtur eos monere, qui in conviviis accumbunt, ne vel ebrietate vel crapula, vel lascivis cantilenis & obscœnis scurrilibusque jocis Deum offendant, sed potiùs & spirituali ebrietati studeant, & sacris carminibus Deum laudent ac celebrent. Hinc in agapis illis, id est, cœnis Christianorum primitivæ Ecclesiæ charitatis plenissimis, cantus quoque legimus fuisse adhibitos, ut Tertullianus testatur in *Apolog.* cap. 39. *Post aquam*, inquit, *manualem & lumina, ut quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit.* Et alibi, dum religionis ejusdem matrimonium commendat, Christianos ait conjuges mutuò sese provocare ad laudes Deo canendas. Idem colligi potest ex his Cypriani verbis ad Donatum: *Et quoniam nunc feriata quies ac tempus est otiosum, quicquid inclinante jam Sole in vesperam diei superest, ducamus hunc diem læti, nec sit vel hora convivii gratiæ cœlestis immunis, sonet psalmos convivium sobrium. Ut tibi tenax memoria est, vox rauca, aggredere hoc munus ex more: magis charissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures religiosa dulcedo.*

Hanc porrò usitatam apud Hebræos in conviviis canendi consuetudinem Syracides noster, sicut paulò antea dictum est, carbunculi atque smaragdi duarum pretiosissimarum gemmarum similitudine commendat atque amplificat. Idem quoque cap. 40. *Vinum*, inquit, *& Musica* (ecce musicam cum vino conjungit) *mentem & cor exhilarant, sed utrunque magis sapientiæ studium. Fistula & psalterium suavem edunt cantum, linguæ verò suavitas utrunque superat.* Idem cap. 49. *Nomen Josiæ est sicut incensum pretiosum, & odores ex myrothecio, dulcis est sicut mel in ore, & sicut musica in symposio vini.* Ad hanc consuetudinem alludit etiam David Psal. 69. vers. 13. ubi se cunctis ludibrio fuisse dicit. *Loquebantur*, inquit, *adversus me qui sedebant in porta*, id est, judices & seniores populi, qui in portis publica judicia exercendi causa sedere & convenire solebant: *& in me psallebant* (scilicet organa musica) *qui bibebant vinum*, id est, homines plebei & leves in symposiis suis me perstringebant contumeliosis suis canticis. Id Buchananus eleganter expressit his carminibus:

Musicæ epularis commendatio in sacris literis.

Me salibus petit e portæ statione senectus,
Et ebriosæ sum tabernæ cantio.

Esaias cap. 5. luxuriosissima Judæorum convivia reprehendens: *Væ*, inquit, *qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam & potandum usque ad vesperam, ita ut vino æstuetis: Cinnor, næbel, thoph, chalil*, id est, *cythara, nablum, tympanum & tibia in conviviis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consyderatis.* Et cap. 24. vers. 8. *Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus exultantium, quievit gaudium citharæ. Cum canticis non bibent vinum, amara erit sechar bibentibus eam.* Simili invectiva Amos quoque utitur cap. 6. intemperantissimas illorum compotationes perstringens inter alia dicit illos canere ad sonitum psalterii. Verba ejus hæc sunt: הפורטים *Haporetim*, id est, *qui modulantur juxta os*, id est, juxta vocem seu rationem Nablii. פרט *Peret*, Levit. 19. significat grana singula uvarum, quæ post vindemiam remanent, quæ Dominus eo loco pauperibus & tenuioribus relinqui jubet. Et apud doctores Hebræos passim פרט *Perat* significat *particulare*, sive *singulare*, contrarium כלל *Celal*, *universalis, generalis.* Est ergo *Poretim* proprium fidicinum, qui minutatim singula verba cantici instrumento musico accommodant & applicant, quod ferè fit imminutione, Gallicè *freddons*, Germanicè leüffe / sive risli / appellantur. Præterea sigillatim explorandæ chordæ instrumenti musici & ad concentum harmoniamque ejus, quod canitur, accommodandæ sunt. Id significatur per *Haporetim* (de verbo ad verbum, *diminuentes* sive *particularizantes*) qui sigillatim applicant sua cantica, Latinè dixeris, *qui modulantur.* Nam & ex eadem ratione ductum est verbum Latinum. Hæc Mercerus piæ memoriæ præceptor meus observandus scripsit in suis *comment.* in hunc prophetam. Mihi quidem Horatius eodem sensu videtur dixisse: *Imbelli cythara carmina dividet*: quæ verba Turnebus sic interpretatur. *Videtur*, inquit, *carmina per cytharæ nervos partiri, quòd cytharœdi faciunt, cum modulantur: nunc enim hanc, nunc illam chordam carpunt, & de cantilena huic, & illi chordæ aliquid impertiunt. Sic enim per cytharam carmina dividuntur: vel potius cythara carmina canuntur, audientibusque dividuntur. Simile est quodam modo illud ejusdem: Nulli plura tamen dividit oscula, id est, impertit, tribuit.* Hæc ille. Hieronymus tamen vocem *Haporetim* simpliciter interpretatur: *Qui canitis*, LXX. οἱ ἐπικροτοῦντες, *qui tangunt* seu *pulsant*. Jonathan, *qui psallunt.* Arias putat genus cantionis Diatonicum significari, quod ad voluptates magis & ad permulcendas aures natum esse videtur, quod minutis temporum sectionibus, & modulis crebrioribus præter vocum consonantiam, cætera avium garritus imitetur. Omnino his verbis mihi videtur significari musicæ lascivia, molles in cantu flexiones, & falsæ voculæ, cantus molles, turpes, effœminati, quibus impuri luxuriosique illi homines in conviviis suis indulgebant.

Musicæ abusus in epulis luxuriosorum.

Sed in novo quoque Testamento musicæ convivialis illustre exemplum habemus Luc. 15. in lætissima illa cœna adventitia, qua pater filium suum peregrè redeuntem & ad meliorem mentem conversum excepit. Ibi mentio fit συμφωνίας καὶ χορῶν, id est, *concentus musici & saltationum* sive tripudiorum, quæ quidem musicam plerunque in conviviis consequi solent, secundum illud Matth. 11. *Tibia cecinimus vobis, & non salta-*

saltastis: unde etiam apud Homerum sæpissimè conjunguntur. Huic autem loco, ubi filius senior ex agro rediens & ad domum appropinquans auditis symphoniacis atque choreis quæsivisse dicitur, *quidnam hæc sibi vellent*, &c. similis admodum mihi videtur esse ille locus apud Homerum, ubi Ulysses cùm unà cum Eumæo subulco ad ædes suas appropinquasset, talia verba facit, Ὀδ. ρ.

> Εὔμαι' ἦ μάλα δὴ τάδε δώματα κάλ' Ὀδυσῆος,
> Γιγνώσκω δ' ὅτι πολλοὶ ἐν αὐτῷ δαῖτα τίθενται
> Ἄνδρες. ἐπεὶ κνίσση μὲν ἀνήνοθεν, ἐν δέ τε φόρμιγξ
> Ἠπύει ἣν ἄρα δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίρην.

Ex his ergo satis constat Musicam apud Hebræos in illorum symposiis admodum fuisse usitatam.

Musicæ usus epularis apud Græcos. Harmoniæ genus tripertitum.

Porrò Græcorum natio ut cæterarum quoque artium atque disciplinarum omnium, ita Musicæ quoque & inventrix & cultrix præ cæteris ferè omnibus gentibus studiosissima sanè extitit. Hinc triplex illud Harmoniæ genus secundum tria nationis illius genera promanavit, nempè Doricum μεγαλοπρεπὲς, id est, *magnificum*: Æolicum ὀγκῶδες, id est, *elatum & sublime*: Jonicum αὐστηρὸν, id est, *austerum*, de quo multa apud Athenæum lib. 14. & alios auctores videre licet. Inprimis verò in illorum symposiis antiquus frequensque Musicæ usus fuit. Nam ut ab ovo, ut ita loquar, Trojano exordiar, non modò procorum, verùm etiam heroum illorum antiquorum mensis, epulisque familiarissimam fuisse, neminem qui vel mediocriter in Homericis est versatus, latet. Nam & Musicæ, & quæ illius comes est atque socia, saltationis creberrima apud Homerum in epularum descriptionibus fit mentio. Hinc Ὀδ. α. μολπὴν καὶ ὀρχηστὺν, id est, *cantum & saltationem*, & Ὀδ. φ. μολπὴν καὶ φόρμιγγα eleganter sanè vocat ἀναθήματα δαιτὸς, id est, *donaria conviviis dicata*, sive, ut Hesychius interpretatur, κοσμήματα, id est, *ornamenta* conviviorum. Eustathius Ὀδ. α. fol. 37. *Manifestum est*, inquit, *hæc non cujusvis atque vulgaris, sed magnifici sumptuosique convivii esse anathemata*, id est, ἱερά τινα κειμήλια, *sacra quædam donaria*. Eandem ob causam idem poëta φόρμιγγα (quæ præcipuum fuit organum musicum, cujus sæpè meminit) & Ὀδ. ρ. Deos dicit fecisse δαιτὶ ἑταίρην, id est, *epularum sociam*, & Ὀδ. θ. eandem συνήορον δαιτὶ θαλείῃ, id est, *epulo splendido aptam atque accommodatam* appellat: quibus simile est illud Horatii lib. 2. Od. 11.

Homerica testimonia de musica epulari.

Divitum mensis & amica templis lyra.

Duplex melodia apud Homerum.

Duplicis autem, ut ex locis commemoratis constat, Musicæ sive Melodiæ apud Homerum fit mentio. Una quidem est ἡ ἐν τῇ φωνῇ: altera vero ἡ ἐν τοῖς ὀργάνοις, τοῖς δὲ ἐμπνευστοῖς, τοῖς δὲ ἐντάτοις, id est, *Una quidem quæ voce constat: altera quæ instrumentis, quorum alia inflantur, alia intenduntur.* Instrumenta, quorum in epulis Homerus crebram mentionem facit, sunt κίθαρις, quam περικαλλέα Ὀδ. α. appellat: & φόρμιγξ, quam alibi γλαφυρὴν, ut Ὀδ. α. alibi λιγεῖαν, ut Ὀδ. θ. alibi περικαλλέα, ut Ιλ. α. appellat. In bellis αὐλῶν καὶ συρίγγων meminit. Plerunque autem in conviviis vox sive musica vocalis, quam ἀοιδὴν, μολπὴν ἱμερόεσσαν καὶ ἡδεῖαν sæpè appellat, cum musica organica sive organis musicis conjungitur. Scribit idem procos ceu homines voluptuarios ad vesperam usque hujusmodi suis cantiunculis atque saltatiunculis indulsisse. Ut Ὀδ. ρ.

> - - - τοὶ δ' (proci) ὀρχηστυῖ καὶ ἀοιδῇ
> Τέρποντ', ἤδη γὰρ καὶ ἐπήλυθε δείελον ἦμαρ.

Et Ὀδ. α.

> Οἱ δ' εἰς ὀρχηστύν τε καὶ ἱμερόεσσαν ἀοιδὴν
> Τρεψάμενοι τέρποντο, μένον δ' ἐπὶ ἕσπερον ἐλθεῖν.
> Τοῖσι δὲ τερπομένοισι μέλας ἐπὶ ἕσπερος ἦλθε.

Idem testatur Ὀδ. σ. de iisdem. Hodie Christiani vel in mediam noctem lascivas suas cantiones atque tripudia producunt.

Hymni deorum in conviviis decantati.

Fuit porrò antiquorum moribus & legibus constitutum, teste Athenæo lib. 14. ut in conviviis Deorum immortalium hymni communi voce ab omnibus canerentur, ὅπως δὲ διὰ τούτων τηρῆται τὸ καλὸν, καὶ σωφρονικὸν ἡμῶν, id est, *sese mutuò ad temperantiam honestatemque colendam atque tuendam adhortarentur.* Εὐαρμονίων γὰρ ὄντων τῶν ᾀσμάτων, προσερχόμενος ὁ τῶν θεῶν λόγος, ἀποσεμνύνει τὸν ἑκάστων τρόπον, id est, *Nam cum cantilenæ sint concinnæ, si Deorum sermo accesserit, hoc pacto singulorum mores graves redduntur atque compositi.* Id probat Philochori testimonio, qui affirmat veteres non semper solitos fuisse διθυραμβεῖν, id est, *dithyrambos canere*, sed Dionysium quidem libantes canebant inter vina & ebrietatem: *Apollinem autem adhibito ordine, quiete & tranquillitate.* Hinc colligi posse vult Athenæus, ὅτι οὐχ ἡδονῆς χάριν ἐπιπολαίου καὶ δημοτικῆς ἡ μουσικὴ παρῆλθε καταρχὰς εἰς τὰς ἑστιάσεις, id est, *Musicam antiquitùs non levis, vulgaris popularisque tantum voluptatis causa in convivia fuisse introductam.*

Arcadas quoque Musicæ studiosissimos hymnos atque pæanas in Deorum atque Heroum suorum honorem canere consuevisse, idem testatur, ubi de illorum cœnis loquitur. Illorum enim pueri, ut idem auctor testatur, lib. 14. à teneris secundum legem hymnos atque pæanas canere assuescunt, quibus singuli juxta patria instituta heroas indigenas atque Deos decantare atque celebrare consueverunt. Cyrus apud Xenophontem lib. 3. *Expedit.* ad milites, νῦν οὖν ὡς δὲ θεοφιλεῖς, καὶ ἀγαθοὶ, καὶ σώφρονες ἄνδρες, δεῖπνοποιεῖσθε καὶ σπονδὰς τοῖς θεοῖς ποιεῖσθε καὶ παιᾶνα ἐξάρχετε, καὶ ἅμα τὸ παραγγελλόμενον ποιεῖσθε. Ut ergò Græci olim fictitiorum suorum Deorum, sic & Judæi antiquitus & Christiani primitivæ Ecclesiæ veri Dei laudes atque hymnos in symposiis suis canere fuerunt soliti.

Nec

Hominum virtutes & res gestæ decantatæ in epulis.

Nec verò Deorum tantum, verùm etiam hominum clarorum virtutes resque præclarè gestas in conviviis carminibus atque cantilenis celebrarunt, quibus nimirum se invicem ad illorum imitationem incitarent. Hujusmodi carminum cum in Deorum, tum etiam hominum laudem plurima passim apud auctores exempla exstant. Penelope apud Homerum Ὀδ. α. talia ad Phemium περίκλυτον, id est, inclytum cantorem verba facit:

> Φήμιε, πολλὰ γὰρ ἄλλα βροτῶν θελκτήρια οἶδας
> Ἔργ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε, τά τε κλείουσιν ἀοιδοί.

Item Ὀδ. θ. ferè ab initio:

> Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο
> Μοῦσ' ἄρ' ἀοιδὸν ἀνῆκεν ἀειδέμεναι κλέα ἀνδρῶν
> Οἴμης τῆς τότ' ἄρα κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανε.

De Harmodio carmine quod in Harmodii & Aristogitonis honorem, qui Pisistratidarum tyrannidem sustulerunt, in epulis vulgò decantari fuit solitum, vide Aristophanis Scholiastem in *Acharn.* in illa verba: οὐδὲ παρ' ἐμοί ποτε τὸν Ἁρμόδιον ᾄσεται, Συγκατακλινεὶς, ὅτι παρόινιος ἀνὴρ ἔφυ, &c. Ejus cantilenæ initium erat, φίλτατε Ἁρμόδιε οὔτι που τέθνηκας, id est, *Charissime Harmodi, nondum es mortuus.* Varro, *In conviviis*, inquit, *pueri modesti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum & alta voce & cum tibicine.* Cicero in Bruto: *Carmina in epulis esse cantata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato.* Idem: *Est in Originibus, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicines de clarorum hominum laudibus.* Hujusmodi autem parœmiæ, id est, carmina laudatoria in περιδείπνοις, id est, *cœnis funebribus*, olim in primis fuerunt usitata: unde proverbium illud promanavit de homine illaudato: Οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ' ἐν περιδείπνῳ, id est, *Non possis laudari, ne in parentalibus quidem*: de quo vide Erasmum in *Chiliad. Non est laudandus ne in cœna quidem.* In hominem vehementer illaudatum. Antiquus mos erat, præsertim Atticis, in cœnis funeralibus, quas Græci περίδειπνα vocant, encomiis, epicediis & epitaphiis laudare vita defunctum, etiam si parum meruisset in vita. Siquidem, ut inquit Ovidius:

> *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.*

Fortassis hinc ductum est, quod antiquitus mos fuisse videtur, ut in compotationibus aliquorum, etiam viventium laudes dicerentur. Quemadmodum apud Platonem Alcibiades Socratis encomium refert, & apud Plutarchum Alexandrum Magnum laudat Callisthenes. Ejusmodi verò laudes non admodum speciosæ videbantur, ut inter pocula decantatæ. Nec absurdum arbitror, si quis ad priscorum consuetudinem referat parœmiam, qua fieri solet, ut in conviviis cytharœdus aut Deorum, aut insignium virorum facta decantaret. Velut apud Homerum in omnibus fermè conviviis. Apud Virgilium item:

> ----- *Cythara crinitus Iopas*
> *Personat aurata, docuit quæ maximus Athlas.*
> *Hic canit errantem Lunam, Solisque labores;*
> *Unde hominum genus, & pecudes, unde imber & ignis,*
> *Arcturum, pluviasque Hyades, geminosque Triones,*
> *Quid tantum Oceano properent se tingere Soles*
> *Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.*

Hæc de materia præcipua carminum convivialium, quæ in symposiis partim humana voce, partim instrumentis decantari consueverunt.

Cùm ipsi convivæ cantare soliti, tum cantores adhibiti.

Observandum porrò antiquitùs cùm cantores, aulædos, cytharædos, tibicines, item mulieres sambucistrias, αὐλητρίδας, ψαλτρίας, κιθαριστρίας, μουσουργοὺς, ᾠδικοὺς, ὀρχηστικοὺς, aliosque Musicæ peritos fuisse adhibitos, qui convivas cantilenis musicisque instrumentis oblectarent: tum ipsos convivas partim voce, partim fidibus canere consuevisse. Nam & omnes communi voce pæana sive hymnum aliquem in Bacchi atque aliorum Deorum honorem canebant, idque cùm ab initio, tùm in fine cœnæ, quando libabant: & deinde unusquisque accepto myrti aut lauri ramo propriam cantionem canere, atque etiam lyram, quæ circumferebatur, pulsare cogebatur. De hoc antiquorum more atque consuetudine testimonia quædam præter suprà commemorata alia quoque illustria ex antiquis monumentis deprompta adferam. Apud Stobæum *Serm.* 145. Chæronidæ Catanæi prooemia legum pulchra & utilia recitantur, & ibidem inter alia lex imperat, ut cives omnes hæc prooemia calleant, eaque in festis post pæanas recitent, quemcunque ἑστιάτωρ, id est, *convivii dominus* id jusserit, ut singulis illa præcepta familiarissima fiant. Plutarchus lib. 1. *Symp. problem.* 1. *Quin etiam carmina illa in conviviis decantari solita, quæ vulgò σκολιὰ, id est obliqua sive tortuosa appellantur, cratere in medio proposito & corollis (quas Deus libertatis ergò nobis imponit) distributis decantare, forsan neque pulchrum, neque convivio aptum esse videatur. Et tamen Scolia nonnulli ajunt non esse genus carminis sive cantilenæ obscuræ, sed inde sic fuisse appellata, ut sequitur. Nam primò omnes communi voce carmen Deo (*Baccho*) canere solebant, illum celebrantes. Deinde unusquisque propriam cantilenam canebat accepto myrteo ramo, quem idcirco ἄσαρκον appellabant,* διὰ τὸ ᾄδειν τὸν δεξάμενον, id est, *quia qui illum acceperat, canere solebat. Et quia simul quoque lyra circumferebatur, quam artis quidem illius peritus pulsare carmenque illud concinne modulari, musicæ autem imperiti id recusare solebant, hinc Scolion fuisse nominatum, quod illud neque omnibus esset commune, neque etiam facile. Alii tamen myrtum non ordine traditam fuisse ajunt, sed à lectulo in lectulum transmissam, ita ut qui primus cecinisset,*

Vetus canendi in epulis consuetudo.

Scolion.

Myrtus circumferri solita inter canentes cur ἄσαρκος dicta.

nisset, primo in secunda mensa eam mitteret, is primo tertiæ, eodemque modo secundi secundis. Itaque διὰ τὸ ποικίλον καὶ πολυκαμπὲς τῆς περιόδου, id est, *ob varietatem & tortuosos in circuitione flexus, Scolion videtur fuisse dictum.* Hæc Plutarchus. Quo ad vocem ἄσαρκον (ut vulgò legitur) qua Plutarchus scribit myrtum illam, quæ cantus erat insigne, fuisse appellatam, non parum illa habet difficultatis. Junius ἄδαρκον vult legendum, forsan quia Plutarchus addit διὰ τὸ ᾄδειν τὸν δεξάμενον. Xylander in suis *Annotat.* in hunc locum pro ἄσαρκον, ἄσαρον vult legendum, nimirum ἀπὸ τοῦ ᾄσω, id est, *canam.* Addit idem apud Plinium 21. 6. Asaron vocitari herbam, quoniam in coronis non addatur. Jacobus Amyotus Gallus Plutarchi & quidem elegantissimus interpres ἄνσακον legit, ὅτι ἔδει ᾆσαι ἔχοντα. Mihi videtur vulgata lectio retinenda, & ἄσαρκον componi ἀπὸ τοῦ ᾆσαι καὶ ἀρκεῖν, quasi cantum subministrans sive suppeditans: vel legendum ἄσαρχον, ἀπὸ τοῦ ᾆσαι καὶ ἄρχειν, quod *incipere & lacessere* significat, quod qui illam myrtum tenebat, canere incipiebat, & reliquos ad idem faciendum exemplo suo lacessebat, secundum illa Scholiastis Aristophanis, Καὶ γὰρ ὁ ἐξάρχης δάφνην ἢ μυῤῥίνην κατέχων ᾖδε, id est, *qui primus laurum, sive myrtum tenebat*, is canebat, unde etiam ἔξαρχον possis legere, id est, præcentorem, quod qui eam acceperat, canendo præibat. Sic παιᾶνα ἐξάρχειν Xenophon dixit epularum mentione facta, & Athenæus lib. 4. τὸ γὰρ ἐξάρχειν τῆς φόρμιγγος ἴδιον, & μοῦσαν dicit ἀρχεσίμολπον à Stesichoro fuisse dictam. Verùm hæc doctioribus dijudicanda relinquo.

Hujusce autem antiquorum in epulis canendi consuetudinis Clemens quoque Alexan. lib. 2. *pædag.* cap. 4. luculentam mentionem facit his verbis: *Cæterùm*, inquit, παρὰ τὰς συμποτικὰς εὐωχίας καὶ τὰς ἐπιψεκαζούσας κύλικας, id est, *in symposiis & inter rorantia sive distillantia pocula ad psalmorum hebraicorum similitudinem* ᾆσμα, id est, *carmen canebatur, quod* σκολιὸν *appellabatur, communiter omnibus voce* παιανιζόντων, id est, *pæana canentibus: nonnunquam etiam* ἐν μέρει περιελιττόντων τὰς προπόσεις τῆς ᾠδῆς, id est, *per cantici vices propinationes circumagentibus. Qui autem erant ex iis* μουσικώτεροι, id est, *Musicæ peritiores, etiam ad lyram canebant. Solebant convivæ* προσκαλεῖσθαι ἐξονομακλήδην, id est, *nominatim provocare, cui propinaturi erant & lyram tradituri:* quò alludit Terentius in *Eunucho: Phædriam intromittamus, cantatum provocemus.*

Mos canendi ad lyram.

Quod ad Lyram, de cujus laudibus multa Fr. Patritius pulchra scripsit lib. 2. de regno, in conviviis olim adhibitam, ejus moris testis est etiam Fabius lib. 1. *Institut. Unde*, inquit, *etiam ille mos ut in conviviis post cœnam circumferretur lyra, cujus quum se Themistocles imperitum confessus esset* (ut verbis Ciceronis utar) *habitus est indoctior.* Ciceronis ipsius verba hæc sunt lib. 1. *Thusc. disp. Summam eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus: Igitur & Epaminondas, princeps meo judicio Græciæ, fidibus præclarè cecinisse dicitur. Themistoclesque aliquot antè annis, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior.* Idem Galenus quoque testatur lib. 1. *Therapeut.* ubi scribit turpissimum olim habitum, si lyra abesset a conviviis, ἀπρεπὲς γὰρ πάλαι κατὰ τὰς τοιαύτας συνόδους καλὸν ἐνενόμιστο. Gelo tyrannus, teste Plutarcho in *Apophtheg.* cùm in convivio lyra circumferretur, eamque convivæ, ut mos erat, ordine pulsarent, ipse sibi equum adduci jussit, & in eum facilè atque expedite insiluit. Pindarus in *Olym. Od.* 1.

Ἀγλαΐζεται δὲ καὶ	Ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ
Μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ	Τράπεζαν, ἀλλὰ Δωρίαν ἀ-
Οἷα παίζομεν φίλαν	πὸ φόρμιγγα πασσάλου -----λάμβανε.

De lyræ forma vide Pierii Hieroglyphica.
Myrtus ad dextram circumlata.
Scolion quid & unde dictum.

Resplendet autem & musices in flore, qualiter ludimus frequenter nos viri circa mensam amicam. Sed Doricam citharam è clavo exime. Pollux lib. 6. cap. 17. Καὶ παροίνια δὲ ᾄσματα ἦν, καὶ σκολιὰ, καὶ μυῤῥίνην δέ τινες ἐπὶ δεξιᾷ περιφέροντες, καὶ ἔκπωμα, καὶ λύραν, ᾄδειν ἠξίουν, id est, *Erant etiam convivales quædam cantiones, scolia & myrto ad dextram circumlata, nec non poculo atque lyra cantum exigebant.* Suidas: Σκολιὸν ἡ παροίνιος ᾠδή. Eodem teste Dicæarchus in lib. *de musicis certaminibus*, tria dixit esse Odarum sive carminum genera: Τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον καθ' ἕνα ἑξῆς (hic videtur aliquid deesse nempe τὸ δὲ) *Aliud quidem quod ab omnibus canebatur: aliud quod à singulis ordine: aliud quod à sapientissimis* ὡς ἔτυχε τῇ τάξει, id est, *quovis ordine.* Et hoc quidem ob ordinem σκολιὸν dici. Vel ut Aristoxenus & Phyllis musicus senserunt, quoniam in nuptiis circa unam mensam multis collocatis lectis, singuli ex ordine myrtos tenentes canebant gnomas & amatoria. Circuitio autem erat σκολιὰ, id est, *flexuosa* sive *obliqua* ob lectorum ordinem, idcirco ipsa quoque carmina sic fuerunt appellata. Idem: Σκολιὸν τὸ ῥᾴδιον per antiphrasin μέλος ἦν ὀλιγόστιχον. Idem affert exemplum quoddam elegans hujusmodi σκολιοῦ de divitiis, cujus auctor fuit Timocreon Rhodius. Eadem habet Aristophanis scholiastes in Comœdia Σφῆκες: quibus hæc ab illo adduntur: *Alii verò ajunt moris fuisse, ut is qui non posset in symposiis canere, accepto lauri aut myrti ramo, ad illum caneret. Sunt qui dicant per antiphrasin* σκολιὰ *fuisse appellata* τὰ παροίνια μέλη *epularia illa carmina. Nam illa oportebat esse* ἁπλᾶ καὶ εὔκολα, id est, *simplicia atque facilia, ut quæ inter compotandum canerentur. Sed hoc non benè ab illis dicitur. Nam* τὰ δύσφημα ἐπὶ τὸ εὐφημότερον μεταλαμβάνεται, οὐ μὴν τοὔμπαλιν, id est, *ea quæ mali sunt nominis ad prosperiorem appellationem convertuntur, non contrà.* (Hoc scholiastis dictum à Cælio reprehenditur lib. 12. cap. 15.) *Verùm quoniam non ordine lyra convivis tradebatur, sed alternatim, propter obliquam illam lyræ circumlationem, carmina illa* σκολιὰ *dicebantur.* Idem scholiastes paulò antea de iisdem Scoliis sic disserit in illa Aristophanis verba: Τὰ σκολί' ὅπως δέξει καλῶς, &c. ἀρχαῖον, inquit, ἔθος εἰσιωμένους ᾄδειν. *Antiquus fuit mos epulantes canere.* Addit: ἀκολούθως τὸ πρῶτον εἰ παύσαιτο τῆς ᾠδῆς. Καὶ γὰρ ὁ ἐξάρχης δάφνην ἢ μυῤῥίνην κατέχων ᾖδε σιμωνίδου, ἢ στησιχόρου μέλη, ἄχρις οὗ ἤθελε. καὶ μετὰ ταῦτα ᾧ ἐβούλετο, ἐδίδου, καὶ ὡς ἡ τάξις ἀπῄτει, καὶ ἔλεγεν ὁ δεξάμενος παρὰ τοῦ πρώτου τὰ ἑξῆς. Κἀκεῖνος ἐπεδίδου πάλιν ᾧ ἐβούλετο. Διὰ τὸ πάντας οὖν ἀπροσδοκήτως

δοκήτως ᾄδειν ἢ λέγειν τὰ μέλη, σκολιὰ εἰρῆσθαι διὰ τὴν δυσκολίαν. ἄλλως. ὅπως παραδέξῃ ἐν κύκλῳ γὰρ ἤ τοι διὰ τὰ σκολιὰ, ἃ εἰσὶ παροινίαι ᾠδαί. Cælius lib. 12. cap. 15. *Scolia*, inquit, *Græci interpretantur* συμποτικὰ ᾄσματα, id est, *convivales cantilenas, quarum meminerit Sympos. 3. Didymus atque item Horat.* Sic verò nuncupari etymologici tradunt, quod vinolenti jam ἢ σκολιῶς ἔχοντες τὰ αἰσθητήρια ᾄδουσι, id est, *tortuosis hebetibusque ac retusis sensibus ea concinunt.* Alii per antiphrasin volunt dicta, quod minus obliqua essent aut tortuosa, quod *scolii* vocabulum indicat, sed facilia, ut quæ in conviviis canerentur.

Scolia Meliti celebrantur ab eruditis, quæ carica haberent aulemata, hoc est, incentiones flebiles. Tyrannion commentarium concinnavit de scolio metro, Cajo Cæsare rogante. Scitum est illud Timocreontis Scolion de Pluto, id est, divitiis, cujus Suidas meminit, cujus tale est exordium: ὄφελες ὦ τυφλὲ πλοῦτε μήτε ἐν γῇ, μήτε ἐν θαλάττῃ, μήτε ἐν ἠπείρῳ φανῆμεναι, ἀλλὰ τάρταρόν τε ναίειν κ' ἀχέροντα. διὰ σὲ γὰρ πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά. *Utinam tu cæce Plute, neque in terra, nec in mari, nec in continente apparuisses, sed Tartari perpetuus fuisses incola & Acherontis: ex te namque omnia hominibus mala.* Ad Scolii hujusmodi similitudinem compositum fuit à Pericle in Megarenses decretum: Μεγαρέας μήτ' ἀγορᾶς, μήτε θαλάττης, μήτ' ἠπείρου μετέχειν. Leges idem ferebat ceu scolia scriptas. Hæc ex Suida. Scolia Meliti. Scolion de Pluto cæco.

Sed & Admeti Scolion Athenis celebratum, in *Lexico* Pausanias scribit, idque ab Alcæo concinnatum alios tradere, alios verò à Sappho, fuisse etiam qui Praxillæ Sicyoniæ esse opus crederent. Ejusdem Aristophanes quoque meminit in Σφῆκες: Scolion Admeti.

Ἀδμήτου λόγον ὦ 'ταῖρε μαθών.
Τοὺς ἀγαθοὺς φίλει.

Scholiastes: *Hoc erat principium scolii, quod est tale:*

---- Τοὺς ἀγαθοὺς φίλει
Τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς, ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις.

Id est, *Bonos & generosos ama, timidos autem fac missos, cum scias exiguam esse timidorum gratiam.* Et in πελαργοῖς· Ὁ μὲν ᾖδεν Ἀδμήτου λόγον πρὸς μυρρίνην. ὁ δ' αὐτὸν ἠνάγκαζεν Ἁρμοδίου μέλος. De utroque plura vide apud Scholiasten. Respicit illud Admeti scolion Alcestin generosam mariti subeuntem fata, Admeti verò patrem obire prorsus recusantem. Amphibrachum pedem, qui brevi constat, longa & brevi, etiam Scolion dictum se animadvertisse scribit Cælius, quoniam sit Scolio aptus.

Horum porrò Scoliorum sive carminum convivalium Athenæus quoque mentionem facit lib. 8. breviter, ubi dicit: Διὸ ἢ τὰ σκολιὰ καλούμενα μέλη τῶν ἀρχαίων ποιητῶν, πλήρη ἐστὶ, Id est, *Hoc etiam poëtarum antiquorum carmina, quæ Scolia nominantur plena sunt:* scilicet cottaborum, de quibus ibidem plura disserit. Idem lib. 15. copiosiùs de Scoliis scribit: *Multi*, inquit, *meminerunt Atticorum illorum scoliorum, quæ etiam digna sunt commemoratu ob illorum antiquitatem simplicitatemque, qui ea composuerunt, quique in hoc poëticæ facultatis genere laudem fuerunt gloriamque consequuti, ut Alcæi & Anacreontis, secundum illud Aristophanis in* Δαιταλεῦσι· Ἆσον δή μοι σκολιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου κἀνακρέοντος, id est, *Cane mihi scolion aliquod Alcæi & Anacreontis. Praxilla quoque Sicyonia ob hanc Scoliorum poësin admirabilis fuit. Scolia autem appellantur* οὐ κατὰ τὸν τῆς μελοποιΐας τρόπον, ὅστις σκολιὸς ἦν, id est, *non ob carminis modum, quod is obliquus ac difficilis esset,* (λέγουσι γὰρ τὰ ἐν ταῖς ἀνειμένοις σκολιὰ, id est, *nam quæ sunt in remissis scolia appellantur*) *sed cùm tria essent genera, auctore Artemone Cassandro lib. 2.* χρήσεως *eorum quæ in conviviis decantari consueverant, primum, quod omnes secundum legem canebant: secundùm, quod omnes quidem canebant, sed* κατά τινα περιφορὰν ἐξ ὑποδοχῆς, *ita ut ambitu sive circuitu quodam atque successione omnes cantum exciperent: tertium, quod similiter in omnibus ordinem servabant, quo jam non amplius omnes participabant, sed illi tantum, qui sapientes esse videbantur secundum locum ordinemque, qui cuique sorte obtigerat. Hoc ergo quia solùm* ἀταξίαν τίνα, id est, *ordinis quandam confusionem obtinebat, & neque simul ab omnibus, neque ordine quodam atque successione, sed prout contingebat, quovis loco atque ordine canebatur,* σκολιὸν *fuit nuncupatum. Hoc autem tum demum canebatur, quando carmina omnibus communia atque necessaria erant finita. Tunc enim demum sapientum quisque carmen aliquod pulchrum canere jubebatur, quod admonitionem aliquam atque sententiam vitæ utilem complecteretur.* Subjungit deinceps hujusmodi scoliorum quædam exempla, quæ ibi videre poteris. Ibidem inter alia rami quoque myrtei, de quo supra, mentionem facit. De Scoliis vide etiam Scaligerum lib. 1. *Poët.* c. 44. Scoliorum exempla plura apud Athenæum.

Porrò apud Romanos quoque (quos Athenæus lib. 4. μουσομανεῖς vocat) usitatam fuisse in epulis musicam ex multis literarum monumentis satis constat: & quidem abusum illius luxuriosum Cicero quibusdam in locis perstringit. Ut in Orat. *pro Cæl. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Bajas acta convivia, comessationes, cantus, symphonias, navigia jactans.* Idem *in Ver. 6. Lucus ille littoris percrepabat totus mulierum vocibus, cantusque symphoniæ.* Ibid. *Curritur ad prætorium, quò istum è convivio illo præclaro reduxerant paulò ante mulieres cum cantu atque symphonia.* Ibid. *Cum in eis conviviis symphonia caneret, maximisque poculis ministraret.* Livius testatur post victoriam Asiaticam demum convivialia ludorum oblectamenta, ut psaltrias, sambucistrias in epulis fuisse adhibitas: Decad. 3. De Cano tibicine (quem alii *choraulem* vocant) inter cœnandum canere solito, & Galbæ Imperatori grato, vide Suetonium, & Plutarchum in vita Galbæ: de quo etiam illud Martialis videtur esse. *Plaudere nec Cano, &c.* Valerius Max. lib. 2. *Majores natu*, inquit, *in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quò ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent.* Quintilianus lib. 1. cap. 17. Sed veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Musicæ convivialis usus apud Romanos.

Verùm quæri poteſt, num Muſica, quæ vel aſſa voce, vel inſtrumentis ſive organis conſtat, omnino ſit in conviviis adhibenda? Apud Plutarchum quoque *Sympoſ.* lib. 7. *prob.* 7. extat: *An tibicinæ ſint convivio adhibendæ?* Plato quidem illius uſum videtur improbare, apud quem Socrates in *Protagora* ſic loquitur: Καὶ γὰρ δοκεῖ μοι τὸ περὶ ποιήσεως διαλέγεσθαι ὁμοιότατον εἶναι τοῖς συμποσίοις τοῖς τῶν φαύλων καὶ ἀγοραίων ἀνθρώπων. Καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἀλλήλοις δι' ἑαυτῶν συνεῖναι ἐν τῷ πότῳ, μηδὲ διὰ τῆς ἑαυτῶν φωνῆς, καὶ τῶν λόγων τῶν ἑαυτῶν ὑπὸ ἀπαιδευσίας, τιμίας ποιοῦσι τὰς αὐλητρίδας, πολλοῦ μισθούμενοι ἀλλοτρίαν φωνὴν τὴν τῶν αὐλῶν. Καὶ διὰ τῆς ἐκείνων φωνῆς ἀλλήλοις σύνεισιν. Ὅπου δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ συμπόται καὶ πεπαιδευμένοι εἰσὶν, οὐκ ἂν ἴδοις οὔτ' αὐλητρίδας, οὔτ' ὀρχηστρίδας, οὔτε ψαλτρίας, ἀλλ' αὐτοὺς αὐτοῖς ἱκανοὺς ὄντας συνεῖναι ἄνευ τῶν λήρωντε καὶ παιδιῶν τούτων διὰ τῆς αὐτῶν φωνῆς λέγοντάς τε καὶ ἀκούοντας ἐν μέρει ἑαυτῶν κοσμίως, κἂν πάνυ πολὺν οἶνον πίωσιν, &c. *Videtur namque mihi illud de poëſi diſſerere ſimillimum eſſe ſympoſiis hominum abjectorum, imperitorum atque circumforaneorum. Hi enim cum eam vim atque facultatem non habeant, ut urbana aliqua & eleganti collocutione tempus illud epularis accubationis traducere, & mutuis ſermonibus animos ſuos hilarare poſſint: ejus rei remedium a mimis & ab hiſtrionibus & à vocum fidiumve cantibus petunt, magnis ſumptibus conductis. At quas ad epulas boni & eruditi convivæ convenerint, in eis neque tibicinam neque pſaltriam audiri, neque ſaltatricem ſpectari ullam: ablegatis eos ejuſmodi nugis atque ineptiis, modeſtè inter ſe & hilare colloqui, neque unquam deeſſe ipſis, de quo ſermones jucundiſſimos conſerant, etiamſi multam in noctem convivium producatur.* Itaque ex nobili illo apud Agathonem convivio ejicitur tibicina, & aut ſibi aut mulieribus jubetur canere. Plutarchus libro ſeptimo, *Sympoſ. Problem.* 7. ubi ex proſeſſo hac de re diſputat, contra hoc Platonis teſtimonium & exemplum adducit Xenophontis auctoritatem, & Homericarum epularum exemplum, nec non alias rationes, quibus probat hujuſmodi elegantiam & oblectationem minimè eſſe è convivio exturbandam. Xenophon enim qui Platonis æmulus fuit, in id convivium, in quo & Socrates eſſet & Antiſthenes & alii doctrina ſapientiaque præſtantiores viri, non modo Philippum excitandi riſus artificem induxit, verùmetiam ſublatis epulis Syracuſanum illum comeſſatorem cum tibicina & ſaltatrice & formoſo puero, qui & ipſe tum ſaltando, tum fidibus canendo, ſumma eos, qui aderant, voluptate perfunderet. In Homericis ſimiliter non modò procorum intemperantium & luxurioſorum, ſed heroum quoque atque Deorum epulis adhibita fuit Muſica.

Plutarchi teſtimonium.

Muſica epulis accommodata.

At verò Muſica quin conviviis maximè apta ſit & accommodata, neminem dubitare arbitror, niſi quis forſan reperiatur Ateæ immaniſſimi illius Regis Scytharum ſimilis, qui cum Iſmeniam aulædum ad epulas canere juſſum omnes qui aderant, cum voluptate audirent, & magnis laudibus ornarent, teſtatus eſt ſibi multò jucundiorem eſſe hinnitum equi omnibus Iſmeniæ cantibus. In quo quidem declaravit ſibi nihilo plus humanitatis eſſe, quàm in quavis immani quadrupede. Qui enim à Muſica alienus eſt, humanitatis expers habendus eſt, cum Muſica non modò homines feros, atque barbaros, verùm beſtias quoque rationis expertes moveri, ſummaque voluptate affici conſtet. Unde veteres finxerunt Orpheum omnia animalia rationis expertia, Amphiona ſaxa quoque carminibus ad ſe illexiſſe & traxiſſe. De quo ſic Martianus Capella: *Animalium verò ſenſus meis cantibus incunctanter adduci ſaltem Thracius cytbariſta perdocuit. Unde enim cervi fiſtulis capiuntur? Piſces in ſtagno Alexandriæ crepitu detinentur. Cygnos hyperboreos citharæ cantus adducit: elephantes Indicos organica permulſos detineri voce compertum: fiſtulis aves allici comprobatum: infantibus crepitacula vagitus abrumpere: fides Delphinis amicitiam hominum perſuadere. Quid cantibus allici diſrumpique ſerpentes? Glandem ferunt meſſeſque tranſire, maneſque cieri, lunamque laborare, &c.*

In conviviis maximè requiritur hilaritas honeſta atque moderata (quam Deus quoque in epulis etiam ſacris & feſtivis præcepit. Deut. 16. Nehem. 18.) ad quam gignendam efficiendamque nihil videtur Muſica eſſe aptius & efficacius, Muſica, inquam, lætitiæ atque hilaritatis, in epulis maximè neceſſariæ, parens eſt atque procreatrix: mœroris contrà atque triſtitiæ, quæ conviviorum maxima labes eſt, atque macula, expultrix. Hinc Ariſtoteles in *Politicis* lib. 9. Muſicam dicit εἰς διαγωγὰς καὶ συνουσίας introductam, quia maximam homines exhilarandi vim obtineat. Idem Muſicam εἰς ἀνάπαυσιν καὶ παιδιὰν facere, καὶ τῆς διὰ πόνων λύπης ἰατρείαν τινα eſſe veriſſimè affirmavit. Muſæus quoque, eodem teſte, εἶναι βροτοῖς ἥδιστον ἀείδειν, id eſt, *mortalibus jucundiſſimum eſſe canere dixit.* Præterea cùm inter convivas ſæpenumerò iræ, rixæ, jurgia, contentiones, odia atque inimicitiæ exoriantur, vix ullum aliud hujuſmodi malorum præſentius & efficacius remedium excogitari poteſt Muſica, quæ incredibilem quandam animos hominum ſedandi placandique vim habet. Quid dicam quod carminibus præſertim ſacris convivæ ſæpenumerò ab ebrietate atque crapula, nec non immoderata, inhoneſta, turpi atque obſcœna loquendi garriendive, denique ab actionibus atque geſtibus laſcivis revocantur atque coërcentur? In hanc ſententiam præclarè diſſerit Athenæus lib. 14. Unde etiam Homerus antiquam Græcorum conſuetudinem ſecutus ait:

φόρμιγγός θ', ἣν δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίρην.

quibus verbis indicat epulis quoque utilem & accommodatam eſſe hanc artem. Erat autem hoc, ut videtur, lege conſtitutum. Primò quidem ut unuſquiſque eorum, qui ad ebrietatem & intemperantiam præcipites feruntur, Muſicam ceu optimam ὕβρεως καὶ ἀκοσμίας, id eſt, *contumeliæ atque immodeſtiæ medicinam* adhiberent. Deinde, quòd audaciam temeritatemque ſedat, Περιαιρουμένη γὰρ τὴν συγνότητα, ποιεῖ πρᾳότητα καὶ χαρὰν ἐλευθέριον, id eſt, *Nam cum triſtitiam auſteritatemque tollat, facilitatem hilaritatemque liberalem parit. Unde Homerus ipſos quoque Deos inducit Muſica utentes* Ιλ. α. *poſt illam de Achille contentionem*,

φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ' Ἀπόλλων
Μουσάων αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

Id eſt,

Formoſam citharam hanc manibus tenebat Apollo
Muſarum, vocem variantes hæc canebant.

Nam placari contentiones atque tumultus oportebat. Videntur itaque multi hanc artem conviviis aſſignaſſe τ͂ ἐπανορθώσεως χάϱιν ϰ̀ ὠφελείας, id eſt, *immoderatam conviviorum vim motusque corrigendi temperandique cauſa. Unde etiam Deorum immortalium hymnos in epulis cani moris fuit, quibus convivæ ad temperantiam modeſtiamque incitarentur.* Hæc ille. Unde Martianus Capella lib. *de Muſica*: *Ebrios juvenes perindeque improbius petulantes Damon unus è ſectatoribus meis modulorum gravitate perdomuit: quippe tibicinem ſpondæum canere jubens, temulentæ perturbationis dementiam infregit.* Plutarchus ſimiliter libro ſeptimo *Sympoſiôn*, *problemate* ſeptimo, vult etiam Philoſophum non debere tibiam in convivio fugere, neque haſce voluptates ἀβλαβεϛάτας, id eſt, *maximè innoxias* abominari, ſicut canthari. Nam ſi uſquam, inter pocula maximè, talibus blandimentis, & relaxationibus indulgendum, animuſque adhæc Deo dedendus eſt.

Euripidis igitur ſententiam ſibi minimè probari, qui Muſicam ad luctus & βαϱυφϱοσύνας, id eſt, *mœſtitiam*, vult eſſe transferendam. Ibi enim Medici loco præſtò eſſe debet ſermo ſobrius atque honeſtus. Baccho autem, id eſt, compotationibus, hujuſmodi voluptates ludique admiſceri debent. Ac omnino inter potandum atque remiſſionem animi hujuſmodi voluptates ſunt deguſtandæ, dandaque opera ut ex iis voluptatis ſimul aliquid percipiamus. Idem problemate octavo, ejuſdem libri, quænam potiſſimùm cœnæ ſint adhibenda Acroamata, Muſicam non quidem omninò à conviviis eſſe arcendam, ſed ejus moderationem quandam eſſe adhibendam docet. *Enimverò*, inquit, *cithara antiquitùs & jam inde ab Homeri temporibus eo nomine nota fuit, quod ſocia convivii eſſet, ac proinde tam diuturnam cognationem affinitatemque divellere non convenit: id modò à citharœdis petamus, ut nimios luctus & gemitus è carminibus, modos qui ſint boni ominis, genioque indulgentibus* (θαλιάζουσι) *accommodati, ſonent. Tibiam autem* (τ͂ αὐλὸν) *ne ſi velimus quidem, à menſa arcere licet. Nam libationes eam flagitant una cum corona, & ubi pæani accinens divinum cultum abſolvit, ſuavi cantu per aures tranſit, jucunda eas voce perfundens, quæ quidem tranquillitatem animi efficit, ita ut ſi quid triſtitiæ & curarum mero non ſit diſcuſſum, id cantilenæ concinnitate ſuavitateque ſopiatur, modò cautio adhibeatur ne tibia modum excedat, nimioſque animo motus adferat, illumque ſonorum modulorumque multitudine mollium extra ſe atque in in tranſverſum rapiat. Nam ſicut pecora orationem hominis non intelligunt: ſibilis autem & palpationibus, fiſtulis atque conchis excitantur à paſtoribus, atque ſopiuntur: ita quod habet anima pecoris naturam reſipiens rationiſque expers & ejus dicto non obtemperans, id cantilenis & rythmis incantantes componere ſolent atque placare.* Ex his Plutarchi verbis conſtat tibiæ olim in conviviis frequentiſſimum fuiſſe uſum. Quæ ſint tibiæ pares, & impares, dextræ & ſiniſtræ, vide Brodæum *Miſcell.* libro quinto, capite trigeſimo ſecundo, & P. Nannii Alcmariani *Miſcell.* lib. I. Scaligerum lib. I. *Poët.* cap. 20. ubi tibias conviviales παϱοινίυς dictas vult pares & æquales easque puſillas fuiſſe, ad ſignificandam æqualitatem conviviorum. Ibidem plura copioſè de tibiarum inventoribus, ſono, materia, numero, figura, uſu multiplici diſſerit. Tibia cur *acis* dicta vide Turnebum in *Adverſ.*

Tibiæ uſus in epulis.

Verùm ſi mihi dicendum ſit, quod ſentio, nunquam vel tibiæ vel lyræ cantus abſque ſermone, & Oda convivio videtur delectationem allaturus. Sic enim ſtudioſè eſt aſſueſcendum, ut ludos quoque atque jocos non ſine liberali ſermone obeamus: cantilenam rythmumque tanquàm condimentum colloquio adhibeamus, non ſeorſim uſurpemus, aut delicatè in iis luxuriemus. Nam quemadmodum voluptatem in vino & cibo una cùm nutrimenti utilitate ſubeuntem nemo aſpernatur: unguentariam autem voluptatem tanquam non neceſſariam, atque ſupervacaneam Socrates veluti alapa inflicta rejecit: ita pſalterii aut tibiæ vocem aures ferientem tum demum admittamus, quando cum docto carmine conjuncta nos invitat & oblectat. Exiſtimo enim Marſiam illum à Deo fuiſſe ſupplicio affectum, quod cum capiſtro & tibiis os ſibi obturaſſet, auſus fuit nudo cantu decertare adverſus Odam citharæ conjunctam. Id unum caveamus, ne convivis qui literato ſermone oblectare ſe invicem poſſunt, tale quid ad illorum aures admoveamus, quod impedimentum potius delectationis ſit, quàm delectatio.

Clemens Alexand. lib. 2. *pædag.* cap. 4. de immoderato luxurioſoque muſicæ abuſu in conviviis hunc in modum diſputat, quorum multa illis Plutarchi verbis admodum ſunt ſimilia: *Unà cum petulantia in comeſſatione*, inquit, *verſatur cantilena. In potu vero vigiliæ ebrietatem acceſſunt, libidinemque excitant & audacia verſatur* αἰσχϱοποιὸς, id eſt, *ad turpia incitans. Sin autem in tibiis & pſalteriis, choris & ſaltationibus & plauſibus Ægyptiorum & diſſolutis ejuſmodi otiis verſentur, immodeſti, inſolentes, valdeque à bona diſciplina alieni evaſerint, utpote quos cymbala & tympana circumſonent, & fraudis inſtrumenta circumſtrepant. Revera enim, ut mihi videtur, ejuſmodi convivium eſt ebrietatis theatrum.* Et paulò poſt: *Fiſtula* (σύϱιγξ) *tribuatur paſtoribus: tibia autem* (αὐλός) *hominibus ſuperſtitioſis, qui ad idolorum cultum contendunt. Revera enim hæc inſtrumenta ſunt à ſobrio convivio amandanda quæ magis beſtiis, quàm hominibus conveniunt, & iis hominibus qui à ratione ſunt alieniores. Cervas enim fiſtulis demulceri accepimus, & in laqueos inter venandum cantu duci à venatoribus. Equis autem coëuntibus, veluti quidam hymenæus, tibia carmen canitur. Id autem ab incitandis equis Muſici appellarunt,* ἱπποθοϱον. Item: *Fractorum enim cantuum & flebilium Caricæ Muſæ modorum varia veneficia, intemperanti & pravo muſicæ artificio, mores corrumpunt, ad hujus comeſſationis affectionem trahentes.* Deinceps inſtrumenta illa muſica Pſal. 150. ἀλληγοϱικῶς de carminibus ſive hymnis ſpiritualibus interpretatur. Addit: *Alia autem ſi quis curioſiùs inquirat, inveniet inſtrumenta bellica cupiditates inflammantia, vel amores*

Clem. Alexandrini judicium de muſicæ uſu conviviali.

amores incendentia, vel animum iramque irritantia. Subjungit catalogum musicorum quorundam instrumentorum, quæ à singulis gentibus in bellis fuerunt usitata. *At nos, inquit, uno instrumento, nempe solo verbo pacifico utimur, quo Deum honoramus, non amplius veteri psalterio & tuba & tympano & tibia, quibus illi utebantur, qui in bello se exercebant. Duplex autem sit nostra in potu benevolentiæ ergò invitatio ex Lege. Sic enim diliges Dominum Deum tuum: deinde proximum tuum. Prior quidem, quæ est in Deum benevola invitatio, fiat per gratiarum actionem, & Psalmodiam. Secunda autem, quæ est in proximum, per honestam vitæ consuetudinem.*

Canere ad lyram aut citharam.

Ne autem Clemens omnem Musicæ præsertim instrumentalis usum in conviviis reprehendere videatur, addit: *Si ad lyram vel citharam canere aut psallere noveris, nulla in te cadet reprehensio: Hebræum justum Regem imitaris.* Et paulò pòst: *Verùm amatoria procul absint cantica: sint autem cantica Dei laudes. Quemadmodum autem antequam sumamus alimentum, laudare nos decet universi creatorem: ita etiam in potu ei nos decet psallere, cum ejus bonorum efficimur participes. Est enim* ἐμμελὴς εὐλογία, id est, *numerosa laudatio. Postremò antequam nos somnus invadat, pium & sanctum est Deo gratias agere, ut qui ejus gratiam & benignitatem fuerimus consecuti.* Tandem concludit: *Sunt enim admittendæ modestæ & pudicæ harmoniæ, à forti verò & nervosa nostra cogitatione molles & enervatas harmonias amandando quam longissimè, quæ improbo flexuum vocis artificio utentes ad delicatam & ignavam vitæ agendæ rationem deducunt. Graves autem & quæ ad temperantiam pertinent modulationes, ebrietatis proterviæ valedicunt. Chromaticæ igitur harmoniæ, impudenti in vino proterviæ, floribusque redimitæ, & meretriciæ musicæ sunt relinquendæ.* Ex his posterioribus constat Clementem non omnem Musicæ usum etiam in conviviis tollere, sed ejus tantummodo immoderatum, luxuriosum, fractum, mollem & lascivum abusum reprehendere atque damnare. Huc pertinet Plutarchi *Problem.* 5 lib. 7. Οἷς δεῖ μάλιςα τὰς διὰ τὰς κακομεσίας, ἡδονὰς φυλάττεσθαι, καὶ πῶς φυλακτέον. De Musica & ejus usu vide eundem in libello quem scripsit *de Musica*, in quo sub finem rationem reddit, cur in syssitia atque cœnas fuerit introducta.

De Musicæ epularis abusu apud Christianos.

Hodie profectò tam turpis est Musicæ in Christianorum epulis abusus, ut illam vel omnino ex illis tolli optandum esse videatur. Nam primò Musica multi, qui olim Græcorum mos fuit, ceu classico quodam ad immanissimas illas suas propinationes abutuntur. Et quidem, id quod valde est horrendum, nonnulli sacris quoque carminibus ex verbo divino depromtis abutuntur, quibus se invicem ad pocula tanto citiùs exhauriendum incitant. Deinde cantiunculæ multæ amatoriæ, turpes, lascivæ (quas Græci κώμες appellant) decantantur, quibus auditores ad amores, ad venerem libidinemque impuram atque nefariam incitantur, cujusmodi cantiones rectè ἱπποθόροι appellari possint. Adhæc instrumentorum Musicorum mollibus, delicatis & enervatis sonis atque modulis ad lascivas, petulantesque saltationes atque choreas impelluntur. Cantiones quoque fabulosæ, nugatoriæ, necnon blasphemæ atque maledicæ in conviviis sæpè adhibentur, ex quibus odia, inimicitiæ, rixæ atque contentiones sæpe gravissimæ nascuntur. Prætereà immodico, immoderatoque symphoniacorum hominum cantu seu potiùs strepitu, pia, honesta, jucunda atque utilia convivarum colloquia sæpe interrumpuntur atque impediuntur, cum magna illorum molestia atque tædio. Huc facit proverbium illud: ἐκκέκοπται ἡ μεσική, de quo suprà.

Hujusmodi igitur vario atque multiplici, qui hodie inter Christianos maximè versatur, Musicæ convivalis abusu sublato, verus moderatusque ejus usus retinendus, nec omnino repudiandus videtur esse. Verùm lurcones, helluones, bovinatores multi (quos diaboli luscinias, seu corvos potiùs appellare possis) incivili, indecoro incompositoque cantu, seu rugitu potiùs, boatu, grunnitu, atque adeò Arcadicorum animalium more in mediam usque noctem clamare, cum maxima vicinorum omnium molestia, consueverunt. Ebriosorum Musica (quàm ὕειον ἁρμονίαν, ut est in proverbio, id est, *suillam harmoniam*, verè dixeris) sunt clamores insani, strepitus, fremitus, crepitus inciviles, stridor, clangor, murmur, susurrus, sibilus, boatus, tinnitus, tumultus, vociferationes: modò luporum instar ululant, modò equorum more hinniunt, modò boum ritu mugiunt, modò ovium more balant: denique leonum rugitus, asinorum ruditus, canum latratus, porcorum grunnitus, infantium vagitus, corvorum crocitus, rhonchi, gannitus audiuntur, &c. De more extremi Septentrionis populorum citharâ in conviviis canendi vide Olaum M. libro quarto, capite octavo.

Verùm antequam hunc de Musica epulari locum concludam, notandum est Musicam olim & in principio & in medio & in fine convivii fuisse adhibitam, qui mos etiamnum hodie durat. Nam primo, ut hodie in aulis principum, convivii signum tubis atque buccinis dari solet, quòd vulgò appellant zu hof blasen: ita olim quoque eundem fuisse morem illa Virgilii *Æneid.* 11. videntur indicare:

At non in Venerem segnes, nocturnaque bella,
Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes & plenæ pocula mensæ,
Hic amor, hoc studium dum sacra secundus aruspex
Nunciet, & lucos vocet hostia pinguis in altos.

Deinde Musica ab initio cœnæ adhibetur, quod Germani vulgò vocant Eins über tisch machen: *Et in medio & sub finem cœnæ*, quod vulgò vocant Eins ab tisch machen. Notandum etiam olim quosdam cibos præeunte atque canente tibicine inferri atque imponi fuisse solitos, ut accipenser apud Romanos, de quo suprà. Denique observabis coquos olim epulas quoque ad tibiæ sonum apparasse: unde Eubulus apud Athenæum

næum lib. 9. ait moris fuiſſe, ut ſi quid peccaſſet coquus, tibicen vapularet. De Muſica qui plura legere volet, legat diſcurſum 42. Thomæ Garzoni libro ante citato. Item Cælium Rhodig. lib. 5. cap. 25. Bernhardum, in ejus *ſeminario Muſicæ*, Petrum Gregorium Toloſanum in *Syntaxi*. Ang. Politianum in *Panepiſtimone*, Petrum Crinitum libro 12. *de honeſta diſciplina* cap. 12. Joh. Thomam Freigium lib. 7. *de Muſica practica*, Hotomannum, Luſcinium, Petrum Antonium, Johannem Mariam, Lanfrancum, Juſquinum, Joh. Froſchium, Jo. Franc. Vaccam, & innumeros alios.

CAPUT XXI.

DE SALTATIONUM SIVE CHOREARUM NOMINIBUS, ORIGINE, DIFFERENTIA, USU QUADRIPERTITO, NEMPE SUPERSTITIOSO, THEATRICO, MILITARI, CONVIVIALI. DE SALTATIONUM EPULARIUM USU APUD GRAECOS, JONAS, SYBARITAS, MACEDONAS, JUDAEOS: QUAE UT OLIM ROMANIS, ITA HODIE MOSCOVITIS SUNT EXOSAE. QUOT NOMINIBUS ILLAE SINT IMPROBANDAE ATQUE FUGIENDAE, PRAESERTIM CHRISTIANIS.

Muſicæ, ſive cantionis convivialis comes atque pediſſequa ſolet eſſe Saltatio, quemadmodum vel ipſa experientia quotidiana teſtatur: itaque conſequens videtur eſſe, ut nunc de illa dicamus. Apud Homerum quidem cantus atque ſaltatio, præſertim in epularum deſcriptionibus, plerunque conjunguntur, ut ex ſequentibus teſtimoniis apparet. Odyſſ. Θ. Saltatio muſicæ comes.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε.

Item: Μολπῆς τε καὶ ὀρχηθμοῖο, ut Heſiodus, ὀρχηθμῷ, καὶ ἀοιδῇ dixit.

Item: Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα

Ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν τε, καὶ ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.

Idem Odyſſ. Α.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο

Μνηστῆρες τοῖσιν μὲν ἐνὶ φρεσὶν ἄλλα μέμηλεν

Μολπή τ' ὀρχηστύς τε, τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.

Item eodem in libro:

Οἱ δ' (proci) εἰς ὀρχηστύν τε, καὶ ἱμερόεσσαν ἀοιδὴν

Τρεψάμενοι τέρποντο.

Et Odyſſ. Σ. de iiſdem Sic Lucæ 15. in deſcriptione cœnæ illius adventitiæ, qua pater filium ſuum pœnitentem excepit, συμφωνίας ſimul & χορῶν fit mentio. Et Matth. 11. *Fiſtula*, inquiunt illi pueri, *cecinimus, & non ſaltaſtis.* Ratio hujus eſt in promptu. Nam Muſica lætitiæ plerunque eſt provocatrix, qua qui ſunt affecti, ſibi temperare nequeunt, quin rideant, geſtiant, exultent, ſaltent: ut contra mœrore affecti, tacent, ſedent, abjectis ſive dejectis ſunt animis atque corporibus. Hinc eleganter Latini aliquem vehementi gaudio correptum, exultare, exilire atque tripudiare gaudio dicunt. Rectè itaque, & ordine poſt muſicam, ſive cantionem de ſaltatione videtur eſſe dicendum, de qua primò in genere dicemus, exordio ſumpto à nominibus. Muſica lætitiæ ac proinde ſaltationis quoque eſt effectrix.

Hebraicè ſaltare, exultare dicitur פזז *Sanack*, Deut. 33. נתר *Natar*, Deut. 29. רקד *Racad*. Eccleſ. 3. Tempus plangendi, & tempus ſaltandi: (Græci ὁ καιρὸς τοῦ ὀρχήσασθαι) עלז *aalaz*, quod *exultare, lætari, gloriari* ſignificat רנן *Ranan*, & *exultare* & *cantare* ſive *laudare*, quia hæc ſolent eſſe conjuncta. Item שוש *Soſch*, *lætari, gaudere, exultare*, quia lætitiam ſequitur exultatio. Saltationis nomina Hebræa.

Græcè χορὸς teſte Suida, καὶ οἱ χορεύοντες καὶ ὁ τόπος. Homerus, ἐν δὲ χορὸν ποίκιλεν, ubi ſignificat τὸ σύστημα τῶν χορευτῶν. Idem, χορὸς τὸ σύστημα τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ᾀδόντων, hoc eſt, *cœtus eorum, qui in templis canunt.* Euſtathius in illa verba in Homeri Odyſſ. Θ. Nomina Græca. χορὸς & χορεία.

- - - ἀμφὶ δὲ κοῦροι

Πρωθῆβαι ἵσταντο δαήμονες ὀρχηθμοῖο.

Πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν.

χορὸν hic dicit τὸν τόπον τῆς χορείας, καὶ τῆς ὀρχήσεως, ſive ὀρχήστρας. Et paulò pòſt, *Ad ſimilitudinem* βουλῆς ὁ χορὸς *non modo ſignificat*, τὸ χορεύειν, καὶ τὸ χορευτικὸν πλῆθος, ἀλλὰ καὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ ταῦτα, *ſicuti etiam vox* ἀγών, καὶ ἀγορᾶς *accipitur.* Χορείαν, teſte Suida, veteres appellabant τὴν μετ' ᾠδῆς ὄρχησιν. Plato χορὸν deducit ἀπὸ τῆς χαρᾶς, *à gaudio*, quòd ſit quædam gaudii teſtificatio, vel quod à gaudio proficiſcatur. Inde εἰς χορὸν ἰέναι, ſive ἔρχεσθαι, hoc eſt, *ire agitatum choros.* Ποιεῖσθαι χορούς, *choros agitare* ſive *celebrare.* χοροβατεῖν, τὸ εἰς χορὸν βαίνειν, Suidæ. ἡγεῖσθαι χοροῦ, *choreas ducere*, quod eſt præſultoris. Χοροδέκτης, ὁ τοῦ χοροῦ

ἐξάρχων,

ἐξάρχων, Suidæ, qui & χοροστάτης, χοροποιός, κορυφαῖος χοροῦ Polluci & Hesychio dicitur, & χοροδιδάσκαλος, *chori magister.* Item χόραγος, & χορηγὸς ὁ τοῦ χοροῦ ἡγέμων, ἢ δοτὴρ, *dux chori, qui chorum ducit, choro præest, choragus* Latinè. χοραγὸς similiter Suidæ ὁ τοῦ χοροῦ ἐξάρχων. χορηγεῖον, χορεῖον, χορήγιον, χοραγεῖον, locus in quo choreæ ducuntur. Χορεύειν, *choros agitare, ducere, exercere.* Χοροτύπης, qui in choro, seu chorea terram pedibus plaudit, sive pulsat: inde χοροτυπία, ipsa actio solum pedibus plaudendi inter saltandum. Χοροκιθαριστής, qui citharam in choro pulsat, χοραύλης, qui tibias in choro inflat: nam & citharas, & tibias choris adhibitas fuisse, Horatius testatur.

Ὄρχησις. Ὄρχησιν etiam saltationem Græci dixêre, cujus vocis variæ afferuntur etymologiæ. Eustat. Ὀδ. Ψ. ὀρχεῖσθαι dicit veteribus usurpatum fuisse pro κινεῖσθαι, hoc est, *moveri,* & videri derivatum ἀπὸ τοῦ ὀρέγειν, ex quo ὤρεχα, hinc per syncopen ὦρχα, inde ὄρχησις, quod significat, κίνησίν τινα χειρῶν, ἢ ποδῶν μυελαχοῦ, hoc est, *quendam pedum atque manuum motum, sive agitationem* infinitis in locis significat. Alii ἀπὸ τῶν ὄρχων, hoc est, vinearum ordinibus, in quibus inter vindemiam primitias Baccho offerentes choreas agebant. Alii παρὰ τὸ ὀρέγειν τὰς χεῖρας, quia consertis, & extensis manibus fiat chironomia: propriè quæ manibus exercetur saltatio dicta est. Scaliger ὄρχησιν vult dictam παρὰ τὸ ὁρμὴν, ἢ τὸ ἔχειν, detracta aspiratione, aut ἀπὸ τοῦ ὀρύειν. & saltationem definit motum compositum, numerosum, cum gestu effingentem rem, aut personam, vel quam canit, vel quam tacet: est enim saltatio alia vocalis, alia tacita. ὀρχεῖσθαι idem quod σκιρτᾶν, κινεῖσθαι, *saltare, tripudiare.* ὀρχεῖσθαι ἐν ῥυθμῷ Xenophonti *ad numerum saltare.* Idem in *Sympos.* ὠρχεῖτο πρὸς αὐλόν. Athenæus lib. 4. in cœna πρὸς ὅπλα ὠρχοῦντο, hoc est, *in armis saltabant:* unde ἐνοπλοι ὀρχήσεις. Plato in *Cratylo Palladem* vult dictam ἀπὸ τῆς ἐν ὅπλοις ὀρχήσεως, hoc est, *saltatione in armis:* nam ὀρχεῖν, & ὀρχεῖσθαι idem est, inquit idem, quod μετεωρίζειν, ἢ ἀπὸ τῆς γῆς, ἢ ἐν ταῖς χερσὶ πάλλειν, ἢ πάλλεσθαι. Inde ὄρχησις, ὄρχημα, ὀρχασμὸς, ὀρχηθμὸς, ὀρχηστὺς, hoc est, *saltatio:* ὀρχηστὴς, ὀρχηστής, *saltator,* & in fœmin. ὀρχηστρις, *saltatrix:* ὀρχηστική, *ars saltandi,* ὀρχηστοδιδάσκαλος, *qui saltatoriam artem exercet.* φιλορχήμων, *saltationis studiosus.* Observandum etiam quod ὀρχεῖσθαι & χορεύειν vel idem videntur significare, vel non multum a se differre. Hoc tamen Græci inter utramque vocem discriminis statuunt quòd τὸ χορεύειν sit *saltare cum cantu:* ὀρχεῖσθαι autem *rhythmicè moveri* etiam sine cantu. Hinc Suidas, χορείαν, dicit, *veteres dixerunt* τὴν μετ' ᾠδῆς ὄρχησιν, & ante eum Plato *de Legib.* lib. 2. χορεία γε μὴν ὄρχησίς τε, ἢ ᾠδὴ ξύνολόν ἐστι.

Ἄλλεσθαι. Βαλλίζειν. Ἄλλεσθαι etiam Græcis idem est quod *saltare.* Βαλλίζειν similiter (unde Itali *ballare*) *tripudiare, pedibus plaudere, tripudiantium more saltare* significat, κωμάζειν, ἢ χορεύειν Eustathio, qui dubitat, an, ut βαλλεὺς, a βάλλω derivatum sit. Sic apud Athenæum lib. 8. cùm quidam dixisset ὅτι βαλλίζουσιν οἱ κατὰ τὴν πόλιν ἅπαντες τῷ θεῷ, Ulpianus ridens, *Quis,* inquit, *Græcorum hoc* βαλλισμὸν *vocavit, quum oporteat dicere* κωμάζουσι, ἢ χορεύουσι? ubi significat βαλλίζειν idem esse, quod κωμάζειν, ἢ χορεύειν. βαλλισμὸς apud Athenæum est *tripudiatio,* sive *chorea ad tympanorum, & cymbalorum crepitum, tibiarumque bombos,* qualis Romæ agitabatur Palilibus, sive natalibus urbis. Suidas, βαλλίζειν, τὸ κύμβαλα κλυπεῖν, ἢ πρὸς τὸν ἐκείνων ἦχον ὀρχεῖσθαι. Hæc de Græcis vocabulis, nunc de Latinis.

Chorus. *Chorum* Latini non solùm saltantium, canentiumve collectam multitudinem, sed etiam coævorum cantum, atque saltationem appellarunt, teste Servio in illud Virgilii,

Omnis quam chorus, & socii comitantur ovantes.

Unde apud poëtas, *Plaudentes chori, canori chori, æquales chori, Fœminei chori, Virginei chori, Leves Nympharum cum Satyris chori.* Hinc *chorea* Latinis usitata est vox pro saltatione. Unde *choros,* sive *choreas agere, ducere, celebrare.*

Salire, inquit Scaliger, *est moveri in sublime, vel tanquàm medium, vel tanquàm metam:* ejus frequentativum *saltitare,* unde *concisum saltare,* Græca origo verbi ἅλλεσθαι. Alii a *Saliis* Martis sacerdotibus *saltationem* volunt denominari. Nam in sacris ejus cymbala concutiebant circum aras, motus quosdam corporis edebant, per urbem etiam interdum cursitabant. Hinc *saltes,* & *saltatio,* hoc est, corporis concinnus motus, numeris aptus. Nam πηδᾶν, ut ait Plato, animantes a natura habent: homo autem, qui rythmum, numeros, & harmoniam intelligit, motum corporis concinnitate quadam numerosa exornavit. Hæc de nominibus, nunc de saltationis origine, atque auctoribus dicamus.

Unde choreæ ortum duxerint. Unde ortum choreæ habuerint, variæ sunt opiniones. Alii enim, ut Lucianus testatur, ab observatione diversi motus stellarum errantium, & fixarum: alii a religione, sive sacris originem suam traxisse volunt. Nulla enim antiquitùs erant sacra, in quibus non saltaretur, de quo postea pluribus. Omnino mihi ab ipsa natura saltationes videntur promanasse. Nam cùm homines ipsius naturæ impulsu, cùm adversis tùm secundis in rebus, & animis, & corporibus vehementius commoveantur, variosque motus atque gestus edant: accessit deinde ars, qua hi ipsi naturales corporis motus, gestusque numerosi facti fuerunt, atque harmonici. Quis autem primus choreas invenerit atque introduxerit, inter veteres controvertitur. Græci ferè ad Musæum, & Orpheum referunt: forsan quia illi musici fuerunt, & poëtæ, ac omnia sacra cum saltatione instituerunt. Alii Erato fecerunt primam saltationis inventricem. Non desunt, qui saltationis originem ad Hieronem Siculum tyrannum referant. Eum quippe ajunt, ut suam tyrannidem stabiliret, populo interdixisse mutuis colloquiis. Quare cœpisse homines in Sicilia sensus, & cogitationes nutibus, & gestibus corporis exprimere, idque postea in usum, & consuetudinem abiisse. Molles saltationes, & gestus impudicos ad psallendi normam accommodatos, Jones primùm invenisse dicuntur. Phidamon homo nobilis in Delpho apud Pythium delubrum primus choreas instituit circa annum mundi 3920. tempore Gedeonis Hebræi, ut scribit Eusebius in *Chronicis.* Pyrricham autem saltationem in armis idem Eusebius Curetibus, & Corybantibus

bantibus tribuit, qui Gnossum condiderunt, circa annum 3656. tempore Mosis. Apud Latinos Romulus dicitur bellicrepam saltationem in armis instituisse. Idem Salios Marti ordinavit, hinc in sacris adhibitæ. Livius tamen scribit morem ducendi choreas ab Hetruscis ad Romanos profectum. Vide Isido. lib. 18. cap. 47.

Porrò constat apud omnes ferè gentes, & antiquissimum, & frequentissimum fuisse saltationum usum, quemadmodum Lucianus multarum gentium exemplis probat: quarum etiam innumera ferè genera, atque modi extiterunt, de quibus plura apud Lucianum, Athenæum, Pollucem, Scaligerum lib. I. *Poëtices*. Cælium lib. 5. cap. 3. & 4. videre licet. Sumuntur autem saltationum differentiæ, atque nomina, vel à cantu, vel à motu, vel à regionibus, vel ab inventoribus, vel ab argumento subjecto, vel a partibus corporis, vel ab imitatione, vel ab instrumentis, vel ab habitu, vel à sexu, vel ab ætate, vel ab usu. Exempla singularum vide apud auctores paulò ante citatos. Saltationum usus antiquus. Saltationum differentiæ.

A cantu, nam ut *assam vocem* veteres dixerunt cantum sive tibia, aut cithara, aut lyra, teste Varrone: ita saltatio quædam sine cantu fuit, eaque vetustissima: deinde cantus additus. Illa, quam tacitam vocare possumus, ὄρχησις· hæc, quam vocalem, χορεία propriè dicta est, teste Suida, & Eustathio.

A motu primò summæ illæ duæ saltationis sunt differentiæ, stataria, & motoria, pro argumentis fabularum, non quòd non utraque moveatur, sed quòd hæc magis, à quibus species illæ deductæ, contentæ, remissæ, seriæ, molles, ridiculæ. Motum in animali Aristoteles fieri dicit ἐξ ὤσεως, καὶ ἕλξεως, hoc est, *impulsu, & tractu*, quæ sunt summæ motus differentiæ. Minores autem sunt, flexus, procursus, saltus, conquiniscentia, divaricatio, claudicatio, ingeniculatio, manuum innixio, consertio, compectinatio, agitatio, commutatio, complosio, elatio, jactatio, pedum permutatio, alternatio, supplosio atque alia talia. Galenus quoque lib. 2. *de conservanda sanitate*, aliquot meminit: ὀρχησῶν αἱ σύντονοι κινήσεις, ἐν αἷς ἅλλονται μέγιστα, καὶ περιδινοῦνται στρεφόμενοι τάχιστα, καὶ ὀκλάσαντες ἐξανίστανται, καὶ προσνεύουσι, καὶ διασκελίζουσιν ἐπὶ πλεῖστον τὰ σκέλη· appellabant hosce motus corporis σχηματισμοὺς, in quibus non soli motus, sed etiam quietes numerabantur. A Plutarcho in *Sympostacis* tres statuuntur saltationis partes, φορὰ, σχῆμα, & δεῖξις, id est, *motus, gestus, demonstratio*, vide Turneb. in *Advers.* lib. 4. c. 21.

Quò ad usum, Plato ὄρχησιν ita dividit in sua *Repub.* ut aliam dicat esse πολεμικὴν, id est, *bellicam* sive *militarem*, qualis est Pyrriche ἔνοπλος saltatio, quam studiosè juventutem docebant Lacones, & Persæ. Aliam εἰρηνικὴν constituit, & ἐμμέλειαν vocat, cujus usus sit in sacris. Utraque γυμναστικῆς est species, & apud eum auctorem ἐπαινετή. Tertium deinde genus recenset probrosum, & odiosum Platoni, id totum a sua Republica jubet exulare. In eo genere Tragicas, Comicas, Bacchicas saltationes numerat, quæ non ad liberos homines, sed ad servos spectent. Alii ὄρχησιν distinguunt in πολεμικὴν & γελαστικὴν· priorem belli artibus ascribunt, posteriorem theatris, & conviviis relinquunt. Omnino quadruplicem antiquitùs apud gentes saltationum usum fuisse comperio: nempe, sacrum sive superstitiosum, theatricum, militarem, convivialem. Saltationum usus duplex. Saltationum usus quadruplex.

Quoad primum, Lucianus saltationum vocat exercitium divinum ac mysticum, quod in Deorum cultum, atque honorem celebrari fuit solitum. *Nulla enim apud veteres*, ut idem inquit, *sacra, nullæ festivitates, caremoniæ, initiationes, sine saltatione peragi consueverunt.* Orpheum, & Musæum ferunt sanxisse, ut cum rythmo, & saltatione initiationes fierent. Corybantes in Phrygia, Curetæ in Creta in Rheæ Deæ suæ honorem, cujus erant sacerdotes, saltationibus vacabant. In Delo nulla sacra peragebantur, cui saltatio non fuisset adhibita. Nam ingressi puerorum chori tibia, & cithara præcinentibus saltabant, quos subsecuti optimi, facto delectu, choreis excipiebant. Itaque cantilenas ejusmodi choris conscriptas *hyporchemata* nominare consueverunt, quæ concinebant saltantes in altaris ambitu, cum jam igni admota essent sacra: & illi, qui mysteria prodiderant vulgò dicebantur ἐξορχήσασθαι, hoc est, *desultasse*, ad quod adversus Androtionem alludens Demosthenes, ἐξορχησάμενον, pro eo qui vertisset terga, posuisse videtur. Inde similiter posteaquam manè è strato excitati, Solem precibus venerati fuerant, non quemadmodum nos (inquit Lucianus) deosculata manu, perfectam precationem esse arbitrantur: verùm ad Orientem conversi, saltatione Solem consalutabant, seque ipsos cum silentio conformantes, Dei choream imitari, atque effingere conabantur. Et hæc Indorum fuit precatio, chorus, sacrificium: sicque bis in die, mane nimirum, atque vesperi Deum venerari consueverunt. In hoc Indorum exemplo obiter notandum, quòd dicit Græcos Solem manuum osculo, ut Indi saltatione, venerari fuisse solitos. Ad hunc enim morem Job quoque alludit, cap. 31. cùm inquit, *Si videns lucem* (Solis) *splendidam, & Lunam claram incedentem. Et occultè cor meum mihi persuasit, ut manum mea ori applicaretur. Nam, ut ea est iniquitas, judicio capitali digna: Deum enim, qui supra est, negassem.* Hoc est, interprete Rabbi Gersonite, *Si visa claritate Solis & Lunæ, deceptus sum Deos arbitratus, quemadmodum penè cuncti quondam, exceptis Hebræis, Deos, & dominos mundi, maximè Solem, qui lucem largitur Lunæ, quam fundat in terras, eosque Deos esse suspicatus, quòd admovere os non poteram, manum procul sum osculatus, ad orationis, & cultus indicium*, &c. Sic Hieronymus in capite 13. Hoseæ, eundem hunc Jobi locum citans, *Qui adorant*, inquit, *Solem, manum suam deosculari solent, id quòd Job se fecisse negat.* Verùm, ut ad propositum redeam, Lucianus Salios (unde etiam videntur dicti) apud Romanos in Martis Dei sui gravissimè, religiosissimeque saltasse dicit. Dionysia quoque atque Bacchanalia, eodem teste, olim quasi maxima sui parte saltationibus, atque tripudiis constabant. Hodie quoque idem apud Christianos in more videmus esse positum. Nam funestissima illa festa, lascivis potissimùm, & impudicis saltationibus hodie à Christianis celebrantur. Ducebant Ethnici in sacris suis tripudia à sinistra parte altaris ad dextram, quo motum cœli ab Oriente in Occidentem referrent: postea redibant à dextra ad sinistram, ut errantium stellarum cursum exprimerent, quod fortè Virgilius significavit, cum ita canit: Sacer, sive superstitiosus.

In-

Instaurantque choros, mixtique altaria circum, &c.

Ipsos quoque Deos atque Deas suas Ethnici fecerunt saltantes. Sic enim Musæ apud Hesiodum, & Anacreontem animi gratia saltant;

Καλλίκομοι κῶραι Διὸς ὀρχήσαντ' ἐλαφρῶς·

Est etiam Pindari Apollo saltator. Quid ni saltet etiam Juppiter otiosus. De Jove saltante ita dicitur,

Ορχεῖτο πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶντε.

Apud Apuleium libro sexto, in illo epulo nuptiali Psyches, & ejus mariti, in quo etiam Jupiter, Juno, cæterique Dii accubuerunt, Apollo cantavit ad citharam, Venus suavi Musicæ superingressa, formosa saltavit, scena sibi sic concinnata, ut Musæ quidem chorum canerent, tibias inflaret Satyrus, & Paniscus ad fistulam diceret. De saltationibus hisce sacris, vide plura apud Platonem *de Legibus* 2. ubi docet singulis Diis peculiaria sacrificia, atque saltationes esse accommodandas. Hunc verò superstitiosum in sacris saltandi morem idololatricas gentes, ceu simias, verisimile est κακοζηλίᾳ quadam traxisse à saltationibus quibusdam sive choreis, quarum sacris in litteris fit mentio. David ephod cinctus lineo *Mecarcer*, id est, saltabat coram Arca Domini: Græcè, ἀνεκρέετο ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις, quod licet saltationem non exprimat, mox tamen Michol filia Saulis videt Davidem ὀρχούμενον, id est, *saltantem*, 2. Samuel. 6. Maria Mosis soror Pharaone aquis obruto, atque deleto organis lusit, & choreas cum mulieribus duxit, sicuti scriptum est Exodi decimo quinto. Mulieres similiter, occiso Goliatho, choreas agunt. Hujusmodi tripudiis sancti illi homines ad animi sui lætitiam, & εὐχαριστίαν erga Deum pro acceptis beneficiis testificandam usi fuerunt. Aliâs nusquam legimus Hebræos in sacris suis choreas, aliosve ludos adhibuisse: epulis quidem lætis indulserunt, idque Dei ipsius mandato, sed non fit tripudiorum, aliorumve ludorum mentio. Quod autem Exodi trigesimo secundo, Israëlitæ vituli illius aurei cultores lusisse, atque saltasse, & Judicum vigesimo primo, puellæ in solenni Jehovæ festo choreis indulsisse dicuntur, id fecerunt ex idololatrarum more, ac proinde justas, gravesque illarum suarum saltationum pœnas luerunt. Hodie qui ad nos veniunt è Syria, testantur Christianos, qui degunt in illis regionibus, die Resurrectionis Dominicæ, nec non aliis celebribus festis venire in templum cum lyris, & citharis, & psalmos inter se cantare, ac unâ, sobriè tamen & modestè, seorsim viros, & seorsim mulieres saltare, qui sanè illorum mos ab Ethnicis videtur promanasse, qui falsò sibi persuadebant, Numen hujusmodi tripudiis placari, cum spiritu & pura mente, & quiete magis atque silentio, quàm motu colatur. Hodie quidem passim apud Christianos dies festi, ut quotidiana docet experientia, partim compotationibus, partim, quæ illarum sunt appendices, saltationibus, atque tripudiis agitantur. Hujusmodi tripudia in festivitatibus à Christianis veteribus summoperè fuerunt culpata. Theologi Scholastici in 3. *Sentent. distinct.* 37. choreas in festis diebus prohibuerunt: idem civilibus quoque legibus fuit prohibitum. In C. quippe Tit. *de Feriis* l. *Dies festos: Relaxamus quidem otium diebus festis, sed nolumus homines detineri voluptatibus. Proinde saltationibus, sive libidinosæ fuerint, sive comparatæ ad voluptatem, non licebit uti diebus festis.*

Saltationum usus theatricus.

Secundus saltationum usus fuit theatricus, sive theatralis in Comœdiarum, atque Tragœdiarum actione. Fuit autem theatralis saltatio, teste Luciano, triplex pro fabularum modo, numero, atque genere. Una in Tragœdia, quam vocarunt Εμμέλειαν, quæ gravis erat, & composita, ut nomen ipsum indicat. Hanc nonnulli à Bathyllo Alexandræo volunt fuisse inventam. Altera in Comœdia solutiore licentia κόρδαξ dicta, unde κορδακίζειν de licentiosa saltatione dicitur. Species ejus, ἡδύκομος, & ἡδύων, jucundæ ambæ, unde & nomina. Tertia lasciva, inconstans in Satyris appellata σίκιννις, ut quidam volunt à Sicinnio quodam barbaro: alii Cretensem, non barbarum prodidere. Fuit ea maximè motoria, gesticulatione creberrima, & celerrima, potissimùm Satyrorum, quare *Scamnon* dictam putant παρὰ τὸ σκέλος. Idcircò *saltantes Satyros* dixit poëta:

Saltantes Satyros imitabitur Alphesibæus.

De his vide plura apud Athenæum lib. 1. & 14.

Saltationum usus militaris.

Tertius saltationum usus apud veteres fuit militaris, qui quidem omnium utilissimus, ac laudatissimus videtur fuisse. Lucianus testatur, Lacedæmonios (quos omnium Græcorum præstantissimos censeri dicit) à Castore, & Polluce καρυατίζειν (quæ saltationis species à Cariis Laconiæ urbe dicta fuit) artem edoctos omnia cum carminibus facere, & ad tibiarum quoque modulos, rythmum, moderatumque pedis ingressum, prælium committere fuisse solitos. Ephebos quoque illorum non minore studio saltationi, quàm ὁπλομαχίᾳ armis exercendis operam dedisse. Fuit illis peculiare quoddam saltationis genus, quæ *Hormus* fuit dicta, cujus rationem ibidem pluribus describit. Pyrrhicha quoque Laconibus belli progymnasium fuit, à quinto ætatis anno condiscentibus singulis πυῤῥιχίζειν, hoc est, *Pyrrhicham exercere*. Hinc Quintilianus libro 1. Institut. orat. de gestus institutione prima, *Lacedæmona*, inquit, *saltationem quandam ad bella utilem habuisse inter exercitationes.* Hujusce saltationis, quæ ab armatis pueris peragebatur, Athenæus mentionem facit libro decimoquarto, ostendens, ea belli imaginem repræsentari, impetum & ardorem adorientium, celeritatem fugientium. Ælius Spartianus in *Adriano*, *Militares*, inquit, *Pyrrhichas populo frequenter exhibuit.* Tranquillus item ejusdem meminit, *Pyrrhichen*, inquit, *saltaverunt Asiæ, Bithyniæque principum liberi.* Pollux libro quarto, cap. 14. inter varia saltationum genera commemorat ἐμμέλειαν Tragicorum, κόρδακα Comicorum, σικιννίδα Satyricorum: πυῤῥίχην, ac τελεσίαν, quas ἐνοπλίους vocat, quod armati saltarent: unde ξιφισμὸν dictam indicat, quòd gladiis peragerentur, & ποδισμὸν, quòd mira pedum celeritate corpus circumagerent. Idem commemorat & alia saltationum genera, quæ belli habebant imaginem κῶμον, & τελεσίκωμον, quam ait Herculi

culi fuisse sacram. Rursus aliam, quam κιχλισμόν dixere, quæ & ipsa armis peragebatur. Plato libro septimo *de Legibus* duo potissimum saltationis genera facit, unum εἰρηνικὸν, hoc est, *pacificum*, quod ἐμμέλειαν vocat: alterum πολεμικὸν, hoc est, *militare*, & ἐνόπλιον, quod πυῤῥίχη dicebatur: eam pluribus describit. Meminit & Scholiastes in Il. Homeri π. commemorans tria saltationum genera, Pyrrhichen, Sicinen, quæ pertinet ad sacra, & Cordacismum, qui sit indecorus, & prophanis conveniens. Eustathius Iλ. ν. in illa Homeri:

> Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα.
> Ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν.
> Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς
> Ἐσθλόν. - - - -

Saltationem hîc intelligit laudabilem, cujusmodi fuit illa Persarum, qui ut equitandi, ita saltandi quoque artem discebant, cum existimarent id decorum, atque conveniens esse virium corporis exercitium. Feruntur etiam apud Antiochum *Magnum* cognomine in ipsa cœna ad arma saltasse non solùm Regis amici, sed ipsemet Rex. Fuit etiam saltatio militaris, *Pyrriche*, quam armati pueri saltabant, sic dicta à Pyrricho Lacone, quæ diu in Lacedæmone duravit, etiam χειρονομία appellata. Erant autem ἀγεννεῖς ignobiles quoque nonnullæ saltationes, ut Comicorum, de quibus alio in loco. De notatione vocabuli πυῤῥίχη variæ sunt opiniones. Alii à Pyrrho Achillis filio volunt dictam, quod Plinius lib. septimo, capite 56. sentire videtur, scribens armatam saltationem Curetes docuere, Pyrrhichen Pyrrhus, utramque in Creta. Athenæus, & qui eum sequitur Eustathius, à Pyrricho quodam Lacedæmonio, hanc enim Lacedæmonii bellicosi diligenter ab ineunte ætate discebant, quod illi vocabant πυῤῥιχίζειν, & πυῤῥιχισταὶ qui eo saltationis genere se exercebant. Alii ab ignea ejus vi sic volunt nominatam. Unde & *Pyrrichio* pedi nomen, qui impetum habet similem militis in prælium ruentis. Xenophon apud Athenæum in convivio Seuthæ Thracis multa hujuscemodi saltationum, præsertim militarium, genera refert: *Thraces*, inquit, *ad tibiam saltabant armati, & in sublime facili, ac levi saltu corpora subjiciebant, ac gladiis ita utebantur, ut alter alterum feriret. Nemo erat quin verum putaret vulnus, adeò compositè is, qui percussus fuerat, cecidit. Tum clamor ab omnibus sublatus est. Ille igitur qui percussisse videbatur, lectis spoliis, exivit, canens* Sitalcam. *Is est illis cantus, qui Græcis* Pæan. *Jacentem comites defuncti modo extulerunt, quum nullo affectus esset malo.* Hoc saltationis genus hodie inter Christianos quoque est usitatissimus, quod Germani *mortuorum saltationem* vocant. Homerus Iλ. π. Cretensem quendam bello strenuum ὀρχηστὴν appellat, hoc est, *saltatorem*, ob Pyrrichen nimirum, de qua dictum. Strenui bellatores sæpe ab Homero ὀρχησταὶ appellantur: ut apud Thessalos viri strenui, & in dimicando principes, quos aliàs προστάτας, προαγωνιστὰς appellarunt, προορχηστῆρες fuerunt dicti, teste Luciano. Idem manifestum ex statuarum titulis: quas iis, quorum strenua opera extiterat, excitabant. προὔκρινε προορχηστῆρα ἡ πόλις. Et alibi, Εἰλαλίωνι τὰς εἰκόνας ὁ δᾶμος προορχησαμένῳ τὰν μάχαν. De Pyrriche vide etiam Suidam, qui tres saltationis species esse dicit, πυῤῥίχην, σικιννίδα, & κορδακισμόν. Aristophanes in Comœd. ὄρνιθες, πυῤῥίχην βλέπειν, hoc est, interprete Scholiaste, ἐνόπλιον, καὶ πολεμικόν ἤ. ἐνόπλιος γὰρ ὄρχησις ἡ πυῤῥίχη. Ulpianus in Commentariis in Demosthenem *Olynth.* κορδακισμός ἐστιν εἶδος ὀρχήσεως αἰσχρᾶς, καὶ ἀπρεπὴς, τῶν γὰρ ὀρχήσεων ἡ μὲν πολεμικὴ, ὡς καὶ ἡ πυῤῥίχη, ἡ δὲ γελαστικὴ ἣ χρῶνται ἐν θεάτροις, καὶ πότοις, hoc est, *Cordacismus saltationis est species turpis, & indecora. Nam saltationum aliæ quidem sunt bellicæ, ut Pyrricha: aliæ ridiculæ, qua utuntur in theatris, & compotationibus.*

Saltatio in armis olim non modò rei militaris exercitatio erat, verumetiam pœnæ genus, qua afficiebantur juvenes cum deliquissent, unde *Pyrricharii* fuerunt dicti. Ejus rei mentio fit in ff. *de Pœnis.* L. *Ad damnum.* Æthiopes olim non alia quàm saltandi ratione illatis jam signis bellum ingrediebantur, nec quisquam Æthiopum vel sagittam excussam emittebat avulsam à capite (hoc enim vice pharetræ utebantur, tela capiti circumponentes) nisi prius saltavisset, & saltatione hosti terrorem incussisset. Plato in *Cratylo* ipsam quoque Pallada, ἀπὸ τῆς ἐν ὅπλοις ὀρχήσεως vult dictam, quia ὀρχεῖν, & ὀρχεῖσθαι idem significat quod πάλλειν, & πάλλεσθαι. Idem libro septimo *de Legibus*, Gymnastices duo facit genera, ὄρχησιν, καὶ πάλην. Ubi etiam saltationem dicit adhiberi εὐεξίας, ἐλαφρότητός τε ἕνεκα, καὶ κάλλους τῶν τοῦ σώματος αὐτοῦ μελῶν, καὶ μερῶν. Ibidem & Curetum ἐνοπλίων παιγνίων, & Lacedæmoniorum Dioscurorum saltationis mentione facta, dicit Minervam quoque saltationis armatæ ludo fuisse delectatam, quam quidem conveniat omnes cum pueros, tum puellas imitari, τὴν τῆς θεᾶς χάριν τιμῶντας, πολέμου τ' ἐν χρείᾳ, καὶ ἑορτῶν ἕνεκα, hoc est, *Deæ gratiam celebrantes cùm ad belli usum, tum festivitatum causa.* Itaque idem vult pueris, atque puellis saltatores, atque saltatrices præfici, à quibus saltandi artificium discant. Athenæus libro decimoquarto, *Saltationis*, inquit, *olim in choris genus fuit* εὔσχημον, καὶ μεγαλοπρεπὲς, καὶ ὡσανεὶ τὰς ἐν τοῖς ὅπλοις κινήσεις ἀπομιμούμενον, id est, *decorum & magnificum, quodque eas ferè motiones, quæ in armis fiunt, imitabatur.* Ibidem tradit Socratem in poëmatis scripsisse, eos qui scitè saltarent, maximè esse idoneos ad res bellicas,

> Οἳ δὲ χοροῖς κάλλιστα θεοὺς τιμῶσιν, ἄριστοι
> Ἐν πολέμῳ.

Hoc est,

> *Qui rectè scivere choris decorare Deos, hi*
> *Optimi & in bello.*

Idem,

Idem, ὥσπερ ἐξοπλισία τὶς ἦν ἡ χορεία, καὶ ἐπίδειξις οὐ μόνον τῆς λοιπῆς εὐταξίας, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν σωμάτων ἐπιμελείας, hoc est, *Quasi armorum instructio erat saltatio, & demonstratio cùm reliquæ compositionis, tum diligentiæ corporum.* Et paulò post, *Ad motiones armatas exercebantur cum cantu, quod cantionis, saltationisque genus Pyrriche dicebatur:* subjungit deinceps plura saltationum genera atque nomina. Et hæc quidem hactenus de bellico seu militari saltationum usu, qui omnium & honestissimus, & utilissimus videtur esse. His enim corpus humanum firmum, robustum, agile, & ad rem militarem aptum, atque idoneum redditur. Nam ut venatio, teste Xenophonte, Athenæo lib. 1. cap. 20. ita saltatio (quæ totius est corporis motus, & exercitatio) utilissima ad rem militarem videntur esse progymnasmata.

4. Saltationum usus epularis. Quartus saltationum usus est convivialis, quem ipsum quoque apud omnes ferè gentes usitatissimum fuisse ex veterum monumentis satis constat. Ac apud Homerum quidem, ut inde exordiar, crebra admodum fit saltationum in epulis mentio, quæ ferè cum Musica conjunguntur, ut ex exemplis suprà citatis constat: ita ut hæ duæ fuerint quasi perpetuæ conviviorum appendices. Sic apud Phæacenses fatetur Rex Alcinous in usu esse Οδ. θ.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε, χοροίτε.

Idem mox facto comprobant, Demodoco ad citharam canente surgunt κοῦροι πρωθῆβαι, δαήμονες ὀρχηθμοῖο. Καὶ, πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν. Deinde Halius, & Laodamas Alcinoi filii leguntur μουνὰξ ὀρχήσασθαι, καὶ ὀρχείσθην δὴ ἔπειτα ποσὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ. Ulysses domum reversus saltationes instituit domi, ut putent nuptias esse in aula Penelopes. Cantor orditur:

Μολπῆς τε γλυκερῆς καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο.
Τοῖσιν δὲ μέγα δῶμα περιστοναχίζετο ποσσὶν
Ἀνδρῶν παιζόντων καλλιζώνων τε γυναικῶν.

Eustathius ibidem, *Saltatio inculpata erat in nuptiis, infestivitatibus,* καὶ ἐνόπλιος, hoc est, *armata*, Οδ. ψ. Athenæus libro 1 annotat, duo esse apud Homerum saltationum genera. Unum τῶν κυβιστήρων, eorum qui in caput saltabant, nam κυβιστᾷν est, *se in caput mittere*, cujus inventionem alii Nausicaæ, alii Sicyoniis, alii Lacedæmoniis acceptam ferunt. Alterum verò saltationis genus erat, quod fiebat διὰ τῆς σφαίρας, quam saltationem idcircò & σφαιριστικὴν, & διὰ τῆς σφαίρας ἁρπαστὸν, & φαινίνδα appellat. De utroque saltationis genere, eodem in loco vide plura. Ibidem Phæacas etiam sine pila tripudiasse dicit, καὶ ἀνὰ μέρος, *per partem*. Præterea Homerum testatur illam quoque saltationem cognovisse, quæ fit ad cantum. (ὄρχησιν πρὸς ᾠδὴν) Nam Demodoco canente juvenes saltarunt in armis: & puero citharam pulsante alii insanis cantibus, atque tripudiis indulserunt, Ιλ. σ.

Ἄλλοι ἐν μανίᾳ μολπῇ τ' ὀρχηθμῷ τ' ἔσκαιρον.

Saltationis studium apud Græcos. Porrò apud Græcos in primis saltationes olim in conviviis fuisse adhibitas, plurima litterarum monumenta testantur. *Attici*, ut inquit Athenæus lib. 4. ἐν τοῖς συμποσίοις *solebant* ὀρχεῖσθαι ὑποπίνοντες, ubi hanc Alexidis sententiam citat, ἅπαντες ὀρχοῦντο εὐθέως, ἂν οἴνου μόνον ὀσμὴν ἴδωσι. Lucianus in libro *de Saltatione*, Phrygiam saltationem conviviis, & compotationibus convenientissimam esse dicit, quam ebrietate impulsi sæpe homines exercent. Rusticos quoque, & agrestes homines sæpenumerò duris, incompositis, atque laboriosis tripudiis in conviviis uti testatur. De Thracum saltatione militari, in Seuthæ convivio adhibita, suprà dictum est ex Athenæo lib. 1. c. 8. cujus etiam Xenophon meminit lib. 6. *expedit. Cyri*, statim ab initio, in descriptione sacrificii atque epuli à Græcis in Paphlagonia celebrati. *Peracta libatione*, inquit, *& pæanismis Thraces primò surrexerunt, & ad tibiam saltarunt cum armis.* Athenæus, Polysperchontem Macedonem, nulli rei militaris peritia secundum, tradit sæpiùs in symposiis, talari indutum tunica, Sicyoniisque calceatum cothurnis, ad tibiam, magna cum licentia, saltasse. Antiochus quoque, eodem teste, cognomento *Epiphanes*, quem meritò Polybius *Epimanem*, id est, *mente captum* appellat, cum aliquando in certaminibus, quæ Antiochiæ celebravit, Græcos omnes epulo magnificentissimo excepisset, in eo cum convivis, & histrionibus adeò turpiter, impudenterque saltavit, ut omnes convivas præ pudore oculos à se avertere cogeret: de eodem Leonicus lib. 3. cap. 91. Jones quoque, quæ gens fuit luxuriosissima, saltationum

Jones saltationum studiosissimi. valdè fuerunt studiosi, id quòd Maximus Tyrius testatur in opere, cui titulus, *Quis sit Philosophiæ finis: Crotoniates*, inquit, *Olympicum oleastrum adamat: Spartiates armaturam: Venationes Cretensis: luxum Sybarites: Jon choros.* Hinc Horatius in Odis,

Motus doceri gaudet Jonicos
Matura virgo.

Lascivas saltationes, & parum decoras indicant. Turnebus in *Adversariis: Jonicus à Plauto in Sticho, appellatur saltator ferè molliculus, & effœminatus, delicatiusque se movens, tum quòd Jonum mores, & saltationes lasciviores, & teneriores, petulantioresque erant: tum quòd Siculi saltationem quandam, ut reor blandam, & voluptuariam, in honorem Dianæ celebrabant, Jonicam vocatam.* Pollux, τὸ δὲ ἰωνικὸν Ἀρτέμιδι ὠρχοῦντο σικε-

Sybaritæ. λιῶται μάλιστα. Sybaritæ in convivio equos quoque introducebant ita institutos, ut incinentis tibiæ cantu audito, statim arrigerentur, ac pedibus ipsis prioribus manuum vice, gestus quosdam chironomiæ, motusque ederent ad numerum, & saltarent, de quibus vide plura apud Angel. Politianum *Miscell.* cap. 15. Sic apud

Saltationes bestiarum. Indos Arrianus docet elephantos quoque saltationem doceri, & exercere. Camelos similiter Hebræi ob id *Circaroth* appellari contendunt, quòd ob levem, & velocem cursum saltare videantur. De Simiis refert Strabo lib. 13. in festo Dianæ Coloës saltare solitas. Apud Persas, teste Athenæo lib. 10. Ἐν μόνῃ τῶν

ἑορτῶν

ἑορτῶν τῶν ἀγομένων ὑπὸ Περσῶν τῷ Μιθρῇ βασιλεὺς μεθύσκεται, καὶ τὸ Περσικὸν ὀρχεῖται. Macedones quoque cùm sympofiis, tum faltationibus maximè fuiffe addictos plerique veterum memoriæ prodiderunt. Vide Leonicum lib. 2. cap. 91. Scepfius, tefte Athenæo, fcribit Antiochum cognomine *Magnum*, in cœna quadam armatum cum amicis faltaffe. Quo in loco ferunt, cum ad Hegefianactem Alexandrinum ex Troade elegiacum fcriptorem faltandi vices perveniffent, è thoro illum confurrexiffe, altaque, ut exaudiri poffet, voce dixiffe: *Elige quod mavis Antioche, aut malè faltantem me in præfentia videre, aut peculiaria de te carmina fatis pro tempore recitantem audire.* Silentio igitur facto, cum illum rex dicere juffiffet, & multa ille carmina, ceu divino quodam afflatu, de regis laudibus profudiffet, regem, cæterofque convivas tantoperè oblectavit, ut illum plurimis muneribus donatum, in amicorum, & familiarium fuorum album receperint. In facris literis convivialis faltationis mentio fit: & Exod. 25. ubi Ifraëlitæ in Vituli cultu poft compotationem faltationibus indulfiffe dicuntur, & Marc. 6. ubi Herodiadis filia in natalitio Herodis epulo impudica fua faltatione innocentiffimo viro Joanni Baptiftæ mortem attuliffe fcribitur. Lucæ quoque vigefimoquinto in cœna illa parabolica, qua pater filium fuum in patriam reverfum, & ad meliorem converfum mentem, excepit, fymphoniæ, atque chori fit mentio. Ex his locis videtur colligi poffe tripudia in Judæorum quoque epulis fuiffe ufurpata. Æmilius Probus in vita Epaminondæ ait, *Canere, & faltare apud Romanos parum honorificum fuiffe, cum apud Græcos fummo in pretio haberetur.* Salluftius in *Catilinaria* inquit, Semproniam quandam mulierem lafcivam, & impudicam canere, & faltare fuiffe doctam elegantius, quàm honeftæ matronæ conveniret, atque ibi duo hæc luxuriæ inftrumenta appellat. Cicero in 3. *Offic.* dicit virum honeftum, & probum nolle in foro faltare, etiamfi eo modo poffit ad maximum patrimonium pervenire. Idem in fua *Orat.* quam habuit poft reditum in Senatu, A. Gabinium inimicum fuum vocat *faltatorem calamiftratum*, contumeliæ caufa. Et de eodem in Pifonem fic fcribit: *Cum illum fuum faltatorium verfaret orbem.* Turnebus in fuis *Adverfariis* libro quarto, capite 21. *Vorfus, inquit, & orbis faltatorius fpecies funt motus, cujus multa genera tripudiatores frequentant, fed iidem etiam fæpè fe verfant, in orbemque rotant,* &c. Regi quoque Dejotaro idem objectum eft. L. Murænæ criminis loco in judicio objectum eft, quòd in Afia faltaffet, ad quod Cicero fic refpondet: *Nemo faltat fobrius, nifi fortè infaniat, neque in folitudine, neque in convivio moderato, & honefto. Intempeftivi convivii, amœni loci, multarum delitiarum comes eft extrema faltatio.* Idem in *Philippicis* exprobrat Antonio inter cætera faltationem. Ipfi quoque Græci, licet lafcivis hujufmodi tripudiis valdè dediti fuerint, tamen faltationes illas in theatris, & compotationibus ufurpari folitas, γελαστικάς, hoc eft, *irrifione dignas*, appellarunt, uti fuprà dictum eft.

Macedones faltationibus dediti.

Saltationes conviviales in facris literis.

Saltationes apud Romanos probrofæ.

Hodiè non modò apud barbaras gentes, fed apud omnes ferè Chriftianos omnis generis faltationes atque tripudia in epulis præfertim folennioribus, fumma cum licentia, atque libidine exercentur, quas quidem illi à gentium feu petulantia, feu fuperftitione haufferunt. Omnes ferè illæ antiquæ Thracum, atque Græcorum turpes, obfcœnæ, lafcivæ, atque petulantes faltationes quafi poftliminiò in Chriftianorum orbem, atque ecclefiam funt introductæ. Nullum agitatur convivium, cujus non extrema comes fit faltatio, fecundum tritum illud Gallorum dictum, *Apres la pance la danfe*, hoc eft, gulam five ingluviem fequitur faltatio. Sunt autem hæ Chriftianorum faltationes multis nominibus vehementer improbandæ, atque culpandæ. Nam primò animi concitati, & quodammodo furibundi funt argumenta, cum Chriftianorum animos & fecundis, & adverfis in rebus quietos, fedatos, atque tranquillos effe conveniat. Deinde plerunque ex vino, & compotationibus immoderatis faltationes nafcuntur, ut experientia teftatur, & illud Ciceronis pro L. Muræna, *Nemo faltat fobrius*, &c. Unde Juvenalis Satyr. 15.

Saltationum ufus hodie apud Chriftianos frequentiffimus.

Chriftianorum faltationes cur improbandæ. 1. 2.

Inde (Æthiopes jam ebrii) *Saltatus nigro tibicine*, &c.

Et poëta ille, - - - - τοὺς ἀνοήτους ὁ οἶνος
Καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καὶ ὀρχήσασθαι ἀνώγει.
- - - - *Stultos vinum*
Et ridere jubet molle, & faltare lubenter.

Hinc Bacchus quoque, tefte Plutarcho *Sympof.* 3. *Problem.* 6. θεὸς λυαῖος καὶ χορεῖος dictus eft, quòd curas folvat, & auctor fit chorearum. Cùm igitur ebrietas mater fit faltationis, illam ceu matris turpiffimæ turpiffimam filiam meritò damnandam, fugiendamque effe judicabimus. Præterea pleræque Chriftianorum faltationes mixtim fiunt confufo fexu, quales pleræque veterum non erant (feorfim enim viri, feorfim mulieres faltabant) ac proinde multò majora funt lafciviæ, Veneris, atque libidinum irritamenta, quàm illæ veterum fuerint. Nam fi, fecundum illud pervulgatum Græcorum, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται ἐρᾶν, hoc eft, *Ex afpectu amor nafcitur*, quantò magis ex mutuo illo hominum utriufque fexus, non modò confpectu, verumetiam colloquio, contactu, complexu, atque bafiis (quæ in faltationibus illis funt ufitata) Veneris, libidinifque flammam accendi, ac quafi oleo infufo foveri, atque augeri eft neceffe. Hinc ergo connubia multa temeraria, atque illegitima: hinc concubitus illiciti, ftupra, adulteria, inceftus nafcuntur. Nec vero faltantes tantùm, fed etiam fpectatores ad libidinem incitantur, dum faltantium leves, incompofitos, atque lafcivos motus geftufque, & corporis partes obfcœnas, quæ fæpè deteguntur, oculis fuis afpiciunt. Deinde multæ pravæ fufpiciones, zelotypiæ, odia, inimicitiæ, jurgia, contentiones, atque adeò cædes funeftiffimæ ex illis Chriftianorum tripudiis promanant, cujus rei quotidianus vitæ ufus nobis multa tragica exempla fuppeditat. His adde, quòd ut etiam Mercurialis fcribit *de arte gymnaftica* lib. 5. cap. 3 hujufmodi faltationes poft cibum potumque fumptum (tunc enim potiffimum exerceri folent) corporis quoque valetudini vehementer inimicæ funt,

3.

ſunt, atque infeſtæ. Nam ut Medici, & ipſa ratio docet, omnis vehemens corporis motus, atque exercitatio
4. à cibo ſumpto, noxia valdè eſt, atque pernicioſa. Præterea à ſaltationibus meritò nos deterrere debent illa, quorum in ſacris literis fit mentio, tripudia, quorum horrendi ſanè miſerandique fuerunt exitus. Nam & πορνικῆς illius ὀρχήσεως, in Herodis natalibus, de qua Matth. 6. μισθὸς, ut Chryſoſtomus rectè loquitur, fuit caput
5. Joannis, hoc eſt, juſtiſſimi illius viri ſupplicium, ſeu potius latrocinium injuſtiſſimum. Deinde populus Iſraëliticus non ſaltavit, niſi jam idololatra factus, & immoderato cibo, potuque obrutus, ac mox ingenti cæde ad horrendam mortem ſaltavit. Similes profectò ſolent eſſe hodie illorum quoque, quæ à Chriſtianis exercentur, tripudiorum exitus, exitiales planè, atque funeſti. Saltatores iſti, atque ſaltatrices & ſe, & alios in maxi-
6. mum honoris, famæ, pudicitiæ, vitæ, atque ſalutis diſcrimen conjiciunt. Præterà cum multi quoque ex ipſis gentibus viri cordatiores, gravioresque, & exemplo, & verbis ſaltationes damnarint, quantò magis Chriſtianos ab illis, ceu à pietate, gravitateque Chriſtiana alieniſſimis, decet abhorrere? Platonis extat illuſtre hac de re & factum, & dictum. Cum is à Dionyſio provocaretur, ut etiam ſumpta purpura ſaltaret, recuſavit, dicens: οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολὰν, ἄρρην πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἄρρενος. Verùm nos Ariſtippum magis exprimimus, ſaltamus etiam non ſumpta purpura. Priamus tanquam probrum objecit filiis ſaltationem. τοὺς παῖδας ὀνειδίζει ὡς ψεύστας τε, καὶ ὀρχηστάς. Sed ut omittamus Græculos palliatos, quos conſtat pro morum levitate ad omne laſciviæ, libidiniſque genus ſemper proclives fuiſſe. Romanos quidem conſtat etiam Ciceronis temporibus, quibus collapſa jam ferè fuerat morum diſciplina, ſaltationes vitii, imò criminis loco duxiſſe. Furius Albinus apud Macrobium antiquitatis peritus lib. 3. cap. 14. tradit, antiquitùs quidem inter duo bella Punica ſaltationem certatim, vel ab honeſtis fuiſſe appetitam, ita ut ingenui, imò ſenatorum filii in ludum ſaltatorium commearent, & ibi crotala geſtantes, ſaltare diſcerent. Præterea matronas etiam ſaltationem non inhoneſtam putaſſe, & inter probas quoque ſaltandi peritas fuiſſe, dummodo non eſſet curioſa ad artis perfectionem. Verùm addit Scipionem Africanum Æmilianum, virum graviſſimum, in oratione contrà legem judiciariam Tyberii Gracchi, hanc matronarum, virginum, atque puerorum ſaltandi libidinem, ceu inhoneſtam, & à majorum moribus alienam, graviſſimè reprehendiſſe: cujus hæc ſunt verba gravitatis plena: *Docentur præſtigias inhoneſtas, cum cinædulis, & ſambuca, pſalterioque eunt in ludum hiſtrionum, diſcunt cantare, quæ majores noſtri ingenuis probro ducier voluerunt. Eunt, inquam, in ludum ſaltatorium inter cinædos virgines, puerique ingenui. Hæc mihi cum quiſquam narrabat, non poteram animum inducere, ea liberos ſuos nobiles homines docere. Sed cùm ductus ſum in ludum ſaltatorium, plus, medius fidius, in eo ludo vidi pueris, virginibuſque quingentis. In his unum (quo me Reipub. maximè miſertum eſt) puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis ſaltare, quam ſaltationem impudicus ſervulus honeſtè ſaltare non poſſet. Vides quemadmodum ingemuit Africanus, quòd vidiſſet cum crotalis ſaltantem filium petitoris, id eſt, candidati, quem ne tum quidem ſpes, & ratio adipiſcendi magiſtratus, quo tempore ſe, ſuoſque ab omni probro* (en probro duxerunt ſaltationem) *debuit vindicare, potuit coërcere, quò minus faceret, quod ſcilicet turpe non habebatur. Cæterum ſuperius plerumque nobilitatem hæc propudia* (ſic tripudia vocat) *celebrare conqueſtus.* Ac ſanè ſaltationes & ſaltatores apud Romanos infames fuiſſe docet etiam Marquardus Freherus, Juriſc. & Conſiliarius Palatinus, Electoralis, vir ſanè doctiſſimus, in lib. 3. *de Infamia*, ubi Chironomiæ, Cyclopis & Cordacis quæ 3. fuerunt ſaltationum genera obſcœna, meminit. Julianus quoque Imp. quantopere à ſaltationibus abhorruerit, teſtis eſt ejus *Miſopogone*. Vide quàm nobiliſſimis illis Romanis diſſimiles ſint noſtrorum temporum Chriſtiani, & quidem nobiliſſimi, & ampliſſimi quique. Ille ingemuit, graviterque conqueſtus eſt de ſaltandi ſtudio, quod tunc temporis inter pueros, virgineſque nobiles vigebat, ceu maximo Reipub. probro, atque damno: at noſtris temporibus inter Chriſtianos nobiliſſimi quique, ſummæque dignitatis, atque auctoritatis homines ſaltationibus maximè delectantur. Nec ipſi tantùm, licet provectæ jam, imò confectæ ſint ætatis, ſaltant, atque tripudiant: verumetiam ſedulò dant operam, ut liberi ſui utriuſque ſexus, ſaltandi artem probè diſcant, unde maxima ſæpè probra atque damna tandem in illos, totamque familiam redundant. Addit præterea Albinus, *Nullam ſuo tempore ante cujuſquam triclinium ſaltatricem, vel ſaltatorem viſum fuiſſe.* Sed quàm ignominioſum fuerit Ciceronis temporibus ſaltare, vel ex illius orationibus ſatis colligere licet. Caſtor Deiotari accuſator, Regi objecerat inter alia crimina, quòd in convivio nudus ſaltaſſet. Hoc Cicero ceu grande maledictum diligenter refellit. *Quòd ſi,* inquit, *avum ſaltatorem habuiſſes, neque eum virum unde pudoris exempla petuntur: tamen hoc maledictum minimè in illam ætatem conveniret. Quibus ille ſtudiis ab ineunte ætate ſe imbuerat, non ſaltandi,* &c. Sic L. Murænam Cato appellarat *ſaltatorem*, probri loco. Cicero reſpondet *maledictum eſſe, ſi verè objiciatur, vehementis accuſatoris: ſin falſò, maledici convitiatoris.* Ac dicit *non oportere maledictum arripere ex trivio, aut ex ſcurrarum aliquo convitio. Nemo enim ferè ſaltat ſobrius, niſi fortè inſanit, neque in ſolitudine, neque in convivio moderato, atque honeſto*, &c. Idem acerbè Piſoni ſaltationes exprobravit, & tonſam ſaltatricem: cujus hæc ſunt verba: *Cumque ille nudus in convivio ſaltaret, in quo ne tum quidem, cùm illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem, fortunæ rotam pertimeſcebat.* Sic Gabinum adverſarium inſigni notaturus contumelia, *calamiſtratum* vocat *ſaltatorem.* Ex his ſatis liquet ſaltationem apud Romanos probri loco habitam fuiſſe. Memorabile quoque eſt Demadis oratoris factum, quod huc ſpectat. Cùm Philippus Macedo, benè potus ſaltaret cum amicis, & captivis ſuas miſerias exprobraret, graviter eum reprehendens Demades, inquit: *Quid, ô Rex, cùm fortuna tibi Agamemnonis perſonam induerit, non pudet te factis exprimere Therſitem?* Quo rex commotus mores illos dicitur mutaſſe. Hodie Moſcovitas quoque nullas prorſus choreas ducere, & ab iis abhorrere, teſtis eſt Sigiſmundus Baro.

Romani ſaltationes improbarunt.

In jure civili etiam olim prohibebantur publica lege, ut eſt videre in Cod. Tit. *de Feriis*, L. *Dies feſtos.* Fridericus tertius Imperator, ſolebat dicere, ſe malle febricitari, quàm ſaltare. Sic de Alberto Imperatore

ferunt

ferunt ipsum venationem quidem judicasse virilem exercitationem: saltare autem muliebrem, ut auctor est Æneas Sylvius. Et eo ipso Gallos leves judicabat Alphonsus rex Siciliæ, quod choreis indulgerent tantò magis, quò erant ætate provectiores. Sacri quoque canones cùm omnibus, tum in primis clericis saltationes gravissimè prohibuerunt, ut est videre in Conciliorum libris. Laodicense Concilium, quod celebratum fuit anno 364. choreas in nuptiis prohibet, ejus hæc sunt verba: *Non convenit Christianis hominibus saltare in suis nuptiis. Prandeant, & cœnent graviter, & moderatè, gratias Deo agentes de nuptiarum beneficio.* In eodem Concilio etiam habetur: *Clerici non accedant ad spectacula vel in theatro, vel in nuptiis. Possunt quidem nuptiis interesse, sed postquam accesserint* θυμελικοὶ, hoc est, *cantores, & citharœdi, qui saltationibus inserviunt, surgant, & abeant, ne sua præsentia videantur eam lasciviam probare.* Idem confirmatum fuit Concilio universali Constantinopolitano, cui 300. circiter Episcopi interfuerunt. In Concilio quoque Agathensi, quod habitum fuit anno 450. saltationes conjunctæ cum cantionibus amatoriis, & lascivis, omnibus in universum Christianis fuerunt interdictæ. In Ilerdensi Concilio, quod habitum est sub Symmacho, & Hormisda Papa, ac Rege Theodorico, anno Domini 515. idem statuitur, ne Christiani saltent in nuptiis. In Altissiodorensi verò Consilio, quod fuit sub Papa, *Deus dedit*, hoc videtur ad clericos restringi. Ibi enim cavetur, ne clerici in convivio vel cantent, vel saltent, quasi cæteris aliquomodo id liceat. Idem sentiunt quidam Theologi Scholastici in 3. *Sentent. distinct.* 37. quo prohibitiones istas referunt tantùm ad dies festos. Ricardus *de Media villa*, choreas ducere in diebus festis, gravissimum ait esse peccatum: quasi id cæteris diebus permittatur. In Decretal. extat anathema Zachariæ Pontificis contrà saltationes novi anni Cal. Januarii, cujus verba: *Si quis Calen. Ian. ritu Ethnicorum colere, vel aliquid plus novi facere propter novum annum, aut mensas cum lampadibus: vel epulas in domibus præparare, & per vicos, & plateas cantatores, & choreas ducere ausus fuerit, anathema esto.* His adde veterum primitivæ ecclesiæ patrum auctoritatem, à quibus communi consensu tripudia, ceu à Christiana fide, atque religione alienissima, vehementissimè culpata, atque damnata fuerunt. Ambrosius lib. *de Helia & Jejuniis*, cap. 18. de mulierum ebriosarum saltationibus verba faciens: *Illæ*, inquit, *in plateis inverecundos viris sub conspectu adolescentulorum intemperantium choros ducunt, jactantes comam, trahentes tunicas, scissæ amictus, nudæ lacertos, plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes vocibus, irritantes in se juvenum libidines, motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio. Spectat corona adolescentium, & fit miserabile theatrum. Inter saltantium lapsus ocello impuro, & contaminato aspectu: terra turpi saltatione polluitur, quæ obscœnis cantibus verberatur.* Augustinus *contra Potil.* cap. 6. *Nugaces*, inquit, *& lascivas saltationes, episcopi semper solebant coërcere. At hodiè nonnulli sunt episcopi, qui choreis intersunt, & unà saltant cum mulierculis, tantùm abest, ut hoc vitium coërceant.* Idem in Psal. 33. ea verba exponens: *In Psalterio decem chordarum psallam tibi*: decem illas chordas facit decem mandata, & cum de singulis aliquid dixisset, postremò venit ad Sabbathum, de quo scribitur, *Memento ut diem Sabbathi sanctifices: Melius est enim toto die fodere, quàm saltare die Sabbathi.* Chrysostomus *Hom.* 56. super Genes. cum ageret de nuptiis Jacobi: *Nuptias*, inquit, *audistis, sed non choreas*, quas ibi appellat *diabolicas. Sponsus, & sponsa*, inquit ibidem, *corrumpitur saltando, & tota familia fœdatur*, plura vide eodem in loco in hanc sententiam. Idem *Hom.* 48. in Gen. *Vides*, inquit, *nuptias, choreas non vides.* Nam illa tempestate non perinde, atque hodie lasciviebant. Sed multò plura habet *Hom.* 49. cap. 14. ubi de saltatione Herodiadis ad populum loquebantur, & inter cætera dicit: *Hodie Christiani homines non dimidium sui regni, non caput alienum: sed suam ipsorum animam tradunt in perniciem.* Et subdit: *Ubi lasciva saltatio instituitur, ibi diabolum unà saltare.* Vide ejusdem *Homil.* ult. in Epist. ad Colos. Basilius quoque Magnus saltationes acerrimè reprehendit in oratione *de ebrietate.* Nonnulli tamen contrà saltationes hujusmodi fere ratiunculis excusare, vel etiam tueri, atque defendere conantur, quas operæpretium fuerit paucis simul refutare. Primò Davidis, Mariæ, puellarum Judaicarum exemplo utuntur, de quo suprà. Sed dispar longè ac dissimilis est illarum, & nostrarum chorearum ratio. Illæ seorsim à viris, & seorsim à mulieribus fuerunt celebratæ, ad animi lætitiam testificandam, & Deo ob accepta beneficia gratias agendum. At nostræ hodie promiscuè fiunt, atque mixtim ab utroque sexu cum summa pudoris, atque pudicitiæ jactura, & non ad Dei laudem, atque gloriam: sed ad voluptatem potius, atque libidinem referuntur. Deinde ajunt matrimonia nonnunquam hac occasione honesta conciliari. Non pia hæc est, atque honesta matrimonia ineundi ratio: quin contrà ipsa experientia docet ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον (id quòd in omnibus rebus potissimum est consyderandum) hujusdem saltationibus & multa temeraria, atque illegitima matrimonia contrahi, & justè contracta fœdari, & stupra, atque adulteria ex iis promanare. Ajunt præterà multos castitatis, & pudicitiæ amantes iis non moveri ad libidinem. Esto, sint nonnulli hujusmodi, at contrà plerique iisdem ad libidines inflammantur, cùm non quid nonnunquam, vel rariùs: sed quid vel semper, vel plerunque fieri soleat, sit spectandum, & non ipsa modò mala, sed malorum quoque species, suspiciones, occasionesque sint vitandæ. Dicunt etiam nonnulli, satius esse saltare, quàm se immoderato cibo, vinoque ingurgitare. Respondeo, Non faciendum est malum alterius mali vitandi gratia, sed utrunque vitandum. Deinde saltationibus ut Veneris, ita vini quoque atque bibendi libido accenditur, & inflammatur. Unde meritò tympana, & tripudia *luxuriæ instrumenta* à Justino historico fuerunt dicta lib. 30. Nam plerunque saltatores isti, lascivis illis suis saltationibus sitim accendunt, quam dum rursus extinguere conantur, nimio potu sese ingurgitant, ac deinceps rursus benè poti ad saltationem redeunt. Sic itaque fit, ut à choreis ad potationem, & à potatione ad choreas subinde, ὡς ἐν κύκλῳ alterna quadam vicissitudine redeant, atque remigrent. Hæc de saltationibus Christianorum dicere volui, quibus illi in nuptiis, in quibusvis tam sacris, quàm prophanis festivitatibus, in omnibus denique ferè epulis utuntur, cum magno Christiani nominis dedecore, de quibus qui plura

Saltationes legibus canonicis prohibitæ.

S. Patrum testimonia contra saltationes.

Ambrosius.

Augustinus.

Chrysostomus.

Basilius.

Refutatio argumentorum quibus nonnulli saltationes palliare conantur.

plura cupit videre, legat libellum Gallicum recens impreſſum, in quo amplè, copioſeque hæc quæſtio tractatur, *An Chriſtianis liceat ſaltare:* item Thomæ Garzoni diſcurſum 45. *de ſaltationibus:* Stephanum Zegedinum in *locis communibus.* Benedictum Aretium lib. 1. *Loc. com.* & peculiarem libellum *de ſaltationibus* Johannis à Munſter, nobilis Germani.

CAPUT XXII.

DE VARIIS LVDORVM CONVIVIALIVM GENERIBVS, VT COMOEDIIS, TRAGOEDIIS, LVDO ALEATORIO VT OLIM, ITA HODIE IN EPVLIS FREQVENTISSIMO, DENIQVE DE PVGNIS, CERTAMINIBVS GLADIATORIIS, ALIISQVE LVDIS OBSCOENIS, QVI INTER EPVLANDVM AEDI CONSVEVERVNT.

Quoniam de ſermonibus, Muſica ſive cantu tripudiisque convivialibus dictum eſt, quæ quidem maxima conviviorum ornamenta atque oblectamenta habentur: nunc in genere de ludis, qui & olim & hodiè in conviviis adhiberi ſolent, nobis videtur dicendum. Plutarchus lib. 1. *Symp. Probl.* 1. non inſcitè meo judicio duo tradit eſſe eorum, quæ ad cœnas, atque convivia parantur, genera. Unum quidem eſt eorum, quæ ſunt neceſſaria, ut ſunt vinum, cibus, opſonia, veſtes, ſtragulæ, menſæ, &c. Alterum eſt eorum, quæ ſunt, ἐπεισόδια τῆς ἡδονῆς ἕνεκα, id eſt, *voluptatis gratia introducta*, ut ſunt ἀκροάματα, θεάματα, γελωτοποιοὶ, *auditu jucunda, ſpectacula, mimi, hiſtriones*, &c. quibus ut præſentibus delectantur convivæ, ita abſentibus citrà moleſtiam carent, neque convivium eo nomine tanquam minus perfectum culpant. Hinc Lucretius de *Nat. rerum.* l. 4.

Duo ſunt genera eorum quæ ad epulas pertinent.

- - - - Convivia, ludi
Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur. &c.

Sunt autem ludorum, qui cùm aliàs, tum in conviviis adhibentur, innumera genera, de quibus copiosè Pollux ſcribit lib. 9. Ludi à nonnullis ita dividuntur, ut alii dicantur conſiſtere in dictis ſive verbis, alii in factis ſive geſtibus: & illos quidem jocos, hos verò ludos propriè dici volunt Grammatici: tametſi duæ hæ voces ſæpè ab authoribus confunduntur. *Ludi* qui vel verbis conſtant, vel ſonis, & ad aurium delectationem pertinent, ἀκροάματα· qui verò factis, & oculorum ſunt oblectamenta, θεάματα, id eſt, *ſpectacula*, meo judicio dici poſſunt. Tametſi plerique ferè, & quidem omnium ſuaviſſimi ludi, partim dictis, partim factis, ſive geſtibus conſtant, & ex utriſque ſunt compoſiti, cujuſmodi ſunt Comœdiæ, Tragœdiæ, qui ad aurium pariter atque oculorum oblectationem ſpectant. Plutarchus lib. 7. *Sympoſ. Probl.* 8. in quo diſputatur, quænam acroamata cœnæ ſint adhibenda, moris Romæ fuiſſe dicit (quem tamen recentem vocat) ut Platonis Dialogi, qui partim narratione, partim actione conſtant, & idcircò *dramatici* appellantur, in cœnis, animi ludique cauſa agerentur. Pueri enim faciliimos ex iis ediſcentes, illos memoriter recitabant, ſimulque geſtus adhibebant perſonarum moribus congruentes, & vocis effictionem, atque formam, affictionesque dictis congruas. Hæc ab auſteris quidem & eruditis maximoperè probata, ab effœminatis autem & imperitis repudiata fuiſſe dicit. Eodem modo Sapphus & Anacreontis carmina recitabantur. Præterea agebantur Comœdiæ, atque Tragœdiæ, ut idem teſtatur. Ac Tragœdias quidem ceu nimis graves, & propter rerum imitationem ingentes animo metus afferentes, miſerationemque excitantes, conviviis non admodum aptas eſſe docet. Quoad Comœdias, novas quidem ob convitiandi levitatem, ſcurrilitatemque, ob verba turpia, & laſciva, quibus repletæ ſunt, adde etiam propter obſcuritatem à conviviis removendas eſſe exiſtimat. Veteres verò, præſertim Menandri Comœdias, quoniam ad animos benè componendos, moreſque ad humanitatem conformandos faciunt, & ita convivas oblectant ſimul atque juvant, epulis aptas maximè & accommodatas eſſe demonſtrat. Hadrianum Imperatorem epulis non modò ſambucas, ſed etiam Poëtas, Comœdias, atque Tragœdias adhibuiſſe legimus. Plinius Epiſt. 1. lib. 3. ad Calviſium de Spurina: *Frequenter Comœdis cœna diſtinguitur, ut voluptates quoque ſtudiis condiantur.* Mimos quoque inter acroamata enumerat convivialia, quorum alii ὑποθέσεις, id eſt, *argumenta:* alii παίγνια, id eſt, *ludicra* appellentur: ac mimos quidem prioris generis ob actionum longitudinem, & ſumptuum difficultatem: poſterioris verò generis mimos, quia verborum levitate, ſcurrilitateque ſcatent, ac proinde caſtas mulierum puerorumque aures lædunt, atque offendunt, ab epulis relegandos eſſe cenſet.

Acroamata convivialia.

Comœdiæ atque Tragœdiæ in epulis agitari ſolitæ.

Mimi.

NOTA. De citharœdis, tibicinibus, ſaltationibus hîc quoque mentionem facit, ſingulorumque modum præſcribit, de quibus ſuprà ſatis. Obſervatione porrò hic dignum eſt, quod Plutarchus, dramata, Comœdias, Tragœdias, mimos, omnes denique ludos, qui auditores ad impudicitiam, libidinem, affectus, actionesque turpes & inhoneſtas incitare poſſunt, ab epulis vult removeri, ac iis tantùm locum dari, qui honeſti ſunt, caſti, ac pudici, ac proinde ad hominum animos non modò delectandum, verumetiam benè honeſteque componendum, atque conformandum valent. Hæc Ethnicus ille, hoc eſt, à Chriſtiana fide, religioneque alienus. Alexander quoque Severus Imperator, nanos & nanas, & moriones, & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populo donavit, ac ab hujuſmodi hominibus aulam ſuam repurgavit, teſte Ælio Lampridio. Idem voluptates ſcenicas in convivio nunquam habuit, ſed ſumma illi oblectatio fuit, ut catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter ſe pugnarent, aut aviculæ ſurſum & deorſum volitarent. Hodie tamen, proh pudor atque dolor, in Chriſtianorum epulis, ac præſertim in principum aulis paſſim volitat ingens

ingens hominum turpissimorum & perniciosissimorum turba, atque colluvies, cujusmodi sunt qui *ludiones*, sive *ludii* in genere & scenici appellantur, comœdi, tragœdi, scenici, saltatores atque saltatrices, chironomi, funambuli à Græcis σχοινοβάται, ab Apuleio *funetrepi* dicti, mimi, pantomimi, Archimimi, histrionesque dicti, hypocritæ, præstigiatores, scurræ, joculatores, gesticulatores, nugatores, ethologi, ethopœi, tibicines, fidicines, tubicines, thymelici sive auletæ, psaltriæ, cytharistriæ, qui partim dicteriis, partim cantionibus, partim gestibus sive gesticulationibus actionibusque turpibus flagitiosis & magicis convivas oblectant. Porrò de his vide plura apud eundem Freherum lib. 2. *de Infamia*, & in *Misopogone* Juliani Imp. qui hujusmodi histriones passim exterminari curavit. Item apud Thomam Garyonum *Discurs.* 50. & 69. Itaque Paulina illa Corinthiorum reprehensio 1. Cor. 10. ad nos quoque pertinet, *Neque idololatræ*, inquit, *sitis, sicut quidam eorum*, ut scriptum est Exod. 32. *Sedit populus ad edendum ac bibendum, ac surrexerunt ad ludendum.* Objurgat Paulus his verbis Corinthios eo nomine, quòd Ethnicorum epulis sacrificalibus interesrant, cum quibus ludi conjungebantur in Deorum honorem instituti, in quibus multa petulanter nimis libidinoseque fiebant. Annon idem quæso hodie Christianorum mos est in festivis atque solennioribus conviviis?

Porrò nonnulli non incommodè, ut ego arbitror, ludos ita dividunt, ut alios dicant esse fortuitos, qui prorsus ad casum referuntur, & ab illo pendent, ut qui plura puncta vel hæc vel illa jecerit, præmium auferat, qui aleæ nomine intelliguntur: alios, quibus vel animi, vel corporis vires exercentur: unde ipsa animi corporisque exercitia ludi sæpe appellantur. Utriusque generis ludorum exempla habemus apud Homerum, ut inde exordiar, qui partim inter epulandum, partim post, partim etiam ante epulas fuerunt adhibiti. Athenæus lib. 1. dicit, *Heroas sedata fame, alios quidem prorupisse ad exercitationem Athleticam*, δίσκοις καὶ αἰγανέαις *discis & jaculis sese oblectantes*, καὶ τῇ παιδιᾷ τὰ πρὸς σπουδὴν ἐπιμελετῶντες, id est, *ea, quæ sunt seria per ludum exercentes: alios verò audivisse citharœdos, & res gestas Heroum cytharis metroque compositas.* Idem docet Eustathius Od. A. in illa Homeri carmina:

> Ἤδη μὲν δαιτὸς κεκορήμεθα εἴσης
> Φόρμιγγός θ' ἣ δαιτὶ,
> Νῦν δ' ἐξέλθωμεν, καὶ ἀέθλων πειρηθῶμεν πάντων.

Addit ibidem Eustathius, hoc ipso significari hominem non debere semper remissioni esse deditum, verumetiam intendi, ut ita loquar, ad res agendum serias. Ludi, qui ad corporis exercitationem faciunt, quinque præcipui commemorantur, qui hoc versu Græco comprehenduntur:

> Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην,
> Id est,
> *Saltus, cursus, jactus, pugillatus, lucta.*

Apud Homerum quatuor ferè hujusmodi ludorum genera commemorantur, σφαῖρα, δίσκος, αἰγανέα, πελτεία.

Quoad primum, Homerus Od. 2.

> Αὐτὰρ ἐπεὶ σίτου τάρφθεν δμωαί τε καὶ αὐτή,
> Σφαίρῃ ταὶ τ' ἄρ' ἔπαιζον ἀπὸ κρήδεμνα βαλοῦσαι
> Τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἤρχετο μολπῆς.

Hic ludus, quo ad pilam saltabant, maximè laboriosus, dictus est *Phæninda* ab inventore Phænestio, sive ut alii volunt, παρὰ τὸ φαίνεσθαι ab elegantia & efficacia illius saltationis. Aristonicus Carystius lusit optimè Sphæricam, hoc est, pilarum saltationem. Fuit enim Alexandri Magni συσφαιριστὴς, id est, *a pila*, qua sese Rex ille exercebat. De hoc vide plura apud Athenæum lib. 14. & Pollucem lib. 9. Lusus pilæ Græcè σφαιρομαχία appellatur: de qua Sipontinus apud Martialem; σφαίρισις *lusio pilaris*, ut Statius loquitur, *ludus pilæ* Ciceroni: *Jactus pilarum* Ovidio: σφαιρίζειν, σφαιροπαικτεῖν, διὰ σφαίρης παίζειν idem quod Ciceroni *pila ludere, ad pilam se conferre.* Celso, *pila se exercere.* Σφαιρίζοντες, inquit Pollux, dixeris σφαίρᾳ παίζειν, σφαῖραν ῥιπτεῖν, βάλλειν, ἀφιέναι, πέμπειν, προσπέμπειν, ἐκπέμπειν, ἀντιφιέναι, ἀντιπροφέρειν. Plato in *Eutyd.* σφαῖραν ἐνδέξασθαι. Plutarchus lib. *de And.* τοῖς σφαιρίζουσι ἅμα τοῦ βαλεῖν, καὶ τοῦ λαβεῖν τὴν σφαῖραν ἡ μάθησις. Hinc Seneca, *In lusu est aliquid scitè ac diligenter pilam excipere, sed non dicitur bonus lusor, nisi qui aptè & expeditè remisit, quam exceperat.* Σφαιριστήριον, locus pilæ lusioni destinatus. Lampridius in *Alexandro*, *Sphæristerium pro lusione pilari usurpat*, σφαιριστὴς qui pila ludit, & qui callet artem ludendi pila, pilam excipiendi remittendique peritus. Ἀγαθὸς καὶ ἐπιδέξιος, ut Athenæus inquit, qui etiam σφαιριστικός. Unde σφαιρικὴ, & σφαιριστικὴ ars sive scientia ludendi pila, quam Athenæus lib. 1. σύντονον, καὶ καματηρὸν, id est, *intentam laboriosamque* esse dicit. Pilæ lusus hodie, apud Gallos imprimis cùm ante, tum post epulas valdè frequens est & usitatus. Secundum ludi genus apud Homerum ὁ δίσκος est, cujus mentio fit Od. P.

> Μνηστῆρες δὲ πάροιθεν Ὀδυσσῆος μεγάροιο
> Δίσκοισιν τέρποντο καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες
> Ἐν τυκτῷ δαπέδῳ, ὅτε περ πάρος ὕβριν ἔχεσκον.

Hujusmodi ludis illi se exercuerunt ante cœnam. Δίσκος, *discus* Latinè, fuit orbis ex ferro, ære, lapide aut ligno, qui exercendi corporis causa in auras projiciebatur: unde & a δίκω dictum volunt. Volunt verò δίσκον ut plurimum fuisse lapidem rotundum in medio pertusum, seu perforatum, annexo funiculo, quo projiceretur.

 Unde

Unde Ὀδ. A. quum dixiſſet Homerus λάβε δίσκον μείζονα καὶ παχετὸν, ſubjungit, τόν ῥα περιστρέψας ἧκε στιβαρῆς ἀπὸ χειρὸς, βόμβησεν δὲ λίθος. Apud Pollucem de diſci ludo, δίσκον ἀφεῖναι, δίσκον ἀποπέμψαι, δίσκον ἐκρίψαι, & δίσκων ψόφοι apud Plutarchum in *Pericle* δισκοβόλος, *qui diſcum jacit.* In ſublime jaculatur, δισκεῖν, δισκεύειν & ἀποδισκεύειν, *diſcum jaculari, diſco ludere.*

Αἰγανέα quod tertium eſt ludi Homerici genus, quodque verſibus paulò ante citatis cum diſco conjungitur, jaculum vel ſpiculum, vel tragulam ſignificat. Jaculorum jactus Heſychius ἀκόντια ἀπὸ τῶν αἰγείοις ἱμᾶσιν ἀγκυλῶσθαι, id eſt, *quòd haſtarum ſeu jaculorum aut ſpiculorum amenta ſive anſæ fierent è loris caprinis.* Aliis dicta videtur, quod εὔθετοι εἰς αἰγῶν ἄγραν, *quòd apta ſit capiendis capris.* Suidæ αἰγανέα eſt ἀκόντιον μικρὸν ὁλοσίδηρον, id eſt, *jaculum parvum ex ſolido ferro.* Euſtathio ſpecies haſtæ levis & longæ παρὰ τὸ κατ' αἰγῶν ἱέσθαι, *quod in capreas mitteretur.*

Quartum genus eſt πεττεία ſive πεττευτικὴ παιδία, id eſt, ut eum Euſtathius appellat, *calculorum ludus.* Ut Ὀδ. A. πεσσοῖσι (proci) προπάροιθε θυράων θυμὸν ἔτερπον. Ubi Euſtathius folio 27. 45. *manifeſtam* πεσσῶν καὶ κύβων *apud veteres differentiam fuiſſe* dicit, & de utroque ludo copioſè ibidem diſſerit. Heſychius hoc diſcrimen inter πεττείαν & κυβείαν tradit, quòd ἐν τῇ κυβείᾳ τοὺς κύβους ἀναρρίπτουσιν, ἐν δὲ πεττείᾳ ſolùm τοὺς ψήφους (πεσσοὶ etiam ψῆφοι dicti) μετακινοῦσι. πεσσὸν ſive πεττὸν vertunt *calculum* ſive *ſcrupum luſorium*, de quo Ovidius libro tertio *de Arte amandi*, ἀπὸ πεσεῖν teſte Euſtathio & Heſychio. Et πεττείαν *luſum latrunculorum*, Mart. lib. 14. Hinc πεσσεύειν ſive πεττεύειν, πεσσοῖς παίζειν, ψηφίζειν, *calculis ludere*, πεσσονομεῖν, πεττάζειν. Ovidius, *Prælia latronum ludere.* Seneca, *latrunculis*, quos vulgò *ſchaſſos* vocant, *ludere.* Euſtathius, πεττεύειν τὸ ταυλίζειν φασὶ καὶ μεταθεῖναι, παίζειν, πεσσευτὴς luſor. Hujus ludi inventum a Sophocle Palamedi, a Platone Ægyptiis tribuitur. Athenæus lib. 1. in illa Homeri paulò ante citata, *Proci* (inquit) πεττείαν *nec a Diodoro Megalopolita, aut Theoxeno, neque a Leonte Mitylenæo, qui hoc ludi genere ita excellebat, ut vinci non poſſet, teſte Phania, didicerunt.* Vide ſi vis Athenæum in Lat. p. 26. Qualis autem procorum Homericorum πεττεία fuerit, pluribus deſcribitur ab Athenæo. Hæc de ludis, quorum apud Homerum crebra fit mentio, quibus Heroës atque proci ſe partim exercebant, partim oblectabant.

Ludi fortuiti ferè ſunt Κυβεία, ὀσομαχία, ἀστραγαλισμὸς, id eſt, *talorum* ſive *taxillorum luſus*, & κυβεία *teſſerarum*, vel *aleæ ludus.* Κύβος *teſſera*, quiddam ex omni latere quadratum, certis punctis diſtinctum, quo in alveolo luditur, ſeu βόλος ἑξάπλευρος. Euſtathius p. 27. 43. quæ ſignificatio frequentior eſt, & fortaſſis etiam prior. κυβεύειν *alea* ſeu *teſſeris ludere.* κύβον ἀναρρίπτειν etiam pro *periclitari*, ut Latinè *aleam jacere.* Nam alea cùm ſit ludus in fortunæ varietate conſiſtens, pro periculo, periculique dubitatione accipitur. Lucanus: *Placet alea fati, Alterutrum merſura caput.* Livius: *In dubiam imperii ſervitiique aleam imus.* κυβευτὴς *aleator*, alea ſive teſſera ludens. κυβευτικὴ ars ipſa, κυβευτικὸς ejus artis peritus: κυβευτήριον, item κυβεῖον, locus ubi alea luditur. κυβεία luſus aleæ, teſſerarum, ſive ipſa actio alea, teſſeriſve ludendi. Paulus ad Epheſios quarto capite, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, *in alea hominum*, id eſt, incertis illis caſibus, quibus jactantur homines. Vetus interpres, *Nequitia.* Eraſmus, *Verſutia*, ut referatur ad aleatorum aſtutias & fraudes, quia ſequitur, ἐν πανουργίᾳ, quo vocabulo Suidas alterum quoque exponit. Sic nos vernacula lingua hominem verſutum dicimus, Er iſt wien ein würffel. Clemens Alexandrinus libro primo *Stromatum*, ad ματαιοπονίαν, id eſt, *inanem laborem* refert. Epiphanius in *Manich.* vanas & ineptas ſubtilitates κυβευτικὴν διδασκαλίαν vocat, ut Stephanus annotat in ſuo Lexico. Plato in *Phædro* & *Theæt.* Ægyptiorum dæmonium, cui dicata eſt Ibis, vult talos & aleam inveniſſe. Ad quod forſan alludit Chryſoſtomus *Homil.* 6. in Matth. ubi dicit: *Deum non inveniſſe ludum, ſed Diabolum. Sedit enim populus ad manducandum & bibendum, & ſurrexerunt ad ludendum in honorem turpiſſimi idoli.*

Lydi, teſte Herodoto in *Clio*, & Euſtathio, Κύβους, ἀστραγάλους, σφαίραν, & alia παίγνια, id eſt, *ludicra* ſive *genera luſoria*, excepto ludo πεσσῶν, invenerunt, unde *ludos* nonnulli volunt à Lydis eſſe dictos. Idem teſtatur Cælius lib. 20. cap. 14. ut autem πεττοὶ καὶ κύβοι apud Græcos ſæpè copulantur, ita Cicero talos & teſſeras. Cicero: *Nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquunt, & teſſeras.* Idem. *Quid enim eſt ſors? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras.* Athenæus lib. 6. τοὺς ἀποβάλλοντας τὰς οὐσίας εἰς μέθας καὶ κύβους καὶ τοιαύτην ἀκολασίαν. Ubi μέθαι & κύβοι conjunguntur, ut à Cicerone *alea*, & *convivia*: *Quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum aleæ, quantum pilæ.*

Aleæ uſus olim in epulis frequentiſſimus.

Aleæ porrò uſum olim in epulis potiſſimum celebrioribus fuiſſe adhibitum Suetonius in *Auguſto*, ipſius Auguſti αὐτογράφοις ſatis manifeſtè probat. *Aleæ* (inquit) *rumorem* (nam aleæ ludus erat infamis) *nullo modo expavit, luſitque ſimpliciter & palàm oblectamenti causâ, etiam ſenex, ac, præterquam Decembri menſe* (quo propter Saturnalia ludi talarii, teſſerarii, & omne genus aleæ impunè exercebatur, teſte Macrobio *de Saturnal.* & Martiali in *Xeniis*, & *Apoph.* Et Luciano in *Cronoſol.* ubi Saturnalium leges dicit eſſe παιδίαν, τρυφὴν, θυμιδίαν) *aliis quoque feſtis profeſtiſque diebus, nec id dubium eſt autographa quadam Epiſtola. Cœnavi* (ait) *mi Tyberi, cum iiſdem. Acceſſerunt Vinitius, & Silius pater. Inter cœnam luſimus,* γεροντικῶς *& heri, & hodie, id eſt, ſenili luſione.* Nam, ut ait Cato apud Ciceronem, tali & teſſeræ erat ſenum ludi. *Talis enim* (qui ἀστράγαλοι Græcè) *jactatis ſcilicet tàm manu, quàm arca in tabulam aleatoriam, ut quiſque canem* (jactus hic erat damnoſus, κύων à Græcis dictus, unde à Perſio dicta eſt *damnoſa canicula*, & *damnoſi canes*) *aut ſenionem* (ſenio punctus in talis à ſenario numero, ut videtur dictus, interdum lucroſus erat, unde à Perſio *dexter* dicitur, interdum damnoſus, eruditi quaternarium exiſtimant eo ſignificari) *miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat.* (Venus feliciſſimus erat jactus.) Et rurſus aliis literis: *Nos, mi Tyberi, quinquatriis ſatis jucundè egimus. Luſimus enim per omnes dies, forum-*

forumque aleatorium calefecimus, id est, exercuimus. Idem scribit ad filiam: *Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter cœnam, vel talis, vel par impar ludere.* Fuit hoc genus ludi puerilis vulgò notum, de quo sic Horatius,

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Julius Capitolinus Veri Imperatoris sumptuosissimum epulum describens, post illud lusum dicit fuisse tesseris usque ad lucem. Eundem Imperatorem idem author, sub finem aleæ cupidissimum, vitæque semper luxuriosæ fuisse dicit. Propertius lib. 2. Eleg. 33.

Lenta bibis, mediæ nequeunt te frangere noctes,
An nondum est talos mittere lassa manus?

Catullus ad Licinium Epigram.

- - - - Uterque nostrûm
Ludebat numero modò hoc, modò illoc,
Reddens mutua per jocum, atque vinum.

Idem ex illo dicto parasiti apud Plautum in *Captiveis*:

Nam in convivio sibi
Amator talos cùm jacit, scortum invocat.

Sic in *Asinaria*, *Jace puer talos, ut nos porrò jaceamus.* De. *Maximè.*
Te Philenium mihi, atque uxori mortem, hoc Venereum est.

Et in *Curculione*, *Ille annulum suum apposuit: invocat Planesium.*

Juvenalis Satyra 1. Insanum alea ludendi studium, quo Romani suis temporibus flagrabant his verbis perstringit:

Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit sinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur,
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.
Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat.

Alea Romanorum legibus prohibita.

Id est, *pauperat*, ut Plautus loquitur. Horatius Epist. lib. 1. ad Lollium. Legibus Romanis alea erat vetita: hinc Cicero Antonio inter alia objicit *Philipp.* 2. quòd domus ejus plena fuerit aleatoribus & ebriosis: & Lenticulam collusorem Antonii de alea condemnatum fuisse tradidit. Horatius: *Seu malis vetita legibus alea.* Catullus: *Quis hoc videre potest? quis pati? Nisi impudicus & vorax & aleo.* Salustius in *Catilina*: *Quicunque impudicus, adulter, ganeo, aleo, manu, ventre, pene patria bona dilaceraverat.* Eandem ob causam Augustus quoque Imperator notatus est, teste Suetonio, ut pretiosæ supellectilis, Corinthiorumque præcupidus, & aleæ indulgens. Uude bello Siciliensi Epigramma vulgatum est:

Qui Imperat. Rom. aleæ dediti.

Postquam bis victus classe, naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit assiduè aleam.

Claudius.

Claudius quoque Imperator, ut idem author testatur, sanguinarius cùm gulæ & ebrietati, tum aleæ ita fuit addictus, ut de illius arte librum quoque emiserit: solitus etiam in gestatorio, id est, lectica, sive sella, qua vehebatur, ludere, ita essedo, alveoque adaptatis, ne ludus confunderetur. Extat libellus Senecæ de ludo Claudii, in quo fingit, Claudium apud inferos ludere, percusso fritillo, jubente Æaco. His adde Domitianum, qui & ipse quoties otium esset, alea se oblectabat, etiam profestis diebus matutinisque horis, ut Suetonius scribit. Ut autem olim, ita hodie quoque aleæ lusus cùm inter epulandum, tum post epulas, præsertim apud Germanos est usitatissimus. Utuntur autem illo præsertim jam vino madidi ad se invicem partim vino adhuc magis ingurgitandum, obruendumque, partim defraudandum, pecuniaque emungendum. Nam is qui ejusmodi ludo victus est, poculum vel invitus, minimeque sitiens, ac sæpiùs tot pocula, quot puncta jecerit, exhaurire cogitur. Itaque nulla est illorum excusatio, qui ut saltationes, ita hunc quoque ludum eo nomine excusant, quòd sint quasi perfugia quædam, & diverticula ab inebriatione. *Quid enim*, inquiunt, *an non satius est alea ludere, quàm vino se nimium ingurgitare?* Quibus respondeo, neutrum esse faciendum, sed utrumque contrà vitandum. Deinde plerunque cum compotatione alea est conjuncta, ebrietatisque, ut paulò antea dixi, instrumentum est. Piè sapienterque Augustinus monet Christianos, ut aleæ & tesserarum loco in mensa adhibeant sacrarum literarum lectionem: quæ quidem optima sunt & saluberrima conviviorum ἀκροάματα. Ac omnino omnis ludus fortunæ mutabilitati subjectus, in quo non artis peritia, ratio, consilium, sapientia, sed casus, fortuna, temeritas, atque etiam fallacia, dolus, astutia locum habet (qui communi *aleæ* nomine appellatur) ut sunt chartæ, tesseræ, pyrgus, fritillus, latrunculus, antiquis legibus civilibus atque canonicis: nec non patrum sententia vehementer fuit improbatus. in ff. *de Aleat.* dicit Prætor: *Si aleator à socio suo injuria affectus fuerit, non dabo illi judicium: sin alter alteri rapinam, aut vim intulerit, reddam quidem jus, quamvis sint indigni.* Et postea: *si quis alterum coëgerit ad ludum, sumetur de illo judicium, ut vel in latumias, vel in publicos carceres conjiciatur.* Apparet ex his aleæ lusum jure civili fuisse damnatum. Addunt adhæc Leges, *si aleatores* (etiam antiquitùs *alcones* vocabantur) *fecerint inter se sponsiones, ne sint rata.*

Domitianus.

Aleæ usus epularis apud Germanos.

Lusus aleatorius a Christianis alienus.

Augustini testimonium.

Lusus aleæ civilibus & canonicis legibus prohibitus.

Familiæ tamen conceditur, ut inter se ludant de eo quod postea in convivio comeditur. Verùm in C. *de Religiosis sumptuum, funerum*, de lusu, alea & aleatoribus gravius statuitur. Antiquitùs militibus permittebatur, extra operas ludere alea. Sed Imperator conqueritur eò tempore omnes ludere, & puncta quædam numerando exhaurire patrimonium, & blasphemias postremò in Deum addere. Itaque decrevit nemini licere, nec spectare ludentem: & episcopos monet, ut ista diligenter curent observari. Idem Justinianus Imperator in *Authenticis* tit. *de Sacrosanctis Episcopis* 9. *Interdicimus*: nominatim prohibet, ne Episcopus, Presbyter, Diaconus vel ipsi ludant, vel aspiciant ludentes. Cypriani extat Epistola 96. de aleatoribus, qua aleæ ludum ceu impium ac blasphemum à Christianorum vita atque moribus alienissimum esse docet, & aleatores idololatriæ, prodigalitatis, furti, rapinæ, perjurii, blasphemiarum, aliorumque scelerum atque flagitiorum nomine accusat. Et certè si quis rem diligentiùs & accuratiùs expendat, videbit cum aleæ studio omnis generis scelera atque flagitia esse conjuncta, illoque omnia ferè legis divinæ præcepta violari. Aleator enim est idololatra, cujus idolum, quod colit & veneratur est ipsa alea, lucrum turpe, & inhonestum, cujus amore insatiabili flagrat. Aleator nomen Domini multis horrendis convitiis, atque blasphemiis plerunque polluit atque contaminat. Aleator dies festos, & cultui divino consecratos turpi illo suo studio prophanat, & omne tempus, quod melioribus studiis atque negotiis impendi oportebat, noxio hoc suo studio perdit atque consumit. Aleator impius est in suos parentes, quorum opes atque patrimonia multis illorum laboribus atque sudoribus parta dilapidat: impius in magistratus, in præceptores, & pædagogos suos, quorum leges, atque præcepta turpes atque damnosos hujusmodi ludos prohibentia negligit, atque violat. Aleator etiam impius est in suos liberos, uxorem, totamque familiam, quam immani hoc suo studio sæpe ad extremam, ignominiosamque inopiam, penuriam, mendicitatemque detrudit. Impii quoque sunt cum politici, tum ecclesiastici magistratus in suos subditos, qui opes publicas quæ ad reipub. ecclesiæque conservationem, ad pauperum inopiam sustentandam sublevandamque conferri debebant, sæpe insano immanique hoc suo studio dilapidant, ac deinde subditos suos decoquunt, gravissimis, ac pene intolerabilibus tributis, atque vectigalibus onerant, seu potius opprimunt. Denique aleatores ebrietate, cujus plerunque alea socia est atque comes, nec non avaritia inexplebili, odio, ira, libidine, aliisque hujusmodi affectibus ceu œstris quibusdam incitati ad dolos atque fraudes, ad perjuria, mendacia, maledicta atque convitia, ad rapinas, atque furta, ad stupra, ad cædes denique & homicidia horrenda præcipiti quodam impetu rapiuntur, id quod experientia quotidiana testatur. Plura de talis, eorumque varia materia vide apud Cassaubonum in Theophrasti characteres.

Quatenus aleæ lusus concessus.

Addam postremo quæ Osorius, divinum illud eloquentiæ flumen, in elegantissimo illo suo opere, *de Regis institut.* de hoc ludo differit, lib. 7. ubi nobilium officium describit: *Quodnam igitur*, inquit, *nobilium opus est? num delitiis affluere, & dicta jacere, & de amore conqueri, & vulnus sibi cupidinis sagittis inflictum assiduè lamentari? negabitis opinor: nullum enim ex eorum urbanitate, & elegantia, nec ex amoribus quidem levissimis respub. fructum capit. Num noctes, atque dies in aleæ ludo consumere? non profectò. Est enim hic ludus altor otii, magister ignaviæ, instrumentum avaritiæ, fraudis officina, rei familiaris eversio, temporis jactura, rixæ materia, morum pernities, dignitatis labes, & insignis ignominia, est præterea angor animi, & cruciatus assiduus. Qui enim perdit, affligitur: qui lucrum facit, quamvis intemperanter exultet, ne tamen id, quod est lucratus, amittat, animo anxio, & sollicito reformidat. Adde nunc impuræ consuetudinis, & familiaritatis dedecora, quibus afficiuntur ii qui cum aleatoribus vivunt. Adde pœnæ illius diuturnitatem, qua damnati sunt omnes, qui ejusmodi ludis affixi sunt. Ut enim Prometheus ad Caucasum affixus (ut poëtæ perhibent) invitus aquilæ viscera laceranda, atque devoranda præbebat: sic aleatores ita nequitiæ vinculis astricti sunt, ut quamvis viscera sua consumi cum magno cruciatu videant, non tamen inde avelli possint, secundum illud Ovidii:*

Sperne lucrum, vexat mentes insana libido
Et revocat trepidas alea sæpe manus.

Anni vero interim labuntur, ætas flagitiose conteritur, res familiaris absumitur, studium dignitatis abjicitur, omnisque ratio industriæ, & humanitatis, & pietatis extinguitur. Nec enim is, qui hoc ludo tenetur & ducitur, rem suam familiarem curat: nec suis liberis, aut servis, aut amicis consulit: neque pietatis, & religionis memoriam ullam conservat: sic enim occupat illius animum hoc flagitiosum, & infame ludendi studium, ut nullum honestæ cogitationi locum relinquat. Ut autem nullum aliud malum inde proveniat præter otium illud, cujus vitia persecuti sumus, id certè tantum est, ut sit nobilitati tanquam totius dignitatis exitium summa totius animi contentione fugiendum. Hæc ille. Sed quorsum, inquies, tam multa de alea? Propterea quod illa otii comessationumque plerunque comes est atque socia, quam Christiani hodie passim cum ingenti & publicarum, & privatarum suarum rerum, fortunarumque damno ac detrimento, impune magnaque cum licentia exercent, cum tamen & ratio ipsa, & leges divinæ, atque humanæ, & sanctissimorum patrum auctoritas, & ipsa experientia quotidiana, hunc ludum turpem, inhonestum, impium ac damnosissimum esse doceat. De quo plura qui cognoscere cupit, is legat Ambrosium in lib. *de Tobia* cap. 11. Nicolaum *de Lyra* in suo præceptorio. P. Martyrem in lib. Jud. cap. 14. Lamberti Danæi libellum *de alea*: Cæl. Rhodiginum lib. 28. cap. 30. M. Mantuam in *Polymath.* lib. 8. cap. 9. ubi docet ludum esse crimen, & malorum dæmonum inventum. Huc referendæ sortes convivales. Heliogabalus Imp. teste Ælio Lampridio, tales habuit sortes convivales scriptas in cochlearibus, ut alius exhiberet decem camelos, alius decem muscas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem struthiones, alius decem ova pullina, ut veræ sortes essent, & fata tentarentur: quod quidem & ludis suis exhibuit, cum & ursos decem, & decem gryllos, & decem lactucas, & decem auri libras

libras in sorte habuit: primusque hunc morem sortis instituit, quem nunc videmus.

Quoad illos ludos quibus corpora exercentur, illis ante cœnam potius utendum esse, Medici & ratio ipsa docent, quam post cœnam, de quo supra pluribus est dictum. Huc facit illud Plutarchi 1. *Sympos. problem.* 1. quod à Macrobio repetitur lib. 7. cap. 1. *Compotores ita solent à convivio discedere, ut exercitii causa se ad saltationem, aut choreas conferant, vel etiam in mediis saltent conviviis: at verò si quis eos ad armis depugnandum, aut discum jactandum, vel ad cursum, vel ad pugillatum cogat, non modo injucundum, sed etiam damnosum fuerit convivium, iisque quasi ineptus relegabitur ab alacritate consortii.* His verbis monet utrisque ludis utendum esse vel inter epulas, vel post illas non nimis vehementibus, sed mollioribus, atque remissioribus.

Crudeles, planeque barbaræ fuerunt antiquæ illæ Campanorum, Tyrrhenorum, atque Romanorum monomachiæ, pugnæque gladiatorum etiam in privatis conviviis de quibus multa tradit Athenæus lib. 4. cap. decimoseptimo. Antoninus Heliogabalus, teste Lampridio, gladiatores ante convivium pugnantes sibi frequenter exhibuit. Stravit sibi triclinium in summo lusorio. Et dum pranderet, noxios, & venationes sibi exhibuit. Idem quadrigas Circensium in triclinis, & in porticibus sibi semper exhibuit pransitans, & cœnitans, convivas senes agitare cogens nonnullos honoratos jam Imperatori. Verus quoque Imperator, teste Julio Capitolino, gladiatorum frequentiùs pugnas in convivio habuit, trahens cœnam in noctem. Celtæ similiter, teste Athenæo loco ante citato in conviviis μονομαχοῦσι, ἐν γὰρ τοῖς ὅπλοις ἐγερθέντες σκιαμαχοῦσι, καὶ πρὸς ἀλλήλους ἀκροχειρίζονται, *inter cœnandum singulari certamine pugnant. Armati enim atque excitati umbratili pugna dimicant, & summis tantum manibus inter se colluctantur. Aliquando verò ad vulnus usque procedunt, unde usque adeò irritantur, ut nisi præsentes eos distraherent, ad interitum usque pugnarent.* Similis ferè mos apud Galatas, atque Thracas obtinuit, teste eodem lib. 4. cap. 17. De iisdem vide Leonicum lib. 2. cap. 101. Huc quoque referri potest mos ille Thracum matulas in capita conjiciendi, de quo Athenæus. Hujusmodi sunt hodie quoque Christianorum ebrietati indulgentium ludi sanguinarii, atque cruenti. Quid dicam quòd cædes quoque nonnullis olim pro ludis, delitiisque summis inter epulandum fuerunt habitæ? C. Cæsari Caligulæ, ut Suetonius inquit in ejus vita, *animum quoque remittendi, ludoque & epulis dedito, eadem dictorum, factorumque sævitia aderat. Sæpe in conspectu prandentis, vel comessantis seriæ quæstiones per tormenta habebantur. Miles decollandi artifex* (securi cædendi peritus) *quibuscunque è custodia capita amputabat. Puteolis dedicatione pontis ab eo excogitati, quum multos è littore invitasset ad se, repente omnes præcipitavit. Quosdam gubernacula apprehendentes, contis, remisque detrusit in mare. Romæ publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam laminam* (nam lecti tricliniares teste Plinio lib 33. laminis argenteis operiebantur, sive bracteis) *carnifici confestim tradidit, ut manibus abscissis, atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Mirmillonem* (gladiatorem, qui adversus retiarium pugnabat) *è ludi* (ex ludi consuetudine, ubi exercitii causa ad gladiaturam juvenes exercebantur) *rudibus secum batuentem* (virgis gladiatoriis depugnantem) *& sponte prostratum confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discurrit. Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrarium mactavit. Lautiore convivio effusus subitò in cachinnos, Consulibus, qui juxta cubabant* (in mensa discumbebant) *quidnam rideret, blande quærentibus. Quid, inquit, nisi uno meo nutu jugulari utrumque vestrum statim posse?* Cædibus hisce epularibus Caligulæ similis fuit & illa L. Flaminii, qui inter epulas unum de damnatis occidi curarat, ut scorto gratificaretur, quod ajebat nunquam se vidisse hominem decollari, unde à Catone senatu fuit motus, & illa Herodis, qui in gratiam incestuosæ suæ conjugis, atque filiæ Joan. Baptistam in carcere decollari, & caput illius in epulum natalitium ceu ferculum afferri, curavit.

Præterea ut olim à Græcis, aliisque populis luxuriosis varii fuerunt adhibiti ludi, quibus se invicem ad ebrietatem lacessebant, de quibus supra, sic idem quoque à Christianis fieri solet. Multiplicia enim ludicra usurpantur, & nova etiam quotidie excogitantur, quibus se invicem inescant, & ad potandum plus æquo provocant: Vide Erasmum in *Chiliad.* in adagio, *Melitæus catulus.*

Ludi quoque olim libidinosi, multa acroamata, atque spectacula libidinem inflammantia à prophanis illis gentibus fuerunt adhibita. Apud Babylonios teste Alexandro ab Alex. lib. 5. cap. 21. post epulas mulieres summa velamenta exuere, & amiculis revelatis (proh pudor) pudenda ostendebant, omnique abjecto pudore, turpissimè jocabantur. Apud Tyrrhenos, ut Athenæus ex Theopompo, & Timæo testatur, in illorum epulis nudatis corporibus virgines discumbentibus ministrabant convivis, mulieresque apud eosdem fuerunt communes, quæ etiam pudore deposito in gymnasiis publicis, & palæstris nudæ cum viris luctari, & sese exercere consueverant, minimè enim apud eos turpe ducebatur nudatas fœminas vulgò conspici. Iidem in ipsis epulis, compotationibusque suis plurimis accensis facibus Veneri turpissimæ operam dare consueverunt, de quo etiam Leonicus lib. 3. cap. 96. Promiscui hujusmodi coitus, sive concubitus in sacris præsertim, ut in Eleusiniis, atque Bacchanalibus fuerunt usurpati. Utinam turpissimorum hujusmodi ludorum hodie non in Christianorum quoque conviviis plurima exempla reperirentur. Nam, ut rectè ille dixit, *Nox, vinum, mulier nihil moderabile suadent.* Huc facit illud Terentii. *Affatim edi, bibi, lusi*, id est, Veneri operam dedi.

Omnino ut hunc de ludis convivialibus locum concludam, ἱλαρότης καὶ παιδιὰ εὐσχήμων, ut est apud Athenæum lib. 5. hoc est, *ludi in conviviis adhiberi possunt & debent animi relaxandi reficiendique causa*, modo illi sint liberales, & honesti, absit omnis turpitudo, atque lascivia. Huc quoque facit præclarum illud Ciceronis præceptum lib. 1. *offic. Neque enim*, inquit, *ita generati à natura sumus, ut ad ludum, jocumque facti esse videamur, sed ad severitatem potiùs, & ad quædam studia gravia, atque majora. Ludo autem, & joco uti illis quidem licet, sed sicut somno, & quietibus cæteris, cum gravibus, seriisque rebus satis fecerimus: ipsumque genus jocandi*

candi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum, & facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestatis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Duplex omnino est jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum: quo genere non modò Plautus noster, & Atticorum antiqua comœdia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt, ut ea, quæ à sene Catone sunt collecta, quæ vocantur *apophthegmata*. Facilis igitur est distinctio ingenui, & illiberalis joci: alter est, si tempore fit, ac remisso animo, libero dignus; alter ne homine quidem, si rerum turpitudini adhibeatur verborum obscœnitas. Ludendi est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur.

CAPUT XXIII.

DE IIS QUAE AD CONVIVIUM CONSEQUUNTUR. QUANDO VETERES COENAM FINIERINT. DE PERVIGILIIS SYMPOSIACIS, CERTAMINE ET PRAEMIIS ANTIQUORUM, VINO TOTA NOCTE INVIGILANTIUM. QUOMODO ET CONVIVAE, ET CONVIVATOR SE CIRCA CONSURRECTIONEM E MENSA GERERE DEBEANT. DE MANUUM ABLUTIONE POST COENAM. DE POCULO, SIVE PROPINATIONE ULTIMA, UT OLIM, ITA HODIE USITATISSIMA. AN COENA POTU TERMINANDA.

Nunc postremo loco dicendùm de iis, quæ epulas solent consequi, sive post epulas ferè fieri solent, quæ quidem Syracides his verbis mihi breviter videtur esse complexus cap. 32. Ἐν ὥρᾳ ἐξεγείρου, καὶ μὴ οὐράγει, ἀπότρεχε εἰς οἶκον, καὶ μὴ ῥαθύμει. Ἐκεῖ παῖζε, καὶ ποίει τὰ ἐνθυμήματά σου, καὶ μὴ ἐν ἁμαρτίαις, καὶ λόγῳ ὑπερηφάνῳ, sive ut alii legunt, καὶ μὴ ἁμάρτῃς λόγῳ ὑπερηφάνῳ, καὶ ἐπὶ τούτοις εὐλόγησον τὸν ποιήσαντά σε, καὶ μεθύσκοντά σε ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν αὐτοῦ· Hoc est, *Surge*, scilicet à mensa, *in hora*, hoc est, in tempore, sive maturè, & *non sis ultimus* (οὐραγεῖν proprie est extremam exercitus partem ducere: unde οὐραγὸς ductor extremæ partis exercitus: & οὐραγία pars extrema agminis) *domum te celeriter recipe, neque desideas. Ibi lude, tuoque indulge arbitrio, non in peccatis atque in sermone superbo, hoc est, modò ne pecces, aut superbè quid agas. Adhæc celebra eum, qui te creavit, & qui te suis donis cumulat.* Hæc præcepta etsi ad adolescentes potissimùm videntur pertinere: tamen in genere ad omnes convivas, cujuscunque illi sint ætatis, atque conditionis videntur posse referri: ad quæ explicanda antequàm accedamus, operæpretium fuerit nomina, quibus convivii finis, sive terminatio à Græcis appellatur, proponere.

Nomina convivii finis, sive terminationis.

Pollux lib. 6. τὸ δὲ παύσασθαι τὴν ἑστίασιν, διαλῦσαι τὸ συμπόσιον, (unde apud Plutarchum in *convivio sapientum*, διαλύωμεν, inquiunt convivæ, τὸ συμπόσιον) διασπάσαι τὸ συμπόσιον, λῆξαι τοῦ πότου, ἐκδιαπνεῦσαι, ἐπαναστῆναι τοὺς συμπότας, ἐξαναστῆναι, (Sic Syracides ἐξεγείρου) ἐξελθεῖν, ἀπαλλαγῆναι, ἐπὶ κοίτην τραπέσθαι.

Explicatio verborum Syracidis.

Primò igitur omnium inquit Syracides, *surge in tempore, & non sis ultimus.* Omninò, ut incipiendi quibusvis in rebus, ita etiam desinendi, certus debet esse modus, tempusque spectari commodum, & opportunum. Hinc convivia εὔκαιρα, hoc est, *tempestiva*, illa dicuntur, quæ fiunt tempore opportuno, nec ultrà tempus justum, legitimumque protrahuntur: quibus contraria sunt ἄκαιρα, hoc est, *intempestiva*, quæ vel incommodo, vel importuno tempore fiunt, vel nimis diu durant.

Quando veteres cœnam finierint.

Veteres cùm hora ferè nona, quæ nobis est tertia, aut quarta, cœnarent, sub occasum, nocte jam imminente, cœnam finiebant. Athenæus lib. 5. docet, apud antiquos in Deorum festis, irreligiosum fuisse visum diutiùs post Solis occasum in conviviis commorari. Quare γνωμικῶς, hoc est, *scite*, Pallas inquit apud Homerum Odyss. γ.

Ἤδη γὰρ φάος οἴχεθ' ὑπὸ ζόφον, οὐδὲ ἔοικε.
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν, ἀλλὰ νέεσθαι.

Hoc est,

Mergitur Oceano lumen, jam dedecet esse
Præsentes mensis divûm, discedere præstat.

Ante solis occasum è conviviis discedi solitum.

Suis quoque temporibus Athenæus testatur, sacra quædam celebrari fuisse solita, in quibus lege cautum erat, ut antequàm sol occideret, discederetur. Idem omnia convivia veteres, dicit, ad Deorum suorum honorem retulisse, & idcirco adhibuisse coronas, hymnos, cantum, & dum adhuc esset dies, ante Solis occasum è convivio discessisse. Eustathius in illa Homeri verba,

Οὐδὲ ἔοικε -----
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν, &c.

Non diu in sacrificiis sedendum, convivandumque, ne convivæ ebrii facti in peccatum aliquod prolabantur, sacrificiumque contaminent. Nam in festivitatibus quidem more receptum καταπαννυχίζειν, id est, *pervigilia agere:*

agere: in ſacrificiis verò non conveniebat moram trahere, noctu bibendo, ne potatione ulteriùs producta, indecori aliquid fieret. Præstereà, ut fertur, Diis cœleſtibus interdiu ſacrificabant, unde δειλινὰς θυσίας, hoc eſt, *veſpertina ſacrificia*, vates evitantes, Sole oriente illa peragebant. Homerus Ιλ. Α. Deos ſuos tota die convivantes finxit, ſeque poſt occaſum ſolis domum recipientes.

Ὡς τότε μὲν πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα,
Δαίνυντ'. ---

Et paulò poſt: Αὐτὰρ ἐπεὶ κατέδυ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,
Οἱ μὲν, κακκείοντες ἔβαν οἶκόνδε ἕκαστος.

Solon in Plutarchi convivio, *pareamus*, inquit, *Homero ſapientiſſimo*, Ιλ. η.

Νὺξ δ' ἤδη τελέθει, ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι,

Ergò libatione peracta διαλύωμεν τὸ συμπόσιον, hoc eſt, *cœnationi finem imponamus*. Hinc ergò conſtat, Græcos veteres ſub Solis occaſum, nocte jam imminente, convivia ſua finiiſſe. Hunc morem veterum ſecutus Domitianus, teſte Suetonio, *convivabatur frequenter, ac large, ſed penè raptim, certè non ultra Solis occaſum, nec ut poſtea comeſſaretur*, hoc eſt, poſt cœnam cibo, epuliſque indulgeret, hoc enim eſt comeſſari, unde & *comeſſatio* dicta. Auguſtus convivia nonnunquam & ſeriùs inibat, & maturiùs relinquebat, cum convivæ & cœnare inciperent priuſquam ille diſcumberet, & permanerent digreſſo eo: Suetonius. Scribit Julius Capitolinus Gordianum Imp. fuiſſe adeò cibi parcum, ut intrà punctum temporis vel prandium, ſi pranderet, vel cœnam finiret, ſi cœnaret. Sed poſteà cùm Græcos, tum Romanos quoque legimus, in multam noctem convivia ſua produxiſſe, (ſic Nero epulas à medio die ad mediam noctem protraxit, unde *Noctesque Neronis*, Juvenalis Satyr. 2.) imò totam noctem iis traduxiſſe. Sic Platonicum illud Sympoſion fuit παννύχιον, ex quo licet nonnulli, ut Eryximachus, & Phædrus diſceſſerint: tamen Socrates unà cum Agathone, & Ariſtophane per totam noctem mero invigilavit, quod quidem illi ex rodine ἐπιδέξια ſibi invicem propinarunt. Nonnulli etiam illorum ſomno indulſerunt, quos, die illuceſcente, ſopitos Socrates, & Agathon reliquerunt. Hujuſmodi ferè hodie ſolent eſſe Chriſtianorum, Germanorum præſertim convivia: quorum alii quidem ibi jacent vino ſomnoque ſepulti: alii παννύχιοι totam noctem perpotant: alii diſcedunt & ſe domum proripiunt aliis inſalutatis. Tales παννυχίδας, hoc eſt, *pervigilia*, in potu, Clemens Alexand. lib. 2. cap. 4. *Pæd.* graviſſimè reprehendit, quæ quidem hodie inter Chriſtianos valde ſunt uſitata. Hujuſmodi pernoctationem ſive pervigilium in potu Græci, teſte Polluce, appellabant διαπαννυχίσαι, & διανυκτερεῦσαι καὶ παραπέμψαι τὴν νύκτα, ἔστε πρὸς ἥλιον. Hinc lucerna quoque, quæ illis lucebat, λύχνος πάννυχος, id eſt, *lucerna pervigil* fuit appellata. Præmia quoque hujuſmodi pervigilia agentibus erant propoſita σησάμους & πυράμους, quæ erant πέμματα διὰ μέλιτος, τὸ μὲν ἐκ σησάμου, τὸ δὲ ἐκ πυρῶν πεφρυγμένων. Ariſtophanis interpres: εἰώθασι δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις ἁμιλλᾶσθαι περὶ ἀγρυπνίας καὶ ὁ διαγρυπνήσας μέχρι τῆς ἕω ἐλάμβανε τὸν πυραμοῦντα, in *Equitibus*, Hoc eſt, *Certamen etiam olim apud priſcos fuit in Sympoſiis vigiliarum, ut qui vigilando auroram attigiſſet, ille placentam aufferret*. Inde λυχνόβιοι, hoc eſt, *lucernariam vitam ducentes*, teſte Eraſmo, proverbiali joco dici poſſunt vel nocturni potores: vel homines lucubrationum ſtudioſi, qui plus olei quàm vini abſumunt, ut dictum eſt de Demoſthene: vel ſordidi & parci, quaſi lucernario oleo victitantes: vel etiam ii, qui præpoſteram vitam agunt, cujuſmodi hominem Seneca deſcribit lib. 2. *Epiſt.* 122. cum *Lucifugam* appellans, qui quicquid hominum vulgus interdiu facere ſolebat, id faciebat ille noctu. Habuerunt Ethnici olim ſua pervigilia in Deorum ſuorum honorem, cujuſmodi fuit Veneris Pervigilium, quod tres noctes agebant in ejus honorem: Pervigilium Fortunæ, cujus mentio fit apud Suetonium in Galba cap. 4. Pervigilium Cereris apud Tacitum. Livius quoque lib. 23. pervigilii trinoctii mentionem facit, incertum cui Deo, aut Deæ: nec non Suetonius in *Caligula* cap. 54. & in *Vitellio* cap. 10. pervigiliorum meminit. Hodie Chriſtiani ſimul Bacchi, Comi, Cereris, Veneriſque pervigilia agunt, dum totam ſæpe noctem compotando comeſſandoque tranſigunt. De Cymbricæ Cherſoneſi incolarum pervigiliis Bacchicis, vide Janum Cornarium in libello, quo Germanorum atque Græcorum convivia inter ſe comparat. Sed illud in tota Germania, adeòque in toto orbe Chriſtiano hodie communi tritum eſt conſuetudine. Imò quod Tacitus de antiquis Germanis tradidit, diem noctemque continuare potando nulli eſt probro. *Væ* imprecatur Iſa. cap. 5. iis, qui maximè ſeſe ad indulgendum ebrietati expergefaciunt, & ad veſperum uſque perpotant, ita ut vino multo confecti & languidi, ebrietatiſque incendio combuſti jaceant. Quid dicendum igitur de iis, quorum hodie plurimi inter Chriſtianos reperiuntur, qui dies noctesque in compotationibus conſumunt. Illos manè ſomno ſolutos ſtatim jentaculum excipit, jentaculum ſequitur prandium, prandium merenda, merendam cœna, cœnam denique comeſſatio, quæ vel ad mediam noctem, vel ſæpe etiam ad diei ſequentis auroram protrahitur, ita ut neque Orientem neque Occidentem Solem videant. De Romanorum cœnis atque potationibus nocturnis ſuprà dictum eſt, unde crebro lucernarum fit mentio. Cùm ergo Syracides dicit, in tempore eſſe ſurgendum, docet prandia atque cœnas non debere nimis eſſe diuturnas, & in tempus longum produci, quod hodie inter Chriſtianos perquàm eſt uſitatum. Galli tamen, Hiſpani, Itali atque Angli brevioribus cœnationibus utuntur: raptim enim comedunt & plurima ſimul fercula apponunt. Turcæ quoque raptim comedere & brevi temporis ſpacio epulas ſuas abſolvere dicuntur. Germanorum contrà, Polonorum aliarumque nationum convivia, cum ſumma temporis, valetudinis fortunarumque jactura in longum tempus extenduntur.

Pervigilia in potu.

Hæc quoque dicta ſunt χαρίσια teſte Euſtathio.

Præstereà, ut Syracides hìc monet, maturè eſſe ſurgendum domumque eundum; ita contrà hodiè multi ſeſe vino nimio ita onerant atque obruunt, ut ſurgere amplius non poſſint, quin etiam ſæpe in ipſa menſa ſomno

Multi in ipſa menſa vino ſomnoque ſepulti jacent.

ſomno correpti, ſaccorum ſive ſtipitum inſtar atque truncorum jaceant, donec tandem auferantur. De his Cicero ita loquitur lib. *de Finibus*: *Nolim*, inquit, *mihi fingere aſotos, qui in menſam vomant, & qui de conviviis auferantur, crudique poſtridie ſe rurſus ingurgitent.* Claudium Cæſarem, teſtatur Suetonius, non temerè unquam triclinio abceſſiſſe, niſi diſtentum atque madentem: & ut ſtatim ſupino, ac per ſomnum hianti penna in os inderetur ad exonerandum ſtomachum. Idem de illo teſtatur Cor. Tacitus. Similiter L. Verus Imperator, teſte Julio Capitolino, in ipſo thoro convivali ſomno ſæpe corripiebatur, ita ut levatus cum ſtrommatibus in cubiculum perferretur. Sic Joan. ille Magnus Moſcovitarum princeps, in prandio plerumque adeò ſe potu ingurgitabat, ut ſomno opprimeretur: invitatis interim omnibus timore perculſis & ſilentibus: experrectus, oculos tergere, ac tum primùm jocari & hilarem ſe convivis exhibere ſolebat: teſtis eſt Sigiſmundus Baro in comment. *rerum Moſcovit.* Græcis ἀβεῖξαι eſt, teſte Suida, ἀπὸ βορᾶς νυστάξαι, ἢ κοιμηθῆναι, hoc eſt, *à ſumpto cibo dormire ſive cubare.* Eſt autem hujuſmodi in ipſa menſa dormiendi conſuetudo cùm vehementer incivilis, & plerunque voracitatis ebrietatiſque teſtis: tum ſanitati vehementer inimica & infeſta, de quo poſteà pluribus. Et tamen multi inter Chriſtianos reperiuntur aſoti, ut illos Cicero appellat, qui Imperatorum illorum impiorum imitatione, ubi ſe immoderato vino impleverunt, in ipſa menſa ſomnum capiunt, quo ſoluti, deinde rurſus ad immanes illas ſuas propinationes atque potationes redeunt. Excuſandi tamen hic ſunt multi, qui non ob nimiam cibi potuſque ingurgitationem: ſed vel ob ſenectutem, vel ob corporis valetudiniſque imbecillitatem, vel etiam ob vigilias præcedentes, ſomno ſæpe in ipſa menſa opprimuntur: quos tamen ipſos ſatiùs eſſet vel omni modo ſomno reſiſtere, vel etiam de menſa ſurgere, ne vel in gulæ, vel in ebrietatis ſuſpicionem inciderent.

Ἀβεῖξαι Græcis quid.

Obſervandum eſt prætereà, moris olim fuiſſe, ut homines tubis ad epulas convocarentur, & iiſdem rurſus quaſi receptui caneretur, id quod etiamnum hodie in Principum aulis fieri ſolet.

Conſideranda etiam hîc certa quædam convivatoris & convivarum officia.

Convivæ quomodo ſe gerere debeant quando è menſa ſurgunt.

Quoad convivas, ut non temerè ad epulas accedere debent: ſic nec temerè inde recedere, atque à menſa conſurgere, ne vel convivatori, vel convivis mali quid de ſeſe ſuſpicandi occaſionem præbeant. Conſurgendi quoque initium (quod nos vulgò appellamus den auffbruch machen) non quilibet, ſed ii potiſſimùm facere debent, qui cæteris ætate, dignitate auctoritateque præſtant, quique minima convivatori ſunt neceſſitudine juncti, nec niſi cum convivatoris venia. Quòd ſi qua te neceſſitas urgeat, ut nondum finitis epulis ſurgere atque diſcedere cogaris, cauſam tui diſceſſus afferes, veniamque ſummiſsè à convivatore, atque convivis petes. Sæpe etiam ſi in ebrioſorum, ac importunorum convivia incideris, vel fingere honeſtam aliquam ſurgendi è media cœna, abeundique cauſam licet, ebrietatem aliaque incommoda vitandi gratia, quo id ſine convivatoris atque convivarum offenſione, ſuſpicioneve ſiniſtra fieri poſſit. Ex illis quoque Syracidis verbis, *ſurge in tempore, & ne ſis ultimus*, videtur olim moris fuiſſe, ut non omnes ſimul conſurgerent ſeque domum reciperent, ſed alius poſt alium. At hodie honeſtiſſimus humaniſſimuſque hic videtur mos eſſe, ut omnes ſimul conſurgant è menſa, ſeque domum recipiant. Huc quoque pertinet, quòd multi ſæpe menſa conſurgunt, ſeque ad negotia quædam tranſigenda conferunt, pignoris loco cultello, aut alia re relicta, quibus peractis ad convivarum cœtum redeunt. Pueri etiam atque adoleſcentes hîc ſunt monendi, ex Syracidis præcepto, ut quando cum ſenioribus in epulis accumbunt, non ad extremum uſque menſæ affixi, ſed ſurgant nonnunquam & ſenioribus miniſtrent: de quo vide & Pontanum lib. 2. *progymnaſ.*

Convivator quomodo ſe in conſurrectione convivarum gerere debeat.

Quoad convivatorem, is omni modo ſuſpicionem hanc vitabit, ne videatur cupere convivas mox diſcedere, idque vel avaritia, vel moroſitate, vel malevolentia aliqua impulſus. Convivas itaque humaniſſimis verbis atque precibus ad diutiùs manendum epulandumque invitabit. Cavebit tamen idem, ne importunè vel omnes, vel certos quoſdam invitos & contra voluntatem commodumque ſuum retineat. Præſertim ſi adſint homines ſenes, mulieres gravidæ, minus bene vel corpore vel animo affecti ac conſtituti: denique quibus neceſſaria quædam negotia ſunt efficienda, illi non ſunt importunè nimis ac pertinaciter retinendi, ſed potiùs diſcedendi illis eſt venia atque facultas danda. Et hæc de convivii duratione atque conſurrectione è menſa opportuna ac tempeſtiva ſint dicta.

Manuum ablutio poſt epulas.

Nunc alia, quæ epulas finitas conſequi ſolent, perſequamur. Hujuſmodi eſt manuum ablutio (ἀπονίψασθαι id propriè dicitur poſt cibum ſumptum, teſte Polluce) quæ, ut olim, ita hodie quoque eſt uſitatiſſima & ante & poſt epulas: de qua quoniam ſuprà abunde eſt ſatis dictum, inde deſumes, quæ huc pertinet. De illius utilitate vide plura in *Schola Salernitana.* Fit autem hujuſmodi manuum ablutio aliquando convivis adhuc ad menſam ſedentibus: qui mos eſt in Gallia, Italia, Polonia, &c. aliquando poſtquam convivæ jam è menſa conſurrexerunt: qui communis eſt Germanorum mos & conſuetudo.

Manuum porrò ablutionem ſequebatur apud veteres libatio & extrema propinatio. Hinc Pallas, quæ ſe Mentorem finxerat, Menelaum ſic affatur Ὀδ. γ.

Jam miſcere merum ſacrum, jam cædite linguas
Libantes uti Neptuno, ſuperiſque beatis
Curemus ſomnum, vocat hujus temporis hora.

Sic Solon in illo Plutarchi convivio ſeptem ſapientum: *Pareamus*, inquit, *ſapientiſſimo Homero*,

Νὺξ ἤδη τελέθει, ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι.

Σπείσαντες οὖν μούσαις, καὶ ποσειδῶνι, καὶ ἀμφιτρίτῃ, διαλύωμεν εἰ δοκεῖ τὸ συμπόσιον.

Hoc eſt:

Jam

Jam nox incessit, nocti nos cedere verum est,
Libemus Musis, Neptuno, Amphitritæque.

Eoque peracto, si nobis videtur, dissolvamus convivium. Atque hic quidem fuit illius conventus finis: Ibidem sublatis mensis, sertisque à Melissa distributis nos quidem libavimus, & tibicina, cùm paululum ad vota nostra cecinisset, abiit. Verum de libationibus suprà satis dictum est: inde petes quæ huc pertinent.

Mos porrò fuit veterum poculo quodam certo, sive propinatione (Pollux πότον μεταδόρπιον vocat) cœnam claudere sive terminare: idque partim religionis sive superstitionis potius, partim amicitiæ ergò. Hujusmodi poculum, seu propinationem, & μετανιπτρίδα, διὸς σωτῆρος, & ὑγείας, & ἀγαθοῦ δαίμονος appellarunt: de quibus nunc quædam auctorum testimonia subjungam. Μετανιπτρὶς, inquit Pollux, κύλιξ ἐστὶν, ἣν μετὰ τὸ ἀπονίψασθαι ἐλάμβανον, hoc est, *calix est, quem post ablutionem scilicet manuum sumebant. Nomen autem*, addit idem, *habet non à certa poculi forma, sed ab ordine.* Idem: Καὶ κύλιξ μετανιπτρὶς ἡ ἐπὶ πᾶσιν, hoc est, *calix omnibus communis, quem etiam ἐπινιπτρίδα posis appellare.* Idem πότον μεταδόρπιον vocat. Eustathius Οδ. α. μετάνιπτρον κύλιξ, ἡ πόσις διδομένη μετὰ νίπτρον, ἤτοι μετὰ τὸ νίψασθαι, hoc est, *calix sive potio, quæ dabatur post lavationem.* Nicostratus in *Pandroso*, ut citatur ab Athenæo libro decimoquinto: [margin: De poculo seu propinatione ultima.] [margin: Μετάνιπτρον sive μετανιπτρίς.]

----- Κἀγὼ φιλτάτη
Μετανιπτρίδα (ia aliis exemplaribus est μετανιπτρίδα) δ' αὐτῷ τῆς ὑγείας ἔγχεον.
Λάβε τῆς ὑγείας δὴ σὺ φέρε τάχα ἀγαθῇ
Τύχῃ τὰ θνητῶν πράγματα. πρόνοια δὲ
Τυφλόν τι κἀσύντακτόν ἐστιν ὦ πάτερ.

Hoc est:

----- *Ego etiam amicissima*
Pocula sive poculum sanitatis ipsi implevi,
Cape tu sanitatis, fer bona fortuna.
Fortuna enim est rerum mortalium, providentia autem
Cæcum quid est, & incompositum ô pater.

Athenæus lib. 11. Μετάνιπτρον ἡ μετὰ τὸ δεῖπνον, ἐπὴν ἀπονίψωνται, μεταδιδομένη κύλιξ, hoc est, *Calix, qui post cænam datur, postquam se abluerunt:* qui mos & hodie religiosè servatur apud Britannos, teste Erasmo in *Adagiis.* Antiphanes in *Lampade*, δαίμονος ἀγαθοῦ μετάνιπτρον ἐντραγεῖν, hoc est, *Boni dæmonis metaniptrum comedere.* Diphilus in *Sappho*,

Ἀρχίλοχε δέξαι τήνδε τὴν μετανιπτρίδα,
Μεστὴν διὸς σωτῆρος καὶ ἀγαθοῦ δαίμονος.

Hoc est,

Archiloche sumas hanc metaniptridem statim,
Plenam Jovis servatoris atque Dæmonis boni.

Nonnullis verò τὴν μετὰ τὸ νίψασθαι πόσιν, id est, potum intelligunt, qui post lotionem datur. Ut Seleucus in *Glossis*, & Callias *in Cyclopibus*: καὶ δέξαι τήνδε μετανιπτρίδα τῆς ὑγείας, hoc est, *Cape hanc sanitatis metaniptridem.* Philetærus in *Æsculapio*, Ἐνέσεισε μεστὴν ἴσον ἴσῳ μετανιπτρίδα μεγάλην ὑπειπὼν τῆς ὑγείας τοὔνομα, hoc est, *concussit magnam metaniptrida planam par pari cùm addiderit, adjungens sanitatis nomen.* Philoxenus similiter, Dithyramborum Poëta, in cœna μετὰ τὸ ἀπονίψασθαι προπίνων τινὶ, hoc est, *cum lotis manibus poculo quendam provocasset*, inquit, σὺ δὴ τάνδ' ἐκβάκχιον (alii ἐκβακχία legunt) ἔνδροσον πλήρη μετανιπτρίδα δέξαι, πρόντιτοι βρόμιος, γάνος τὸ δ' ἄγεις, ἐς τέρψιν ἅπαντας ἔχει (alii ἄγει) hoc est, *Tu optimi roris Bacchici plenam metaniptridem sumito, priusquam, cùm Bromius lætitiam dederit, omnes in oblectationem inducat.* Antiphanes in *Lampade*,

Τράπεζα φυστημινεὶς (alii legunt φυστημιμένης) ἀλλὰ μὴν δαίμονος
Ἀγαθοῦ μετάνιπτρον.

Hoc est,

Conspersa physstis mensa, verùm Dæmonis
Boni metaniptrum.

Nicostratus in *Contradicente*,

Μετανιπτρίδα δ' αὐτῷ τῆς ὑγείας ἔγχεον,

Hoc est,

Infunde sanitatis ei metaniptridem.

Ex his constat μετάνιπτρον sive μετανιπτρὶς vocabulum esse generale, quo ultimum illud poculum sive potio post cœnam manuumque ablutionem significatur, quod idem etiam ὑγείας, διὸς σωτῆρος, ἀγαθοῦ δαίμονος, Ἑρμῆς, φιλοτησία appellabatur.

Ὑγείας poculum dicebatur forsan boni ominis ergò, quod illud sibi invicem bonæ valetudinis ergò propinabant. Pollux, ἦν δὲ καὶ ὑγεία ἱερά, hoc est, *erat autem sanitas sacra.* Pro sanitate quomodo olim propinationes fieri sint solitæ, & etiamnum hodie fiant, suprà dictum est. Athenæus lib. 15. *Post hæc cùm* [margin: Poculum ὑγείας.]

alii boni dæmonis, alii Jovis salvatoris, alii sanitatis sive valetudinis poculum poscerent. &c. Videntur autem hæc pocula fuisse diversa, pro diversis mixtionibus. De poculo ὑγείας, hoc est, *sanitatis*, suprà aliquot testimonia fuerunt prolata, quæ μετάνιπτρα ὑγείας appellantur. Vel forsan dictum sic fuit illud poculum, quòd ὑγεία sanitati, quam Græci ceu Deam coluerunt, cujus simulachrum apud Sicyonios insigne erat, fuit dedicatum.

Poculum διὸς σωτῆρος, sive σωτῆρος τελείου.

Dictum est etiam ultimum illud poculum Διὸς σωτῆρος, hoc est, *Jovis servatoris*, quòd nimirum illi erat dicatum, & in ejus honorem bibi fuit solitum. Pollux, *Crateres erant tres, primus Jovis Olympii, & Deorum Olympiorum sive cœlestium: secundus Heroum: tertius* Διὸς σωτῆρος τελείου, ὅτι ἐ τὰ τρία πρῶτος τέλειος ἀριθμὸς, hoc est, *Jovis servatoris perfecti, quoniam etiam tria primus sunt perfectus numerus.* Idem, ὥσπερ καὶ Διὸς ζωτῆρος κρατὴρ, ἱερὸς ἦν, hoc est, *quemadmodum etiam Jovis servatoris crater sacer erat.* Antiphanes apud Athenæum lib. 15. in *Agrestibus*:

Αρμόδιος ἐκαλεῖτο παιὰν ἤδετο
Μεγάλην Διὸς σωτῆρος ἄκατον ἦρέ τις.

Hoc est,

Harmodius vocabatur, pæan canebatur,
Magnum Jovis servatoris poculum cepit quis.

Ἄκατος proprie navis piscatoriæ genus: hîc poculum, ob formæ, ut videtur, similitudinem significat. Alexis in *Fœneratore*, seu *Mentiente*:

--- Ἀλλ' ἔγχεον
Αὐτῷ Διός γε τήνδε σωτῆρος θεῶν
Θνητοῖς ἁπάντων χρησιμώτατον πολύ.
Ο ζεὺς ὁ σωτήρ. ἐὰν ἐγὼ διαῤῥαγῶ
Οὐδὲν μόνης εἰ πείθε (aliter μέλοι σοι πῖθι) θαῤῥῶν.

Hoc est,

- - - - *Sed infunde*
Ipsi hunc servatoris Deorum
Mortalibus omnium longè utilissimum.
Jupiter Servator, quòd si ego conspersero, sive *disrumpor*
Id ne tu cures, bibito audacter.

Sic Pindari interpres, hunc veteribus morem fuisse tradit, ut Crater princeps Jovis diceretur Olympii, secundus Heroum (cujus rei etiam Plutarchus in *Causis* meminit) tertius διὸς σωτῆρος. Sophocles in *Nauplio*,

– – – Ζεῦ πανσίλυπε
Καὶ διὸς ζωτηρίου σπονδὴ τρίτου κρατῆρος.

Idem testatur Æschylus in *Epigonis*. Cælius lib. 28. cap. 6. hanc rationem reddit, cur calix tertius Jovi Soteri, sive Servatori fuerit nuncupatus, quòd nimirum is bibendi modus citra vinolentiam omnino substringebatur, ultrà progredienti, & largiùs hilariusque vinum ingurgitanti, non deerat intemperantis nota. Idem τέλειος dictus, à ternarii numeri perfectione, in quo sit principium, medium & finis. Dictum est igitur poculum Jovis Servatoris, eò quòd in illius honorem sub finem cœnæ bibebatur: de Jove autem, quem Græci σωτῆρα, Latini *Servatorem*, & *Conservatorem* appellarunt, atque coluerunt, vide plura apud Gyraldum in *historia Deorum*. Nos agnoscimus, colimus, atque veneramur solum Christum, ceu unicum, & verum nostrum Servatorem, qui sua morte atque sanguine nos ab æterna morte liberavit, atque redemit. Illius Servatoris nostri poculum, quod ipsemet nobis propinavit, & adhuc propinat, in Sacrosancta illius cœna bibimus, quod quidem verissimè διὸς, seu θεοῦ σωτῆρος ποτήριον appellare possumus.

Poculum ἀγαθοῦ δαίμονος.

Præterea poculum illud ultimum maximè communi & usitato nomine poculum ἀγαθοῦ δαίμονος, hoc est, *Boni dæmonis*, sive *Genii*, sive *Fortunæ* fuit appellatum, de quo sic Theophrastus scribit in lib. *de Ebrietate*, ut allegatur ab Athenæo lib. 15. *Vini meraci, quod in cœna datur, quod quidem boni dæmonis propinationem appellant, parum degustantes, in memoriam revocant quanta ipsius Dei sit vis, quantumque hoc illius sit donum. Ac postquàm impleverunt, dant quàm minimum haustum, & tertiò flexis genibus adorantes, ex mensa capiunt, tanquàm Deo supplicantes, ne quid designent a decoro alienum: neve vehementi aliqua illius potus cupiditate accendantur: sed hauriant ab illo ea, quæ honesta sunt, & utilia.* Philochorus similiter apud eundem de hoc potu sic scribit: *More, atque consuetudine fuit receptum, ut post cibos vinum meracum omnibus offerretur illud degustandi gratia, ceu* δεῖγμα τῆς δυνάμεως τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ, hoc est, *ad demonstrandam vim boni Dei, Reliquo autem omni convivii tempore vinum dilutius bibere consueverunt, & idcircò ipsas etiam nymphas Bacchi nutrices appellarunt.* Ex his Theophrasti, atque Philochori verbis videtur posse colligi, hunc vini puri, sive meraci potum, quem *boni Dæmonis poculum* nominarunt, & ab initio cœnæ, & in extremo convivio antequàm surgerent, asportarenturve mensæ, a convivis fuisse usurpatum. Moris autem fuisse, ut omnes in conviviis mensæ post ultimam illam dæmonis potionem removerentur, sive asportarentur, vel impium illud atque sacrilegum Dionysii tyranni facinus testimonio esse potest. Is enim cum Syracusis in Æsculapii phano aurea ante simulachrum mensa reposita esset, patera mero repleta, *propino tibi*, inquit, *Æsculapi boni dæmonis calicem,*

& cum

& cum dicto auream ſtatim menſam auferri juſſit. Hinc Pollux: ἀγαθοῦ ἢ δαίμονος (κύλιξ) ὁ μετὰ τὰς τραπέζας. Euſtathius Ὀδ. Ο. *Sciendum etiam præter illam libationem atque potationem in linguis, fuiſſe poculum quoddam, ut teſtatur Ælius Dionyſius, quod* ἀγαθοῦ δαίμονος *fuit appellatum*, τὸ μετ' ἄρσιν τραπεζῶν προσφερόμενον, hoc eſt, *quod ſublatis menſis proferebatur.* Aliter etiam de eadem ſic ſcribunt: ἀγαθὸς δαίμων ᾧ μετ' ἄρσιν τραπεζῶν ἔπινον. Hinc Nicoſtratus apud Athenæum:

Ἀλλ' ἐγχέασα θᾶττον ἀγαθοῦ δαίμονος
Ἀπενεγκάτω μοι τὴν τράπεζαν ἐκ ποδῶν
Ἱκανῶς κεχόρτασμαι γὰρ, ἀγαθοῦ δαίμονος
Δέχομαι. λαβοῦσ' ἀπένεγκε ταύτην ἐκ ποδῶν.

Hoc eſt,

Citiſſimè infundens boni ſed dæmonis
Hinc aufferat menſam mihi a pedibus
Ego ſatur nam ſum, bono ipſe dæmonis
Sumo, capiens aufferas hanc quæſo ſtatim.

Xenarchus in *Didymis* ejuſdem poculi his verbis meminit,

---- ὡς δέ ποτε
Νυστάζειν γε κἀυτὸς ἄρχομαι ἡ τ' ἀγαθοῦ δαίμονος
Συνέσεισέ μ' ἐκποθεῖσα φιάλη παντελῶς
Ἡ τοῦ δὲ Σωτῆρος τάχιστά γε
Ἀπώλεσεν αὐτὴν, καὶ κατεπόντωσέ μ'
Ὁρᾷς. ἔριφος μελίποια (aliter ὁρᾷς. Ἔριφος μελιβοίᾳ) ἐκπέπιη δέκας (aliter δέπας)
Πρὶν ἀγαθοῦ πρῶτον δαίμονος λαβεῖν, πρὶν Διὸς Σωτῆρος.

Hoc eſt,

--.--- *Quam bonum aliquando*
Connivere & ipſe incipio, & boni dæmonis
Excitavit me expetita phiala omnino,
Hæc autem Jovis Servatoris citiſſimè
Ipſam perdidit, ac immerſit me.
Vides. Eriphus in Melibæa. Ebibiſti verò
Priuſquàm boni dæmonis caperes, priuſquàm Jovis Servatoris.

Ariſtophanes quoque non ſemel ejuſdem potionis mentionem facit. Ut in *Equitibus*,

Μὰ Δί' ἀλλ' ἄκρατον οἶνον ἀγαθοῦ δαίμονος
Ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσώμεθα.

Hoc eſt,

Non per Jovem (ſcilicet taurinum ſanguinem bibemus) *ſed vinum merum boni dæmonis.*
Forſan enim boni quid conſilii capiemus.

Scholiaſtes, αἰρομένης τῆς τραπέζης μετὰ τὸ δεῖπνον, ἄκρατον περιεφέρετο, καὶ ἐκαλεῖτο ἡ κρᾶσις ἀγαθοῦ δαίμονος, hoc eſt, *Menſa ſublata, ſive remota, poſt cœnam merum circumferebatur, idque vocabatur mixtio boni dæmonis.* Aliter primum poculum boni dæmonis bibebant. Paulò poſt,

Ἴθι νῦν ἄκρατον ἐγκάναξόν μοι (ἔγχεε, ἐκκένωσον) πολὺν
Σπονδὴν λαβὲ δὴ καὶ σπεῖσον ἀγαθοῦ δαίμονος,
Ἕλκ' ἕλκε τὴν τοῦ δαίμονος πραμνίου, id eſt, τοῦ πρώτου·

Scholiaſtes, *Cum deberet dicere* δαίμονος τοῦ ἀγαθοῦ, *dixit*, πραμνίου, *quoniam vinum Pramnium eſt pretioſum*: de hoc plura ibidem. Paulò poſt epoto illo poculo inquit,

Ὦ δαῖμον ἀγαθὲ σὸν τὸ βούλευμ' οὐκ ἐμόν.

Et paulò poſt,

- - - - τοῦτ' ἀτὰρ τοῦ δαίμονος
Δέδοιχ' ὅπως μὴ τεύξομαι κακοδαίμονος,

Hoc eſt,

O bone Dæmon, tuum eſt hoc conſilium, non meum.
-----*Sed hic dæmon vereor ne mihi fiat cacodæmon.*

Ne propter hunc dæmona cadam in infortunium. Idem poëta in Σφῆκες.

Μηδέποτε πίοιμι ἀκράτου μισθὸν ἀγαθοῦ δαίμονος,

Scholiaſtes, *Cum debuiſſet dicere* ἄκρατον ἀγαθοῦ δαίμονος, *dixit* μισθὸν *mercedem innuens* τὸ φιλόδικον. *In more autem erat poſitum, ut quando menſa erat tollenda, boni dæmonis poculum ſorberetur, teſte Theopompo.* ἔθος

ἰὼ ὁπότε μέλλοι ἡ τράπεζα αἴρεσθαι, ἀγαθοῦ δαίμονος ἐπιρροφεῖν. Ejusdem poculi mentio fit quoque in *pace*:

Νῦν γὰρ ἡμῖν ἅπασι πάρεστιν ἀγαθοῦ δαίμονος.

Scholiastes, *Nam ut fertur, cœnati quidem sorbebant boni dæmonis potum: discessuri autem, bibebant Jovis Servatoris, cum dicerent, νῦν γὰρ σπεῖσαι ἢ πίνειν ἐστὶν ἀγαθοῦ δαίμονος πόμα*, hoc est, *Nunc enim licet nobis libare, sive bibere, boni dæmonis poculum.* Bonum autem hunc dæmona alii Fortunam, ut Eustathius, alii *Bacchum* interpretantur. Pausanias in *Arcadicis* testatur, ad sinistram viæ, quæ in montem ducit Mænalum, fuisse *ἀγαθοῦ θεοῦ ναὸν*, hoc est, *boni Dei templum.* Thebis boni dæmonis templum visebatur, & in Ionia, teste Apostolio secundus mensis dies boni dæmonis fuit appellatus. Cælius lib. 28. cap. 6. potionem in conviviis principem, præfatione *δαίμονος ἀγαθοῦ* solitam offerri scribit gustandam modò, quod foret meracioris. Dæmona autem etiam Liberum videntur multi accepisse. Postremam, quæ lymphatior erat, Jovis præfatione Liberatoris. Celebratum est & in Lemno ab Atheniensibus Seleuci Soteris poculum, quòd in eos fuisset beneficus. Siculus quoque Diodorus lib. 5. *Biblioth. Ajunt*, inquit, *quum purum in cœnis vinum datur, omnes Deum sospitem optare bibenti: at quum a cœna dilutius hauritur, Jovem vocari Sotera: nam puri vini potus ad insaniam redigit: aqua Jovis mixtus, voluptatem parit, ac lætitiam, & arcet insaniam.* Vide eadem apud Erasmum in *adagio Bonæ fortunæ.* Ex his videtur posse colligi primam potationem vini meraci ab initio cœnæ fuisse boni dæmonis: postremam, quæ erat lymphatior, Jovis Servatoris. Sed ex iis quæ suprà commemorata fuerunt, satis, meo judicio, constat illam meracam boni Dæmonis potionem non modò ab initio cœnæ, sed etiam postremò, sublata jam mensa, vel paulo antequàm illa tolleretur, fuisse adhibitam. Verisimile tamen est, alio atque alio tempore, & alias atque alias apud gentes diversam fuisse hac in parte consuetudinem, unde diversæ etiam sunt doctorum sententiæ.

De potu boni Dæmonis vide plura apud Gyraldum in Grypho ternario.

Porrò Pollux potum ultimum etiam Ἑρμῆν, id est, *Mercurium* fuisse appellatum testatur. Huic enim, Homerus inquit,

Πυμάτῳ σπένδεσκον, ------

Hoc est, *postremò libabant.* Athenæus similiter testatur Mercurio, non, ut postea fieri consuevit, Jovi perfecto surgentes à cœna prolibare fuisse solitos, quia est somni præses.

Φιλοτησίας. Poculum Tantali.

Nec verò in Deorum tantùm honorem, boni ominis, auspiciique causa ultima illa potatio fieri solita est, verùm etiam amicitiæ mutuæ testificandæ, sanciendæque causa, unde φιλοτησία fuit appellata. Pollux, *φιλοτησία πρόποσίς τις μετὰ τὸ δεῖπνον ὑπὲρ φιλίας*, hoc est, *Philotesia est propinatio quædam post cœnam, amicitiæ ergò fieri solita.* Dicebatur etiam *Tantali poculum*, sive *Philotesia.* Hinc Philostratus *de vita Apoll.* lib. 3. *Tantali poculum nobis bibendum est, inde somno indulgebimus.* Et paulò post, *Amicitiæ namque firmandæ, atque conciliandæ causa hujusmodi compotatio apud Indos inventa est: ita ut majoribus poculis sibi invicem propinarent cubitum ituri, pronis in phialas capitibus.* Ejus poculi initiatorem, & quasi pincernam faciunt Tantalum, quòd is φιλικώτατος ἐν ἀνθρώποις, hoc est, incredibili inter homines benevolentia, liberalitateque præcelluisse creditur.

Apud Hebræos quoque, uti supra dictum est, moris fuit, ut & ab initio cœnæ, & in extremo poculum vino refertum circumferretur, ex quo omnes biberent, quod quidem paterfamiliâs primo, oratione præmissa, degustabat, ac deinde omnibus mensæ accumbentibus porrigere solebat: de quo poculo ὑμνήσεως, Hebræis הלל *Halal*, quod erat ἀπολυτικὸν δείπνου, in cœnis solennioribus, usitato vide Scaligerum *de emendatione temp.* lib. 6.

Poculum ultimum quo se Christiani post epulas invitant.

Hic porrò Græcorum atque Hebræorum mos cœnam religioso quasi, & amico poculo terminandi ad Christianos quoque promanavit, qui apud Germanos in primis valde tritus est, & usitatus. Peracta enim cœna, postquam convivæ surrexerunt, & jam jam sunt discessuri, vel cubitum se recepturi, ingens phiala meracioris, generosiorisque vini circumfertur, ex qua omnes bibunt. Convivator atque convivæ se invicem hoc ultimo poculo invitant, atque salutant boni ominis, & amicitiæ ergò, quod poculum seu propinatio ultima vulgò *S. Johannis benedictio* ab aliis *Domini*, sive *Dei nostri benedictio* appellatur. Ab hac quoque consuetudine cœnæ mensa secunda à Germanis Schlaafftrunck / quasi dicas ὑπνοπόσιον, sive ὑπνοποσία appellatur, propterea quòd somni conciliandi causa potatio illa fiat, sitque somni prodromos: undè Græci quoque antiquitus in Mercurii honorem ultimam illam libationem propinationemque celebrare consueverunt, quòd illum somni προστάτην, hoc est, *præsidem*, atque conciliatorem esse crediderunt. Hujusmodi propinatio si moderatè fiat, non videtur esse improbanda: est enim amoris, amicitiæque mutuæ testis, atque symbolum. Verùm turpissimus hodie illius est abusus, ita ut non ἀγαθοῦ δαίμονος, sed κακοδαίμονος, ut Aristophanis verbis utar: nec benedictionis, sed maledictionis: neque etiam φιλοτησίας, sed ἀφιλίας potius poculum seu propinatio dici mereatur. Cogunt enim se invicem plurimi hujusmodi poculis, atque propinationibus ultimis, quas crebrò ingeminant, ad plus vini hauriendum, atque ingurgitandum, quàm par sit, & honestatis, sanitatisque ratio postulet. Et ad id abutuntur turpiter atque nefariè S. Johannis, ipsiusque Dei Opt. Max. nomine, nec non specioso amoris, amicitiæque prætextu: cùm tamen immoderatæ, immanesque illæ propinationes non S. Johannis, non Dei optimi maximi: sed Satanæ potiùs, atque Cacodæmonis ductu, impulsuque fiant, nec ad amicitiam, sed inimicitiam potiùs Dei, hominumque conciliandam spectent. Ut nihil dicam quàm multa sæpe animi, corporisque incommoda, ac detrimenta nascantur, ita ut verè illa pocula ultima maledictionis, non autem benedictionis causas appellare possimus. Nam qui hujusmodi vel S. Johannis, vel Dei benedictionibus, uti vulgò appellant, pleni sunt atque referti, nihil bene ampliùs vel cogitare, vel dicere, vel facere possunt; sed ad mala potiùs plurima cogitandum, loquendum, faciendumque proclives sunt, atque propensi. Iidem etiam, ut experientia quotidiana testatur, in plurima animi, corporisque mala, atque pericula incidunt. Atque hæc quidem

quidem satis sint dicta de ultimis poculis, sive propinationibus, quibus ut antiquitùs, ita hodie quoque prandia, atque cœnæ terminari solent.

Sed hîc quoque videtur moveri posse quæstio: *Sit ne cœna potu claudenda, & utile ne sit ante somnum potu uti*, qui ut ex superioribus constat, mos fuit veterum. De hoc Christophori à Vega sententiam, atque judicium subjungam: *Præterea*, inquit libro 2. *de Arte medic. sect.* 4. *an expediat mensas claudere potu, an cibo, scire oportet eum, cujus os ventris laxum est, aut cujus caput ex vini potu compatitur, egere cibo quopiam adstringente postremo loco; quem non sequetur potus. Quorum autem vênter siccus est, aut siti molestantur, non longè à cibo bibere debent, sed parum ad finem mensæ. Sic etiam eis, quibus nulla prava adest ventriculi affectio, convenit finito prandio, aut cœna, parum vini, si ita assueverint, sumere, ut postremus ille cibus è gula descendat, liquetur, & commisceatur aliis cibi partibus: aliis verò aquè similis potus conveniet: deinde os & dentes vino colluere omnibus erit ex usu: diluatur, si capitis malis tentantur, aliàs non. Celsus lib.* 1. *Ubi expletus est aliquis, inquit, facilius concoquit, si quicquid assumpsit, potione aquæ frigidæ includit, tum paulisper invigilat, deinde bene dormit. Hanc sententiam Celsus Pantimo interprete videtur deprompsisse ex Hippocrate, qui sic scribit libro* 3. *de Victu acut. Ubi timueris ne vel caput vehementer vino, morboque gravetur, vel mens etiam tentetur, tum vel aquam, vel vinum aquosum, & album, & neutiquam odorum exhibere, & deinde paulum aquæ superbibere convenit. Sic enim vini potentia non tàm facilè caput, mentemque attingit. Addit Pantimus: Perperam etiam non fecerint, qui pro aqua, è cidoniis malis conditi portiuncula, aut coriandri ex aceto præparati cochleari, aut citriorum succo, aut limonum, aut oxycanthæ, aut punicorum, aut istorum syrupis, aut demque adstringentis alicujus, maturique pomi esu ventriculi os occluserint, simul & vini exhalationem, ac vim refrænaverint, præsertim, si quis etiam inter quietem, ac somnum, & inter aquæ, vinique sumptionem paulisper invigilaverit. Idem paulò post: Confert quoque neque cœnam, neque prandium potu unquam finire, quin aliquid ex superioribus, aut quid escæ superedatur. Unde tritum illud,*

Sit tibi postremus semper in ore cibus.

Siquidem innatant cibi, illicò post cœnam si quis biberit, ita ut eos ventriculi corpus, propter interpositum humorem, non contingat. Quanquam rursus si quis sitibundus sit, prohibere illum in totum grave est, ita nec expediens, sed tantillum indulgendum, quod & molestiam soletur, & sitim levet. Postea verò quàm is nutrimentum concoxerit, abunde tum bibere quoque sinendus est: quippe potio celerrimè, si quis ita faciat, per corpus digeretur: à qua si mensam rursus inchoes, perfluit, nec sitim, cui dicata est, animali pellit. His observatis & caput minus offenditur, & omne corpus somno jucundius fruitur. Hæc ille.

An cœna potu terminanda.

CAPUT XXIV.

DE PRECIBUS ET CANTIUNCULIS POST COENAM. *DE MUTUA CONVIVARUM ATQUE CONVIVATORIS GRATIARUM ACTIONE. DE SALUTATIONIBUS ATQUE VALEDICTIONIBUS. DE MUNUSCULIS CONVIVIALIBUS, UT APOPHORETIS, ETC. QUOMODO CONVIVAE DOMUM SE RECIPIANT. DE MORE CONVIVAS DOMUM DEDUCENDI. DE LUCERNARUM USU, PARTIM INTER IPSAS EPULAS, PARTIM IN CONVIVIS DOMUM DEDUCENDIS.

* De hoc vide Pogghii dissertationem convivalem: Convivator ne an convivæ gratias agere debeant.

Porro veteres Græci, aliique populi soliti fuerunt, finita cœna, libationibus, sacrificiis, precibus atque cantionibus operam dare in Deorum suorum honorem: quibus quidem illi gratum suum erga illos, memoremque acceptorum beneficiorum animum testificabantur, de quibus suprà pluribus dictum est. Idem Hebræorum mos fuit antiquus, de quo suprà. Benedictionem, quæ post convivium fit, illi vocant ברכת מזון, hoc est, *benedictionem cibi*: Germanicè das groß *benedicite*, oder *gratias*: quam qui dicit, hunc poculum vino plenum dextera manu tenere oportet. Huc quoque referenda videntur esse Ecclesiastis nostri verba, καὶ ἐπὶ τούτοις εὐλόγησον τὸν ποιήσαντά σε, καὶ μεθύσκοντά σε (nota verbum μεθύσκειν hîc in bonam partem accipi, pro implere ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν αὐτοῦ.) His verbis monet nos, ut Deum vitæ nostræ auctorem, & conservatorem gratis animis celebremus, illique pro innumeris beneficiis, quibus nos cumulat, justas debitasque gratias & agamus, & habeamus animis nostris. Christiani primitivæ Ecclesiæ, teste Tertulliano, illas suas agapas, hoc est, cœnas charitatis plenissimas post aquam manualem & lumina, Psalmorum cantu, atque oratione terminare consueverunt. Hodiè contrà Christianorum plerique antiquorum illorum Christianorum dissimillimi, ita sese potu, vinoque nimio ingurgitant, ut omni ferè Dei creatoris, atque altoris sui abjecta memoria, nullas Deo gratias agant, neque etiam agere possint. Quin etiam ejusmodi hominum, seu porcorum potiùs preces Deo minimè gratæ & acceptæ esse possunt, quin potiùs invisæ ei sunt, atque odiosæ, ita ut imprecationes potiùs diræ ac funestæ, quàm preces appellari mereantur. Et hæc quidem est gratiarum actio sacra, quæ ad Deum refertur. Est autem alia quoque gratiarum actio civilis atque prophana, quæ inter convivatorem, at-

Preces & cantiones post cœnam.

Gratiarum actio prophana.

que convivas celebrari solet. Nam primò convivator, ut apud nos est moris, convivis suis humanissimè gratias agit, quòd ad epulas suas venire non sint gravati, illos rogat, ut earum tenuitatem æqui bonique consulant, non voluntatem sibi, sed facultatem illos liberaliùs pro illorum dignitate, atque meritis tractandi defuisse indicans: offert illis in posterum omnia sua studia, atque officia, se vicissim, suosque ut habeant commendatos, rogat. Deinde vicissim convivarum aliquis, qui dignitate, auctoritateque cæteris præstat, omnium nomine convivatori gratias agit pro officiis, beneficiisque sibi præstitis, illa verbis effert atque extollit, referendæ gratiæ animum ac voluntatem propensam illi defert ac pollicetur. Et hæc quidem mutua gratiarum actio ferè antequam è mensa consurgatur, fieri solet.

Salutationes & valedictiones multiplices.

Deinde antequam discedatur, variæ atque multiplices salutationes, valedictionesque honorificæ, & amicæ inter convivatorem, atque convivas fieri solent, idque partim verbis, partim gestibus, ut manuum contactu, & apprehensione mutua, osculo, complexu, (de quo suprà in tit. *de Salutatione*) partim etiam propinatione illa ultima, de qua suprà, quæ sæpe diuturna admodum est, atque odiosa. Eustathius Ὀδ. N. *ἀπιόντες οἱ παλαιοὶ ἀπὸ ξενοδόχων προσεφώνουν τὸ χαίρειν ἐπιδεχόμενοι.* Ita vetus quoque illud usurpatum fuit,

- - - - Ventum gaudeo ecastor ad te
Ita hodie hîc accepti fuimus suavibus modis.

Sic hodie quoque convivæ discessuri, & convivatori, & sibi invicem felicia, atque fausta omnia precantur.

Dona convivialia. Apophoreta.

Nunc dicendum de donis quoque, sive muneribus convivialibus, quæ ultro citroque dari solent. Antiquitùs moris fuit in splendidis, atque magnificis conviviis, ut munera à cœna convivis darentur domum deferenda, quæ quidem ἀποφόρητα Græcè fuerunt appellata, ἀπὸ τοῦ ἀποφέρειν, hoc est, quòd ad domum deferrentur. Sic enim Martialis ipse quasi explicans versus inscriptos *Apophoreta* ait,

Præmia convivæ det sua quisque suo.

Sed Justus Lipsius de apophoretis pulchrè scribit lib. 1. c. 16. *Satur.* & Jacobus Pontanus lib. 3. *progym.* Omnium autem luculentissimè D. Ambrosius in *Exhortatione ad virgines* ita scribit: *Qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta secum reportare consueverunt. Ego ad Bononiense invitatus convivium, ubi sancti martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis, & gratiæ reservavi.* Et in Epist. ad Rom. *Ad quod omnes invitati apophoreta duplicia consequuntur.* In Alexandri Magni convivio nuptiali cum novem mille fuissent convivæ, singulis data est phiala aurea ad libationes, ut testis est Plutarchus in ejus vita. Sic in Carani Macedonis epulo nuptiali convivis singulis, qui erant 20. numero, donata est argentea phiala, singuli etiam statim ab initio strigili aurea fuerunt coronati, teste Athenæo lib. 4. In Imperatorum Romanorum epulis crebra fit apophoretorum hujusmodi, sive munerum convivialium mentio. Julius Capitolinus Veri Imperatoris convivium describens: *Notissimum quidem ejus*, inquit, *fertur tale convivium, in quo primum duodecim accubuisse dicuntur, cum sit notissimum dictum de numero convivarum, septem convivium, novem verò convitium. Donatos autem pueros decoros, qui ministrarent singulis. Donatos etiam structores, & lances singulis quibusque donatas & viva animalia, vel cicurum, vel ferarum avium, vel quadrupedum, quorum cibi appositi erant. Donatos etiam calices singulis per singulas potiones murrhinos, & crystallinos Alexandrinos, ac quoties bibitum est. Data etiam aurea, atque argentea pocula, & gemmata. Coronas quin etiam datas lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus. Data & vasa aurea cum unguentis ad speciem alabastrorum. Data & vehicula cum mulabus, ac mulionibus cum juncturis argenteis, ut ita de convivio redirent. Omne autem convivium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus H. S. Hoc convivium posteaquàm Marcus audivit, ingemuisse dicitur, & doluisse publicum fatum.* Caligula, teste Suetonio, *Prasinæ factioni*, id est, aurigarum viridi panno insignitæ, (ut Veneta, quæ Veneto, id est, cæruleo, & marinis fluctibus simili: alba, quæ albo: rosea, quæ roseo panno fuit insignita) *ita addictus, & deditus, ut cœnaret in stabulo* (Prasinorum aurigarum) *assiduè, & maneret. Agitatori Cychico* (nomen est aurigæ factionis Prasinæ) *comessatione quadam* (luxuriosa, extraordinariaque post cœnam epulatione) *in apophoretis vicies sestertiûm contulit. Incitato* (aurigæ nomen) *equo* (propter equum) *præter equile marmoreum, & præsepe eburneum: præterque purpurea tegumenta, ac monile e gemmis, domum etiam, & familiam, & supellectilem dedit, quò lautiùs nomine ejus invitati acciperentur*, hoc est, tractarentur. Verbum est conviviis accommodatum, Virgilius,

Illos porticibus Rex accipiebat in amplis.

A. Vitellius, ut idem auctor testatur, Asiaticum libertum primo Imperii die aureis donavit annulis super cœnam. Heliogabalus, teste Ælio Lampridio, in conviviis eunuchos pro apophoretis dedit, & aureos millenos, & centena pondo argenti. Cibi quoque convivis domum deferendi nonnunquam dati fuerunt, id quòd vel ex illo Luciani convivio colligere licet: *Jamque nobis inferebatur ea convivii pars* (absolutam cœnam vocant) *singulæ singulis aves, carnes aprugnæ, pulpa leporina, piscis Tagenicus, placenta: breviter illa, quæcunque liberum est, seu velis in alvum condere, seu domum asportare malis.* Suprà quoque dictum est de antiqua consuetudine partes ex sacrificiis, epulisque domum deportandi. Hodie quoque similis ferè apud Germanos est consuetudo: nam convivæ, mulieres præsertim, certas quasdam ciborum reliquias, sibi à convivatoribus datas, domum deferunt, quas suis liberis dare solent. Laudanda est in primis illorum liberalitas, qui pauperes & inopes, quos convivio exceperunt, non modò in præsentia pascunt benignè, verùmetiam certas quasdam ciborum portiones illis dant domum asportandas, quibus sequenti quoque die vesci possint unà cum uxore sua, atque liberis. Nunquam enim satis benignitatis atque beneficentiæ in homines pauperes

ceu

ceu in ipſius Chriſti vicarios conferri poteſt, quæ quidem ipſum Deum & in præſenti & in futuro ſæculo remuneratorem habebit munificentiſſimum. Ut autem convivator ob hujuſmodi benignitatem erga homines pauperes laude eſt dignus: ita vituperatione digniſſimi ſunt ſordidi, & avari quidam convivæ, qui eo non contenti, quòd liberaliter, lauteque fuerunt accepti, inſuper audacter ſanè, & impudenter cùm cibos, tum etiam alia vel clàm, vel apertè domum tranſportant. Hinc Plutarchus in præfat. libri 4. *Sympoſ. Illiberale profecto eſt, & importunum, dare operam, ut aliquid ex convivio aſportes, amico auctum abire jucundum eſt, & honeſtum.*

Ut autem convivator convivis olim ſolitus eſt dare munera, atque dona domum referenda: ita viciſſim convivæ quoque nonnunquam quædam dare ſolent, antequam diſcedant. Illa verò vel ſunt debita, vel gratuita. Debita, ut ſunt ſymbolæ, collectæ, comeſſalia, uti vulgò appellantur, de quibus ſuprà. Gratuita, ut ſunt illa quæ gratuitò vel convivatori ipſi, vel familiæ dantur. Convivatori nonnunquam dona à convivis dari fuiſſe ſolita, vel illud exemplum ſatis docet, quod extat apud Xenophontem lib. 7. *de Expedit. Cyri*, ubi Seuthis Regis Thracum epulum magnificentiſſimum deſcribitur. Ibidem mos Thracum eſſe dicitur, ut qui a Rege invitantur, pro copiis ſuis ei dona dent. Itaque convivarum alius Regi ſimul propinando pocula, & barbaricos tapetas: alius equum album: alius puerum: alius veſtimenta ad uxoris uſum: alii alia atque alia dono dederunt. Apud Germanos multis in locis more eſt receptum, ut ancillis, atque famulis, ſive miniſtris præmiola pecuniaria dentur, quæ vulgò Leginen appellantur. Et hæc de munera ultrò citroque in epulis dandi, accipiendique conſuetudine.

Nunc tempus eſt ut convivæ ſe domum recipiant, de quo Syracides noſter hìc præcipit. Vult enim ut convivæ, præſertim adoleſentes, maturè domum ſe recipiant. Fit tamen ſæpenumerò ut convivæ in iis ipſis ædibus, in quibus cœnati ſunt, pernoctent: id quòd multis de cauſis accidere ſolet, quarum aliæ neceſſariæ ſunt, atque honeſtæ: aliæ inhoneſtæ, atque turpes. Honeſtæ atque neceſſariæ ſunt, ut cum convivarum aliquis vel eſt peregrinus, vel ſenio, vel morbo malè affectus: vel etiam ſi magna quædam ingruat tempeſtas, & via non ſit tuta, tunc convivator humaniter illos ad pernoctandum in ſuis ædibus invitabit, nec facilè exire patietur. Inhoneſtæ ſunt, ut cum quis vino potuque ita ſe ingurgitavit, ut pedes ad eundum non amplius officium ſuum facere poſſint, tunc quoque convivatoris humanitas nonnunquam poſtulat, ut miſeri illius hominis ſalutis rationem ducat, illum apud ſe retineat, ne quid illi mali in via accidat. Libro 2. Samuel. 6. capite, mentio fit magnifici epuli, quo David populum excepit, ibique ſub finem additur, finito epulo convivarum unumquenque ſeſe in domum ſuam recepiſſe, id quod non temerè, ut Ludovico Lavatero videtur in Commentariis in libros *Paralipomenon* fuit poſitum: *Vult enim*, ut ille inquit, *oſtendere Spiritum ſanctum, quòd cibis & potu non ita ſe ingurgitarint, ut incedere ampliùs non poſſent, ſed in domo regia, vel etiam in via ſubſiſtere cogerentur.* Hodie contrà, qui ex publicis, vel privatis conviviis veniunt, ita ſe vino onerant, ut neque manus, neque pes, neque lingua officium ſuum faciat. Et ut plauſtrum fœno, vel tritico onuſtum furcis ſuſtinere oportet, ne cadat, ita illi utrinque à comitantibus tantùm non ſunt fulciendi, ne in terram collabantur, ſecundum illud Ovidii tertio Faſtorum:

Dum redeunt titubant, & ſunt ſpectacula vulgi,
Et fortunatos obvia turba vocat.

Multi moram trahunt ad menſas, ut illo die domum redire non poſſint. Multi etiam cibo licet, vinoque benè paſti, atque diſtenti, non tamen ſe domum conferunt ad familiam ſuam: ſed vel in tabernas, atque cauponas, vel etiam in lupanaria ſe proripiunt, ibique cùm gulæ, & ebrietati, tum libidinibus turpiſſimis indulgent. Multi etiam per urbem volitantes, inſanis ſuis clamoribus, atque vociferationibus vehementer cunctis ſunt moleſti: obvios quoſque convitiis, atque calumniis inceſſunt, vi aperta, ſicariorum, atque latronum inſtar, invadunt, unde conflictus, vulnera, cædes funeſtæ ſæpè conſequuntur: turbæ quoque ſæpè, atque ſeditiones publicæ. Multi quoque ſæpenumerò vino ſomnoque ſepulti in viis, atque vicis publicis jacent, & frigoris vi extinguuntur. Non ſine cauſa igitur Syracides monet convivas, ut peracto convivio domum ſuam abeant, nec diutius moram trahendo & ipſi convivatori, & reliquis civibus negotium, atque moleſtias faceſſant, & ſe pariter, atque alios in maxima mala, atque pericula conjiciant. Videre etiam licet plurimos, qui licet non ita ſint vino onuſti, quin facilè commodeque ſe domum recipere poſſint, tamen quadam naturæ importunitate, atque moroſitate abire nolint, & in multam noctem moram trahendo convivatori, totique familiæ ſint moleſtiſſimi.

Convivatoris porrò eſt officium, dare operam, ut convivæ honorificè domum deducantur. Apud Romanos honorificum fuit domum comitatu aliquo deduci. Imperatores Romani, teſte Plutarcho in *Problemat.* poſt victoriam populum Romanum cœna triumphali in loco publico accipere conſueverunt: deinde ab eodem domum deduci. Id honoris, quoniam Conſulibus præſentibus, ipſis tribui non poterat, idcircò moris fuit, ut Imperatores invitarent quidem Conſules ad triumphale illud epulum, ſed poſtea eoſdem rogarent, ne venirent. Ac magiſtratibus tantùm, non autem privatis hominibus id honoris apud Romanos tributum fuiſſe, ex illo Ciceronis loco videtur poſſe colligi de Senectute: *Redeuntem*, inquit, *à cœna ſenem ſæpè videram, delectabatur cereo funali, & tibicine, quæ ſibi nullo exemplo privatus ſumpſerat, tantum licentiæ dabat gloria.* Quomodo juvenes Romæ cognatos, amicos, ſenatum ad curiam deducere, & domum reducere honoris ergò fuerint ſoliti, vide Valerium lib. 2. cap. 1. Quoniam autem antiquitùs apud Græcos, & Romanos, aliaſque nationes noctu potiſſimum convivia agitari conſueverunt, hinc ſæpè apud ſcriptores antiquos lucernarum

Mos convivas domum deducendi.

De lucernarum uſu, partim inter epulas, partim ad convivas domum deducendum.

Lucernarum nomina.

rum, atque lampadum fit mentio, quarum cum in ipſis epulis, tum in convivis domum deducendis maximus uſus erat. Itaque de illis quædam videntur dicenda. Apud veteres varia fuerunt, & multiplicia luminis inſtrumenta, quæ à Græcis, teſte Polluce, λύχνοι, λυχνίαι, λυχνοῦχοι, φανοὶ, λαμπάδες, λαμπτῆρες, δᾶδες appellantur. λυχνοῦχος Suidæ φανὸς, λαμπτὴρ, de qua voce vide plura apud Crinitum *de Honeſta diſciplin.* lib. 17. cap. 6. ubi docet, λυχνοῦχον non eſſe aliud, quàm laternam, quæ Græcè φανὸς, & λύκη dicitur, etſi facem, vel lucem quidam interpretantur. Perperam igitur quibuſdam in locis pro voce *lychnuchos*, *lychnos* ſuppoſuiſſe. Ut apud Suetonium in vita C. Julii Cæſaris, ubi dicit illum, cum dictator eſſet, Capitolium aſcendiſſe ad lumina elephantis dextra, ac ſiniſtra lychnuchos geſtantibus. Item in Domitiano, *Venationes*, inquit, *& gladiatores noctibus ad lychnuchos exhibuit.* Fuit etiam, teſte Polluce, λύχνος δίμυξος & τρίμυξος, & πολύμυξος, à duobus, tribus, pluribuſque angulis & naribus dictus. *Candelabrum*, inquit Varro, *à candela, ex his enim funiculi ardentes figebantur. Lucerna poſt inventa, quæ dicta à luce, aut quod id vocant Græci* λύχνον. Lucernæ aliæ ſunt cubiculares, aliæ triclinares, ſive epulares. *Cubicularis* dicitur, quæ in cubiculo tota nocte ardens ſervatur, de qua Martialis:

Lucernæ duplices.

Dulcis conſcia lectuli lucerna
Quicquid tuis facias, licet, tacebo.
Item, *O quæ prælia, quas utrinque pugnas*
Felix lectulus, & lucerna videt.

Apulejus exiſtimavit ab aliquo amatore inventam, ut cupitis per noctem dulcius potiretur. Turpis hic eſt, & libidinoſus lucernarum cubicularium abuſus: honeſtus contrà, ac nonnunquam neceſſarius eſt propter illos, qui periculoſis morbis decumbunt.

Lucernæ triclinares.

Lucernæ triclinares, ſeu convivales λαμπτῆρες ἐπιδόρπιοι appellantur, de quibus ſic ſcribit Euſtathius Οδ. Σ. in illa verba, αὐτίκα λαμπτῆρας τρεῖς ἵστασαν, ſcilicet famulæ procis. *Sciendum*, inquit Euſtathius, *illum hîc* λαμπτῆρας *appellare, quas agreſtes* λυχνίας *vocant, ſuper quas faces poſitæ in cœna accenduntur, ſive ligna arida,* διὰ τὸ ἀκαπνον, *quod nullum fumum edunt. Vel etiam ambo permixtim, ut etiam hîc ſit apud procos ſplendidos, idque ſecundum Heroicam frugalitatem, ad quod etiam* δμωΐδες, *hoc eſt, ſervæ, ſive ancillæ inſerviunt, ſecundum antiquum morem. Notum autem eſt apud Phæacas delicatiores lautioreſque fuiſſe* λαμπτῆρας ἐπιδορπίους, *quibus* δομητοὶ βωμοὶ, hoc eſt, *aræ, ſive altaria lucernarum ærearum loco erant. Pro famulis autem erant conflatiles ex auro pueri, faces manibus tenentes: qui cùm lumina menſæ inferrent, ſoliti fuerunt dicere: Vivamus, moriendum eſt.* Fuit olim, ut hodie quoque luminum hujuſmodi, ſive luminariorum epularium maximus luxus: quorum elegantem deſcriptionem habes apud Lucretium,

Luminariorum epularium luxus.

Si non aurea ſunt (inquit) *juvenum ſimulachra per ædes,*
Lampadas igniferas (hi ſunt lychnuchi) *manibus retinentia dextris*
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.
Nec domus argento fulgens, auroque renidet.
Nec citharis reboant laqueata, aurataque templa.
Virgilius, *Pendent lychni laquearibus aureis*
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

Apud Germanos quibuſdam in locis more eſt receptum, ut quando primum lumina in epulis accenduntur, atque inferuntur, omnes convivæ ſibi invicem bonum veſperum, ſive noctem, æternamque lucem à Deo precentur. Gott gebe uns das ewig liecht / quemadmodum Græci dicere ſolebant φῶς ἀγαθόν. Angli Deum, & S. Stephanum illatis primum luminibus epularibus invocare conſueverunt. Græcis frequentiſſimi fuit moris, quum inferretur lumen, religionis cauſa dicere, φῶς ἀγαθὸν, hoc eſt, *lumen bonum*, ut teſtatur Cælius lib. 15. cap. 15. Romani olim quando à cœna redibant, lumina ſolebant extinguere, ne conviviis, & voluptatibus viderentur immodicè indulgere. Abortus cauſam plerunque fieri, ut hoc obiter addam, odorem à lucernarum extinctu, teſtis eſt Plinius lib. 17. cap. 7. Plutarchus in *Quæſt. Rom. quæſt.* 75. quærit, *Cur Romani non ſoliti fuerint lucernam extinguere, ſed illam ultrò conſumi, atque extingui paſſi fuerint.* Ejus conſuetudinis has rationes affert: *Vel quòd eam venerabantur, ut cognatam, & germanam ignis perennis, & inextinguibilis. Vel quòd eo ſignificabant, animata, niſi noceant, interficienda non eſſe: animalis autem ſimilis eſt lucerna, quòd & alimento indiget, & à ſeipſa motum habet, & cum extinguitur, vocem edit, quaſi necata. Aut hic mos docebat, neque ignem, nec ullam rem neceſſariam, cujus copia nobis ſuppeditet, perdere nos debere, ſed aliis relinquenda eſſe, quibus uſus eſt iis, ubi nos non amplius indigemus.* Eædem rationes ab eodem auctore afferuntur lib. 7. *Sympoſ. Probl.* 4. & copioſiùs explicantur.

Secundus lucernarum uſus in domum deducendo.

Porrò alius lucernarum uſus eſt in convivis domum deducendis, de quo nunc dicendum. Miniſtri, qui illis prælucent, à Græcis λυχνοῦχοι, & λυχνοφόροι appellantur. Hujuſmodi fuerunt decem illæ virgines in Euangelio Matth. 25. quæ ad mediam uſque noctem ſponſum expectarunt, ut illum ad nuptias, ſive epulum nuptiale deducerent. Alludit ad morem veterum, quo ſponſa noctu ad ſponſi ædes ſolebat deduci: unde facum, atque tædarum nuptialium, ut à Cicerone in *Orat. pro Cluentio*, crebra apud auctores fit mentio. Servius in illa Virgilii *Eclog.* 8.

Mopſe novas incide faces, tibi ducitur uxor.

Faces intelligit, quæ ſolent præire nubentes puellas. Sanè Varro in nuptiis dicit ideò faces præire, quòd antea

antea non nisi per noctem nubentes ducebantur à sponsis, quas etiam ideò limen ait non tangere, ne à sacrilegio inchoarent, si depositurae virginitatem calcent rem Vestae, id est, Numini castissimo consecratam. Idem in illa *Æneid.* 4.

- - - - Fulsere ignes.

Varro dicit, aqua, & igni mariti uxores accipiebant: unde & hodie faces praelucent, & aqua petita de puro fonte per puerum felicissimum, vel puellam, quae interest nuptiis, de qua nubentibus solebant pedes lavari. Apud Plautum in *Casina* Olympio,

Primùm omnium lucebis novae nuptae facem.

Hoc est, facem praeferes, δᾳδουχήσεις, λαμπαδοφορήσεις, Suidas. Virgilius lib. 2.

Si non pertaesum thalami, taedaeque fuisset.

Cur autem quinque faces (tot etiam in Euangelio fit mentio, quae sponsum illum deduxerunt) non plures, neque pauciores fuerint adhibitae, rationes explicat Plutarchus in *Quaest. Rom.* Servus igitur qui taedam novae nuptae praeferebat, praelucere dicebatur, Graecè δᾳδοῦχος, Latinè *praelucens* dictus. Hinc Philostratus in *Epistol.* ὦ κακοὶ δᾳδοῦχοι ἔρωτος πρῶτοι μὲν ἡμῖν τὸ κάλλος ἐπυρσεύσατε, oculos alloquens per quos amor concipitur. Gentiles, teste Arnobio lib. 4. conjugalia secreta miscentibus luminis ministram, & lucernam modulatricem fecerunt. Haec de nuptiali lucernarum usu in sponsa ducenda. Juvenalis Satyr. 3. eleganter docet divites magna cum pompa, comitatu, & lampadibus deduci:

- - - - Cavet hunc, quem coccina lana
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo,
Multum praeterea flammarum, atque aenea lampas
Me, quem Luna solet deducere, vel breve lumen
Candelae, &c.

De lucerna, candelabro, cereo, candela, lampade, face, laterna, quid, & unde dicta, vide Isidorum lib. 20. cap. 10. Lacedaemonii ex Phiditiis suis sine face se domum recipiebant, ut testis est Plutarchus in vita Lycurgi, & in Laconicis. Et haec de convivarum reditu in domum suam, eosque deducendi, comitandique consuetudine sint dicta.

CAPUT XXV.

DE SOMNO, QVIETE, ET MOTV, SIVE EXERCITATIONIBVS ANIMI ATQVE CORPORIS POST CIBI POTVSQVE SVMPTIONEM ADHIBENDIS, VEL NON ADHIBENDIS.

Nunc consequens videtur esse ut de somno sive quiete simul, & de exercitationibus dicam, quae cibi potusque sumptionem consequi solent. Veteres, ut suprà explicatum est, cùm ipsi Somno, quem Deum putarunt, tum Mercurio, quem somni datorem, ac praesidem credebant, ut virga sua hominibus pro arbitrio suo somnum vel daret, vel auferret, à coena vinum, atque linguas libare consueverunt. Hujusce ritus meminit Apollon. 1. Argonaut. & Homerus aliquot in locis. Probabili autem sanè ratione ducti post coenam & ipsi somno, & ejus rectori, atque moderatori Mercurio (ut sibi falsò persuaserunt, nam verus, & unicus somni, vigiliarumque auctor est Deus Opt. Max.) sacra fecerunt. Nam quemadmodum Medici praecipiunt, ut cibum exercitatio debet praecedere, ita post cibum ad somnum converti est salutare, secundum illud Hippocratis *Labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia moderata.* Est autem somnus, si opportunè, moderateque capiatur, animo, corporique valdè utilis, ac salutaris. Is enim, ut omnes Medici unanimi consensu affirmant, ipsaque experientia docet, alimentorum concoctionem optimè adjuvat. Nam calor nativus eo tempore, quo dormimus, ad penetralia, visceraque intima contrusus, totusque collectus, circa viscera in cibis concoquendis egregiam operam navat, secundum illud Hippocratis 6. *de Morb. pop. part.* 5. *Labor articulis, & carnibus: cibus, & somnus visceribus.* Viscera enim roborantur, è quorum numero ventriculus est, qui calidior redditur per somnum, per vigiliam frigidior, teste Hippocrate lib. 6. *de morb. pop. part.* 4. Itaque animali quidem virtute tum quiescente, naturali verò vehementiùs operante, nutrimentum, non in ventre modò, sed etiam in tota animalis mole concoquitur, ut Galenus pluribus docet lib. 3. *de Causis sympt.* & 2. *de Muscul. motu.* Unde scitè admodum, eleganterque Plinius somnum definivit animi in medium corpus quendam recessum. Humectat igitur somnus (unde *irriguus* à poëtis dicitur,

De exercitatione, & somno post coenam.

De somno, & ejus utilitate.

Fessos sopor irrigat artus.)

nutrit, pinguefacit, & quod planè corruptum est, vel sudore, vel urina expellit, & si quae semicocta sunt, ea perficit, utiliaque reddit: ac bilem denique mirificè contemperat, quae multorum morborum est causa. Ut autem somnus concoctionem juvat, atque acuit, ita ipsam vigilia retundit, & obstupefacit, &, ut Hippo-

Hippocrates inquit, saturos lædit: at somnus eum, qui comederit, excalefaciens humectat, alimentumque per corpus diffundit. Itaque mirum non est, veteres post cœnam somno, Mercurioque libasse & sacra fecisse, & Homerum post epulas sæpè somni mentionem facere, quem epulati ceperint. Ut Ιλ. ω.

----- Τοὶ μὲν δόρποιο μέδοντο
Ὕπνου τε γλυκεροῦ ταρπήμεναι.

Et Ιλ. α. Deorum convivium describens, addit, illos eo finito post Solis occasum domum se recepisse, somnumque cepisse:

Ἔνθα πάρος κοιμᾶθ' (Juppiter) ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι
Ἔνθα καθεῦδ' ἀναβάς.

Verba Græca dormire significantia distinguuntur. Tria hîc simul ponuntur vocabula somnum significantia, nempe κοιμᾶσθαι, ὕπνος, & εὕδειν, quæ à nonnullis ita distinguuntur, quòd κοιμᾶσθαι propriè sit ad somnum se componere, quod Germani vocant Schlaffen gehn: ὑπνοῦν dormiendo respirare, Schnarchlen / ἀπὸ τοῦ ὑποπνεῖν· εὕδειν dormire, Schlaaffen/ à penetrando, quòd sopor omnes occupat sensim artus, totos sensus. Nec verò corpori tantùm, verumetiam animo somnus opportunus, moderatusque plurimum prodest. Ægritudines namque, omnesque curæ oblivione delentur, & ita animi pariter, & corpora laboribus defatigata, recreantur, atque reficiuntur, laboribusque renovantur. Hinc Homerus Ιλ. ψ.

Εὖτε τὸν ὕπνος ἔμαρπτε λύων μελεδήματα θυμοῦ,

Somni etymologia & Epitheta varia. Id est, καματηρὰς ψυχῆς μελεδῶνας, quæ sic videntur Eustathio dictæ, ὡς τὰ μέλη ἔδουσαι, καὶ τήκουσαι, quia membra exedunt, ac tabefaciunt. (ut Latini curas edaces volunt dictas, quasi cor edentes) Unde, ut idem testatur, & hoc in loco, & Ιλ. ω. rectè ὕπνον Grammatici volunt dictum, quasi λύπονον per aphæresin, & syncopen, παρὰ τὸ λύειν τοὺς πόνους, hoc est, *à solvendis laboribus*, quos dormientes non sentiunt. Quid si ὕπνος dictus sit, quasi ὑπὲρ τὸν νοῦν, quòd somno mens quasi obruta atque sepulta jacet, vel ab ὑπὸ & πόνος, quòd laborem somnus consequatur. Jacobo Zuingero, magni illius Theodori Zuingeri p. m. filio, verè patrizanti, ὕπνος quasi ἄπονος dicitur in thesibus, quæ de somno extant ab ipso doctissimè scriptæ, videlicet quòd somno oppressus videatur mortuo similis: juxta illud Epicteti Philosophi responsum quod Hadriano Imperatori quærenti, quid esset somnus dedit, *Mortis esse imaginem.* Alii tamen, quod videtur esse verisimilius, ὕπνον putant esse dictum παρὰ τὸ ὑποπνέειν, quod est *suspirare*, quod in dormientibus pulmo quidem non desit officio suo: tamen in benè sanis, molliùs, & submissiùs ducatur spiritus, ut in multis vix deprehendas πνεύματα, ac certum est ὑπὸ præpositionem in compositionibus quandoque significare remissiorem actionem. Ab ὕπνῳ nonnullis *somnus* videtur derivatus, quasi *sopnus*, prima aspiratione *so*, π in μ verso, euphoniæ gratia, ut ex ὑπὲρ *super*, ex ὗς *sus*, & similia. Et ut hîc ab Homero somnus λύων μελεδήματα θυμοῦ· ita alibi uno verbo λυσιμελὴς vocatur, quod etiam mortis est epitheton, cujus quidem somnus, ut Ovidius inquit, est imago, & ut Homerus loquitur, κασίγνητος, ut Seneca, frater, ut Virgilius consanguineus, ut Menander, μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια, Homerus Οδ. N.

Ὕπνος ἥδυστος θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς·

Cui simile illud Virgilianum,

Dulcis, & alta quies, placidæque simillima morti.

In sacris literis creberrimè mors ipsa somnus appellatur. Unde Christus de Lazaro mortuo loquens, ait: Lazarus amicus noster dormit. Mors est somnus, ex quo aliquando corpora nostra sunt evigilatura. Diogenes ut scribit Plutarchus, somnolentus, ac morti vicinus, excitanti ipsum Medico, & *num molestiæ quicquam pateretur* percontanti, *nihil molestiæ*, respondit, *mihi inest*, ὁ γὰρ ἀδελφὸς τὸν ἀδελφὸν προλαμβάνει, hoc est, *frater enim fratrem prævenit*, somnus videlicet mortem. Eustathius in illa Homeri Ιλ. ω.

----- οὐδέ μιν (Achillem) ὕπνος
Ἥρει πανδαμάτωρ, ἀλλ' ἐστρέφετ' ἔνθα καὶ ἔνθα.

Somnus ab Homero dicitur πανδαμάτωρ, quia omnes (Sic Seneca, *Tuque ô domitor, Somne malorum*) quem Simonides δαμασίφωτα, hominum domitorem: Orpheus superûm, hominum, & cunctorum animalium ἄνακτα, hoc est, *regem* appellavit. Pindarus *Pyth.* I. *antistr.* κελαινώπιν νεφέλαν vocat ἡδὺ κλεῖθρον βλεφάρων. Idem, λύπονος, λυσίπονος, λυσιμελὴς, λυσιμέριμνος, γλυκὺς, μελίφρων, ἀμβρόσιος ab Homero, & Orpheo fuit nominatus, quòd curas, & labores mortalibus solvit. Eandem ob causam Alexis somnum βροτείων πόνων παυστήρια, & alius poëta, καμάτων λιμένα, hoc est, *laborum portum* appellavit, qui idem non minùs eleganter, vereque & ὑγείαν τερπνοτάτην θεὸν βροτοῖς, καὶ σωφροσύνην εὐσεβείης γείτονα dixit, id est, *sanitatem jucundissimam mortalibus deam, & temperantiam pietatis vicinam.* Hæc Eustathius illo in loco. Huc quoque pertinet illud Homeri Οδ. E.

---- Τῷ δ' ἄρ' ἀθήνη
Ὕπνον ἐπ' ὄμμασι χεῦ' ἵνα μὶν παύσειε τάχιστα
Δυσπονέος καμάτου.

Cui simile est illud Senecæ,

Tuque ô domitor
Somne malorum (hinc πανδαμάτωρ Homero) *requies animi,*
Pars humanæ melior vitæ,

Volu-

Volucer matris genus Astreæ
Frater duræ languidæ mortis
Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem pessimus auctor,
Pelle insanos
Fluctus animi: redeat pietas
Virtusque viro.

Idem somnum curarum domitorem, portum vitæ, lucis requiem, noctisque comitem appellat, qui par regi, famuloque venit. Euripides, φίλον θέλγητρον, καὶ ἡδύ ἐνδέοντι. Menander, ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία, hoc est, *Somnus est corporis conservator.* Et, ὕπνος πᾶσίν ἐστιν ὑγεία βίου, hoc est, *somnus omnium vitæ sanitas est.* Et Ovidius ad somnum *Metamorph.* lib. 12.

Somne quies rerum, placidissime somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.

Verùm ut somnus si sit tempestivus, atque moderatus, animo, corporique apprimè conducit: ita idem, si modum excedat, maxima est animi, corporisque pestis, ὕπνος πολὺς, ut Plato inquit lib. *de legib.* 2. οὔτε τοῖς σώμασι, οὔτε ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν, οὐδ' αὐταῖς πράξεσι ταῖς περὶ ταῦτα πάντα ἁρμόττων ἐστὶ κατὰ φύσιν, id quod sequentibus pluribus docet, & explicat Martialis ad Sparsum, Somni immoderati & intempestivi incommoda.

Numerare pigri damna quis potest somni.

Hippocrates similiter somnum, atque vigiliam nocere affirmat, si mediocritatem excesserint. Nam vigilia, ut Hippocrates, & alii Medici testantur, si modum transgreditur, tum cibi, tum potionis cruditatem efficit, exiccat, extenuatque corpus. Somnus verò immoderatus, corpus, atque animum pessimis & humoribus & vaporibus, non modò in cerebro, sed etiam in omni reliquo corpore accumulatis, valde gravat. Pueros idcircò impuberes, ut inquit Varro apud Gellium, *Noct. Attic.* lib. 4. cap. 14. compertum est hebetiores fieri, si plurimo cibo, atque potu, nimioque somno uterentur, animadversum est sæpiùs hinc effici tarditatem, & corpora eorum improcera fieri, minusque adolescere. Huc quoque illud pertinet, somnum mortis esse fratrem, ut Homerus, & Hesiodus scriptum reliquerunt, & stygiæ paludis amatorem. Hinc somnus alius naturalis dicitur, alius non naturalis. Naturalis, qui concoctioni sufficit, & viribus naturæ reparandis: qualis à Medicis constituitur sex horarum, vel octo ad summum: hoc enim intervallo stomachi concoctio absolvi potest. Non naturalis est, qui corpus magis aggravat, & naturæ magis nocet: qualis est tum diurnus, tum nocturnus, modum excedens. Talis est κάρος dictus, hoc est, quædam dormiendi necessitas, & καταφορά, gravis somnus, torpor: λήθαργος, inexpugnabilis dormiendi appetitus, *veternus* Latinè. Latini ferè distinguunt inter somnum, soporem, & veternum: quæ vocabula similiter gradibus differunt. Apud Hebræos eodem ferè modo *Temnua*, *Schena*, & *Tardema* distinguuntur, teste Abenezra. *Temnua* enim significat capitis nutationem, prima quasi rudimenta somni, cui ferè respondet κοίμησις, ein nückly: *Schena* autem somnum plenum, qualis est ὕπνος, Der recht natürlicher schlaaff: *Tardema* profundus est somnus, qualis est sopor, sive veternus. Huic respondet καταφορά, aliàs κάρος, aliàs ἔκστασις, cujus fit mentio Gen. 2. de Adamo. Aquila hanc vocem vertit καταφοράν, Symmachus κάρον, 70. ἔκστασιν, & Gen. 12. 15. *Factum est cum occumberet Sol, & Tardema obruit Abrahamum*, 70. ἔκστασις ἐπέπεσεν. Somni non naturalis species. Somni nomina Hebraica distinguuntur.

Est præterea somnus immoderatus temporis jactura, honestissimarum, utilissimarum cogitationum, actionumque impedimentum. Hinc Eustathius in illud Homeri de Jovis somno, Ἰλιάδ. α.

Κοιμᾶθ' ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι.

Κοιμᾶσθαι Græcis usurpatur pro ὑπνοῦν, id est, *dormire*. Joannis 11. vers. 12. Et κεκοίμηται σωθήσεται Apostoli de Lazaro mortuo, quem Christus dixerat figuratè dormire, hoc est, mortuum esse. Homerus Ιλ. Τ.

Κοιμήσαντ' ἄρ' ἔπειτα καὶ ὕπνου δῶρον ἕλοντο.

Id est,

Dormiebant sanè deinceps, & somni donum acceperunt.

Ex hoc loco & superiore colligi potest, rectè Eustathium affirmare κοιμᾶσθαι propriè esse sese ad quietem componere, à κίω, & κίομαι, id est, *vado*, & *compono me ad rem.* Hinc sequitur τὸ ὑπνοῦν καὶ εὕδειν, id est, ipse dormientis actus, & somni fructus. Et ita secundum Grammaticos κοιμᾶσθαι propriè differt ἀπὸ τοῦ ὑπνοῦν καὶ εὕδειν.

Dulcem porrò Homerus hic somnum vocat eum, qui maximè est naturalis. Observabis præterea, non debere nos somnum temerè accersere, sed dormire, ὅτε ὕπνος ἱκάνει, τουτέστι, καταλαμβάνει, id est, *Somnus ipse venit, nosque occupat.* Quinetiam vir honestus atque probus, non modò non vocat somnum, sed illum etiam ultrò venientem arcet, atque depellit, quoniam non oportet παννύχιον εὕδειν σπουδαῖον ἄνδρα. Hoc Eustathius præceptum ait iis præsertim observandum, qui ad Rerumpublicarum, ecclesiarumque gubernacula sedent, secundum illud ipsius Homeri Ιλ. β. ubi Iris Agamemnona somno excitans: Plus vigilandum quam dormiendum Rerump. rectoribus.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

In

Nox consiliis apta.

In quem locum Eustathius scribit, *Oportet igitur principem etiam noctu nonnihil vigilare, consiliis, considerationibusque intentum esse, juxta proverbium,* ἐν νυκτὶ βουλή, *In nocte est consilium. Unde etiam nox* Εὐφρόνη *dicta est à veteribus*, id est, *prudens, propterea quòd eo tempore melius suadere videamur.* Unde Epicharmus, ἤ τι ζητεῖς σοφὸν, τῆς νυκτὸς ἐνθυμητέον. Hinc Euripides, ἤδη ποτ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ ἐφρόντισα. Et paulò post: ὡς τῶν καιριωτέρων σκέψεων, νυκτὸς μάλιστα φροντιζομένων. In bello præsertim somno quàm minimum est indulgendum, quoniam is cum maximis periculis solet esse conjunctus. Unde Nestor, vir summi consilii, maximique animi, Iliad. 10. vigiles his verbis alloquitur:

- - - - Vigilate viri, atque insistite curæ,
Ut facitis, somnumque oculis arcete nocentem.
Rebus in afflictis sævo ne forsitan hosti
Ludibrium, risumque incuria nostra pararit.

Unde in hanc sententiam plura apud Platonem libro septimo *de Legibus*, ubi non de principibus modò, sed etiam aliis civibus turpe, & inhonestum esse dicit, totam noctem dormiendo traducere. Socrates cum Aristippo disserens apud Xenophontem lib. 2. Ἀπομνημ. *illum*, inquit, *qui gubernandi artem discit, ne res propter ipsius somnolentiam detrimentum patiatur, in somno continentem esse oportet, ut possit & tardè dormire, & ante diluculum surgere, & vigilare si opus sit.* Augustum, testatur Suetonius, non ultrà septem horas dormire solitum, quo quidem spacio somnus plerunque circumscribi solet. Sunt tamen, qui breviori contenti esse possunt, ut senes, ut aridi, ut fame enecti, ut parum fatigati. Sunt item qui longiori indigent, ut pueri, pleni, crudi, laboribus fracti. Sed rectiùs alimentorum concoctione definitur, quæ ubi est consummata, expergiscimur, ideò tardè concoquentibus certum horarum curriculum præfiniri non potest, præstat enim eos in lecto morari, quàm crudos surgere. Unde Celsus lib. 1. *de Medic. Ex his, qui benè concoxit, mane tutò surget, qui parum, quiescere debet, & si mane surgendi necessitas fuerit, redormire. Qui non concoxit, ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitationi, neque negotio credere.* Huc pertinent illa Persii Satyr. 3.

Stertimus indomitum, quod despumare Falernum,
Sustineat. - - - -

Id est, tantùm est dormiendum, quantùm ad cibi vinique concoctionem sufficiat. Sylla teste Plutarcho *Symp.* lib. 8. *Prob.* 7. sub finem, illud Pythagoræ symbolum, quo e lecto surgentes jubebat conturbare vestem stragulam, existimabat pertinere ad dehortandum de somno diurno, sublato nimirum lecti apparatu, ut intelligamus noctu dormiendum, interdiu agendum esse, & ne vestigium quidem corporis in lecto relinquendum, cùm nullus usus sit viri dormientis, ut neque mortui. Celsus lib. 1. *de Med. longis diebus, id est, artificialibus, & æstivis meridiari, id est, de die sive meridie somnum capere potiùs ante cibum quis debet, sin minus, post eum, per hyemem potissimum totis noctibus conquiescere.* Hæc de somni mensura.

De somni tempore.

Quoad tempus, somnus alius est diurnus, alius nocturnus. Diurnus rursus duplex, alius ante meridiem, qui fit jejuno ventriculo, is tolerabilis est, nec omnino noxius. Non enim tunc superiora illa mala, atque morbi, vacuo ventre, & materia exhalationum non suppetente obrepunt: quò referri potest illud vulgò jactatum: *Esurienti vulpi somnus accidit:* & ὕπνος πεινᾶν τὸ κακὸν κάλλιον δαμᾷ, id est, *Somnus domat famem, malum, quod difficulter coërceri potest.* Verùm somnus jejunos attenuat, & frigefacit, corpusque exhaurit, & debilitat, ut docet Hippocrates lib. 2. *de Diæta.* Meridianus autem, sive pomeridianus a prandio, ceu capitalis valetudinis hostis, est fugiendus. Unde ille apud Plautum in *Mostell.*

Non bonus somnus est de prandio.

Cibos enim in ventriculo non concoquit, sed corrumpit, ructus acidos, flatusque parit, cerebrum multa crassa, mordacique humiditate, atque fuligine replet, unde gravedines, oscitationes, pandiculationes, vertigines, catarrhi, capitis dolores, anginæ, apoplexia, incubus, epilepsia, paralysis, & alii morbi frigidi, atque mortiferi promanant. Nonnulli tamen certis cautionibus adhibitis, mitiora, ac minimè periculosa illa sibi efficiunt: primùm consuetudine, & longo usu: deinde non protinus a cibo, neque capite demisso dormiendo: præterea vel somno plenius indulgendo, vel parum longo utendo: postremò non subitò, ac raptim, sed paulatim vigiliam revocando. Democritus, ὕπνους, ἡμερινοὺς, dicebat, σώματος ὄχλησιν, ἢ ψυχῆς ἀδημοσύνην, ἢ ἀργίην, ἀπαιδευσίαν, id est, *Diurnos somnos corporis turbationem, aut animæ mœrorem, aut pigritiam, aut imperitiam significare.* Somno accommodatissimum esse tempus nocturnum, Ægineta his rationibus probat, *Quoniam nox naturali humiditate, silentioque somnum accersens, absolutam molitur concoctionem.* Somnus nimirum in tenebris ocyùs obrepit, quod pro confesso sumit Aristoteles 6. *Proble.* 7. Interdiu vigilandum, noctu dormiendum esse docet Hippocrates 2. *Prog. a qua consuetudine si quis aberraverit, prior erit somnus*, inquit, *qui inter quartam horam & noctem, quàm qui matutino tempore ad quartam.* Quamobrem ne quid peccetur, & ut Deum (quod dici solet) sequamur, quoad fieri potest interdiu vigiletur, noctuque dormiatur æquè sanis, & ægrotis. Quanquam mane ad tertiam diei partem dormire, quàm reliquo die, minus malum videtur medicis.

Somnus non statim a cibo sumpto capiendus.

Avicenna quoque præcipit, parvam lentamque motionem post cœnam esse usurpandam, quoniam facit in stomacho cibum quiescere, mox esse dormiendum. Hoc præceptum secutus Cato Uticensis, post cœnam solitus est deambulare, peractaque deambulatione, in cubiculum se recipiebat, ut auctor est Plutarchus. Domitianus quoque Imperator a cœna ad horam somni nihil aliud, quàm secretò solus deambulabat, teste

Suetonio

Suetonio in ejus vita. *Somno cibos concoquere*, inquit Plinius lib. 11. cap. 53. *corpulentiæ, quàm firmitati utilius.* Ideò Athletas malunt cibos ambulatione perficere. Pervigilio quidem præcipuè vincuntur cibi. Somnus naturæ maximè est consentaneus nocturnus. Nox enim a Deo Optimo Maximo somno, & quieti est destinata. Unde nox ὑπνοδότειρα, μητὴρ ὀνείρων, εὐφροσύνη, τερπνή, εὐάνη, id est, *Somnidatrix, somniorum mater, jucunda, benè obvia, seu occurrens* a poëtis appellatur. Itaque perversè contra ordinem a Deo institutum agunt multi, quos λυχνοβίους, & *humanas noctuas* appellare possis, qui diem in noctem vertunt, & contrà noctem in diem: hoc est, noctu vigilant, & quidem non tam Musis, quàm mero, interdiu autem somno sunt dediti. Nec tamen statim à cœna somnus est capiendus, id enim valdè est perniciosum. Nam quemadmodum non statim ab exercitatione cibus est sumendus, sed prius turbatione sedata: ita quoque non statim a cibo sumpto est dormiendum, sed pauco quodam ad minimum duarum horarum, intervallo interposito, per quod levi motu, deambulationeve uti decet, ut cibus ad inferiorem ventriculi partem descendat. Aliàs enim fiet, ut cibus supernatet, tardiùs descendat, & coquatur: vapor autem tum multus, tum crassus ascendat, unde ingenii, memoriæque jactura, atque labes consequitur. Quibus actionibus a sumpto cibo incumbendum.

Hinc Plutarchus libro *de Sanitate tuenda, Nos autem medicis*, inquit, *pareamus, qui monent inter cœnam, & somnum semper faciendam esse quandam intercapedinem, ne congestis in corpus cibis, & oppresso spiritu, confestim crudo ac fervido alimento aggravemus vim concoctricem, sed respirationem, & relaxationem concedamus. Ergo sicut qui movenda post cœnam corpora affirmant, non cursu, aut pancratio id faciunt, sed lentis deambulationibus, & choreis modificatis. Ita nos quoque existimabimus a cœna animos nostros exercendos esse, non sanè negotiis, non curis, non sophisticis concertationibus, quæ ad ostentationem, aut animorum motus concitandos spectant. Sed multæ de rebus naturalibus quæstiones faciles, ac probabiles suppeditant, multæ narrationes, quæ ad disputationem de moribus faciant, quibus animus demulceri possit. Sunt historiæ, & poëticæ quæstiones elegantes, atque jucundæ, quas quidam hominum literatorum secundas mensas appellarunt. Sunt & narrationes* ἄλυποι *non molestæ, fabularumque recitationes. Terminus autem temporis hîc præfigitur, ut jam alimento sensim subsidente, quod concoctio elaborare possit. Hujusmodi animi exercitiis levioribus opera detur.* Porrò de Aristotelis sententia, ambulatio quidem exsuscitat, somnus autem statim a cœna captus suffocat calorem naturalem. Alii autem quiete adjuvari, motu perturbari digestionem nutrimenti putant, itaque aliis, ut à cœna statim deambulent, aliis ut quiescant, persuasum est. Utriusque consilii scopum non ineptè videtur attingere, qui fovens a cœna, quietumque servans corpus, animum non illicò otio & quieti mandat, sed, ut dictum est, dicendo, & audiendo ea quæ blanda sunt, & neque mordent, neque gravant spiritus, digerit, atque attenuat. Ac omnino Medici a prandio statim, atque cœna ab omni vehementi animi, corporisque contentione, exercitationeve abstinendum, ac leniusculis quibusdam exercitiis utendum esse suadent.

Celsus lib. 1. cap. 4. iis potissimum, qui capite sunt infirmo, aut alterius partis imbecillitate laborant, neque legendum, neque scribendum, nec voce contendendum esse docet post cœnam, post quam ne cogitatio quidem satis sit tuta. Idem cap. 5. ejusdem libri: *Cum omnibus*, inquit, *inutilis sit post cibum aut contentio, aut agitatio animi, tum tribus præcipuè, qui vel capitis, vel arteriæ labores habere consueverunt, vel quoslibet alios oris affectus.* Idem lib. 1. cap. 1. *Post multas potiones, quæ aliquantulum sitim excesserunt, nihil edendum est, post satietatem nihil agendum. Ubi expletus est aliquis, facilius concoquit, si, quicquid assumpsit, potione frigidæ aquæ includit, tum paulisper invigilat, deinde benè dormit. Si quis interdiu se implevit, post cibum neque frigori, neque æstui, neque labori se debet committere.* Idem, *Si lucubrandum, non post cibum id facere oportet, sed post concoctionem.* Ergo de Celsi aliorumque Medicorum sententia a cibo, donec is subsederit, atque à cruditate vindicetur, nihil est agendum, quo vel animus, vel corpus paulò vehementiùs, incitatiusque agitetur, neque legendum, neque scribendum, neque voce contendendum, neque verò cogitandum ulla de re attentiùs: nedum lucubrandum, saltandum, currendum. Spiritus enim plerique omnes, & calor concoctionis, & nutritionis soli opifices, cùm ex reliquo corpore, tum è ventriculo evocantur in ejus semper partis præsidium, quæ summoperè in laborem incumbit, ut in pedes, cerebrum, thoracem, artus, siquid illis præcipuè fiat, aut exerceatur: quò fit, ut cruditas cumprimis periculosa consequatur. Apollonius tamen in fine libri primi *de Diæta*, iis, qui calido temperamento sunt, mandat, ut post sumptos cibos actiones obeant, quoniam sic calor cibi temperatus eos stabiliores, ac rebus agendis aptiores reddit. Et hæc de somno sive quiete, & motu, sive exercitatione à prandio, atque cœna sint dicta. Quò referri potest illud Syracidis nostri, qui postquam præcepit de maturo reditu in ædes, addit, *Ludis esse indulgendum piis, & honestis.*

De ludo quoque Veneris (licito loquor atque legitimo) hîc quæritur, & disputatur à Medicis, num is à cibo, & ante somnum, an confecto jam cibo, & post somnum sit exercendus. Priorem sententiam tuentur Paulus lib. 1. cap. 35. Aëtius lib. 3. cap. 8. propterea quod si quis à cibo, & ante somnum concumbat, moxque se quieti, & somno det, minor virium resolutio sequatur, & si quæ facta sit, somno ea facilè resarciatur, & mulier id temporis somnum capiens genitale illapsum semen fortius retineat. Posterioris sententiæ fuerunt Hippocrates, & Galenus. Hippocratis hic est aphorismus, *Labor, cibus, potio, somnus, Venus*, &c. quo rectum concumbendi ordinem videtur tradidisse, ut labor quidem cibum, cibus potionem, potio somnum, somnus Venerem præcedat. Ergo Venus concocto jam cibo post somnum exercenda, ut lib. 2. *de Sanitate* Galenus tradit. Hæc sententia Valeriolæ magis arridet propter rationes, quas affert lib. 2. *Locorum communium*, cap. 13. De hoc vide Plutarchum *Problem.* 6. lib. 3. *Concubituris parcè cœnandum esse.* Mercurialis docet, in libro *Variarum lectionum* 2. cap. 15. & lib. 4. cap. 17. Omnino, ut huic quoque loco finem

imponam, ſi ſomno volumus frui placido, quieto atque ſalubri, ſobrietati eſt ſtudendum, contraque abſtinendum à cibo immoderato, nimiaque potione. Nam cœnam ἀφλέγμαντον, id eſt, nulla inflammatione turgentem, tenuem, atque frugalem, cujuſmodi Platonica fuiſſe perhibetur, ſomni ſequuntur καθαροὶ καὶ βραχυόνειροι. Contrà autem, qui immoderato cibo, vinoque onuſti quieti ſe tradunt, illi ſomnis ſomniiſque furialibus, inquietis, perturbatis, atque pernicioſis, & à natura alienis, vexantur, ut veterno, qui Græcis κάρος, *lethargus*, aut *coma* dicitur. Unde Apulejus lib. 1. *Næ meritò, inquam, medici fidi cibo, & crapula diſtentos ſæva, & gravia ſomniare autumant. Mihi denique, quod poculis veſperi* (cœna veſpertina) *minus temperari nox acerba duras & truces imagines obtulit, ut adhuc me credam cruore eſſe humano aſperſum, atque pollutum.* Interdum (ut Macrobius ait) temeto ingurgitatus, ac diſtentus cibo, exiſtimat ſe vel abundantia præfocari, vel gravantibus exonerari, interdum eſuriens cibum, ſitiens potum inveniſſe videtur. Multi etiam vigiliis torquentur, dum præ nimia paſtus, potuſque ingurgitati copia, ſomnum capere non poſſunt, iidem quoque ad omnes vel ſerias, vel jocoſas actiones, cogitationeſque minimè apti ſunt, atque idonei. Quid dicam, quod multi immoderato potu, paſtuque impleti, ubi ſomno ſe tradiderunt, repentino aliquo morbo oppreſſi, atque ſuffocati ſtatim exſpirant, & extinguuntur præciſa illis omni pœnitentiæ agendæ, & ideò veniæ petendæ facultate? Quænam igitur quæſo de illis ſalutis ſpes eſſe poteſt, qui ita hinc migrant? Unde apparet, in quantum vitæ atque ſalutis periculum illi ſe conjiciant, qui intemperantiæ, gulæ, ebrietatique ſunt dediti, quibus ſæpe ſomnus hic naturalis janua eſt ad æternum illum lethalem, funeſtumque ſomnum, hoc eſt, mortem æternam. Non ſine cauſa igitur Chriſtus nos monet, *ut vigilantes ſimus, atque ſobrii, ne corda noſtra graventur crapula, & ebrietate.*

Somnia ebrioſorum.

NOTA.

CAPUT XXVI.

DE RELIQUIARUM NOMINIBUS, USU MULTIPLICI, VARIA ILLAS VEL COLLIGENDI, AC RECONDENDI, VEL ABSUMENDI RATIONE. DE IIS, QUAE SUB MENSAM CADUNT, QUID FIERI SOLEAT.

Reliquiarum nomina.

Reliquum nunc eſt poſtremo loco, ut de reliquiis agamus, quæ ſæpenumerò novarum ſequentis diei epularum cauſa ſunt, ſive occaſio. *Reliquiæ* Latinè à *relinquendo* dictæ, Hebraicè משארה. Item שריד, שרית, שאר, & Jerem. 42. Deuteron. 28. Exod. 8. & נותר *nothar* Exod. 29. Levit. 7. appellantur, & נותרת *notarat* Levitic. 2.

Græcè λείψανα, λειπόμενα, κλάσματα ἀπὸ τοῦ κλάζειν, id eſt, *Frangendo*, cui reſpondet Germanicum, Bröcklin. Marci 6. περισσεῦον τῶν κλασμάτων, Matthæi 14. & Marci 8. περισσεύματα κλασμάτων appellantur. Arnobius *reliquiarum fragmina* vertit. Nonnus Joannis 6. κλάσματα περισσοβότειρα τραπέζης, & λείψανα πολύπλανα vertit: ubi mentio fit epularum miraculoſiſſimarum, quibus Chriſtus ingentem hominum multitudinem, paucis omnino panibus, atque piſcibus ſaturavit, ut Arnobius loquitur, reliquiarumque fragminibus duodecim ſportas implevit, quod quidem divinæ Chriſti virtutis certiſſimum fuit argumentum, ſecundum illud Theophylacti, περιουσία γὰρ δυνάμεως τὸ μὴ μόνον θρέψαι τοσούτους, ἀλλὰ καὶ περιττὰ καταλιπεῖν, id quod amplificat comparatione, & Moſis, qui licet Manna dederit, tamen quantum ad uniuſcujuſque neceſſitatem ſat erat, & Heliæ, qui cibavit viduam, ſed ad ſatietatem uſque. Chriſtus autem non modò populum ad ſatietatem uſque pavit, ſed etiam reliquiarum plurimum fecit. Eliſæum quoque legimus 2. Regum 4. viginti panibus hordeaceis centum viros ad ſatietatem uſque paviſſe, ita ut etiam reliquiarum aliquid fuerit. Verùm hoc non Eliſæi, ſed ipſius Dei virtuti ac benedictioni eſt acceptum ferendum, qui facillimè poteſt cibos & ad alendum efficaces reddere, & augere atque amplificare. Ideò ſcriptum: *Non ſolo pane vivet homo, ſed omni re, quam Deus juſſerit alere.* Ἀπολεγγύματα quoque Græcè cùm cibi, tum reliquiæ appellantur apud Athenæum lib. 14. ἀπὸ τοῦ ἀπολεγγεῖν, quod *comedere* ſignificat. Euſtathius Ὀδ. α. in illud Homeri: Εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα, χαριζομένη παρεόντων, παρεόντα βρώματα τὰ ἐν τῷ ταμείῳ ἀπόθετα, ἤτοι ἕωλα, τὰ γὰρ πρόσφατα ὁ δαιτρὸς παρατίθησιν: vel alio modo, παρεόντα vocat, τὰ ἐπὶ πολὺ παραμένοντα, ὁποῖα τὰ ἁλίπαστα, hoc eſt, *In penu recondita, ſive reliquiæ heſternarum, ſeu pridianarum epularum, nam recentia coquus ſive ſtructor apponebat: vel ſic vocant, quæ diu poſſunt durare, ut ſunt ſale ſive muria condita.* Hæc de nominibus.

De reliquiarum vario uſu.

Nunc de reliquiarum vario, atque multiplici uſu dicamus. Ubi primò obſervandum ipſis convivis diſcedentibus ſæpè, uti ſuprà quoque dictum eſt, multa ex reliquiis dari domum aſportanda. Laudanda quidem hac in parte eſt convivatoris liberalitas, præſertim ſi pauperes, & inopes ſint convivæ, quibus hujuſmodi reliquiarum partem aliquam impertit: ſed culpanda contrà convivarum nonnullorum ingrata ruſticitas, incivilis & agreſtis, tum avaritia, qui non contenti liberali potu paſtuque, quo fuerunt accepti, multa inſuper domum ſecum vel clàm, vel precatoriò deferunt, quæ quidem in familiæ, liberorum, ſervorum, ancillarum, pauperum uſum cedere potuiſſent. Apud Homerum, ut Athenæus libro 1. capite 4. notat, convivæ

convivæ reliquias non auferebant domum, ſed ſatiati illas relinquebant convivatori, quas conda colligebat, atque ſervabat, ut hoſpitibus advenientibus dandi eſſet facultas. Apud Romanos reliquiæ olim cedebant in ſervorum, atque vernarum uſum, quos illi non admittebant ad menſam, uti ſuprà pluribus fuit explicatum, & teſtis eſt I. Lipſius in *Saturnalib.* lib. 1. cap. ult. Hinc Plutarchus lib. 2. *Probl.* 4. inter alias cauſas, ob quas Romani nonnunquam conſueverunt menſam prorſus inanem tollere, hanc quoque affert, quod ſemper aliquid conſueverunt à cœna relinquere ſervis, illorum animos ſibi conciliandi cauſa, cum quibus menſam aliquo pacto communem habere viderentur. Idcirco Perſarum quoque reges, ut fertur, non amicis modò, & proceribus, ac ſtipatoribus ſolebant de cœna portiones mittere, ſed ſemper ſervorum quoque, & canum cœna in ipſorum menſa proponebatur, quò nimirum hujuſmodi cibi communicatione illorum opera tantò fideliori uterentur. Ejuſdem conſuetudinis Romanorum meminit idem auctor in *Quæſt. Rom. quæſt.* 64. Nec non Seneca lib. 11. epiſtola ad Marcellinum 18. his verbis: *Quemadmodum cœna peracta reliquiæ circumſtantibus* (miniſtris, qui ſervi ad pedes vocabantur) *dividuntur, ſic peracta vita aliquid porrigi his, qui totius vitæ miniſtri fuiſſent.* Item Suetonius in *Galba* circa finem: *Inter cœnam verò uſque eò abundantem, ut congeſtas ſuper manus reliquias circumferri juberet, ſpargique ad pedes ſtantibus*, id eſt, ſervis menſæ miniſtris. Alexandrum Severum, teſtatur Ælius Lampridius, ſemper de manu ſua miniſtris convivii & panem, & partes aut olerum, aut leguminum, aut carnis dare fuiſſe ſolitum, ita ut ſenili prorſus maturitate patremfamiliâs ageret. Paraſitos quoque olim hujuſmodi reliquias devorare fuiſſe ſolitos, Plautinæ Comœdiæ ſatis teſtantur. Unde Saturio paraſitus in *Perſa*:

Reliquiæ olim apud Romanos cedebant in uſum ſervorum.

Nunc huc introibo, viſam heſternas reliquias,
Quieverint rectè, nec ne: num infuerit febris.
Opertæ ne fuerint, nequis obreptaverit.

Et Curculio alius paraſitus in *Curculione*,

Et quidem reliqui in ventre cellæ uni locum,
Ubi reliquiarum reliquias reconderem.

Et Peniculus in *Menæchmis*,

Ibo etiam, nam reliquiarum ſpes animum oblectat meum.

Hodie apud Germanos, & alias nationes familiares atque domeſtici, ut uxor, liberi, ancillæ, menſæ miniſtri peracta cœna, ac ferè poſt convivarum diſceſſum, ex cibariorum reliquiis cœnare conſueverunt, cœna illa vulgò nachtiſch à Germanis appellatur.

Omnino autem epularum reliquias diligenter colligendas, cuſtodiendas, atque ſervandas eſſe cùm ipſe Chriſtus ſuo exemplo, atque præcepto, tum alii quoque viri cordati, atque ſapientes docuerunt. Chriſtus enim, ut Marc. 6. Matth. 14. ſcriptum eſt, reliquias epuli, quo magnam illam hominum turbam paverat, non tam cibo corporeo, quàm verbo ſuo à diſcipulis ſuis colligi, atque in ſportas duodecim recondi voluit, optimi ſcilicet & prudentiſſimi patrisfamiliâs functus officio. Plutarchus lib. 7. *Sympoſ. Prob.* 4. hanc quoque ob cauſam exiſtimat Romanos nephas duxiſſe menſam prorſus inanem tolli, quòd innuerent ſemper aliquid reſervandum in poſterum tempus, & hodie nos craſtinæ diei debere meminiſſe. Eodem illi videtur pertinere, & illud Pythagoræ ſymbolum, χοίνικι μὴ ἐπικάθιζον: *Chœnici ne inſideas.* Et illud vulgò jactatum, ἰχθὺς ἀποκείμενος, *piſcis repoſitus:* & illud tritum, ac pervulgatum Bœotorum dictum, λεῖπέ τι καὶ τοῖς Μήδοις: *Relinque aliquid & Medis. Perpetuò enim, & ubique*, addit idem, *in promptu nobis eſſe debet:* λεῖπέ τι καὶ ξένοις ἐπελθοῦσι, hoc eſt, *Relinque aliquid etiam hoſpitibus ſuperventuris.* His proverbiis monemur prudentis eſſe è cibis ſemper habere aliquid reliquum atque ſepoſitum, quò ſubitum excipias hoſpitem, nec Achillem Homericum imitari, ad quem cum Aiax, Ulyſſis legati, aut Priamus accedunt, domum, menſamque inanem atque famelicam offendunt, ut Ιλ. ο. & ω. ſcriptum eſt. Eumæus contra viri ſapientis alumnus ſapiens eſt imitandus, cui inopinatus ac improviſus Telemachi adventus nihil negotii moleſtiæve exhibuit. Statim enim ei ad menſam collocato cœnam appoſuit, lances apponens plenas: Οδ. Π.

Reliquiæ diligenter colligendæ atque ſervandæ.

Exemplum Chriſti.

Chœnici ne inſideas prov. verb.

Relinque aliquid Medis, proverb.

Ὀπταλέων, ἅ ῥα τῇ προτέρῃ ὑπέλιπον ἔδοντες.
Aſſatæ carnis, cœnæ de nocte priori
Reliquias.

Pontanus lib. *de Conviventia* cap. 4. *Ut autem Sullanæ*, inquit, *illæ in flumen dejectiones lautiſſimorum ciborum vehementiſſimè videntur improbandæ, ſic illud exigendum eſt, ut multa poſt cœnam ſuperſint, ac non modò poſtquam cœnatum eſt, reliquiæ ipſæ, ſed ex ipſa menſa, atque è culina epulæ intactæ ad amicos mittantur, quæque etiam à miniſtris diſpenſentur inter eos, qui ſpectatum venerint.* Hæc ille Apud multos viget mos hic planè Chriſtianus, ut reliquiæ vel maxima illorum pars mendicis, atque pauperibus diſtribuantur. Sæpenumerò quoque fit, ut reliquiæ illæ novarum epularum ſequentis diei cauſa ſint, & occaſio. Nam vel ipſi convivæ heſterni, vel etiam alii invitati ad reliquias illas abſumendum, comedendumque rurſus convenire ſolent, quod Germani die bröckly auffäſen / ſive ſtürmen / item / die ſpän eſſen / brenten rumen / ꝛc. appellant. Hinc etiam *prandium* nonnulli volunt dictum quaſi *perendinum*, quod illud ex cœnæ pridianæ reliquiis ferè fieret.

Huc

Sacrificiorum reliquiæ.

Huc quoque referendæ ſacrificiorum, quæ fuerunt quaſi epulæ quædam ſacræ, reliquiæ, quæ olim ſacerdotum erant apud ipſos quoque ethnicos. Hinc Ariſtophanis Scholiaſtes in *Pluto*, in illa verba:

Οὐκ ἂν τὰ νομιζόμενα σὺ τούτων (ſacrificiorum) λαμβάνοις.

Cario ad ſacerdotem Jovis: τοῦτο δέον εἰπεῖν τὸ δέρμα, καὶ τὰς κωλᾶς. ἐπειδὴ νόμος ἦν τὰ ἀπολειπόμενα τῆς θυσίας τοὺς ἱερέας λαμβάνειν, id eſt, *pellem dicere voluit, & anteriorem partem victimæ, quoniam more ſunt receptum, ut quæ ex ſacrificio reliqua fuerant, ſecerdotes acciperent.* Verum, ut de ſacrificiis Judæorum antiquis loquamur, de illorum reliquiis ſic ſcriptum legimus Levit. 7. verſ. 16. *Quod ſi votum, vel ſpontaneum fuerit ſacrificium, oblationis ejus diei, quo ille obtulerit ſacrificium ſuum, comedetur, & ſequenti die comedetur, quod ſuperfuerit ex eo. Quoad autem ſuperfuerit de carne ſacrificii die tertio, igni comburetur. Si autem comedendo comedatur aliquid de carne ſacrificii pacificorum die tertia, non placebit offerens illud, neque imputabitur illi, abominatio erit, & anima comedens ex eo, iniquitatem ſuam portabit.* Levit. 8. verſ. 32. Reliquias epularum ſacrificialium, quarum ſacerdotes erant participes, igni comburi præcepit: oſſa ſimiliter, quæ quidem nefas erat frangere, & carnium ſacrarum reliquias ex epulo Paſchali flammis adoleri, atque conſumi, nihilque in poſterum diem reſervari Deus voluit. Hoc, ut Theologi volunt, Deus ſignificare voluit, ea quæ mente capere non poſſumus, eò quod intelligentiam noſtram ſuperent, eſſe fidei flammis, & incendio committenda, nec ullo modo dubitandum, quin inſit in illis ſanctiſſimum aliquod ſapientiæ divinæ myſterium, aut à prudentibus jam ratione perceptum, aut certè opportunis temporibus enuntiandum, & ſimul intelligeremus, non eſſe tutum aliquid, quod ad veram animi ſanctitatem pertinet, differre, atque procraſtinare. Hic quoque obſervandum cœleſtis illius panis *Man* dicti (quo Deus olim admirabili ratione quadraginta annis, Iſraëlitas ſuos in ſqualido illo deſerto pavit) reliquias conſervatas in craſtinum diem vermes ebulliiſſe. Idem die ante Sabbathum largiter cadebat, ut poſſet duplum colligi pro ea die, & pro Sabbatho, quoniam die ſabbathi non inveniebatur. Quoniam verò in epuli illius Paſchalis locum ſucceſſit epulum dominicum, de illius quoque reliquiis commoda hìc ſeſe offert quædam dicendi occaſio, qua in re variam olim conſuetudinem fuiſſe reperio. Heſychius Nazianzeni diſcipulus explicans illud Levit. 8. *Quidquid reliquum fuerit de carne, & panibus ignis abſumet*, indicat ſui ſeculi morem fuiſſe, ut ſi quid omnibus communicatis reliquum eſſet, incenderetur, & cremaretur. Antiquitùs tamen legimus reliquias illas vel à clericis, vel etiam à pueris ludum literarium frequentantibus comedi, atque conſumi ſolitas fuiſſe. Huc facit canon ille vetuſtiſſimus Clementis Pontificis, quem B. Rhenanus in lib. Tertull. *de corona militis* citat, qui vetat Euchariſtiam aſſervari, is ſic ſonat: *Cum timore clerici reliquias corporis dominici debent cuſtodire fragmentorum, ne qua putredo in ſacrario inveniatur. Et ſi negligenter agendo proportione corporis domini noſtri Jeſu Chriſti presbyter minora non curat admonere officia, gravi anathemate percuſſus digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altari holocauſta offerentur, quanta populo ſufficere debeant: Quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſerventur, ſed cum timore & tremore clericorum, & diligentia conſumantur. Qui autem reſidua corporis domini, quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent ſanctæ Portioni commiſcere cibum qui per aqualiculos digeſtus in ſeceſſum funditur. Si autem mane Dominica portio editur, uſque ad ſextam jejunent miniſtri, qui eam conſumpſerunt. Et ſi tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperum. Sic ſecreta ſanctificatione æterna cuſtodienda ſunt ſacramenta. Præcipimus etiam ne cum extero eccleſiæ, ſive laico de fragmentis oblationum domini ponatur ad menſam. Unde ſcis tu, qui paſſim ſacrari panes indignis impendis, unde noſti, ſi a mulieribus mundi ſunt? Hactenus*, inquit Rhenanus, *Canonis Clementini verba retulimus. At hodie relictarum hoſtiarum abſumptores ſacerdotes ne momentum quidem unum abſtinent ab epulis, duntaxat ejus rei gratia. Adde quod putreſcentes particulas (ſic enim vocant) aut receptaculi vitio jam muſcidas ſumere coguntur, quas igni vetuſtas conſumebat, id quod hoc tempore piaculi loco haberetur, tum ex clericis nemo offendebatur.*

Cur Deus reliquias epularum ſacrificialium comburi voluerit.

De reliquiis cœnæ Dominicæ.

Nicephorus lib. 17. cap. 25. deſcribens hiſtoriam, de Judæi cujuſdam vitriarii puero, temporibus Juſtiniani circa annum Domini 250. narrat longo tempore conſuetudinem fuiſſe in Conſtantinopolitana Eccleſia, ut cum poſt communionem pluſculum de partibus immaculati, divinique corporis reliquum eſſet, non reſervaretur, ſed ex ludo litterario delecti quidam pueri acceſſerentur, qui reliquias illas ederent. Hæc conſuetudo ex Clementis canone paulo ante allegato intelligi poteſt, qui dicit reliquias illas eodem die eſſe conſumendas à clericis. Quando verò pluſculum ſupererat reliquiarum quibus conſumendis clerici non ſufficiebant, adhibebantur in Conſtantinopolitana etiam Scholaſtici. Hujuſce conſuetudinis non multò poſt mutatio quædam facta eſt. Concilium enim Matiſconenſe II. præcipit, reliquias, quæ poſt peractam communionem ſuperſunt, 4. vel 6. feria à pueris illis percipiendas eſſe: poſtea verò per integrum annum aſſervari cœperunt. Sed Humbertus Epiſcopus Sylvæ Candidæ contra libellum Nicetæ monachi, illum Græcorum ritum graviter reprehendit ex verbis inſtitutionis, & inter cætera inquit: *Legimus Dominum non imperfectam, ſed perfectam commemorationem ſuis diſcipulis tradidiſſe, pane benedicto, & mox fracto, atque diſtributo. Non enim benedixit tantum, & reſervavit frangendum in craſtinum, nec fregit tantum, & repoſuit, ſed fractum ſtatim diſtribuit. Unde Alexander martyr, & Papa ab Apoſtolo Petro, paſſionem Domini inferens canoni Miſſæ, ait: Hoc quotieſcunque feceritis, id eſt, benedixeritis, fregeritis, & diſtribueritis, in mei memoriam facietis. Quia quodlibet horum trium ſine reliquis fiat, ſcilicet aut benedictio ſine fractione, & diſtributione, aut fractio ſine benedictione & diſtributione, perfectam Chriſti memoriam non repræſentat, ſicut diſtributio nulla ſine benedictione, & fractione.* Hæc Humbertus. Gabriel Biel. in Canonem *Lect.* 26. allegans Paſchaſii ſententiam inquit, *Chriſtus volens diſcipulos ſuos fructus hujus ſacramenti participes fieri, poſtquam*

corpus

corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione, neque dedit discipulis, ut ipsum honorificè conservarent, sed dedit in sui usum, dicens: Accipite, manducate. Et quia per usum manducatio transit, & consumitur, dedit eis, quoties vellent, consecrandi potestatem, dum addit: Hoc facite in mei commemorationem. Extat liber continens explicationem Levitici, quem quidam Origeni, alii Cyrillo ascribunt. Ibi in explicatione cap. 7. *de carnibus sacrificii eodem die comedendis, ita ut non remaneret ex iis quicquam usque mane*, legitur descriptio moris Ecclesiastici, ex verbis institutionis cœnæ desumpta. Nam & Dominus panem, quem discipulis dabat, dicebat eis, *Accipite, manducate*, non distulit, nec servavit in crastinum. Ex his ergo omnibus adhuc commemoratis constat antiquissimum hunc fuisse morem, ut reliquiæ sacrosancti illius epuli à clericis, atque Scholasticis comederentur crastino die, vel etiam igne consumerentur. Idque forsan ad imitationem antiquarum illarum epularum sacrificialium, quarum reliquias partim à sacerdotibus die sequenti comedi, partim etiam igne consumi solitas fuisse dictum est. Posteà progressu temporis mos hic in Ecclesia invaluit, ut reliquiæ illæ cœnæ Dominicæ in longum etiam tempus asservarentur; ac primò quidem sub altari, ut canone concilii Turonensis Rhenanus probat: postea sacellis atque ædiculis ad illum usum extructis, quæ ædiculæ, sive domunculæ *sacramentaria* vulgò appellantur. Hanc asservationem posteà circumgestatio secuta est, festo in ejus honorem instituto, quæ omnia Innocentio III. & Honorio III. & Urbano IV. Pontificibus accepta feruntur, contra hanc reservationem vide testimonia Cypriani, Clementis, Origenis, Hieronymi, & Augustini, vide apud Joh. Juellum, volumine *contra Hardingum* artic. 9. p. 495. quæ omnia Theologis dijudicanda relinquo.

Apud Ethnicos veteres fuit sacrificium quoddam, quod vocabatur *Protervia*, in quo mos erat, ut si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc Catonis jocus est. Namque Albidium quendam, qui sua bona comedisset, & novissimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset, *proterviam fecisse* dicebat, hoc est, id quod comesse non potuit, combussisse. Macrobius *Saturn.* 2. cap. 2. *Luc. Sylla cum deposita dictatura universi sui patrimonii Herculi decimam consecrasset, splendidumque populo per multos dies epulum præbuisset, magnam quotidie cibariorum copiam, quæ reliqua fuerat, in amnem projici curavit, quam quidem conservari, & pauperibus distribui longè satius fuisset.* Athenæus ex Euripide tradit τὰ λείψανα, id est, *reliquias*, canibus objici solita: tametsi Brodæus libro primo *epigram.* Græcorum, ibi Athenæum de apomagdaliis, quæ, ut suprà dictum est, canibus objiciebantur, non de περισσοῖς, id est, *reliquiis*, quæ servorum erant, vult loqui. Hodie tamen Christiani magnam sæpè hujusmodi reliquiarum epularium partem canibus (quæ illorum est charitas) quàm vel ministris, atque famulis, vel pauperibus, atque mendicis communicare malunt. Sudini Borussiæ populi, apud quos succinum colligitur, facta messe solenne sacrificium pro gratiarum actione conficiunt, quòd Rutenica lingua *ozinck*, id est, *consummatio messis*, dicitur, in quo capro litant. Quo peracto, & apparatis dapibus, epulantur atque helluantur tota die atque nocte usque ad vomitum. Ebrii deinde summo mane extra villam progrediuntur, ubi reliquias epularum, quæ remanserunt, certo in loco terra operiunt, ne vel à volatilibus, vel à feris diripiantur, testis est Johan. Miletius in epist. *de relig. & sacrificiis veterum Borussorum* ad Georgium Sabinum. Apud Calecutienses mirabilis mos est, de quo sic scribit Ludovicus Roman. in sua historia *Ind.* Rex illorum, postquam edere desiit, sacerdotes quidquid est reliquiarum in certum quendam locum transferunt, & in humo nuda collocant, deinde manuum complosione corniculas aves nigricantes, quæ ad hujus usum aluntur, excitant, quæ hujusmodi signo dato in regias illas reliquias involant, illasque devorant. Sunt hæ aves sacrosanctæ, quas lædere nefas est, & idcircò liberè, tutoque passim volitant. Simili ferè more, atque consuetudine multi quoque Christianorum reliquias suas avibus, quas animi, venationisque gratia alere solent, objiciunt, quas pauperibus dari longè satiùs, & Christianæ charitati convenientius esset.

Hic quoque dicendum de iis, quæ de mensis decidunt in terram, quæ à Græcis ἀνάλεκτα, (voce Latinis quoque usitata) appellantur ἀπὸ τοῦ ἀναλέγεσθαι, hoc est, *colligendo*, propterea quòd illa olim manu colligi, non scopis everri solebant. Panis si è mensa in terram decidat, religiosè apud Christianos & cum osculo colligi solet: quod etiam apud Christianos primitivæ Ecclesiæ videtur moris fuisse. Unde Tertullianus *de corona militis*: *Calicis*, inquit, *aut panis etiam nostri* (communis) *aliquid decuti in terram anxiè patiuntur*: in quæ verba sic Beatus Rhenanus commentatur: *Propter crebram sacramentorum tractationem inolita illis fuit religio, etiam vulgarem panem, & vulgare poculum reverenter tractandi.* Apud Moscovitas panis est, quem *beatæ Virginis* vocant, quemque quodammodo consecratum venerari, atque etiam edere, denique vulgò in ædibus in loco eminentiore honorificè servare solent. Hujusmodi panis cùm fortè inter prandendum, quemadmodum Sigismundus Baro testis oculatus prodit, tentorio commoto in terram decidisset, princeps aliique omnes qui aderant, eo casu gravissimè obstupefacti stabant trepidantes. Mox accersitus fuit sacerdos, qui illum ex gramine summo studio & veneratione colligebat.

Porrò cœnarum purgamenta, & quisquilias ciborum sub mensam cadentes, Ethnicorum veterum superstitione tollere nephas erat, cum amicis defunctis atque heroibus essent consecrata: ut Athenæus docet lib. 10. τοῖς δὲ τετελευτηκόσι τῶν φίλων ἀπένεμον τὰ πίπτοντα τῆς τροφῆς ἀπὸ τῶν τραπεζῶν, id est, *amicis mortuis dabant cibos, qui de mensa deciderant.* Idem testatur Aristophanes in Heroibus teste Laërtio. Hinc Pythagoræ symbolum τὰ πεσόντα μὴ ἀναιρεῖσθαι, *quæ deciderint ne tollas*, sive, ut alii efferunt μηδὲ γεύεσθαι ἅττ' ἂν ἐντὸς τῆς τραπέζης καταπέσῃ, id est *ne gustes, quæcunque de mensa deciderint.* Hoc symbolo, ut docet Erasmus in *adagiis*, admonet, ut assuescamus moderatiùs cibum sumere. Sic veteres Borussi in epulis suis funebribus de unoquoque ferculo aliquid sub mensam jacere solent, quo animam pasci credunt, eique potum

effundunt. Si quid forte deciderit de mensa in terram, id non tollunt, sed desertis (ut ipsi loquuntur) animabus relinquunt manducandum, quæ nullos habent adgnatos, vel amicos viventes, à quibus excipiantur convivio. Hæc scribit Johan. Miletius in epistola ad Georgium Sabinum de religione, & sacrificiis veterum Borussorum. Libet hic interserere integram, quæ in eadem epistola continetur epularum funebrium descriptionem, quæ ad illa, quæ in primo libro de hujusmodi conviviis sunt dicta, illustranda plurimum conducent.

In funebribus hic, inquit, *servatur ritus à rusticanis: defunctorum cadavera vestibus & calceis induuntur, & erecta locantur, super sellam, cui assidentes illorum propinqui, perpotant ac helluantur, epota cervisia, fit lamentatio funebris, quæ in lingua Rutenica sic sonat:* Ha le le, le le, y procz ty mene umarl? Ha le le, le le ij za tij nie miel krass ije mlodzice? ij procz tij umarl? Id est, *Hei hei mihi. Quare mortuus es? Num tibi deerat esca aut potus? Quare ergo mortuus es? Hei hei mihi: An non habuisti formosam conjugem? Quare ergò mortuus es? &c. Hoc modo lamentantes enumerant ordine omnia externa illius bona, cujus mortem deplorant: nempe liberos, oves, boves, equos, anseres, gallinas, &c. Ad quæ singula respondentes, occinunt hanc Næniam*, cur ergo mortuus es, qui hæc habebas?

Post lamentationem dantur cadaveri munuscula, nempe, mulieri fila cum acu: viro linteolum, idque ejus collo implicatur. Cum ad sepulturam effertur cadaver, plerique in equis funus prosequuntur, & currum obequitant quo cadaver vehitur: eductisque gladiis, verberant auras, vociferantes Gey geythe begaythe peckelle, *id est, aufugite vos dæmones in infernum. Qui funus mortuo faciunt, nummos projiciunt in sepulchrum, tanquam viatico mortuum prosequentes. Collocant quoque panem, & lagenam cervisiæ plenam ad caput cadaveris in sepulchrum illati, ne anima vel sitiat vel esuriat. Uxor manè & vesperi, Oriente & Occidente sole, super extincti conjugis sepulchrum sedens vel jacens, lamentatur diebus triginta. Cognati verò ineunt convivia die tertio, sexto, nono, & quadragesimo à funere. Ad quæ convivia animam defuncti invitant, precantes ante januam. In his conviviis, quibus mortuo parentant, taci:è assident mensæ tanquam muti, nec utuntur cultris. Ad mensam verò ministrant duæ mulieres, quæ hospitibus cibum apponunt, nullo etiam cultello utentes. Peracto prandio, sacrificulus surgit de mensa, ac scopis domum purgat: animasque mortuorum cum pulvere ejicit, tanquam pulices, atque his precatur verbis ut e domo recedant*, Jelii pilii dussicæ: nuwen, nuwen: *hoc est, edistis ac bibistis animæ dilectæ: ite foras, ite foras. Post hæc incipiunt convivæ inter se colloqui & certare poculis. Mulieres viris præbibunt, & viri vicissim mulieribus, seque mutuò osculantur.*

De hac oblatione ciborum super tumulos defunctorum meminit etiam Augustinus sermone 15. *de Sanctis*, cujus verba hæc sunt: *Miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ, carnales cibos requirant. Epulas enim & refectiones caro tantùm requirit. Spiritus autem & anima iis non indigent, parare aliquis suis charis dicit, quod ipse devorat, quod præstat ventri, imputat pietati*, &c. Hactenus Augustinus.

Hæc porrò (ut illuc, unde digressus sum, revertar) quæ sub mensam ceciderant, olim scopis à servis everrebantur, dum subtegulanea pavimenta in usu erant. Postea verò asarotis inventis cessavit usus scoparum, & manibus colligi purgamenta cœperunt, pavimenta verò spongiis mundari. Martialis *Epigram.* 7.

Colligere longa turpe, nec pudet dextra
Analecta, & quidquid canes reliquerunt.

Et alibi: *Otia, sed scopis nunc analecta dabunt.*

Cælius lib. 13. cap. 31. *Analecta* inquit, *in Epigrammatario poëta sunt reliquiæ sub mensa, quæ quod colligi debeant, id sunt sortitæ nomen, quamvis etiam pro instrumentis, ad ipsum destinatis quidam interpretari maluerint.* Servi, qui illo munere fungebantur, scilicet analecta colligendi, verrendive analecta, ἀνάλεκ), *analectæ*, fuerunt appellati. Eodem nomine Cælio teste lib. 13. cap. 31. per translationem fuerunt dicti, qui multa lectione exercitati memoria sunt firmissima, ita ut quidquid unquam aut legerint, aut audierint, habeant in promptu, & ad manum scilicet in numerato. Nomen deductum est à verbo ἀναλέγεσθαι, quod inter alia significat, ἀναμφιβόλως ἔχειν καὶ ἐννοεῖσθαι, id est, *memoria concipere, & firmiter retinere.* Sabino suasit Satellius Quadratus, ut grammaticos haberet analectas, qui memoriæ, ingeniique subsidium domino essent futuri. Quidam analectas his interpretantur doctissimos, qui omnia ad manum, & in numerato habeant: alii eos, qui minutissima quæque colligunt ex auctoribus. Neutris se assentiri dicit Turnebus in suis *Adversariis*, sed potiùs existimat sanna quadam derisum ab eo Sabinum fuisse. Ut enim *analectæ* servi dicebantur, qui reliquias cœnæ, aut ea quæ ceciderant de mensa, colligere solebant, (ea autem *analecta* dicebantur) sic cùm ipse Sabinus inter cœnandum in versibus, quos subjectos referebat, subinde excideret, *Quadratus festivè dixit*, ei grammaticis analectis opus esse, qui colligerent eum cadentem, & verba quoque ei excidentia inter cœnam redderent. Pollux denique libro sexto, capite decimoquinto, copiosè docet servos omnes ciborum reliquias in solum projectas, ut lactucæ folia, carnium ossa, conchyliorum, ostreorum, cancreorum, atque piscium testas, fructuum rejectamenta (quæ μίσκοι, & κορήματα appellantur) spongiis, aliisque instrumentis colligere, atque in corbos, sive sportas quasdam (quas ἀῤῥίχους, κοφίνους, σπυρίδας, σπαρίχνια, φερνία vocat) reponere fuisse solitos. Et hæc de reliquiis.

Tandem aliquando hoc meum antiquitatum opus Dei ope auxilioque absolvi, & ad finem perduxi, quo sanè nomine gratias illi meritò ago & habeo ingentes. Eundem præterea precor, ut hosce meos labores ad

suam

suam gloriam, reique publicæ litterariæ utilitatem dirigere, & adversus omnes malevolorum ac invidorum morsus atque calumnias tueri dignetur. Postremò, id quod in toto hoc meo opere sæpissimè feci, omnes veros Christianos, qui suæ salutis cura tanguntur, sedulò admoneo, ut ab immanibus & insanis, quæ hodie passim dominantur, compotationibus comessationibusque, ceu certissimis animi corporisque pestibus, abhorreant: illas cane pejus & angue oderint, execrentur, fugiant. Contrà operentur, secundum Christi Johan. 9. præceptum & exemplum, cum cibum, qui non perit, sed permanet ad vitam æternam, hoc est, ipso Christo interprete, divinæ voluntati totos se addicant, & ad illius jussa atque mandata, quæ nobis in suo verbo præscripsit, exsequendum paratos sese promptosque præbeant, quò tandem æterni illius & immortalis Johan. 5. epuli, quod in amplissimo amœnissimoque cœli palatio electis ab æterno adornavit, participes fiant. Ad illud nos, contemptis repudiatisque omnibus corporeis hujusce seculi cupediis, lautitiis atque delitiis, non fragilibus modò atque caducis, verùmetiam pernitiosis, toto pectore aspirare atque contendere debemus. In illo namque cœlesti triclinio unà cum Abrahamo, Isaaco atque Jacobo, hoc est, cum omnibus electis ad mensam illam immensis delitiis atque voluptatibus cumulatissimam, in ipsius gratiæ & amoris divini sinu, ceu lectulo mollissimo, securè recubabimus. Ibidem ab omnibus peccatorum repurgata sordibus, candida innocentiæ, justitiæ, atque salutis veste ornati, ipso Deo, ceu vero nectare & ambrosia, assiduè saginati, unguentis Spiritus Sancti fragrantissimis delibuti, æternis gloriæ, honoris, omniumque virtutum corollis redimiti, sermones de Deo rebusque divinis jucundissimos conferemus: illius laudes concordissimo animorum concentu decantabimus: in ipso gaudio lætitiaque immensa tripudiabimus: denique ludis, spectaculis, acroamatis cœlestibus, quæ omnem non modò orationem, sed rationem quoque sensumque humanum longè superant, ævo sempiterno perfruemur.

F I N I S.

LUGDUNI BATAVORUM EX TYPOGRAPHIA JACOBI HACKII 1695.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
FOECVNDISSIMVS.

A.

augu-

T.

θίασοι

V

F I N I S.

ebria-

F.

festi-

pro-

JOANNIS GUILIELMI STVCKII

TIGVRINI

OPERVM

TOMVS SECVNDVS,

CONTINENS

SACRORVM

ET

SACRIFICIORVM

GENTILIVM

BREVEM ET ACCVRATAM DESCRIPTIONEM,
universæ ſuperſtitionis Ethnicæ ritus
cerimoniasque complectentem.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JACOBUM HACKIUM.
AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM & VIDUAM THEODORI BOOM.

M DC XCV.

GENEROSIS ET AMPLISS. V. V.

DN. PHILIPPO WAMBOLDO

AB VMBSTAT, DN. IN CARLENBACH, &c.

ILLVSTRISSIMO ELECTORI PALATINO A CONSILIIS,

Aulæque ejus Electoralis magiſtro ſummo:

ET

DN. WOLPHGANGO WAMBOLDO

AB VMBSTAT, DOMINO IN PFIN, &c.

Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Dn. Johannis Palatini Bipontini, &c. Conſiliario, Aulæque ſummo præfecto: fratribus Germanis:

Dominis ſuis omni obſervantia colendis,

S. P. D.

QUÆ mihi adhuc, Generoſi & Ampliſſimi viri, vos unice amandi & colendi cauſſæ fuerunt: eadem me nunc ad hoc, qualecunque meum, opuſculum, vobis potiſſimum dedicandum, impulerunt. Eæ autem ſunt, ut uno quaſi verbo dicam, & Generis veſtri vetuſtas ac nobilitas, & avitæ eximiæque veſtræ virtutes, & clara ſplendidaque veſtra dignitas, & denique egregia ac prope ſingularis veſtra erga me Meosque humanitas atque benevolentia, &, quæ inde promanârunt, multa magnaque veſtra in me, Meosque merita atque beneficia. Hæ autem non mihi tantum, ſed quibusvis etiam aliis vos amandi & obſervandi juſtiſſimæ ſanè ſunt graviſſimæque cauſſæ. Nam primum quidem quam amabilis, quamque veneranda ſit Nobilitas inter omnes, qui ſana ſunt mente prædita, ſatis ſuperque conſtat. Unde ſapientiſſimus & eloquentiſſimus ille quondam Reip. Rom. Conſul, qui primus novum & obſcurum ſuum genus virtute ſuâ nobilitavit, Nobilitatem ſcite admodum & vere BLANDAM CONCILIATRICVLAM appellavit, graviſſima hac addita ratione: *Omnes enim*, inquit, *boni ſemper Nobilitati favemus, & quia utile eſt Reipub. nobiles eſſe homines dignos Majoribus ſuis, & quia valet apud nos clarorum hominum, & bene de Rep. meritorum memoria, etiam mortuorum.* O egregium luculentumque Nobilitatis encomium, omnes fere ejus laudes uno quaſi faſciculo complectens! O præclarum & eximium Nobilitatis præconem; qui etiam primus Nobilitatis ſui generis autor fuit.

At Nobilitatem quidem clarisque Natalibus ortos plurimi eſſe faciendos, magnisque afficiendos honoribus docet ratio, docet natura, docet omnium gentium conſenſio, quæ lex naturæ eſt putanda. Cuncti enim Mortales vel ipſius naturæ ductu & inſtinctu plurimum generis ſplendori tribuunt, & eum ſummis honoribus decorandum exiſtimant: unde Ariſtoteles in Politicis: Ἡ εὐγένεια, inquit, παρ' ἑκάστοις οἴκοι τίμιος, hoc eſt, Nobilitas (quam Græci generis bonitatem ſeu præſtantiam vocant) apud ſingulos magno domi eſt in pretio: &, ut idem ait, Πολῖται μᾶλλον οἱ γενναιότεροι τῶν ἀγεννῶν, id eſt, Civeis magis ſunt habendi homines nobiles & generoſi, quam iis, qui humili genere & obſcuro loco ſunt nati, quia, ut addit, veriſimile eſt eos, qui ex melioribus nati ſunt, eſſe meliores, cum Nobilitas, ut idem eam definit, ſit generis virtus. Hinc Horatius:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in juvencis: eſt in equis patrum
Virtus.

Ac nullum omnino eſt animantium, atque adeo rerum genus, in quo non exſtare atque eminere aliquam Nobilitatis effigiem perſpiciamus.

Apolloniæ, quæ civitas olim fuit clarissima, ad mare Ionium sita, & Theræ (quæ una fuit insularum illarum, quæ Sporades dictæ sunt, & Cyrenes, quæ celeberrima olim Africæ civitas fuit, mater) non nisi qui cæteris anteibant nobilitate Remp. regebant, ut Aristoteles in Politicis testatur. Verum si quævis alia antiqua litterarum monumenta volvere atque revolvere voluerimus, reperiemus, plærasque civitates atque Resp. multo melius, felicius & diuturnius à viris generosis, nobilibus & patritiis, quam à viris novis, plebeis & obscuris fuisse gubernatas.

Nobilitatis autem nullum, meo judicio, clarius & illustrius testimonium, exemplum & quasi speculum habemus, quam ipsum Christum, Dominum & Servatorem nostrum: unde & nos nomen & salutem nostram hausimus. Is enim quanti generis nobilitatem fecerit, suo ipse exemplo demonstravit. Nam ex alto & sublimi illo cœli palatio, ex Patris illius sui cœlestis sinu gremioque in hasce terras delapsus, tametsi eo se demisit & abjecit, ut assumta vilissimi abjectissimique servuli forma ac persona, in stabulo, inter pastores, interque jumenta natus, & in præsepi collocatus sit, tandemque acerbissimum ignominiosissimumque crucis supplicium pro salute nostra subierit: idem tamen & regia in urbe, obscura licet illa tunc temporis fuerit, & ex regia tribu, & ex antiquissimo, nobilissimo atque regali illo genere atque prosapia Davidica, ex Mariæ virginis sanctissimæ regali sanguine absque virili semine, secundum carnem nasci atque procreari voluit. Christus ergo hoc ipso suo in his terris ortu nobilissimo Nobilitatem quasi consecrâsse, & universo generi humano commendâsse videtur: quem ideo merito Nobilitatis tutorem, patronum atque præsidem appellare possumus.

Quemadmodum autem Christus illud ipsum regale suum genus ab obscuritate, ad quam fuerat redactum, & ab interitu divinis suis virtutibus vindicavit, illud illustravit & ad cœlum usque evexit: sic viri nobiles non modo cavebunt summopere, nequam vitiis atque malefactis suis clarissimo suo generi ignominiæ atque dedecoris labem aspergant, sed etiam omni contentione sua elaborabunt, ut si forte, quod sæpe fieri solet, genus suum in contemtum, degenerum quorumdam vitio atque culpâ venerit, aut alio modo obscuratum fuerit, ut illud præclaris suis virtutibus rebusque gestis instaurare, ac pristino suo splendori atque dignitati restituere conentur. Humilitatis quoque exemplum hinc Nobiles capiant, ut, quemadmodum Christus, quo altior fuit & sublimior, eo humilius sese atque demissius gessit, nec quenquam Mortalium, vel vilissimum & abjectissimum, præ se contempsit: sic ipsi quoque humilitati studeant, & ab omni fastu, insolentia, superbia & aliorum hominum contemtu atque despicientia abhorreant toto pectore & abstineant. Hinc quoque colligimus, non, si quando viri, ex nobili genere oriundi, quod Christi parentibus contigit, ac sæpe usu venire solet, ad paupertatem & inopiam redigantur, idcirco illos, dummodo dignos sese suo genere & Majoribus præstent, contemnendos, irridendos, & hominibus novis, plebeis, rusticis, quia hi ditiores ac locupletiores sunt, postponendos esse.

Præterea eadem hæc Christi stirps atque genealogia regalis: in qua improbæ aliquot & infames utriusque sexus personæ recensentur, nos monet atque docet, non propter nonnullos, à Majorum suorum virtutibus deflectentes atque degeneres, ipsam generis nobilitatem despiciendam ideo & contemnendam esse. Sic enim nonnulli Nobilitatis osores ac contemptores facere consueverunt, qui ex Nobilium quorundam nævis atque maculis, hoc est, vitiis atque maleficiis, ipsam Nobilitatem, quæ divinum atque cœleste donum est, apud vulgus, plebemque imperitam cavillandi, calumniandi, extenuandi, atque adeo in odium contemptumque extremum adducendi occasionem arripiunt: unde graves pestiferæque sæpe in civitatibus, Rebuspublicis, regnis atque imperiis discordiæ, contentiones, motus atque tumultus exoriuntur. Hi perinde mihi facere videntur, ac si, quoniam nonnulli reges, principes, & magistratus dignitate potestateque illa sua ad libidinem, ad vim, ad injuriam atque tyrannidem & olim abusi fuerunt, & hodie quoque abutuntur: idcirco ipsa regna & imperia, & quivis Reges, principes & magistratus vel omnino tollendi, minimeque tolerandi, vel certe nullo honore, amore, observantia afficiendi existimarentur: quæ quidem seditiosorum ac turbulentorum quorundam hominum vesana est opinio. Sed de Nobilitate in genere, de ejus origine, vi, naturâ, dignitate atque præstantia, de Nobilium munere atque officio, de honore atque cultu, qui illis debetur, alia forsan commodior sese offeret dicendi occasio.

Vobis vero, Generosi & Amplissimi viri, gratulandum est merito, quod Deus, cujus in manu potestateque sita sunt omnia, & cujus nutu arbitrioque cuncta fiunt, vos, pro infinita sua gratia atque bonitate, non ex novo & ignobili aliquo, sed ex antiquissimo, nobilissimo generosissimoque genere tam paterno, quam materno nasci atque oriri voluit. Hoc ipsum meræ, gratuitæ & soli in solidum gratiæ divinæ esse ascribendum, eique soli perpetuas ob id agendas vobis & habendas gratias facile pro pietate vestra intelligitis.

Ac quantum ad paternam primum vestram familiam attinet, illius originem ex antiquissima, liberrima, fortissima multarumque gentium victrice ac domitrice illâ gente Francica esse repetendam, satis constat. Hanc ipsam vero nationem Francicam præstantissimarum quarumque in Germania & in Europa, familiarum quasi parentem ac procreatricem vere appellare possumus. Nam quemadmodum olim ex equi illius Trojani lateribus atque latebris multi heroicæ virtutis viri ducesque subito eruperunt: sic ex Francorum gente (quam ipsam à Trojanis volunt oriundam) optimâ rei equestris atque militaris magistrâ, multæ nobilissimæ, clarissimæ & illustrissimæ familiæ, quibus Germania atque adeo tota Europa nobilitata atque decorata fuit, prodierunt, ut omnes fere historiæ testantur.

Francicæ autem hujusce vestræ originis, præter Annales vestros genealogicos, de quibus hîc taceo,

vel

vel ipsa gentis familiæque vestræ nomina atque insignia clara satis manifestaque sunt indicia ac testimonia. Nam ipsum primum gentilitium vestrum WAMBOLDI nomen Francicam originem ac Francicam nobilitatem virtutemque spirat. Illi enim, qui principem olim honoris dignitatisque locum apud Francos obtinebant (quemadmodum norunt omnes, qui vel parum in Germanicis, & Francicis præsertim, historiis sunt versati) Rutboldi, Clerboldi, Diethboldi, Guthboldi, Gelboldi, Grunboldi, Hildboldi, Himboldi, Ramboldi, Semboldi, Sigboldi, Luthboldi, Amboldi, Archamboldi, & his similibus nominibus fuerunt insigniti. Hæc, inquam, & alia his similia nomina apud Francos, non hominum vulgarium & plebeiorum, sed nobilium, equitum, heroum, ducum, virorum illustrium apud Francos fuerunt nomina in *Bold* sive *Bolt* terminantia: quæ vox ipsa bellicam virtutem atque celeritatem videtur sonare. Sed idem testatur alterum quoque illud nomen vestrum gentilitium VMSTAT: quod Francicæ olim fuit ditionis oppidum: in quo multa adhuc hodie visuntur gentis familiæque vestræ vestigia atque monimenta illustria, multaque ibi loca atque prædia à Wamboldis Majoribus vestris nomina sua sunt sortita, quę non opus est hîc enumerare.

Familiam denique vestram Francorum esse propaginem, argumento non levi sunt illa ipsa vestra insignia, nimirum panes illi dimidiati (quos Wecken Germani vocant: qua voce Phryges quoque, ut testis est Herodotus, usi sunt) sive, ut alii ea appellant, Pinnæ: cujusmodi antiqua & Caroli Magni, & Francicæ gentis insignia fuisse tradunt. Bavariæ certe & Teccensis familiæ (quæ & ipsæ à Francis sunt oriundæ) panes integros habent pro suis insignibus. Sed de gentis familiæque vestræ paternæ antiquitate, dignitate, splendore, Majorumque vestrorum virtutibus malo, ut de Carthagine olim Salustius dixit, silere, quam nimis pauca dicere.

Quantum vero ad maternum vestrum genus, GEMMINGENSIVM nimirum (quod & ipsum multorum Heroum seminarium exstitit) attinet; illius quoque tanta est claritas, tantusque splendor in universa Germania, ut, si quis illud laudibus illustrare conetur, is ipsi Soli, fonti omnis luminis, ut est in Proverbio, lumen adferre velle videatur.

Secunda vero, viri Generosi & Amplissimi, quæ mihi, ut vos amandi & observandi: sic labores hosce meos glorioso potissimum vestro nomini inscribendi caussa fuit vestra Virtus. Virtute enim, ut recte vereque Cicero dixit, sic ut nihil est formosius, nihil pulchrius, nihil præstabilius: ita nihil amabilius. Virtus optima est efficacissimaque amoris amicitiæque conciliatrix: cujus quidem tanta vis est, ut ad hostes quoque & inimicos nostros, in quibus illa conspiciatur, diligendos ac suspiciendos nos invitet & alliciat. Hæc Nobilitatis, de qua paullo ante dixi, & genitrix est, & altrix atque nutrix: unde Nobilitatem Aristoteles definivit generis virtutem: & quidem eam definiunt dignitatem generis: in quo maximæ virtutes exstiterunt, vitæ communi salutares & fructuosæ. Hinc Poëta ille:

—— *Nobilitas sola est & unica virtus.*

Non mirum igitur est, Romanos Virtutem olim, tanquam Deam coluisse, eique templum consecrâsse, post quod erat Honoris templum: quo ipso situ significabant, teste Plutarcho, nemini aditum ad Honorem, nisi per Virtutem patere. At nos Christiani Virtutem non Deam, sed Dei donum atque munus esse credimus, contra impiam illam Ciceronis sententiam & orationem: ubi Virtutem, inquit, nemo nostrûm acceptam Deo retulit, & recte. Propter Virtutem enim jure laudamur, & in virtute gloriamur.

De vestris autem virtutibus, Generosi & Amplissimi viri, multa hoc tempore verba facere primum vester pariter meusque pudor prohibet, ne vos, quasi in os laudando, adulatorem potius, quam laudatorem agere videar. Deinde quod non tantum meum ingenium est, nec tanta mea est dicendi aut scribendi vis & facultas, qua inclytas virtutes vestras vel solum enumerare, nedum pro dignitate exornare possim. His adde, quod, ut vino vendibili non opus est hedera: sic vestræ virtutes nullius indigent laudatione atque præconio. Ipsæ etenim, tanquam actuosæ, seipsas laudant & prædicant, seque in plurimis gravissimisque vestris actionibus conspiciendas quotidie, atque etiam imitandas præbent. Non enim Principes vestri illustrissimi: non etiam alii viri clari & illustres in rebus atque negociis maximi momenti atque ponderis, & ad publicam salutem dignitatemque pertinentibus vestrâ potissimum uterentur operâ atque ministerio: non, inquam, vobis tam honorifica quidem, augusta & magnifica, sed ardua valde, difficilia atque gravia imponerent munera quasique onera: nisi cognita probe perspectaque illis esset vestra sapientia, prudentia, eloquentia, justitia, fortitudo, temperantia, continentia, vigilantia, industria, fides, pietas & integritas; ac nisi vos his & aliis præclaris virtutibus instructos tot tantisque muneribus sustinendis ac tuendis pares esse persuasum exploratumque haberent.

Harum igitur vestrarum virtutum quasi theatrum quoddam est universus Palatinatus, patria vestra charissima; estque ille, tanquam palatium & campus quidam amplissimus: in quo virtutes hæ vestræ egregiæ quotidie excurrunt atque conspiciuntur. Nec vero Palatinatus tantum, sed aliæ quoque orbis Christiani partes virtutum vestrarum spectatrices adhuc fuerunt atque testes propter peregrinationes, legationesque vestras honorificentissimas, quas hinc inde ad Imperatores, ad Reges & ad Principes externos, in Gallia, Bohemia & Germania, maximâ cum vestrâ laude obiistis.

Sed & illa ipsa generosissimæ stirpis familiæque vestræ insignia, quæ mihi semper ante mentis oculos obversantur, cum Majorum, tum vestræ quoque Nobilitatis pariter atque virtutum symbola sunt insignia valde & illustria. Non temere enim & promiscue olim (ut hodie pro seculi nostri more atque licentia fieri consuevit) sed singulari consilio atque judicio hujusmodi scuta, insignia atque stemmata ab Imperatoribus, Regibus atque Principibus non nisi viris, virtutum rerumque gestarum gloria florentibus optimeque de patria

 & ge-

& genere humano, domi militiæque meritis, tanquam virtutum rerumque gestarum præmia atque monumenta perpetua tributa fuerunt atque concessa. Sic igitur ille ipse Canis, qui vestro scuto insistit, exsertâ linguâ suo quasi latratu atque clamore virtutes laudesque vestras canit quodammodo & decantat. Hujus autem animalis imaginem non solum priscis seculis Alani, gens fortissima & bellicosissima, sed etiam hodie nobilissimæ & vetustissimæ quædam familiæ, ut Delfeldensium, Heussensteinorum, atque adeò Comitum quoque Teccensium, Zollerensium, Ottingensium, pro suis habent insignibus. Est autem Canis in sacris & profanis litteris & prudentiæ, solertiæ atque sagacitatis, & fortitudinis, & vigilantiæ, & denique fidei atque charitatis symbolum: quæ virtutes quoniam in iis, quæ vel sacra, vel profana munera gerunt & administrant, maxime requiruntur: idcirco idem animal apud Ægyptios, & judicis, & magistratus, & vatis, & scribæ sacri (quæ maxima apud eos erat dignitas) hieroglyphicum. Præ cæteris autem virtutibus in Canibus maximæ solet esse admirationi illorum fides atque charitas erga dominos & alumnos suos: unde Plinius: Fidelissimi, inquit, ante omnia (animalia) homini Canes & Equi: ubi etiam multa admiranda, imo stupenda fidelitatis canum erga dominos suos exempla recenset. Sic etiam inter omnes vestras virtutes nulla ut rarior (hoc præsertim nostro seculo, perfidiæ & infidelitatis plenissimo:) ita præclarior est, quam vestra erga patriam, tanquam matrem vestram charissimam, patriæque vestræ patres, hoc est, Principes ac Dominos vestros illustrissimos, constantissima fides atque pietas. Sed nimis imprudenter forsan facio, qui quasi falcem in alienam immittens segetem, insignibus hisce vestris explicandis nimis diu immoror, cum CASPARUS WASERUS, linguæ Hebreæ apud nos doctor publicus, illa elegantissimo carmine descripserit, & suis quasi coloribus depinxerit: qui vir vobis probe notus propter eximiam multarum linguarum, artium disciplinarumque liberalium scientiam, & rerum multarum, quam Germanicis, Belgicis, Sabaudicis, Anglicis, Scoticis, Hibernicis & Italicis suis peregrinationibus consecutus est, experientiam, magno patriæ nostræ cœpit esse usui & ornamento.

Inter alias autem virtutes laudesque vestras, ut ad vos redeam, hæc fere jam propria clarissimæ splendidissimæque vestræ familiæ laus est, quod cum generis vestri splendore, cum civili, politico & militari quoque vitæ vestræ genere & instituto, ut etiam reliqui vestri fratres, musarum, hoc est, linguarum & artium disciplinarumque ingenuarum ac liberalium studia vobis conjungenda duxistis. Multorum hodie animi stultâ stolidâque hac opinione sunt imbuti, ut Musas atque litteras Regibus, Principibus, virisque nobilibus ac politicis fraudi magis, quam laudi: & dedecori potius, quam decori: denique damno potius & impedimento, quam usui & adjumento, ad munera sua, pacis bellique temporibus, bene ac feliciter administranda, esse arbitrentur. Verum insanam, barbaram ac brutam istorum hominum opinionem omnes omnium fere gentium historiæ refellunt ac refutant, quæ manifestè testantur, nobilissimos & generosissimos quosque viros: immo ipsos Reges, Imperatores ac Principes potentissimos & celeberrimos in studia artium atque scientiarum liberalium omnibus animi viribus incubuisse, iis plurimum fuisse delectatos, iisque tanquam adminiculis & subsidiis optimis instructos res admiratione prædicationeque perpetuâ dignissimas gessisse, & Respublicas, regna & imperia sua non domi solum & in pace optime felicissimeque gubernâsse ac conservâsse, sed etiam bellica sua virtute amplificâsse, & longè latéque propagâsse.

Verissimè igitur Plato, Philosophorum facilè princeps, non dubitavit affirmare, eas demum Respublicas felices esse ac beatas, quæ à Philosophis regantur: vel quorum rectores ac moderatores philosophentur. Unde Alphonsus, clarissimus ille Rex Aragonum, cum quendam audivisset dicentem, Principem litteras non decere, exclamâsse fertur: Bovis, non hominis istam esse vocem. Ac quemadmodum Diogenes olim hominem opulentum, qui litterarum rudis sit & imperitus, χρυσόμηλον, id est, ovem aureum gestantem vellus: Socrates autem mancipium aureum appellavit: sic nos talem hominem idolum, seu simulacrum aureum vere appellabimus: quo etiam nomine vernaculâ nostrâ linguâ vulgo hominem stolidum ac stupidum vocitamus. Nam quemadmodum idolum aureum, affabre præsertim artificioseque effictum & elaboratum, speciosissimam quidem vel Dei vel hominis alicujus speciem præ se fert; cum nihil vel divinitatis, vel humanitatis in se contineat: sic multos videre licet passim homines divitiis & opibus abundantes, qui magnificâ pompâ sese inferunt, ac splendidissimo corporis habitu atque cultu hominum oculos ita perstringunt, ut quasi Dii quidam esse videantur: qui tamen, cum artium disciplinarumque liberalium non modo sint ignari, sed etiam ab iis abhorreant, vel ipsis idolis stupidiores merito vilioresque sunt censendi.

Quam utilis autem, immo necessaria sit Principi ad bene regendam Rempublicam doctrina atque eruditio Plutarchus, qui Philosophus fuit πολιτικώτατος, peculiari ea de re conscripto libro egregie demonstravit. Idem Cicero in aurea elegantissimaque illâ suâ oratione pro Archia Poëta, antiquis præstantissimorum & celeberrimorum Regum, Imperatorum atque Principum Reipubl. Romanæ, atque etiam aliorum testimoniis & exemplis comprobavit. Sed, ut exemplorum antiquorum, quorum plenæ sunt omnes historiæ, commemoratione supersedeam, nostrâ quidem hac ætate palma in hoc laudis genere videtur deferenda Principibus Palatinis: quorum non Academiæ solum atque Scholæ, sed Aulæ quoque viris eruditissimis, liberalissimisque studiis affluunt. Viris enim doctis atque litteratis plurimum delectantur, illorum familiaritate, consuetudine atque colloquiis magna cum voluptate fruuntur, illorum potissimum operâ atque consilio in legationibus, & quibusvis vel difficillimis muneribus & actionibus utuntur, illos liberalissime munificentissimeque fovent, alunt, honoribus ac dignitatibus augent atque ornant, ut quottidiana testatur experientia.

Præ aliis autem quasi lumen quoddam atque columen Reipub. litterariæ hisce nostris temporibus appellare possu-

possumus illustrissimum Principem ac Dominum, Dn. JOHANNEM, Bipontinum Ducem: qui & ipse est litteratissimus, & in historiis præsertim versatus, & Scholas in sua ditione, omniumque artium & scientiarum doctores munificentissime fovet, & bibliothecam habet, optimorum librorum suppellectile instructissimam, & filios denique suos, tanquam carissima sua pignora, ab ipsis quasi incunabulis cum pietate & religione, tum linguis litterisque humanioribus diligentissime curat informari atque institui, adhibitâ ad id doctissimorum quorumque virorum operâ. Aulam itaque illius vere cum pietatis atque religionis, tum litterarum disciplinarumque liberalium gymnasium atque scholam dixerimus. Similis fere de MAVRITIO, illustrissimo Hassiæ Principe, litteratissimi doctissimique patris gloriosissimæ memoriæ filio doctissimo & litteratissimo, fama est, laudis atque gloriæ plenissima. Tales Principes suo exemplo laudabilissimo erroris atque mendacii aperte convincunt omnes eos, qui doctrinam atque eruditionem à viro principe, nobili, politico ac militari alienam esse, eosque minime docere existimant.

Est igitur, ut ad vos redeam, Generosi & Amplissimi viri, quod maximas cum Deo immortali, tum Principibus vestris illustrissimis, tum patri vestro beatæ memoriæ, agatis & habeatis gratias; qui nullis parcendo vel curis atque laboribus, vel sumptibus, vos cæterosque fratres vestros ab ineunte ætate, domi forisque, omni linguarum, doctrinarum, disciplinarumque talium genere excoli atque exornari curavit, ut Patriæ ac Principibus vestris illustrissimis magno aliquando possetis esse emolumento simul & ornamento. Quæ quidem spes ipsum minime fefellit, ita ut operam sumptusque suos non perdiderit, sed optime collocârit. Nam ad earum potissimum artium disciplinarumque studium vos applicastis, quibus instructi Patriæ & Principibus vestris illustrissimis nunc maximum cum summa vestra laude adfertis fructum: nec vos ita litteris abdidistis, ut nihil possitis ex his ad communem adferre utilitatem & in lucem aspectumque proferre.

Ac patris quidem vestri, beatæ memoriæ, quoniam hîc à me facta est mentio, laudes ejus nequaquam sunt silentio prætermittendæ: quarum hæc non est minima, quod XL. fere annorum spatio quattuor Electoribus Palatinis, & WOLFGANGO Principi Palatino Bipontino, illustrissimæ memoriæ Principibus domi militiæque (Militavit enim in Ungaria sub FRIDERICO, Principe Palatino, Germanici exercitus ductore) honorificentissimis functus muneribus, tanta inservivit fide atque diligentia, ut sibi suisque perpetuam pepererit gloriam. Sed vitæ, morum, virtutum rerumque gestarum ejus quasi compendium quoddam est egregium & elegans illud Epitaphium, quod in templo Birckenheimensi (ubi in Majorum suorum monumentis sepultus jacet) ad perpetuam ejus nominis memoriam fixum est, atque legitur; quod mihi hîc subjiciendum putavi.

Hac terrâ requiesco, satus genitore PHILIPPO,
WOLFGANGVS WAMBOLDT: *qui stemmate dicor ab* UMSTAT.
Inclyta mater erat DVRNENSIS *gloria stirpis.*
Gnarus uterque parens statim puerilibus annis
Moribus institui me jussit, & arte poliri.
Crescebam pietate & nobilitate paternâ.
Deinde Palatinus claram FRIDERICVS *in Aulam,*
Judicium mirans juvenile, recepit & auxit
Me variis donis. Tunc Marte valente feroces
Me duxit contra Turcas: ubi fortis in armis
Pugnabam. Tandem victrici Marte reverso
ANNA *thoro mihi juncta fuit dulcissima, nata*
De GEMMINGENSI *præclara stirpe. Probavit*
Deinde LVDOICVS, FRIDERICVS *Magnus &* OTTO
HENRICVS: *nec non* FRIDERICVS *tertius Heros.*
A me Ducatus perfecta negotia multa.
Summa Palatinæ WOLFGANGVS *gloria stirpis*
Auxilioque meo est fretus. Nam rebus in amplis
Justus eram: simili pœnâ similique favore
Afficiebantur sine fuco Crœsus & Irus:
Multa tuli: vici, Christo duce, cuncta, relictis
Sex Natis, Patris qui clara exempla sequuntur.
Hos decorat pietas, innataque gloria: summis
Principibus chari, commissa negotia tractant.
In cœlis merces latitat: victricia tandem
Dona reportabunt, vestigia nostra sequentes.
In lacrymis natus, lacrymarum in valle morabar:
In lacrymis Mundi mortalia funera clausi.
Quid remoror? Versâ vice nunc exsulto triumphans,
Angelicâ lætus post mille pericula phalange,
Aspectuque fruor sancto solamine Christi.

 Harum

Harum paternarum virtutum cum vos ſtrenui ſitis & fideles imitatores, quis vos non amore & obſervantia merito complectendos ſummisque laudibus efferendos cenſeat? O felicem igitur veſtrum patrem: qui tales vos poſt ſe reliquit filios, paternæ nimirum & avitæ virtutis imitatores & cultores ſtrenuos! O vos felices filios, qui talem habuiſtis patrem, virum ſcilicet immortali laude digniſſimum, unde omnium virtutum exempla vobis liceat petere!

Non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri: inquit Poëta ille. Maxima igitur hæc veſtra eſt virtus, & maxima laus, ab omnibus merito prædicanda, quod & Nobilitatis & virtutis, & nominis atque gloriæ patrimonium atque hæreditatem, vobis à parentibus & Majoribus veſtris, per longam annorum ſeriem, relictam atque traditam non retinere ſolum atque conſervare, verum etiam augere atque amplificare egregiis veſtris virtutibus, & ad liberos atque poſteros veſtros tranſmittere ac propagare ſedulo ſtudetis. Si enim laude digniſſimi ſunt, qui pecuniarum patrimonia ſibi à parentibus ſuis relicta non modo ſervant atque tuentur, verum etiam honeſtis artibus augent & amplificant (ut contra vituperationem graviſſimam illi merentur, qui ſuâ vel negligentiâ & incuriâ, vel prodigalitate atque luxuriâ patrimonia ſua perdunt & amittunt, liberisque ſuis æs alienum, & paupertatem ignominioſiſſimam relinquunt:) quanto majori laude digni ſunt ii, qui virtutis, laudis atque gloriæ patrimonium (quod lautiſſimis & locupletiſſimis quibusque pecuniarum patrimoniis atque theſauris longe eſt pretioſius) ſuis virtutibus factisque egregiis non ſolum conſervant, ſed etiam id magna auctum cumulatumque acceſſione liberis poſterisque ſuis relinquunt ac tradunt? Atque hæc quoque ſunt pia, religioſaque veſtra juſta atque parentalia, quæ parentibus Majoribusque veſtris facitis aſſidue, dum nimirum laudabilem glorioſamque illorum memoriam, quam nulla unquam delebit oblivio, conſtanti virtutum ipſorum imitatione, quaſi refricare aſſidue & innovare conamini.

Tertia porro ut juſtæ debitæque meæ erga vos, Viri generoſi & ampliſſ. benevolentiæ & obſervantiæ: ſic nuncupationis hujuſce meæ cauſſa eſt veſtra dignitas, veſter honos atque gloria, qua Deus vos ornavit. Hoc enim ipſa pietatis, æquitatis juſtitiæque ratio poſtulat, ut eos, quos Deus in excelſo & ſublimi dignitatis poteſtatiſque loco collocavit, amore, honore & obſervantia proſequamur: quos etiam ipſe ſuo dignatur nomine, eos אלהים, *Ælohim*, id eſt, Deos appellando. Vobis autem Deus pro veſtris virtutibus, quæ & ipſæ gratuita ejus dona ſunt atque munera, viam aditumque ad maximos honores atque dignitates patefecit, voſque Cæſarum, Regum atque Principum officiarios, conſiliarios, aulæmagiſtros, legatos, oratores, vicarios & proprincipes conſtituit, quod nemo, quantumvis invidus atque malevolus, inficiari poteſt. In his ipſis autem ſummis veſtris dignitatibus & honoribus, qui magnos plærumque hominibus ſpiritus afferunt, eosque arrogantes & inſolentes reddunt, maximæ veræque Chriſtianæ veſtræ cernuntur virtutes. Eæ ſunt, humilitas, humanitas, modeſtia, facilitas, lenitas, comitas ac benignitas veſtra, quæ quidem virtutes vos merito quibusvis amabiles carosque reddunt. Vos etenim vitæ rerumque humanarum imbecillitatis, fragilitatis, ac viciſſitudinis perpetuæ memores; memores etiam Chriſtianæ inprimis pietatis, quo in majori dignitatis gradu eſtis poſiti, tanto humiliores vos modeſtioresque geritis, ac non modo neminem præ vobis contemnitis atque deſpicitis, verum etiam, patris veſtri, piæ memoriæ, exemplo & imitatione, ad quibusvis vel infimæ ſortis atque fortunæ hominibus ac peregrinis, pauperibus, viduis, pupillis gratificandum, commodandum, operâ, ope, conſilioque veſtro ſubveniendum propenſi ſemper eſtis & parati: quo pacto firmam ſtabilemque non ab hominibus ſolum, ſed ab ipſo Deo initis gratiam. Nam quemadmodum inter omnes divinas virtutes nulla Deo quaſi magis eſt propria, quam Clementia & Miſericordia: ſic nulla virtute, quam hac ipſa homines propius ad Dei ſimilitudinem accedunt, ejusque gratiam ſibi facilius & efficacius conciliant.

Poſtremo, me, ut ad vos magnopere amandos & colendos; ſic ad lucubrationem hanc meam novam vobis potiſſimum dicandam quaſique conſecrandam incitavit ac impulit ſingularis veſter erga me, Meosque amor atque favor, quem quidem multis magnisque veſtris in nos beneficiis ſatis declaraſtis. Nec enim me tantum, ſed etiam fratrem meum chariſſimum, SEBASTIANUM nomine (quem Deus ſuperiori anno, IV. KL. Mart. ex his terris, & ex Altoſtadiana illa præfectura ad ſe & ad ſuperas cœleſteſque illas ſuas ſedes evocavit) eximiâ quâdam humanitate, benevolentiâ ac beneficentiâ per annos aliquot eſtis proſecuti: quo certe nomine me Meosque plurimum vobis devinctos & obſtrictos, atque adeo totos in ære veſtro eſſe confiteor.

Huc accedit ſingularis veſtra non erga me Meosque tantum, ſed etiam erga univerſam patriam meam chariſſimam charitas, quam cum aliis ſignis, tum eo certe manifeſtiſſime declaraſtis, quod unus veſtrûm, tu nimirum, WOLFGANGE generoſe, cum familia tua in illam migrare, & ſedem domiciliumque tuum in illa figere atque collocare non dubitaviſti. Selegiſti autem tu tibi locum ad habitandum in ampliſſimo noſtro Comitatu Turgoienſi, non obſcurum & ignobilem, ſed antiquiſſimum & clariſſimum, quem antiquitus à Romanis, bella in his noſtris oris gerentibus, cultum & habitatum fuiſſe cum Annales noſtri, tum præter alia oppidi agrique illius antiqua rudera atque veſtigia, plurima, quæ quotidie fere ibi effodiuntur atque reperiuntur, numiſmata Romana ærea & argentea, tum denique ipſum oppidi agrique illius nomen PFIN, ad FINES antiquitus dictum, clariſſime teſtantur. Hic idem locus adhuc nobiliſſimarum & clariſſimarum quarumque familiarum ſedes fuit. Quoniam autem inter Palatinatum & Helvetiam, hoc eſt, inter veſtram meamque patriam per multos annos egregia interceſſit neceſſitudo & amicitia, multis officiis utrinque culta, divinitus profecto nunc accidit, ut tu, generoſe & ampliſſ. Dn. WOLFGANGE,

hac

hac tua migratione in nostram patriam, hoc tuo incolatu: sed inprimis tua pietate, justitia, æquitate, benignitate atque beneficentia, qua tuæ jurisdictionis hominibus præfuisti adhuc, & profuisti, plurimum antiquam illam tuæ nostræque patriæ necessitudinem & amicitiam tuendi atque fovendi optimam nactus sis occasionem.

Propter has igitur commemoratas caussas, & inprimis propter summam ac prope singularem vestram cum erga universam meam patriam charissimam, tum erga me Meosque benevolentiam ac beneficentiam novum hoc meum opusculum sub honorifico gloriosoque vestro nomine in publicum, lucemque prodire volui, ut hoc qualicunque argumento, etsi non referendâ, at saltem prædicandâ publice gratiâ gratam memoremque vicissim meam in vos voluntatem & animum, amoris observantiæque erga vos plenissimum declararem. Non me quidem fallit, quam opus hoc meum sit exiguum, & quam minime non modo vestræ dignitati, doctrinæ atque judicio, sed etiam incredibili meo erga vos studio & observantiæ respondeat. Sed non debent, qui magna præstare nequeunt, parva negligere, & qui magna merita atque beneficia magnis muneribus remunerare nequeunt, ob id etiam in parvis & levioribus muneribus apud eos, quibus plurimum debent, collocandis negligentes esse: præsertim cum in omni officii genere pluris animi voluntas, quam muneris magnitudo sit facienda. Quemadmodum igitur (ut illis Plinii verbis & simili, operi huic meo accommodato, utar) Dii olim credebantur non minus propitii, imo etiam placatiores lacte, aut molâ salsâ, quam thure supplicantibus: sic vos quoque, generosi & amplissimi viri, spero pro incredibili vestra humanitate, & naturæ ingeniique bonitate, proque eximia vestra erga me benevolentia, hoc tenue & exiguum meum munusculum, vestra licet dignitate longe inferius: at ex animo, dignitatis vestræ amantissimo profectum, non minus benevolis animis accepturos, ac si amplum esset atque splendidum. Cogitabitis etiam liberalitatem non in dando tantum, sed etiam in accipiendo consistere, nec minus splendidum & magnificum judicari, parva & exigua hilariter accipere, quam interdum magna dare. Id exemplo ARTAXERXIS, maximi potentissimique Persarum Regis, cui Μνήμων, id est, MEMOR, fuit cognomentum, Plutarchus docet. Nullum enim huic tam parvum afferebatur unquam munus, quin id libenti alacrique animo acciperet. Quod vos quoque facturos, & qualecunque hoc meum scriptum æqui bonique consulturos, vestrâ fretus humanitate persuasum habeo. Sed ut scribendi gravissimasque vestras occupationes interpellandi finem faciam, rogo vos maximum in modum, ut me Meosque, ut adhuc fecistis, humanitati, benevolentiæ fideique vestræ commendatos semper habeatis.

Postremo precor toto pectore non Janum, nescio quem bicipitem ac bifrontem (quem annorum atque temporum præsidem superstitiosa finxit Antiquitas:) sed Christum Θεάνθρωπον, qui unica cœli atque salutis nostræ janua simul est atque janitor: ut annum hunc ineuntem novum, qui tribus istis prodigiosis Solis Lunæque defectibus, nescio quæ nobis mala (quæ Deus pro sua misericordia avertat) portendere videtur, vobis familiæque vestræ ornatissimæ bene fortunet: vobis diuturnam adhuc vitæ hujusce mortalis usuram largiatur, quo diutius patriæ vestræ, pro laudabilissimo vestro more, atque consuetudine inservire atque prodesse possitis: vos denique post ærumnosam, caducam, fragilemque hanc vitam cœlestis, æternæ ac beatissimæ illius vitæ, quam suâ nobis morte peperit, participes reddat. Amen. Tiguri Kalend. Januar. Anno salutis CIↃ. IↃ. XCVIII.

Generosæ vestræ Amplitudini
addictissimus

JOH. GVILIELMVS STVCKIVS.

Candido & benevolo
LECTORI
S.

QVONIAM, *candide & amice Lector, nihil agere, nihil tentare, nihil suscipere debemus, cujus non aliquam vel probabilem saltem rationem possimus reddere: idcirco mihi quoque novi hujus mei operis atque lucubrationis, quæ nunc in lucem prodit, reddenda videtur esse ratio: unde appareat, nihil me fecisse, quod ab officio meo abhorreat. Primum igitur cum suo quisque ducatur & trahatur studio, & eam, quam quisque didicit, artem, ut vulgo loquuntur, exercere debeat, fateor equidem, me ab ineunte ætate, miro antiquitatum historiarumque studio flagrâsse, in quo si non tantum profeci, quantum vellem, quantumque debui, id profecto non tam meæ negligentiæ, quam ingenii mei tenuitati est adscribendum.*

Ad horum autem studiorum meorum rationem suscipiendam & ingrediendam principem mihi fuisse gratâ memorique mente prædico, & prædicabo, quoad vivam, FRANCISCVM HOTOMANNVM *(apud quem Argentorati vixi) clarissimum illud orbis Christiani lumen, qui nunc cœlesti illo lumine fruitur, vitamque vivit vere vitalem & immortalem, cujus etiam laudabilis gloriosaque nominis fama vivit in his terris, in multorum, qui ejus auditores fuerunt atque discipuli, animis, vivetque perpetuo: quam nulla unquam exstinguet ætas, nulla delebit oblivio. Nam præclara quoque ejus monumenta, quæ post se reliquit, quæ multorum quotidie diurnis nocturnisque versantur manibus ejus memoriam facile ab omni plane oblivione vindicabunt.*

Accidit etiam divinitus profecto (quod, quoniam in hunc locum incidi, tacitus præterire minime possum) ut ex eadem illa antiqua nobilique Hotomannorum familia, legationem nunc (quod felix faustumque sit) apud nos Helvetios, atque etiam Rhetos, Regis Galliarum & Navarræ nomine obeat, ejus & generis & nominis vir ornatissimus & amplissimus, FRANCISCVS HOTOMANNVS, *dominus de Morfontaine, &c. Regiæ Majestatis Consiliarius intimus & fidelissimus. Et in hoc ipso honorificentissimæ suæ legationis munere (quod ipsum quoque singulari quodam Dei consilio, atque providentia fieri quis dubitet?) comitem sibi & administrum ascivit* JOHANNEM HOTOMANNVM *de Villiers, agnatum suum, magni illius Hotomanni filium, paternæque virtutis atque doctrinæ imitatorem strenuum.*

Hic novus autem legatus, etsi & Regis inprimis nomine, qui munus hoc ei imposuit, & ipso jure Gentium, & propter eximias ejus virtutes: tamen hanc quoque ob caussam tanto gratior nobis merito esse debet ac jucundior, tantoque meliorem de hac ejus legatione spem habere, & majora nobis bona promittere possumus & debemus, quod ejusdem fere gentis cognatione nobis est conjunctus, ita ut de benevolo & fideli ejus erga nos voluntate nequaquam nobis sit dubitandum. Majores namque ejus quasi coloniam ex Germania in Galliam; & quidem Galliæ metropolim, Lutetiam nimirum Parisiorum, civitatem illam amplissimam & celebrem, deduxerunt: ubi & illorum posteri ad hodiernum usque diem dignitatibus, honoribus atque opibus florent. Sed in Germania quoque, ut in Silesia, Lusatia, Misnia, Clivia, ejusdem nominis atque familiæ nobilissimæ viri clari & illustres vivunt adhuc atque florent, ut etiam quondam PHILIPPVS MELANCHTON, *clarissimum illud Reipub. Christianæ ornamentum, in quadam sua ad* FR. HOTOMANNVM, *p. m. Epistola testatus est. Ejusdem quoque rei testem appellare possumus,* JACOBVM MONAVIVM, *Vratislaviæ, immo totius gentis Silesiorum decus. Quin ipsum quoque gentilitium nomen Germanicum Hotoman, sive, ut alii scribunt, Hotman (quod interposito p litterâ, Hoptman, caput virorum, hoc est, Capitaneum sonat) gentis hujus & originem, & virtutem bellicam dignitatemque summam quodammodo spirat & significat. Omnino autem constat & Hotomannos Gallos, & Hotomannos Germanos hodie quoque in tanta esse dignitate & honore constitutos, ut maximo & patriæ utrique & sibi invicem sint decori & ornamento ac proinde optimo jure de se invicem gloriari possint.*

Te vero, nobiliss. amicissimeque JOHANNES, *communis patriæ, id est, Reip. litterariæ nomine rogo & obsecro, ut quemadmodum te facturum promisisti, reliqua præclara & utilia patris tui beatæ memoriæ opera, quæ adhuc in tua bibliotheca & in tenebris latent, in lucem, qua sunt dignissima, primo quoque tempore edi ac divulgari cures: id quod & Reip. litterariæ civibus maximo usui, & tibi totique familiæ vestræ ornatissimæ maximo ornamento erit.*

Sed huc nescio quo pacto sum delapsus, candide & amice Lector, quo me præstantissimi illius viri recordatio atque desiderium & incredibile meum grati memorisque mei erga ipsum, tanquam alterum meum parentem totamque ejus familiam, animi voluntatisque testificandæ studium, quasi æstus quidam, abripuit. Nunc, ut eo, unde digressus sum revertar, cum superiore anno Johannes Wolphius, typographus & Senator civitatis nostræ ornatissimus, Conviviale meum opus, additamentis non paucis auctum & amplificatum recudendum suscepisset, cumque ei præter alia sacrificiale quoddam meum opusculum, quod paucorum erat foliorum quasi Appendicis loco addere voluissem, ille, licet invitus, propter temporis angustiam ea prætermittere fuit coactus. Ne autem qualiscunque ille meus labor plane periret, amici quidam mei pii atque docti, magnopere mihi autores suasoresque fuerunt, ut rude inchoatumque illud meum de Gentilium sacrificiis opusculum seu σκιαγραφίαν potius quandam, quæ illis admodum arridebat, latius aliquanto explicarem, & ad justi voluminis magnitudinem perducerem, ac in lucem ederem. Ad id autem cum ipsa tantorum virorum autoritas, quæ mihi nequaquam videbatur aspernanda, tum spes rationesque non leves, quæ adferebantur, me impulerunt, animumque mihi addicerunt.

Nam

Nam primum quoniam Conviviale illud meum scriptum paucos ante annos in lucem editum, tantopere Reip. litterariæ placuerat (quod tamen non ejus dignitati, sed divinæ potius benignitati acceptum fero) ut cunctis ejus exemplis divenditis atque distractis, Typographus noster illud anno præterito denuo prelo suo subjicere atque imprimere in animum induxerit: spes nunc me tenet non exigua (quæ faxit Deus ut ne frustrer) fore, ut sacrificiale quoque hoc meum opusculum pari, aut certe non multo minori, quam prius illud, æquitate benevolentiaque accipiatur.

Deinde commoda hæc & opportuna mihi visa fuit occasio, multa lectu forsan non inutilia, nec injucunda hîc addendi, quæ in priore illa mea lucubratione, propter caussam, paullo ante commemoratam, fuerant prætermissa; ita ut hæc illius quasi Appendix quædam merito dici possit.

Præterea quoniam Conviviorum Sacrificiorumque solennium ac festivorum maxima apud Veteres cum Judæos, tum Ethnicos fuit conjunctio; ita ut nullum fere convivium sine sacrificio, nullumque sacrificium sine convivio fuerit celebratum, conveniens officio institutoque meo fore videbatur, ut, qui de Conviviis sacris & profanis prolixe admodum copiosequc scripsissem, de Sacrificiis quoque quædam scriberem, præsertim cum hæc ad illa illustranda non parum videantur conducere.

At dixerit non nemo, quid opus est de antiquis illis Gentilium idolis, sacrificiis, cerimoniis ac superstitionibus multa verba facere, quarum memoria non modò non refricanda, sed perpetua etiam oblivione sepelienda ac obruenda esse videatur? Videbitur igitur hoc forsan nonnullis plane esse supervacaneum, atque adeo à Christiani hominis officio professioneque alienum. Verum si rem hanc vere æstimare & diligenter accurateque perpendere voluerimus, facile intelligemus hujusmodi de antiquis Gentilium erroribus, superstitionibus, ritibus atque cerimoniis scripta, non solum non supervacanea, inutilia, vel etiam impia, sed utilia, fructuosa, Christianæque pietati consentanea esse. Et quem autem graviorem, augustiorem sanctioremque rei hujus testem & autorem proferre possemus, quam illum ipsum sanctitatis veritatisque omnis fontem, Spiritum nimirum sanctum, qui in sacrosancto suo Verbo creberrimam frequentissimamque errorum superstitionumque Gentilium mentionem facit? Quid enim quæso & quinque illi libri Mosis, & liber Josua, & liber Judicum, & libri Regum ac Paralipomenon, & quatuordecim illa Prophetarum volumina (ut taceam de reliquis) aliud fere complectuntur, nisi partim cultus religionisque veræ, partim idololatriæ atque superstitionum descriptiones amplissimas, & illius quidem laudationes, hujus vero reprehensiones gravissimas? Nec vero generatim tantum, sed etiam speciatim singulæ illæ Gentilium superstitiones, sacra, sacrificia, atque cerimoniæ recensentur, describuntur atque culpantur. Verissime hoc mihi affirmare posse videor, nullam fere in sacris Literis, Veteris præsertim Testamenti, paginam reperiri, in qua non Idolorum, Deorum alienorum, Excelsorum, Altarium, Templorum, Sacrificiorum Gentilium fiat mentio. Quomodo igitur quæso Concionator aut Theologus aliquis in locorum illorum innumerabilium explicatione dextre solerterque versari poterit? quomodo illa ad nostrorum temporum mores atque consuetudines applicabit apte atque accommodabit, nisi idolorum, rituum cerimoniarumque illarum cognitionem habuerit? Magna profecto sacræ Scripturæ pars illi, aut leviter transilienda, aut intacta omnino relinquenda erit. NOTA.

Quæ cum ita sint, cui dubium, quin hujusmodi idolorum, sacrorum sacrificiorumque descriptiones ad plurima sacræ Scripturæ loca probe intelligenda, explicanda & illustranda, non parum habeant momenti atque ponderis? Atque hinc apparet, momos & cavillatores illos, quibus ætatem suam otio & voluptate transigentibus nihil prius est & antiquius, quam alienos labores alienaque vel dicta, vel scripta Theonino, seu Canino potius suo dente, inter pocula præsertim intempestiva, carpere ac mordere, eaque in deteriorem potius, quam meliorem partem interpretari, dum multum sibi sapere videntur, plane desipere, dumque videri volunt plane religiosi, irreligiosos potius ac superstitiosos esse habendos. Arguant, si volunt, ipsum Spiritum S. temeritatis & imprudentiæ, qui in sacratissimo suo Verbo tam sæpe idolorum simul & sacrificiorum Gentilium mentionem fecit, eaque suis, ut ita loquar, coloribus depinxit.

Huc accedit Scriptorum doctrinâ pietateque præstantissimorum, cum antiquorum, ut Tertulliani, Cypriani, Arnobii, Lactantii, Augustini, Tatiani, Clementis Alexandrini & omnium fere Patrum primitivæ Ecclesiæ, tum recentium, ut Alexandri ab Alex. Gyraldi, Vincentii Chartarii, Guilielmi de Choul, Antonii Verderii, & plurimorum aliorum, qui de Gentilium idolis, Diis, superstitionibus atque idololatriâ, egregia multa litteris memoriæque prodiderunt, autoritas gravissima; ita ut post tot tantosque viros scribere me eodem de argumento aliquid ausum fuisse, jam pœniteat fere atque pudeat.

Hujusmodi autem Spiritus S. & sanctissimorum doctissimorumque virorum de antiqua illa Gentilium idololatria atque superstitione scripta ac monumenta (ut nihil jam amplius de meo dicam) plurimum profecto utilitatis in se fructusque continent. Nam quemadmodum (secundum tritum & pervulgatum illud Dialecticorum axioma, Contraria contrariis opposita magis elucescunt) *lucis almæ utilitas, suavitas & necessitas tenebrarum collatione magis elucescit: sic Religionis veræ præstantia atque dignitas superstitionis & idololatriæ comparatione clarior fit ac manifestior.*

Sed quid dicam, quod etiam in crassissimis atque tartareis illis errorum superstitionumque Ethnicarum tenebris semper claræ quædam & illustres Veritatis scintillulæ emicuerunt? Sic enim, exempli gratia, vel illis ipsis horrendis exsecrandisque suis sacrificiis humanis Ethnici manifeste satis ostenderunt se sentire, & Numen esse aliquod, & illud esse colendum, & denique illud non nisi humanâ hostiâ perfecte placari, hominumque peccata eo expiari posse. Quæ autem & qualis illa sit futura hostia ignorantes, errore, seu furore potius quodam Diabolico excæcati, teterrimis sese istiusmodi homicidiis atque parricidiis polluerunt. Nos vero Christiani certo scimus atque credimus, hostiam illam esse Christum, qui non homines, non pecora, non fruges, sed seipsum pro salute generis humani in ara Crucis obtulit, quâ unicâ quidem oblatione atque sacrificio perlitavit, hoc est, Deum nobis propter peccata nostra infensum & infestum, pacatum placatumque reddidit, & universi Mundi peccata sustulit & expiavit: in quo sacrificio solo omnem salutis nostræ spem habemus defixam.

Porro superstitionum istarum Ethnicarum descriptiones animos nostros merito accendere & inflammare debent, maximo

ximo ſtudio aßiduas Deo immortali & miſericordi agendi & habendi gratias, quod is nos cum antiquis illis & quidem operoſiſsimis laborioſiſsimisque Judaïcarum cerimoniarum umbris, tum teterrimis ac funeſtiſsimis illis Ethnicarum ſuperſtitionum tenebris per Chriſtum, filium ſuum unigenitum liberavit. Is enim, tanquam Sol juſtitiæ, ſuo in his terris ortu, ſua morte, ſua Evangelii prædicatione partim illas Judæorum umbras, ſive cerimonias, ipſam redemptionem generis humani, per eum factam, & veram ſolidamque pietatem adumbrantes, partim peſtiferas exitialesque illas Ethnicarum ſuperſtitionum tenebras diſpulit ac diſsipavit.

Præterea eorundem Scriptorum lectio jure nos ad verum veri & unius Dei cultum, quem ipſemet ſacroſancto ſuo Verbo nobis patefecit atque præſcripſit, exſtimulare atque incitare debet. Sed enim cogitare nos aßidue animisque noſtris reputare decet. Si Ethnici in irreligioſiſsimis illis ſuis religionibus, in vaniſsimis illis ſuis ſuperſtitionibus, in ſacrilegis illis ſuis ſacris atque ſacrificiis, in cerimoniis & ritibus illis ſuis non modo irritis, id eſt, vanis & futilibus, ſed etiam mortiferis, tantum & operæ, & ſtudii, & laboris, & ſumtus, & temporis diurni atque nocturni poſuerunt: quanto majore ſtudio, Zelo, diligentia & aßiduitate in germano, genuino ac ſalutifero unius veri Dei cultu dies noctesque verſari debemus? His adde, quod hujuſmodi idololatriæ atque ſuperſtitionum Gentilium deſcriptiones cautos nos merito reddere debent, ne temere iis nos implicari & involvi patiamur. Felix, *inquit Poëta ille,* quem faciunt aliena pericula cautum. Quam proclives autem atque propenſi ſuapte natura homines ſint à veritate ad mendacia & à religione ad ſuperſtitionem (quæ religionis callida imitatrix eſt atque ſimulatrix) vel unicum illud Judæorum antiquorum, qui Dei fuerunt populus peculiaris & electus, exemplum ſatis ſuperque demonſtrat. Hi etenim, ut ſacra docet hiſtoria, cultu illo, ſibi à Deo tradito atque præſcripto, non contenti, ſpretis contemptisque innumeris Dei oraculis, monitis, miraculis, beneficiis, pœnis, promiſſis, minis, ſæpiſsime ad Gentilium ſuperſtitionem atque idololatriam impie nefarieque defecerunt: cujus etiam ſuæ apoſtaſiæ graves ſæpe & atroces luerunt pœnas. Hoc igitur exemplo moniti & edocti ſummam, ſi ſalutis noſtræ curâ tangimur, adhibebimus cautionem, ne vel in priſcas illas Judæorum umbras, quas Chriſti, tanquam corporis, adventu, antiquari & abrogari oportuit, vel in vaniſsimas futiliſsimasque illas Ethnicarum ſuperſtitionum tenebras incidamus, atque ita non tam χριστιανίζειν, quam Ἰουδαΐζειν, vel ἐθνικίζειν videamur.

Habes, candide & amice Lector, quæ me cauſſæ ad novum hoc argumenti genus adduxerint & impulerint, quas tibi pro æquitate tua dijudicandas relinquo. Rogo etiam te ad extremum, & obteſtor (ne verboſitate mea diutius tibi ſim moleſtus) ut qua æquitate, humanitate, atque benevolentia Conviviale illud meum opus accepiſti, eâdem ſacrificiale quoque hoc meum opuſculum, etiamſi illud acutiſsimo tuo judicio minus reſponderit, accipere, legere bonamque in partem interpretari digneris. Vale.

INDEX AUCTO-

INDEX AVTORVM, QVI IN HOC OPERE CITANTVR.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

SACRORUM SACRIFICIORUMQUE GENTILIUM DESCRIPTIO.

Neminem, qui vel mediocriter in antiquis litterarum monumentis sit versatus, ignorare arbitror, conviviorum sacrificiorumque maximam semper cum apud Judæos, tum apud reliquas gentes, cognationem fuisse & affinitatem. Nullum enim fere sacrificium sine aliquo epulo, & vicissim nullum pene epulum, etiam profanum, publicum præsertim, sine sacris quibusdam ritibus atque cerimoniis fuit celebratum. Quin ipsa quoque sacrificia quid fuerunt aliud, quam quædam quasi epulæ atque convivia, secundum illud Poëtæ:

----- *Epulis accumbere Divûm?*

Quamobrem quoniam de Conviviis, cum sacris, tum profanis, eorumque ritibus sive antiquis, sive recentibus, quædam pro ingenii mei tenuitate conscripsi & in lucem edidi, operæ pretium, nihilque à ratione alieni facturum me existimavi, si de sacrificiis quoque Gentilium quædam Convivialı illi meo operi, quasi appendicis loco subjungerem; in quo non pauca, quæ in Conviviali illo meo opere fuerunt prætermissa, commodè addi possent.

Sed quæ præterea caussæ rationesque non leves, ut opinor, me ad novum hoc meum Opus conscribendum, atque etiam in lucem emittendum impulerint, satis in Præfatione mea supra declaravi. Nunc verò omissis multis parergis, ἔργον, hoc est, opus ipsum, quod felix faustumque sit, aggrediamur, Deum precantes, ut illud prosperare, & ad Numinis sui gloriam, & Reipublicæ litterariæ utilitatem dirigere dignetur. Nam, quemadmodum antiquissimus clarissimusque ille Ecclesiæ primitivæ doctor atque Martyr Cyprianus piè sapienterque dixit: *Ut nihil sanctum, nisi Deo sanctificante, nihil potens, nisi ipso corroborante: ita nihil felix, nihil auspicatum, nisi ipso prosperante esse potest.*

Sed priusquam ad sacrificiorum explicationem accedam, quædam in genere de religione, sive cultu Deorum, cujus Sacrificia pars fuerunt præcipua, videntur esse prætermittenda, exordio ducto à nominibus, quibus religio cultusque cum verus, justus & legitimus unius & solius Dei, tum falsus, fucatus & adulterinus fictorum & commentitiorum Deorum in sacris & profanis litteris exprimitur. Nam, ut ille dixit, *εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα·* quæ ut Aristoteles testatur, *τῶν πραγμάτων εἰσὶ μιμήματα.*

Nomina Latina trita & pervulgata sunt, *Religio*, *Cultus*, *Pietas*, *Sanctitas*, *Cerimonia*, *Supplicatio*, *Veneratio*, *Honos*, *Adoratio*, &c. *Religio* Ciceroni videtur dicta à *relegendo*: unde etiam *Lex* nonnullis videtur dicta. *Qui enim*, inquit ille *de Natura Deorum*, *omnia, quæ ad cultum Deorum pertinent, pertractarent, & tanquam relegerent, sunt dicti* religiosi *ex* relegendo. Alii, ut Lactantius, dictam volunt à *religando*, quod eâ Deo obligati & obstricti simus; vel quod eâ hominum mentes atque animi quasi vinculo quodam alligentur & obstringantur: unde illæ dicendi formulæ: *Religione implicare*, *obstringere*, *obligare*, *impedire*: *Religione expiare*, *eximere*: *Religione solvere*, *exsolvere*, *liberare*. Hinc Aulus Gellius *Noctium Atticarum* libro 4. cap. 9. *Religiosus*, inquit, *is appellabatur, qui nimia & superstitiosa religione se alligaverat, eaque res vitio assignabatur.* Nomina Latina cultus Deorum. Religio.

Nonnulli *religionem* dictam voluerunt à *relinquendo*, teste eodem Gellio, lib. 4. cap. 9. Massurius Sabinus in Commentariis, quos *de indigenis* scripsit, *religiosum* voluit appellari id, quod propter sanctitatem aliquam remotum & sepositum à nobis est. Idem Macrobius affirmat ex Servii Sulpitii sententia. *A* relinquendo, inquit, religio *dicta, ut a* carendo cerimoniæ, &c. Augustinus & alii, *religionem* voluerunt vocatam ab *eligendo*, quod Deum, quem diligimus, eligimus. Quid si *religio* dicta sit à *relegando*, quod propter eam sæpe homines ab hominum consuetudine & frequentia ad loca deserta & solitudines relegentur. Mihi quidem *religio* falsa, fucata & irreligiosa recte & à *religando*, & à *relinquendo*, & à *relegando* videtur denominata, propterea quod illa hominum mentes mirifice obligatas obstrictasque tenet, quodque idcirco, tanquam animi corporisque pestis atque pernicies, merito relinquenda, deserenda, fugienda & ad inferos est ablegenda.

Religionis autem nomen non solum rem divinam, sed cujusvis etiam muneris functionem & conscientiæ scrupulum & metum seu solicitudinem significat. Hinc Virgilius: Religionis nomen etiam quodvis munus significat.

Jam nunc religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci, &c.

Terentius: *Dignus cum tua religione isthac odio. Nodum in scirpo quæris.* Hinc etiam illæ phrases & dicendi formæ, quæ passim, præsertim apud Poëtas occurrunt, *Religionem offerre, afferre, inferre, inducere, interponere, adhibere, injicere*: item, *In religionem venire, vertere, trahere*: item, *Religio mihi est hoc vel illud facere.*

Religiones. In plurali quoque numero, *Religiones*, sæpe usurpatur. Cicero *pro domo*: *In religionibus suscipiendis caput est interpretari, quæ voluntas Deorum immortalium esse videatur.* Livius, *Apud quos juxta divinas religiones humana fides colitur.* Quid si religionis nomen ab Hebræo אלהים *Elohim*, *Deum* & *Deos* significante, sit derivatum?

Religionem idem Cicero libro *de Inventione* definit esse, quæ superiori cuidam naturæ, quam divinam vocant, curam cerimoniamque affert. Idem libro *de Natura Deorum*, *Religionem pio Deorum cultu contineri* ait: & libro *de Legibus* hæc duo conjungit, *Cultum Deorum & puram religionem suscipere.*

Religiosus. Ab hoc nomine, *Religio*, *religiosus* & *religiosi*, quibus opponitur, *irreligiosus* & *irreligiosi*, sunt dicti: de quibus vide Gellium eodem libro 4. supra citato, cap. 9. Festus, *Religiosi*, inquit, *dicuntur, qui faciendarum, prætermittendarumque rerum divinarum, secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant. Unde Virgilius,*

----- rivos deducere nulla
Religio vetuit.

Religiosus dies, vel locus quid. *Id est*, detergere. *Nam diebus festis rivos veteres sordidatos detergere licebat: Veteres fodere non licebat.* Idem Festus, *Religiosus est*, inquit, *non modò Deorum sanctitatem magni æstimans, sed etiam officiosus adversus homines. Dies autem religiosi quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere, &c. Ita religiosum & sacrum* inquit idem, *est, ut templa omnia atque ædes, quæ sacratæ dicuntur. Religiosum locum, ut Jurisconsulti affirmant, unusquisque sua voluntate facere potest, dum mortuum infert in locum suum. Cenotaphium quoque, hoc est, sepulchrum, in quo nondum sepultus sit mortuus, quibusdam placuit religiosum dici, quod diri fratres negaverunt. Religiosi etiam dies infames, atque infausti dicuntur.* Cato, *Itaque aliter etiam religiosus nunc dies, aliter in vulgus.*

Vox religiosi in bonam & malam partem accipitur. Omnino, uti apud Hebræos vox ברך *berech* & *bene* & *maledicere* significat; sic apud Latinos vox *Sacri*, & vox *Religiosi* in bonam & malam partem accipiuntur. Nam *religiosus* & *locus* & *dies* aliquando accipitur pro sacro seu sacrato, sive sancto: aliquando pro infami, infausto, ominoso sive mali ominis. Gellius libro eodem 4. cap. 9. Simili modo illa quoque vocabula ab eadem profecta *religione* diversum significare videntur, ut *religiosi dies*, & *religiosa delubra*. *Religiosi* enim *dies* dicuntur tristi omine, infames, impeditique, in quibus & res divinas facere & rem quampiam novam exordiri temperandum est: quos multitudo imperitorum prave & perperam *nefastos appellat*. Itaque Cicero lib. 9. *epistolarum ad Atticum, Majores*, inquit, *nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quam urbis captæ, quod hoc malum ex illo. Itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* Idem tamen M. Tullius in oratione de accusatore constituendo, *religiosa delubra* dixit, non ominosa, nec tristia, sed majestatis venerationisque plena. Atque hæc de religione: de qua, sicut etiam de pietate, sanctitate, cerimoniis, fide, jurejurando: item quid de templis, delubris, sacrificiisque solennibus, nec non de auspiciis, quibus præsumus, existimandum sit, Cicero copiosè agit libris *de Natura Deorum.*

Cultus, sive cultura Deorum. *Cultus* sive *Cultura Deorum* altera vox est, quæ hîc consideranda. August. lib. 10. *de Civitate Dei*, cap. 1. de hoc verbo sic disserit, *Cultus Dei variis nominibus appellatur. Si tantummodò cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimus enim etiam* colere homines, *quos honorifica vel recordatione vel præsentia frequentamus. Nec solum ea, quibus nos religiosa humilitate subjicimus, sed quædam etiam, quæ subjecta sunt nobis, coli putantur. Nam ex hoc verbo* Agricolæ, Ruricolæ, Coloni, *&* Incolæ (*vel* Accolæ) *vocantur: & ipsos Deos non ob aliud appellant* Cœlicolas, *nisi quod cœlum colant, non utique venerando, sed inhabitando, tanquam cœli quosdam colonos. Sed quia & aliarum rerum dicitur* cultus, *ideo Latine uno verbo significari* cultus *Deo debitus non potest. Nam & ipsa* religio, *quamvis distinctius, non quemlibet, sed Dei cultum significare videtur: unde isto nomine interpretati sunt nostri eam, quæ Græcis* θρησκεία *dicitur, &c.* Hæc Augustinus.

Colere Deum. Facit huc, quod Auctor libri *de Inventione* pio Deorum cultu contineri Religionem ait. *Colere Deum*, sive *Deos*, metaphora videtur ducta ab agricultura ad Deos vel homines, ad quasvis res alias, quas cum tractamus, versamus, exercemus, colere dicimur: & sic colimus omnia, quibus inhæremus, incumbimus, studemus: ut *colere studium Philosophiæ, litteras, bonas artes, colere virtutes, jus, arma, ludos* & similia. Non secus autem atque agri fertiles inprimis & optimi: sic Dei cultus fructus fert ad vitam æternam uberrimos: qui quidem cultus observantia est, per quam superiores veneramur & colimus. Ovidius,

Non bene cœlestes impia dextra colit.

Cicero *de Natura Deorum*: *Deos venerari & colere debemus.* Idem: *Dii, quos nos colere, precari, venerarique debemus.* Idem, *Colere templum, delubra, diem natalem, religionem sive religiones, cerimonias sepulchrorum religiosissimè, magna curâ, summa religione, pie, caste, sancte, &c.* Quid si *colendi* verbum ἀπὸ τοῦ κολακεύειν, *ab adulando*, sit dictum, eo quod plerunque Dei hominumque cultus cum adulatione & hypocrisi seu simulatione est conjunctus? Coluntur enim Dii & homines ab hominibus, non tam vere & sincere, quàm ficte, simulate & adulatorie.

Cultus

Cultus in plurali numero.

Cultus in plurali numero Cicero dixit, *Quid est*, inquit, *quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?*

Pietas.

Tertia vox, qua religionem Latini significant, est *Pietas*. Hac voce significatur officium, quod præstandum hominibus & Numini divino. *Pietas*, inquit Cicero *de Inventione*, *est*, *per quam sanguine conjunctis patriæque benevolis officium & diligens tribuitur cultus.* Idem in *Partitionibus Oratoriis*, *Pietas est*, inquit, *justitia erga parentes.* Idem pro Plancio, *Pietas est voluntas grata in parentes.* Idem in somnio Scipionis, *Justitiam & pietatem, quæ cum sit magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima est.* Idem in *Partitionibus*, *Pietas & charitas & bonitas quasi idem valere videntur.* Idem, *Pietas, qua erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine conjunctos officium conservare movemur.* Idem *de Natura Deorum*, *Pietas est justitia adversus Deos.* Idem primo *de Finibus*, *Pietas adversus Deos, &c.* Idem pro domo, *Nec est ulla erga Deos pietas, nisi honesta de munere eorum & mente opinio.* Idem in Oratione antequam iret in exilium, *Qua sanctissimi homines pietate erga Deos immortales esse solent, eâdem ego erga Populum Romanum semper ero.* Ibidem, *Illi, quorum animus est religionis pietate defunctus.* Idem lib. 1. *Officiorum*, *Deos placatos efficit pietas & sanctitas.* Idem *de Natura Deorum*, *Pietas, sanctitas, religio, quæ omnia pure & caste Deorum Numini tribuenda sunt.* Ibidem, *Pietas, cui conjuncta justitia est, reliquæque virtutes.* De hoc eodem Pietatis nomine sic Augustinus lib. 10 *de Civitate Dei* cap. 1. *Pietas quoque proprie Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hac tamen & erga parentes officiose haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eaque sibi vel pro sacrificiis vel præ sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, ut & Deus ipse dicatur* pius: *quem sane Græci nullo suo sermonis usu εὐσεβῆ vocant.* Hactenus Augustinus.

Pietatis etymon.

Pietatem porrò Veteres voluerunt dictam, quod, quæ in ea sunt, penitus & in penetralibus reconduntur. Sed potius à *Pio* verbo, quod colere, placare, amare significat. Plautus, *Ubi piem*, id est, colam, *pietatem, si isto more tibi postulem placere?* Item, *Pio* verbum quandoque capitur pro eo, quod est *piè amo*. Nævius, *Nemo est, qui suos magis piet liberos.* Hinc *piens, pientior, pientissimus, pienter, pientius, pientissime.* A *Pio* fit *piaculum*, id est, sacrificium cultus. Virgilius,

Piaculum.

----- *ea prima piacula sunto.*

Aliquando tamen *piacula* crimina & flagitia dicuntur. Virgilius,

Distulit in seram commissa piacula mortem.

Piare & expiare.

Sic apud Hebræos חטאת *Chattâ & peccatum & sacrificium*, quo expiatur peccatum, significat. A *Pio* fit *expio*, quod est purgo, purifico & *piatrix* sacerdos, quæ expiare erat solita, & *Piamentum*, quo in expiando utebantur, dictum à Poëtis *Piamen*, & porta *Piacularis* Romæ appellata ob quædam piacula, quæ ibi fieri solebant, Festus. Idem, *Vel*, ut ait Cloatius, *cum per sacrum aliquo piaculo solvitur & alicujus piandi propitiandique causa immolatur.* Hic *piare* pro colere, placare, propitiare, eodem modo & pro colere, in illo Horatiano usurpatur,

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant.

Piari.

Piamenta.

Porro *piari*, veluti proprio verbo, ait Verrius, dicuntur, qui parum sunt animati, cum mentis suæ non sint, & per quædam verba liberantur incommodo. *Piatrix* dicebatur sacerdos, quæ expiare erat solita, quam quidam *simulatricem*; alii *sagam*; alii *expiatricem* vocant. *Piamenta* quoque dicebantur, quibus utebantur in expiando, Festus. *Piacularia* auspicia, teste eodem, appellabant, quæ sacrificantibus tristia portendebant: cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis, quam oporteret, cecidisset. *Pius* aliquando religiosus dicitur. Virgilius,

Pius.

Dii meliora piis, &c.

Aliquando misericors, benignus. Cicero, *Non secus in me pius, quam pater in filios*: aliquando idem quod castus. Virgilius,

Quique pii Vates, &c.

Impietas. Impius. Impiatus.

Quintilianus, *Et pios amores & pudicos.* Hinc & *piissimus*. Ejus contrarium *impietas, impius, impie, &c.* Cicero *de Finibus*, *Sed nihil est, quod tam miseros faciat, quam impietas & fraus.* Idem *de Legibus*, *Impius ne audeto placare donis iram Deorum.* Idem *de Divinat.* 2. *Est enim periculum, ne aut his neglectis impia fraude, aut susceptis anili superstitione obligentur.* *Impiatus* sceleratus, Festus.

Pietas olim culta.

Sed Pietatem ipsam, ut cæteros Deos Romani olim colebant, cui ædem ab Acilio consecratam ajunt eo loco, quo quondam mulier habitaverit, quæ patrem suum inclusum carcere mammis suis clam aluerit, ob quod factum impunitas ei concessa sit.

Sanctitas. Sanctitates.

Sanctitas, inquit Cicero libro *de Natura Deorum*, *est scientia colendorum Deorum. Deos placatos*, inquit idem post reditum in patriam, *pietas efficiet & sanctitas.* Idem *de Natura Deorum*, *Pietas, sanctitas, religio, quæ omnia pure & caste Deorum Numini tribuenda sunt.* In plurali, *Sanctitates*. Cicero post reditum, *Mecum Deorum & hominum sanctitates omnes & religiones adfuerunt.*

Sanctimonia.

Sanctimonia. Cicero pro Rabirio, *Mentes, quæ ex hominum vita ad Deorum religionem sanctimoniamque demigrarunt.* Idem ad Herennium, *Omnis sanctimonia hîc nuptiarum, uno signo tibiarum, &c.*

Sanctitudo. Sanctus.

Sanctitudo. Cicero libro quarto *de Repub.* *Eosdem terminos intelligitur hominum curæ atque vitæ: sic Pontificio jure sanctitudo sepulturæ.* *Sanctus.* Cicero, *Qui sancti? Qui religionem colentes? nisi qui meritam Diis immortalibus gratiam honoribus & memori mente persolvunt?* Homo *sanctus* & *religiosus*. Idem, *Qua sanctissimi homi-*

mines pietate erga Deos esse solent. Idem, *Nullum est officium tam sanctum & solenne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat.* Pro Quint. *Vir natura sanctus & religiosus*, pro Rosc. Idem pro Archia, *Quare suo jure noster ille Ennius sanctos appellat Poëtas; quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.* Idem post reditum, *Numen vestrum aeque mihi grave & sanctum, ac Deorum immortalium futurum est.* *Sancte.* *Pie sancteque colere Deum*, Cicero de Natura Deorum. Idem, *Auguste sancteque consecrare aliquem.* *Sanctitas* igitur, ut etiam *sanctimonia* & *sanctitudo* aliquando à Latinis usurpantur pro scientia colendorum Deorum; aliquando generaliter pro integritate & morum vitaeque puritate, vel pro religione, vel pro castitate. *Sanctae* dicuntur & personae & res. Et cum personae, tum res dicuntur sanctae aliquando esse, quod sanctitatis, id est, religionis sunt studiosae & amantes, quodque religioni atque Diis sunt consecratae; aliquando quod ab hominum injuria sunt defensae, munitae & immunes, quas violare sit nefas. Sic Tribunipl. apud Romanos dicebantur *sancti*, item muri civitatis & alia: quemadmodum & leges dicebantur *sanctae*, quia sanctione quadam subnixae sunt, ut Ulpianus scribit. *Sanctum* etiam pro propitio Veteres dixerunt. Tibullus de Junone:

Sancte. Sanctae personae vel res. Sanctum idem, quod propitium.

At tu sancta fave, &c.

Catullus de Cupidine; *Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces.*

Idem de Venere; *Quem neque sancta Venus, &c.*

Tibullus item de Genio; *Tunc precor infidos sancte relinque focos.*

Sanctum a sanciendo dictum. Sanctum etiam dictum a sagminibus. Sagmina quid.

Nomen autem hoc, &, unde illud est derivatum, *sanciendi* verbum nonnulli volunt tractum esse à *sanguine*, quasi *sanguine consecratum*, cum *sancire* proprie sit aliquid consecrare sub sanguine hostiae: unde etiam *sanctio* proprie vocatur lex cum terrore poenae. Alii vero, qui *sanctum* proprie volunt dici, quod ab hominum injuria debet esse immune, nomen hoc volunt derivatum à *sagminibus* herbis, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret, quemadmodum apud Graecos ea, quae *Cerucia* vocantur. Festus *Sagmina* scribit vocatas fuisse herbas verbenas & puras, quia ex loco sancto arcebantur à Consule Praetoreve legatis proficiscentibus ad foedus faciendum, bellumque indicendum; vel à *sanciendo*, id est, confirmando. Naevius, *Scabos, sive scapos, atque verbenas sagmina sumpserunt.* Idem, *Lex sacratum Jovis jurandum sagmine.*

Cerimonia.

Cerimonia, sive, ut alii scribunt per *e*, loco *i*, *Ceremonia*, est sacrorum religio. *Religio est*, inquit Cicero *de Inventione, quae Dei curam cerimoniamque affert.* Ibidem, *Religionem eam, quae in metu & cerimonia Deorum sit, appellant.* Idem in Verrem, *Quorum sacra maximis & occultissimis cerimoniis continentur.* Ibidem, *Fecit ludos maxima cum cerimonia.* Idem contra Rullum, *Domitius, quod per cerimonias populi fieri non poterat, ratione assecutus est.* Idem pro C. Rabirio, *Lucius Flaccus, homo in sacerdotio cerimoniisque, quibus praeerat, diligentissimus.* Idem pro Cornelio Balbo, *Sacra Cereris summa Majores nostri religione, cerimoniaque confici voluerunt.* Idem pro domo sua, *Non alio modo est constituturus de religione Pontificum, quam cerimoniarum jus coëgerit.* Idem de Aruspicum responsis, *Quod sacrificiorum sit incredibili cerimonia.* Ibidem, *Statas solennesque cerimonias pontificatu contineri.* Ibidem, *Omnia solennia librorum omnibus rebus summa cum cerimonia sunt servata.* Item, *Tam è Pontificio jure, & cerimoniis sepulcrorum intelligi licet.* Caesar de bello Gallico, *Quo more eorum gratissima cerimonia continetur.* Cicero de *Legibus*: *Hoc summam religionem cerimoniamque declarat.* Ibidem, *Cerimoniae religionesque in Deos.* Pro Domo idem, *Sacrae religionis cerimoniae.* Ex his locis & similibus apparet, *cerimoniae* nomen & singulari & plurali in numero cum pro religione ipsa (unde etiam saepe cum *religionis* nomine conjungitur) tum pro ritibus sacris, sive sacrorum institutis accipi.

Cerimoniae etymon Latinum.

De nominis autem hujus derivatione & etymologia variae sunt doctorum sententiae. *Cerimoniarum causam*, inquit Festus, *alii ab oppido Cere dictam existimant: alii à caritate dictam judicant.* Tit. Livius ab urbe condita lib. 5. de Lucio Albino quodam de plebe Romana sic loquitur, *Qui virgines, sacraque Cere plaustro vexerit: unde quidam cerimonias dictas existimant.* Valerius Maximus lib. 1. ejusdem historiae meminit, ubi L. Alvancum vocat. *Inde*, inquit idem, *institutum est sacra cerimonias vocari, quod Ceretani ea infracto Reipub. statu perinde ac florente coluerunt.* Sabinus apud Aulum Gellium libro 4. cap. 9. à *carendo* deducit *cerimonias*, sicut *religionem* à *relinquendo*. Augustinus lib. *Retractationum* 2. cap. 37. similiter à *carendo* vult *cerimonias* dictas, eo quod observantes careant iis rebus, à quibus abstinent. Verum de urbe Cerite, & situ ejus vide Strabonem lib. 5.

Cerimoniae etymon Graecum.

Sunt qui *cerimonias* volunt dictas à Graeco χαίρειν, quod salutis sint causae, sive ad salutem spectent: vel quod laetitiae in iis peragendis sit studendum. Thomas Aquinas, Primâ 2. quaest. 99. artic. 3. refert, quosdam fuisse, qui *cerimonias* existimarint dictas à *Cerere*, quasi *Cereris munia*, sive, ut uno verbo dicam, *Ceremunialia*: quod Ceres frugum Dea prima fere omnium fuerit culta, & quod sacra illa Cerealia omnium sint antiquissima & sanctissima habita: Unde Cicero pro Cornelio Balbo, sacra Cereris summa dixit religione cerimoniaque confici fuisse solita. Est ergo elegans paronomasia *Cereris* in vocabulo *Cerimonia*. Aliis etiam à *cereis* videntur dictae. Verum mihi verisimile videtur dictam *cerimoniam* sive *cerimonias* ab Hebraeo חרם *Charam*, quod *devovere*, *anathemate ferire*, *à communi usu & consuetudine separare*, *Deo consecrare* significat, sive à חרם *Chaerem*, quod significat *anathema*, *rem Deo dicatam & consecratam*, ut *cerimonia* sit quasi *chaeremonia*.

Cerimoniae etymon Hebraeum.

Veneratio.

Veneratio Deorum etiam pro cultu saepe accipitur; quae reverâ fuit quasi venatio quaedam. Hac enim sacerdotes & animos & corpora, & fortunas hominum venari consueverunt. *Venerationem justam*, inquit Cicero *de Natura Deorum, habet, quicquid excellit.* Idem, *Deos auguste omnes sancteque veneramur.* Idem, *Deos venerari*

nerari & colere debemus. Idem in epistolis, *Cum ignorit omnibus qui multa Deos venerati sunt contra ejus salutem.* Idem, *Venerari aliquem, ut Deum.* Item, *Salutare Deos* pro *venerari.* Et pro Plancio, *Dii, quos colere, venerari, precarique solemus.* Agatastocles apud Plautum in *Pœnulo: Hanc equidem Venerem venerabor* (elegans agnominatio) *ut amet posthac propitia.* Virgilius, *Georg.* I.

Inprimis venerare Deos atque annua magnæ
Sacra refer Cereri.

Venerari simulachra. Cicero in Verrem, *Simulachra ex suis sacris sublata in foro venerabantur.* *Venerari templa.* Cicero in Cons. *Eorum in urbibus atque agris augustissima templa veneremur.* *Venerari* autem Paulo videtur verbum compositum ex *venia* & *orando*, ut *venerari* sit quasi *veniam orare.* Vel *venerari* quasi *vereri* & *revereri*, vel *orare ut Dii veniant* & adsint hominibus, vel quasi *venari* & aucupari Deorum gratiam.

Cultum præterea Deorum *Rem divinam* vocarunt Ethnici, cum revera illorum res divina non fuerit res divina, sed potius humana, immo dæmoniaca, nimirum ab hominibus vel ipsis potius Dæmonibus inventa, excogitata & in mundum introducta. Hinc Plautus: *Paucis verbis rem divinam facito.* Item in *Pœnulo*: *Cum ab re divina rediero.* Sic impias quoque rerum futurarum prædictiones *divinationem*, & vates suos *divinos* appellarunt à *divinando* & prædicendo. In plurali numero, *Res divinæ.* Cicero in Oratione pro Milone, *Patera, qua ad res divinas utebatur.* Idem, *Res illum divinas apud eos Deos in suo sacrario prope quotidie facere vidisti.* Res divina. Res divinæ.

Huc etiam pertinet *Adorationis* nomen. *Adorare* apud Antiquos, teste Festo, significabat *agere*: & legati *Oratores* dicuntur, quia mandata populi agunt. Quidam volunt dictum ab *ore*; tametsi mente potius, quam ore vera fiat adoratio. Adoratio.

Denique *Honos* etiam pro cultu accipitur. Lar apud Plautum: Honos.

Ecquid majorem filius
Mihi honorem haberet?

Et paulò post: *Atque ille verò minus minusque impendio*
Curare, minusque me impartire honoribus.

Item: *Dat mihi cornua, ejus honoris*, id est, cultus gratia.

Hactenus de Latinis nominibus, quibus Gentiles suam religionem cultumque Deorum insignierunt. Venio ad Græca nomina. Inter hæc primum occurrit verbum σέβειν & σεβάζειν, quod Suidas interpretatur εὐλογεῖν & σεβάζεσθαι, id est, *colere & venerari*: quod procul dubio derivatum est ab Hebræo זבח *Sabach*, id est, *sacrificavit*, & זבח *Sebach*, id est, *Sacrificium*: quæ vox & speciatim atque proprie pro sacrificatione, & generatim pro toto cultu usurpatur: cujus præcipua fere pars olim fuit sacrificium. Rom. I. ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, &c. Euripides in *Hippol.* ἐπίσταμαι γὰρ πρῶτα μὲν θεοὺς σέβειν. Lucianus *de Sacrificiis*, καὶ ἔθνη σέβουσι ὁ μὲν Δελφοὺς τὸν Ἀπόλλω. Porro σέβεσθαι interdum active *colere*, *observare*, *venerari* etiam de hominibus: interdum passive pro *coli*, vel *adorari* usurpatur. Ab hoc verbo *Sabini* sunt dicti, ceu à cultura Deorum, quod ea gens Deos præcipue colat. Inde & σεβίζω Poëtis idem est, quod σεβάζεσθαι, & σεβασμιάζω. Hinc σέβας, τὸ (nomen indeclinabile, ut putatur) cum venerationem, cultum divinum, adorationem; tum rem, quam veneramur & adoramus, tum stuporem ex admiratione significat. Σεβασμὸς item & σέβασις *veneratio* dicitur, ac σέβασμα, quod venerantur homines & colunt. Σεβαστὸς *veneratione & admiratione dignus*, *venerandus*, *augustus*, quod plerunque Imperio Romano fuit cognomen. Hinc εὐσεβής, *pius*, *religiosus*, qui probe colit & veneratur Deum. Lucian. *de Calum.* Πρὸς τὸν εὐσεβῆ καὶ φιλόθεον ἄθεος καὶ ἀνόσιος φίλος διαβάλλεται. Ευσεβεῖν, probe & religiose Deum colere. Isocrates in Nicoclem, εὐσέβει τὰ πρὸς τοὺς θεούς. Ευσεβεῖσθαι dicitur, quod religiose & pie fit. Ευσεβέως & contracte εὐσεβῶς, *piè*, *religiose.* Ευσέβημα, *pium factum, officium pietatis.* Ευσέβεια, *pietas*, *religio.* Item θεοσέβεια, *cultus Dei*, θεοσεβεῖν, *Deum colere*, θεοσεβής, qui Deum sive Deos colet, θεοσεβῶς, *religiosè*, *piè*, more eorum, qui Deum colunt. Opposita sunt ἀσέβεια, *impietas*, & contemtus venerationis & cultus divini: ἀσεβής, *impius*, *irreligiosus*, qui contemnit & negligit cultum Deorum: ἀσεβεῖν, *impiè agere*, impium & irreligiosum esse. Xenophon, ἀσεβεῖν εἰς τὰ μυστήρια. Athenæus, ὡς ἀσεβοῦντα καὶ θύοντα κατὰ τὰ πάτρια κολάσαι. Item, δυσσέβεια, & poët. δυσσεβίη, idem quod ἀσέβεια, & δυσσεβής, idem quod ἀσεβής. Ευσέβειαν nonnulli à voce σέβας volunt deduci, quæ θαῦμα & stupendum quid significat, quod in cultu Dei omnia sint θαυμαστὰ, id est, *admiratione digna.* Trismegistus, quem plurimum & Lactantius & Augustinus ipse sequitur, εὐσέβειαν definit θεοῦ γνῶσιν, & Stoici, auctore Laertio lib. 7. εὐσέβειαν definierunt ἐπιστήμην θεοῦ θρησκείας, id est, scientiam colendi Dei, sive cultus divini. Eandem definitionem adfert Suidas.

Nomina Græca cultus Deorum. Σέβειν. Σέβεσθαι. Σέβας. Σεβαστός. Ευσεβής. Ευσεβεῖν. Ευσέβημα. Ευσέβεια. Ευσεβείας etymon & definitio.

Aliud nomen, quo cultus & religio cum vera, tum falsa Ethnicorum à Græcis exprimitur, est nomen λατρείας. Hoc primo quidem in genere quodvis servitium profanum, tum divinum significat. Idem est λάτρευμα à λατρεύειν, *servire*, *famulari*, &c. quod ipsum à λάτρις ὁ καὶ ἡ, id est, *servus*, *famulus*, & *serva*, *famula*, deducitur. Significat hoc etiam *mercenarium.* λάτρις servus μισθῷ δουλεύων, λάτρον *merces.* λατρευτής *cultor.* Apollo etiam & Neptunus λατρεὺς cognominatur à servitio Inomedonti in extruendis muris præstito. λατρεύειν volunt compositum esse à λα particula intensiva, καὶ τρεῖν, id est, φοβεῖσθαι, hoc est, *tremere*, *metuere*: unde λάτρον, id est, *tremor*: quod servi ad dominorum jussa & imperia vehementer tremere soleant.

Λατρεία, & varia ejus derivata.

Λατρεία quid apud sacros scriptores significet.

Etsi vero nomen hoc apud prophanos auctores *servitutem*, sive *servitium prophanum*; & quidem *mercenarium* significat: tamen apud Ecclesiasticos scriptores, ut apud Damascenum & passim in novo Testamento accipitur cum pro religioso, tum etiam superstitioso cultu, ut Rom. I. ἐσεβάσθησαν, καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. Hic cultus εἰκονολατρεία & εἰδωλολατρεία vocatur, & εἰδωλολάτρης, *cultor idolorum & simulacrorum*, & εἰδωλολατρεῖν, idolorum seu simulacrorum cultui studere, vel esse deditum. Omnino autem τὸ λατρεύειν gentilium fuit *laterem lavare*, ut est in proverbio.

Flatter, & flattieren / servitium, unde à δουλεία, adulari. δουλεία.

Videtur etiam ab hoc verbo λατρεύειν derivatum esse Gallicum *flatter*, cui respondet Germanicum flattieren / id est, *adulari*, eo quod servitium sive profanum, sive etiam divinum plerunque cum adulatione & hypocrisi est conjunctum: unde etiam *adulandi* verbum à Græco δοῦλος, sive δουλεύειν videtur derivatum esse, quod servi ad adulandum valde apti sint atque propensi. Plerunque ὀφθαλμοδουλεύουσι, ut Græci loquuntur, â nnen wol augendienen / id est *oculis servire*.

Porro ut λατρείας, ita δουλείας quoque nomen, quæ duo sunt homonyma, cum apud prophanos quidem auctores pro humano plerunque servitio, tum vero apud scriptores Ecclesiasticos, in novo & veteri Testamento partim pro vero unius Dei, partim etiam pro falso & adulterino Deorum cultu usurpatur. De utriusque autem vocabuli discrimine, quod nonnulli statuerunt, hæc sunt Augustini verba lib. 10. cap. I. *Latriam nostri, ubicunque scripturarum positum est, interpretati sunt* servitutem. *Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græce nuncupari solet.* Latria *vero secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur* servitus, *quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodò cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam* colere homines, *quos honorifica vel recordatione, vel præsentia frequentamus.* Hactenus Augustinus, de cujus distinctione ejus Commentator Ludoicus Vives hæc subjicit: λατρεύω est δουλεύω, *quasi* servio: *sed postea factum est, ut esset* σέβομαι, *teste Suida. Augustinus servitutem hominibus debitam non latriam appellari vult, sed alio nomine, puta* δουλείαν. *Nam ad Ephesios sexto, quem locum citat, sic est Græce:* οἱ δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα. *Hinc est illa distinctio facta de adoratione,* latria, dulia & hyperdulia. *Valla docet* λατρείαν & δουλείαν *idem esse & utrunque significare* servitutem, *quod ex Suida ostendit, qui & ait:* λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπὶ μισθῷ, *servitutem esse mercenariam.* Hucusque Vives.

Discrimen λατρείας & δουλείας ex Augustino.

Ex Ludoico Vive.

Ex Valla.

Utrique autem huic nomini λατρείας & δουλείας respondet Hebræum עבודה *Abudáh*, id est, *servitus*, & Germanicum Gottesdienst / id est, *servitium* sive *cultus Dei*, & Gözendienst / id est, *servitium*, sive *cultus*, qui præstatur idolis, Diisque alienis.

Θεραπεία.

Duobus his vocabulis respondet θεραπείας nomen, & verbum θεραπεύειν, quod etsi profanum & servile plerunque servitium significat: tamen ad divinum quoque servitium aliquando accommodatur. Sic Plato dixit θεραπείαν εἶναι θεῶν, οἵαν οἱ δοῦλοι τοὺς δεσπότας θεραπεύουσι, nempe ὑπηρετικήν. Sic Suidas εὐσέβειαν definit ἐπιστήμην θεῶν θεραπείας, id est, *scientiam Deo inserviendi*, sive ejus colendi. Plutarchus quoque *religionem* vocat θεραπείαν θεοῦ· & Isocrates μεγίστην θεραπείαν dixit, id est, *cultum maximum*.

Θρησκεία.

Sequitur θρησκείας nomen, quod & sacris & profanis in litteris sæpe cum pro vera & legitima, tum pro falsa & fucata religione accipitur. Hoc nomen Suidas à Thracibus vult fuisse deductum, apud quos Orpheus, Poëta primus ἐτεχνολόγησε τὰ τῶν ἑλλήνων μυστήρια, id est, *invenit, excogitavitque Græcorum mysteria*: quæ cum ad alias gentes perlata essent, à Thracibus unde didicerant, eum cultum θρησκείαν appellârunt. Suidæ verba sunt hæc: θρησκεία, λατρεία, θρησκεύει, id est, θεοσεβεῖ, ὑπηρετεῖ τοῖς θεοῖς. λέγεται γὰρ ὡς Ὀρφεὺς θρᾷξ πρῶτος ἐτεχνολόγησε τὰ ἑλλήνων μυστήρια καὶ τὸ τιμᾶν, θεὸν θρησκεύειν ἐκάλεσεν, ὡς θρᾳκῶν οὔσης τῆς εὑρήσεως, ἢ ἀπὸ τοῦ θεὸν θρησκεύειν, id est, ὁρᾶν. Idem testatur Plutarchus in vita Alexandri. Herod. lib. 3. τῇ ἱεροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ σχολάζειν τοῦ θεοῦ. Postea pro religione sumi generaliter cœpit. Unde Dii Thraces, Dii Samothracum, qui, ut est apud Varronem lib. 5. *de lingua Lat.* habiti sunt sanctissimi. Hoc igitur θρησκείας nomen in sacris litteris aliquando bonam in partem accipitur pro vero Dei cultu, ut Act 27. ubi Paulus dicit, se exactissime secundum sectam suæ θρησκείας, id est, *religionis*, scilicet Pharisaicæ, vixisse: tametsi potest ibi etiam in malam partem accipi. Jacob. I. εἴ τις δοκεῖ θρησκὸς εἶναι, μὴ χαλιναγωγῶν γλῶσσαν, ἀλλ' ἀπατῶν καρδίαν αὐτοῦ, τούτου μάταιος ἡ θρησκεία, *Si quis sibi videtur pius aut religiosus esse, non refrænans suam linguam, sed cor suum decipiens, hujus religio vana est.* Et, θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος αὕτη ἐστὶν, ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανοὺς καὶ χήρας ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου· Id est, *Religio pura & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, invisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & immaculatum sese servare à mundo.*

Θρησκεία in S. litteris in bonam partem sumitur.

Θρησκεία in S. litteris sumitur etiam in malam partem. Tristitiæ nomen a θρησκεία derivatum.

In malam partem deinde, pro superstitione videlicet, accipitur fere cum appositione quadam, ut ad Coloss. 2. θρησκεία ἀγγέλων, *superstitiosus Angelorum cultus*: & ἐθελοθρησκεία apud eundem pro religione sive cultu, quem homines pro arbitrio, seu libidine potius sua excogitarunt, confinxerunt atque commenti sunt. Apud Suidam ἐθελοθρησκεῖν *voluntarium cultum*, sive religionem arbitratu suo sequi & amplecti significat. Quid si *Tristitiæ* nomen à Græco hoc θρησκεύειν sit derivatum, tanquam impietas, seu improbitas, quæ certe cum falso & superstitioso cultu est conjuncta; Italis enim *Tristo* est impius & improbus?

ὅσιον & ὁσιότης.

Præterea ut *Sanctitas* apud Latinos, ita vox ὁσίου & ὁσιότης apud Græcos pro religione & cultu divino, sive is verus sit, sive fictus & commentitius accipitur. Plato in Dialogo, qui *Euthyphron* inscribitur, sive *de Sancto*, duo facit τοῦ δικαίου, id est, *justi* vel *justitiæ* genera: Unum, quod vocat εὐσεβές τε καὶ ὅσιον τὸ περὶ τὴν τῶν θεῶν θεραπείαν, &c.

Idem omne quidem sanctum, dicit esse justum, sed non omne justum sanctum; non secus atque ubi pudor;

dor, ibi est metus: non autem ubi metus, ibi est pudor. Idem omne θεῷ προσφιλὲς dicit esse ὅσιον, τὸ δὲ μὴ προσφιλὲς ἀνόσιον, id est, *omne id, quod Deo gratum est, id dicit esse sanctum: quod Deo non est carum atque gratum, id esse non sanctum seu profanum.* Deum enim mensuram atque canonem divini cultus esse optimum. Id probat simili ducto à servis bonis atque probis, qui dominos suos colunt non pro sua, sed ipsorum voluntate. Cultum itaque Dei in obedientia voluntatis divinæ maxime consistere. Ibidem ea demum dicit esse ὅσια, id est, *sancta*, si quis quæ grata sint Diis, ea norit dicere & facere εὐχόμενος καὶ θύων, id est, *cum precando, tum sacrificando*, quibus conserventur cum privatæ domus, tum universæ Respub. Contra verò ea, quæ Diis sunt ingrata, omnia evertere & perdere. Hinc tandem concludit, ὅσιον καὶ ὁσιότητα, id est, *sanctum & sanctitatem*, esse ἐπιστήμην τοῦ θύειν τε καὶ εὔχεσθαι, id est, *scientiam sacrificandi & precandi*: & θύειν quidem, id est, *sacrificare*, esse δωρεῖσθαι τοῖς θεοῖς, id est, *dare*, sive *largiri Diis*. τὸ δὲ εὔχεσθαι, αἰτεῖν τοὺς θεούς, id est, *precari esse petere quid à Diis.* Hinc effici ὁσιότητα esse ἐπιστήμην αἰτήσεως καὶ δόσεως, id est *scientiam petendi & dandi.* Cum autem Euthyphron inde vellet concludere, *Cultum igitur Dei esse* ἐμπορικήν θεοῖς καὶ ἀνθρώποις παρ' ἀλλήλων, id est, *mercaturam negociationemve mutuam inter Deos & homines*, respondet, opinionem hanc ejus refellens, religionem nequaquam mercaturam proprie posse dici, cum ea, quæ Dii dant, hominibus omnibus sint nota: cum nihil habeamus boni, quod non ab illis nobis detur. At vero τίς, inquit, ἡ ὠφέλεια τοῖς θεοῖς οὖσα ἀπὸ τῶν δώρων, ἃ παρ' ἡμῶν λαμβάνουσι, hoc est, *quid commodi & utilitatis percipiunt Dii ex donis illis atque muneribus, quæ a nobis accipiunt?* quasi diceret, Nihil. Contrà autem, ut in omni contractu: ita in mercatura oportere ut onerum, impensarum atque damnorum: ita utilitatum atque commoditatum esse societatem, atque communionem. Atqui cum nulla in Deum ex religione nostra redundent commoda, non posse dici ἐμπορικήν. Nam ὁσιότης θεραπεία οὖσα θεῶν, οὐκ ὠφέλειά τίς ἐστι θεῶν, οὔτε βελτίους ποιεῖ τοὺς θεούς. At objiciat non nemo: Deus tamen ab hominibus glorificari & sanctificari: ac honos atque gloria ejus augeri, propagari & illustrari dicitur. Respondet Socrates, hoc non ita intelligendum quasi aliqua honoris atque gloriæ ad Deum fiat accessio, qui cum sit immensus, infinitus, omnibusque numeris perfectus & absolutus, nihil ut essentiæ, ita gloriæ ejus vel addi, vel demi, aut detrahi potest: sed quia Dei gloria atque honor magis ac magis hominibus patefit ac innotescit. Hoc Solis similitudine illustrari potest, qui quando longe lateque suos in mundo spargit radios, videtur ille ab hominibus illustrari, cum nulla vel minima ad Solem fieri possit splendoris accessio, & non Sol ab hominibus, sed homines potius à Sole illustrentur.

Porro ὅσιον, id est, *sanctum*, nonnulli volunt dici quasi ἅσιον ἀπὸ τοῦ ἅζειν seu ἅζεσθαι, id est, σέβεσθαι, à *colendo*, seu *venerando*. Quid si potius ab Hebræo, חסיד, *Chasid*, sive חסד, *Chæsad*, id est, *benigno*, & *misericorde*, sive *benignitate* & *misericordia* sit derivatum? Ὅσια etiam in plurali numero *res sacræ*: item *justa*, *parentalia*, & *exsequiæ* appellantur, sicut & τὰ ἱερὰ καὶ νόμιμα καὶ νομιζόμενα. Hinc ὁσιοῦν, ἀφοσιοῦν, ἐξοσιοῦν, καθοσιοῦν, *sanctum & purum sceleris reddere*, *piare*, *expiare*, *sanctificare*, *consecrare*. Inde fit ἀφοσίωμα, *piaculum*, & ἀφοσίωσις, *expiatio*. Opponitur τῷ ὁσίῳ & ὁσιότητι, id est, *sancto* & *sanctitati*, τὸ ἀνόσιον καὶ βέβηλον, id est, *impium*, *nefarium*, *profanum*, καὶ ἀνοσιότης, id est, *impietas*.

Sed Religio atque cultus divinus etiam τιμή, id est, *Honos* appellatur: &, Deum sive Deos τιμᾶν, idem quod *colere*. Theodoretus, Deos τιμᾶν ἐτησίοις δημοθοινίαις, id est, *annuo epulo*, à quo verbo τιμᾶν, Latinum *Timendi* & *Timoris* nomen videtur derivatum: quod & ipsum sæpe pro universo cultu divino accipitur.

His adde nomen φόβου καὶ φοβεῖν· quod etiam *Timorem* & *Timere* significat. Unde Poëta ille Timorem facit Deorum auctorem:

Primus in Orbe Deos Timor fecit.

Et Plutarchus de superstitione, *Metus sive timor Deorum qualis? Qui Deos metuit, omnia metuit.*

Adde postremo his θεολογίας nomen. Vetustissimi Græciæ scriptores, ut ait Lactantius libro *de ira Dei* cap. 11. Qui de Diis & Deorum cultu agerent, appellati primum sunt θεολόγοι, & eorum scientia θεολογία: non autem εὐσέβεια. Sed cum Deorum alii Dii tantum: alii Dæmones censerentur, jam bipartita cœpit esse Ethnicorum Theologia.

Alia enim de veris Diis, in quibus *Theologiæ* nomen mansit: alia de Dæmonibus tractavit. Quæ de Diis egit, triplex fuit constituta, ut docet Augustinus ex Varrone lib. 5. *de Civit. Dei*, capite sexto, nempe Μυθική, φυσική, πολιτική, id est, *Fabulosa*, *Physica* seu *Naturalis*, *Civilis*, seu *Politica*, *Poëtica*, *Philosophica*, pro diverso fine, propter quem Deos & eorum gesta commemorabant. Quæ Dæmonum vim explicabat, illa tantum fuit bipartita; quia cum Dæmonum alii sint boni & utiles; alii autem mali, noxii & timendi: quæ de Dæmonibus malis placandis & averruncandis agebat, μαγεία & γοητεία est dicta. Quæ autem bonos alliciebat & invitabat sacrificiis, θεουργία & τελετή. Augustinus libro decimo, *de Civitate Dei* capite nono.

Προσκύνημα etiam & προσκύνησις *adorationem* & *venerationem* significat à προσκυνεῖν, voce ἀπὸ τοῦ κυνὸς deducta, quæ proprie quidem significat sese instar catelli ad pedes alicujus, tanquam sui Domini, honoris & subjectionis caussâ provolvere: translate vero *adorare*, *venerari*. Aristophanes in *Pluto*: καὶ προσκυνῶ τὰ πρῶτα μὲν τὸν ἥλιον. Jungitur & cum Dativo in novo Testamento. Προσκυνητής, id est, *adorator*, voce composita à πρὸς & κυνέω, quod idem est, quod κύω, id est, *osculor*, *suavior*: (unde Germanicum nostrum küssen) quod etiam accipitur nonnunquam pro προσκυνεῖν, id est, *adorare*. Sic θεοσκυνεῖν apud Æschylum est *Deos colere* sive *honorare*.

Atque hæc de nominibus Latinis & Græcis. Hebræa nomina, quibus cum vera, tum falsa religio designatur, hæc sunt; השתחוה, *Hischtachavah*, quod cum affixo legitur 2. Reg. 5. *Propter supplicationem in domo Rimnon*

Ὁσία proprie quæ.

Descriptio ὁσίου, & ὁσιότητος.

Ὁσίου etymon.

Τιμή.

Φόβος.

Θεολογία.

Θεολογία duplex.
1 Una de Diis.
2. Altera de Dæmonibus quæ triplex.

Προσκύνημα.

Nomina Hebræa cultus Deorum.

השתחוה supplicatio.

Rimnon parcat obsecro Jehova servo suo. Verbum השתחוה crebro in sacris litteris cum pro civili & politico hominum, tum pro religioso & sacro tum Dei veri, tum Deorum falsorum cultu accipitur. Derivatur autem a שחה, *Schachah*, id est, *inclinavit se, incurvatus & prostratus est:* ac proprie significat totius corporis prostrationem ad terram. Rabbi David Kimchi in Psalmum 95. tria hæc recenset vocabula, extremum corporis gestum, qui honoris & reverentiæ causa fit, significantia, quæ sic distinguit. Primum est ברך, *Barak*, γονυκλισία Græcis, videlicet *genu flexio.* Alterum est הכניע *Hicniah*, quod est caput inclinare, cum aliqua corporis incurvatione. Tertium est, השתחוה *Hischtachavah*, quod totius corporis prostrationem significat, a שחה *Schachah* vel שח *Schach*, quod idem sonat, quod כנע *Canah* vel שפל *Schapál* id est, *humiliatus, incurvatus*, seu *inclinatus est.* Nonnulli vertunt *supplicationem* à *supplicando*: qua voce absolute pro *sacrificare*, seu *sacra facere*, usus est Suetonius in *Tiberio*, his verbis: *Post excessum Augusti curiam intravit, quasi pietati simul & religioni satisfacturus, Minois exemplo, thure quidem & vino, sed sine tibicine supplicavit*, id est, rem divinam fecit. Græci LXX. aliquando illud exprimunt una voce προσκυνεῖν: aliquando participio πεσὼν, aut aliquo adjecto. Usurpatur autem hoc verbum sæpe in sacris litteris pro honore & cultu civili, sive politico, qui exhibetur hominibus. Aliquando pro cultu religioso, qui vel Deo vero, vel Diis tribuitur: Deo vero, ut 1. Samuel. 15. *Et supplicabo Jehovæ Deo tuo, &c.* Diis alienis, vt Josu. 23. *Et abeuntes colueritis Deos alienos & supplicaveritis illis.* Eodem sensu legitur 2. Reg. 19. *Et factum est, cum ipse adoraret, seu supplicaret in domo Nisroch.* Sic Zephan. 1. *Et supplicantes super tectis exercitui colorum.*

Reverentiæ gestus apud Hebræos triplex.

עבודה servitus.

Aliud nomen est, עבודה *Abodâh, cultus, servitium:* quod ipsum quoque partim civile, partim sacrum & religiosum servitium significat, ab עבד, *Abád, servivit*, seu *inservivit:* cui respondent supra commemorata & explicata vocabula Græca λατρείας, δουλείας, & θεραπείας; quæ omnia servitutem tum civilem, tum religiogiosam & superstitiosam significant, quibus congruit vernaculum nostrum Gottesdienst/ quasi dicas, θεοδουλεία.

שרות Ministerium quodvis.

Huc etiam referri potest vox שרות vel שרת *Scharuth*, vel *Schareth*, quæ item ministerium cum civile & politicum, tum etiam sacrum & religiosum significat.

Nomen Chaldaicum cultus Deorum videlicet פלחנא

Chaldaice cultus divinus פלחנא *Pulchanah* appellatur a פלחן *Pulchan*, quod a פלח, *Pelach*, deducitur, id est, *servivit, coluit*, & inde מפלחין, id est, *cultores*, sive *ministri* sunt dicti.

Partes cultus Deorum etiam pro toto cultu poni solitæ.

Observandum etiam sæpe species sive partes cultus atque religionis sive veræ sive falsæ, ut, *Sacrificare*, sive *sacrificium, adorare* sive *adorationem, precari*, sive *precationem, supplicare*, sive *supplicationem*, in omnibus linguis & sacris ac profanis in litteris, synecdochice pro toto cultu, sive religione usurpari. Hinc de adorandi verbo Virgilius primo *Georgicorum:*

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.

Et hæc dicta sint de nominibus.

Valerius Maximus de cultu Deorum.

Porro totum cultum sive religionem Ethnicorum, præsertim Romanorum, uno quasi fasciculo Valerius Maximus his verbis complexus est, quæ idcirco ejus epitome, sive compendium appellari possunt. Sic enim libro primo inquit, *Majores statas solennesque cerimonias, Pontificum scientia: bene gerundarum rerum authoritates, Augurum observatione: Apollinis prædictiones, Vatum libris: portentorum depulsa, Hetrusca disciplinâ explicari voluerunt. Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur: cum aliquid commendandum est, precatione: cum expostulandum, voto: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum, vel extis, vel sortibus imperio: cum solenni ritu peragendum, sacrificio: quo etiam ostentorum & fulgurum denuntiationes procurantur.* His congrua plane & consentanea sunt hæc Ciceronis verba in oratione *de Aruspicum responsis*: *Ego verò*, inquit, *primum habeo auctores ac magistros religionum colendarum Majores nostros: quorum mihi fuisse tanta sapientia videtur, ut satis superque prudentes sint, qui illorum prudentiam non dicam assequi, sed quanta fuerit, perspicere possint; qui statas solenneisque cerimonias, pontificatu: rerum bene gerendarum authoritates, augurio: fatorum veterum prædictiones Apollinis, & vatum libris: portentorum explanationes, Hetruscorum disciplinâ contineri putarunt.*

Cicero de cultu Deorum.

Religionis veræ duo extrema.

Religionis autem, (de vera loquor) quæ tanquam virtus omnium virtutum regina & domina in medio posita est, duo sunt extrema. Unum extremum est defectus, nempe ἀθεότης, sive ἀθρησκεία, *irreligiositas*, Dei, sive Deorum, cultusque divini, sive is reverâ talis sit, sive fucatus, neglectio, contemptio, & irreligiosa tractatio, Atheismus. Alterum extremum est excessus, nempe ψευδοθρησκεία, εἰδωλοθρησκεία, ἐθελοθρησκεία, δεισιδαιμονία, hoc est, superstitio, quæ est vitium religioni oppositum, secundum excessum. Etsi vero omnis Gentilium religio tota, quantacunque fuit, tota, inquam fuit mera cum impietas, tum superstitio: tamen ipsi quoque Ethnici duo hæc in religione sua extrema statuerunt. Unde Cicero libro primo *de Natura Deorum*, religioni superstitionem opponit his verbis: *Non Philosophi solum*, inquit, *verum etiam Majores nostri superstitionem à religione separaverunt.* Et Plutarchus lib. *de superstitione*: *Ut nonnulli*, inquit, *latronum, aut ferarum insultum, ignemve inconsiderate & imprudenter fugientes, incidunt in loca invia, ubi præcipitia sunt & voragines periculosæ: Sic quidam, superstitionem fugientes, dum transiliunt in medio positam pietatem, in duram pertinacemque incidunt impietatem.* Idem impietatis & superstitionis comparationem instituens, impietatem dicit esse opinionem falsam: superstitionem vero affectum animi, ex errore natum. Et alibi, superstitionem impietatis esse originem. Cicero libro secundo *de Divinatione*: *Non enim sunt hi aut scientia, aut arte divini, sed superstitiosi Vates impudentesque arioli, aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat, qui sibi semitam non sapiunt, aliis monstrant viam, quibus divitias pollicentur, ab his drachmam ipsi accipiunt.* Item libro eodem secundo *de Divinatione*: *Ut religio propugnanda est: sic superstitionis stirpes omnes ejiciendæ. Nam primum quidem inter illos ipsos extiterunt nonnulli, qui vel nullos omnino Deos esse, vel si sint, illos nullam mundi, rerumque creatarum*

tarum

tarum curam habere, ac proinde nequaquam colendos esse censuerunt. Nam sublata Deorum providentia omnem religionem tolli Cicero his verbis eleganter docet libro primo *de Natura Deorum: Si vera est*, inquit, *eorum Philosophorum sententia, qui omnino nullam habere censent humanarum rerum procurationem Deos, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio? Hæc enim omnia pure & caste Deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab iis; & si est aliquid à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dii neque possunt nos juvare, nec curant omnino, nec, quid agamus, animadvertunt; nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare posit, quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?* Idem libro primo *de Natura Deorum: Sanctitate*, inquit, *& religione sublata, perturbatio vitæ sequitur & magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus justitia tollatur.*

Quantum contra antiquorum Gentilium non solum observandæ ac conservandæ, sed etiam augendæ, propagandæ & amplificandæ falsæ illius suæ religionis studium fuerit, Valerius Maximus toto libro primo de cultu Deorum, capite primo, de neglecta religione capite secundo, de simulata religione capite tertio, de auspiciis capite quarto, de ominibus capite quinto, de prodigiis capite sexto, de somniis capite septimo, de miraculis capite octavo, multorum cum Romanorum, tum Græcorum, atque etiam aliarum nationum illustribus exemplis comprobat atque confirmat. Religionis suæ augendæ studium Ethnicorum maximum.

Quanto autem Romani præ cæteris gentibus religionis suæ patriæ & antiquæ, seu superstitionis potius tuendæ & conservandæ studio flagrarint, Cicero de Aruspicum responsis multis verbis ornate eleganterque exprimit: *Cognovi*, inquit, *multa homines doctissimos sapientissimosque dixisse, &c.* Romanorum studium religionis suæ tuendæ.

Alterum extremum, excessum videlicet, diximus esse superstitionem. De hac sic Plutarchus in libello, quem scripsit *de Superstitione, Nullus est animi morbus tam multis erroribus, perturbationibusque scatens, & ex tam inter se dissidentibus, & pugnantibus opinionibus refertus, atque superstitio.* Idem ibidem, *Superstitionis ridicula sunt opera atque effectus, verba, motus, præstigiæ, incantationes, circumcursitationes, tympanorum pulsationes, lustrationes impuræ, sordidæ castimoniæ, barbarica & injusta in templis supplicia, quæ nonnullis occasionem dederunt dicendi per contumeliam, præstare nullos esse Deos, quam qui talia probent, iisque delectentur, adeoque sint contumeliosi, sordidi & morosi. In superstitione*, ait Cicero libro *de Inventione, inest timor inanis Deorum, cum scilicet timemus, ubi nullus debet esse timor. Superstitio*, ut idem confessus est, *fusa est per gentes, oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit. Nec tamen, superstitione tollenda, religio tollitur.* Idem pro Cluentio, *Pietate & religione & justis precibus non contaminata superstitione, nec cæsis hostiis Deos placari dixit. Superstitione qui est imbutus*, ut ait idem *de Finibus, quietus esse nunquam potest: cui nullæ sunt vel per somnium inductæ*, ut ait Plutarchus, *quique neque vigilans recta ratione utitur, neque ab eo, quod ipsum perturbat, somno liberatur, sed dormit ratio, semper vigilat metus, fuga mali aut requies nulla datur. Imbecilli animi facile superstitiosa concipiunt*, Idem *de Divinatione.* Et *de Natura Deorum, Ita factum est in superstitioso & religioso: alterum vitii nomen, alterum laudis.* 2. Superstitio, alterum extremum religionis.

Superstitiosos M. Tullius, libro secundo *de Natura Deorum*, voluit dictos quod totos dies precarentur & immolarent, ut sibi sui filii essent superstites, secundum illud Plauti in *Asinaria*: *Sicut tuum vis unicum gnatum superesse*, id est, superstitem & vitæ sospitem esse. Servius similiter superstitionem vult dictam a superstite, quæ anicularum propria est, quæ multam per ætatem superstites sunt, & quæ rebus inanibus addictæ, dum volunt videri nimis religiosæ, superstitiosæ sunt & ita delirant. Hinc superstitio à Cicerone & aliis tribuitur mulieribus, & quidem vetulis potissimum, ut quæ ad superstitionem inprimis procliveis sunt atque propensæ. Hinc superstitio sæpe *muliebris* & *anilis* appellatur. Idem Cicero *de Divinatione, Omnis superstitio*, inquit, *est imbecilli animi atque anilis.* Item *de Inventione, Eæ superstitiones sunt pene aniles.* Item, *Est periculum, ne aut neglectis his impietate, aut susceptis anili superstitione obligemur*, de Natura Deorum. Huc facit illud, *Non id dicitis superstitiose atque aniliter, sed physica constantique ratione.* Superstitiosi unde dicti.

Lactantius vero in *Institut. Christ.* libro secundo, capite vigesimo octavo, existimat *superstitionem* & *superstitiosos* dici, non eos, qui filios suos superstites optant (Omnes enim optant.) Sed hos, qui superstitem defunctorum memoriam colunt, aut qui parentibus suis superstites colebant imagines, eorum domi tanquam Deos penates. Nam qui novos sibi ritus assumebant, ut in Deorum vicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos *superstitiosos* vocabant; eos vero, qui publicos & antiquos Deos colerent, *religiosos* nominabant. Unde Virgilius, Lactantius de etymo superstitionis.

Vana superstitio, veterumque ignara Deorum.

Vanam vocat, ceu proprio epitheto superstitionis: unde Sillius Italicus libro quinto,

Vana superstitio, Dea sola in pectore virtus.

Quid si, ut *justitia* dicta est a *jure* & *sistendo*, quod sit virtus, qua jus suum cuique sistitur, hoc est, pariter æquabiliterque tribuitur, & *solstitium* à sole quasi *sistendo*; ita *superstitio* à *super* & *sistendo* dicta sit, quod ea cum Deo, tum Diis alienis sistat, id est, tribuat, quæ sunt super, id est, præter & contra veram rationem seu voluntatem legemque divinam. Ita *superstitio* secundum nominis Latini notationem est nimia & superabundans pietas & religio, secundum illa Ecclesiastici septimo capite: *Noli esse justus multum, &c. ne impie egeris multum.* Tam enim malum judicatur nimium esse justum, id est, superstitiosum, quam nimium esse sceleratum. Ut enim summum jus summa est injuria, ita nimia & supervacanea religio, summa est superstitio. Ut justitia a jure sistendo: sic superstitio a supersistendo dicta.

Græcis *superstitio* duobus potissimum nominibus insignitur, prout duæ superstitionis sunt species. Una est, qua Nomina Græca superstitionis.

qua immediate in Deum ipsum, qui solus est colendus, peccatur: & hæc *εἰδωλολατρεία* appellatur, quando in Deum peccatur per idola & simulacra, ut nomen ipsum sonat. Altera species est *ἐθελοθρησκεία*, qua proprie in cultum peccatur. Interdum tamen superstitio appellatur etiam *δεισιδαιμονία*, id est, *Dæmonum, Deorumve metus superstitiosus*, & *δεισιδαίμων*, qui meticulose Dæmonas, seu Deos colit, & *δεισιδαιμονεῖν*, *metu Deorum superstitioso teneri* seu *conflictari*. Vere & merito superstitio hoc nomine insignita fuit ab Ethnicis, propterea quod, ut Cicero ait libro *de Invent.* in superstitione timor inest inanis Deorum. Homines enim superstitiosi perpetuo Dæmonum metu sive tremore conflictantur atque torquentur. Unde Cicero *de Finibus*, *Qui superstitione est imbutus, quietus esse nunquam potest*: & Plutarchus libro citato, *Superstitiosus pallet coronatus, sacrificans trepidat, tremente voce vota facit, manibus adolet titubantibus, omninoque ostendit, nugatum esse Pythagoram, qui dixit optime nos habere, cum ad Deos accedimus. Tunc enim miserrime pessimeque affecti animo sunt.* Hæc Plutarchus de superstitione. Idem ibidem superstitiosorum, vel superstitiosi exitus dicit esse lethales: cum illi magis impii sint. Nam superstitiosi impias de Diis qui Deos esse negant, habent opiniones. Deorum igitur sunt inimici. Itaque *δεισιδαιμονία*, id est, *superstitio*, vere *δυσδαιμονία*, id est, *infortunium*, & *δεισιδαίμων*, id est, *superstitiosus*, vere *δυσδαίμων*, id est, *infelix* & *infortunatus* dici potest. Nos Germani recte Idololatriam & superstitionem partim Abgötterey / partim Apposteuzlerey & Heuchelerey appellamus. Abgotterey / quod à Deo uno animos nostros avocat, atque traducit ad Deos alienos. Apposteuzlerey vero & Heuchelerey ab hypocrisi & simulatione, quia est religio fallax, ficta & simulata. Galli hominem superstitiosum *Bigot*, & superstitionem *Bigotterie* appellant voce composita ex Bi / vel Bey / quæ vox Germanicè *Apud*, & Gott / quæ Germanice *Deum* sonat: propterea quod superstitiosi homines simulant, se Deo esse propinquos & proximos, cum ab eo sint alienissimi, longeque remoti; vel quod cœco quodam mentis errore Deum, sive Deos sibi propinquos, proximos ac præsentissimos esse opinantur. Multa enim sunt, ut hoc obiter dicam, Gallorum & Germanorum communia vocabula, ut etiam Italorum, præsertim militaria, & ea inprimis, quæ à Latina lingua sunt aliena & remotiora.

Nomina Germanica superstitionis.

Ethnici veram religionem a superstitione discernere non potuere.

Etsi vero Gentiles, ac illorum præsertim doctores, atque magistri, *Philosophi* dicti, plurima rationi veritatique admodum consentanea, & de religione & de superstitione memoriæ litterisque prodiderunt: tamen veram religionem à falsa, sive à superstitione discernere nequaquam potuerunt, & veram religionem, ut Judæorum antiquam à Deo ipsis præceptam atque præscriptam appellarunt: suas autem vel turpissimas & monstrosissimas superstitiones religionis augusto sanctoque nomine insignierunt. Nam, ut ipse Cicero confitetur, superstitio religioni propinqua est, &c. ut idem testatur, religionem superstitio imitatur, hoc est, religionis veræ est imitatrix, æmulatrix, simulatrix, quasique simia, quæ speciosam præ se fert religionis speciem. Sic enim, exempli gratia, fere tota illa Gentilium, sive gentium antiquarum religio profecta fuit ex *κακοζηλία*, id est, prava, perversa atque præpostera quadam priscæ, antiquæ, ac vere divinæ illius religionis, quam Patriarchæ, & illorum posteri Judæi, divinitus sibi traditam atque præscriptam coluerunt, imitatione. Inde certe sumpserunt atque mutuati sunt plurimos ritus atque cerimonias. Deus autem ut electum, eximium & peculiarem illum suum populum Hebræum & Judæum, & Israeliticum dictum, à varia, multiplici, infinita atque monstrosa illa reliquarum gentium superstitione atque idololatria, ab innumeris illarum opinionibus atque erroribus, ab innumerabilium Deorum cultu atque veneratione, ab innumeris, multiplicibus, diversis interque se contrariis eos colendi modis atque formis, ab innumeris illarum templis, delubris, fanis atque lucis, ab innumeris aris & altaribus, ab innumeris idolis, statuis & imaginibus, ab innumeris ludis atque spectaculis, ab innumeris sacris atque sacrificiis, ab innumeris sacerdotibus atque sacerdotiis, ab innumeris ritibus, cerimoniis, gestibus seu potius gesticulationibus variis & ridiculis, ab innumeris oraculis, auguriis, auspiciis & vaticinationibus avocavit atque avertit: ita se solum & unum verum Deum, ab uno & solo fere illo suo populo, uno in loco, uno in tabernaculo atque templo, uno altari, unis festis & solennitatibus, uno modo ab ipsomet præscripto atque tradito, ab unius tribus sacerdotibus atque Levitis, uno animo atque spiritu, absque ullis idolis & simulachris coli & adorari voluit atque præcepit. At miser iste populus cum ipsius Diaboli instinctu atque impulsu, tum authoribus & impulsoribus hominibus sæpe in impuras Gentilium superstitiones prolapsus est, & idcirco gravissimas, & quidem justissimas pœnas luit.

A superstitione Ethnicorum Deus Judæos avocavit.

Judæi in superstitionem Ethnicorum sæpe relapsi.

Porrò de superstitione libellum integrum scripsit Plutarchus, lectu dignissimum, in quo Gentilium superstitio suis coloribus depingitur.

Ethnici Deos suos coluerunt 1. Interne. 2. Externe.

Deos autem illos suos fictos & commentitios coluerunt partim interne, partim externe. Interne quidem animo atque mente suâ, vanissimis nimirum suis erroribus, opinionibus & persuasionibus illos amando, omnem salutis atque felicitatis suæ spem in illis collocando, honorifice de illis sentiendo, & illos magnificiendo. Externe autem eosdem coluerunt variis & multiplicibus cerimoniis, ritibus, gestibus, votis, precibus, templis, altaribus, simulachris, sacrificiis, donariis, anathematis, peregrinationibus, festis, ludis, spectaculis.

Interne potius Deum coli quidam agnoverunt.

Deum autem sive Deos animo potius, spiritu & affectu, & virtutibus quam externis & corporeis rebus, ritibus, cerimoniis, donis atque muneribus colendos esse atque placari posse, multi Ethnicorum prodiderunt. Huc illud:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Et

Et hoc Ovidii: *Non bove mactato cœlestia Numina gaudent,*
Sed quæ præstanda est, vel sine teste, fide.

Verùm quicquid sit, tota Gentilium religio nihil fuit aliud, quam mera superstitio & idololatria: religio, inquam, illorum irreligiosa fuit & superstitiosa: omnis illorum pietas mera fuit impietas: illorum sanctitas profana fuit & polluta: illorum res divina, non res fuit divina, sed potius humana; immo dæmoniaca, ab hominibus Dæmonum instinctu afflatuque excogitata & in mundum introducta: omnia illorum sacra revera fuerunt secundum alterum vocabuli hujus significationem sacerrima, hoc est, summopere exsecranda & detestanda, atque adeò sacrilega: omnis illorum veneratio Deorum atque cultus omnis venerationis & reverentiæ fuit expers. Denique religio seu potius superstitio illorum omnis impietatis & improbitatis, omniumque scelerum atque flagitiorum mater fuit atque procreatrix, ut ipsorum doctores atque Philosophi sæpe testati sunt atque confessi. Ethnicorum religio mera fuit superstitio.

His præmissis in genere de religione atque cultu Deorum gentilitio, nunc ad sacrificiorum, quæ ejus pars sunt præcipua, generalem explicationem accedamus, exordio rursus ducto ab eorum nominibus. De sacrificiis, parte præcipua religionis Ethnicorum: & primum de nominibus Latinis.

Sacrificii nomen Latinum aliquando rem, quæ sacrificatur sive offertur Deo sive Diis, sicut Hebræum טבח *Tebach*, significat: aliquando ipsam sacrificandi actionem, quæ *sacrificatio* proprie appellatur. Est autem vox composita à *sacro* & *facere*, ita ut *sacrificare* sit idem, quod *sacrum facere*, vel veniam petere sacrificatione. Pro *sacrificare* vero, vel *sacrificari Deo*, Latini etiam ajunt *sacrum*, sive *sacrificium* Deo alicui *facere*, *factitare*, *fieri*. Plinius libro tertio capite quinto, *Diva Angerona est, cui sacrificatur ad diem duodecimum Kalendas Januarii ore obligato, &c.* Plautus in *Mostellaria*, *Jovi vivo argento sacrificassem.* Idem in *Capt.* *Genio suo quando sacrificat, ad rem divinam, quibus opus est, Samiis vasis utitur.* Cicero, *Cujus Laurentiæ vos Pontifices ad aram in velabro sacrificium facere soletis.* Idem de Aruspicum responsis, *Qui sacrificia gentilitia illo ipso in sacello, statuto loco, anniversaria factitarunt.* Ibidem, *Sacrificium, quod fiebat pro salute populi.* Sacrificii nomen quid significet. Unde dictum.

A *sacrificio* fit *Sacrificus*, sive *sacrificulus*, qui sacrificium, sive sacrum facit. Item, *Sacrificum* id quod ad sacra, seu sacrificia pertinet. Item *Sacrificati* à Cypriano & aliis scriptoribus primitivæ Ecclesiæ, qui idolis sacrificant: ut *thurificati*, qui thura idolis adoleverant. Cyprianus, *Libellatici, id est, qui libellis conscientiam suam macularunt, cum sacrificatis non sunt comparandi.* Sacrificus. Sacrificati.

Porro cum vox *sacrificii* sit composita, ut dixi, ex *sacro* & *facere*, observandum utrunque nomen separatim pro sacrificio & sacrificatione usurpari. Quoad prius; *sacrum* & in plurali numero *sacra*, sæpe pro sacrificio accipitur. Cicero pro Cornelio Balbo: *Sed cum illam, quæ Græcum illud sacrum monstraret & faceret, ex Græcia deligerent: tamen sacra pro civibus civem facere voluerunt.* Ibidem, *Sacra Cereris summâ Majores nostri religione confici voluerunt.* Ibidem, *Sacra Cereris per Græcas semper curata sunt sacerdotes.* Idem de Legibus, *Nec ulla vitiorum sacra obeunto.* Idem *rem sacram facere* sæpe dixit. Pertinet huc etiam proverbium, *Inter sacrum & saxum.* Atque hæc de priori. Quoad posterius; *Facere* absolute aliquando idem est, quod sacrificare, sive sacrificium facere. Cicero pro Muræna, *Nolite à sacris patriis Junonis hospitæ, cui omnes consules Facere*, id est, sacrificare, *necesse esse, domesticum & suum consulem potissimum avellere.* Virgilius in *Bucolicis:* Sacrum, vel sacra. Facere pro sacrificare.

Cum faciam vitulâ pro frugibus ipse venito:

Faciam, id est, sacrificabo. Sic *Operari* idem sæpe, quod sacrificare. Virgilius, Operari pro sacrificare.

Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis:

Operatus, id est, sacrificans. Et *Operatio* pro sacrificiis. Plautus, *Ut isthæc operatio*, id est, sacrificatio, *crimen expiet.* Sic *operari sacris*, idem est, quod sacra facere, sacris operam dare.

Præterea *Res divina* cum generaliter pro tota religione, tum pro sacrificio, seu sacrificatione sæpe accipitur. Et in plurali *Res divinæ*. Cicero, *Paterâ, qua ad res divinas*, id est, sacrificia, *utebantur.* Idem, *Res illum divinas apud eos Deos in suo sacrario prope quotidie facere vidisti.* Plautus *Pœnul.* *Paucis verbis rem divinam facito.* Idem Sticho: *Jube famulos, rem divinam apparent mihi.* Res divina, pro sacrificio.

Vocantur etiam sacrificia à Latinis *victimæ* & *hostiæ*: quæ tamen voces cum generatim pro quovis sacrificio, tum speciatim pro certis generibus sacrificiorum accipiuntur. Ac *victimam* quidem, teste Festo, Ælius Stilo voluit esse vitulum, ob ejus vigorem sic dictum: alii inde, quod vincta adducatur ad altare, aut quod hostibus victis immoletur. Quidam sic dictam volunt, quod ictu percussa concidebat. Sic igitur quadruplex fere hujus vocabuli ratio atque notatio adfertur. Quid si *victima* dicta sit à *victu*, propterea quod sacerdotum & sacrificulorum victus constabat victimis? Victimis enim sacerdotes victitabant, victumque sibi comparabant: unde Hoseas Propheta sacerdotes suæ ætatis idololatras & superstitiosos dixit peccata populi sui comedere fuisse solitos: ubi vox *peccatorum* pro sacrificiis, ut sæpe aliàs in sacris litteris accipitur. *Victimam* autem speciatim dictam esse eam, quæ post victoriam & dextra victrice immolabatur, testantur illa Ovidii: Victima & sacrificium & genus sacrificii est. Victimæ etymon.

Victima, quæ dextrâ cecidit victrice vocatur.

A *victima* dicti sunt *Victimarii*, partim negotiatores, qui victimas emebant & vendebant (Plinius, *Unde victimarii, negotiatores vili mancipio.*) partim ministri sacrificii, de quibus infra. Victimarii.

Ut autem *victimæ*, ita *Hostiæ* quoque nomen cum generatim quodvis sacrificium significat, tum speciatim quod victis hostibus immolabatur, secundum idem Ovidii, Hostia quoque sacrificium & genus sacrificii denotat.

Victima, quæ dextrâ cecidit victrice vocatur:
Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Sic

Sic Christi sacrificium secundum specialem hanc utriusque vocabuli significationem (si sacra licet miscere profanis) *hostia* & *victima* dici potest, quo nimirum omnes cum visibiles, tum invisibiles generis humani hostes, videlicet Diabolus, Mundus, Peccatum, Mors, Infernus, Legis maledictio, domiti, devicti, atque prostrati fuerunt. *Hostiam* Festus vult dictam ab antiquo verbo *Hostire*, quod *ferire* significat, quod hostia hostiebatur, id est, feriebatur, seu cædebatur. Quid si *hostia* dicta sit vel a Græco ὅσιος, quasi ὁσία, id est, *sancta*: vel ab Hebræo חטא *Hatta*, quod & *peccatum* est, & *hostia* pro peccato: vel quod sit quasi ostium salutis? Inter *hostiam* autem & *victimam* speciatim dictam discrimen adferunt, de quo, sicut & de aliis, quæ huc faciunt, vide Gyraldum in libris, quos *de Diis gentium* conscripsit.

Hostiæ etymon.

Agonia.

Porro *Hostiam* Antiqui *Agoniam* vocabant ab agendo: unde *Agonium* dies appellabatur, quo Rex hostiam immolabat: quamvis *Agonium* etiam putabant dici Deum, præsidentem rebus agendis, cujus festivitatem *Agonalia* vocabant, sive quia *agones* dicebant montes. Inde *Agonia* sacrificia sunt, & *Agonius* ludus. Forsan vel à voce *Agone*, vel ab agendis pecoribus: unde etiam *Agolum* dixerunt baculum pastorale, quo pecudes aguntur. Hæc Festus.

Libatio. Libare.

Sunt præterea apud Latinos quædam vocabula, quæ tametsi proprie peculiares quosdam ritus significant: tamen in genere pro sacrificio & sacrificatione sæpissime accipiuntur. Hujusmodi sunt *libationis*, *immolationis*, *mactationis*, *votorum*, *initiorum*, *suppliciorum* nomina. *Libare* igitur proprie nihil aliud erat, quam res, ad sacrificia destinatas, leviter degustare, & quasi primoribus labris degustare: sæpe tamen pro *sacrificare* ponitur, ut apud Virgilium & Tibullum:

Nunc pateras libate Jovi.

Immolare.

Sic *Poma libare* pro, sacrificare. Sic *Immolare* proprie erat hostiam mola, id est, farre multo & sale aspergere: creberrime tamen in genere *sacrificare* significat. Cicero *de Natura Deorum*, *Pythagoras Musis bovem immolasse dicitur.* Sic *Immolari* absolute. Idem *de Divinatione*, *Cum pluribus Diis immolatur, qui tandem evenit, ut aliis litetur, aliis non litetur?* Idem ibidem, *Cum Sylla in agro Nolano immolaret*, id est, sacrificaret, &c. Inde fit etiam *Immolatio*, *Immolator*, de quibus infra.

Immolatio, &c.

Mactare pro sacrificare & interficere. Mactare, pro augere.

Idem dicendum de *mactandi* verbo. *Mactare* proprie est sacrificare victimis cæsis: ut,

Et nigram mactabis ovem, lucumque revises.

Hinc apud bonos authores interdum pro *interficere* ponitur. Interdum etiam significat *augere*, & tam in bonam, quam malam partem accipitur: in bonam, ut apud Ciceronem, *Ferunt laudibus, mactant honoribus*: & apud Plautum, *Tamen honesté mactatum reducam domum*: in malam partem, ut apud eundem Ciceronem in Vatinium, *Quo majore malo es mactandus, quod non solum facto tuo, sed etiam exemplo Rempublicam vulnerasti, neque solum improbus esse, sed etiam alios docere voluisti.* Sic *mactare supplicio, infortunio, malo, re mala, cruce, cruciatu* apud Plautum frequenter occurrit. Inde *Macte* vox: ut *macte animi*, *macte virtute*, vel *macte vir virtute.* Sic igitur proprie augeri hostiæ dicebantur, quando immolantur adhibita molâ, vino, thure ei infuso, & similibus: unde etiam *mactæ* appellabantur, quasi *magis auctæ* & cumulatæ. Sed alia quoque significatione augeri hostiæ dicebantur, quando unâ hostiâ non litante, altera, tertia, pluresve adhibebantur, de quo inferius. Hujusmodi autem *mactandi* verbum sæpe occurrit, præsertim apud Ciceronem; ut *mactare victimam.* Pro Flacco: *Quam potestis P. Lentulo mactare victimam gratiorem?* Sic *Puerorum extis Deos manes mactare*, pro, Diis mactare novo dicendi modo. Cicero in Vatinium, *Et quoniam omnium rerum magnarum à Diis immortalibus principia ducuntur, volo ut mihi respondeas tu, qui te Pythagoricum soles dicere, & hominis doctissimi nomen tuis immanibus & barbaris moribus prætendere, quæ tanta pravitas te mentis tenuerit, qui tantus furor, ut, cum inaudita & nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis Deos manes mactare soleas, auspicia, quibus hæc urbs condita est, quibus omnis Respublica atque imperium continetur, contempseris, &c.* Accius, *Aut illorum copias fundam in mare, aut naves vestras mactabo*, id est, projiciam, præcipitabo *in mare.* Videtur alludere ad morem libandi & exta porriciendi, id est, projiciendi in forum, de quibus infra.

Macte.

Mactæ, pro victimis auctis.

Mactare verbum crebrum apud Cic. &c.

Macellum.

A *mactandi* verbo *macellum* videtur dictum: tametsi alii illud deducunt à *macerando*, quod pecora, dum eo ducuntur, macerentur. Et hæc de verbo *mactandi*, sacrificiorum proprio.

Pollucere & Litare.

His adde *pollucendi* & *litandi* verba: quorum prius etsi proprie est *sacrificare Herculi*: tamen ad aliorum quoque Deorum sacrificia transfertur: posterius, licet à *sacrificandi* verbo recte distinguatur, & proprie, (qui sacrificiorum finis fuit & effectus) Deos placare & veniam ab iis impetrare significet: tamen generaliter sæpe pro *sacrificare* accipi videtur, de quo postea pluribus.

Vota.

Sic *Vota* quoque, ut apud Græcos σπονδαὶ, pro sacrificiis aliquando ponuntur. Virgilius 3. *Æneid.*

Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras,

Supplicia.

Id est, sacrificiis, quæ voveramus. *Supplicia* quoque Veteres quædam sacrificia a supplicando appellabant, teste Paulo.

Initia.

Initia similiter pro sacrificiis usurpantur.

Haruga.

Haruga, vel, ut alii legunt, absque aspiratione, *Aruga*, hostia est, authore Donato, *ab aro*: quam alii sic dictam volunt ab *hara*, in qua includebatur. *Haruga*, teste Festo, dicebatur hostia, cujus adhærentia inspiciebantur exta.

Offerimenta.

Offerimenta denique, inquit Festus, dicebant, quæ offerebantur. Hæc de nominibus Latinis sacrificiorum.

A Græ-

Nomina Græca ſacrificiorum Θυσία.

A Græcis ſacrificium θυσία appellatur. Vox θυσίας proprie ſacrificationem, ipſamque ſacrificandi actionem, ſeu ſolennitatem, quæ eſt in re divina facienda, ſignificat, quam Cicero vertit *Rem divinam.* Hinc ἄθυτοι θυσίαι, *Sacra illegitima & polluta*, apud Philonem, καλλίθυτοι & καλλιέρητοι θυσίαι, *ſacrificia bonis auſpiciis*, aut *rite facta*, ἀθάνατοι θυσίαι, *perpetua Sacra.* Aliquando feriæ, in quibus Sacra fiunt, hac voce denotantur, ut apud Lucianum & Ariſtotelem libro 8. *Ethic.* cap. 9. Hinc θυσίαν ποιεῖν, ſive ποιεῖσθαι dixit Plutarchus, θῦσαι θυσίαν Plato, θυσίαν τελεῖν καὶ ἐπιτελεῖν Herodotus, id eſt, *ſacrificium facere, conficere, curare.* Sic enim Herodotus, ὑπὲρ τῆς βασιλείας θυσίας τελέσας. Porro θυσίαν Porphyrius & Grammatici quidam dictam exiſtimant quaſi θυμιάσιν, quod primi Mortalium θυμιάσιν, id eſt, *ſuffitum* & evaporationem Diis offerre & impendere fuerint ſoliti.

Θῦμα. Θύματα.

Θῦμα *victimam* ſeu *hoſtiam* ſignificat Luciano *de ſacrificiis* & Plutarcho. Idem eſt θυσίασμα Athenæo libro nono, & Iſocrati ad Nicoclem. Ejus plurale θύματα, Galenus apud Hippocratem exponit θυμιάματα, id eſt, *ſuffimenta.* Alioqui θύματα dicebantur etiam piſtorium opus, quod ad animalium formam effectum Diis immolabatur, ut exponit Scholiaſtes apud Thucydidem libro primo. θύματα item πάγκαρπα apud Sophoclem in *Electra* ſunt omnis generis fruges, quæ Diis offerebantur. Inde fit θυμάτιον, ſive θυμήτιον, *parva hoſtia, beſtiola*, Poetice & apud Suidam. Item πρόθυμα, τὸ πρὸ τῆς θυσίας γινόμενον θυμίαμα, ut exponit Scholiaſtes Ariſtoph. *ſacrificii præludium*, res, quæ ante ſacrificium offertur, victima præmactata. Idem quod προκάταργμα, libamen ſacrificiorum, quod fiebat, antequam hoſtia feriretur.

Θυμάτιον. Πρόθυμα.

Θύος, θύον & θύα.

Θύος, τὸ θύεος etiam θυμίαμα ſignificat, hoc eſt, *ſuffimentum*, ſive *odoramentum*, & θύον erat omne illud, quod Deabus ſacrificabatur: cujus plurale θύα Heſychius exponit πέμματα, id eſt, *liba*, ſeu *placentulas.* Inde fit θυοκόος & θυοσκόος, *ſacrificus*, qui Sacra flammis adolet, ſeu accendit, a θύος & κέω, id eſt, καίω. Euſtathius Ιλ. α. οἱ μάντεις εἰσὶ θυοσκόοι ἢ ἱερῆες· ubi tradit μάντεις eſſe genus; θυοσκόοι autem & ἱερῆες ſpecies. At ſecundum antiquos θυοσκόους eſſe τοὺς διὰ ἐπιθυμιωμένων μαντευομένους, hoc eſt, ἐμπυρομάντας, ſive λιβανωμάντας, ut alio nomine vocantur. ἱερέας autem τοὺς διὰ σπλάγχνων, *aruſpices.*

Θυηλή.

Θυηλὴ item & *ſacrificium*, (unde θυηλάσασθαι, *ſacrificare*) & *aruſpicium* ſive *extiſpicium*, hoc eſt, ut Euſtathius exponit, τὴν διὰ θυσιῶν μαντείαν, ſignificat, alio nomine etiam πέλανος eſt dicta, hoc eſt, *mola*, ſacrificiis apta, quæ fiebat ex tenuiſſima farina: cujuſmodi eſt libum, placenta: ideo etiam pro ἀπαρχῇ poſita Ιλ. ι. apud Homerum:

Ὁ δ' ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς.

Θυηλήσιον.

Et apud Athen. lib. 13. ὁ δὲ τέττιξ καὶ τὰς θυηλὰς ἐπιλήθησιν· ubi videtur ſignificare *molas*, quæ hoſtiis inſperguntur. Inde fit θυηλήσιον, genus vaſis, uſitati in ſacrificiis, apud Pollucem, libro decimo, & θυλήματα, ſive θυήματα, farra melle imbuta, vel ſuffimenta, quæ in aris adolebantur, ut vult Heſychius: ut vero Ariſtophanis Scholiaſtes, τὰ τοῖς θεοῖς ἐπιθυόμενα ἄλφιτα; quæ dicit aſpergi vino & oleo. Tale quid *libum* erat apud Latinos genus dulcearii, ex farre, caſeo, melle & oleo. θυλήματα Suidas quoque exponit πέμματα, item ἀπαρχὰς, id eſt, *primitias*, quæ Budæo ſunt προθύματα.

Θύτης.

Deſcendunt etiam inde θύτης, *ſacrificus*, & θύται, *ſues*, ſic dicti à ſacrifico uſu: item φιλόθυτος, *rei divinæ faciendæ ſtudioſus*, Ariſtoph. in *Veſpis.* item θυτικὴ, videlicet τέχνη, ſcientia faciendi rem divinam eſt aruſpicina. Hinc Athenæus libro 14. coquos θυτικῆς ἐμπείρους vocat, *peritos artis illius.* Hujuſmodi ſunt θύειν, ἐπιθύειν, συνθύειν apud Demoſthenem & Æſchinem, & θυάζειν, vel θυσιάζειν· quæ idem ſunt quod ἐναγίζειν, ἔρδειν, & ſimilia, ut ἔρδειν ἱεροῖς, Heſiodo, id eſt, *immolare, ſacrificare, ſacrificia facere.* Interdum autem θύειν abſolute ponitur, ut θύειν ἢ θύεσθαι τοῖς θεοῖς, *ſacrificare Diis*, apud Demoſthenem, & θύειν τῷ θεῷ καὶ εὔχεσθαι, *Sacra & vota Deo facere* apud eundem, qui & ἱεροποιεῖν καὶ καλλιερεῖν illi adjungit. Sic παρὰ τὰ πάτρια θύειν, *violare ritus patrios.* Interdum conjunctum cum accuſativo tranſeunte reperitur, ut θύειν ἱερὰ, θυσίας, & ſimilia. Interdum accuſativum habet ſignificantem id, propter quod ſacrificatur, ut apud Plutarchum, θύειν γάμους, *nuptias feſtas ſacrificiis agere*, pro, θύειν διὰ τοὺς γάμους, *ſacrificare propter nuptias.* Sic εὐαγγέλια θύειν ἑκατὸν βοῦς τῷ θεῷ, *ſacrificare centum boves propter fauſtum nuntium*, Ariſtoph. Εἰσιτήρια θύειν, *ſacrificare propter primum diem anni*, quo totus magiſtratus apparebat, θύειν διαβατήρια eſt *pro tranſitu ſacrificare.* Apud Homerum θύειν ex Veterum opinione accipi ſemper pro θυμιᾶσαι annotat Euſtathius Od. ξ. θύειν etiam *furere*, furibundo & præcipiti furore ferri ſignificat: forſan quia Gentiles in ſuis ſacrificiis hujuſmodi furore ferebantur, ſeu rapiebantur potius. Quid ſi θύειν & θυσία ἀπὸ τοῦ θεοῦ, quaſi θεῖον, id eſt, res divina ſit appellata, quod ſoli Deo ſit offerenda? Nec incongrue etiam ab Hebræo טבח, *Tabach*, id eſt, *mactavit*, poſſet deduci.

Θύειν, ἐπιθύειν, &c.

Etymon τοῦ θύειν, ſive θυσίας.

Ἱερὸν, ἱερὰ, & ἱερεῖα.

Ἱερὸν item & ἱερὰ, numero plurali, & ἱερεῖα, ut *Sacrum* ſive *Sacra* apud Latinos, & *ſacrificium*, ſive *hoſtiam* ſeu *victimam*, & *templum* ſive *fanum*, & *rem divinam* ſignificat. Hinc ὅσια ἱερὰ, *ſancta religio*, ἄρρητα ἱερὰ, *arcana Sacra*, τέλεια ἱερὰ, *integra Sacra*, ἄθυτα καὶ ἀκαλλιέρητα ἱερὰ, *exta triſtia*: quibus opponuntur τὰ καλὰ, apud Æſchinem contra Cteſiph. Hinc ille, ἄθυτα δ' ἱερὰ πολλάκις κατέσθιεν, *Sacra haud ſacrificata perſæpe comedit*: *necnon* ἅγια καὶ σεμνὰ, *ſancta & veneranda*: ut ὑπὲρ ἁγίων καὶ σεμνῶν ἱερῶν, ὧν οἱ πρόγονοι ἡμῶν οὕτω καλῶς καὶ μεγαλοπρεπῶς ἐπεμελήθησαν ἄξιον καὶ ἡμᾶς σπουδάζειν, Iſocrates. Idem; φροντίζειν τῶν ἱερῶν, *Curare Sacra.* Πρόνοιαν ποιεῖν μήτε τῶν ἱερῶν, μήτε τῆς ἑορτῆς, *Rationem nec ſacrorum habere, nec feſti.* Item, ὑπηρετεῖν τοῖς ἱεροῖς, *miniſtrare in ſacris*, θύειν, ἢ θύεσθαι τὰ ἱερὰ, *Sacra facere*, ut, μεταδιδόναι τινὶ τῶν ἱερῶν, *recipere aliquem in ſocietatem ſacrorum*, κοινωνεῖν καὶ μετέχειν τῶν αὐτῶν ἱερῶν, *uti iiſdem ſacris*, ἅπτεσθαι καὶ ἀπέχεσθαι τῶν ἱερῶν, *attingere Sacra & ab iis abſtinere*, εἴργειν ἢ εἴργεσθαι καὶ ἀποκλύειν τινα τῶν ἱερῶν, *excludere aliquem & arcere*

Ἱεροποιεῖν, & ἱερεύειν.

ἀ Sacris, συλᾶν ἢ συλᾶσθαι ἱερὰ, *prædari*, *rapere Sacra*. Ab hoc ἱερὸν fit ἱεροποιεῖν, *Sacra* vel *religionem tractare*, & ἱερεύειν, *sacrificare*, *mactare*, ut ἱερεύειν ζῶον τινὶ, *sacrificare*, seu *mactare animal in alicujus gratiam*, ut Eustathius exponit *Odyss.* ξ. Et ἱερεύειν δεῖπνον, *sacrificare ad parandum prandium*. Inde fit & ἱερεῖον *sacrificium*, *victima*, *hostia*, ut ἀπάγεσθαι ἱερεῖον ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, *deduci victimam ab ara*, καταβάλλειν ἱερεῖον, *prosternere victimam*, καίεσθαι ἱερεῖα, *ardere victimas*, θύειν ἱερεῖον, *sacrificare victimam*, καταρράσσεσθαι τῶν ἱερῶν, *victimas ferire*. Fit inde & ἱεροσυλία, *sacrilegium*, & ἱερόσυλος, *sacrilegus*, & ἱερουργία, *sacrificatio*, & ἱερουργεῖν, *sacris operari*.

Ὄργια. & unde dicta.

Ὄργια quoque, ut vult Servius, apud Græcos cum omnia Sacra dicuntur, tum propria Sacra Liberi, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est, *à furore*, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, *à montibus*: quod in montium jugis, ut cœlo proximis locis (quæ *Excelsa* in sacris litteris appellantur) sacrificare consueverunt. Apollonii Scholiastes sic vult dicta παρὰ τὸ εἴργειν τοὺς ἀμυήτους αὐτῶν, *quod à sacris profani arceri debeant*. Aliquando sanctiora & magis arcana Sacra sic appellantur: idem quod μυστήρια, sicut exponitur. Inde ὀργιάζειν, *Orgia*, sive *Sacra peragere*, vel sine adjectione, vel cum ea, ut ὀργιάζειν τὸν θεὸν, id est, *sacrificiis Deum placare*, apud Platonem: ut apud Latinos, *mactare Deos extis*. Item ὀργιάζειν, *sacris initiare*. Pro ὀργιάζειν dicitur etiam ὀργιᾶν Hesychio. Ὀργιάζεσθαι dicuntur ipsa Sacra, quum peraguntur. Exponitur hoc etiam active, pro rem divinam facere, apud Platonem libro quarto *de Legibus*.

Ὀργιάζειν.

Ὀργιασμός, Ὀργιαστής. Φιλοργός.

Hinc ὀργιασμὸς, *sacrorum peractio*, sive *operatio*, Plutarch. Ὀργιαστὴς eidem, & ὀργεὼν Æschylo & Hesychio, sacerdos, qui Orgia, sive Sacra Deorum celebrat, & φιλοργὸς, qui Orgiis & sacris delectatur.

Τελετή. Etymon τελετῆς.

Τελετὴ, quasi τελευτὴ, in singulari *expiatio* est, *cerimonia*, *sacerdotium*. In plurali τελεταὶ pro ludis & sacrificiis accipiuntur apud Platonem *de Republica*: quas dicit esse λύσεις καὶ καθαρμοὺς ἀδικημάτων, id est, *expiationes & expurgationes iniquitatum*. Possunt etiam festa dicta esse τελεταὶ ἀπὸ τοῦ τελεῖν, quod *impendere* inter alia significat, quoniam sacrificia, diesque festi maximas impensas requirunt. Alioqui τελεῖν est & *agere*, & *celebrare dies festos*.

Εἰσιτήρια. Διαβατήρια. Εὐαγγέλια.

Εἰσιτήρια quoque Græcis res divina, sive Sacra sunt dicta, videlicet quæ fiebant pro felici anni principio, quo totus magistratus apparebat: sicut Διαβατήρια, sacrificia pro transitu, & Εὐαγγέλια pro re bene gesta. De primo, ἱεροποιεῖν εἰσιτήρια ὑπέρ τινος πράγματος, rem divinam facere pro felici ingressu dixit Demosthenes. De secundo Plutarchus in *Lucullo*, ἔθυσε τῷ εὐφράτῃ διαβατήρια. De ultimo Isocrates, Εὐαγγέλια δὶς ἤδη τεθύκαμεν ἐπὶ τοιαύταις πράξεσι.

Μυστήρια.

Μυστήρια etiam Græcis sacra sunt, & quidem generaliter arcana quævis sacra, sive τὰ περὶ τοὺς θεούς. Hinc, ἐξαμαρτάνειν εἰς τὰ μυστήρια, & ἀδικεῖν περὶ τὰ μυστήρια, *violare sacra*, idem quod ἀσεβεῖν τὸ θεῖον, *violare religionem*. Item ποιεῖν μυστήρια, *sacra facere*, idem quod διοικεῖν εὐσεβῶς τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς, sive τὰ θεῖα διοικεῖν, *administrare religiose sacra*, apud Demosthenem. In specie vero significant *Sacrificia*. Hinc, συνάγειν τινὰς ἐπὶ τὰ μυστήρια, *congregare aliquos ad sacrificia*. Sic autem dicta videntur, vel quod ea δεῖ μύσαντας τηρεῖν ἔνδον, id est, *occludere oportet intus*, intus custodire, nec cuiquam profano explicare, vel ἀπὸ τοῦ μυεῖν τὸ στόμα, hoc est, *occludere & obsignare os*: de quo vide Erasmum in *Chiliadibus*, *Ante mysteria discedere*, & *Asinus mysteria portans*.

Pertinet huc quoque vox σπονδὴ, quam ad χρήματα ἱερὰ, sive res sacras adhibuerunt: quâ libationem, sive libamen significabant. Hinc, μετέχειν σπονδῶν καὶ εὐχῶν, *participem esse libationum & votorum* idem quod ὁμόσπονδον εἶναι τινὶ, apud Demosthenem: & εἴργεσθαι τῶν σπονδῶν, *repelli*, *arceri à libationibus*, apud eundem.

Nomina Hebræa sacrificiorum זבח & טבח Zebach & Tebach.

Hebraice sacrificium זבח *Zebach*, appellatur, a זבח *Zabach*, *sacrificavit*: idem quod טבח *Tabach*, *mactavit*, & טבח *Tebach*, *mactatio*, id est, animalium. Sed טבח *Tabach*, de mactatione animalium dicitur, quæ non sacrificantur: at זבח *Zabach*, sæpissime de mactatione pecorum sacra, id est, sacrificatione: ubi notabis sæpe sacrificia Israëlitarum, quæ sine vera fide atque Deo vel Diis offerebantur, *mactationes* per contemtum à Spiritu Sancto appellari, quoniam coram Deo nihil erant aliud, quàm profanæ animalium mactationes, in quibus etiam Israëlitarum mentes atque animi erant defixi, nihil altius, atque sublimius in iis quærentes & spectantes. Ab Hebræo זבח *Zebach*, vel *Sebach*, & Græcum σέβειν, sive σέβεσθαι, σεβάζειν, sive σεβάζεσθαι, & Latinum *Sabini* & *Sabæi* (qui religiosissimi olim apud Ethnicos habiti fuerunt populi) & *Sabazius* Deus videtur dictus.

קרבן Korban.

Nomen generalius est קרבן *Korban*, quod generaliter significat omne donum, seu munus, quod Deo offertur, tam de pecoribus quàm frugibus, aliisque rebus: unde *Oblationis* vocabulo Veteres commodissime illud expresserunt. Ei respondet vox Græca προσφορὰ, pro sacrificio sumpta, à προσφέρειν, id est, *offerre*: ut προσφέρειν δῶρα καὶ θυσίας. Sed nomen hoc προσφορᾶς in sacris tantum litteris, non in profanis, quod sciam, pro sacrificiis ponitur. Hujus exemplum habes *Levitici* secundo capite, *Si obtuleris* קרבן *Korban*, id est, προσφορὰν, *muneris cocti clibano*, &c. Ubi manifesta notatur differentia inter קרבן *Korban*, & מנחה *Minchah*: quod prius sit generalius, posterius specialius, & tantum de frugibus terræ dicatur.

Discrimen vocis Korban, & Minchah. הביא Hebi.

Hûc etiam referri potest verbum הביא *Hebi*, id est, *adduxit*, *attulit*, sive *obtulit*, quod sacrificiis accommodatur *Genesis* quarto capite. Nam Cainus quidem agricola הביא *Hebi*, id est, *adduxit de frugibus terræ Mincha*. Hebel autem, pastor ovium הביא, id est, *adduxit*, sive *obtulit Jehovæ de primogenitis pecudum suarum*, *& adipe earum*.

Sacrificiorum origo a primis nostris parentibus deducenda.

Porro sacrificiorum origo, ut omittamus Ethnicorum fabulas, secundum sacras litteras repetenda est à primorum parentum generis humani temporibus. Ac tametsi verisimile est, primos quoque illos nostros parentes Adamum & Evam sacrificia Deo fecisse: tamen eorum nulla in sacris litteris extat mentio, ita ut

nihil

nihil de illis certi affirmare possis. Prima igitur sacrificia, quorum expressa capite quarto *Geneseos* fit mentio, fuerunt Caini & Hebelis fratrum sacrificia: & hæc quidem omnium prima fuisse sacrificia Cyrillus quoque prodidit libro tertio *contra Julianum*. Ac Caini quidem Agricolæ sacrificium, quod Jehovæ obtulit, fuit ex frugibus terræ, vitæ nimirum ejus generi ac instituto accommodatum. Hebelis autem, qui opilio seu pastor ovium fuit, sacrificium constitit ex primogenitis ovium sive pecorum & adipe eorum. En duo prima sacrificiorum genera; quorum unum fuit *Mincha*, constans terræ frugibus: alterum animale, constans ovibus. Deinde unum quidem Deus respexisse, hoc est, pro grato & accepto accepisse dicitur, nempe Hebelis, propter fidem ejus: alterum vero non respexisse, sed repudiasse, nempe Caini sacrificium: quoniam illud fide fuit vacuum. Ut igitur Hebelis sacrificium omnis veri & justi sacrificii: ita Caini sacrificium omnium falsorum sacrificiorum typus fuit & origo. Similiter Augustinus toto Libro decimoquinto *de Civitate Dei*, sed inprimis capite quinto, & decimoseptimo ostendit in Caino & Hebele duarum, quæ in hoc Mundo cernuntur, civitatum fundamenta describi & proponi. Una est terrena, quæ a Caino fratricida exordium suum habuit, atque per ejus posteros fuit propagata: Altera est spiritualis & cœlestis, quæ est Ecclesia Dei, cujus primum exemplum fuit Hebel, Matthæi vigesimo tertio.

Sacrificium Caini ex frugibus. Sacrificium Hebelis ex pecoribus. Typus vel veri vel falsi sacrificii.

Sacrificiorum porro Gentilium varia, multiplicia ac pene innumera fuerunt genera, quæ enumerare omnia difficillimum, operosissimum & ἀδύνατον plane esse videatur. Verum, ut generalem quandam illorum divisionem subjiciam, illa primum dividuntur in publica & privata secundum Festum. Ac publica quidem, ut idem ait, fuerunt dicta, quæ publico sumtu pro populo fiebant; quæque pro montibus, curiis, pagis, facellis, dicta quasi *populica*: unde idem Festus ea *popularia* quoque appellat, quæ nimirum, ut Labeonis testimonio interpretatur, omnes civeis faciebant, nec certis familiis erant attributa. Plutarchus hujusmodi sacrificia θυσίας δημοτελεῖς appellat. *Privata* autem sacra, eodem Festo interprete, dicebantur, quæ pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiebant, quæ etiam *gentilitia* vocabantur, ut sacra Clodiæ gentis apud M. Tullium, & innumera alia. *Sacra privata*, ut idem ait in libro *de Legibus*, *perpetua manento.* Et paulo post, *De sacris hæc sit una sententia, ut conserventur semper, & deinceps familiis prodantur, ut in Lege posui*, Perpetua sint sacra.

Sacrificia Ethnicorum varia & multiplicia. Publica. Privata.

Hæc privata vero & gentilitia singularum familiarum & gentium sacra videntur subdividi posse in paterna & adoptiva, secundum illa Ciceronis de Aruspicum responsis: *Nec amissis sacris paternis in hæc adoptiva venistis.* Ad hæc sacra privata & hæreditaria alludit eleganter parasitus ille apud Plautum in *Captiv. Sine sacris hæreditatem sum aptus* (id est, adeptus, ab antiquo verbo *apiscor*) *effertissimam*, sive, ut alii legunt, *offertissimam, plenissimam, uberrimam, refertissimam. Sine sacris*, inquit idem, *sine sumtu, intertrimento & onere, nullo sumtu admixto aut adjuncto.* Sacra etenim familiaria pecuniam sequebantur, id est, eos, ad quos pecunia testatoris pervenerat, puta hæredem, bonorum possessorem legatarium, aliumve successorem, si non exstabat hæres. Qui igitur hæreditatem, præsertim optimam adeptus erat sine sacris, jure lætari poterat, quia magnum damnum fecisset sine ullo intertrimento. Ad hæc illustranda accommodata valde sunt illa Ciceronis secundo *de Legibus*: *De sacris autem, qui locus patet latius, hæc sit una sententia ut conserventur, & deinceps familiis prodantur: &, ut in Lege posui*, perpetua sint sacra. *Hoc posito, hæc jura Pontificum auctoritate consecuta sunt, ut, ne morte patrisfamiliâs memoria occideret, in ea essent adjuncta, ad quos ejusdem morte pecunia venerit.* Quinam autem sacris illis astringantur, sive alligentur, pluribus ibidem Cicero disputat.

Privata rursus paterna, vel adoptiva.

Deinde sacra, sive sacrificia Gentilium dividi possunt secundum tempus; idque multifariam. *Stata sacrificia*, inquit Paulus, *dicebantur, quæ certis diebus fiebant.* Cato in ea oratione, quam scripsit de Lucio Victorio de sacrilegio commisso, cum ei equum ademit: *Sueta*, inquit, *stata, solennia, sancta deseruisti.* Sic *solennia*, Festo teste, sacra dicebantur, quæ certis temporibus annisque fieri solebant. Sacra similiter *annua* & *anniversaria* sunt dicta, quæ omnibus annis fieri solebant. Servius in octavum *Æneidos* Virgilii, *Annua*, inquit, *quæ differre nefas. Anniversaria ideo non differuntur, quia nec iterari possunt. Nam Kalendaria, si qua fuerint ratione dilata, possunt repeti, nec piaculum eorum intermissione committitur.* Annua sive anniversaria sacra θυσίαι ἐτήσιοι à Thucydide appellantur.

Sacrificia secundum tempus. Stata. Solennia. Annua & anniversaria.

Sic sacrificia quædam fuerunt diurna; alia nocturna: & diurna quidem vel matutina, vel meridionalia, vel vespertina, sed de his infra pluribus.

Diurna & nocturna, Dialia.

Sortita etiam fuerunt Sacra ista sua nomina à certis temporibus, ut diebus, mensibus, annis, in quibus illa confici consueverunt.

Menstrua. Annua.

Præterea sacrificia Gentilium divisa, distincta ac denominata fuerunt secundum Deos, atque Deas, quibus illa fiebant, ut à Cerere *Cerealia*, à Libero *Liberalia*, à Baccho *Bacchanalia*, à Vulcano *Vulcanalia*, à Vertumno *Vertumnalia*, à Saturno *Saturnalia*, à Pale Dea *Palilia* sive *Parilia*, à Termino *Terminalia*: & sic de reliquis.

Sacrificia secundum objectum, cui fiebant, ut Cerealia &c.

Aliquando nomina sua acceperunt à locis, in quibus illa fieri consueverunt: ut *Palatuar* sacrificium apud Romanos dicebatur, Festo teste, quod fiebat Romæ in Palatino monte. *Septimontium*, ait idem, erat dies festus, quod septem in locis faciebant sacrificium, Palatio, Velia, Fagutali, Subura, Cermalo, sive Germalo, Cœlio, Oppio & Cispio.

Sacrificia secundum loca, in quibus fiebant.

Quinetiam sæpissime sacrificia nuncupata fuerunt à materia, ut Βουθυσία, *Hecatombe* à bobus, ἀνθρωποθυσία ab hominibus, qui immolabantur, ὑστήρια, à suibus, &c.

Sacrificia secundum materiam: quæ sacrificatur.

Distinguebantur etiam & appellabantur à fine: unde alia dicta fuerunt εὐχαριστικὰ, alia ἱλαστικὰ, alia,

Sacrificia secundum finem: cujus gratia fiebant.

μαντευτικὰ, Latine *Consultoria*: quæ vel Deo, vel Diis ac Deabus gratias agendi, vel eos placandi propitiandive, vel denique eos de rebus futuris consulendi gratia fiebant.

Sacrificia patria & peregrina.

Sacra item sacrificia Gentilium alia erant patria, alia externa & peregrina. Peregrina appellabantur, teste Festo, quæ ab aliis urbibus religionis gratiâ erant advecta: quæ, inquam, aut evocatis Diis in oppugnandis urbibus Romam erant conlata: aut quæ ob quasdam religiones per pacem erant petita, ut ex Phrygia Matris Magnæ, ex Græcia Cereris, ex Epidauro Æsculapii: quæ colebantur eorum more, a quibus erant accepta.

Tenuia, & sumtuosa.

Alia erant tenuia & exigua, Plutarcho dicta μικρά: alia magnifica, eidem λαμπρὰ καὶ μεγαλοπρεπῆ. Alia fiebant in aperto: alia in operto. Hujusmodi sacrificium in operto fuit id, quod in Bonæ Deæ honorem fiebat, unde *Damium* dictum à contrarietate, quod minime esset δημόσιον, id est, *publicum*. Dea quoque ipsa δαμία, & sacerdos ejus *Damias* appellabatur. Hæc Festus.

Sacrificia pro vivis vel mortuis.

Fiebant porro alia pro vivis, alia pro mortuis. Unde idem Festus, *Humanum sacrificium*, inquit, dicebant, quod mortui causâ fiebat. Denique tametsi omnia Gentilium sacrificia fuerunt impia, fœda, turpia: tamen alia illis erant, seu videbantur potius, pia, alia (cujusmodi reverâ erant omnia) impia & scelerata.

Specialis explicatio sacrificiorum.

Atque hæc quidem universe, & ut ita loquar, ἐν τάχει de sacrificiorum nominibus atque generibus prælibare volui. Nunc ad specialem duorum istorum sacrificiorum explicationem redibo: in quibus ut in omni alio sacrificio, atque adeo in omni actione hæc nobis consideranda sunt capita, seu circumstantiæ, nimirum *Quando, Quib. Cur, Quo, A quibus, denique quo modo, ritu atque ordine utrunque hoc sacrificium factum atque peractum fuerit.*

Est vero mihi animus unum atque alterum sacrificiorum hujusmodi exemplum, ex antiquis & probatis auctoribus depromtum proponere, & quasi per anatomen quandam, hoc est, analysin explicare: Unum quidem ex Homero, quem vere Poëtarum Deum possumus appellare: alterum vero ex Apollonio.

Explicatio sacrificii Nestoris apud Homerum.

Ac apud Homerum quidem nonnulla hujusmodi sacrificiorum exempla illustria exstant: ut *Iliad.* A. Hecatombæi sacrificii fit mentio, quod Rex Agamemnon per Chrysem sacerdotem Apollini pro Danais offerri curavit: necnon epuli, quod sacrificium illud fuit consecutum. Item *Iliad.* B. idem Rex Jovi bovem immolavit, ad quod sacrificium atque epulum Seniorum Græcorum proceres dicitur vocasse. Item *Iliad.* H. Similiter Jovi bovem idem Rex sacrificavit. Sic *Odyss.* Γ. Describitur magnificum sacrificium epulare 82. taurorum, quod Nestor unâ cum suis Neptuno obtulit: qui idcirco cum ob hoc, tum alia sacrificia, quorum fuit studiosissimus, φιλοθύτης ab Aristophane in *Vesp.* dicitur. *Odyss.* Θ. Jovi etiam bovem sacrificasse dicitur Alcinous: quo peracto sacrificio

---- δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα
Τερπόμενοι μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδός.

Id est, *summa cum jucunditate atque cantu suavissimo gloriosum celebrarunt convivium.* *Odyss.* Υ. Græci umbroso in luco in Apollinis honorem & sacrificium Hecatombæum & epulum magnificum celebrâsse scribuntur.

Verum præ cæteris omnibus memorabile inprimis & eximium fuit Nestoris illud & sacrificium & epulum quod describitur *Odyss.* Γ. sub finem: quod paulo fusius & copiosius explicabo, quo melius & facilius Sacrificiorum hujusmodi epularium ratio consuetudoque intelligatur.

Explicatio sacrificii Argonautarum apud Apollonium.

Apud Apollonium vero lib. 11. prolixa admodum & luculenta, Homericæ illi non dissimilis, exstat sacrificii Argonautarum descriptio, à quo Heroës illi clarissimi celebrem, longam periculosamque suam illam navigationem fuerunt exorsi.

Partes horum sacrificiorum.

Tempus sacrificiorum, videlicet matutinum.

Utriusque autem hujus sacrificii duæ sunt partes principes. Una est, ipsum Sacrificium: altera & posterior, Epulum, quod ex utriusque sacrificii reliquiis fuit celebratum. Quod ad priorem, nempe Sacrificium, attinet, illius caput primum est, ut antea dixi, Tempus; quando videlicet celebrari fuerit solitum. Hoc igitur, quoad Homericum Nestoris sacrificium attinet, fuit matutinum. Nam mane, simul atque aurora illuxit, primo Nestor, deinde illius filii è lectis suis surrexisse, nec in multum diem stertisse (id quod vigilantiæ atque industriæ illorum est argumentum) ac paulo post rem divinam fecisse dicuntur, id quod religionis est indicium. Idem si nos in vera nostra religione faceremus, diem videlicet à re divina, hoc est, precibus, verbi divini auditione, lectione, meditatione auspicantes, melius procul dubio, fœlicius atque innocentius totum diem traduceremus.

Mane David Deum invocavit.

Mane Herculi sacrificabatur.

Sic fecisse legimus Davidem, qui sæpe in suis Psalmis se mane ac summo diluculo Deum adorasse & invocasse testatur. Hinc Herculi Romæ in ara Maxima mane & vesperi sacra fiebant à Pinariis & Potitiis. Hesiodi pulchrum hac de re extat præceptum, dicentis:

Ἄλλοτε δὴ σπονδῇσί τε θυέεσσί τε ἱλάσκεσθαι
Ἠμὲν ὅτ' εὐνάζῃ καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ,
Interdum certe libaminibus atque hostiis placa Deos
Et quando cubitum ieris, & quando lux sacra venerit.

Ac omnino matutinum tempus, quod, teste Hesiodo, πᾶν ἔργον ὀφέλλει, id est, *omne opus promovet*, Antiqui sacrificiis idoneum existimabant: quo quidem Deos assidere templis, & matutinis salutationibus adesse opinabantur. Huc videtur facere, quod mane, ut Grammatici volunt, dies *clarus* dicitur ab omine boni nominis. *Manem* enim Veteres *bonum* dicebant, unde forsan *Manus* quoque, optima corporis humani membra, dicta sunt, & Dii *Manes*, Dii boni; quos etiam metu mortis supplices venerabantur, ut è contrario *Immanes* dici-

dicimus minime bonos, sed crudeles. Magi Persarum primo semper diluculo Diis suis laudes hymnosque canere, solemque Orientem venerari (ut contra alii execrari) consueverunt. Indi vero & Gymnosophistæ in meridie, & ubi multum diei processerat, immolare Diis solebant. *Meridialem*, inquit Festus, Veteres hostiam atram appellabant, quam meridie immolabant. Apollonius Tyanæus primo mane cum Diis esse versandum: procedente mox die de iis loquendum existimavit. Apud Hebræos certe mane & vesperi sacrificabatur: id quod *juge sacrificium* dicebatur.

Mane Persarum Magi Diis hymnos canebant.

Quantum vero ad Argonautarum sacrificii tempus attinet, illud quoque fuisse matutinum, ex circumstantiis nonnullis colligi potest. Huc accedit, quod Scholiastes ait, moris fuisse τοῖς κατοιχομένοις, id est, *defunctis* circa Solis occasum: at οὐρανίοις, id est, *cœlestibus* sub auroram, solisque ortum sacrificare. Talis autem fuit Apollo, cui Argonautæ rem divinam fecerunt.

Manè etiam Argonautæ sacrificarunt.

Verum, ut latius aliquanto & plenius de sacrificiorum sive sacrorum tempore & diebus, quibus ea ab Ethnicis fieri consueverunt, dicam, certum omnino est minimeque dubium, certa tempora, certosque dies singulis sacris sive sacrificiis peragendis destinatos fuisse & dicatos. Huc pertinet elegans sapiensque illud Ciceronis dictum, *Certus dies, non ut sacrificii, sic consilii exspectari solet.* Hi vero dies *certi*, *stati*, ac *statuti*, dies *sacri*, *consecrati*, *sancti*, *divini*, *religiosi*, sive *habentes religionem*, *festi*, & substantive *festa*: item *dies feriati* atque *feriæ* a Latinis fuerunt appellati. *Festi dies* dicti sunt, qui, ut Macrobius ait, Diis erant dicati, in quibus vel sacrificia Diis offerebantur, vel epulationes celebrabantur, vel ludi in honorem Deorum agebantur, vel feriæ observabantur. Ac *festi dies* nonnullis videntur dicti a feriis: unde etiam *feriati* appellantur. Quid si potius dicti sint *festi*, quasi *fessi*, eo quod homines fessi, seu defessi ac defatigati reliquorum dierum operibus atque laboribus, iis refici solerent ac recreari. Vel *fesi* dicti sunt quasi confessi, quique ex professo agerentur. Inde & *festivus*, *festiva*, *festivum*, lepidum, amœnum: quoniam dies illi magna cum lætitia, hilaritate & voluptate peragi solebant: & *festino* verbum, id est, propero: quoniam ad dies festos, propter otium à labore, homines festinant potius, quam ad dies profestos, in quibus est laborandum. His opponuntur dies *profesti*, ut *sano* opponitur *profanum*: unde ille apud Plautum: *Festo die si quid prodegeris, profesto egere licet, nisi peperceris.*

Sacrificiis certa tempora fuerunt destinata.

Dies festi.

Unde dicti.

Festivus.

Festino.

Dies profesti.

Profesti dies, ait Festus, *dicuntur, qui procul sunt à religione Numinis divini.* Item: *Profestum diem dicebant, qui festus non erat.* Item: *Profestum facere est, tanquam profanum facere*, id est, quid eo die, qui dies feriarum non est, facere: vel, ut quidam dixerunt pro eo facere, velut feriæ non sint: aut id facere, quod feriis facere non liceat. Itaque *diem profestum* diem sine feriis esse. Macrobius libro primo *Saturnalium*, capite decimosexto, quænam dierum apud Romanos appellatio fuerit atque ratio perspicue & copiose explicat. *Numam*, enim ait, *cum annum in duodecim menses distribuisset, eundem etiam in certa dierum genera divisisse: ita ut quidam dies essent festi, quidam profesti, alii intercisi. Festi dicebantur qui Diis erant dicati. Profesti, qui hominibus ad administrandam rem privatam publicamque concessi erant. Intercisi erant Deorum hominumque communes: quibusdam enim illorum horis fas erat, quibusdam non fas erat jus dicere. Nam cum hostia cadebatur, fari nefas erat: inter cæsa & porrecta fari licebat.* (Hoc Varro tempus *medium inter hostiam cæsam & exta porrecta* vocat) *Rursus cum adolebatur, non licebat. Ideoque intercisi, vel quomodo Veteres pronunciabant, & quomodo etiam in Kalendario notantur*, Endotercisi *vocabantur, aut quod intercederet fas, aut quod intercisum esset nefas. Festi porro dies*, inquit idem, *dividuntur in sacrificia, epulas, ludos, ferias. Sic & profesti in Fastos, Comitiales, Comperendinos, Statos, & Præliares.* Idem, *Sacra celebritas est*, inquit, *vel cum sacrificia Diis offeruntur: vel cum dies divinis epulationibus (quæ Cœnæ Deorum appellantur) celebrantur: vel cum ludi in honorem aguntur Deorum: vel cum feriæ aguntur. Feria*, inquit Festus, à feriendis victimis appellata: unde Germanicum Feyren / id est, *feriari*, & Feyrtag / id est, *feria*, seu *feriæ*. Alii tamen *ferias* volunt dictas ab epulis ferendis; quoniam in iis epulæ fiebant ex pecorum frugumque proventibus, unde etiam *Feralia* dicta sacrificia, quæ mortuis fieri solebant, quod tunc epulas ferebant ad sepulchrum ejus, cui vellent parentare. *Ferias* autem Festus à *festis* sic distinguit: *Ferias*, inquit, *Antiqui festas vocabant: & aliæ erant sine die festo, ut Nundinæ: aliæ cum festo, ut Saturnalia, quibus adjungebantur epulationes ex proventu fœtus pecorum frugumque.*

Profestum facere.

Dies intercisi, vel endotercisi.

Divisio festorum dierum ex Macrobio.

Feria unde.

Feralia sacrificia.

Porro Macrobius feriarum alias ait esse publicas, alias privatas. Et publicarum quidem quatuor facit genera. Aut enim erant Stativæ, aut Conceptivæ, aut Imperativæ, aut Nundinæ. Et Stativæ quidem feriæ erant universi populi communes, certis & constitutis diebus ac mensibus, & in fastis statis observationibus annotatæ, in quibus præcipue servabantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Sic Festus, *Statæ feriæ appellabantur, quod certo statutoque die observarentur.* Conceptivæ autem feriæ dicebantur, quæ quotannis à magistratibus vel sacerdotibus concipiebantur in dies vel certos, vel etiam incertos: ut erant feriæ Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia. Imperativæ erant, quas Consules, vel Prætores pro arbitrio potestatis indicebant. Nundinæ erant Paganorum, id est, rusticorum, quibus conveniebant, negociis propriis vel mercibus provisuri.

Feriæ, publicæ sunt vel privatæ, & illæ quidem:
1. Stativæ.
2. Conceptivæ.
3. Imperativæ.
4. Nundinæ.

Privatæ feriæ dicebantur, quæ vel propriæ erant familiarum, ut Claudiæ familiæ, aut Æmiliæ, aut Juliæ, aut Corneliæ, & si quas ferias proprias quæque familia ex usu domesticæ celebritatis observabat, de quibus loquuntur duodecim Tabulæ: *Sacra perpetua manento.* Vel privatæ feriæ erant singulorum, ut Natalium Fulgurumque susceptiones, aut Funerum, atque Expiationum: unde Festus, *Privatæ feriæ*, inquit, *vocabantur sacrorum propriorum, velut dies natales, operationes, decretales.* Apud Veteres quoque quicunque nominabat, ut ait Macrobius, Semonam, Sejam, Segetiam, Tutilinam, ferias observabat. Item, Flaminica (Flaminis uxor) quoties tonitrua audiisset, feriata erat, donec Deos placasset.

Privatæ feriæ sunt
1. Propriæ familiarum.
2. Singulorum.

A quibus feriæ publicæ indici ſolitæ: nempe a Rege. *Indictionis feriarum forma.* *Feriæ publicæ indictæ etiam a Prætore.*

Cæterum ad ferias publicas quod attinet, indicebantur illæ & proclamabantur ſingulis menſibus à Rege ſacrorum & à Prætore. De Rege ſacrificulo teſtis eſt Varro, libro quinto *de lingua Latina*: *Rex cum ferias menſtruas Nonis Februariis edicit, hunc diem Februatum appellat.* Et paulo poſt: *Harum rerum veſtigia apparent in ſacris Nonalibus in arce, quod tunc ferias primas menſtruas, quæ futuræ ſint eo menſe, Rex prædicit.* Ex his verbis ſatis perſpicuum eſt, Regem ſacrificulum ſingulorum menſium ferias proclamâſſe. Ejus proclamationis hanc formam Arnobius libro ſecundo *adverſus gentes* tradit: *Lavatio Deûm matris eſt hodie: Jovis epulum cras eſt: Æſculapii geritur celebraturque vindemia: Lectiſternium Cereris erit Idibus proximis: Telluris natalis eſt, &c.* Prætorem autem etiam ferias, quæ *Compitalia* dicebantur more Majorum, verbis olim ſolennibus concepiſſe, Agellius libro decimo *Noctium ſuarum* capite 24. & Macrobius libro I. *Saturnalium* capite quarto, auctores ſunt. Poſtquam enim modo *die quinti*, modo *die quinto* Veteres dixiſſe ſignificaſſent, ad demonſtrandam hanc Veterum conſuetudinem conferre plurimum, addiderunt hæc ſolennia verba, quibus more Majorum Compitalia Prætor concipere ſolebat: *Die noni poſt Kalendas Januarias: Die quinti Compitalia erunt.* Nec vero Compitalitias duntaxat, ſed etiam ferias omnes conceptivas & imperativas indicere Prætorem conſueviſſe, ex eodem Macrobio & ex Suetonio comprobari poteſt. Suetonius in *Claudio* ſcribit, *Obſervavitque ſedulò, ut quoties terra in urbe moviſſet, ferias advocata concione Prætor in urbe indiceret.* Hac de re vide plura apud Jacobum Revardum libro quinto *Variorum*, capite decimonono.

Dies feſti unde nomina ſpecialiora habuerint.

Porro nomina ſpecialiora dies hujuſmodi feſti, ſive feſta, & feſtivitates habuerunt cum a Diis, quibus illi fuerant dicati, ac quorum in honorem erant inſtituti, tum ab aliis rebus, quas ſacras & divinas appellabant, quæ in iis peragi ſolebant: unde etiam metonymice ſæpe *feſta* pro *ſacris*, & *ſacra* pro *feſtis* apud ſcriptores accipiuntur.

Ἑορταὶ & ἑορτασμοὶ dicti dies feſti a Græcis.

Atque hi dies feſti, ſive feſta à Græcis ἑορταὶ & ἑορτασμοὶ appellantur ἀπὸ ἐρᾶν, ut nonnulli volunt, quod eſt ἐπιθυμεῖν, id eſt, *appetere*, quoniam omnes illos expetunt, ut ἑορτὴ dicatur quaſi ἐρατή. Inde ἑορτάζειν, *feſtum celebrare.* Quid ſi ἑορτὴ, ſive Ionice ἑορτὴ, ſive ὀρτὴ dicatur ἀπὸ τοῦ ὄρνυμι, id eſt, *invito, impello, promoveo*: vel ab ὄρομαι, unde ὦρτο, *impulſus eſt*, & ὤρτασμα, eo quod diebus feſtis homines incitantur & impelluntur ad res divinas faciendas & varie moventur? Hebraice feſtum חל *Chal*, appellatur ab animi corporiſque voluptate, lætitia & agitatione. Nam חלל *Chalal*, idem eſt, quod *circumagi in gyrum*, ſive *in orbem*, & *feſtum celebrare.* Appellatur etiam מועד *Moëd*, ſive יום מועד *Iom Moëd*, id eſt, *feſtum ſtatum*, ſive *ſtatutum*, quod certo & ſtato tempore celebratur a יעד *Iaad*, *Convenit*, *conſtituit tempus*, aut *convenit ad tempus ſtatutum.*

Ab Hebræis dicti dies feſti 1. Chal. 2. Moëd.

Feſtorum apud Ethnicos innumerabilis copia.

Ut autem Deorum & ſacrorum: ita feſtorum quoque apud Ethnicos infinita prope & innumerabilis fuit copia atque multitudo, quæ recenſere atque enumerare omnia tam videtur eſſe impoſſibile, quam ſtellas cœli, aut arenas maris.

Tempus & temporis partes olim ab Ethnicis cultæ. *Tempus cultum Saturni nomine.*

At quo clarius pateat, quanta olim fuerit Ethnicorum ſuperſtitio, ac quam longe lateque patuerit, conſtat ex ſacris & profanis litteris cum univerſum tempus, tum ſingulas ejus partes, maximas, medias, minimas vel pro Diis ipſis ſive Numinibus fuiſſe habitas atque cultas, vel certe Diis, eorumque honoribus dicatas & conſecratas. Nam tempus primum univerſum Saturni nomine coluerunt, quem finxerunt filios ſuos ſolitum devorare (unde etiam filios ſuos olim parentes immolabant) eoſdemque rurſus evomere: quo ſignificabatur, tempus per vices cuncta gignere & abſumere (unde *Tempus edax rerum* à Poëta appellatur) & ex ſe denuo renaſci. Hinc κρόνος à Græcis, quaſi χρόνος dictus eſt.

Annus & anni tempora culta. Secundum tempora ſacrificia dividuntur.

Sic Annus, quatuor ejus tempora, ſinguli menſes, ſingulæ hebdomadæ, ſinguli dies: adde etiam noctes, ſingulæ denique horæ certis & peculiaribus Diis ſive Numinibus fuerunt conſecrata. Secundum hanc ipſam vero temporis & ſingularum ejus partium rationem, diverſitatem atque diviſionem, cum feſta ipſa, tum quæ in iis agitari celebrarique fuerunt ſolita, ſacra atque ſacrificia dividuntur atque denominantur. Sic enim feſta atque ſacra ſive ſacrificia alia erant atque dicebantur annua ſive anniverſaria, ſive ſolennia, eaque vel verna ſive vernalia, vel æſtiva, vel autumnalia, vel hyemalia. Alia dicebantur menſtrua, quæ ſingulis menſibus, & certis menſium diebus peragebantur: de quibus vide Kalendarium à Paulo Manutio, Sigonio, Hubertio, Aria Montano, & aliis antiquitatum Romanarum ſcriptoribus conſcriptum diligenter & explicatum, in quo invenies, quæ feſta, quæque ſacra ſingulis menſibus atque diebus ſingulis Diis fieri celebrarique apud Romanos conſueverint, quorum enumeratione cum ea longa nimis & prolixa eſſet futura, & ex auctoribus illis facile depromi poſſit, ſitque in promtu, mihi hîc ſuperſedendum eſſe exiſtimo. Hæc omnia diligenter quoque & accurate collegit ex Antiquitatum ſcriptoribus vir doctiſſimus Iohannes Roſinus, *Antiquitatum Romanarum* libro quarto, capite quarto.

Cultæ olim Kalendæ, Nonæ & Idus.

Illud tantum addere videtur eſſe operæpretium de Kalendis, Nonis & Idibus, in quas tres partes ſingulos menſes Romani ex Romuli inſtituto diſtribuerunt, quæque certis ſacris atque ſacrificiis fuerunt celebratæ.

Kalendæ quid & unde. *Primus dies menſis cur dictus Kalendæ.*

Ac Kalendas quidem primum cujuſque menſis diem Romani dixerunt à Græco verbo καλεῖν, id eſt, *vocare*; quo etiam priſci Latini frequenter uſi ſunt. Sic *Calatores*, ut inquit Feſtus, dicebantur ſervi ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod eſt *vocare*: quia ſemper vocari poſſunt ob neceſſitatem. Idem judicium eſt de voce *Calonis.* Cur autem primum ſingulorum menſium diem ſic vocarint, hanc rationem Macrobius affert: *Priſcis temporibus*, inquit, *antequam Faſti à Cn. Flavio, ſcriba, invitis patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum obſervaret aſpectum, viſumque Regi ſacrificulo nuntiaret: atque tum ſacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex Kalatâ, id eſt, vocatâ, in Capitolium plebe juxta Curiam Calabram, quæ caſæ Romuli proxima erat, quot numero dies à Kalendis ad Nonas ſupereſſent, pro-*

pronunciabat : & quintanas quidem quinquies dicto verbo καλῶ *: septimanas vero septies repetito prædicebat. Et hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit Kalendas vocari. Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas superessent, calando prodebat, quod post novam Lunam oportebat Nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in urbem, accepturos caussas feriarum â Rege sacrorum, sciturosque quid esset eo mense faciendum : unde Nonas volunt esse dictas. Hinc ipsa Curia, ad quam vocabantur,* Calabra *nuncupata est, &* Classis *dicta, quod omnis in eam populus vocatur : unde etiam* Classis *dicta.* Macrobio astipulatur Terentius Varro, qui libro quinto *de lingua Latina* sic scribit: *Primi dies mensium nominantur Kalendæ, ab eo, quod iis diebus Kalentur ejus mensis Nonæ à Pontificibus, quintanæ an septimanæ essent futuræ, in Capitolio, in Curia Calabra sic: Dies te quinque Kalo Juno Novella. Et, Septem dies te Kalo Juno Novella.* Hîc Josephus Scaliger pro *Juno*, non male *Ianam* quoque (quo nomine Luna a Veteribus sit appellata) & pro, *Novella*, in vetustioribus Codicibus (quod Turnebus etiam indicat) legit *Covella*, quod ipse deducit à *Covum*: quomodo Veteres *Cœlum* appellarunt; ita ut sit *Juno* vel *Jana Covella : Juno* vel *Jana cœlestis.* Hinc igitur patet Kalendas, id est, primum uniuscujusque mensis diem fuisse sacrum, Junoni consecratum in ejus tutela, teste Ovidio primo *Fastorum :*

Curia cur Calabra dicta.

Vendicat Ausonias Junonis cura Kalendas.

Nota, quod dicit *Ausonias Kalendas.* Græci enim Kalendis caruerunt : unde proverbium *Ad Kalendas Græcas.*

Græci Kalendis caruerunt unde proverb. Ad KL. Græcas. Kalendæ sive novæ Lunæ etiam apud Græcos & Judæos sacræ.

Nec vero apud Romanos tantum, sed etiam apud Græcos & Judæos νεμηνίαι, id est, *novæ Lunæ* erant sacræ, & certis sacrificiis colebantur. Poliænus libro octavo auctor est, Argivos Numenia cujusque mensis, mulieres quidem virilibus tunicis & chlamydibus celebrasse, viros autem peplis muliebribus amictos, in memoriam Telesillæ potriæ, quæ Argos oppugnante Cleomene Argivas armatas ad pugnam eduxit : quæ armatæ in propugnaculis stantes circumcirca muros ruentes Cleomenem repulerunt. His adde, quod Plutarchus in *Problematibus Romanarum Antiquitatum* docet, apud Veteres Kalendas primum mensem Diis cœlestibus habitum sacrum, secundum vero Diis inferis: in quo & lustrationibus quibusdam uti mos erat, & mortuis parentabant.

Nonæ similiter fuerunt sacræ, quas, teste Macrobio, sic dictas existimant, quasi novæ observationis initium : vel quod ab eo die ad Idus semper novem dies copulantur. Huc referri possunt Nundinæ, sic dictæ, quasi *Novendinæ.* Ter enim in mense, nono quolibet die, rustici vel mercium, vel negotiorum caussâ in urbem conveniebant ex instituto Servii Tullii. Nundinarum autem feriæ Jovi olim sacræ, lege Hortensia inter Fastos erant receptæ, ut lites coram Prætore componere possent. Eodem die Trinundino olim propter frequentiam plebis leges etiam promulgabantur, & Candidati in Comitio in colle consistebant, ut ab omnibus conspici possent. Quæ tamen postea desierunt, quum etiam internundino die magna plebis esset frequentia. Polydor. Virg. libro sexto, capite septimo, *de rerum Inventoribus.*

Nonæ etiam sacræ Ethnicis. Nundinæ sacræ olim Jovi.

Ut autem Kalendæ & Nonæ, sic Idus quoque apud Romanos dies fuerunt festi & solennes. Nam primum omnes Idus, quæ in quovis mense sunt octo, Jovi fuerunt sacræ : unde etiam Idus, vocabulo Thusco *Itis* fuit dicta, quod significat *Jovis fiduciam.* Cum enim Juppiter sit auctor lucis (unde etiam *Lucerius* & *Diespiter :* item φωσφόρος, hoc est, *Lucifer* dicitur :) hujus autem diei lux non cum solis occasu finiatur, sed splendorem diei & noctis continuet, Luna illustrante, quod semper in plenilunio, id est, medio mense fieri soleat, ideo meritò *Jovis fiduciam* vocari putant. Alii tamen *Idus* volunt dictas quasi *Vidus*, à *videndo*, sive ἀπὸ τοῦ εἴδειν, quod idem est, nempe *videre :* vel etiam ἀπὸ τοῦ εἴδους, *specie*, quod eo die plenam speciem Luna demonstret : unde quoque *Eidus*, per *Ei*, quidam scribere consueverunt. Alii putant Hetruscam vocem esse, apud quos *Iduare* erat *dividere* : unde etiam *Vidua* dicta, quasi *à viro divisa.* Ideo autem hos dies *Idus* dici, quod mensem dividant: quia plerunque in medium mensem incidunt. Deinde ovis à Flamine diali singulis Idibus immolabatur, quæ *Idulis* fuit nuncupata, à qua nonnulli *Idus* volunt fuisse dictas. Erant etiam præcipuæ quædam feriæ Idibus dicatæ, quas coli observarique mos erat, quasque negligere erat nefas: de quibus omnibus præter Macrobium, vide Alexandrum ab Alexandris libro tertio, capite decimosexto. Vide ibidem de Idibus Martiis, quæ in honorem Annæ Perennæ institutæ, quò commode annare & perennare liceret, largioribus poculis celebrari solebant : quæ tamen infaustæ & ominosæ postea factæ fuerunt, & *Parricidium* vocatæ : quòd illis Julius Cæsar Conjuratorum manibus cæsus occubuisset.

Idus quoque olim sacræ. Idus unde dictæ. Iduare Hetruscis est dividere. Feriæ Idibus dicatæ.

Observandum præterea, festa apud Ethnicos quædam fuisse unius diei, alia plurium dierum. Festa item fuerunt, ut & sacra, propria & peculiaria singularum gentium, ut Assyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Lacedæmoniorum, Romanorum, & aliorum.

Festa unius diei & plurium.

Fuerunt præterea festa, ut etiam sacra & sacrificia, alia propria mulierum, alia virorum : alia propria fuerunt servorum ; alia liberorum : alia puerorum : alia virorum & senum : alia stultorum : alia pastorum, & sic deinceps : de quibus vide Zuinggeri *Theatrum.* Reverâ autem cuncta illa Gentilium festa atque sacra potuerunt appellari, qui, ut illis Pauli verbis utar, Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν & idcirco μωρόσοφοι, sive δοξόσοφοι jure potuerunt appellari.

Festa propria gentium singularum. Festa propria mulierum, & virorum etc.

Porro festorum, ut etiam sacrorum, fines fuerunt, Deorum placatio seu propitiatio, gratitudinis erga Deos, bene de se meritos, testificatio, peccatorum delictorumque expiatio & lustratio, munerum certorum consecratio & inauguratio, denique divinatio, scientiaque & rerum futurarum captatio.

Fines festorum.

Festa celebrata fuerunt cum sacris rebusque divinis, tum otio, cessatione ab operibus atque laboribus, lætitiâ, conviviis, choreis, tripudiis, ludis, certaminibus, cædibus, denique omni superstitionis, scelerum flagitiorumque genere. Lætitiâ festa esse celebranda docent illa Ovidii:

Modus celebrandi festa.

Dii quoque tu à cunctis hilari pietate colantur:
Tristitiam poni per sua festa jubent.

De modo festa celebrandi Cicero. De modo ferias celebrandi, & quibus à rebus in illis sit abstinendum, sic Cicero ex legibus Tabularum disserit libro secundo *de Legibus*: *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum: in servis operum & laborum: quas compositio anni conferre debet, & perfectionem operum rusticorum.*

Macrobius. Similia hisce vide apud Macrobium libro primo *Saturnalium* capite decimosexto; *Sacerdotes*, inquit, *affirmabant ferias pollui, si indictis conceptisque opus aliquod fieret. Praeterea Regem sacrorum flaminesque non licebat videre feriis opus fieri: & ideo per praeconem denunciabant, ne quid tale ageretur: & praecepti negligens mulctabatur. Praeter mulctam vero affirmabant eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere: prudentem expiare non posse Scaevola Pontifex asseverabat*, & quae sequuntur. Huc referri possunt

Ovidius. illa Ovidii:

Prospera lux oritur, linguis animisque favete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protenus absint
Jurgia: differ opus livida turba tuum.
Salve festa dies, meliorque revertere semper,
A populo rerum digna potente coli.

Tibullus. Sic Tibullus libro secundo de Agri lustratione, Elegia I.

Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis: nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint optata Deo: non audeat ullus
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul jubeo: discedite ab aris,
Cui tulit hesternâ gaudia nocte Venus.
Casta placent superis: purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Virgilius. Quaedam tamen opera diebus festis concessa esse agricolis, scribit Virgilius in *Georgicis.*

Sacrae fuerunt etiam diei partes. Nec verò dies solùm integri, sive unus fuerit, sive etiam plures, sed dierum quoque certae partes, sive majores, ut mane, meridies, vesper, sed etiam, ut est verisimile, minores, nempe horae certae singulis sacris, seu sacrificiis destinatae fuerunt & attributae. Nam cum singulis rebus civilibus agendis suas Romani attribuerunt horas certas, secundum tritum illud Epigramma:

Prima salutantes atque altera continet hora, &c.

Cui dubium, quin rebus quoque sacris & religiosis tractandis & procurandis certae ab iis fuerint assignatae horae?

Dies atri qui. Porro temporibus atque diebus istis sacris & festis, in quibus res divinae fiebant, opponuntur dies profesti, atque atri, qui vulgò *Aegyptiaci*, vel etiam religiosi, infausti, inauspicati & ominosi sunt dicti, in quibus nefas erat rei divinae, aut etiam alteri rei operam dare.

Macrobius de diebus atris. De diebus atris, qui fuerunt postridie Kalendas, Nonas, Idus, quos vulgus imperite *nefastos* vocat, vide Macrobium libro primo *Saturnaliorum*, capite decimosexto, & Plutarchum *in quaestionib. Rom.* quaestione vigesima quinta.

Sed si verum fateri volumus, illi ipsi Gentilium dies festi, festivi, sacri, sancti, ut eos falsò appellarunt, propter & sacra superstitiosa & impura, & plurima scelera atque flagitia, quibus in iis potissimum operam dederunt, jure non solum profesti, profani, sed etiam diri, atri, infausti, nefarii, Deo hominibusque infesti atque funesti potuerunt appellari.

Sacra dierum & temporum quaedam extemporanea fuerunt. Etsi vero pleraque Gentilium sacra certis diebus atque temporibus fuerunt alligata, tamen nonnunquam pro re nata, & necessitate aliqua id postulante (quae, ut vulgo dicitur, non habet legem) etiam ultra citraque illa tempora rebus illis suis divinis operati sunt, quae sacra extemporanea, sive extemporalia dici possunt. Et haec dicta sint de sacrorum tempore, quibus Colophonis loco addere libet quaedam de nocturnis sacris, nocturno tempore fieri solitis, de quibus supra quaedam attigimus.

Nocti quoque olim sacrificatum. Ac Nocti quidem primum ipsi nocturno tempore sacra fecerunt gallo, ut supra ex Ovidio dictum fuit, & nigris hostiis cum lacte, ut ex Statii Papinii libro secundo in Noctis hymno eleganti constat. Hanc Orpheus quoque & Hesiodus hymnis suis celebrarunt, illam Dearum antiquissimam, Chaûs filiam, Aetheris & Diei, immo Deorum hominumque matrem, & omnium rerum genesin appellantes. Hae illorum de Nocte fabulae atque commenta forsan profecta fuerunt ex historia illa creationis Mundi: in qua primo omnium תהו ובהו *Thohu, Vabohu*, (quod *Chaos, rudem & indigestam molem* doctissimi quique interpretantur) & tenebrarum fit mentio, quam consecuta fuit Lucis creatio. Non mirum autem est, Ethnicos, qui in tam profunda, caliginosaque errorum atque superstitionum nocte fuerunt demersi, Noctem coluisse, id est, pro Dea habuisse.

Huc

Huc referenda Bacchanalia, Cotyttia, Athenienſium ſacra (Cotym ſive Cotyttum nonnulli volunt eſſe Proſerpinam) & alia Inferorum ſacra. Hujuſmodi autem nocturna feſta atque ſacra, turpiſſimarum libidinum, amorum, ſtuprorum, cædium, aliorumque facinorum occaſiones fuerunt atque cauſſæ: unde ipſi Ethnici ea ſæpe deteſtati ſunt ac ſuſtulerunt. Nam, ut veriſſimè Poëta ille cecinit, Bacchanalia & Cotyttia.

Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore vacat, vina venusque metu.

Sed de his vide plura in *Antiquitatibus* meis *Convivialibus*.

Secundum membrum in utroque hoc ſacrificio conſiderandum, eſt Objectum, nempe Numina, quibus Neſtor & Argonautæ hæc ſua ſacrificia fecerunt. Ac Neſtor quidem immolavit Minervæ, quam Ethnici ex Jovis capite natam, & ſapientiæ, prudentiæ, conſilii, ſcientiæ, artium diſciplinarumque matrem ac procreatricem: denique belli quoque præſidem ac moderatricem finxerunt. Non mirum itaque fuit, Neſtorem, qui ſummâ propter vitæ diuturnitatem, ac multarum rerum experientiam ſapientiâ prudentiaque prædicus fuerat, huic potiſſimùm Deæ ſacrificâſſe, præſertim cùm ei paulò antea vota feciſſet, cùm ipſi in convivio quodam appareret. Neſtor itaque tanquam voti reus (ſic enim antiquâ & propriâ ſacrorum voce eum appellabant, qui voto ſuſcepto ſeſe Numinibus obligârat. Virgilius: Objectum ſacrificiorum. 1. Neſtoris Minerva.

Conſtituam ante aras voti reus, &c.)

Votum illud ſuum ſolvit, quem *Damnatum* Veteres vocabant, ut teſtis eſt Macrobius libro ſecundo *Saturnalium*, capite tertio. At nos Chriſtiani à ſolo Deo, patre luminum, ut D. Jacobus nos docet capite primo, ſapientiam ſupplici prece petere, & illi ſoli ſacrificare, & pia religioſaque vota facere atque perſolvere debemus.

Argonautæ autem longam, difficilem, periculoſamque illam ſuam navigationem ſuſcepturi, Apollini prius ſacra fecerunt: qui quidem dictus fuit ἐπάκτιος, καὶ ἐμβάσιος, teſte Scholiaſte, propterea quod è littore ſolventibus, & navem ingredientibus is præeſſe & favere credebatur. Idem ἐπιβατήριος à Troezeniis fuit propterea cognominatus, teſte Gyraldo ex Pauſania. Huc referri poſſunt Dii littorales, qui à Græcis αἰγιάλιοι dicti. Catullus: 2 Argonautorum Apollo.

Neque ulla vota littoralibus Deis ſibi eſſe facta.

Sed ut de hoc ſacrificiorum Ethnicorum objecto, quod quaſi fuit infinitum, aliquanto uberius dicam, Deus quidem in Veteri Teſtamento ſibi ſoli, tanquam uni, ſoli ac vero Deo, omnium bonorum rerumque auctori, creatori, conſervatori, datori & largitori, ſacrificari ab hominibus voluit: juxta illud ſecundi *Paralipomenon* trigeſimo quarto capite, vigeſimo quinto verſu, *Adoleverunt Diis alienis: ideo effuſa manebit æſtuans ira mea in loc cum hunc & non extinguetur.* At homines ductore & impulſore Satanâ, qui Dei honorem atque cultum omnibus modis ad ſe transferre atque derivare ſtuduit, non ſibi Jehovæ, uni & vero Deo, creatori cœli, terræ atque maris, ſed omnibus creaturis tam viſibilibus quam inviſibilibus, tam naturalibus quam artificialibus, cum bonis, tum malis, tanquam Diis atque Numinibus veris ſacra fecerunt. Objectum ſacrificiorum Chriſtianorum ſolus Deus verus.

Quot itaque res ſunt ſive entia in hac rerum univerſitate, tot illis fuerunt Dii atque Numina: &, quot finxerunt Deos atque Numina, tot fuerunt illis ſacra atque ſacrificia. Nec vero tantum res revera exiſtentes, quæ exſtant in rerum naturâ: ſed etiam res fictas & commentitias, quæ nunquam in rerum natura extiterunt, ſacrificiis illis ſuis atque ſacris coluerunt.

Hoc igitur ſacrificiorum atque adeo totius cultus ſive religionis Ethnicorum objectum in ſacris Canonicis litterarum monumentis quatuor fere modis atque nominibus exprimitur, nempe nomine *Deorum*, *Creaturarum*, *Idolorum* & *Dæmonum*, ſive *Dæmoniorum*, quibus Ethnici dicuntur ſacrificâſſe. Nam primum quidem ſæpiſſime in ſacris litteris cum Ethnici, tum Judæi Ethnicorum videlicet exemplo & imitatione impiâ Diis, & quidem Diis alienis, falſis, adulterinis, dicuntur immolaſſe: idque cum in genere, tum ſpeciatim huic vel illi Deo alieno, ficto, & commentitio. Deinde quoniam falſi & adulterini illi Dii fuerunt creaturæ, ſæpe Ethnici creaturas dicuntur coluiſſe, iiſque ſacra feciſſe: unde Paulus 1. ad Romanos: οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν, καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν, id eſt, *Ut qui Dei veritatem mutârint in mendacium & coluerint atque ſervierint rebus creatis, præter Creatorem*, ſive *prætermiſſo Creatore, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.* Objectum ſacrificiorum Ethnicorum quadruplex.

Præterea quoniam illa Ethnicorum Numina reverâ fuerunt εἴδωλα, id eſt, *ſimulacra*, non vera & ſolida Numina, ſed quaſi nomina tantum quædam, ficta, falſa, futilia, vana, inania, adulterina, doli fraudis atque fallaciæ pleniſſima, & quod illa ipſa falſa & commentitia ſua Numina idolis, id eſt, ſimulacris & imaginibus potiſſimum coluerunt, denique quod illa ipſa idola atque ſimulacra inanimata divinis honoribus affecerunt, & tanquam Deos, ſive Deos in ipſis coluerunt, idcirco merito Sanctus Spiritus in ſuo verbo teſtatur ipſos Idolis ſacrificâſſe; & illorum ſacrificia εἰδωλόθυτα appellantur. Hûc pertinent illa Pauli verba 1. Corinth. 8. *Etenim ſi quis viderit te, qui ſcientia præditus es, in Idolæo accumbere, nonne conſcientia ipſius, qui infirmus eſt, ædificabitur*, id eſt, *incitabitur & impelletur ad edendum* εἰδωλόθυτα, id eſt, *ea, quæ Idolis ſunt immolata?* Idem ab initio ejuſdem capitis, περὶ εἰδωλοθύτων οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ, καὶ ὅτι οὐδεὶς θεὸς ἕτερος εἰ μὴ εἷς, id eſt, *De eſu igitur eorum, quæ Idolis immolantur, ſcimus Idolum nihil eſſe in mundo, & nullum eſſe Deum alium niſi unum.* Addit, *Nam etiamſi ſint, qui dicantur Dii & in cœlo & in terrâ (ſicut ſunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus eſt Deus, pater ille, à quo omnia, ut nos in ipſum, ſive in ipſo, & unus Dominus* JESUS CHRISTUS, *per quem omnia & nos per ipſum.* Numina Ethnicorum revera nomina ſunt ac εἴδωλα.

Numina & sacra Ethnicorum Satanæ impulsu facta.

Seirim Hebræis quid.

Postremo quoniam Satanæ ductu & impulsu contra Dei legem & voluntatem Ethnici impia atque sacrilega illa sacra fecerunt, ea fecerunt non soli Deo Creatori, sed Creaturis, quibus Diabolus sese insinuavit, atque adeò ipsis aperte spiritibus impuris & immundis: quos Dæmonas & Genios, Deos inferos, & Manes appellarunt, idcirco meritò sacræ literæ testantur, eos Dæmonibus sive Dæmoniis sacrificâsse. Sic enim *Levitici* decimo septimo Deus ipse loquitur: *Ne ultra sacrificent sacrificia sua* שעירים *Seiirim, post quos secuti sunt.* Hebræis enim שעירים *Seiirim*, sunt Dæmones, & quidem in genere vel omnes fœdi, immundi, atque sordidi spiritus; vel in specie illi, qui cultoribus suis hirsuti & villosi, instar Hircorum, apparere solebant: quales à Poëtis Panes, Sylvani, Sileni, & voce non abludente ab Hebræa, *Satyri*, aliique Dii agrestes describuntur; quibus quidem tam fœdis & horribilibus spectris Satan illusit hominibus eisque persuasit, hæc esse Numina, quæ ipsis prodesse & obesse possint.

Schedim Hebræis quid. Elilim quid Hebræis.

Sic Moses *Deuteronomii* trigesimo secundo capite, decimo septimo versu, in Cantico suo Israëlitis defectionem à vero Deo ad Deorum fictitiorum cultum exprobans, inquit, *Sacrificaverunt* לשדים *Dæmonibus: non Deo.* שדים *Schedim* enim, sive Cacodæmones sunt, sic dicti à שדד Scadàd, *vastando & perdendo*: à quo nostrum Schaden / *noxa* & *nocere* sine dubio est deductum. Eorumdem fit mentio Psalmo nonagesimo sexto versu quinto, *Dii gentium Dæmonia sunt*, ut vulgata versio habet: sed in Hebræo est אלילים *Elilim*, quæ vox vanitates & figmenta hominum significat: unde Pagninus vertit *Vana.* His vero consentanea plane sunt illa Pauli, prima Corinthiorum decimo, *Quapropter dilecti mei, fugite ab Idololatria.* Et paullo post: *Nonne qui edunt victimas (ἐσθίοντες τὰς θυσίας) participes sunt altaris? Quid ergo dico? Idolum aliquid esse, aut εἰδωλόθυτον,* id est, *quod Idolis immolatum est, aliquid esse? Imo quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo. Nolim autem vos participes Dæmoniorum esse. Non potestis poculum Domini bibere & poculum Dæmoniorum.*

Dæmoniis sacra fecisse Gentes, quare dicatur.

Etsi vero Gentes non solum Dæmonibus & spiritibus illis malis, sed etiam hominibus, & aliis multis creaturis bonis suâ naturâ atque salutaribus sacra fecerunt, & divinos honores cultumque illis detulerunt: idque etiam bonâ, ut vocant, intentione, sive mente, nonnunquam videntur fecisse: tamen quoniam illa ipsa sacrificia etiam bonis creaturis facta, repugnârunt divinæ legi, voluntati, gloriæ, ac majestati, ad ejusque spectarunt ignominiam atque dedecus, nec Dei, sed Diabolorum instinctu & afflatu fuerunt facta, idcirco Spiritus Sanctus eos Dæmoniis sacra illa sua fecisse testatur. Hinc etiam ipsi Ethnici superstitionem (qualis fuit tota illorum religio) recte δεισιδαιμονίαν, id est, *Dæmonum timorem*, qui opponitur *Timori Dei*, appellarunt.

Ethnicorum Numinum cultus, eorum insaniam arguit.

Porro operæpretium duxi Deorum sive Numinum istorum, quæ Ethnici Diaboli instinctu impulsuque coluerunt, generalem quandam brevemque descriptionem, ac quasi epitomen & synopsin hîc subjicere: unde partim hominum, qui ista coluerunt, monstrosa vanitas, stultitia atque insania, partim Dei, qui ex tristi funestaque ista Diaboli servitute nos liberavit, infinita bonitas atque misericordia apparebit: quam assiduis merito laudibus celebrare debemus.

De Ethnicorum Numinibus qui scripserint.

Ac de Gentilium quidem sive Ethnicorum Diis atque Numinibus, præter antiquos scriptores cum Christianos, ut Tertullianum, Augustinum, Lactantium, sive Lutatium Grammaticum, Theodoretum, Arnobium, tum Ethnicos, ut Varronem, Ciceronem, Porphyrium, Phurnutum & innumeros alios; nostris quidem temporibus copiose eleganterque scripserunt Vincentius Chartarius Rhegiensis Italice, Antonius Verderius Dominus Vallis Privatæ Latine, qui Chartarii librum in Latinum sermonem transtulit, denique (ut de multis aliis Antiquitatum scriptoribus taceam) Lilius Gregorius Gyraldus Ferrariensis, cujus septendecim libri sive syntagmata de iisdem exstant multiplici eruditione referta. Quare ne campum, pelagusve hoc quasi immensum ingrediar, ac ne actum agere videar, breviter tantum atque summatim, quantum quidem instituti hujusce mei ratio postulabit, de iisdem hîc quædam subjiciam, quæ cognitu spero, non inutilia erunt ac injucunda.

Nulla in Mundo res, quam Ethnici non coluerint.

Observandum autem hîc primo omnium, nullam fere rem esse in universo hoc mundo, sive in hac rerum universitate atque natura, maximam, mediam, minimam, quam non Ethnici vel tanquam Deum, Deamve, atque Numen aliquod coluerint ac divinis honoribus affecerint, illud, tanquam patronum, tutorem, custodem atque præsidem sibi præficientes.

Nec vero res tantum naturales, sive visibiles & corporeas, sive invisibiles & incorporeas, easque cum bonas, utiles ac salutares, tum etiam malas, perniciosas, pestiferas, execrandas & detestandas Deorum loco atque numero habuerunt, verum etiam res artificiales, hominum manu atque ope effectas atque elaboratas, hoc est, ut sacræ loquuntur literæ, manuum suarum opera, digitorum humanorum, ut ea Lactantius vocat, ludicra atque ludibria, velut imagines, simulacra, statuas, columnas, baculos & alia hujuscemodi superstitionis organa atque instrumenta, ad Deorum honorem cultumque confecta & comparata, superstitiosissime, ceu Numina quædam, coluerunt.

Duo superstitionis Ethnicæ primaria objecta.

Duo igitur primaria fuerunt ac principalia Idololatriæ superstitionisve Ethnicorum objecta. Unum naturale; res videlicet à Deo creatæ, quas creaturas & naturas vocamus: quibus homines, Deo Creatore derelicto, divinos exhibuerunt honores: & hæc quidem diversorum sunt generum. Alterum artificiale, res nimirum ab hominibus fabricatæ, cujusmodi sunt simulachra, statuæ & imagines rerum conditarum: quæ tamen, si materiam illarum spectes, quæ Dei opus est, ac creatura, naturalibus potest adnumerari.

Duûm horum objectorum testimonia S. Scripturæ.

Utriusque autem huius objecti Idololatriæ Ethnicorum duo inprimis luculenta habemus sacræ scripturæ testimonia, quæ omnino hîc præmittenda minimeque prætermittenda esse videntur: ex quibus satis superque constat, cunctos Gentilium Deos res fuisse partim naturales, partim artificiales. Primum testimonium est S. Pauli,

S. Pauli, qui in Epiſtola ſua ad Romanos capite primo, de Gentilium cum Græcorum, tum Barbarorum Idololatria, ſeu Idolomania potius cum naturali, tum artificiali, hunc in modum diſſerit: Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ, ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων. Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, διότι γνόντες τὸν Θεὸν οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν. Διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν, τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς, οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. Id eſt, *Palam enim eſt ira Dei e cœlo, adverſus omnem impietatem & injuſtitiam hominum, ut qui veritatem injuſte detineant: quoniam id, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in ipſis: Deus enim eis manifeſtum fecit. Ipſius enim inviſibilia jam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta pervidentur, æterna (videlicet) ejus tum potentia, tum divinitas: ad hoc, ut ſint inexcuſabiles. Propterea quod cum Deum cognoverint, (tamen) ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt: ſed vani facti ſunt in ratiocinationibus ſuis, & obtenebratum eſt deſipiens cor eorum. Quum ſe dictitent ſapientes, ſtulti facti ſunt. Mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis & volucrium, & quadrupedum, & reptilium. Quam obrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordis ipſorum ad impuritatem, ut fœdarent corpora ſua inter ſe: ut qui Dei veritatem tranſmutârint in falſitatem & coluerint ac ſervierint rebus creatis, præterito Creatore, qui eſt benedictus in ſecula Amen.* Hactenus primum teſtimonium, quo Paulus tum Idololatriæ univerſæ cauſam, originem, vim atque naturam graphice deſcribit, ſuisque quaſi coloribus depingit, tum rerum partim artificialium, ut imaginum & ſimulacrorum, εἰκόνος & ὁμοιώματος nominibus, partim naturalium, κτίσεως, id eſt, creaturæ, ſive rei conditæ nomine, expreſſam illuſtremque mentionem facit.

1. Unum Rom. 1. 18. 19. 20. 21. 22.

Alterum teſtimonium utriusque Idololatriæ, naturalis, ut ita loquar, & artificialis, extat capite 13. libri illius, qui merito *Sapientiæ* titulo inſignitur, propterea quod ſapientiſſima religionis, vitæ, morumque documenta complectitur. Ac primum quidem mentio fit rerum naturalium, quas Ethnici in Deorum numero repoſuerint, his verbis, quæ ſequuntur verſu 1. Μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν Θεοῦ ἀγνωσία, καὶ ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν, οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι τὸν ὄντα, οὔτε τοῖς ἔργοις προσέχοντες ἐπέγνωσαν τὸν τεχνίτην. ἀλλ' ἢ πῦρ, ἢ πνεῦμα, ἢ ταχινὸν ἀέρα, ἢ κύκλον ἄστρων, ἢ φωστῆρας οὐρανοῦ, πρυτάνεις κόσμου θεοὺς ἐνόμισαν. ὧν εἰ μὲν τῇ καλλονῇ τερπόμενοι, ταῦτα θεοὺς ὑπελάμβανον, γνώτωσαν πόσῳ τούτων ὁ δεσπότης ἐστὶ βελτίων, ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης ἔκτισεν αὐτά. εἰ δὲ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν ἐκπλαγέντες, νοησάτωσαν ἀπ' αὐτῶν πόσῳ ὁ κατασκευάσας αὐτὰ δυνατώτερός ἐστιν, ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται. Hoc eſt, *Etenim vani ſunt ac nihili omnes homines naturâ, quibus ineſt Dei ignoratio, quique Dei cognitione vacui ex iis, quæ videntur bona, non valuerunt eum, qui eſt (nempe unicum illum ac ſuapte virtute exiſtentem Deum) intelligere neque operibus ejus intenti ipſum verum opificem agnoſcere. Sed aut Ignem, aut Ventum, aut citatum Aërem aut orbem Aſtrorum, aut rapidam violentamque Aquam, aut cœli Luminaria Deos rectores Mundi eſſe putaverunt: quorum ſi ſpecie & pulchritudine capti & oblectati, Deos ea eſſe exiſtimarunt: hinc eos diſcere oportuit, quanto illis præſtantior ſit eorum Dominus: ſiquidem pulchritudinis auctor & architectus illa creavit. Quod ſi vero virtute & efficacitate harum rerum in admirationem rapti ac velut perculſi fuerunt, ratiocinentur inde atque colligant, quanto is, qui ea ita paravit & inſtruxit, viribus ſit potentior. Nam ex magnitudine pulchritudineque rerum creatarum ſpectatur atque cognoſcitur earundem conditor: idque certâ quadam proportione & ſimilitudinis congruentia, quæ ex creaturis elucet.*

2 Alterum Sap. cap. 13. v. 1. 2. 3. 4. 5.

Secundo meminit rerum artificialium his verbis, ταλαίπωροι δὲ καὶ ἐν νεκροῖς αἱ ἐλπίδες αὐτῶν, οἵτινες ἐκάλεσαν θεοὺς ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, χρυσὸν καὶ ἄργυρον τέχνης ἐμμελέτημα καὶ ἀπεικάσματα ζώων, ἢ λίθον ἄχρηστον χειρὸς ἔργον ἀρχαίας. Id eſt, *Miſeri vero ſunt & mortuis incumbunt ſpes eorum, qui Deos appellant hominum opera, manibus fabrefacta, ex auro nimirum & argento, in quo artifex ipſe ſe exercet, affabre illud ſculpendo & poliendo, quique brutorum animalium ſimulacra, aut inutilem lapidem, priſcâ manu elaboratum, vetuſtateque ſuâ commendatum Dei vocabulo dignantur.* Hujuſmodi eſt teſtimonium ſecundum, cujus alteram hanc Idololatriæ ſpeciem, nempe rerum artificialium cultum, ut impium, abſurdum, ridiculum & ab omni ratione divina & humana alienum amplificat.

Duobus autem hiſce Idololatriæ objectis, nempe naturali & artificiali tertium addi poteſt, nempe imaginarium, quo id Deus fingitur & pro Deo colitur, quod nuſquam eſt in rerum natura, ſed merum eſt mentis humanæ figmentum.

Nunc his præmiſſis ad ſpecialem Deorum iſtorum, hoc eſt, rerum cum naturalium tum artificialium, quas Ethnici pro Diis coluerunt, enumerationem atque catalogum accedamus, in quo tanquam in ſpeculo nobis horrendam miſerandamque illorum inſaniam intueri licet.

Specialis enumeratio rerum quas coluerunt Ethnici.

Primum igitur quantum ad res naturales attinet, ipſum primo Mundum univerſum ſive hanc rerum univerſitatem atque Naturam, quam κόσμον, φύσιν, τὸ πᾶν, Græci appellant, & Cicero, *communem Deorum atque hominum unitatem*, domum, urbem, civitatem, atque templum, tanquam Deum, ſive Numen aliquod coluerunt. *Mundum*, inquit Plinius lib. 2. cap. 1. *& hoc, quod nomine alio Cœlum appellare libuit, cujus circumflexu teguntur cuncta, Numen eſſe credi par eſt, æternum, immenſum, neque genitum, neque interiturum unquam.* Strato, Theophraſti auditor, omnem vim divinam in Natura ſitam eſſe cenſuit, quæ cauſſas gignendi, augendi

Κοσμολατρεία ſeu φυσιολατρεία, cultus Mundi ſeu Naturæ.

gendi minuendive habeat, ſed careat omni ſenſu & figura. Democritus tum imagines earumque circuitus in Deorum numero retulit, tum illam naturam, quæ imagines fundat ac mittat, tum ſcientiam, intelligentiamque noſtram, de qua poſtea. Sic Ariſtoteles modo Menti tribuit omnem divinitatem: modo Mundum ipſum dixit eſſe Deum: modo quendam alium præfecit Mundo: tum cœli Ardorem dixit Deum eſſe. Cleanthes, Zenonis auditor, tum ipſum Mundum Deum dixit eſſe, tum totius Naturæ Menti atque Animo hoc nomen tribuit, tum ultimum & altiſſimum atque undique circumfuſum & extremum, omnia cingentem atque complexum Ardorem, qui *Aether* nominatur, certiſſimum Deum judicavit, Cicerone teſte lib. I. *de Natura Deorum.* Senſit idem Xenophanes, qui Mente adjuncta omne præterea, quod eſſet infinitum, Deum voluit eſſe. Vellejus contra Epicureus apud eundem Ciceronem loco citato, portenta & miracula Philoſophorum non differentium ſed ſomniantium dicit eſſe, quando vel Mundi opificem & ædificatorem, ut eſt apud Platonem in *Timæo*, vel πρόνοιαν, id eſt, *Providentiam*, quam Stoicorum anum fatidicam appellat, vel ipſum denique Mundum animo & ſenſibus præditum, rotundum, ardentem, volubilem Deum ſtatuunt. Pluribus deinceps hanc de Mundi æternitate & divinitate Philoſophorum ſententiam refellit.

Mundus cultus ſub Panis, Priapi & Jovis nomine.

Univerſum autem hoc, πᾶν à Græcis dictum, ſub *Panis* quoque nomine coluerunt, quem idcirco nonnulli ſic voluerunt fuiſſe appellatum. Idem coluerunt ſub Priapi & Jovis nomine. Jovem enim illum ſuum fictum & commentitium à Jehova, proprio veri Dei, conditoris Mundi, nomine, ad ſummam impietatem traducentes (qui Græcis Ζεὺς, ab emicante & relucente vi ac viriditate rerum, quæ Hebræis dicitur זו, *Ziv*, eſt nuncupatus) ſummum ſive ſupremum Deorum omnium ſenſerunt, cum teſte Seneca, & *Fatum*, & *Providentiam*, & *Naturam*, & *Mundum* appellantes, cui propterea triplex regnum attribuerunt, in Cœlo, in Mari, in Inferno. Pulchre in hanc ſententiam canit de eo Orpheus:

Primus cunctorum eſt & Jupiter ultimus idem.
Jupiter & caput & medium eſt. Sunt ex Jove cuncta.
Jupiter & terræ baſis & ſtellantis Olympi.
Jupiter & mas eſt, eſtque idem nympha perennis.
Spiritus eſt cunctis, validusque eſt Jupiter ignis.
Jupiter eſt pelagi radix; eſt Lunaque Solque.
Cunctorum Rex eſt, princepsque & originis auctor;
Namque ſinu occultans, dulces in luminis auras
Cuncta tulit, ſacro verſans ſub pectore curas.

Phœnices, M. Tullio & Macrobio referentibus, Janum Mundi ſymbolum ſunt arbitrati. Quare ſerpente caudam ſuam vorante, eum repræſentabant. Mundus enim ſeipſum alit, & aſſidue in orbem torquetur: quod rerum omnium ortus, interitus, neceſſitatem atque inſtaurationem nobis oſtendit.

Nos contra Chriſtiani Mundum hunc univerſum, hanc rerum univerſitatem, non Deum aliquem, ſed Dei Opt. Max. opus ſeu opificium, Dei theatrum, ſpectaculum atque ſpeculum eſſe credimus: in quo Deus ſuam divinitatem, majeſtatem atque potentiam, adde ſapientiam, miſericordiam atque juſtitiam nobis perpetuo ſpectandam proponit. Univerſam item hanc Naturam, non Deum, ſed Dei miniſtram atque famulam, quæ ſapientiſſime potentiſſimeque ab illo ſemper regitur ac gubernatur, eſſe credimus. Idem hoc, duce & magiſtra ipſa Natura, Ethnici quoque, qui inter illos fuerunt ſapientiores, ſenſerunt. Et huc facit Ariſtotelica Mundi definitio libro *de Mundo*, quæ ita habet: Κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως κόσμος, ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη, *Mundus conſtat ex cœlo & terrâ, cunctiſque, quæ in eis continentur, naturis. Appellatur vero & aliter Mundus, omnium rerum ordo & adminiſtratio, à Deo & per Deum conſervari ſolita.*

Impurus igitur & immundus fuit hic Mundi ceu Numinis cujuſdam cultus, cum Mundus non ſit Deus, ſed Dei opificium, ſex dierum ſpatio ex Nihilo, hominis cauſa, creatum, à quo etiam ad extremum illum uſque diem conſervatur, regitur & gubernatur.

Χρονολατρεία temporis cultus. Tempus cultum Saturni nomine.

Nunc, antequam ad ſingulas Mundi partes cum maximas, tum minimas, & omnia denique, quæ Mundi ſinu complexuque continentur, accedamus, de Tempore, cujus eadem fere eſt cum Mundo origo atque conditio, prius dicemus: quod ipſum quoque ceu Numen quoddam, ab Ethnicis fuit cultum, ſub Saturni, Jani, Jovis, & aliorum Deorum nominibus. Ac Saturni quidem nominibus, imaginibus, inſignibus variis, quæ illi tribuuntur & fabulis, quæ de illo traduntur, Tempus (quod Latine a *temperando* dictum eſſe ait Beda: ſive quod unumquodque temporis ſpatium temperatum ſit: ſive quod momentis, horis, diebus, menſibus, annis, ſeculiſque & ætatibus omnia mortalis vitæ curricula temperentur, hoc eſt, regantur) innui, ac ejus vim, naturam, commoda & incommoda varia ac multiplicia deſignari, copioſe docent illi qui de Ethnicorum Diis ſcripſerunt. Sic enim, ut ex multis pauca delibemus, *Saturnum* Latine quaſi *annis ſaturum*, Græce Κρόνον, quaſi χρόνον volunt dictum.

Saturnus unde dictus.

Plutarchus in *quæſtionib. Rom.* 12. cur Κρόνον, id eſt, *Saturnum* veritatis patrem fecerint Antiqui, hanc rationem reddit, vel quod Tempus eſt Cronus, ut nonnulli Philoſophorum interpretantur; Veritatem autem eruit tempus. Vel, quod cum fabulæ Saturni ſeculum faciant juſtiſſimum, dubium non eſt, quin maximus in illo fuerit veritatis uſus.

Saturnus Cœli filius.

Hinc etiam Saturnum Poëtæ veteres finxerunt Urani, id eſt, Cœli fuiſſe filium, quod tempus nihil eſt aliud quam ſpatium, quod Cœli converſione colligitur: ſive menſura motus, qui cœleſti orbe conficitur, ad quem motum homines Tempus metiri cœperunt.

Saturni effigies.

Eundem expreſſerunt effigie hominis ſenis, annoſi, aperto capite, (cui etiam aperto capite ſacrificabatur) falcem

falcem manu altera tenentis, liberos (unde etiam liberi ei immolabantur) lapides & nescio quæ alia devorantis. Quibus significabatur, Tempore omnia ad senectutem perduci, aperiri ac patefieri, incidi, confici, consumi ac quasi devorari: quo sensu Hebræi Tempus עת, *Eth*, dixerunt à עות, *Auath*, id est, *consumendo & pervertendo*, propterea quod Tempus omnia consumat & pervertat, juxta illud Ovidii *Metamorphos.* lib. 15.

Tempore omnia consumuntur.

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Et Seneca, *Tempus nos avidum devorat & chaos.*

Huc pertinent, quæ Eusebius de Astarte, Cœli filia, Saturni vero sorore & conjuge tradidit, quæ regium quendam ornatum Saturno, fratri & marito suo confecerat, qui quatuor erat oculis præditus: quorum duo ante, duo autem pone erant affixi: hi vicissim claudebantur atque patebant, duobus semper vigilantibus: humeris quatuor alas addidit, quarum duæ erant expansæ, velut animantis ad volandum parati, duæ reductæ & complicatæ, tanquam stantis. His quoque Temporis vis atque natura fuit expressa quod dormitare licet videatur; tamen vigilet: dumque vigilat, simul quoque dormit: idemque stare licet videatur; tamen citissime volat. Unde Tempus *mobile*, *volubile*, sive *fugitivum*, *labens*, *subitum*, *lubricum*, à Poëtis appellatur, & nostrâ linguâ Tempus Zeit / sive Zit appellamus a *Cito*, quod citatissimo cursu labitur, juxta illa Poëtæ:

Ornatus Saturno qualis ab Astarte confectus. Temporis vis.

------ *Cito pede labitur ætas.*
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Ut igitur Mundum, ita Tempus quoque plerique Veterum Philosophorum æternum existimârunt, quod propterea עולם, *Olam*, ab Hebræis dictum fortasse putarunt (à quo Temporis nomenclaturam *Olim*, sunt mutuati) eique æternitatem ac divinitatem tribuerunt. Thales & Simonides Tempus appellarunt sapientissimum, quasi ab illo sapientissime efficerentur omnia. Contra Paro Pythagoricus, teste Aristotele lib. 4. *Physicorum*, idem ἀμαθέστατον, id est, *inscientissimum*, seu *ignorantissimum* dixit; quia nimirum Temporis successione atque progressu omnia oblivione deleantur & abscondantur. Unde etiam *Obliviosum* à Poëta est dictum:

Tempus æternum Philosophis.

Obliviosum cuncta sed Tempus vorat.

Et recte Saturnus, Temporis Deus, ob hanc causam a סתר *Satar*, *abscondit*, deducitur: quemadmodum & a *latendo* Deus *Latius* sive *Latinus* est dictus, & Saturnia sedes *Latium* appellatum.

Ut autem Tempus ipsum universum: sic singulæ quoque ejus partes, ut Annus, Mensis, Septimana, Dies, Hora, divinis fuerunt consecrata honoribus, hoc est, partim pro Diis ipsis culta, partim certis Diis dicata.

Temporis etiam partes cultæ.

Annus igitur universus & Jovi & Jano fuit consecratus: unde etiam Jani nomine fuit appellatus. Et certe vocis *Anni* atque *Jani* magna est affinitas ac similitudo: quæ utraque ab Hebræo שנה *Schanah*, *Annum* significante, videtur esse derivata: qui quidem sic dictus est a שנה, *Schanah*, *mutavit*, *iteravit*, vel, *mutatus & iteratus fuit*, nimirum à mutatione seu revolutione, eo quod annus annum perpetua serie sequatur (unde *Annum* Latine quasi *Annulum*, id est, Orbem nonnulli voluerunt esse dictum: alii à Græco ἔνος. Ἔννος enim Deus fuit anni: qui etiam euntibus præesse videbatur: cujus imaginem exprimebant Phœnices simulachro Draconis, in orbem redacti, caudamque suam devorantis, ut significarent Mundum & Annum in se resolvi) quodque in anno variæ & temporum & rerum sunt mutationes ac vicissitudines. Hinc Janum Ethnici finxerunt bifrontem, ad anni principium atque finem, sive tempus præteritum & futurum significandum: & binas ei tribuerunt, unam adolescentis, & alteram jam grandis natu: quarum altera temporis mox adventuri; altera temporis præteriti erat signum. Eidem, tanquam Temporis Mundique janitori, clavem tribuebant, qua & dies & annos clauderet & aperiret. Vere quidem ineunte aperiret terram, eam ad herbas floresque producendos movendo, ejusque sinum fœcundissimum patefaciendo: Hyeme autem clauderet, quando ea omnibus suis ornamentis privata constipatur, & nivis atque glaciei rigore constringitur. Plinius libro 34. *Naturalis Historiæ*, Janum à Numa Rege dicatum ait, digitis ita figuratis, ut CCCLXV. notâ per significationem anni, temporis & ævi se Deum judicaret. Tot enim diebus annus constat. Nam apud Antiquos digitorum varia inflexione, quos quisque vellet numeros, facile ostendebat: de qua numerandi ratione exstat adhuc perquam eruditus Bedæ liber. Suidas scribit, alios Janum effingere in dextera manu tenentem clavem, ut temporis principium, ac anni reclusorem janitoremque: unde etiam *Patulcius* & *Clusius* ab aperiendo & claudendo fuit dictus: alios vero, in dextera CCC. sinistra LXV. continentem, ut annum significent.

Annus. Anni Symbolum Janus.

Nec vero tantum bicipitem & bifrontem, sed etiam quadricipitem Janum Veteres effinxerunt (cujusmodi statua in quodam Hetruriæ loco reperta est) ad quatuor anni tempora adumbranda, quæ sunt, Ver, Æstas, Autumnus, Hiems: quæ similiter apud Priscos vario aspectu atque habitu designabantur. Eodem arcus Jani quadriformes & pervii referri possunt, quibus in pompis triumphalibus per urbem Romam ad Jani templum excitabantur.

Duodecim similiter aræ ab Antiquis Jano positæ, duodecim anni mensium, vel totidem signiferi segmentorum, per quæ singulis annis Sol decurrit, significationem habebant. Sic Romæ erat templum, Iano sacrum, cujus testudo quatuor columnis pilatis sustentabatur, quatuor januis perviis: in singulis vero loculamenta duo-

decim, tanquam fenestellæ, in quibus statuæ reponuntur. Has quidam existimarunt mensium, qui in quatuor anni tempora dividuntur, imaginem præ se ferre.

Anni tempora Horæ dicta.

Porro quatuor Anni tempora, *Horæ* à Græcis & Latinis appellata, tanquam Deæ fuerunt cultæ, quæ Cœlum aperire & claudere dicebantur, teste Eusebio in *præparatione Evangelica*. Hæc interdum Soli tribuuntur (qui *Horus* ab Ægyptiis fuit dictus) interdum & Cereri, atque ideo duos calathos ferunt: alterum florum plenum, quibus Ver innuitur: alterum ficubus, quibus Æstas significatur. Eas Ovidius libro I. *Fastorum* Jano comites adscribit, in Cœli januis custodiendis. Ibidem libro 5. Floræ comites facit, sicque Floram dicentem inducit:

Conveniunt pictis incinctæ vestibus Horæ,
Inque leves calathos munera nostra legunt.

Horarum descriptio.

Harum Horarum, id est, quatuor Temporum anni, elegantissima hæc exstat apud Ovidium descriptio:

Verque novum stabat cinctum florente corona.
Stabat nuda Æstas & spicea serta gerebat.
Stabat & Autumnus calcatis sordidus uvis,
Et glacialis Hyems, canos hirsuta capillos.

Anni temporum imago alia.

Alia item imagine hæc quatuor Anni tempora ostendebantur; ita ut Venus pro Vere, pro Æstate Ceres, pro Autumno Bacchus accipiatur. Hiemem partim Vulcanus, ad fornacem ardentem adstans, partim Venti, unâ cum eorum Regē Æolo (Hoc enim tempore, si unquam alias, Venti tempestatesque excitantur: unde Hiems, Winter / Germanis à Wind / id est, *ventis*, dicitur.) repræsentant: de quibus hæc pulcherrima exstant Epigrammata,

Ver.

De Vere:

Cum viridi rident vernantes gramine campi,
Et pictis pascunt horti oculos oculis,
Alma Venus colitur: Venerem genus omne animantum
Sentit: amat blando tempore blanda coli.

Aestas.

De Æstate:

Æstiferi cum Sol premit horrida terga Leonis,
Virginis & sensim labitur in gremium:
Flava Ceres gravibus compensat messibus æstus:
Constans à Superis præmia sudor habet.

Autumnus.

De Autumno:

Tertia succedit Bacchi variabilis ætas,
Sentit adesse novos rustica turba Deos:
Inprimis hilaris juvenantem fronte Lyæum
Est juvenis: juvenes nam facit ille senes.

Hiems.

De Hieme:

Æolus ut Boreæ laxavit fræna furentis
Tristibus & species tristis oberrat agris:
Sic lætis, ne luxuriet mens nostra secundis,
Admiscent mœstas præscia fata vices.

Sic ergo quatuor Anni tempora Horarum nomine aliisque imaginibus fuerunt significata ac adumbrata.

Menses.

Jam vero Menses quoque certis Diis consecrarunt: omnes quidem Junoni, teste Plutarcho, ut annum universum Jovi & Jano: singulos vero aliis atque aliis. Apud Romanos Romulus mensem primum *Martium* dixit, à Marte, quem voluit credi suum parentem, cui eum consecravit: alii tamen eum in Minervæ tutela fuisse testantur. Secundum vocavit *Aprilem*, à Venere principe sui generis, in cujus tutela hic mensis est, quæ Græce ἀφροδίτη dicitur, ut sit *Aprilis*, quasi *Aphrodilis*. Tertium mensem à senibus id est, *Majoribus*, dixit *Majum*, quem alii à Deo Majo volunt dictum, qui est Jupiter, à magnitudine videlicet & majestate: alii vero à Majestate, Dea magistratuum: alii à Maja, Vulcani, vel, ut alii volunt, Mercurii uxore. Fuit autem hic mensis in Apollinis tutela. Quartum à juvenibus Junium dixit: quem alii à Junone quasi *junonium*: alii à Junio Bruto, primo Romanorum Consule, volunt nuncupatum. Hunc peculiariter Junoni sacrum fuisse testatur Plutarchus in *Quæst. Rom.* 86. *Cur mense Majo mulieres non ducantur*: alii tamen in Mercurii tutela eum fuisse dicunt. Reliquos deinceps à numero & ordine nuncupavit. Nam quintum mensem dixit *Quintilem*: qui postea *Julius* vocatus est propter Julium Cæsarem, postquam is relatus est in numerum Deorum Romanorum. Fuit mensis hic in tutela Jovis. Sextum, qui in Cereris tutela fuit, dixit *Sextilium*, quem *Augustum* postea dixerunt propter Octavianum Augustum, cui is fuit quoque dedicatus. Septimum mensem dixit *Septembrem*: quem Senatus Rom. in Tiberii Augusti honorem *Tiberium* appellari voluit, quod tamen ne fieret, ipsemet intercessit. Idem *Germanicus*, *Antoninus*, *Hercules*, *Tacitus* fuit cognominatus, ac in Vulcani tutela fuisse existimatus. Octavum *Octobrem*; quem Domitianus à suo nomine *Domitianum* appellavit, quod eo natus esset mense. *Faustinus* etiam dictus, in honorem Faustinæ uxoris M. Antonini Imp. ut à Commodo *Invictus*. Hic in Martis tutela fuit. Nonum *Novembrem* vocavit, qui à Commodo *Imperatorius* dictus in Dianæ tutela fuit. Decimum denique dixit *Decembrem*: qui ab adulatoribus Commodi Imp. *Amazonius* appellatus in tutela Vestæ fuit. His Numa Pompilius duos postea addidit, Januarium, in honorem Jani, qui vetus fuit cum Saturno Latii rector, & Februarium, sic dictum a Februis, id est, inferiis, ac cœnis & cereis, quæ anni

extremo

extremo mense inferebantur sepulchris mortuorum & bustis, ut Umbræ quiescerent, ac ne cuiquam molestæ essent, ut docent Ovidius in *Fastorum* libris, Festus, Varro & alii talium sacrorum veterum interpretes. Hunc tamen mensem Macrobius lib. 1. *Saturnalium* cap. 12. à Februo, Deo lustrationum, vult dictum, cui à Numa fuerit dicatus. Lustrari vero civitatem eo mense necesse fuisse, ut justa Diis Manibus solverentur. Ut autem Januarius in tutela Junonis fuit, sic hic ultimus in Neptuni. Verum de his vide plura apud Macrobium, Censorinum, Varronem, Ovidium, & apud recentiores, potissimum Gyraldum. Hi autem Dii omnes, qui duodecim mensibus præesse credebantur, uno nomine *Consentes*, quasi *Consentientes* fuerunt dicti, qui in consilium Jovis adhiberi putabantur: quorum Augustinus 4. *de Civitate Dei*, & Seneca lib. 2. *Quæstionum naturalium* meminit: unde sacra *Consentia* dicta.

Porro Mensium apud Romanos præcipuæ partes erant Kalendæ, Nonæ, Idus. Kalendis præerat Juno. (Sic enim Ovidius: Mensium partes Kalendæ.

Vendicat Ausonias Junonis cura Kalendas.)

itemque Janus; qui omnium primordiorum Deus putabatur, & idcirco *Junonius* fuit dictus, quod omnium mensium ingressum teneret, ut etiam Juno, Kalendisque fœneratores pecunias colligere solebant.

Idus omnes Jovi sacræ erant; ideoque ipsi ovis mactabatur, quæ ob hoc dicebatur *Idulu*, Ovidius: Idus.

Idibus alba Jovi grandior agna cadit.

Festus: *Idulis ovis dicebatur, quæ omnibus Idibus Jovi mactabatur.* Idem testatur Macrobius libro 1. *Saturnalium.*

Præterea, apud Ethnicos, Græcos, Romanos & alios, singulorum mensium dies certis Diis atque festis erant dicati, ut ex Kalendario Romano & multis aliis scriptis liquido constat. Dies.

Hebdomadum, seu septimanarum ratio quoniam solis Hebræis fuit nota, cæteris autem gentibus incognita: idcirco nihil hîc de illis affirmare possumus, quibusnam Diis singulæ hebdomades fuerint consecratæ. Hebdomadæ.

Quantum ad Dies attinet, Dies quidem in genere Jovi: Noctes vero Junoni erant dicatæ. *Dies*, inquit Festus, *dictus, quod divini sit operis, sive ab Jove, ejus, ut putabant, auctore, quem Græci Δία appellant: sive quod aër diurnus dehiscat in candorem.* Hinc *Diespiter* dictus Jupiter, quasi *Diei pater*, sicut *Dijovis* appellatus est, quasi *Diem juvans*, quod homines die & quasi luce juvaret. Unde *Lucerium* quoque à Veteribus Saliis nominatum legimus. Cretenses φωσφόρον, id est, *Luciferum* vocarunt. Hinc etiam *Idus* dicta *Itis*, hoc est, *Jovis fiducia.* Vide supra de Idibus. Dies dicatus Jovi. Diei etymon. Diei pater Jupiter.

Nox similiter, quæ Diei civilis pars est, ut Dea ab Ethnicis fuit culta, quam Aratus ἀρχαίην, id est, *antiquam*, & interpres ex Hesiodi sententia Deorum antiquissimam vocat. Hanc Hesiodus Chaûs filiam & Ætheris, atque Diei matrem, Orpheus Deorum hominumque matrem, & genesin omnium vocat: cujus sane sub nomine Tenebrarum, quæ dicuntur fuisse תהו ובהו, *thohu*, *vabohu*, in sacris litteris in Mundi creatione primo fit mentio. Illius descriptio & hymnus pulcherrimus extat apud Orpheum & Statium Papinium libro 2. *Theb.* De Noctis nominibus & sacrificiis vide plura apud Gyraldum: quam certe non mirum est Ethnicos, Noctis & Tenebrarum, id est, ignorantiæ & erroris filios, ceu matrem suam religiose, seu superstitiose potius coluisse. Nox.

Jam vero singuli etiam Hebdomadum dies Planetis, quos ut Deos colebant, erant dicati, ut Soli, Lunæ, Marti, Mercurio, Jovi, Veneri, & Saturno, secundum pervulgatos illos versiculos: Hebdomadum dies Planetis dicati.

Prima dies Phœbi sacrato nomine fulgens
Vendicat, & lucens feriam sibi Luna secundam.
Inde dies rutilat jam tertia Martis honore.
Mercurius quartam splendentem possidet altam.
Quinta Jovi est devotâ relligione dicata.
Concordat Veneri magno cum nomine sexta.
Emicat alma dies Saturno septima summo.

Primus igitur Hebdomadæ dies Soli, secundus Lunæ, tertius Marti, quartus Mercurio, quintus Jovi, sextus Veneri, septimus Saturno fuit dicatus.

Postremo Horas quoque, in quas dies distinguuntur, certis Planetis, tanquam Diis consecrarunt, & certis actionibus destinarunt, quæ *Planetariæ*, *Naturales* & *Inæquales* appellantur. Horæ principio erant XII. cujus ordinationis hæc traditur origo: Hermes Trismegistus, cum esset in Ægypto, sacrum quoddam animal, Serapi dicatum, animadvertit in die toto duodecies urinam facere, pari semper interposito tempore: unde per XII. Horas diem dividi debere conjecit, & inde *Horas* nonnulli volunt dictas ἀπὸ τοῦ οὔρου, id est, *urina*, quasi primum dictæ sint οὖραι, quæ postea sint appellatæ ὧραι. Sed & ista XII. Horarum ratio fuit duplicata, & in XXIV. Horas dies divisus. Horam etiam Veteres juventutis Deam vocabant: unde Ennius, Horæ etiam Planetis dicatæ. Horarum etymon. Horarum ratio duplicata.

Te, Quirine pater, veneror, Horamque Quirini.

Hanc nonnulli eandem volunt esse, quæ Horta, de qua postea.

Et hæc de Temporis cum universi, tum singularum ejus partium cultu superstitioso & idololatrico: ad quod Occasio quoque referri potest, quam Veteres pro Dea coluerunt. Occasio enim, ut est apud Ciceronem in libro *de Inventione*, est pars temporis, *habens in se alicujus rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem.* Et, *In Occasione ad spacium temporis faciendi quædam opportunitas intelligitur.* Item, Occasio pars temporis.

Tempus actionis opportunum, Græce εὐκαιρία, *Latine appellatur* Occasio. *Hanc Poëtæ filiarum Saturni minimam fuisse finxerunt.*

Solus Deus, ut Temporis auctor colendus.

Ut autem illi Tempus superstitiose coluerunt: sic nos Christiani solum Deum, ut Mundi, ita Temporis quoque cum universi, tum singularum ejus partium, vel minimarum, cujusmodi sunt momenta, & creatorem, & conservatorem, & moderatorem credimus & confitemur esse optimum, potentissimum ac sapientissimum. Tempora, ut scriptum est Jobi 24. cap. non sunt abscondita ab Omnipotente. *Tempora*, inquit Christus ipse, *& Temporum momenta Pater posuit in sua potestate. Actor.* 1. cap. Tempora, ut ait Ecclesiasticus cap. 36. immutavit Dei sapientia per motum Solis & Astrorum & dies festos ipsorum: & in illis dies festos celebraverunt ad horam.

Mundi partes.

Porro Mundi partes sive membra principalia sunt Cœlum, Terra, Maria. Hæc quoque & illorum partes, omniaque quæ in iis continentur vel minima, vilissima & abjectissima quæque, vel Numinum loco fuerunt habita atque culta, vel certis Numinibus consecrata.

οὐρανολατρεία cultus Cœli.

A C COELVM primum ipsum universum (שמים, *Schamaim*, Hebræis dictum, quod illic sint aquæ: & οὐρανὸν Græcis, ab altitudine seu luciditate: sive quod extremus sit Mundi terminus, sive determinatio) Deum appellarunt, & ceu Deum coluerunt, Saturni, id est, Temporis patrem fingentes; hujus vero parentes Æthera & Diem, ut testatur Cicero *de Natura Deorum.* Theophrastus modo Menti divinum tribuit principatum: modo Cœlo: tum autem signis sideribusque cœlestibus. Atlantides, Africæ populi, hunc primum Deum apud se regnâsse prædicabant, teste Eusebio, & Diodoro. Persæ quoque, teste Strabone, Cœlum Deum putabant, & Jovem appellabant.

Cœlorum nomen pro Deo aliquando acceptum.

Hîc observandum Cœli sive Cœlorum nomen in sacris litteris, figurâ loquendi, quæ à Grammaticis μετωνυμία, id est, *Transnominatio* dicitur, pro Deo, sive Domino & possessore Cœlorum accipi. Sic quidam interpretantur illa filii perditi & prodigi confessionis verba, *Peccavi in Cœlum*, id est, Deum: ubi per id, quod continet, id quod continetur, significatur. Cui & illud addi potest, *Baptismus Johannis de Cœlone erat, an ab hominibus?* Sic Poëta quidam è veteribus, *Cœlo gratissimus amnis*, dixit, pro Diis, qui cœlo continentur. Sic 1. *Macchab.* 3. 18. οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ σώζειν ἐν πολλοῖς, ἢ ἐν ὀλίγοις, *Non est differentia in conspectu Cœli salvare in multis vel in paucis.* Rursus 1. *Macchab.* 4. 14. καὶ νῦν βοήσομεν εἰς οὐρανὸν, εἰ ἐλεήσει ἡμᾶς, *Nunc autem Cœlum inclamabimus, utrum misereatur nostri.* Quibus locis manifeste Deus significatur, sed improprie, ut dictum. Sed & Rabbini sæpenumero ita usurpant, ut cum dicunt, *Omnia esse in manu Cœli.* Item: *Sit timor Cœli super vos:* &, *Nomen Cœli frequens in ore ipsius.* Sic, *Timor hominum, si prævaluerit, excludit*, vel, ut alii legunt, *expellit timorem Cœli.* Hactenus de οὐρανολατρεία.

Jam vero, cum Cœli duæ sint partes, nempe Αἰθὴρ Græce, Latine *Aether*, & Ἀὴρ, Latine *Aër*, uterque illis Numen vel Deus fuit.

Αἰθερολατρεία, cultus Aetheris.

ÆTHER Græce sic dictus est partim ab ardore atque splendore lucidissimo, partim à perenni perpetuoque cursu, nimirum vel ἀπὸ τοῦ αἴθειν, id est, *splendere*, vel ἀεὶ θεῖν, id est, *semper currere.* Hunc Cicero, libro *de Natura Deorum*, ardorem ultimum, certissimum, undique circumfusum aërem complectentem, in quo astra volvantur, vocat. Idem: *Ultimus & à domiciliis nostris altissimus, omnia cingens & coërcens Cœli complexus, qui idem Æther vocatur, extrema ora & determinatio Mundi, quam homines* Jovem *appellant.* Atque hic Æther, ut est apud eundem, Stratoni, Zenoni & reliquis fere Stoicis videtur summus Deus mente præditus, qua omnia regantur.

Ἀστρολατρεία, Astrorum, sive siderum cultus.

ÆTHER autem astra, sidera atque stellas, partim fixas & non errantes, partim errantes, vagas atque mobiles complectitur. Sic enim Cicero: *Sidera æthereum locum obtinent.* Hæ autem stellæ universæ & singulæ, quas exercitum seu militiam Cœli sacra scriptura hinc inde vocat, pro Diis ac Deabus ab omnibus fere gentibus habitæ fuerunt atque cultæ: quod notum est vel ex ipsa sacra scriptura; ubi exprobrat Deus Judæis, aliquoties, quod mensam paraverint, id est, sacrificârint numeris stellarum, more Ethnicorum (sic enim Es. 65. 11. quidam interpretantur vocem Hebræam גד, *Gad*: quamvis alii *Martem*, alii *Jovem*; alii *Fortunam*; alii *Fatum*; alii denique *Mercurium* interpretentur.) Sic Amos 5. 26. illis exprobrat, quod sidus Dei sui humeris gestaverint, id est, sidera, Deorum more, coluerint: ubi כיון *Cijun* (vel, ut alii legunt כיון *Cevan*; unde postea *Revan*, & tandem *Remphan* eo Actorum loco, scribi cœpit euphoniæ gratia) in specie *Saturnum* interpretatur Aben Ezra, & *stellam Luciferum* Hieronymus, quem ætate sua dicit à Saracenis cultum fuisse. Idem porro liquidissime constat ex illo loco *Sapient.* 13. φωστῆρας οὐρανοῦ, πρυτάνεις κόσμου, θεοὺς ἐνόμισαν, *Lumina cœli, à quibus Mundus regitur, Deos putarunt.* Et Cicero libris *de Natura Deorum* id multis probat: ubi inter alios Zenonem, Crotoniatem Alcmæum, & Parmenidem inducit: item Ponticum Heraclidem, qui ex Platonis disciplina modo Mundum: tum Mentem divinam esse putarunt; modo sideribus & errantibus stellis divinitatem tribuerunt.

Ἡλιολατρεία, cultus Solis.

Inter hæc autem Cœli sive Ætheris signa principem locum obtinere constat Solem atque Lunam: quæ idcirco præ reliquis astris, à cunctis fere gentibus, præsertim Ægyptiis, omnium mortalium primis, Phœnicibus Græcisque (ut passim ex omnibus tam sacris, quam prophanis litterarum monumentis: maxime vero ex Platone, Diodoro Siculo, Plutarcho & aliis liquet) divinis fuerunt affecta honoribus.

Solis etymon, effecta, & adjuncta.

Sol, ut inquit M. Tullius, dictus est vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus (magnitudine videlicet tanta, quanta astrorum maximo competit; terraque major secundum Ptolemæum centies sexagies sexies: sed secundum recentiorem Copernici observationem centies sexagies bis: unde maximus Deorum à Persis & Massagetis dictus fuit: quem in antro quodam venerabantur, teste Lactantio, Statii interprete) vel, quia cum

cum exortus est, obscuratis cæteris sideribus solus apparet, astrorum principatum obtinet, fons & auctor est lucis, dominus diei, mens Mundi, cor Cœli, dux & princeps moderatorque reliquorum luminum atque temporum, &, ut apud Ovidium quarto *Metamorphos.* de se ait;

> ---- *Ille ego sum, qui longum metior annum,*
> *Omnia qui video, per quem videt omnia Mundus,*
> *Mundi oculus.* ----

Veteribus nomine Jovis, ὡς διὰ πάντων χωροῦντος πνεύματος, *spiritu per omnia commeantis*, Phaëtontis, Hori, Serapidis, Osiridis, Mythræ sive Mythrii, Beli, Phœbi, Apollinis, Panis, Titanis, aliisque infinitis (ut Macrobius fuse demonstrat) appellatus: Græcis ἥλιος: Hebræis & Chaldæis חמה *Chammah*, חרס, *Chæres*, & שמש *Schamæsch*, partim à calore & exsiccatione, per excellentiam, partim à ministerio, quod præbet reliquis astris, eis lucem subministrando. Solis varia nomina.

Nec vero tantum Græci & aliæ gentes Solem illis nominibus appellarunt, sed etiam coluerunt & venerati sunt: quorum quidem Deorum nomina, cognomina, imagines, statuæ, & similia, quæ fabulæ illis affingunt innumera, Solis vim, naturam, celeritatem, efficacitatem, pulchritudinem, splendorem admirabilem: (unde in sacris litteris etiam sponso, egredienti è thalamo, elegantissime vestito, comparatur) significarunt.

Horum autem Ægyptii appellarunt Solem, voce, ut verisimile est, deducta ab Hebræa אור *Or*, quæ *lucem* sive *lumen* significat, quod Sol fons sit luminis, ut dictum. Inde *Horæ* dictæ, id est, quatuor anni Tempora; quas Homerus finxit Cœli portis præesse, Cœlum modo claudere, modo aperire, illudque modo serenum, modo nubilum efficere, & Solis equos curare, quod nimirum Solis cursu mensurentur ac distinguantur: unde Ovidius libro undecimo *Metamorph.* Sol Aegyptiis Horus dictus.

> *Iungere equos Titan velocibus imperat Horis:*
> *Jussa Deæ celeres peragunt.* ----

Macrobius similiter Horum pro Sole capi vult, ab eoque *Horas*, in quas dies est distributus, esse dictas, lib. 1. *Saturnal.* Horus idem etiam fuit, qui Osiris, apud Ægyptios, accipitris formâ expressus, quæ avis, quia & nocte clare cernit, & velocissime volat, Solis clara est imago, ad ejus cum splendorem, tum velocitatem exprimendam. Apud quosdam, ut Heliopolitanos, Sol felis etiam speciem præ se ferebat, ob eandem rationem. Nam & felis nocte clarissime cernit, & velocissimus est: unde αἰλουρόμορφος fuit dictus. Sic Lycopolitani, quæ civitas est Thebaidos Ægypti, pari religione Apollinem, & λύκον, id est, *lupum* colebant, in utroque Solem venerantes, quia hoc animal Solis in modum omnia rapit & consumit, & oculorum acutissimâ acie præditum, noctu quoque videt, tenebrasque nocturnas vincit: quod notum vel ex proverbio, *Lupis vespertinis acutior*, Habac. 1. 8. & inde quod λύκος Græce ἀπὸ τῆς λύκης, id est, *à luce* videtur dictus. Hîc non omittendum videtur id, quod Ælianus docet, in *historia animalium* ita scribens: Ὀξυωπέστατον δέ ἐστι ζῶον. καὶ μήν τοι καὶ νυκτὸς καὶ σελήνης οὐκ οὔσης ὅδε ὁρᾷ. καὶ ὅτε πᾶσίν ἐστι σκότος, ἐκεῖνος βλέπει. ἔνθεν τοι καὶ λυκόφως κέκληται ὁ καιρὸς οὗτος τῆς νυκτὸς ἐν ᾧ μόνος ἐκεῖνος τὸ φῶς ὑπὸ τῆς φύσεως παρειληφὼς ἔχει. δοκεῖ δέ μοι καὶ Ὅμηρος λέγειν ἀμφιλύκην νύκτα, καθ' ἣν βλέποντες λύκοι βαδίζουσι. Quæ sic versa sunt in editione Tigurina: *Acerrimis* (lepus) *atque acutissimis præditus est oculis. Enimvero intempesta nocte, vel Luna ipsa silente, lucis usura perfruitur, & licet omnibus tenebræ offundantur; non huic tamen lux eripitur. Hinc Lycophos id temporis appellatur, cum lucem is solus naturæ munere perceptam habet. Et vero Homerus mihi vocare videtur id tempus, cum jam nunc cernens lupus se in viam dat*, ἀμφιλύκην νύκτα. Hactenus Ælianus. Sol quibus animalibus adumbratus.

Porro Beli quoque nomine cultus fuit Sol; quod nomen ratione non carere scribit Servius: *El* quippe Assyriorum lingua Solem significat: unde adspiratione adjectâ Græce ἥλιος est vocatus: alii tamen non Assyriorum lingua, sed Phœnicum putant *Hel* Solem dici; unde *Helius* ducatur, qui mox & *Belus* dictus sit. Ab *Hel* forsan nostrum Germanicum hell / id est *clarum*. Quin & Servius tradit, quod *Hal* Punicâ linguâ Deus dicatur: apud Assyrios vero *Hel* dicebatur quadam sacrorum ratione Sol & Saturnus. Cæterum de Solis fonte, imaginibus, mensa apud Phœnices, Megarenses, Persas, Ægyptios, Elephantinopolitanos, Heliopolitanos & alios, vide Gyraldum, Verderium, Chartarium, & eos, qui de hac re fuse scripserunt.

SOLI merito subjungenda aurora aurea Titanis, id est, Solis nuncia ac prævia. Virgilius: Ἡωλατρεία, cultus Auroræ.

> *Prævia flammiferi currus Aurora rubebat.*

Et:

> *Aurea fulgebat roseis Aurora capillis.*

Hæc quoque Ethnicorum Dea fuit.

SECUNDUM à Sole inter sidera dignitatis gradum Luna obtinet, à *Lucendo* dicta; vel potius a לבנה, *Lebanah*, Hebræorum voce, qua ab albedine Luna sic dicitur: quemadmodum ex *Bathseba* Hebræi ipsi fecerunt *Bathsuam*. 1. *Chron.* 5. 3. Alii tamen sic dictam volunt, quod una, id est, Sola, noctu lucet (unde *Noctiluca*:) vel quod Sole lucente luceat sola: unde Solis filia Σελήνη, ἡ Σεληναία dicitur Græce ἀπὸ τοῦ σέλας & νέον, id est, *novo lumine*, quod lucem semper habeat novam. In sacris litteris *Noctis domina* appellatur, & Isidis Deæ Ægyptiorum, ceu sidus lucidissimum, quod Ægyptio nomine σῶθις appellatur; item Dianæ, Junonis, Hecates, Lucinæ, Veneris, aliisque nominibus ab Ethnicis fuit insignita & culta. *Diana* autem est ab *jana*, si Macrobio credimus, *D* littera addita, *jana* enim Luna est etiam Varroni in libro *de re Rustica*, forsan ab Hebræo ירח *jareach*, sic dicta: quod à ירח, *jarach*, propagatur, significante *respiravit*: propterea quod noctu motu suo respirare facit, reficit & recreat, quæ interdiu Solis ardore adusta fuerunt & torrida. *Isidis* vero nomine appellatam censet Diodorus lib. 1. de sententia quorundam ob antiquitatem: qui sensus est in voce ישיש Σεληνολατρεία, cultus Lunæ, & Luni.

 Iasis,

Isis, quæ ἐσχατογέροντα significat. Verba Græca sunt, φασὶ δὲ τίνες τὴν Ἶσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιάν, τεθειμένης τῆς προσηγορίας τῇ σελήνῃ ἀπὸ τῆς ἀϊδίου καὶ παλαιᾶς γενέσεως.

Ut autem Luna Dea: ita & Lunus Deus vocabatur & colebatur (sic enim plerunque Dei utriusque sexus fuerunt existimati) teste Ælio Spartiano de Caracalla Imperatore. Ait enim ipsum Dei Luni templum accessisse, quem Deum miro cultu & veneratione Careni colebant, adeo ut qui Lunam fœmineo genere & nomine putaret nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviret: qui vero marem Deum esse crederet, is dominaretur uxori, neque ullas muliebres pateretur insidias. Lunam ergo Ethnici & Lunæ & Luni in masculeo genere, cæterisque nominibus coluerunt.

Πυρολατρεία cultus Ignis.

PORRO post Astrorum cultum, quæ sunt Cœli ignes, flammæ atque lumina, de Ignis atque lucis cultu, videtur dicendum. Ac Ignis quidem (â quo Sol etiam Hebræis dictus est שמש *Schamesch*) duplex est: Alius cœlestis; qui, ut inquit Cicero *de Natura Deorum*, est corporeus, vitalis & salutaris, qui omnia conservat, alit, auget, sustinet sensuque afficit. Alius terrestris; in nostro videlicet foco, quem adhibemus ad usum vitæ atque victum. Atque hic noster ignis, ut idem Cicero ait, quem usus vitæ requirit, confector est & consumptor omnium, idemque quæcunque invadit, cuncta disturbat & dissipat. Utriusque autem Ignis cum maxima sit utilitas, idcirco Ignem quoque Ethnici venerati sunt sub Jovis, Vulcani, Vestæ & aliorum Numinum nominibus.

Ignis cultus a Thare, Persis & aliis.

Ac de Thare quidem, patre Abrahami, constat, eum in Chaldæa coluisse Ur Chaldæorum, id est, Ignem, seu focum Ignis: quod *Ur* deductum ab Hebræo אור, *Or*, *Lux*, peperit Latinum *Urere* & *Urtica*. Eundem postea Persæ sub *Uromasdæ* nomine tanquam maximum Deum colebant ac venerabantur. Hinc Idoli Esch, quod in πυρείῳ, id est, Templo Ignis, ab eis colebatur, meminit Tripartita Historia lib. 10. cap. 30. Ac Magi quidem Ignem tam religiose coluerunt, ut cremare corpora ducerent nefas, ne cadaveris contagio Deorum maximum violaret. Alio nomine hic ignis *Urchasdim*, *Ignis Dæmonum*, sive *sacer* à Chaldæis fuit appellatus:

Ignis Vulcani nomine cultus.

quemadmodum Vulcanus, Græce ἥφαιστος, Ignis inventor, præfectus atque Deus habitus. Unde Theodoretus: ἥφαιστον, id est, Vulcanum volunt esse πῦρ, seu Ignem, & sæpe *Vulcani* nomen pro *Igne* accipitur, & *Ignis Vulcanius* dicitur à Statio:

Lacte novo profusus edet Vulcanius ignis.

Servius *Vulcanum* quasi *Volicanum* vult dictum, quod Ignis per aëra volet. Varro autem eum à majori vi & violentia ignis nomen hoc vult accepisse. Ejus fanum Romulus propter incendiorum pericula extra urbem voluit esse, teste Plutarcho in *Quæst. Rom.* 47.

Ignis Jovis nomine cultus.

Ignis Jovis quoque nomine aliquando apud Veteres habitus fuit, sic ut pro Aere Junonem intellexerunt: unde etiam Jovis sororem sunt fabulati. Ignis perpetuus, ut in Arcadia in Panis templo: ita Romæ quoque in Vestæ templo cultus fuit à virginibus Vestalibus. Vesta enim, Græce ἑστία (quæ voces ambæ à Chaldæa voce אשא, *Escha*, significante *Ignem*, videntur derivatæ; eo modo, ut ab ἐσθὴς *vestis*: & inde ejus colendi consuetudo à Chaldæis defluxit ad Persas, Græcos, Romanos & alias nationes) Ignis & focorum præses fuit habita; de hac Cicero lib. 2. *de Natura Deorum* ita: *Vesta, Græce* ἑστία, *cujus vis ad aras & focos pertinet. Itaque in ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis & precatio & sacrificatio extrema est.* Ovidius in sexto *Fastorum*:

Nec tu aliam Vestam, quam vivam intellige flammam.

Ac Berosus primum hoc nomen usurpatum fuisse à Noacho testatur: *Primus terram Aretiam, & ignem Esthan vocavit.* Quin & Delphis mulieres viro carentes in eodem templo custodierunt Ignem, tanquam manifestum symbolum præsentiæ Dei, atque hoc nomine ipsum coluerunt.

Φωτολατρεία, cultus Lucis.

LUCEM quoque Ethnici olim coluerunt ac venerati sunt, ceu Ignis effectum, quæ vox, Hebræis אור, *Or*, vel *Ur*, Latinis sic videtur dicta ἀπὸ τῆς λύκης, hoc est, *prima luce*, quæ præcedit Solis motum, ἀπὸ τοῦ λύκου, id est, *Lupo*, qui eam cernens se in viam dare solet. Lucis autem datorem & largitorem finxerunt Jovem, *Lucerium* inde dictum. At sacræ litteræ docent Jehovam verum Deum, Lucem primo omnium creasse, quæ postea in Sole, Luna, cæterisque stellis collecta fuit. Cicero similiter in illa sua oratione pro Roscio; *Commoda, quibus utimur, lucemque qua fruimur, spiritumque quem ducimus, à Deo nobis dari atque impertiri videmus.*

Αερολατρεία, cultus Aeris.

ATQUE hæc quidem de Cœlo illo supremo, sive Æthere & quæ in eo continentur. Nunc descendamus ad Cœlum aëreum, sive Aërem, qui in sacris & prophanis litteris sæpe *Cœlum* appellatur. *Aër*, nomine Græco, sed recepto usu â Latinis, interjectus inter Cœlum, id est, Ætherem, & Mare, illius quidem tenuitate & calore temperatus, vitalem & salutarem spiritum præbet animantibus (nam spiritu ductus alit & sustentat animantes.) Idem, mari finitimus, frigorum & calorum facit varietates, die & nocte distinguitur: isque tum fusus & extenuatus in sublime fertur, tum concretus in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus, tum effluens huc & illuc ventos efficit: ipseque nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum sonat. Nec verisimile tantum, sed etiam verum esse censent, perinde utcunque temperatus sit Aër: ita pueros orientes animari atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, casus cujusque eventusque fingi.

Aër Junonis nomine cultus.

Atque hunc Aërem Veteres, quem masculum & fœminam statuerunt, inter quos Anaximenes & Diogenes Apolloniates apud Ciceronem *de Natura Deorum* libro primo, Deum statuerunt, eumque gigni, esseque immensum & infinitum & semper in motu. Vulgò illum coluerunt sub Dianæ nomine, quæ idcirco Ἄρτεμις, teste

teſte Theodoreto, quaſi ἀεροτόμος, id eſt, *Aeriſeca*, quæ per Aërem pergens, eam ſecet, eſt dicta. Præcipue tamen Aërem Junonis nomine (quam ἥραν Græci vocant, quæ vox cum Græca ἀὴρ magnam affinitatem habet) intellexerunt & coluerunt: quam ideo Jovis ſororem fabulati ſunt, quod Jupiter pro Igne poneretur. Itaque ſicut illum Cœli Regem; ita hanc Reginam Cœli vocarunt. Ignis enim atque Aër in ſublimioribus locis degentes majorem vim in res has caducas poſſident, quam cætera duo Elementa. Plato quoque in *Cratylo* ἥραν, id eſt, *Junonem* Aërem appellat.

Aſt Aërem, multorum quidem commodorum, ſed multorum etiam incommodorum cauſſam, non ut Deum colendum, pluribus diſputat adverſus Gentes Theodoretus in παθημάτων ἑλληνικῶν θεραπεία.

Nec vero tantum Aërem ipſum venerati ſunt, ſed etiam ea, quæ in Aëre continentur, ut Aves (de quibus poſtea) Meteora & Dæmones ſive Genios, quorum ſedem Aërem ſacri & profani auctores faciunt.

QVANTVM ad Meteora; iis quoque divinitatem Ethnicos tribuiſſe conſtat. Tempeſtatem enim ut Deam coluerunt Romani, eique ædes à M. Marcello extra portam Capenam ædificata fuit: quam conſtruxit è tempeſtate liberatus, quam paſſus erat cum in Corſicam & Sardiniam navigaret; cujus Ovidius meminit his verſibus: Μετεωρολατρεία, cultus Meteororum.

Te quoque Tempeſtas meritam delubra fatentur,
Cum pene eſt Corſis obruta puppis aquis.

Sed & Ventos Ethnici Deos fecerunt, eosque hymnis, thure, templis, altaribus, ſimulacris, ſacrificiisque coluerunt, ut Gyraldus & alii multis exemplis atque teſtimoniis probant. Hieronymus in Pſalmum 103. alas Ventis attributas ſcribit propter velocitatem. Sic enim inter alia ipſe: *Neque illud*, inquit, *quod de ventis dicitur*, Qui ambulat ſuper pennas ventorum, *vere ventos, juxta fabulas Poëtarum & pictorum licentiam, pennas habere teſtatur; ſed celerem in cuncta diſcurſum.* Porro Ventorum præſidem & Deum finxerunt Æolum: ut idem Auctor pluribus docet. Plinius hunc ſcribit Ventorum rationem inveniſſe: qui quoniam, ut Servius ſcribit ex Varronis ſententia, & Strabo, ex nebulis conſurgentibus; vel, ut alii volunt, ex Ignis diligenti obſervatione, futuros Ventos tempeſtatesque prædicebat, creditus eſt à rudibus hominibus eas in ſua poteſtate tenere imperioque ſuo premere. Sunt, qui eum volunt Aſtrologum fuiſſe, qui tempora noſſet, quibus venti flare debent, atque ideo Ventorum Deum exiſtimatum. Quidam Homeri interpretes Æolum interpretantur Annum, & ejus duodecim filios, duodecim menſes. A Ventis Minerva *Anemotis* fuit cognominata. Ἀνεμολατρεία, cultus Ventorum.

Ut autem Venti omnes Dii fuerunt exiſtimati, ita etiam ſingulis, tum iis qui Mundi cardines obtinent, tum inde ortis (quorum omnium triginta duos ſtatuunt Nautæ noſtri temporis) tanquam Diis, Sacra peculiaria fuerunt facta.

Huc referri inprimis debet Iris, *Aërea* cognominata, quæ, ut & Mercurius, Deorum cum omnium, tum Jovis & Junonis (unde *Junonia* dicta ab Ovidio) nuncia fuit habita, quam Servius vult dictam quaſi ἔριν, quod, ut Mercurius pacis (unde εἰρηνοποιὸς & *Pacificator* dictus) ita hæc litium & contentionum fuerit nuncia. Plato tamen in *Cratylo* eam ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, id eſt, *loquendo* vult dictam, quia ſit ἄγγελος, id eſt, *nuncia*. A patre *Thaumantias* & *Thaumantæa* dicta eſt apud Poëtas, ſeu potius, quod admirationem ob ſpeciem ſuam diverſicolorem (unde *Multicolor* à Virgilio appellatur) & riſum moveat. Hæc autem à Veteribus fuit Dea habita, quam fingebant habitu muliebri, verſicolore veſte: nonnunquam & croceo, in obſequium expeditam: alas etiam ei verſicolores Virgilius tribuit quarto *Æneidos*, cum eam ad Junonem miſſam fingit ad Didonis crinem incidendum: Ἰριδολατρεία cultus Iridis.

Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis
Mille trahens varios adverſo Sole colores
Devolat. -----

Referenda hûc ſunt reliqua Meteora, & Aëris qualitates, ut Nubes, Pluviæ, Nives, Grandines, Nebulæ, Rores, Pruinæ, Fulgura, Fulmina, Tonitrua, atque id genus alia, quæ à Martiano Capella lib. 1. *Philologiæ*, ſub Junonis, quæ Aëris Dea fuit habita, imagine repræſentantur, quæque brevitatis cauſa hîc ſponte prætermittemus.

POSTREMO ad Aërem referendi omnino videntur eſſe Dæmones, Latine *Genii* dicti, quos nos *Angelos* vocamus, qui partim boni ſunt, partim mali. Plutarchus in *Quæſt. Ro.* 40. *Cur Jovis Flamini non liceat ſub Dio inungi*, inter alia ſcribit: *An, quemadmodum in templo aut fano nudare ſeſe nefas erat; ita Aërem etiam ſub aperto Cœlo & Dio venerabantur, ut Diis Geniiſque refertum?* His verbis duo Plutarchus aperte ſignificat. Primum, Ethnicos Aërem venerari fuiſſe ſolitos, ceu Deum: & quidem ſub Dio. Secundo rationem ejus reddit, nempe quod Aërem credebant refertum eſſe Diis atque Geniis. Δαιμονολατρεία, Dæmonum ſive Geniorum cultus.

Porro qui a Latinis *Genii* ſeu *Dii Geniales* fuerunt dicti quaſi *Genitores*, à *gignendo*, ſeu *generando* (vel quod agant & curent, ut homines gignantur, vel quod homines genitos ſuſcipiant & tueantur) hi à Græcis dicti ſunt Δαίμονες, quod apud Ethnicos nomen fuit commune omnibus ſpiritibus tam bonis, quam malis. Unde & Philo teſtatur, quos Philoſophi Δαίμονας vocârint, eos a Moſe אלהים, *Elohim* fuiſſe appellatos. Genii unde dicti.

Omnino igitur nomen Δαίμονος, ut etiam Genii, in bonam & malam partem accipitur: & alii dicuntur boni Dæmones, quos εὐδαίμονας, καλοδαίμονας & ἀγαθοδαίμονας appellarunt: alii mali; quos ideo κακοδαίμονας vocarunt. Sic Genios quoque alios vocarunt bonos; alios malos: in noſtra Religione nobis ſunt Angeli alii boni, alii mali. Vox Δαίμονος & Δαιμόνιον in ſacris litteris in malam ſemper partem accipitur pro im- Dæmon in bonam & malam partem accipitur.

puris illis & immundis spiritibus, qui justo Dei judicio æternæ sunt damnationi atque inferorum cruciatibus addicti, quos *Diabolos* appellamus.

Dæmones Dii inferiores.
Dæmones multiplices

Porro Dæmones illi Ethnicorum sive boni, sive mali, Platoni & aliis Philosophis fuerunt Dii inferiores, quos Jovi illi suo, ceu Deo supremo, subjecerunt, & tanquam legatos atque nuncios inter Deum & homines esse censuerunt. Horum alios fecerunt æthereos, sive cœlestes: alios aëreos, alios aqueos, alios terrestres, alios infernos, id est, subterraneos & circuitores seu vagos. Alii eos aliter dividere ac distinguere fuerunt soliti. Sed nos (omissis hîc variis, multiplicibus, infinitis & perplexis Philosophorum atque Poëtarum disputationibus de Dæmonum nominibus, generibus atque natura) Dæmonum nomine hîc intelligimus secundum sacrarum litterarum stilum, impuros & immundos illos Spiritus, qui boni atque puri initio à Deo creati propter superbiam & rebellionem suam voluntariam, e cœlesti & suprema illa sede atque dignitate dejecti fuerunt ac deturbati, & in Aerem illum caliginosum, tanquam in carcerem detrusi, ubi ad æternos illos Gehennæ cruciatus reservantur.

Dæmones unde dicti.

Hi præter alia nomina, Δαίμονες sunt dicti quasi δαήμονες à scientia & sapientia, in qua creati sunt, & qua adhuc aliqua ex parte sunt præditi, quæ, teste Augustino lib. 9. *de Civitate Dei*, cap. 20 expers est charitatis, & astutia potius, atque malitia, quam sapientia dici meretur. Alii tamen vocem hanc ab Hebræa voce שדים, *Schaddaim*, ultima nimirum ejus syllaba, volunt esse deductam, *Deut.* 32. v. 17. שדים, *Schaddaim* autem Dæmonia videntur dicta, vel à שד, *Schad*, *mamma*; à forma nimirum, qua apparebant in forma bestiæ mammosæ, ut capræ, vel vaccæ, vel canis: vel à שדד, *Schadad*, id est, *vastando*, quia vastitatis sunt auctores, sive in vastis locis habitant. Non absurdum videtur, si Δαίμων ab Hebræo אדון, *Adon*, & hinc vox Latina *Dominus*, ac Hispanica & Italica *Don*, *Donna*, *Doncella* & similes deriventur. Aëreæ enim regioni potissimum dominari impuros istos Spiritus, ibique sedem ac domicilium suum habere, & vires suas exserere ex sacris litteris potest colligi.

Dæmones detrusi in Aërem.

Petrus epistolâ 2. cap. 2. testatur Deum Angelis, qui peccaverant, non pepercisse, sed in Tartarum eos detrusisse, hoc est, in infimas has regiones, terræ finitimas, nempe in Aërem. Etsi enim *Tartari* voce intelligitur sæpe locus sub terra positus; ubi puniendi sint animi impiorum; qui locus etiam ᾅδης appellatur: tamen Petrus hoc in loco Aërem, & totum spatium intra Lunam intelligit. Judas ait, *Angelos malos suum reliquisse domicilium: & jam sub caligine, judicio magni illius Dei reservari.* Unde colligitur eos à Cœlo in Aërem hunc caliginosum fuisse præcipitatos. Hinc Steuchus vult spiritus istos malos ab Empedocle vocatos fuisse οὐρανοπετάς, id est, *è cœlo motos*, sive *raptos*. Cœlius Rhodiginus, *antiquarum lectionum* lib. 1. cap. 28. ait hoc idem significare voluisse Pythagoram, cum scripsit, *Animam fractis alis è cœlo labi*, &c. Paulus 2. cap. ad Ephesios Diabolum vocat ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *principem potestatis Aëris*. Idem cap. 6. eos vocat ἀρχὰς, ἐξουσίας, κοσμοκράτορας τοῦ σκότους, τοῦ αἰῶνος τούτου, πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, id est, *principatus, potestates, Mundi rectores, tenebrarum, seculi istius, spirituales malitias in cælestibus*, hoc est, in Aëre: adversus quos dicit nobis esse pugnam.

Dæmones detrusi in Aërem, etiam Augustino teste.

Sacris litteris consentaneè Augustinus quoque multis in locis Dæmonas sive Dæmonia in Aëre hoc caliginoso esse, tanquam in carcere, usque ad finem Mundi testatur. Tunc inde educendos & detrudendos in locum tetriorem & funestiorem: ubi crucientur perpetuo. Idem libro octavo, *de Civitate Dei*, capite 22. & libro 14. capite 3. & 23. Dæmonas docet è cœlo propter peccatum ejectos esse in caliginosum istum Aërem, ubi sint tanquam in carcere, in judicio extremo puniendi æterna damnatione cum hominibus. Idem pater aërea quoque illis corpora tribuit, libro 2. *de Civit. Dei*, cap. 10. de quo vide quoque Cœlium Rhodiginum lib. 1. cap. 26.

Dæmones in aquis quoque & terra ac subter terram habitant.

Etsi vero Aër proprius & peculiaris nunc est Dæmonum sive Diabolorum locus, illic præcipue potentiam suam, quatenus illis à Dëo est permissa, exercendi: tamen, Dei permissione, ut res ipsa & quotidiana docet experientia, in aquis quoque & in terra, & subter terram oberrant atque vagantur, hominibusque insidiantur, eos tentant, divexant, ad mala sollicitant, iis plurima damna inferunt, Dei sunt quasi satellites, lictores, tortores, carnifices, quibus partim ad piorum in hac vita fidem & patientiam exercendam atque probandam, partim ad impiorum impietatem puniendam utitur. Plutarchus quoque *Quæst. Rom.* 57. (ut Laribus, quos *Præstites* proprie vocant, præficiatur; ipsi autem caninis vestibus amiciantur) inter alia dicit secundum Chrysippi & sectatoris ejus sententiam, Genios quosdam malos oberrare, quibus alii carnificum loco utantur in puniendis flagitiosis & impiis hominibus: ob quem transcursum per multa loca, pro totius Naturæ Deis habiti ac culti fuerunt.

Dæmones superstitionis auctores præcipui.

Atque hi quidem Spiritus aërei capitales, perennes, atque perpetui Dei hominumque hostes præcipui sunt, ut omnis peccati, sic Idololatriæ & superstitionis cum auctores, duces & impulsores, tum objectum, ut ex sacris constat litteris, quæ idcirco Ethnicos Dæmonibus sive Dæmoniis sacrificâsse, hoc est, ea coluisse testantur: unde etiam Idololatria, seu superstitio ingens δεισιδαιμονία ab ipsis Ethnicis passim appellatur: & eodem modo δαιμονολατρεία, id est, *Dæmonum timor* atque cultus potest appellari: quem quidem cultum Porphyrius ipse, veritatis osor & oppugnator irridet, manifestè ostendens, hos neque Deos esse, nec bonos Dæmonas, sed mendacii magistros, omniumque flagitiorum patres. Dæmones enim, ceu Spiritus miræ subtilitatis, solertiæ, astutiæ, atque calliditatis, Dei hominumque implacabili detestandoque odio flagrantes, quibusvis sese rebus cum naturalibus, tum artificialibus, ut simulachris, insinuantes & in quasvis sese species atque formas transformantes, hominibus apparentes, eos alloquentes, res stupidas efficientes, homines miris artibus ad se colendos ac divinis honoribus afficiendos pellexerunt. Invidentes enim Deo suum honorem

rem atque gloriam, ea omnibus modis ad ſe transferre ſibique vendicare ſunt conati: idque vel immediate, ut quando à Chriſto ſe voluit adorari: vel per media, ſive naturalia, ſive artificialia. Ipſa quoque Dei nomina, ipſa ſacra, quæ Deus populo ſuo ad Numinis ſui cultum tradiderat atque præſcripſerat, Dæmones, tanquam Dei ſimiæ, mancipiis ſuis tradiderunt ac præceperunt, multis fraudulentiſſime callidiſſimeque vel immutatis, vel additis, vel detractis, ut ex rituum atque cerimoniarum Ethnicorum diligenti comparatione cum ritibus Iudaicis divinitus inſtitutis manifeſte apparet. Atque hæc quidem de prima Mundi parte, id eſt, Cœlo, & iis, quæ in eo continentur, ſint dicta, quæ innumerabilium Deorum atque Numinum Ethnicorum turbam complectitur. Sequitur pars ſecunda, nempe Terra.

Γαιολατρεία cultus Terræ.

PRIMVM igitur univerſam Terram in Deorum numero Ethnici duxerunt, eique divinos honores tribuerunt, ſub diverſis nominibus, ſecundum diverſas ejus qualitates. *Terra Dea eſt, & ita habetur: quæ eſt enim alia Tellus?* inquit Cicero *de Natura Deorum.* Sic Terram Deam eſſe, inquit Plato in *Timæo* & in *Legibus.* Eodem libro *de Natura Deorum* inquit idem: *Terram eam eſſe, quæ Ceres diceretur, diſputat Chryſippus.* Item, *Terram & Cœlum refert in Deos Heraclides Ponticus.*

Nomina ſub quibus Terra culta. Tellus & Tellumon.

Nomina autem, ſub quibus Terra divinis honoribus culta fuit, plurima ſunt: inter quæ, *Tellus* & *Tellumon*, quæ Auguſtinus libro ſeptimo *de Civitate Dei*, capite 23. ita ex Varrone in libro *de Diis* diſtinguit, quod *Tellus* nihil ſit aliud, quam vis; & quidem fœminina, quæ ſemina recipit, aut nubit. Vim autem maſculinam, quæ ſemina producit, *Tellumonem* dixerunt. Veteres Terram *Heram* appellarunt (unde *Heroas* volunt dictos.) Ex Terra enim hominum genus effectum eſt, teſte Martiano, quod idem Græcus Theophraſti, item Jamblichus & vetus interpres Homeri teſtantur. *Heræ* nomini reſpondet Germanicum Hert / quod utroque genere tam maſculino, quam fœminino coluerunt, Tellurem & Tellumonem Romanis dictum, & ἑστίαν Græcorum innuentes, vel domus cujusque præſtitem Larem, quem *Heert*, hoc eſt, *focum* dicimus, ſignificantes.

Mater magna & alma.

Hæc porro Terra dicta eſt *Mater:* & quidem *Mater magna & alma*; quod plurima pariat, quod cibum gignat, quod univerſa animalia fructibus ſuis alat. Plinius libro 2. cap. 63. *Huic uni*, inquit, *naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cœlum Dei: quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper, noviſſime complexa gremio, jam à reliqua natura abdicatos, tum maxime, ut mater operiens: nullo magis ſacramento, quam quo nos quoque ſacros facit, etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans noſtrum & memoriam extendens contra brevitatem ævi.* Plura ibidem vide de Terræ utilitate: unde *Mater*; & quidem *Mater magna* dicta fuit. Neque enim homines tantum aut belluæ, ſed etiam fere alia à terra vitam haurire, ab eaque ali, nutriri, foveri & conſervari videntur.

Mater Deûm.

Dicta eſt etiam *Mater Deûm* ab Ethnicis, propterea quod Dii, qui ab iis colebantur, aliquando mortales fuerunt, ac inſtar mortalium cæterorum, terræ fructibus victitârunt. Ad hoc Cicero quoque alludit *de Legibus: Terra*, inquit Plato, *ut focus, domicilium ſacrum omnium Deorum eſt.* Eandem, libro *de Univerſitate, altricem noſtram, diei cœlique effectricem, cuſtodem antiquiſſimam Deorum eorum, qui intra cœlos gignantur*, appellat. Qua appellatione Ethnici Deorum ſuorum nullitatem, ſuam in illis colendis ſtultitiam atque dementiam prodiderunt.

Bona Dea.

Hanc eandem non modo Deam, ſed etiam Bonam Deam appellarunt, tanquam bonorum plurimorum parentem & procreatricem. Unde à Virgilio *Omniparens*, à Lucano *Frugifera*, ab Ovidio *Ferax, Fœta, Gravida*, aliisque nominibus inſignitur: à Theodoreto vero φερέσβιος, καὶ πλουτοδότειρα, καὶ μήτηρ, καὶ τιθηνή, καὶ κοινὸν ἔδαφος, id eſt, *vitæ divitiarumque largitrix, parens ac nutrix.*

Eandem etiam appellarunt & coluerunt Junonis, Opis, Veſtæ, Rheæ, Proſerpinæ, Cybeles, Cereris, Atergatis & aliis nominibus.

Juno.

Junonis nomine Ethnici nonnunquam Terram intellexerunt, ob rationem, quam Virgilius in Veris deſcriptione adducit, eam Jovis uxorem fingens:

Tum Pater Omnipotens fœcundis imbribus Æther,
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commiſſus corpore, fœtus.

Virtus enim quædam ſeminalis ex ſuperioribus corporibus in terram influit, qua illi vim elargitur ea omnia proferendi, quæ affatim ipſa producit, non ſecus atque vir genitale mulieris arvum ſuo ſemine conſpergens, id ad prolem concipiendam, ſuoque tempore edendam idoneum reddit. Sic autem Terra dicta eſt *Juno*, à *juvando:* quia mortales maxime juvat. Unde Juno credita Dea divitiarum: id quod Terræ ſimiliter tribuitur.

Opis.

Opis deinde nomine Terra fuit culta: quia omnes opes humano generi Terra tribuit. Unde & *opulenti* dicuntur terreſtribus rebus copioſi, & hoſtiæ *opimæ* præcipue pingues: & *opima* magnifica & ampla. Unde ſpolia quoque teſte Feſto, quæ dux populi Romani, duci hoſtium detraxit, *opima* dicuntur: quanquam etiam *opima* quaſi *optima* dici queant. Ab Ope hac (quam fingunt Saturni conjugem, qui ipſe nominatus à *ſatu*, vel potius à *Satana*, tenensque falcem effingitur, quæ eſt inſigne agricolæ) vernaculum noſtrum obs / id eſt, *fructus*, quos procreat Terra, & Latinorum *Obſonium* & *obſonare* eſt natum. Macrobius Terram dixit appellatam *Opem* vel ab *Ope*, id eſt, auxilio, quod ejus ope & auxilio vitæ humanæ alimenta quærantur: vel ab *Opere*, per quod fruges fructuſque naſcuntur. Unde etiam Opis Deæ Conſivæ fit mentio apud Varronem, quæ nomen habuit à conſerendo: quod fit non niſi manuum opere & labore. Ejus feſta *Opalia* quondam dicta fuerunt.

Veſtæ

Vesta. Vestæ præterea nomine Terra culta fuit sic dicta, quod viridibus herbis vestiatur. Hinc Cicero eam vestitam floribus, herbis, arboribus, frugibus, eleganter appellat lib. *de Natura Deorum.* Duæ autem fuerunt apud Antiquos Vestæ; quarum una Saturni fuit uxor, quam pro terra posuerunt: alia ejus filia, quâ Ignem significabant, id est, vitalem illum calorem, qui per terræ viscera fusus, omnibus, quæ ex ea oriantur, vitam tribuit. Quare nullam ei Antiqui statuam posuerunt. Ovidius sexto *Fastorum*:

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Vestæ templum, teste Ovidio & Festo, rotundum à Numa Pompilio constructum fuit ad Terræ rotunditatem adumbratum. Porro *Vestam* idem Ovidius vult dictam à *vi sua stando.* Ita enim scribit:

Stat vi terra suâ, vi stando Vesta vocatur.

Cicero à Græco ἑστὶ vult dictam. *Ea enim*, inquit, *Est*; *quæ aliter* ἑστία *dicitur. Vis autem ejus omnis ad aras & focos pertinet.* Theodoretus: *Terræ vim principale*, τὸ ἡγεμονικὸν, Ἑστίαν, id est *Vestam vocarunt.*

Proserpina. Proserpinæ quoque nomine fuit Terra culta, sic nuncupata, quod ex ea fruges, metalla & alia exeuntia quasi proserpant. Cicero: *Proserpina est, quæ* περσεφόνη *Græcè nominatur, quam frugum semen esse volunt.*

Rhea. Rheæ quin etiam nomine Terram venerati sunt, teste Phœnulo, sic dictæ ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, id est, à *fluendo*, quod pluviæ ex ea fluant. Sed hoc de quibusvis aquis atque aliis rebus ex ipsa nascentibus & copiosissimè profluentibus dici potest. Non ineptè *Rhea* deduci potest ab Hebræo רעע *rhaa*, sive רע *rha*, id est, *malo* (unde etiam forsan *Reus*, Latine dictus, quem à *Re* Cicero vult dictum, ut cujus res agatur) quia Terra maledicta fuit à Deo, propter primorum nostrorum parentum apostasian: vel a רעה *raah*, id est, *pascendo*, quod Terrâ homines atque bestias pascat ac nutriat. Unde Cicero *Altricem* eam vocat & *matrem cibos suppeditantem.*

Cybele. Prætereà Terram adorarunt Cybeles nomine, quam Festus Pompejus sic vult dictam ἀπὸ τοῦ κύβου, id est, *Cubo*: qua de causa etiam Cubus ei fuerit dicatus, ad Terræ stabilitatem monstrandam, cùm Cubus, quocunque modo jaciatur, semper stet rectus: vel ita dicebatur, quod magna mater, hoc est, Terra ageret homines in furorem, quem Græci κύβηβον vocant. Rectius Terram *Cybelem* appellatam dixerimus ab Hebræa voce שבלת *Siboleth*, significante cum *spicas*, tum *ramusculos olivarum*: quod Terra omnis generis fruges atque fructus proferat, ac profundat.

Ceres. In primis autem Cereris nomine Terram coluerunt; quam idcirco etiam à gerendis frugibus & spicis appellârunt, quasi *Gererem*: quanquam *Geres* pura puta vox est Hebraica, qua Moses utitur, spicam virentem significans. Alii à *serendo*, quasi *Sererem* volunt dictam, casu quodam primâ litterâ immutatâ, ut à Græcis. Nam ab illis quoque Δημήτηρ, quasi γημήτηρ, id est, Terra Dea nominata fuit. Orpheus γῆν, id est, *Terram*, vocat μητέρα πάντων, δήμητρα πλουτοδότειραν; cui consentaneum illud Ovidii:

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.

Unde ab eodem *Munifica* dicitur & *potens frugum*, his versiculis:

Te Dea munificam gentes ubicunque loquuntur.

Et: *Diva potens frugum sylvis errabat in altis.*

Dis. His adde Ditis nomen, quo eadem fuit culta. Cicero *de Natura Deorum*: *Terrena vis omnis*, inquit, *atque natura Diti patri dedicata est: qui Dis, ut est apud Græcos* πλούτων, *quia recidant omnia in terras, & oriantur è terris, est dictus.* Hesiodus Agricolæ præcipit, ut ante arationem atque sationem, stivam tenens vota nuncupet Diti ac Cereri.

Atergatis. Postremo Terram etiam Atergatis nomine, quam alii *Adarcaten*, alii *Dercetonem* vocant, quæ Dea fuit Syriæ sive Assyriæ, coluerunt. Duo autem erant primaria apud Assyrios Numina; nempe Adad, quod erat nomen summi Dei, & *Unum* significat, quem Solem esse Macrobius vult. Alterum, quod ei subjungebant, erat Adarcatis, sive Atergatis, quam Terram interpretantur.

Τοπολατρεία. Locorum cultus: quo referuntur Dii montium ac Deæ. Et hæc de Terræ universæ cultu. Jam vero & singulas Terræ partes venerabantur, vel certis consecrabant Diis. Terræ partes sunt montes, colles, valles, campi, nemora, sylvæ, luci. Quantum ad montes, eorum cum altitudinem, tum fœcunditatem & fertilitatem admirantes, vel ipsos, tanquam Deos colebant, vel Deos eorum fingebant incolas & præsides. Tales montium Dii erant Carmelus & Amanus, qui & certorum montium nomen habebant, ut constat ex historia sacra. Talis erat Jugatinus Deus, qui jugis montium præsidebat. Talis Bacchus; idcirco *Oreos* sive *Oreus*, id est, *monticola.* Virgilius:

Bacchus amat colles. -----

Dii ac Deæ collium, vallium, nemorum, agrorum. Unde & *Oreades* Nymphæ appellatæ & cultæ, quod in montibus frequenter apparerent.

Sic Collium Dea & præses fingebatur Collina: vallium Vallona sive Vallonia: nemorum, lucorum & sylvarum Sylvani, Satyri, Fauni, Sileni, Nemestrinus, Dryades, Faula, Feronia, & Juno (unde *Lucina* cognominata) camporum, ruris, agrorum item Sylvanus: cui & agrorum colendorum cura fuit tradita: quemadmodum etiam *Rusina* Dea sive *Rurina* à rure nomen habuit, quia ipsi rura commissa fuerunt: quo pertinent & Terminus, Pan & Priapus. Nam *Terminus* Deus, inquit Festus, dictus, quod in ejus tutela essent agrorum fines. Hic secundum Varronem à T. Tatio consecratus est: secundum alios à Numa Pompilio, & cultus in Capitolio, ubi cum Tarquinius superbus templum amplissimum Jovi Optimo Maximo extruere vellet, & propterea omnium aliorum Deorum ædes exaugurarent, Terminus & Juventas ei cedere noluerunt, qua de re Li-

re Livius, Dionysius, Ovidius, Augustinus & alii. Pan deinde, Mercurii filius, Latine *Junus* dictus, nomen accepit à *πᾶν*, *Omne*: quia non tantum sub ipso universa rerum natura colebatur, ut dictum est supra, sed quia præerat montibus, sylvis, lucis, agris, pastoribus, ovibus, aliisque animantibus. Unde Deorum rusticorum præcipuus fuit habitus, & ex octo majorum gentium Diis unus: ac propterea *Junus* dictus, ab eundo passim cum omnibus animalibus. Ob quam causam etiam simulacrum ejus caprina facie effingebatur, rubro colore, hirtis cornibus, pectore sideribus radiante, infima sui parte hispida & caprino pede: altero pede incurvum, quod ejus simulachrum eleganter interpretatur Macrobius libro primo *Saturnalium*, capite vigesimo secundo, & ad rerum naturam transfert. Denique ruris & agrorum Deus ac præses fuit etiam Priapus, Dionysii & Veneris filius; quod ex illo Ovidii satis liquet:

Cæditur & rigido custodi ruris asellus.

Ubi Priapum intelligit. Hunc etiam Hortorum Deum & custodem fecerunt, quemadmodum & Alcinoum Regem Phæacum, quod hortos & pomaria diligentissime curarit. De illo enim sic Virgilius *Ecloga* 7.

Sinum lactis & hæc te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est, custos es pauperis horti.

Fuit is etiam Deus *nuptialis* dictus Mutinus: de quo alibi. Priapum Theophylactus in Hoseam vult eundem fuisse, quem Hebræi *Baalpegor* appellarunt, cui mystæ initiati sacrificabant, qui mares videbantur fœmellæ fuisse, quæ cymbalis utentes, fœmineis ululatibus trivia circuibant.

Porro & agriculturæ certos Deos ac Deas præfecerunt, ut in genere Saturnum: qui à *satu* sic dictus, ideo falcem tenens, quæ agriculturæ est insigne, effingitur: & in specie sarritioni Sarritorem: arationi Cererem & Osyrin: sationi Satorem & Sejam; occationi Occatorem: Stercorationi Picumnum (qui & *Sterquilinus* dictus, & *Sterculius*:) segetibus Segetiam sive Segestam: frumentis germinantibus Proserpinam: geniculis nodisque culmorum Nodinum sive Nodotum: involumentis folliculorum Volumnum & Volumnam sive Volutinam: cum folliculi patescunt, ut spica exeat, Patelenam: cum segetes novis aristis æquantur (quia Veteres æquare *Hostire* dixerunt) Hostilinam: florentibus frumentis Floram: lactescentibus Lacturciam (Servius in primum *Georgic.* Lactantem Deum esse dicit, qui lac infundat segetibus, & eas faciat lactescere) maturescentibus Maturam: cum runcantur, id est, à terra auferuntur, Averruncum & Runcinam, quæ & *Spinensis* dicta, quæ spinas ex agris eradicaret. Dii ac Deæ agriculturæ.

Ut autem & tuto servarentur frumenta collecta atque recondita, certos Deos & Deas illis præposuerunt, qui à *tuendo Tutanus* & *Tutilina*, sive *Tutelina*: ab avertendo rubiginem a segetibus *Robigus*, & *Robigo* (cui etiam Robigalia celebrabantur) fuerunt dicti. Pertinet huc Deus Arungus, mala omnis generis à frumentis avertens. Dii ac Deæ frumenti recondendi.

Denique & pilendi seu pinsendi frumenti Deum constituerunt, quem *Pilumnum* Servius in Sextum *Æneidos* vocat, qui Picumni Dei Sterquilini, frater fuit, & præsertim à Pistoribus cultus: à quo & *pilum* dictum est. Et quia ante triticum & ejus usum farra fornacibus torrebant, Fornax Dea fuit existimata: quam hyberno potissimum tempore, rigente frigore, colebant: de qua Ovidius καταφρωνδιδόμενος sic loquitur: Dii ac Deæ frumenti pinsendi.

Facta Dea est Fornax, læti gaudete coloni.

Unde Fornacalia quoque sacra instituta. Frugibus quin etiam & fructibus Terræ Deos ac Deas præfecerunt. Nam Augustinus libro 4. *de Civitate Dei*, capite 21. meminit Deæ Fructesceæ, quæ fructibus præesset: quibus præfuit etiam Saturnus: quemadmodum floribus eorum Flora, unde Floralia. In specie pomis præfuit Dea Pomona (quæ & propium habebat Flaminem, qui dicebatur *Flamen Pomonalis*:) itemque Vertumnus, sive, ut alii scribunt, *Vortumnus*, sic dictus quod anni vertentis poma percipiat. Quidam affirmant, Vertumnum fuisse vetustissimum Thuscorum Regem, qui vinearum & pomiferarum arborum serendarum tradiderit rationem, cui Thusci illi, qui cum Lucumone in auxilium Romuli venisse dicuntur, Romæ templum ædificârint. Hujus signum & templum in vico Thusco ad Opis & Cereris aras constituerunt. Festa ejus, quæ mense Octobre celebrabantur, *Vertumnalia* appellarunt. Tandem, Agricolæ post collectas fruges quiescentes, Deæ Vacunæ sacrificabant. Dii fructuum.

Postremo quia ars pastoritia & mellificatio quoque ad agriculturam pertinent: ideo his quoque certos Deos ac Deas præfecerunt, sub quibus eas coluerunt. Nam pastorum & pabuli Deum vel Deam fecerunt Mercurium, Pana & Palen; unde *Palilia*, vel *Parilia*, festum in ejus honorem celebratum. Et bobus præerat Bubona: quorum de furto quia Herculi indicium fecerat Cacia, Caci soror, ea ut Dea culta fuit Romæ: unde etiam sacellum meruit, in quo ei per virgines Vestales fiebat res sacra, ut scribit Servius *Æneid.* 8. sic equis & stabulo Hippona præfuit: quarum meminerunt August. lib.6. *de Civitate Dei* cap.9. Plutarchus in *Parallelis*, Apulejus libro 3. *de Asino aureo*, Tertullianus in *Apologetico*, & Fulgentius *de obscuris vocibus*. Mellificationis vero Deus fuit Aristeus, filius Apollinis & Cyrenes, filiæ Peni, qui primus usum mellis invenisse dicitur; Dea vero Mellona, sive Mellonia, cujus meminit inter alios Arnobius. Ac in Peloponneso Melissa Nympha, quæ usum mellis illis dedisse credita est, in sacrorum præfatione adhibebatur. Et de Diis Terræ partium, quos venerabantur, hactenus: quibus, Corollarii loco, addi possunt Dii Topici à Græcis & Latinis dicti, qui locorum, regionum, urbium singularum, peculiarem curam gerebant: qui interdum Latine *Tutelares* sive *Tutani* à *tutando*, & *Genii* ac *custodes* appellabantur, quos in dubiis & periculosis rebus invocatos ab ipsis fuisse constat. Dii ac Deæ pastorum.

Nunc antequam de iis dicam, quæ in Terra & super Terram continentur, cujusmodi sunt plantæ, animalia, Ὑδρολατρεία aquarum cultus.

lia, metalla, quæ vel pro Diis fuerunt habita, atque culta, vel certis Diis dicata, prius de Aquis cœlestibus & terrestribus aquarumque omnium receptaculo, Mari nobis est dicendum.

Mare igitur ipsum universum, & singulæ ejus partes, fontes, flumina, fluvii, lacus, aqua denique & humor universus multis Deorum nominibus consecrata atque culta fuerunt. Aquam dixit initium rerum Thales Milesius; Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret: cujus quidem statim ab initio creationis Mundi fit mentio *Genes.* 1. *Et aquæ erant super Terram, &c.* Ut autem Terra; ita Aqua multis Numinibus est ascripta: Latine dicta quasi *æqua*, quod superficies ejus æqualis sit. Unde & *Æquor*, quia æqualiter sursum est: vel quasi à qua sint omnia, secundum Thaletis Milesii sententiam: vel à qua juvamur. Unde aqua & igni interdici solebat, à Romanis, quibusdam damnatis, tanquam duabus rebus humanam vitam maximè continentibus, ut inquit Festus Pompejus: Græcis dicitur ὕδωρ, ab humiditate, Ægyptiis & Chaldæis מי *Moi*, (unde & Moses, tanquam extractus ex aquis, dictus) Hebræis מים *Maim*, transpositis litteris à ים, *Jam*, id est, Mari, quod Mare sit quasi mater & πανδοχεῖον omnium aquarum.

Aquæ cultæ sub Neptuni nomine.

Hoc autem Mare universum & has aquas omnes coluerunt sub Neptuni nomine. Huic enim inter fratres, secundum Ethnicorum fabulas, qui illum Opis & Saturni filium finxerunt, & fratrem Jovis ac Plutonis, maritumque Amphitridis, administratio Maris & aquarum fuit commissa: inde dictus ab Ovidio *Æquoreus*, *Cæruleus*, *rector Maris* & *Deus*: à Plauto *Salsipotens*: ab Hesiodo *parens aquarum*.

Neptunus unde dictus.

Porro quia Mare terras obnubit, ut nubes cœlum, *Neptunus* est dictus: quamvis alii eum quasi nube tonantem appellent. Inde *Neptunalia*, hujus Dei marini feriæ postea dictæ, & celebratæ.

Aquæ cultæ etiam aliis sub Nominibus.

Præter hunc, alii Dii ac Deæ marinæ fuerunt, ut: Nereus pater, Nereïdes filiæ, Proteus, Oceanus, Thetis, Doris, Pollux, Castor, Glaucus, Vertumnus, Amphitrite, Sirenes, Naiades (forsan a מים *Maim*, Hebræo nomine, per conversionem litteræ liquidæ M in N) Tritones, qui figura partim hominem, partim piscem referebant, Melicertus filius & Leucothoë mater, quæ prius *Ino* fuit dicta, & Matuta Dea; cujus meminit Ovidius his verbis:

Leucothoë Grajis, Matuta vocabere nostris.

Et Propertius: *Quæque tibi excepit tum Dea Leucothoë.*

Huc referenda est Dea Salacia, à *Salo ciendo*, seu *concitando* dicta, cujus meminit Varro lib. 4. *de lingua Latina*, & Festus in *Fragmentis* ita scribens: *Salacia dicta est, quod salum ciet.* Antiquos autem, ait, eo vocabulo Poëtas pro aqua ipsa usos. Pacuvius: *Hinc sævitiam Salaciæ fugimus, lætique munere vescimur Cereris.* Et Ovidius:

----- *Nymphæque salaces.*

Dii marini.

Pertinet huc portuum marinorum Deus, ab ipsis cultus: quem putabant esse eum, qui *Palæmon* à Græcis, & *Portumnus* Latinis dictus est, cui nautæ reduces è suis navigationibus sacrificârunt, ceu comiti Neptuni. Hic & alii littorales αἰγιάλιοι Græcis fuerunt dicti, & ἐπάκτιοι· quo epitheto etiam Apollinem insignit Apollonius, id est, τὸν ἐν τῇ ἀκτῇ τιμώμενον, *qui in littore colitur.*

Dii fontium.

Ut autem Mare ipsum & portus ejus divinis fuerunt honoribus culti: sic fontes quoque unde *Fontinalia*, feriæ certæ: quibus & in fontes coronas jaciebant, & puteos coronabant. Unde & Romæ Fontinalis porta. Plautus:

Utrum Fontinali an Libero Imperium te inhibere mâvis?

Dii fluminum, & stagnorum.

Sic fluminibus, stagnis, lacubusve cum universis, tum singulis divinitas & veneratio fuit tributa, eis simulacra, statuæ, aræ, vota & sacrificia facta & instituta: quorum simulachrorum quædam humana facie, quædam bubula effingebantur. Pertinent hûc Archiloë, Nile, Tiberis; Nymphæ sive Lymphæ: quibus statuæ, aræ & sacella, præcipue à Romanis, posita, iis vota facta & preces pro amoliendis malis. Has enim Antiquitas incendia depulsuras credebat, si officio Sacrorum demulcerentur. Superstitionem istam ipse quoque Cicero videtur subridere his verbis: *Earum*, inquit, *Dearum templum inflammavit, quarum ope etiam aliis templis subvenitur.* Nymphæ hinc *salutiferæ* dictæ: de quo epitheto Saxopoli in Dacia, in templo hujusmodi Nympharum monumentum extat:

NYMPHIS SALVTIFE-
RIS SACRVM.
M. LVCILIVS LVCILIANVS AVG. COS. PRO
SALVTE SVA. ET
L. ANTISTI. . . . .
SIMI AVG. CONS.
VS. M.

Dii nautarum & navigationum.

Hæc autem eadem Numina, Dii, atque Deæ Maris, Fontium, Fluminum, Stagnorum Lacuumve, fuerunt etiam nautarum navigationumque Numina: inter quæ præcipua sunt Castor & Pollux, qui in celebri illa navigatione Argonautarum cum eis Colchos navigarunt, dicti alio nomine Dioscuri, quos Antiquitas credidit salutares esse navigantibus si gemini apparerent, (apparent autem ignis specie antennæ aut malo insidentes:) contra tristes, si singuli. Dioscuri apud Græcos (inquit Cicero libro tertio *de Natura Deorum*) multis modis nominantur. Primi tres: qui appellantur Anaces, Athenis ex rege Jove antiquissimo & Proserpina nati, Tritopatreus, Ebuleus, Dionysius. Secundi Jove tertio nati ex Leda, Castor & Pollux. Tertii, dicuntur a nonnullis Alco & Melampus, Emolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit. Et hæc de cultu Numinum

aqueorum

aqueorum seu humidorum, quæ vere ita appellare possumus. Deus enim, creator omnium rerum, solus est, qui etiam Maria atque flumina creavit, eaque portubus, littoribus atque ripis cinxit ac circumdedit, tanquam terminis, limitibus & ostiis, ne in terram erumpant. Job. 38. Proverb. 8.

Ζωολατρεία cultus animalium.

Veniamus nunc ad animalium, plantarum & metallorum, quæ cum in terris, tum in aquis nascuntur, cultum. Quantum ad animalia rationis expertia, sive bestias, illas partim Deorum numero fuisse ab Ethnicis cultas, partim certis Diis consecratas & dicatas, passim ex historiis sacris & prophanis constat. Quot igitur fuerunt bestiarum genera, tot iis fuerunt Numina: quod Idololatriæ genus apud Gentiles, Ægyptios præsertim, qui Deos maxime monstrosos & portentosos coluerunt, familiare fuit: apud quos nullum fere brutorum genus repertum, quod non coluerint. Hoc aperte divinus Paulus indicat in epistola ad Romanos, capite primo; ubi docet, Gentes gloriam Dei immortalis commutâsse in figuram atque imaginem non solum hominis corruptibilis, sed etiam Volucrium, Quandrupedum & Reptilium.

Πετεινολατρεία cultus animalium volucrium. 1. Aves cultæ.

Ut autem animalium rationis expertium alia sunt simplicis vitæ: alia amphibia: sic utriusque generis animalia singula coluerunt; aut ea certis Diis consecrârunt. Aërea quidem Volucria, ut aves. Nam Syri columbas coluerunt & adoraverunt: Ægyptii gryphones, aquilas, vultures, quibus ad auspicia maximè sunt usi, vespertiliones, ibes & accipitres; sub quarum symbolo Osirim, qui apud eos Sol est, intelligebant. Hinc apud eos pileum rubrum unâ cum accipitris ala rerum sacrarum scriptores gestare fuerunt soliti. Coluerunt porro & adoraverunt Græci gallos: Thessali ciconias, quas occidere apud eos erat nefas: Latini picos, quibus universi magnopere abstinebant: Romani anseres (unde Plutarchus in *Quæstionibus Romanis* quæstione nonagesima octavâ, in hunc modum loquitur: *Censoribus magistratus ineuntibus nihil prius erat locatione alimentorum pro sacris anseribus.*)

2. Aves certis Numinibus consecratæ.

Has vero atque alias aves Ethnici etiam certis Diis ac Numinibus consecrarunt. Nam Veneri & Apollini cycnus sacer erat; & illi quidem etiam ardea: huic vero columba, gallus (qui & Æsculapio & Minervæ) corvus (qui & Marti ob rapinas) & accipiter, ob visus præstantem aciem: quanquam columbæ candidæ etiam Veneri fuerint dicatæ, à quibus currus ejus veheretur. Aquila Jovi fuit sacra: turtur propter silentium Harpocrati: fulica (Græce λάρος, avis rapax, à cujus rapacitate Comici sæpenumero homines furaces appellant *Laros*, & Galli *Larrons*, id est, *fures*) Herculi & Mercurio: noctua Minervæ: phœnix Soli; pavo, ciconia (quæ etiam Concordiæ Deæ) anser & vultur Junoni: (unde pavonis pennis apud Ægyptios non tantum Isidis simulacrum coronari solitum, sed domorum etiam januæ antiquitus ornabantur, ad domus nobilitatem & antiquitatem, secundum Alexandri Neapolitani sententiam, ostendendam: cujus quidem nobilitatis & pavonis elegantissima apud Bocatium exstat comparatio) picus Marti: grus Cereri (ut in libris *de abstinentia ab animantibus* testatur Porphyrius:) Ibis Mercurio, ceu cordis omnisque rationis præsidi & moderatori. Unde cor volentes indicare Ægyptii, Ibin pingebant, quia Ibis per seipsa, magna ex parte, cordi consimilis est. Hinc Cicero libro primo *de Natura Deorum*, *Ægyptii*, inquit, *nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt. Ibes maximam vim serpentium conficiunt, cum sint aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Ægypto, cum volucres, tum angues, ex vastitate Lybiæ vento Africo invectas, interficiunt atque consumunt: ex quo fit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ.* Hactenus ille.

Τετραποδολατρεία, cultus animalium quadrupedum. 1. Animalia quadrupedia culta.

Coluerunt deinde & animalia aërea gradientia; eaque Quadrupedia, ut feles, hircos, boves, arietes, canes, sues, muresque Ægyptii. (Hircum quidem, quod salacissimum sit animal: quem etiam Mendosii eximiis venerabantur honoribus, teste Theodoreto.) Memphitæ taurum: Thebani mustelam: Lycopolitæ & Delphici lupum, quod sacrum aurum in templo expilatum & defossum refodisset: Samii ovem, quod aurum ibidem surreptum è templo indicasset: Leontopolitæ Leonem (quem Ægyptii Soli, ut & bovem dedicarunt) & leænam in Ambracia, ceu vindicem libertatis, quod tyrannum interemisset: Cynopolitani canem & cynocephalum, quod animal nutriunt ἐν τοῖς ἱεροῖς, partim quod animal istud ab esu piscium abhorret, partim quod circumcisum gignitur, quam circumcisionem sacerdotes curare & peragere fuerunt soliti.

2. Animalia quadrupedia certis Numinibus consecrata.

Nec vero tantum etiam hæc animalia coluerunt & adoraverunt Gentiles: sed certis quoque Numinibus ea dedicarunt atque consecrarunt: ut inter alia quidem equum & lupum Marti, ex quibus lupum etiam Apollini dedicarunt: lyncem & tigrim Baccho: cervam Dianæ: leonem Cybelæ: bovem Lunæ, Soli, & Apollini (cui etiam caper æneus sacer fuit) capram Diti: canem Æsculapio: cynocephalum Mercurio: asinum Priapo (cujus victima asininum caput) & Baccho.

Ἑρπετολατρεία, cultus reptilium, quo referenda in primis ὀφιολατρεία, serpentum cultus.

Tertio ex iis, quæ sunt simplicis vitæ, & quidem aërea humi reptantia, potissimum coluerunt Serpentem, animal reptile, terreæ ac frigidæ naturæ, corpore toto tereti, ac uno tramite à capite ad caudæ extremum porrecta, brachiis, pedibusque & alis carens, præter Indicos quosdam & Africanos: cujusmodi in Africa primo bello Punico ab Attilio Regulo repertum, diuque oppugnatum, centum amplius pedes longum fuisse scribit Agellius.

Cur serpens cultus.

Coluerunt hoc animal, ipsum divinæ cujusdam naturæ existimantes, Romani, Græci, Phœnices & Ægyptii. Ad Romanos quod attinet, nota est Æsculapii fabula, ex Epidauro Romam serpentis sub imagine translati, ac in insula Tiberina sedem sibi eligentis, cujus ope pestilentia gravissima urbis sit sublata: quæ Historia in monumentis Romanis passim est obvia. Hinc in nummis antiquis pictura serpentis est hieroglyphica pro salute & bona fortuna.

A quibus cultus.

Nec vero tantum à Romanis, sed & Græcis & Ægyptiis serpens (sub quo nomine dracones, angues, aspides, basilisci, & consimiles species, quæ omnes in Æsculapii tutela fuerunt, intelliguntur) cultus

fuit & ſacroſanctus habitus, ac tanquam ſalutis indicium atque ſymbolum numis antiquis incuſus: ut in Gordiani numis videre licet. Ita hodie quoque apud Samogitios, Sarmatiæ populos, ſerpentes pro Laribus tutelaribus in ædibus ali feruntur.

Ratio ſerpentinæ idololatriæ.

Hujus autem Idololatriæ & ſuperſtitionis ſerpentinæ hæc primum afferri poteſt ratio, quod Satanas, ſerpens ſive draco ille antiquus, eâ præcipue in imagine ſe gentibus patefecit, ſalutarem ſe illis mentiens. Ac in ipſo quidem Paradiſo primis noſtris parentibus per ſerpentem illuſit fucumque fecit, eos in fraudem capitalem impellens. Deinde nota eſt illa ſerpentis ænei in Deſerto Hiſtoria, qui Iſraëlitis, morſibus ſerpentum venenatorum ictis, ſaluti fuit; qui quidem Chriſti Servatoris & ſalutis noſtræ unicæ typus illuſtris fuit, Chriſto ipſo teſte & interprete, Johannis tertio, verſu decimo quinto. Unde mirum non fuit, hanc quoque ob cauſam ſerpentem ſalutis atque ſanitatis apud Ethnicos fuiſſe ſymbolum. Sed naturalis quoque ratio adferri poteſt, cur ſerpens ſalutis & valetudinis nota fuerit. Ea enim ſuam λεβηρίδα exuens, ex ſenecta ſqualore abſterſo, quotannis juveneſcit: &, cum nihil ſibi æſtate recondat: totam tamen, quantumvis longam, hyemem jejuna ac incolumis tranſigit.

Serpens etiam ſub certis Numinibus cultus.

Nec vero tantum etiam ipſe per ſe fuit cultus & ſacer habitus ſerpens, ſed nominibus certis Deûm ac Dearum dicatus & conſecratus, ut Æſculapio, in cujus tutela fuit: ut Cereri: ut Minervæ; de qua re vide Verderium. Sic tortuoſus ille ſerpens atque draco tartareus, ut ſtatim in ipſo Paradiſo: ita poſtea ſerpentis forma & imagine ſeſe in hominum gratiam inſinuavit: &, ut primi noſtri parentes, ita poſteri quoque illorum Satanam ſub ſerpentis, animalis calidiſſimi (ideo Hebræis dicti נחש *Nachaſch* à curioſa obſervatione & inſidiis) ſpecie atque forma coluerunt.

Ἰχθυολατρεία piſcium cultus.

Porro aquea quoque animalia ſimplicis vitæ coluerunt, & adoraverunt, ut Piſces: eoſque vel in genere omnes, vel certas ſpecies. Omnes quidem, ut Ægyptii & inſulæ Phari incolæ, ac civitatis Syenes, quæ civitas eſt Thebaidis: itemque incolæ Mœotidos paludis. Præcipue tamen piſcibus honores cultumque divinum exhibuerunt Syri, qui inde & Deum ſuum principem ac tutelarem *Dagon* appellarunt, quem alii *piſcem* interpretantur: alii volunt frumenti Deum fuiſſe. Nam דג *Dag*, Hebraice *piſcem* ſignificat: & fortaſſe *Dagon* erat Neptunus. Vnde Cicero, *Dag* maximum fuiſſe Deum dixit, ſive Neptunus, ſive alius quiſpiam fuerit: de quo idolo Hebræi tradunt, illud ab umbilico ſurſum verſus humana forma fuiſſe: deorſum vero in piſcem deſiiſſe. *Dagon* igitur, ut ex etymo conſtat, fuit Deus aliquis marinus: quales fuerunt apud Gentiles multi, de quibus poſtea. In ſpecie iidem Ægyptii anguillam coluerunt & Delphines, quos Neptuno voverunt, teſte Tertulliano; & Latum piſcem incolæ urbis Latonis cui certa ſacra, feſta, templa, ſacrificia, epulas, & poſt mortem ſepulcra ſumptuoſa inſtituerunt & celebrarunt.

Ἀμφιβιολατρεία, animalium ancipitis naturæ cultus.

Coluerunt præterea etiam amphibia animalia, hoc eſt, ea quæ inter aëreum & aqueum ancipitis ſunt naturæ, eaque partim volucria, ut mergos & anates, cui ſuperſtitioni Ægyptii potiſſimum fuerunt dediti: præ aliis tamen maxime Crocodilum, quem Æſculapio attribuerunt, colentes, ob ejus ſolertiam: de cujus pictura quarum rerum ſymbolum ſit, vide *Hieroglyphica* Pierii. His adde, quod Troglodytæ teſtudines, quas Veneri conſecrarunt, coluerunt & adorarunt, teſte Plinio in libris de Naturali hiſtoria.

Denique inſecta quoque, quod eſt animalium genus, inciſuris corpus diſtinctum habens, ſine carne (unde *Exſanguia* ſunt dicta) in Deorum numero repoſuerunt. Nam ab Ægyptiis aranei, canthari, qui præcipue ſcarabeos maximi fecerunt, teſte Euſebio, ſcorpiones & ſcarabei, quos Mercurio & Apollini dicabant, colebantur; quemadmodum ab Acaronitis, vel Ecronitis, muſcæ, veſpæ & ſimiles cultæ fuerunt: quarum Deum nominarunt *Baal-Zebubum*, id eſt, Sminthium, Myagrum, ſive Myothem Deum, ut legendum eſt apud Plinium libro 29. *nat. hiſt.* cap. 6. quo ſignificatur *muſcarius* Deus, vel *muſcas abigens*. Hunc vero muſcæ figuram habuiſſe teſtis eſt Nazianzenus στηλιτευτικῷ β. contra Iulianum. Is Deus alio nomine etiam *Achor* dictus eſt, de quo vide Verderium. Atque hæc de Ζωολατρείᾳ à qua merito omnes Chriſtiani abhorrere debent, ut quæ cum blaſphemia nefanda eſt conjuncta nominis divini, ſecundum illa ſecundi præcepti verba: *Ne facito tibi ſculptile, aut ullam imaginem eorum, quæ ſunt in cœlis ſupra: aut quæ in terra infra, aut quæ in aquis infra terram. Ne incurvans te, honorem exhibeto eis, neque colito ea, &c.*

NEC VERO animalia tantum rationis expertia, ſed etiam plantas, ſtirpes & arbores omnis generis totamque adeo vim φυλικὴν, quam *Dionyſium* vocarunt, teſte Theodoreto, coluerunt. Nam, ut nihil dicam de Ægyptiis (qui etſi omnium fere populorum habiti fuerunt ſapientiſſimi & religioſiſſimi: unde reliquæ gentes ſuam hauſerunt ſapientiam & religionem, tamen eo ſtoliditatis & inſaniæ devenerunt, ut allium, cepas, & alias plantas pro Diis coluerint) etiam cæteræ gentes plantas & ſimilia, vel coluerunt (ut inter alias Celtæ Germani quercum excelſam) vel certis Numinibus conſecrarunt: ut ſtirpes in genere Neptuno: earum putationes Putæ Deæ: Cupreſſum Plutoni: Acer Stupori, teſte Servio: Laurum Apollini: Olivam Ariſtæo, Apollinis filio: Pinum Pani & Cybelæ: Liliam candidam Iunoni: Oleam Minervæ: Quercum & Æſculum Iovi: Myrtum Veneri: Populum Herculi: Narciſſum florem & Adiantum, ſive Cincinnalem Plutoni: Papaver Lunæ, quod quidem fertilitatis ſymbolum erat apud Ægyptios. Idem judicium eſto de reliquis: quo referri poſſunt etiam Vitis, Hedera & Ferula: quas Baccho conſecrarunt, quia ſerendæ vitis auctor creditus.

Metalla item & lapides coluerunt, ut Aurum, Argentum, Æs, Ferrum, Plumbum, Stannum, & ſimilia, in genere ſub Ditis, Plutonis & aliorum Deorum nominibus. Singula vero certis Diis conſecrarunt, tanquam eorum inventoribus & artificibus, ut Aurum Iovi, vel Soli, Argentum Lunæ, Argentum vivum Mercurio, Plumbum Saturno, Stannum Veneri. Sic inter lapides, præ aliis quadratos pro Diis coluerunt, quorum acervi circa Mercurii ſtatuam congerebantur. Hæc de Metallorum cultu.

Atque

Ἀνθρωπολατρεία, Hominum cultus.

Atque hæc quidem sint dicta de Mundi & ejus membrorum cultu divino. VENIO nunc ad HOMINEM, tanquam ad μικροκόσμον, id est, *Mundum parvum*, sicuti à Veteribus fuit appellatus, propter quem magnus hic Mundus cum omni sua suppellectile à Deo Omnipotente fuit conditus & conservatus Hujus itaque Mundi magni, homo & finis, & pars, & incola, & cultor atque colonus, & spectator denique atque contemplator dici potest.

Homo idololatriæ caussa secundaria.

Ut autem in magno illo Mundo, de quo adhuc dictum: ita in parvo hoc Mundo, hoc est, Homine, cumulus sese Deorum falsorum offert ingens. Atque adeo ut universæ Idololatriæ caussa quidem atque auctor primarius est Diabolus: ita caussa atque auctor ejusdem secundarius est ipse Homo. Is enim cum in Mundo & per Mundum hunc universum, tanquam per speculum clarissimum, suæ ipsius præsertim utilitatis atque salutis caussa creatum, Deum ejus Conditorem cognoscere atque colere venerarique debuisset; ipse pro vitiosa, prava perversaque sua natura, Diaboli afflatu impulsuque non Deum Creatorem, sed Mundum universum singulasque ejus partes, etiam minimas ac vilissimas potius colendas venerandasque suscepit. Quemadmodum autem is, duce & magistro Diabolo, creaturas atque naturas reliquas omnes sive visibiles, sive invisibiles, sive corporeas, sive incorporeas, sive animatas, sive inanimes, tam bonas quam malas, partim in Deorum numero reposuit atque coluit, partim certis Numinibus, tanquam custodibus attribuit & consecravit: sic ejusdem Diaboli suasu & hortatu multo magis justioreque quasi de caussa seipsum, suam naturam, suum animum, suum corpus, omnes animi corporisque sui vires, & facultates, omnem suam vitam à principio usque ad finem, omnes vitæ suæ actiones, virtutes, vitia, casus, eventus secundos & adversos, omnia denique quibus vita hæc nostra est exposita, bona atque mala vel pro Diis sibi colenda, vel certis Diis consecranda duxit: ut ex singulorum enumeratione postea melius patebit. Ac Ægyptii quidem, ut Theodoretus ex Porphyrio probat, Hominem primum in genere coluerunt pro Deo, cui super aram sacrificârunt, & certo tempore proprium conveniensque epulum obtulerunt: unde postea innumerabilis alienorum & falsorum Deorum turba atque multitudo promanavit. Deinde in specie coluerunt Zamothin Pythagoræ discipulum: quam antiquam quidem, sed pravam & exsecrandam consuetudinem secuti Lycaoniæ incolæ, quorum fit mentio in *Actis Apostolicis* capite decimoquarto, discipulis Christi, Paulo & Barnabæ divinos honores exhibere voluerunt, quos illi repudiarunt: quod ipsum & de Petro, cum Cornelius Centurio divinam ei adorationem tribuere vellet, legimus: itemque de Angelo in *Apocalypsi*, qui ἀνθρωπολατρείαν hanc, sive προσκύνησιν ei serio prohibuit.

Homines bene de genere humano meriti, olim culti.

Nam primum constat, vel Ethnicorum ipsorum testimonio, maximam, & quidem præcipuorum, quos ipsi coluerunt, Deorum commentitiorum partem, homines fuisse mortales, qui quidem propter eximias animi corporisque vires atque dotes, propter egregias virtutes atque actiones, propter præclara erga genus humanum merita atque beneficia, propter rerum & artium utilissimarum & præstantissimarum inventionem, vel adhuc vivi, divinis fuerunt affecti honoribus, vel certe mortui in Deorum numerum relati, religiosissimeque culti. Cicero libro primo *de Natura Deorum*, *Suscepit*, inquit, *vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntas tolleret. Hinc Hercules: hinc Castor & Pollux: hinc Æsculapius: hinc Liber*, &c. Idem: *Perseus, Zenonis auditor, eos dixit habitos esse Deos, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsasque res utiles & salutares Deorum esse vocabulis nuncupatas.* De more, bene meritos de genere humano referendi inter Deos, scribit etiam Plinius libro secundo suæ Historiæ, capite septimo, in hanc sententiam: *Deus est mortali juvare mortalem* (unde ille apud Plautum, *Deus est homo homini, aut lupus*) *& hæc ad æternam gloriam via. Hac iere Romani: hac nunc cœlesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi gratiam bene merentium mos, ut tales Numinibus adscribantur. Quippe & omnium aliorum Deorum nomina, & quæ supra sidera rettuli, ea hominum nata sunt meritis. Jovem quidem aut Mercurium, aliterve alios inter se vocari, & esse cœlestis nomenclaturæ, qui non interpretatione naturæ fateatur?* Cicero libro tertio *de Naturâ Deorum*: *Jam vero in Græcia multos habent ex hominibus Deos, Alabandum Alabandi, Tenedi Tenem, Leucothean, quæ fuit Ino, & ejus Palæmonem filium, cuncta Græcia*: &c.

Cicero de cultu hominum.

Plinius.

Theodoretus.

His consentanee Theodoretus de hac θεοποιΐᾳ καὶ ἀνθρωπολατρείᾳ disserit Sermone tertio, ad Græcos infideles de Angelis, diis, Dæmonibus: *Postea*, inquit, *homines virtutibus rebusque gestis illustres, artium utilium inventores, post obitum eorum*, ἐθεοποίησαν, id est, *in Deorum numerum retulerunt, ut Saturnum, Rheam, Jovem, Junonem, Herculem, Æsculapium, Castorem & Pollucem, Bacchum*, &c. Idem eodem Sermone tertio ad Græcos: *Ethnici Herculem* ὡς γενναῖον καὶ ἀνδρεῖον ἐθεοποίησαν, *ut generosum fortemque hominem sibi Deum fecerunt.*

Tyranni etiam culti.

Nec vero tantum bene meritos de genere humano, Ethnici olim, præsertim Græci, Deos sibi fecerunt, sed Tyrannos etiam, qui genus humanum horrendum in modum portentosa sua immanitate afflixerunt: ut ex ipsorum Ethnicorum historiis potest colligi. Hinc Plutarchus *de Superstitione*: *Tyrannos*, inquit, *quoque coli & salutari videmus, iis aureas statuas poni ab iis, qui tacite eos oderunt & exsecrantur*: quo referenda sunt Alexandri Magni & Caligulæ exempla. In hanc prorsus sententiam etiam Theodoretus: *Hanc consuetudinem* (Græcorum videlicet) *Romani secuti suos Imperatores non solum justos, sed etiam injustos & tyrannos, ut Neronem, Domitianum, Commodum, post eorum mortem* θεοποιΐας ἠξίωσαν, id est, *divinitate dignos censuerunt.*

Scelerati culti.

Sed quid dicam, quod plerique istorum Numinum apud Ethnicos homines fuerunt lascivissimi, scortatores, meretrices, aliisque nefandis & detestandis sceleribus atque flagitiis infames? Unde idem Theodoretus

in

in hæc verba: *Non solum bene de genere humano meritos, sed lascivissimos etiam, tum viros, tum mulieres, Græci Deos fecerunt.* Hinc constat, Larentiam & Floram meretrices, monstra impudicitiæ horrenda, eos pro Diis coluisse: quod ipsum quoque admiratus est Plutarchus in *Quæstionibus Romanis*, quæstione trigesima quinta: *Quid vero caussæ est*, inquit, *quod Larentiam tanto afficiunt honore, cum fuerit meretrix?*

Homines culti vivi.

Porro quemadmodum & ex Angelis illis cœlestibus plurimi, & postea primi illi nostri parentes Angelorum seu Diabolorum illorum afflatu serpentino, teterrimoque exemplo & incitatione incitati, non contenti illâ Dei imagine, ad quam ficti & formati fuerunt, illaque dignitate sublimi, in qua fuerant collocati, ad superiorem, & quidem parem plane & æqualem divinæ majestatis dignitatem aspirarunt (quæ utriusque ruinæ perpetuæque miseriæ caussa extitit) sic ab illo tempore omnibus seculis plurimi extiterunt inter homines superbi & arrogantes, qui partim vi, partim dolis, fraudibus atque blanditiis divinos honores cultusque ambierunt, eosque sibi adhuc vivis deferri curarunt. Sic Persarum Reges divino honore affici, & ceu Dii coli observarique voluerunt. Sic Alexander Magnus Persico more adorari voluit. Unde Polypercon, cum unum ex venerantibus mento contingentem humum per ludibrium cœpisset hortari, ut id vehementius ad terram quateret, Alexander indignabundus, *Tu*, inquit, *non veneraberis me?* Detractumque Polyperconta è lecto præcipitavit in terram, & cum is pronus corruisset: *Videsne*, inquit, *idem te fecisse, quod in alio ante ridebas?* Sic Aulus Vitellius, teste Suetonio, Cajum Caligulam Cæsarem adorari ut Deum instituit, cum reversus ex Syria, non aliter adire ausus esset, quam capite velato (more scilicet & habitu eorum, qui Deos venerabantur) circumvertensque se, deinde procumbens: ritu nimirum priscorum, qui in adorandis Diis corpus circumagebant, deinde procumbentes sedebant, Numæ instituto; vel Persarum more, qui procumbentes humi & mento humum contingentes Regem suum colebant; quod προσκυνεῖν vocant. Exempla plura arrogantiæ atque superbiæ istius plusquam Luciferianæ, ut Herodis Agrippæ Regis Judæ, Diocletiani Imperatoris Romani, Menecratis Medici præstantissimi Macedoniæ, vide in *Academia Gallica* Petri Domini de la Primaudaye, & in aliis antiquis historiis. Hic commodus dicendi locus esset de more & consuetudine, ritibus atque cerimoniis exhibitis in θεοποιΐᾳ defunctorum Regum & Imperatorum, aut etiam aliorum illustrium hominum: sed quoniam de hac re fuse alii scripserunt: ideo nos ea sponte prætermittemus.

Homines culti etiam mortui.

Ut autem Homines, Reges præsertim & Imperatores, aliique viri illustres, cum ipsi sibi vivis divinos arrogarunt honores, tum ab aliis, tamquam Dii coli & adorari voluerunt: ita post mortem etiam eorum, istis honoribus fuerunt affecti: id quod cum ex supra citatis testimoniis Theodoreti satis superque constat, tum exempla modo posita clarissime ostendunt. Hæc de ἀνθρωπολατρείᾳ sive θεοποιΐᾳ hominis in genere.

Hominis singulæ partes cultæ.

NEC VERO tantum Homo ipse totus, sive vivus, sive mortuus pro Deo Ethnicis habitus cultusque fuit: sed singulæ quoque ejus partes, ex quibus compositus est, atque conflatus, nempe Anima & Corpus, & singularum harum partium principalium partes minores, qualitates item & accidentia, sive bona sive mala, cuncta denique, quæ ad humanarum rerum naturam atque vitam pertinent bona atque mala, commoda & incommoda, cum interna, quæ animi & corporis, tum externa, quæ bona & mala fortuita, sive Fortunæ vulgò appellantur, in Deorum numero ab iisdem fuerunt reposita, vel certis Diis adscripta & consecrata.

Partes hominis Anima, quæ cœlo, & corpus, quod terræ respondet.

Primum igitur ut Mundus hic magnus duabus constat partibus primariis, Cœlo nimirum atque Terrâ: ita Mundus hic parvus, id est, Homo ex duabus similiter conflatus est partibus, Anima nimirum & corpore: quarum illa quidem Cœlo, hæc Terræ respondet. Et ut Cœli duæ sunt partes principes, Aether & Aër: sic animi similiter sunt duæ quasi partes principes, mens sive intellectus, & cor, sive affectus: quarum illa Aetheri; hæc vero Aëri affinis est atque similis.

Animus in genere primum cultus.

Ut igitur de Animo primo dicamus, is cum totus, tum singulæ ejus partes, potentiæ, facultates, habitus, affectus boni & mali divinis fuerunt consecrati honoribus. Mens à Romanis, ut Livius & Cicero tradunt, fuit consecrata, ut mentem ea bonam concederet; quod & S. Augustinus non semel asseruit, & ante eum Lactantius. Ovidius in *Fastis*:

Mens quoque Numen habet, Menti delubra videmus
Vota, metu belli, perfide Pœne, tui.

Propertius:

Mens bona si qua Dea es, tua me sacraria dono
Exciderant surdo tot mea vota Jovi.

Philosophi quoque plerique νοῦν, hoc est, *mentem*, Deam fecerunt, sed non eodem modo. Cicero *de Legib.* lib. 2. *Ast illa, propter quæ datur homini ascensus in Cælum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, earumque laudum delubra sunto; nec ulla vitiorum sacra solennia obeunto.* Et paulo post: *Bene vero; quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publice templa sunt: ut illa qui habeant (habent autem omnes boni) Deos ipsos in animis suis collocatos putent.* Idem: *Res ipsa, in qua vis inest major aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa nominetur Deus, ut Fides sunt, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proxime à Marco Aurelio Scauro. Ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata. Vides virtutis templum: vides Honoris, à M. Marcello renovatum.*

Cultæ ab Ethnicis etiam animi partes, ut 1. Intellectus.

Porro ut Mentis duæ sunt partes: ita ambas quoque coluerunt, & adorarunt, nempe Intellectum & Voluntatem. Et intellectus quidem cum operationes, tum effectus: quæ duo à Græcis νοητικὰ & διανοητικὰ appellantur, inter alia sub se continentia artes, disciplinas atque scientias, quæ liberales & ingenuæ appellantur: quarum quidem ut inventrices, ita Deas coluerunt Musas. Plutarchus in *conviviis*: *Musæ omnino indig-*

indignentur, si putemus ipsarum opus esse citharam & fistulam: non morum institutionem, & affectuum moderationem, quæ consequuntur, qui cantilenis & concentibus utuntur. His adnumerari possunt etiam artes illæ, quæ manuum labore atque opera constant, vulgò artes *mechanicæ* sive *manuariæ* dictæ: quæ licet manibus & reliquis corporis membris tractentur, atque exerceantur: tamen à mente, ingenio & cogitatione fuerunt profecta, & mente etiam atque animo potissimum excoluntur.

Quarumvis igitur artium utilium & fructuosarum humano generi inventores pro Diis fuerunt culti. Ac generales quidem omnium fere artium ut inventores, ita Dii ac Deæ habitæ fuerunt Apollo, Minerva (unde Theodoretus τὸ λογισμὸν, *ratiocinationem*, ἀθήνην vocat) Musæ, Vulcanus (unde τὰς τέχνας, artes, ἥφαιστον, id est, *Vulcanum* appellarunt, quia ignis adminiculo pleræque artes utuntur) Mercurius & Hercules; quorum duo ultimi etiam Gymnasiorum, Academiarum & Scholarum præsides fuerunt, atque antistites. Hinc Mercurii statuæ, *Hermæ* dictæ, quadratæ cum in Academiis & Gymnasiis, tum etiam ante domorum privatarum ostia poni solitæ. Idem propterea quoque Sermonis, qui Mentis est instrumentum, Deus fuit habitus, idcirco *Cyllenius* dictus: quemadmodum & lingua ob hanc caussam illi fuit dicata & consecrata. Ægyptii quoque omnium bonarum artium, ut legum, litterarum, Musicæ, Geometriæ, inventorem Mercurium fecerunt, quem *Thoit*, vel *Theut* nominarunt, teste Platone, Jamblicho, & Cicerone libro tertio *de Natura Deorum.* Galenus similiter in *oratione suasoria* Mercurium & orationis parentem & artium omnium auctorem facit. Sic Apollo, *Pythius* vocatur iis, qui discere incipiunt & percunctantur: *Delius* & *Phanius* iis, quibus jam aperitur & elucescit veritatis aliquid: *Ismenius* scientibus; *Leschenorius* iis, qui jam utuntur ac fruuntur scientia, ac inter se disputant & philosophantur. Artium ac disciplinarum inventores qui culti in genere.

In specie deinde præfuerunt Medicinæ Æsculapius, & ejus filia Hygiia, sive Sanitas, & Apollo: quibus ideo multa monumenta fuerunt posita. *Pæana* ideo Apollinem quidam vocaverunt, quod remedians morbis finem faceret talis gravitatis: quanquam alii sic vocarunt, quod sagittarum ictu eum nocere putabant. Est enim παίειν, *ferire:* unde forsan *pavire* Latinum pro *ferire*, inquit Festus. Jurisprudentiæ deinde præfuit Themis, quæ & *Carmenta* Dea fuit dicta, & Fatorum, Euandri mater; alio nomine *Nicostrata*, *Carmenta* appellata à carminibus, quibus oracula canebat: vel ut alii volunt, quasi *carens mente*, ob instinctus nimirum divinos, quibus ad fatiloqua fundenda carmina impellebatur. Sunt, qui Carmentam putarunt esse Parcam. Huic matronæ templum Romæ dedicarunt eamque coluerunt, Plutarcho teste *Quæst. Rom.* 56. Artium, disciplinarum & negotiorum inventores qui culti in specie.

Sic numerandi arti præfuit Dea Numeria, aliique Dii. Ac Numerum quidem ipsum ceu Deum, colebant. Hinc par numerus Diis inferis olim consecratus; impar in nuptiis adhibitus: quo & Cœlestes inprimis gaudere putabant. Huc referenda ἀριθμαντεία, & λογαριθμαντεία, id est, *vaticinatio in numero*: de qua vide Peucerum. Ars numerandi.

Sic Agriculturæ, & rei rusticæ ac pastoritiæ artis Dii ac Deæ plurimæ fuerunt (de quibus supra) præ aliis autem maxime Pales; quæ ideo *Dea rustica* ab Ovidio lib. 4. *Fastorum* dicitur: Agricultura.

Rustica præcipue est hoc Dea læta cibo.

Servius ait eam fuisse Deam pastorum & pabuli: cui sacrificarint pro felici proventu pabuli & incolumitate pecorum: unde *pastorum domina* ab Ovidio appellatur:

Pastorum dominæ grandia liba Pali.

Festus: *Pales dicebatur Dea pastorum.* Servius scribit, alios putare eam Vestam esse, alios matrem Deûm. Festum, quod in ejus honorem institutum fuisse dixi supra, *Palilia*, sive *Parilia* fuit dictum, natalis videlicet urbis Romæ, à pastoribus conditæ. Propertius lib. 4.

Vrbi festus erat, dixere Palilia Patres:
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Notat Servius, *Palem* à Virgilio genere fœminino dici: ab aliis masculino. Sed pace illius dixerim, apud alios quoque scriptores genere fœminino reperitur: apud quos frequens ejus fit mentio, ut non tantum apud Virgilium, Ovidium & Propertium, sed Tibullum, Varronem & alios. Hæc de Pale.

Porro Mercaturæ, negotiationis, mercium & negotiatorum Deus fuit Mercurius, ipse propterea *venditor* & *negotiator* dictus, ab Hebræa voce מכר, *Macar*, *vendidit*, *emendum tradidit*; unde מכר, *Macar*, *merx*, *res venalis*, & מכרות *Macaroth venditiones*, *commutationes.* Quid si Græca vox μακάριος ab Hebræa מכר *Macar* derivetur; quod ob divitias & opulentiam, quæ emptionibus & venditionibus comparantur, homines felices & beati sint habendi. Eundem Luctæ & palæstræ ut inventorem, ita Deum constituerunt, cujus Horatius in hymno in eum meminit. Inde Philostratus Palæstram Mercurii filiam finxit, eique sedenti oleæ ramus in sinu positus erat, quoniam luctatores oleo se inungebant. Mercatura.

Arti vero canendi & instrumentis Musicis ludendi fuerunt Musæ, Pan, Apollo: quorum postremus etiam jaculandi & sagittandi artis fuit Deus, dictus ideo à Latinis *sagittarius* & *jaculator*: à Græcis Poëtis, ἑκηβόλος. Euclio apud Plautum: Musica, &c.

Apollo quæso subveni mihi atque adjuva,
Confige sagittis fures thesaurarios.

Atque hujusmodi fuit cultus primæ partis, mentis nempe intellectus. Coluerunt etiam alteram partem, videlicet Voluntatem, cujus Numina fuerunt Volumnus, & Volumna, à *volendo* dicta. Vt autem Voluntas ad supremum intellectus decretum libera propensione fertur; ad bonum divinâ favente benignitate; ita Virtutes coluerunt; & ad malum, ex pravæ nimirum naturæ inclinatione: ita omnis generis Vitia. 2. Voluntas deinde & ejus operationes etiam cultæ.

Virtus culta in genere pro Dea.

Quod igitur attinet ad Virtutes, ex quibus actiones honestæ & liberales proficiscuntur, primo Virtutem ipsam Deam finxerunt. Juvenalis:

Vt colitur Pax atque Fides, concordia, Virtus.

Huic etiam Romæ delubrum fuit positum. Cur autem ante Honoris templum id factum, rationem reddit Verderius, quem vide.

Virtutis species Ethicæ cultæ.

Deinde & Virtutis species coluerunt & variis imaginibus expresserunt, tam Ethicas, sive Morales, quæ ἐν πράξει ἀγαθοῦ versantur, quam intellectuales sive Dianoëticas, quæ ἐν θεωρίᾳ τοῦ ἀληθοῦς occupantur. Ethicas quidem: ut Fortitudinem: Temperantiam: Liberalitatem: Magnificentiam circa pecuniam in magnis: Magnanimitatem circa honores in magnis: Majestatem: Honorem, unde & Honorius Deus, cui Romæ fanum fuit positum: Clementiam & Misericordiam: Amicitiam, Veritatem: Fidem, unde & Deus Fidius, de quo Plautus; *Per Deum Fidium jurato mihi:* Pudicitiam, & Pudorem, quem Athenienses præcipue coluerunt; & cui sacellum Romæ in Vico longo erat positum, itemque in foro boario: Concordiam & Pacem: Spem (de qua Cicero lib. 2. *de Legib. Quoniam exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam Spes à Calatino consecrata est*) Justitiam, alio nomine *Nemesin* dictam: item Dicem & Dicæosynen, quæ Dea & præses judiciorum fuit, lites & contentiones dirimens: cujus ministri vocabantur *Dicastæ*, quasi litium diremtores. Denique & Pietatem: quam ut Deos cæteros colebant Romani: cui ædem ab Acilio consecratam ait Festus, eo loco, quo quondam mulier quædam habitaverit, quæ patrem suum, inclusum carceri mammis suis clam aleret, ob quod factum impunitas ei concessa.

Virtutis etiam species dianoëticæ cultæ.

Ad Dianoëticas vero virtutes, vulgò ἕξεις ἀληθευτικάς dictas, quod attinet, similiter eas in Dearum numero reposuerunt. Hinc Dea Sapientia: Dea Prudentia: Dea Providentia (quarum Numen fuit Minerva:) Deus Catius, homines catos, id est, acutos reddens: Deus Consus, consiliorum Deus (unde Consualia:) Deus Sentinus, sensus largitor, ut Vitunus, vitæ.

Operationum voluntatis malæ qui Dii aut Deæ cultæ.

Atque hoc modo coluerunt Voluntatem; quatenus fertur ad bonum, ut Virtutes. Eandem coluerunt quoque quatenus ad malum fertur, ut Vitia, cupiditates & affectus pravos: qui cultus quam absurdus sit, & ab omni ratione alienus, docet Theodoretus, inquiens: *Græci gentilesque Philosophi* καπνὸν φυγόντες εἰς πῦρ ἐμπεπτώκασι, *fumum fugientes in ignem inciderunt.* Sic enim primum ipsa Voluptas Volupiæ Deæ nomine culta est, & amor impurus, ac libido nefaria nominibus Veneris & Priapi: Veneris quidem; quod ea libidinem, lascivasque cogitationes hominum animis inijceret, quas etiam ad opus deducendas curaret. Itaque eam Amoris matrem finxerunt, quod scilicet nunquam fere mas cum fœmina conjungatur, nisi amore intercedente. Theodoretus *Venerem*, inquit, ἀκολασίας διδάσκαλον χαμαιτύπην καὶ ἑταίραν, *libidinis magistram, prostituti corporis meretricem coluerunt, ceu Deam.* Eandem etiam Veteres, sicuti & Hymenæum ac Junonem nuptiis præposuerunt: eæ namque contrahuntur, ut per concubitum prolem consequantur. Hinc Cupido refertur Veneris filius: utque gemina Venus; ita geminus Cupido. His adde Veneris comites sive filias, quæ Gratiæ fuerunt & Horæ: item Mutinum Deum & Floram; inprimis autem Deam Libentinam, sive Libentiniam, à libidine, (unde & nostrum liebe) sic dictam. Hanc unâ cum Bumo Arnobius libidinum tutelis præfuisse dixit.

Dea Lætitia. Deus Risus.

Porro quia lætitia juvenilis cum Amore & libidine conjuncta est, hanc quoque pro Dea venerati sunt, nomine Vitulæ Deæ. (Nam Veteres *Vitulari* dicebant pro *gaudere*) quemadmodum & Risum Deum fecerunt, ac coluerunt sub Ridiculi sive Rediculi Dei nomine; cui extra portam Capenam fanum construxerunt Romani, & templa Lacedæmonii dicarunt teste Plutarcho.

Dii conviviorum.

Præterea conviviorum seu comissationum intempestivarum, atque Gulæ Deos constituerunt Comum & Saturnum: sicut ebrietatis, temulentiæ & crapulæ Bacchum, sive Jacchum, qui etiam *Dionysius*, *Lenæus*, *Lyæus*, ab Ægyptiis *Osiris*, & *Liber pater*, quod vino nimio usi omnia libere loquantur, fuit appellatus.

Dii avaritiæ.

Avaritiæ, hoc est, cupiditatis divitiarum inordinatæ & inhonestæ, ipsarumque divitiarum & lucri sive quæstus Dii habiti fuerunt Plutus, Pluto, Dis, Mercurius: quibus addi potest furum & furtorum Dea Furina; unde Furinalia: (quæ tamen secundum Etruscos Dea sortium fuit, ad dirimendas videlicet lites) & Laverna, sic dicta vel à *latendo* vel à *lavando*. Nam fures *Lavatores* sive *Laverniones* olim dicebantur: Horatius lib. 1. *epist. Pulchra Lavans da mihi fallere, da sanctum justumque videri.* Ægeus tamen eos ἀπὸ τοῦ λαβεῖν sic vult dictos.

Dii ac Deæ convitiorum.

Convicii, maledicentiæ ac reprehensionis Deus fuit Momus; Noctis ac Somni filius; ac Calumniæ, &, quæ ipsam comitatur, Fraudi & Impudentiæ aras consecrarunt Athenienses: inter quas Calumniæ effigies etiam ab Apelle depicta. Cicero lib. 2. *de Legib. Nam illud vitiosum Athenis, quod Cylenio, scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliæ fanum & Impudentiæ; Virtutes enim non vitia consecrare decet.* Et paulo ante: *Nec ulla vitiorum sacra solemnia obeunto.* Pertinet hûc Fama Dea; unde diminutivum *Famella*, à *fando* dicta, ut apud Græcos φήμη ἀπὸ τῆς φάσεως, Festo teste.

Deæ Invidiæ, Proterviæ & similium.

Sic Invidiam, Protervìam, Discordiam, Veteres coluerunt. Hinc fabulæ de Discordia, cœlo pulsa: &, Discordiam pomum in medium Dearum jecisse, de quibus vide Verderium. Cicero lib. 2. *de Natura Deorum: Parmenides bellum, discordiam, cupiditatem, cæteraque generis ejusdem ad Deum revocavit.* His adnumerari possunt Murcea, sive Murcia, Dea Desidiæ, quæ homines murcidos reddebat: item Dea Furina (unde Furinalia) Furor Deus, quem Græci θυμὸν, id est, *vim irascibilem*, & ἄρεα, id est, *Martem* appellant, aliique innumerabiles.

VENIO

VENIO ad alteram hominis partem, nempe Corpus. Hoc non tantum integrum coluerunt: sed singulas quoque ejus partes sive membra certis quibusdam Diis ascripserunt, sub quorum illa essent curâ ac tutelâ. Sic enim, exempli gratia, in genere quidem omnibus vitalibus partibus humani corporis præesse credebant Carneam, vel potius Carnam Deam, sic dictam, vel à *cardinibus* corporis, vel *carne:* à qua tamen potissimum petebant, ut jecinora & corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salva conservaret: cui templum, pulso Tarquinio, Junius Brutus in Cœlio monte construxit, Kalendisque Junii sacrum Voti reus fecit: quod quidem pulte fabaceâ & larido fieri solebat: unde & Kalendæ ipsæ *Juniæ Fabaceæ* dictæ. In specie deinde caput Jovi deferebant: linguam Mercurio, quod is eloquentiæ Deus esset; oculos Cupidini, Veneris filio, in quibus excubet, ceu speculâ quadam: aures Memoriæ: frontem Genio (*unde Deum venerantes, frontem tangimus*, inquit Servius:) supercilia Junoni, quod iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam a Junone tribui (ideo Luna & Lucina dictâ) putabant. Eidem tribuebant brachia: unde Homerus, qui unicuique Deo pulcherrimum aliquod membrum tribuit, à quo eum cognominet, Junonem λευκώλενον appellat. Locum vero retro dextram Nemesi ascribebant: quo referenda illa Plinii; *Tacto ore proximum à minimo digitum veniam sermonis à Diis ibi recordantes.* Dextra Fidei sacra fuit. Nam in fide ea porrigitur. Dorsum & posticæ partes Plutoni: sicut renes, inguina, pudenda Veneri & Priapo: pedes Mercurio: genua Misericordiæ: tali plantæve pedum Thetidi, & digiti Minervæ fuerunt consecrati.

Corpus, altera pars hominis culta.

Nec vero tantum integrum hominem, ejusque partes, animam & corpus, horumque membra singula divinis affecerunt honoribus: sed corporis etiam cum bona, tum mala sunt venerati; Bona quidem, ut Sanitatem præcipue, quam vel ipsam pro Dea habuerunt, vel certis aliis Diis ac Deabus consecrarunt: ut Æsculapio, qui Medicinæ Deus præcipuus fuit existimatus; & ejus filiæ Hygiiæ, à Græca voce ὑγιεία, *sanitatem* significante, sic dictæ, quam etiam *Salutem* appellabant: item Apollini, & Meditrinæ, Deæ medicamentorum, à *medendo* nuncupatæ, cujus sacra dicebantur *Meditrinalia*, quibus teste Festo Pompejo, mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, dicere ominis gratia: *Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor.* Plinius quodam loco non tantum Hygiiam Æsculapii filiam facit, sed & Æglen, Panaceam, sive Panaciam & Jasonem. Idem lib. 25. cap. 4. Panaces genera (quo nomine omnium morborum remedia promittuntur) enumerans, unum *Asclepion* dicit cognominari, quoniam is filiam Panaciam appellarit: à qua voce forsan Panaceæ istius Amvaldinæ in montibus Helvetiæ origo esse potest.

Corporis Bona culta.

Deinde & mala corporis, ut morbos, omnesque sanitati contrarios affectus sunt venerati, iisque certos Deos ac Deas præfecerunt, ut Febrim, Timorem sive Pavorem, Pallorem & similes. De Febri Dea ita scribit Valerius Maximus: *Febrim ad minus nocendum templis colebant, quorum unum adhuc in palatio, alterum in arce Marianorum, tertium in summa parte vici Longi, in eaque remedia, quæ corporibus ægrotorum innexa fuerant, deferebantur.* Meminit ædium hujus Deæ aliquoties etiam Cicero, & inter alia lib. 3. *de Natura Deorum*, hæc ejus verba sunt; *Qui tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus non modo nomen Deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim fanum in palatio, & ædem Larum, & etiam malæ Fortunæ Esquiliis consecrata videmus. Omnis igitur talis à Philosophia pellatur error, ut, cum de Diis immortalibus disputemus, dicamus digna Diis immortalibus.* Idem lib. 2. *de Legibus: Araque vetus stat in palatio Febris & altera Esquiliis malæ Fortunæ.* Porro Timorem sive Pavorem sub Panis nomine; unde Panicus dictus, tanquam à Pane immitti solitus, coluerunt.

Corporis mala culta. Febris.

Vulnerum quinetiam ratione habita, eorum obligationi primogenitum Æsculapii filium, qui eam invenisse credebatur, præfecerunt: quemadmodum alvi purgationi & dentium evulsioni filium illius tertiogenitum. Tres enim Æsculapius filios habuisse, antiquitus credebatur.

Vulnera. Alvus. Dentium dolores.

Sic Angeronæ Deæ sacra à Romanis instituta sunt, in gratiam hominum & animalium brutorum, quæ anginâ laborarent & consumerentur: cujus festa *Angeronalia* sunt dicta; de quibus Varro: *Angeronalia ab Angerona, cui sacrificium fit in curia.*

Angina.

Pertinet huc Mena Dea, quæ fluxibus menstruis mulierum præesse credebatur, ut Augustinus docet lib. 7. *de Civitate Dei.* Jovis filia hæc, ut Luna, credita est; quippe Græce Luna μήνη dicitur, quam ideo Junonis privignam dicit idem Augustinus.

Menstrua mulierum.

Porro ut animi corporisque humani bona atque mala, ita Fortunæ quoque cum bona tum mala (quæ etiam externa & fortuita appellantur) pro Diis fuerunt existimata. Ac primum quidem ipsa Fortuna sive bona sive mala, Τύχη Græce dicta, à cunctis fere gentibus Dea, Primigenia & omnium rerum humanarum non tantum regina, atque domina, sed etiam principium fuit habita, secundum illa Juvenalis;

Fortuna culta.

Nullum Numen abest, si sit prudentia. Sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

Plinius lib. 2. cap. 7. *Toto quippe Mundo*, inquit, *& locis omnibus omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur, & una nominatur: una accusatur: una agitur rea: una cogitatur: sola laudatur: sola arguitur & cum conviciis colitur: volubilis, à plærisque vero & cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit.* Hanc Ægyptii coluerunt Isidis nomine.

His addi debet Fors, Sors, (quæ sunt Fortunæ nomina) & Sortes; quarum Deam & moderatricem Ethnici cum Fortunam ipsam, tum Tenitas quasdam Deas, à *tenendo* sic dictas, Festo teste, finxerunt. Cicero: *Sortes hodie Fortunæ monitu tolluntur.* Item: *Quid igitur in his sortibus potest esse certi, quæ fortunæ monitu, pueri manu miscentur atque ducuntur?*

Sortes cultæ.

Bona Fortuna culta.

Duas autem Fortunas finxerunt: Bonam unam: alteram Malam, quam & brevem ac parvam vocarunt. Huic adversa omnia; illi prospera adscripserunt. Bona candido vultu; mala alio erat prædita.

Bona Fortuna Felicitas quoque potest appellari, & bonus eventus, sive factum: quæ & ipsa Græce εὐδαιμονία dicta, pro Diis fuerunt culta. Hinc Fortunæ Reduci ara ponebatur ob felicem reditum. Eam Dion lib. 54. de Augusto loquens τύχην ἐπανάγωγον vocat his verbis: πολλὰ ϗ παντοῖα ἐψηφίσθη ὧν ἐδὲν προσήκατο, πλὴν τύχῃ τε ἐπαναγωγῷ, *Multa & varia illi decreta sunt à Pop. Romano, quorum ille nihil accepit, præterquam Fortunæ reduci aram consecrari passus est.*

Mala Fortuna culta.

Ex adverso Mala quoque Fortuna religiose culta fuit: cui Cicero *de Natura Deorum* aram Esquiliis consecratam fuisse dicit. Pertinet huc Dea Ἄτη, sive Ate, quæ noxas mortalibus immittit, Hesiodo ab ἀτῶ, id est, βλάπτω, sic dicta.

Fortunæ effecta culta.

Ut autem & ipsa Fortuna in genere, & cum Bona, tum Mala Fortuna fuit Dea habita: sic Fortunæ utriusque effectus cum boni, tum etiam mali fuerunt consecrati. Sic, exempli gratia, Occasionem (quam nonnulli eandem cum Fortuna esse voluerunt,) Latini ut Deam, Græci ut Deum (Καιρὸς enim in masculino genere Græcis idem, quod *Occasio* Latinis) coluerunt. Sic ut Deas ac Deos coluerunt Salutem, Honorem, Amicitiam, Concordiam, Pacem, Securitatem, Quietem, (cujus ædes extra portam Collinam fuit in via Labicana, Livio teste: unde & *Orcus Quietalis* dictus) Libertatem, Favorem, Divitias, Famam, Beneficium ac Præmium, Marteam, Deam hæredum, quam accepta hæreditate coluerunt, Spem, Pecuniam, Monetam; Unde Cicero *de Natura Deorum: Ergo etiam Spes Dea est, & Moneta, omniaque, quæ cogitatione nobismetipsis fingere possumus.* His adde è contrario Paupertatem, & Pœnam; quorum Numina fuerunt Pellonia Dea, ut hostes depellerentur, Achilles, qui in Epiro cultus, Hercules, Bellona, Castor, Pollux, Victoria, Ἐκεχειρία induciarum præses (cujus simulachrum in Olympia quondam exstabat) Minerva, alio nomine *Pallas* dicta à פלס, *Palas, agitandi*, & *versandi* verbo, quod in bello arma agitaret & versaret: ideo etiam armata fingi & pingi solita; quo significabatur, prudentiam & sapientiam in bellis gerendis Martis esse administram, sine qua nemo feliciter regnare possit. Ob eandem causam Oleagineis coronis ministros triumphantium usos fuisse testis est Festus, quod Minerva, præterquam quod Oleæ inventrix esset, & belli Dea esse putabatur. Præcipuus belli Deus & armorum fuit Mars, sive Mavors, apud Thraces natus, Bellonæ frater, cujus ministri fingebantur Impetus, Discordia, Ira, Furor: quem quidem Furorem furiosissimi Ethnici coluerunt Furiarum nomine, quas Plutonis administras finxerunt, & Furinæ Deæ nomine; cujus meminit Cicero lib. 3 *de Natura Deorum*, quam idem vult esse Furias. Hinc *Furnalia*, sive, ut alii legunt, *Furinalia* sacra Furinæ, quam Deam dicebant, teste Festo.

Fatum cultum.

Fortunæ opponitur Fatum. Hoc igitur quoque pro Deo: & quidem Jove potissimum, coluerunt, quod Fortunam vincere existimarunt. Referendæ huc videntur Dea Necessitas, Dea Violentia, Dea Providentia & similes.

Singulis vitæ humanæ actibus certa Numina constituta.

Iam vero si totius vitæ humanæ & principium & medium & finem considerare voluerimus, rursus inde existet quasi innumerabilis Deorum falsorum numerus atque copia. Varronem legimus à conceptione hominis Deos narrare cœpisse ad decrepiti usque hominis mortem. Potest, meo judicio, omnis vita humana, quæ est quasi Tragico-Comœdia quædam in quinque partes, seu actus quosdam dividi. Ii sunt, primo Conceptio & Nativitas. Deinde Nutritio & Educatio. Tertio Munus seu officium, &, quæ ad munus sive officium quodvis efficiendum ac exsequendum requiruntur, Actio & Oratio. Quarto Matrimonium. Denique Mors & Funus, sive Exsequiæ. Singulis his vitæ humanæ partibus plurimi ab Ethnicis præpositi fuerunt Dii atque Deæ.

I. Numina Conceptionis & Nativitatis.

QUANTUM igitur ad primam partem sive actum, principium nimirum sive exordium vitæ humanæ attinet, quod est CONCEPTIO & NATIVITAS, seu hominis in hanc lucem editio, Junonem primo Ethnici finxerunt Fluoniam, quam mulieres colebant, quod eam sanguinis flumen in conceptu retinere putabant. Deinde & partus & parturientium eadem fuit Dea; Juno quidem dicta à *juvenescendo*, & Lucina quasi *Lucida*, quam mulieres, ut sibi adesset in partubus invocabant, sicut & Lunam: Unde Glycerium apud Terentium, cum partus dolores experiretur, exclamans ait: *Juno Lucina fer opem, serva me obsecro.* Et hoc:

Per cœruleum astrorum polum
Partus celerantemque Lunam.

(Facilius enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti.) Cicero: *Apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Et quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant, Opigenam matronæ colebant, inquit Festus. Atque hæc præcipua fuit Dea Nativitatis. Huic adde alias Deas & alios Deos, quos Ζωγόνες Græci, Latini *Vitunum* & *Sentinum* sive *Sentiam* & *Sentam* appellarunt, qui vitam & sensum largiri credebantur: cujusmodi fuerunt Partunda Dea, quæ partui præesset: Nascio sive Natio: (de qua Cicero lib. 3. *de Natura Deorum: Natio quoque Dea putanda est, cui, cum fana circuimus in agro Ardeatis, rem divinam facere solemus: quæ quia partus matronarum tueatur, à nascentibus Natio nominata est:*) Dii Nixi ab *enitendo*, id est, pariendo dicti: Prosa vel Prorsa, & Postverta sive Postvorta, ob pariendi discrimina. (Prosa enim præesse illis existimabatur quæ rectum & legitimum partum ederent; Postverta vero, ægris & infirmis, & cum præpostere partus edebatur.) Egeria, quæ mulieribus opitulari credebatur, partum egerendo, ut ait Festus: Genius: Juppiter Lucerius, qui lucis causa esset, Nundina Dea (à nono die nascentium nuncupata, qui *Lustricus* appellabatur, quo scilicet infantes lustrabantur, & nomen ejus imponebatur:) Mena menstruorum Dea, & Mana

Ge

Geneta ortus ac partus præses *à manando* dicta. Porro mulieri fœtæ etiam post partum Deos custodes adhibuerunt, ne Sylvanus Deus per noctem ingressus eas vexaret. Horum autem custodum significandorum caussâ tres homines circumire limina domus fingebant, quorum primus *Intercido* dictus, limen securi feriebat: alter, *Pilumnus*, pilo: tertia, *Dea Deverra*, scopis deverrebat: quibus Diis custodibus contra vim Dei Sylvani fœta conservabatur. Hæc Varro.

SECVNDVS actus vitæ humanæ est NVTRITIO & EDVCATIO. Habuit similiter hæc quoque suos Deos ac Deas. Ac infantibus quidem, jam in lucem editis, hos Deos, ceu custodes præfecerunt: Vagitanum, & Fabulinum, cum vagire & fari infantes incipiunt: Cuninam, cum in cunis existunt: Fascinum, cum fasciis involvuntur: Ossilaginem, cum ossa eorum solidantur; unde Dea *solidatrix* dicta: Levanam, cum è terra levantur: Statilinum vel, ut alii legunt, Stabilinum, & Statanum, cum jam possunt stare: Ruminam vel Rumiam, cum lactent & aluntur (à *Ruma* dictam, id est, mamma: unde *Ruminalis* ficus; ad quam Lupa Romulo mammam præbuit: & Germanicum nostrum Raumen vel Rumen / lactentium cibus:) Edusam & Potinam, cum edere & potare possunt: denique Paventiam, quæ pavores ab eis arceret; unde etiam appellata, teste Augustino. II. Numina nutritionis.

TERTIVS vitæ humanæ actus est OFFICIVM sive MVNVS, vitæ genus & institutum. Secundum igitur diversa vitæ genera & instituta, officia atque munera plurimi ac diversissimi fuerunt apud Ethnicos Dii, quos coluerunt, quosque omnes enumerare difficillimum fuerit. Sic exempli gratia Philosophi, & quarumvis sive liberalium, & ingenuarum, sive etiam illiberalium, mechanicarum & manuariarum artium magistri & professores, itemque Reipublicæ præsides, religionis antistites & cultores, opifices, artifices & fabri singuli, mercatores & negotiatores, milites, agricolæ, pastores, nautæ, & viatores: artium quin etiam turpium cultores: ut meretrices, lenones, fures, & similes, certos & peculiares habebant Deos, quos colere & invocare solebant, quosque sibi vel prodesse, vel obesse posse existimabant. III. Numina officii, sive muneris.

Ad munus & officium refertur Oratio & Actio. Orationis, sermonis atque eloquentiæ, cujus symbolum fuit Pan, Dii atque Deæ fuerunt primo Mercurius Græce Ἑρμῆς: sermonis; & quidem veri, Deus, parens atque præses. Dictus autem fuit Ἑρμῆς, ceu *interpres*, quod sermo sit interpres atque nuntius mentis: unde *sermo* ipse, præciso à fronte S à Græco Ἑρμᾶς fuit appellatus. Porro Mercurii nomen obtinuit, teste Arnobio, quasi *medius currens*, quod sermo medius inter homines sit. Eadem de caussa mercibus præesse putabatur, à quibus Festus Pompejus, Isidorus & alii eum volunt dictum, quod inter ementes & vendentes sermo sit medius. Quod alas ei in capite & pedibus assignavere Antiqui, id significare voluerunt, volucrem per aërem ferri sermonem: unde ἔπεα πτερόεντα sæpe ab Homero, verba alata seu pennata sunt dicta. Ac teste Suida, figura quadrata ei data, ut verus sermo innueretur, qui semper consistit, nec cuiquam eum oppugnanti cedit: sicut contra mendacium subinde mutatur, nec usquam consistere potest. *Cyllenius* fuit cognominatus, à quodam, ut nonnulli volunt, Arcadiæ monte, ubi sit natus. Sed Festus eum ita vult appellatum, quod omnem rem sermone, sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent, κυλλοὶ vocantur. Eandem hanc ob caussam Veteres linguam Mercurio consecrarunt; & mos fuit, cum cubitum irent, ut vinum libarent, & victimarum linguas ei sacrificarent. Mercurius etsi Barbatus nonnunquam & Pileatus fuit pictus; plærunque tamen Imberbis describitur: quo significabatur, sermonem nunquam senescere. Et quoniam per sermonem omnia enunciantur: ideo etiam *Nuncius* dictus Mercurius, ut auctor est Augustinus lib. 7. *de Civitate Dei.* Plato in *Cratylo*, & eum exponens Proclus, Ἑρμῆν dictum vult ab eo, quod est ἔρειν & μήσασθαι, quod loqui excogitaverit & machinatus sit, ut & Iris dicta, quod Nuncia sit. Διάκτορος quinetiam, id est, *internuncius* Mercurius dictus, quod sermo sit interpres, nuncius & internuncius mentis nostræ. Dictus, ait Phurnutus, ἀπὸ τοῦ διάτονος εἶναι καὶ πρᾶος, id est, *vocalis & disertus*: sive ἀπὸ τοῦ διαλέγειν τὰ νοήματα ἡμῶν εἰς τὰς τῶν πλησίων ψυχάς, id est, *quod sensa nostra referat in eorum Animos, qui prope sunt, &* ut Johannes Grammaticus in Commentariis in Hesiodum ait, quod explicet τὰ τῆς ψυχῆς, καὶ τοῦ νοῦ ἐνθυμήματα, id est, *animæ mentisque cogitationes.* Atque hæc de Mercurio præcipuo sermonis Deo.

Sermonis Dii. Mercurius. Mercurius unde dictus Latinis. Alatus. Figura quadrata ei tributa. Cyllenius cognominatus. Lingua ei consecrata. Nuncius dictus. Internuncius.

Sermonis deinde atque linguæ & aëris Dea habita etiam fuit Echo, à Pane adamata, & Ajus Locutivus, à *loquendo* nomen habens, quod locutus fuerit, & præmonuerit Romanos de adventu Gallorum; de quo ita Livius lib. 5. *M. Ceditius de plebe nunciavit Tribunis, se in nova via, ubi nunc sacellum est supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audivisse, clariorem humanâ, quæ Magistratibus dici juberet, Gallos adventare; id, ut fit, propter auctoris humilitatem spretum. Et paullo post; Camillo expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuncia cladis ante bellum Gallicum audita neglectaque esset, mentio illata, jussumque & templum in nova via Ajo Locutio fieri.* Eandem historiam recitat Cicero lib. 1. *de Divinatione*: quem Plutarchus in libro *de Fortitudine Romana* φήμην καὶ κληδόνα vocat, propter vocem divinitus editam: quæ Romanos de subito illo & occulto Gallorum adventu admonuerat. Budæus lib. 4. *de Asse: Nempe*, inquit, *quod Ajus ille Locutius arcanum nihil esse sinit eorum, quæ in aula geruntur.* Ædes hujus Dei à P. Victore ponitur in VIII. Urbis regione: à Cicerone tamen & Marco Terentio Varrone non ædes, sed ara tantum ei constructa esse scribitur. Echo. Ajus Locutivus.

Eloquentiæ, ut & prudentiæ, Deum Herculem quoque statuerunt: cujus quidem vim inter alia galli simulachro adumbrârunt. Hercules.

Huc referri potest persuadendi Dea, à Græcis πειθώ, ab Hebræo פתה, *Patach* quod *suadere, persuadere, lactare, seducere* significat, à Latinis *Suada & Suadela* dicta (unde nostrum Schwätzen / & Geschwätz.) Quidam Leporem dixere; cujus Deæ sacellum fuit apud Sicyonios, teste Pausania. Hinc Pytho Dea in Periclis labris habitare dicebatur; & Cethegus *Suadæ medulla* ab Ennio vocatus, propter insignem utriusque eloquentiam, Dea persuadendi.

tiam, & quidvis aliis perſuadendi vim & facultatem. Huc pertinet pervulgatum illud Græcorum, οὐκ ἐςὶ πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο πλὴν λόγος, *Non eſt aliud Suadelæ ſacrum, præter orationem.* Sed & Diana πειθὼ fuit cognominata. Obſervandum etiam Veteres Pytho collocâſſe inter Gratias Veneris comites, (ut etiam cum Mercurio Venerem conjungere ſolebant) & Suadelam cum Venere coluiſſe: quo ſignificabant Amorem, ſive bonum, ſive etiam malum, ſermone & eloquentia maxime conciliari.

Dea conſolandi.

Huic addi poteſt Dea conſolandi, quam cum Pytho factam fuiſſe à Praxitele Pauſanias teſtatur, quæ παρήγορος, id eſt, *conſolatrix* dicta & in Attica poſita fuerit.

Dii ſilentii apud Ethnicos.

Porro ut dicendi, loquendi, perſuadendi & conſolandi; ſic ſilendi atque tacendi Deos atque Deas finxerunt, Harpocratem videlicet & Angeroniam ſive Angeronam (unde *Angeronalia*) Mutam & Tacitam. Harpocratis Apulejus, Martianus lib. 1. & 7. (ubi *puerum piceum* appellat) Tertullianus in *Apologetico*, Varro in libro *de lingua Latina*, Catullus, Artemidorus *onirocriticῶν*, Plinius & Caſſiodorus meminerunt. Non deſunt inter ſcriptores, qui hunc Deum *Sigaleona* vocari exiſtimant ab Auſonio, illo verſu:

Aut tua Sigaleon Ægyptius oſcula ſignet.

& à Lucano hoc verſu:

Veſtraque Sigaleon Ægyptius ora reſignet:

Fuit enim Ægyptiorum Deus, ex Iſide & Oſiride natus, cujus ſimulachrum fingebatur digito labris admoto: παρὰ τοῦ σιγᾷν καὶ λεώς, à *ſilendo & populo* dictus, quod ſcilicet populis ſilentium indicat.

De reliquis ſilentii Deabus ac Numinibus nempe Angeronia ſive Angerona, Tacita & Muta, vide Gyraldum & Verderium.

Deus verus ſilentii atque tacendi Deus apud Chriſtianos.

Nos vero Chriſtiani, ut bene dicendi; ita bene ſilendi atque tacendi, quæ non minor eſt virtus, magiſtrum optimum ac ſolum agnoſcimus Deum. *Tempus eſt tacendi & loquendi*, inquit Eccleſiaſtes cap 3. *Tacebit vir prudens*, inquit Ben Syrach. *Linguam & os hominis Prophetæ Deus moderatur.* Exod. 4. *Linguam eruditam dedit mihi Dominus, ut ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo.* Jeſa. 50. *Linguas gubernare Domini eſt*, inquit Solomon in *Proverbiis*: quas proinde non Mercurio, ut etiam reliquas corporis noſtri partes, ſed ſoli Deo conſecrare debemus, eumque precari, ut eas cum reprimendi, coërcendi & refrænandi, tum iis bene ac recte utendi facultatem largiatur.

Actionum Dii generales.

Ut autem orationis; ita actionum quoque in genere quarumvis, certa quædam Numina finxerunt Ethnici, quæ nimirum homines ad bene, gnaviter, feliciterque agendum excitarent atque ſollicitarent: ſive rebus agendis præeſſent. Hujuſmodi Dii ac Deæ generales quidem fuerunt Genius, Agonius Deus, & Agenoria Dea, ab *agendo* ſic dicti: unde *Agonalia* feſta; quod homines ad agendum inſtigarent. Talis fuit & Dea Horta, quæ ſimiliter, ut Antiſtius Labeo tradidit, ab *hortando* dicta, ad honeſtas actiones exhortabatur & incitabat (unde forſan vernaculum noſtrum hurtig / id eſt, *agilis*, *alacer*, *promptus*, eſt deductum.) Hæc etiam *Stimula* fuit appellata, ultra modum ad agendum ſtimulans: itemque *Hora*, ἀπὸ τοῦ ὁρᾷν, id eſt, à *videndo*, ut Deam providentiæ, ſeu res inſpicientem ſignificet. Plutarchus in *quæſtionibus Romanis*, quæſtione quadrageſima quinta, *An Horta ea ſit, quam nunc Horam dicunt, quæ obſervet omnia, & ſollicita ſit de omnibus, nunquam ab ea res humanas negligi tradit: unde nec ejus ædem claudi ſolitam; eâ ſcilicet de cauſſâ, quod homines ſemper ad præclari aliquid agendum hortaretur & à ceſſando dehortaretur.* Hanc Romuli uxorem fuiſſe, cum viveret, & Herſiliam dictam volunt, ut teſtatur idem Plutarchus.

Talis agendarum rerum Dea ac præſes fuit Muræa, cujus ſacra apud Romanos in uſu fuerunt, & Strenua, ſive Strenia, ſi codicibus antiquis credendum eſt; & præſertim Varroni, *de lingua Latinâ* ſic ſcribenti: *Hinc oritur caput ſacræ viæ, ab Streniæ ſacello.* Porro à *ſtrenue agendo* ſic denominabatur, teſte Auguſtino in libris *de Civitate*.

Actionum ſingularum Dii.

Singularum deinde actionum quoque Dii certi ac Deæ fuerunt: ut rerum petendarum Peta Dea: rerum dijudicandarum Dea Dice: profectionum, peregrinationum, viarum & itinerum Mercurius (ideo Ερμεῦς dictus ſive *Hermes* ab Hebræa voce רמס, *Ramas, calcavit, iter fecit:*) Hecate: Sancius: Lares viales: Feſſonia Dea, quod feſſos ex itinere recrearet (ſicut contrà Sylvanus vulgò quieſcentes invadere ac pondere ſuo preſſos gravare credebatur:) Eanus, ab *eundo*: Panda Dea, a *pandenda* ſeu aperienda via: Adeona & Abeona quod *adeundi & abeundi* facultatem præſtarent: Vibilia, quod ab erroribus viarum liberaret; cujus meminit Arnobius lib. 4. Atque hi quidem actionum Dii ac Deæ fuerant præcipuæ.

Dii ac Deæ Quietis.

Commode his videntur ſubjungi poſſe, ceu actionibus è diametro repugnantes, Dii ac Deæ, Deus Somnus, Dea Quies, Dea Murcea, ſive Murcia, quod homines murcidos, languidos & ignavos faceret, Dea Vacuna, à *vacando* dicta, quæ ocioſis & vacantibus præeſſet.

IV. Numina Nuptiarum & Matrimonii.

SEQVITVR nunc quartus vitæ humanæ actus, nempe NVPTIÆ, & MATRIMONIVM. Horum igitur quoque plurimi apud Ethnicos fuerunt Dii ac Deæ: inter quas præcipua fuit Juno; quæ idcirco γαμηλία, ſive *Nuptialis* à *nuptiis*, *Juga* à *ſubjugando*, *Interduca* & *Domiduca*, à domum novam nuptam ducendo, *Cinxia*, quod initio conjugii cingulum ſolveret, *Socigena*, quod nubentes aſſociaret & copularet; *Populonia* vel *Populone*, quod ex nuptiis populi procrearentur, aliiſque nominibus fuit appellata.

Talia Numina fuerunt Venus, ceu amoris virorum ac mulierum, ut Plutarchus ſcribit, mutua effectrix, ob voluptatem, corporibus ſimul commiſcens ac colliquefaciens animos: Cupido, ejus filius: Hymenæus: Thalaſſius ſive Thalaſſio: Virginenſis Dea, quæ adhibebatur, cum virgini ſponſæ Zona ſolveretur: Razenna Dea ab Etruſcis culta in Nuptialibus: Tellumon: Ruſona: Subigus Deus pater, qui adhibebatur, ut

virgo

virgo à viro fubigeretur: Prema Dea mater, quæ culta, ne fubacta viro, cum premeretur, fe commoveret: Jugatinus Deus, qui cultus, cum mas & fœmina conjungebantur; vel quod ipfe conjuges conjungeret: Domitius Deus, ut in domo effet nova nupta: Manturna Dea, ut illa cum viro maneret, nec ab eo avelleretur.

His adde Deam Lydorum Anaitin; cujus minifterio dedicabant præftantes nobilitate puellas, quæ corporis pudicitiâ, in vulgus datâ, velut auguftiores factæ, mox viris nubebant. Adde & Deam Viriplacam, viris placandis præpofitam, quando odio à mulieribus diffiderent. Nam, ut Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. fcribit, *Quoties inter virum & uxorem aliquid jurgii interceſſerat, in facellum Deæ Viriplacæ, quod erat in palatio, veniebant: & ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum depoſitâ, concordes revertebantur.* Digniffimum fane conjugio facrum inftitutum. Adde denique & Picumnum, Pilumnum, Volumnum ac Volumnam, à *volendo* fic appellatos, qui præftabant, ut conjuges bona vellent & bene ac feliciter conjungerentur: quibus omnibus Diis ac Deabus nuptialibus & matrimonialibus non incommode addideris Amorem; quem Cicero lib. 3. *de Natura Deorum*, Erebo & Nocte natum, Ætheris ac Diei fratrem fuiffe fcribit: qui ceu vinculum eft matrimonii: unde à Pontano *Socialis* & *Fœcundus*: ab Ovidio *Socius*: à Valerio Maximo *Concors*: à Caftello *Zelotypus*, id eft, formæ vel alieni amoris æmulus, quod frequentiffimum eft in matrimonio vitium: à Campano *Genialis* ac *Dionæus*, ab epitheto Veneris Dionææ, quæ matrimonii præcipua Dea eft habita, fuit appellatus. Libet vero huic loco annectere elegantiffimam Georgii Buchanani defcriptionem Amoris, quæ in Epigrammatis illius exftat:

Quis puer ales? Amor. Genitor quis? Blandus ocelli
Ardor. Quo natus tempore? Vere novo.
Quis locus excepit? Generoſi pectoris aula.
Quæ nutrix? Primo flore juventa decens.
Quo nutrit victu? Illecebris, vultuque modeſto.
Qui comites? Levitas, otia, luxus, opes.
Cur puero belli ſemper furioſa cupido?
Impellunt avidæ ſpes, trepidique metus.
Non metuit mortem? Non. Quare? Sæpe renaſci,
Sæpe mori decies hunc brevis hora videt.

Poftremo & Laribus familiaribus pro fauftis nuptiis fupplicare folitum, docet ille Plauti Euclio in *Aulularia*;

Nunc tuſculum emi, & haſce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco noſtro Lari
Ut fortunatas faciat Natæ nuptias.

Quoniam autem nuptiarum & matrimonii effectus eft partus, naturali ordine hoc quoque loco de parturientium & infantium Diis effet dicendum. Sed quoniam fupra de iis in actu vitæ humanæ primo & fecundo, nempe Nativitatis & Nutritionis fuit dictum, nolumus hîc deditâ operâ eorum catalogum repetere.

Porro ad Matrimonium five conjugium referri quoque poffunt Dii domeftici & familiares, ut Mania Dea, quæ horum omnium mater fuit, Genii, Penates, Lares, & fingularum partium domus cuftodes. De Penatibus, quos dictos dicit Ifidorus ideo, quod effent in penetralibus, id eft, in fecretis, exftat illud Comici Poetæ: Dii domeftici & familiares. Penates.

---- Dii Penates,
Vobis mando meum parentem, rem bene ut tutemini.

Hinc Tutelares & Patrii funt dicti. Virgilius:

Quem ſecum patrios ajunt portare Penates.

Ac Diis connubialibus adnumerantur in illo Pontani:

Pax colitur, coliturque thorus, caſtique Penates.

Idem judicium efto de Laribus quos etiam domum tutari credebant: unde & *Tutelares* & *Præſtites* fuerunt appellati; ob quam caufam & caninis pellibus amicti, & canis iis præpofitus fuit, quia iftud animal domus magnam curam gerat. *Hoſtilii* ideo etiam dicti funt, quod à domo hoftes eos arcere credebant. De Laribus ædium cuftodibus qui plura defiderat; videat Lambinum in prologum *Aulularia* Plauti, ubi Lar familiaris fic loquens introducitur: Lares.

Ne quis miretur qui ſim, paucis eloquar.
Ego Lar ſum familiaris, ex hac familia:
Vnde exeuntem me aſpexiſtis: hanc domum
Jam multos annos eſt cum poſſideo & colo.

Feftus: *Laneæ effigies compitalibus noctu dabantur: quod Lares, quorum is erat dies feſtus, animæ putabantur eſſe hominum, redactæ in numerum Deorum.* De Laribus Vialibus, qui peregrinantes tuebantur, dictum eft fupra. De his ille apud Plautum fic loquitur:

---- In

- - - - Invoco
Vos Lares Viales, ut me bene juvetis.

Dii ædium sive domorum.

Quod attinet ad domos, vel ædes ipsas; iis quidem in genere præfuit Ædiculus Deus: quod vero ad singulas earum partes, liminibus primum præfecerunt Deum Limentinum, ut ea custodiret. Deinde Portis Portulum, ne ipsis dormientibus eas quisquam auferret: foribus Forulum, sive Forculum: cardinibus Cardeam vel Cardineam sive Carnam Deam, quæ ut canit Ovidius lib. 6. *Fastorum*, ab Jano compressa, prius *Grane* nuncupata, clausa aperiret, aperta clauderet: (quo pertinet Empanda Dea, quæ patentibus foribus præerat) & fornacibus Fornacem Deam (unde *Fornacalia*, feriæ institutæ farris torrendi gratia: quod ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat) focis Lateranum Deum, à *lateribus*, è quibus foci construebantur: arcis & capsis Arculum Deum, qui tutelam gereret arcarum: scopis, ut domum possent verrere, Deverram Deam. His addi possunt Dii & Deæ Ancillarum, quæ scopis utuntur, dicti *Anculi & Anculæ*, ab antiquo verbo *Anculare*, quod est *servire & ministrare*. Hactenus de quarto actu.

Dii ancillarum.

V. Numina Mortis.

VLTIMUS & postremus vitæ humanæ actus, ejus clausula atque terminus est MORS. Hujus Numen & Dea fuit Morta; culta quidem olim à Lacedæmoniis & Hispanis: apud quos utrosque templa illi dicata atque consecrata fuerunt: potissimum vero in urbe Gaderæ Hispanorum: cui addi possunt Parcæ, quasi minime parcentes, alio nomine *Fata* dictæ: unde *Deæ fatales*; quarum officia à Poëtis vulgò sic distinguuntur, ut velint unam esse, quæ vitam hominis ordiatur, aliam quæ contexat, tertiam quæ filum rumpat, ac finiat. Has igitur quoque unâ cum Morte ceu Deas coluerunt & venerati sunt Ethnici.

Dii funerum, & exsequiarum.

His addendum Funus & Exsequiæ, quibus certa quoque Numina præposuerunt: ut Deam Libitinam, Epitymbiam, Næniam; cujus sacellum extra portam Viminalem fuit dedicatum. Hinc *Nænia*, teste Festo, est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam; quam quidam ideo volunt dictam, quod verisimilior querimonia fluentium sit.

Dii mortuorum.

Porro & post mortem coluerunt homines sub certis Numinibus: itemque animas & cadavera illorum. De quo cultu hominum jam mortuorum Cicero lib. 2. *de Natura Deorum* sic scribit: *Quid absurdius*, inquit, *quam aut res sordidas atque deformes, Deorum honore afficere: aut homines, jam morte deletos, reponere in Deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu?*

Dii inferorum.

Pertinent hûc Dii inferi, ut Manes, Sumanus, qui & Orcus & Plutus sive Pluto, Cerberus, Cocytus, Phlegeton, Charon, Acheron, Minos, Æacus, Rhadamantus, Dæmones, Eudæmones, Cacodæmones, Lemures, Incubi, Succubi & alii: item Deæ inferæ, Styx, Furiæ, Eumenides, Hesperides, Proserpina, Megæra, Chimera, Tisiphone, Clotho, Lachesis, Atropos aliæque innumerabiles; quas divinis honoribus affecerunt & coluerunt, de quibus Cicero lib. 3. *de Natura Deorum*: *Illos, qui fluere apud Inferos dicuntur, Acherontem, Cocytum, Stygem, Phlegetontem, Deos putarunt.* Et alibi: *Charon, Cerberus, Orcus Dii fuerunt habiti.* Item eodem tertio libro de *Natura Deorum*: *Ætheris & Diei fratres à genealogiis antiquis sic nominati sunt, amor, dolus, metus, labor, invidentia, fatum, senectus, morbus, tenebræ, miseria, querela, gratia, fraus, pertinacia, Parcæ, Hesperides, somnia, quos omnes Erebo & Nocte natos ferunt.* Ac de Manibus quidem Diis ita Festus: *Manes Dii*, inquit, *ab auguribus vocabantur, quod eos per omnia manare credebant, eosque superos atque inferos dicebant.* Idem: *Manes pro bonis accipiuntur à suppliciter venerantibus propter metum mortis.* Isidorus: *Manes dicunt Deos mortuorum, quorum potestatem inter lunam & terram asserunt: à quibus & mane dictum existimant; quos putant ab aëre, qui manus, id est, rarus est,* Manes *dictos*: *sive quia late manant per auras: sive quia mites sunt in* manibus, *contrario nomine hoc appellantur.* Apulejus autem ait eos κατ' ἀντίφρασιν dici *Manes*, hoc est, mites ac modestos, cum sint terribiles & immanes: ut Parcas, ut Eumenides; &c.

Manes.

Summanus Deus.

Summanum vero dixerunt, quasi *summum Manium*, omnia rapientem ac devorantem; quippe sub cuius potestate consistat omnis Aëris à Luna diffusio, רקיע *Rakia* Hebræis. Inde verbum *Summanare* finxit Plautus, pro *auferre & rapere*. Hinc Curculio, parasitus apud Plautum, *Summanum se ab omnibus vocari dicit, quod ad exemplum Summani Dei, omnia, quæ incidant, rapiat.* Simili fere notatione Hebræi שאול, *Scheol*, vel שאולה *Scheolah*, Orcum sive infernum dixerunt à שאל *postulavit, petiit*, tanquam infernus semper petat: juxta illud *Proverb.* 30. *Tria sunt insatiabilia: sepulchrum vel infernus, vulva occlusa, & terra quæ non satiatur aquis*; cujus nominis etymon etiam Lactantius reddidisse videtur hoc versu:

Inferus insatiabiliter cava guttura pandit.

Orcus.

Orcum porro ab *urgendo* mortem dixerunt (Antiqui enim pro G frequenter ponebant C) Isidorus vero eum quasi receptorem mortium vocat: unde & *Orca* nuncupatur vas, quod recipit aquas. Et quia mortem, cujus Numen fuit Orcus, quies sequitur, *Orcus Quietalus*, sive *Quietalis* fuit nuncupatus. Notationes reliquorum Deorum ac Dearum hujus classis qui scire volet, videat Gyraldum, Verderium & alios, qui de his ex professo scripserunt.

Dea Senectus.

Atque ita actibus vitæ humanæ cunctis certa Numina, Deos ac Deas præfecerunt olim Gentiles. Referendæ hûc sunt ætates, Senectus & Juventa; quæ cum ipsæ pro Deabus habitæ fuerunt, tum sub certis Numinibus cultæ. Senectuti quondam templa dicarunt & consecrarunt Lacedæmonii & Hispani, in Gaderæ urbe: Juventa vero alio nomine *Hebe*, dicta, sive juventas, quod Ludoico Vivi & Carolo Sigonio magis placet, inquit Augustinus libro quarto *de Civitate*, capite undecimo, & alibi, Dea est, quæ post prætextam excipit juvenilis ætatis exordia. Hanc Romani à Servio Tullio usque in Capitolio coluerunt. Quare cum Tarquinius templum Jovi Capitolino extruere vellet, & propterea omnium aliorum Deorum, qui in Capitolio cole-

Dea juventus.

colebantur, templa exauguraret, Terminus & Juventas cedere noluerunt, quod Romani in omen traxerunt, fore, ut nunquam termini Urbis moverentur, nec unquam juvenilis vigor deeſſet. Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 5. Auguſtinus *de Civitate Dei*, lib. 6. cap. 1. *Juventas Dea cum Termino Jovi noluit concedere in Capitolio condendo*, Livius lib. 5. extremo. Ludos etiam hujus ædis dedicandæ cauſsâ factos; & quidem cum majore religione, quod novum cum Antiocho bellum tum inſtaret, author eſt idem Livius.

Atque hæc quidem dicta ſint de Diis & Numinibus Gentilium naturalibus, quæ nihil ſunt aliud, quàm res naturales, à Deo creatæ atque conditæ, quas Mortales Dei Creatoris loco habuerunt atque coluerunt; qui cultus non inepte, meo judicio, ratione ſubjecti, idololatria ſeu ſuperſtitio naturalis dici poteſt.

Horum autem omnium Deorum naturalium deſcriptio atque cultus, cum generalis, tum ſpecialis ſingulorum, his fere conſtat locis, qui quidem ſinguli diligenter accurateque conſiderati totidem ſunt argumenta, quæ cum ad Deorum iſtorum οὐδενίαν, id eſt, *nullitatem*, ſeu futilitatem, tum ad eorum, qui illos coluerunt, ſtoliditatem atque dementiam demonſtrandam pertinent.

I. Nomina, & elogia Deorum.

Primus locus ſunt nomina, cognomina, agnomina, tituli, epitheta, elogia, eaque duplicia: primum generalia omnium Deorum, deinde ſpecialia ſingulorum. Generalia nomina omnium Deorum Latina, Græca, Hebræa, Germanica; Latina quidem, ut *Deus*, *Dii*, ſive *Dei*, ſeu *Divi*, *Numen* ſive *Numina*: Græca θεός, θεοί: item variæ & multiplices nominum iſtorum notationes. Hebræa אלהים, *Ælohim*, בעל, *Baal*, & בעלים *Baalim*: Germanica Gott / Götter / Abgott / Götz / Götzen. Nomina ſpecialia ſingulorum Deorum, quæ ex affectibus, opinionibus & erroribus hominum fuerunt profecta: ubi obſervandum, eos nomina & attributa, ſoli verò Deo convenientia & propria, ad fictos ſuos Deos exprimendum eſſe mutuatos, ſeu potius ſuffuratos. Sic, ut ex innumeris, unum tantum exemplum proferam, *Jehova*, veri Dei nomen propriiſſimum & eſſentiale, ad fictum illum ſuum Deum, Deorum principem, quem *Jovem* vocant, tranſtulerunt. Nominibus vero iſtis, Deorum ſuorum naturalium vim, naturam, vires, actiones, munera & officia alia atque alia, quæ iis affinxerunt, exprimere fuerunt conati. Ex Gentilibus tamen quidam Deos absque nominibus coluerunt, quos Deos ἀνωνύμους & ἀγνώστους, *ignotos* ſeu *incognitos* vocarunt, ut apud Athenienſes, quorum Paulus meminit *Actorum* 17. & Pelaſgos. De his Cicero lib. 1. *de Natura Deorum*: *Chryſippus*, inquit, *magnam turbam congregavit ignotorum Deorum, atque ita ignotorum, ut eos conjecturâ quidem informare poſſimus, cum mens noſtra quidvis videatur poſſe depingere.* E contra alii Deos multis, variis ac multiplicibus nominibus coluerunt, qui πολυώνυμοι dicebantur: quos utrosque & ἀνωνύμους & πολυωνύμους Theodoretus vocat ψευδωνύμους, tanquam indignos Dei veri nomine, quibus nomina divina magnifica & auguſta, quæ illis tribuebantur, nequaquam conveniebant. Nam quod Latinis Deorum ſuorum princeps *Jupiter* à *juvando*, quaſi *juvans pater*, à Græcis Ζεὺς à Ζῶ, ſeu *vivendo*, ab Aſſyris, & Chaldæis בעל, *Baal*, id eſt, *dominus*, *patronus* ac *maritus*, aliisque nominibus fuit appellatus, ut ἐπικούριος, σωτὴρ, *Opitulus*, *Opitulator*, *Servator*, *Conſervator*; hæc omnia nomina non Diis illis fictis, ſed ſoli vero Deo ſunt propria.

II. Numerus Deorum.

Secundus locus eſt Numerus, isque rurſus duplex: Primo univerſalis omnium Deorum, qui fuit innumerabilis pene ac infinitus, qualis arenarum maris, pulveris terræ, ac ſtellarum cœli. Hîc tamen obſervandum, quoſdam nullum omnino voluiſſe Deum aut Numen eſſe, inter quos fuerunt quidam Philoſophi clari & celebres; de quo genere hominum Theodoretus: *Non athei ſolum*, inquit, *qui Deum eſſe negant, ſed etiam Homerus, Heſiodus, Philoſophi, qui multos Deorum ordines fabulati ſunt*: ex quibus triginta millia Deorum numerat Heſiodus; de quo quidem numero quam variæ & monſtroſæ fuerint hominum opiniones, Plinius copioſe enumerat libro ſuæ hiſtoriæ ſecundo, capite ſeptimo. Qui vero præter unum Deum plures ſtatuerunt Deos, eorum nonnulli certum finxerunt Deorum numerum: alii vero, & quidem plerique Deos finxerunt innumeros. Jam vero ſingulorum quoque Deorum numerus varius fuit & multiplex. Sic trecentos Joves ſeu Jupitros à Marco Varrone enumeratos eſſe teſtatur Tertullianus: Cicero tamen non niſi tres enumerat, ſicuti & totidem Dioſcuros, novem Muſas, plures Vulcanos, Apollines, Dionyſios, Minervas, Veneres, Junones, Mercurios, Bacchos, Æſculapios, & alios.

III. Sexus Deorum.

Tertius locus eſt Sexus. Deorum alios finxerunt maſculos, ſive mares: alios fœminas. Quinimmo in plerisque ſexus fuit anceps, maſculus ſimul & fœmineus, ut Lunus, Luna, Tellumon, Tellus, & alii.

IV. Ortus ſeu nativitas Deorum.

Quartus locus hujus proſopographiæ Deorum, eſt illorum Ortus, ſive Nativitas. Quo referendi parentes, genus, familia, patria, ſive locus natalis, tempus, modus. Deorum enim quidam habuerunt tantum patrem, ut Minerva, ex capite Jovis nata: quidam tantum matrem, ut Vulcanus ex Junone procreatus, ſine patre. Quorundam plures parentes fuerunt, ut Jovem primum & ſecundum natos in Arcadia finxerunt; alterum quidem patre Æthere, ex quo etiam Proſerpinam natam ferunt & Liberum; alterum vero patre Cœlo, qui genuiſſe Minervam dicitur, quam principem & inventricem belli ferunt; tertium Cretenſem Saturni filium, cujus in illa inſula ſepulcrum oſtenditur. Idem autem judicium eſto de patria.

V. Ætas Deorum.

Quintus locus eſt Ætas. Plinius lib. 2. cap. 7. *Matrimonia quidem*, inquit, *inter Deos credi, tantoque ævo ex his neminem naſci, & alios eſſe grandævos, ſemperque canos; alios juvenes atque pueros, atri coloris, aligeros, claudos, ovo æditos, & alternis diebus viventes morientesque, puerilium prope deliramentorum eſt.* Cicero lib. 3. *de Natura Deorum*: *Gelo, Carthaginenſium tyrannus, Æſculapii Epidaurii barbam auream demi juſſit: neque enim convenire barbatum eſſe filium, cum in omnibus fanis pater imberbis eſſet.* Lactantius poſtquam longâ oratione multisque argumentis priſcorum Deos homines fuiſſe, qui poſt mortem in Divos eſſent relati, probaverat, ſubjungit eos ideo diverſæ fuiſſe ætatis, alios nempe pueros, alios adoleſcentes, aliosque ſenes, aliis demum aliam, eis propriam, ſtatuam poſitam, ut ætas habitusque referretur, in quibus morientes ſunt reperti.

6. Educatio Deorum.

Sextus locus est Educatio sive Nutritio singulorum Deorum, de qua similiter multæ exstant fabellæ aniles ac monstrosæ; quas hîc enumerare non est necesse. Summa enim tantum singulorum capita perstringere animus est.

7. Matrimonium vel Cœlibatus Deorum.

Septimus locus est Matrimonium vel Cœlibatus. Deorum enim suorum Ethnici alios finxerunt cœlibes ac virgines, alios matrimonio junctos. *Matrimonia quidem*, inquit Plinius libro supra citato, secundo, capite septimo, *credi inter Deos, tantoque ævo ex his neminem nasci, puerilium prope deliramentorum est.* Huc referendæ Deorum libidines, adulteria, amores; quos singulis certos attribuerunt. Hinc tot amasii, amasiæ, & liberi illorum. Hinc pulli Jovis, de quibus fabulæ exstant, aliaque id genus prope infinita. Plinius ibidem: *Sed super omnem impudentiam*, inquit, *adulteria inter ipsos fingi, mox jurgia atque odia, atque etiam furtorum esse & scelerum Numina.* Cicero lib. I. *de Natura Deorum: Poetæ & ira inflammatos & libidine furentes induxerunt Deos, feceruntque ut eorum bella, pugnas, prælia, ortus, vulnera videremus, odia præterea, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesque ex immortali procreatos.* Pertinent huc Deæ meretrices, Flora, & aliæ plurimæ.

8. Sedes Deorum.

Octavus locus est Sedes atque Domicilium. Singulis enim Diis certas affinxerunt sedes, domicilia atque habitationes. Hinc alios finxerunt superos, alios inferos, alios æthereos, alios aëreos, alios terrestres, alios maritimos, alios subterraneos & infernos.

9. Munus & officium Deorum.

Nonus locus est, Munus, Officium, Imperium, Dominatus, Potestas, seu Tyrannis potius, varia & multiplex. Singulis enim Diis certa assignarunt officia, munera sive munia, imperia, potestates. Item uni Deo atque Deæ multa attribuerunt munera, de quibus infinitum esset dicere. Sic enim, exempli gratia, Minervam & belli & artium disciplinarumque omnium fecerunt Deam, Iunonem finxerunt Deam Aëris, Terræ, parturientium, &c. Hinc secundum diversa illa munia diversa illis imposuerunt nomina atque cognomina.

10. Actiones & res gestæ Deorum.

Decimus locus sunt Actiones, resque gestæ cum bonæ & laudabiles, tum etiam malæ, impiæ & improbæ, nempe vitia, scelera atque flagitia plurima, quæ Diis atque Numinibus istis suis commentitiis tribuerunt. Observandum igitur non solum propter virtutes & actiones laudabiles, verum etiam propter vitia & malefacta, homines inter Divos retulisse sua Numina, ut passim ex illorum historiis atque fabulis colligi potest.

11. Casus varii Deorum.

Undecimus locus sunt plurimi Deorum istorum commenticiorum Casus, cum prosperi, & secundi, tum infelices & adversi, de quibus utrisque similiter legi possunt Ethnicorum historiæ atque fabulæ.

12. Mors & sepultura Deorum.

Duodecimus locus est Mors, sepultura, monumenta atque sepulchra: de quibus quam diversæ & monstrosæ fuerint opiniones & errores, colligere promtum est ex Ethnicorum scriptis.

13. Idola & simulacra Deorum.

Decimus tertius locus, qui ad cultum Deorum potissimum spectat, sicut & reliqui sequentes quinque, continet Idola, simulacra, imagines, effigies: statuas, quæ etiam signa appellantur: quæ quidem sæpissime pro Diis ipsis, quorum fuerunt sepulcra & simulacra, tanquam ipsi essent Dii, vel certe Dii in illis essent præsentes, habita fuerunt atque culta. In his ipsis autem simulacris considerentur eorum effector, seu fabricator, materia, forma, finis. Materia simulacrorum antiquissima, maximeque communis fuit lignum: de quo quidem deinceps; cum de Diis artificialibus agemus. Forma Deorum istorum varia fuit & multiplex, vel humana, vel belluina, vel mixta, & composita ex homine & bellua: ut, exempli gratia, Panis imago constabat ex capro & homine. Ad formam pertinent Cornua diversa; ut Bacchi taurina, Iovis arietina, &c. Coronæ diversæ; ut quernæ Iovis, oleaginæ Minervæ, &c. Animalia varia singulis Diis dicata, ut turtur Harpocrati, fulica Mercurio, &c. Plantæ & arbores certæ, singulis Diis dicatæ; ut Myrtus Veneri, quercus Iovi, &c. Insignia & instrumenta, ut arma, hastæ, virgæ, baculi, sceptra, &c. Vestes vel viles, vel pretiosæ, vel fœmineæ vel masculæ. Currus & quadrigæ variæ, in quibus considerantur animalia, à quibus fingebantur vehi, ut Dracones, à quibus Saturnus: aquilæ, à quibus Iuppiter: equi, à quibus Mars & Sol: corvi, à quibus Mercurius: turtures, à quibus Venus: homines, à quibus Luna vehebatur.

14. Ædes Deorum.

Decimus quartus locus sunt Ædes, Templa, Fana, Delubra, Sacella.

15. Aræ & altaria Deorum.

Decimus quintus sunt Aræ & Altaria, quæ in Deorum horum fictorum cultum fuerunt constructa.

16. Sacrificia Deorum.

Decimus sextus sunt sacrificia, libationes, anathemata, donaria, thus, suffitus & similia, quæ illis faciebant.

17. Ludi Deorum.

Decimus septimus Ludi.

Decimus octavus, Dies festi, festivitates, & solennitates. Hæc in genere de idololatria seu superstitione naturali.

De Numinibus artificialibus, quæ sunt idola.

SEQVVNTVR nunc Dii atque Numina artificialia, quæ nimirum hominum manu, arte atque opere constant: tametsi eorum materia est naturalis. Hæc sunt idola, simulachra, statuæ, imagines, effigies, & alia id genus, quæ ab Hebræis אלילים *Elilim*, id est, לא אלים *lo Elim*, *non Dii*, id est, creaturæ & vanitates: à Græcis χειροποιητὰ & χειροκμητὰ: passim vero sacris in litteris *Opera manuum humanarum*: à Lactantio, qui acerrimus εἰκονομάχος, id est, imaginum & idolorum oppugnator fuit, *digitorum mortalium ludicra & fragilia fragmenta*, appellantur, hoc est, manibus humanis effecta & elaborata. Vnde idem libro secundo, capite secundo; *Quid igitur potestatis*, inquit, *habere possunt simulacra, quæ fuerunt in homunculi potestate, vel ut aliud fierent, vel ut omnino non fierent.* Horum autem cultus & veneratio propriè idololatria appellatur, voce composita ab εἴδωλον, id est, *simulachrum, species, figura*, & λατρεία, id est, *cultus* sive *veneratio*: quam quidem *idololatriam artificialem*, sive *manuariam*, respectu scilicet subjecti, licet appellare.

Prior

Prior idololatriæ ſpecies primo Decalogi præcepto: altera ſecundo prohibetur; & in libro *Sapientiæ* capite decimo tertio, prioris primo fit mentio; poſterioris ſecundo loco: ac ibidem poſteriorem docet magis eſſe ἄτοπον ἢ ἄλογον, id eſt, *abſurdam* & *à ratione alienam*. In promptu ratio eſt; quia nimirum à ratione magis abhorrent opera humana, ut ſunt idola atque ſimulacra, quam opera divina, ſive opera digitorum & manuum divinarum: cujuſmodi ſunt, omnes res naturales Deorum loco habere ac divinis afficere honoribus. Res enim naturales, quæ quidem ſenſu atque motu, ac inprimis ratione & intelligentia ſunt prææditæ, longe propius ad Dei ſimilitudinem & imaginem accedunt, & clariores illuſtrioreſque longe ſunt imagines & ſimulacra, quam res quævis vel artificioſiſſimæ, quæ exquiſitiſſimo opere, ſummo artificio ſummaque arte ſunt perfectæ; cum illa inanimata ſint atque muta, omnique non ſolum ratione atque intelligentia, ſed etiam ſenſu motuque careant.

De his ipſis autem Gentilium imaginibus atque ſimulacris duo extant libri. Unus Vincentii Chartarii, Italicus: alter Antonii Verderii, qui eum Latine reddidit, Latinus; iique tam eleganter & tam accurate, ut nihil fere eis addi poſſe videatur, ad quorum lectionem quosvis ejus rei ſtudioſos remitto. Sed tamen, ne omnino nihil hac in parte, quæ toti huic meo inſtituto eſt accommodata, egiſſe videar, breviter & ſummatim quædam, quæ fuſe copioſeque in ſacris litteris continentur & explicantur, hîc proponere & cum iis, quæ apud profanos ſcriptores exſtant, quantum fieri poteſt, conferre eſt animus.

Qui de Nominibus artificialibus ſcripſerint.

Etſi vero paſſim in ſacris, veteris præſertim, Teſtamenti libris idolorum, imaginum, ſimulachrorumque creberrima occurrit mentio: tamen duæ inprimis luculentæ copioſæque eorum deſcriptiones extant. Una quidem capite decimo tertio & decimo quarto libri, qui inſcribitur *Sapientia Salomonis*; cujus ſupra quoque meminimus. Altera ſexto capite Baruchi, quæ vocatur Epiſtola Jeremiæ, ſcripta & miſſa ad Judæos, in ſervitutem Babyloniam abducendos, quâ illos graviſſime ab idolorum ſimulachrorumque Gentilium cultu dehortatur.

In ſacris litteris ubi de Numinibus artificialibus potiſſimum agatur.

Ad duo autem capita præcipua cum illæ allegatæ, tum aliæ, quæ exſtant in ſacris litteris, idolorum ſimulachrorumque deſcriptiones poſſunt referri. Unum ſunt ipſa idola ſive ſimulachra: Alterum eſt eorum cultus & veneratio: unde *Idololatria* ſuum habet nomen, utrumque ſimul complectens.

Porro idolorum ſimulachrorumque Gentilium vanitatem demonſtrant ſacræ litteræ, ſeu ipſe potius Spiritus Sanctus, illarum auctor, his fere argumentis; quorum alia ducta ſunt à nominibus eorumque notatione: alia à cauſſis: alia ab effectis.

Idolorum vanitatem demonſtrant eorum nomina.

Quantum ad eorum attinet nomina, & quidem Hebræa; in ſacris litteris vocantur, ut ſupra dictum, אלילים *Elilim*, id eſt, אל אלים *al Elim*, ſive לא אלהים *lo Aelohim*, *non Dii*, per transpoſitionem litteræ *Aleph*: quo ſenſu primo præcepto Decalogi אלהים אחרים *Ælohim acherim*, *Dii alieni*, id eſt, falſi, fucati, ficti, commentitii & adulterini: item Dii גוים *Goiim*, ſive *gentium alibi*, & à Davide Dæmonia appellantur. Pulchre hûc alludit Spiritus Sanctus Habac. 2. verba faciens de Idolis. *Et non Deus ipſe*; quod Chaldæus Paraphraſtes reddidit: *Et artifex fecit illum Deum, in quo nulla eſt utilitas*. Et LXX. ἢ αὐτὸ τέκτων ἐποίησε, ἢ οὐκ ἐστὶ θεός. Sic enim diſtinguitur Deus verus à factis fictiſque illis Diis: qui recte appellantur *Alieni*; quia alieni ſunt à Dei naturâ, nihilque habent divinitatis, & nomine tantum ſunt Dii (ut Rex pictus nihil habet præter colores Regis) in quibus non modo nullum eſt Numen, ſed ne ſenſus quidem, aut motus, aut vis ulla, aut efficacia. Deinde quia indigni ſunt, qui colantur, alieni ſunt à vera pietate, ac bonis moribus, *Exod.* 20. *Deuteron.* 30. 2. *Reg.* 17. Sic אלהי הנכר *Ælohe hannecar*, *Dii peregrini*, & *alienigenæ* eandem ob cauſam dicuntur *Geneſ.* 35. v. 2. quos Jacob removeri jubet & ad ſe in Sichem allatos defodit ſub quercu. Docet autem ſæpe Spiritus Sanctus abſurdum & ab omni ratione eſſe alienum, opus manuum humanarum, animâ, ſenſu motuque carens Deum appellare, eique illud ἀκοινώνητον Dei nomen tribuere: ut legimus capite ſupra citato 14. *Sapientiæ Salomonis*.

Nomina Hebræa Idolorum אלילים

Idem docent alia nomina Hebræa, quibus ſacris in litteris appellantur; cujuſmodi ab illorum vel formâ atque ſpecie: vel vanitate atque effectis pernicioſis ſumuntur. Hujuſmodi eſt vox פסל *Pæſal*, id eſt, *ſculptile*, idolum dedolatum ex ligno vel lapide *Exod.* 20. *Iſa.* 40. & 44. *Jere.* 10. a פסל, *Paſal*, *dedolavit*, *exſculpſit*: vel à פסיל *Peſil*, quod eſt *falſum*, *profanum*, *veritati contrarium*: cujuſmodi ſunt idola, res vanæ, inanes, falſæ & mendaces. פסל

Talis vox, idolorum vanitatem & οὐδενίαν, ſive *nullitatem* arguens, eſt נסך *Næſach*, ſignificans idolum, quod ex auro, argento, aut aliis metallis eſt conflatum à נסך *Naſach*, *conflavit*, *fudit*. Significat etiam imaginem lapideam, aut ligneam, auro & argento ornatam. Nam vox נסך *Næſach*, etiam auri vel argenti laminam, quales viſuntur in idolis, ſignificat. Hinc Rabbi David Kimchi *Ornamenti idolorum* vertit eo loco Eſaiæ 44. נסך

Similis vox eſt יצר *Jezar*, figmentum: à יצאר *Jazar*, *figuram rebus induxit*: quod verbum & *anguſtiam* ſignificans, docet, idola hominibus maximas anguſtias, anxietates & moleſtias creare. יצר

Huc pertinet vox תאר *Thoar*, *forma*, ſeu *figura*, eodem Eſaiæ loco, tam de ſculptis, quam de pictis, atque etiam de animi idolis, quæ ſolo affectu, ſine externa imagine concipiuntur, & uſurpantur: item vox תפארת *Tiphæræth*, *effigies* ab ornatu & decore ſic dicta: item vox דמות, *ſimilitudo*, rem aliam repræſentans: idem quod תמונה *Themunah*, *forma* videlicet & figura alterius rei: qualis eſt & vox מצבה *Mazzebah*, *ſtatua*, lapis erectus in monumentum, à ſtando ſive ſtatuendo, ſic dictus, quemadmodum etiam ipſum Latinum *Statua*, quam Græci illo loco *Levit.* 26. *Et ſtatuam non figetis*, vertunt ἀνδριάντα, id eſt, *viri imaginem*. תאר תפארת דמות תמונה מצבה

שקר Præterea à vanitate sua, idola sive simulacra, appellantur שקר *Scheker*: quæ vox *mendacium* & vanitatem
הבל און vanissimam significat: cujusmodi voces sunt vox הבל *Hebel* & און *Aven*: unde Bethel sæpe בית-און, id est, *domus vanitatis* diditur ob idololatriam, illic fieri solitam.

רוחות Appellantur idola etiam רוחות *Ruchoth*, *Venti*, à flatu, qui cito evanescit: & Paulus idolum dicit esse *Nihil*, id est, rem nihili faciendam. Hinc Isaiæ 41. sic legimus: *Ecce vos estis* מאין *Meain*, *de nihilo*, *& opus vestrum*
אין *est* מאפע *Mеapha*, id est *de nihilo*: ubi idola & opera illorum dicuntur אין *Ain*, vel *En*, id est, *res* non existentes in rerum natura. Hinc *Sapientiæ* 13. capite, homines ipsi propter idolorum simulachrorumque cultum μάταιοι, id est, *vani* appellantur. Μάταιον autem, id est *vanum*, dici videtur quasi μὰ, sive μὴ ὂν, *non existens*. Recte igitur & vere idola à vanitate & nihilo suum nomen habent, propterea quod & nihili sunt atque vana, & vanitatis sunt caussæ, & ad nihilum tandem rediguntur.

Sed, ut adhuc magis intelligamus, idola atque simulacra Gentium non modo fuisse & esse res vanas, inanes, mendaces, fallaces, futiles & inutiles, verum etiam abominandas, exsecrandas, fœdas, turpes, noxias
גללים & perniciosas, illa etiam גללים *Gelalim*, id est, *stercora & excrementa*, 2. *Reg.* 17. & שקוצים *Schikuzim*, id
שקוצים est, *abominationes* appellantur, 1. *Reg.* 11. propterea quod res erant turpes, fœdæ & exsecrabiles in conspectu Dei, hominesque qui ea colebant, reddebant Deo exosos, invisos & exsecrabiles.

עצבים His adde vocem עצבים *Azzabim*, quæ in sacris litteris trita valde est & usitata, præsertim Psal. 106. & 135. *Idola gentium aurum & argentum*, &c. Sic dicta à עצב *Azab*, *sauciavit*, *contristavit*, *dolore affecit*: eo quod maximis laboribus atque doloribus idolorum cultores conficiuntur & excruciantur: quodque iis & animi & corporis, & cum temporales, tum æternos dolores atque cruciatus conciliant. Quid si etiam dicta sint à עץ *Ez*, id est, *ligno*, propterea quod antiquissima maximeque communia Gentium idola atque simulachra ex ligno fuerunt: de quo postea pluribus.

תרפים Adde his postremo vocem תרפים *Theraphim*, quorum *Genes*. 13. 1. Samuel. 19. *Jud.* 17. & 18. 2. *Reg.* 23. & Hos. 13. fit mentio: quæ vox in plurali numero vel in genere quævis simulacra; vel certum simulacrorum genus denotat: cujus variæ notationes afferuntur. Quidam sic volunt dici à רפא *Rapha*, *dimisit*, *remisit*; idque vel quod in loco ubi posita sunt, sive domi, sive in templo, dimittantur, nec alio facile transferantur: vel, quod, qui ea consulebant, secundum illorum responsa vel quid continuabant, vel omittebant. Quid si potius ita dicta fuerint, quod illa essent dimittenda, rejicienda & missa facienda: vel, quod suos cultores rebus in arduis atque periculis dimittebant seu deserebant, omni ope auxilioque suo destitutos: vel denique quod cultores suos reddebant remissos, languidos & pigros? Quid si etiam *Theraphim* dicti, quasi *Seraphim*: quod nomen est Angelorum? Inde forsan vox Græca τέρας, τέρατος, *monstrum*, *prodigium*, est derivata.

Alii *Theraphim* sic volunt dicta idola à רפא *Rapha*, *sanavit*, *medicinam adhibuit*, forsan quia morborum aliorumque malorum remedia ab ipsis petere, sperare & exspectare homines solebant. LXX. vocant *Theraphim* ἀποφθεγγομένους: quos Chaldæus Paraphrastes *simulacrorum cultores* reddit. Aben-Ezra vult statuas & simulacra fuisse magica, sive instrumenta astrologica & divinatoria, ita facta, ut astrorum observatione responsa & oracula reddere possent. Et hæc de nominibus idolorum Gentilium Hebræis, quibus ipsorum vana, futilis, inanis, turpis, noxia & perniciosa, exsecranda denique & abominanda natura demonstratur.

Nomina Græca Idolorum. Εἴδωλον. Nomina Græca secundum & linguæ ipsius copiam, & Gentis Græcæ flagrantissimum olim superstitionis studium, sunt innumera; maxime tamen trita & communia hæc sunt:

Εἴδωλον, si Tertulliano in libro *de Idololatria* de hac voce differenti credimus, diminutivum est, & dicitur ἀπὸ τοῦ εἴδους, quæ formam speciemque rei viventis vel mortuæ, veræ vel falsæ significat. Nihil enim refert. Nam ipsa rei repræsentatio significatur hoc verbo: non veritas aut vita. Ex vocis etymologia, etiam ipso Cicerone auctore & interprete libro primo *de finibus bonorum & malorum*, εἴδωλον est *imago*. Εἴδωλα vocantur nonnunquam imagines & phantasmata, in cœlo apparentia, ac statim è conspectu evanescentia, tanquam instabilia parumque firma. Latine *Idolum* passim pro *simulacro* usurpatur. Sic *Idolum Cereris* Plinius vocat *simulacrum* libro trigesimo quarto, capite quarto. Et Vitruvius itidem *Dianæ Idolum* vocat *simulacrum*, libro secundo, capite undecimo. Et ita Lactantius Firmianus omnia gentilia Idola vocat *simulacra* à *simulando* dicta. Hieronymus in Isaiæ Prophetæ caput undecimum ait, *Idola imagines esse mortuorum.* Et
Εἰδώλιον. in sacris litteris, ubi Græci habent εἴδωλα, Latinus interpres habet *simulacra.* Εἰδώλιον etiam pro effigie ac-
Εἰδωλεῖον. cipitur: & Εἰδωλεῖον pro templo, sive fano, in quo profanum Idolum est positum & colitur. Εἰδωλόθυτον
Εἰδωλόθυτον. Εἰδωλολάτρης. est illud, quod Idolis immolatur. Εἰδωλολάτρης, is qui Idola seu simulacra colit, & Εἰδωλολατρεία Idolorum, seu simulacrorum cultus.

Εἰδωλολατρεία. Εἰκὼν, εἴκασμα, &c. Εἰκόνες, εἰκάσματα, & ἀπεικάσματα similiter appellantur imagines & simulacra. Item Ξόανα, ἀγάλματα, ἕδη. Ἕδη θεῶν Baysius pro ἀγάλματα, id est, *signa* vel *sigilla* Deorum interpretatur. Ἕδος etiam sedem, pavimentum, solum & templum significat: forsan sic & templa & simulacra Gentilium dicta ab *edendo* (Nam ἐδὸς, accentu in ultima, *voracem* significat) quod in templis & Idolorum suorum cultu gulæ indulgebant.

Βρέτας. Βρέτας etiam simulacrum Græce dicitur ἀπὸ τοῦ βροτῷ ἐοικέναι, *quod Mortalium speciem habent*, teste Suida. Ξόανον, εἴδωλον & ἀνδριάντα Ammonius sic distinguit, quod ξόανον proprie sit signum, sive statua, quæ Heroibus erigitur: εἴδωλον, quæ Diis: ἀνδριὰς, quæ Regibus, tanquam maxime viris. Quicquid sit, ξόανον ἀπὸ τοῦ ξέειν, id est, *à poliendo*, & *sculpendo* sive *scalpendo* videtur derivari: unde proprie est simulacrum sculptile.

Ἀγάλ-

Αγάλματα, id eſt, *ſtatuæ*, imagines ſive ſimulachra Græce videntur dici ἀπὸ τοῦ ἀγάλλεσθαι ἐπὶ χαίρειν, propterea quod homines illis valde lætantur & delectantur, ea jactant, iis gloriantur & exultant. Hoc enim ſignificat verbum ἀγάλλεσθαι, quaſi ἄλλεσθαι, id eſt, *nimis, præ lætitia exilire & exultare*, auffſpringen von frewde: quale eſt Hebræorum גול גל vel גיל *Gol*, *Gal* vel *Gail*, à quo Græcum illud ſine dubio eſt ortum, & Germanicum geilen / *laſcivire* præ gaudio, & geil / *laſcivus*.

Nomina Latina Idolorum.

Latina vocabula, quibus artificialia & manuaria iſta Gentium Numina exprimuntur, ſunt *Idolum* (quæ vox licet ſit Græca, tamen pro Latina etiam uſurpatur) quâ non inepte ac per jocum dixerimus, *Idola* ſic dicta, quod *doli* ſunt, atque doloris pleniſſima.

Idolum.

Simulacrum.

Simulacra dicta ſunt à *ſimulando*, ſive *ſimulatione*, quæ vox deceptionem ſive circumventionem ſignificat. Cicero ad Lentulum libro primo: *A quibus tuendus fuerat, derelictus, idque non ſolum fronte atque vultu, quibus ſimulatio faciliime ſuſtinetur.* Idem in 3. Verrina: *Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quam hæ, quæ latent in ſimulatione officii, aut in aliquo neceſſitudinis nomine.* Vel dicta ſunt à *ſimilitudine*. Ac recte ſane vel à *ſimilitudine*, & à *ſimulatione*, vel etiam, ſi vis, à *ſimultate* ſunt dicta, propterea quod non vera ſunt, ſed ficta, ſimulata atque fucata: unde Lactantius libro ſecundo, capite ſecundo; *Cum ſimulacrum à ſimilitudine nomen habeat, non poſſunt ſimulata, quæ nihil ſentiunt, nec moventur, Deo ſimilia judicari.* A *ſimultate* etiam ea poſſumus derivare, eo quod ſimultatem & inimicitiam inter Deum & homines gignunt. Huc illud Pauli ſecunda Corinthiorum ſexto, verſu decimo quinto: *Quod enim conſortium juſtitiæ cum iniquitate? Et quæ communio Luci cum tenebris? Et quæ concordia Chriſto cum Belial? Aut quæ portio fideli cum infideli? Et quæ conſenſio templo Dei cum ſimulacris?*

Porro *imaginis* quoque nomine inſigniuntur: quæ vox vel ab *imitatione*, ut Feſto videtur, quia *imago* eſt rei alicujus imitatio; vel à voce Græca μιμήματος, eſt dicta.

Imago.

Effigies quinetiam dicuntur, vel *effigia*. (Utrunque enim dicitur, & *effigies* & *effigia*, ut Nonius Marcellus annotat ex Afranio Vopiſco) ab *effingendo*: ſicut *ſigna* & *ſigilla* à *ſignificando*. Ergo ut Hebræa, ita Græca & Latina nomina Idolorum ſive ſimulacrorum, vanitatis, ſimulationis, mendacii ſunt ſymbola.

Effigies.

Nomina Germanica Idolorum, Götz.

Germani duo habent præcipua nomina, quibus idola & ſimulacra exprimunt. Unum eſt Götz / quod in malam ſemper partem accipitur, derivatum à Gott / Deo, quaſi dicas, Dei imago ſive ſimulacrum, ſive *Deaſter*, Deus fictus & imaginarius: quod vocabulum & pro homine ſtupido atque ſtolido, qui nimirum ſimilis idolo ſive ſimulacro inanimato, omnis ſenſus rationiſque experti, & ölgötz / pro homine inſignis ſtultitiæ ſtupiditatiſque accipitur, qui etiam truncus, ſtipes, lapis (unde antiquitus ſimulacra maxima ex parte fiebant) metaphoricῶs nuncupatur.

Bild & bildnuß.

Alterum nomen eſt bild & bildnuß / quod bonam & malam in partem accipitur, & imaginem ſignificat. Hoc non inepte quis deduceret à *Belo*, quod primum ſimulacrum fuiſſe, & à Nino patre poſitum: unde ſimulacrorum origo fuerit, antiqui ſcriptores teſtantur: niſi quis ab *Idolo*, per metatheſin litterarum, præpoſita litterâ B mallit derivare. Hæc de nominibus Idolorum & ſimulacrorum.

Idolorum vanitatem demonſtrant eorum etiam cauſſæ.

Deinde idolorum ſimulacrorumque Gentilium vanitas à ſancto ſpiritu demonſtratur, argumentis ductis ab illorum cauſſis. Ac primo quidem ab illorum origine, inventione, cauſſis efficientibus, cum primariis, tum ſecundariis.

Origo & inventores idolorum.

Quantum ad originem & inventores primos idolorum ſimulacrorumque attinet; variæ de iis fuerunt Ethnicorum opiniones. Alii enim ad Prometheum inventum hoc retulerunt: alii ad Herculem: Latini ad Janum, qui primus in Italia templa, altaria, ſimulacra, ſacrorumque ritus inſtituerit. Græci ad Pelaſgos: Hi ad Theſeum, idolorum & idololatriæ originem referunt. Quidam Telchines apud Rhodum Deorum ſtatuas primum feciſſe volunt: nonnulli Hetruſcos, ſeu Tyrrhenos prædicant. Alii Cadmo, Agenoris filio apud Græcos id tribuerunt. Sunt, qui Armodii & Ariſtogitonis primas ſtatuas poſitas prodant, quod Athenas tyrannidis jugo liberaſſent. Alii Ægyptios idolorum ſimulachrorumque primos inventores atque cultores faciunt. Plerique tamen ſcriptorum Ethnicorum in hoc videntur conſentire, idola eorumque cultum univerſum, qui idololatria appellatur, unâ cum Philoſophia & artibus atque diſciplinis liberalibus, ab Ægyptiis ad Græcos: à Græcis ad Romanos: à Romanis denique ad reliquas gentes omnes promanâſſe. Mihi quidem omnino, quæ quatuor illarum Monarchiarum ſive Imperiorum Mundi generalium, eadem Idololatriæ videtur fuiſſe ſucceſſio & propagatio, ita ut ab Aſſyriis & Chaldæis, ad Medos & Perſas: ab his ad Græcos: à Græcis ad Romanos; & inde ad omnes reliquas gentes atque nationes profluxerit.

Primi Patriarchæ Eccleſiæ caruerunt idolis.

Primigeniam vero illam ſanctorum Patriarcharum Eccleſiam ante & poſt Diluvium, idolorum ſimulachrorumque uſu cultuque caruiſſe vel inde conſtat, quod nulla illorum in ſacris litteris plane fit mentio; niſi uno tantum in loco Geneſeos trigeſimo primo capite: ubi Rachel Deos patris ſui Labani, qui Syrus fuit, clam, inſcio & ignorante Jacobo ſuffurata fuiſſe dicitur. Is igitur, ut eo libro, trigeſimo quinto capite ſcriptum eſt, profecturus in Bethel, familiæ ſuæ præcepit, ut omnes Deos peregrinos, id eſt, idola atque ſimulacra Deorum alienorum, ſibi afferrent, quos ſtatim in Sichem terrâ obruit. Ex hoc ipſo igitur loco conſtat, Jacobum ab idolis ſimulacriſque iſtis, ex Syria furtim à Rachele (ut ſemper mulieres inprimis ad idololatriam ſunt propenſæ) allatis, abhorruiſſe, & idcirco, tanquam pium religioſumque patrem familiâs illa non humo ſolum, ſed etiam perpetua oblivione voluiſſe obruta eſſe atque ſepulta.

Patriarcharum tamen posteri sese idolorum cultu, præter datam legem, polluerunt.

Postquam vero ſanctiſſimorum illorum Patriarcharum ſoboles atque propago, hoc eſt, Hebræi ſive Judæi ex diuturna funeſtaque illa ſervitute Ægyptiacâ in libertatem à Deo fuerunt vindicati, ab eodem illis omni idolorum ſimulacrorumque uſu cultuque, lege illâ in monte Sinai lata ac promulgata, diſerte fuit interdictum: qui tamen & ſtatim & poteſt divinam illam liberationem in ipſo deſerto, ut ſacræ teſtantur hiſtoriæ, & poſtquam in terram illam promiſſam fuerunt introducti, ſæpiſſime ſeſe idolorum ſimulacrorumque Gentilium cultu, contra expreſſam Dei legem, ejuſque interpretes atque doctores, ſacerdotes nimirum atque Prophetas, polluerunt atque contaminarunt; & idcirco crebras graveſque pœnas juſto Dei judicio luerunt, ut ex ſacris litteris ſatis ſuperque conſtat.

Non igitur ab antiquiſſima & primigeniâ illâ Eccleſia populoque Dei, ſed à reliquis gentibus atque nationibus, à quibus Deus populum illum ſuum peculiarem ſemper voluit eſſe ſejunctum & ſeparatum, idola iſta atque ſimulachra profecta ſunt: & idcirco paſſim in ſacris litteris Dii alieni, peregrini, gentium, aliiſque nominibus appellantur, à quibus Deus ſemper voluit populum ſuum eſſe alienum.

Idololatriæ omnis cauſa generalis eſt vanitas hominum Deique ignoratio.

Sapiens ille in illo ſuo *Sapientiæ* libro capite decimo tertio, Idololatriæ originem pariter & incrementum ſatis perſpicue tradit. Ac ab initio quidem illius capitis, mentione facta & naturalis & artificialis idololatriæ, utriuſque cauſſam generalem docet eſſe hominum vanitatem, verique Dei ignorationem, quæ ipſis à naturâ ſit inſita. Sic enim exorditur: Μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν θεοῦ ἀγνωσία, hoc eſt, *Vani etenim ſunt naturâ omnes homines: quibus ineſt Dei ignoratio.* Hanc igitur ille primam & generalem omnis idololatriæ, qua res naturales, ſive qua artificiales, id eſt, idola & ſimulacra coluntur, affirmavit eſſe.

Idololatriæ cauſſa ſpecialis eſt perverſus effectus erga mortuos & abſentes.

Deinde vero capite decimo quarto, verſu decimo quinto ſpecialem idolorum ſive imaginum cauſſam refert ad nimium & inordinatum hominum affectum, amorem ac deſiderium erga defunctos. Sic enim loquitur: Αὤρῳ γὰρ πένθει τρυχόμενος πατὴρ τοῦ ταχέως ἀφαιρεθέντος τέκνου εἰκόνα ποιήσας τὸν τότε νεκρὸν ἄνθρωπον, νῦν ὡς θεὸν ἐτίμησε, καὶ παρέδωκε τοῖς ὑποχειρίοις μυστήρια καὶ τελετάς. εἶτ' ἐν χρόνῳ κρατυνθὲν τὸ ἀσεβὲς ἔθος, ὡς νόμος, ἐφυλάχθη, καὶ τυράννων ἐπιταγαῖς ἐθρησκεύετο τὰ γλυπτά. id eſt, *Intempeſtivo enim luctu vexatus pater, cito rapti filii imaginem faciens, tunc mortuum hominem, nunc ut Deum coluit, & tradidit ſubditis myſteria & ſacrificia. Deinde in tempore quæ invaluerat impia conſuetudo, tanquam lex cuſtodita eſt, & Regum imperiis colebantur ſculpta.*

Diophantis factum notabile.

His conſentanee Diophantes Lacedæmonius, qui *Antiquitatum* libros quatuordecim ſcripſit, Syrophanem ait Ægyptium, hominem locupletiſſimum, filio ſuperſtite, ejus deſiderio ſimulacrum domi ſtatuiſſe, ad quod familiares, ſi quando in Domini iram & offenſionem incidiſſent, confugerent, illudque floribus, coronis, ſertiſque ornantes, ſic Domini iram placarent & veniam conſequerentur. Sic Adrianus Imperator ſuum Antinoum defunctum ſculpi juſſit, & divinis ornari honoribus. Sic Semiramis quoque illa Aſſyriorum Regina Belum, maritum ſuum mortuum, erectâ ejus ſtatuâ, lugeri & pro Deo coli voluit. Hanc quoque ſcriptores profani tradunt pro inſana ſua ambitione ad montem Mediæ, Bagiſthenem nomine, ſuam in petra effigiem decem & ſeptem ſtadiorum inſculpi juſſiſſe: quam Centum viri, tanquam ſacerdotes, donis, muneribus atque ſacris nonnullis aſſidue venerantur.

Adriani factum.
Semiramidis factum.

Idololatriæ progreſſus & incrementum.
1 Mos fabricandi idola.
2 Edicta tyrannorum.

Addit porro Sapiens ad Idololatriæ iſtius progreſſum incrementumque ſignificandum, morem hunc atque conſuetudinem ſimulacra fabricandi atque colendi temporis progreſſu ita invaluiſſe, ut legis vim obtinuerit. Sic enim dixit: εἶτ' ἐν χρόνῳ κρατυνθὲν τὸ ἀσεβὲς ἔθος, ὡς νόμος ἐφυλάχθη, &c. *Deinde aucta corroborataque illa impia conſuetudo tanquam lex fuit obſervata.* Acceſſerunt porro & tyrannorum de idolis faciendis colendiſque edicta atque mandata: acceſſit vulgi & imperitæ multitudinis adulatio, qui Reges & Principes ſuos, longo locorum intervallo à ſe disjunctos, cum coram colere non poſſent, coluerunt eos abſentes, tanquam σέβασμα, id eſt, *Numen quoddam*, per imagines nimirum & ſimulachra, quæ ipſis fieri curarunt. Sic paſſim in Romano imperio erectæ ſtatuæ & imagines à provincialibus tum metu ſupplicii, tum ſtudio adulandi.

3. Artificum avaritia & ambitio.

Huc poſtremo acceſſit ipſorum artificum (adde his ſacerdotes) φιλοτιμία; id eſt, *ambitio:* immo & φιλαργυρία, id eſt, *argenti quæſtuque cupiditas*: quæ Idololatriam iſtam valde auxerunt & amplificârunt. Hæc Sapiens hic, ſive is fuerit Salomon, ſive quis alius, ſapientiſſime ſane litteris memoriæque prodidit, de idolorum, ſimulacrorum & imaginum, atque adeo Idololatriæ origine, progreſſu, incrementis atque cauſſis: quæ ſunt, ut paucis eas complectar, naturalis hominis vanitas, Deique ignoratio, perverſus inordinatuſque erga defunctos & abſentes affectus atque deſiderium, mos & conſuetudo diuturna, tyrannorum leges & edicta, vulgi adulatio, artificum ambitio atque avaritia. His adde, quod eodem in libro idola κενοδοξίᾳ, id eſt, *vana hominum opinione* in Mundum dicit fuiſſe introducta: non fuiſſe ab initio: non eſſe antiqua: & finem habitura triſtem ac funeſtum.

4. κενοδοξία hominum.

Idolorum duæ primariæ cauſſæ 1. Homo. 2. Satan.

Primariæ igitur idolorum ſimulacrorumque Gentilium cauſſæ ſunt cum Homo, unde *Inventa hominum* appellantur: tum Satan; cujus inſtinctu afflatuque homines illa & fabricarunt & coluerunt. Sic Scholaſtici Theologi hominem Idololatriæ cauſſam *Diſpoſitivam*; Diabolum vero *Completivam* vocant. Ac Diabolus quidem ſtatim ab initio per ſerpentem, animal callidiſſimum, tanquam per imaginem & ſimulacrum quoddam, ſeſe in primorum noſtrorum parentum gratiam inſinuavit, iis fucum fecit atque impoſuit, ita ut inde quoque idolorum ſimulacrorumque origo repetenda eſſe videatur. Unde Theodoretus Sermone ſeptimo de ſacrificiis, Scom. ſeptimo ad Græcos infideles: *Simulacra*, inquit, *Satan curavit fieri in uſum eorum, qui litterarum ſunt expertes, ut iis ad ſuperſtitionem incitarentur.*

Et

Et certe gravis ac nefaria fuit illa primorum noſtrorum parentum idololatria, qui ſerpentem illum aſtutiſſimum, arborem illam ſpecioſiſſimam, ejuſque fructum, denique ipſius Diaboli, qui per ſerpentem illum, tanquam per os organumque ſuum locutus eſt, blandiſſima mendaciſſimaque verba, tanquam idola, ſimulacra Deosque alienos, ipſi Deo vero, cœli terræque creatori, patri ac domino ſuo beneficentiſſimo ejuſque præceptis atque mandatis veriſſimis ac ſaluberrimis longe antepoſuerunt; atque ita, ut Paulus loquitur, creaturam, præterito neglectoque Creatore, coluerunt atque venerati ſunt.

Hominis primi idololatria graviſſima.

Sæpenumero præterea Sanctus Spiritus in ſacris litteris, argumento ducto ab idolorum ſimulacrorumque fabris, lignariis, ferrariis, aliiſque artificibus, illorum vanitatem, hominumque ea colentium dementiam arguit: cum illa artificibus ſuis, qui homines ſunt mortales, æqualia ſint atque adeo longe inferiora; & ipſi cum artifices atque fabri, tum cultores idolis ſint ſimiles, ut ex Iſaiæ capitibus 40. 44. & 46. item ex Pſal. 115. Jeremiæ 6. Baruchi 6. Habacuci 6. & aliis ex locis conſtat. Cum igitur idolorum ſimulacrorumque fabri & artifices homines ſint nihili, mortales & caduci, & qui tandem confundentur, ut in locis paullo ante citatis ſcribitur, inde conſtat ipſa quoque idola & ſimulacra res eſſe nihili, vanas, futiles, fragiles & caducas.

Idolorum vanitatem demonſtrant etiam eorum fabri & artifices.

Hanc vero idolorum ſimulacrorumque vanitatem Lactantius eodem hoc argumento demonſtrat, his verbis: *Quæ igitur amentia eſt, aut ea fingere, quæ ipſi poſtmodum timeant, aut timere, quæ finxerint?* Et paulo poſt: *Nec intelligunt homines ineptiſſimi, ſi ſentire ſimulacra & moveri poſſent, ultro adoratura fuiſſent homines, à quibus ſunt expolita, quæ eſſent aut incultus, aut horridus lapis: aut materia informis & rudis, niſi fuiſſent ab hominibus formata. Homo igitur illorum quaſi parens putandus eſt, per cujus manus nata ſunt, per quem ſpeciem, figuram, pulchritudinem habere cœperunt. Etiam melior, qui fecit, quam illa, quæ facta ſunt. Et tamen factorem ipſum nemo ſuſpicit, aut veretur. Quæ fecit, timet, tanquam plus poſſit eſſe in opere, quam in opifice.* Recte igitur Seneca in libris moralibus, *Simulacra*, inquit, *Deorum venerantur, genu poſito illa adorant, illis per totum aſſident diem, aut aſtant, illis ſtipem jaciunt, victimas cædunt: & cum hæc tantopere ſuſpiciant, fabros, qui illa fecerunt, contemnunt. Quid inter ſe tam contrarium, quàm ſtatuarum deſpicere factorem, ſtatuam adorare, & eum ne in convictum quidem admittere, qui ſibi Deos faciat? Quam ergo vim, quam poteſtatem habere poſſunt, cum ipſe, qui fecit, illam non habeat: ſed ne hæc quidem dare his poterat, quæ habebat, videre, audire, loqui, moveri? Quiſquam ne igitur tam ineptus eſt, ut putet aliquid eſſe in ſimulacro Dei, in quo ne hominis quidem quicquam eſt, præter umbram?*

Lactantius de idolorum fabris.

Idem libro ſecundo, capitibus ſecundo, tertio, quarto, &c. citans illud Perſianum:

O curvæ in terras animæ, &c.

Plurimum exagitat extremam hominum dementiam, qui erecti & vultu & corpore ad contemplationem rerum cœleſtium à Deo conditi, ſe incurvant & abjiciunt ad terram, id eſt ſimulacra terrena, & lutea, quaſi doleant, ſe non quadrupedes natos.

Refutat idem eodem capite communem & uſitatam idololatrarum objectionem & excuſationem: *Non ipſa*, inquiunt, *timemus, ſed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus conſecrata ſunt* (Conſecratio hæc, ut obiter hoc addam, fiebat unctione olei. Unde Arnobius: *Quo pinguior, eo religioſior eſt lapis*) Reſpondet Lactantius: *Aut in cœlis ſunt veſtri Dii, aut non. Si non eſſent in cœlis, eos non coleretis. Quod ſi ſunt in cœlis, cur non in cœlos oculos tollitis, & advocatis eorum nominibus, in aperto ſacrificium celebratis? Cur ad parietes, & ligna, & lapides potiſſimum, quam illò ſpectatis, ubi eos eſſe credatis? Deinde ſimulacra*, inquit, *aut mortuorum, aut abſentium ſunt monumenta. Nam omnium fingendarum ſimilitudinum ratio idcirco ab hominibus inventa eſt, ut poſſet eorum memoria retineri, qui vel morte ſublati, vel abſentiâ fuerunt ſeparati. Ergo Dii veſtri aut mortui ſunt, cur ergo eos colitis? Aut ſunt vivi. Ergo ſupervacua ſunt hæc mortuorum monumenta. Item Dii veſtri aut ſunt abſentes, aut ſunt præſentes. Si ſunt abſentes. Ergo non ſunt colendi. Si nec vident, quæ facimus, nec audiunt, quæ precamur. Si ſunt ubique præſentes. Ergo ſupervacua ſunt ſimulacra.* Sed de his vide plura apud ipſum Lactantium. Et hæc de cauſis idolorum ſimulacrorumque efficientibus.

Sed cauſſæ quoque eorum materialis crebra mentione, Spiritus Sanctus ipſorum vanitatem comprobat. Materia autem eorum ſemper varia fuit & multiplex. Antiquiſſima maximeque communis materia eorum fuit lignum atque lapis, quæ idcirco in ſacris litteris ſæpe conjunguntur; ut Habac. ſecundo: *Væ illi, qui dicit ligno*, Expergiſcere; *&* Surge, *lapidi tacenti.* Sic Jeremiæ tertio capite ſcriptum legimus: *Mœchata eſt cum lapide & ligno.* Ligni creberrima in ſacris literis fit mentio, ut Iſaiæ quadrageſimo quarto, Hierem. decimo, Baruch. ſexto, & paſſim in omnibus fere illis ſacræ ſcripturæ locis, in quibus Idololatria taxatur. Sic & Plato ex ligno voluit eſſe Deorum ſimulacra. Pauſanias ſimiliter ſcribit, primis illis temporibus lignea fuiſſe apud Græcos ſimulacra; illa præſertim, quæ Ægyptii confeciſſent, Apud Romanos quoque lignea erant idola: unde ſigni lignei pervetuſti meminit Cicero Verrina ſexta, quod fuit Bonæ Fortunæ. Et Tibullus Deos Penates alloquens ſic libro primo Eleg. decima canit:

Idolorum vanitatem arguit & materia eorum.
1. Materia lignea idolorum.

Tibullus de materia lignea idolorum.

Neu pudeat priſco vos eſſe è ſtipite factos:
Sic veteris ſedes incoluiſtis avi.
Tunc melius coluere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus Æde Deus.
Et pacatus erat, ſi quis libaverat unum:
Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ.

Atque

Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat.
Postque comes purum filia parva favum.

Propertius. Sic Propertius de sua statua ita loquentem Vertumnum inducit:

Stipis acervus eram, properanti falce dolatus.
Ante Numam grata pauper in urbe Deus.

Plinius. Plinius *naturalis historiæ* libro trigesimo quarto, capite septimo: *Mirum mihi videtur*, inquit, *cum statuarum in Italia tam vetus origo sit, potius lignea aut fictilia Deorum simulacra in delubris dicata usque ad devictam Asiam: unde irrepsit & luxuria* &c.

Vide ibidem plura de antiquis statuariis, signis, statuis & colossis: itemque pretiis signorum immodicis.

Fabri lignarii idolorum ridentur a Spiritu S. Hinc Spiritus Sanctus merito irridet fabros lignarios, sive materiarios: peritos licet suæ artis & ingeniosos, qui cæsâ aliqua arbore ex uno eodemque ligno & vas aliquod sive instrumentum ad vitæ humanæ usum conficiunt, & ex reliqua ejus parte, quæ sit nodosa, tortuosa, incurva & inutilis, Deum, id est, idolum, sive simulacrum sculpunt, quod vel hominis vel bestiæ alicujus speciem referat, eique rubricâ aliâve materiâ colores addunt, omnesque ejus maculas abstergunt. Denique ejusdem ligni ἀποβλήμασι, sive resegminibus cibos coquunt.

Fabri lignarii ab Horatio quoque ridentur. Simili fere sarcasmo Horatius cum fabrorum lignariorum, tum idololatrarum stultitiam deridet, ubi Priapum, id est, ejus idolum per prosopopœiam his verbis loquens introducit:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum, Deus inde ego furum aviumque
Maxima formido, &c.

Plutarchus de materia lignea. Plutarchus quoque antiquissima apud Græcos & Romanos Deorum simulacra testatur fuisse lignea. Hinc simulacrum ligneum *Delubrum* etiam fuit dictum. *Delubrum*, inquit Festus, *dicebant fustem delibratum*, hoc est, *decorticatum, quem venerabantur pro Deo.*

Materia lignea singulis Diis fuit peculiaris. Nec tamen ex quovis ligno simulacra illa confecerunt, sed singulis Diis certa ligna erant destinata, secundum tritum illud dictum: *Non quovis ex ligno fingitur Mercurius.* Sic enim, exempli gratia, Venus ex myrto, Hercules ex populo, Jupiter ex quercu, Minerva ex olea, Mercurius ex buxo, Priapus ex ficulno fiebat. Plinius libro decimo quarto, capite secundo; *Jovis*, inquit, *simulacrum in urbe Populonia ex una conspicimus vite, tot ævis incorruptum. Item Massiliæ pateram. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis stetit. Etiamnum scalis tectum Ephesiæ Dianæ scanditur vite unâ Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam altitudinem exeunt. Nec est ligno ulli æternior natura.* Porro ex vitice (ut Pausanias refert) id est, frutice in fluminum ripis ac torrentum alveis nascente, & assurgente in arborem, quadam Laconiæ urbe, statua Æsculapii fuit efficta: unde is *Agnites*, à Græca viticis voce ἄγνος, fuit cognominatus, ceu ex vitice confectus. Idem auctor ait, se animadvertisse, has fere tantum arbores ad idola atque simulacra conficienda fuisse adhibitas, nempe ebenum, cupressum, cedrum, quercum, smilacem, buxum. His olivæ radicem in minoribus simulacris addit Theophrastus in libris de plantis. Mercurius etsi non ex quovis ligno, ut est in proverbio, fieret: præcipue tamen ex Thya, quam *Trogem* vocavit Homerus, fieri solebat. Epidaurii ut est apud Herodotum, duas statuas, secundum Apollinis Delphici oraculum atque responsum; unam Damiæ; alteram Auxesiæ, quæ erant Deæ illorum tutelares, ex olea non sylvestri posuerunt. In primo Junonis templo, quod erat Argis, simulacrum ex trunco pyri erat dedicatum. Romæ ubi Regina vocitabatur, duæ ejus erant ex cupresso effigies, quæ solenni pompa gestabantur, in illis sacris, quæ tunc primum fuerunt instituta, sicuti Livius refert, quando Annibal Italiam devastabat. Plinius libo 13. capite 1. de Syriæ arboribus verba faciens, *Cedri majoris*, inquit, *materia est æternitas. Itaque & simulacra Deorum ex ea factitaverunt.* Isaiæ 44. Cedri, ilicis & quercus mentionem facit Propheta, ex quibus nimirum Deorum signa confici sint solita.

2. Materia lapidea idolorum. Jam vero & lapideorum Deorum, id est, simulacrorum, passim apud sacros & profanos auctores fit mentio, quæ cum ex vulgaribus & vilibus, tum ex pretiosis lapidibus fiebant. Nonnulli ex atro lapillo Deum effingebant: quo significabant, eum ab oculorum acie penitus esse remotum. His adde, quod Pausanias in Achaiæ descriptione refert, in quadam ejus regionis parte triginta quadratos lapides extitisse; in quorum singulis singulorum Deorum nomen: absque tamen eorum effigie esset inscriptum, qui maximâ cum religione ab incolis custodirentur. Antiquum enim Græcorum erat institutum, hujusmodi lapidibus parem cultum, atque Deorum simulacris impertire.

3. Materia marmorea idolorum. Marmoreorum quoque simulachrorum sæpius apud auctores veteres fit mentio. Cicero pro domo sua: *Ejus simulacrum è marmore in sepulcro positum fuit.* Idem ad Atticum: *Ennius in sepulchro Scipionum putatur esse constitutus è marmore.* Idem sextâ Verrinâ: *Chrysas*, inquit, *est amnis, qui per Assorinorum agros fluit: is apud illos habetur Deus, & religione maximâ colitur. Fanum ejus est in agro, propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam. In eo est simulacrum, præclare factum ex marmore.* In eadem oratione meminit & Cupidinis signi marmorei, id est, ex marmore facti. Sed plura marmoreorum hujusmodi simulacrorum exempla recenset Plinius libro *Historiæ suæ naturalis* trigesimo sexto, capite quinto.

4. Materia eburnea idolorum. His adde signa atque simulacra Deorum eburnea, quæ & ipsa olim magno frequentique fuerunt in usu. Plinius lib. 8. cap. 10. *Dentibus* (elephantorum) *ingens pretium*, inquit, *& Deorum simulacris laudatissima ex*

ex eis materia. Et paulo post: *Magnitudo dentium in templis quidem videtur præcipua.* Idem libro 12. capite 1. *Ex arbore & simulacra Numinum fuere, nondum pretio excogitato beluarum cadaverum, antequam ut à Diis nato jure luxuriæ, eodem ebore Numinum ora spectarentur & mensarum pedes.* Plato tamen in libris *de Legibus*, ebur, tanquam ex animali mortuo sumtum, non dignum esse putat, ex quo Deorum statuæ conficiantur.

Jam vero ex argilla quoque & creta Deorum simulacra fingi fuisse solita, passim scriptores antiqui testantur. *5. Materia argillosa idolorum.*

Postremo ex omni metallorum genere, ut auro, argento, ære, ferro, chalybe, plumbo, stanno, idola Deorum fingi atque sculpi consuevisse, cum sacra, tum profana litterarum monumenta testantur; quorum pauca tantum quædam exempla atque testimonia proferam. *6. Materia metallaris idolorum.*

Aureorum & argenteorum simulacrorum passim sacræ & profanæ litteræ meminerunt; quæ metalla principem inter metalla locum obtinent. In sacris litteris notissimus est quibusvis, qui vel primoribus labris eas degustârunt, aureus ille deserti vitulus, à Judæis ingratis & perfidis statim post exitum ex Ægypto, absente Moyse, perversâ præposteraque Aaronis indulgentiâ, ad Apis nimirum illius Ægyptii imitationem, typum & figuram fabricatus. Notissimi quin etiam sunt duo illi vituli aurei, à Jeroboamo, Rege Israël, conflati, quorum unus in Bethele; alter in Dan, oppidis celeberrimis & famosissimis, ad cultum fuerunt collocati, plus nimirum quam vitulinæ Judæorum stupiditatis, lasciviæ atque petulantiæ testificandæ gratia. Sic David Propheta Ps. 115. simulacra gentium argentum & aurum, *opera manuum hominum*, appellat. *Aurea & argentea.*

Erant autem illa Gentilium sacra vel plane aurea & argentea, ex solido auro & argento: vel inargentata & inaurata; ut ex sacris & profanis litteris colligi potest. Plato tamen in libris ante citatis *de Legibus*, etiam aurum & argentum removet, ut quæ avaritiæ potius & ostentationis superbæ, quàm religionis sint argumenta & invitamenta. Auream statuam & solidam primus hominum, teste Plinio libro trigesimo tertio, capite quarto, sibi posuit Georgius Leontinus, Delphis in templo, Olympiade septuagesima. *Aurea solida, vel inaurata, &c.*

Æreorum similiter sive æneorum idolorum usum olim apud Gentiles fuisse frequentem passim sacræ & profanæ historiæ testantur. *Herculis simulacrum*, inquit Cicero in sexta Verrina, *ex ære in Herculis templo sancto & religioso est apud Agrigentinos.* Idem: *Ænea duo signa non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam, more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant: Canephoræ ipsæ vocabantur, Polycleti artificis opus.* Idem ibidem: *Simulacrum Dianæ ex ære apud Segestanos, tum summâ atque antiquissimâ præditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum, quod Verres sustulit.* Item eâdem oratione: *Matris magnæ fanum apud Enguinos fuit, in quo loricæ galeæque æneæ, cælatæ opere Corinthio, hydriæque grandes simili in genere, atque eadem arte perfectæ*, &c. Et primum Romæ simulacrum ex ære Cereri factum reperio, inquit Plinius libro trigesimo quarto, capite quarto, ex peculio Sp. Cassii, quem regnum affectantem pater ipsius interemerat. Transiit & ab Diis ad hominum statuas atque imagines multis modis. Antiqui pingebant eas bitumine; quo magis mirum est, placuisse auro integere. De statuarum origine, honore, generibus & figuris vide ibidem plura. *Proxima*, ut idem auctor testatur libro trigesimo quarto, capite primo, *dicantur æris metalla, & in usu proximum est pretium: immo vero ante argentum, ac pene etiam ante aurum Corinthium.* Idem capite secundo, *Antiquissima*, inquit, *æris gloria Deliaca fuit, mercatus in Delo concelebrante toto Orbe; & ideo cura officinis tricliniorum pedibus fulcrisque. Ibi prima nobilitas æris. Pervenit deinde ad Deûm simulacra effigiemque hominum & aliorum animalium*, &c. *Ærea vel ænea.*

Sed & simulacrorum ex ferro passim in antiquis monumentis occurrit mentio. Plinius libro eodem trigesimo quarto, cap. decimo quarto scribit, Dinocratem architectum Alexandriæ Achinoës templum ex magnete lapide concamerare inchoasse, ut in eo simulacrum ejus è ferro pendere in aëre videretur. Intercessit mors & ipsius & Ptolemæi, qui id sorori suæ jusserat fieri. De ferro, ferreis metallis, ferrique differentiis vide ibidem plura. Ferrum quoque Plato neutiquam putavit Deorum simulacris convenire, cum id belli sit sævitiæque instrumentum. *Ferrea.*

De plumbeis & stanneis simulacris, quæ videntur fuisse rariora, non opus est multa verba facere: de quo utroque metallo vide eundem Plinium, libro trigesimo quarto, capite decimo sexto & septimo. *Plumbea & stannea.*

Omnem autem fere hanc idolorum simulacrorumque materiam & Baruchi liber capite sexto, & Historia illa Danielis capite quinto complectitur: *Bibebant autem*, inquit, *& laudabant Deos suos aureos, & argenteos, & æreos, & ferreos, & ligneos, & lapideos.* Item illo Baruchi capite: *Lapidibus de montibus similes sunt Dii illorum*, id est, Babyloniorum, *& lignei, & lapidei, & aurei, & argentei.* *Materia metallaris idolorum in S. litteris expressa.*

Observandum autem Gentilium simulacra aliquando ex unâ tantum materiâ fuisse facta; aliquando, & quidem plerunque ex multiplici materia; qualis fuit illa statua, quæ divinitus Danieli in somno apparuit, quæque quatuor universalium Mundi Imperiorum sive Monarchiarum typus fuit & figura. Hac ipsâ autem simulacrorum imaginumque Gentilium materia, sive vili, sive etiam pretiosissima, quæ quidem omnis perpetuis mutationibus atque periculis, corruptioni denique & interitui est subjecta, Sanctus Spiritus probat, & Deos istos Gentilium artificiosos, id est, idola atque simulacra mutabilia esse ac corruptibilia, &, quod est consequens, homines desipere plane ac insanire, qui aliquid divinitatis illis inesse putant, ac vel boni quid ab illis sperantes, vel etiam mali quid ab iisdem metuentes, tanto studio ea colunt atque venerantur. *Idola vel una vel multiplici ex materia olim confecta.*

Porro de idolorum, simulacrorumque istorum variis; & quidem ridiculis plerisque, monstrosis, periculosis, turpissimis, fœdissimisque figuris atque formis, legat, qui volet, vel ad satietatem usque Chartarii & Verderii libros, qui omnis Deorum istorum idolorumque imagines, à vertice usque ad plantam pedis suis, ut ita loquar, depinxerunt coloribus. *De materia & figuris idolorum qui auctores legendi.*

Ex

Ex cultu idolorum impietas Gentilium apparet.

Ex his autem omnibus apparet, quam ridicula, quam turpis, quam monſtroſa fuerit Gentilium, idola venerantium, impietas. Quoniam autem nihil eſt tam extreme malum, cui non boni quid inſit, & ex quo non aliquid boni poſſit elici, obſervandum eſt, ex illis ipſis tam variis picturis, figuris, imaginibus atque ſimulacris Gentilium, multa partim Phyſica præcepta, ad rerum Phyſicarum ſeu naturalium vim atque naturam cognoſcendam utilia, partim vitæ morumque documenta peti poſſe, ut doctorum litteratorumque hominum allegoricæ, & cum Phyſicæ, tum Ethicæ, tum etiam Metaphyſicæ interpretationes & expoſitiones abunde ſatis docent. Idem de Gentilium quoque fictis fabulis, quas de Diis illis ſuis Poëtæ prodiderunt, dici poteſt. Atque ſic ex ſtercoribus, ut vulgo dicitur, legendum eſt aurum.

Fines quoque idolorum, arguunt eorum vanitatem.

Poſtremo quod de idolorum ſimulacrorumque iſtorum & cauſſis efficientibus, & materiâ, & formâ dictum, idem de finibus quoque, qui illorum fabris pariter atque cultoribus fuerunt propoſiti, dici poteſt, illos videlicet, non vanos modo fuiſſe atque futiles, ſed etiam funeſtos. Sperabant miſeri, ſe hoc pacto fictitiorum ſuorum Numinum & iram placare & gratiam ſibi conciliare & memoriam retinere poſſe: at illi contra in veri Dei graviſſimam iram atque furorem incurrerunt, omnemque fere ejus memoriam amiſerunt. Deinde pro dignitatibus & honoribus, pro divitiis & opibus, pro voluptatibus terrenis ac caducis, quas in illa idolorum & ſimulacrorum fabricatione ac veneratione ſpectârunt, ſe cœleſti & æternâ illâ gloria, divitiis ac voluptatibus privârunt, contraque perpetuam ſibi ignominiam, dedecus, inopiam atque miſeriam pepererunt.

Vanitas idolorum elucet ex ipſorum etiam effectis: quæ duplicia.

Quantum ad effecta denique idolorum, cultuſque eorum attinet, illa paſſim in ſacris litteris nobis, ad arguendam eorum vanitatem, proponuntur & inculcantur: quæ ſunt omnino duplicia; nempe Mala culpæ, id eſt, omnis generis peccata, ſcelera atque flagitia: & Mala pœnæ, ſive pœnalia, id eſt, omnis generis miſeriæ, & temporales & æternæ. Unde *Sapientiæ* libro, capite decimo tertio ſic ſcriptum legimus: Ἡ τῶν ἀνωνύμων εἰδώλων θρησκεία παντὸς ἀρχὴ κακοῦ, καὶ αἰτία, καὶ πέρας ἐστιν, hoc eſt, *Idolorum ſimulacrorumque veneratio omnis mali & initium & cauſſa & finis eſt.* Ibidem Idola & ſimulacra, ex creaturis Dei fabricata, vocat βδελύγματα, σκάνδαλα καὶ παγίδας, id eſt, *abominationes, hominumque ſcandala & laqueos*, ſive *tendicula.* Addit: ἀρχὴ γὰρ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων, εὕρεσις δὲ αὐτῶν φθορὰ ζωῆς; id eſt, *Initium enim ſcortationis idolorum excogitatio, eorumque inventio eſt corruptela vitæ.* Et, ut Paulus ad Romanos capite primo; ita Sapiens in hoc ſuo *Sapientiæ* libro longum catalogum texit teterrimorum quorumque ſcelerum atque flagitiorum, quæ ex idolis atque idololatria promanârunt, inter quæ primo loco recenſet τελετὰς τεκνοφόνους, κρύφια μυστήρια, ἐμμανεῖς κώμους, id eſt, *ſacrificia liberorum, myſteria clandeſtina, immanes & inſanas epulas*, ſive *commiſſationes*, &c.

Exitium idolorum & interitus

Denique huc referendum idolorum & idololatrarum exitium & interitus. Nam quod de vitulino illo idolo dicitur in ſacra ſcriptura, illud in fruſta, ſeu ſegmenta, ſive fragmenta (quidam *ſcintillas* interpretantur) ſcindendum eſſe, id de omnibus idolis ſeu ſimulacris eorumque cultoribus eſt intelligendum. Videlicet totum cultum ſive ſuperſtitionem idolorum aboleri, aſſulatim confringi, & quaſi in cineres tandem redigi: de quo plurima extant Prophetarum vaticinia, quæ Chriſti adventu in carnem, & Apoſtolorum temporibus potiſſimum ſuum exitum fuerunt ſortita. Unde Sanctus Auguſtinus libro vigeſimo *de Civitate Dei* capite decimo quarto, *Agamus igitur*, inquit, *nos Chriſtiani Domino Deo noſtro gratias: non Cœlo: non Terræ: ſicut iſti diſputant, ſed ei, qui fecit Cœlum & Terram, quod per altiſſimam Chriſti humilitatem, per Apoſtolorum prædicationem, per fidem Martyrum, pro veritate morientium & cum veritate viventium, non ſolum in cordibus religioſis, verum etiam in ædibus ſuperſtitioſis, liberâ ſuorum ſervitute, ſimulacra ſubverterit.*

De cultu idolorum ſive ſimulacrorum.

Venio nunc ad Deorum iſtorum artificialium, hoc eſt, idolorum ſimulacrorumque ἀψύχων, ſeu *inanimatorum* cultum, qui uno nomine *idololatria* à Græcis appellatur. Hic quam fuerit non ſolum impius, & exſecrandus, ſed etiam ridiculus, abſurdus & ab omni cum divina, tum humana ratione alieniſſimus, præter innumera alia ſacræ ſcripturæ teſtimonia, ille ipſe *Sapientiæ* liber, & illa Hieremiæ epiſtola, quæ Baruchi capite ſexto continetur, id locupletiſſime teſtantur. Fuit autem varia omnino ac multiplex iſta apud Gentiles idolorum ſimulacrorumque cultura: de qua ampliſſima ſane copioſiſſimaque ſeſe hîc offerret ſcribendi materia: ſed brevitati, quoad ejus fieri poteſt, ſtudebimus, nos intra illorum ipſorum ſcriptorum, quæ jam aliquoties allegavimus, quaſi terminos atque cancellos continentes, eaque, quæ in illis de ſimulacrorum cultu diſputantur, ad certa capita revocantes & exemplis quibuſdam atque teſtimoniis illuſtrantes.

I. Fabricatio idolorum.

Primum igitur cultus iſtius incultiſſimi, ut ita loquar, & inconſultiſſimi caput fuit ipſa idolorum ſimulacrorumque fabricatio, in qua Gentiles nullis fere pepercerunt vel laboribus, vel ſumtibus & impenſis. Dederunt enim operam, ut pretioſiſſima eſſet illorum materia & artificioſiſſima elegantiſſimaque illorum forma atque figura, quo nimirum illa plus auctoritatis haberent apud vulgus. Unde τέχνης ἐμμελέτημα vocatur Idolum *Sapientiæ* decimo tertio. Iſthinc autem uberrimus cum in ipſos artifices, atque fabros, tum in ſacerdotes redundabat fructus atque quæſtus. In ipſius quoque cum materiæ, tum formæ delectu curioſa, ut ſupra dixi, ſuperſtitioſaque habita fuit ratio atque cura, ut nimirum ſingulis Diis atque Numinibus ſeu Dæmonibus potius, quorum illa fuerunt organa, apta eſſet & accommodata.

II. Impoſitio nominis idolorum.

Secundum cultus iſtius caput eſt ὀνοματοθεσία, id eſt, *nominis impoſitio.* Idola enim iſta atque ſimulacra ſua inanimata vel ipſius Dei nomine inſignire non dubitarunt, Deoſque appellarunt, eo quod Deorum eſſent ſymbola atque monumenta, divinitatiſque multum habere viderentur: de quo ſupra quoque dictum eſt.

III Initiatio ſive conſecratio idolorum.

Tertium cultus iſtius inſani caput fuit illorum initiatio, ſeu conſecratio & inauguratio. Nam ut templa, ita idola & ſimulacra Diis illis ſuis fictis, & commentitiis, certis quoque ritibus, cerimoniis, geſtibus geſticuloſis,

&

& histrionicis preculis vel cantionibus dedicare, conservare atque inaugurare solebant. De hac imaginum apud Gentes consecratione & dedicatione ita scribit Augustinus Epistola quadragesima nona: *Imagines*, inquit, *à Gentibus, sanctis sedibus, honorabili sublimitate, locatæ, ut à precantibus atque immolantibus attendantur. Talibus simulacris divinum cum timore cultum exhibent, eaque viventibus similia venerantes adorantesque contuentur, iisque velut præsentibus preces alligant, victimas immolant, vota persolvunt.*

IV. Collocatio idolorum in certis locis.

Quartum caput est eorundem in certis locis atque sedibus collocatio. Illa enim, in locis maxime sacris & religiosis, qualia ipsis esse videbantur, ut in templis atque delubris suis collocare, & parietibus illorum consueverunt: tametsi loca quoque profana, tum in urbibus, tum in agris idolorum simulachrorumque istorum erant plenissima.

V. Vestitus & ornamenta idolorum.

Quintum caput cultus istius ridiculi & absurdi fuit vestitus eorum & amictus, sive indumenta & ornamenta varia & multiplicia cum totius corporis, tum singularum partium sive membrorum. Illa enim puerorum & puellarum, puppas suas vestientium & ornantium ritu atque more, certis diebus festis vestire atque ornare solent. Unde Hieremias in illa sua epistola ad Judæos merito irridet Babylonios, qui idola sua purpurea veste induebant, abstergentes pulverem, qua facies illorum propter populi turbam replebatur. Ibidem: *Vestimenta*, inquit, (idolorum) *auferunt sacerdotes, quibus uxores & filios suos vestiunt.* Sic eodem in loco docet, sacerdotes coronas aureas, quibus capita illorum erant ornata, iis detraxisse, & in privatum usum, atque adeo etiam in meretrices suas erogâsse. Deinde cum aurum illud & argentum à meretricibus suis recepissent, id rursus ad idolorum, ceu amasiorum suorum, cultum ornatumque contulisse. Dionysius, ille tyrannus Syracusanus, cum ad Peloponnesum classem appulisset, & in fanum venisset Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubriis Carthaginensium tyrannus Gelo. Atque in eo etiam cavillatus est, æstate grave esse amiculum aureum, hyeme frigidum: eique laneum pallium injecit, cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret.

His adde, quod idem Æsculapii Epidaurii barbam auream demi jussit: neque enim convenire, barbatum esse filium, cum omnibus in fanis pater (Apollo) imberbis esset: Cicero libro tertio *de Naturâ Deorum.* Suetonius de Caligula: *In templo simulachrum*, inquit, *stabat aureum iconium.* (Iconium simulacrum Tranquillus appellat, in quo erat expressa membrorum ipsius similitudo atque oris lineamenta) amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur. Hinc qui fungebantur officio simulacra vestiendi, *vestitores Deorum* appellabantur. Firmicus Maternus quarto *Matheseos* libro tradit, Mercurium cum Venere in tertio ab Horoscopo loco facere vestitores Deorum.

Huc referri debet, quod Hieremias in eadem epistola mentionem facit sceptri, gladii, securis, quam idola manibus suis tenebant: *Sceptrum*, inquit, *idolum habet ut homo, sicut judex regionis, qui in se peccantem non interficit. Tenet etiam manu suâ gladium: se tamen à bello & latronibus liberare non potest.* Hûc pertinet Plutarchi quæstio Græca quadragesima quinta: *Cur Zabradensis in Curia simulacrum non sceptrum aut fulmen, sed securim elatam teneat.*

Ac innumeræ quidem res commemorantur in imaginum & simulacrorum Gentilium descriptione, quas manibus suis tenebant, cujusmodi fuerunt sceptrum, gladius, securis, arcus, sagitta, clypeus, tridens, pomum, herba, cornucopiæ, falx, animal aliquod, patera, corona, tympanum, sistrum, fulmen, & similia, quæ in antiquis numis cernuntur. Cicero lib. 3. *de Natura Deorum* de Dionysio tyranno: *Victoriales*, inquit, *aureas, & pateras coronasque, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubio tollebat, eaque se accipere, non auferre dicebat: esse enim stultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus & dantibus nolle sumere.*

VI. Circumgestatio idolorum.

Sextum caput atque modus culturæ simulacrorum fuit gestatio sive circumgestatio; ad quem morem Gentilium similiter alludit, eumque irridet Hieremias, cum inquit, *Sine pedibus, in humeris portantur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus.* Certis igitur temporibus idola illa sua honoris & religionis ergo huc & illuc ferre atque circumferre solebant.

VII. Peregrinationes idolis fieri solitæ.

Septimum cultus istius idolorum caput fuerunt peregrinationes crebræ; & quidem longinquæ, sumtuosæ, difficiles, & periculosæ, quas ad hæc vel illa idola atque simulacra, ea colendi, venerandi, atque de rebus privatis & publicis consulendi gratia suscipiebant: quarum similiter in sacris & profanis litteris crebra fit mentio. Hujusmodi, ut ex innumeris unum proferam, erant illæ Israëlitarum peregrinationes in Betbel, in Dan, in Gilgal, & alia in loca ad vitulos illos aureos, & ad alia idola, à quibus sæpe Prophetæ eos dehortantur.

VIII. Vota, & supplicationes, idolis fieri solitæ.

Octavum caput atque modus fuerunt vota, preces atque supplicationes, quas ad idola & simulacra illa sua faciebant. Harum mentio fit eodem *Sapientiæ* lib. cap. 14. ubi significatur, quanta ista sit, non solum stultitia, sed etiam dementia hominum, qui idola alloquuntur, & ea pro fortunæ possessionibus nuptiis atque liberis suis precantur: ab iis & vitam petunt, quæ animæ vitæque omnis plane sunt expertia, quæ ne sibi quidem ipsis, nedum aliis possunt opitulari: & iter atque profectionem felicem, quæ gressu, incessu, motuque omni carent: & ἁδρανίαν, operis cujusvis efficiendi facultatem, quæ manibus suis nihil efficere possunt.

His adde Osculationem, amplexum, genu flexionem, corporis prostrationem, capitis apertionem, & alios id genus gestus seu gesticulationes potius, quas in precibus illis suis adhibere, quibusque idola illa sua atque simulachra colere atque honorare consueverunt. Sic osculationis aureorum illorum vitulorum mentio fit manifesta Hoseæ 13. Sic Cicero in Verrinis narrat, æneum quoddam Herculis simulacrum os mentumque habuisse attritum, propter illam osculantium frequentiam. Omnibus tamen, ut aras, sic signa & simulacra

non

non fas erat attingi. Sic enim exempli gratia Cicero *Pudicitiæ signum* inquit, *quod erat Romæ in foro boario non fas erat attingi, nisi ab ea, quæ semel nupsisset.* Festus idem affirmat de signo Fortunæ muliebri, quod erat in via Latia. Quod attinet ad amplexum eorum, constat, ut aras & templa, sic simulachra asyla hominum fuisse, ad quæ in periculis confugiebant & ea amplectebantur.

IX. Odores & suffitus idolis facti.

Nonum caput atque modus venerationis idolorum fuerunt omnis generis odores, cerei atque lucernæ, quas idolis illis accenderunt, tum denique omnis generis hostiæ, sacrificia & anathemata, quæ idolis simulacrisque illis suis, omni sensu motuque carentibus, obtulerunt, & suspenderunt: de quibus ipsis jam dicta sunt quædam, partim plura dicentur. Lucernarum fit mentio Baruchi sexto in illa Hieremiæ epistola, quas contra omnem rationem testatur, idolis simulacrisque illis cœcis, omnique plane sensu vacuis accendi fuisse solitas. Sic Cicero lib. 2. *officiorum: Statuis cerei & suffitus apponuntur:* sub quibus odores, thymiamata, sacrificia, hostiæ, hostiarumque instrumenta, aræ nimirum atque altaria, omnis generis anathemata atque donaria & his similia comprehenduntur: de quibus partim jam quoque dicta quædam fuerunt: partim plura adhuc dicentur.

Quæ gentes potissimum modo dictis ritibus Deos suos coluerint.

His ipsis ritibus Moabitæ suum Baal coluerunt; de quo *Numerorum* libro, capite vigesimo secundo: & Baalpehor; de quo eodem libro, capite vigesimo quinto, & Psalmo centesimo quinto: & Chamos: de quo libro illo *Numerorum* capite primo & vigesimo primo, *Judicum* decimotertio, primo *Regum* undecimo; & secundo libro, vigesimo tertio capite, ac Hieremiæ quadragesimo octavo. Quibus item Madianitæ suum Baalberith; de quo *Judicum* octavo & nono. Et Syri Deum Rimmon; de quo secundo *Regum* quinto. Et Ammonitæ idolum Moloch, de quo primo *Regum* decimoquinto: Et Sidonii Astharoth, de quo *Judicum* libro, capite secundo, & primo *Regum* undecimo, ac secundo, vigesimo tertio. Et Philistini suum Dagon, de quo *Judicum* decimo sexto, & primo Samuelis decimo quinto. Et Ammonitæ suum Baalzebub, de quo secundo *Regum* primo. Et Babylonii suum Belem, ac Statuam, de quibus Jeremiæ quadragesimo, & Danielis tertio & decimoquarto.

Idololatriam artificialem naturæ contrariam esse ipsi Gentiles testantur.

Hanc ipsam autem Gentilium idololatriam artificialem, vel ipsi humanæ naturæ contrariam & inimicam non sacræ solum litteræ & omnes primitivæ Ecclesiæ doctores atque patres, sed ex ipsis quoque Gentilibus multi, qui inter ipsos sapientiores sunt habiti, duce & magistra natura culpârunt, damnârunt, irriserunt, ac contempserunt, quorum quædam testimonia hîc libet addere:

Varro.

Varro, teste Augustino, libro quarto *de Civitate Dei*, capite trigesimo primo, scripsit, Romanos plusquam centum & septuaginta annos Deos sine simulacro coluisse. *Quod si adhuc*, inquit, *mansisset, castius Dii observarentur. Cujus*, addit Augustinus, *sententiæ suæ testem adhibet inter cætera etiam gentem Judæam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulachra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum dempsisse, & errorem addidisse* (hanc Varronis sententiam etiam capite nono ejusdem libri allegat) *prudenter existimans, Deos facile posse in simulacrorum stoliditate contemni.*

Dionysius Halicarnasseus de Tarquinio.

Dionysius Halicarnasseus testatur, Lucium Tarquinium Priscum, primum, vanitate & stultitiâ Græcarum religionum imbutum, simulacrorum statuarumque usum in Romanam Rempublicam invexisse. Tertullianus similiter scribens, Romæ religionis ritum, à Numa, non splendidis cerimoniis & absque simulacris institutum, Tarquinium Priscum, tanquam Græcæ & Hetruscæ religionis adprime peritum, testatur primum statuarum simulacrorumque cultum introduxisse.

Plutarchus de Numa.

Plutarchus quoque testatur, Numam Pompilium nefas duxisse imaginem aut effigiem aliquam Deo tribuere.

Plinius.

Plinius libro secundo *historiarum*, capite secundo, *effigiem Dei*, inquit, *formamque quærere imbecillitatis humanæ reor.*

Hermes Trismegistus.

Hermes, dictus *Trismegistus*, asserebat, eos videri Deos non credere in cœlo esse, qui eorum statuas sibi ante oculos sisti volunt, aut certe diffidere, sua vota ac preces illucusque pervenire posse. Atque ex hac perversa animi inductione Deorum simulacra prodiisse, atque Numina cœpisse appellari.

Lycurgus.

Lycurgus, Lacedæmoniorum legislator, dicitur legibus suis prohibuisse, ne Dii homini aut ulli bestiarum similes fierent, & idcirco statuas & simulacra è Republica sua exterminavit.

Aegyptii.

Lactantius Firmianus scriptum reliquit, Ægyptios elementa, sed absque imaginibus, divinis affecisse honoribus.

Persæ.

Apud Persas & Lybes primis temporibus nullas neque statuas, neque templa, neque altaria fuisse multi Historici testantur.

Scythæ.

Scythæ, ut refert Herodotus, etsi Vestam, Jovem, Apollinem, Martem, & multos alios Deorum loco habuerunt atque coluerunt; nulli tamen, præterquam Marti, templum statuerunt, aut aram dedicarunt, & cunctis uno eodemque ritu sacrificarunt.

Essedones.

Essedones quoque, Scytharum populus, eodem teste, nullum aliud simulacrum, nisi hominis calvariam venerabantur: cujus descriptionem vide apud eundem, nec non Pomponium Melam, Solinum & alios.

Xenophanes.

Theodoretus, Cyrenensis Episcopus, Sermone ad Græcos infideles tertio, de Angelis, Diis, Dæmonibus, Xenophanis Colophonii & aliorum Gentilium testimonia contra istum simulacrorum usum atque cultum profert.

Zeno Citiensis.

Zeno Citiensis, ut idem testatur, in eo, quem *de Republica* librum edidit, Deorum & templa & simulacra fieri prohibuit: quando quidem utrumque Deo esset indignum.

Plato.

Plato, ut idem scribit, haud penitus hæc confici vetuit, timens videlicet, ne Atheniensium gratia benivolen

volentiaque excideret, neve ei, ſicuti olim Socrati, venenum porrigeretur: cum tamen ipſe quoque Deorum ſtatuas & ſimulacra plurimum carpat. Citat locum quendam ex Platone: quo Plato docet, ſimulacra, neque aurea, neque argentea, neque eburnea, neque ferrea eſſe debere, ſed lignea tantum atque lapidea. Ex hoc ipſo loco colligit Theodoretus, Platonem ſimulachra in contemptum voluiſſe adducere, dum ea non ex pretioſa, ſed vili tantum materia fieri præcepit.

Illuſtre quoque eſt illud Sophoclis, antiquiſſimi & celeberrimi Poetæ teſtimonium, quod Juſtinus Martyr Sophocles.
citat in ſua *Admonitione* ad Græcos:

Εἰ ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστὶ θεὸς
Ὃ οὐρανόν τ' ἔτευχε, καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίᾳ πλανώμενοι
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὴν
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων τε καὶ ξύλων
Ἢ χρυσοτεύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων τύπους
Θυσίας δὲ τούτοις καὶ καλὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

His verbis quid non modo clarius & illuſtrius, ſed etiam verius & ſacris litteris religionique noſtræ convenientius dici poſſet, quibus ille primum quidem unum; unum, inquam, reverâ teſtatur eſſe Deum, cœli, terræ, maris, ventorumque conditorem? Deinde Mortales reprehendit, qui cœco quodam mentis errore Deorum ſimulacra lignea, lapidea, aurea & argentea fabricantes, iiſque ſacra facientes, dieſque feſtos celebrantes, pulchre ſibi pietatis officio fungi videntur.

His addam quæ Tacitus libro trigeſimo *Annalium* de Judæis ſcripſit: *Ægyptii*, inquit, *pleraque animalia* Tacitus.
effigieſque compoſitas venerantur. Judæi mente ſolâ, unumque Numen intelligunt: prophanos, qui Deûm imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effingunt (alii legunt, *effigiant*) *ſummum illud, & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis ſunt. Non Regibus hæc adoratio: non Cæſaribus honos.*

Hic ſilentio non poſſum prætermittere, quod Ælius Lampridius in Alexandri Severi vita prodidit: *Alexan-* Ælius Lampridius.
der Severus, inquit, *Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Quod & Adrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri, quæ hodie idcirco, quia non habent Numina, dicantur Adriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur, ſed prohibitus eſt ab his, qui conſulentes Sacra repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet & reliqua templa deſerenda.* Hæc ille. Ex quibus colligimus, priſcorum illorum Chriſtianorum templa ſimulacris caruiſſe, quemadmodum & Romanorum priſcorum fana, Varrone teſte, ut ſupra dictum, centum ſeptuaginta circiter annis imaginum atque ſimulacrorum fuerunt expertia: Numæ Pompilii nimirum inſtituto, qui Pythagoræ, ſummi ac nobiliſſimi illius Philoſophi diſcipulus fuit, ac proinde ſecundum illius documenta nefas ducebat, primum illud omnium rerum principium, omnis ſenſus ac perturbationis expers, caduci alicujus hominis atque animalis imagine exprimere: hujus rei teſtis eſt Plutarchus in vita Numæ Pompilii.

In eandem ſententiam Strabo lib. 16. de Moſe verba facit, quæ quia magni videntur eſſe momenti, ſubjice- Strabo.
re volui: *Judæorum*, inquit, *progenitores eſſe Ægyptios vulgo fama obtinet. Nam Moſes unus ex Ægyptiis ſacerdotibus, cum partem quandam regionis illius poſſideret, eorumque inſtituta moleſte ferret, inde Hieroſolymam commigravit, cui ſeſe multi comites atque ſocii adjunxerunt, quibus divina cordi erant. Docebat enim ille neque Ægyptios recte ſentire, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, nec Græcos, qui Deos hominum figuris inſignirent. Id ſolum Deum eſſe, quod nos contineret, terram ac mare, quod cœlum & mundum & rerum omnium naturam appellamus. Hujus ſane imaginem nemo ſanæ mentis, noſtræ ſimilem audeat effingere, ac proinde relicta omni ſimulacrorum effigie, templo, quod eo dignum ſit, excitato, ſine omni forma colendum eſſe.* Hæc ille.

Eandem quoque ſummi cujuſdam Philoſophi, Chæremontis nomine (cujus Plato in lib. *de Legibus* facit Chæremon.
mentionem) ſententiam fuiſſe Euſebius lib. 3. cap. 3. *Præparationis ſuæ Evangelicæ* teſtatur. Mortales homines eos exiſtimavit fuiſſe, quibus imagines ac ſimulacra à Veteribus fuerint tributa. Dei autem veri nullum ex ligno, vel quavis alia materia verum poſſe eſſe ſimulacrum. *Qui enim*, dicebat ille, *adeo ſtultus erit, ut ligneum ſimulacrum atque effigiem Dei Creatoris omnium ſimilitudinem habere arbitretur? Natura enim divina omnem materiam*, & *omnia, quæ percipimus, excedit, mente ſolummodò, ac ſanctis animis comprehenſa.* Hæc ille.

Et Hæc de ſecundo membro ſacrificiorum veterum Gentilium, in ſpecie ſimul & in genere: nempe Objecto, cui videlicet illa olim facta & oblata fuerint. In ſpecie quidem Neſtor ſacrificium ſuum Minervæ fecit; Argonautæ vero Apollini. In genere deinde quibusvis Diis, creaturis, idolis & Dæmonibus Ethnici quondam ſacrificarunt.

Seqvitvr nunc membrum tertium in utroque hoc ſacrificio conſiderandum, Materia videlicet, ſive De Materia ſacrificiorum.
Qvid ſacrificârint Neſtor & Argonautæ. Ac utrique boves immolaſſe dicuntur, ab Homero & Apollonio. Neſtor unum; Argonautæ vero binos, pro felici navigatione. Binos quidem, ut vult interpres, propter Bis materia ſacrificii Neſtoris & Argonautarum.
duo Apollinis cognomina, quæ fuerunt ἐπάκτιος καὶ ἐμβάσιος. Apollinem autem tauro inprimis placari ſolitum teſtantur illa Virgilii:

Taurum Neptuno: taurum tibi, pulcher Apollo.

Sic apud Ægyptios in Osyridis, veluti frugum ac fructuum repertoris memoriam apud posteros immortalem, boves russas, quoniam videntur colore similes Typhoni, qui Osyridem necavit, immolari fuit permissum. Ludis quoque Apollinaribus à Romanis, ex carminum Sibyllinorum religione, bove aurato & capris duabus albis auratis XVIII. Augusti placabatur: & Latona fœmina bove auratâ. Alios tamen aliis atque aliis animalibus placari fuisse solitos, passim historiæ testantur.

Materia sacrificiorum triplex.

Sed ut de hoc quoque membro, quod fere ipsum etiam infinitum est, uberius aliquanto & copiosius dicamus, sciendum est, veteres sacrificia vel animalia, inter quæ sunt boves illi, quorum autores citati in sacrificiis Nestoris & Argonautarum meminerunt, vel inanimata, vel mixta, quæ partim animalibus, partim plantis omnis generis, frugibus atque fructibus constabant, Diis ac Numinibus suis obtulisse.

1. Animata. 2. Inanimis. 3. Mixta.

Hæc igitur sacrificiorum atque adeo totius cultus sive religionis Ethnicorum materia fuit triplex: Prima animata, ut animalium: altera inanimis, ut plantarum, herbarum, frugum & similium. Tertia, mixta, ex animalibus videlicet, vel plantis.

Animata est 1. Rationalis. 2. Irrationalis. Rationalis dicta ἀνθρωποθυσία.

Porro animata materia sacrificiorum est duplex: Animalium nimirum ratione utentium, ut hominum: & rationis expertium, ut bestiarum. Humana enim seu potius inhumana, immania, horrenda & plane diabolica hujusmodi sacrificia cum antiquissima, tum omnibus pene gentibus, tam Judæis, quam Ethnicis, in toto terrarum orbe communia & usitatissima fuisse ex sacris & prophanis litterarum historiarumque monumentis satis superque constat. Unde in sacris literis *Levitici* libro, capite decimo octavo & vigesimo: item *Deuteronomii* capite duodecimo & aliis in locis gravissima capitalique pœna prohibentur.

Sacrificatus homo integer.

Observandum autem eos hominem primo integrum & solidum Diis suis offerre fuisse solitos, deinde certas ejus partes sive membra. Prioris generis est hoc, quod Arnobius scribit libro octavo *adversus Gentiles*, *Infantes in nonnullis Aphricæ partibus Saturno fuisse immolatos.* Item *Jovem Latiarem homicidio coli fuisse solitum.* Quo pertinet id, quod Tertullianus scribit in *Apologetico* capite nono, *Saturnum imprimis humana victima delectatum fuisse, qui idcirco tumulus filiorum fuit appellatus.* Scribit de hoc etiam Plinius libro septimo capite secundo; & inter alias terræ partes, in Sicilia ac Italia usitatissima fuisse hæc hominum integrorum sacrificia significat. Et libro trigesimo sexto, capite quinto, Pœnos ad Herculis simulacrum omnibus annis humanâ victimâ sacrificare fuisse solitos. Sic Cicero in Oratione pro Fontejo, Gallos humanis hostiis Deos placare consuevisse testatur. *Quis ignorat*, inquit ibidem, *eos* (Gallos) *usque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum?* Porphyrius inter alia sacrificiorum humanorum exempla hæc profert: *Apud Rhodios in honorem Saturni mactabatur XVI. Kalend. Novemb. homo; quod cum perdiu servatum fuisset, in consuetudinem abiit. Quendam enim ex iis, qui publicâ sententiâ damnati essent, ad capitale supplicium ad usque Saturnalia vivum asservabant.* Idem testatur, in Salamine insula hominem mactari solitum Agraulæ, Cecropis filia. Homines item tres apud Ægyptiam Heliopolim singulis diebus mactabantur. Quin etiam Lacedæmonii hominem Marti immolabant: & Græci cum ad bella progrederentur, ab humana cæde fuerunt auspicati. Hæc Theodoretus ex Porphyrio. Philo etiam Historicus scribit, Aristomenem Messenium trecentos olim homines Jovi Ithemio immolasse. Sic Tauri Scythæ pro hostiis Dianæ advenas immolabant, præsertimque naufragos: & quos, ut inquit Athanasius, providentia eripuerat, hos ipsi jugulabant. Alii, postquam è bello redierant, captivos per centurias dividebant, & ex singulis unum sumentes, tot Marti jugulabant, quot ex unaquaque centuria delegissent. Scribit Procopius, apud Thulitas, id est, Thulæ insulæ habitatores, suo tempore, hoc est, Justiniani Imperatoris, victimarum potissimam fuisse, virum quempiam, quem primum in prælio cepissent, Marti sacrificasse, ut quem Deorum maximum ducerent. *Sed ea*, inquit, *est apud hos immolandi consuetudo, ut non solum hostiam mactent, sed in arbore vivam hanc prius suspendant, indeque inter senticeta & vepres projectam, sic variis ac miseris modis excruciando conficiant.* Legimus item paucis ante annis ab Hispanis nautis, orbem lustrantibus, insulam repertam, quam ipsi à Carolo, suo Rege, *Carolinam* dixere, in qua frequentes visebantur statuæ æneæ suorum Numinum, quæ intrinsecus cavæ, manibus junctis passisque fuerant, in quibus infantes & puerulos, quos Deis illis suis immolabant, includere solebant & crudelissime incendebant, in caveis statuarum & simulacrorum igne accenso, & ære calorem concipiente. In Asia Laodicæi Minervæ virginem mactabant, Arcades Jovi Lycæo puerum: plerique juxta Borysthenem, vecordi animo homines victimas dare & in Deorum sacrificiis humanis ossibus adolere solebant. Blemyæ, Cymbri, Galli, Druidæ & Germani, statis diebus humanis hostiis litare & captivorum cruore adolere aras consueverunt. Fuit quoque apud Phœnices & Carthaginenses nimis diu observatum, ut infantes, qui principum filii essent, sorte ductos, regio ornatu Saturno immolarent hostias: & quem Sors morti destinarat, subtrahere morti non licebat. Quare multorum civium largis fletibus deplorata fuere funera. Hinc Imilce, Annibalis uxor, cum Aspar ejus esset mactandus filius, apud Silium in calce quarti libri *Punicorum* nolens ait:

Quæ porro hæc pietas, delubra aspergere tabo?
Heu primæ scelerum caussæ mortalibus ægris,
Naturam nescire Deûm! justa ite precari
Thure pio, cædisque feros avertite ritus:
Mite & cognatum est homini Deus: hactenus oro
Sit satis ante aras cæsos vidisse juvencos.
Aut si velle nefas Superos fixumque, sedetque.

Me

Me me, quæ genui, veſtris abſumite votis,
Cur ſpoliare juvat Libycas hac indole terras?

Ab iſtis vero ſacris cum deſiiſſent, poſtea victi ab Agathocle, Deos propterea ſubiratos arbitrati, ut Numen placarent, ducentos Nobilium filios mactaſſe feruntur ad aras. Id quod etiam à Cretenſibus factitatum comperimus, ut hominem epulis gravatum ac pueros impuberos, feſtis diebus, Saturno & ipſi mactarent. In Chio & Salamine, cujus ſupra mentio facta, mos per multa ſecula viguit, ut Diomedi & Dionyſio homines diſcerptos jugularent. Ejuſdem Dionyſii templum in Arcadia fuit, in quo puellæ ad aram difflagellabantur ad necem, ſicut & Spartæ in ara Orthiæ Dianæ pueri. Quinetiam alii ingenti ſimulacro, viminibus intexto & vivis hominibus oppleto, ac igne ſuccenſo, ipſis fœdum in modum exanimatis, maximum holocauſtoma Diis ſuis offerre putaverunt. Galatæ & Maſſagetæ non aliter Deos ſuos rite conſuli arbitrabantur, quam jugulato homine apud aras Deorum: ex cujus caſu, tum ex membrorum laniatu, & ſanguinis fluxu, futura divinabant. Cymbri noxios homines ſervatos, ſudibus affixos, Diis pro hoſtiis dabant. Galli, præter Heſum & Theutatem, quos Deos humano cruore placabant, gravioribus morbis aut periculis affecti, ad placandas Deorum iras, aut homines immolabant, aut ſe immolaturos vovebant: ad cujus aram etiam grandævos ætate, victimarum loco proſecabant. Thraces Zamolxin, quem maximum ſuum Deum putabant, non alia ratione ſibi propitium fieri arbitrabantur, quam ſi ad aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam & Diis gratiſſimam victimam opinati. Germani quoque ritu barbarico, Mercurio humano cruore litare religioſiſſimum putabant. Idem etiam feciſſe Senones traditur, qui cæſo publice homine infanda ſacra ſtatis diebus celebrabant, his portentis expiari delicta credentes. Perſis etiam, ad habendas ſuis Diis gratias, viventes juvenes eoſque adhuc ſpirantes, ſub terra defodere, aſſuetum fuit: quem etiam morem Græcis inoleviſſe accepimus, ut in anniverſaria celebritate Baccho vivos homines ſacrificarent: quique ita fuiſſet immolatus, maximam inter ſuos probitatis, ac religionis laudem ferebat. Porro Leucadiis hoc commune fuiſſe quidam tradunt, ut in Apollinis Leucadii ſacro ad avertendam Deorum iram, hominem de montis ſpecula dejicerent, & in mare præcipitem devolverent. Fuit & id moris Albanis, ut hominem ſacris initiatum, qui ſanctitate polleret, diu aſſervatum & opipare ſaginatum, apud aras ſiſterent eumque furiali carmine excantatum, devotumque additis quibuſdam precationibus, cum aliis victimis immolarent. Quin & Britannis longo tempore morem fuiſſe accepimus, ut conjuges & nurus nudas, & quodam herbarum ſucco delibutas, ad templa ducerent, & ita ſupplicarent, captivorumque ſanguine Diis litarent. At vero Corinthi, ſupra mille proſtitutas in templo Veneris aſſidue degiſſe, & inflammata libidine quæſtui meretricio operam dediſſe, velut ſacrorum miniſtras Deæ famulari ſolitas, memoriæ eſt proditum. Hic tibi mitto ſacratas Lydias & Cyprias libidines. Piget vero pudetque referre, Romanos rerum dominos, quibus fœdera, leges & ſacra exteris dare nationibus imperium fuit: quanto in errore, & quam tetra caligine verſatus fuerit victor ille gentium populus, & totius dominator orbis, omni ſuperſtitioni obnoxius: faſcinos & mutinos nedum Junones & Genios quotidie ſibi aſciſcendo, & obſcœna numina adoptando: qui etiam extraordinaria ſacra, ex fatalibus libris facere coactus, Græcum & Græcam, totidemque Gallos in foro boario ad placandas Deorum iras, ſub terras vivos defodere veritus non fuerit. Licuitque illi diu in ſacris hominem interimere, & Diis immolare, adeo ut Saturnum & ipſe, & Latialem Jovem, humana placaret hoſtia. Cujus ſimulachrum dum ſacrificarent, humano ſanguine proluebant: donec Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Craſſo Coſſ. Senatu Conſulto cautum fuit, ne novam inducere religionem, neve hominem immolare, aut humano ſanguine litare liceret.

Ex quibus exemplis ſatis ſuperque conſtat, Ethnicos & Barbaros, hoſtias rationales, id eſt homines, integros & ſolidos, eoſque ſecundum ætatem, ſexum & conditionem diſtinctos, Diis ſuis offerre conſueviſſe. Sed etiam hominis partes ſingulas ſive membra Numinibus ſuis obtulerunt atque ſacrificarunt. Conſtat enim ex eodem Arnobio, libro ante citato, Diti & Saturno olim humanis capitibus fuiſſe ſupplicatum: & Bojos ac Celtas hoſtis calvariam auro cælare, & in eo poculo ſolennibus libare religioſiſſimum duxiſſe: item Luſitanis veterem morem fuiſſe, ex hominum inteſtinis exta proſpicere, atque inde omina & vaticinia captare, abſciſſaſque captivorum dextras pro munere Diis offerre. Adde quod apud Lacedæmonios ſanguine humano ara imbuta fuit: & in Arcadia, Dionyſii templo, ſacrificii loco, puellæ ad aram flagellabantur ad necem: item quod Bellonæ ſacerdotes non animali hoſtiâ, nec victima, ſed ſuo cruore ſacrificant. Gladios enim diſtrictos, utraque manu tenentes, humeros ſibi & lacertos, tanquam fanatici, diſſecant, hoc ſanguine litari & crimina expiari putantes. Sic proditum memoriæ eſt, Romulum, nunquam vino in ſacris, ſed lacte libâſſe. Ac dedicabant virgines Romanæ, maturæ viro, compoſitum capillum Palladi. Trœzene vero puellæ Hippolyto crinem conſecrabant. In Sicyonia quoque Sanitatis ſimulacrum fuit, cui virgines crines reſecare, & capillos dicare ſolebant. Athenienſes, cum ex ephebis exceſſiſſent, primitias crinium Delphos deferebant: & cum antiquiores comam circa tempora, aut poſteriorem crinem Apollini & fluminibus tonderent, ævo ſuccedente Theſeus τὰ ἄνλια, hoc eſt, *anteriorem capillum* Delphis dedicavit. Vnde Theſeis tonſura prodita eſt, cujus exemplo juvenes, cum primum ex ephebis exceſſiſſent, anteriorem comam Phœbo, & Æſculapio, aut Libero obtulere primitias. Poſtea Romani adoleſcentes magnæ indolis, primæ lanuginis barbam, Diis conſecrare uſurparunt. Hæc Alexander ab Alexandris. Longum vero hìc eſſet exſequi, qui Taurorum populorum mores fuerint, ut apud aram hominem ſiſterent, qui poſt ſolennes quaſdam preces hominis, caput ejus clavâ feriebant, crucique illud affigebant; truncum porro corpus ex ingenti rupe in præceps dabant. Quanta etiam Gentilium hæc inſipientia & libido fuerit in hoc ſacrificiorum genere, dum in templis coire, & nefandis libidinibus

Sacrificatæ etiam hominis ſingulæ partes.
Caput. Calvaria.
Dextræ. Sanguis.
Lac. Capilli, ſeu crines.
Corpus truncum.
Pudenda genitalia.

nibus immiſcere, ac pudendis genitalibus ſacra facere, quod procreationis ſeminaria eſſent, nefas non putarent, abunde ex Veneris ſacris & Priapi colligere promtum eſt. Linguam denique Mercurio ſacrificarunt, de quo ſupra.

Lingua.

Cauſæ impulſivæ ἀνθρωποθυσίας.

Hujuſmodi autem humanas, ſeu potius inhumanas, & mere diabolicas hoſtias dubium non eſt, quin pleræque Gentes, cum Deorum ſuorum, id eſt Dæmonum oraculis, ſuaſu & hortatu præcipue, tum Abrahami Patriarchæ, qui filium ſuum Deo, pro ſingulari ſua fide mactare atque immolare voluerat, exemplo, ſeu potius κακοζηλίᾳ, tum denique vaticiniis illis de futura Chriſti victima, de qua aliquid audire potuerunt, expiatrice peccatorum totius Mundi, & reconciliatrice Dei, irati Mundo ob illa peccata, adducti & impulſi, fecerint atque celebrarint.

Qui de nefaria hac ἀνθρωποθυσίᾳ ſcripſerint.

De his ipſis autem ſacrificiis: præſertim de ſceleſta & nefaria Heliogabali, Hadriani, Valeriani, Juliani Apoſtatæ ἀνθρωποθυσίᾳ & ἀνθρωπομαντείᾳ, id eſt, *hominum immolatione & divinatione ex mactatorum hominum viſceribus*, vide Camerarii *meditationum hiſtoricarum* caput quinquageſimum nonum: ubi & de ſacrificiis apud Hetruſcos, Gallos & alios populos: hodie vero apud Indos Orientales & Occidentales, & novis illis inſulis, fiere ſolitis, multa ſcribit lectu digniſſima. De Maſſilienſibus memoriæ proditum eſt: quoties peſtilentia laborabant, unus ex pauperibus ſeſe offerebat alendum, anno integro, publicis precioſioribus cibis. Hic poſtea verbenis ornatus, & ſacris veſtibus indutus per totam urbem ducebatur cum exſecrationibus, ut in ipſum omnia civitatis mala reciderent: & ſic Diis immolabatur. Ab hac conſuetudine Gallorum tractum videtur verbum *Sacrum*, pro *exſecrando* & *ſceleſto*. Virgilius:

- - - - quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Plautus: *Homini quantum hominum terra ſuſtinet ſacerrimo.* De his lege etiam Plutarchum *de oraculorum defectu*: Cœlium Rhodiginum libro decimo tertio, capite vigeſimo tertio: Alexandrum ab Alexandris libro ſexto, capite ſexto, & Lactantium Firmianum *de Religione* libro primo, capite vigeſimo primo, & libro quinto, capite decimo: item Theodoretum ſermone ſeptimo adverſus Græcos infideles, ſub finem. Meminerunt abominandorum iſtorum ſacrificiorum etiam Euſebius & Auguſtinus, atque inſuper ex Hiſtoricis Q. Curtius libro quarto, Juſtinus libro decimo octavo, Oroſius libro quarto capite ſexto, nec non Plato in *Minoe*: clariſſimus item Zuingerus in *Theatro*, apud quem, præter ſuperiora, plurima alia exſtant exempla eorum, qui homines mactarunt atque ſacrificarunt. Quomodo autem id fieret, & quam crudeliſſime, narrat Diodorus libro vigeſimo *Bibliothec.* & Vives in Commentariis in caput decimum nonum, libri ſeptimi *de Civitate*.

Ἀνθρωποθυσία uſitata olim etiam populo Dei.

Nec vero tantum apud gentes profanas & barbaras ſed etiam apud ipſum populum Dei, Judæos nimirum & Iſraëlitas, exſecranda iſta hominum; & quidem liberorum, immolandorum conſuetudo invaluit atque viguit: id quod vel hinc manifeſtum eſt, quod liberos ſuos immolare Judæi prohibentur Levitici capite vigeſimo, verſu ſecundo: & quod in honorem Molochi, idoli Hammonitarum parentes igne filios ſuos tranſmiſiſſe dicuntur ſecundo *Regum*, vigeſimo tertio, verſu decimo tertio.

Chriſtianorum victima Chriſtus.

Nobis quidem Chriſtianis victima humana primaria eſt victima Chriſti, qua ſola Deus nobis placatus, & totius Mundi peccata fuerunt expiata. Huc accedat oportet mortificatio noſtræ carnis & cordis corporiſque oblatio, quæ fieri debet; de qua Paulus ad Romanos cap. 12. ſic ſcribit: Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, ἀδελφοί, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ, παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ, τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. Καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον, id eſt, *Adhortor igitur vos fratres, per miſerationes Dei, ut ſiſtatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, acceptam Deo, rationalem illum cultum veſtrum. Et ne vos conſigurate ſeculo iſti, ſed transformate vos per renovationem mentis veſtræ, ad hoc, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei, bona illa, accepta & perfecta.* Hæc de ἀνθρωποθυσίᾳ, ſive immolatione animalium rationalium, quam ipſe quoque Pythagoras ſummopere, licet Ethnicus, improbavit, cenſens, cæde non litandum: animalia Diis non mactanda: altaria nullius cæde & ſanguine imbuenda.

Quantum ad Animalia rationis expertia atque bruta attinet, conſtat omnis generis animantia, pecora atque beſtias à Gentibus Diis fuiſſe immolatas, ut terreſtres veluti Quadrupedia, & Reptilia; aereas ſive cœleſtes, cujuſmodi ſunt aves aquatiles item & ancipites: licet quaſdam gentes à beſtiarum vel occiſione & immolatione, vel etiam manducatione, idque vel omnino omnium, vel etiam nonnullarum abhorruiſſe legamus.

Χοιροθυσία, immolatio Suum.

Omnium autem antiquiſſima apud Ethnicos animalium quadrupedum ſacrificia, (de quibus idcirco primo loco ſcribemus) judicarunt eſſe porcorum atque ſuum ſacrificia; de quo animali tradunt, id præcipue Circenſibus ſacrum fuiſſe, quod Jovem infantem à Rhea matre, ne à Saturno parente devoraretur, abſconditum in Creta, lactaverit: & ne pueri vagitus à patre audiretur, grunnitu ſuo obſtiterit.

Sus unde dictus.

Sus porro, inquit Marcus Varro, Græce dicitur ὗς, olim θύτης, à verbo θύειν, quod eſt, *immolare*: quoniam à Suillo genere pecoris immolandi initium ſumptum videtur: cujus veſtigia; quod initiis Cereri porci immolantur; & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur; & quod nuptiarum initio antiqui Reges ac ſublimes viri in Hetruria, in conjunctione nuptiali nova nupta & novus maritus, primum porcum immolant. Priſci quoque Latini & etiam Græci idem factitaſſe videntur. Nam & Romanæ mulieres, maxime nutrices, naturam, qua fœminæ ſunt, in virginibus appellant *porcum*, & Græce χοῖρον, ſignificantes eſſe dignum inſigni nuptiarum. Ob id etiam Hippocrates & Galenus a verbo ἱερεύω, ſacrifico, ſuem ἱερεῖον, id eſt, victimam paſſim vocant; ac præcipue Galenus in *Methodo & de Temperatura.* Ac Muretus lib. 3. *variarum lectionum* cap. 7. *In Cereris myſteriis*, inquit, *ea fuit conſuetudo, ut quiſque pro ſe Cereri porco faceret: ſeu,*

Sus Cereri immolatus.

ſeu, quod animal illud infeſtum Cereri crederent: ſeu quod à ſuillo roſtro arandæ & invertendæ terræ ratio primum accepta eſſet. Illud etiam obſervabatur, ut & præpinguis eſſet, & nulla ſui parte mancus ac mutilus, quod etiam univerſe in toto victimarum genere ſervabant. Ergo porcos myſticos ſeu myſtericos vocabant, qui pinguiſſimi & integerrimi eſſent. Plautus ſinceros ſacres vocat. Quare Megarenſis ille Ariſtophanis, qui filias ſuas pro porcis vendere cuperet, jubet eis, ut ſaccum ingreſſæ ita grunnirent, ut porci myſterici eſſe videantur. Eadem ſcribit Eraſmus in *Adagiis*, cujus verba juvat addere: *Initiandi*, inquit, *conſueverunt immolare porcum. Suidas ex Ariſtophane citat:*

Sus præpinguis & ſincerus immolatus.
Sus præcipue ab initiandis immolatus.

Εἰς χοιρίδιόν μοι νῦν δάνεισον τρεῖς δραχμάς.
Δεῖ γὰρ μυηθῆναί με, πρὶν τεθνηκέναι.
id eſt,
Qui porcum emam mihi mutua nunc tres drachmas:
Initiandus ſum prius, ac mortem oppetam.

Item Plautus in Menæchmis, porcum ſincerum & ſacrem immolare jubet eum, quem mente captum ſignificat. Adoleſcens, *quibus hic preciis porci veneunt* ſacres, ſinceri, nummum unum en à me accipe: Jube te piari de mea pecunia. Nam ego quidem inſanum eſſe te certo ſcio. *Opinor, quod veterum uſu, qui cujuſpiam nati Numinis intemperiis ageretur, hoc piaculo ſe ſoleret purgare.*

Eſt & Græcis proverbium, Ἀφροδίτῃ ὗν τέθυκεν, *Veneri ſuem ſacrificavit*: ubi quis offert id munus, quod minime gratum ſit. Invifus quippe Veneri ſus, propter Adonis necem. Hinc ὑστήρια, teſte Athenæo, ſacrificii illius celebritas atque feſtum ab Argivis, quo ſuem Veneri ſacrificare conſueverunt, fuit dictum. Et in menſe Majo mercatores Maiæ, Mercurii parenti, porcam imprægnatam immolabant.

Sus immolatus etiam Veneri.
Hyſteria, feſtum ſuillum.

Quæ vero familiæ purgandæ cauſſâ Cereri immolabatur, *porca præcidanea*, ut ait Veranius, eſt dicta: quod pars quædam ejus ſacrificii fit in conſpectu mortui ejus, cujus funus inſtituitur. Ac porcam vel agnum regina ſacrorum, id eſt, Regis ſacrorum uxor, inquit Feſtus, omnibus Kalendis Junoni immolabat. Meminit idem & porci propudiani, ſic dicti, ut ait Capito Attejus, qui in ſacrificio gentis Claudiæ, velut piamentum & exſolutio omnis contractæ religionis eſt. *Fœdus*, eodem teſte, appellatum ab eo: quod in paciſcendo fœdere hoſtia, præcipue porca, necaretur. Virgilius:

Porca immolata Majæ.
Porca præcidanea.
Porcâ fœdus feriri ſolitum.

Et cæſâ jungebant fœdera porcâ:

vel quia in fœdere interponatur. Ovidius libro primo *Faſt.*

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ.

Porco Tellurem placari olim ſolitam, teſtatur Horatius, ſecunda epiſtola:

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant:

quo in loco Porphyrius vult *porcum* pro *porca* poſitum. Arnobius libro primo, *Telluri*, inquit, *matri Scropha ingens immolatur fœta*, &c.

Porcus immolatus Telluri.

Quod autem Cereri, Telluri & Bonæ Deæ, Matri Deum & Magnæ matri, quæ Deæ terram ſignificabant, ſues: & quidem prægnantes, olim offerebantur, duæ afferri poſſunt rationes. Una, quod conveniens gratumque ei eſſet hoc ſacrificium. Sus enim humi ſemper volutatur, juxta illud Horatianum:

Cur Cereri & reliquis Numinibus immolatus porcus.

- - - - *amica luto ſus*:

Et ut plurimum eſt niger; ſicut & Terra ſuapte naturâ nigra eſt & opaca. Præterea hæc bellua terræ fœcunditatem egregie adumbrat. Itaque interdum Cereri porca prægnans cædebatur. Nam ea legitur ad viginti fœtus uno partu edidiſſe. Triginta ea porca pepererat, quæ Æneæ in Tiberis ripa, prodigii loco, viſa eſt, quemadmodum Virgilius refert.

1. Ratio.

Altera ratio eſt à contrario. Ratio enim, cur aliæ victimæ aliis Diis mactarentur, juxta Servium, non tantum ad conſenſum referenda eſt, quem bellua cum Deo aliquo habet, ſed etiam quod quædam inter eos inimicitia exiſtit. Hacque de cauſſa ſunt, qui in Cereris ſacrificiis ſuem volunt fuiſſe adhibitam, quod ſcilicet Deæ iſti gratum id eſſet ſpectaculum, ſi inimica ejus, ad ipſius pedes mortua jaceret, quæ non ſolum ſegetes vaſtaret, ſed & ſemina ipſa, terræ mandata, devoraret. Eadem quoque ratione Baccho caper immolabatur, tanquam beſtia vitibus maxime adverſa.

2. Ratio.

Etſi vero Sylvanus lacte, ut ſupra ex Horatio eſt dictum, fuit cultus: tamen eundem porco quoque interdum placari fuiſſe ſolitum, teſtantur illa Juvenalis:

Porcus Sylvano quoque immolatus.

Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.

Et Satyra ſecunda: *Atque bonam teneræ placant abdomine porcæ.*

Termino quoque etſi Numa Pompilius ſtatuerat, ne ex re animata res ſacra fieret: agnam tamen & porcam illi immolari ſolitam prodidit Ovidius lib. 2. *Faſtorum*; & Horatius:

Porca immolata etiam Termino.

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus:

ubi Acron Terminaliorum inquit diem inſtitutum, ut per epularum feſtivitatem cæſis agnis fines ſervari faceret; de quibus plura Feſtus & Macrobius.

Aliæ tamen gentes à ſuilli pecoris & eſu & immolatione abhorruerunt. Nam apud Phœnices ut in cœnis, ſic in ſacrificiis à ſuibus abſtinere præcipiebatur: & in Myſia Abretani Jovis templum erat, in quo ſuem comeſſe aut mactaſſe piaculare erat, teſte Alexandro ab Alexandris lib. 3. cap. 12. Sed de hoc ſuillo ſacrificio vide, ſi vis, plura apud Gyraldum, *ſyntagmate* 17. *Hiſtoriæ Deorum.*

Phœnices & Myſi a porcis abſtinere ſoliti.

Suovetaurilia, festum.

Adde huic Suovetaurilia, sacrificium ex sue, ove & tauro, toties fieri solitum, quoties milites recensebantur, & exercitus lustratio fiebat, ut docet Livius lib. 7. Hujusmodi sacrificii exemplum & imago exstat in Columna illa marmorea Trajani, Romæ in medio foro erectâ, nunc etiam exstante, quæ geminæ ejus Imperatoris in Dacos expeditionis rerumque gestarum insigne est monumentum. Ex illo ipso autem monumento liquet, mascula fuisse ea animalia; quandoquidem illic videre licet arietem & verrem.

Ὑοθυσία, sive immolatio suum arguit sordidos mores & superstitionem Ethnicorum.

Hoc ipso vero, ut hoc quoque colophonis loco addam, impuri immundique animalis sacrificio (à cujus & esu & immolatione Deus populum suum sacrosanctum abstinere atque adeo animis suis penitus abhorrere voluit) cui magnam Deos suos placandi, res quasvis & personas initiandi, purgandi atque lustrandi vim tribuebant, satis superque suam cum naturæ, vitæ atque morum, tum reliquorum sacrificiorum superstitionumque suarum impuritatem atque spurcitiem prodiderunt ac demonstrarunt. Ipsi, inquam, Ethnici, tanquam sues, sive porci lutulenti & immundi Diis, seu Dæmonibus potius suis, ceu suibus atque porcis fœdis, impuris & immundis, sues merito atque porcos immolarunt.

Denique de jurandi ritu & exsecrationibus super porcam, quas in fœderibus Romani concipiebant, præsentibus fœcialibus vide Verderium. Hactenus de ὑοθυσίᾳ, sive *immolatione suum.*

Βουθυσία, immolatio boum.

Aggrediamur nunc immolationem boum (sub quibus juvenci, tauri, vaccæ, vituli atque vitulæ comprehenduntur) quam à Græcâ βουθυσίας voce Latini, eodem nomine retento, *Buthysiam* appellant, ut, præter alios, Suetonius in *Nerone.* Unde & verbum βουθυτεῖν, quod duo significat. Primo *bovem immolare*: deinde, quoniam bovem immolare non erat nisi divitum atque Regum, in genere quodvis magnum, splendidum & sumtuosum sacrificium facere significat (cujusmodi erat Hecatombe) quo verbo Aristophanes in *Pluto*, & Arrianus usus est; quod Grammatici à βου, particulâ quæ intendendi vim habet, derivant, ut βούλιμον, βούσυκον, βούπεινα dicunt, cum magnam famem, ficum, & sitim significare volunt.

Boum immolatio crebra olim.

De hac porro specie animalis, nempe bovis, non tantum in utraque hac re divina; Nestoris quidem apud Homerum; Argonautarum vero apud Apollonium, sed etiam apud Ethnicos fere omnes crebra frequensque facta est immolatio; de qua Plinius libro octavo, capite quadragesimo quinto dicit opimas esse victimas, & lautissimam Deorum placationem.

Nestor immolavit bovem juvencam.

Primum igitur hoc loco legimus Minervæ Nestorem, & Apollini Argonautas boves immolasse: & Minervæ quidem bovem ἦνιν, id est, *juvencam*; quam Eustathius ἐνιαυσιαῖον, sive ἑνὸς μόνου ἔτους interpretatur, id est, *unius tantum anni*: itemque ἀδμήτην ἢ ἀδάμαστον, hoc est, interprete ipso Homero, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ, *indomitam, nondum jugo subactam*: cujusmodi hostias Latini *Injuges* vocant, & Virgilius *intactas cervice juvencas*: Homerus vero ἠκέστας ἀκεντήτους, quæ nondum stimulum expertæ sunt. Pausanias boves ἠκέστας vocat, eodem teste, φορβάδας, ἀδαμάστους, νομάδας. Conveniebat autem hujusmodi hostia, ut inquit Eustathius, Minervæ ἀεὶ νεαζούσῃ ἢ ἀζύγι, id est, *semper juvenescenti atque conjugii experti.* Testatur idem Arnobius, inquiens: *Telluri matri scrofa ingens immolatur fœta: Minervæ virgini virgo cæditur vitula, nullis unquam stimulis, nullius operis excitata conatu.* Aliâs, ut hoc quoque addam, bos jam jugo subactus non purus habebatur. Agamemnon Jovi sacrificavit πενταέτηρον, Iliad. B. id est, *quinquennalem*: quæ insignis victima ducebatur.

Argonautæ binos boves immolarunt

Argonautæ vero boves immolarunt Apollini simul & Neptuno. Est enim, ut Eustathius inquit, bos, sive taurus οἰκεῖον θῦμα τῇ θαλάσσῃ, *victima mari familiaris*: id quod Herodotus quoque docet his verbis: σφαγιζόμενοι τῇ θαλάσσῃ ταῦροι, *Mari mactari soliti tauri.*

Boum immolatio variis ac diversis gentibus usitata: præsertim Ethnicis.

Porro & alias gentes atque personas (Nam de hac quoque immolatione latius aliquanto videtur esse dicendum) hoc genere sacrificii usas esse passim apud autores cum sacros, tum profanos legimus: id quod de Agamemnone præcipue & Alcinoo idem Homerus testatur, eos nimirum Jovi bovem immolâsse: & de Pythagora Cicero, qui bovem immolavit Musis. Sic Plutarchus tradit Ægyptios Typhoni boves rufas mactasse. Et de Lacedæmoniis traditur, eos Marti bovem immolasse, quando videlicet aliquo strategemate victoria potiti essent. Sic bove aurato XVIII. Aug. placabatur Romæ: & Herculi mactabatur in ara apud eosdem maxima juvencus indomitus: in quo sacrificio Prætor aut Pontifex, qui rem divinam facit, solâ lauro, nec alia fronde coronabatur: cumque mulieribus adesse sacris & rem divinam facere omnibus fere liceat; huic tamen sacrificio adesse, vel exta tangere, aut vesci, aut solennia etiam videre, religio non permittebat. De hoc sacrificio & variis ejus cerimoniis lege Alexandrum ab Alexandris lib. 2. cap. 14. Idem testis est, Jovi à Flamine diali omnibus Idibus bovem candidum & ex agro Falisco, vel Mevania immolatum: qui & Hordalium dierum festorum meminit, in quibus hordæ, hoc est, prægnantes immolabantur boves, etiam in diebus atris & nefastis in quibus aliâs nullum sacrificium rite fieri poterat. Sic Telluri, terræ Deæ, mense Aprili Romani bovem fordam, id est, gravidam mactabant, vaccasque prægnantes: ex quibus vitulos, à ministris enectos, maxima virgo cremabat. Hinc Fordicidia festa: in quibus hostias, quæ uterum ferunt immolare solebant; quorum meminit idem Alexander ab Alexandris. Mercurio quoque Philesio (sic dicto à templis, quæ ab osculo nuncupata sunt *Philesia*, Branchi pueri Apollinis delecti, sive, ut alii volunt, filii.) Arrianus cum suis sociis Trapezunti, antequam vasti maris Euxini navigationem periculosissimam iniret, bovem immolarat. Fuit autem hic veterum mos, ut quoties grave aliquod, longum, periculosumque iter essent suscepturi, primo Diis sacra facerent, vel bove, vel aliâ belluâ immolata: quæ idcirco ab illis ἐξόδια appellabantur. Ejusmodi non tantum Arriani hujus, sed & Xenophontis olim atque Cyri, & Argonautarum, quorum supra meminimus, antequam navigationem suam maris inirent, sacrificia fuerunt. De hoc sacrificio lex etiam opimorum spoliorum in libris Pontificum loquitur: *Cujus auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Jovi Feretrio darier opor-*

oporteat, & bovem cædito, qui cepit æris ducenta. Secunda spolia in Martis aram in campo, Solitaurilia utra voluerit, cædito. Tertia spolia Jano Quirino agnum marem cædito, centum qui ceperit ex ære dato. Festus.

Pertinet hûc, quod Lunæ taurus quilibet: cujus quidem cornua similia videntur tauro: & Junoni taurus albus olim cædebantur: è contra, quod vitulum ne quis Dianæ immolaret, lex erat: & quod ἑκατόμβαι χιλιόμβαι, centenûm & millenûm mactatorum boum sacrificium inde natum etiam, de cujus quidem centenarii numeri sacri præstantia vide epistolam Juliani ad Sarapionem. Legimus tamen etiam Minervæ taurum album immolatum fuisse Romæ: & Veneri Cornutæ apud Tussas gentem Ægyptiam, vaccam quamvis; (apud alios tamen Ægyptios vaccam immolare erat nefas.) Proserpinæ vero vaccam sterilem. Testatur hoc Virgilius in sexto *Æneidos*:

Sterilemque tibi Proserpina vaccam.

Et Aur. Prudentius in primo contra Symmachum:

Rapta ad Tartarei thalamum Proserpina Regis,
Placatur vaccæ sterilis cervice resecta.

Seneca quoque testis est, principes victores taurorum & vitulorum ingentem numerum Diis suis mactasse.

Nec vero tantum immolatio hæc boum, taurorum, vitulorum, & vitularum apud Gentiles in usu fuit: sed etiam Israëlitis hanc Deus exprobrat apud Hoseam Prophetam, inquiens capite duodecimo, versu duodecimo: *In Gilgale boves sacrificant, scilicet Diis suis alienis*: quasi dicat, nullus est locus non impurissimis sacrificiis illis & altaribus Ethnicorum profanatus.

Hactenus dictum est etiam de βουθυσίᾳ, sive *immolatione boum*, & reliquarum ejus specierum: quod sacrificium, etsi à plerisque gentibus magnifico, splendidoque apparatu & frequenter, rebus præsertim in arduis & magni momenti, fuit celebratum, & factum: tamen apud nonnullas ipsum illicitum atque nefarium existimabatur. Solonis quidem lege de bove nulli Deo sacrificare licebat; quia animal putaretur innocuum, colonum, laboris humani socium. Tantæ enim venerationis Veteribus quibusdam fuit, ut æque capitale censerent bovem, ac civem mactasse. Sic Ægyptii bovem, Apin dictum, summa veneratione coluerunt, ut testis est Plinius libro octavo. Homerus cecinit, Apollinem, sive Solem, Ulyssis sociis graviter succensuisse, quod illi bovem, animal τροφῆς ποεριστικὸν occiderint, de quo Cœlius Rhodiginus libro duodecimo, capite primo. Postea tamen, bovis sacrificia crebro admodum frequentata & celebrata fuisse legimus, ut ex inductione superiorum exemplorum splendidissime elucet: quibus adde, colophonis loco, Bovem primo à Prometheo occisum fuisse, secundum nonnullos: quidam Erechteum, Athenis imperantem, primum omnium in Jovis Polei ara bovem immolasse ajunt: unde Βουφονία, vetus festum sit profectum; de quo Gyraldus *Syntagmate* decimoseptimo *Historiæ Deorum* sic disserit: *Βουφονία festivitas quædam fuit apud Athenienses, quæ in Dei Polei, id est, Jovis Polei honore agebatur: in his bos mactabatur ab eo, qui ex re βουφόνος, id est, bovicida dicebatur. Festum istud ob vetustatem desitum nomen tantummodo retinuit: siquidem cum prius bos cæderetur, mox popanon pro bove offerebant: popanon ipsum, id est, placentam nuncupantes bovem, ut ex Hesychio constat. De Buphoniis vero meminit in* Nebulis *Aristophanes*, καὶ κηκείδου, καὶ βουφονίων, *Et Cecidæ*, inquit, *& Buphoniorum.* Hæc ille. Buphonia, festivitas qua boves cædebantur.

SEQVITVR nunc Ἱπποθυσία, sive *equorum immolatio.* Hæc immolatio non minus frequens & usitata olim Ethnicis fuit, quam illa boum, sive taurorum. Hinc Romæ Idibus Decembribus, à ludis Circensibus, dexter equus, qui vicerat, sacer Marti immolabatur, præcisamque caudam quispiam ad Regiam appellatam portabat, aramque sanguine conspergebat. De capite quidam à Sacra via, alii à Suburra descendentes depugnabant. Utrum, ut ajunt nonnulli, quod equo captam arbitrentur Trojam, equum mulctant, ut qui Ἱπποθυσία, immolatio equorum, i. Apud Romanos.

Troia mixta essent soboles præclara Latinis:

An quod ferox, bellax, & Martialis equus sit, gratissima & maxime congruentia Diis immolant? Immolatur victor, quod victoriæ auctor hic sit Deus: vel potius, quod stabilitatis opifex Mars sit: ac superant, qui locum tenent in acie, illos qui deserunt locum & fugam capiunt: puniturque ut timiditatis occasio pernicitas, discuntque per ænigma eam fugientibus non esse salutarem. Hæc Plutarchus in *quæstionibus Romanis.*

Ab hac consuetudine immolandi equos, *October equus*, Festo teste, appellabatur, qui in campo Martio, mense Octobri, Marti quotannis immolabatur, de cujus capite maxima erat contentio inter Suburianos & Saravienses; ut hi in regiæ pariete: illi ad turrim Mamiliam id figerent: cujus cauda ut ex ea sanguis in focum distillaret, participandæ rei divinæ gratia, magna celeritate perferebatur in regiam. Equum autem hostiæ loco quidam Marti bellico Deo sacrari dicebant, non ut vulgus putabat, quia velut supplicium de eo sumeretur, quod Romani Ilio sint oriundi, & Trojani ista effigie sint capti. Equus October quis.

Paulus præterea testatur, Romanos solitos fuisse equi istius Idibus Octobris, in campo Martio, immolati caput panibus redimisse, quia sacrificium fiebat ob frugum eventum, & equum potius, quam bovem fuisse immolatum: quod hic bos frugibus pariendis esset aptus.

Nec vero tantum Romanis, sed multis etiam aliis gentibus equum hostiarum numero habitum fuisse, testimonio sunt, ut inquit Festus, Lacedæmonii, qui in monte Taygeto equum Ventis immolabant, ibidemque adolebant, ut eorum flatu cinis ejus per fines quam latissime deferretur. Et Salentini, apud quos Menzanæ Jovi dicatus vivus conjiciebatur in ignem. Et Rhodii; qui quotannis quadrigas Soli consecratas in mare jaciebant, quod is tali vehiculo Mundum feratur circumvehi. Ἱπποθυσία, immolatio equorum apud alias gentes.

Sic Persæ equo placare fuerunt soliti, teste Ovidio in *Fastis*:

Placat equo Persis radiis hyperiona cinctum.

Et Strabo libro undecimo equum à Maſſagetis Solis victimam mactari ſcripſit. Idem Herodotus à Scythis fieri tradit. Philoſtratus in *Heroicis* refert, Palamedem Græcis præcepiſſe, ut orienti Soli equum candidum mactarent. Parrhaſii tamen in Arcadia Apollini Epicurio, id eſt, auxiliari apium ſacrificabant, de quo poſtea. Myſi quoque non niſi immolato prius equo & litato extisque depaſtis vota conceperunt. Sic Gothos, teſtatur Johannes Magnus libro primo capite decimo tertio, proceſſuros in prælium, equos ad aras immolare fuiſſe ſolitos: quorum abſciſſa capita contisque excepta, ſubjectis ſtipitibus diſtentos faucium rictus ante acies præferebant.

Ad hunc morem equos immolandi alludit etiam Aventinus lib. I. *Annalium Bojorum*, ſic ſcribens: *Unus ducum Mœſorum, qui per Marcum Craſſum victi ſunt acie poſtulato ſilentio*: Qui vos, *inquit*, eſtis? *Reſponſum invicem*, Romani rerum domini. *Et illi*, Ita, *inquiunt*, fiet, ſi nos viceritis: *& ſtatim ante aciem immolato equo, concepere vota, ut cæſorum ducum extis & litarent & veſcerentur.*

Ὀνοθυσία, immolatio aſinorum. Ἱπποθυσίαν porro ſive *immolationem equorum* excipit ὀνοθυσία, ſive *immolatio aſinorum.* Nam etiam hoc animal legimus apud Gentiles certis Diis ac Numinibus fuiſſe conſecratum. Hinc quia & à Carmanis Mars colebatur: huic autem equos immolare Veteres ſolebant, quibus quidem illi carent; ideo aſinos, quibus in bello uterentur, illi ſacrificabant, ut Strabo in xv. ſcribit. Scytharum quinetiam hoſtias fuiſſe aſinos teſtatur Arnobius. Priapi quoque hoſtia fuit aſinus, propter membri virilis magnitudinem: cujus fabulam vide apud Lactantium Firmianum, & Ovidium in Faſtis, qui inter alia ſic canit,

Apud Carmanos. Apud Scythas. Apud Romanos.

Cæditur & rigido cuſtodi ruris aſellus:

Ubi per cuſtodem ruris Priapum intelligit, de quo officio ejus dictum eſt ſupra, cum de Diis agriculturæ ageremus.

Ac alia quidem fuerunt propria & ordinaria huic vel illi Deo offerri ſolita: alia extraordinaria pro re, loco atque tempore. Ut, exempli gratia, Priapi hoſtia propria fuit aſinus, ut paullo ante dictum eſt. Eidem tamen ſacrum fiebat & vitulâ & hirco hirſuto, & ſaginato agno: quæ impropria & extraordinaria ſacra illi fuerunt habita. Sic in *Priapeis*:

----- Puer domini florentis agelli
Poma Priapo offert, &c.

Lectum etiam in hiſtoria eſt, ab Hyperboreis Apollini aſinum immolari: cui ſententiæ aſtipulatur Callimachus:

Τέρπουσι λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.

id eſt, *pingues Apollinem oblectant aſinorum jugulationes.* Sed & de Hyperboreis Pindarus in *Pythiis*:

Παρ' οἷς ποτὲ Περσεὺς ἐδαίσατο λαγέτας
Δώματ' ἐσελθὼν κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας.

Vide Cœlium Rhodiginum libro trigeſimo, capite vigeſimo primo *antiquarum lectionum.*

Fuit autem hoc quoque ſacrificii genus Gentilibus valde conveniens, quos non mirum eſt, aſinina ſua ſtupiditate aſinos Diis ſuis, qui & ipſi aſini fuerunt, ſacrificâſſe.

Ἡμιονοθυσία καὶ καμηλοθυσία. immolatio mulorum & Camelorum. His adde mulos & camelos: è quibus Romani in Conſualibus mulum ſuo ſacrificio immolabant, quod hoc genus quadrupedum primum vehiculo junctum fuiſſe diceretur: Camelos autem, præſertim pingues, Arabes ſacrificant in ara Ignoti Dei, ſicut nupturæ virginibus camelis. Heroibus verò tauro, capro & ariete litant.

Atque hoc quidem modo majora, quæ vocant, pecora, ut boves, equos, aſinos, mulos & camelos, veteres Gentiles Diis ſuis ſacrificarunt atque immolarunt.

Προβατοθυσία, immolatio ovium, &c. Iidem etiam ſacrificarunt minora, ut ſues (de quorum ſacrificio, quia omnium primum & antiquiſſimum perhibetur, primo eſt dictum) oves, agnos vel agnas, hircos, capros vel capras, verres, arietes & ſimiles. Ac oves quidem Jovi & Dianæ immolabantur: Jovi, Idibus uniuscujusque menſis: unde & ovis *Idulis*, linguâ Hetruſcâ eſt dicta, & *Idus* ipſas nonnulli volunt dictas. Dianæ vero immolabantur oves à Perſis, quæ ideo *Perſia*, vel *Perſica* ſeu *Perſea* eſt nuncupata; de qua ſic Diodorus: *Colitur*, inquit, *& à Perſis plurimum Diana, cui myſteria inſtituerunt Barbari*; quæ, ut ait, ad ſuum uſque tempus *Perſea* dicebantur. Sed enim Dea hæc trans Euphratem colebatur ſummâ religione & cultu, cui ſacræ paſcebantur oves, nullo cuſtode. Quin & Ælianus ſcribit, quod cum Samiis aurum furto ſublatum ovis inveniſſet, Mandrabulus Samius Junoni ovem conſecrarit.

Præcipue autem agnos vel agnas olim ſacrificarunt: eo quod ſit hoſtia pura & immolationi apta. Unde agnus à Græco ἁγνὸς, *pium, purum & caſtum* ſignificat: quamvis alii ex Græco ἀμνὸς deducant; quod nomen apud majores communis fuiſſe generis, ſicut & lupus fuit, quod venit ex Græco λύκος, teſtatur Feſtus. Iſidorus tamen, ut hoc quoque addam, Latinos hoc nomen habere putat, eo quod præ cæteris animantibus matrem agnoſcat, adeo ut, etiamſi in magno grege erraverit, ſtatim balatu recognoſcat vocem parentis. Cæterum Jovi & Minervæ de agna res divina fiebat; Jovi quidem de agna bima: Minervæ vero Tubiluſtrio die, quo tubæ luſtrabantur. Juvenalis de hoc ſacrificio:

------ Niveam reginæ ducimus agnam
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura:

Id eſt, Palladi, quæ Mauritana Gorgone, capite Meduſæ uſa à Poëtis fingitur. Athenienſes quoque annua ſolennia tauris & agnis celebrare ſolebant, ut ait Alexander.

Ad

Τραγοθυσία immolatio hircorum. &c.

Ad hircos deinde seu capros quod attinet, constat Lusitanos iis potissimum in sacrificiis, quæ Marti fecerunt usos. Sic hircus coleatus Pani sacrificabatur, qui ad specus agebatur, in quo Pan ipse diversari putabatur, ut docet Lucianus. Quin etiam Dionysio, seu Baccho hircum vel caprum mactabant, quod hoc animalis genus maxime vites rodat; unde illud est:

Vite caper morso Bacchi mactatus ad aras
Dicitur ultoris, &c.

Virgilius in *Georg.* secundo:

----- *Baccho caper omnibus aris*
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi.

Et mox idem: *Ergo rite suum Baccho dicemus honorem*
Carminibus patriis, lancesque & liba feremus,
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Hinc etiam Prudentius contra Symmachum:

His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Cæditur & virides discindunt ore chelydros.

Ovidius in *Fastis*:

Rode caper vites: tamen hinc cum stabis ad aras,
In tua quod spargi cornua possit erit.

Meminit hujus victimæ, Baccho offerri solitæ, etiam beatus Cyprianus de duplici Martyrio, inquiens: *Non levius crimen Christianorum est, cogere ad ebrietatem, quam hircum Baccho immolare.* Pertinet huc quod Fauno res sacra fiebat de hœdo & vino, nonis Decembribus: unde celebritas hæc *Faunalia* dicebatur, ut Acron Porphyrionque consentiunt. Horatius libro tertio *Carminum* ad Faunum ipsum sic canit:

Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore.

Et mox: *Cum tibi nonæ redeunt Decembreis.*

Alii tamen etiam agno eidem sacra facta volunt.

Αἰγοθυσία, immolatio caprarum.

Capras præterea frequenter Diis suis atque Numinibus mactarunt & obtulerunt: id quod cum ex Alexandri testimonio manifestum est, tum ex Pausania & aliis. Alexander libro quarto, capite duodecimo testatur, in Pedasia, regione Cariæ, cum Jovi Lycæo statâ die sacrificetur, capram è Pedaso sua sponte ad sacrificii locum venire & se immolandum sistere. Et Pausanias in *Laconicis* refert, solos è Græcis omnibus Lacedæmonios solenne habere Junonem colere, quam Ægophagam nominant, eidemque capras immolare. Herculem quidem produnt, primum templum dedicasse, & Deæ capram mactasse. Id illum fecisse, quod contra Hippocoontis filios pugnanti nihil Juno adversi objecerit, cum perinde atque in aliis certaminibus contra pugnaturam putasset: capram vero fecisse, quod aliæ victimæ non suppeterent. Idem testatur in *Bœoticis*, Potniis, urbe Bœotiæ, fuisse olim Liberi patris ædes, cognomine *Ægoboli*, id est, *capram cædentis.* Ita enim aliquando accidit, ut, dum sacrificarent per temulentiam, eo væcordiæ processerint, ut ipsum Liberi patris sacerdotem occiderint. Quod piaculum cum atrox pestilentia consecuta esset, ex Delphici Apollinis responso, puerum Libero jam pubescentem mactandum acceperunt. Sed non multis post annis Deum ipsum capellam pro puero suppposuisse.

Æsculapio vero de capra res divina inprimis fiebat, quoniam capra nunquam sine febre esse dicitur. Salutis autem Deus Æsculapius. Sed & Jovi una, sicut Apollini duæ albæ capræ auratæ cum bove XVIII. Augusti immolabantur.

Κριοθυσία immolatio arietum.

Porro etiam arietis & verris immolandi consuetudo apud Ethnicos, Ægyptios præsertim, frequentata & celebrata fuit: quibus adde Gallos Cisalpinos, qui Marti verrem immolarunt. Ac *Aries* vel ἀπὸ τοῦ ἄρεος, id est, *à Marte* vocatus est, eo quod Marti potissimum hoc pecus immolatum est: sive quod apud Latinos in gregibus masculi *mares* dicuntur: vel etiam quod hoc pecus à Gentilibus non tantum in Martis honorem, sed etiam aliorum Deorum fictitiorum primum aris est immolatum. *Aries* quod aris imponeretur. Unde est illud:

------ *Aries mactatur ad aram.*

Κυνοθυσία immolatio canum, usitata apud Romanos.

Minoribus pecudibus adde canes; quorum immolatio non minus frequens & usitata olim fuit apud Ethnicos & Gentiles, quam reliquorum pecudum minorum. Plutarchus testis est in *Quæstionibus Romanis*, Lacedæmonios Neptuno immolasse canem, & Bœotiis, cane in duas partes dissecto per medium, iræ expiationem fuisse. Idem & Caribus: ut exta Diis offerre in usu haberent. Inde proverbium, *Carica victima.* Sic Gyneciæ Romani pro his, qui domi nascuntur, canem immolabant. Est autem Gynecia, quam Romani *Bonam Deam* vocant, quæ ex corruptibilibus generationes facit. Cui cum res divina fit, optant neminem bonum fieri, qui domi nascatur. Iidem Romani in Lupercalibus canem Pani immolare fuerunt soliti, mense Februario;

rio; quia Lupo canis infensus est, & in expiationibus cane litatum legimus apud Plutarchum. Inde forte quod Lupercos allatrarent & interpellarent canes per urbem discurrentes, aut etiam quia Pani, cui sacrificium hoc celebrabatur, acceptus esset ob caprarum greges canis. Iidem porro Romani ad placandum Caniculæ sidus, frugibus inimicum, mactabant canes: quas si russæ non sunt, puras non putarunt: quod sacrum *Canarium augurium* nuncuparunt. Festus: *Rutilæ canes, id est, non procul à rubro colore immolabantur, ut ait Atejus Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandæ sævitiæ caussâ sideris caniculæ.* Pro frugibus quoque & pecoribus, ut rubigo avertatur, lactenti catulo sacrum fieri convenerat: idque Robigalibus per Quirinalem flaminem sacrum extra urbem fieri: in quo super exta canis thus & merum infundere mos erat. Tales quoque catulos, recens editos, tam in adjicialibus, quam Deorum cœnis eos sæpe adhibuisse testatur Alexander libro tertio, capite duodecimo. Iidem Manæ Genetæ canem immolabant, votumque faciebant, ne quis dominatorum bonus esset, id est, mortuus. Nam eo loco Plutarchi in *Quæstionibus Romanis*, quæstione quinquagesima secunda, aliisque in locis *Bonus* ponitur pro *mortuo.*

Panegyris canum.

Pertinet huc Panegyris canum, à Romanis mense Augusto celebrari solita, quia ἀνύλακτοι, id est, *sine latratu* egerant, cum Capitolium à Gallis occupatum esset, anseribus ampliter sonoreque clamantibus. Tunc ergo vivas canes cruci sambucinæ affigebant, atque inter ædes Juventutis & Summani singulis annis Romæ ansere insidente, deferebantur.

Immolatio canum, usitata apud reliquas etiam gentes.

Nec vero tantum Romani canino hoc sacrificio plurimum usi & delectati fuerunt, sed etiam Græci, qui Hecatæ Chthoniæ canem pro domi nascentibus immolabant (sicut Romani, ut supra dictum, Manæ Genetæ:) licet diversimode quidem. Nonnulli enim Proserpinam existimantes, ei de cane sacra faciebant, ceu Deæ inferæ. Nam ut Plutarchus quodam loco in *quæstionibus* infert, *Veteres hoc animal impurum omnino esse putaverunt. Unde cœlestium Deorum nulli prorsus canis consecratus sit. Argivos etiam Socrates ait Lucinæ rem sacram cane fecisse ob pariendi facilitatem.* Quin cane Græci in omnibus fere piaculis usi fuerunt pro piaculari hostia. Catuli Hecatæ inter alia purgamentis offerebantur expiandosque catulis tangebant, quam februationem, id est, purgationem, seu lustrationem, Græce περισκυλακισμὸν, id est, *circumcatulationem* vocarunt, quod ex catulis sacrum fierit, ut Plutarchus scribit.

Canem porro Marti Enyalio mactabant Lacedæmonii, ut ait Pausanias in *Laconicis.* Scribit enim ephebos Lacones, cum pugnam essent inter se inituri, Marti canis catulum immolasse, Deo scilicet validissimo victimam validissimam, & cicurem se dicare arbitrantes. Subdit idem, catulos non sacrificari à Græcis, Colophoniis exceptis, qui catellam nigram nocturno tempore immolabant Triviæ. Sed de canibus apud Græcos & alios secus, quam Pausanias tradit, sacrificatum fuisse, ostendunt cum superiora exempla, tum Sabæorum & Thracum; de quibus Ovidius sic canit:

Exta canum Triviæ vidi libare Sabæos
Et quicunque tuas accolit, Aeme, nives.

Sic igitur, ut hoc quoque addam, Gentiles canina impudentia atque rabie, caninis sacrificiis fuerunt delectati.

Usitata olim etiam ferarum immolatio.

Nec vero domestica tantum & mansueta animalia, sed etiam feras Diis suis immolarunt. Sic enim, exempli gratia, aprum Parrhasii in Arcadia Apollini Epicurio, id est, auxiliari: cervam Dianæ. (Hæc enim ei victima pro Iphigenia data fuisse creditur:) lupum, ut etiam picum Latini Marti dicabant atque sacrificabant.

Ornithothysia immolatio volucrium. Gallus immolatus olim, & gallinæ.

Atque hæc quidem de τετραποδοθυσίᾳ, hoc est, *immolatione animalium Quadrupedum* satis: sequitur ut nunc secundo loco agamus de ὀρνιθοθυσίᾳ, hoc est, *avium immolatione*; quarum quidem omnis generis Gentiles Diis suis offerre fuerunt soliti: inter quas celebre valde & usitatum apud eos fuit sacrificium galli gallinacei, qui partim Nocti Deæ sacrificabatur & nocturno tempore, juxta illud Ovidii in *Fastis*:

Nocte Deæ Noctis cristatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.

Partim vero à Lacedæmoniis Marti: quando aperto Marte vicerant; quando vero strategemate, bovem immolabant: id quod ab eis non sine ratione fiebat, quod pluris æstimabant incruentam victoriam, quam cruentam. Idem, & quidem albus, Æsculapii quoque fuit victima. Sed & Gallinæ: & hæ quidem rostro nigro, nigrisque pedibus & digitis imparibus. Si enim luteo essent rostro vel pedibus, impuræ putabantur ab aruspicibus. Verum & Jovi & Cybeli & Mensi interdum dicatus fuit. Est & apud Plutarchum in libro *Isidis & Osiridis,* ubi de Anubi agit & Hermanubi: *Ad hunc*, inquit, *inferiora sicut ad illum superiora pertinent. Quopropter illi candidum gallum; huic croceum immolant. Sed Pyrrhus quoque rex, cum splene laborantibus mederetur, albo gallo sacrum peragebat.* Porro non modo Aristophanes in *Pluto*, quomodo sacra fierent & sanarentur ægroti in templo Æsculapii docet, sed & Philostratus in vita Apollonii Tyanei, & alii plerique.

His adde, quod Pythagoras quandoque Jovi gallum albis plumis immolasse dicitur, licet ejus symbolum hoc quoque fuisse constet, *Gallum enutrias, sed ne sacrifices.* Legimus item apud Pausaniam, Troezenios, gallo albis alarum pennis discerpto, Africum ventum è sinu Saronico agrum & vineas perflantem, novosque pampinos acriter torrentem, placare. Sic Socrates Mercurio gallum gallinaceum immolari jussit: forsan per contemtum, cum idem affirmarit Deum nequaquam victimis indigere.

Anseres immolati.

Anseres quinetiam, ad placandos Deos, sacrificiis adhibiti fuerunt, quod vigilantiæ symbolum hæc avis fuerit. Is autem Isidi, Deæ Ægyptiorum, quæ & Luna putabatur, ab aliquibus Ceres, mactabatur, jecurque illi apponebatur, ut Herodotus & Ovidius testantur: tametsi Macrobius aliique nonnulli asserant, Ægyptios thure & precibus Deos placasse.

Per-

Pertinent huc tetraones, quos Plinius decimo libro inter genera anserum recenſet; cujus verba hæc ſunt: *Decet & tetraonas ſuus nitor, abſolutaque nigritia: in ſuperciliis cocci rubor.* Tamen plerique omnes Pliniani codices non *Tetraonas* habent, ſed *Erythrotaonas.* Phœnicopteri & pavones in immolati.

Præter hanc hoſtiam è tetraonibus, Caligulam ſibi generatim per ſingulos dies immolari voluiſſe etiam phœnicopteros, pavones, numidicas, meleagrides, phaſianas, Suetonius teſtatur in ejus vita: ubi phœnicopterum, avem intelligit, cujus linguam optimi eſſe ſaporis Apitius docuit, nepotum, ut Plinius ait, altiſſimus gurges. De phænicoptero Martialis libro decimo tertio:

Dat mihi penna rubens nomen: ſed lingua guloſis
Noſtra ſapit, quid ſi garrula lingua foret?

Juvenalis: *Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens.*

Per Numidicas vero gallinas Africanas intelligit, quæ à plerisque *Numidicæ* dicuntur, quæque, ut docet Columella, non eædem ſunt, ſed Meleagridibus ſimiles, niſi quod rutilam criſtam capite gerunt, quæ ſunt utraque in Meleagride cærulea. Varro autem in tertio *de re ruſtica,* gallinas Africanas Meleagrides eſſe tradit. De Meleagridibus hæc Plinius in decimo, ſupra citato: *Simili modo pugnant Meleagrides in Bœotia Africæ: hoc eſt, gallinarum genus gibberum, variis ſparſum plumis, quæ noviſſimæ ſunt peregrinarum avium in menſas receptæ propter ingratum virus: verum Meleagri tumulus nobiles eas fecit*: ubi Tranquillus, ſentiens cum Columella, ſeparat Meleagridas à Numidicis. Nam ſejunctim potius, quam conjunctim ſingula hæc legi debent. De Numidica ſic ait Petronius arbiter: Numidicæ immolatæ.

Gallina tibi Numidica: tibi gallus ſpado.

Sed & phaſianas immolari debuiſſe Caligulæ Suetonius tradit; quas conſtat à Phaſi fluvio Colchorum *phaſianas* nominatas, unde primum tranſportatam ſe phaſiana teſtatur apud Epigrammatiſtam. Adrianus, ut hoc quoque addam, tetrapharmaco, vel potius pentapharmaco uſus eſt, quod cibi regii genus eſt, conſtans ex rebus quinque, hoc eſt, ſumine, phaſiano, pavone, cruſtulato & aprugna. Obiter etiam hoc libet addere: Antoninus Geta habebat iſtam conſuetudinem, ut prandia parari juberet, per ſingulas litteras, veluti per *f* ut ita edulia omnia, quæ inciperent ab ea littera, apponerentur, ut *faſianus, farrata, ficus, ficedula*: & modo per *a*, ut *anſer, anas, &c.* modo per *p*, ut *pullus, perdix, pavus, porcellus, &c.* Alexander Romanus Imper. diebus tantum feſtis phaſianum adhibuit in menſa. Phaſianæ immolatæ.

Sed redeamus ad epulum ſacrum, nempe ſacrificium. Ad hoc præter gallos, gallinas, anſeres & reliquas aves, de quibus modo dictum, adhibitæ etiam fuerunt albæ columbæ, coturnices & aliæ. Albas columnas Veneri dicabant & conſecrabant. Et ideo Æneas apud Poëtam *maternas* appellat *aves.* De coturnice Athenæus ſcribit libro nono, Herculem Jovis & Aſteriæ filium in Libyam proficiſcentem, à Typhone fuiſſe interemtum: revocatum autem in vitam odore coturnicis, illi ab Iolao admotæ: & ob eam cauſſam Phœnices Herculi coturnice ſacrificare. Columbæ immolatæ. Coturnices immolatæ.

Hæc de ὀρνιθοθυσίᾳ, hoc eſt, *immolatione avium*: Supereſt Aquatilium immolatio, & inſectorum omnis generis. Ad Aquatilia quod attinet, inter ea potiſſimum anguillas Copaidas, a lacu ſic vocatas, à Bœotiis, hoſtiarum in morem coronatas molaque perfuſas, Diis ſacrificari probat Athenæus, opinionem Syllæ cujuſdam in *Sympoſiacis* Plutarchi, ἰχθύων θύσιμ☉ οὐδείς, οὐδὲ ἱερόθυσιμός ἐστι, validis argumentis quaſi ex profeſſo labefactans. Idem ſcribit & piſcatores ex thynnis, quem maximum cepiſſent, Neptuno immolare ſolitos, & ſacra ea *Thynnæ* appellaſſe. Mnaſeas etiam Atergatidis Deæ ſacra piſcibus fieri prodidit, cum veris & coctis, tum ſimulatis ex auro & argento. Phaſelitæ quoque in Lycia piſcium ſalſamenta quotannis patrio ritu Diis ſuis, & præſertim Marti, offerre ſolebant: idque ſacrum inſtitutum, quod Lacius Argivus à paſtore Cylabra campum emiſſe ad ædificandam urbem piſcium ſalſamentis fertur potius quam farina vel melle. Quinetiam & aruſpicinam Lycios exercuiſſe Athenæus ex Polycharmo prodit ex piſcibus, & futura prædixiſſe. Porro & mullum piſcem, id eſt, triglam, Proſerpinæ, ac item Dianæ ſacrificarunt antiqui, & citharon Apollini, Mercurio bocas, Libero patri cittulum, apuam Veneri, Neptuno pompilum, quem & *ſacrum piſcem* quidam vocavere, ut pluribus Athenæus expoſuit & Ælianus. Porro & hoc obſervatum eſt, mullum barbatulum non attingi à ſacrificantibus ſacerdotibus, nec à fœmina Argolica Junonis ſacerdote. Ab Ægyptiis certe in ſacris piſces interdici teſtatur Brod. in primo *Epigrammatum:* Ἰχθυοθυσία, immolatio piſcium.

Quid dicam quod ne parvula quidem,
----- quæ exemplo eſt magni formica laboris:

Ut de ea Horatius canit, ab hac immolatione fuit immunis: quam ſimiliter Diis offerri ſolitam fuiſſe legimus; & quidem in Iſthmo Neptuno & Soli? Μυρμηκοθυσία, immolatio formicarum.

Hujuſmodi autem eſt etiam animalium brutorum, ſeu ratione carentium θυσία: ſive *immolatio*: quæ perinde ut animalia ratione utentia, non tantum integra & ſolida, ſed etiam illorum partes, excrementa, atque fœtus ſive fructus Diis offerebantur: quæ partes *Strebula* in plurali numero Umbrorum linguâ fuerunt appellatæ, teſte Pompejo. Utque ſanguis humanus è partibus humanis potiſſimum fuit immolatus: ita & pecudum. Idem judicium eſto de reliquis, quæ illic inter partes ſacrificatas victimæ humanæ fuerunt à nobis poſitæ. Sacrificatæ olim animalium brutorum quæque partes.

Excrementa quinetiam & ſtercora jumentorum & pecorum quidam immolarunt. Hinc de Kyrgeſſis Tartaris, qui catervatim in campis degunt, Guagninus in deſcriptione Tartariæ literis memoriæque prodidit, eos ritum gentilem hujuſmodi habere. Sacrificus ipſorum quo tempore rem divinam peragit, tunc ſanguinem, lac & fimum jumentorum terramque ſumit, commixtioneque inſimul facta, in vas quoddam infundit, & unâ Excrementa.

cum

cum hoc arborem ascendit, ad populumque circumstantem concionatur. Concione peracta in stultam plebeculam prædictam commixtionem spargit: populus vero in terram pronus provolvitur, aspersiunculamque hanc pro Deo colit, firmeque credit nihil esse deinde salutare humano generi, ac terram, pecus, armentaque.

Fœtus sive fructus. Ova. Ad fœtus sive fructus quod attinet, constat animalium istorum cum ova, tum lac, tum mel, tanquam expiationibus quoque apta, immolari & sacrificari fuisse solita. De ovorum immolatione sic Iuvenalis:

------ *nisi se centum lustraverit ovis.*

Et Tertullianus *de spectaculis: Honori Castorum adscribunt,* (Gentiles) *qui illos ovo editos credendo de Cygno Jove non erubescunt.*

Lac. Quantum deinde ad lac attinet, constat ejus quoque usum olim in sacrificiis fuisse frequentissimum. Hinc Plinius in prolog. 1. *Verum & Diis*, inquit *lacte rustici multæque gentes supplicant, & mola tantum salsa litant, qui non habent thus.* Idem libro decimo quarto capite duodecimo, Romulum ait, lacte, non vino libasse; cujus rei indicio sunt sacra ab eo instituta. Cur Ruminæ Deæ sacrificantes mulieres lac, non vinum victimæ invergere, sive infundere fuerint solitæ, rationem reddit Plutarchus in *quæstionibus Romanis*: idque fieri putavit propter ficum Ruminalem, sub qua Romulus Rumam, id est, mammam suxit: vel quod vinum infantibus minus convenire existimabatur. Sic Mercurio quoque lacte, non vino supplicabatur Romæ in vico, qui idcirco *Sobrius* dictus: alii tamen sic dictum putant, quod in eo taberna nulla fuerit.

Sed in Noctis quoque & Fortunæ sacris lac legimus fuisse adhibitum. Fortunæ quidem virilis; mense Aprili simul cum thure, melle & papavere: quod sacrum & Cereri commune fuit. Lacte similiter Sylvanum placabant, Horatio teste:

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant.

Sed & Plutoni, id est, Diti patri, vino, melle, lacte, & sterilibus pecudibus sacra fieri fuerunt solita. De more lactatâ utendi potione in Oscillorum festo testatur Festus.

Pales quoque pastorum pabulique Dea, cujus festa dicta *Palilia*, vel, ut alii volunt, *Parilia*, lacte fuit culta. Tibullus:

Et placidam niveo spargere lacte Palem.

Ovidius: ------ *Et tepido lacte precare Palem.*

Huic & pro partu pecorum sacra fiebant lacte. Hanc Palen Varro scribit ab aliis *Vestam*; ab aliis *matrem Deûm* nominari, itemque genere fœmineo appellari; ab aliis masculino, de quo supra.

Mel. Ut autem lactis, sic mellis quoque (cujus Deam finxerunt Mellonam, sive Melloniam: Deum autem Aristeum, Atheniensem) non parvus in sacris apud Gentiles usus fuit. De Mellis mulsique naturâ & viribus vide Plinium libro vigesimo secundo, capite decimo quarto, ubi inter alia, *Multi*, inquit, *senectam longam mulsi tantum nutritu toleravere, neque ullo alio cibo, celebri Pollionis Romuli exemplo, quem centesimum annum excedentem cum Divus Augustus hospes interrogasset*, Qua nam ratione maxime vigorem illum animi corporisque custodisset, *ille respondit*: Intus mulso; foris ovo.

Præcipue autem Athenienses Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Uraniæ & Nymphis, non vino sed aquâ, melle dilutâ sacrificarunt. Sic in Asopo, in Eumenidum æde, non nisi mulso libare, & pro coronis floribus uti permissum erat, teste Alexandro ab Alexandris, libro tertio, capite duodecimo. Sic Arestæ & Hygicæ nomina erant mellituræ, quæ in sacrificiis degustandæ præbebantur. Huc illud Apulei libro tertio, *Melle montano libat.*

Diti patri, id est, Plutoni melle, vino, lacte, sanguine & sterilibus pecudibus sacra fieri fuisse solita, & Fortunæ melle, lacte & papavere, supra dictum fuit: & tamen Plutarchus quæstione quinta *Sympoſiacῶn*, *cur mel sacrificiis non fuerit adhibitum*, hanc rationem affert, quod ejus admixtione vinum corrumpi videatur, eoque libabatur, & ebrietas parabatur, antequam vinum extitisset. Et certe mellis usus in sacrificiis Judaicis fuit prohibitus. Nam *Levitici* capite secundo hæc verba legimus: *Nec quicquam mellis, aut fermenti adolebis in sacrificio*: quo præcepto allegorice, sive tropologice, mellis quidem nomine adulatio, assentatio, voluptas & deliciæ; fermenti vero nomine cum hypocrisis & fucus, tum malitia & obtrectatio intelliguntur, à quibus in sacrificiis, cultuque Dei prorsus est abstinendum.

Et hæc de materia sacrificiorum atque adeo totius cultus, sive superstitionis potius, Ethnicorum animatâ, nempe omnis generis animalium, tam rationalium, quam brutorum, tam cicurum, quam ferarum, tam minorum, quam majorum, satis sint dicta, quantum quidem propositi nostri ratio postulabat.

De materia inanimatâ sacrificiorum. VENIAMUS ad materiam inanimatam, nempe plantas omnis generis, fruges atque fructus, quæ Diis suis ac Numinibus obtulerunt Gentiles: quarum quidem sacrificia antiquissima habita fuerunt, antiquiora longe illis, quæ ex animalibus constabant. Id testatur Plato libro sexto *de Legibus*, docens, homines primos, non solum cibis, sed etiam sacrificiis cruentis abstinuisse, omnibusque rebus ἐμψύχοις, id est, *animatis*: sola vero ἄψυχα, id est, *inanimata*, esitavisse & sacrificasse. Et hunc quidem primum hominum cum victum, tum sacrificia fuisse testantur omnes fere Poëtæ & scriptores antiqui, ut ex illorum monumentis satis constat. Qua de re videre potes etiam Danæi libellum *de prima Mundi ætate.*

Duo antiquissima Caini & Abelis sacrificia. Duo autem antiquissima in sacris litteris legimus illa fuisse Caini & Abelis sacrificia duorum fratrum germanorum, filiorum Adami & Evæ, quorum ille quidem primogenitus, tanquam agricola, ex terræ frugibus; hic vero tanquam opilio ex primogenitis pecudum suarum & de adipe illarum Deo sacrificasse legitur.

Porro

Porro Gentilium sacrificia, quæ constant ex iis, quæ terra producit, varia fuerunt & multiplicia secundum diversa eorum, quæ terra nascuntur, genera, ut sunt omnis generis herbæ, olera, flores, Cerealia, frumentacea, legumina, fruges atque fructus. Hæc ipsa verò sacrificia inanimata vel etiam simplicia & cruda, vel composita fuerunt atque cocta.

Ζεαθυσία, oblatio farris

Exordiamur autem ab farre & hordeo: quæ quidem omnium prima Ethnici existimârunt esse sacrificia. Ac Ægyptii certe, teste Diodoro Siculo, in æstate spicas Isidi offerebant, invocantes & implorantes Deam, ut fruges prosperaret. Illa enim tritici & hordei inventrix fuisse credebatur. Eandem ob causam Græci & Romani quoque Cereri Deæ frugum (quam eandem nonnulli volunt fuisse cum Iside illa Ægyptia) spicas, & ex eis coronas frugumque primitias offerebant.

Farre Dii culti a Numa.

Farris causâ instituta Fornacalia.

Numa Pompilius, ut inquit Plinius libro decimo octavo, capite secundo, *Deos fruge coli, & mola salsa supplicari instituit: quam molam ex farre, sale & aqua composuit, sine qua nullum sacrificium ratum fieri censuit. Atque id far nisi tostum esset, ad rem divinam non esse purum statuit; quoniam tostum cibo salubrius esset. Farris autem torrendi caussa Fornacalia instituit, certas videlicet ferias*; de quibus sic Festus: *Fornacalia feriæ institutæ sunt farris torrendi gratiâ, quod ad Fornacem, quæ in pistrino erat, sacrificium fieri solet.* Item, *Fornacalia erant sacra, cum far in fornaculis torrebant.* Idem Plinius, *Far primum Antiquis in Latio cibum fuisse* testatur, & *Adoreum* à Veteribus dictum, à cujus honore gloriam ipsam *Adoream* appellabant. Festus, *Adoream* inquit, *gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret:* unde ab אדר *Aeder* Hebræorum voce, *gloriam* significante Zachariæ undecimo, Kimchi interprete, videtur deducta.

Confarreatio.

Quin & in sacris, inquit idem Plinius, libro decimo octavo, capite tertio, *nihil religiosius Confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ farreum præferebant.* De Confarreatione autem ista sic scribit Dionysius Halicarnassæus in Romulo: *Sacras nuptias* ait *Farracia esse dicta, quod eodem farre conjuges vescerentur: quo etiam victimas respergerent.* Itaque Ulpianus Tit. II. *Institutionum: Farre*, inquit, *convenitur in manum certis verbis & testibus decem præsentibus & solenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Tacitus libro tertio *Annalium*, *Confarreandi consuetudinem aut omissam, aut inter paucos retentam fuisse* docet. Boëtius *tribus modis*, inquit, *uxor habebatur, usu, farre, coëmptione: sed Confarreatio solis Pontificibus conveniebat:* id sic interpretatur Rævardus, eam per solos Pontifices peractam fuisse. Farreum porro, cujus eodem illo loco Plinius meminit, aliquando locum, ubi far reponitur atque reconditur, ut horreum granarium; aliquando libum ex farre confectum significat. Festus: *Farreum genus libi ex farre factum.* Et alibi: *Horreum Antiqui dicebant farreum à farre.* Meminit & *Diffarreationis* Festus, quæ genus erat sacrificii, quod inter virum & mulierem fiebat farreo libo adhibito.

Diffarreatio.

Mola salsa.

Mola igitur salsa ex farre & sale constabat, unde *immolatio* dicta, quæ erat hostiæ quasi consecratio, nihilque proprie erat aliud, quam molæ in caput victimæ infusio, sive collocatio. Ab hac sacerdos sacrum inchoabat, fruges nimirum aut molam salsam, in caput victimæ deponendo, addito thure masculo, ut testatur Plinius libro tertio, capite septimo. Huc pertinet illud proverbium, *μὴ θύειν ἄτερ ἀλφίτων*, *Ne sacrifices sine farina*, quæ à *farre* dicta. Item hoc: *Ador farris genus edor quondam appellatum ab edendo, vel quod aduratur, ut fiat tostum: unde in sacrificio mola salsa efficitur:* Festus. Vitellium Imperatorem Suetonius scribit, hominem adeo non profundæ modo, sed intempestivæ quoque & stolidæ gulæ fuisse, ut ne in sacrificio quidem unquam aut itinere ullo temperarit, quin inter altaria ibidem statim viscus, id est, carnes holocaustorum & farra pone rapta è foco manderet.

Molæ salsæ nomina Græca.

Mola salsa ob quam caussam olim in sacris præmissa.

Ut autem Romani far, sic Græcorum plerique non far, sed hordei primitias libumque & placentas ex hordeo Diis offerebant, hordeumque sale inspersum inprimis infundi satius duxere, sine quo salva religione nullum sacrum fieri poterat. Illum qui primitias ejusmodi colligebât *Critologum* dixere, teste Plutarcho in *Quæstionibus Græcis*, quæstione sexta, & Alexandro ab Alexand. libro tertio, capite duodecimo. Græci igitur has molas salsas οὐλοχυτὰς, sive οὐλοχύτους suâ lingua appellabant, voce composita ex ὀλὴ, id est, *ordeum molitum* & χύσεως, id est, *infusione.* (Apud Homerum sæpe οὐλοχύτους προβάλοντο, id est, *molas porriciebant.*) Hujus vero cerimoniæ Eustathius Ἰλιάδ. α. hanc rationem reddit: *Veteres*, inquit, *in suis sacris* οὐλοχύτας, *sive* ὁλοχύτας, *ordeum hoc, sive hordeum, sale* συγχεόμενον, *commixtum semper præmittebant: ut hoc ipso Deorum erga homines benignitatem in frugum inventione (inter quas ordeum primum fuisse traditur: quam ob causam* κριθὴ Græcis *dictum est* ἀπὸ τοῦ διακρῖναι, *quoniam mansuetiore victu homines usi, à belluina quoque naturâ sensim segregati fuere) & Reipublicæ constitutione (cujus symbolum est sal; quoniam sicuti ex variis guttulis una salis mica solida, victus quotidiani condimentum, nascitur: ita etiam ex multis civibus, quos mansuetior vitæ cultus in unum, frugum inventarum beneficio, reduxit, una civitas & Respublica oritur) ob oculos ponerent, & suam quoque gratitudinem testarentur, atque ita tum beneficiorum recordatione, tum gratiarum actione Deorum benivolentiam porro sibi compararent. Præmissis hisce molis preces subjungebant & sacrificia peragebant.* Hactenus Eustathius. Megaris vero dum ad Terei sepulcrum sacrum fiebat, pro hordeo calculis utebantur, teste eodem Alexandro libro quarto, capite decimo septimo. Ac Dianæ Propyleæ Eleusiniæ nullam, nisi ex ibi nato hordeo molam conficere fas fuit. Virgines porro Vestales, teste Alexandro libro quinto, capite duodecimo, molâ casta & sale tuso in ollam fictilem misso, mox in aquam injecto Vestæ sacra faciebant, calicibusque fictilibus, quos *Culullos* dicebant, Vestæ & Diis libabant. Eidem Deæ frugum primitiæ fuerunt oblatæ. Erat autem casta mola sacrificii genus proprium virginum Vestalium, ut Festus testatur. Pertinet huc *Pecunia*, sive *pecuniæ*, sacrificium, ut Paullus testatur, quod fieri

Mola casta.

dicebatur, cum fruges fructusque offerebantur, quia ex his rebus omnis res familiaris constat, quam nunc Pecuniam dicimus. Hæc de Cerealibus.

Ὀσπρεοθυσία oblatio leguminum.

Leguminum quoque in sacris maximus olim usus fuit. Hinc aras dedicaturi aut simulacra Dei alicujus, legumina elixa pro primitiis offerebant dedicatis, ob memoriam grati animi de primo victu. Aristophanes in *Danais*: *Testor*, inquit, *Jovis Hercei ollas, cum quibus ara dedicata est olim.* Sic Mercuriales statuas pro foribus, & alia sigilla dedicantes, quo felicior esset erectio, ollas polentæ adhibebant, ut testatur Suidas in voce χύτραις ἱδρυτέον, *Ollis pax sancienda.*

Κυαμοθυσία oblatio fabarum.

Suffimenta ex faba milioque aspersa mulso Diis offerri absque victima solita; quo tempore uvæ calente prælo premuntur, testatur Alexander ab Alexandro libro secundo, capite vigesimo secundo.

Porro fabæ ipsæ, teste Festo, & in Lemuralibus jaciebantur larvis, & in parentalibus sacrificiis adhibebantur, Manes placandi gratia, in quarum flore luctus litteræ apparere videntur: unde *pallens à* Martiale videtur dici; & Manes idcirco sese vulgo dicebantur in fabas abdere. Hanc ipsam autem ob causam impuræ habebantur, quas ideo, ut Festus indicat, Diali flamini, nec tangere, nec nominare licebat, quod nimirum putabantur ad mortuos pertinere. De iisdem Alexander ab Alexandro libro tertio, capite duodecimo sic scribit: *In Lemuralibus fabam noctu jacere usurpatum est, Lemures se ex domo ejicere clamantes. Eam nigram esse convenit: ipsamque lotis manibus & pede nudo per ora versare, & post terga rejicere,ærisque tinnitum facere: ut Lemures fabis redemti, domo abirent, novies orare: idque Majo mense tribus noctibus fieri, donec solutis religione animis, Manes expiatos ducerent. In Parentalibus assumere fabas usus obtinuit: sicut in pervigiliis cicer: ac ferales cœnas lentesque & offas ad sepulcra illorum ferre, quibus parentare jus erat (quæ etiam* Feralia *à ferendis epulis dicta sunt) & in defunctorum sepulchris super nudam silicem apponere.*

Faba refriva quæ.

His adde, quod ab hoc usu sacro fabæ, ea *Refriva* dicta est; de quo cognomine sic Festus: *Refriva faba dicitur, ut ait Cincius quoque, quæ ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicii causâ quasi revocent fruges, ut domum datantes tevirtico ad rem divinam faciendam. Ælius dubitat, an ea sit, quæ prolata in segetem, domum referatur; an quæ refrigatur, quod est, torreatur: sed opinionem Cincii adjuvat, quod in sacrificiis publicis, cum puls fabata Diis datur, nominatur* refriva.

Σκοροθυσία oblatio alliorum, &c.

Alliorum præterea & papaverum capitibus Romani Maniæ, quæ mater Larium fuit, in Compitalibus sacrificia fecerunt, pro incolumitate videlicet familiæ: pro qua antea illi pueros mactabant. Testis hujus rei est idem Alexander.

Κλαδοθυσία oblatio ramorum arborum.

Arborum quinetiam ramos ac palmites cum suis racemis olim Ethnici Diis suis consecrarunt atque immolarunt. Id præcipue memoriæ proditum est de pueris ingenuis pubescentibus apud Athenienses, qui in templum Minervæ Seiriados arborum ramos & palmites cum racemis ferebant, eique offerebant: quod festum sive celebritas ideo *Oschophoria* fuit appellata ἀπὸ τῶν ὄσχων, id est *ramis*: cujus apud auctores, inprimis Plutarchum crebra fit mentio.

Ἀνθοθυσία, oblatio florum.

Frumentorum, leguminum & arborum quoque flores ac fructus obtulerunt: inde enim *Florifertum*, celebritas, seu dies festus dictus, quo spicæ ferebantur ad sacrarium: & inter leguminum quidem flores, potissimum fabarum & Ciceris flores oblati: unde *Flora* nomen obtinuit, & ab hac *Floralia*. Scribit Plutarchus, simulacrum Floræ in æde Castoris & Pollucis, à Praxitele summa industria formatum, multis coloribus, tunica indutum fuisse, in cujus Deæ dextra flores fabarum & ciceris fuerint. In his Floralibus tradit Porphyrion Ædiles cicer & fabam populo spargere solitos. Versicolor autem color ideo Floræ attributus, quia nullus color est, qui in floribus non reperiatur. Sane Chloris, quam Ovidius *Floram* ait, meminit & Catullus, & ante hos Homerus in *Odyss.*

Ἀνθεστήρια, Floralia, festum.

Συκοθυσία, oblatio ficuum &c.

Ex fructibus vero arborum olim ficus & poma in sacris adhiberi & offerri solita constat. Poma quidem Priapo potissimum. Sic enim in Priapeis:

---- Puer domini florentis agelli
Poma Priapo offert: &c.

Er forsan etiam Pomonæ, Pomorum Deæ ac patronæ.

Λιβοθυσία, oblatio liborum, placentarum, & omnis generis eduliorum

Denique nimis operosum esset ac pene infinitum, panum, placentarum, liborum, eduliorumque variorum, quæ ex frumento, farre & leguminibus confecta & composita fuerunt, genera, Diis offerri solita, enumerare. Proprii quibusdam Diis panes erant dicati, de quorum nonnullis Athenæus & Pollux libro sexto scribunt: cujusmodi præ aliis erant Obeliophori, in Bacchi celebritatibus: Pelani vero omnibus Diis erant communes. Placentæ nomen erat & bos cornuta, Apollini, Dianæ, Hecatæ & Lunæ attributa.

Prothymata, &c.

Huc pertinent Prothymata, in sacris potissimum Æsculapii, ut est apud Aristophanem, adhibita: item Melittutæ, Aristæ & Hygicæ molæ species: item Ἀθάρα, Atticè Ἀθάρη, panis cavus, sive excavatus, sine farina, quam in sacris suis comedebant, ut idem multis testatur, gravissimus autor, Aristophanes: cujusmodi buccea panis excavata est, & μυστίλη, qua pulmentum aut jus hauritur.

Popana.

Pastilia.

Pertinent huc etiam πόπανα, placentulæ tenues, rotundæ, sacrificiis aptæ: item πέλανοι, similes fere placentulæ, in sacrificiis usitatæ, de quibus vide Aristophanem & ejus Scholiastem. Sic *Pastillum*, auctore Festo, genus erat libi rotundi, quod Diis offerebatur: Et *Pastillus*, teste Paulo, forma panis parva. Utrunque & *Pastillum*, & *Pastillus* diminutivum est à *pane*.

Liba.

Placentæ porro, quæ ex farre & melle constabant; & Deorum sacrificiis potissimum erant destinatæ,

Liba

Liba vocarunt Latini, quæ nos Germani leib dicimus, ut *Libum panis*, ein leib brots: de quibus Virgilius:

---- Et adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis, &c.

Et Ovidius: *---- Cui cum Cereale sacerdos*
Imponit libum.

Vocat *Cereale*, tanquam confectum Cerere, id est, pane. Cererem enim pro pane frequenter usurpari notius est, quam ut quenquam fugiat. Ob eandem causam dicebatur etiam *farreum*, tanquam ex farre confectum. Hoc, inter alia, fiebat diffarreatio, de qua supra, quæ genus erat sacrificii, quo fiebat inter virum & mulierem dissolutio matrimonii, scilicet per confarreationem contracti. *Libum* autem, teste Varrone, fuit dictum, quod libaretur priusquam esset, ut erat coctum. A voce hac *libi* ipse Bacchus nonnullis visus est *Liber* dictus, cum quod ea exhibuit, ut tradit Plutarchus *Quæstione Romana* centesima quarta, tum quod liba & mella mense Martio, illi offerri fuerunt solita. Tibullus I. Liber.

Sic venias hodierne: tibi nam thuris honores
Libaque Mopsopio dulcia mella feram.

Hinc forsan & *Liberalia* sunt dicta, ceu Liberi à *libis* appellati, festa, quæ apud Græcos dicuntur Διονύσια, tametsi Nævius à libera linguâ ea denominet, inquiens: *Liberâ linguâ loquemur ludis liberalibus.* Liberalia.

Ad libi genera pertinet Janual, genus libi, Festo authore, quod Jano tantummodò libabatur: & Punicum, quod translatum a Pœnis etiam genus libi erat, dictum alio nomine *Probum*, quia erat præ cæteris suavissimum. At *Moretum* genus erat edulii rusticani, Rheæ Deæ offerri solitum. Ejusdem descriptionem vide apud Virgilium; & confectionem apud Columellam libro *de re rustica* ultimo. Sic *Cocetum* genus erat edulii ex melle & papavere factum, auctore Festo. *Fertum* item sive *Feretum* libi genus erat, quod crebrius ad sacra ferebatur; nec sine Strue, altero genere libi, quod qui adferebant *Struifertarii*, sive *Strufertarii*, sive etiam *Struferctarii* sunt dicti, voce composita à *Strue* & *ferto*: Festus. *Struifertarii* sive *Strufertarii*, ut idem testatur fuerunt dicti, qui quædam sacrificia ad arbores fulguritas faciebant, à *Ferto* scilicet, quodam sacrificii genere: quod ipsum Isidorus vocat *oblationem*, quæ altari offertur, & sacrificatur à Pontificibus, à quo *Offertorium* nominatur, quasi *propter fertum*. *Strues* porro genera liborum sunt, digitorum conjunctorum non dissimilia, quæ superjecta paniculo in transversum continentur. Arculata quinetiam certa genera liborum erant, circuli videlicet, qui ex farina in sacrificiis fiebant. Sic *Africia*, *Gratilla*, *Catumeum*, *Conspoleum*, *Cubulum*, erant certa liborum sacrorum nomina atque genera, quorum Arnobius meminit. De victu autem antiquissimo, de pulte, pulmento, pulmentario, tritico, farre, libo, testuaceo, placenta, vide Varronem libro quarto *de lingua Latina*. Ac pulte quidem vel offa, non pane, longo tempore vixisse Romanos manifestum est, quoniam inde & *pulmentaria* hodie quoque dicuntur. Et Ennius antiquissimus Vates obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat. Et hodie sacra prisca atque Natalium pulte fritillo conficiuntur, inquit Plinius libro decimooctavo, capite octavo. *Puls*, inquit Festus, *potißimum dabatur pullis in auspiciis, quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id est, terripavium. Pavire enim ferire est*, ut supra quoque annotatum fuit ex eodem Festo. Janual. Punicum. Moretum. Cocetum. Struifertarii qui. Strues. Arculata Africia, &c. Puls.

Denique ad libi genera pertinet etiam *placenta*, ex farina & casto melle confecta: sic dicta nonnullis quod vel offerentibus ipsa placeat, vel Diis, quibus offertur; atque ita ea soleret Deos placare: sed potius à Græca voce πλακοῦς, πλακοῦντος, contractâ à πλακόεις, εντος, *placentam* significante derivatur. Athenæus libro tertio: πλακοῦς ἐκ γάλακτος ἰτρίωντε, ὃν ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι, *quam Romani libum vocant.* Placenta.

Huc referri debent *Fitilla* & *Frumen*, quæ interprete Arnobio, similiter fuerunt pultium nomina, sed genere & qualitate diversa. Arnobius alia quoque pultium seu pulmentorum, & liborum, quorum dicit esse mille species, nomina enumerat: quæ, ut idem ait, Ethnici fecerunt obscuriora, ut augustiora vulgo essent. Fitilla & Frumen. Arnobius de idololatria Ethnicorum.

Libet hîc subjicere ejusdem Arnobii verba, quibus Ethnicorum insanam istam idololatriam mirifice exagitat: *In hoc enim*, inquit, *diutius loco huic caussa vel maxime necessario immoramur, insistimus, inhæremus, cupientes addiscere, quid cum pultibus Deo sit, quid cum libis, quid diversis cum fratribus confectionis jure multiplici, atque impensarum varietate conditis? Opiparis Numina cœnis afficiuntur, aut prandiis, ut innumeras conveniat excogitare his dapes aversionibus stomachorum laborant? & ad expellenda fastidia saporum varietas quæritur, ut modo his assa, modo cruda ponantur, semicocta modo & semicruda? quod si omnes has partes, quas præsicias dicitis accipere Dii amant suntque illis gratiæ, vel voluptatis alicujus, vel dulcedinis sensu, quid intercedit, quid prohibet, ut non semel hæc omnia totis cum animantibus inferatis? Quæ caussa, quæ ratio est, ut caro strebula separatim, rumæ cauda & plasea separatim, isitium solum, omentum solum, augmentorum adjicitur in causam? Pulmentorum varietatibus afficiuntur Dii cœlites, ut fieri mos est post cœnarum ditium & locupletum saginas; frustilla hæc parvula pro suavibus mateolis sumunt, non quibus famem sedent, sed ut palatis admoveant ocium, seque ipsos plenæ appetitu voracitatis instigent? O Deorum magnitudo mirabilis? O nullis hominum comprehensa, nullis intellecta naturis? siquidem, ut prosint, testiculis pecudum redimuntur & rumis, neque prius iras atque animos ponunt, nisi sibi adoleri paratas conspexerint nænias, offasque penitas.*

Hactenus Arnobius: quibus quidem verbis insanam, ut dixi, perstringit idololatriam Gentilium: ubi simul hæc quoque notanda: in gentium sacris usitata. Per *strebulam carnem*, vel ut Poëta contractius, per *carostrebulam* Strebula.

ſtrebulam (quam vocem à στρέφειν deducit Varro, à loci, id eſt, coxendicum verſura) partes carnium ſacrificatarum appellari Umbrorum linguâ, quæ & *Strebula* in plurali dicuntur, neutro genere. Deinde averſionem ſtomachi hanc affectionem eſſe, quam Galenus octavo *de compoſitione medicamentorum* capite tertio ἀπεφίαν vocat. *Præſicias* vero, quæ præſecta vel profecta projiciuntur, unde Turnebus ſuis in Varronem commentariis legit, *proſicias*, adductus Varronis authoritate, qui quarto *de lingua Latina*, *Inſitia* derivavit ab eo, quod *inſecta* caro, & quod in extis dicitur nunc *proſectum*. Ovidius:

Averſio ſtomachi. Præſiciæ.

Cujus ut impoſuit proſecta calentibus aris.

Nam *proſecari* exta dicebantur. Tranquillus in *Auguſto: Semicruda rapta foco expoſuit. Proſicium* etiam ait Feſtus, quod profectum projicitur, αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί, ut inquit Scaliger. Horum profectorum quidam etiam Poëtarum meminerunt. Lucanus;

------ Si pectora plena
Sæpe dedi, lavi calido proſecta cerebro.

Statius in ſua *Thebaide*,

Ubi adverſo dederat proſecta tonanti.

Nonius vero ait: *Proſecta exta, quæ aris dabantur, ex fibris pecudum diſſecta.* Licinius Macer in *Ornithogonia.*

------ Vulgari toſta vapore,
Cum virgis proſecta ferunt.

Valerius Flaccus tertio *Argonaut.*

Tunc piceæ mactantur oves, proſectaque partim
Pectora per medios, partim gerit obvius Idmon.

Ruma. Mateolæ.

Præterea *Rumam* partem eſſe colli, qua eſca devoratur, unde *irruminare* & *ruminare*: Feſtus. *Mateolas* autem, (ſive, ut Adrianus Turnebus iiſdem commentariis in quartum Varronis *de lingua Latina* putat, *Macteolis* diminutive legendum, à nomine *Mactia*, vel *macta*,) pretioſa eſſe edulia, quorum Suetonius meminit in *Caligula*, his verbis: *Et multis venenatas macteas miſit.* Quo in loco multi legunt *Mattyas*, aliàs *Matteas*, item *Mactya*, quæ, ut diſſerit Athenæus libro decimo quinto, capite ultimo, *Omne ſcitamentum, & omnis cupedia, jucundumque & pretioſum edulium vocatur: cum tamen proprie initio eſſet, tanquam quædam maza. Idque utriusque eadem eſt origo.* Male autem legi videtur *Matæ*, ab eo, quod Græci Μαλίαι ἐκ μάττυ· cum legendum ſit, *Mactea*, vel *macta*, ab eo, quod Græci ματτύαι. Porro *mazam*, inquit Cœlius libro nono, capite duodecimo, *putant ex farina, oleo & aqua confici ſolitam.* Suidas etiam ex lacte: unde mox paullo nata eſt & *mattya*, dictaque eo nomine pretioſa edulia. Martialis libro decimo:

Dives & ex omni poſita eſt inſtructa macello
Cœna tibi, ſed te mattya ſola juvat.

Hactenus etiam de placentis, libis & ſimilibus: quæ è Cerealibus & leguminibus confecta olim, in ſacris ſacrificiisque Gentilium fuerunt uſitata.

Οἰνοθυσία, oblatio vini, vulgo ſacrificia οἰνόσπονδα.

Agamus nunc paucis de vino, quo & ipſo, præclaro quidem & eximio Dei dono, ut ad luxuriam; ſic ad idololatriam atque ſuperſtitionem nefarie olim abuſi fuerunt Gentiles. Nam in plerisque illorum ſacrificiis vinum fuit adhibitum: immo antiquiſſima fere & ſimpliciſſima illorum ſacrificia vino atque thure (unde hæc duo ſæpe conjunguntur) conſtabant. Suetonius in vita Auguſti ſcribit, Imperatorem illum inſtituiſſe, ut patres Curiam ingreſſi, priusquam ſederent, thure & mero apud aram ejus Dei, in cujus templum coiretur, ſacrificarent. Hinc, eodem auctore, Tyberius Cæſar, ex quo primum die poſt exceſſum Auguſti Curiam intravit, quaſi pietati ſimul & religioni ſatisfacturus, Minois exemplo, thure quidem ac vino, verum ſine tibicine (qui nimirum omnibus in ſacrificiis adhiberi conſueverat) ſupplicavit. Ovidius:

Mox ego cur quamvis aliorum Numina placem
Jane, tibi primum thura merumque fero.

Lucius Papyrius dimicaturus adverſus Samnites votum fecit, ſi viciſſet, *Jovi pocillum vini.*

Sacrificia olim quædam ἄοινα, abſque vino celebrata.

Etſi vero vinum, ut dixi, in plerisque ſacrificiis fuit adhibitum: tamen erant quorundam Deorum ſacra, in quibus illud adhibere nefas erat. Inde duo ſacrificiorum genera fuerunt apud Veteres. Alia, & quidem pleraque, in quibus vinum adhibebatur, quæ idcirco à Græcis θυσίαι οἰνόσπονδοι fuerunt appellata. Alia vero, quæ vino carebant, dicta ἄοινα & νηφάλια, id eſt, *vino carentia, & ſobria*, ut docet Julius Pollux. Unde & νηφαλιεύειν, hoc eſt, ejuſmodi ſacris uti.

Nephalia, ſeu ſobria ſacrificia quæ, & quibus exhibita.

Suidas ait, apud Athenienſes Nephalia, ſive ſobria exhibita fuiſſe Mnemoſynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Veneri, Uraniæ & Nymphis. In hoc autem ſacrificio non vinum, ſed aquam mulſam libabant. Pauſanias tamen ait, Eleos thure cum tritico, melle ſubacto, additis oleæ ramis, aras ſuffire ſolitos & uti vino. Solis autem Nymphis, καὶ τῶν δεσποίναις, id eſt, *Cereri & Proſerpinæ* vinum minime libare conſueviſſe; nec ad aram omnium Deorum. Sunt & qui hoc ſacrificium Dionyſio interdum & Erechthei filiabus exhibitum tradant, ut teſtatur Philochorus. Fuerunt præterea Nephalia ligna arida, quæ in ſacrificiis prima incendebantur, ut etiam ἄκαπνα, id eſt, *non fumida.*

Sacrificia Solis ἄοινα.

Sic Soli ſacrificantes, ut autor eſt Phylarchus libro *Hiſtoriarum* duodecimo, mel libant, vinum non inferunt altaribus: quia æquum eſſe arbitrantur, ut Deum ipſum, qui omnia continet, omnibus dominatur, ſemperque Mundum circumeat, ab ebrietate prorſus alienum eſſe credant.

Sic

Sic Vestæ non vino, sed de Numicio flumine Romani libant, quibus diebus mense Junio molæ frumentariæ & asini sertis & pane coronabantur: ad cujus templum juxta forum nisi nudo pede accedere non convenit: sicut in Æde Dianæ apud Cretenses, quam *Britomartim* nominant. Testis est Alexander ab Alexand. libro eodem tertio, supra aliquoties citato, capite duodecimo. Sacrificia Vestæ ἄοινα.

Ac Seleucus apud Athenæum libro secundo, negat apud Veteres fuisse morem, ut vini copia, aut aliud quidlibet deliciarum inferretur in sacrificia. Quum enim sacrificia Deorum gratiâ peragerentur (unde & θοίνας, & θαλίας, ac μέθας appellabant. θοίνας; quod Deorum gratiâ vino uterentur: θαλίας; quod Deorum gratiâ vescerentur, convenirentque: μέθας vero; quod, ut indicavit Aristoteles, μετὰ τὸ θύειν, id est, *post sacrificium* vino uterentur) non conveniebat illic ventris negotium agere. Seleucus de Sacrificiis veterum.

Hujusmodi fuerunt Ruminæ Deæ sacra, in quibus ipsius Romuli antiquissimo instituto matres non vino, sed lacte tantum uti fas erat, quod bestiis invergi, sive inspergi solitum fuerat, ut Plutarchus in *Quæstionibus suis Romanis* testatur, ejusque rationem reddit quæstione sexagesima octava, de quo supra. Sacrificia Deæ Ruminæ ἄοινα.

Sic in sacris Bonæ Deæ, quam & *Floram* nuncupant, cum vinum libabant, lac esse dicebant, teste Alexandro libro tertio, capite duodecimo. Sacrificia Floræ.

Sic Cereris sacra, quæ Cereris atque etiam Orci nuptiæ fuerunt appellata, sine vino celebrabantur. Hinc Plautus in *Aulularia*: Sta. *Cererin', Strobile, has facturi nuptias?* Strob. *Qui?* Sta. *Quia temeti nihil allatum intelligo.* Macrobius hunc locum citat libro tertio *Saturnalium*, capite decimo tertio. Contra tamen Cato libro *de re rustica*, capite trigesimo quarto: *Postea*, inquit, *Cereri exta & vinum dato.* Hunc nodum Lambinus in Plautum confitetur sibi esse inexplicabilem; nisi alium dicamus in hac re fuisse Græcorum ritum, quam Romanorum. Nam θεσμοφορίοις, id est, *Cerealibus*, seu festis diebus (quæ etiam Δημήτρια sunt dicta) Cereris, vini usu interdictum erat, neque vinum libabatur, neque vinum in sacris adhibebatur, ex quo θυσίαι νηφάλιοι sunt dictæ, de quibus supra. Tum mulieres ea sacra tractabant atque administrabant, quæ perpetuo apud Romanos temeto carebant: apud Græcos vero saltem iis diebus sese à vino abstinebant. Nonnulli sic solvunt, ut dicant, Cererem eandem esse atque Vestam, seu potius Terram. Apud Plutarchum libro *de tuenda valetudine* hæc verba legimus: *Nam ipsi quoque Baccho nephalia sacra frequenter exhibemus, à sobrietate sic appellata, quod in his vinum bibere nefas erat: recte nosmet ipsos assuefacientes, ne semper merum requiramus.* Sacrificia Cereris ἄοινα.

Servius Grammaticus in illa Virgiliana *Georgicorum* primo:

> *In primis venerare Deos, atque annua magnæ*
> *Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,*
> *Extremæ sub casu hyemis, jam Vere sereno:*
> *Tunc agni pingues & tunc mollissima vina, &c.*

ostendit, aliud esse Cereris sacrificium; aliud Orci nuptias. In hoc enim vinum non inferri solitum; in illo utique. Vinum rogo ne respergito, prov.

Huc pertinet illud, *Vinum rogo ne respergito.* Plinius libro decimo quarto, capite duodecimo, *Romulum*, inquit, *lacte, non vino libâsse, indicio sunt sacra ab eo instituta, quæ hodie custodiunt morem. Numæ Regis posthuma lex est:* Vino rogum ne respergito: *quod sanxisse illam propter inopiam rei nemo dubitat.* Festus tamen, *Respersum*, inquit, *vinum dixerunt, quia vino sepulcra spargebantur.* Et hæc de sacrificiis tam οἰνοσπόνδοις, quam ἀοίνοις, id est, *cum vino celebrari solitis & absque vino.*

Porro vinum non quodvis in sacris fuit adhibitum. Plinius libro decimo quarto, capite duodecimo: *Lege Numæ Regis ex imputata vite libari vina Diis nefas statuit, ratione excogitatâ, ut putare cogerentur, aliâs aratores & pigri circa arbusti pericula.* Idem capite decimo nono: *Et quoniam religione vita constat, prolibare Diis nefastum habetur vino, præter imputatæ vitis, fulmine tactæ, quamque juxta hominis mors laqueo pependerit, aut vulneratis pedibus calcata, & quod circumcisis vinaceis profluxerit, aut superne deciduo immundiore lapsu aliquo polluta. Item Græca; quoniam aquam habeat.* Idem libro eodem decimo quarto capite decimo octavo: *Apud eosdem (*Thasios*) vitis Theriace vocatur, cujus & vinum & uva contra serpentium ictus medetur: Libanios thuris odore, ex qua Diis prolibant. E diverso Aspendios damnata aris.* Vinum in sacris non quodvis adhibitum.

Sic Festus: *Spurcum vinum est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo Antistius libro decimo Commentarii Juris Pontificii, cui aqua admixta est, defrutumve aut igne tactum est mustumve, antequam defervescat.* Vinum spurcum.

Idem: *Sacrima appellabant mustum, quod Libero sacrificabant pro vineis & vasis, & ipso vino conservando, sicut* præmessum, *sive* præmetium, *de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri.* Sacrima.

Calpar, ut idem testatur, *vinum dicitur novum, quod ex dolio demitur sacrificii caussâ, ante quam gustetur; Jovi enim prius sua vina libabant, quæ appellabant festa vinalia.* Calpar *erat & genus vasis fictilis.* Idem: *Vinalia diem festum habebant, quo die vinum novum Jovi libabant.* Hinc *adtegrare* olim erat vinum in sacrificiis augere. *Integrare* enim & *adtegrare* erat minus factum in statutum redigere, eodem Festo interprete. Calpar.

Porro potionis quoddam genus ex vino & sanguine temperatum *Assiratum* (sive *Assaratum*) apud aliquos dicebatur, quod Latini prisci sanguinem *Assir* vocarent. Assiratum.

De ritu vinum infundendi victimis vide Angelum Politianum Centuriâ primâ, capite vigesimo sexto. Modum item libationum hujusmodi, & dicendi formam, qua in actione illa utebantur, Arnobius his verbis describit. *Merum*, inquit, *thuris est socium, quod explanari consimiliter poscimus, cur ei super infundatur incensioni. Si enim ratio, cur fiat, non ostendetur, nec habebit expositam sui caussam, non jam istud errori objiciendum* Arnobius de modo libationis apud Ethnicos.

dum

dum eſt ludicro, ſed, ut dicatur expreſſius, inſaniæ, dementiæ, cæcitati. Ut enim jam ſæpius dictum eſt, debet omne, quod geritur, cauſſam ſui habere perſpicuam, nec caliginis alicujus obſcuritate connectam. Si ergo fiditis facto, aperite, monſtrate, liquor iſte cur detur, id eſt, vinum ſuperinfundatur altaribus? *Nunquid enim Numinum corpora ſitim ſentiunt aridam, & eorum neceſſe eſt ſiccitates humore aliquo temperari? Nunquid nobis, ut mortalibus mos eſt, cœnis intermiſcere potiones, pari etiam more poſt ſolitos victus liborum & pultium, hoſtiarumque cæſarum, quo putrefiat facilius & percoquatur cibus, frequentiſſimo irrigant accipiuntque ſe vino? Date quæſo immortalibus Diis ut bibant, ſcyphos, brias, pateras, ſympiniaque depromite: & quoniam tauris pinguibusque ſe dapibus atque opimis interficiunt eſcis; ne quod in ſtomachi tramite male transvoratum ſubſtiterit viſcus: ſuccurrite, properate, Jovi Optimo Maximo merum, ne præfocetur, date, cupit eructare, nec potis eſt: ac ni illa labatur & diſſolvatur obſtructio, periculum maximum eſt, ne obliſus interrumpatur ſpiritus, & viduatum remaneat ſine ſuis adminiſtratoribus cœlum. Sed fruſtra, inquis, inequitas nobis: nos enim Superis ob eas profundimus merum cauſſas, tanquam illos exiſtimemus aut ſitire, aut bibere, aut ſuavitatis ejus affectu lætari. Honoris eis ergò datur, quo fiat illorum amplior, auguſtiorque ſublimitas, altaria ſuper ipſa libamus, & venerabiles cniſſas* (*κνίσσα ἐστὶ ἡ πιμελῆς ἀνάδοσις*, hoc eſt, pinguedinis accenſæ fumus, Euſtathio interprete) *carbonibus excitamus extinctis. Et quæ gravior infligi contumelia Diis poteſt, quam ſi eos credas accepto mero propitios fieri: aut honorem exiſtimes habitum his magnum, ſi modo vini exigui rorem ſuper vividam jeceris atque inſtillaveris prunam? Non nobis eſt ſermo cum hominibus rationis expertibus, neque quibus non ſit communis intelligentiæ veritas: ineſt & vobis ſapientia, ineſt ſenſus, verumque nos dicere apud vos, ipſi interiore judicio ſcitis. Sed quid facere poſſumus, conſiderare nolentibus penitus res ipſas, ſecumque ipſos loqui? Facitis enim, quod fieri cernitis, non quod fieri oportere confiditis: nimirum quia apud vos plus valet nullam habens conſuetudo rationem, quam rerum inſpecta natura veritatis examinatione ponderata. Quid eſt enim Deo cum vino, aut in ejus natura vis qualis aut quanta eſt, quod cum effuſum fuerit, ſublimitas ejus augeſcat & honorata exiſtimetur auctoritas? Quid, inquam, Deo cum vino eſt Venereis re proxima, nervos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris & caſtitatis inimica? quod in inſanias & furores mentes ſæpius præcipitavit excitas, ipſosque illos Deos maledictis compulit exauctorare dementibus. Itane iſtud non nefas, & plenum ſacrilegii crimen eſt, honori hoc dare, quod ſi tu avidius ſumpſeris, quid facias, neſcias: quid loquaris, ignores: ad extremum temulenti, luxurioſi & perditi, convitium infamiamque merearis? Operæpretium eſt, etiam verba ipſa depromere, quibus, cum vinum datur, uti, ac ſupplicare conſuetudo.* Mactus hoc vino inferio eſt. Inferio, *inquit Trebatius*, verbum ea cauſſa eſt additum, eaque ratione profertur, ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud, quod effunditur, promtum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex uſibus eripiatur humanis. *Addito ergo hoc verbo, ſolum erit, quod infer-tur, ſacrum, nec religione obligabitur. Cæterum qualis ergo hic honor eſt, in quo imponitur quaſi lex Deo, ne plus quærat, quam datum eſt? aut cujus ipſe eſt aviditatis Deus, qui niſi verbi fuerit præſcriptione ſubmotus, cupiditatem ſuam protendat ulterius, & apothecis ſuis ſupplicem privet?* Mactus hoc vino inferio eſto: *injuria eſt iſta, non honor: quid enim divus amplius hoc vocet, neque erit contentus illato? nonne inſigniter dicendum eſt lædi, qui honorem accipere cum conditione cogatur? Nam ſi exceptione non addita, ſacrum neceſſe eſt fieri omne omnino, quod in cellis eſt vinum, manifeſtum eſt & Deo contumeliam fieri, cui modus conſtituatur invito: & vos ipſos in re ſacra cerimoniarum officia violare, qui non tantum tribuitis vini, quantum Deum videtis ſibi velle præſtari.* Mactus hoc vino inferio eſt: *quid eſt aliud, quam dicere* tantum eſto mactus, quantum volo: tantum amplificatus, quantum jubeo: tantum honoris aſſumito, quantum te habere decerno, & verborum circumſcriptione definio. *O Deorum ſublimitas præpotens, quam venerari, quam colore officiis omnibus cerimonialibus debeas! cui legem venerator imponit, quam cum pactionibus adorat & formulis: quæ per unius formidinem verbi ab immodicis vini cupiditatibus arcetur. Sed ſit, ut vultis, honor in vino, ſit in thure, immolatione, & cædibus hoſtiarum iræ Numinum offenſionesque placentur.*

His verbis Arnobius libationum iſtarum modum, formam, materiam, finem, ſimulque vanitatem clariſſime expreſſit; de quibus nunc parcius ſcribo, cum in libris *Antiquitatum mearum Convivialium* prolixe admodum, copioſeque de iis ſcripſerim.

Vaſa in libationibus quæ adhiberi ſolita.

Porro & certa vaſa his libationibus adhibebantur, ut *Calpar*, de quo ſupra, *Coturnium* quo in ſacrificiis vinum fundebatur. *Armillum* item vas erat vinarium in ſacris, dictum, quod armo, id eſt, humero deportetur. *Brias*, *Pateras*, *Simpinia*, quorum Arnobius ſupra mentionem fecit, & *Sympulum*, quod vas erat parvum, non diſſimile cyatho; quo vinum in ſacrificiis libabatur: unde & mulieres rebus divinis deditæ *Sympulatrices* dicebatur. Varro *Sympula* ait fuiſſe calices fictiles, & vaſcula, quibus utebantur in ſacrificiis, à *ſumendo* dicta, quod his vinum ſumebant minutatim. Juvenalis:

Sympullum ridere Numæ, &c.

Plinius libro trigeſimo quinto, capite duodecimo: *In ſacris*, inquit, *non murrinis, criſtallinisve ſed fictilibus ſympulis prolibatur innocentius.*

Λιβανοθυσία. oblatio thuris. Thus unde dictum Græcis & Germanis.

Et hæc de vino ejuſque uſu in ſacrificiis. Sequitur, ut thure, quod *vini ſocium* appellat Arnobius, ejuſque uſu quoque agamus. Thuris antiquiſſimus ſane ac frequentiſſimus olim in Sacris Gentilium uſus fuit: unde nonnulli ipſum, probabili ſane ratione, ἀπὸ τοῦ θύειν, id eſt, *ſacrificando* volunt fuiſſe dictum, propterea quod antiquitus ſolo thure fuerit ſacrificatum, præſertim à pauperibus. Unde poſteat illud in omnibus ſacrificiis fuit adhibitum. Germani weyhrauch / id eſt, *fumum ſacrum* ſive *conſecratum* appellant, voce compoſita à weyh / quod idem eſt, quod geweycht / id eſt, *ſacrum* ſive *conſecratum*, & rauch / id eſt, *fumus*. Nam, ut

ut hoc obiter addam, weihen Germanis & *cedere loco* & *consecrare* significat, eo quod eæ res, quæ consecrantur, quasi cedunt usui prophano, hoc est, ab illo recedunt, & fiunt sacræ. Sic Aqua lustralis weyhwasser / id est, *aqua sacra*, sive *consecrata* dicitur: & aspergillum, virga sive instrumentum, quo aqua illa rebus & personis aspergitur, weyhwadel / id est, *sacrum flabellum* vocatur. Sic nox simul atque dies Domini natalitius weyhnacht / id est, *sacra nox* appellatur, Gallice *Noel*: forsan, vel quasi *Nox El*, id est, *Dei*, vel quasi *Noster El*, id est, *Deus*, seu *Deus nobiscum*: propterea quod Christus, verus Deus, illo tempore nobis natus est, secundum carnem, factus Immanuel, id est, Deus nobiscum. Sic dicimus kirchweyh / id est, *Encœnia*, templorum dedicationem seu consecrationem, voce similiter composita à kirch / id est, *templo*, quod ipsum à Græca voce κυριακῇ est deductum, tanquam *domus Domini*, & weyh / id est, *dedicatio*, seu *consecratio*. Sed hæc obiter.

Tus tamen alii scribentes per T simplex, sine aspiratione, volunt dictum à *tundendo*, quod glebæ tunduntur, cum quibus dicitur fluens cum arboribus concrescere. Ab Hebræis לבנה, *Lebonah*, quia candidum, est dictum, quod nomen etiam apud Græcos retinuit: unde & Libanus mons, ab arboribus thuriferis, quæ δενδρολίβανοι à Græcis appellantur, fuit nuncupatus. Ausonius: Tus unde dictum Latinis & Hebræis.

Florum spirat odor, Libani ceu montis honor thus.

Hinc nata videtur illa de Libano puero fabula, qui sacrificiis majorem in modum deditus, & invidia interemptus, in plantam, ei cognominem, Deorum miseratione dicitur fuisse mutatus; quam fabulam copiosius explicat in *Geoponico* Heron sive Constantinus.

Arabia inprimis thuris olim fuit abundantissima: unde Plinius libro duodecimo, capite decimo quarto, *Thura*, inquit, *præter Arabiam, nullis; ac ne Arabiæ quidem universæ*. Idem capite præcedente: *Principalia in Arabia Fœlice & beata fuerunt thus & myrrha. Sabæi*, inquit idem libro duodecimo, capite decimoseptimo, *cibos thuris ligno coquunt*. Hinc factum, ut metonymicôs *Arabiæ* vocabulum sæpe apud autores pro odoribus sive thymiamatis usurpetur. Sic *Arabice dare* pro *coquere odores*, vel *accendere* Veteres dicebant. Sic Tertullianus *de Corona militis*: *Arabiæ*, inquit, *aliquid accendunt*, id est, thuris. Plautus in *Pœnulo*: *Arabius murrhinusque omnia odor complebat. Arabius odor*, id est, ex thure Arabio, sive Arabico. Et in *Milite glorioso*: Thure ferax Arabia potissimum. Arabia, metonymice pro thure sumta.

Inde ignem in aram, ut Ephesiæ Dianæ laudes lætas,
Gratesque agam, eique, ut Arabico fumificem odore amœne
Quæ me in locis Neptuniis, templisque turbulentis
Servavit sævis fluctibus, ubi sum afflictata multum,
Ut Arabico fumificem odore,

id est, fumum faciam, hoc est, suffitum, seu suffimentum faciam odore Arabico, id est, thure Arabico incenso, seu thuris odore incenso. Festus: *Arabice olet*, id est, odoribus Arabicis.

Hinc thura dicta *Panchaia*. Virgilius in *Culice*: Thura Panchaia.

Ille colit lucos: illi Panchaia thura.

Et *Æneidos* secundo:

Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

Panchaia enim regio est Arabiæ.

Huc facit, quod Plinius scribit libro duodecimo, capite decimoquarto, de Alexandro Magno. Is enim cum magnam thuris vim, sine parsimonia aris inferret, Leonides pædagogus ei dixit, ut devictis gentibus thuriferis hoc modo Diis supplicaret. At ille Arabio potius thure onustam navem ei misit, simul illum cohortatur, ut large Deos adoraret.

Nec vero universa Arabia; ut supra ex Plinio dictum, sed Sabæorum duntaxat regio fuit thurifera: quam gentem Agatarchides ἔθνος μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, καὶ παντοίας κύριον εὐδαιμονίας appellat, id est, *gentem Arabiæ maximam, & omnis fœlicitatis compotem*. Dionysius Alexandrinus eosdem ἀφνειοὺς, id est, *divites* appellat. Idem Strabo libro decimo sexto, Theophrastus libro nono *Historiæ plantarum*, & Herodotus libro tertio testantur. Sabæorum regio inprimis thure ferax.

Præter alias autem illorum divitias, cujusmodi fuerunt aurum, ebur, gemmæ, & plantæ preciosæ: ut myrrha, cinnamomum, cassium & balsamum, thura quoque commemorantur. Unde Virgilius,

- - - - *molles sua thura Sabæi.*

Et: - - - - *solis est thurea virga Sabæis.*

Hinc & thus ipsum dictum *Sabæum*. Virgilius: Thus Sabæum.

- - - - *centumque Sabæo*
Thure calent aræ.

Plinius libro duodecimo, capite decimoquarto: *Sabæorum*, inquit, *regio thurifera Saba appellatur: quod significare Græci mysterium dicunt, spectans ortus Solis æstivi, undique rupibus invia, & à dextris maris scopulis inaccessa*. Hæc ille.

Sabam itaque Græci ἀπὸ τοῦ σέβειν putarunt dictam, quod mitteret thus, quo in sacrificiis utuntur: unde & ipsum *thus*, ut supra monui, ἀπὸ τοῦ θύειν, videtur esse nuncupatum. Et hinc forsan *Sabin* Arabum Deus habitus est, teste Plinio, libro duodecimo: &, ut idem testatur, Jovem quoque *Assabinum* Arabes appellarunt. Verum contra mihi potius vocabulum σέβειν, quod proprie *Deum colere* significat, vel ab Hebræorum Saba unde dicta Græcis. Saba unde dicta Hebræis.

צבא *Tzaba*, ſignificante religionis cauſſâ convenire & congregare, videtur eſſe deductum, eo quod Sabæi εὐσεβέστατοι exiſtimarentur, ob thuris nimirum copiam, cujus in ſacrificando & apud Judæos, in una ipſorum religione antiqua, & apud reliquas gentes, in ſuperſtitione potiſſimum, olim creberrimus uſus fuit: niſi quis à זבח, *Zabach*, id eſt, *ſacrificio*, præcipuâ Cerimoniarum parte, vocem illam Græcam velit eſſe derivatam, de qua ſupra. In ſacris quoque litteris intelliguntur hac voce ſpirituales Dei cultores, ubi vocationis gentium fit mentio: ut Pſalmo ſeptuageſimo ſecundo, verſu decimo: *Reges Tharſis & inſularum munus reddent: Reges Scheba & Seba honorarium offerent.* Et Iſaiæ ſexageſimo, verſu ſexto: *Omnes ipſi de Seba venient; aurum & thus deferent, & laudes Domini annuntiabunt.*

Religio Veterum quæ, in thure colligendo, &c.

Porro & in arboribus his thuriferis ſerendis ac incidendis, & in ipſo thure colligendo, vehendo ac cuſtodiendo maximam religionem adhibitam fuiſſe, multa litterarum monumenta teſtantur. Plinius libro duodecimo, capite decimoquarto: *Minæi*, inquit, *primi commercium fecere, maximeque exercent: à quibus & Minæum dictum eſt. Nec præterea alii Arabum thuris arborem vident, ac ne horum quidem omnes. Feruntque* CCC. *non amplius eſſe familiarum, quæ jus per ſucceſſiones id ſibi vendicent. Sacros vocari ob id, nec ullo congreſſu fœminarum funerumque, cum incidant eas arbores, aut metant, pollui: atque ita religione merces augeri. Quidam promiſcuum in iis populis eſſe tradunt in ſylvis: alii per vices annorum dividi. Nec arboris ipſius quæ ſit facies conſtat.* Poſtea meſſis ejus & vindemiæ duplicis, quarum prior fit circa Canis ortum flagrantiſſimo æſtu: ſecunda Vere, mentionem facit. Idem, *Thus*, inquit, *collectum Sabotam camelis convehitur, portâ ad id unâ patente. Digredi viâ capitale leges fecere. Ibi decimas Deo, quem vocant* Sabin, *menſurâ, non pondere ſacerdotes accipiunt: nec ante mercari licet. Inde impenſæ publicæ tolerantur. Nam & benigno certo itinerum numero Deus hoſpites paſcit. Evehi non poteſt, niſi per Gebanitas. Itaque & horum Regi penditur vectigal.* Et paulo poſt: *Sunt & quæ ſacerdotibus dantur portiones, ſcribiſque Regum certæ.* Religioni, ut idem ſcribit, fuit tributum, ne ſexus alter, niſi maſculus uſurparetur: quod etiam probari ait candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut ſtatim ardeat: item ne dentem recipiat potius, quam in micas frangatur. Ex his apparet, quanta religione, ſeu potius, ſuperſtitione, thus à Gentilibus & colligi atque meti, & vehi atque cuſtodiri, & eligi atque diſtribui probarique ad ſacrificia prius conſueverit.

Λιβανοθυσία, oblatio thuris, paſſim ab authoribus celebrata.

Porro λιβανοθυσίας iſtius paſſim apud prophanos autores fit mentio. Auguſtus, teſte Suetonio, inſtituit, ut patres Curiam ingreſſi, priuſquam ſederent, thure & vino ſacrificarent. Ad hanc idem Plinius quoque alludit, inquiens libro vigeſimo ſecundo, capite vigeſimo quarto: *Odorum cauſſâ unguentorumque & deliciarum; ſi placet, etiam ſuperſtitionis cauſſâ, emantur* (ſcilicet Indicæ Arabicæque merces) *quoniam thure ſupplicamus & coſto.* Idem libro decimo tertio, capite primo: *Vnguenta*, inquit, *quis primus invenerit non traditur. Iliacis temporibus non erat, nec thure ſupplicabatur. Cedri tantum & citri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem noverant, jam roſæ ſucco reperto.* Sic Herodotus libro primo teſtatur: *Babylone in Jovis templo mille quotannis talenta thuris adolebantur.*

Thure ſupplicatum Lari.

Ac thure quidem Laribus ſupplicari fuiſſe ſolitum, conſtat ex iſtis Plautinis: Euclio in *Aulularia*:

Nunc thuſculum

(ſic legendum: non *tuſtulum*, quod Flaminicarum erat capitis ornamentum, ut monet Lambinus)

Emi & haſce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco noſtro Lari:
Vt fortunatas faciat Natæ nuptias.

Hoc Græci vocant γαμήλια θύειν, *ſacrificare pro felici matrimonio.*
Sic ſupra Lar ipſe loquitur in Prologo:

- - - - *Ea mihi cotidie*
Aut thure, aut vino, aut aliquo ſemper ſupplicat,
Dat mihi coronas, &c.

Lari & Genio animatum immolare nefas erat.

Nam, ut in hæc verba adnotat Lambinus, neque Genio, neque Laribus quidquam animatum immolabatur: Genio; quia Deo rerum gignendarum nefas eſſe putabant Veteres, quidquam, cui vitam ademiſſent, immolare; & quo die lucem intueri & animam ducere cœpiſſent, eo die (die autem iſto Genio ſacrificabant) aliquod animal animâ privare: Laribus; vel quia eoſdem Deos Lares vitæ Genios exiſtimabant: vel quia, ſi diſſimiles erant Lares, vitæ patriſfamiliâs, & matriſfamiliâs, & familiarum cuſtodes habebantur. Diis autem vitæ cuſtodibus ſacrificantes, manus ſuas ſanguine cruentare & animali vitam adimere nefas arbitrabantur. Laribus autem ſupplicare ſolebant Kalendis, Idibus, Nonis, cum feſtus dies erat. Cato *de re ruſtica*, capite centeſimo quadrageſimo tertio: *Villica focum purum, circumverſum quotidie, priuſquam cubitum eat, habeat. Kalendis, Idibus, Nonis, feſtus dies cum erit, coronam in focum indat, per eoſque dies Lari familiari pro copia ſupplicet.* Perſius Satyra ſecunda:

Funde merum Genio. - - - -

Thus pium.

Cæterum quia thuris magnus olim apud Gentiles in ſacris uſus fuit: idcirco *Pium* eſt dictum. Ovidius:

- - - *Superis pia thura ferebat.*

Thus votivum.

Item *Votivum*: unde idem Ovidius tertiâ Elegiâ:

Aſpicit ara preces, votivaque thura piorum.

Thus ſacrum.

Inde etiam *Sacrum* dicitur. Crinitus:

Cum thure ſacro ſuſpicias rogo.

De

De hoc usu sacro thuris scribit præter alios etiam Macrobius, testaturque Ægyptios quoque thure & precibus Deos suos placasse. Unde *Niliacum*, id est, Ægyptium Statius ipsum vocat quarto *Sylvarum*:

Aut thus Niliacum piperve servant.

Thus Niliacum.

A' *thure* porro dicti fuerunt in primitiva Ecclesia *Thurificati*, qui thus Idolis adolebant; de quibus Cyprianus de duplici martyrio: ***Horres***, inquit, ***abominandum Thurificati, aut Libellati cognomen, ipse forte thurificatis ac libellatis deterior.***

Thurificati.

Arnobius libro septimo adversus Gentiles, multis differens contra istam Gentilium λιβανοθυσίαν, primum quidem scribit, rem esse novellam; cum temporibus heroicis, quidnam thus esset, ignoraretur, & ipsa superstitionis genitrix & mater ejus opinionem aut famam non noverit, ac ne ipse quidem Romulus, aut in religionibus comminiscendis artifex Numa, aut esse, aut nasci noverit, ut pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solennium munia. Hinc igitur sic concludit: *Si sine thure religionis officium claudicat, necessariaque vis ejus est, quæ propitios faciat, mitesque hominibus cœlites: peccatum fuisse ab Antiquis; quin imo piaculis plenam fuisse omnem illorum vitam: qui quod maxime conveniens Deorum fuerit voluptati per incuriam neglexerint libare. Sin autem temporibus priscis neque homines, neque Dii hujus thuris expetivere materiam, inde comprobari, & hodie frustra illud inaniterque præstari, quod neque Antiquitas necessarium credidit, & sine ullis novitas rationibus appetivit.* Deinde significat, *cum, quidquid fit, ab hominibus id oporteat suas habere caussas, nullam afferri posse rationem aut caussam, cur ante ipsa Numinum signa thura injiciantur altaribus, & ex eorum incendio familiaria existimentur fieri & mitia.* Quod si objiciunt, *se his honorare*, respondet, *In cultu & religione non hominum, sed Numinum sensum ac voluntatem requiri.* Addit, *thus istud viscum esse, ex corticibus profluens, ita ut ex amygdalo, ceraso, lachrymabili destillatione coalescens. Alienum itaque à ratione esse* existimare, *Deos honorari aut placari posse hujusmodi Panchaicis*, id est, Arabicis, *resinulis, ignis odore, sive fumo, ex arboris resina confecto. Quod si*, addit, *contendunt, Deos odorum atque nidorum hujusmodi suavitate capi, ac delectari, inde colligi potest, ipsos esse corporeos & mortalium similes. Sin autem, ut à Sapientibus* (præterquam à Stoicis, qui Deum finxerunt σωματοειδῆ, corpore esse præditum teste Theodoreto) *creditur, sunt incorporales, neque odore aliquo afficiuntur, inanis apud hos odor est, nec sensibiliter commovere aura eos potis est nidoris alicujus: non si mille tu pondera masculi thuris incendas, cœlumque hoc totum redundantium vaporum nebulositate cludatur.* Hæc Arnobius.

Arnobius de oblatione thuris.

Sed & instrumenta certa thuri sacro destinata erat, ut *Thuribula* & *Acerræ*. *Acerram* Pompejus Festus, vocat arculam thurariam, scilicet ubi thus reponebant: quam alii *aram* interpretantur, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur, teste eodem Festo. Suetonius in vita Sergii Galbæ: *Quum*, inquit, *exterritus* (Galba) *luce primâ, ad expiandum somnium, præmissis qui rem divinam appararent Tusculum excucurrisset, nihil invenit præter tepidam in ara favillam, atratumque juxta senem in catino vitreo tus tenentem, & in calice fictili merum.* Ex hoc quoque loco primum apparet, tus & merum adhiberi solita sacrificiis. Deinde *Catinum* vitreum turis quidem; *Calicem* vero fictilem meri fuisse instrumenta & vasa. Alioqui *Catinus*, Varrone teste *de re rustica* libro primo, vas erat promendi frumenti, quod curculiones exesse incipiunt. Id enim cum promtum est, in Sole ponere oportet aquæ catinos, quod eo conveniunt, ut ipsi se necent.

Thuris vasa. Thuribulum. Acerra. Catinus.

Apulejus in *Apologetico* præter *Catinum*, etiam *Sympulum* in λιβανοθυσίᾳ atque adeo omnibus sacrificiis adhiberi fuisse solitum, testatur his verbis: *Paupertas Populo Romano imperium à primordio fundavit, proque eo in hodiernum Diis immortalibus Sympulo & catino fictili sacrificat.* Pro *Sympulo* alii legunt *Simpuvium*, vel *Sympullum*, vel etiam *Sympinium*, ut legit Arnobius. De Simpuvio ita scribit Varro: *Simpuvium est modus matulæ* περὶ μέθης: *Non vides ipsos Deos, si quando volunt gustare vinum, deripere ad hominum fana, & tamen tum ipsi illi libero simpuvio vinitari?* Sed de hoc quoque supra actum est, cum alia vasa vinaria à nobis essent posita; quorum in sacrificiis erat usus: cujusmodi præter illa, vas vinarium grandius erat *Sinum*, ab sinu; quod sinum majorem cavationem, quam pocula habebat: & *Depesta*, Græce Δεπέστα, quæ in diebus sacris, Sabinis vasa vinaria in Deorum mensa ponebantur: & *Guttum*, quo vinum dabant, ut minutatim funderent, à *guttis* appellatum. Hæc de oblatione thuris: quod ipsum tamen Porphyrius, Theophrasti testimonio, Veteres solitos offerre negat, sed pauxillum decerpti fœni, tanquam genitalis rei partem, manibus in altum sublatum, flammis imponere consuevisse, atque ita demum apparentes cœlestes Deos excepisse: Theodoretus sermone septimo adversus Græcos Gentiles.

Sympulum. Sinum. Depesta. Guttum.

Fuit porro etiam Olei usus in Gentilium sacris & religionibus varius & multiplex. In genere autem ejus usus est duplex. Alius quidem prophanus sive corporeus: alius sacer, sanctus, religiosus, sive etiam superstitiosus. Uterque parabolâ illâ *Judicum* nono comprehendi videtur: ubi oleæ pinguedine sive oleo & Dii & Homines dicuntur honorari: sicut vino Dii hominesque lætificari & exhilarari dicuntur. Hi enim duo liquores, ut Plinius inquit, libro decimoquarto, capite vigesimo secundo, humanis corporibus gratissimi, intus vini, foris olei, arborum e genere ambo præcipui, sed olei necessarius.

Ἐλαιοθυσία, oblatio olei.

Quoad priorem itaque olei usum, prophanum nimirum & vulgarem; is apud Orientales potissimum populos frequentissimus sane celeberrimusque fuit: idemque duplex; vel quatenus corporibus humanis applicatur, quibus liquor ille, teste Plinio, est gratissimus: vel quatenus in pecorum corporibus, aliisque rebus inanimatis adhibetur. Oleum porro corporibus humanis duplici modo prodest, vel quatenus eis extrinsecus adhibetur; hoc est, corpora, vel sola, vel quædam ejus partes atque membra eo vel illinuntur, vel etiam perfunduntur; idque vel necessitatis & medicinæ, vel voluptatis & jucunditatis gratia: vel quatenus potatur,

Olei usus profanus.

sive

ſive intra corpus ſumitur. Nam licet Plinius oleum foris, ut vinum intus, dicat corporibus humanis eſſe gratiſſimum: tamen ejus quoque, licet id rarius, intra corpus ſumti, non levis ſæpe eſt uſus.

Oleo olim caput præcipue inunctum.

Ac apud Judæos quidem potiſſimum (quorum regio oleorum nobiliſſimorum fuit abundantiſſima: unde *Terra olei*, *Deuteronomii* octavo, & ſecundo *Regum* decimo octavo appellatur) in conviviis morem fuiſſe totum corpus, præcipue autem caput, inungi, ſive perfundi, multa ſacræ ſcripturæ loca abunde ſatis teſtantur; ut *Eccleſiaſt.* nono: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum ſuper caput tuum ne deficiat.* Item Pſalmo vigeſimo tertio Olei imagine, in lauto & opiparo convivio effundi ſoliti ſummam beatitudinem ſive fælicitatem depingit: *Caput*, inquit, *meum oleo impinguaſti*: alludens nimirum ad unguenta in lautis conviviis uſurpari ſolita, ut dixi. Ab eodem more ductâ ſimilitudine fraternæ concordiæ fælicitas à Davide exprimitur Pſalmo centeſimo trigeſimo tertio, *Sicut oleum optimum in capite deſtillans ad barbam.* Eodem ſpectat Chriſti ſermo Matthæi ſexto: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum.* Et Lucæ ſeptimo, oleo caput hoſpitum ungendum eſſe præcipitur. Hinc illa mulier in Euangelio unguento caput totumque corpus Chriſti perfudiſſe dicitur, Matthæi vigeſimo ſexto. Et Marci decimo quarto dicitur effudiſſe unguentum illud ſuper caput, fracto alabaſtro. Nam teſte Plinio libro decimo tertio, capite ſecundo, Unguenta optima ſervantur in alabaſtris, odores in oleo. Item Lucæ ſeptimo, Chriſtus ad mulierem, quæ pedes quoque ejus irrigarat lacrymis: capillis deinde exſiccarat, & unguento inunxerat, inquit: *Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento inunxit pedes meos.* Hic obiter notandum, plus fuiſſe pedes oleo inungere, quam caput; id quod crebro fuit in uſu. Plinius libro decimo tertio, capite tertio, ubi docet, Unguenta materiam luxus eſſe, è cunctis maxime ſupervacui, quippe cum margaritæ gemmæque ad hæredem tamen tranſeant, veſtes prolongent tempus: at unguenta illico exſpirent, & ſuis moriantur horis, inter alia inquit: *Sed quoſdam craſſitudo maxime delectat, id ipſum approbantes: linique jam, non ſolum perfundi unguentis gaudent. Vidimus etiam veſtigia pedum tingi, quod M. Otthonem monſtraſſe Neroni principi ferebant. Quæſo ut ſentiretur juvari ab ea parte corporis?* Hæc Plinius.

Ratio cur caput oleo inunctum.

Sed ratio videtur reddenda, cur oleo cum univerſum corpus, tum vero atque inprimis caput perfundi olim conſueverit. Conſtat certe oleum maximam habere vim penetrandi, quia tenuiſſimum eſt & humidiſſimum. Unde veſtem aquâ madefactam videmus mox reſiccari: olei autem maculæ non facile elui poſſunt: quando & vinum quoque dilutum Ariſtoteles ait difficilius elui è veſtibus, quod magis tenue factum in meatus ſubeat.

De olei uſu & effectu in genere. Plinius.

Porro de olei uſu & effectu in genere libet pulcherrima & elegantiſſima illa Plinii & aliorum addere, antequam de olei uſu ſacro apud Gentiles dicamus. Sic igitur Plinius lib. 15. cap. 4. diſſerit de olei natura, natura, viribus & utilitate: *Oleo natura tepefacere corpus, & contra algores munire. Eidem fervores capitis refrigerare. Uſum ejus ad luxuriam vertêre Græci, vitiorum omnium genitores, in gymnaſiis publicando.* Quintiliano interprete, Palæſtricos damnat & luctatores, quibus pars vitæ in oleo, pars in vino conſumitur, qui corporum curâ mentem obruerunt. Seneca quoque in epiſtolis moralibus, huc alludens, ait: *Luctatores & totam oleo & luto conſtantem ſcientiam* (Palæſtricam) *expello.* Idem Plinius: *Omni oleo mollitur corpus, vigorem & robur accipit.* Et alibi, *Oleum laſſitudinum perfrictionumque eſt refectio, vulneribus utile, ſanitatis, agilitatis, roboris cauſſa, corpora calefacit, diſcutit ſudores. Quin & cutis, oleo imbuta, venena reſpuit, adeo ſi quis cutem admotis cauteriis erodente medicamento exulcerare pergat, illaque oleo pungat, fruſtrabitur, operamque luſerit. Non enim adhæreſcunt, quæ applicantur, nec penetrant.*

Plutarchus.

Hæc & alia Plinius: quibus adde illa Plutarchi in vita Alexandri: Πόνων ἀρωγὴ ἔλαιον ἀνθρώποις ἀπὸ Θεοῦ δέδοται, *oleum ominibus à Deo datum eſt, ad illorum corpora, laboribus confecta, recreandum & corroborandum.*

Plato.

Et hæc Platonis in *Protagora*: Ἐπεὶ καὶ τὸ ἔλαιον τοῖς μὲν φυτοῖς ἅπασίν ἐστι πάγκακον, καὶ ταῖς θριξὶ πολεμιώτατον ταῖς τῶν ἄλλων ζώων, πλὴν ταῖς τοῦ ἀνθρώπου. ταῖς δὲ τοῦ ἀνθρώπου ἀρωγὸν, καὶ τῷ ἄλλῳ σώματι. οὕτω δὲ ποικίλον τί ἐστι τὸ ἀγαθὸν, καὶ παντοδαπὸν ὥστε καὶ ἐνταῦθα, τοῖς μὲν ἔξωθεν τοῦ σώματος ἀγαθόν ἐστι τῷ ἀνθρώπῳ, τοῖς δ' ἐντὸς ταὐτὸ τοῦτο κάκιστον. Καὶ διὰ τοῦτο οἱ ἰατροὶ πάντες ἀπαγορεύουσι τοῖς ἀσθενοῦσι μὴ χρῆσθαι ἐλαίῳ, ἀλλ' ἢ ὅτι σμικροτάτῳ, ἐν τούτοις οἷς μέλλει ἔδεσθαι, ὅσον μόνον τὴν δυσχέρειαν καταςβέσαι τὴν ἐπὶ ταῖς αἰσθήσεσι ταῖς διὰ τῶν ῥινῶν γιγνομένην ἐν τοῖς σιτίοις τε καὶ ὄψοις, id eſt, *jam & oleum omnibus quidem plantis omnino eſt pernicioſum, omniumque aliorum animantium pilis, præter quàm hominis, infenſiſſimum: hominum vero pilis adjumentum affert & reliquo etiam illius corpori. Ita nimirum varia quædam & multiplex & quaſi omnigena res eſt Ipſum bonum, ut quidem hîc* (id eſt, Olei exemplo) *perſpicuum eſt: quippe quod externis corporis partibus, homini eſt perutile: interioribus idem ipſum eſt peſſimum: & hac de cauſa omnes Medici ægrotis olei uſu interdicunt, illiuſque parciſſimum tantum uſum permittunt in quibuſdam obſoniis, quantum quidem ciborum quorundam male olentium difficultas atque offenſio, quæ ægrotantium naribus expedito ſenſuum miniſterio vehementius ingruit, injecto olei odore extinguatur.* Hactenus Plato.

Euſebius.

His conſentanee ſcribit etiam Euſebius lib. 4. *demonſtrationis Euangelicæ* in hunc modum: τὸ πάσης ἀμιγὲς ὑγρᾶς ὕλης φωτὸς αὐξητικὸν, πόνων θεραπευτικὸν, καμάτων ἀπαλλακτικὸν, τὸ τῶν ἐπαλειφομένων φαιδροποιὸν, φωτὸς δίκην ἀποστίλβον τῶν μαρμαρυγῶν, διαυγῆτιν καὶ λαμπρὰν τῶν αὐτῷ χρωμένων ἀποτελοῦν τὴν ὄψιν, hoc eſt, *Ex iis omnibus, quæ liquidæ ſunt materiæ* (præcipuê oleum) *lumen auget, à laboribus reficit, ab operibus liberat, pulchros efficit eos, qui eo illinuntur, ſplendere facit viſum in morem coruſcationum, ita ut eo utentibus pellucentem & illuſtrem præbeat viſum.* Hæc de uſu olei prophano, ſive corporeo.

Olei uſus ſacer & ſuperſtitioſus.

Ut autem Olei uſum Græcos, quos omnium vitiorum genitores vocat Plinius, dixit vertiſſe ad luxuriam: ſic Gentiles, quos ſimiliter omnium ſuperſtitionum genitores merito dixerimus, oleo (quod non

Miner-

Minervæ, aut Ariftei, fed Dei donum eft) ad fuperftitionem & idololatriam multifariam fuerunt abufi. Hinc cum ipfos facerdotes, tum fimulacra & omnis generis inftrumenta, ad facra facrificiaque adhiberi folita oleo inungi paffim apud prophanos autores legimus. Ac de facerdotibus quidem Jovis, fub Dio inungi folitis, exftat illuftre teftimonium Plutarchi in *Quæft. Ro.* Idem de fimulacris, ad quæ inungenda oleo ufi fuerunt, manifeftum eft. Sic enim Saturni fimulacrum Romæ intus oleo fuit repletum: quod factum illud eft, partim fimulacra fua confecrandi & à carie vindicandi gratia.

Oleo uncti facerdotes. Oleo uncta fimulacra.

Olei quoque ufus fuperftitiofiffimus fuit in lucernis, luminibus & ignibus illis facris fovendis; de quo ipfo fuperftitiofiffimo lucernarum atque luminum in templis ufu fic differit Lactantius lib. 6. c. 4. *Inftit. Deo*, inquit, *accendunt lumina, velut in tenebris agenti.* Item: *Non indiget lucernis eorum, qui in ufum hominum tam candidam lucem dedit.* Item: *Non igitur mentis fuæ compos putandus eft, qui authori & datori luminis candelarum ac cereorum offert pro munere. Aliud vero ille lumen à nobis exigit, non fumidum, fed, ut Poëta ait, liquidum & clarum, mentis fcilicet. Illorum Dii, quia terreni, indigent luminibus.*

Oleo uncta lumina & ignes facri.

Præterea in Regum inaugurationibus & initiationibus ufitatum fuiffe oleum & unguenta legimus hinc inde. Plinius lib. 13. cap. 2. *Ergo regale*, inquit, *unguentum appellatum, quod Parthorum Regibus ita temperatur, conftat myrobolano, cofto, amomo, cinnamomo, comaro, cardamomo, nardi fpica, myrrha, cafia, ftrace, ladano, opobalfamo, calamo, juncoque Syrio, œnanthe, malobathro, fenchato, cypero, afpalatho, panace, croco, cypro, amaraco, colato melle & vitro.* Idem auctor c. 3. *Unguenta*, ait, *& in caftra penetraffe. Aquilas ac figna pulverulenta illa & cuftodiis horrida feftis diebus inungi fuiffe folita.* Id quoque verifimile eft fuperftitionis ergò factum.

Oleo uncti Reges & principes.

Denique ipfis facris & facrificiis oleum & unguenta adhibita fuiffe legimus: ficut deinceps, ubi de ceremoniis facrificiorum agetur, copiofius audiemus.

Oleum in facris adhibitum.

Nunc, quoniam etiam Salis ufus frequens admodum in facris facrificiifque olim fuit, ideo de hoc quoque nonnulla addemus. Ac de eo quidem in genere multa fimiliter differit Plinius lib. 31. cap. 7. *Vita*, inquit, *humana fine Sale nequit degere; adeoque neceffarium elementum eft, ut tranfierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita fales appellantur: omnifque vitæ lepos, & fumma hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo conftat. Honoribus etiam militiæque interponitur falariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, ficut apparet ex nomine Salariæ viæ, quoniam illa Sal in Sabinos portari confueverat. Ancus Martius Rex falis modia fex millia in congiario dedit populo, & falinas primus inftituit. Varro etiam pulmentarii vice ufos Veteres, auctor eft. Efitaviffe enim falem cum pane & cafeo: ut Proverbio apparet. Maxima tamen in facris intelligitur auctoritas, quando conficiuntur fine mola falfa.* Hæc Plinius.

De Sale.

Plutarchus fimiliter *Sympof.* lib. 5. *quæft.* 10. multa de Salis utilitate differit. Ac primum eos Ariftophanis Grammatici teftimonio, probat proverbio, *ad falem & cuminum*, amicos dici, qui ita funt familiares, ut etiam fale & cumino folis propofitis unâ cœnent. Deinde quæftionem movet, cur & Homerus falem divinum appellet *Iliad.* 1. *Divino fale confperfit*: & Plato in *Timæo* lege hominum falis corpus Diis dicat effe cariffimum, cum Ægyptiorum facerdotes, caftiffimi cum fint, fale in univerfum abftineant, adeo ut pane quoque infulfo vefcantur. Cur igitur, quærat aliquis, facerdotes falem funt abominati, cum is divinus fit, & Diis gratus? Ac divinum quidem falem vult ab Homero dictum, propter magnam & multiplicem ejus in vita humana utilitatem, propter quam aliis quoque rebus divinitatis & Dei nomen tribuitur; Salibus autem abftinuiffe facerdotes, qui caftitati fe deftinaverant, quod ii ob calorem ad rem Veneream incitent: id quod exemplis nonnullis probat: & hanc quoque ob caufam falem poffe dici divinum, cum omne id, quod generandi vim habet divinum effe videatur: cum quidem Deus genitor fit atque principium rerum omnium. Sed præter has rationes, quas Plutarchus offert, hæc quoque videtur effe non minima, quod falis olim in facris maximus ufus fuit.

Salis utilitas. Sal divinum cur dictum ab Homero.

Ac apud Judæos quidem omnia facrificia oportebat condi fale confecrato, qui *fal fœderis* vocabatur, eoque accendi ignem, qui in tabernaculo Domini affervabatur & fovebatur, quem ex igne cœlitus immiffo facrificiis à mofe & Aarone fufceptum fuiffe quidam conjiciunt. Sic Ethnici κακοζηλίᾳ quadam ignem fimiliter in facrificiis fuis adhibuerunt. Cur fal ἁγνίτης ᾗ θεῖ☉ ab Homero fit dictus, vide pulchra multa apud Euftathium *Iliad.* 1. & *Antiquitates* meas *conviviales.*

Sal adhibitum facrificiis Judæorum.

Salinum in menfa pro aquali folitum effe poni ait Verrius, cum patella; quia nihil aliud fit fal, quam aqua: Feftus. Salinum cum fale in menfa ponere figulis cur religioni olim fuerit habitum, vide Feftum.

Salinum.

Muries, eodem auctore, dicebatur fal, in pila tunfum, & in ollam fictilem conjectum, & in furno percoctum: quo dehinc in aquam miffo Veftales virgines utebantur in facrificio. Idem: *Muries eft, quemadmodum Veranius docet, ea, quæ fit ex fale fordido, in pila pinfato, & in ollam fritilem conjecto, ibique operto gipfatoque, & in furno percocto, cui Virgines Veftales ferrâ ferreâ fecto, & in feriam conjecto, quæ eft intus in æde Veftæ, in penu exteriore, aquam jugem, vel quamlibet, præterquam quæ per fiftulas venit, addunt, atque ea demum in facrificiis utuntur.*

Muries.

His adde, quod idem ait, Murrata potione antiquos ufos indicio eft, quod etiam nunc Ædiles per fupplicationes Diis addunt ad pulvinaria, & quod duodecim tabulis cavetur, *Ne mortuo indatur*, ut ait Varro in *antiquitatum* libro.

Murrata potio.

Sic explicatum eft etiam tertium membrum, quod in hoc facrificio Neftoris & Argonautarum, atque adeo in omni facrificio, obfervandum effe diximus, nempe Materia, feu, Quid facrificare olim Veteres confueverint.

verint. Unde ſane conſtat magnam hanc fuiſſe Ethnicorum amentiam, quod partim omnis generis fruges atque fructus, partim animalia, quibus veſcuntur, Deos eſſe crediderunt: in quam ſententiam pulchre ſic Cicero libro tertio *de Natura Deorum: Ecquem*, inquit, *tam amentem putas eſſe, qui illud, quo veſcatur, Deum credat eſſe?*

[Locus ſacrificiorum.] SEQVITVR nunc quartum membrum, nempe LOCVS: in quo videlicet iſtud à Neſtore & Argonautis ſacrificium fuit factum. Is, quoad Neſtorem quidem, ab Homero non exprimitur. Probabile tamen eſt vel in templo, vel alio loco ſacro & religioſo fuiſſe. At locus, in quo Argonautas ſacrificium feciſſe Apollonius teſtatur, Littus fuit: in quo ara primum extructa eſt, quæ idcirco ἄκτιος & ἐπάκτιος, id eſt, *littoralis* hîc appellatur, ſicut & ipſe Apollo, cui victima hæc fuit oblata, ἐπάκτιος & ἐμβάσιος, propterea appellatur, de quo ſupra.

Ut autem ibidem de temporibus ſacrificiorum, in genere quidem omnium, ita nunc de eorundem locis, in quibus iſta fieri fuerunt ſolita, quædam dicamus. Nam ut temporis, ita loci quoque quibusvis in actionibus, ſpectanda eſt commoditas & oportunitas. De his autem magnam reperire licet in ſacris & profanis litteris [Loci ſacrificiorum varii.] opinionum & conſuetudinum varietatem atque diverſitatem. Nam primum quidem plerique Gentilium Deos in & ſub tectis atque ædificiis colendos eſſe arbitrabantur; & idcirco in illorum honorem templa atque ædes magnis laboribus atque ſumtibus extruebant. Alii vero, à templorum ædificatione, uſu cultuque abhorrentes, cum nefas putarent eſſe Deos tectis atque ædificiis, quaſi carceribus quibuſdam atque ergaſtulis, quodammodo includere, Deos ſub dio, in lucis, nemoribus, campis atque vallibus, extra ædificia venerandos exiſtimabant. Fuerunt etiam nonnulli, qui quoſdam Deos in ædificiis; alios extra ædificia ſub dio putabant colendos.

Deinde quoniam alios Deos maritimis: alios terreſtribus: alios locis editis & excelſis, ut collibus atque montibus: alios locis planis, ut vallibus: alios deſertis, & vaſtis: alios frequentibus & celebribus: alios campis & agris patentibus: alios ſylvis atque lucis delectari, atque illos incolere putabant; ita his vel illis in locis hos vel illos Deos ſacris illis ſuis atque cerimoniis uſitatis colebant.

[Locus captus. Templa.] Ac in genere quidem, *Locus captus*, ut inquit Feſtus, dicebatur ad ſacrificandum legitime conſtitutus. Quoniam autem plerique Ethnicorum templis & ædibus ſive ædificiis ſacris, & in illis Deos adorandos eſſe exiſtimabant, idcirco de illis nobis primo loco dicendum: & quidem de eorum nominibus Latinis, Græcis & Hebræis primum, tum de illorum primis inventoribus aliiſque in templis ſeu ædibus ſacris, obſervatu rebus dignis.

[Nomina Latina templorum generalia. 1. Templum, locus ſacer.] A Latinis ædificia hujuſmodi *Templa, Delubra, Fana, Ædes, Sacra, Sacella, & Sacraria*, generalibus quidem nominibus fuerunt appellata. *Templum* dici vult Varro à *templando* vel *tuendo*, id eſt, conſpiciendo; & triplicem habere ſignificationem. Primum ſignificare cœlum. Deinde certa loca in aëre, vel in terra, quæ Augures captandorum auguriorum cauſſâ definire ſolebant, quæ *Templa* dicebantur, quod ex omni parte, vel, quod ex iis omnis pars conſpici poſſit: tertiò vero ſignificare loca ſub terra. De prima & tertiâ ſignificatione hîc non agimus: ſed duntaxat de ſecunda. Ab eo vero templo, quod ab Auguribus definiebatur, quia id oporteret ſeptum eſſe, nec plus quam unum introitum habere, factum eſt, ut non ſolum ædes ſacræ, [Templum locus profanus.] ſed etiam alia loca ſepta, & unum tantum introitum habentia, *Templa* appellarentur, etiamſi ſacra non eſſent, ut Curia Hoſtilia, quæ templum non erat, licet ſacra non eſſet. Ita Feſtus: *Templum ſignificat & ædificium Deo ſacratum, & tignum, quod in ædificio tranſverſum ponitur.* Cicero in *epiſtolis familiaribus*: *Venit Servilius, Jovi ipſi iniquus, cujus in templo res agebatur.* Idem in Verrem: *Herculis templum ſane ſanctum apud Agrigentinos, & religioſum fuit.* Idem pro Domo ſua: *Curia eſt ſedes ac templum publici concilii.* Idem pro Milone: *Curia eſt templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, concilii publici, caput urbis, ara ſociorum, portus omnium gentium.* Idem de Somnio Scipionis: *Cujus Dei hoc templum eſt omne, quod conſpicis.*

[Templum ſepulcrum.] Porro *templum* & ſepulcrum dici poteſt Veterum auctoritate, inquit Nonius Marcellus. Unde Virgilius *Æneidos* quarto:

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui.

[Monimenta etiam templa dicta.] Monimenta etiam *templa* dici poſſe, auctor eſt Marcus Tullius in Verrem Actione ſecunda: *Auſum eſſe in æde Caſtoris celeberrimo, clariſſimoque monimento*, &c.

[2. Delubrum.] Alterum nomen, quo ædificia ſacra à Latinis inſigniuntur, eſt *Delubrum*: locus videlicet, in quo Dei ſimulacrum dedicatum eſt: vel, ut Macrobius ex Varrone citat, in quo præter ædem ſit area aſſumta: cujus quidem nominis derivatio à Grammaticis multiplex traditur. Dictum vult Servius, quod uno tecto plura complectatur Numina: ut eſt Capitolium, in quo eſt Minerva, Jupiter, Juno. Alii dictum volunt à *diluendo*. Religio enim ſacrificii apud antiquos exigebat, ut ante ſacrum ſacrificulus manus ablueret. Feſtus ſcribit, *Delubrum* dictum fuſtem delibratum, hoc eſt, decorticatum, quem venerabantur pro Deo: in quam ſententiam, ligneum ſimulacrum *Delubrum* dicimus, inquit alicubi Servius, à *libro*, hoc eſt, à raſo ligno factum, quod Græci ξόανον dicunt. Cicero in Verrem: *Verres Delubra ſanctiſſimis religionibus conſecrata depeculatus eſt.* Ibidem: *Simulacra ſanctiſſima Deorum ex Delubris religioſiſſimis ſuſtulit.* Idem pro Archia Pœta: *Smyrnæi Delubrum Homero in oppido dedicaverunt.* Ibidem: *Delubra Muſarum coluere etiam praſtantiſſimi Imperatores.* Idem pro Domo ſua: *Novum Delubrum in urbis clariſſimo loco inchoaverat.* Idem *de Natura Deorum*: *Menſas argenteas de omnibus Delubris juſſit auferri.* Ibidem, *Aras Delubraque Hecates in Græcia videmus.* Ibidem: *Pugnare pro Templis, atque Delubris.* Idem *de Legibus*: *Conſtructa à patribus Delubra habentur.*

Ter-

Tertium nomen, quo ædificia sacra designantur à Latinis, est *Fanum*: idem nimirum quod *delubrum* vel *templum*, sic dictum vel à *Faunis*, Latinorum Diis, qui indormientibus responsa dare solebant, ut ait Martianus Capella: vel à *Fauno*, qui, autore Probo Grammatico, primus oraculi conditor fuit. Festus *Fanum* à *Fauno*, vel à *fando* deducit; quod Pontifex in dedicatione templi certa verba præfari solebat. Varro ait, *Fana nominata, quod Pontifices in sacrando fati sint finem.* Sunt tamen, qui hoc nomen per *ph* scribunt, ἀπὸ τοῦ φανερῦ, quod significat *manifestum*, quod è phano aperta responsa dabantur. Cicero in epistolis familiaribus: *Ut pecunia in fano poneretur.* Idem pro Cajo Rabirio: *Pro fanis atque delubris propugnandum est.* Idem *de Inventione*: *Crotoniatæ fanum Junonis religiosissime colebant.* Idem *de Finibus*: *Plurima in sua patria sacrificia, & fana non contemnebat.* Idem *de Legibus*: *Athenienses Contumeliæ & Impudentiæ fanum fecerunt.* 3. Fanum.

Ab hoc nomine adjectivum deducitur *Profanus*: idem, quod *nihil habens religionis, à religione remotus, sacris non initiatus*: qui fanum intrare non poterat: vel quod ex religioso, aut sacro in hominum usum conversum est, quasi *porro*, id est, procul *à fano*. Barbari *Laicum* vocant, quasi popularem, quem tu recte cum Latinis *profanum* appellabis. Varro *profanum* interpretatur quod est ante fanum, vel fano conjunctum. Sed in hoc significato positum hoc nomen me legere non memini. Usitatioris igitur significationis tantum hæc exempla sunto. Cicero in Verrem Actione sexta: *Has tabulas Marcus Marcellus, cum omnia illa victoriâ suâ profana fecisset, tamen religione impeditus non attigit.* Idem pro Domo sua: *Si ista consecratio legitima est, quid est, quod profanum in tuis bonis esse possit?* Idem *de Aruspicum responsis*: *Loca sacra & religiosa profana habebat.* Idem *de Natura Deorum*: *Limina profanarum ædium contaminari nihil refert.* Virgilius *Æneidos* sexto: Profanus.

- - - - Procul hinc procul este profani.

Idem: *Faune precor miserere mei, tuque optima ferrum*
Terra tene, colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.

Horatius: *Odi profanum vulgus & arceo.*

Inde etiam fit verbum *Profanare*, id est, profanum facere, vel facere ex sacro promiscuum usibus humanis. Titus Livius ab Urbe Condita libro tertio: *Ita profanatis omnibus rebus sine religione vixit.* Idem de Bello Macedonico, libro primo: *Sacra sacerdotes, quæ ipsius Majorumve ejus honoris caussâ instituta essent, omnia profanarent.* Profanare.

Hinc deductum verbale *Profanatio.* Plinius libro decimo, capite quarto: *Postquam civilium bellorum profanatione meritum cœpit videri, civem non occidere*, &c. Profanatio.

Quartum nomen, quo ædificium sacrum denotant, est *Ædis*, vel *Ædes*, quod essent quasi ædes Deorum, sicuti cœlum etiam, quod domicilium Deorum esset, *Templum* dictum fuisse, paullo ante est indicatum. De hac voce Servius in secundum *Æneidos* ita scribit: *Ædem in numero singulari de templo tantum dicimus: plurali & de domibus, & de templis.* Hæc ille. At Valla eandem sententiam fusius tractat, ita scribens: *Ædes in plurali accipitur pro domo; nec unquam aliter.* Cæterum sic dici *Ædem* vel *Ædes* idem Servius scribit ab *Edo*, quod in ea sacrificantes edere consueverint. *Nam quædam sunt nomina*, inquit, *quæ initio diphthongum recipiunt, quanquam à verbo monophthongo deriventur, ut* Ædes, Æsculus, &c. Varro libro quarto *de lingua Latina* ab *aditu* fieri putat, quod scilicet plano pede eam adibant: unde etiam prima syllaba diphthongum accepit. Festus: *Ædes, quod in edito poni solerent.* Alii *Ædem* dici existimant, quod in ea ævum degatur, quod Græce αἰὼν vocatur. Sed & hujus vocis plurima apud probatos authores exstant exempla; & quoad primam quidem ejus significationem, qua pro templo in singulari atque adeo in plurali accipitur, hæc illustria sunt apud Ciceronem. In Philipp. *Ex eo die, quo in ædem Telluris convocati sumus, in quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis. In quo templo*, id est, in qua æde Telluris. Sed hac in re differt a templo, quod semper in utroque numero habet adjectionem; ut in *æde Jovis, Mercurii, in æde Concordiæ, Telluris, Honoris, Virtutis*, &c. *in æde sacra*: & in plurali, *sacras ædes, ædes Deorum, ædes Nympharum*, &c. Nam cum ait Lucretius, de Jove loquens: 4. Ædis vel Ædes. Ædis variæ notationes.

- - - - Ipse suas ædes disturbat, &c.

perinde est, ac si dixisset, *Jovis ædes.* Igitur pro templo dicemus, *duas, tres, quatuor Deorum ædes, duas ædes sacras.* Pro domo vero *binas, ternas, quaternas, privatas ædes.* Hæc Valla libro tertio: quibus addi possunt hæc etiam exempla. Cicero: *Vidi epistolam; in qua de æde Telluris me admones.* Idem: *In æde Apollinis senatusconsultum factum est.* Idem in Verrem: *Ædium sacrarum publicorumque operum depopulatio ea misera fuit.* Idem pro Domo sua: *Consecrabantur ædes, non privatorum domicilia.* Idem pro Flacco: *Pecuniam in ædem sacram reficiendum perscribunt.*

Porro ab *Æde* fit *Ædicula*, ut ab *Apis, Apicula*: unde non *Ædes* in recto singulari (Tum enim *Ædecula*, ut à *vulpes vulpecula* diceretur) esse dicendum evincitur. Ponitur autem pro æde parva, id est sacello. Cicero pro Domo sua: *Eam aram & ædiculam & pulvinar sub saxo sacro dedicavit.* Titus Livius: *Iisdem diebus ædiculam Victoriæ prope ædem Concordiæ M. Portius dedicavit.* Deducitur hinc & *Ædituus*, sacræ ædis tuitor, id est, curam gerens. Aedicula. Aedituus.

Quintum nomen est *Sacrum*, & ejus diminutivum *Sacellum.* Ac *Sacrum* quidem, quando est substantivum, pro templo accipitur, ut Græce ἱερὸν, & ejus plurale ἱερά. Paulus Jureconsultus: *Sunt autem Sacrilegi*, inquit, *qui publica sacra compilârint; at qui privata sacra, vel ædiculas incustoditas tentaverint, amplius* 5. Sacrum.

 quam

Sacellum.

quam fures, minus quam sacrilegi merentur. *Sacellum* deinde locum significat parvum, Deo sacratum cum ara. Cicero *de lege Agraria*: *Sunt enim loca publica urbis, sunt sacella*, &c. Idem *de Divinatione* 1. *Cum vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exiit in quoddam sacellum ominis capiendi caussâ*: quod fieri more Veterum solebat. Trebatius Jureconsultus scribit, *Sacellum* compositum esse verbum, quasi *sacra cella*. Sed hoc neque verum videtur, neque verisimile. Nam diminutivum esse *sacri*, ex ipso etiam Festo & Varrone liquet. Festus: *Sacra*, inquit, *dicuntur loca Diis sacrata, sine tecto.* Varro: *In aliquot sacreis & sacelleis scriptum habemus*: *Ne quid scorteum* (ex corio & pellibus factum) *inde, ne morticinum quid adsit.*

6 Sacrarium.

Sexto, nomine quoque *Sacrarii* Veteres Latini pro templo, sive ædificio sacro olim sunt usi. Festus: *Sacerdotula in sacrario Martiali fecit oletum*, id est in templo. *Sacrarium* tamen, secundum nonnullos, est locus sacer in templo, in quo sacra reponuntur, Græcis ἱεροφυλακεῖον, ἄδυτον. Unde à Cicerone *Sacrarium bonæ Deæ* nominatur. Seneca libro quinto *Quæstionum*: *Arcana illa rerum naturæ sacra non promiscue & omnibus patent reducta, & in interiori sunt clausa sacrario.* Hegesippus libro quinto scribit, Sacrarium templi Hierosolymitani fuisse & profanatum à gentibus, quo solus semel in anno princeps sacerdotum solebat intrare, non sine sanguine. Quid intersit inter *sacrum locum* & *sacrarium*, ostendit Ulpianus inquiens: *Sacer locus est consecratus*: Sacrarium, *in quo sacra reponuntur.* Suetonius tamen de Augusto, non tam pro sacrorum repositorio, quam pro sacello locoque sacrato sumpsit. *Natus est*, inquit, *Augustus ad capita bubula, ubi nunc sacrarium habet, aliquanto post, quam excessit, constitutum.* Ponitur & *sacrarium* pro *Larario* in ædibus privatis. Cicero ad Memmium libro decimoquinto: *Caio Aviano Evandro, qui habitat in tuo sacrario, & ipso multum utor, & patrono ejus*, &c. Idem in Verrem Actione sexta: *Erat apud Hejum sacrarium magna cum dignitate in ædibus à Majoribus traditum perantiquum.* Et hæc quidem templorum generalia nomina fuerunt.

Nomina Latina templorum specialia. Fagutal. Bidental. Favissa.

A diversis deinde Diis quoque, & hostiis atque partibus, quarum aliæ aliis interiores & sacratiores habebantur, specialia quoque nomina apud Latinos templa sunt sortita. Hinc quoddam dicebatur *Fagutal*, sacellum videlicet Jovis, in quo fuit Fagus arbor, quæ Jovi sacra habebatur. Quoddam dicebatur *Bidental*, quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur. Bidentes autem sunt oves, duos dentes longiores ceteris habentes. Quoddam dicebatur *Favissa*, locus in quo erat agna inclusa circa templa. Sunt autem, qui putant, *favissas* esse in capitolio cellis cisternisque similes, ubi reponi erant solita ea, quæ in templo vetustate erant facta inutilia.

Tesqua.

His adde *Tesqua* sive *Tesca*, per *c* simplex, quasi *tuesca*, à tuendis sacris: quæ Varro interpretatur loca agrestia, Deo cuipiam consecrata, Accii testimonio idipsum confirmans ex Tragœdia, cui *Philoctetæ* nomen est, in hunc modum citato:

Quis tu es mortalis, qui in deserta te apportes loca?

Quid autem *tescorum* nomine ibidem intelligere debeamus, explicat idem Accius, paullo post subjungens: *Celsa Cabyrum delubra tenes mysteriaque pristina Casteis concepta sacris.*

Penus.

Inprimis huc pertinent *Penus*, *Penetralium*, *Penetralis*, & *Cellæ* nomina. *Penus quidem vocabatur*, inquit Festus, *locus in æde Vestæ intimus.* Is sæpius certis diebus circa Vestalia aperiebatur, qui dies religiosi habebantur.

Penetralia.

Penetralia vero dicebantur Penatium Deorum sacra: quæ & *Lararia* sunt dicta à Laribus, inquit idem Festus.

Penetrale.

Penetrale eodem auctore, sacrificium fuit dictum, quod interiore parte sacrarii (unde & sacrarium ipsum hoc nomine insignitum) conficiebatur. Hinc & *penetralia cujusque* dicuntur, & *penes nos*, quod in potestate nostra est.

Cella.

Cellæ quoque significatio aliquando huic loco convenit, cum accipitur pro parte templi sacratiore, in quam ingredi fas non erat. Cicero in *Philippicis*: *Armatos in cella Concordiæ inclusit.* Ibidem: *In hac cella Concordiæ cum gladiis homines collocati erant.* Titus Livius: *In cella Jovis exsul habitabat.* Hæc de nominibus Latinis templorum.

Nomina Græca templorum. 1. Ἱερόν.

Græci deinde templum appellarunt ἱερὸν, id est, *sacrum*, sive *sacrarium*. Hinc ἱερὸν ἄβατον τοῖς πονηροῖς, *templum, in quod aditus non patet improbis*: & ἱερὸν ἁγιώτατον, ἀρχαιότατον, δημόσιον ἢ δημοτικὸν, δημοτελὲς, κοινὸν, *religiosissimum, antiquissimum, publicum* aut *municipiale, populare* aut *solenne, commune templum* probati autores dixerunt. Item καθιστάναι, οἰκοδομῆσαι ἱερὸν, *ædificare, extruere templum*: & κοσμεῖν τὰ ἱερὰ, *ornare fana*, &c.

2. Ναός, ἔνναιος καὶ νεώς.

Iidem templum vocarunt etiam ναὸν, ἔνναιον, & Attice νεὼς, à verbo ναίω, id est, *habito*, διὰ τὸ ἐνναίειν ἐν αὐτῷ τοὺς θεοὺς, *quod Dii in iis credantur habitare.* Eustathius vult ναὸν deduci ἀπὸ τοῦ νῶ, quod est σωρεύω, *accumulo*, quod ad illa loca donaria colligerentur à diversis; vel forsan propter molem ædificii sic sunt dicta, quod ναὸς sit quasi σωρὸς, id est, *cumulus materiæ.*

Ναὸς etiam templi idolum significat.

Hæc tamen vox ναοῦ videtur *Actorum* decimo nono pro simulacris sive idolis accipi: ubi Demetrius aurifex, tumultus illius Ephesini auctor, dicitur fabricâsse ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος, *simulacra & effigies Dianæ argenteas.* Interpres vertit, *Ædes argenteas.* Sed & forsan κυβώρια innuit: quod nomen pro sacris vasis usurpatur, quorum mentionem facit Athenæus libro undecimo; quæ sic appellata apparent à forma, simili fabæ Ægyptiæ. Hanc enim & κυβώριον & κολακάσιον dixere. Inde vero & Νεοκόρος, id est, *Æditua* vel *Æditima* dicta est civitas Ephesiorum, ceu Dianæ cultrix peculiaris, à νεὼς videlicet & κορεῖν quod idem est, quod κοσμεῖν, id est, *ornare, instruere*: unde & Νεωκόροι & Ζακόροι, Æditui dicti, quod sacra & ædes sacras curent. Pertinent huc pervulgata illa, Ἱδρύσασθαι νεὼς καὶ βωμοὺς θεῶν, *Collocare templa & altaria Deorum*,

ἐμπι-

ἐμπιπρᾶναι νεώς, *incendere templa*, & apud Plutarchum, ἠφάνιζεν αὐτὸν εἰς τὸν νεών, *in templum recondidit ſeſe.*

3. Τὰ τῶν θεῶν ἕδη.

Vocarunt porro Græci templa τὰ τῶν θεῶν ἕδη, *Deorum diverſoria*, ſedes & delubra. Iſocrates: ἐξαμαρτάνειν εἰς τὰ ἕδη θεῶν τολμήσαντες, *auſi violare templa Deorum.* Idem: Συλᾷν καὶ κατακαίειν ἐτόλμησαν τὰ τῶν θεῶν ἕδη, *ſpoliare & incendere non dubitarunt Deorum fana.*

4. Σηκός.

5. Τέμενος.

Σηκὸς quinetiam & τέμενος templum Græcis ſignificat. Et σηκὸς quidem non tantum templum univerſum in genere: ſed ſpecialiter templi partem interiorem, alio nomine ἄδυτον, ſive *adytum* dictam: quamvis proprie ſignificat ovium vel caprarum mandram, caulam, ſtabulumve, in quo ſeorſum agni lactentes clauduntur. Fit inde nomen σηκοκόρος, vel σηκακόρος, *ædituus, ædium ſacrarum cuſtos, & curator.* Τέμενος vero etſi proprie eſt nemus: tamen ſynecdochice delubrum quodcunque Diis dicatum & conſecratum, ſeu locum quemvis ſeparatum in honorem Dei alicujus aut herois ſignificat. *Ariſtophanes* in *Pluto*: πρὸς τὸ τέμενος ἦμεν τοῦ θεοῦ, *in delubrum Dei ivimus.* Ejus derivatum eſt τεμενόρος, *ædituus, loci ſacri cuſtos.*

6. Εἰδωλεῖον.

Denique templum idololatricum, cujuſmodi fuerunt omnia veterum Gentilium, εἰδωλεῖον nuncupatur à Græcis, id eſt, *Idoli domus*, ab εἴδωλον, voce, ut ſupra dictum eſt, *idolum* ſeu *ſimulacrum* ſignificante.

Sed & plerunque templa ab ipſis Deorum nominibus appellata invenimus, ut ab Junone ἡραῖον, à Diana ἀρτεμίσιον, à Venere ἀφροδίσιον, à Marte ἀρεῖον, ab Heroibus ἡρῷον, & ejuſmodi alia.

Nomina Hebræa templorum היכל בית דגון ביתאון

Hæc de Græcis nominibus templorum. Hebræis templum idololatricum dicitur in genere quidem, היכל *Hecal*, id eſt, *palatium* ſive *regia*, in qua Dii habitant (cui reſpondet *Baſilicæ* nomen) & ביתאן *Beth-aven, domus idoli & iniquitatis*, ein Gößenhauß. In ſpecie vero בית דגון *Beth dagon*, certi cujuſdam idoli domus, ſive templum. Sic Hoſeas & alii Prophetæ locum & oppidum *Bethel*, quod antiquitus priſca & vera religione multis miraculis divinis inſigne erat (unde *Domus Dei* dictum) per contemptum propter vitulum aureum, qui in eo colebatur בית אן *Beth-aven*, id eſt, *domum idoli* frequenter appellant, quaſi dicant: nicht ein Gottshauß / ſonder ein Gößenhauß. Hujuſmodi fuerunt templorum nomina etiam Hebræa.

Origo ſeu inventores templorum.

His Præmissis, dicamus nunc quædam de hujuſmodi ſacrorum ædificiorum origine; ſeu primis inventoribus; de quibus quidem variæ ſunt apud auctores prophanos ſententiæ. Latini fere omnes ad Janum originem hanc referunt, cujus idcirco nomen in ſacrificiis veteri inſtituto perpetuo præfari ſolebant: alii ad Faunum, à quo *fana* appellata Probus ſcribit: alii ad Jovem, Cretenſium Regem: unde inter Deos primum ipſe locum fuerit ſortitus: alii ad Uſonem, apud Phœnices: alii ad Phoroneum aut Meropem, aut Æacum Jovis filium: alii ad Dionyſium, cum Indos debellaſſet: alii ad Cecropem in Attica: alii ad Arcades: alii ad Ægyptios: alii ad Chaldæos: alii ad Thraces: alii ad Cyprios. Græci Epimenitem Cretenſem: alii Pykium architectum, qui apud Prienenſes templum Minervæ primus poſuerit: alii denique alios atque alios primos templorum auctores atque conditores faciunt.

Origo templorum juxta nonnullos ex ſepulcris.

Porro plerique ex ſepulcris initium templa ſumſiſſe arbitrati ſunt: quam originem ædium ſacrarum diligentiſſimi quoque ſcriptores tradunt, Euſebius & Lactantius. Qua de re & Clemens Alexandrinus in *Protreptico* ſic ſcriptum reliquit: *Superſtitio*, inquit, *templa condere perſuaſit. Quæ enim prius hominum ſepulcra fuerunt, magnificentius condita, templorum appellatione vocata ſunt. Nam apud Lariſſeam civitatem in arce, in templo Palladis, Acriſii ſepulcrum fuit, quod nunc ſacrarii loco celebratur: in arce quoque Athenienſi, ut eſt ab Antiocho in nono Hiſtoriarum ſcriptum, Cereris ſepulcrum fuit: in templo vero Palladis, quam Poliada Græci appellant, jacet Erichthonius. Iſmarus autem Eumolpi atque Dairæ filius in Eleuſine una cum Celei natabus ſepultus.* Hæc Clemens.

Verorum templorum inventor, Deus.

Nos autem his omiſſis, ſacrarum litterarum teſtimonio atque auctoritate edocti ſcimus, verum quidem templorum primum auctorem eundem eſſe, qui hujus ampliſſimi pulcherrimique templi, id eſt, Mundi creator eſt, nempe Deum Optimum Maximum. Ac priſca illa planeque aurea ſanctiſſimorum Patriarcharum ætas externis quidem hujuſmodi atque manufactis templis caruit: qui quidem partim in privatis atque domeſticis ſuis ædibus, partim nomadum inſtar, vagam vitam perſequentes, paſſim hinc inde variis in locis, in quibus Deus illis apparuerat, & aliqua ſuæ præſentiæ ſigna dederat, erectis aris ſive altaribus Deum invocarunt, ſacrificia ei obtulerunt, denique familiam ſuam in vero Dei cultu atque religione pie fideliterque inſtituerunt: cujus rei vel unicum illud Jacobi exemplum; de quo *Geneſ.* vigeſimo octavo, illuſtre eſt teſtimonium, qui in ſancto illo atque auguſto loco, in quo Deus ei mirabili modo apparuerat (quam ob cauſſam cum *Portam* ſeu *Domum* Dei appellat) erecto altari unâ cum familia ſua, repurgata prius ab omnibus idolis, ſacrum cultum, orationis nimirum & ſacrificii Deo exhibuit.

Horum deinde & poſteros in miſerabili illa Ægyptiaca ſervitute nulla templa habuiſſe legimus, apud quos procul dubio omnis veri Dei cultuſque divini memoria plane obliterata fuerat. Unde certe colligimus, hujuſmodi ſacra ædificia, licet ad cultum ſacrum peragendum atque celebrandum ſint utilia: non tamen ita eſſe neceſſaria, ut non ſine iis quoque, ſi ita res atque neceſſitas poſtulet, Deus etiam ſub dio, locis quibuſvis patentibus recte riteque coli poſſit.

Poſt exitum vero Iſraëlitarum ex Ægypto Deus in deſerto, ut conſtat *Exodi* vigeſimo quinto, certum quoddam, admodum operoſum atque ſplendidum, ſed portabile, quod facile huc illuc transferri poſſet, tanquam illorum vagis peregrinationibus accommodatum, extrui juſſit ædificium, quod quidem אהל מעד *Ohel mohed*, id eſt, *Tabernaculum teſtimonii*, ſive *conventionis* aut *contractus* appellatur. Hoc tabernaculum

cum diu fuisset in Silo, etiam temporibus Eli & Samuelis, tandem ab illo loco in Sionem montem fuit translatum, ibique collocatum. Simile tabernaculum ad Templi formam extructum, in bellicis expeditionibus Constantinum circumvexisse, in eoque conventus egisse, testis est Sozomenus libro 1. *Ecclesiasticæ Historiæ*, capite 8.

Post annos autem, ab hac prima tabernaculi divini constructione CCCCLXXX. (qui fuerunt inter Mosem & Salomonem) à Salomone in monte Moriah, ubi Isaac à patre Abrahamo immolandus erat, templum magnificentissimum illud & splendidissimum simul, totius fere Mundi miraculum, Dei jussu atque mandato, Davidi ejus ædificandi facultate ademta, ædificatum fuit, eo consilio, ut populus, ab idololatria abstractus, in legitimo Dei cultu retineretur. Fuit enim templum illud, ceu unica totius gentis parœcia, ad quam tribus solennioribus festis cultus externi in eo exercendi gratia populus Dei præcepto atque mandato confluebat.

Hoc templum cum stetisset annis M. CCCCXLII. tandem ob peccata populi gravissima, justissimo Dei judicio à Nabuchodonosore, Rege Babyloniorum, juxta Prophetarum plurima luculentissimaque vaticinia unà cum urbe solo æquatum est & concrematum.

Idem post captivitatem illam Babylonicam Dei jussu à Zorobabele rursus ædificatum, ab Herode Antipatre magnificentissime auctum & amplificatum, tandem anno secundo Vespasiani Imperatoris, XL. circiter annis post Christi ascensum in cœlos, juxta ejus vaticinium, Titi ductu, unà cum urbe funditus deletum atque extinctum fuit. Id aliquot annis post Judæi, Juliani Apostatæ permissu, frustra restaurare sunt conati: conatum hunc illorum Deo magno quodam miraculo impediente.

Prava imitatione Ethnici sua templa extruxerunt. Hujus autem tam splendidi, tam augusti & sancti templi, in toto orbe terrarum celeberrimi, cujus verus Deus autor & architectus fuit, ædificatione, adductos quadam κακοζηλίᾳ seu prava imitatione Ethnicos Diis suis fictis & commentitiis, quorum hinc inde fit mentio, templa, delubra, fana, ædes sacras, & similia ædificia extruere voluisse, verisimile est, illic adulterinum & idololatricum suum cultum exercendi caussâ.

Quædam gentes Deum absque templis colendum existimarunt. Persæ. Tametsi, ut hoc quoque addam, quod certe silentio non est prætermittendum, extiterunt quidam Philosophi, atque etiam Gentes, quæ nulla templa Diis ædificanda, nec templis, vel in templis Deos colendos esse arbitrabantur, atque ita omnem templorum usum respuerunt, ceu alienum à divina majestate. Sic enim Persæ, ab omni templorum usu abhorrentes ex Magorum suorum sententia, impie eos facere existimarunt, qui Deos ædium ac parietum septis includerent, quibus omnia deberent esse patentia, & libera, quorumque hic Mundus omnis templum esset ac domus, atque idcirco, Magis autoribus, non modo nulla Diis suis templa extruebant, sed etiam passim Græcorum & aliarum nationum templa demoliri, destruere, concremare, & solo æquare consueverunt, ut passim ex historiis patet: inprimis autem Xerxes hac de caussa inflammasse templa Græciæ dicitur. *Carmelii. Germani veteres.* Sic montis Carmeli incolæ nullum Dei sui templum, sed aras tantummodo in monte habuerunt: nec non Germani illi prisci, teste Tacito, pro templis lucos & nemora, Deorum suorum nominibus appellata, habuerunt & coluerunt: quod ipsum tamen nec veteres tantum Germanos, sed ante eos Ethnici plurimi & alii factitârunt. *Massilienses.* Nam Massilienses, qui Galliam Narbonensem inhabitant, in lucis, in quibus nulla erat effigies, sacra faciebant, interdumque arborum truncos venerabantur, tanquam aliquid divinitatis eis inesset. *Lucicolæ.* Hinc Servius notat, Manes & Heroum animas, qui *Lares vitales* dicerentur, lucos tenere: quos & ideo sic dictos arbitrantur nonnulli, quod ibi lumina fierent religionis caussa: quanquam alii per contrarium, quod minime luceant propter arborum umbras. Inde & Virgilius in sexto:

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Et primo: *Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra.*

Ubi Servius: *Ubicunque Virgilius lucum ponit, sequitur etiam consecratio,* ut:

- - - - Lucorum forte parentis
Pilumni Turnus sacratâ valle sedebat.

Et octavo:

Hinc lucum, quem Romulus acer asylum.

Asylum, templi genus. Valla de luco. Ubi obiter nota, *Asylum* etiam templi quoddam genus fuisse, ex quo nullus posset extrahi, dictum à Servio quasi *Asyrtum*: quod tamen non fuit in omnibus templis, nisi quibus consecrationis lege concessum esset. Ejusmodi Asylum fuisse templum Apollinis Delii scribit Livius. Sed enim & Valla scribit de Luco libro quarto in hunc modum: *Lucus nequaquam cæduus est; quin potius manu consitus, religiosusque, atque vel alicui Deo, vel alicujus hominis cineribus consecratus: ideoque aut circa delubra hominum, aut circa sepulcra est positus.* *Cicero.* Cicero pro Milone: *Vos enim Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor,*

Ovidius. Ovidius secundo *Fastorum*:

- - - - multis inciduus annis,
Junonis magnæ nomine lucus erat.

Statius. Statius libro tertio *Syll.*

Festaque pallentes hilarent altaria lucos.

Flaccus. Flaccus libro quinto:

Visa pavens castis Hecates excedere lucis.

Sic

Sic lucus Martis dictus, in quo Mars Iliam, Vestalem virginem, compressit, ut est apud Justinum & Plutarchum. Fuit & Martis lucus apud Colchos, in quo Poëtæ finxerunt aureum Phrynei arietis vellus à pervigili dracone asservari: cujus luci aliquoties Valerius ille Flaccus in *Argonauticis* meminit, & Juvenalis Satyrâ primâ: Lucus Martis quis. Juvenalis.

Nulli nota magis domus est sua, quam mihi Martis
Lucus, &c.

Cornelius Front. *de differentiis vocabulorum* lucum dicit esse locum, templum, sacellum, delubrum. Hujusmodi lucos Plutarchus *quæstione Rom.* octogesima septima, multos ait circa urbem Romæ Diis fuisse consecratos, quorum reditus in spectaculo insumebantur: unde pecunia, quæ spectaculis impendebatur, *Lucar* olim fuerit dicta. Sic Festus: *Lucar appellatur æs, quod ex lucis captatur, sive capitur: &* Lucaris pecunia, *quæ in luco erat data. Hinc etiam dicta* Lucaria, *festa, quæ in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit: pro eo, quod victi à Gallis fugientes è prælio ibi sese occultaverunt. Hinc etiam* Oblucinasse, *sive* Oblucuniasse *dicebant Antiqui mente errasse, quasi in luco Deorum alicui occurrisse*: Festus. Corn. Front. Lucar pecunia. Lucaria festa.

Lucorum hujusmodi idololatricorum in sacris etiam litteris crebra fit mentio: ut lucorum ad aras Baalis, quarto *Regum* decimo tertio: & lucorum in Samaria, Esaiæ sexagesimo quinto & alibi: quos quidem Josias, Rex religiosissimus, dicitur excidisse ex Judæa, secundo *Paralipomenon* trigesimo quarto. Lucorum & S. L. meminerunt.

Meminit lucorum istorum, ut hoc colophonis loco addam, Lucianus quoque *de sacrificiis* inquiens: *Primum lucos Diis attribuerunt, tum & montes dicarunt: præterea aves consecrarunt: deinde suam cuique arborem assignarunt. Postea per regiones illos distributos colunt, eosque velut in civitatem suam recipiunt, nempe Apollinem Delphii Deliique, Minervam Athenienses, Argivi Junonem, Migdonii Rheam, Venerem Paphii, Cretenses Jovem. Postremo fanis in honorem illorum erectis, ne tectis videlicet aut Penatibus careant, formas illorum exprimunt, adhibito ad id vel Praxitele, vel Polycleto, vel Phidia.* Lucianus de lucis.

Porro & Zenonis, principis sectæ Stoicorum, qui vixit Olympiade septuagesima, vel octagesima circiter, quo tempore Xerxes, de quo supra, Græciam vastavit, & Romani, ejectis Regibus consules creari cœperunt, vixit, hoc celebre dogma fuit, ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν, *Templa Deorum non ædificanda.* Eadem quoque in sententia & Diagoras, qui temporibus etiam Xerxis docebat in Græcia, & Theodorus Epicurus, athei dicti, fuisse perhibentur. Nec enim Diis templa ponebant, quos omnino non esse credebant; ac si Dii essent, eos templis non indigere, sed hæc in illorum cedere ignominiam. Zeno quid de templi structura. Diagoras quid & Theodorus.

Duo itaque hominum genera videntur fuisse eorum, qui Diis negant templa esse ponenda. Unum quidem eorum; qui Deos sive Deas prorsus negant, ac proinde nec templa ædificanda esse, cujusmodi fuerunt duo illi athei, tanquam communi sensui, ipsisque naturæ principiis refragantes. Alterum vero eorum, qui licet Deos esse crederent, iis tamen templa struere nefas putabant, probabilibus, uti videtur, rationibus adducti, quoniam nimirum Deus minime, ut cibo, potu, veste, ita ædificiis quoque ad caloris frigorisque vim depellendam indigeat, eundemque longe lateque per omnia diffusum parietum claustris comprehendere atque coercere, non modo à ratione, verum etiam à pietate alienum videatur. Duo hominum genera, negantium templa extruenda.

Adde quod illorum sententia simul & sententiæ duplex hæc ratio, modo commemorata, ipsarum sacrarum litterarum, seu potius Spiritus sancti, earundem auctoris, testimonio auctoritateque niti videatur. Sic enim Deus per Prophetam exclamat: *Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum. Ubi igitur erit domus, quam ædificabitis mihi? Et ubi erit locus meæ quietis? Omnia nanque ista fecit manus mea, quæ facta sunt, inquit dominus.* Sic Salomo in templi illius magnificentissimi dedicatione inquit: *Cœli cœlorum*, hoc est, extremi, *te non capiunt.* Sic Paulus ad Athenienses: *Deus*, inquit, *qui fecit Mundum & omnia, quæ in eo sunt, quum sit cœli & terræ Dominus, in manufactis templis non habitat.* Deus in manufactis templis non habitat.

Sed hæc & alia hujuscemodi sacræ scripturæ loca, quæ Deum non incolere templa manufacta, iis non comprehendi, ea denique nolle, illis Naomachis minime profecto patrocinantur. Iis enim Spiritus sanctus, sibi semper constans, non simpliciter sacra ædificia, quæ ipsemet fieri mandavit, & in quibus se præsentem fore promisit, atque adeo reipsa & exitu magnis miraculis suam sæpe in iisdem singularem quandam gratiam exercuit, vetat & prohibet: sed potius falsam atque perversam hominum opinionem ex illorum animis tollere, atque extirpare conatur, quæ nimirum templis & universo cultui externo nimium tribuebant, posthabito veri Dei cultu vero & spirituali, Deum iis quasi includebant & alligabant, eumque minime recte riteque coli sine iis existimabant: denique totam religionis ac per consequens salutis proram & puppim in externorum templorum magnifica structura, assidua frequentatione, neglecto virtutum recteque factorum studio collocabant. Non ergo, ut summatim dicam, ipsa templa, sed eorum potius abusum, perversamque & de templis & de ipso Deo opinionem damnat. Quo sensu Deus non incolere templa dicatur.

Hactenus de templorum origine, seu primis inventoribus, quibus hæc quoque Arnobii libet addere, tanquam huic loco accommodatissima: *Quorum* (templorum) inquit, *si quæris audire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuisse monstrabitur: ut tradit in admirandis Varro, Jovis progenies Æacus. Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut renideant aureis, splendeant hîc gemmæ, & sidereos evomant variata insertione fulgores: terra sunt hæc omnia, & ex fece ultima vilioris materiæ concreta. Neque enim, si vos ea pretiis carioribus penditis, delectari credendum est his Deos: nec recusare, nec spernere, quo minus se sepiant, & eorum objectionibus coërceantur inclusi. Templum, inquit, hoc Martis est, hoc* Arnobius de fabricatione templorum Gentilium.

 Juno-

Junonis & Veneris: Apollo hic habitat, in hoc manet Hercules, illo Summanus. Ista non prima & maxima contumelia est, habitationibus Deos habere districtos? tuguriola his dare, conclavia & cellulas fabricari, & eis existimari necessarias res esse, quæ hominibus, felibus, quæ sunt formiculis, & lacertis, quæ fugacibus, pavidis atque exiguis muribus. Sed non (inquit) idcirco attribuimus Deis templa, tanquam humidos ab iis imbres, ventos, pluvias arceamus, aut soles: sed ut eos possimus coram & comminus contueri, affari de proximo, & cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere. Sub axe enim nudo, & sub æthereo tegmine invocati si fuerint, nihil audiunt: & nisi de proximo admoveantur his preces, tanquam nihil dicatur, obstructi, atque immobiles stabunt. Atquin nos arbitramur omnem Deum omnino (si modo nominis hujus vi pollet) ex quacunque mundi parte, quod quisque fuerit locutus, tanquam si sit præsens, audire debere: immo quod quisque conceperit sub obscuris & tacitis sensibus, cognitione anticipata præsumere: atque ut astra, sol, luna, cum supra terras meant, omnibus omnino cernentibus statim sunt & ubique præsentes: ita quoque convenit audientiam Numinum nulli esse clausam linguæ semperque esse præsentem: quamvis ad eam voces regionibus ex distantibus confluant. Hoc est enim proprium Deorum complere omnia vi sua, non partiliter usquam, sed ubique esse totos: non adesse, non abesse, non cœnatum ad Æthiopas pergere, & post dies bissenos privatum ad domicilium redire. Quod si ita non erit, tollitur omnis spes opis, & erit in dubio audiamur à Diis, necne: si quando res sacras cerimoniarum conficitis debitis. Constituamus enim cognoscendæ rei caussa, templum Numinis alicujus esse apud Canarias insulas, ejusdem apud ultimam Thylem: ejusdem apud Seras esse, apud furvos Garamantas, & si qui sunt alii, quos ab sui notitia maria, montes, sylvæ, & quadrini disterminant cardines. Si omnes uno in tempore rebus divinis factis, quod sua quosque necessitas cogitare compellit, poscant de Numine, referendi beneficii, quænam omnibus spes erit, si non undique ad se missam vocem Deus exaudiret, & erit ulla longinquitas, quo penetrare non possit auxilium poscentis oratio? aut enim nullis in partibus erit præsens, si uspiam poterit aliquando non esse, aut aderit unis tantum, quoniam præbere communiter suum non potest atque indiscretus auditum.

At ista perficitur, ut aut nulli Deus opituletur omnino, si occupatus re aliqua ad audiendas voces non quiverit advolare: aut exauditi tantummodò uni abeant soli, nihil egerint cæteri. Quid quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, & functorum esse corporum sepulturas? Nonne patet, & promptum est, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri Numinibus contumeliam, quorum delubra & templa mortuorum superlata sunt bustis? In historiarum Antiochus nono, Athenis in Minervio memorat Cecropem esse mandatum terræ in templo rursus ejusdem, quod in arce Larissæ est, conditus scribitur atque indicatur Acrisius. Erichthonius Poliadis in fano, Dairas & Immanarchus in Eleusinis consepto, quod civitati subjectum est. Quid Celei virgines? non in Cereris Eleusinæ humatæ habere perhibentur officia? non in Dianæ delubro, quod in Apollinis constitutum est Delii, Hyperocha, Laodiceque? quas advectas illuc esse finibus ex hyperboreis indicatur, in Didymæo Milesio Cleochum dicitur habuisse suprema Leandrus, funeris Leucophrinæ monumentum in fano apud Magnesiam Dianæ esse, Myndius profitetur ac memorat Zeno, sub Apollinis arula, quæ Telmessi apud oppidum visitur, Telmessum esse conditum vatem, non scriptis constantibus indicatur Agesarchi? Ptolemæus Philopator quem edidit primo, Cinyram regem Paphi cum familia omni sua, immo cum omni prosapia in Veneris templo situm esse, litterarum auctoritate declarat. Hactenus Arnobius: qui recte sane templa Gentilium sepulchra hominum mortuorum appellat, unde *Busta* per contumeliam à Christianis antiquitus fuerunt appellata. Ac revera illa nihil aliud fuerunt, quam sepulcra quædam cadaverum fœdissima & putidissima: licet auro, argento, marmore, ebore, & aliis rebus preciosis refulgerent. Plura de origine templorum ex sepulcris vide apud Gyraldum, & Plutarchum, qui inter alia Lycurgum narrat permisisse, ut mortui in urbe sepelirentur, & monimenta essent templis vicina.

1. Templorum votio in genere.

TEMPLA porro illa, ab hominibus extructa, solebant propter certas caussas voveri, cujus rei multa exempla passim in historiis reperiuntur. Quando vota erant, & id, propter quod vota erant, prospere successerat, tum definiebantur, vel certi illius templi fines constituebantur: id quod dicebatur *Effari templa*, teste Varrone, vel *Sistere fana.* Sic enim Festus: *Sistere fana, cum in Urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere.* Id vero ab Auguribus fieri solitum docet Varro. Ubi ita definita essent, tum condebantur: condita dedicabantur ab iis, qui ea vovissent: tandem ab Auguribus inaugurabantur, id est, suis auguriis sanctiora reddebantur. Hoc enim nisi fieret, templa esse non poterant, teste apud Agellium Varrone: sed *ædes* tantum dicebantur; unde discrimen inter *templa* & *ædes sacras* facile intelligitur.

Circumstantiæ quæ considerandæ in templorum votione, &c.

Verum & in hujuscemodi templorum votione, definitione, ædificatione, dedicatione, inauguratione, vel etiam exauguratione, quando nimirum profana reddebantur, hæ observari considerarique erant solitæ circumstantiæ, nempe quibus, à quibus, quo modo, quibus verbis, gestibus, ritibus atque cerimoniis ea fierent.

Templorum votio apud Romanos, usitata in bello.

Ac Romani quidem, qui, ut Prudentius contra Symmachum testatur, tot templa Deorum habuerunt, quot in urbe sepulcra Heroum numerare licuit, in bellis atque præliis plerunque cum alia, tum inprimis Diis suis templa vovere solebant: id quod primum Romulum fecisse Dionysius Halicarnasseus libro primo testatur: alii Numam: Tertullianus tamen in *Apologetico* adversus gentes, capite vigesimo quinto post Numam demum & simulacrorum & templorum usum in Rempublicam illam introductum fuisse voluit. Sic enim inquit: *Nam etsi à Numa concepta est curiositas superstitiosa: nondum tamen aut simulacris, aut templis res divina apud Romanos constabat: frugi religio, & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cœlo, sed temeraria de*

cespite

ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipſe nuſquam. Non enim tunc ingenia Græcorum atque Tuſcorum fingendis ſimulacris inundaverant. Hæc Tertullianus. Quicquid ſit, illud quidem conſtat, templa etſi apud Romanos primo tenuia atque parva, tamen progreſſu temporis ſuis illis votionibus, definitionibus, aliiſque cerimoniis atque ritibus magnificentiora fuiſſe facta, innumerabilique fere numero aucta. Votionis hujus illuſtre exemplum extat apud Livium Decade primâ libro decimo, ubi Appius Conſul & Imperator hujuſmodi precationis formâ Bellonæ templum vovet, *Bellona, ſi hodie nobis victoriam duis: aſt ego templum tibi voveo.*

Fuit autem hic Diis templum vovendi mos, non in bellis tantum, ſed etiam domi cum ob publicas cauſſas, hoc eſt, calamitates vel præſentes, vel imminentes, tum privatas, ut ambitionem & alias, frequentiſſimus & creberrimus. Sic enim Caligula, teſte Suetonio, quoniam divinos ſibi vendicabat honores, *ut Deus coli voluit, conſiſtens ſæpe inter fratres Deos medius, ut ſe adorandum adeuntibus exhiberet, & templum etiam Numini ſuo proprium, & ſacerdotes, & excogitatiſſimas hoſtias inſtituit. In illo templo, quod ſibi voveri, & extrui curârat, ſimulacrum ſtabat aureum iconium: amiciebaturque quotidie veſte, quali ipſe uteretur: magiſteria ſacerdotii ditiſſimus quisque & ambitione & licitatione maxima vicibus comparabant. Hoſtiæ erant Phœnicopteri:* & quæ ſequuntur. Templorum votio etiam uſitata domi.

Iidem templa magna etiam religione, ſeu ſuperſtitione potius extruere & ædificare ſunt ſoliti: ubi locus, ſitus, materia, forma religioſe obſervabatur. Nam quod ad locum attinet, non omnibus Diis promiſcue omni loco ædificari templa ſolebant. Aliis enim intra urbem quæ urbana fuerunt dicta; aliis extra eam; aliis in montibus; aliis in foro; aliis alibi templa conſtruebantur. Sic, exempli gratia, Vulcani templum Romulus extra urbem condiderat, & Veneris ad portum erat conditum, Mercurii in foro: Iſidis & Serapidis in emporio: Apollinis, patriſque Liberi ſecundum theatrum: Herculis, in quibus civitatibus non ſunt gymnaſia, neque amphitheatra, ad circum. Æſculapii quoque fanum & Cereris & Bellonæ apud Romanos fuit extra urbem; cujus quidem rationem reddit Plutarchus in *quæſtionibus Romanis*, quæſt. 47. quem vide. Plato libro 10. *de Legibus*, hanc legem fert de loco conſtruendi templa vel ſacella: Ἱερὰ μηδεὶς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἐκτήσθω. θύειν δ᾽ ὅταν ἐπὶ νοῦν ἴῃ τινί, πρὸς τὰ δημόσια ἴτω θύσων, hoc eſt, *Sacella nemo in privatis ædibus habeto. Quum alicujus animum ſacrificandi ſtudium inceſſerit, ad publica ſacrificaturus accedito.* Idem lib. 6. *de Legibus*, ubi de ædificiorum condendorum ratione verba facit, de loco fanorum conſtruendorum, ſic loquitur: Τὰ μὲν τοίνυν ἱερὰ πάσας πέριξ τήν τε ἀγορὰν χρὴ κατασκευάζειν, καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἐν κύκλῳ, πρὸς τοῖς ὑψηλοῖς τῶν τόπων, εὐερκείας τε καὶ καθαρότητος χάριν. Πρὸς δὲ αὐτοῖς, οἰκήσεις τε ἀρχόντων, καὶ δικαστηρίων, ἐν οἷς τὰς δίκας, ὡς ἱερωτάτοις οὖσι, λήψονταί τε καὶ δώσουσι. Τὰ μὲν, ὡς ὁσίων πέρι, τὰ δὲ, καὶ τοιούτων θεῶν ἱδρύματα· hoc eſt, *Urbs quidem tota locis ſublimibus, circumquaque conſtruenda eſt, ut & munitior ſit & mundior. Templa circa forum ſtruantur. Juxta hæc, Magiſtratuum palatia, & Curiæ, juri dicundo attributæ, in quibus, veluti auguſtiſſimis ſanctiſſimisque locis, jura dentur & accipiantur: partim ipſis judicibus, veluti de rebus ſacris judicaturis: partim vero veluti in ipſis Curiis Deorum ſint ſedes & delubra.* Hæc de loco. II. Templorum ædificatio. 1. Locus.

Quod ad ſitum attinet; ut plurimum templa ad Orientem ſolem conſtrui ſolita ſcribit Lucianus. Vitruvius item de templorum & ſacrarum ædium ſitu, ſi plura cupis multa egregia, huicque loco convenientiſſima ſcribit lib. 1. & 3. & 4. cujus inter alia hæc ſunt verba: *Jovi Fulguri, & Cœlo, & Soli, & Lunæ, ædificia ſub divo, hypæthraque conſtruuntur. Horum enim Deorum & ſpecies, & affectus in aperto Mundo atque lucenti præſentes videmus.* 2. Situs.

Materia porro templorum partim fuit lapidea, partim lignea, partim mixta. Seneca: *Thaſius*, inquit, *lapis (quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo) piſcinas noſtras circundat.* 3. Materia.

Formas præterea varias etiam templorum ab Antiquis deſcriptas reperimus. Nam Solis quidem ædem, Liberique patris rotundam Veteres probarunt: Jovis vero templa, quod omnium rerum ſemina is Deus patefacere credebatur, tecto eſſe oportere ajebat Varro perforato. Ædem Veſtæ, quam cum Terra eandem putabant, rotundam, ad pilæ ſimilitudinem formabant. Cœlitibus & Superis aliis à terra templa extare volebant: Inferis Deis ſub terra: chthoniis et terreſtribus media ponebant ſæpius. 4. Forma.

Sed & de variis formis templorum & ſacrarum ædium idem Vitruvius ſcribit loco ſupra citato; cujus hæc inter cætera ſunt verba: *Minervæ & Marti, & Herculi ædes Doricæ fient. His enim Diis propter virtutem ſine deliciis ædificia conſtitui docet. Veneri, Floræ, Proſerpinæ, Fontium Nymphis, Corinthio genere conſtitutæ aptas videbuntur habere proprietates, quod his Diis propter teneritatem graciliora & florida, foliisque & volutis ornata opera facta, augere videbuntur juſtum decorem. Junoni, Dianæ, Libero patri cæterisque Diis, qui eâdem ſunt ſimilitudine, ſi ædes Ionicæ conſtituentur, habita erit ratio mediocritatis, quod ab ſevero more Doricorum, & à teneritate Corinthiorum temperabitur earum proprietatis inſtitutio.* Hæc Vitruvius, ex quo conſtat, formas templorum fuiſſe Doricas, Ionicas, Corinthias, alioque genere conſtitutas. Vitruvius de formis templorum.

Quò pertinet, quod Franciſcus Polletus lib. 1. *Hiſtor. Rom.* cap. 3. adnotat templa Veterum noſtris non fuiſſe abſimilia. *Conſtabant enim, ait, cella ſanctiore, nos Chorum vocamus, quæ cella ſanctior à Baſilica & porticibus diſtinguebatur Pluteo, & quaſi altero pronao, nos non male* Pulpitum *vocamus, quod in morem pulpiti, aut tabulati erectum ſit: quidam ex vulgo* Threnum *vocant, fortaſſis quod illic threni Jeremiæ prophetæ recitentur, & aliæ Homiliæ ſacræ. Baſilica vero, quam nos* Navem, *aut* Carinam *vocamus, deambulationes, quæ utrinque ſunt, omnino porticus ſunt veterum, quæ ſunt veluti fori in Carina. Cella ſanctior ſolis rebus ſacris deſtinabatur. Baſilica vero & porticus & pronaon fere uſibus prophanis exponebantur. Illic enim & nundinæ mercium & proxenetica contractuum, prologi nuptiarum, colloquia tranſactionum, ut hodie apud nos, nimis impie, exercebantur.* Hactenus Polletus: quibus adde, & certas templorum partes dum extruerentur, fuiſſe conſtitutas: quarum ſiniſtra ab Fr. Polletus de formis templorum. Partes templorum.

Oriente, dextra ab Occidente, antica ad Meridiem, postica ad Septentrionem dicebantur. Publius tamen Victor, cum ait in libello *de* XIV. *Urbis regionibus*, ante Cellam, partem nimirum templi sacratiorem, esse prodomon, post templum opistodomon, templum in tres duntaxat partes dividit, mediamque, ubi Dei est cella, quam hodie *Chorum* dicunt, vocat: quæ antecedit πρόδομον; quæ sequitur ὀπισθόδομον. Vide Hadrianum Turnebum libro vigesimo secundo, capite decimo septimo.

III. Templorum restauratio. Ut autem in extruendis & ædificandis, ita in restaurandis & reficiendis templis summam curam, magnam religionem, varias cerimonias, atque ritus, adhibuerunt; quos quidem uno quasi fasciculo Cornelius Tacitus complexus est, in lustratione areæ templi Jovis, quod à Vespasiano tum restitutum fuerat: *Vespasianus*, inquit, *curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres. Ab eo contracti Haruspices monuere, ut reliquiæ prioris delubri in paludes aveherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur, nolle Deos mutari veterem formam. Undecimo Kalend. Julias, serena luce, spacium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque, ingressi milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis, deinde virgines Vestales cum pueris puellisque, patrimis matrimisque aqua rivis & fontibus amnibusque hausta, perluere. Tum Helvidius Priscus Prætor, præeunte Plauto Eliano Pontifice, lustrata Suovetaurilibus area, & super cespitem redditis extis, Jovem, Junonem, Minervam, Præsides Imperii Deos precatus, uti cœpta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas, divina ope attollerent, & vittas quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. Simul cæteri Magistratus & Senatus, & Eques, & magna pars populi, studio lætitiaque connixi, saxum ingens traxêre, passimque injectæ fundamentis argenti, aurique, stipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur. Prædixêre Haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato, &c.* Hactenus Tacitus.

Horatius de restauratione templorum. His adde Horatiana illa:

Delicta Majorum immeritus lues
Romane: donec templa refeceris
Ædesque labentes Deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.
Diis te minorem quod geris imperas.
Huc omne principium, huc refer exitum.
Dii multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.

Tanta apud Gentiles fuit templorum veneratio, ut eorum ruinas quoque atque rudera coluerint, ut ex his Senecæ verbis apparet: *Non magis contemnitur sapiens, cum jacuit, quam cum sacrarum ædium ruinæ calcantur, quas religiosi æque ac stantes adorant.*

IV. De templorum inauguratione. Hæc de ædificatione & restauratione templorum. Audiamus illorum porro dedicationem sive consecrationem & inaugurationem. Hanc præsertim apud Romanos magno in pretio fuisse, colligitur non tantum ex eo, quod templum primum Romæ Jovi Feretrio, a Romulo, urbis regnique conditore, dedicatum testis est Livius Decade primâ, libro primo: sed etiam ex illa M. Horatii Pulvilli atque Valerii Publicolæ Coss. historia id constat, de qua sic Livius lib. 2. Dec. 1. *Nondum dedicata erat in Capitolio Jovis ædis. Valerius Horatiusque Coss. sortiti, uter dedicaret, Horatio sorte evenit. Publicola ad Vejentinum bellum profectus. Ægrius quam dignum erat, tulere Valerii necessarii, dedicationem tam inclyti templi Horatio dari: id omnibus modis impedire conati, postquam alia frustra tentata erant, postem jam tenenti Coss. fœdum inter precationem Deûm nuncium incutiunt; mortuum ejus filium esse, funestâque familiâ dedicare eum templum non posse. Non crediderit factum, an tantum roboris fuerit, nec traditur certum, nec interpretatio facilis est: nihil aliud ad eum nuntium à proposito aversus, quam ut cadaver efferri juberet, teneret postem, precationem perageret, & templum dedicaret.* (Livius de hac inauguratione.) Hæc Livius; ubi inter alia mentionem facit postis, quem is, qui dedicabat, manu tenebat, de quo & Cicero pro Domo sua: *Postem teneri in dedicatione templi oportet.* Et Seneca, attingens illam historiam: *Pulvillus hoc fecit*, inquit, *cui postem tenenti, & Capitolium dedicanti mors filii nunciata est, quam ille exaudisse dissimulans & solennia Pontificalis carminis verba (*Nota, quia certis verbis à Pontifice dedicari solebant fana, inde videntur à *fando* dicta, teste Festo*) concepit gemitu non interrumpente precationem, & ad filii sui nomen Jove propitiato, putasset ejus luctus aliquem finem esse debere, cujus primus dies primus impetus ab altaribus publicis & fausta nuncupatione non abduxit patrem, dignus mehercule memorabili dedicatione, dignus amplis. sacerdotio, qui colere deos, ne iratos quidem destitit. Idem tamen ut rediit domum, implevit oculos, & aliquas voces flebiles emisit, & peractis, quæ mos erat præstare defunctis, ad Capitolium hilari redit vultu.* De hoc Horatio Pulvillo vide etiam Dionysium Halicarnasseum, & Valerium lib. 5. cap. 10. (Seneca de inauguratione templorum.)

Sic, ut idem Livius scribit Decade primâ, libro quarto, cum Cn. Julius Consul ædem Apollinis, absente collega sine sede dedicasset, ægre id passus Quintius, cum dimisso exercitu in urbem rediisset, nequicquam in senatu est conquestus.

Inauguratio templorum non cuilibet olim concessa. Non licebat autem cuivis antiquitus templa dedicare, sed Consulibus tantum & Imperatoribus: item Decumviris & Censoribus, & aliis hujusmodi: cujus rei testis est illa Historia Cn. Flacii, quam idem Livius Decade prima libro nono enumerat. Is enim scriba, patre libertino, humili fortuna ortus, & ædilis curulis ædem Concordiæ in area Vulcani summâ invidiâ Nobilium dedicavit, coactusque consensu Populi Cornelius Pontifex mox verba præire, cum more Majorum negaret, nisi Coss. aut Imperatorem posse templum dedicare. Itaque ex auctoritate Senatus latum ad Populum est, *Ne quis templum aramve injussu Senatus, aut Trib.*

plebis

plebis partes majores dedicaret. Illa Lex lata fuit à Q. Papirio, Trib. pl. quæ idcirco *Papyria* fuit appellata. Ejus fit mentio apud Ciceronem, in oratione pro Domo sua: *Video enim*, inquit, *eam legem veterem Tribunitiam, quæ vetet injussu plebis ædes, terram, aram consecrare: neque tum hoc ille Q. Papirius, qui hanc legem rogavit, sensit*, &c. Et paullo post: *Lex Papyria vetat, ædes injussu plebis consecrari.* Idem pro Domo sua: *Cum Licinia*, inquit, *virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio prædita, T. Flaminio, Q. Metello Coss. aram, & ædiculam & pulvinar sub saxo sacro dedicasset, non eam rem ex auctoritate Senatus, ad hoc collegium Sextus Julius Prætor retulit. Tum P. Scævola, Pontifex Maximus, pro Collegio respondit, quod in loco publico Licinia C. F. injussu Populi dedicasset, sacrum non videri.*

Præterea ille, qui dedicare volebat, prius ad sacerdotem publicorum atque Pontificum collegium referre id cogebatur. Sic enim Cicero pro Domo sua inquit, *Classium censorum de signo Concordiæ dedicando ad Pontificum collegium retulisse, eique M. Æmilium Pontificem Maximum pro collegio respondisse, nisi eum Populus Romanus nominatim præfecisset, atque ejus jussu faceret, non videri ea recte posse dedicari.* Idem: *Atque ille tamen C. Quintius Martius Censor ad collegium retulit: tu ad quem retulisti? Si quid deliberares, si quid tibi aut piandum, aut instituendum fuisset religione domestica, tamen instituto cæterorum ad Pontificem detulisses: Novum delubrum cum in urbis clarissimo loco, nefando quodam atque inaudito instituto inchoares, referendum ad sacerdotes publicos non putasti? Et si collegium Pontificum adhibendum non videbatur, nonne horum tibi idoneus visus est, qui ætate, honore, autoritate, antecellunt, ut cum eo dedicationem communicares?* Hinc ergo colligimus, non licuisse injussu Populi & inscio sacerdotum collegio, cuiquam templum aut aram, aut quidvis aliud dedicare. Inauguraturus cogebatur ad collegium Pontificum referre.

Is porro, qui dedicare volebat vel totum collegium advocabat, vel unum aut alterum Pontificum adesse jubebat, qui ei verba præiret: cujus quidem advocationis Cicero pro Domo sua hujusmodi formam præscribit: *Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi praeatis, postemque voveatis.* Ad collegium vel totum, vel unum aut alterum Pontificum inaugura-turus refe-rebat.

Dedicationis autem hujusmodi forma hisce fere ritibus atque cerimoniis constabat: Omne spatium, quod erat templo dicatum, coronis atque vittis vinciebatur: idem cum à populo fœlicibus ramis, tum à virginibus Vestalibus aqua perluebatur. Is, qui dedicabat, postem templi, qui, ut inquit Cicero, ibi est, ubi aditus templi, & valvæ ambulationis sunt, manu sua tenebat, certa quædam atque solennia verba, sive precationem, præeunte aliquo Pontifice, effabatur (unde idem *de Legibus, Templa liberata & effata habento:*) Area item certis sacrificiis lustrabatur, exta super cespitem reddebantur, vittæ, quibus ligatur lapis, innexique funes erant, à dedicante contingebantur: populus etiam universus saxum primum tangebat, fundamentis certas res, ut auri & argenti stipes injiciebant: simulacrum Dei aut Deæ illius, cui templum dedicabatur, sæpe quoque aliunde translatum, ut de Junonis simulacro Vejis Romam advecto, Livius scribit Decade prima, libro quinto: in templo ipsum quoque prius unctione dedicatum, unâ cum ara & pulvinari collocabatur. Hæc ex Livio, Cicerone, Cornelio Tacito, & aliis colligere licet, quos quidem ritus omnes atque cerimonias videre licet in Capitolii restauratione apud Tacitum eo loco, quem supra citavi. Inaugurationis templorum forma.

V. Exauguratio templorum. Livius de hac exauguratione.

Præter hanc dedicationem, consecrationem, nuncupationem, initiationem, & inaugurationem templorum Livius meminit etiam exaugurationis, qua Veteres templa sua suis auguriis profana reddere consueverunt. Sic enim libro primo ab Urbe condita scribit: *Et ut libera à cæteris religionibus area esset tota Jovis templique ejus, quod inædificaretur, exaugurare fana, sacellaque statuit, quæ aliquot ibi à Tatio Rege primum in ipso discrimine adversus Romulum pugnæ vota, consecrata, inaugurataque postea fuerant, inter principia condendi hujus operis movisse Numina ad indicandam tanti imperii molem traditur Deos. Nam cum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere.*

VI. Decoratio templorum.

Sed & ut templa magnâ religione seu superstitione potius, extrui & ædificari, dedicari & inaugurari: ita ornari, custodiri, sarta tecta, pura atque munda conservari, polluta denique expiari consueverunt. Ornamentorum, monimentorum, & eorum, quæ in templis Diis dicata reponi, ex tholis, aut parietibus, aut etiam columnis affigi, & suspendi solebant, varia ac multiplicia fuerunt: quæ Græci κάλλη τῶν ἱερῶν, & ἀναθήματα, Latini *donaria*, aliisque nominibus appellarunt. Hinc illæ apud Demosthenem loquendi formæ: καλλωπίζειν κάλλη τῶν ἱερῶν, *comparare ornamenta templorum:* ἀνατιθέναι ἀναθήματα, *consecrare donaria:* πολεμεῖν τοῖς ἀναθήμασι, *bellum inferre religioni.* Macrobius: *Ornamenta vero sunt*, inquit, *clypei, coronæ & hujusmodi donaria:* quæ vox tamen nonnunquam pro loco ponitur, in quo dona reponuntur, & pro ipso etiam templo, sicut supra de *Sacrario* dictum fuit. Hinc Virgilius lib. 3. *Georgicorum:* Anathemata. Donaria.

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæsitas ad sacra boves Junonis & aris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Gellius libro secundo, capite decimo: *Ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam religiose Donariis consecrata.* Apulejus: *Ibi donarium Deæ perquam opulentum, plurima auri & argenti ratio in lancibus, speculis, poculis, & hujusmodi utensilibus.*

Inter hæc autem ornamenta & monimenta Clavus quoque annalis reponitur, qui, teste Festo, figebatur in parietibus sacrarum ædium per annos singulos, ut per eos numerus colligeretur annorum. Eodem pertinent cervorum cornua, quæ in Dianæ templis solebant affigere: unde Plutarchus in *quæstionibus Romanis* quæstione quarta quærit, cur in ejusdem Deæ templo, quod erat in Aventino, non cervorum, sed boum cornua affixerint. Ad ædem vero Jovis Feretrii opima spolia poni solita testimonio sunt libri Pontificales, inquit Festus: quanquam in templa transferri non vult Plato arma, bello capta à civibus ejus, quam instituit, civitatis, Clavus annalis. Cornua Dianæ. Spolia omnis generis.

tatis. Sic enim ille lib. 5. *de Legibus:* Οὐδὲ μὴν πρὸς τὰ ἱερὰ τὰ ὅπλα οἴσομεν, ὡς ἀναθήσοντες. ἄλλως τε καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων, ἐάν τι ἡμῖν μέλῃ τῆς πρὸς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας εὐνοίας, μᾶλλον δὲ καὶ φοβηθησόμεθα μή τι μίασμα ᾖ, πρὸς ἱερὸν τὰ τοιαῦτα ἀπὸ τῶν οἰκείων φέρειν, ἐὰν μή τι δὴ ὁ θεὸς ἄλλο λέγῃ, id est, *Neque vero arma in templa transferemus, ea Deo dedicaturi, præsertim Græcorum arma, si nobis modo curæ est benivolentiam colere cum cæteris Græcis: maxime vero formidabimus, ut scelus sit inexpiabile, à proprio & domestico usu ad res sacras transferre hujusmodi res: nisi quis deus aliter ediderit.* Ædilium deinde hoc erat apud Ro-

VII. Conservatio templorum. manos munus atque officium commune, ut templa sarta tecta, pura atque munda conservarent. Singulorum etiam templorum erant custodes atque tutores peculiares, qui *Æditui* sive *Æditimi* vulgo fuerunt dicti, Græce Νεωκόροι καὶ ζακόροι, à κορεῖν, quod idem est ac κοσμεῖν καὶ καλλύνειν, id est, *ornare, instruere, addere speciem pulchritudinis.* Festus: *Ædilis*, inquit, *initio dictus est magistratus, qui ædium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat. Æditus, sacræ ædis tuitor, sive tutor, id est, curam gerens, &* Æditimus, *ædis intimus.*

VIII. Templa vel claudendi vel aperiendi ritus. Denique templa quoque vel claudendi vel aperiendi certa observabatur ratio. Hinc Jani templum, à Numa extructum, duas habuisse portas legimus; in cujus vestibulo Janus insigni in solio sedebat. Hæ Belli portæ dicebantur, quas Virgilius in 7. *Æneid.* ita describit:

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ & sævi formidine Martis.

Dum igitur bellum durabat, portæ assidue patebant: quo confecto statim claudebantur. Hoc à Numa institutum à posteris sancte religioseque semper servatum fuit, quemadmodum Plutarchus refert. Quare Janus pacem bellumque in manibus habere dictus est, ut de seipso apud Ovidium primo *Fastorum* prædicat. Et hæc de valvarum aperiendarum atque claudendarum ritu, qui in templo Jani observabatur. Hinc Janus *Patulejus* atque *Clusius* ab aperiendis claudendisque portis vel pacis, vel belli tempore dictus. Cur vero Hortæ templum semper manserit apertum, rationem reddit Plutarchus in *quæstionibus Romanis*, quæstione quadragesima sexta. Certis porro diebus aperiebatur Penus, locus in æde Vestæ intimus: qui quidem dies religiosi habebantur, teste Festo. Templorum item aditus & accessus quibusdam patebat: aliis non. Unde apud Rhodios cur in Geridionis sacellum non ingrediebatur præco, rationem reddit Plutarchus in *quæstionibus Græcis*, quæstione vigesima septima.

Templorum epitheta varia. Hæc de templis: quæ ab usu sancta, sacra, sacrosancta, sacrata, augusta, religiosa, impolluta, culta, mystica, votiva, opima, pinguia, venerabilia: à vetustate antiqua, vetusta: à quantitate grandia, immania, excelsa, alta, sublimia, spatiosa, ardua, ampla: à pretio magnifica, operosa, laqueata, marmorea, eburnea, aurata, lucida, fulgentia, pretiosa, conspicua, aliisque nominibus fuerunt nuncupata. Plinius, ut hoc colophonis loco addam, arbores scribit fuisse olim Numinum templa, & harum quidem genera iis dicata servari. Verba illius hæc sunt libro duodecimo, capite primo: *Arbores fuere Numinum templa, priscoque ritu simplicia rura, etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos & in eis silentia ipsa adoramus. Arborum genera Numinibus suis dicata perpetuo servantur, ut Jovi æsculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin & Sylvanos Faunosque & Dearum genera sylvis, ac sua Numina, tanquam & cœlo attributa, credimus.* Hactenus Plinius.

De Aris vel altaribus. Post templa videtur de aris, sive altaribus scribendum, quæ quidem templorum fuerunt ornamenta, sacrificiorumque loca magis propria, atque adeo Sacrorum præcipua fere instrumenta. Exordiemur autem, pro more nostro, ab eorum nominibus.

Ararum nomina Hebræa & Chaldæa. Ara Hebraice dicta est מזבח *Mizbeach*, sive מדבח *Mizbach à* זבח *Zabach, sacrificando*, nimirum ab usu ejus primario: cui respondet vox Græca θυσιαστήριον, quasi dicas *Sacrificatorium*, hoc est, instrumentum sacrificiale, sive locus, in quo sacrificatur: Chaldaice dicitur אגורח *Egurach*, ab אגר *Agar, mercede conduxit, collegit, congregavit:* quæ vox etiam tectum, ædificium validum & cumulum significat. Sic forsan dicta, quod inde sacerdotes mercedem suam colligebant, tanquam mercenarii: vel quod erant ædificia alte extructa & bene compacta atque munita.

Ararum nomina Græca. 1. Θυσιαστήριον. 2. Βωμός. Græci multa habent nomina, quibus *Aram* exprimunt: inter quæ duo sunt maxime communia, nempe θυσιαστήριον, sive Poëtice θυηλήριον apud Aratum, & βωμός. Θυσιαστήριον, *altare*, dicunt à θυσιάζειν, *sacrificando*, sive sacrificiis, uti supra dictum est, ab usu nimirum; cui respondet vox Hebraica מזבח *Mizbeach*, unde etiam θυμέλη dicitur ἀπὸ τοῦ θύειν: quæ vox farinam quoque significat, ad sacrificium adhiberi solitam.

Alterum nomen est βωμὸς, quod βάσιν etiam significat & locum, ubi currus reponuntur. Homerus:

Ἅρματα δ' ἂν βωμοῖσι τίθει, &c.

Etyma varia βωμοῦ. Sic autem dicitur à βῶ, quod *pascere* & *vadere* significat; vel quod inde victitarent atque pascerentur sacerdotes; vel quod per gradus ad illud esset ascendendum. Unde Suidas βωμὸν sic definit: τέμενος καὶ τόπος ἀνάβασιν ἔχων, πρὸς τὸ λέγειν ἐπήκοος, *delubrum*, sive *nemus sacrum, & locus ascensum habens, ad dicendum aptus, ut inde quis facile exaudiri possit.*

Sed mihi potius vox Græca βωμοῦ videtur derivata ab Hebræa & Chaldæa במה *Bamah*, vel במתא *Bamatha*, quæ vox *Excelsa*, & *Altaria* editis excelsisque in locis extructa significat, & in sacris litteris frequenter occurrit. Unde Rabbi David Kimchi in tertium *Regum*, caput tertium, scribit Moysem altare æneum in Excelsis ædificasse, in quo sacrificia Deo sint facta, antequam templum esset extructum. Hinc Gentes κακοζηλίᾳ quadam similiter fana atque altaria Diis suis in omni colle, & sub quovis ligno frondoso cœpisse erigere. Ali-

quando

quando etian vox במות *Bamoth* ſumitur pro columnis & gradibus quibuſdam, in quibus lex recitabatur: & בימה *Bimah*, *ſuggeſtum*, *tribunal* (unde Græcum βῆμα) quod edito in loco conſtitui ſolet: & בימוס *Bimus*, idem quod lapis inciſus, id eſt, altare, idolo in Excelſis dedicatum ſignificat.

Hinc igitur vox Græca βωμὸς eſt deducta: quæ ab uſu ſuo θυήεις ab Heſiodo dicta, à ſacris videlicet, quæ in altari fierent, vel ſuffimentis, quæ in eo adolerentur: Latini *ſacrificam*, *fumidam* & *fumoſam* ſimili loquendi genere aram appellarunt. Eandem ob cauſſam Heſychius βωμὲς appellavit θυοδόκες, id eſt, τὰ θυμιάματα δεχομένες, *ſuffimentorum receptrices*. Hinc Demoſthenes: Βωμοὶ καὶ νεῲ πάντων τῶν θεῶν εἰσὶ πάσαις ταῖς πόλεσι, *Aræ ſunt & fana omnium Deorum in omnibus urbibus*. Item: κάλλισοι καὶ ἁγιώτατοι βωμοὶ, *pulcherrimæ & ſanctiſſimæ* ab eodem dicuntur. Item: κοινοὶ καὶ πᾶσι ἡμῖν ἱδρυμένοι βωμοὶ, *communes & ad cultus omnes propoſitæ*. Sic ἄγειν πρὸς βωμὸν, *adducere ad aram*, & σφάττειν ἐπὶ βωμῶν, *mactare ad aras*, & φέρειν τι ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, *ferre ab ara*, idem dixit: quemadmodum Iſocrates ἱδρύεσθαι βωμὸν χάριτος, *extruere aram gratiæ*. Βωμὸς θυήεις. Βωμὸς θυοδόκος.

Ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, id eſt, *ab ara*, fit βωμὶς, *arula*, diminutivum, apud Herodotum: & βώμισκος, *locus* aut *conterratio aræ*: & βωμίςρια, idem quod ἱέρεια, id eſt, *ſacerdos*, *aræ cuſtos*, quæ ad aras ſacra peragit: item βώμιος, *altareus*, *ad altare pertinens*. Hinc ab Eurypide βώμιοι ἐσχάραι, *foci altarei* dicuntur, & βώμιοι ἐπισάται, *aræ præfecti*. Ab eadem voce βωμοῦ derivantur etiam βωμόλοχος, & βώμαξ, id eſt, *ſacrilegus*, *ſcurra*, *conviciator* (tametſi βώμαξ pro parva quoque ara accipitur:) & βωμολογία, ſive βωμολοχία, *convicium*: & βωμολοχεῦσθαι, *conviciari*: forſan, quia plerunque ii, qui apud Gentiles circa altaria verſabantur, ex iis cibum victumque petentes, homines erant leves, ſcurriles, mendaciis, & conviciis dediti. Derivantur hinc & ἐπιβωμίζειν, *ad aras ſacrificare*, & ὁμόβωμος, σύμβωμος, *cui ara cum alio communis eſt*. Βωμὶς, & ſimilia derivata ἀπὸ τοῦ βωμοῦ.

Porro βωμοὶ, ἐσχάραι, ἑςίαι καὶ μέγαρα Porphyrio Philoſopho ſic diſtinguuntur: βωμὸς, id eſt, *aras*, inquit, *& templa ſtatuebant Diis cœleſtibus: Chthoniis autem*, id eſt, *terreſtribus & Heroibus* ἐσχάρας καὶ ἑςίας, id eſt, *focos* (quod utrumque nomen ab Hebræo אש *Eſch*, *igne* videtur dictum) *& Hypochthoniis*, hoc eſt, *ſubterraneis Diis foſſas & ſcrobes, quæ à Græcis* μέγαρα *dicuntur: Mundo & Nymphis, cæteriſque hujuſmodi antra dicarunt: unde antri Nympharum apud Homerum decimo tertio Odyſſ. fit mentio*. Differentia τῶν βωμῶν, & ſynonymorum.

His fere ſimilia Feſtus prodidit: *Superis, maris Diis, aris à terra exaltatis: terreſtribus in terra: inferis ſub effoſſa terra in antris & cavernis, fana facere conſueverunt Veteres*. Sic apud Indos diu terreſtribus Diis in cavernis, & ſpecubus rem divinam fecerunt; Soli vero in ſublimi.

Quantum ad Latina vocabula attinet, ea ſunt *Ara* & *Altare*; *Aræ* quidem varia afferuntur etyma. Servius: *Novimus*, inquit, *aras & Diis eſſe ſuperis & inferis conſecratas: Altaria vero eſſe ſuperorum tantum Deorum, quæ ab altitudine conſtat eſſe nominata*. Idem in ſecundum Æneidos ita ſcribit: *Ara dicitur à precibus, quas Græci ἀρὰς dicunt, ut contra imprecatio κατάρα dicitur*. Macrobius libro tertio *Saturnalium* capite undecimo: *Multifariam legimus*, inquit, *quod litare ſola non poſſit oratio, niſi is, qui Deos precatur, etiam aras manibus apprehendat*. Hinc Varro libro *de Divinatione* quinto, dicit, eas primum *anſas* dictas, quod eſſet neceſſarium à ſacrificantibus eas teneri. Anſis autem teneri ſolere vaſa, quis dubitat? Commutatione igitur litterarum *aras* dici cœptas, ut *Valeſios* & *Fuſios* dictos prius, nunc *Valerios* & *Furios* dici. Idem Varro *de lingua Latina* lib. 3. *aras* etiam deducit ab *ardendo*, quod in ea victimæ incenſæ ardeant: vel à ſimilitudine arearum, quod ſicut hæ in urbe puræ ſunt, ita & aras Deûm puras eſſe oportet. Ejus verba hæc ſunt: *Vbi frumenta ſecta terantur & areſcant, Area. Propter harum ſimilitudinem loca in urbe pura, areæ: à quo poteſt etiam Ara Deûm eſſe, quod pura. Niſi potius ab ardore, ad quem ut ſit, fit ara; à quo ipſa area non abeſt: quod qui areſacit, ardor eſt Solis*. Hanc *aræ* notationem ab *ardore* amplectitur & Iſidorus: ſic enim ille: *Aram quidam vocatam dixerunt, quod incenſæ ibi victimæ ardeant*. Quid ſi *ara* ſit dicta, quaſi ἄερσα, per ſynæreſin; quia antiquitus ex terra ſeu ceſpite confici erat ſolita; vel ἀπὸ τοῦ αἴρειν, *à tollendo*, quod in altum tollebatur. Ab *ara* fit diminutivum *Arula*. Hinc Arnobius *arulas pecorum ſanguine delibutas* dixit: & Prudentius lib. 1. *contra Symmachum*: Ararum nomina Latina. 1. Ara. Aræ etyma varia.

Omnibus ante pedes poſita eſt ſua cuique vetuſta
Arula, &c.

Altaria deinde ſunt, ut Feſtus ait, in quibus ignis adoletur: *altaria* quidem ab *altitudine* dicta quaſi *aræ altæ*: quæ vox *Altus*, *alta*, &c. ab Hebræo עלה *Alah*, *aſcendit*, videtur derivari; quia ad alta opus aſcenſu. Qua de cauſſa etiam βωμοὶ Græce dicti, quod Antiqui Diis ſuperis in ædificiis, à terra exaltatis, ſacra faciebant: Diis terreſtribus in terra: Diis infernalibus in effoſſa terra. Sic Lactantius Grammaticus *Thebaidos* ſeptimo, tria fuiſſe in ſacrificiis loca ait, per quæ expiationem fecerunt, ſcrobiculo facto inferis; aris terreſtribus; cœleſtibus focis: unde denominata etiam ſunt *altaria*, ad quæ, cum ſacrificabant, manus in altum porrigebant. 2. Altare.

Altarium porro, ut etiam templorum, originem, ſcriptores antiqui ad Ægyptios referunt, inter quos Herodotus libro duodecimo. Ante Diluvium ſacrificiorum quidem, ut Abelis & Caini, ſed altarium nulla, quod ſciam, fit mentio in ſacris litteris. An igitur in ſolo ipſo ac pavimento, an vero, quod videtur eſſe veriſimilius, in altari aliquo ad ſacrificium erecto, illi priſci ſancti homines ſive vero Deo, ſive etiam alienis Diis ſacrificârint, incertum eſt. Nonnunquam certe Græcos ſine ara, in nudo ſolo & pavimento ſacra peregiſſe compertum eſt. Eumæus apud Homerum ſuper ἐσχάραν, id eſt, *focum* victimam fecit. Arabes arulam ſuper aram conſtituebant, Solique in illa immolare & thura adolere conſueverunt. Poſt diluvium primum altare, Altarium origo ad Aegyptios referenda.

tare,

tare, cujus in sacris litteris fit mentio, fuit illud, quod Noachus exstruxit *Geneseos* capite octavo. Patriarchas deinde passim hinc inde altaria Deo exstruxisse & in iis sacrificasse legimus.

Altaria nemini nisi Diis ædificari solita.

Porro ut templa & altaria sibi soli Deus extrui & ædificari, consecrarique voluit: sic Ethnici quoque, lumine naturæ, non nisi iis, qui Dii essent atque Numina, templa atque altaria erigi fas esse putabant. Hinc Augustinus tomo decimo, sermone sexto: *Nam illi* (Ethnici) *quod Numen habeant, & pro Numine accipiant illam statuam, ara testatur. Quid ibi faciat ara, si illud non habetur pro Numine? Nemo mihi dicat, Non est Deus. Jam dixi. Utinam ipsi sic nossent hoc, quomodo novimus omnes nos. Sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi faciant, ara illa testatur.* Hactenus Augustinus.

Altaria cur Principibus etiam ædificata.

Quoniam igitur olim Reges, Principes, Imperatores & Tyranni inter Ethnicos à subditis, & vivi & mortui pro Diis fuerunt culti, & ipsi pro insana sua ambitione atque superbia divinos honores sibi arrogârunt, ac pro Diis coluerunt, idcirco passim legimus in historiis templa & altaria ipsis fuisse ædificata & consecrata, atque adeo illos sibi hæc erigi atque extrui curâsse. Ejus rei testes sunt aræ illæ, ab Alexandro Magno ad Tanais fontes excitatæ, ad quas aras Cicero scribit in epistolis familiaribus, se castra posuisse. Adrianus Imperator, ut Ælius Spartianus in ejus vita testatur, Athenis ædem Jovi Olympio, sibique aram posuit, & per Asiam iter faciens, passim templa sui nominis fieri consecrarique curavit. Fuit enim, ut omnes historici testantur, mirum in modum ambitiosus.

Altaria cum singulis Diis, tum pluribus simul ædificata.

Aliquando autem singulis Diis atque Numinibus templa atque altaria ædificarunt: aliquando vero duobus aut pluribus Diis unum templum atque altare, tanquam illis commune erexerunt. Sic enim, exempli gratia, Apollinis, & Mercurii communem in Græcia aram fuisse Pausanias testatur, quod Mercurium Lyræ, Apollinem Citharæ inventorem fuisse Græci putarent. Sic Cicero Verrinâ sextâ: *Aristeus*, inquit, *qui, ut Græci ferunt, Liberi filius, inventor olei esse dicitur, unâ cum Libero patre apud Syracusanos eodem erat in templo consecratus.* Sic Arrianus in *Periplo Ponti Euxini*, Philesium & Mercurium voluit ejusdem templi & altaris societate conjungi, quod Græce eleganter vocat σύνναον, ϗ σύμβωμον fieri. Cur communis fuerit ara Herculis & Musarum Plutarchum vide in *Quæstionibus Romanis*, quæstione quinquagesima nona.

Materia altarium.

Sed & in ædificatione Altarium religiose observabatur materia. Hæc varia fuit & multiplex. Arrianus in *Periplo Ponti Euxini*, juxta Trapezuntem, civitatem in mari sitam, scribit se vidisse aras erectas ex aspero & imposito lapide, additque, se statuisse, ibi aras albo lapide dedicare, & epigrammata perspicuis & illustribus notis iis insculpere. Sic Angelus Politianus Apollini in Delo aram corneam exstructam fuisse testatur, quam βωμὸν κεράτινον vocatam dicit. Sic Deus in veteri Testamento aram vel ex cespitibus terræ, vel ex rudi & impolito lapide sibi fieri dedicarique voluit. Ac aræ aureæ Babyloniorum meminit Athenæus: in qua nullum animal, nisi lactens immolatum Herodoti testimonio probat. Ex marmore item candido aras olim fieri fuisse solitas innumeri scriptores testantur. Hinc illud Poëtæ:

Marmoreas stant fulva canum simulacra per aras.

Et Ovidius de ara Dianæ Orchilochæ verba faciens inquit:

Decolor à fuso tincta cruore rubet.

Huc Martialis etiam libro nono alludit:

Libetur tibi candidas ad aras.

Forma altarium.

Forma quoque altarium vel fuit quadrata, ut templorum, vel rotunda. Super aras vero tam quadratas, quam rotundas cespitem quidem ex gramine, sive verbenas (quæ omnibus fere in sacris, ceu faustæ, fuerunt adhibitæ, quas etiam sacro ex loco decerpere oportebat) apponere consueverunt.

Ac singulorum quidem Deorum aras, ut etiam victimas, & seipsos, iis frondibus coronare atque ornare soliti fuerunt, quæ singulis Diis fuerunt consecratæ: ut Jovis aram æsculo, Apollinis lauro, Minervæ oleâ, Veneris myrto, Herculis populo, Bacchi hederâ (sed & pampinis interdum, ramisque ficulneis plerunque.) Panis pino, Sylvani & Ditis cupresso, aliorumque aliis frondibus, atque arboribus coronarunt. Hinc quia aræ frondibus, graminibus, herbis floribusque ornari solebant, à Poetis *Frondentes, Gramineæ, Herbosæ, Virides, Coronatæ*, sunt dictæ. Valerius Flaccus libro tertio:

- - - - *Et summas frondentibus intulit aris,*
Libavitque dapes, &c.

Syllius libro quarto:

Gramineas undis stravit socialibus aras.

Ovidius decimoquinto *Metamorphoseos*:

Placat odoratis herbosas ignibus aras.

Martialis libro duodecimo:

Si te rure coli, viridesque pigebit ad aras.

Propertius libro tertio:

Inde coronatas ubi thure piaveris aras.

Numerus altarium maximus.

Ut autem Deorum & Sacrorum, & templorum; sic altarium quoque apud Gentiles & apud Judæos, Gentilium exemplo (de quo Deus sæpissime per Prophetas suos conqueritur) numerus fuit maximus; quem altarium multiplicationem Hoseas Propheta vocat, capite duodecimo, eamque Israëlitis exprobrat: *Altaria*, inquit, *eorum, tanquam acervi lapidum super sulcos agri*, id est, passim omnibus in locis altaria exstruunt.

Porro

Porro & dedicari atque consecrari aræ & altaria olim certâ formâ magnaque religione solebant; id quod, ceu præcipuum fere membrum, hîc est considerandum. Dedicationis autem hujus illustre exemplum est dedicatio aræ, Augusto positæ apud Narbonenses, cum hac inscriptione: Dedicatio altarium.

L. CASSIO LONGINO
COSS. X. KAL. OCTOBR.

NVMINI AVGVSTI VOTVM SVSCEPTVM
A' PLEBE NARBONENSIVM IN PERPETVVM.

QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIXQVE SIT IMP. CÆSARI DIVI F. AVGVSTO P. P. PONTIFICI MAXIMO TRIB. POTESTATE XXXIIII. CONIVGI, LIBERIS, GENTIQVE EJVS, SENATVI, POPVLOQVE ROMANO, ET COLONIS, INCOLISQVE C. I P. N. M. QVI SE NVMINI EJVS IN PERPETVVM COLENDO OBLIGAVERVNT, PLEBS NARBON. ARAM NARBONE IN FORO POSVIT, AD QVAM QVOTANNIS VIIII. KAL. OCTOB. QVA DIE EVM SECVLI FELICITAS ORBI TERRARVM RECTOREM EDIDIT, TRES EQVITES ROMANI, A PLEBE, ET TRES LIBERTINI HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT, ET COLONIS AD SVPPLICANDVM NVMINI EJVS THVS ET VINVM DE SVO EA DIE PRÆSTENT. ET VIII. KAL. OCTOB. THVS, VINVM, COLONIS ET INCOLIS ITEM PRÆSTENT. KAL. QVOQVE JANVAR. THVS ET VINVM COLONIS ET INCOLIS PRÆSTENT. VII. QVOQVE IDVS JANVAR. QVA DIE PRIMVM IMPERIVM ORBIS TERRARVM AVSPICATVS EST, THVRE, VINO SVPPLICENT. ET HOSTIAS SINGVL. IMMOLENT. ET COLONIS INCOLISQVE THVS, VINVM EA DIE PRÆSTENT.

ET PRIDIE KAL. JVNIAS, QVOD EA DIE T. STATILIO TAVRO, M. ÆMILIO LEPIDO COSS. JVDICIA PLEBIS DECVRIONIBVS CONIVNXIT. HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT, ET THVS, ET VINVM AD SVPPLICANDVM NVMINI EJVS COLONIS ET INCOLIS PRÆSTENT.

EXQVE IIS TRIBVS EQVITIBVS ROMA LIBERTINIS VNV Reliqua deficiunt.

Qui plura dedicationis hujus exempla cupit, inspiciat clarissimi & antiquitatum peritissimi viri, Dn. Adolphi Occonis, amici mei singularis, Numismata antiqua, & Antiquitatum Romanarum à Johanne Rosino collectarum librum secundum. 1. In iis sacrificabatur. Vsus altarium.

Dicamus nunc de altarium apud Gentiles usu. Primus & præcipuus altarium usus fuit, quod sacrificia omnis generis cum animata, tum inanimata in iis fiebant: unde etiam מזבחות, *Mizbechoth* Hebraice, & ϑυσιαστήρια Græce fuerunt appellata, de quo usu sacrificiali satis superque constat. Propter hunc ipsum usum aræ variis & elegantibus epithetis à Poetis insigniuntur, ut quod *festæ*, *sacræ*, *sacratæ*, *sacrosanctæ*, *divinæ*, *castæ*, *sacrificæ*, *fumantes*, *fumidæ*, *fumosæ*, *pingues*, *odoratæ*, *flagrantes*, *thuricremæ*, *thuriferæ*, *lucentes*, *ardentes*, *calentes*, aliisque id generis nominibus appellantur. Statius etiam *vaporatum* vocat altare, & *thureum* ab hoc usu sacrificandi.

Deinde, ad, sive ante altaria fiebant preces, vota ac juramenta: cujus usus exempla passim occurrunt. Macrobius libro tertio *Saturnalium*, capite secundo: *Multifariam legimus*, inquit, *quod litare sola non possit oratio, nisi is, qui Deos precatur, etiam aras manibus apprehendat. Hinc aras nonnulli ab* ἀρῶμαι, *id est, oro, vel* ἀπὸ τῶν ἀρῶν, ut supra quoque dixi, id est, *à precibus volunt dictas, & ansas Varro voluit antiquitus appellatas, quod eas à sacrificantibus*, adde precantibus, *necessarium esset teneri.* Virgilius septimo *Æneidos*: 2. Ad altaria preces fiebant & juramenta.

> *Talibus orantem dictis, arasque tenentem*
> *Audiit Omnipotens, &c.*

Sic Deli fuit ara Apollinis Γεννήτορος, id est, *Genitoris*, in qua nullum animal sacrificabatur, quam Pythagoram veluti inviolatam adoravisse tradunt, Cato: *Nutrix hæc omnia faciebat in verbenis ac verbis sive hostiis, ut Deli ad Apollinis Genitivi aram.*

Sic jurantes quoque manu aram tangebant. Virgilius:

> *Tango aras, medios ignes, ac Numina testor.*

Cicero pro Flacco: *Is si aram tenens juraret, crederet nemo.* Celebratur hinc nobilis illa Periclis sententia, *Ad aram usque amicum me esse oportet*: qua significatur, Neminem amici caussa aut pejerare, aut quippiam in honestum facere oportere. Adde etiam pervulgatum illud Aristophanis proverbium ἐν Ἀχαρνεῦσιν: οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει, id est, *Queis nec ara, nec fides, nec ulla durant fœdera.* De vehementer perfidis. Dictum est in Spartanos, quorum perfidiam taxavit Aristophanes. Amicus ad aras usque.

3. Aræ erant asyla atque perfugia.

Aræ præterea erant asyla atque perfugia hominum sacrosancta. Unde: *Confugere in aram.* Cicero post reditum: *Qui nisi in aram tribunatus confugisset, vim Prætoris effugere non potuisset.* Idem pro Roscio: *Sicut in aram, confugit in ejus domum.* Idem in *quæstionibus Tusculanis*: *Tanta progenie orbatum, cum in aram confugisset, hostilis manus interemit.* Ab ara itaque non licebat supplices abstrahere. Hujusmodi ara erat ara Concordiæ, cujus meminit Hieronymus, ad quam si quis confugisset, tanquam ad Cæsaris statuam, avelli eum inde nefas habebatur. Plautus in *Rudente*:

Sed quid ego cesso fugere in fanum ac dicere hæc
Palæstræ in aram uti confugiamus prius,
Quam huc scelestus leno veniat, meque hîc opprimat?

Idem in *Mostellaria*: Tranio servus,

Ego interim hanc aram occupabo.

Servi enim, sibi male conscii, & pœnam suorum malefactorum ac peccatorum metuentes, deprecatorem parabant, & aram aliquam, à qua nefas erat eos avellere, occupabant.

Terentius in *Heautontimorumeno*:

Nemo accusat, Sire, nec tu aram tibi, neque precatorem parabis.

Cicero *de aruspicum responsis*: *Sacerdotem ab ipsis aris & pulvinaribus detraxisse.* Idem libro tertio *de Orat.* *Quod cum facere non potestis, tanquam in aram confugitis ad Deum.* Idem: *Magistratuum autem vestrorum injurias ita multas tulerant, ut nunquam antehac ad aram legum præsidiumque vestrum publico consilio confugerint.* Ovidius quarto *Tristium*:

Unica fortunæ tu ara reperta meæ,

id est, asylum, perfugium, portus. Hinc Plutarchus *de superstitione* aram vocat βωμὸν φύξιμον, *ad quam confugimus.*

Ara sancta cur dicta.

Ob quam caussam Cicero quoque *sanctam*, hoc est, inviolatam vocat: cujus quidem etiam hoc argumento est, quod idem in oratione pro Cornelio Balbo ostendere volens Lucium Marcum primipili centurionem fœdus, quod fecerat, semper inviolate pieque servasse, hoc proverbio utitur: *Arâ sanctior.* Sic idem: *Qui & veterem illam speciem fœderis Marciani, semper omni sanctiorem arâ duxerunt.*

Pro aris & focis, prov.

Ac quoniam aræ & foci præcipua erant cultus religionisque instrumenta, quæ sæpe metonymice pro ipsa religione capiuntur, inde promanavit proverbialis illa locutio: *Pro aris & focis pugnare*, sive *certare*, cum totis viribus certamus, tanquam nihil nobis prius, aut carius esse debeat sacrorum defensione. Cicero *de Natura Deorum* libro tertio: *Quoniam advesperascit, dabis diem nobis aliquem, ut contra ista dicamus. Est enim mihi pro aris & focis certandum, & pro Deorum templis atque delubris.* Seneca tamen ait: *Aras qui evertunt, injuriam Diis non faciunt.*

Aruga, hostia aræ. Aruspex, inspector aræ.

His, quæ de aris, & altaribus hactenus dicta fuerunt, adde quod ab ara *Aruga* dicta est, sive, ut alii legunt, *Haruga* cum aspiratione ab *hara*, in qua includebatur hostia. Dicebatur autem teste Festo, cum adhærentia inspiciebantur exta. Inde & *Aruspex*, sive *Haruspex*, *aræ inspector*, fuit appellatus: quas certe Gentilium aras vere dixerimus haras, super quas antiquitus sues potissimum, aliaque immunda animalia mactabantur; quæ quidem suum sacrificia Gentiles scriptores volunt prima & antiquissima sacrificia, de quo supra.

Mensæ sacræ.

Altaribus atque focis merito annumerandæ atque subjungendæ sunt mensæ; quarum in templis sacrisque Gentilium ut magnus fuit usus, ita sæpe fit mentio. *Mensæ*, inquit Festus, *in ædibus sacris ararum vicem obtinebant.* Hinc Cicero aras, focos & mensas conjungit in oratione *de Aruspicum responsis*: *Deorum*, inquit, *ignes, solennes mensæ, abditi & penetrales foci.*

Mensa Anclabris.

Ac mensæ quidem in genere omnes sacræ habebantur, & Diis, amicitiæ hospitiique patronis erant consecratæ, ut Plutarchus in convivio suo testatur. Mensam autem ministeriis divinis aptam Festus tradit *Anclabrin* fuisse dictam, ut vasa quoque ænea, quibus sacerdotes in re divina utebantur, *Anclabria* fuerunt appellata, nimirum ab antiquo verbo *Anclare* sive *antlare*, quod à Græco ἀντλῶ descendens *haurire* significat, sive ab *anculare* antiquo verbo, quod dicebant Antiqui pro *ministrare*, ex quo & *Ancillas* volunt dictas, hoc est, ministras, & *Anculos* atque *Anculas* Deos ac Deas, quæ olim fuerunt cultæ.

Mensa Curialis.

Curiales porro etiam certæ mensæ fuerunt dictæ, in quibus Iunoni immolabatur, quæ *Curis* fuit appellata. Idem quadratas *Ascarias*, rotundas *Cibiles*, *Assidelas* olim fuisse dictas testatur.

Mensæ sacræ olim ligneæ.

Ac ligneas quidem antiquitus fuisse apud Romanos sacras atque sacrificas has mensas, Dionysius Halicarnasseus his verbis prodidit: Ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεραῖς οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα θεοῖς, ἐν τραπέζαις ξυλίνοις ἀρχαϊκαῖς, ἐν κανοῖς καὶ πινάσκοις κεραμέοις ἀλφίτων μάζας καὶ πόπανα, καὶ ζέας, καὶ καρπῶν τινῶν ἀπαρχάς, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτὰ καὶ εὐδάπανα, καὶ πάσης ἀπειροκαλίας ἀπηλλαγμένα. His quidem verbis aperte ligneas mensas in templis usitatas fuisse docet.

2. Aureæ. 3. Argenteæ.

Mensarum autem aurearum & argentearum usum in templis atque sacris historiæ satis arguunt. Unde Dionysium Syracusanum Valerius Maximus libro primo, capite duodecimo, *de neglecta religione*, scribit mensas aureas & argenteas ex Apollinis templo sustulisse. Et Cicero libro tertio *de Natura Deorum*, *Jam mensas*, inquit, *argenteas de omnibus delubris jussit auferri: in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset* BONORVM DEORVM, *uti se illorum bonitate dicebat.* Idem Verrem mensas Delphicas è marmore, crateras ex ære

4. Marmoreæ.

pulcherrimos, vim maximam vasorum Corinthiorum ex omnibus ædibus sacris abstulisse, dixit. Hactenus etiam de aris sive altaribus & mensis.

Sequi-

De Personis sacrificiorum.

Sequitur QVINTVM membrum, sive circumstantia, videlicet Personæ, quæ, ut in hoc: sic in omni sacrificio, atque adeo in omni actione diligenter sunt considerandæ. Sunt autem personæ hîc homines per quos, sive à quibus sacrificia offerebantur: quorum differentia est triplex. Alii enim sunt, qui sacrificiis præsunt, sive præsident, ut sunt sacerdotes & sacrifici sive sacrificuli, quorum munere hîc Nestor & Argonautæ funguntur: alii sunt ministri: alii denique qui iis communicant, quique ad sacrificia sunt invitati.

Nestor & Argonautæ personæ sacrificantes.

Personæ primariæ & principes sunt Nestor, & Argonautæ, qui quidem sacrificiorum munera potissima in Buthysia ista seu immolatione boum, cujus Homerus & Apollonius meminerunt, obiisse perhibentur. Ubi notandum, Reges quoque & principes apud Ethnicos sacrificare fuisse solitos: id quod lege divina scimus fuisse prohibitum. Sic Nestor hic, qui Rex fuit, cum manus lavandi, & molam victimis inspergendi initium fecisse: tum preces ad Minervam fudisse primum, deinde etiam crura igni injecisse atque concremâsse dicitur. Idem colligitur ex illo Virgilii *Æneid.* 3.

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos:

in quod Servius, *Majorum*, inquit, *hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiam sacerdos & pontifex.* Unde hodie quoque Imperatores Pontifices dicimus.

Personæ ministrantes quæ in sacrificiis Nestoris.

Ministri deinde sacrificantes in sacrificio quidem Nestoris, sunt cum Laërtes aurifaber, qui cornua bovis inaurat: tum bubulcus, qui jubetur bovem ex agro in urbem adducere: tum ancillæ, quarum munus fuit ligna & aquam afferre convivium que adornare: tum denique filii Nestoris, qui principem in hoc ministerio locum obtinent: Horum enim ministerio & opera utitur cum in παρασκευῇ sive διασκευῇ, hoc est, *apparatu* sacrificii, tum in ipsa actione. Nam quoad παρασκευὴν illorum, alium jubet celeriter se in agrum conferre & bubulco jubere, ut sine mora bovem in urbem adducat: alium jubet Telemachi socios accersere: alium jubet vocare aurifabrum ad bovis cornua deaurandum: aliis denique mandat, ut per ancillas curent lignum & aquam comportari, cœnamque adornari: id quod ancillarum in hujusmodi sacrificiorum apparatu munus fuisse Eustathius docet.

Sacrificii Nestoriani ordo typus est bene constitutæ œconomiæ.

Notanda vero hîc bene moratæ & constitutæ rei familiaris, sive œconomiæ ratio. Nestor enim, ceu paterfamilias bene & prudenter suis domesticis imperat, singulis certa sua munera, quæ efficere & exsequi debeant, diligenter præscribit. Liberi autem atque famuli summa industria & celeritate patris & domini sui jussa atque mandata exsequuntur. Id docet Homerus verbo illo ἐποίπνυον, id est, ἐπόνουν, (nam à πονῶ fit ποιπνύω per reduplicationem & interpositionem *jota*) summopere elaborabant, nimirum Nestoris mandata conficere: id quod, ut inquit Eustathius, σπουδῆς ὑπηρετικῆς ἐστι δηλωτικὸς, *servilis studii atque industriæ est indicium.* Hanc quoque industriam celeritatemque in exsequendis jussis & mandatis Nestoris idem vult exprimi ipsa dicendi forma, qua Homerus utitur, quæ Gorgo dicitur. Iidem deinde filii, ut dicetur, gnavam & industriam suam operam patri suo in ipso sacrificio navant.

Quod autem filiorum potius, quam servorum operâ Nestor in hoc sacrificio utitur, id Eustathius non honoris modo atque reverentiæ erga Deos gratia factum fuisse testatur, verum etiam ex communi fere Heroum more & consuetudine, qui in multis αὐτουργεῖν sive αὐτοδιακονεῖν sunt soliti: unde αὐτοδιάκονοι ab Homero sunt dicti *Iliad.* τ. Addit idem, beatam fuisse hanc Nestoris domum, cui non tam mancipia, quam ipsi liberi inservierint. Eandem in sententiam Athenæus quoque hujusce sacrificii mentionem faciens disserit, cum inquit: *Nestor, cum esset Rex & multis imperaret: tamen amicissimis & suavissimis suis liberis potissimum ministris in illo sacrificio atque convivio est usus.* Addit, ὁσιωτάτη γὰρ αὕτη ἡ θυσία τοῖς θεοῖς καὶ προσφιλεστέρα, ἡ διὰ τῶν οἰκείων καὶ συνεστάτων ἀνδρῶν, id est, *sanctissimum enim, diisque gratissimum est illud sacrificium, quod per illos fit, qui mutua familiaritate benivolentiaque sunt conjuncti.* Eodem modo (si ea, quæ vere sacra sunt, licet cum his superstitiosis conferre) multo verius & justius nos Christiani affirmare possumus, sacrosanctum illud convivium dominicum tanto gratius Deo & acceptius esse, quanto major & ardentior est illorum, qui communicant, benivolentia mutua atque charitas.

Personæ communicantes quæ.

Illi porro, qui sacrificio huic atque epulo communicarent, fuerunt cum uxor, & filiæ; tum Telemachus & illius socii, qui fuerunt invitati. Nam hic fuit mos Ethnicorum, ut sacrificia Diis facturi, suos vicinos, cognatos, amicos & familiareis ad illa invitarent: ut ex *Antiquitatibus* meis *Convivialibus* satis superque apparet.

De sacerdotibus in genere.

Porro quoad personas sacrificiorum, principes quidem nempe sacerdotes; quorum munus his fere verbis describit Plato in *Politico*: *Sacerdotum genus*, inquit, *quod est legitimum*, *docet partim*, *quo pacto donaria & sacra Diis sint offerenda*, *quæ ipsis sint grata*: *partim quæ vota sint facienda*, *quidve boni à Diis sit petendum*; de his, inquam, similiter, ut de templis, in genere quædam dicamus; & primum de nominibus quæ sunt vel generalia, vel specialia.

Sacerdotum nomina Hebræa.

Apud Hebræos duo sunt sacerdotum nomina generali, nempe כהנים, *Cohanim*, & כמרים, *Cemarim.* Vox prior cum de veris, tum etiam de falsis & idololatricis sacerdotibus usurpatur: à כהן *Cihen*, id est, *sacra*, sive *rem divinam facere*, *sacerdotio fungi*, quod LXX. ἱερουργεῖν vertunt. Voci huic affinis est vox כוח, *Coach*, id est, *vires*, *potentia*, propterea quod cum verorum, tum etiam falsorum & idololatricorum sacerdotum maxima semper fuit dignitas, auctoritas & potestas. כהנים 1.

Vox deinde כמרים, *Cemarim*, semper pro sacerdotibus falsis & idololatricis accipitur. Quidam volunt כמרים 2.
eam vocem (unde forsan vox Latina *Camillorum*, de qua infra) proprie significare sacerdotum ministros, sic dictos vel à thuris incensione & precibus ardentibus, quas pro populo faciebant: vel ab atro vestitu, quo erant amicti. Alii sic volunt dictos ab incenso & inflammato sacrorum studio. Quidam à stigmatibus, quæ

faciei

faciei illorum, vel etiam reliquo corpori erant inuſtæ. Nam כמר *Camar*, (unde forſan κάμινος, id eſt, *Caminus* dictus) accendi, excandeſcere, aduri ſignificat. Hæc de nominibus Hebraicis.

Sacerdotum nomina Græca.

Græce ſacerdos dictus eſt ἱερεὺς, ἱέρεια ſacrificula, & ἱεροποιός· ἱερομνήμων item quaſi qui ſacrorum ſemper eſt memor, & ἔξαρχος. Nec vero ſolum veri ſacerdotes, ſed etiam adulterini & fucati voluerunt ἱερεῖς appellari ἀπὸ τῶν ἱερῶν, *à ſacris*, quæ tractarent, cum non ἱερεῖς, ſed ἱέρακες, id eſt, *accipitres* potius dici mererentur, quod accipitrum & aliarum avium rapacium ſimiles, inexplebili inſatiabilique munera atque dona accipiendi cupiditate, id eſt, avaritia flagrarent.

Sacerdotum nomina Græca ex Polluce.

Nomina præterea alia ſacerdotum apud Græcos fuerunt multa, quæ Julius Pollux in *Onomaſtico* libro primo & octavo recenſet. Ea ſunt νεωκόροι, θύται, τελεσταὶ, ἱερουργοὶ, καθάρται, θεωροὶ, &, quo nomine Poëtæ uſi ſunt, θυηπόλοι. Sunt item, quæ in vaticiniis & Deorum oraculis reddendis, illis impoſita fuere, ut προφῆται, ὑποφῆται, μάντεις, θεομάντεις, ἱερογραμματεῖς, ἱεροφάνται, χρησμῳδοὶ, χρησμολόγοι, παναγεῖς, πυρφόροι. Sunt præterea hæc quoque, ὑπηρέται, ὀργεῶνες, τελετάρχοι, χαλαζοφύλακες, θυοσκόοι, ἐπιμεληταὶ τῶν μυστηρίων, id eſt, *curatores myſteriorum*, & προστάται τῶν πρὸς τοὺς θεοὺς ἐπιμελείας, id eſt, *præfecti rerum divinarum* apud Demoſthenem. Μυσταγωγοὺς, *myſtagogos*, Syracuſani vocabant eos, qui hoſpites ad fana, ſimulacra, & ornamenta viſenda ducere, & unumquodque oſtendere ſolebant. Ægyptii hominem rebus ſacris & cerimoniis addictum vocabant μυστικὸν καὶ τελεστήν, eumque cicadæ imagine exprimebant, quæ non ore, ſed tergo reſonans pulcherrimum edit, dulciſſimumque concentum. Hujuſmodi Græca fuèrunt nomina.

Sacerdotum nomina Latina: & quidem generalia.

Apud Latinos voces maxime generales ſunt *Sacerdos*, *Sacrificus* & *Sacrificulus*. His nominibus non tantum veri ſacerdotes, qui Deo dicati ſunt ad ſacra facienda, quos Tertullianus etiam *ſacrificatores* & *adoratores*, Græce θυτὰς, καὶ θυτῆρας vocat, & Iſidorus *Originum* libro ſeptimo quaſi ſacra dantes, ſed falſi quoque & ſuperſtitioſi ſacerdotes inſigniri ſolebant, ut qui ſacris idololatricis eſſent dediti, ſacra Diis fictis facerent & tractarent. Sed ſacerdos falſus & idololatricus recte ſic videatur dictus voce compoſita à σάκκος, id eſt, *ſaccus*, & κέρδος, id eſt, *lucrum*, ſive *quæſtus*, propterea quod ille ſit quaſi ſaccus quidam lucri, qui nunquam expleri ſatiarique poteſt. Vel etiam ſacerdotes illi Gentilium κέρκωπες potius, quam ſacerdotes dici potuerunt; quo nomine Græce appellantur φιλοκερδεῖς, id eſt, *homines lucri cupidi*, qui undique lucrum captant, quos Latini *Lucriones* appellant. Vel etiam non tam ſacerdotes, quam Cerdones dici merebantur; quod nomen eos ſignificat, qui artes illiberales & ſordidas lucri quæſtuſque gratia exercent (ἀπὸ τοῦ κέρδους) ac quibus lucri odor, quavis ex re vel turpiſſima, ſuaviſſimus eſt & turpiſſimus. Vel denique illi Gentilium ſacerdotes ſic vere dicti fuerunt ea ſignificatione, qua vox *Sacri* in malam ſæpe partem pro impio & exſecrabili uſurpatur: qua ſignificatione Virgilius dixit, *Auri ſacra fames*, &c. Sic *Sacer*, teſte Feſto, dictus etiam fuit, quem populus judicavit ob maleficium: neque fas eſt eum immolari; ſed qui occidit, parricidii non damnatur. Nam lege tribunitia prima cavetur, *Si quis eum qui eo plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricida ne ſit*; ex quo quivis homo malus atque improbus *ſacer* appellari ſolet. Secundum hunc igitur ſenſum & ſignificationem ſacerdotes ibi impii, ſacerrimi, hoc eſt, exſecrabiles, mali atque improbi, ut leno quidam apud Plautum vocatur, dici poterant. Erant denique illi ſacerdotes, tanquam Epicuri de grege porci, & idcirco ſacres ſues dici poterant; quos tamen Feſtus interpretatur ſacros puros, qui Laribus offerri ſolebant.

Sacerdotes dicti antiſtites Prophetæ.

Dicti ſunt etiam Antiſtites ſacrorum & fanorum: ac *Præſtitem* quoque, teſte Feſto, olim in eadem ſignificatione dicebant Antiqui, quem nunc dicimus Antiſtitem.

Prophetas, ut ait Feſtus, in *Adraſto* Julius nominat Antiſtites fanorum oraculorumque interpretes. *Cum capita viridi lauro* inquit, *velare imperant Prophetæ, ſancta ita caſte qui putant ſacra.*

Sacerdotum nomina ſpecialia. 1. A certis Diis.

Nomina deinde ſpecialia ſacerdotum ducta ſunt, vel à Diis, quorum ſunt ſacerdotes; vel à certis ſacris, cerimoniis, officiis atque muniis; vel à corporis cultu atque habitu. A Diis quidem, ſive Numinibus; ut *Veſtales* à Veſta: *Furinales* à Furina; *Vulcanales* à Vulcano: *Iſiaci* ab Iſide: *Canephoræ* virgines, quæ Junonis ſacra adminiſtrabant: *Palatualis Flamen*, qui ad ſacrificandum ei Deæ conſtitutus erat, in cujus tutela Palatium eſſe putabant.

2. A certis officiis.

Kritthologi vero dicti ſunt apud Opuntios ab illo ritu ſeu munere, quod Græcorum plerique in ſacrificiis hordeo uterentur, ejuſque primitias offerrent. Hi autem primitias iſtas colligebant. Cæteroqui duos habuiſſe ſacerdotes Opuntios Plutarchus teſtatur in *quæſtionibus Græcis*: Unum, qui Deorum; alterum qui Geniorum ſacra adminiſtrabat. Sic *Hypocauſtriam* Solenſes appellabant Minervæ antiſtitam, quod averruncandorum malorum gratia certis quibuſdam ſacris operaretur. Sic etiam *Arvales*, qui arvorum ſacerdotes erant: *Augures* ab auguriis ſunt dicti, & *Fœciales* à *fero*, ſive *ferio*, quod penes eos belli pacíſve ferendæ ſeu faciendæ, fœderiſque feriendi jus ac poteſtas eſſet. Inter Fœciales autem Pater Patratus principem locum obtinebat dignitatis. Is, teſte Plutarcho in *Quæſtionibus Romanis*, quæſtione ſexageſima ſecunda, erat, qui habebat liberos vivo & ſuperſtite adhuc ejus patre: dictuſque eſt *patratus*, id eſt, perfectus & abſolutus. Is erat jurisjurandi & panis præſes, quem, ut ait Homerus, oportet prorſum & retrorſum videre. Ejus fidei atque cuſtodiæ committebat Prætor liberos, qui propter formam & florem ætatis cuſtodiâ videbantur indigere.

3. A corporis habitu.

A corporis porro habitu atque cultu dicti fuerunt apud Romanos *Flamines*, quaſi *Filamines*, quod, cum in capite pileum haberent, in quo brevis erat virga deſuper, habens lanæ aliquid: id autem ſi pro æſtu ferre non poſſent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis eos penitus capitibus incedere nefas erat. Verum tamen feſtis diebus filo depoſito, pileum imponebant, pro ſacerdotii eminentia. Hæc Iſidorus. Sic στεφανοφόροι Herculis ſacerdotes, apud Græcos fuerunt appellati, quibus ferre coronam, & comam promiſſam proprium erat.

Erant

Peculiaria ſacerdotum nomina.

Erant etiam apud ſingulos populos certa ſacerdotum nomina. Sic Indorum ſacerdotes *Brachmanes*, Gallorum *Druidæ*, aliorum aliis nominibus fuerunt appellati. Et hæc de ſacerdotum nominibus.

Electio ſacerdotum: ubi munus eorum conſideratur Græce ἱεροσύνη.

Nunc de eorum electione, nominatione, creatione, inauguratione & initiatione quædam dicamus. Munus ipſum Græce ἱεροσύνη in genere appellatur. Inde καθιστάναι τινὰ ἐπὶ τῆς ἱεροσύνης, *præficere aliquem*, ſive *ſacerdotem creare*: & κληροῦσθαι ἱεροσύνης, ἢ ἱεροσύνην, *ſortiri ſacerdotium*: & λαμβάνειν ἱεροσύνην, *ſuſcipere ſacerdotium*: & ἔχειν ἰδίαν ἱεροσύνην, *privatum habere ſacerdotium*: & μετέχειν μηδεμιᾶς ἱεροσύνης, *nullius ſacerdotii adipiſcendi jus habere*, ſive *eſſe capacem*, apud Demoſthenem. Item apud eundem αἱρεῖσθαι ἱεροποιόν τινα, *eligere ſacerdotem*, & λαχὼν ἱερεὺς, *electus ſacerdos*.

Sacerdotium Latine. Nominare ſacerdotem.

Apud Latinos deinde hoc munus in genere dicitur *Sacerdotium*: quod tamen aliquando eſt dignitas: unde dicimus, *Sacerdotium habere*, & *ſacerdotio præditum eſſe*; aliquando vero proventus ſacerdotis, quæ vulgo *Beneficia* appellantur. Ad hoc autem munus peculiariter pertinet *Nominandi* verbum, ut patet ex illis Plinii verbis in epiſtolis: *Sic illo die, quo ſolent ſacerdotes nominare, quos ſacerdotio digniſſimos nominant, me ſemper nominabant.* Hinc dicta *Nominatio*. Suetonius: *Claudius Cæſar*, inquit, *in cooptandis per collegia ſacerdotibus, neminem niſi juratus nominavit.*

Cooptare. Dare. Mandare. Eligere. In ſacerdotium venire, ſeu inire.

Cooptandi quoque verbum electioni erat accommodatum. Cicero: *Cooptatum me ab eo in collegium recordabar.* Plinius: *Me pene adhuc puerum patronum cooptavit.* Sacerdotium *dari* & *mandari* dicitur. *Itaque Jovis illud ſacerdotium ampliſſimum Theomneſto datur.* Cicero in Verrem: *Populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat.* Idem contra Rullum: *Eligere viros ampliſſimos ad ſacerdotia.* Idem: *Erit cauſſa, qua conſilium majorum in eligendis ad ſacerdotia viris ampliſſimis jure ac merito laudare poſſimus.* Idem pro Domo ſua: *In ſacerdotium venire*, ut nos dicimus, an ein ampt kommen. *Inire ſacerdotium*, idem Cicero: in ſein Prieſterlich ampt tretten. Hinc & *ſacerdotium habere* idem Cicero dixit: *Cujus nomen exiſſet, haberet ſacerdotium*, id eſt, is ſacerdos eſſet. Sorte enim nonnunquam ſacerdotes fiebant. Hinc ſacerdotio præditus, qui habet ſacerdotium. Cicero: *Licinia virgo Veſtalis ſanctiſſimo ſacerdotio prædita.* Et alibi: *Ampliſſimo ſacerdotio præditus.* Et *præeſſe ſacerdotio. Qui & ſacra publica coluerunt, & publicis ſacerdotiis præfuerunt.* Idem de *Senectute*: *Metellus, Pontifex Maximus, viginti & duos annos ei ſacerdotio præfuit.* Idem pro C. Rabirio: *Lucius Flaccus homo in ſacerdotio cerimoniiſque, quibus præerat, diligentiſſimus.*

Sacerdotio præditus. Sacerdotio præeſſe.

Capere ſacerdotem.

Capiendi quoque verbum ſacerdotum electioni erat accommodatum. Tranquillus in *Auguſto*: *Sacerdotum*, inquit, *& numerum & dignitatem, ſed & commoda auxit; præcipue Veſtalium virginum. Cumque in demortuæ locum alium capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in ſortem darent, adjuravit, ſi cujuſquam neptium ſuarum competeret ætas, oblaturum ſe fuiſſe eam. Capi* igitur dicebatur virgo Veſtalis, quando ad id ſacerdotium legebatur: propterea quod Pontificis manu prehenſa ab eo parente, in cujus poteſtate erat, veluti bello capta, abducebatur. Pontifex Maximus hæc verba dicebat, cum virginem capiebat: AMATA TE CAPIO. Ideo autem *Amata* inter capiendum à Pontifice Maximo appellabatur, quoniam eam, quæ prima capta fuit, hoc fuiſſe nomine, tradit Gellius in primo *Noctium Atticarum.* Sic Flamines quoque Diales; item Augures & Pontifices capi dicebantur. De Flamine capto exemplum eſt apud Livium libro vigeſimoſeptimo ab Urbe condita: *Flaccus Flamen captus, P. Licinio Pontifice Maximo.*

Sorte electi ſacerdotes.

Quod autem Sortis fit mentio in electione Veſtalium, ſcribit Gellius Papiam legem ſe inveniſſe, qua cavebatur, ut Pontificis Maximi arbitratu virgines è populo viginti legerentur, ſortitioque in concione ex eo numero fieret: quanquam huic legi Popiliâ ſit poſtea lege abrogatum, ita ut unicuique liceret, modo ætas competeret, filiam ad id ſacerdotium ultro offerre. Ariſtoteles libro quarto *Politicorum*: *Ut de magiſtratibus*, inquit, *quæritur, è quibus eos deceat creari, & à quibus, & quomodo: ita de ſacerdotibus, qui & quales ſint creandi.* Ibidem: *Ut magiſtratus, ſic ſacerdotes alios dicit eſſe* αἱρετοὺς; *alios* κληρωτοὺς, *& alios eſſe perpetuos, alios diuturnos, alios vero neutros horum.* Ibidem ſacerdotes ſive αἱρετοὺς, ſive κληρωτοὺς, ſive ſuffragiis ſint electi, ſive ſorte ducti, vult non eſſe in magiſtratibus numerandos.

Sacerdotium captum aliquando muneribus.

Donis vero & muneribus ſæpe viam ſibi muniebant ad iſta ſacerdotia; eaque erant venalia, ut etiam profana munera. Tranquillus de Caligula: *Magiſteria*, inquit, *ſacerdotii ditiſſimus quiſque & ambitione & licitatione maximâ vicibus comparabat*, hoc eſt, Unuſquiſque ex ditioribus immenſo pretio & ambitu emebat ſacerdotium illud, dicatum ipſius Numini, ut ſcilicet eſſet magiſter & quaſi ἀρχιερεὺς, id eſt, princeps temporarius ſacerdotum.

Sacerdotes varii.

Obſervandum autem alios fuiſſe ſacerdotes generales omnium Deorum, qui quorumvis Deorum ſacris præerant: alios vero fuiſſe certorum Deorum miniſtros, qui certis Diis erant deſtinati: unde etiam nomina ſua habuerunt, de quibus ſupra. Ad hoc alludens Cicero *de Legibus*: *Divis aliis*, inquit, *alii ſacerdotes, omnibus Pontifices, ſingulis Flamines ſunto.*

Quæ in ſacerdotibus obſervanda.

In omnibus autem hiſce generalibus omnium Deorum, ſive particularibus cæterorum ſingulorumque Deorum ſacerdotibus hæc fere quæ ſequuntur, antiquitus, præſertim in eorum creatione, atque delectu obſervari ſolebant: nempe Animus, Corpus, Veſtitus, Sexus, Ætas, Conjugium ſive Cœlibatus, Natio, Vitæ genus ac inſtitutum, Honos ac Dignitas, Poteſtas, Gradus, Merces, Lucrum atque Proventus, Pœnæ atque Supplicia, Numerus denique, & Victus, jejunia item & abſtinentia à certis diebus vel etiam aliis rebus.

I Animus ſacerdotum.

Primum igitur ipſe Animus, ejuſque habitus, nempe ſcientia, cum aliarum artium ac diſciplinarum, tum vero atque inprimis eorum ſacrorum, quibus erant præpoſiti, quæque illis erant curanda, requirebatur. Unde Cicero: *Arrogans de religione, de rebus divinis cerimoniiſque ſacris Pontifices docere conati.* Deinde virtutes quo-

quoque animi, ut castitatem, sobrietatem, temperantiam, vigilantiam & diligentiam in administrandis sacris requirebant. Inde Seneca: *Pro pudicitia vota facienda sunt, prostitutæ mandabitis?* Et Vestalium virginum si qua incesti convicta esset, ante ora civium mœsto silentio offerebatur, vivaque circa Collinam portam in subterraneum specum dimissa, terraque statim superinjecta necabatur: Gellius. Erant tamen plerique ipsorum sacerdotes cum magicis artibus, tum omni vitiorum, scelerum, flagitiorumque generi (quorum parens & procreatrix est idololatria) dediti & addicti.

II. Corpus sacerdotum. Secundo ut animi, ita corporis quoque certam dispositionem in sacerdotibus suis requirebant. Ac illos quidem corpore volebant esse sano & integro: eos autem, qui insigni aliquo corporis vitio laborabant, membroque aliquo capti erant ac mutili, eos nequaquam ad rem divinam tractandam existimabant aptos esse & idoneos, sed admittere nefas putabant. Ad utrunque referenda est lex illa antiqua de sacerdotibus: *Sacerdos sit integer*, de qua hæc leguntur apud Senecam: *Metellus Pontifex, cum arderet Vestæ templum, dum Palladium rapit, oculos perdit, sacerdotium illi negatur.* Et post: *Lex integrum ad animum refert, non ad corpus, Lex æstimari hoc voluit tunc, cum quis peteret, non cum haberet sacerdotium.* Idem: *Ambitiosa lex est ad sacerdotium, notas non sanctitatis tantum, sed felicitatis admittit, inquirit in mores, in corpus, in vitam. Vide tu quemadmodum tam morosæ legi satisfacias.* Idem: *Fas sacerdoti non esset, ancillam tibi similem habere, fieri ne sacerdotem fas erit?* Et post: *Non potest in ea sperari sacerdos, in qua sperari meretrix potest: aliis oculis leno vitam æstimat, aliis Pontifex.* Idem: *Absint ex hoc foro lenones, absint meretrices, ne quid parum sanctum occurrat, dum sacerdos legitur.* Et post: *Quo mihi sacerdotem, cujus precaria est castitas, si mater tua prostitisset tibi noceret.* Idem: *Pro libertate vota facienda sunt, captivæ mandabitis?* Idem: *Ancillæ ex lupanaribus sacerdoti non emuntur. Coram sacerdote obscœni homines abstinent. Non sine caussa sacerdoti lictor apparet. Occurrenti tibi meretricem submovisset?* Idem: *Castigationem ex Pontificis Maximi arbitrio meruerat sacerdos si te è lupanari redemisset.* Idem: *Sacerdos non integri corporis, quasi mali ominis res vitanda est. Hoc in victimis notatur, quanto magis in sacerdotibus? Post sacerdotium magis observanda est nobilitas. Non enim sine ira Deorum debilitatur sacerdos. Apparet non propitios esse sacerdoti Deos, quem ne sanati quidem servant.* Hactenus Seneca de personis & ministris sacrorum: ut ne sacerdos nisi integer adsumatur, & quis integer sit habendus.

Extat de hac etiam re quæstio apud Plutarchum in *quæstionibus Romanis*, *Cur interdictum fuerit Auguri, Si ulcus haberet, aves observare.* Idem ibidem, *Ut victimam*, inquit, *aut avem ulcerosam rei sacræ faciundæ gratia usurpare nefas erat: sic animo ab omnibus molestiis & quasi ulceribus ac morsibus vacuo, sincero, puro & integro tractari oportet.* Et quæstione quadragesima Romanarum, apud Chæronenses coronatum esse, comam alere, ferro armatum Phocensium fines non ingredi, propria fuisse sacerdotis munia testatur idem. Sic apud Magos qui essent lentiginosi, tanquam Diis invisi, ab aris summovebantur: item qui elati revixerant, quibusque viventibus exsequiæ factæ essent, veluti profani à sacris propellebantur, teste Herodoto. Sic apud Hebræos menstruatis fœtis post quadraginta dies, & qui impetigine deformes essent, templi aditus erat interclusus.

Corporis puritas considerata in sacerdotibus. Præterea ut animorum, ita corporum quoque puritatem judicabant suis sacerdotibus esse necessariam. Volebant, inquam, eos & animis & corporibus esse puros ac mundos. Nam corpore impuro & sordido sacra tractare, nefas ducebant: qui quidem corporis cultus atque habitus fuit vel naturalis, vel artificialis & ascititius: alii erant capite raso; alii comati; alii erant barbati; alii imberbes: aliis erat barba brevis; aliis promissa. Sic, exempli gratia, Isiaci, id est, Isidis sacerdotes apud Ægyptios erant raso capite: contrà Stephanophoris, Herculis sacerdotibus, apud Græcos, ferre coronam & comam promissam proprium erat, teste Alexandro ab Alexandro libro sexto, capite duodecimo, & libro secundo, capite octavo. Ita Cybelis sacerdotes variis fucatos coloribus, & facies pigmento delitos, oculosque obunctos, cum mitella & croceo, lineo calceamento, ante simulacrum Deæ incedere solitos, & cum tinnitu cymbalorum & sonitu tympanorum sacrum fecisse legimus apud eundem Alexandrum libro secundo, capite eodem octavo. Sic Britannorum conjuges nurusque glasto toto corpore oblitas quibusdam in sacris nudas incessisse, Æthiopum colorem imitantes, scribit Plinius libro vigesimo secundo, capite primo. Pertinet huc symbolum Pythagoræ, *Penes sacrificium ne sis cæsis unguibus*: quod unguium quoque habitam fuisse rationem indicio esse potest. Referendæ præterea huc illæ aquæ lustrales, quibus vel totum corpus, vel aliquot ejus partes, ut caput, manus, atque pedes abluebant.

Symbolum Pythagoræ.

III. Vestitus sacerdotum. Tertio, quod attinet ad vestitum & amictum sacerdotum, sive eorum, qui sacris procurandis præerant, ejus curiosa valde superstitiosaque habita fuit in sacris ratio. Hinc *Pura Vestimenta*, inquit Paulus, *sacerdotes ad sacrificium habebant*, id est, non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculam habentia. *Pure lautum*, ut est apud eundem, erat idem, quod pura aqua lautum. Nam ut corpora; ita vestimenta quoque sacerdotum, ut etiam aliorum, antequam ad sacra accederent, ablui, sive lavari erant solita. Plato: *Nam*, inquit, *in sacrificiis & celebritatibus pulchra veste aureisque coronis sacerdos rem divinam facit.* Sacerdos autem, qui victimam faciebat pura in veste & candida plerunque intextili stola, nec majoris operæ quam menstruæ, nonnunquam in purpura & auro.

Vestitus sacerdotum varius. Fuit autem universus hic sacerdotum vestitus omnino varius ac diversus, secundum vel corporis partes, vel materiam, vel colorem, vel formam, vel sexum, vel quantitatem, ejus nimirum cum brevitatem, tum longitudinem. Ut vero corporis duæ potissimæ partes sunt extremæ, caput nimirum atque pedes: ita hæc certo modo ac certis vestibus indui atque ornari potissimum solebant.

Capite operto sacrificare soliti sacerdotes. Quantum ad caput attinet, alii aperto erant capite, alii operto atque tecto: & quidem alio tempore capita sua

ſua aperire, alio tegere atque velare conſueverunt. Obſervandum tamen perpauca fuiſſe ſacra, quæ aperto nudoque capite erant celebranda. Nam plerique ſacerdotes ac omnes ii, qui ſacra faciebant, iiſque intererant operto ac velato; non autem aperto & nudo capite fuerunt. Plautus in *Curculione:*

Quis hic eſt, qui operto capite Æſculapium ſalutat,

id eſt, adorat ac veneratur? Suetonius de Aulo Vitellio: *Idem miri*, inquit, *in adulando ingenii, primus Cajum Cæſarem adorari, ut Deum, inſtituit, quum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens.* Vitellius igitur, cum Caligulam adorare, ut Deum, vellet, capite velato eum ſalutavit, qui mos erat eorum, qui Deos venerabantur. Sic Romani ſacerdotes cum adorarent, rem divinam facturi, capita velabant vittis, mitris, coronis: cum Græci aperto eſſent capite. Plutarchus teſtis eſt in *quæſtionibus* viros inter gentes, & inprimis quidem eos, qui Romanorum legibus vivebant, ſolitos fuiſſe velatis capitibus Deos adorare & inter ſacra veſtem ad aures uſque attollere: partim quidem ut eo geſtu & habitu humiliores ſe redderent: partim vero ne inter precandum triſte quid aut ignominioſum aliunde occurreret, quo animi attentio religioſa turbaretur. Meminit hujus ritus Virgilius, qui Helenum Æneæ ſic dicentem introducit:

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc, ſocii, morem ſacrorum, hunc ipſe teneto,
Hac caſti maneant in relligione nepotes.

Ex his ipſis igitur verſibus liquet, ſacrificantes Diis omnibus caput velare ſolitos, ideo ne inter religionem vagis aliquid offerrent obtutibus.

At vero Saturno Romani capite aperto rem divinam faciebant, propterea quod Veritas occultari obſcurarive non poteſt, cujus parentem ac Deum Romani Saturnum habebant. Hinc Lucem facere Saturno ſacrificantes dicebantur, inquit Feſtus: quod ipſum factum eſt more Græco. Unde Plutarchus, *Ritu peregrino* & *capite aperto* conjungit. Cauſſas hujus rei multas affert idem, ſic ſcribens: *Quid eſt*, inquit, *quod Saturno capite aperto immolant? An quod velandi capitis ritum Æneas tradidit? Saturni vero ſacrificium pervetuſtum eſt? An illud potius, quoniam Diis cœleſtibus immolantes velantur? Saturnum vero terreſtrem & chthonium eſſe arbitrantur? An quod veritas occuli obſcurarique non poteſt? Veritatis autem parentem ac Deum Romani habent?* Hæc Plutarchus. Ex illa autem ratione, quam inter alias affert, *An, quoniam Diis cœleſtibus immolatur, velantur? Saturnum vero terreſtrem & chthonium eſſe arbitrantur*, videtur poſſe colligi, illos Diis cœleſtibus velato; terreſtribus autem aperto capite ſacra feciſſe. Feſtus, *Saturnii*, inquit, *dicebantur qui caſtrum in clivo Capitolino incolebant, ubi ara dicata ei Deo ante bellum Trojanum videtur; quia ante eam ſupplicant apertis capitibus.* Macrobius in 3. *Saturn.* ex Balbi ſententia apud aram Maximam, in qua Herculi Bos ſacrificabatur, obſervatum ait, ne lectiſternium fieret; ubi etiam aperto capite omnes ſacra feciſſe ſcribit: quod fiebat, ne quis Dei habitum imitaretur. Nam ibi ipſe operto capite erat. Varro ait, Græcorum hunc fuiſſe morem, ut ſcilicet Græco ritu ſacrificaretur in ara Maxima. Hoc & amplius addit Baſſus, idcirco hoc factum fuiſſe, quia ara Maxima ante adventum Æneæ in Italia conſtituta eſt, qui hunc ritum capitis velandi invexit.

Saturno capite aperto ſacrificatum olim.

Rationes, cur aperto capite Saturno ſacrificatum.

Præterea Honori quoque Deo, aperto capite, rem divinam faciebant, quia ſplendidum quiddam & illuſtre & apertum lateque patens ſit gloria. Nobiliores vero & potentiores viros capite aperto idcirco venerabantur, ut invidiam illis detraherent, ne pares Diis immortalibus honores poſcere, neve eodem cultu delectari viderentur. Teſtis idem Plutarchus, quæſtione decima quinta. Tamen Marcus Varro capita aperiri aſpectu magiſtratuum, non venerationis cauſſâ, ſed valetudinis prodidit, cui ſententiæ aſtipulari videtur Plinius libro vigeſimo octavo. Cur parentes efferant & filii velatis capitibus, filiæ nudis capitibus paſſiſque crinibus, & mulieres tectis, mares autem nudis capitibus in publicum prodire fuerint ſoliti, vide Plutarchum quæſtione decima quarta *Romanarum quæſtionum.*

Deo Honori etiam aperto capite olim ſacrificatum.

Porro capitis integumenta varia fuerunt & multiplicia. De Pileorum quidem uſu apud Romanos, & de capitis aperiendi vel operiendi more atque ritu vide plura apud Juſtum Lipſium in libro *de Amphitheatro.* Hujuſmodi autem, inter alia integumenta capitis, illud fuit quod *Capital* Varro vocat; de quo ſic ſcribit: *Capital dictum à capite, quod ſacerdotulæ in capite etiamnum habere ſolent.* Idem de Rica, alio genere integumenti: *Rica dicta à ritu, quod Romano ritu ſacrificium fœminæ cum faciunt, capita velant.* Feſtus: *Rica erat veſtimentum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo Flaminicæ pro palliolo utebantur. Alii dicunt, quod ex lana fiat ſuccida alba, quod conficiunt Virgines ingenuæ patrimæ, matrimæ civeis, & inficiatur ceruleo.* Idem: *Ricæ & Riculæ vocantur parva ricinia, ut palliola, ad uſum capitis facta. Granius quidem ait eſſe muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur.*

Capitis varia integumenta. Capital. Rica.

Sic *Tutulum* dicebant Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea, innexa crinibus, & extractum in altitudinem. Quidam pileum lunatum, formâ è tali figuratum, quo Flamines ac Pontifices utebantur. Ennius: *Fictores, Argeos & tutulatos.*

Tutulum.

Albogalerus, eodem teſte, à *galea* nominatur pileum capitis, quo Diales Flamines, id eſt, ſacerdotes Jovis utebantur. Fiebant enim ex hoſtia alba, Jovi cæſa: cui affigebatur apex virgulæ oleaginæ.

Albogalerus.

Apex, ut idem Feſtus ait, ſacerdotum erat inſigne, dictus ab eo, quod comprehendere Antiqui vinculo apere

Apex.

apere dicebant. Unde *aptus* is, qui convenienter alicui junctus est. Hinc *Apiculum*, ut idem ait, filum, quo Flamines velatum apicem gerunt.

Caliptra. *Calıptra* item genus erat integumenti, quo capita aperiebant sacerdotes, sacra sua administrantes.

Arculum. *Arculum* appellabant circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda commodius vasa, quæ ad sacra publica capite portabantur.

Mitræ. Huc referendæ mitræ, diademata, infulæ, serta, coronæ & alia capitis ornamenta, vel ex auro, argento, margaritis, gemmis, vel ex herbis, floribusque variis confecta. Pilei Pontificalis meminit etiam Plutarchus in *quæstionibus Romanis* quæstione quadragesima sic scribens: *Pontificis apud Romanos proprium hoc erat, ut equo non veheretur, neque diutius trinoctio ab urbe abesset, neque pileum (apicem ipsi vocabant: unde Flaminis nomen) unquam deponeret.*

Nudis pedibus & calceati sacrificare soliti sacerdotes. Dixi de capite: Veniamus ad pedes. Aliquando igitur pedibus nudis: aliquando calceatis sacra faciebant. De priori ritu sic scribit Plato: *Triumphales viri, & qui amplißimos honores adepti fuissent, in triumphi ornatu, aut in prætexta lotis manibus & fronde coronati, sancti & venerabiles nudis pedibus & tonsa coma ad rem divinam accedebant: idque jam à Pythagora traditum Lacedæmonii observarunt, qui nudis pedibus adorandum sacrificandumque censuerunt.* Hinc Nudipedalia sacra. Ac notum est illud symbolum Pythagoricum: *Discalceatus sacrifica & adora.* Ex adverso quod ad posteriorem attinet ritum, calceatos Ægyptiorum sacerdotes sacrificasse scribit Herodotus, & papyraceos quidem calceos gestasse. Alexander ab Alexandro Cybelis sacerdotes lineo calceamento ante simulacrum Deæ incedere solitos testatur.

Manibus insignia muneris soliti gestare. Manibus etiam suis tenere atque gestare fuerunt soliti quædam muneris sui insignia, & instrumenta, ut baculos, virgas & alia id generis. Hinc Isiaci apud Ægyptios manibus sistrum tenebant, aut ramum absinthii marini, vel nuces pineas; de quo vide *Theatrum* Zuingeri.

Materia varia vestium sacerdotalium. Materia quoque vestium sacerdotalium & sacrificantium fuit varia & multiplex: ut erat lana, linum, purpura. Ægyptiorum quidem sacerdotum vestes erant ex lino: unde *Linigeri* fuerunt dicti Isidis, Deæ Ægyptiorum, sacerdotes: sicut ipsa quoque Isis *Linigera* dicitur. Ovidius:

> *Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem*
> *Isidis, &c.*

Juvenalis de sacerdotibus ejus:

> *Cum grege linigero circumdatus & grege calvo.*

Martialis:

> *Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba.*

Herodotus de materia vestium sacerdotalium. Plinius. De religiosis Ægyptiorum vestibus sic scribit Herodotus: *Sacerdotes linea ferunt vestimenta, semper recens abluta, huic rei semper vacantes. Iidem calceos papyraceos gestant, aliam vestem aut alios calceos induere eis fas non est. Genitalia circumcidunt ritu Judæorum.* Plinius quoque libro decimo nono, capite primo scribit, fruticem gigni in Ægypto, quem *Gossypion* vocat, plures *xylon*: & ideo lina inde facta *xylina*: ex quibus sacerdotibus Ægyptiis gratissima fiunt. Quinetiam Apulejus cerimonias Ægyptiorum luculenter explicans sic ait: *Influunt turbæ sacris divinis initiatæ viri, fœminæque omnis dignitatis, lineæ vestis candore puro luminosi.* Suetonius. Tranquillus in *Tiberio Cæsare*: *Externas cerimonias*, inquit, *Ægyptios Judaicosque ritus compescuit, coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere.* Judæorum vestes religiosæ quales fuerint, Hieronymus in epistola ad Fabiolam de veste sacerdotali, & Josephus libro tertio *Antiquitatum*, & libro sexto *belli Judaici* copiose perscribit.

Color vestium sacerdotalium. Quantum ad colorem vestium sacerdotalium attinet; alii nigris; alii, & quidem plerique albis, seu candidis vestibus erant amicti. Sic enim exempli gratia, Ægyptiorum sacerdotes ex lino puro & candido vestes habebant. Sic Romanos albatos fuisse diebus festis, testatur in *Electis* Lipsius. Sic Iunoni veste candida sacrificabatur: itemque Cereri; mense Aprili cum lampadibus, & tædis accensis, quando porcam illi mactarent: Vestæ, vel Deis, si quando Vestales virgines sacra libarent, eo cultu ornatuque ut erant, & vittatæ peragebant. Album tamen præterea vestimentum, quod *suffibulum* vocabatur, oblongum, & prætextum, & quadrangulum in capite sumebant, fibulaque subnectebant. Tertullianus libro *de Pallio & cultu* docet, Cereris Eleusiniæ sacerdotes candido, Saturni rubro, Bellonæ nigro habitu fuisse, Æsculapii pallium cum crepidis gestâsse. Verba ejus hæc sunt: *Cur istos non spectas vel illos item habitus, qui novitate vestitus religionem mentiuntur, cum ob cultum omnia candidatum & ob velum vittæ & privilegium galeri Cereri initiantur: cum ob diversam affectionem tenebricæ vestis, & tetrici super caput velleris in Bellonæ montes fugantur: cum latioris purpuræ ambitio & galatici ruboris superjectio Saturnum commendat: cum ipsum hoc pallium morosius ordinatum, & crepidæ Græcatæ græcatim Æsculapio adulentur.* Et cur in luctu mulieres albas gesserint vestes, albatasque vittas, Plutarchus rationem reddit in *quæstionibus Romanis*, quæstione vigesima sexta.

Vestes sacerdotales distinctæ secundum sexum. Secundum sexum quoque aliæ quidem erant marium, aliæ fœminarum vestes. Et tamen viri muliebri veste, & mulieres virili Veneri sacra fecerunt, teste Philochoro. His adde, quod Plutarchus scribit quæstione quinquagesima quinta *quæstionum Romanarum*, tibicines Idibus Ianuarii vestem indutos muliebrem, urbem circuire fuisse solitos. Idem rationem reddit quæstione quinquagesima octava *quæstionum Græcarum*, cur apud Choos Herculis Sacerdos in Antimachia muliebri veste indutus capite vittato sacrificium fecerit.

Vestes sacerdotales distinctæ secundum quantitatem. Secundum quantitatem vestes aliorum sacerdotum erant amplæ: aliæ strictæ & angustæ: aliæ item breves & curtæ: aliorum vero longæ ac promissæ, ad talos usque demissæ. Nam in fano aut templo nudare se nefas erat

apud

apud quosdam, teste Plutarcho, quæstione quadragesima *quæstionum Romanarum.* Apud plerosque tamen sacra agitabantur à nudis, & quidem à nudis vel toto corpore, vel aliqua corporis parte denudatis. Sic glasto Britannorum conjuges nurusque toto corpore oblitas quibusdam in sacris nudas incedere, supra ex Plinio audivimus.

Etsi præterea sacerdotes plerumque erant inermes in sacris: sacrificia tamen quædam ab armatis fieri solita testatur Antiquitas. Armati etiam sacrificare soliti sacerdotes.

Et hæc quidem de vestitu sacerdotum illorum priscorum Gentilium, quibus colophonis loco addam verba Baruchi sive Jeremiæ, quibus sacerdotum Babyloniorum vestitum habitumque corporis perstringit ac reprehendit. *Sedent*, inquit (ubi notandum, eos in sacris sedere solitos) *Babyloniorum sacerdotes in idolorum ædibus* (quæ εἰδωλεῖα Græce uno nomine appellantur) *habentes tunicas scissas* (sic enim sacerdotes Baalitici & alii pro insana sua superstitione vestes suas discindere solebant) *& capita & barbam rasam: quorum capite ἀκατάλυπτος nuda sunt.* Hinc apparet sacerdotes Babylonios barbam & capita habuisse rasa, eaque fuisse nuda & aperta, cum Romanorum sacerdotes operto & velato fuerint in sacris suis curandis capite. Addit deinde: *Rugiunt autem clamantes ante Deos suos ἐν τῷ περιδείπνῳ sicut mortui.* Alludit ad illorum preces clamosas & insanas, quas ad idola Deosque suos fundere fuerunt soliti; quas quidem rugitui leonino, & ipsos simul leonibus rugientibus per contemtum comparat. Baruch de vestitu sacerdotum

Porro secundum sexum sacerdotum alii fuerunt mares, aliæ fœminæ; & aliorum quidem Deorum sacra non nisi à sexu fœmineo: aliorum non nisi à sexu virili fieri fas erat: & ad sacra quædam non nisi viris: ad alia utrisque patebat aditus. Sic fœminis aditus ad sacrificia Herculis erat interclusus atque prohibitus, cum reliquis sacris fere omnium Deorum iis liceret adesse, vel exta tangere, aut vesci, aræve manus adhibere, aut solennia videre, teste Plutarcho, qui & causam hujusce rei recenset. Sic contra viris ad sacra Bonæ Deæ accedere: imo ea aspicere nefas erat: quicquid erat masculum, domo exigebatur, quando sacrum illud fiebat. Cicero *de Aruspicum responsis: Occulta & maribus non invisa solum, sed etiam inaudita sacra inexpiabili scelere pervertit.* Sic ad Martis Sylvani rem divinam mulieri accedere non licuisse, Cato *de re rustica* testis est. De Cereris item sacro, quod non nisi per mulieres ac virgines confici poterat, egregius locus extat apud Ciceronem Verrinâ sextâ, quem hic omnio subjiciendum puto: *Sacrarium*, inquit, *Cereris est apud Catinenses, eâdem religione, quâ Romæ, quâ in cæteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum: quod viri non modo cujusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant: aditus enim in id sacrarium non est viris: sacra per mulieres ac virgines confici solent: hoc signum noctu clam istius servi ex illo religiosissimo atque antiquissimo fano sustulerunt. Postridie sacerdotes Cereris atque illius fani antistitæ, majores natu, probatæ ac nobiles mulieres, rem ad magistratus suos deferunt.* Hæc Cicero. IV. Sexus sacerdotum.

Ætatis quoque in sacerdotibus legendis habita fuit ratio. Sic, exempli gratia, qui de Virgine Vestali capienda scripserunt, minorem, quam annos sex, majorem, quam annos decem natam negaverunt capi fas esse. Item quæ non patrima, hoc est, quæ nec patrem, nec matrem haberet. Suetonius de Augusto: *Quumque in demortuæ* (virginis Vestalis) *locum capi aliam oporteret, ambirentque multi, ne filias in sortem darent, adjuravit, si cujusquam neptium suarum competeret ætas, oblaturum se fuisse eam.* Antistius Labeo eam (virginem Vestalem) quæ expiando esset, minorem sex annis natam esse oportere negavit, majoremve decem. Cicero pro Domo sua: *Quæ major contumelia est, quam venire in sacerdotium imberbem adolescentulum?* V. Aetas sacerdotum.

Præterea si conjugium spectes, sacerdotum necessario alii erant cœlibes, virgines, eunuchi & castrati: alii necessario conjugati. Hinc Flamen Dialis uxore, quæ *Flaminica* dicebatur, mortuâ, Flaminio, hoc est, sacerdotali hac sua dignitate se abdicare cogebatur apud Romanos: ut Censorum uno mortuo ejus collega similiter alter censuram cogebatur deponere. Vide de hac re Plutarchum quæstione quadragesima nona *quæstionum Romanarum.* Idem quæstione quinquagesima, Sacerdotum uxores sæpe iis in sacris rebus obeundis adfuisse, neque iis absentibus ea peragi potuisse testatur. Hinc, ut supra dictum, Flamen Dialis uxore mortuâ Flaminio decedebat, propterea quod plerisque in sacris obeundis uxoris opera utebatur, ita ut ea absente ea peragere non posset. Cæterum, uxore mortua aliam confestim ducere neque factu facile est, neque videtur humanum. VI. Coniugium sacerdotum.

Sic apud Romanos illæ Vestæ cultrices, perpetuique ignis custodes erant virgines: *Vestales* inde dictæ; quarum officium in tria tempora erat divisum: Unum; quo discebant: Alterum; quo præcepta sua peragebant: Tertium; ut alias deinde docerent. Idem pene fuit in virginibus Dianæ Ephesinæ. Futuras enim sacerdotes μελλιέρας, deinde ἱέρας, postremo παριέρας esse oportebat.

Matris vero Deûm, sive magnæ matris, sive Cybeles, sacerdotes erant castrati, *Galli* dicti à Gallo vetusto Phrygiæ flumine, cujus aquam potantes in insaniam vertuntur.

Carmentæ porro templum matronas & antiquitus dedicasse & Deam illam inprimis colere eique sacrificare solitas, testis est Plutarchus quæstione quinquagesima sexta *Romanarum quæstionum.*

Secundum Nationem quoque Sacerdotes olim considerabantur. Erant enim alii patrii, alii peregrini: Sacra tamen pleraque per cives atque indigenas celebrari solebant: quamvis quædam ut peregrina & adventitia per peregrinos administrari atque tractari oportebat. Hinc Cicero Græcorum sacrorum & sacerdotum meminit. Sic enim pro Cornelio Balbo: *Sacerdos illa*, inquit, *quæ Græcum illud sacrum* (Cereris) *monstraret & faceret.* Idem pro Cœlio: *Sacra Cereris per Græcas semper curata sunt sacerdotes.* Festus: *Græca sacra festa Cereris ex Græcia translata*, quæ ob inventionem Proserpinæ matronæ colebant: quod sacrum, dum non essent matronæ, quæ facerent, propter cladem Cannensem & frequentiam lugentium institutum est, ne amplius centum diebus lugeretur. VII. Natio sacerdotum.

Quan-

VIII. Vitæ genus sacerdotum: quod regium olim.

Quantum ad vitæ conditionem, genus & institutum sacerdotum attinet, observandum apud Romanos & Græcos, Reges quoque sacerdotium suscipere atque obire fuisse solitos: cujus multa in historiis prophanis exempla occurrunt. De hoc Plutarchus in *quæstionibus Romanis* sic scribit: *Olim Reges pleraque & præcipua sacra faciebant, ac rebus divinis ipsi cum sacerdotibus operabantur. Ut vero insolescere cœperunt, arrogantesque & duri esse, plerique Græci detracto eis imperio solum sacra faciendi Diis facultatem reliquere.* De Regibus Spartanorum scribit idem Alexander ab Alexandro libro secundo, capite octavo. Verba ejus hæc sunt: *Reges Spartanorum, quum primum in eam assumti sunt dignitatem, privilegio honoris præcipui Jovis cœlestis & Lacedæmonii sacerdotio funguntur: quibus ex omni Scropharum fœtu porcus debebatur, ut si Diis immolare vellent, nunquam victima deesset. Sic ex Cæsaribus C. Julius Cæsar Auguratum simul & Pontificatum: Galba autem triplex sacerdotium gessisse dicitur.* De Hoc more scribit etiam Guanguinus in Prussia, cujus verba addere libet: *Anno Domini DIII. Prutenis*, inquit, *sive Ulmigavis Rex quidam, Bruteno dictus, imperavit: qui cum justos annos ætatis consecutus esset, quietam vitam ducere instituens, fratrem Verdenutum successorem sibi in regno fecit: ipse summus sacerdos effectus est, nomenque ei dignitatis inditum fuit* Kirie Kirieyto, *quasi dicas*, Proximus noster Dominus. *Huic Pontifici suo Pruteni præclaram ædem sub quercu quadam erexerunt, locoque Romani à Roma nomen indiderunt.* Hæc Guanguinus.

Fenestella de Regibus sacrorum.

Pertinent huc ea, quæ L. Fenestella de Rege sacrorum scribit capite undecimo in sacerdotiis Romanis: *Rex sacrorum*, inquit, *qui & sacrificulus dicitur, creari cœptus est Junio Bruto, & M. Valerio primis consulibus. Ejus creandi occasionem dedit, quod quum nuper exactis regibus pleraque sacra à solis Regibus obiri consueta, Regum exactione vacare viderentur; idque moleste admodum populus ferret, utpote, quod cultui divino Regum exactione videretur derogatum, sacerdotem creari placuit: quem quo minus eidem authoritatis inesset* (alii legunt *deesset*) *regio nomine decorarunt, sacrorum Regem appellantes. Subjecerunt tamen Pontifici Maximo, ne similius dicti* (alii legunt, *Ne si nullius ditioni aliàs*) *fuisset suppositus, jam exacti Reges, reducti Reges esse viderentur, vel crederentur. Quæ vero huic partes injunctæ essent, nunc temporis minime reperiuntur.* Hæc Fenestella.

Pomponius Lætus de Regibus sacrorum.

Meminit Regis sacrificuli etiam Pomponius Lætus, cujus hæc verba: *Postquam Romani*, inquit, *jam liberi, extincto regio nomine, necubi desiderium Regis esset propter quædam sacra publica, quæ Reges faciebant, Regem sacrificulum constituerunt, & è Patribus elegerunt C. Manlium Papyrium, & id sacerdotium Pontifici subjecere, ne novæ libertati additus nomini honos officeret. Is Papyrius quietis studiosissimus fuit.* Hactenus Pomponius.

Romani Imp. Pontifices dicti.

Ob eandem hanc caussam, quod nimirum Rex esset sacerdos & pontifex, Romani Imperatores Pontifices appellabantur. Hinc Juvenalis Satyra quarta de Domitiano:

Destinat hoc monstrum Cymbæ, linique magister
Pontifici summo, &c.

Plato de Regibus sacrorum.

Plato in *Politico* docet, Sacerdotes & Vates magnanimitate, intelligentia & claritate florere ob earum rerum, in quibus versantur, amplitudinem & dignitatem: & idcirco addit, apud Ægyptios non licitum fuisse Regem absque sacerdotio imperio: quin immo si ex alio genere quispiam per vim regnum usurpasset, coactum fuisse tandem ἐπιτελειῶσθαι, id est, *sacris initiari.* Præterea in plurimis Græcorum civitatibus, & apud Athenienses præsertim, præcipua à magistratibus summis institui fuisse solita: & creati Regis fidei augustissima sacra, maximeque patrios antiquissimarum religionum ritus fuisse demandatos. Idem alibi regio muneri sacer-

Cicero.

dotium vult esse proximum & vicinum. Cicero: *Itaque Populus Romanus brevi tempore neque Regem sacrorum, neque Flamines, neque Salios habebit.*

Aliquando vitæ genus regium non permissum.

Aliquando tamen & apud nonnullos non erat licitum munus profanum cum sacro conjungere. Hinc Aristoteles *Politicorum* libro quarto, Sacerdotes, sive illi sint αἱρετοὶ sive κληρωτοὶ, id est, *sive suffragiis electi, sive sorte ducti*, vult non esse in magistratibus numerandos, καὶ ἕτερόν τι παρὰ τὰς πολιτικὰς ἀρχὰς θετέον, id est, *genus hominum aliud à civilibus magistratibus statuendum.* Sic Flaminibus Dialibus permissum non erat, ut magistratum susciperent, aut ambirent: quod cur factum sit Plutarchus rationem reddit, quæstione centesima decima tertia, in *Romanis*, quem vide. Hæc de vitæ genere sacerdotum.

IX. Honos & dignitas sacerdotum.

Fuit apud Ethnicos sacerdotum quoque maxima dignitas, honos, autoritas & potestas, id quod cum ex supra citato loco Platonis in *Politicis* colligitur, scribentis, sacerdotes & vates magnanimitate, intelligentia, & claritate floruisse: tum hinc constat, quod præsertim virgines Vestales maximo in pretio & honore fuerunt apud Romanos. Unde Ovidius:

- - - - locum date sacra ferenti
Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.

Sic Demones ille senex apud Plautum:

Qui homo est tanta confidentia
Qui sacerdotium violare audeat:
At magno cum malo suo? &c.

X. Gradus & ordo sacerdotum.

Ordo quoque sacerdotum & gradus, in iis creandis & jam creatis, quoad illorum honorem & dignitatem, religiose observabatur; de quo ita Festus: *Maximus videbatur Rex, quia potentissimus. Deinde Dialis; quia universi Mundi sacerdos; qui appellatur Dium, sive Dius. Post hunc Martialis; quod Mars Conditoris Urbis parens. Quarto loco Quirinalis, socio imperii Romani Curibus ascito Quirino. Quinto Pontifex Maximus; quod Judex & arbiter haberetur rerum divinarum humanarumque. Itaque in conviviis solus Rex supra omnes accubabat. Sed*

Dialis

Dialis supra Martialem & Quirinalem: Martialis supra proximum: omnes deinde supra Pontificem. Hactenus Festus.

In quanta item gratia & honore fuerint apud Romanos illi, qui coluerunt diligenter Deos, inter alia exempla testatur Numæ Pompilii exemplum, qui ab Romanis Rex habitus fuit, eam tantummodò ob caussam, quod rei divinæ faciendæ studiosissimus fuit. Nec certe olim alii principes Romani tam amabantur & honorabantur, quod victoriis erga hostes clari & celebres essent, quam quod diligenter & studiose Deos coluissent. Id quod de Tarquinio Prisco etiam constat, eum cum ob alia beneficia in Populum Romanum, tum ob singulare studium in religionem maximo honore fuisse affectum. Testantur enim historiæ eum, præterquam quod religiosissime Deos venerabatur, templa frequenter adibat, illud quoque famosissimum templum Jovis in Palatio Capitolii extruendum curasse. Idem judicium de aliis, qui de religione, seu superstitione potius Ethnicorum, bene meriti erant.

Numæ exemplum. *Tarquinii exemplum.*

Sequitur merces sive salarium sacerdotum, hoc est, reditus, proventus & vectigalia eorum: quæ cum in genere istis nominibus appellabantur, tum peculiariter ob certa quædam munia atque officia aliis atque aliis. Tale erat *Curionium*, de quo ita Festus: *Curionium*, inquit, *æs dicebatur, quod dabatur Curioni ad sacerdotium Curionatus.* Pertinet huc totum nonum caput, de quo antea dixi. Nam honoris dignitatisque gradus sacerdotum, nihil erat aliud, quam merces, præmiumque eorum, qui sacra studiose ac diligenter obirent. De hoc præmio pulchre & copiose Alexander ab Alexandro libro secundo capite octavo sic scribit: *In tantum honoris culmen Pontificatus, & eo excellentiæ crevit, ut Cn. Cornelio prætori, quod M. Æmilio Lepido, Pontifici Maximo, convicium fecisset, multa dicta fuerit: ipsumque regia dignitate proximum crederent. Nam & lictor apparebat, & curuli regia sella ac lectica insignis erat, quam ante vestibulum conspicuam habere assuerat: ad cujus fores pro splendore dignitatis viridis laurus affixa videbatur. Cumque cæteri, honoribus functi, rationem administrati muneris reddere cogerentur, Pontifex tamen Maximus pro majestate, gesti honoris rationem dare minime cogi poterat: ipsique pro imperio & potestate, quoque plus dignitatis ferret, cum galero esse & carpento, ut reliquis sacerdotibus ingredi licebat. Quippe Pontifici proprium insigne erat galerus, sicut lituus Auguribus, paludamentum Imperatoribus, diadema Regibus. Et cum in Capitolium nulli fas foret carpento vehi, solis Pontificibus sacerdotibusque Tarpejum ascendere carpento licuit: ad eumque si noxii confugissent, ea die à pœna immunes erant.* Hactenus Alexander: quibus adde ea, quæ Plutarchus in Numa & Gellius scribunt: *Stipendium Numa Vestalibus de publico statuit, & eas perpetua virginitate aliisque ceremoniis venerabiles fecit, Carpento vehebantur, magistratusque illis assurgebant: si cui forte occurrissent ad supplicium rapto, is mortis pœnæ eximebatur. Iusjurandum autem exigebatur à virgine, fortuitum fuisse & inconsultum nec præmeditatum occursum.* Idem Gellius libro sexto, capite septimo: *Cajæ Tarratiæ, sive Suffetiæ Vestali, quia campum Tiberinum sive Martium Pop. Rom. donaverat, vivæ etiamnum Horatiâ lege amplissimi honores decreti; ut una omnium fœminarum testabilis esset, hoc est, jus testimonii dicendi haberet. Præterea si quadraginta annos nata, sacerdotio abire ac nubere voluisset, id salva religione posset.* Hæc de præmio.

XI. *Merces sacerdotum.*

E contra qui munus officiumque suum violassent sacerdotes non modo præmium atque mercedem nullam consequebantur, sed gravissimis afficiebantur pœnis & suppliciis. Hinc Festus: *Lex erat, probrum virginis Vestalis ut capite puniretur: vir qui eam incestavisset, verberibus necaretur.* Et Gellius: *Vestales ignem perpetuum servabant, qui si per incuriam extinctus esset, custos flagro à Pontifice Maximo cui suberant, cædebatur. Si qua incesti convicta esset, ante ora civium mæsto silentio efferebatur, vivaque circa Collinam portam in subterraneum specum demissa, terraque statim superinjecta necabatur.*

XII. *Pœnæ atque supplicia sacerdotum.*

Numerus præterea, primo in genere ut Deorum & sacrificiorum; ita Sacerdotum quasi innumerabilis fuit. Deinde in specie sacerdotum particularium certus fuit ac definitus. Cicero *de Oratore*: *Pontifices veteres propter multitudinem sacrificiorum tres viros Epulones esse voluerunt.* Præter Epulones fuerunt Pontifices, Reges sacrorum, Salii, Flamines, Augures, Fœciales, Arvales, Vestales, ut Gegania, Veronia (unde Canuleja, sive Camilla & Tarpeja) Caja Terratia sive Suffetia, Terentia, Claudia, Tuccia, Fonteia, Fabia, Licinia, Vibidia, aliique Indorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorumque sacerdotes innumerabiles.

XIII. *Numerus sacerdotum.*

Denique & victum sacerdotum ac jejunia, seu abstinentiam superstitiosam à certis cibis, atque etiam certarum rerum contactu atque visu, in nominatione eorum considerabant. Sic Ægyptii sacerdotes olim à piscium esu in sacris abhorrebant eumque exsecrabantur, cum piscis omnis animal sit κενοποιόν, ἢ ἀλληλοφάγον, *exhauriens quævis, & in suum ipse genus sæviens.* Unde Ægyptii ἀθέμιτον ἢ μύσος, *rem nefariam & abominandam* significare volentes, Piscem pingebant. Iidem à pelicani esu abstinebant, item ab ave Oryge, sola inter volucres signata, eo quod Lunæ Deæ & Soli Deo videbatur infesta. Sic Flamini Diali non licebat apud Romanos farinam aut fermentatum tangere, teste Plutarcho quæstione centesima nona *quæstionum Romanarum.* Festus item Flamini Diali, inquit, fabam nec tangere, nec nominare licebat. De abstinentia à leguminibus castitatis caussa vide Plutarchum in iisdem quæstionibus. Sed & omnis carnis crudæ contactu interdictum Flamini Diali erat, sicut ederam quoque ei non licebat tangere. Sic non poterat idem salva religione opus facientem videre, vel classem procinctam; id est, paratam ad bellum, & multitudinem militum. Multo minus eidem jurare, & dira aliis precari per leges licuisse testatur Plutarchus, quemadmodum nec per viam transire, penes quam vitium propagines in sublimi erant collocatæ: quo significabant, nefas esse sacerdotem ebrietati esse deditum.

XIV. *Victus & abstinentia sacerdotum.*

Et hæc quidem de principibus personis sacrificiorum dicta sint satis.

DICAMVS

De sacrorum sacrificiorumque ministris.

DICAMVS nunc quædam de sacrorum sacrificiorumque ministris: quorum multi fuerunt in Gentilium sacrificiis. Horum descriptionem pulcherrimam videre licet in antiquissima & celeberrima illa Trajani Cæsaris columna marmorea, quæ Romæ in medio Trajani foro erecta, sola fere inter alias vetustatis reliquias est superstes & integra, quæque geminæ Imperatoris illius in Dacos expeditionis res præclare feliciterque gestas, ac universi illius belli historiam pulcherrimis simulacris exsculptam complectitur. In hac igitur præter plurima alia antiquitatum monumenta (quorum columna illa quasi epitome quædam verissime dici potest) ministrorum hujusmodi; nec tantum ministrorum, sed sacrificiorum, victimarum, libationum, altarium, sacerdotum, rituum denique cerimoniarumque sacrificalium, picturæ atque imagines claræ & illustres visuntur: quam quidem Alphonsus Ciaconus Hispanus, vir doctissimus, brevibus quidem, sed doctis accuratisque commentatiunculis quasi vivis coloribus expressit & illustravit.

Sacrorum & sacrificiorum ministri qui in columna Trajana.

Postquam igitur Imperator ille, pugnæ semper sacrificium præmittens, proponitur, idque secundum tritam & pervulgatam Romanorum consuetudinem, quâ non licebat Imperatori cum hoste congredi, nisi prius Diis esset sacrificatum, illic Tibicinum quoque & Camillorum ac Poparum Victimariorumque descriptio exprimitur; qui omnes sacrificio solenni adsistunt, laureati, rituque Gabino accincti. Erat autem cinctus Gabinus vestimenti genus, quo sacerdotes sive præsides sive ministri cujusque Dei, ritus & templi pariter utebantur: quale est camisium lineum candidum, quo hodie sacerdotes utuntur, ab Italis *Cotta*, ab Hispanis *Alva*, ab albedine nimirum vocatum. Id cum esset latum, adeoque oblongum, ut discinctum per solum traheretur, postea cinctum pendentemque supra cingulum faciebat undique sinum. Ritus vero Gabinus fuit dictus à Gabinis primum, deinde Romanis usurpatus, ut Livius libro quinto & Virgilius testantur: Virgilius,

Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis referat stridentia limina consul.

Vide de hac re & Blondum libro primo *Romæ triumphantis*.

Tubicines.

Porro tibicines, tubicines & liticines erant ministri sacrorum, tibiis, tubis & lituis inter sacrificandum insonantes, quorum non tantum imagines videre licet in hac Trajani columna, sed eorum passim in omnibus sacrificiis fit mentio. Hi igitur interim dum sacrificium peragebatur, tibiis, tubis atque lituis canebant, lauro redimiti. *Tibia* instrumentum vocabatur musicum, oblongum, teres & foraminosum, quod inflatum & digitis modo adductis, modo reductis temperatum non injucundam reddit symphoniam, Græcis αὐλὸς dictum.

Tibia instrumentum quale.

Hanc primum ex gruum tibiis confectam existimant; & inde nomen accepisse. Horatius *de Arte*:

Tibia non ut nunc orichalco vincta, tubæque
Æmula: sed tenuis, simplexque foramine pauco.

Ovidius quinto *Tristium*, elegia prima:

Tibia funeribus convenit ista meis.

Virgilius *Ægloga* octavâ:

Incipe Menalios mecum mea tibia versus.

Cicero primo *Tusculanarum*: *Non intelligo quid metuat, quum tam bonos septenarios fundat ad tibiam.* Idem *de claris Oratoribus*: *Si tibiæ inflatæ non referant sonum, abjiciendas sibi tibicen putet.*

Tuba instrumentum quale.

Tuba vero instrumentum erat incurvum ex ære argentove, cujus sonitu non tantum sacrificantes excitabantur, sed milites equique ad prælium inflammantur: à tubi, hoc est, canalis concavitate nomen habens. Hujus inventionem Piseo Tyrrheno tribuit Plinius libro sexto capite quinquagesimo sexto. Cicero in Catilinam: *Quum tubas & signa militaria scirem esse præmissa.* Virgilius libro secundo *Æneidos*:

Exoritur clamorque virûm, clangorque tubarum.

Author ad Herennium libro quarto: *In concione de virtute loqueris, in prælio per ignaviam tubæ sonitum perferre non potes.* Lucanus libro primo:

Vangiones, Batavosque truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ, &c.

Tacitus libro secundo: *Tum Sentius occanere cornua tubasque & peti aggerem, erigi scalas jussit, ac promptissimum quemque succedere.*

Lituus instrumentum quale.

Ad lituos, quibus sacrificiorum administri utebantur, quod attinet, eorum Plutarchus hanc descriptionem prodidit: Ἐστὶ, inquit, ξύλον μανλικὸν ἐπικαμπὲς ἐκ θατέρου πέρατος καμπύλη ῥάβδος· *Baculus est incurvus, quo sedentes Augures avibus templa designabant.* Gellius libro quinto capite octavo: *Lituus est virga brevis, in parte, qua robustior est, incurva.* Primus litui usus à Romulo manasse creditur, qui, dum urbem conderet, hujusmodi baculo regiones direxit: quod & ipsum asserit Cicero libro primo *de Divinatione*: *Quid*, inquit, *lituus iste vester, (quod clarissimum est insigne Auguratus) unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum, cum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus*, id est, incurvum & leviter à summo inflexum bacillum (quod ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit) *cum situs esset in Curia Saliorum, quæ est in palatio, eaque deflagrasset, inventus est integer.* Eadem fere de hoc lituo scribit Plutarchus in vita Romuli: *Lituus*, inquit, *consecratus est in Palatino colle usque ad Gallorum tempora, à quibus capta urbs incensa fuit. Sed postea expulsis à Camillo hostibus inter altissimas favillas illæsus, quum ignis omnia consumpsisset, inventus est.* Festus de lituo inter alia sic scribit: *Lituus est buccinæ genus incurvum, gracilem edens vocem, quo in bello utebantur*: *quo qui canebat*, Liticen *dicebatur*. Virgilius libro sexto *Æneidos*:

Et

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

Lucanus libro primo:

- - - *Stridor lituûm clangorque tubarum.*

Ovidius tertio *Fastorum*:

Jam lituus pugnæ signa daturus erat.

Statius sexto *Thebaidos*:

Et lituis aures circumpulsantur acutis.

Sed & *Camillos* & *Camillas* Antiqui vocabant ministros & ministras, sacris inservientes. Unde Mercurius Hetruscâ linguâ *Camillus* quasi Deorum minister dictus est. Romulus enim instituerat, ut qui sine liberis essent, gratissimos sibi, singulos pueros & puellas ex singulis curiis eligerent: qui ad pubertatem usque sacris ministrarent; puellæ autem quoad essent nubiles, more ex Græcia translato: coronis autem interdum sacrificarent, vel vittis essent redimiti, Camillique hujusmodi pueri vocarentur. Cujus rei authores sunt Dionysius Halicarnasseus libro secundo, Sextus Pompejus & alii. Hujusmodi Camilli picturam videre licet in eadem Columna Trajani, qui vittâ tempora redimitus Pontifici Maximo in sacrificiis adfuit ministrans, urceolum habens in dextra, ex quo vinum vel liquorem quempiam in pateram Trajani Imperatoris sacrificantis infundit. Sic in alio ejusdem Columnæ Trajani sacrificio, Trajano sacrificanti adstant Camilli. Camilli & Camillæ

Quoad popas; illi quidem sacrorum ministri erant, ut in Trajani Columna videre licet, seminudi & succincti, lauroque redimiti, victimas qui venales habebant, easque aris alligabant & cultro feriebant; unde & *cultrarii* dicti. Propertius libro quarto: Popæ.

Succinctique calent ad nova sacra popæ.

Spartianus in vita Getæ: *Percussit hostiam popa, nomine Antonius.* Suetonius in vita Caligulæ: *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato alte malleo cultrarium mactavit.* Hi autem victimas confecturi utebantur certo vestis genere, quæ *Limus* fuit dicta. Erat vero *Limus* vestis genus ab umbilico ad medias usque tibias descendens, ad illorum pudenda tegendum, habens in extremo sui purpureum limum, id est, flexuosum: unde & nomen accepit. Nam *Limum* obliquum dicimus. Hujus vestis meminit Virgilius duodecimo *Æneidos*:

Velati limo & verbena tempora vincti.

In alterius porro sacrificii simulacro, quod est in Trajani columna, Popa dextrâ tenet cornua tauri mactandi, sinistrâ securim, qua hostiam feriat. In alio item ejusdem columnæ sacrificio taurum, in victimam mactandum, popa succinctus & lauro coronatus deducit, clavam longo manubrio gestans, qua taurum conficiat.

Victimarii sacerdotum ministri erant, qui victimas adducebant & ligabant, quique cultrum, item aquam, molam & reliqua, quæ sacris erant necessaria parabant. Valerius Maximus libro I. cap. primo: *Libros Petilius Prætor urbanus ex autoritate Senatus, per victimarios facto igne, in conspectu populi cremavit.* Livius libro decimo de bello Macedonico: *Libri in Comitio, igne à victimariis facto in conspectu populi cremati sunt.* Victimariorum hujusmodi pictura in eadem Trajani Columna exstat: ubi verrem unus, & alter arietem ad sacrificium deducentes pinguntur. Solebat autem Victimarius paratus esse succinctus. Unde Ovidius: Victimarii.

Nominis esse potest succinctus caussa minister
Hostia cœlitibus quo feriente cadit.

Adde his *Præcones*, qui præter alia munera & officia silentium in celebratione sacrificiorum imponebant: & *Lictores*, quos constat non tantum Consulum, Proconsulum & similium ministros fuisse, sed etiam Pontificum Maximorum, & eorum qui sacra facere & sacrificia fuerunt soliti. Hinc enim Festus: *Exesto, extra esto: sic enim Lictor in quibusdam sacris clamitabat*: HOSTIS, VINCTVS, MVLIER, VIRGO *exesto, scilicet interesse prohibebantur.* Et hæc quidem etiam de ministris sacrorum & sacrificiorum. Præcones. Lictores.

HIS POSTREMO subjungam sacerdotum Gentilium, tum eorum qui sacris præsunt, tum ministrantium, & idolorum simulachrorumque, quorum sacerdotes præcipui fuerunt cultores quasique mancipia, comparationem quandam, quæ ad clariorem utrorumque explicationem pertinebit. Nam revera secundum illam Davidis, seu ipsius potius Spiritus sancti diram imprecationem: Ut qui ea (idola) colunt, ipsis fiant similes, non modo vulgus & rudis imperitaque multitudo, verum etiam ipsi inprimis sacerdotes, idololatriæ coryphæi atque duces, magnam licet sapientiæ, pietatisque speciem præ se ferant: tamen illis ipsis idolis & simulacris suis, quorum cultui præcipue addicti erant & mancipati: & unde etiam maximum uberrimumque quæstum capiebant, facti fuerunt simillimi, idque justo Dei judicio; ut David cecinit. Inde apud Zachariam Prophetam capite undecimo pastor, id est, sacerdos falsus & fucatus אליל *Ælil*, hoc est, *idolum* sive *simulacrum* appellatur, ob magnam nimirum idoli sive simulacri & sacerdotis idololatrici cognationem & affinitatem. אליל *Ælil* autem, *idolum*, Hebræis dictum à vanitate sive stultitia: quod idolum res sit vanissima & stultissima. Unde ii, qui ea colunt, summæ merito vanitatis stultitiæque nomine sint accusandi. Comparatio idolorum cum Gentilium sacerdotibus. Non Dii idola sunt: ita nec sacerdotes divini speciem habent.

Videtur etiam hoc nomine אליל *Ælil*, id est, *idoli*, ad nomen אל *El*, & אלהים *Ælohim*, quæ nomina sunt veri Dei, alludi, ut hac paranomasia sive agnominatione significetur, idolum habere quidem Numinis divi-

divini ſpeciem & ſimilitudinem quandam, ſed divinitatis nihil: ut dicatur אליל *Ælil*, quaſi לא אל *lo El*, *non Deus*: cui affinis videtur vox noſtra vernacula Götz / id eſt, *idolum*, à Gott / id eſt, *Deo*, derivata, quaſi dicas *non Deus*, *ſed Deaſter*.

Ut idola capita habent rationis vacua: ita ſacerdotes.

Primum igitur, ut ad hanc noſtram comparationem veniamus, & ab ipſo capite capiamus exordium, quemadmodum Gentilium idola atque ſimulacra habuerunt quidem ſua capita cum humana, tum etiam belluina, & eorum quædam non unum tantum, ſed etiam bina, trina, quaterna, vel etiam plura; quæ tamen omnis ſenſus, motus rationiſque fuerunt expertia: ſic illorum quoque ſacerdotes habuerunt capita, vera quidem, ſed ſenſu, ratione, atque intelligentia vacua, quippe opinionum, errorum, deliriorumque pleniſſima. Fuerunt igitur illi Gentilium ſacerdotes, quod de vulgo dici ſolet vere, quaſi belluæ πολυκέφαλοι, id eſt, *multorum capitum*, ita ut quot illorum fuerint capita, tot fuerint ſenſus, ſententiæ, opiniones, erroreſque abſurdiſſimi & ab omni non ſolum divina, ſed etiam humana ratione alieniſſimi.

Ut idolorum capita vel aperta vel operta fuerunt: ita ſacerdotum.

Deinde ut idolorum ſimulacrorumque Gentilium capita partim fuerunt nuda & aperta, partim tecta & operta variis integumentis, & ſertis quoque atque coronis omnis generis ornata atque redimita: ſic ſacerdotum quoque capita plerunque, in ſacrorum præſertim adminiſtratione operta fuerunt atque tecta & ſertis atque coronis ornata.

Ut idolorum capita vel raſa, vel comata fuerunt: ita ſacerdotum.

Item ut idolorum ſimulacrorumque illorum capita alia fuerunt raſa; alia capillata, atque comata; ſic ſacerdotum quoque alii ſuperſtitione fuerunt capite raſo, alii capite comato.

Ut idola, oculata quidem, cæca tamen fuerunt: ita ſacerdotes.

Præterea quemadmodum Gentilium idola atque ſimulacra habuerunt ſuos oculos (tametſi Jovis ſimulacrum apud Cretenſes, Plutarcho teſte, & oculis & auribus caruit: & ſimiliter Fortunæ, Pluti, atque Favoris idola fuerunt cæca) & quædam eorum non binis tantum, ſed etiam trinis (ut Jovis ſtatua apud Argivos) & quaternis, (ut Saturni ſtatua) atque etiam pluribus oculis fuerunt prædita: & horum alii fuerunt torvi, triſtes, truces atque minaces, alii amabiles, hilares atque ſereni; cum tamen, ut David cecinit, cæca fuerint omnique videndi facultate deſtituta: ſic ſacerdotes quoque Gentilium idololatræ, etſi in rebus terrenis & humanis, ad idololatriam & ſuperſtitionem pertinentibus, oculati valde fuerunt atque perſpicaces: tamen in rebus divinis atque cœleſtibus, ad religionem veram vitamque æternam pertinentibus vel ipſis noctuis atque talpis cæciores fuerunt.

Ut idola, aurita quidem, ſurda tamen fuerunt: ita ſacerdotes.

Item ſicuti Gentilium idola atque ſimulacra pictas quidem fictaſque ſuas habuerunt aures; nec binas tantum, ſed etiam quædam eorum quaternas, ut Jovis & Apollinis ſimulacrum apud Spartanos (tametſi Jovis ſimulacrum apud Cretenſes auribus caruit) cum tamen ſurda plane omnique audiendi ſenſu fuerint deſtituta: ita ſacerdotum quoque Gentilium aures auritæ quidem, ut ita loquar, & attentæ fuerunt ad idololatriam atque ſuperſtitionem, ad ea, quæ ad ipſorum ſpectabant lucrum atque quæſtum: ſed quantum ad res divinas & cœleſtes & ad veritatem attinet, ſurditate, ut ita loquar, ipſa ſurdiores & obtuſiores exſtiterunt.

Ut idola nares quidem habuerunt, at non odorandi ſenſum: ita ſacerdotes.

Præterea quemadmodum Gentilium idola atque ſimulacra pictos quidem fictoſque habuerunt naſos atque nares, quibus etiam odores, ſuffitus atque nidores bene & male olentes fuerunt accenſi, cum tamen nullum penitus habuerint olfaciendi odorandive ſenſum: ſic eorundem ſacerdotes idololatrici naſutiſſimi quidem & ſagaciſſimi fuerunt in iis omnibus, quæ ad idololatriam atque ſuperſtitionem, & ad ipſorum commoda atque emolumenta ſpectabant: at vero ea, quæ pietatem religionemque veram redolebant, nequaquam odorari atque ſentire potuerunt: quin immo illis odoris inſtar fuerunt tetri atque mortiferi.

Ut idola ora habuerunt, at muta: ita ſacerdotes.

Item non ſecus atque Gentilium idola, atque ſimulacra ſua quidem habuerunt ora, labia, linguas, dentes, palatum & alia loquendi inſtrumenta; cum tamen ne mutire, ac nullum vel minimum ſonum aut voculam edere potuerint, muta omnino fuerint atque elinguia: ſic illorum ſacerdotes ora quidem linguaſque habuerunt ad quaſvis nugas, mendacia, blaſphemias effutiendas ac blaterandas graculas valde & loquaces: at in iis, quæ ad veritatem pietatemque pertinent, muti penitus fuerunt atque elingues.

Ut idola edendi organa habuerunt: ita ſacerdotes.

Et ut Gentilium idola atque ſimulacra habuerunt quidem illa paullo ante commemorata, ut loquendi, ita edendi bibendique inſtrumenta: quibus etiam epulæ dedicatæ atque dapes opiparæ ab hominibus ſuperſtitioſis fuerunt appoſitæ: cum tamen nihil quicquam cibi potioniſque ſumere potuerint: ſic ſacerdotes illorum idololatrici guloſi quidem & ebrioſi fuerunt, dapeſque illas idolis ſuis appoſitas ſumma cum aviditate, voluptateque devorarunt: at cibos animi ſalutares omnes faſtidierunt plane & aſpernati ſunt.

Ut idola vel barbata, vel imberbia fuerunt: ita ſacerdotes.

Item ut Gentilium ſimulacra & idola, alia fuerunt barbata; alia imberbia; & alia quidem barbam habuerunt promiſſam; alia curtam: ſic ſacerdotum quoque ipſorum alii quidem ſuperſtitionis ergo barbam raſerunt & imberbes fuerunt: alii vero barbam aluerunt & fuerunt barbati.

Ut manus quidem idola habuerunt, at tangendi facultate deſtitutas: ita ſacerdotes.

Præterea ut Gentilium idola atque ſimulacra habuerunt quidem brachia atque manus, nec binas tantum, ſed etiam quaternas: (ſic enim Apollinis ſtatua apud Spartanos quattuor auribus, & totidem manibus fuit prædita) cum tamen omni tangendi vi atque facultate caruerint: ſic eorundem ſacerdotes manus quidem ad accipienda dona atque munera habuerunt ſemper apertas & porrectas: at nihil eorum, quæ ad verum Dei cultum pertinent, attingere mentis ſuæ manu atque percipere valuerunt.

Ut idola certas res manibus geſtarunt: ita ſacerdotes.

Et ut Gentilium idola atque ſimulacra pingebantur manibus illis ſuis geſtantia omnis generis res, ut animalia, plantas, veſtes, organa ac inſtrumenta, ſacra & profana, belli atque pacis, ut pateram, poculum, ſcyphum, urnam, cornucopiæ, ſpicas, poma, mala punica, flammeum, ciſtam, circulum, ſiſtrum, tympanum, lyram, pedum incurvum, virgam, baculum, falcem, faces, fulmina, clavem, parmam, clypeum, ſecurim, gladium, lanceam, haſtam, arcum, ſagittas, & alia id generis, ſicuti in antiquorum numiſ-

numismatum aversa parte videre licet: sic sacerdotes idololatrici in sacris præsertim suis obeundis baculos, virgas, scipiones, lituos & alia hujusmodi muneris sui organa atque insignia gestare fuerunt soliti. His adde Commentacula, Festo teste, quæ virgæ erant, quas Flamines portabant, pergentes ad sacrificium, ut à se homines amoverent.

Ut porro Gentilium idola & simulacra habuerunt quidem suos pedes, eosque vel nudos vel calceatos, ocreis item vel soccis nonnunquam indutos, quibus etiam certas quasdam res calcabant, cum tamen ne latum quidem unguem ingredi atque incedere possent essentque plane immota: sic sacerdotum illorum pedes agiles quidem erant atque celeres ad quasvis superstitiones exercendas, & ad quævis scelera atque flagitia perpetranda: at ad opera bona, sancta & pia peragendum claudi erant, manci atque mutili.

Ut idola quidem pedes habuerunt, at immota erant: ita sacerdotes.

Et ut Gentilium idola atque simulacra fingebantur modo stantia, modo sedentia, ac insidentia solio, curribus, equis, leonibus, aquilis & aliis animantibus; modo currentia; modo saltantia; modo natantia; modo volantia: sic sacerdotum ipsorum, in sacris præsertim suis obeundis & procurandis varii, multiplices, & quidem ridiculi erant gestus, seu potius gesticulationes.

Ut idola modo stabant, modo sedebant & vehebantur: ita sacerdotes.

Præterea ut Gentilium simulacra & idola alia fuerunt nuda, eaque vel toto corpore, vel certis ejus partibus; alia fuerunt vestita, qui similiter vestitus vel fuit splendidus & nitidus, vel horridus, squallidus & incultus; vel muliebris, vel virilis, vel virginalis, vel conjugalis: sic sacerdotes quoque ipsorum, in sacris præsertim, aliquando nudi erant, vel toto corpore, vel certis corporis membris; sed plerunque habitu cultuque corporis utebantur vario, multiplici & monstroso nonnunquam atque ridiculo.

Ut idola erant nuda: ita sacerdotes.

Item ut Gentium idola atque simulacra & secundum sexum erant vel virilia, vel muliebria, vel virginalia, vel maritalia: & secundum ætatem aliâ formâ atque specie erant, vel puerili vel juvenili, vel virili, vel servili, vel etiam decrepita: ita illorum quoque sacerdotes superstitionis ergô & secundum sexum oportebat esse vel viros, vel mulieres, vel virgines, vel conjugatos, & secundum ætatem vel juvenes, vel senes: unde, ut supra dixi, & sexus & ætatis certa habebatur ratio.

Ut idola secundum sexum & ætatem distincta: ita sacerdotes.

His adde, quod ut Gentilium idola atque simulacra certis precibus, unguentis aliisque cerimoniis inuncta, & initiata fuerunt atque consecrata: sic iisdem fere modis illorum quoque sacerdotes initiari, consecrari & inaugurari solebant.

Ut idola initiata certis cerimoniis: ita sacerdotes.

Postremo ut Gentilium idola atque simulacra maximo fuerunt in pretio & honore: immo sacrosancta inviolataque habita, multis modis atque cerimoniis, ut vestibus, cereis, luminibus, odoribus, sacrificiis, osculis, amplexibus, votis, precibus, festis, circumgestationibus, peregrinationibus & aliis fuerunt culta: sic sacerdotum quoque ipsorum magna fuit dignitas, authoritas, potestas, magnisque atque adeo fere divinis honoribus fuerunt affecti.

Ut idola in honore fuerunt maximo: ita sacerdotes.

Sed ut idolorum simulacrorumque Gentilium; sic sacerdotum quoque ipsorum tandem tristes funestique fuerunt, justo Dei judicio, exitus atque interitus.

Ut idolorum tristes fuerunt exitus: ita sacerdotum.

Et hæc de idolorum atque sacerdotum cognatione atque collatione, uti etiam de primo eorum, qui sacris & sacrificiis Gentilium interfuerunt, genere in universum, nempe hominibus, qui fuerunt vel præsides, vel administri sacrorum & sacrificiorum.

Sequitur nunc alterum genus personarum illarum. Eæ sunt Dii sive Deæ, quibus sacrificia facta sunt, quosque vel quas adesse sive interesse crediderunt: ut hoc loco Minerva, cui hæc sacra facta sunt, dicitur illis obviam esse facta, sacrisque interfuisse,

Dii ac Deæ quoque olim sacris & sacrificiis interfuerunt.

- - - Ἦλθε δ' Ἀθήνη

Ἱρῶν ἀντήσουσα, &c. *Pallas venit obvia sacris.*

In hæc verba sic egregie commentatur Eustathius ex Athenæo libro 8. *Antiqui*, inquit, *quo hominum cupiditatem, quam animadvertebant incitatam atque præcipitem ferri ad voluptates, facilius coërcere ac refrænare possent, certa tempora festa, & sacrificia ante epulas instituerunt, ipsosque Deos* ἀνθρωποειδεῖς, id est, *humana specie atque forma præditos ad primitias atque libamina venire finxerunt, quo nimirum homines illorum præsentia moti tanto magis sibi ab intemperantia atque lascivia temperarent,* εὐτάκτως, κοσμίως καὶ σωφρόνως, id est, *magna cum modestia, verecundia atque sobrietate illas sacrorum atque conviviorum festivitates obirent. Nam si vel in hominis alicujus senis atque honesti præsentia illos pudet inhonesti quippiam dicere aut facere, (secundum illud Epicharmi:* ἀλλὰ καὶ σιγῆν ἀγαθὸν, ὅκκα παρέοντι κ' ἄρρενες, id est, *Sed & silere bonum est, si meliores adsint.) Multo majoris momenti ipsam Deorum præsentiam existimabant.* Hæc Eustathius.

Minerva.

Extant deinde præsentiæ hujusce Deorum vel Dearum apud Homerum nonnulla alia exempla: ut de eadem Minerva & Neptuno: Ὀδ. α.

- - - - ἦλθε δ' Ἀθήνη

Ἱρῶν ἀντήσουσα καὶ ὁ Ποσειδῶν, id est,

Pallas venit obvia sacris,

Et Neptunus, &c.

Et alio in loco Ιλ. α.

Neptunus.

Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας

Ἀντιόων ταύρων τε, καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβας.

Æthiopas ad longinquos venit, affuit ille

Juppiter.

Mactatis agnis ac tauris forte sacratis.

- - - καὶ ὁ Ζεὺς
χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο·

Et Juppiter
Ivit ad hesterna convivia lauta, secuti
Pone Dei simul omnes.

Antiquitus itaque cum putarent Deos sibi esse præsentes, festivitates suas decore & temperanter celebrabant: unde neque decumbere apud antiquos moris fuit, sed sedentes epulabantur, neque ad ebrietatem, sed quantum sat erat bibentes, libatione peracta, domum se recipiebant. At vero qui nunc se Diis sacrificare simulant, vocatis ad sacrificium amicis & familiarissimis, postea (ubi nimirum sese immoderato vini potu ingurgitarint) & liberos suos exsecrantur, & uxores conviciis atque maledictis proscindunt, & servos atque familiares verberibus cædunt, & denique obviis quibusvis dira quævis comminantur; tantum non Homericum illud usurpantes Ιλιαδ. β. ι.

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα,

Quod superest læti, gestis bene corpora rebus
Procurate viri & pugnam sperate parati.

Hisce ergo verbis Eustathius & Athenæus docent, epularia hæc sacrificia, antiquitus summa cum modestia, verecundia atque temperantia celebrari solita, tandem in luxum, luxuriam atque lasciviam degenerasse. Hîc autem nostrorum festorum atque conviviorum, quæ in iis agitantur, clarissimam imaginem videre licet, in quibus homines, ut quottidiana docet experientia, exutâ fere omni humanitate, bestiarum, imo furiarum infernalium instar, non modo in alienos & extraneos, sed etiam in amicos, familiares & domesticos suos: atque adeo in fidissimas suas tori consortes, in charissima sua pignora atque viscera & verbis & factis immanissime sæviunt. Verum ut ad propositum redeam, quemadmodum Ethnici finxerunt falsos illos Deos suis sacrificiis præsentes esse: ita Deus Opt. Max. suam sæpe præsentiam in populi sui sacrificiis manifestis signis declaravit. Atque hæc quidem satis sint dicta de personis.

De forma, modo & ordine sacrificiorum.

SVPEREST ultimum & fere præcipuum Caput, in sacris sacrificiisque considerandum, ipsa nimirum forma, modus, ordo, & quasi processus ac methodus sacrificiorum: quæ licet multiplex fuerit atque varia apud alios atque alios populos, & aliis atque aliis temporibus: tamen hæc, quam hîc & aliis in locis Homerus proponit, maxime communis, trita & usitata fuit sacrificiorum ratio: cui respondet illa apud Apollonium sacrificii Argonautici descriptio.

Προτέλεια hîc consideranda primum, id est, præludia.

Porro in utriusque sacrificii descriptione ipsa primum παρασκευὴ ἡ παρασκευὴ θυτική, ut ab Eustathio quodam in loco appellatur, hoc est, *præparatio sacrificialis*, occurrit, nempe & hostiarum, & personarum, & aliarum rerum, quæ in sacrificiis adhiberi fuerunt solitæ. Hæc vero omnia, quæ sacrificiis præmittebant, eorumque erant quasi primordia sive præludia, προτέλεια uno nomine & προθύματα Græce fuerunt appellata. Qua igitur serie atque ordine singula in utroque sacrificio narrantur, eodem, ut adhuc fecimus, singula persequemur. Nam qui duorum istorum sacrificiorum specialium; idem cunctorum fere aliorum sacrificiorum ordo fuit, ritus atque modus.

Electio hostiarum.

Primum omnium apud Apollonium electionis victimarum mentio fit luculenta his verbis: quibus Jason pastores suos affatus iis mandat, ut boves ex grege selectos adducant:

- - - - ὄφρα δ' ἰόντων
Δμῶες ἐμοὶ σταθμῶν σημάντορες, οἷσι μέμηλεν
Δεῦρο βόας ἀγέληθεν ἐϋκρίναντες ἐλάσσαι·

- - - *Vt autem eant*
Mei famuli, stabulorum custodes, quibus curæ erit
Ut boves huc ex grege electos adducant.

Ἐυκρίνειν, eligere.

Vbi verbo ἐϋκρίνειν utitur, quod valde est emphaticum, quo delectus hostiarum diligens exprimitur: non ait, ἐκκρίναντας, sed ἐϋκρίναντας, quod est ἐμφατικώτερον, & significat, hostias illas non temere, sed bene, magnaque cum ratione atque judicio ex toto illo pecorum grege, tanquam egregias, eximias, ad sacrificia aptas Deoque gratas & decoras à bubulcis fuisse selectas & segregatas. Hoc enim sibi vult verbum ἐϋκρίνειν, quod non simpliciter *secernere*, *excernere*, *seligere*, sed *bene secernere* & *seligere* significat: ut Οδυσ. ξ. τὸ ἄριστον ἐπικρίνας ἀποπέμπω.

Ἔκκριτος electus.

Ab ἐκκρίνειν fit ἔκκριτος, *delectus*, qui exemptus est è numero, *eximius*, *egregius*, ut ἔκκριτοι δικασταὶ apud Platonem *de Legib.* Summa igitur cura, ratio, atque judicium in deligendis ad sacrificia bestiis adhibebantur, ut nimirum illæ essent integræ, sinceræ, puræ, omni carentes labe atque macula, non mancæ, mutilæ, claudæ, cæcæ, morbidæ, macilentæ, aut insigni aliquo vitio laborantes. Hinc Seneca, *Sacerdos*, inquit, *non integri corporis quasi mali ominis res vitanda est. Hoc in victimis notatur, quanto magis in sacerdotibus?*

Electio illa quomodo considerata.

Deinde speciatim singulis Diis certæ peculiaresque offerri fuerunt solitæ bestiæ, habita ratione generis, ætatis, sexus, numeri, coloris. Quod ad genus attinet, omnis generis, cum aëreas sive cœlestes, ut gallos gallinaceos, anseres & similes: tum terrestres, ut oves, sues, capras, boves & alias: tum aquatiles: tum ancipites; tum etiam insectas legimus Ethnicos falsis illis suis Diis obtulisse: licet quasdam gentes à be-

à bestiarum vel occisione & immolatione, vel etiam manducatione; idque vel omnino omnium, vel etiam nonnullarum abhorruisse legamus.

Sic Ætatis quoque habebatur ratio: ut hanc Minervæ hostiam hîc legimus fuisse ἦνιν, *juvencam*, id est, ἐνιαυσιαῖον, sive ἑνὸς μόνον ἔτους, Eustathio interprete, id est, *unius tantum anni.*

Adhæc Sexus quoque observatus fuit. Nam, ut supra ex Cicerone dictum est, aliis Diis maribus, aliis fœminis sacrificabatur victimis. Sic hostia hæc Minervæ fœminei fuit generis: sicut Agamemnon contra Jovi βοῦν ἄρσενα, id est, *bovem masculum* immolavit. *Iliados* A & B.

Ita Numeri habita fuit ratio. Nam vel una, vel duæ, vel tres pluresve hostiæ uni Deo immolabantur: ut hîc Minervæ tantum una offertur bestia à Nestore loco ante citato: & Argonautæ duos tauros Neptuno immolasse leguntur. Fuerunt quoque apud Veteres, ut Eustathius docet, Hecatombæ & Chiliombæ, cum centum, vel etiam mille animalia immolarentur: in epiniciis maxime usitatæ. Hujusmodi Hecatomba fuit illa, quam Agamemnon *Iliad.* α. & Achinus *Odyss.* υ. Apollini, quæ κλυτὴ sive ἱερὰ, id est, *inclyta* & *sacra* dicitur, obtulerunt. Huc facit, quòd superis impari: inferis autem pari numero sacrificandum erat. Denique quoad colorem, capram albam quidam Pani Lycæo volunt in Lupercalibus offerri fuisse solitam: nonnulli hircum; ex cujus corio Luperci sacerdotes coria conficiebant, nudique per urbem fœminas feriebant. Sic taurum sive juvencum candidum Jovi Capitolino offerebant triumphantes: contra alii taurum nigrum Neptuno. Idem judicium esto de aliis, de quibus supra dictum est. Unde Cicero *de Legibus*: *Quæ quoique Divo decoræ grataque sint hostiæ providento.* Et paullo post in legis hujus explicatione: *Illud ex instituto Pontificum & haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique Deo, cui majoribus, cui lactentibus, cui maribus, cui fœminis.*

Atque hujusmodi quidem hostiæ ex reliquo grege eximi atque eligi solitæ, quæ cuique Deo aptæ essent & decoræ. *Eximiæ* fuerunt dictæ & *Egregiæ*. *Egregiæ*, inquit Festus, *id est, è grege electæ.* Unde Apollonius: Ab electione illa hostiæ dictæ egregiæ & eximiæ.

- - - ἀγέληθεν εὐκρίναντες,

id est, *è grege bene eligentes.* Et *Eximium*, ut idem Festus ait, inde dictum, quod in sacrificiis optimum pecus *eximebatur*, vel quod primum erat natum.

Ut autem hostias seligendi, ita electas ad templa atque aras, sive focos, ubi mactandæ & immolandæ erant, agendi, ducendi, seu adducendi, diligens apud Gentiles habita fuit ratio, ut ex duobus his locis & multis aliis facile potest colligi. Apud Homerum quidem Nestor dans singulis filiis suis certa mandata ad rem divinam, quam parabant, pertinentia, ait: Adductio hostiarum ad aras.

Ἀλλ' ὁ μὲν πεδίον δ' ἐπὶ βοῦν ἴτω, ὄφρα τάχιστα
Ἔλθησιν, ἐλάσῃ δὲ βοῶν ἐπιβουκόλος ἀνήρ.

Sed alius quidem rus caussâ bovis eat, ut celerrime veniat (cum tantum ut est in proverbio, Bos lente procedat) *adducat autem eum bubulcus vir.*

Et paulo post: - - - ἦλθε μὲν ἂρ βοῦς
Ἐκ πεδίου.

Venit quidem bos ex agro, &c.

ac postea duo Nestoris filii, Stratius & Echephron bovem cornibus adducunt, scilicet ad aram. Sic enim Homerus:

Βοῦν δ' ἀγέτην κεράων Στράτιος καὶ Δῖος Ἐχέφρων.

Bovem adducebant cornibus Stratius & divus Echephron.

Moris enim fuit, ut Lucianus inquit *de sacrificiis*, victimam ad aram adducere, ut eam in oculis Dei jugularent. Hujus ritus meminit etiam alibi Homerus, ut Ιλ. α.

---- τοὶ δ' (ἀχαιοὶ) ὦκα θεῷ (Ἀπόλλωνι) κλειτὴν ἑκατόμβην
Ἑξείης ἔστησαν ἐΰδμητον (εὐδόμητον sive εὐκλίμενον) περὶ βωμόν.

Apud Apollonium similiter, Bubulci duos illos boves, quos Argonautæ Apollini immolarunt ex grege in urbem adduxisse dicuntur; id quod ex his verbis colligitur:

Τοίως δ' αὖτ' ἀγέληθεν ἐπὶ προέηκαν ἄγοντες
Βουκόλοι αἰσονίδαο δύω βόε. τοὺς δ' ἐρύσαντο
Κουρότεροι ἑτάρων βωμοῦ σχεδόν.

Tunc postquan ex grege præmiserunt adducentes Bubulci Æsonidis duos boves: illos vero admoverunt juniores ex sociis aræ, &c.

Ut igitur apud Homerum, sic apud Apollonium bubulci ex agro quidem boves adduxerunt: sed apud Homerum duo Nestoris filii: apud Apollonium autem Argonauticæ navigationis socii, qui inter illos erant juniores, eosdem boves ad aram adduxerunt: non autem bubulci. Scholiastes in hunc locum κουρότεροι, inquit, τὴν θυσίαν ἐπιτελοῦσι, *juniores hoc sacrificium peragunt, propterea quod Deus Apollo semper fingatur esse juvenis.* Adductio hostiarum facta certis cerimoniis.

Ac omnino non sine singulari cerimonia atque religione hostias ad altaria, non tanquam ad asylum, sed ad præsentissimam mortem agi atque duci fuisse solitum, cum ex his ipsis locis, tum ex plurimis aliis litterarum monumentis patet. Verba quibus Homerus & Apollonius hunc ipsum actum exprimunt, sunt ἄγειν, ἐλᾶν Ἄγειν, &c. agere, vel adducere.

 sive

ſive ἐλαύνειν & ἡγεῖσθαι: quæ *agere*, *ducere*, *adducere*, *admovere* ſignificant. Apud Latinos duo ſunt verba maxime communia, quibus actus hic deſignatur, nempe *Ducere & Agere*. Priori uſus eſt Virgilius hoc verſu:

- - - - hanc etiam vix Tityre duco.

Ἀγέλη, grex pecorum.

Poſterius à Græco ἄγειν deductum, cum in re paſtoritia, tum in ſacris valde fuit uſitatum. Apud Græcos *Grex* pecorum ἀγέλη dictus eſt, nimirum ἀπὸ τοῦ ἄγειν, & ἐλᾶν, id eſt, *ab agendo* ſive *ducendo* & *impellendo*, propterea quod pecora ductu atque ductoribus (quod paſtorum præcipuum eſt officium) maxime indigent, ad quam etymologiam Apollonius loco ante citato videtur alluſiſſe, cum dixit, ἀγέληθεν ἄγοντες, id eſt, *ex grege agentes*, ſive *ducentes*, ſcilicet bubulci. *Agere* porro, inquit Feſtus, *modo ſignificat ante ſe pellere, id eſt, minare* (unde ſine dubio verbum Gallicum *mener*, id eſt, *ducere.*) Virgilius:

Agere & Minare idem.

Et potum paſtas age Tityre, &c.

Agolum. Agonium. Agonalia

Et Varro: *Agitur pecus paſtum, qua viâ agi poteſt.* Hinc *Agolum* paſtorale baculum (quod etiam *pedum* appellant) quo pecudes aguntur, ut Feſtus teſtatur. *Agonium*, ut idem ait, dies appellabatur, quo Rex hoſtiam immolabat, quam hoſtiam Antiqui *Agoniam* vocabant. Hinc *Agonalia* feſtivitas, de qua Feſtus, & dies *Agonalis*, de quo Ovidius:

Pars, quia non veniant pecudes, ſed agantur, ab actu,
Nomen Agonalem credit habere diem.

Agone. Agonia.

Et Varro dies *Agonales* vult dictos, per quos Rex in regia arietem immolabat dictos ab Agone: eo quod interrogabatur à principe civitatis, & princeps gregis immolabatur. Sed de hac voce interrogationis *Agone*, formulaque dicendi, *Hoc age*, qua ſilentium & attentio imperabatur, poſtea pluribus. Adde & *Agonias* hoſtias ab *agendo* dictas.

Adductionem hoſtiarum certo ritu factam docent Cicero, Plinius.

Porro beſtiæ & à certis perſonis ad id delectis, & cum pompa quadam ad aram uſque duci conſueverunt, quod ex duobus his locis facile eſt conjicere. Cicero *de Divinatione*: *Cum Cenſor populum luſtraret, bonis ominibus, qui hoſtias ducerent, eligebantur.* Plinius, libro vigeſimo octavo, capite ſecundo: *Cur publicis luſtris etiam nomina victimas ducentium proſpera eligimus?* Communi aliâs more & conſuetudine hoſtiæ à popis & victimariis, à quibus deinde jugulari, atque mactari conſueverant, ad aras adducebantur. Præcedebant etiam nonnunquam, præſertim in majoribus ſacrificiis, ut Hecatombis, tubicines, tibicines, & liticines, vel tubis, vel tibiis vel lituis canentes.

Probatio hoſtiarum.

Etſi vero illi, qui hoſtias ad ſacrificia præbebant, omnem dabant operam, ut illæ eſſent puræ, integræ ac perfectæ, & ſacrificiis aptæ, ſummamque in illarum delectu cautionem adhibebant: tamen ſacerdotes quoque, & illorum miniſtri, ut popæ & victimarii eaſdem à planta pedis uſque ad caput diligentiſſime explorabant, nunquid illis ineſſet vitii, ita ut nullum vel minimum vitium in iis latere poſſet, quo nimirum illi, qui hoſtias illas ad ſacrificandum præbuerant, extra omnem eſſent culpam. Nam ut apud Hebræos, ſic apud Ethnicos nefas ducebatur, beſtiam aliquam mutilam, mancam, claudam, morbidam, aliqua labe vitiove infectam immolare. Itaque niſi puræ integræque fuiſſent & lectæ ad rem divinam, minus proficere putabant. Eligebantur ergo hoſtiæ, & ex grege ſecernebantur, quæ ideo & *lecta* & *eximia* dicebantur: unde *Legere* verbum proprium eſt ſacrorum. Servius lib. 4. *Æneid.* in illa verba,

- - - - Mactant lectas de more bidentes,

notat vocari *Lectas*. Moris enim fuerat, ut ad ſacrificia eligerentur oves, quibus nihil deeſſet: ut in ſexto *Æneidos*:

Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencas.

Veracius in *Pontificalibus quæſtionibus* docet, *eximias* dictas hoſtias, quæ ad ſacrificium deſtinatæ eximerentur e grege: vel quod eximiâ ſpecie quaſi offerendæ Numinibus eligantur. Hinc Virgilius:

Quatuor eximios præſtanti corpore tauros:

ubi quod eximantur, *eximios*; quod eligantur, *præſtanti corpore* monſtravit. Et tamen Tertullianus in *Apologetico* cap. 14. Ethnicis ſui temporis objicit, quod ſuis Diis tabidoſa & ſcabioſa quæque mactarent. Et cap. 30. *Cum hoſtiæ probantur penes vos à vitioſiſſimis ſacerdotibus, cur præcordia potius victimarum quam ipſorum ſacrificorum examinantur.* Lucianus quoque *de ſacrificiis*: *jam vero*, inquit, *cum immolant*, *primum ſertis coronant pecudem*, *multoque ante explorant*, *num legitima ſit & idonea ſacris*, *ne quid forte mactent ex his*, *quæ religio repudiat*: quæ quidem exploratio variis modis fiebat. Nam Græci tauros farinâ, capros cineribus, capras aquâ frigidâ explorabant, teſte Peucero. Plutarchus de eodem delectu ſic ſcribit, Δεῖ γὰρ τὸ θύσιμον τῷ σώματι, καὶ τῇ ψυχῇ καθαρὸν εἶναι, καὶ ἀσινὲς, καὶ ἀδιάφθορον, id eſt, *Victimam enim ſacris aptam oportet & animo & corpore puram*, *integram*, *incontaminatam eſſe.*

Adductæ hoſtiæ vel ligatæ vel ſolutæ.

Adducebant deinde victimas ad aram nonnunquam ligatas: nonnunquam ſolutas. Hinc Servius in illa Virgilii *Æneidos* tertio:

Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum;

notat hoſtias minores ante aras nullo vinculo ligatas ſiſti ſolitas eſſe, cum in ſacris nihil vinctum eſſe deberet. Verum contra Juvenalis ita ſcribit:

Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem,
Tarpejo ſervata Jovi, frontemque coruſcat:
Quippe ferox vitulus templis maturus & aræ

Spar-

Spargendusque mero, &c.

Ex quo loco constat, victimas solitas fuisse funibus duci, quæ si gestaretur humeris, non litabant. Idem observavit Plinius lib. 8. cap. 46. scribens, vitulos ad aram humeris hominis allatos non fere litare: sicut nec claudicantem: nec aliena hostia Deos placari. Unde mali ominis ipsis erat, si victima non sponte sequeretur, sed vi trahenda esset, vel si ex ducentium manu sese proripuisset, vel profugisset: quemadmodum etiam si percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis quam par erat, concidisset: quippe piacularia inde faciebant auspicia, quæ, ut inquit Festus, sacrificantibus hostia prætendebat.

Isidorus quoque *victimam* vocatam testatur, quod vincta ad operas ducebatur: sed hoc alii ad ferociam victimæ, dum duceretur: alii ad tempus ante sacrificium referunt, quo ligatæ fuerunt. Scribit enim Servius in ratione sacrorum, quod par est & animæ & corporis caussa. Nam plerunque quæ non possunt circa animam, fiunt circa corpus, ut est ligare & solvere: cum non possit anima per se, ex cognatione potest. Festus similiter vult dictam, quod vincta ad altare adduceretur.

Sive autem ligatas sive solutas victimas adducerent ad aram, eas certis ritibus atque cerimoniis ornare atque coronare sunt soliti: cujus quidem ornatus, cultus, atque habitus apud Homerum fit mentio luculenta, Nestor enim inter alia mandata, quæ dedit filiis suis, accersiri jubet χρυσοχόον, *aurificem*. Inquit enim: Ornatus hostiarum.

- - - - ὄφρα βοὸς χρυσὸν κέρασιν περιχεύῃ,

id est, *Bovis cornibus ut aurum circumfundat.* Ac paulo post, *Faber ille*, quem χαλκέα vocat, *forcipe, malleo, aliisque instrumentis instructus fabrilibus* dicitur *advenisse, qui aurum, à Nestore acceptum,*

- - - βοὸς κέρασιν περίχευεν
Ἀσκήσας, ἵν' ἄγαλμα θεὰ κεχάροιτο ἰδοῦσα:

id est,

- - - *Bovis cornibus circumfudit*
Aptans, ut simulacrum Dea gauderet videns.

Ex hoc loco, ut etiam aliis, constat, hunc morem bestiarum frontem atque cornua inaurandi fuisse perantiquum: unde βοῦς χρυσοκέρως, id est, *bos inauratis cornibus* præditus sæpe ab Homero & aliis appellatur. Et hic quidem majorum hostiarum fuit ornatus, dependentibus ab utraque parte cornuum vittis sive fasciis nonnullis. Plato quoque in *Alcibiade* moris hujus mentionem facit, ubi ait Lacedæmoniorum vota precesque Diis gratiores esse, quam Græcorum βοῦς χρυσοκέρως, boves aurata cornua gerentes, & quævis illorum vel magnificentissima sacrificia. Hunc morem à Græcis ad Romanos fuisse translatum constat. Exstat Senatus consultum de ludis Apollinaribus primum faciendis, quod Macrobius primo *Saturnal.* recitat, in quo Decumviris præceptum fuit, ut Græco ritu hostiis sacrum facerent, Apollini bove aurato, & capris duabis albis auratis, Latonæ bove fœminâ auratâ. Unde Ovidius: Plato de hoc ornatu. Macrobius. Ovidius.

- - - *Indutaque cornibus auro*
Victima vota facit, &c.

Et alibi: - - - *Blando indutæ cornibus auro*
Conciderant ictæ niveâ cervice juvencæ.

Juvenalis: - - - *Frontemque coruscat*, scilicet propter cornua aurata. Juvenalis.

Ascanius apud Virgilium decimo *Æneidos:* Virgilius.

Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum
Candentem pariterque caput cum matre ferentem.

Utitur *statuendi* verbo: cui respondet illud Homericum in suilli sacrificii descriptione:

σῦν μάλα πίονα πενταέτηρον ἔστησαν ἐπ' ἐσχάρῃ.

Suem valde pinguem, quinquennem statuerunt in foco sive ante focum.

Ejusdem moris Plinius quoque meminit libro trigesimo tertio. Idem, ut hoc quoque obiter addam, libro decimo sexto, capite quadragesimo tertio, de luxuria suorum temporum disserens, *Cœpere tingi*, inquit, *animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui.* Plinius.

Minores autem bestiæ coronari fuerunt solitæ ramis illius arboris, quæ Deo illi, cui res divina fiebat, sacra erat. Erant præterea redimitæ infulis laneis, ex quibus duæ dependebant fasciæ, quas Græci ταινίας, Latini *vittas* appellant. Huc pertinet locus Luciani, quem supra citavi; *Jam vero cum immolant, primum sertis coronant*, &c. Hostiæ minores certis ramis coronatæ.

Illud quoque moris erat, ut Victimarii atque ministri omni suo studio atque operâ hostias cicurarent ac mansuefacerent, ne quid sinistri & inauspicati accideret, quo irrita possent fieri sacrificia. Idcirco etiam mansueta plerunque animalia, quæ se facile duci atque regi patiebantur, ut oves, boves, atque capræ, in sacrificiis adhibebantur. Mansuefactio hostiarum.

Moris etiam fuit, ut victima, quæ aufugerat ab altari, eo ipso in loco mactaretur, in quo retenta fuerat. Etsi vero inauspicatum censebatur, quando victima reluctabatur: sicut vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare, nec claudicantem, nec alienam hostiam Deos placare, Plinius scripsit, libro octavo capite quadragesimo quinto: tamen Julius Cæsar, ut testis est Tranquillus, spreta istâ religione, reluctante licet victima, quæ erat immolanda, feliciter cum hostibus pugnavit.

Et hæc de bestias ducendi sive ad aram adducendi, probandi, ornandi denique & coronandi ritibus atque

ceremoniis sint dicta, quæ uno quasi fasciculo complectitur illa in Columna Trajana sacrificii descriptio, quod exercitus lustrandi caussâ factum fuit, & à materia dictum *Suovetaurilia*, eo quod sue, ariete & tauro constabat. In illo taurum quidam popa succinctus & lauro coronatus deducit, ramoque constrictum regit, clavam longo manubrio gestans, qua taurus erat mactandus. Victimarii autem verrem mactandum dorsuali ornatum serico & arietem agunt. Præcedunt liticines & tibicines lituis & tibiis insonantes, laureis cuncti redimiti.

Porro adductâ ad aram hostiâ, ab Homero & Apollonio commemorantur, quæ in omnibus fere sacris fieri fuerunt solita: quæque percussionem & mactationem præcedebant. Ea erant Ablutio, sive Lavatio, Precatio, Immolatio & Libatio.

Ablutio manuum: quæ aquâ fieri solita. Hic 1. usus aquæ.

Quantum ad primum attinet, apud Homerum quidem Aretus Nestoris filius dicitur χέρνιβα, (alias χέρνιπτρον Græce, & Latine *prolubrum*) id est, ὕδωρ τῶν χειρῶν, *aquam ad lavandas manus* attulisse ἐν λέβητι, (illud est, Eustathio interprete, χερνίβιον) ἀνθεμόεντι, id est, ἀναθεματικῷ, sive ἀνθηρῷ, id est, *variegato & veluti florum coloribus picto*, aut qui sit ἀνάθημα: ac paulo post Nestor inquit,

Χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε κατήρχετο.

Hujus autem ablutionis manuum, quæ facta fuit ante sacrificium, crebra fit mentio apud Homerum & alios auctores. Ut Ιλ. α.

Χερνίψαντο δ' ἔπειτα, &c.

id est, *manus lavarunt*, sive *abluerunt* ante sacrificium. Sic enim Eustathius exponit, θύοντες χερνίπτοντο οἱ παλαιοί. Δεῖ γὰρ καθαροὺς τῶν θείων γίγνεσθαι. Eodem verbo Lysias quoque usus est, ἐχερνίψαντο, inquit, ἐκ τῆς ἱερᾶς χέρνιβος. Anonymus quidam apud Suidam inquit, χερνιπτόμενοι πρὸς αὐτοῖς τοῖς βωμοῖς ἀπέκτειναν. Hinc apud Lycophronem χερνίψοισι exponitur σφαγιάσουσι, θύσουσι: ubi à metaphora τῶν χερνίβων, quibus abluebantur & purgabantur manus, θυσίαν vocasse dicitur χέρνιβα tanquam purgatricem. Idem Homerus etiam Ιλ. Γ. in sacrificii cujusdam, quod fœderi fuerat interpositum, descriptione, meminit hujus ritus inquiens:

Ατὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν,

At super Regum manus aquas fundebant:

ubi Eustathius *Regum manibus*, inquit, *infundebant aquas*, ὡς μέλλουσι θύειν, id est, *tanquam sacrificaturis.* Ibidem Agamemnonis Regis inprimis sacrificantis fit mentio. Quoniam autem apud antiquos sacrificii ratio postulabat, ut ante sacrum sacrificaturi manus abluerent, idcirco ipsa *Delubra* nonnulli volunt à *diluendo* fuisse dicta. Pertinet huc, quod Lucianus alicubi *de sacrificiis* scribens, addit: *Quin & in frontispicio posita erat scriptura, ne quis intra vasa pura consistat, qui manibus sit impuris.* Similiter Apollonius lib. 2. de Argonautarum sacrificio hujus ablutionis mentionem facit:

- - - - οἱ δ' ἄρ' ἔπειτα

Χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε παρέσχεθον.

Ad ablutionem non quævis, sed peculiaris aqua adhibita.

Certam autem fuisse aquam, non quamvis, ad hunc usum destinatam ex illis Thucydidis verbis apparet lib. 4. ὕδωρ τε, ὃ ἦν ἄψαυστον σφίσι, πλὴν πρὸς τὰ ἱερὰ χέρνιψι χρῆσθαι, ἀνασπάσαντας ὑδρεύεσθαι, id est, *Aquam etiam, quam nefas esset ipsis tangere, nisi ad abluendas in sacrificiis manus, in alios usus haurire.* Item ex his verbis Dionysii Halicarnassei libro septimo: καὶ καθαρῷ τὰ ἱερὰ περιαγνίσαντες ὕδατι: *Et pura aqua lustrantes sacra.* His adde, quod sacerdotes, legum maxime observantes, lustrandi sui caussâ, aquam inde petebant, unde Ibis, avis quædam, bibisset; quod aquam infectam, aut insalubrem nullam avis hæc tangat, ut testatur Plutarchus *de Iside*, & in libro *de solertia animalium.* Et quia Ægyptii καθαίρειν, id est, lustrandi expiandique vim, aquæ & ignis elementis inesse putabant, idcirco ἁγνείαν, hoc est, *puritatem castitatemque* notantes, ignem & aquam pingebant; testis est Horapollon in suis *Hieroglyphicis.*

Aspersio, quæ aqua fieri solita. Hic 2. usus aquæ.

Aqua porro sacrificantes aspergi, lustrari, & purgari: non tantum manibus, sed reliquis corporis partibus solebant: quæ purgatio tamen etiam tæda & sulphure fiebat, ut audiemus. Purgabantur autem & personæ sacrificantes, & aliæ personæ atque res. Itaque nova nupta in nuptiis & facem præferebat, inquit Festus, in honorem Cereris, & aqua aspergebatur, sive ut casta puraque ad virum veniret: sive ut aquam & ignem cum viro communicaret. Sic funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua aspersi: quod purgationis genus vocabant *suffitionem.*

His adde istos Virgilii versus:

Tu genitor cape sacra manu patriosque Penates,
Me bello ex tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero, &c.

Hujus moris indicio sunt etiam hi versus Homeri Ιλ. α.

Λαοὺς δ' Ατρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν,
Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.

Populos autem Atrides lustrari jussit.
Illi autem lustrabantur & in mare sordes jaciebant.

In quæ verba Johannes Spondanus, vir eximia eruditione, sic scribit: *Novit etiam hoc illa prisca ætas,*

oblata

oblata ab impuris hominibus sacrificia minime Diis accepta esse, adeo ut non solum eorum preces à Diis non exaudirentur, sed etiam magis eorum iram in se concitarent. Fiebant ergo lustrationes variis modis: sed ea erat præcipua, qua manus lavare ad aras accessuris hominibus erat necessarium, cum aras ipsorum Deorum precantes essent apprehensuri, ut diligenter observavit Natalis Mythol. libro primo, capite decimo & decimoquarto. Itaque Asterium fulmine percussum, quod manibus impuris aram Jovis attigisset, retulit Timarchidas in libro de Coronis, cujus hæc sunt carmina ab eodem Natali recitata:

Χερσὶν ἀνίπτοισιν ῥέζων Διὸς ἥψατο βωμοῦ
Τοὔνεκα μὶν πυρόεντι πατὴρ κατέφλεξε κεραυνῷ.
Ἔξοχα γὰρ καθαρὸν χρὴ θνητὸν θεῖα σέβεσθαι.

Differebant autem lustrationes pro ratione Deorum, quibus sacrificia destinabantur. Nam qui Superis sacrificaturi erant, toti lavabantur, si fieri poterat: sin autem, saltem manus: at Inferis litaturi, tenui aquâ tantum irrorabantur. Hæc Spondanus: quibus adde λῦμα, cujus Homerus hîc meminit, *purgamentum*, sive *sordes*, dici quasi λοῦμα, ὅπερ ἐν τῷ λούεσθαι ἀπεβάλλετο, inquit Eustathius, à λούω derivans: ut λύματα proprie sint sordes, quæ ex ablutione corporum remanent. Hinc Ιλ. ξ.

- - - - λύματα πάντα καθαίρει,
Sordes omnes expiat.

Aliquando λύματα dicuntur etiam ventris purgamenta apud Suidam: item piacula, in malam videlicet partem, quales erant homines, qui pro peste expianda, aliove morbo immolabantur. Græcis quoque κάθαρμα & ἄγος dicta.

Cur autem in mare λύματα sive sordes istas projecerint, Eustathius rationem reddit: *Quia*, inquit, *aqua marina sordibus abluendis est aptissima.* Unde Euripides in *Iphigenia:*

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά,
Mare eluit cuncta hominum mala.

Quod eum dixisse eâ de caussâ dicit Laërtius in vita Platonis, quod in Ægypto, cum morbo comprehensus esset, à sacerdotibus marina curatione fuisset absolutus. Quod autem abluendi vires præstantiores aquâ dulci mare habeat, sine dubio illud propter illius salsuginem fit. Salis autem facultatem esse καθαρκτικὴν docet Oribasius in *Medic. Collect.* libro decimoquinto & de Virtute simplicium medicamentorum libro secundo. Itaque in sacrificiis, quæ aliquis sui purgandi caussâ propter cædem aut commissum scelus instituebat, mos erat in salem aquam conjicere, & locum eâ leviter irrorare, postquam sulphuris accensi fumo eum lustravissent, ut indicavit Theocritus his verbis:

- - - - καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρᾶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον ὡς νενόμισται
Θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

Græci ergo hoc loco purgamenta suarum lustrationum in mare projiciunt, quæ tamen in alias aquas dulces projici solebant, prout vicinitas aquarum ferebat. Quibus enim mare vicinum erat, illi commode sordes illas in mare poterant ejicere: qui vero fluviis; illi quoque commode in fluvios. Sic Damon apud Virgilium:

Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti
Transque caput jace: ne respexeris, &c.

Ubi notandus etiam mos projiciendi à tergo, ne sordes viderentur: unde putabant vitium etiam aliquod & immundities contrahi, quod forsan etiam Græci observarunt.

Hæc de usu aquæ in lustratione & purgatione. Aquæ quoque usus fuit in libatione, ut videlicet ea libaretur; & quidem Inferis potissimum. Unde *Arferiam* aquam Festus vult dictam, à *ferendo*, quæ Inferis libabatur, sive, ut alii volunt, fuit vas vini, quod sacris adhibebatur. Aquæ ergo in sacris adhibitæ usus varius fuit & multiplex. Nam partim homines iis abluebantur & lustrabantur: partim victimæ iis abluebantur & coquebantur; partim iis libabatur: unde sacrificia quædam ἄοινα dicta, quæ nonnisi aquis peragebantur: de quibus supra.

Aqua arferia. Lustratio: quæ aqua facta. Hic 3. usus aquæ.

Instrumentorum quoque, quibus Ethnici usi in aqua aspergenda fuerunt, habita fuit ratio. Non enim quævis, sed peculiaria ac certa eo in ritu adhibebantur: ut inter alia ramus lauri aut olivæ. Romani usi sunt instrumento, quod *Aspergillum* vocarunt; cujus picturam vide apud Guilielmum du Choul in libro Gallico *de Religione Romana.* Apud eundem eodem libro vide etiam picturam vasis antiqui marmorei, quod erat fixum in limine templorum, in quo aqua lustralis continebatur, & minoris vasis, quod erat portatile: cujusmodi vas sua lingua *Benestior* appellat, vasis aquæ lustralis nostræ ætatis simile. Meminit Festus etiam Favissæ, ad lustrationem aquis fieri solitam adhibitæ: qui locus erat, in quo aqua inclusa circa templa continebatur.

Instrumenta ad aquæ lustrationem adhibita.

Porro ut aqua, ita tæda quoque & sulphur antiquitus in Gentilium quarumvis rerum lustratione fuerunt adhibita. De aqua dictum est, nunc addamus nonnulla de tæda & sulphure. Tædæ quidem meminit Plinius libro decimo sexto, capite decimo, inquiens: *Tæda sacrorum lumini grata. Est autem proprie arbor ex earum genere, quæ resinam ferunt, abundantior succo, quam reliquæ similis generis: parcior tamen liquidiorque, quam picea. Improprie tamen tædas appellant tum piceæ sativæ partes imas, tum alia quoque ligna, quæ vel naturali pingue-*

Lustratio quæ tæda facta.

De tædifera, Ceres. *gudine, vel oleo piceve illita facula modo lucent. Hinc quia tædas dicitur inflammasse Ceres, cum investigare vellet filiam Proserpinam, à Plutone abreptam, Poëtæ eam tædiferam vocant:* inter quos Ovidius tertio Fastorum:

Quos cum tædifera nunc habet ille Dea.

Item epistol. 2.

Et per tædiferæ mystica sacra Deæ.

Tæda pro nuptiis. *Tæda* etiam accipitur pro nuptiis, sive pro ipso conjugio. Mos enim Antiquorum erat, ut in nuptiis, inquit Varro, faces & tædæ semper præirent, quod olim nonnisi per noctem nubentes ducebantur à sponsis. Virgilius quarto *Æneidos:*

Si non pertæsum thalami tædæque fuisset.

Hæc de tæda.

Lustratio: quæ facta fuit sulphure. Sulphur, medela malorum. Quantum ad sulphur; Proclus testatur sacerdotes eo usos fuisse in lustrationibus cum asphalto, bitumine & aqua marina: quod quidem non sine caussa in sacris & ad lustrationes fuit adhibitum, cum ejus maximæ sint vires adversus corruptionis genus; propter illam nimirum odoris, quem urendo emittit, acredinem. Unde ab Homero *Od. χ.* eleganter admodum κακῶν ἄκος, *malorum remedium* appellatur: cujus suffitu Ulyssis ædes, procorum cæde contaminatas, fuerunt purgatæ. Sic autem ille:

Οἶσε θέειον γρηῦ κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ
Ὄφρα θεειώσω μέγαρον,
id est,
Porta sulphur, anus, malorum medelam, porta mihi ignem
Ut fumigem domum, &c.

Et paullo post:

Ἤνεγκεν δ' ἄρα πῦρ ϗ θήϊον αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Εὖ διεθείωσεν μέγαρον, ϗ δῶμα, ϗ αὐλήν.
Portavit igitur ignem & sulphur: at Ulysses
Bene adolevit domum amplam & domum & aulam.

Plinius de sulphure. Plinius item de sulphuris usu & viribus multa differit: inter alia autem libro trigesimo quinto, capite decimoquinto: *Habet*, inquit, *& in religionibus locum ad expiandas suffitu domos. Tingi etiam solitæ ex eo & illini statuæ.* Hæc de lustratione cum rerum, tum personarum in specie.

De lustratione in genere. In genere vero personarum, quæ ad sacra facienda erant accessuræ, præparatio apud Gentiles omnino erat duplex, nimirum alia animi, alia corporis: quæ quidem Latine *purgatio, purificatio, sanctificatio, lustratio, expiatio, consecratio, inauguratio, initiatio*, à Græcis ἀπολύμανσις, ἁγιασμὸς, ἁγνισμὸς, τελείωσις, καθοσιασμὸς, sive καθαρμὸς, ἐξοργιασμὸς, & aliis id generis nominibus fuit appellata.

Lustratio corporis, quoad ablutionem. Ac corporis quidem præparatio, ut de illa prius dicamus, quam etiam illi pluris plerunque faciebant, quam præparationem animi, in his fere consistebat, quæ sequuntur: PRIMO in varia & multiplici ablutione corporis cum totius, tum singularum ejus partium: manuum inprimis atque pedum, de qua modo dictum est. Huic adde vestimentorum quoque ablutionem.

Lustratio corporis, quoad ornatum, vel vestitum. SECVNDO posita erat præparatio illa in certo corporis cum totius, tum singulorum ejus membrorum, capitis præcipue atque pedum vestitu, habitu, cultu atque ornatu: vel etiam nonnunquam in corporis cum totius, tum singularum ejus partium in sacris quibusdam denudatione: de quibus partim supra egimus in loco de personis sacrificantibus, partim nunc agendum videtur, quoad videlicet cultum & ornatum capitis, ex coronis, sive corollis & sertis fieri solitum.

Ornatus ex coronis. In præparatione igitur corporis ad sacrificia & sacra Gentilium usus coronarum atque sertorum fuit frequentissimus: & is fere quadruplex. Nam primum quidem ac principaliter iis ornari consueverunt ii, qui rem divinam faciebant, eique intererant; de quo supra. Deinde illæ imponebantur hostiarum mactandarum capitibus. Præterea simulacrorum erant ornamenta. Postremo aris atque focis imponebantur. Multiplicem hunc usum Plautus fere exprimit uno loco, in Prologo *Aulularia*, ubi Lar familiaris hæc verba faciens introducitur:

- - - ea mihi cottidie
Aut ture, aut vino, aut aliquo semper supplicat,
Dat mihi coronas, &c.

Bifariam hoc potest intelligi vel quod Lari familiari, id est, simulacro, capiti imposuerit, vel ut vult Cato, coronas in focum indiderit. Item Euclio ipse:

Nunc tusculum emi, & hasce coronas floreas,
Hæc imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat natæ nuptias.

Coronæ floreæ. *Coronas floreas* vocat coronas ex floribus, quas Tibullus dixit *serta florea*, Elegia prima lib. I.

Nam veneror seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

Idem

Idem in secunda Elegia:

Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cum pesti florea serta darem.

De more sacerdotes & eos, qui sacris intererant: item victimas, simulachra & aras variis coronarum generibus coronandi & ornandi vide Tranquillum etiam, & Lucianum, & ex recentioribus Gyraldum. Tranquillus in vita Octavii Augusti, de eo sic scribit: *Compitales Lares* (quibus compita dicata sunt, & quorum in honorem fiebant ludi Compitalitii) *ornare bis in anno instituit vernis floribus & æstivis*: ubi per vernos flores intelligit heliochryson, hyacinthum, rosam & violam albam, quæ prima florum est Ver nuntiantium: quam Columella Græca dictione λδυκόιον vocat, quasi dicas *albam violam*. Per æstivos vero flores, eos qui vernis succedunt, cujusmodi sunt Lychnis, Jovis flos, amaracus, iris & quoddam genus lilii. Nam liliorum quædam sunt verna, quædam æstiva, quædam autumnalia. Suetonius de coronatione sacra.

Lucianus deinde ejusdem meminit his verbis: *jam vero cum immolant, prius sertis coronant pecudem.* Sic Gyraldus syntagmate decimo septimo copiose de hoc more scribit, cujus verba addere non libet, ne actum agere videamus. Pleræque autem hujusmodi coronæ atque serta (paucis exceptis, quæ ex lapidibus pretiosis, gemmis, unionibus & metallis, ut auro & similibus fiebant; quorum quidem alicubi meminit Plato his verbis: *In sacrificiis*, inquit, *& celebritatibus pulchra veste, aureisque coronis ornatus sacerdos rem divinam facit*) ex plantis, floribus, herbis, graminibus, arborumque ramis atque frondibus fuerunt confectæ (uno nomine *Pancarpiæ* coronæ dictæ, id est, ex vario genere florum: ex plantis quidem & arboribus, maxime ex lauro, atque olea, vel iis arboribus, quæ cuique Deo, cui sacra fiebant, erant dicata; de quo supra pluribus. Quibus addi hoc loco possunt Verbenæ, certum genus herbæ, in omnibus fere sacris faustæ habitæ, & sumtæ de loco sacro Capitolii, qua coronabantur fœciales, & pater patratus fœdera facturi, vel bella indicturi. Synecdochice tamen etiam *verbenas* vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva vel myrtus. Terent. *Ex ara hinc verbenas sume.* Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo id transtulit Terentius. Donatus vero *verbenas* ait esse omnes herbas & frondes festas, ad aras coronandas, ex aliquo loco puro decerptas, dictasque autumat esse quasi *herbenas*. Plinius verò lib. 22. nomine sagminum & verbenarum significari prodidit gramen ex arce cum sua terra evulsum. *Verbena semper & legati, cum ad hostes clarigatum mittebantur, usi*: id est, res raptas clare repetitum: *unus utique verbenarius vocabatur.* Idem 25. *Verbenacam* peculiariter vocat herbam, quam Græci ἱεροβοτάνlω, quasi *sacram herbam* dicunt. Aliqui περιστερεῶνα, quasi *columbariam. Hæc est*, inquit, *quam legatos ferre ad hostes indicavimus. Magi circa hanc insaniunt, ajuntque si aqua spargatur triclinium, qua maduerit, lætiores convictus fieri.* Livius libro decimo secundi belli Punici, idem quod Plinius signat, videlicet *verbenas* & *sagmina* idem significare. Esse autem genus herbæ ex arce sumtum. Ubi obiter declarandum *privas verbenas*, & *privos silices* à Livio dici singulos: quia veteres *priva* dixerunt, quæ nos *singula* dicimus; quo verbo Lucilius usus est: Materia coronarum sacrarum. Coronæ ex verbenis factæ. Verbenarius. Nota.

Abdomina thynia priva dabo, cephaleamque Carnem.

Festus quoque sagminum & verbenarum meminit. *Sagmina dicebant*, inquit, *herbas quia ex loco sancto arcebantur legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum bellumque indicendum: vel à sanciendo, id est, confirmando.* Nævius: *Scabos atque verbenas sagmina sumpserunt.* Idem: *Capita Deorum appellabantur fasciculi facti de verbenis*; qui etiam *Struppi* dicti, eodem teste. *Struppi* vero vocabantur in pulvinaribus fasciculi de verbenis facti, qui pro Deorum capitibus ponebantur. Festus de Verbenis.

Et hæc quidem de coronis, in sacrificiali illo vestitu atque ornatu potissimum adhiberi solitis; quæ vel ex metallis, vel plantis fiebant: tametsi, ut hoc quoque addam, plantæ quædam in nonnullis sacris adhibitæ, in aliis prohibitæ fuerint: id quod de Hedera inprimis constat, eam & Olympiis sacris arceri solitam, & neque Athenis in Junonis, neque Thebis in Veneris sacris ullum ei locum fuisse, quam etiam Flamen Dialis neque tangere, neque nominare audebat: & tamen ipsam Bacchanalibus fuisse adhibitam, teste Plutarcho in *quæstionibus Romanis* quæstione 112. Plantæ in sacris quædam prohibitæ: quædam non.

His commode subjungi potest præparatio, quæ certa veste, quam puram religiosam vel sacram vocabant, fieri, & institui solebat: cujus usus non minus frequens olim fuit, quam reliquorum rituum ac cerimoniarum. Hinc legimus eosdem Indorum Magos, qui ad Solis sacerdotium promoti erant, lineis velatos sub divo vitam egisse. Et Plato sacerdotem, qui victimam faciebat, purâ in veste, & candida, plerunque intextili tela, nec majoris operis, quam menstruæ indutum testatur. Unde Tibullus libro secundo: Vestitus religiosus sacerdotum ad præparationem requisitus.

- - - - pura cum veste venite.

Et Ovidius tertio *Amorum*:

More Patrum sanctæ velatæ vestibus albis
Tradita supposito vertice sacra ferunt.

Pura autem & religiosa vel sacra vestis dicebatur, ut Festus ait & Servius, qua rem divinam facturi festo utebantur die. Ea quidem erat soluta omni vinculo, nullis maculis, nec aliquo squallore obsita, nec funesta, aut fulgurita. Caper & Hyginus in illos Virgilii: Vestis pura.

- - - - fontemque ignemque ferebant
Velati lino, & verbenâ tempora vincti.

Quo loco non *lino*, sed *limo*, legendum ajunt. *Limum* enim vestem fuisse dicunt, in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam habens: unde nomen accepit. Aliqui tamen malunt *Limbum* legere potius, quam

quam *Limum* vel *Linum*. Sane Ægyptii laneas vestes in Deorum templa non inferebant. Hinc & *Linigeri* dicti. Et Flaminica, Junonis antistita, mense Majo, jubebatur esse tetrica, lavacroque & ornatu abstinere: testis Plutarchus quæstione octogesima sexta, *quæst. Romanarum*. Hæc de vestitu.

Abstinentia sacerdotum a cibo & potu ad præparationem requisita.

TERTIO posita erat ista præparatio corporis in jejunio & abstinentia à carnibus, à vino & certis aliis cibis ac potionibus; idque vel omnino ac semper, vel ad certum aliquod tempus: unde *Denanæ* cerimoniæ aliæ fuerunt dictæ, aliæ *Tricenariæ*, quibus sacra adituris decem continuis, vel triginta certis quibusdam rebus carendum erat: quo nomine *cerimonias* ipsas nonnulli volunt dictas, quasi *carimonias*, à *carendo*, quod religionis caussa certis rebus sit carendum. Hinc & Festus: *Puri menstruo esse dicuntur, qui sacrorum caussâ toto mense in cerimoniis sunt, id est, puri sint certis rebus carendis.* Sic igitur legimus Numam Pompilium, cum pro frugibus faceret, esu carnium abstinuisse, & Julianum Cæsarem, &, si Procopio credimus, Justinianum oleribus leguminibusque contentum sæpe cœnitasse, ob religionem: eos item, qui initiandi essent Isidis sacris dies decem parcere carnibus & vino. Quin & Ægyptios festis quibusdam diebus jejunia servasse: id quod & Hebræos adhuc observare animadvertimus. Sic Gymnosophistas legimus adeò abstinentiæ studiosos fuisse, ut pomis solum, oryza & farina alerentur. In Creta quoque, ut Euripides testatur, quos vocabant Jovis Prophetas, non modo carnibus, sed ne cetis quidem, vesci solitos fuisse: & Indorum magos proditum est, qui ad Solis sacerdotium promoti fuerant, carnibus abstinuisse.

Abstinentia sacerdotum a consuetudine conjugali ad præparationem requisita.

QVARTO consistebat præparatio illa corporis in abstinentia quoque à consuetudine conjugali, omnique coitu; idque vel semper &perpetuo: vel ad tempus aliquod. Hinc Æneas ex ritu Deos precaturus, cum ab aliis rebus, tum à Venere abstinuisse perhibetur, ut ad sacra celebranda lautus ac mundus accederet. Idem legimus Numam Pompilium fecisse, præterquam quod esu carnium abstinuit, ut supra dictum. Quin & Ægyptii aquæ quidem aspersione labem tolli & castimoniam præstari putabant, præterque Mysos & Essæos, aliosque, qui ob religionem coitu abstinebant, cœlibem vitam agebant illi, qui *Abii* & *Anymphi* dicti fuere. Constat præterea sacerdotes Matris Deûm Samia testa sibi virilia amputâsse, atque illos, qui maxima sacra obibant, ut in casta religione manerent, & procul à mulierum contagio vitam agerent, herbis quibusdam evirari, & verilitatem amittere: utque nulla nisi sacrorum maneret cura, nudique (unde *Nudipedalia*) & vacui religioni ac pietati intenderent, cunctarum se rerum dominio abdicare; quod jure Pontificio veteri caveri quidam putant illis verbis; *Ad divos adeunto caste: pietatem adhibento: opes amovento, qui secus faxit, Deus ipse Vindex erit.* Quam castimoniam apud exteros observatam hic notamus. Quippe in Thesmophoriis (erant sacra Cereris & Δημήτρεια, sive *Cerealia* dicta) matronæ Athenienses, ut Venerem cohiberent, foliis viticis cubilia substernebant. Nonnulli garo ex pisciculis, qui squamam non haberent (quod incendia libidinum reprimere ferunt, & irritos facere conatus venereos) in sacris usi fuere: quod Agesilaus putabat Deos non tam religiosis operibus, quam sacrificiis castis delectari. Legimus præterea Hierophântas Atheniensium, postquam in sacerdotium cooptati erant, ut caste sancteque sacrum facerent, cicutæ sorbitione se castravisse: Ægyptios vero sacerdotes, negotiis omissis, mulieribus nunquam indulsisse. Faciunt huc illa Poëtæ:

Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris
Cui tulit hesternâ gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis, purâ cum mente venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Juvenalis Satyra sexta:

Ille petit veniam quoties non abstinet uxor
Concubitu, sacris observandisque diebus.

Abstinentia sacerdotum a contactu & aspectu certarum rerum.

QVINTO præparatio illa posita erat in abstinentia à contactu, atque etiam aspectu certarum rerum. Hinc si opus facientem inter sacra videre sacerdotem contigisset, is temerari & pollui putabatur. Ideo Præciæ sive præclamitatores præmittebantur, qui denunciarent opificibus, ut manus abstinerent ab opere, ne si vidisset sacerdos facientem opus sacra polluerentur. Idem autem judicium de reliquis.

Confessio culpæ & reatus ad præparationem necessaria.

SEXTO, qui rem divinam rite facturus esset, etiam confessione culpæ & reatus sui sese præparabat, hoc est, se inprimis reum dicere solebat, & noxæ pœnituisse, & admissa fateri, vultusque submittebat, ad omnem se modestiam fingens. Hujus quidem, & omnium singulorum exempla atque testimonia passim occurrunt apud profanos authores, de quibus vide Alexandrum ab Alexandro, Gyraldum syntagmate decimo septimo *Historiæ Deorum*, & Gulielmum du Choul, libro *de antiqua religione*.

Præparatio animi quæ ad sacra celebranda.

PRÆPARATIO deinde ANIMI posita erat cum in abstinentia à profanis & cogitationibus & sermonibus: tum contrà in silentio & attenta sacrorum, quæ peragenda erant, meditatione: ad quam hæc sacerdotis vel præconia publici, ad sacra præcedentis vox erat usitata: HOC AGE; qua voce populum excitabat, virgaque turbam summovebat, quæ *Commentaculum* dicebatur, de qua supra: & silentium indicebat, ne mala aliqua vox obstreperet, neve quid triste audiretur: hoc modo sacris favere & attentos eos esse jubens.

Castitas & puritas mentis & voluntatis.

Ad mentis castitatem & puritatem quod attinet; idem illud Ciceronis *de Legibus* testimonium hûc referri debet, quod supra citavi: *Ad Divos caste adeunto, pietatem adhibento.* Et alibi: *Caste jubet lex adire ad Deos, animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis; sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori præstet, observeturque ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis. Nam incestum vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate vanescere nec manibus ullis elui potest. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoveri jubet: significat probitatem gratam esse Deo, sumptum*

esse

esse removendum. Et paullo post: *Melius Græci atque nostri, qui ut augerent pietatem in Deos, easdem illos urbes, quas nos incolere voluerunt. Affert enim hæc opinio religionem utilem civitatibus: siquidem & illud bene dictum est à Pythagora, doctissimo viro, tum maxime & pietatem & religionem versari in animis, cum rebus divinis operam daremus: & quos Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere, Omnia quæ cernerent Deorum esse plena. Fore enim omnes castiores.* (Hîc similiter castitatem animi requiri docet, ceu præcipuam in sacris virtutem) *velutique in fanis essent, maxime religiosos.* Hæc Cicero: quibus adde illa Senecæ: *In victimis, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, non est Deorum honos, sed in pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fictili religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint.* Idem: *Colitur Deus*, inquit, *non taurorum opimis corporibus contrucidatis, non auro, non argento, non in thesauros stipe infusa: sed pia & recta voluntate.*

Silentium deinde & taciturnitas, etsi in communi & profano vitæ usu atque consuetudine decora plerunque est & utilis: tamen eam Gentiles in sacris maxime requirebant, secundum illud Virgilii: Silentium & taciturnitas in præparatione animi necessaria.

- - - *Fida silentia sacris.*

In sacrificiis, inquit Festus, *præcones clamantes populum sacrificiis favere, id est, bona fari jubebant. Nam* Favere, *est bona fari: at veteres Poëtæ pro* Silere *usi sunt* favere. *Hinc* Faventia *bonam ominationem significat.* Idem: *Pascito linguam, in sacrificiis dicebatur, id est, coërceto, contineto, taceto.* Cicero lib. I. *de Divinatione*: *Neque solum*, inquit, *Deorum voces Pythagorei observarunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina, quæ Majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset precabantur, rebusque divinis, quæ publice fierent, ut faverent linguis imperabatur, inque feriis imperandis, ut litibus & jurgiis se abstinerent.* Ergo *favere sacris, favere linguis, pascere linguam* propriæ & usitatæ in sacris erant dicendi formulæ, quibus silentium imperabatur, ut ad sacrorum observationem tanto essent attentiores, nec strepitu & murmure sacer cultus interturbaretur. Ad id significandum Harpocratem, tanquam silentii Deum (quem Græci Σιγαλεῶνα vocarunt) Ægyptii sacris suis adhibuerunt, de quo vide Politianum Centuria prima, capite octogesimo tertio. Sic Plinius libro tertio scribit, Angeronam Deam silentii ore obligato atque signato in ara Volupiæ collocatam, ut intelligeremus religionis arcana (quæ idcirco ab ore occludendo, id est, μύειν τὸ στόμα, *mysteria*: item *occlusa sacra*, & *opertanea sacra*, ceu ἀπόῤῥητα sunt dicta) non evulganda: id quod etiam Numa Pompilius instituit, quando aliam quandam silentii Deam, Tacitam, inde dictam, colendam proposuit, cum res divinas tacere nos oporteat. Hinc Apulejus & Martianus libro primo redimitum puerum fingunt, ad os compresso digito, salutari, quasi silentii homines admonentem. Hinc etiam Appium Cæcum ob Herculaneum sacrum servitiis divulgatum captum tradunt oculis. Et Numenius noxam contraxit, quod Eleusinia sacra retexisset, cui Deæ in somniis se prostitutas questæ sunt. Huc pertinent etiam illa Macrobii: *Intercisorum dierum quibusdam horis fas erat: quibusdam fas non erat fari. Nam quando hostia cædebatur, fari nefas erat: inter cæsa & porrecta fari licebat.*

Ad silentium hoc in sacris alludit quoque Ovidius libro tertio *Amorum*: Ovidius de silentio in sacris.

Ore tacent populi tunc, cum venit aurea pompa
Ipsa sacerdotes subsequiturque suas.

Et Horatius libro tertio *Carminum*: Horatius.

Favete linguis Carmina non prius
Audita Musarum sacerdos,
Virginibus puerisque canto.

Porro dicendi hîc se offert occasio de more & consuetudine Gentilium arcendi quosdam ac summovendi à suis sacris, tanquam iis indignos, cujus crebra admodum apud auctores profanos fit mentio. Hi autem in genere à Græcis dicti fuerunt βέβηλοι, ἀμύητοι, ἀτέλεστοι, μιαροὶ, παμμιαροὶ, ἀνόσιοι, ἀκάθαρτοι, ἐξάγιστοι, ἐναγεῖς, δυσαγεῖς, μύσαγμα, μύσος, à Latinis *profani*, *nocentes*, &c. Ob quem morem excommunicandi, festa, quibus excommunicatio fiebat, ὄργια τὰ μυστήρια, putant dicta παρὰ τὸ εἴργειν τοὺς ἀμυήτους αὐτῶν, *ab arcendo profanos ab iis. Lictor*, inquit Festus, *in quibusdam sacris clamitabat*, HOSTIS, VINCTUS, MULIER, VIRGO EXESTO, id est, *extra esto*, scilicet interesse prohibebantur. Ad hanc consuetudinem Commentaculo utebantur, eodem Festo teste, quod erat virgulæ genus, quam Flamines portabant, pergentes ad sacrificium, ut à se homines amoverent. Sic apud Græcos ad sacrificium accessurus hoc primum præfatus est τίς τῇδε, hoc est, *Quis hîc?* Illi, qui sacris intererant, respondebant: πολλοὶ κἀγαθοὶ, id est, *multi & boni*. Supra citavi testimonium Tibulli, ex quo constat, quibus & quâ dicendi formâ certis hominibus, crimine nimirum aliquo pollutis, sacris fuerit interdictum. His nunc alia quædam subjungam: Pythagoras θύρας ἐπιθέσθαι βεβήλοις, *fores occludere profanis* jubet: & Livius: *Et cum omnis præfatio sacrorum*, inquit, *eos, quibus non sunt puræ manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari, cruento latronis cruore tinctis.* Callimachus in hymnis: ἑκὰς, inquit, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός, *procul procul omnis profanus*: quod & similiter Virgilius usurpavit *Æneidos* sexto, cum ait:

Excommunicatio sive à sacris interdictio Ethnicis etiam usitata.

Pythagoras de hac excommunicatione. Livius. Callimachus. Virgilius.

- - - *Procul, o procul este profani,*
Conclamat vates, totoque absistite luco.

Claudianus libro secundo *de raptu Proserpinæ*: Claudianus

- - - *Gressus removete profani*, id est, procul à Deorum fanis templisque arcendi.

His simile est illud Ovidianum: Ovidius.

Innocui veniant: procul hinc, procul impius esto
Frater, & in partus mater acerba suos:
Cui pater est vivax: qui matris digerit annos:
Quæ premit invisam socrus iniqua nurum.
Tantalidæ fratres absint, & Iasonis uxor,
Et quæ ruricolis semina tosta dedit,
Et soror, & Progne, Tereusque duabus iniquus,
Et quicunque suas per scelus auget opes.

Item hoc, epistola septima:

Pone Deos & quæ tangendo sacra profanas.
Non bene cœlestes impia dextra colit.

Silius. In eandem sententiam Silius Italicus libro decimoseptimo sacerdotem introducit interdicentem pollutis sacrorum contactu, his verbis:

Tum puppe è media magno clamore sacerdos:
Parcite pollutis contingere vincula palmis.
Et procul hinc moneo, procul hinc quæcunque profanæ
Ferte gradus: nec vos sacro miscete labori,
Dum satis est monuisse Deæ: quod si qua pudica
Mente valet: si qua illæsi sibi corporis adstat
Conscia, vel solus subeat pia mânera dextra.

Statius. His adde, quæ Statius quoque in hanc sententiam prodidit libro tertio *Sylvarum*:

\- - - *Adeste*
Diique hominesque sacris: procul hinc, procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus
Longa patris: si quis pulsatæ conscius unquam
Matris, & infernâ rigidum timet Æacon urnâ.
Insontes castosque voco, &c.

Nota. Ubi obiter declarandum vocem *Procul* usitatam in hujusmodi interdictione à sacris, videri dictam, quasi *porro*, id est, *longe*, *ab oculis*.

Excommunicatio potissimum apud Græcos usitata. Ac omnino apud Græcos hic mos excommunicandi, hoc est, interdicendi ab externo cultu, cœtuque aliorum hominum, Deos colentium, usitatissimus fuit. Hinc apud eos legimus sacra quædam ἀβέβηλα nuncupata, in quibus interesse profanis haud fas fuerat: uti βέβηλα, ad quæ etiam profani admittebantur. In numero autem profanorum istorum reposuerunt homicidio pollutos, aut humano infectos sanguine, cæterosque ejusmodi: item mulieres innuptas, aut servitio pressos, vel ære coemptos, quos in sacrorum apparatu lictorem arcere solere supra dixi. Sic & in Cheronea servus & serva inter profanos numerabantur. Nam illic sacerdos, lorum tenens, pro ædibus sacris Matutæ, id est, Leucotheæ, clamitabat: *Servum non ingredi, non servam, non Ætolum, non Ætolam.* Iis enim sacrificio adesse eo loci non licebat. Apud Magos, qui essent lentiginosi, tanquam profani & Diis invisi, ab aris summovebantur. Item, qui elati revixerant, de quibus supra. Apud Germanos iis, qui scutum amisissent in acie, sacris interesse haud licebat, & apud Ægyptios subulcis omnibus templa interdicta fuere. Apud Scythas quoque, qui hostem nullum interfecissent in acie, in solennibus libare non poterant: reliqui initiati interesse sacris non prohibebantur.

Excommunicationis pœna gravissima habita. Gravis hæc funestaque habita fuit pœna, quâ ii, quibus sacris erat interdictum, diris & exsecrationibus publicis feriebantur, & Diis Manibus atque Inferis, tanquam cruciatibus, post hanc vitam, torquendi immanibus addicebantur, ac devovebantur. Pollux: τοῖς περιαντηρίοις καὶ καθαρμοῖς χρησάμενοι, καθαροί· οἱ δὲ ἐναντίοι, ἀκάθαρτοι, id est, *Qui ablutionibus & purgationibus usi sunt, puri dicuntur: his contrarii impuri.* Plutarchus quæstione quadragesima quarta, *Romanarum*: Κατάρα, inquit, δύσφημον καὶ σκυθρωπόν. Ἐπῃνέθη γοῦν Ἀθήνησιν ἡ ἱέρεια μὴ θελήσασα καταράσασθαι τῷ Ἀλκιβιάδῃ τοῦ δήμου κελεύοντος, id est, *Est enim hujusmodi exsecratio tristis & infamis. Unde Athenis laudata est sacerdos, quæ, populo quamvis jubente, tamen Alcibiadem devovere & eo modo exsecrari noluit.* Ea autem fuit Theane Menonis filia, ut Plutarchus idem tradit in Alcibiadis vita. Plato similiter pœnam hanc & infamiam gravem fuisse tradit libro septimo *de Legibus*, & idcirco non temere cuivis infligendam; Τούτους, inquit, ἱερεῖς τε καὶ τὰς ἱερείας μετὰ Νομοφυλάκων ἐξείργοντας, ὁσίως ἐξείργειν, καὶ κατὰ νόμον, τὸν δ᾽ ἐξειργόμενον, ἂν μὴ ἑκὼν ἐξείργηται, δίκας ἀσεβείας διὰ βίου παντὸς τῷ ἐθελήσαντι παρέχειν, id est, *Sacerdotes tam mares, quam fœminæ, unâ cum legum custodibus, quum aliquem à sacris arcent, id pie, & sancte, & ex legis formulâ agant. Is vero cui sacris interdictum est, nisi lubens morem gesserit, impietatis pœnas per totam vitam cuilibet persolvat*: Hæc Plato de exsecratione: cujus quidem exemplum illustre exstat apud Plutarchum in vita M. Crassi.

Ad excommunicationis pœnam expiandam aquâ uti soliti. Pro hujusmodi autem exsecrationibus & diris expiandis aquâ utebantur lustrali & ablutionibus ut supra dictum, & sacrificiis, secundum illud Virgilii:

Lustra-

Lustramurque Jovi, votisque accendimus aras.

Votis, id est, sacrificiis, quæ voveramus: quas lustrationes, ut ait Plato, libro secundo *de Republica*, τελετὰς vocabant, nimirum quod ἐν τῷ τέλει, id est, *in morte* ea sacrificia fierent Diis Manibus, ne isti defuncti ullos paterentur Manes & pœnas. Qui igitur à diris & exsecrationibus sive devotionibus istis & sacrorum interdictione erant expiati atque liberati, καθαροὶ, id est, *puri* dicebantur. Inde καθαίρεσθαι, idem quod λυμαίνειν, *expiare*, *resecrare*, *purgare*, *expurgare*, *purificare*. Exsecrationis, sive excommunicationis inter Ethnicos usurpatæ, simul & Resecrationis seu expiationis & absolutionis exemplum illustre exstat apud Æmilium Probum in vita Alcibiadis. Nam sacerdotes Eumolpidæ, ut Alcibiadem, à populo coacti, diris devoverunt & exsecrati fuerunt: ita eundem postea resecrare fuerunt coacti. ***Exsecrari*** igitur est quasi *ex* vel *à sacris excludere*, & ***Resecrare***, *sacris restituere*.

> Ab excommunicatione liberati, καθαροὶ dicti.

His, colophonis loco, subjungam Ovidii versus libro secundo *Fastorum*, quibus irridetur hæc Ethnicorum opinio, qui sibi persuadebant homicidia, aliaque scelera & flagitia aquis lustrari & expiari posse. Sunt hujusmodi:

> Homicidia, aliaque scelera aquis expi ri inanis opinio est.

Omne nefas, omnemque mali purgamine caussam
Credebant nostri tollere posse senes.
Græcia principium moris dedit, illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actor idem Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Cæde per Æmonias solvit Acastus aquas.
Vectum frænatis per inane draconibus Ægeus,
Credulus immeritâ Phasida fovit ope.
Amphiaraides Naupacteo Acheloo,
Solve nefas dixit: Solvit & ille nefas.
Ah nimium faciles, qui tristia crimina cæde
Fluminea tolli posse putatis aquâ.

Atque hæc quidem de Ablutione, & in genere de personarum præparatione ad sacra, earundemque excommunicatione, id est, interdictione à sacris, apud Ethnicos usitata, sint dicta.

SEQUITUR nunc caput secundum τῶν προθυμάτων (quæ etiam προτέλεια dicta) hoc est eorum, quæ ante sacrificium fieri consueverunt, Precatio nimirum & Vota. Horum, ut hoc in loco, sic etiam alibi, crebra admodum ab Homero fit mentio. Hic quidem in his verbis:

> Precatio: secundum membrum τῶν προθυμάτων.

\- - - πολλὰ δ᾽ Ἀθήνῃ
Εὔχετ᾽ ἀπαρχομένη,
id est,
\- - - *Multis autem Minerva*
Supplicavit, initia faciens; &c.

Alibi vero; ut Ιλιάδ. α.

Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ᾽ ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας
Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις
Σμινθεῦ. εἴποτέ τοι χαρίεντ᾽ ἐπὶ νηὸν ἔρεψα,
Η εἰ δήποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί᾽ ἔκηα
Ταύρων, ἠδ᾽ αἰγῶν, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ.
Audi me, argenteum arcum habens, qui Chrysam tueris,
Cillamque valde divinam, Tenedoque fortiter imperas,
Smintheu: si quando tibi gratum templum coronavi,
Vel si quando tibi pingues coxas cremavi
Taurorum & caprarum, hoc mihi perfice desiderium.

Et paullo post:

Ὣς ἔφατ᾽ εὐχόμενος, τοῦ δ᾽ ἔκλυε Φοῖβος Ἀπόλλων.
Sic dixit orans: hunc autem exaudivit Phœbus Apollo.

Sic apud Apollonium hujus precationis, ante sacrificium fieri solitæ, fit mentio. Illic enim Jason inquit:

Εὔχετο κεκλόμενος πατρώϊον Ἀπόλλωνα,
Supplicavit invocans patrium Apollinem.

ubi & formulam precationis subjungit.

\- - - Κλῦθι ἄναξ, &c. *Audi Rex.* - - -

Et paullo post:

Καὶ ἅμ᾽ εὐχωλῇ προχύτας βάλε.

Et simul cum voto molam, sive *hordea infudit*, scilicet in aurem victimæ.

Ratio, cur precatio sacrificiis præmitti olim solita. Ante sacrificia ergo fiebant preces & vota, quæ fundebant ad illos Deos, quibus sacrificabant: unde *sacrificæ preces* dictæ à Seneca: & Diodorus Siculus usitatam, apud Ægyptios præsertim, in sacrificiis fuisse faustam precationem & Regis laudationem, victimis ad aram adductis, testatur: quippe precatio, ut inquit Jamblichus, libro quinto, capite vigesimo primo, non minima fuit pars sacrificiorum: immo fere præcipua, qua sacra potissimum impleri, absolvi, confici, atque inde vim roburque suum accipere videbantur. Hanc sacrificiorum principium, medium, ac finem esse affirmat idem his verbis: *Ipsa*, inquit, *interdum præmittitur, ut præcursor, quasi viam ante sacrificia faciem præparans atque muniens. Rursus tanquam mediator intercedit aliquando in sacrificiis. Interdum etiam finem sacrificiorum explet.* Addit: *Sic omnino statuendum, nullum opus in sacro cultu rite & auspicato fieri absque supplicationibus & preculis.* Subjungit deinde multa de precum supplicationumque usu, vi, virtute, atque efficacia, de qua postea pluribus. Plato quoque in *Alcibiade*, sacrificia vel sumtuosissima & magnificentissima testatur non tam Diis esse grata, quam supplicationem & animum pium. Idem in *Euthyphrone* definit ὁσιότητα ἐπιστήμην εἶναι τοῦ θύειν καὶ εὔχεσθαι, *sanctitatem esse scientiam sacrificandi atque precandi.* Et paullo post: τὸ θύειν δωρεῖσθαι ἐστι τοῖς θεοῖς· τὸ δὲ εὔχεσθαι αἰτεῖν τοὺς θεοὺς, *sacrificare est dona offerre Diis: precari autem Deos invocare*, sive *dona ab illis petere.* Quæ omnia egregie conveniunt cum illo Psalmi: *Sacrifica Deo laudem & redde Excelso vota tua:* & cum illo Tertulliani: *Qui ei offert opimam & majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocente, de spiritu sancto profectam.* Cæterum & Plutarchus harum precationum meminit in *Dione* inquiens, μετὰ τὰς σπονδὰς, καὶ τὰς νομιζομένας κατευχὰς εὔχεσθαι θεοκλυτεῖν. Eustathius idem verbum & καυχᾶσθαι, & λέγεσθαι, & φημίζεσθαι significare testatur. Idem Ιλ. χ. εὐχὴν definit θεοῦ δεξίωσιν ὑπ' ἀνθρώπων: sic forsan dictam vult veluti εὐεχὴν, propterea quod is, qui precatur, id facit τοῦ εὖ ἔχεσθαι, sive τοῦ ἀρίστου χάριν, *ut bene se habeat, sive optimi gratia. Poëta Homerus*, inquit idem in Ιλ. α. οὐδεμίαν εὔλογον εὐχὰν ἄπρακτον πίπτον ἱστορεῖ, id est, *nullam precationem justam facit cassam & irritam.* Magnam ergo vim tribuerunt precibus.

De precib. & de votis in genere. Hæc cum ita se habeant, latius aliquanto & copiosius de Gentilium precibus & votis juvat animum dicere, exordio ducto ab harum quoque nominibus, quæ precum supplicationumque vim atque naturam declarant.

Nomina Latina precum. 1. Orare. LATINI, ut ab illis incipiam, hanc actionem multis nominibus exprimunt, cujusmodi est, *Orare*, quod duplicem significationem habet: unam in precibus positam: alteram in caussarum actione. Quoad priorem significationem; Cicero Verrinâ sextâ orandi caussâ fanum adire dixit. Unde hoc verbum aliquoties conjungit cum verbis *rogandi*, *obsecrandi*, *obtestandi*, *supplicandi* & similibus. Quoad posteriorem significationem; idem in *Bruto* inquit: *Quo neminem unquam melius ullam oravisse capitis caussam, cum seipse defenderet,*

Orator. *locuples autor scripsit Thucydides.* Hinc Festus: *Orare, antiquos dixisse pro agere, testimonio sunt, quod & Oratores, & ii, qui nunc quidem legati, tunc vero oratores, quod Reipublicæ mandatas partes agebant.* Et Paullus: *Orare antiqui dixerunt pro agere. Unde &* Oratores *caussarum actores, &* oratores, *qui nunc legati, quod Reipublicæ mandata peragerent.* Idem: *Oratores ex Græco* ἀρητῆρες *dicti, quod missi ad Reges nationesque Deos solerent* ἀρᾶσθαι, *id est, testari. Hi modo appellantur legati.*

Oratio. Ab *Orare* deducitur & *Oratio*, vox similiter duo illa significans, nempe precationem, & causarum actionem: dicta ob *ore*; sicut & *omen* Festus vult dictum quasi *oramen*. Quid si orandi vel orationis vox ἀπὸ τοῦ ἀρᾶσθαι

Adorare. Ador. sit deducta, unde etiam *aram* volunt dictam. Hinc & *Adorare*, quod similiter, teste Festo, apud antiquos significabat *agere*, & *Ador*, farris genus, *edor* quondam appellatum, ab *edendo*: vel quod aduratur, ut fiat tostum: unde in sacrificio mola salsa efficitur.

2. Precari. Simile verbum, quo precandi actio exprimitur, est ipsum *Precari*: quod est precibus petere, preces adhibere, supplicare, obtestari: quod tam in malam, quam bonam partem accipi solet. Mala enim & bona alicui precari possumus. Cicero ad Quintum fratrem: *Hæc utinam non experiare; quod precarer Deos, nisi meas preces audire desissent. Veruntamen precor, ut his infinitis nostris malis contenti sint.* Idem in Verrem: *Verres in judicium venit, ubi ne precari quidem Deos atque ab eis auxilium petere posset.* Idem in Catilinam: *Deos immortales precari, venerari atque implorare debetis, ut urbem defendant.* Idem pro Rabirio: *A Jove Opt. Max. cæterisque Deis, Deabusque immortalibus pacem & veniam peto, precorque ut*, &c. Idem pro Cornelio Balbo: *Ut Deos immortales scientia peregrina, mente domestica precaremur.* Idem in Pisonem: *Utrum tandem optabilius putas, sic exire à patria, ut omnes sui civeis salutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit: an quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes exsecrarentur, male precarentur, unam tibi illam viam & perpetuam esse vellent?* Idem *de Natura Deorum*: *Stultitia est à quibus bona precamur ab iis dantibus nolle sumere.* Idem in Pisonem: *Nec ego si unquam vobis mala precarer, quod sæpe feci, in quo Dii immortales meas preces audiverunt, morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer.* Ibidem: *Hæc ego semper de vobis expetivi, hæc optavi, hæc precatus sum.* Et pro Sestio: *Quibus utinam evenissent ea, quæ tum homines precabantur.*

Precator. Porro ab hoc *Precari* descendunt *precator*, *precatio*, *preces*, *precarius*, *precario*, *deprecari*, *deprecator*, *deprecatio*, *imprecari*: quorum singulorum & explicationem & exemplum unum aut alterum addere libet, quandoquidem hunc de precibus locum copiosius explicare instituimus. *Precator* igitur est is, qui precatur pro re aliqua, sive id faciat pro se, sive pro alio. Terentius in *Heautont. Nec accusat, Syre te: nec tu aram tibi, neque precatorem pararis.* Ibidem: *Miror, non jussisse me arripi. Ad Menedemum hinc pergam, eum precatorem mihi paro: seni nostro fidei nihil habeo.*

Precatio deinde significat rogationem vel obsecrationem. Cicero pro Muræna: *Si illa solennis Comitiorum precatio Consularibus auspiciis consecrata, tantam habet vim, quanta*, &c. Idem *de Natura Deorum*: *In ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis precatio & sacrificatio extrema est.* Ibidem: *In Augurum precatione fluminum nomina videmus.* Precatio.

Preces similiter pro rogatione usurpantur, itemque obtestatione, ubi obiter notandum, nomen hoc per rectum pluralem hic & aliis locis poni, quod singularem usitatum non habeat. Vix enim dicitur *prex*. Reliqui tamen casus singulares crebro admodum & frequenti in usu sunt. Cicero ad Quintum fratrem, *Quod precarer Deos, nisi meas preces audire desiissent.* Idem ad Atticum: *Nihil tuli gravius, quam me non posse matris tuæ precibus cedere.* Idem pro Cluentio: *Nocturna illius sacrificia sceleratasque preces, & vota cognoscimus.* Idem ad Herennium: *Nec prece, nec pretio nec simultate à recta via deduci oportet.* Idem in Verrem: *In precibus & gratulationibus non solum id simulacrum venerari, sed etiam osculari solent.* Preces.

Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tandiu, quandiu is, qui concessit, patitur. Cicero ad Octavium: *Cujus avus fuit argentarius, astipulator pater, uterque vero precarium fecerit quæstum.* Brutus Ciceroni: *Quod tibi cum Antonio privatum odium? Nempe quia postulabat hæc, salutem à se peti precariam, nos incolumitatem habere, à quibus ipse libertatem accepisset.* Precarium.

Precario est *prece* vel *precibus*. Et *precario habere aliquid* dicitur, qui possessionem corporis vel juris adeptus est ex hac solum caussâ, quod adhibuit preces & impetravit, quod ei possidere, aut quo uti liceat: veluti si me precario rogaveris per fundum meum ire, vel agere liceat, ut in tectum meum stillicidium, vel tignum in parietem immissum habeas. Cicero pro Cecinna: *Ne id quidem satis est, nisi docet ita se possedisse, ut nec vi, nec clam, nec precario possederit.* Idem in Verrem Actione septima: *Quo tempore in tanta inopia navium, tantaque calamitate Provinciæ, etiamsi precario essent rogandi, tamen ab his impetraretur.* Precario.

Deprecari porro aliquando est supplicare, vel precando impetrare. Aliquando vero significat recusare, detestari, vel removere. Exempla igitur distinguenda sunt. Pro supplicare Cicero epistolarum familiarium libro quarto: *Hic te unius solitudines, unius etiam multæ & assiduæ lacrymæ Caii Marcelli, fratris optimi deprecantur.* Idem in Verrem Actione 7. *Deprecabitur à vobis, tum etiam pro suo jure contendet, ne patiamini talem Imperatorem Populo Romano Siculorum testimoniis eripi.* Pro detestari, removere, vel amoliri usurpatur istis locis. Cicero in Verrem: *Qui tot scelera commisit, is nullam à se calamitatem poterit deprecari.* Ibidem: *Ne hoc quidem juris obtinuit, ut unius honestissimi atque innocentissimi civis mortem deprecaretur.* Ibidem: *Is non modo non hoc perfecit, ut virgarum vim deprecaretur: sed cum imploraret sæpius, usurparetque nomen civitatis, crux, crux, inquam, infelici & ærumnoso comparabatur.* Ovidius: Deprecari.

Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem:
Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.

Similes multæ locutiones occurrunt, quibus *deprecari invidiam, deprecari odium, deprecari iratos animos*, atque horribiles impetus & similia dicimus, quæ videntur nocitura, vel nobis indigna: vel quæ nimium acerba & aspera apparent: vel quæ sinistri ominis videntur.

Hinc *Deprecator* vel pro eo, qui orat: vel pro eo, qui aliquid amolitur & removet. Cicero ad Atticum: *Filium misit non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei.* Idem pro Sestio: *Omitto, quid ille Tribunus omnium rerum divinarum humanarumque prædo fecerit; qui adesse nobilissimos adolescentes, honestissimos Equites Romanos, deprecatores salutis meæ jusserit, eosque operarum suarum gladiis & lapidibus objecerit.* Deprecator.

Deprecatio similiter verbi sui varietatem retinet. Est enim obtestatio vel detestatio. Cicero epistolarum familiarium quarto: *Nos curâ & dolore proximi sumus, precibus tardiores, quod jus adeundi, cum ipsi deprecatione eguerimus, non habemus.* Idem pro Rabirio: *Huic afferet aliquam deprecationem periculi ætas illa, quæ tum fuit.* Idem in *Partitionibus*: *Ad ejus facti deprecationem ignoscendi petenda venia est.* Et libro *de Inventione*: *Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur.* Deprecatio.

Imprecari denique proprie mala & calamitatem dicimur. Quintilianus: *Non imprecamur debilitatem, naufragia, morbos: pauper fit & amet quancunque meretricem, & amare non desinat.* Hinc *Imprecatio*, Verbale: *Exsecratio, devotio, diræ*, Græce Ἀρά. Imprecari.

Precandi porro actio designatur etiam verbo *obsecrandi*; quod Festus dicit esse opem à Diis petere; sic dictum, quasi *ob vos sacrare*: quod in quibusdam precationibus ait esse pro, *vos obsecrare*; ut, *sub vos placo*, pro *supplico*. Cæterum ejus usus & constructio hujusmodi est, ut modo absolute ponatur pro eo, quod dicimus, *Amabo te*: modo vero accusativum habeat simplicem: modo duplicem. Cicero ad Atticum: *Obsecro, mi Pomponi, non vides?* Ibidem: *Obsecro te, quid hoc miserius, quam*, &c. Idem pro Quintio: *Nævium obsecravit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, ut*, &c. Idem in Verrem: *Cum multis lacrymis eum oraret atque obsecraret Heraclius, impetrare non potuit.* 3. Obsecrare.

Obsecratio item significat preces, deprecationem vel obtestationem. Cicero pro Fonteio: *Curate ut nostris testibus plus, quam alienigenis credidisse videamini: plus saluti civium, quam hostium libidini consuluisse: graviorem duxisse ejus obsecrationem, quæ vestris sacris præsit, quam eorum audaciam, qui cum omnium sacris, delubrisque bella gesserunt.* Idem: *Cavete, ne periculosum superbumque sit, ejus vos obsecrationem repudiare, cujus preces si Dii aspernarentur, hæc salva esse non possent.* Suetonius de Claudio Cæsare: *Observavitque sedulo, ut quoties terra in urbe movisset, ferias, advocata concione, Prætor indiceret: utque ob dira aut in urbe, aut in Capitolio visa, obsecratio haberetur*: id est, venia à Diis peteretur. Est enim *obsecrare* etiam deprecari & quasi sacra facere, ut veniam impetremus. Obsecratio.

4 Obtestari. Sic verbo *obtestandi* actio ista precandi exprimitur. Est autem non simpliciter precari, sed appellare, vel implorare, vel, quod vulgo dicitur, *adjurare*. Cicero familiarium epistol. libro quinto: *Oro obtestorque te, ut Quintum fratrem ames.* Idem pro Quintio: *Te obsecro obtestorque per senectutem & solitudinem meam.* Idem ante exilium: *Jure igitur vos obtestor, quos mihi & debere & posse intelligo opitulari.* Terentius in *Andria*: *Quod ego te per hanc dextram oro, & genium tuum: per tuam fidem, perque ejus solitudinem te obtestor.*

Obtestatio. Hinc *Obtestatio* (inquit Donatus in *Andria* Terentii) dicitur, cum eum adjuramus, quem rogamus: qualis est obtestatio apud Virgilium quarto *Æneidos*:

Mene fugis? Per ego has lacrymas dextramque tuam te,
Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miserere domus labentis: & istam
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.

Forma igitur hæc est. Dictionis exempla sunt ista. Cicero pro Cluentio: *Mulier obtestatione viri domo exire non debet.* Idem pro Domo sua: *Quid ergo tua obtestatio tibicinis voluit?* Cælius Ciceroni familiarium octavo: *Mei officii est, me meminisse, qua obtestatione decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris.* Titus Livius: *Populus Romanus ad preces & obtestationem versus est, ut sibi pœnam Magistri equitum Dictator remitteret.*

5. Contendere. Præterea *Contendere*, *Flagitare*, *Exigere*, & similia hanc precandi actionem designant. Ac *Contendere* quidem cum alia significat, tum *instando petere*. Cicero familiarium secundo: *Verecundius à te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem.*

6. Flagitare. *Flagitare* autem est vehementer & instanter & quasi cum quodam clamore ac strepitu poscere. *Quid acta tua vita*, inquit Cicero familiarium quarto, *quid studia, quid artes, quibus à pueritia floruisti, à te flagitent,*
Flagitator. *tu videbis.* Idem *de Legibus*: *Postulatur à te jamdiu vel potius flagitatur historia.* Hinc *Flagitator*, qui flagitando instat. Cicero in *Bruto*: *Non me hercule tibi repromittere istud quidem ausim. Nam hunc, qui negat, video fla-*
Efflagitare. *gitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen & acrem fore.* Et *Efflagitare* est insolenter urgere, sicut *Efflagitatio* est vehementer instans postulatio. Cicero pro Milone: *Eorum nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant.*

7. Exigere. *Exigere* porro significat *flagitare* vel *requirere*, aut *flagitando extorquere*. Cicero in familiaribus: *Ne id, quod petat, exigere magis, quam rogare, & in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur.* Idem *de Oratore*: *Quo facilius id à te exigam, quod peto, nihil tibi postulanti negabo.*

8. Implorare. Sunt alia nomina Latina, quibus hæc precandi actio exprimitur, ut *petere*, *poscere*, *postulare*, *rogare*, *invocare*, *implorare*, & *supplicare*: è quibus *implorare* est voce miserabili, velut cum ploratu, opem alicujus
9. Supplicare. petere: *supplicare* vero, supplicem se ad alicujus pedes abjicere, vel manus alicui, vel ad aliquem tendere, pro aliquo precari vel deprecari. De *supplicandi* simul & *adorandi* significatione ita scribit Valla libro quinto, capite undecimo: *Adorare*, inquit, *ab oro, quod est ore precor, componitur:* supplicare *a* plico, *quod genu poplitemque, aut cervicem plicamus, cum à potentiore aliquo magnum quippiam precamur: & tamen adorare sine ore, hoc est, sine voce fit, non sine plicatione genuum ac gestu corporis. Supplicare sine plicatione genuum ac gestu corporis, non sine ore & voce. Hinc est, quare supplicare tantum homini datur: adorare etiam brutis. Unde elephas & phœnix, & alia quædam rationis expertia Solem adorare dicuntur: nosque rebus mutis & sensu carentibus non supplicamus, sed adorationis honorem exhibemus, ut Regum statuis, signis, vestibus, litteris aliisque similibus.* Hæc Valla.

Cæterum quod ad *supplicandi* usum pertinet; id diligenter observandum, perpetuo cum dativo jungi, nunquam cum accusativo. Dicimus igitur, *supplicare alicui*; non *supplicare aliquem*: Cicero familiarium epistolarum libro sexto: *Amicis ejus omnibus pro te libentissime supplicabo.* Ibidem: *Quibus ego supplicare non desiti.* Idem pro Plancio: *Ego tibi, Laterensis, Plancium non antepofui, sed cum esset id æque boni viri, meum beneficium potius ad eum detuli, qui à me contenderat, quam ad eum, qui mihi non nimis submisse supplicaret.*

Vovere. Sed & *vovere*, *votum*, *votivus*, *devovere*, *devotio* vim quandam precandi habent. Quare ipsa quoque hîc consideranda. *Vovere* proprie est votum suscipere vel facere, Deo aliquid sancte promittere. Cicero in Verrem: *Marcellus duo templa dedicaturum se Romæ voverat.* Idem *de Inventione*: *Nautæ voverunt, se Dianæ vitulum immolaturos.* Idem *de Divinatione*: *Qui cum sues pasceret, unâ ex iis amissâ, vovisse dicitur, si recuperasset, unam se Deo daturum.* Idem: *Quid optamus à Diis immortalibus? Quid vovemus?*

Votum. *Votum* deinde est proprie promissio facta Deo, quod aliquando sine conditione fit: aliquando addita conditione. Unde *Voti reus* is, qui quid promisit, spopònditve ac debet, inquit Festus. Interdum pro voluntate ac desiderio capitur, quoniam ea, quæ à Deo poscimus, vehementer desideramus: unde *Voti compotem* dicimus eum, qui desiderium suum consecutus est: & *pro Voto nobis succedere*, idem, quod pro desiderio, ex animi sententia & voluntate nostra. Cicero pro Cluentio: *Nocturna illius sacrificia, sceleratasque preces & nefaria vota cognoscimus.* Idem pro Plancio: *Deorum preces & vota de meo reditu audiri.* Idem: *Deus nihil sentiens nunquam nobis occurrit, neque in precibus, neque in optatis, neque in votis.* Virgilius:

- - - - Et votis jam assuesce vocari:

Vbi elegans allusio ad *voti* nomen, quasi *votum* à *voce* vel *vocando* sit derivatum: ad quam allusionem respiciens S. Augustinus dixit:

Non vox, sed votum: non chordula Musica, sed cor:

Non

Non cantans, ſed amans cantat in aure Dei.

Porro *votum nuncupare*, *ſuſcipere*, *facere*, uſitatæ & perelegantes formulæ ſunt loquendi: quarum omnium explicationem & nonnulla exempla ſubjungere libet. *Vota nuncupare* eſt Divis vota polliceri & deſtinare vel pro felici rerum eventu, vel pro alicujus ſalute & incolumitate, quod apud Antiquos non fiebat ſine ſolenni ritu & religione: unde dicebantur *nuncupata vota*, quæ Conſules, Prætores, Imperatores, cum in Provincias proficiſcebantur, faciebant, eaque in tabulas præſentibus multis referebantur. Hinc Cicero in Verrem Actione ſeptima: *Cum paludatus exiiſſet, votaque pro Imperio ſuo, communique Populi Romani nuncupaſſet, noctu, ſtupri cauſſâ, in urbem introferri ſolitus eſt.* Suetonius in *Claudio Cæſare*: *Itaque & quaſi pro ægro vota ſuſcepta ſunt.* Plinius in *Panegyrico*: *Nuncupare vota & pro æternitate Imperii & pro ſalute civium, immo pro ſalute principum, ac propter illos, pro æternitate Imperii ſolebamus.* Sic moris erat, ut Kalendis Januariis, ſolennis votorum nuncupatio fieret à Principe, Conſulibus, Magiſtratum ineuntibus, qui ibant, ut ait Livius, in Capitolium ad vota nuncupanda. Horum & meminit Cornelius Tacitus his verbis: *Quin & illa objectabat, principio anni vitare Thraſeam ſolenne jusjurandum, nuncupationibus votorum non adeſſe.* Suetonius in *Nerone*: *Votorum nuncupatione magnâ jam ordinum frequentiâ vix repertæ Capitolii claves*: hoc eſt, cum Nero vellet ex ritu ire in Capitolium ad vota nuncupanda, habuit hoc dirum præſagium, quod claves vix repertæ ſunt: tanquam Dii recuſarent votorum nuncupationem fieri à Nerone, qui illa non eſſet ſoluturus.

Votum nuncupare.

Suſcipere votum eſt votis ſe obligare. Moris autem erat, ut vota ſuſciperentur à Romanis pro principibus in expeditionem euntibus, ut ſoſpites incolumeſque irent & reverterentur. Hinc ait Seneca, olim Ruſum, ordinis Senatorii virum inter cœnam optaſſe, ne ſalvus Cæſar rediret in ea peregrinatione, quam parabat: & adjeciſſe, idem omnes tauros & vitulos optare. Sic Horatius voto proſequitur Cæſarem, profectionem parantem in ultimos Britannos. Suetonius in vita Tyberii: *Quamvis provincias quoque & exercitus reviſurum ſe ſæpe pronunciaſſet, & prope quotannis profectionem præparabat; vehiculis comprehenſis, commeatibus per municipia & colonias diſpoſitis, vota pro itu & reditu ſuo ſuſcipere paſſus, &c.*

Votum ſuſcipere.

Votum porro *facere* eſt idem, quod optare vel precari. Cicero in *familiaribus*: *Nemo eſt, quin vota victoriæ tuæ fecerit.* Sic *votum debere*, *reddere*, *ſolvere*, *perſolvere*: item *voto teneri*, frequenter apud Ciceronem occurrunt.

Votum facere.

A *voto* fit *votivus*, id quod ex voto promittitur: unde *votiva legatio*, quæ pro voto ac voluntate, vel voluntarie promittitur: & *votiva verba*, quibus utimur in votis faciendis, & *votivæ preces*, quibus aliquid cum voto poſcimus. Sic à *voveo*, *Devovere* ejuſdem ſignificationis: quamvis etiam pro morti ſeſe addicere, ut morte ſua populus ſive Reſpublica ſervetur: vel aliquando pro diris imprecationibus malum alicui optare. Cicero poſt reditum: *Me fortunaſque meas pro veſtra incolumitate, concordiaque devovi.* Cæſar *de bello Gallico*: *Neque adhuc hominum memoria repertus eſt quiſquam, qui eo interfecto, cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret.* Titus Livius: *Equidem mortem pro patria præclaram eſſe fateor, ut me vel devovere pro populo Romano legionibusque, vel in meos me mittere hoſtes paratus ſim.* Virgilius:

Votivus, &c.

- - - - Quorum ſe devovet aris.

Ovidius in Ibin:

Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin.

Inde fit *devotor*, *devotrix*, & *devotum*, idem quod deſtinatum, modo ad proſperum, modo ad adverſum relatum. Cicero: *Miloni devota & conſtituta iſta hoſtia videtur.* Virgilius:

Devotum hoſtiles Decium preſſere catervæ.

Idem: *Præcipue infelix peſti devota futuræ.*

Varro: *Tu devoto tibi animo utere.*

Eandem ſignificationem retinet *Devotio*. Eſt enim deſtinatio, vel exſecratio. Suetonius in *Caligula*: *Lenis adeo & innoxius, ut Piſoni, decreta ſua reſcindenti, non prius ſuccenſere in animum induxerit, quam veneficiis quoque & devotionibus impugnari ſe comperiſſet.*

Denique à *voveo*, *Convoti*, iiſdem videlicet votis obligati, & *voto* vel *votio* frequentativum, ſunt orta. *Votitum* Veteres etiam uſurparunt, pro eo, quod eſt religione aliqua prohibitum atque interdictum. Plautus: *Nolo illam habere cauſſam & votitam dicere.* Quidam tamen à *vetando*, quaſi *vetitum* dictum volunt. Hæc de nominibus Latinis.

Græca nomina atque verba, quibus precandi iſta actio exprimitur, ſunt primum εὐχὴ, poëtice εὐχωλὴ, προσευχὴ, εὔχεσθαι, ἐπεύχεσθαι, συνεύχεσθαι, προσεύχεσθαι, εὐχετᾶσθαι; quorum omnium origo eſt παρὰ τὸ εὖ χεῖν ἤτοι ῥέειν λόγους, quoniam verba bene funduntur, ſive fluunt inter precandum: vel potius παρὰ τὸ ἔχεσθαι τοῦ εὖ, ἤτοι τοῦ ἀρίστου. τοιοῦτον γὰρ ἡ πρὸς τὸ θεῖον ἀνάτασις δι' εὐχῆς, *quoniam precationibus quis conjungitur & agglutinatur ei, quod eſt bonum, ſeu optimum, hoc eſt, divino Numini*: tametſi εὐχὴ quoque dici poteſt ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν, cujus contrarium δυσαναχετεῖν. ὁ μὲν γὰρ εὐχόμενος ὁπωσοῦν εὖ ἔχει, ἐφ' ᾧ ποιεῖ. ὁ δὲ δυσαναχετῶν, δυσκόλως ἔχει, *Nam qui precatur, is bene ſe habet: ſecus ſi quis fecerit, male ſe habet.* Hæc Euſtathius *Od. μ.* quæ precationis vim uſumque egregie exprimunt. Ex hac autem voce εὐχὴ autores probati, Thucydides, Plutarchus, & alii dixerunt κατ' εὐχὴν, πρὸς εὐχὴν, *ad votum, pro voto, ex animi ſententia*: item Thucydides εὐχὰς ποιεῖσθαι τὰς νομιζομένας, *preces* ſive *vota legitima nuncupare*: εὐχὰς ἀποδιδόναι, *vota perſolvere* ſive *implere*: εὐχῇ χρῆσθαι, εὐχῆς τυγχάνειν, εὐχῶν μετέχειν, *voto* vel *votis potiri*: item εὔχεσθαι εὐχὰς τοῖς θεοῖς, *vota facere, optare* vel *petere aliquid a Diis*: quanquam εὔχεσθαι abſolute aliquando pro eodem ſumitur.

Nomina atque verba Græca precum.

1. Εὐχὴ, εὔχεσθαι, &c.

ſumitur. E contrario ἀπεύχεσθαι eſt *deprecari*, *precari* ſeu *optare*, ne quid eveniat, *abominari*, *exſecrari*: & καλεύχεσθαι, *imprecari*, *dira precari*, *diris devovere*: & προσεύχεσθαι τοῦ λαοῦ *precari pro populo*: & συνεύχεσθαι *unâ cum aliis precari*. Deſcendunt hinc εὐχέτης, *qui votum facit*: εὐκτὸς, *optabilis*: εὐκτικὸς, idem: (unde εὐκτικοὶ ὕμνοι) εὐκτήριος & εὐκτήριον, neutro genere, locus, ubi oratur, quaſi *Oratorium*, *Lararium*, *Sacrarium*: unde εὐκτήριος νεὼς, *templum ſacrarium* Theodoretus dixit.

2. Ἱκέσθαι, ἱκεσία, &c. Secundo hûc refertur ἱκέσθαι, verbum: quod proprie quidem *pervenire*, ſed tranſlate *pervenire ſupplex* ſignificat, idem videlicet quod ἐξικέσθαι. Homerus Οδ. ν.

- - - ἐγὼ δέ κεν ἄλλον ὑπερμενέων βασιλήων
Ἐξικόμην, &c.

Deſcendunt inde ἱκεσία, *ſupplicatio*. (Plutarchus: ἱκεσίαις χερῶν ἤπλουν, *ſupplicibus manibus orabant*:) ἱκέσιος, *ſupplex* (Eurip. ἱκέσιοι κλάδοι, *rami ſupplices*, & ζεὺς ἱκέσιος, *Juppiter ſupplicum præſes*:) ἱκετεία, idem quod ἱκεσία (Thucydides: ἱκετείαν ὑμῶν ποιῶ, *vos precibus obſecro*:) ἱκετεύω, *ſupplico*, *obteſtor* (Xenophon: ἱκετεύειν τοὺς θεοὺς δεσποτῶν ἀγαθῶν τυχεῖν, *Deos orare dominos nanciſci bonos*. Euripides: ἱκετεύω σε τῶνδε γονάτων, *per iſta genua ſupplico tibi*:) ἱκετηρία, *forma ſupplicandi*, ſeu *ramus oleæ*, *lana obvolutus*, quem ſupplicantes in manibus ferebant (Herodotus: ἱκετηρίαν λαβὼν, *ſumens oleæ ramum*:) ἱκετήριος, & per ſyncopen ἱκτήριος, idem quod ἱκέσιος, *ſupplex*, & ἱκέτης (Plutarchus: ἱκέτης αὐτοῦ καταστὰς, *ſupplicem ei ſe præbens*:) ἱκετήσιος, *deprecabilis*, Jovis epitheton, qui ἱκετῶν ἐπόπτης, *ſupplicum dictus* eſt *antiſtes* à Luciano: ἱκετικὸς, *ſupplicabundus*, Euſtathio, & ἱκέτις, *quæ ſupplicat*.

3. Αἰτεῖν, αἴτημα, &c. Tertio precandi actionem exprimunt Græci etiam verbo αἰτεῖν, vel αἰτεῖσθαι: quod poſterius commune eſt verbum: nunc active conſtructum, ut αἰτοῦμαι τὸν ἄνθρωπον, *rogo hominem*: nunc paſſive, ut αἰτοῦμαι ὑπὸ τοῦ ἀνθρώπου, *rogor ab homine*. Ariſtophanes in *Nebulis*: ἐμοῦ μέτριά τε καὶ δίκαι' αἰτουμένου, *me juſta poſtulante*. Xenophon primo *Pædiæ*: αἰτεῖσθαι τ' ἀγαθὰ παρὰ τῶν θεῶν, *petere à Diis bona*. Inde fit αἴτημα, & αἴτησις, *petitio*, *poſtulatum*: αἰτητὰ, ſymbola, quæ dantur ad cœnam: αἴτης, *pauper*, *mendicus*, qui ſemper petit: αἰτητὴς, idem: αἰτητικὸς, *propenſus ad precandum*: αἰτητὸς, *petitus*, ut αἰτητὸς ἀρχὴ, *petitum imperium*, & αἰτηθεὶς, à quo quippiam petitum eſt. Thucydides libro ſecundo: αἴσχιον ἦν αἰτηθέντα μὴ δοῦναι, ἢ αἰτήσαντα μὴ τυχεῖν, *deformius erat eum, qui poſceretur, non dare, quam eum, qui poſceret non impetrare*.

4. Δέομαι, δέησις. Quarto referendum huc eſt verbum Δέομαι, ortum vel à δέον, hoc eſt, *neceſſarium*, quod à Deo non niſi neceſſaria, quorum vel maxime indigemus, petere debeamus: vel à δέος, id eſt, timor, quod cum Dei timore & reverentia conjuncta noſtra debeat eſſe ſupplicatio. Hinc autem δέομαι ἐπικουρίας, *imploro auxilium*, Thucydides: δέομαι σου τοῦτο, *rogo te hoc*, Ariſtophanes: δεῖσθαι πᾶσαν δέησιν, *omnes preces adhibere* Plutarch. dixere. Δέησις enim *petitio* eſt vel *preces*.

5. Λίσσειν, λίτεσθαι, λιτὴ &c. His adde verba λίσσειν, vel λίσσεσθαι, & λίτεσθαι, vel λιτάζεσθαι: item λιτανεύειν, idem quod ἱκετεύειν & δέεσθαι quorum priori aliquoties uſus eſt Homerus: ut *Odyſſ.* ο.

- - - - λίσσομ' ὑπὲρ θυέων, *precor per ſacra*.

Et Iliad. α. - - - - ἐλίσσετο πάντας ἀχαιοὺς,
Supplicavit omnibus Achivis:

Et Iliad. τ. λισσόμενοι δειπνῆσαι, *rogantes, ut prandium ſumerent*.

Sic Apollonius Argonaut. 2. dixit θεοὺς λίσσεσθαι, *Deos precari*. Poſteriori idem uſus eſt: ut *Od.* ξ.

Πρόφρων κέν δὴ ἔπειτα Δία Κρονίωνα λιτοίμην.

Et *Iliad.* π. Οἱ αὐτῷ θάνατόν τε κακὸν καὶ κῆρα λιτέσθαι.

Hinc λιτὴ, *ſupplicatio*, *ſupplices preces*, *obſecratio*, & λιταὶ Homero Deæ præſides ſupplicationum, & λιτήσιος *ſupplex*: ut λιτήσιος αὐχὴν, apud Nonn. *ſupplex dorſum*. Sic & verbo λιτανεύειν idem Homerus utitur, ut *Iliad.* χ.

Πάντας δ' ἐλλιτάνευε κυλινδόμενος κατὰ κόπρον.
Omnibus quidem ſupplicavit, volutus in cœno.

Sic Heſiod. in *Theogon.*

- - - φίλους λιτάνευε τοκῆας
Μῆτιν συμφράσσεσθαι·

Hinc λιτανεία, *ſupplicatio*, *ſupplices preces*, *obſecratio*, vulgò *Litania*.

6. Ἀχαὶ, προσόδοι, &c. Denique huc refer ἀχὰς, quaſi εὐχὰς, id eſt, *ſupplicationes*, *vota*, *optata*, & προσόδους: quas ſupplicationes ad altaria Ariſtophanes in *Nebulis* exponit. Inde προσόδια μέλη apud Athenæum carmina, quæ canuntur, quum Diis ſupplicatur, & ad eorum altaria, ac pulvinaria preces fiunt. Aliquando θυσίαι & πρόσοδοι *ſacrificia* & *ſupplicationes* ab Iſocrate & Demoſthene conjunguntur, ut ἡμᾶν, ἱλάσκεσθαι θεὸν προσόδοις καὶ θυσίαις, *colere*, vel *placare Deum ſupplicationibus*, & *ſacrificiis*.

Nomina Hebræa Hujuſmodi fuerunt Græca nomina atque verba, quibus precandi actio exprimitur. Apud HEBRÆOS actio

שאל 1. hæc exprimitur verbo שאל *Schaal*, quod *petere*, *poſtulare*, *quærere*, *interrogare* ſignificat: nonnunquam

Schaal. etiam, *mutuum petere*: item, *obtinere*, *quod petis*. Eſaiæ ſeptimo, שאל לך אות מעם יהוה *Scheal lech aoth mehim Jehova*, *Pete tibi ſignum à Jehova*. Sic *Deuteronomii* decimo octavo idem Diis fictis tribuitur: *Non inveniatur in te* שאל אוב וידעני *Schoel ob veidehoni*, *interrogans Pythonem*, aut *ſciolum* (alii, interpretantur,

שאלה 2. *Iconium*.) Inde autem fit שאלה *Scheelah*, *poſtulatio*, *petitio*, &c. Et hæc de nominibus precum, ſive preca-

Schealah. tionum ſatis ſint dicta.

Ut

Ut autem in sacrificiis, ita in precibus sacris, quæ vel in, vel cum, vel etiam extra sacrificia fiebant, considerabant diligenter, Quis precaretur, pro Quo, Quem, Quid, Ubi, Quando, Quomodo, & Cur. Quantum ad primum, is, qui precatur, *precator*, *deprecator*, aliisque nominibus à Latinis appellatur. Hoc autem cum omnium hominum, tum sacerdotum in primis & antistitum cum rei divinæ, tum Reipublicæ munus esse existimabant. 1. Quis olim precatus.

Deinde non tantum pro se, sed etiam pro aliis vel privatis hominibus, vel etiam pro universa familia, civitate, populo sibi precandum existimabant. 2. Pro Quo.

Precum sacrarum, ut & sacrificiorum, objectum generale putabant esse cum Deos & Deas omnes, tum certos precantium Deos atque Deas: principium tamen precationis ad Ianum & Vestam dirigi solebat, quæ in omnibus sacris præcipua Numina habebantur. In votis enim nuncupandis perpetuam hi meruere præfationem. Hinc Fabii Serviliani Pontificis M. disciplinâ traditum fuit, ut alio die Manibus parentare non liceret, ne infesti Manes fierent: quia alio die nec Janum, nec Vestam præfari licebat, testis est Gyraldus. De Jano Fabius Pictor lib. I. *Vinum*, inquit, *& far primus illos docuit Janus, ad sacrificia & religionem magis, quam ad esum & potum. Primus enim vas & pomœria & sacra docuit, & ob id illi in omni sacrificio perpetuo præfatio præmittitur, farque illi & vinum prælibatur.* Illos tamen, qui ad aram Maximam sacra faciebant, alium, quam Herculem, Deum adorare non decebat. Cui vero Deo sacrum fuerat constitutum, id moris fuit, ut post ipsum reliqui invocarentur, ut volentes & propitii votis & precationibus adessent: Domitianus tamen Minervam genitricem & Ant. Heliogabalus suum Deum præponi mandârunt. In Peloponneso Melissa Nympha, quæ usum mellis illis dedisse credita est, in sacrorum præfatione adhibebatur. Sane & cuique Deo sua carmina suæque precationes institutæ erant, quæ comptis verbis efferebantur: & ne quid præpostere fortasse diceretur, aut verborum aliquid præteriretur, aliquis præire fuit solitus, rursusque alius custos datus, qui attenderet sodalem: alius, qui favere linguis juberet; & tibicen cecinit; ne quid infaustum exaudiretur: id quod ex Livio & aliis scriptoribus patet. 3. Ad Quem.

Materia precum generalis erat, quod vel precabantur à Diis suis bona & animi & corporis & fortunæ, & publica & privata: vel deprecabantur mala animi, corporis & fortunæ, eaque similiter vel publica vel privata. 4. Quid.

Preces autem hujusmodi in templis & ad altaria ante ora, id est, idola atque simulacra suorum Deorum, item ad sepulcra, sibi potissimum faciendas esse putabant. Alioqui locus, quod hîc obiter notandum, in quo cæteri petitores, & postulatores convenire solebant, apud Romanos, erant pontes, & clivus Aricinus propter confluentes ad templum Dianæ, isque locus *proseucha* dicebatur ἀπὸ τῆς προσευχῆς, id est, *deprecatione*, quam Damascenus definit ἀνάβασιν νοῦ πρὸς θεὸν, ἢ αἴτησιν τῶν προσηκόντων παρὰ θεοῦ. Juvenalis: 5. Ubi.

Ede, ubi consistas, in qua te quæro, proseucha.

Quantum ad tempus; sacrificiorum potissimum tempore, sibi persuadebant preces suas Diis suis esse gratas & acceptas. Habebant enim, ut sacrificandi, ita supplicandi Diis suis certa & definita tempora. 6. Quando.

Quantum ad modum attinet; certam ut animi: ita corporis affectionem ac dispositionem in precationibus requirebant. Habebant etiam certas precandi formulas, de quibus postea. Inde autem constat, modum precandi duplicem fuisse: alium animi & internum; alium corporis & externum. Quantum ad animi affectionem, seu modum internum; ut is esset pius, castus, mundus, sincerus, purus, à pravis cogitationibus & cupiditatibus alienus & immunis necesse erat: quo tamen Gentiles carebant, cum animi ipsorum pravis imbuti atque infecti essent erroribus, & opinionibus; prava eorum esset mens, pravi affectus, & vacui verâ Dei scientia & cognitione. De hoc interno modo precandi vide Hesiodum, Platonem, Ciceronem. 7. Quomodo. Animo interne.

Quantum ad externum & corporeum modum attinet; qui in voce, verbis, corporis cum totius, tum singularum ejus partium, vestitu, lavatione, dispositione, situ, gestibus consistit, ei potissimum studebant, & in eo omnem fere pietatem sanctitatemque collocabant. Quantum ad vocem; aliquando voce utebantur submissa: aliquando altâ, clarâ, intentâ & clamosâ. Hinc Pythagorei jubent cum voce precari. Non quod, ut mihi quidem videtur, existimarent, Deum non posse exaudire eos, qui tacite loquuntur, sed quod justas vellent esse preces, quas non vereatur quis fundere, multis eas scientibus. Noti sunt etiam illi Baaliticorum sacerdotum clamores & vociferationes in sacris litteris, quas in precibus & supplicationibus suis adhibuerunt: quas Helias Propheta salse perstrinxit & irrisit. Notum item illud, quod in decimo ab Urbe condita apud Livium legimus, Marcum Attilium Cos. *cum adversus Samnites atrox bellum esset, manus ad cœlum tulisse, voce clara, ita ut exaudiretur, templum Jovi Statori vovisse, si constitisset à fuga Romana acies.* Hæc Livius. Voce item usi fuerunt vel simplici, vel canorâ cantillantes. Corpore externe. Voce.

Quoad verba; verbis plerunque usi fuerunt barbaris, obscœnis, obsoletis: cujusmodi erant pleraque verba, quibus in toto cultu atque religione sua sunt usi, quibus ipsi autoritatem quidem religioni suæ conciliare fuerant conati, sed meram ejus barbariem & absurditatem, hujusmodi verborum barbarie & absurditate, prodiderunt. Verbis.

Deinde in precibus suis aliquando βραχυλογίᾳ Laconicâ, sed plerunque πολυλογίᾳ & βαττολογίᾳ, id est, *fatuâ garrulitate, loquacitate, multiloquio* usi fuerunt; quod Christus ipse Ethnicis in sacris litteris tribuit, ab eo ritu atque more Ethnico discipulos suos dehortatus.

Præterea ut in universo suo cultu, ita in precibus & supplicationibus publicis usi fuerunt aliquando corporis vestitu & habitu sordido, squallido, lugubri: aliquando splendido & ornato. Nonnunquam etiam furiosorum Certo habitu.

ritu

ritu vestes suas scindere atque dilacerare fuerunt soliti: quod Jeremias, in sua epistola ad Judæos, Babyloniorum etiam sacerdotibus in more positum fuisse testatur.

Ablutione corporis & habitus.

Corpora quoque & vestes suas, priusquam ad sacra & supplicationes accedebant, abluere solebant. Hinc apud Homerum Penelope haustâ aquâ, mundas gestans in corpore vestes, ad preces dicitur venisse, de qua sic Eustathius: ὑδρηναμένη καθαρὰ χροῒ εἵμαθ' ἑλοῦσα εὔχετο. ὡς ἀεὶ καθαρεύειν ἐν τοῖς θείοις χρεὼν ὄν. Sic Priamus: sic Telemachus ablutus manus pelago Minervæ vota fecit; item alio in loco, nempe *Iliad.* 1. ad eundem morem alludens:

> Φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε,
> Ὄφρα Διὶ Κρονίδῃ ἀρησόμεθ' αἴκ' ἐλεήσῃ·
> *Ferre autem aquam & linguis favere jubeto,*
> *Ut Jovi Saturnio supplicemus, si misereatur.*

Quo sane externo ritu lavandi manus, docent illi veteres, quam pure ad preces Deo fundendas accedendum sit, quem morem Judæorum quoque fuisse historia sacra testatur. Clemens vero Alexandrinus has corporeas utrorumque ablutiones perstringens ait: λελουμένους φασὶ δεῖν ἐπὶ τὰς ἱεροποιίας καὶ τὰς εὐχὰς ἰέναι καθαροὺς καὶ λαμπρούς, Ajunt, *nos oportere lotos, mundos & splendidos ad sacra atque preces accedere.* Addit: ἴσθι μὴ λουτρῷ, ἀλλὰ νοῷ καθαρός. ἁγνεία γὰρ οἶμαι τελεία ἡ τοῦ νοῦ καὶ τῶν ἔργων, καὶ τῶν διανοημάτων, πρὸς δὲ καὶ τῶν λόγων εἰλικρινεία τελευταῖα, καὶ ἡ κατὰ τὰ ἐνύπνια ἀναμαρτησία. ἱκανὴ δὲ οἶμαι ἀνθρώπῳ κάθαρσις, μετάνοια ἀκριβής, καὶ βεβαία, εἴγε καταγνωκότες ἑαυτῶν ἐπὶ ταῖς προηγουμέναις πράξεσι προΐεμεν εἰς τὸ πρόσθεν. μετὰ ταῦτα νοήσαντες, καὶ τὸν νοῦν ἐξαναδύντες τῶν τε κατ' αἴσθησιν τερπόντων, καὶ τῶν πρόσθεν πλημμελημάτων, id est, Non lavacro, *sed animo & mente mundus esto. Emundatio enim, opinor, perfecta animi est & operum, & cogitationum: sinceritas item perfecta sermonum, & innocentia in somniis. Sic idonea, sine dubio, homini lustratio est pœnitentia accurata & constans,* &c.

Dispositione corporis. I. Corporis totius.

Corporis item cum totius, tum singularum ejus partium atque membrorum θέσιν καὶ διάθεσιν, dispositionem, situm, gestum, sive gesticulationem potius, observabant. Corporis quidem totius. Nam posternebant se in terram, quam prostrationem Hebræi verbo השתחוה *Hischtachavah*, de quo supra, exprimunt, & Græci verbo προσκυνεῖν· vel stantes aut sedentes vota faciebant: unde Pythagoræ symbolum, καθῆσθαι προσκυνήσαντας, *adoraturi sedeant:* cujus symboli variam expositionem vide in *Adagiis* Erasmi: vel corpus etiam totum vertebant in has vel illas partes Mundi. Hinc Trismegistus Mercurius censuit, ut adorantes medio die se converterent ad Austrum: occiduo ad Occasum: si vero primum oriretur Sol, in Ortum. Fuit & Apollonii Tyanei opinio, summo diluculo cum Diis versandum, procedente mox die, de Deis loquendum. Sic ex Græcis in Pindarum Commentariis constat, ad Orientem converso corpore Deis preces atque sacra fieri: heroibus vero ad Occidentem consuevisse. Porphyrius item Philosophus, templorum statuas & ingressus Orientem spectare debere statuit, uti adeuntes in occasum conversi & in simulacrorum ora: id est, ἀντιπρόσωποι preces effunderent: unde & Lucianus templa condi ad Orientem solem Veteres consuevisse testatur. Persæ quoque præcise ad Orientem orandum esse docebant: quo pertinet proverbium προσκυνεῖν περιφερόμενος apud Erasmum, & testimonium illud Apulei libro secundo: *Tum in Orientem*, inquit, *obversus, vel incrementa Solis augusti tacitus imprecans.*

II. Partium corporis singularum: ut 1. Capitis.

Quod deinde ad corporis partes attinet; constat in precando certos gestus vel capitis, vel manuum vel pedum fuisse. Nam precantes non solum caput totum huc vel illuc convertebant, & capite aliâs aperto: aliâs operto ut sacrificabant, ita precabantur: item illud osculari & attingere cum venerationis & honoris, tum precandi caussâ solebant, id quod Homerus de Eumæo & Dolio, Ulyssis servis scribit, eos caput & humeros domini sui osculatos, & item Ulyssem illorum, *Odyss.* φ. Sed etiam vultus, partem nimirum capitis anteriorem, vel in altum tollebant, vel in terram dejiciebant; quo fortassis illud Ovidii:

> *Os homini sublime dedit, cœlumque videre*
> *Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Et illud Homeri *Iliad.* τ.

> Ἀρξάμενος δ' ἄρα εἶπεν, ἰδὼν ἐς οὐρανὸν εὐρύν.
> *Supplicans autem dixit suspiciens in cœlum latum.*

Sic Antiquos Græcos in supplicando mentum attingere solitos testatur Plinius libro undecimo, capite quadragesimo quinto.

2. Manuum.

Soliti quoque fuerunt manus complicare, expandere, in altum tollere. Unde Lactantius Grammaticus, *Altaria* voluit esse dicta, quod circa illa manus in altum tollebantur. Hinc Virgilius quarto *Æneid.*

> *Multa Jovem manibus supplex orâsse supinis*
> *Dicitur, &c.*

Et secundo *Æneidos:*

> *At pater Anchises oculos ad sidera lætus*
> *Extulit & cœlo palmas cum voce tetendit:*
> *Jupiter Omnipotens, &c.*

Sic *Iliad.* α. Chryses dicitur precatus esse Apollinem ἀνασχὼν τὰς χεῖρας, *sublatis manibus*, quod Eustathius interpretatur, ἀνατείνας εἰς εὐχήν.

Legi-

Legimus quinetiam, illos cum sacrificantes, tum precantes, ut etiam jusjurandum (quod est species precationis, ut suo loco audiemus) facientes, manibus aram tenuisse. Nam nisi manu teneretur, non litari putabatur. Hinc Varro lib. 5. aras *ansas* vult dictas, quod esset necessarium à sacrificantibus eas teneri: cui opinioni Macrobium suffragari, ex ejus verbis, quæ supra quoque citavi, colligitur: *Multifariam*, inquit, *legimus, quod litare sola non possit oratio, nisi is, qui Deos precatur, etiam aram manibus apprehendat*, quam opinionem Virgilii autoritate comprobat. Is 4. *Æneid.* sic canit:

Talibus orantem dictis arasque tenentem
Audiit Omnipotens, &c.

Et alio loco: *Tango aras, medios ignes, & Numina testor.*
Item 6. *Æneid.* *Talibus orabat dictis, arasque tenebat.*

Hinc nonnulli *aras*, ut supra quoque dictum, à precationibus, sive etiam imprecationibus, quas Græci ἀρὰς appellant, volunt dictas.

Nec vero tantum, qui precabantur, manus complicabant, extendebant, in altum tollebant, sed etiam aliorum manus, à quibus quid petebant, partim tetigerunt, partim exosculati sunt. De priori Virg. *Æneid.* 7. Exosculatio manuum.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

De posteriori Homerus *Iliad.* α.

\- - - ἄγχι δ' ἄρα στὰς
Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας.
\- - - *Prope igitur stans*
Manibus Achillis tetigit genua, & manus osculatus est.

Cornelius Tacitus: *Ad genua ipsius advolvi & dextram osculo fatigavi.*

Hîc juvat in genere quædam de osculo subjungere. *Osculum* quasi *os parvum* dicitur Latinis, quia osculando os coarctamus atque minuimus, & quasi ex ore osculum facimus: à quo *Osculor*, & *Osculator*, & *Osculatio*: item, *Exosculor* & *Exosculatio*. Aliter *Basium* (unde Italicum *basiare*, & Gallicum *baiser*) *Basio*, *Basiator*, *Basiatio* dicuntur. *Suavium* quinetiam osculum vocatur à *suavitate*: unde *Suavio*, *Suaviator*, *Suaviatio*: & *Disuaviatio*, *Disuaviator*. Quidam hæc ita distinguunt, ut osculum sit officii, ut cum è longinquo redeuntes, vel digredientes alicunde, salutamus atque osculamur: in quam sententiam Plutarchus in Vita Catonis Uticensis scribit, ipso de Provincia digrediente, milites reverenter manum osculatos fuisse: quod genus tamen non nisi Imperatoribus, iisque perpaucis tum temporis tributum fuit. Idem testatur Pomponius Lætus in suo Compendio Romanarum historiarum. Basium porro pudicorum erat, ut patris in filium, uxoris in maritum. Suavium vero voluptatis: unde idem, quod dulce, & suavitas sive suavitudo, idem quod dulcedo. Plautus: *Cor meum, spes mea, mel meum, suavitudo mea, cibus, gaudium.* De osculo in genere. Nomina osculi Latina.

Græce osculum dicitur φίλημα ἀπὸ τοῦ φιλεῖν, sive τῆς φιλίας, id est, *amore, dilectione, amicitia*, cujus est symbolum. κακαὶ φρένες ἁδὺ φίλαμα, *mala mens, suave osculum.* Judæ osculum tale fuit. Nomina osculi Græca.

Hebraice oscula dicuntur נשיקות *Neschikoth.* (Hinc *Proverbior.* 27. *Fideliora vulnera amantis, quam Neschikoth*, id est, *oscula blanda osoris. Cantico.* 1. *Osculetur me in osculis oris sui*) à נשק *Naschak*, *Osculatus est*, quod affine est verbo נשך *Naschach* per *Caph*, significanti *Mordere*, *Arrodere*, ut serpens dentibus mordet & rodit. Oscula enim sunt quasi morsiunculæ quædam; & sæpe quidem mortiferæ. Hebræum.

Germani *osculum* exprimunt per Kuß / & *osculari* per küssen / à Græco κύσαι, quod idem, à κυέω, κυήσω, & κύω, quod item *concipere*, *uterum* vel *partum ferre* significat. Inde κύσον, *osculum.* Differunt autem φιλεῖν, καὶ κυεῖν, ὅτι τὸ μὲν κυεῖν τὸ τοῖς χείλεσι ἀσπάζεσθαι. τὸ δὲ φιλεῖν ἀγαπᾶν καὶ ξενίζειν, Ammonius. Homerus, υἱὸν κύσσεν. Aristophanes, κύσον με, καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν. Aristot. *de animalibus* lib. 6. κύσσι ἀλλήλας αἱ περιστεραί, *se mutuo osculantur columbæ.* Recte autem uno verbo *concipere*, *gravidam esse & osculari* dixerunt, quia ex osculis plerumque conceptio & uteri gestatio. Germanica nomina osculi.

Porro osculum est gestus oris, quo os alterius ori admovemus, amoris & amicitiæ, vel etiam reverentiæ, observantiæ, & honoris testificandi gratia, quod apud Orientales præsertim magno in usu fuit. De osculo vide plura apud Sanctum Augustinum, qui illud in corporale & spirituale dividit, de quo hîc non agimus. Pomponius Lætus testatur Diocletianum & Cajum Caligulam honoris & subjectionis pedes quoque sibi exosculandos præbuisse. Hæc obiter de osculo. Osculum quid.

Genuum quoque atque pedum gestus in precationibus cum civilibus, & profanis, tum sacris & religiosis antiquissimus & creberrimus, ut etiam hodie, apud omnes fere gentes fuit. Is ab Hebræis quidem ברך *Barach*, à Græcis γονυκλισία, à Latinis *supplicatio*, sive *genuum flexio & incurvatio* dicitur. Hinc *Geniculari*, genibus flexis precari, & *Geniculatio* precatio est, quæ fit geniculando, sive genuflectendo: quod verbum utrunque apud Tertullianum sæpe occurrit. Unde B. Rhenanus, *Geniculari*, inquit, *in adorando velut pœnitentis est: qui stans adorat, tanquam jam veniam consecutus, gratias agit.* Plinius cur geniculationis tantus semper usus fuerit, rationem reddens lib. 11. cap. 45. in hanc sententiam loquitur: *Hominis genibus quædam & religio inest, observatione Gentium. Hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc ut aras adorant, fortassis quia inest iis vitalitas. Namque in ipsâ genu utriusque commissura dextra lævaque à priore parte gemina quædam buccarum inanitas inest, qua perfossa, ceu vinculis spiritus fugit. Inest & in aliis partibus quædam religio,* 3. Genuum.

sicut

ficut dextra ofculis averfa appetitur, in fide porrigitur. Hæc Plinius: quibus adde, quæ de genibus, huic loco confentanea, Iſidorus fcribit *originum* libro 11. *Genua*, inquit, *funt commißiones femorum & crurum; & dicta genua, eo quod in utero fint genis oppofita. Cohærent enim fibi ibi, & cognata funt oculis lacrymarum indicibus & mifericordiæ. Nam à* genis genua *dicuntur: denique complicatum gigni formarique hominem dicunt, ita ut genua furfum fint, quibus oculi formantur, ut cavi & reconditi fiant. Ennius,* Atque genua comprimit arta genu. *Inde eft quod homines, dum ad genua fe profternunt, ftatim lacrymantur. Voluit enim eos natura uterum maternum rememorari, ubi quafi in tenebris confedebant, antequam ad lucem pervenirent.* Hæc Iſidorus.

Apud Homerum etiam, hujus geſtus crebra fit mentio, qui cum exprimit vel per γόνυ κάμπτω, id eft, *genuflecto, Iliad.* 1. vel per γουνόομαι, id eft, *genua amplectens oro, vel per* γουνάζομαι, idem. Prioris exemplum exſtat *Iliad.* φ.

Γουνοῦμαί σ' Ἀχιλεῦ, &c.

Genua amplectens, id eft, fupplex oro te Achilles.

Et *Odyff.* δ. —— πολλὰ θεοὺς γουνούμενος,

Multa orans fupplex Deos.

Poſterioris, *Od.* ν. Νῦν δέ σε πρὸς πατρὸς γουνάζομαι·

Nunc apud patrem te fupplex oro.

Ejuſdem moris indicio funt tritæ & uſitatæ illæ formæ dicendi apud eundem Homerum: γούνων, five γουνάτων ἁψάμενος, λαβών, ἑλών, id eft, attingens, five, ut Virgilius exponit, amplexus genua, *Æneidos* tertio:

- - - *Et genua amplexus genibuſque volutus*
Hærebat, &c.

Quo modo & Plautus interpretatur in *Ciftellaria:*

Anus ei amplexa eft genua, plorans, obfecrans,
Ne deferat fe, &c.

Pertinent hûc & ἱκάνειν, five ἱκάνεσθαι γούνατα, ἀντεσθαι πρὸς γουνάτων, id eft, προσπίπτειν τοῖς γόνασι, vel πρὸς γόνατα, *accidere, procidere, procumbere, volvi ad genua,* quod idem fere ac γουνοπετεῖν, *genua attingere.* Euripides in *Hecuba*: προσπίτνε δ' οἰκτρῶς τοῦ ᾿Οδυσσέως γόνυ. Hinc verbum γουνοῦσθαι pro precari Deos apud eundem; & tritum illud: θεῶν ἐν γούνασι κεῖται ἱκεσία, quod quidam interpretantur, *Hæc non fita funt in noftra poteftate fed funt precibus & fupplicibus votis à Deo petenda.* Suetonius item in *Tyberio* meminit hujus moris: *Defcenditque* (inquit de eo) *è curru feque præfidenti patri ad genua fummifit.* Idem: *Per genua orare conantur.*

Hic ritus ſupplicantium etiam hoc loco Homeri deſcribitur *Iliad.* α.

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖς καθέζετο καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ. δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα,
Λισσομένη προσέειπε Δία Κρονίωνα ἄνακτα·

Et ante ipfum fedit & prehendit genua,
Siniftra manu: dexterâ autem fub mento apprehendens,
Supplicans allocuta eft (Thetis) *Jovem Saturnidem Regem.*

Ubi primum fedet Thetis ante Jovem, cui erat ſupplicatura: quem morem ſupra quoque obſervavimus ex ſymbolo Pythagoræ: quo etiam illud referendum, quod interpretes Apollonii perhibent, ſolere ſupplices apud Larem tacitos ſedere. Sic autem locutus erat Apollonius:

Τὼ δ' ἄνεῳ, καὶ ἄναυδοι ἐφ' ἑστίῃ ἀΐξαντες
Ἵζανον, ἥτε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται.

Sed illud non eft hujus loci: neque videtur ſupplicem decere, ut ſedeat, niſi hoc inter Deos propter affinitatem aut generis, aut dignitatis tolerari poſſit. Quæ ſequuntur autem ſic ſe habent, prout illa quoque Rhodiginus libro decimo quinto, capite decimo octavo, ex Euſtathio & aliis Græcis interpretibus ſtudioſe collegit. *Veteribus,* inquit, *poft illos diu receptißimi fuit moris, ut fupplicantes caput, dextram, genua ejus, cui fe ingererent fupplices, contingerent: nec totum tamen caput, fed mentum modo, ut ftatuere Homerus videtur, vel barbæ meditullium, quod probat Euripides. Id vero* διὰ τὸ ἡγεμονικὸν, *quia fit in nobis ea pars principalis, ut in qua* λογιστικὸν, *id eft, rationalis collocetur potentia. Dextra vero* διὰ τὸ πρακτικὸν, *quoniam inibi maxima infit ad agendum facultas. Genua propter motus & progreßionis neceßitatem. Tria vero hæc fymbolice, confenfum, actionem, progreffum, ad ea, quæ peterentur, præftanda, complecti videntur, & veluti* οἰωνισμοὶ τῆς ἱκετείας τέλους, id eft, *auguria finis fupplicandi.* Hæc Cœlius: quibus adde, quæ Phurnutus in locum illum Homeri *Iliad.* ι.

Καὶ γάρ τε Λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
Χωλαί τε ῥυσαί τε, παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ.

Etenim Litæ funt Jovis filiæ magni,
Claudæque, rugofæque, ftrabæque oculis:

fcribit, *Preces claudicantes à Poëta dici, quod fe in genua dejiciant, qui preces faciunt:* quæ ejus interpretatio quoniam accommodatiſſima eſt huic de precibus loco, idcirco eam hîc integram ſubjungam: *Etiam Preces,* inquit

inquit Phurnutus, *Jovis esse filias dicit Poëta, & quidem claudicantes, quod se in genua dejiciant, qui preces faciunt. Deinde etiam eorum imbecillitati rugas addit. Adhæc debili & obliquo esse visu, quod ad quadam semper conniveant. Postremo supplicandi necessitate devinctos esse. Amplius delineat Poëta Preces, tanquam Deas quasdam. Claudas quidem vocat, quod tarde & vix progrediuntur, & his supplices esse, quos primo injuria læserint: rugosas certe & visu obliquo, quod affectos injuria ægre & fronte neutiquam læta intueri possent, quos veniam poscunt. Adhæc Jovis esse filias, quod venerandæ sint, secundum illud Orphei:* οὐ γὰρ ἄτιμοι ἱκεσίου ζηνὸς κοῦραι λιταί. *Jovis autem filias dici ideo putat* Natalis Mythol. *lib. 2. cap.* 1. *quod Reges & potentiores magna semper rogantium aliquid frequentia circumsistit.*

Et hæc quidem de modo precandi.

SVPEREST ut dicamus de precationis fine, usu, vi & efficacia: de his primum hoc notandum, nullas inefficaces, otiosas aut vanas esse apud Homerum preces, si modo justæ fuerint. Jamblichus deinde libro quinto, capite vigesimo septimo de mysteriis Ægyptiorum multa splendide hac de re disserit: *Hanc* enim ait *esse cognitionis Deorum, rerumque divinarum ducem atque lucem, esse vinculum atque copulam, qua homines cum Diis conjungantur, hanc clavis instar esse, qua hominibus Deorum penetralia & scrinia aperiantur, hac paulatim homines assuefieri ad divina, donec ad divinorum operum apicem provehantur, hac hominum mentes animosque paulatim & tacite sursum rapi, donec in divinam naturam commutentur, & quasi in Deos evadant, hanc gratiam, amores, amicitiam æternam hominibus conciliare, hanc divinam animi partem accendere, & quicquid in ipsa omnino est contrarium, expiare, purgare, lustrare, quicquid fæcem & lutum mortalitatis redolet abstergere. Supplicatio*, addit, *mirifice prodest, quippe spem bonam & fidam perficit ad lucis haustum, ac ut omnia comprehendam, familiares, ut ita loquar, domesticosque Deorum reddit eos, qui illa utuntur.* Hæc atque alia hujusmodi, quæ de precibus Jamblichus scripsit, non Ethnicorum, sed Christianorum veris precibus vere proprieque conveniunt.

Cur precari olim soliti: ubi de fine & usu precationis.

Homerus. Jamblichus.

His adde, quod apud Platonem in *Alcibiade secundo, Ammon ait, precationem Lacedæmoniorum jucundiorem Deo esse, quam omnia Græcorum sacrificia.* Locus insignis & huic nostro proposito convenientissimus: quem idcirco totum hîc subjungere placuit. Sic igitur habet: Τάδε λέγει Ἄμμων. Φησὶν ἂν βούλεσθαι αὐτῷ τὴν Λακεδαιμονίων εὐφημίαν εἶναι μᾶλλον, ἢ τὰ σύμπαντα τῶν Ἑλλήνων ἱερά. τοσαῦτα εἰπεῖν, οὐκέτι περαιτέρω. τὴν γοῦν εὐφημίαν οὐκ ἄλλην τινά μοι δοκεῖ λέγειν ὁ θεὸς, ἢ τὴν εὐχὴν αὐτῶν. ἔστι γὰρ τῷ ὄντι πολὺ διαφέρουσα τῶν ἄλλων. Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι Ἕλληνες, οἱ μὲν χρυσόκερως βοῦς παραστησάμενοι, ἕτεροι δὲ ἀναθήμασι δωρούμενοι τοὺς θεοὺς, εὔχονται ἅττ' ἂν τύχῃ ταῦτα, ἐάν τε ἀγαθὰ, ἐάν τε κακά. βλασφημούντων οὖν αὐτῶν ἀκούοντες οἱ θεοὶ οὐκ ἀποδέχονται τὰς πολυτελεῖς ταυτασὶ πομπάς τε καὶ θυσίας, id est, *Hæc ait Ammon: Lacedæmoniorum faustam apprecationem sibi jucundiorem esse, quam omnia Græcorum sacrificia. Hæc tantum nec plura Deum respondisse ferunt. Non mihi quidem aliud* εὐφημίας *vocabulo, quam precationem illam videtur Deus significasse. Illa enim revera aliis multo est præstantior. Alii enim Græci auratis cornibus boves Diis sistunt atque mactant: alii, donariis Deos prosequentes, ita precantur uti fors tulerit, & temere precantur vel bona, vel mala. Quoniam autem Dii illos sæpenumero audiunt blasphemantes, utpote qui precantur perperam, opimas illas sumtuosasque sive pompas, sive hostias minime suscipiunt.* Et paullo post: Οὐ γὰρ (οἶμαι) τοιοῦτόν ἐστι τὸ θεῶν, ὥστε ὑπὸ δώρων παράγεσθαι, οἷον κακὸν τοκιστήν. ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς εὐήθη λόγον λέγομεν ἀξιοῦντες Λακεδαιμονίων ταύτῃ περιεῖναι. καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ. πολλῷ μᾶλλον οἶμαι, ἢ πρὸς τὰς πολυτελεῖς ταύτας πομπάς τε καὶ θυσίας. ἃς οὐδὲν κωλύει πολλὰ μὲν εἰς θεοὺς, πολλὰ δὲ εἰς ἀνθρώπους ἡμαρτηκότας, καὶ ἰδιώτην καὶ πόλιν, ἔχειν ἂν ἕκαστον ἔτος τελεῖν. οἱ δὲ, ἅτε οὐ δωροδόκοι ὄντες, καταφρονοῦσι ἁπάντων τούτων, ὥς φησιν ὁ θεὸς καὶ θεῶν προφήτης. Κινδυνεύει γοῦν καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς νοῦν ἔχουσι δικαιοσύνη τε καὶ φρόνησις διαφερόντως τετιμῆσθαι. Φρόνιμοι δὲ καὶ δίκαιοι, οὐκ ἄλλοι τινές εἰσιν ἢ τῶν εἰδότων, ἃ δεῖ πράττειν καὶ λέγειν, καὶ πρὸς θεοὺς, καὶ πρὸς ἀνθρώπους, id est, *Neque enim (arbitror) hujusmodi est Deorum natura, ut donis concilietur, veluti improbus fœderator: sed nos videlicet deliramus, si hac ratione, collatis nimirum confertim muneribus, apud Deos majorem, quam Lacedæmonii gratiam, favoremque nos consecuturos ducamus. Grave etenim indignumque esset, si Dii ad nostra dona atque sacrificia respicerent; non vero ad animum, si quis pius & justus nimirum sit, multo potius (arbitror) quam ad opiparas has pompas atque hostias, quas nihil prohibet quo minus vel privatus homo, vel etiam Respubl. si quibus se sceleribus obstrinxerint, illata innocentibus injuria, quotannis exsolvant. Verumenimverò Dii munerum sordibus minime capiuntur, ac proinde hæc omnia secure contemnunt, quemadmodum ait Deus ille & Deorum vates. Videtur igitur & apud Deos, & apud homines sanâ mente præditos, Justitia & Sapientia præ cæteris omnibus rebus in pretio esse. Sapientes vero & justi non alii quidem sunt, quam illi, qui intelligunt, quid faciendum dicendumque sit, & apud Deos & apud homines.* Hactenus Plato; qui universâ illâ disputatione cum finem precationis notat, nempe Deorum conciliationem, tum modum atque formam, de qua paullo superius, docens, Deum non esse temere precandum: sed cum temerariæ precationes sint blasphemiæ, ex quibus non possit non maximum hominibus oriri damnum: ita potius esse illis supersedendum precatione, quam ut male & damnose precentur, donec didicerint precari.

Plato.

Nunc, colophonis loco, precationum Ethnicarum aliquot formulas ex Poetis & Oratoribus depromtas subjungemus. Harum apud Homerum, principem Poëtarum, exstant pene innumeræ: inter quas hæc ab Alcibiade apud Platonem, cum communem pro omnibus precationem conciperet, citatur.

Precationis aliquot formulæ: Alcibiadis.

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν
Κελεύει·

id est,

Optima da nobis, vel si, pater, illa rogemus,
Vel non: at damnum cœco si errore precemur,
Tu damnum à nobis præsens avertito, &c.

Chrysis. Alia Chrysis exstat apud eundem Homerum *Iliad. α.*

Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ', ὃς χρύσην ἀμφιβέβηκας
Ἤδη μέν ποτ' ἐμεῦ πάρος ἔκλυες εὐξαμένοιο,
Τιμήσας μὲν ἐμὲ, μέγα δ' ἴψαο λαὸν Ἀχαιῶν.
Ἠδ' ἔτι καὶ νῦν μοι τόδ' ἐπικρήηνον ἐέλδωρ,
Ἤδη νῦν Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἄμυνον.

Audi me argenteum arcum habens, qui Chrysem tueris,
Jam quidem aliquando me antea exaudisti precantem,
Honorasti quidem me: valde autem læsisti populum Achivorum.
Item & nunc mihi hoc perfice desiderium,
Jam nunc à Danais sævum exitium remove.

Thetidis. Et paullo post, hæc Thetidis formula legitur, eodem libro:

Ζεῦ πάτερ, εἴποτε δή σε μετ' ἀθανάτοισιν ὄνησα
Ἢ ἔπει, ἢ ἔργῳ, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ,
Τίμησόν μοι υἱὸν, ὃς ὠκυμορώτατος ἄλλων
Ἔπλετ' ἀτάρ μιν νῦν γε ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
Ἠτίμησεν. ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας.
Ἀλλὰ σύ πέρ μιν τῖσον ὀλύμπιε μητίετα ζεῦ.
Τόφρα δ' ἐπὶ τρώεσσι τίθει κράτος, ὄφρ' ἂν Ἀχαιοὶ
Υἱὸν ἐμὸν τίσωσιν, ὀφέλλωσίν τε ἑ τιμῇ.

id est,

Jupiter pater, siquando te inter immortales juvi,
Vel verbo, vel opere, hoc mihi perfice desiderium,
Honora mihi filium, qui brevissimæ vitæ præ cæteris
Est: sed ipsum nunc Rex virorum Agamemnon
Inhonoravit. Habet enim munus ejus ereptum, quod ipse vi cepit,
Sed tu ipsum honora, Olympie prudens Jupiter:
Tandiu autem Trojanis adjice robur, donec Achivi
Filium meum honorent, augeantque eum honore.

Anchisis. Similes precandi formulæ occurrunt etiam apud Poëtas Latinos: qualis illa Anchisis, apud Virgilium *Æneidos* secundo:

Iupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos, hoc tantum: &, si pietate meremur,
Da deinde auxilium pater atque hæc omina firma.

Junonis. Et pro Turno Jovem rogans Juno, hac precandi formulâ utitur *Æneidos* duodecimo:

Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Quum jam concubiis pacem felicibus (esto)
Component, quum jam leges & fœdera jungent:
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari:
Aut vocem mutare viros aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per secula reges:
Sit Romana potens Italâ virtute propago:
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Es germana Iovis, Saturnique altera proles:
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus? &c.

Exstant

Exstant item apud Oratores multæ hujusmodi formæ insignes: qualis hæc Ciceronis in oratione antequam iret in exilium: *Teque*, inquit, *Jupiter Stator, quem vere hujus Imperii Statorem Majores nostri nominaverunt, cujus in templo hostilem impetum Catilinæ repuli à muris, cujus templum à Romulo victis Sabinis in palatii radice cum Victoria est collocatum, oro atque obsecro ferte opem pariter Reipublicæ cunctæque civitati, meisque fortunis*, &c. Ciceronis.

Talis hæc est Romuli, suis fugientibus, apud Livium in primo ab Urbe condita: *At tu, Pater Deûm hominumque, hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugamque fœdam siste: hîc ego tibi templum Statori Jovi, quod monumentum sit posteris, tuâ præsenti ope servatam Urbem esse voveo.* Apud eundem, libro nono Decade tertiâ, Scipio, ubi illuxit, ante navigationem, rem facturus divinam è prætoria navi, silentio per præconem facto, hujusmodi precatione usus est: *Dii Deæque*, inquit, *qui maria terrasque colitis, vos precor quæsoque, quæ in meo Imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur: ea mihi, populo, plebique Romanæ, sociis nominique Latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium auspiciumque terrâ, mari, amnibusque sequuntur, bene vertant: eaque vos omnia bene juvetis: bonis auctibus auxitis: salvos incolumesque victis perduellibus victores spoliis decoratos, prædâ onustos, triumphantesque mecum domos reduces sistatis: inimicorum hostiumque ulciscendorum copiam faxitis: quæque populus Carthaginiensis in civitatem nostram facere molitus est, ea, ut mihi populoque Romano in civitatem Carthaginiensium exempla edendi facultatem detis.* Hæc Scipio. Romuli. Scipionis.

Porro & imprecationis multæ passim formulæ exstant: qualis hæc Atridis apud Homerum *Iliad. τ.* Formula imprecationis, Atridis.

Ἴσω νῦν Ζεὺς πρῶτα θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος,
Γῆ τε, καὶ Ἠέλιος, καὶ Ἐριννύες, αἵθ' ὑπὸ γαῖαν
Ἀνθρώπους τίννυνται, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.
Καὶ μὲν ἐγὼ κούρῃ Βρισηΐδι χεῖρ' ἐπενεῖκα,
Οὔτ' εὐνῆς πρόφασιν κεχρημένος, οὔτε τευ ἄλλου.
Ἀλλ' ἔμεν' ἀπροτίμαστος ἐνὶ κλισίῃσιν ἐμῇσιν.
Εἰ δέ τι τῶνδ' ἐπίορκον, ἐμοὶ θεοὶ ἄλγεα δοῖεν
Πολλὰ μάλ' ὅσσα διδοῦσιν ὅτις σφ' ἀλίτηται ὀμόσσας.

Sciat nunc Jupiter primum, deorum summus & præstantissimus,
Terraque & Sol, & Furiæ, quæ sub Terram
Homines puniunt, quicunque perjurium jurârit,
Quod nequaquam ego puellæ Briseidi manum intuli,
Neque cubilis occasione usus, neque alicujus alterius rei:
Sed erat intacta in tentoriis meis:
Si vero quid horum perjurum est, mihi Dii mala dent
Multa admodum, quæcunque dant ei, qui ipsos offenderit jurando.

Imprecationis autem simul & precationis exemplum exstat apud Livium, Decade quartâ sic scribentem: *Atheniensium, qui Philippo Regi bellum inferre conabantur, sacerdotes publici, quotiescunque pro populo Atheniensi, sociisque, & exercitibus, & classibus eorum precarentur, toties detestari atque exsecrari Philippum, liberos ejus regnumque, terrestres navalesque copias, Macedonum genus omne nomenque*, &c. Formula imprecationis simul & precationis Atheniensium sacerdotum.

Votis ac precibus merito addenda & annumeranda sunt JURAMENTA, juranda, & jusjurandum: cum hæc nihil sint aliud quam precatio & imprecatio quædam religiosa, in sacrificiis sæpissime adhiberi solita. Exordium autem pro nostro more capiemus ab eorum nominibus & verbis. De juramento vel jurejurando.

Nomina & verba Latina, quibus hæc actio exprimitur, sunt *jurare, juratus, injuratus, jusjurandum, adjurare, dejerare, ejurare* vel *ejerare, pejerare, perjurus & perjurium:* quibus adde *Sacramentum*, quod juramentum est militare. Cæterum *jurare* est jurejurando devincire: dicimusque *jurare aliquid: jurare per aliquid:* vel *in aliquid:* vel absolute. Præter hæc dicunt Latini, *conceptis verbis jurare*, id est, dictatis à deferente juramentum, & ex arbitrio adjurantis, hoc est, adigentis ad jusjurandum prænotatis. Plautus in *Pseudodo: Juras ne, te illam nulli venditurum nisi mihi?* Bal. *fateor.* Cal. *Nempe conceptis verbis.* Bal. *Etiam consultis quoque*, id est, non modo dictatis à te verbis, sed etiam cognitis & præmeditatis. Idem in *Cistell. At ille conceptis juravit verbis apud matrem meam, me uxorem ducturum esse.* Hunc velut ornatiorem ex hoc verbo loquendi modum notant quidam. Notant quoque alterum, scilicet *jurare in aliquid:* ut *jurare in legem*, vel *in verba.* Unde Horatianum illud: Nomina vel verba Latina jurandi. Jurare. Jurare conceptis verbis. Jurare in legem vel verba.

Nullius addictus jurare in verba magistri.

Sic Cicero pro Cluentio: *Mulctam petivit, quod in legem non jurâsset.* Et pro Cœlio: *Is in legem, per vim latam, jurare noluit.*

A verbo *jurare* descendit *juratus*, id est, jurejurando devinctus, vel obligatus: & licet passivæ significationis videatur, deponentis tamen magis est: præsertim cum de persona dicitur. Cicero in Verrem Actione secunda: *Nunc eo animo sum, ut eo judice, quam prætore, hanc rem transigi malim: & jurato suam, quam injurato aliorum tabellas committere.* Idem pro Flacco: *Erant ea testimonia non concitatæ concionis sed jurati Senatus.* Et pro Sylla: *Hæc injuratus sum dicturus, quæ juratus in concione dixi.* juratus.

Injuratus jurato opponitur: de quo præter modo citata testimonia, exstat tale apud eundem Ciceronem pro Roscio Comœdo: *Ego hoc ex contrario contendo: levior esset autoritas Cluvii, si diceret juratus, quam nunc est, cum dicit injuratus.* Injuratus.

 Jus-

Jusjurandum. *Jusjurandum* porro est *sacramentum*, fides, vel religio jurisjurandi. Cicero pro Roscio Comœdo: *Non ex pactione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur, sed ex perfidia & malitia, per quam insidiæ tenduntur alicui, Dii immortales hominibus irasci & succensere solent.* Idem *officiorum* tertio: *jusjurandum est affirmatio religiosa: quod autem affirmative, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est.* Idem dixit, *jusjurandum dare, conservare, negligere* vel *violare*, eodem libro tertio *officiorum* & *de Aruspicum responsis.* Et Seneca, *jusjurandum* vel *juramentum facere: O vocem*, inquit, *in concionem omnium mortalium mittendam! In cujus verba principes regesque juramentum faciant*, id est, jurent.

Adjurare. *Adjurare* quoque est idem, quod *jurare.* Cicero *familiarium* libro nono: *Ego tribus primis. Quid noster Pætus? At ille adjurans nusquam se unquam libentius.* Idem in *Philippicis*: *Adjuras te invito me non esse facturum.* Terentius in *Andria*: *Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deserturum*: Et in *Hecyra*: *Sancte adjurat, non posse apud vos Pamphilo se absente pernoctare.*

Dejerare. Est & *Dejerare* idem, quod *jurare.* Cicero ad Herennium quarto: *Iste oneratus auro clamat, & dejerat.* Terentius in *Eunucho*: *Illum licet mihi dejerare his mensibus sex, vel septem prorsus non vidisse proximis.* Et in *Hecyra*: *Phidippe Bacchis dejerat persancte.* Plautus in *Rudente*: *Tene aram hanc.* (Nota hic formam jurandi, ut jurans aram teneret.) L. *Teneo.* G. *Dejera te mihi argentum daturum eodem ipso die.* Idem in *Casin.* *Per Deos omnes & Deas dejeravit, hac eum nocte occisurum.*

Ejurare. At vero *Ejurare* est id, quod desideretur, non posse præstare: vel est, quod vulgò dicitur, *renunciare.* Cicero in Verrem Actione quinta: *Negotiatores putant esse turpe, forum sibi iniquum ejurare ubi negotientur, Prætor provinciam suam totam sibi iniquam ejurat.* Et *Philippicâ* duodecimâ: *Itaque ut alacres & læti spe pacis oblata inter se impii cives, quasi vicissent, gratulabantur: sic me iniquum ejurabant, de me querebantur, diffidebant etiam Servilio.*

Pejerare. *Pejerare* est fidem, jusjurandumque negligere, vel relinquere: vel est falso, & animo fallendi jurare: unde *pejerare* est quasi *in pejus jurare.* Cicero pro Roscio Comœdo: *Qui mentiri solet, pejerare consuevit.* Ibidem: *Quem ego, ut mentiatur, inducere possum: ut pejeret, exorare facile potero.* Et pro Rabirio Posthumo: *Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea etiam si per plures Deos juret, non oportet.*

Perjurus. *Perjurus* est autem, qui pejerat, id est, qui fidem & jusjurandum negligit, in pejus jurat. Cicero pro Roscio Comœdo: *Nihil interest inter perjurum & mendacem.* Virgilius:

Talibus insidiis, perjurique arte Sinonis.

Perjurium. Et ipsa fidei vel jurisjurandi violatio est *perjurium.* Cicero in Verrem Actione sexta: *Sunt etiam cætera, quæ modo integra reservare volui, ut quam minimum dem illis temporis ad meditandum, confirmandumque perjurium.* Et *officiorum* tertio: *Id non facere perjurium est.*

Conjurare. Denique & *Conjurare* (unde *Conjuratus* & *Conjuratio*) huc refertur: quod idem, ac conceptis verbis, vel data fide, factaque coitione conspirare: capiturque tam in bonam, quâm malam partem. In bonam quidem eo loco apud Livium ab Urbe condita libro secundo: *Trecenti conjuravimus principes juventutis Romanæ, ut in te hac via grassaremur*: in malam vero, in qua sæpius sumitur, apud Ciceronem pro Syllâ: *Catilina contra Rempublicam conjuravit.* Livius quarto ab Urbe: *Servitia urbem ut incenderent, distantibus locis conjurarunt.* Idem quinto belli Punici: *Fere nobiles Tarentini conjuraverunt: quorum principes Mico & Philomenes erant.*

Sacramentum cujus usus. 1. Militaris. His adde *Sacramentum*, quod ipsum jurandi species quædam est, & jurisjurandi sacratione interposita geritur, teste Festo. Hinc *Sacramentum militare*; de quo ita scribit Vegetius libro secundo: *Milites* inquit, *jurare solent: & ideo militiæ sacramenta dicuntur: jurant autem, se omnia strenue facturos, quæ præceperit Imperator: nunquam deserturos militiam pro Romana Republica.* Hæc ille: quibus adde ista, quæ de forma hujus juramenti militaris, hoc est, sacramenti Polybius scribit: μετὰ δὲ τὴν στρατοπεδείαν χιλίαρχοι τοὺς ἐκ τοῦ στρατοπέδου πάντας ἐλευθέρους ὁμοῦ καὶ δούλους ὁρκίζουσι καθ' ἕνα ποιούμενοι τὸν ὁρκισμόν. ὁ δὲ ὅρκος ἐστὶν μηδὲν ἐκ τῆς παρεμβολῆς κλέψειν, ἀλλὰ κἂν εὕρῃ τις τοῦτ' ἀνοίσειν ἐπὶ τοὺς χιλιάρχους, hoc est, *Post metationem castrorum Tribuni convocantes omnem copiam, tam liberos, quam servos, juramento adigunt viritim, quod tale est: Nihil e castris furto tollere: immo si quis invenerit quidpiam, id ad Tribunos relaturos.* Cincius apud Agellium id plenius recitat libro duodecimo, capite quarto: *Cum delectus*, inquit, *antiquitus fieret & milites scriberentur, ad jusjurandum eos Tribunus militaris agebat, in verba hæc: In magistratu C. Lælii C. F. Consulis, L. Cornelii P. F. Consulis, in exercitu, decem millia passuum prope, furtum non faciet dolo malo, solus, neque cum pluribus pluris nummi argentei in dies singulos, extraque hastam, hastile, lignum, pomum, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi invexeris, sustulerisque, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium C. F. Consulem, adque Cornelium P. F. Consulem sive quum ad utrum eorum jus erit proferes aut profitebere in triduo proximo, quicquid inveneris sustulerisve, sine dolo malo, aut domino suo, cujum id esse censebis, reddes, uti quod rectum factum esse voles.* Hactenus Agellius. Meminit porro hujus juramenti militaris Cicero primo *officiorum*: *Cato ad Pompilium scripsit, ut si eum pateretur in exercitu manere, secundo eum obligaret militiæ sacramento, quia, priore amisso, jure pugnare cum hostibus non poterat.* Sic Cæsar *de bello Civili* libro secundo, *Desertos se ac proditos à vobis dicunt: prioris sacramenti mentionem faciunt.*

Dicere sacramentum. A sacramento porro natæ hæ loquendi formæ: *Dicere sacramentum* vel *sacramento*: *Tenere* vel *teneri sacramento*: *solvere sacramento. Dicit* autem *sacramentum* vel *sacramento*, qui se militiæ sacramento astringit, solenniter, ut idem Vegetius docet, in verba Imperatoris jurans. Hinc Cæsar *de bello civili* primo: *Milites Domitianos sacramentum apud se dicere jubet.* Et Livius de bello Punico quarto: *Ego magnopere suadeo,*

eodem

eodem animo, quo, si stantibus in acie vobis armatis repente deligendi duo Imperatores essent, quorum ductu atque auspicio dimicaret is, hodie quoque Consules creetis: quibus sacramenta liberi nostri dicant, ad quorum edictum conveniant, sub quorum tutela atque cura militent. Idem libro quinto, de bello Punico: *Ad populum ferrent, ut, qui minores decem, & septem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem & viginti annorum, aut majores milites facti essent.* Idem de locutione, *Sacramento teneri*: *Itaque quanquam per Dictatorem delectus habitus esset, tamen quia in Consulum verba jurassent, sacramento teneri militem rati, per caussam renovati ab Æquis belli educi ex urbe legiones jussere.* Et de locutione, *Sacramento solvere* ab Urbe condita libro secundo: *Quo facto maturata est seditio: & primo agitatum dicitur de Consulum cæde, ut solverentur sacramento: ductos deinde nullam scelere religionem exsolvi.* Hæc de sacramenti militaris significatione.

Dicere sacramento.
Sacramento teneri.
Sacramento solvere.

Alius est sacramenti usus, forensis scilicet, ut cum dicimus *sacramento contendere*: quod sacramentum non absimile fuisse sponsionis ex Varronis verbis intelligi potest libro secundo de *lingua Latina*: *Et qui enim petebat*, inquit, *& qui infitiabatur, de aliis rebus utrinque quingentos æris ad pontem deponebant, de aliis item rebus certum numerum assium. Qui judicio autem vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat: victi ad ærarium redibant: id est, victus ea pecunia, quam deposuerat, mulctabatur in pœnam injustæ litigationis, quæ ærario cedebat.* Pœnales igitur lites erant sacramentum & sponsio: justo autem sacramento cum Pythagoreis & Democritis de Physiologia & reliquis Philosophiæ inventis contendere oratori non licere dixit Scævola propter præstantiam ingenii eorum hominum, qui fundatores autoresque fuerunt magni nominis sectarum, quibuscum sacramento & vindicatione contendendo de physicæ speculationis explicationisque professione, nullus sane orator litem vincere posset: vel propter tanti nominis præjudicium, vel quia impudentiæ daretur, si quis illis viris doctrinarum professione non cederet, qui nomine suo professionem earum rerum usque adeo illustrarunt.

Sacramenti usus. 2. Forensis.

Hæc de nominibus vel verbis Latinis, quibus jurisjurandi actio exponitur.

GRÆCA deinde nomina vel verba præcipua, quibus eadem actio exprimitur, sunt ὅρκος (unde ὁρκόω, ὁρκίζω, ὅρκιος, ἀμφιορκία, &c.) & ὄμνυμι, seu ὀμνύω: unde ἀμφωμοσία & similia. Ὅρκος porro dicitur, quod sit quasi ἕρκος, id est, *sepes* sive *sepimentum* quoddam, quod utrunque verbum derivatum est ἀπὸ τοῦ εἴργειν, id est, *coercendo*, quod nimirum eo homines contineantur atque coerceantur intra officii sui terminos atque cancellos, & intra id, quod jurarunt: sive quod sit quasi ὅρος, id est, *finis* & *terminus* controversiarum, secundum illa Apostoli verbi: Ἄνθρωποι μὲν γὰρ κατὰ τοῦ μείζονος ὀμνύουσι, καὶ πάσης αὐτοῖς ἀντιλογίας πέρας, εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος, id est, *Homines enim jurant per se majorem, iisque est omnis contradictionis sive controversiæ finis: ad confirmationem jusjurandum*, scilicet *pertinet*, sive *spectat*. Videtur ipse Apostolus ad vocis originem respexisse, quod ὅρκος sit quasi ὅρος, id est, πέρας, *finis* & *terminus* omnis controversiæ: vel etiam quod ὀμνύοντες, id est, *jurantes*, ὁρίζονται, hoc est, intra metas atque terminos sui officii continentur. Ad utramque istam hujus vocis notationem respiciens Eustathius inquit: Γίνεται ὁ ὅρκος, ὅθεν καὶ ὁ ἕρκος. Ἐκ τοῦ εἴργω γὰρ τὸ ἐγκλείω. Καθείργνυται γάρ πως ὁ ὀμνύων, οἷς ὁμολογεῖ. Κατὰ δὲ τοὺς παλαιοὺς παρὰ τὸ ὅρος. Ὁρίζονται γάρ τι ὁμολογητικῶς οἱ ὀμνύοντες. Eandem ob causam juramentum vel jusjurandum jurgiorum finis dicitur; & Cicero *de Legibus*: *Plurima*, inquit, *firmantur inter ipsos homines, Diis immortalibus interpositis, cum judicibus, tum testibus.* Quid si ὅρκος dicatur quasi *Orcus*, quod jurisjurandi violatores ad Orcum sint detrudendi.

Nomina Græca jurisjurandi. 1. Ορκος.

Porro ab ὅρκος dicimus, ὅρκους διδόναι, λαμβάνειν, ἀπολαμβάνειν, καὶ παραβαίνειν, *jusjurandum* vel *juramentum dare, accipere, exigere, & violare.* Fit inde ὁρκόω, *voco ad jusjurandum, & caveo ab aliquo jurejurando.* Thucydides: ὥρκωσαν τοὺς στρατιώτας μεγίστους ὅρκους, *ad maximum jusjurandum adegerunt milites.* Et Plutarchus: ἐβούλετο διὰ σφαγίων ὁρκῶσαι τὴν βουλὴν, *ad juramentum adigere voluit Senatum.* Hinc ὁρκωτής, *legatus*, qui jurejurando homines adigendi missus est. Xenophon: ἐξέπεμπε τοὺς ὁρκωτὰς, καὶ ἐκέλευσε τὰ μέγιστα τέλη ἐν ἑκάστῃ πόλει ὁρκῶσαι. Respondet huic voci ὁρκίζω. Demosthenes: οὐκ ἂν ὁρκίζοιμεν αὐτόν. *non utique jurejurando obstringimus illum.* Orpheus: οὐρανὸν ὁρκίζω σε, *cœlo teste*, & *conscio te sacramento adstringo.* Sic Marc. 5. ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν, *adjuro te per Deum.* Inde ὁρκισμὸς, juramenti exactio, per jusjurandum obstrictio. Ὅρκιος porro est is, qui jurijurando adhibetur: ut θεοὶ ὅρκιοι, apud Thucydidem, Dii, per quos jusjurandum concipi fuit solitum, quique fuerunt ejus præsides, judices, testes ac vindices: inter quos Jupiter principem locum obtinuit, ideo Ζεὺς ὅρκιος sæpenumero appellatus. Sic ὅρκιον σκῆπτρον, καθ' οὗ ὤμνυον οἱ βασιλεῖς, *sceptrum, jurijurando adhibitum, per quod Reges solebant jurare*, Suidas dixit: & ὅρκιον fœdus, jurejurando sancitum. Homerus *Iliad.* β.

Ορκόω.
Ορκίζω.
Ορκιος.

- - - - Ὅρκια πιστὰ ταμόντες,

Icto fœdere fido & firmo.

Est enim frequens apud Homerum & Herodotum ὅρκια ταμεῖν, *fœdus ferire, icere*, cæsâ scilicet sive mactatâ hostiâ: quod Eustathius exponit ὅρκους ποιῆσαι δι' ἐντόμων, ἤγουν θυσιῶν, *Iliad.* γ. Interdum ὅρκια significat ea, quæ ad fœdera, jurejurando sancienda, pertinent, ut apud Homerum *Iliad.* γ.

- - - Θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ
Ἄρνε δύω, καὶ οἶνον εὔφρονα, &c.

- - - *Deorum ferebant fœdera firma*
Agnos duos, & vinum lætum, &c.

Et paullo post:

- - - Αὐτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ
Ορκια πιστὰ Θεῶν σύναγον, κρητῆρι δὲ οἶνον
Μίσγον, &c.

- - - *Sed præcones splendidi*
Fœdera fida cogebant: cratere autem vinum
Miscebant, &c.

Sumitur etiam nonnunquam pro ὅρκος, ut *Iliad.* β. apud Homerum:

Πῆ δὴ συνθεσίαι τε καὶ ὅρκια βήσεται ἡμῖν;
Quo jam pactaque & juramenta ibunt nobis?

Varia composita ab ὅρκος. Cæterum ab ὅρκος composita sunt multa, quæ proposito nostro non parum inserviunt, ut ἀμφιορκία, *utrinque datum juramentum*, Hesychio: ἐμπεδορκέω, *firmiter jusjurandum servo, sto pactis jurejurando firmatis*, secundum illud Pythagoræ, ὅρκον σέβου, *venerare jusjurandum*; quo verbo Herodotus in *Melpomene* utitur: ἔνορκος, & ἐνόρκιος, *jurejurando obstrictus, juratus*, Æschylus: ἔνορκός εἰμι, *jurejurando teneor*. Et ἔνορκον λαβεῖν τὸν δῆμον, *juramento populum obstringere*, apud eundem. Item *jurejurando comprobatus* seu *firmatus*. Plutarchus in *Thes.* ἔνορκον φιλίαν ἐποιήσαντο, *amicitiam contraxerunt, jurejurando firmatam*. Adde ἐξορκόω, ἐξορκίζω, idem quod ὁρκόω· unde ἐξορκισμὸς, *adjuratio*: ἐπίορκος, *perjurus* (unde ἐπιόρκως violato jurejurando, ἐπιορκία vel ἐπιόρκιον, *perjurium*. Nazianzenus: ὁ ὅρκος ἐπιορκίαν τίκτει, *juramentum perjurium parit*, ἐπιορκέω, *pejero*, ἐνεπιορκέω idem, ἐπορκίζω, *adjuro*, καλεπιορκέω. Demosthenes contra Conon. οὐ καλεπιορκησόμενος τὸ πρᾶγμα, *perjurio caussam justam non subversurus*) εὔορκος, qui jusjurandum religiose colit: παρορκέω, *contra jusjurandum ago, juramentum transgredior* seu *violo*: πολύορκος, *multum jurans*: ψευδόορκος, *perjurus*, qui falso jurat. Euripides, ψευδόρκιος pro eodem dixit: unde ψευδορκέω, *falsum juro, pejero*, apud Aristophanem.

2. Ομνυμι, vel ὀμνύω. Alterum deinde verbum, quo jurandi actio exprimitur à Græcis, est ὄμνυμι sive ὀμνύω, *juro*: unde Latinum *Omen* & *Ominor*. Nam jurantes sibi ipsis & aliis vel bene vel male ominantur. Cæterum utrumque & ὀμνύειν Græcum, & Latinum *Omen* vel *Ominor* est ab Hebræo אמן, *Aman*, seu *Amen*; quod fidem, veritatem, certitudinem & confirmationem significat. unde Apostolus: Εἰς βεβαίωσιν ὅρκος, *ad confirmationem*, inquit, *est jusjurandum*.

Varia composita ab ὄμνυμι. Ab ὄμνυμι vel ὀμνύω descendunt ἀμφωμοσία, *juramenti utrinque præstatio*, hoc est, cum utraque pars litigantium jurat, apud Hesychium: ἀντόμνυμι, *contra juro, vicißim juro*, apud Demosthenem (unde ἀντωμοσία) ἀνώμοτος, *injuratus, juramento non confirmatus* apud eundem (unde ἀνωμοτεὶ, *injurate, citra jusjurandum*) ἀπόμνυμι, vel ἀπομνύω, *objuro, jurejurando nego*, apud Homerum, Herodianum, Demosthenem & alios (unde ἀπωμοσία, *abjuratio, inficiatio per jusjurandum*, & ἀπώμοτος, quasi dicas, *abjurabilis, vitandus, fugiendus*) ἐπόμνυμι seu ἐπόμνυμαι, aut ἐπομνύω, quasi dicas, *superjuro, de re aliqua juro: jusjurandum interpono*, seu *jurejurando confirmo*: unde ἐπωμοσία, *jusjurandum*, quod additur ad confirmationem alicujus rei, quod exponitur & *jusjurandum*, quod dabatur ab eo, qui vel morbum, vel aliam caussam justam, quare ad diem præscriptum judicio non adfuisset, afferebat. Similia plura passim apud autores profanos occurrunt, ad quæ Lectorem remitto.

3. Ορκωμότης, &c. Interdum ὅρκος & ὄμνυμι sive ὀμνύω, sive etiam ὄμνυμαι, in unam coalescunt vocem, emphaseos caussâ: unde ὁρκωμοτεῖν, *juramento adstringo*: ὁρκωμότης, idem quod ὁρκωτὸς, *jurejurando adstrictus*, ὁρκωμοτικὸς, *ad jusjurandum pertinens*, ὁρκωμοτέω, *juro in sanciendis fœderibus*, & ὁρκωμόσιον vel ὁρκωμοσία, *jusjurandum*. Plato in *Phæd.* ὁρκωμόσια, τὰ *sacrificia*, in quibus fiebant fœdera.

Hæc de nominibus vel verbis Græcis jurandi.

Nomen Hebræum juramenti, שבוע. HEBRAICE *juramentum* & *jusjurandum* dicitur שבוע *Schebuahh*, à נשבע, *Nischbbahh*, *juravit*: quod ipsum deducitur à שבע, *Schæbahh*, numero septenario; qui numerus est sacer, religiosus, perfectionis, plenitudinis, saturitatis, sufficientiæ, & quietis symbolum: quo significatur juramentum actionem esse sacram, & religiosam, quæ non temere, sed certo confirmatoque animo atque conscientia, certis testibus & argumentis fieri debeant. Hinc sacrosanctum dicebatur, teste Festo, quod jurejurando interposito erat institutum, ut si quis id violasset, morte pœnas penderet, cujus generis erant Tribuni plebis & Ædiles.

Nomina vel verba Germanica juramenti 1. ſchwur. 2. Eyd / vel Eydſchwur. GERMANI item & GALLI juramentum & hanc jurandi actionem certis nominibus vel verbis exprimunt. Germanis quidem in genere *jurare* est Schweren / & *juramentum* Schwur / quasi ſchwer / videlicet à gravitate & difficultate: quod res sit gravis, difficilis & periculosa; & quod non temere, inconsulto, sine ratione justâ, legitimâ, necessariaque caussâ, & cum gravitate fieri debeat. Alio nomine *juramentum* illis dicitur Eyd / & Eydſchwur / quod proprie est jusjurandum: forsan ab Hebræo עד *Ed*, *testem* vel *testimonium* significante, quod jusjurandum sit & esse debeat testimonium animi, conscientiæ, veritatis, & quod is, qui jurat, debeat esse testis veritatis, & quod Deus testis adhibeatur. Hinc Cicero pro Roscio Amer. *Ut libentibus animis ad illius testimonium jusjurandum accommodetis*. Et *officiorum* tertio: *jusjurandum est affirmatio religiosa*. Quod autem affirmative quasi Deo teste promiseris id tenendum est. Et *de Legibus*: *Plurima firmantur jurejurando inter ipsos homines, Diis immortalibus interpositis, tum judicibus, tum testibus*. Quid si Eyd ab *Ita*, voce affirmandi seu asseverandi deducatur, quod juramentum sit asseveratio seu affirmatio, ut ex modo citato loco Ciceronis patet, religiosa?

GALLI

Nomen Gallicum juramenti Serment.

GALLI vero jusjurandum *Serment* vocant, quasi *seurement*, eandem ob caussam, quod juramentum sit asseveratio, ut dixi, religiosa.
Et hæc de nominibus vel verbis jurandi sive juramenti.

Juramenti definitio.

Jureconsulti porro juramentum, sive jusjurandum definiunt, quod sit affirmatio, vel negatio rei alicujus sacræ, attestatione firmata. Unde Cicero eodem *Officiorum* tertio *affirmationem religiosam* vocavit. Et paullo post: *Nullum vinculum ad stringendam fidem jerejurando Majores arctius esse voluerunt*: Item: *Quis jusjurandum violat, is fidem violat.* Nam juramentum a fide, fidelitate, veritate apud Græcos quidem, appellari, supra dictum in voce ὄμνυμι. Unde Ethnici per Deum Fidium jurarunt. Et Dionysius Halicarnasseus testatur, Sacramentum (intelligit jusjurandum, quod dictum res sacra, sancta, religiosa; & quia illud fiebat per Deos, resque sacras; & in sacris sive sacrificiis; & sacro in loco; & quia sancte inviolateque erat servandum) Romanis gentilitium esse, jurare per bonam suam fidem.

Circumstantiæ quæ in juramento consideranda.

Cæterum in hoc loco communi eadem fere observanda sunt, quæ in precibus & votis, nempe primo personæ jurantes: deinde formæ & modi, per quos jurarunt Ethnici: tertio locus, in quo jurarunt: denique quæ jurisjurandi religio olim fuerit, sive religiosa observatio; quæ item violatio, & ejus pœna.

Personæ jurantes.

Quod ad personas jurantes attinet: constat, quibusdam jurejurando fuisse interdictum. Sic enim, exempli gratia, viri jurabant Romæ per Herculem: nunquam mulieres; quinetiam ab Herculis sacrificio abstinebant. Contra viri non per Castorem & Pollucem: at mulieres, ut Thais in *Eunucho.* Sic Flamini Diali apud Romanos jurare non licebat, cujus has Plutarchus rationes adfert quæstione quadragesima quarta *Romanarum*, quæ animadversione sunt dignæ: *Aut quia*, inquit, *tormentum liberorum est jusjurandum? Sacerdotis autem & animum & corpus oportet torturæ esse expers. Aut quia non convenit de rebus parvis fidem non haberi ei, cui sacræ & maximæ sunt creditæ? Aut quia omne jusjurandum in exsecrationem perjurii desinit? Est autem exsecratio tristis res, & mali ominis: quæ caussa est, ut dira imprecari aliis sacerdotes per leges non possint. Et sane laudi datum est Athenis sacerdoti, quæ, populo jubente, Alcibiadem devovere noluit, votorum se, non detestandi caussâ antistitam esse inquiens. Aut quia publicum est perjurii periculum, si homo impius ac perjurus pro civitate vota nuncupet, ac sacris operetur.* Hæc Plutarchus: quibus adde ista Varronis libro sexto *de lingua Latina*: *Hoc Cajo Popilio rogante Sylla dictatore, sublatum, ne fieret, & omnes, qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, dissoluti.* Ergo habitâ ratione personarum, alia virorum, alia mulierum erant juramenta. Alia horum: alia istorum sacerdotum.

Forma jurandi secundum jus præscriptum.

Jurandi deinde formulas varias Ethnici habuerunt. In genere quidem, omne jusjurandum fieri secundum juris præscriptum atque formulam debebat: unde etiam *jusjurandum* dictum, tanquam justum, & legitimum, quod jure fit, juramentum, sive, ut Plautus loquitur, jurandum. In *Cistellaria*:

Verum haud metuo, ne jurandum nostrum quisquam culpitet.

Et paullo post:

Abi quærere, uti tuo jurando satis sit subsidii.

Tametsi (ut etiam hoc addam) *juramentum, jurare*, & *jusjurandum* sic dicatur, quod sit solenne & publicum, in jure & judicio plerunque adhibebatur.

1. Forma jurandi per Deos.

Porro certâ verborum formulâ jurare fuerunt soliti, quod dixerunt, *Conceptis jurare verbis* (de qua phrasi supra) cum videlicet juraturo præibat is, qui juramentum deferebat. Hanc formulam non ex re obvia & contingenti, sed divina plane & augustissimâ arripuerunt: fuitque ab ipsis hæc concepta vel per Deos ac Deas: vel per homines: vel per animalia bruta: vel per res inanimatas. Per Deos ac Deas quidem jurabant vel per unum solum aut solam: vel per plures. Per solum; ut Jovem: vel alium per solam, ut Venerem, vel aliam. Hinc Grippus piscator apud Plautum in *Rudente*:

Per Deum unum ut Jovem.

Per venerem hanc jurandum est tibi.

Cæterum per Jovem frequentissime jurabant. Unde ὅρκιον eum dictum singulari epitheto annotatum supra. Hinc in *Eliacis* apud Pausaniam legimus, in Olympiæ βουλευτηρίῳ, id est, *Senatu*, Jovis simulacrum fuisse, cognominati ὅρκιος, quod utraque manu fulmen continebat, quasi ulturus ille fulmine qui falleret juramentum, & violaret: juxta hoc simulacrum, qui ad certamen descendebant, eorum parentes & fratres, super immolati exta porci conceptis jurare solebant verbis, nihil se fraudis, nihil deceptionis ad certamen attulisse, aut secus, quam leges paterentur Olympiæ commisisse. Hesychius ἐφόρκιον Δία, id est, *Ephorcium Jovem* in Titanum ordine fuisse scribit. Inde vero & *Dius Fidius* idem Jupiter à Romanis fuit dictus, quod ut juramento præerat, quo verum justumque esset: ita & fidei servandæ, quæ in juramentis dabatur, præses esset. Cicero pro Fontejo: *Ille Jupiter*, inquit, *cujus nomine Majores nostri testimoniorum fidem sanctam esse voluerunt.* Et Apulejus: *Utrunque idoneum non est, per quod adjures, nempe per dextram & telum, utve per ista jurent, cum sit summi Deorum hic honos proprius. Nam & jusjurandum dicitur, ut ait Ennius. Quid igitur jurabo? Per Jovem Lapidem vetustissimo ritu?* In quæ verba sic Justus Lipsius: *Dicit jusjurandum summi Deorum esse proprium, & id Ennii verbis probatum vult. Ubi ergo illa? Nam quæ sequuntur, nihil ad eam sententiam. Censeo scribendum:* Nam & Jovis jurandum dicitur, ut ait Ennius. *Jurandum per Jovem esse, id est, summum Deorum, à verbo ipso colligit: quia formata vox quasi Jovis jurandum sit. Ennii versus, quem intelligit, ecce apud Ciceronem est:*

Per Iovem Lapidem.

Fides ala, apta pennis, jurandum Jovis.

Potuisset etiam adducere Nævii versum:

Jus sacratum, Jovis jurandum sagmine.

Hæc Lipsius: in quibus notetur novitas & argutia hujus etymi.

Jupiter cur Lapis dictus.

Sed & obiter explicandum videtur, cur Jupiter *Lapis* dictus, per quem jurarunt. Nonnulli existimant ab ipso Lapide, Jove vocato; qui Saturno oblatus fuit ab Ope. Nam & Eusebius in *Chronicis* ait: *In Creta regnavit Lapis.* Lapidem Jovem interpretantur quidam, qui per tempora fuerit raptæ Proserpinæ: vel certe dicitur à Lapide silice: quem in sanciendis fœderibus juraturi tenebant, ut Festus docet, ea verba dicentes: *Si sciens fallam, me Diespiter salvâ urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Quidam antiquitatum studiosi hæc concepta verba ita castigant & efferunt: *Si sciens fallo, qui me despicit, salvâ urbe arceque, is me ejiciat, ubi ego hunc lapidem.* De hoc vero juramento multa scribit Erasmus in *Proverbiis*, *Jovem Lapidem jurare.*

Jupiter dictus Lapideus Deus.

Est & apud Pausaniam Jovis illud cognomentum *Laata*, quasi dicas *lapidei Dei.* Notissimum est enim apud Græcos λᾶας ἢ λᾶος lapides & saxa vocari: unde & populi fabulose à lapidibus Deucalionis & Pyrrhæ jactis dicti sunt λαοί. Laætæ vero Jovis & Neptuni signa posita fuisse in Olympia testis est Pausanias in *Eliacis* libro priore. Hic videtur operæpretium, illud jusjurandum adscribere, quod primo fœdere inter Romanos & Carthaginenses factum scribit Polybius, quod in tabulis æneis inscriptum Ædiles in Jovis Capitolini templo diligentissime asservandum posuerunt. Hoc tale est: *Si recte ac sine dolo malo hoc fœdus, atque hoc jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præstent: sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus salvis, in propriis patriis legibus, in propriis Laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris, solus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decidet. Nec plura locutus, manu lapidem dejecit.* Hæc Polybius:

Forma jurandi per plures Deos.

Per plures deinde Deos simul jurare sunt soliti. Hujus formulæ illustre exstat exemplum apud Plautum in *Bacchide*:

- - - Ita me Jupiter, (inquit Chrysalus) *Juno, Ceres,*
Minerva, Latona, Spes, Ops, Virtus, Venus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Sumanus, Sol, Saturnus, Diique omnes ament,
Ut ille cum illa neque cubat, neque ambulat,
Neque osculatur, neque illud, quod dici solet.

Sic Alcesimachus adolescens in *Cistellaria* apud eundem Plautum:

At ita me (inquit) *Dii Deæque, Superi atque Inferi, & medioxumi,*
Itaque me Juno regina & Jovis supremi filia,
Itaque me Saturnus patruus ejus, & Castor pater,
Itaque me Ops opulenta, illius avia, &c.

Et paullo post:

- - - Enim vero ita me Jupiter
Itaque me Juno & Saturnus:
Dei me omnes magni minutique & patellarii
Faxint, ne ego dem vivus hodie suavium Silenio:
Nisi ego te tuamque filiam meque hodie obtruncavero.

Atque hæc illa est Ethnicorum per Deos alienos jurandi consuetudo, quam passim Deus in sacrosancto suo verbo prohibet, per suum tantum nomen jurari volens: ut qui solus æternus est, solus καρδιογνώστης, rerum omnium conscius, & tam severus falsi justusque ultor, quam veritatis constans vindex & assertor. Vide *Exodi* caput vigesimum tertium, *Deuteronomii* sextum & decimum, Zephaniæ primum. Plura item de antiquo jurandi modo per Deos ac Deas, & quam varium ac multiplex jusjurandum istud fuerit, vide apud Polydorum Virgilium, Cœlium Rhodiginum, & Alexandrum ab Alexandro libro quinto, capite decimo.

II. Forma jurandi per homines: & quidem vivos.

Porro per homines quando jurabant, partim per eos vivos jurare sunt soliti vivorumque vel salutem; vel calamitatem; vel nomina; vel genios: partim per defunctos. Per vivos quidem vel per integros, vel per certas eorum partes. Prioris illustria exempla peti possunt cum ex aliis litterarum monumentis, tum istud ex his Suetonii verbis in *Claudio*: *Conversus hinc*, inquit, *ad officia pietatis, jusjurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quam per Augustum.* In quibus simul hoc quoque notandum, Veteres solitos & jurare & obtestari nomen carissimi cujusque sibi. Idem in *Julio Cæsare*: *Romæ longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam, interposito per Cæsarem jurejurando, distrahere perseverarunt.* Sic C. Caligula, ut Suetonius & Dion scripserunt, Drusillam divinis honoribus coli jussit, ac Veneri adæquavit, & *Pantheam* vocari, imperatumque fuisse, ut per eam, tanquam Junonem, in posterum jurarent. Sic Pythagorei per Pythagoram, magistrum suum (cujus præceptum exstat, *Non jurandum per Deorum nomina*, teste Jamblicho) jurare fuerunt soliti, non tanquam per Deum immortalem, aut Heroem, sed per hominem Dei similem. Exempla, ex quibus constat, vel per salutem vel per calamitatem jurare fuisse solitos Veteres, plurima passim apud Homerum exstant. Præ aliis illustre est Telemachi, qui per Deum & τὰ ἄλγεα, id est, *ærumnas* cum patris, tum proprias juravit. Sic Imperatores Romani pro insana sua ambitione ut alios honores divinos sibi vendicarunt; ita per nomina quoque sua, perque Genium suum jurari voluerunt. Hinc Tertullianus in *Apologetico*: *Citius*, inquit, *apud vos per omnes, quam per unum Genium Imperatoris pejeratur.* Et in *Pandectis* adnotatum legimus etiam solitos plecti, per genium Principis qui dejerassent. Religiosissimum enim

enim id jusjurandum habebatur. Ideoque Caligula, cum ob levissimas caussas morte plurimos quotidie afficeret, dicere sæpe solebat, sicut Suetonius refert, se illos punire, propterea quod nunquam per suum Genium jurassent, hoc præ se ferentes, se ipsum contemnere, indignumque censere, qui coleretur.

Partes vero hominis, per quas jurabant, fuerunt caput, ejusque partes, oculi, dextra item. Ad consuetudinem per caput jurandi alludit Homerus *Iliad. α.* his verbis: Forma jurandi per partes hominis.

Εἰ δ' ἄγε τοι κεφαλῇ κατανεύσομαι, ὄφρα πεποίθῃς·

Sed age jam tibi capite annuam, ut confidas. Per caput.

Iste capitis nutus, ut egregie adnotat Spondanus, augustissime promissum Jovis confirmavit: unde Thetis de ipsius auxilio dubitare non potuit. Est autem caput pars in corpore præstantissima, in qua est rationalis animæ sedes, secundum Platonicos: quia illic est cerebri conceptaculum, ac membrorum animalium, quæ organa sunt & principia virtutis animalis, tam apprehendentis, quam eligentis, seu voluntarie moventis, ut observavit quoque ex illis Rhodiginus libro tertio, capite vigesimo tertio. Unde colligi potest, cur tam augustum sit capite Jovem annuere. Ex eo enim, tanquam primo motore pendent voluntates nostræ, maxime quæ cum ratione consentiunt. Nam hîc non loquor de θυμικῇ aut ἐπιθυμητικῇ; quorum illa est in corde; hæc in jecore. Itaque Jupiter subjungit, pollicitum suum capitis nutu sancitum esse irrevocabile, omni fraude carens, & cujus eventus certissimus sit. Denique res sacra caput existimatum est: unde & sternutamenta sacra dixit Aristoteles in *Problematibus* sectione trigesima tertia, quæstione nona. Jusjurandum ergo per caput pro sanctissimo & inviolabili habitum est apud Veteres. Alii dicunt, caput fuisse salutis symbolum. Itaque illud adjurare & devovere in fide præstanda receptum fuisse. Hinc Lyricus Latinus Juliam Darinem perfidum caput votis obligare solitam dicit: & κατὰ παίδων ὀμνύναι, id est, *in capita puerorum jurare*, moris fuisse Budæus testatur in Commentariis: id quod fiebat tacto ejus capite, in quem jurabant. Ita se sacrare caput ejus Diis inferis ac devovere significantes, si pejerassent. Hinc etiam Apulejus: *Adjuro tuum caput, nulli me prorsus*, &c. ubi Interpres addit, *Hoc esse Græcorum jusjurandum, jurare per caput.* Unde idem Homerus:

——— πάτρῳον κεφαλὴν μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι.

Et Poëta alicubi:

——— *Nondum Græcis jurare paratis*
Per caput alterius.

A Virgilio quoque dictum est:

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.

Pertinet huc imprecationis formula, malum aliquod in autorem retorquentis, Ἐς κεφαλήν σοι, *in caput tuum*, apud Aristophanem.

Per oculos deinde ut rogandi, ita jurandi consuetudo satis nota est, cum ex Petronio, Propertio, Ovidio, cujus amici per oculos leguntur jurasse, & infinitis aliis: tum ex Plauto. Hinc Menæchmus in hæc verba erumpit: Per oculos.

Si voltis per oculos jurare, nihilo hercle ea caussa magis
Facietis, ut ego hodie abstulerim pallam & spinter pessimæ:

Ubi per oculos jurare dixit, quia nihil fere est oculis carius: jurabant autem per res carissimas.

De more verò jurandi per dextram sic Apuleius scribit: *Utrumque idoneum non est, per quod adjures, nempe per dextram:* quod testimonium supra quoque à nobis fuit citatum. Per dextram.

Nec vero tantum per homines vivos eorumque partes certas jurare soliti sunt, sed etiam per defunctos defunctorumque genios: quod præ aliis gentibus inprimis Nasamones & Ægyptios fecisse constat. Sic quia religiose cineres parentum & amicorum olim servabantur, corporibus crematis, per illos etiam supplicabant & jurabant, ut est in Oratione Verrina Ciceronis quarta: *Obsecravit per patris sui cinerem*, & apud Horatium: Forma jurandi per defunctos.

Expedit matris cineres opertos
Fallere, &c.

id est, Per matris manes falsum jurare.

Per animalia item rationis expertia jurabant, ut κατὰ χηνὸς, κατὰ κυνὸς ἢ κριοῦ, id est, *per anserem, per canem & arietem*: quod triplex juramentum Eustathius refert Rhadamantum primo reperisse, ne omnibus juramentis adhiberetur Dei nomen. Per anserem autem potissimum Socrates; per canem vero Diogenes jurabat. III. Forma jurandi per animalia bruta.

Sic per porcum jurasse Agamemnonem apud Homerum legimus. Et pugiles certamen inituros juxta Horcii Jovis statuam in Elide, mactato porco jurare solitos, sine fraude sese comparasse tradit Pausanias. Quin etiam Judices præfectosque certaminum eodem sacro, & apud eandem statuam jurasse tradit. Nulli vero porcum illum, per quem illi jurassent, edere licuisse. Quare Talthybius Homericus porcum, quem Agamemnon pro juramento statuerat, arreptum in mare præcipitem dedit.

Per res porro inanimatas quoque jurabant, ut per sidera & elementa, per cœlum, per terram, per mare, per ventum & alia. Hinc Virgil. *Æneid.* 12. IV. Forma jurandi per res inanimatas.

Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro.

Huc

Huc referendi illi versus Horatiani Ode octavâ, libro secundo:

Expedit matris cineres opertos
Fallere, & toto taciturna noctis
Signa cum cœlo gelidaque Divos
Morte carentes.

Forma jurandi per Stygiam paludem maxima olim & gravissima.

Sic jurabant quoque per Stygiam paludem, quod maximum & gravissimum fuisse juramentum apud Ethnicos, ex his versibus Homeri *Odyss.* ε. constat:

Ἴστω νῦν τόδε γαῖα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ (ὅστε μέγιστος
Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι)
Μή τί τοι αὐτῷ πῆμα κακὸν βουλευσέμεν ἄλλο·
Sciat nunc istud terra, & cœlum latum supernum,
Et ipsa subterlabens Stygis aqua (quod maximum
Juramentum gravissimumque existit beatis Diis.)
Non ullum tibi ipsi damnum malum me consulturam aliud.

Idem juramentum intelligit etiam hoc versu, Odyss. β.

Ὡς ἄρ' ἔφη γρηῢς δὲ θεῶν μέγαν ὅρκον ἀπώμνυ·
Sic loquuta anus Deorum magnum juramentum juravit.

Eâdem prorsus formulâ usa est etiam Latona, de templo condendo & lucis. Sic enim Homerus Hymno in Apollinem:

- - - Λητὼ δὲ θεῶν μέγαν ὅρκον ὄμοσσεν
Ἴστω νῦν τάδε γαῖα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ (ὅστε μέγιστος
Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν)
Ἦ μὴν Φοίβου τῆδε θυώδης ἔσσεται αἰὲν
Βωμὸς καὶ τέμενος. τίσει δὲ σέ γ' ἔξοχα πάντων·
- - - *Latone autem Deorum magnum juramentum juravit:*
Sciat nunc hæc terra & cœlum latum superius
Et inferne fluens Stygis aqua (quodque maximum
Juramentum & gravissimum existit beatis Diis.)
Certe utique Phœbi hîc odoriferum erit semper
Altare & templum: honorabit autem te utique maxime omnium.

His adde, quæ apud eundem Homerum exstant de eodem jurejurando, quod adeo illis sacrum erat, ut, qui ex Superis illud violassent, ab omni Deorum consortio aliquandiu depellerentur, ut copiose docet Hesiodus in *Theogonia*. Sic igitur ille *Iliad.* ξ.

Ἄγρει νῦν μοι ὄμοσσον ἀάατον Στυγὸς ὕδωρ.
Χειρὶ δὲ τῇ ἑτέρῃ μὲν ἕλε χθόνα πουλυβότειραν,
Τῇ δ' ἑτέρῃ ἅλα μαρμαρέην, ἵνα νῶϊν ἅπαντες
Μάρτυροι ὦσ' οἱ ἔνερθε θεοὶ Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες,
Ἦ μὲν ἐμοὶ δώσειν Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων,
Πασιθέην, ἧς αὐτὸς ἐέλδομαι ἤματα πάντα·
Age nunc mihi jura inviolabilem Stygis aquam:
Manu vero alterâ quidem cape terram multipascuam,
Alterâ autem mare marmoreum: ut nobis omnes
Testes sint Inferi Dii, Saturnum circa existentes,
Certe te mihi daturum esse Gratiarum unam juniorum
Pasitheam, quam ego desidero dies omnes.

Et paullo post:

Ὤμνυε δ' ὡς ἐκέλευε. θεοὺς δ' ὀνόμηνεν ἅπαντας
Τοὺς ὑποταρταρίους, οἳ Τιτῆνες καλέονται·
Jurabat autem, ut jubebat, Deos autem nominabat omnes
Subtartareos, qui Titanes appellantur.

Cæterum, cur per Stygiam aquam sive paludem jurare firmissimum Deorum habitum fuerit jusjurandum, Cœlius Rhodiginus libro vigesimo septimo, capite quinto has affert rationes: vel quia à Diis & hominibus odio habentur, qui ad dejurium procliviores sunt; vel quia juxta Hesiodum, omnibus elementis antiquior est aqua.

Jura-

Jurabant prӕterea iidem per plantas, ut Cramben, qui mos Jonicus fuit: & per Capparin, quomodo Zeno Stoicus sibi jurare permisit, per cibos omnis generis similiaque multa. Hinc de more per cibos fœtidos jurandi ita Plinius libro secundo, capite septimo: *Gentes vero quӕdam animalia, etiam aliqua obscœna pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos & alia similia jurantes.* Sic per vinum mulieres jurasse legimus (unde, *Vino inscribere*, mulieris juramentum dici solet:) & per lapidem vel silicem Carthaginenses & Athenienses. De illis scribit Titus Livius libro primo tertiӕ Decadis. Inducitur enim Hannibal agnum lӕva manu, dextrâ silicem lapidem retinens: *Si falleret, Jovem cӕterosque precatus Deos ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset: & secundum precationem caput pecudis saxo elisit.* Eadem formula, sed sub alia verborum conceptione repetitur, libro vigesimo secundo. Ejus quoque meminit Agellius libro primo, capite vigesimo primo, & Polybius libro tertio. Porro de Atheniensibus, ut ad lapidem juramenta fecerint, Aristoteles in *Republica Atheniensium* & Philochorus scripserunt. Quo pertinet illud Demosthenis, Oratione in Cononem: καὶ πρὸς λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκοῦντες, id est, *ad lapidem agentes & ejurantes*: quod idem observat Harpocration. Forma jurandi per plantas, & cibos. Per vinum. Per lapidem.

Grӕcis etiam hoc in more positum fuisse legimus, ut ferrum candens tenentes jurarent: quod in sanciendis potissimum fœderibus faciebant, Deos precantes, ut tandiu fœdus perduraret, quandiu mydrus latuisset (id enim ferro ignito & candenti nomen) statimque in mare mydrum prӕcipitabant. Moris hujus meminerunt Sophocles, Callimachus & Grammatici: qui mos postea apud quosdam etiam in Livonia superstitiose potius, quam pie per ӕditumos templi, fuit observatus. Nam sceleris alicujus accusati, ad ferri candentis judicium vocabantur: & id subire nonnunquam vel inviti compellebantur. Id erat hujusmodi, ut criminis reus ferrum candens è mediis prunis exemptum, in manus caperet, accusatoribusque & judicibus ostentaret, sique adustione nulla subsecuta illӕsus esset, absolveretur: si vim eam pati non posset, objecti criminis ita convictus damnaretur. Purgabant vero se prius jejuniis, confessione & Eucharistia, mox ad horrificum illud experimentum accedebant: id, quia periculosum erat, & insontes aliquando ex eo condemnabantur, prӕcipue vero contra Christianӕ pietatis mores erat, Deusque tentari videbatur, Honorius III. fieri per gravissimum edictum vetuit, ut Decretal. lib. V. tit. XXXVI. *de injuriis* capite III. habetur. Per ferrum candens.

Pythagorei prӕterea, teste Cœlio Rhodigino libro vigesimo secundo, capite decimo, jurarunt per quaternitatem, sive numerum quaternarium, tanquam per numerum sacrum & perfectum, quo constat forma quadrata, omnibus numeris absolutissima. Per numerum quaternarium.

Sic per altare Veteres jurasse, constat ex illo loco Matthӕi, ubi Dominus perperam agere Pharisӕos inquit, qui non obligare juramentum, quod per altare fieret, arbitrabantur, sed quod per donum fieret altari illatum.

Per certa quinetiam instrumenta eos jurasse ex multis probatis auctoribus constat: inprimis vero per sceptrum. Id cum ex aliis locis, tum ex illo Homeri *Iliad. α.* disci potest: Forma jurandi per instrumenta. Per sceptrum.

Ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι
Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
φύσει, &c.
Sed tibi edico, atque adeo magnum juramentum jure,
Certe per hoc sceptrum, quod quidem nunquam folia & ramos
Producet, &c.

Hîc ea quӕ Spondanus adnotat, quia proposito nostro serviunt, subjungere placet, *Non assentior*, inquit, *Eustathio, qui Achillem dicit ex re obvia & contingenti jurandi occasionem arripuisse, quam illi ira suggessit. Etenim si sceptrum Regium imperii, & justitiӕ signum fuit (unde Justinus Historicus ab origine rerum pro Diis immortalibus Veteres hastas coluisse dixit, ob cujus religionis memoriam, inquit, adhuc Deorum simulacris hastӕ adduntur. Hasta autem nihil aliud est, quam* σκῆπτρον, *sceptrum) non potest in rebus humanis a re augustiori jusjurandum illis peti, quod Veteribus etiam usitatissimum fuit. Tale est illud Parthenopӕi apud Æschylum:*

Ὄμνυσι δ' αἰχμὴν ἣν ἔχει, μᾶλλον θεοῦ
Σέβειν πεποιθώς, ὀμμάτων δ' ὑπέρτερον.

Notum est etiam, quid de Cӕnei hasta proverbiali à Grӕcis interpretibus referatur. Sic apud Flaccum ex imitatione Homerica:

Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,
Quӕ neque tam frondes virides, neque proferet umbras,
Vt semel est avulsa jugis, ac matre perempta
Fida ministeria & duras obit horrida pugnas,
Testor.

Idem elegantissime Virgilius:

Vt sceptrum hoc (sceptrum dextrâ nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta, neque umbram,
Cum semel in sylvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas & brachia ferro

Olim

Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Includit, patribusque dedit gestare Latinis.

Cur per sceptrum juràrit Achilles.

Jurat itaque per sceptrum Achilles duplici de caussâ, quasi dicat: Si sceptrum, ut lignum consideres, quemadmodum illud nunc à montibus abscissum amplius non revirescet: sic nos, ubi dissiti erimus invicem, non sumus in illum gratiæ & amicitiæ florem redituri. Si vero ut divinum aliquid & sacrum hoc sceptrum intelligas, est, cur jusjurandum augustum existimetur. Hoc enim sceptrum gerunt filii Græcorum δικάσπολοι. *Quare* ὁ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος. *Sunt autem* δικάσπολοι, *qui circa jura versantur, &* θεσμοφύλακες, *quod erant Reges, quibus sceptrum erat justitiæ symbolum, ut diximus, quemadmodum fortitudinis Hasta, inquit Eustathius: unde quispiam collegerit distingui* τὸ δόρυ ἀ σκῆπτρον, *contra quam Justinus existimavit.* Hactenus Spondanus.

Aliud exemplum hujus jurisjurandi per sceptrum exstat apud eundem Homerum *Iliad.* I.

Ὣς φάθ'. ὁ δ' ἐν χερσὶ σκῆπτρον βάλε καί οἱ ὄμοσσε,
Ἴστω νῦν Ζεὺς, &c.

Sic dixit. hic autem in manibus sceptrum jecit & juravit,
Sciat nunc Jupiter, &c.

Hîc idem Spondanus, *Observandus est*, inquit, *mos antiquus juramento aliquid alicui sanciendi, à Rege videlicet injiciendo sceptrum in manus ejus, cui fit promissio.*

Sceptrum olim, ut Numen cultum.

Pertinet hûc, quod Agamemnonis sceptrum Chæroneos tanquam Numen præsens veneratos legimus hastamque vocasse. Coluerunt vero illud non ut cætera colebantur Numina, templo arisque constructis, sed quotannis sacrorum antistes illud penes se domi suæ habebat, singulisque diebus hostias illi immolabat, remque divinam faciebat: mensaque illi variarum referta carnium, liborumque & omnis generis placentarum semper adstabat. Non mirum igitur est, Veteres per sceptrum jurare fuisse solitos.

Forma jurandi per telum, acinacem & mensam.

Jurabant item nonnulli per telum & acinacem, per mensam, aliaque plurima instrumenta. Uterque mos Scythicus fere est, cujus meminerunt Apulejus & Lucianus. Apulejus quidem loco illo supra citato, inquit: *Utrunque idoneum non est, per quod adjures, nempe per dextram & telum*, &c. Hæc fere sunt præcipua, per quæ Ethnici jurare olim consueverunt: quam consuetudinem cum Judæi, ut alias Ethnicorum superstitiones, fuissent imitati, Christus ipse perstrinxit Matth. 5. inquiens: Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ὀμόσαι ὅλως. μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ θεοῦ. Μήτε ἐν τῇ γῇ, ὅτι ὑποπόδιόν ἐστι τῶν ποδῶν αὐτοῦ. μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, ὅτι πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου Βασιλέως. μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς, ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι. Ἔστω δὲ λόγος ὑμῶν ναὶ ναί, οὒ οὔ, &c. *Ego vero dico vobis, ne jurate omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Hierosolyma, quia urbs est magni Regis: neque per caput tuum jures, quia non potens unum capillum album aut nigrum facere. Esto autem sermo vester, etiam etiam, non non*, &c.

Jurantes aram tangere soliti.

Porro ad formulas jurisjurandi referendum etiam hoc, quod ut precantes; ita jurantes aram tangebant. Hinc Cicero pro Flacco: *Ergo is, qui si aram tenens juraret, crederet nemo, per epistolam quod volet, injuratus probabit.* Plautus in *Rudente*:

- - - - GR. *Tange aram hanc Veneris.* LA. *Tango.*
GR. *Per Venerem hanc jurandum est tibi.* LA. *Quid jurem?* GR. *Quod jubebo.*
LA. *Præi verbis quidvis, id quod domi est, nunquam illi supplicabo.*
GR. *Tene aram hanc.* LA. *Teneo.* GR. *Dejura te mihi argentum daturum*
Eodem illo die, &c.

Cicero quoque in oratione pro Cornelio Balbo scribit, Græcorum veterem hunc morem fuisse, ut posteaquam quis testimonium dixisset, jurandi deinde caussâ ad aras accederet.

Locus, in quo juramentum fieri solitum.

Loci item in jurejurando habitam fuisse rationem docet quæstio vigesima octava *Romanarum* apud Plutarchum, quæ sic habet: *Cur pueros Herculem juraturos non sinunt jurejurandum hoc intra domum facere, sed exire sub Dium jubent? An ea est vera quorundam opinio, quia Hercules non sit delectatus vitâ parietibus cinctâ, sed sub dio & peregre solitus degere? Aut quia Deus iste non indigena, sed peregrinus & hospes fuit? Nam Bacchum quoque non jurant sub tecto, hunc quoque peregrinum. An vero hæc joco tantum pueris dicuntur? Aliâs vero hac ratione cohibere eos à levitate & jurandi temeritate voluerunt, sicut Favorino placet. Nam iste quasi apparatus cunctationem injicit, facultatemque deliberandi præbet. Hunc ritum non communem, sed Herculi peculiarem fuisse cum Favorino aliquis affirmaverit, iis, quæ de eo narrantur, consideratis. Adeo enim religiosum hac in re fuisse tradunt Herculem, ut semel duntaxat juraverit, soli nimirum Phyleo, Augeæ F. Ideoque etiam Pythiam hæc sacramenta Lacedæmoniis exprobrâsse, quod diceret melius utiliusque fore, citra jurejurandum promissa implere.* Hæc Plutarchus. Unde apparet non quovis in loco, nec temere, levique de caussâ esse jurandum. Hinc quidam etiam negarunt sub tecto per Dium Fidium dejerare oportere. Dii Fidii tectum erat perforatum, ut videatur divum, id est, cœlum, inquit Varro libro quarto *de lingua Latina.* Hæc de loco.

Juramenti religiosa conservatio. 1. Apud Græcos priscos.

Postremo considerandum hîc est, jurisjurandi conservatio quam religiosa olim apud Ethnicos fuerit: contra ejus violatio quantopere mulctata. Legimus apud Homerum, Jovem juramentum, cujus etsi eum pœnituit, tamen sibi conservandum putasse, maximo licet dolore affecto. Ejus verba hæc sunt:

- - - - Ζεὺς

--- Ζεὺς δ᾽ οὔτι δολοφροσύνην ἐνόησεν,
Ἀλλ᾽ ὄμοσεν μέγαν ὅρκον, ἔπειτα δὲ πολλὸν ἀάσθη.
--- *Jupiter autem neutiquam aſtutiam intellexit:*
Sed juravit magnum juramentum. Poſtea vero multum læſus eſt.

Ubi adhuc nobis obſervandum eſt, quam religioſe & rigide nobis juramenta præſtanda ſint: quanquam non ſine diſtinctione.

Ejuſdem jurisjurandi conſervandi cauſſâ Marcus Attilius Regulus ad cruciatum reverſus eſt, inquit Cicero lib. 3. *Officiorum.* Unde colligit, jus bellicum fidemque jurisjurandi ſæpe etiam hoſti eſſe ſervandam. *Et certe,* nullum inquit idem, *vinculum ad aſtringendam fidem jurejurando Majores arctius eſſe voluerunt. Id indicant leges duodecim Tabularum: indicant ſacra: indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides: indicant notationes animadverſioneſque Cenſorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant.* In hanc ſententiam vide ibidem plura. Sic Agellius libro ſeptimo, capite decimo octavo: *Jusjurandum,* inquit, *apud Romanos inviolate ſancteque habitum ſervatum eſt. Id & moribus legibusque multis oſtenditur.* Explicavit idem Dionyſius quoque, qui libro ſecundo Regi Numæ inſtitutum illud aſſignat. Polybius libro ſexto commemorat, tantum apud Romanos jurisjurandi religionem valuiſſe, ut eâ laude facile gentibus omnibus antecellerent. *Nam ſi Græco homini,* inquit, *qui magiſtratum gerat, talentum unum committatur, etiamſi decem ſcribendo aſſint, ſignaque totidem, atque etiam duplo plures teſtes extent, fidem tamen plerunque violant. Apud Romanos autem, qui, quum Rempublicam gerunt, majorem multo pecuniam tractant, ſolâ jurisjurandi ſui religione in officio ſuo continentur, &c.* Ad hanc porro legem illud Caii pertinet: *Maximum remedium expediendarum litium eſſe jusjurandi religionem*; de qua obſervata, cuſtoditaque apud Romanos, & de decem captivis, quos Annibal Romam, dejurio ab iis accepto, legavit, legat, qui vult, Gellium libro ſeptimo, capite decimo octavo. Conſentanee his Chryſoſtomus dixit: πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος, *Jusjurandum omnis controverſiæ finis eſt ad confirmationem.* Gregorius Nyſſenus: Ὅρκος ἐστὶ λόγος, πιστούμενος δι᾽ ἑαυτοῦ τὴν ἀλήθειαν, *Juramentum eſt oratio, confirmans per ſeveritatem.* Et Philo: Ὅρκος ἐστὶ μαρτυρία Θεοῦ, περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου, *Jusjurandum eſt teſtificatio Dei de re controverſa.* — 2. Apud Romanos.

Ex iſtis autem conſtat, Ethnicos vel naturâ duce & magiſtrâ jusjurandum, ceu rem ſacroſanctam, plurimi ſemper feciſſe. Iidem quoque gravi tetroque ſupplicio affecerunt omnes eos, qui hanc jurisjurandi religionem violaſſent. Hinc Pontifex Maximus apud Romanos (Maximus, teſte Feſto, dictus, quod judex atque arbiter habebatur rerum divinarum humanarumque, ſive, ut alibi ait, quod maximus rerum, quæ ad ſacra religioneſque pertinent, judex ſit, vindexque contumaciæ privatorum, magiſtratuumque) controverſias de perjurio, quo pietas adverſus Deos immortales violatur, diſceptare & dijudicare ſolitus fuerat. Quo alludit apud Plautum in *Rudente* Labrax leno: — Violationis jurisjurandi olim graviſſima pœna.

Libet jurare, tun᾽ meo Pontifex perjurio es?

Hoc eſt, Tuane, tanquam Pontificis Maximi, de meo perjurio arbitrandi, & judicandi poteſtas? Tune meo perjurio præeſſe, aut judex ſedere poſtulas, tanquam Pontifex? Adde his, quæ Xenophon ſcribit in iſtam ſententiam ſecundo *de expeditione Cyri*: πρῶτον μὲν γὰρ καὶ μέγιστον οἱ Θεῶν ὅρκοι κωλύουσιν ἡμᾶς πολεμίους εἶναι ἀλλήλοις. ὅς τις δὲ τούτων σύνοιδεν ἑαυτῷ παρημεληκώς, τοῦτον οὔποτ᾽ ἂν ἐγὼ εὐδαιμονίσαιμι. τὸν γὰρ Θεῶν πόλεμον, οὐκ οἶδα οὔτε ἀπὸ ποίου ἂν τάχους φεύγων τις ἀποφύγοι, οὔτε εἰς ὁποῖον ἂν σκότος ἀποδύη, οὔτε ὅπως ἂν εἰς ὀχυρὸν χωρίον ἀποσταίη. πάντη γὰρ πάντα τοῖς Θεοῖς ὕποχα, καὶ πάντη πάντων ἴσον οἱ Θεοὶ κρατοῦσιν. id eſt: *Hoc primum & præcipuum eſt, quod Deorum ſacramenta nos hoſtes invicem eſſe prohibent. Ea verò ſi quis neglecta ſibi conſcius eſt, illum ego nequaquam beatum exiſtimaverim. Divinitus enim illatum bellum, haud ſcio qua quis aut celeritate effugere poſſit, aut quibus in tenebris latere, aut in quo munimento arcere. Etenim omnia Deis ubique ſunt obnoxia, & æquali potentia reguntur ab ipſis omnia ubivis gentium.* Hæc Xenophon: quibus ſubjungi etiam hæc poſſunt quæ Nicolaus Leonicus Thomæus ſcribit, non tam de admirabili more jurandi apud Paliſcorum fontem in Sicilia, quam de horrenda pœna eorum, qui dolo malo pejeraſſent. Ejus verba hæc ſunt: *jusjurandum autem tota inſula & finitimis etiam Italiæ populis percelebre & horrendum eo loci fuiſſe perhibetur, cujus talis religionis fuerat modus. Juraturi illuc accedentes, quæcunque affirmare voluiſſent, tabellis ante conſcripta, domo ſecum afferebant, has poſtea obſignatas in fontem dejiciebant: quæ ſi vera rectaque fuiſſent, illa, quæ juratus affirmaſſet is, ſuper aquas facile fluitare, & ferri videbantur. Sin verò ſecus eſſet, & dolo malo pejerans quiſpiam illas ſcriptitaſſet, ſtatim mergebantur & ima petebant, homoque ille ſubitis correptus ignibus exuri illico, & in cineres verti cernebatur. Quamobrem ſacerdotes ii, quibus ſacri fontis erat cura, non prius aliquem ad id jusjurandum admittere dicebantur, quam is ſponſores præſtitiſſet aliquos, qui expurgationis impenſas, ſi quid ſibi durius incidiſſet, pro ſe ſtatim repræſentare tenerentur.* — Xenophon de pœna perjurii. — Nicolaus Leonicus.

Hactenus Leonicus.

Poſtremo, ut hunc totum locum de juramento concludam, addere libet memorabilem hiſtoriam, ceu congruentiſſimam huic loco, quæ apud Herodotum exſtat libro primo Hiſt. Λέγεται (inquit ille) ἐν τενέδῳ παρεπιδημίαν ποιησάμενον Ἀρχέτιμον ἐξ Ερυθραίης τῆς Ἰόνων πόλεως ἐπὶ ξένῳ θέσθαι Κυδίῃ, χρυσοῦ δὲ ἠλισμένην οὐκ ὀλίγην ἐμπολὴν ἔχοντα. Ταύτην δὲ παραθέσθαι Κυδίῃ οὕτως ἔχοντα, ὡς οὐδὲν ἂν βίαιον ἐξ ἀνδρὸς πάθοι, δοκέοντός γε δὴ, ὡς τὰ πρὸς ἑαυτὸν ὀρθῶς ἐν φιλίῃ συγκεκρῆσθαι. ἔνθα Κυδίῃ κακὴν βουλὴν ἐς φρένας ἔμβαλε φιλοκερδίη. ἀπαιτούμενος γὰρ τὸ δοθέντα χρυσὸν ἐν παραθέσει, σκληρὴν ἄρνησιν ἐποιήσατο. τοῦ δὲ εἰς ἀμφιβολίην πιπτόντων, τέλος ἔδοξεν ὅρκῳ κυρῶσαι. Κυδίης μὲν οὖν ἐς τρίτην ἡμέρην βουλόμενος κυρώσειν πίστιν τοῖς Θεοῖς — Herodotus.

ἐπιτρεφθεῖσαν, ἀπελθὼν εἰς οἶκον, μηχανὴν τοιήνδε ἔθετο. Νάρθηκα γὰρ κοιλώσας, παντὸς χρυσοῦ φόρτον εἰς αὐτὸν ἤρτισε. πρὸς δὲ χερὸς ἀντίληψιν, εἴλικα μήτρης ἐδέσμευε πάντοθεν, ὡς ἂν κρύπτοι τὴν κατεσκευασμένην πρόφασιν. ἐπειδὰν δὲ ἡ τεταγμένη παρῆν ἡμέρη, νωθρὴν πορείης ἔκλυσιν ποιούμενος, δι' ἧς δὲ τὸν νάρθηκα νοσοῦντι ἐπιφέρων σώματι. κατατάσας δὲ ἐναντίον τοῦ νεὼ, ὅνπερ ἔμελλε συνίστορα ποιεῖσθαι, δίδωσι Κυδίης Αρχετίμῳ νάρθηκα, τὸν ἐντὸς ἀδικίην πᾶσαν κεύθοντα, μέχρι περ τελευτήσει τὸν τεταγμένον ὅρκον. Ανατείνας δὲ τῶν ἑῶν χερῶν φορὴν εἶπεν, ὡς λάβοι μὲν παρ' Αρχετίμου παραθήκην, ἀποδοίη δὲ ταύτην. ὥσπερ ἦν ἐκ τέχνης πεπλασμένον ψεῦδος. Βαρυνθεὶς ἐπὶ τοῖς λελεγμένοις Αρχέτιμος, ῥήσσει πρὸς ἔδαφος νάρθηκα πληγῇ βαρείῃ. τοῦ δὲ ἀραχθέντος ἐκτὸς ἐρρύη παραθήκης ὄγκος, Αρχέτιμος μὲν οὖν ἐκ Θεῶν προνοίης τοιῆσδε ἔτυχε, Κυδίῃ δὲ λέγεται κακὴν βίου καταστροφὴν γενέσθαι. εἰς ἃ δεῖ βλέποντας μὴ καταφρόνησιν ποιεῖσθαι πρὸς πίστιν ὅρκων νέοντας ἀνθρώπους, οἷς ἐπισφαλὴς ὅπη δὴ παντοίῃ τύχῃ φορῇ πνεύματος αἰωρουμένη. id est: *Fertur Archetimum ex Erythræa Jonica civitate in Tenedum venisse, & apud Cydiam hospitem suum auri magnam vim deposuisse, nihil de homine sinistri aut violenti suspicatum, nt qui cum recens amicitiam inivisset. Tum Cydiæ malum consilium avaritia suggeßit. Cum enim aurum apud se depositum ab ipso reposceretur, contumaciter negavit. Et cum inter se contenderent, tandem visum est, ut totum negotium ad jusjurandum referretur. Cydias igitur cum tertio posthac die fidem suam seu Deis commissam jurejurando confirmaturus esset, reversus domum excogitavit dolum hujusmodi. Omne simul aurum in excavatam ferulam inclusit, & qua parte ferulam manus amplectitur fasciam circumvolvit undequaque, ut dolus celaretur. Postquam vero præscriptus dies advenit, Cydias languidum gradum caussa morbi fingens, fulciendo ferula corpus, accesßit: & stans ante templum, quod juramenti sui conscium esse volebat, ferulam, in qua omnis ejus iniquitas latebat, Archetimo tenendam porrigit, donec absolverit juramentum: deinde manibus elevatis dixit, accepisse quidem se depositum ab Archetimo, sed id restituisse: quod mendacium erat arte confictum. His dictis graviter indignatus Archetimus, ictu vehementi ferulam in pavimentum projecit: qua dirupta omnis auri moles effluxit. Hac quidem divinitus providentia adjutus est Archetimus. Cydias autem malum vitæ exitum habuisse dicitur. Hæc ergo respiciens, quilibet sibi caveat ne sacramenta contempserit: utramvis enim in partem res incerta feratur, non sine periculo sunt.* Hactenus Herodotus.

Atque hæc quidem de precibus atque votis, quorum apud Homerum & Apollonium, in utriusque sacrificii descriptione fit mentio; & simul de juramentis, quæ precum quædam sunt species, in sacrificiis, præsertim fœderalibus, sæpe adhiberi solitis, sint dicta.

Molæ salsæ inspersio: tertium membrum τῶν προθυμάτων.

NVNC ad alia, quæ ab utroque Poëta hîc ordine recensentur, quæque actus sacrificialis fuerunt quasi πρόδρομα, accedamus: Inter hæc tertium est mola, sive frugum salsarum inspersio, quæ uno nomine *Immolatio* proprie à Veteribus fuit appellata, in omnibusque fere sacrificiis usurpata.

Exemplum inspersionis hujus in Nestoris sacrificio.

APVD Homerum Aretus unâ quidem manu aquam manualem, ut eam Tertullianus appellat, attulisse dicitur:

ἑτέρῃ δ' ἔχεν οὐλὰς
- - - *altera gestabat molas*
Ἐν κανέῳ, &c.
In canistro, &c.

Οὐλαὶ, inquit Eustathius *Odyss.* Γ. (ubi sermo de bove mactando & immolando) sunt κριθαὶ μετὰ ἁλῶν μεμιγμέναι, ἃς ἐπέχεον τοῖς ἱερουργουμένοις ζώοις πρὸ τοῦ θύεσθαι: in quam sententiam etiam Suidas, ὀλαὶ καὶ οὐλαὶ αἱ μεθ' ἁλῶν μεμιγμέναι κριθαὶ, καὶ τοῖς θύμασιν ἐπιβαλλόμεναι.

Et paullo post: Nestor dicitur initium fecisse manus abluendi & molam inspergendi:

- - - Καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο,
- - - *& molas porrexerunt*, scilicet in victimam.

Sic Ιλ. α. Χερνίψαντο δ' ἔπειτα καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.

Et postea: Καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο,

Id est: interprete Eustathio, προέθεντο, προέῤῥιψαν. Erant autem οὐλοχύται, ut inquit idem Eustathius, τὰ προθύματα. Nam οὐλοχύτας usurpabant ante sacrificium, &, ut Poëta inquit, προεβάλλοντο. Quod si manifestius est loquendum, οὐλοχύται, sive οὐλόχυτα erant οὐλαὶ, (ὀλαὶ, sive ὅλαι etiam legit Hesychius) id est, κριθαὶ μετὰ ἁλῶν (ita ille quoque οὐλὰς interpretatur) οὐλοχύται, inquit, εἰσὶν ἐν οἷς τὰς ὀλὰς (αἱ εἰσὶ κριθαὶ τῶν ἱερείων) κατέχεον, id est, *hordea cum salibus, quæ aris ante sacrificium* ἱερουργίας, *infundebant.* Dion vocat τὸ μίγμα τὸ ἐκ κριθῆς καὶ ἁλῶν, *mixtionem* sive *compositum ex hordeo & salibus.* Hinc qui ejusmodi primitias colligebant, κριθολόγοι sunt dicti, teste Plutarcho initio *quæst. Græc.* οἱ ἐπὶ θυσιῶν ἄρχοντες καὶ νομιζόμενοι τὰς ἀπαρχάς· quoniam olim plerunque omnes Græcorum πρὸς τὰς θυσίας ἐχρῶντο ταῖς κριθαῖς ἀπαρχομένων τῶν πολιτῶν. Hujusce autem moris Eustathius aliquot caussas enumerat. Vel enim id faciebant πολυτέλειαν καρπῶν οἰωνιζόμενοι, id est, *abundantiam fructuum ominandi gratia*, quorum ceu primitiæ quædam hordea illa afferebantur. Hinc Cælius lib. 12. cap. 1. ait, fuisse augurium futuræ frugum fertilitatis. Vel id faciebant suæ erga Deum gratitudinis testificandæ gratia, à quo hoc vitæ subsidium acceperant. Nam quoniam glandium victu asperiore liberati, ad meliorem mitioremque victum traducti fuerant: atque idcirco hordea projiciebant, ceu semen mansuetum, quæ primò hominibus ut antiquis est sermo, glandium esu liberatis subsidio fuerunt.

Hordea Græcis cur dicta κριθαί.

Atque hanc ipsam ob caussam hordea Græcis κριθαὶ sunt dicta: propterea quod ipsis inventis διεκρίθησαν τῶν ἀλόγων ζώων ἄνθρωποι, id est, *homines à brutis animalibus fuerunt distincti & sequestrati.* Hinc etiam κρίβανος dicitur quasi κριθῆς βαθύς. Appellant autem βαῦνον etiam hodie Peloponnesii τὸν τοῦ πυρὸς τόπον,

id

id eſt, *locum ignis*, quem παρεςίαν proprie appellamus. Inde apud Comicum κριβανωτοὶ dicti ſunt panes cœli in cribano, quem etiam *Clibanum* appellant per λ. ut κεφαλαργία, κεφαλαλγία. Ad gratam igitur memoriam antiqui victus hordea projiciebantur. Hæc olim, nondum molendi uſu comperto, integra fuerunt devorata: unde οὐλαὶ dictæ aſſumtâ litterâ υ, quaſi ὅλαι, id eſt, *totæ*, ſive *integræ*. Suidas ſimiliter teſtatur οὐλὰς vocari hordeum, eo quod olim integrum comederetur ante repertum molarum uſum: in ejuſque memoriam τῆς ἐπιθυμίας ταῖς σπονδαῖς ſolitos fuiſſe κριθὰς ὅλας χέειν. Quando autem deerant hordeá pro illis quercus folia projiciebantur: quo & ipſo veteris diætæ atque τῆς ἐκ τῶν δρυκαρπῶν παλαιᾶς τροφῆς, id eſt, *antiqui cibi glandibus* memoriam replicabant. Sic in *Odyſſ.* Ulyſſis ſocii deſtituti κρῖ λευκῦ, id eſt, *hordeo albo*, decerptis teneris quercuum foliis ſupplicabant. Iidem cum deeſſet illis vinum ad libationem, aquam libabant: qua ratione & libamenta & molæ ſalſæ illis erant εὐπόριςα, id eſt, *paratu facilia*. Atque hæ fuerunt cauſſæ hordei. Megaris vero, dum ad Terei ſepulchrum ſacrum fiebat, pro hordeo calculis utebantur: unde Pauſanias *Att.* θύουσι, inquit, πᾶν ἔτος ψηφῖσιν ἐν τῇ θυσίᾳ ἀντὶ οὐλῶν χρώμενοι.

Porro ſales hordeis miſcebant non modo propter naturalem fertilitatem & repetitam in alimoniis gratiam, verum etiam quia ſales amicitiæ ſunt ſymbolum, quam etiam ob cauſſam hoſpitibus ante omnes alios cibos apponi conſueverunt: vel διὰ τὸ τῆς φιλίας νόσιμον καὶ διαμόνιμον, id eſt, *ob amicitiæ redintegrationem & firmitatem*. Sal enim multis corporibus firmitatis atque durationis cauſſa exiſtit: vel etiam ut eſſet ſymbolum τῆς κατὰ φιλίαν ἑνώσεως, id eſt, unitatis, quæ eſt in amicitia. Nam ut Sal ex multis aquis liquidis atque fuſilibus in unum ſolidum corpus coaleſcit & concreſcit; ſic etiam qui ex diverſis & longe à ſe invicem diſſitis locis conveniunt in unum, & loco & amico habitu coaleſcunt: ὡς γὰρ ἅλς ἐξ ὑδάτων πολλῶν ῥυτῶν καὶ χυτῶν παγεὶς, ἕν τι ςερεὸν γέγονε σῶμα· οὕτω καὶ οἱ συνελθόντες εἰς ξενίαν ἐκ διεςώτων εἰς ἓν τῷ τε τόπῳ καὶ τῇ φιλικῇ διαθέσει συνήχθησαν. Sciendum autem eſt, quod cum Poëta οὐλοχύτας dicat, quidam poſteriorum, inter quos eſt Dion Romanus, non compoſite οὐλοχύτας, ſed ſimpliciter οὐλὰς appellant. *Hordeis cur ſales mixti.*

Licet etiam, ut idem Euſtathius addit, alio modo breviſſime ſimul & de mola ſalſa, & vini libatione ſic diſſerere. Cum duplex ſit noſter victus neceſſarius, nimirum & ſiccus, qui conſtat ex ſeminibus atque aliis fructibus, & humidus, qui conſiſtit primo quidem in aqua, ſecundario autem in vino, primitias itaque τῆς ὅλης ζωογόνου τροφῆς, id eſt, *totius victus vivifici* veteres illi & molas ſalſas in ſacrificiis projiciebant, ceu ex ſicco, atque etiam libationes, quæ modo in hoc, modo in illo humido fiebant pro temporum ratione.

Poſt molas autem ſalſas ſecuta ſunt ſacrificia, & quæ in illis fiebat κρεοφαγία, id eſt, *carnium manducatio*. Idcirco poſt victus neceſſarii inventionem conſecuta eſt ἡ τῆς κρεωδαισίας πολυτέλεια, *carnium magnifici ſumptuoſique apparatus* atque delitiæ fuerunt excogitatæ.

Sciendum quoque eſt nonnullos alia ratione οὐλοχύτας interpretari non θύματα, ἢ προθύματα, ἢ προβολὰς τῶν θυμάτων, hoc eſt, inter ea quæ ante ſacrificium fieri conſueverunt recenſere, qualia etiam fuerunt evaporatio thuris, & id generis primitiæ quæcunque, ut ſiligo, vel etiam placentulæ, & ſimilia: ſed ipſa caniſtra, ſive vaſa, per quæ hordea funduntur: cujuſmodi vas οὐλοχόϊον, ſive οὐλοχοεῖον, alio nomine dicitur, hoc eſt, ἀγγεῖον, εἰς ὃ αἱ οὐλαὶ ἐμβάλλονται πρὸς ἀπαρχὰς τῶν θεῶν, *Vaſculum in quod molas ſacrificaturi conjiciebant.*

Apud Apollonium ſimiliter hujuſce cerimoniæ expreſſa his verbis fit mentio:

Primum: - - - οἱ δ᾽ ἄρ᾽ ἔπειτα
Χέρνιβά τ᾽ οὐλοχύτας τε παρέσχεθον, *Apollonius de mola ſalſa.*
id eſt,
- - - *Illi vero poſtea*
Et aquam manualem & molam ſalſam præbebant,

Socii nimirum, qui & aquam manualem ad lavandas manus, & ſalſas illas fruges adferebant in caniſtris. Scholiaſtes in hæc verba ſic commentatur: οὐλοχύτας *alii interpretantur* τὰ κανᾶ, ἐπεὶ δι᾽ αὐτῶν φέρεται τὰ πρὸς θυσίαν, id eſt, *calathos, ſive caniſtra* (per metonymiam) *quibus portabantur ea, quæ ad ſacrificium erant neceſſaria. Alii interpretantur* τὰς κριθὰς, ἐπειδὴ οὐλὰς ἐνέβαλλον τοῖς βωμοῖς, id eſt, *hordea*; *quoniam hordea inſpergebant Altaribus.*

Et paullo poſt:

- - - ἦ καὶ ἅμ᾽ εὐχωλῇ προχύτας βάλε,
Dixit (precatus eſt) *& ſimul cum precibus ſparſit* προχύτας.

Per προχύτας intelligit Scholiaſtes τὰς κριθὰς, id eſt, *hordea*, vel, ut addit idem interpres, τὸ ὕδωρ, ὃ εἰώθασιν ἐμβάλλειν εἰς τὸ οὖς τοῦ ἱερείου ἐπὶ τῷ ἐπιπνεῦσαι τὸ ἱερεῖον, id eſt, *aquam, quam hoſtiæ auribus infundere conſueverant, ejus nimirum recreandæ, reficiendæque gratia*, ut ea facilius deinde cædi poſſet. Heſychius προχύτας exponit ὀλὰς καὶ ἀπαρχάς. Ergo & ὀλαι & οὐλαὶ, & ὀλαί: item οὐλοχύται & προχύται illæ molæ ſalſæ Græcis dicuntur. Inde natum οὐλὰς προβάλλεσθαι & ἐπιβάλλειν apud Homerum & Athenæum, quod Suidas exponit κριθὰς ἐπιχέειν τοῖς θύμασι, id eſt, ut Virgilius & Horatius interpretantur, *Spargere molam victimis*: & Cicero, *Inſpergere molam*, eo loco *de Divinatione*: *Cor eſt in extis, jam abſcedet, ſimul ac molam & victimam inſperſeris.* Item οὐλοχυτεῖν *immolare*, mola inſperſa ſacrificare.

Athenæus ſcribit lib. 7. Bœotios, teſte Agatharchide, anguillas Copaidas (à Copaide lacu dictas) inuſitatæ magnitudinis Hoſtiarum more coronatas, molaque etiam ſalſâ conſperſas cum precibus Diis immolare; ac cum peregrinus quiſpiam inuſitato inopinatoque hoc ſacri genere obſtupeſcens, cur id fieret, *Athenæus.*

N 2 ſciſcita-

sciscitaretur, Bœotios nihil aliud respondere potuisse, quam servanda esse Majorum instituta: nec se decere, patriæ consuetudinis rationem aliis reddere. Ibidem scribit: *Piscatores, quo tempore thynnos piscantur, post felicem retium jactum, sacrum Neptuno facere, eique thynnum captum immolare, quod sacrificium inde* Thynnæum *vocent, & Phaselitas salsamentis quotannis Cylabræ, quem tanquam Heroa venerantur, rem divinam facere.* Hæc Athenæus.

Theocritus. Theocritus quoque hujus cerimoniæ, usitatæ apud Græcos, expresse meminit his verbis:

Ἄλφιτά τοι πρᾶτον πυρὶ τάκεται, ἀλλ' ἐπίπασσε
Θέστυλι δειλαία,
id est,
Mola quidem primum igni frigitur in suffitum, sed insperge
O Thestyli misera, &c.

Ἄλφιτον definiunt *farinam hordeaceam* ἐκ τῶν κριθῶν, ut ἄλευρον ἐκ τῶν πυρῶν *farinam triticeam*: tamen eo distinguitur, quod ἄλφιτον torreatur: ὠμήλυσις δὲ, quod ex crudo hordeo fiat. Mola enim præparata è farre tosto, sale & ture imponebatur capiti victimæ, quæ tum macta, id est, magis aucta credebatur & immolata, (Græci pro his dicunt, τὸ ἱερεῖον, σφάγιον, θῦμα ἐπιτελεῖν, καθαγίζειν) deinde vinum vel mustum eidem affundebatur, prius ab auspice degustatum, & à circumstantibus leviter delibatum, qui ritus dicebatur *Libatio.*

Molæ salsæ inspersio usitata etiam apud Romanos. Plinius. Ut autem apud Græcos, sic etiam apud Romanos hujusmodi hordei atque salis inspersio in sacrificiis fuit usitata. Appellata vero hæc hordei atque salis mixtio Latine *mola salsa.* Plinius libro trigesimo primo, capite septimo: *Maxime tamen*, inquit, *in sacris intelligitur salis auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa.* Idem: *Nec minus propitii erant molâ salsâ supplicantibus.* Idem: *Numa Pompilius Deos fruge coli & molâ salsâ supplicari instituit. Hæc mola ex farre, sale & aqua fuit composita: sine qua mola nullum sacrificium ratum fieri existimant. Atque id far nisi tostum esset, ad rem divinam non esse purum statuit. Is & Fornacalia & religiosas ferias, quibus far in fornacibus torrebatur, instituit.* Meminit hujus molæ quoque Festus:

Festus. *Mola*, inquit, *sive mola salsa vocatur etiam far tostum & sale sparsum, quod eo molito hostiæ aspergantur.* Idem: *immolare est molâ, id est, farre molito & sale hostiam perspersam consecrare.* Hinc Virgilius:

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

Et quarto *Æneidos:*

Ipsa molâ manibusque piis, altaria juxta
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta
Testatur, &c.

Idem: *Jamque dies infanda aderat, mihi sacra parari,*
Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.

Servius. Hic Servius: *Salsæ fruges, id est, sal & far, quod dicitur mola salsa, qua & frons victimæ, & foci aspergebantur & cultri. Fit autem de horna fruge & horno sale, hoc est, fruge & sale hujus anni.* Unde Horatius tertio *Carminum:*

Si thure placatis, & horna fruge Lares.

Idem Servius illud *Eclog.* octavæ:

Sparge molam, id est, far & salem interpretatur.

Horatius. Horatius quoque expresse hujus molæ meminit secundo *Sermonum*, Satyra tertiâ:

Tu quum pro vitulâ statuis dulcem Aulide natum,
Ante aras, spargisque molâ caput, improbe, salsâ.

Martialis. Et Martialis: *Consumpsi salsasque molas & thuris acervos.*

Plautus. Item Plautus in *Amphitruone:*

- - - *postquam experrecta es prodigiali Jovi,*
Aut mola salsâ, aut thure comprecatam oportuit.

Prodigiali, id est, prodigiorum depulsori, qui prodigia amolitur, ἀποτροπαίῳ, τερασίῳ. *Molâ salsâ*, id est, farre tosto, qui sale sit consperfus. Comprecari porro Jovi, idem, quod à Jove, aut Jovem.

Ovidius. Ejusdem meminit & Ovidius:

Imponit libum mistaque farra sale.

Et alibi: *Triticeos fœtus passuraque farra bis ignem.*

Nam & torrebatur prius igni ex Numæ instituto ad rem divinam: & postea rursus, quando in sacrificio adhibebatur. Nec solum far, quod adolebatur in sacris, bis ignem patiebatur, sed & quo Majores utebantur in cibo, cum vel panis, vel aliud cibi genus e farre, non nisi prius eo tosto conficeretur. Bis ergo torrebatur, primum cum relatum erat in horrea, deinde in sacris, sive in cibis.

Mola unde dicta. Servius de antiquo more molendi. Obiter hic notandum, *molam à molendo* dici. Hinc hordei grana fracta & contusa *mola* dicta, & μυλάντειοι, & ἐμμύλιοι θεοὶ, *Dii molares, molarum præsides*: de quarum usu & antiquo molendi more sic Servius in illa verba Virgilii:

- - - *Fru-*

- - - - Frugesque receptas
Et torrere parant flammis & frangere ferro:

Et ista: *Nunc torrete igni fruges, & frangite saxo:*

Nam & hodie, inquit, *siccari ante fruges, & sic frangi videmus. Et quia apud Majores nostros molarum non erat usus, frumenta torrebant & ea in pilas missa pinsebant: & hoc erat genus molendi. Inde & pinsores dicti sunt, qui nunc pistores vocantur.*

Cæterum illo farre Deos sibi conciliare consueverunt Veteres, eo quod, ut inquit Nonius, epulis & immolationibus sacrum putabatur, ut *Adorare* verbum dictum putetur à farre, quod *Adoream* Antiquos appellasse dictum supra, qui libis sæpe adoreis sacra Diis exhibebant. Hinc Ovidius *Fastorum* primo: Molæ usus in sacris.

Ante Deos homini quod conciliare valeret
Far erat & puri lucida mica salis.

Sed de *farre*, *confarreatione*, *adorandi* verbo, *adoreâ*, *edor*, & similibus dictum est supra: ad quæ Lectorem remitto.

Hic postremo non est silentio prætermittenda ὀλοχυτομαντεία, κριθομαντεία & ἀλευρομαντεία, hoc est, divinatio, quæ per hanc molam salsam, ejusque materiam, hoc est, hordeum, far atque farinam, qua victimæ conspergebantur, fieri fuit solita. Nam hæc ipsa in sacrificiis suis curiose scrutari, expendere, atque inde futurarum rerum scientiam captare consueverunt. Divinatio per molam salsam.

Porro cum immolatione, hoc est, molæ salsæ aspersione super hostiam, de qua modo dictum est, conjuncta fuit quædam libatio, hoc est, vini super eandem hostiam effusio, cujus etsi neque Homerus, neque Apollonius hoc in loco meminerunt, tamen eam aliis ex auctoribus colligere licet, ut videre licet apud Virgilium *Æneid.* 7. Cum mola salsa conjuncta fuit libatio quædam vini.

Quattuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos.

Et quarto *Æneidos*:

Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Ibi Servius: Non est sacrificium, inquit, sed hostiæ exploratio.

Media inter cornua fundit. Fundere, ait idem, *est supina manu libare, quod fit in sacris supernis.* Vergere *autem est, conversâ in sinistram partem manu, ita fundere, ut patera convertatur, quod in inferis fit.* Hinc apud Plautum in *Curculione* Læna anus ebriosa:

- - - ipsum expeto (inquit)
Tangere, invergere in me liquores tuos
Sino ductim.

Et Lucretius libro quinto:

Illi imprudentes ipsi sibi sæpe venenum
Vergebant: nunc dant aliis solertius ipsi.

Porro ista pertinent, inquit Servius, *in locum illum Virgilii, ad victimarum explorationem*, (en cerimoniæ hujus finem) *ut si non stupuerint, aptæ probentur.* Hoc autem vinum depromebatur ex certo vase, quod *Præfericulum* fuit appellatum. Erat autem *Præfericulum*, inquit Festus, *vas æneum sine ansa patens summum, velut pelvis, quo ad sacrificia utebantur.* Ejus effigiem videre licet apud Guilielmum du Choul in libro *de antiqua religione Romanorum.* Ei tamen Festi descriptio hujus vasis non videtur respondere.

Porro antequam vinum illud fronti hostiæ invergeret, sive media inter ejus cornua funderet sacerdos, illud simpulo, sive simpuvio ligneo vel fictili admodum parvo, quod inter sacra vasa cyatho non erat absimile, & ipse leviter delibabat, & astantibus gustandum deferebat, ut pariter libarent. Vocabatur hic ritus *Libatio*, de qua infra pluribus. *Simpulum*, inquit Festus, *vas erat parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificio libabatur: unde & mulieres rebus divinis deditæ Simpulatrices fuerunt dictæ.* Vasis hujus quoque formam atque figuram vide apud Guilielmum du Choul, ex antiquis monumentis erutam. Libatio vini facta a sacerdote & astantibus.

Etsi vero Servius, optimus Virgilii antiquitatumque interpres, hanc vini super victimas effusionem vult ad earum explorationem fuisse fieri solitam: tamen aliæ quoque hujus cerimoniæ rationes probabiles admodum videntur afferri posse, ac eædem fere quas Eustathius de immolatione, id est, molæ super hostiam aspersione, adfert. Nam quemadmodum illa cerimoniâ usi fuerunt suæ erga Deos suos εὐχαριστίας testificandæ atque probandæ gratia, quorum dono atque munere glandium esum belluinum, qui ipsis cum pecoribus fuerat communis, durum & asperum, cum hordei aliarumque frugum mitiore longe suavioreque esu commutassent: sic verisimile est, ipsos hac similiter vini super hostiam effusione gratos sese Diis suis probare voluisse, quorum benignitate atque beneficio pro Acheloiis poculis, id est, aquæ potu antiquo, nunc vini liberaliore longe salubrioreque potu uterentur. Rationes cur libatio vini fieri solita. 1. Gratitudinis testificandæ gratiâ.

Deinde ut sales illi, Eustathio teste, hostiæ aspersi, ex multis liquidis compacti unumque corpus facti, amicitiæ fuerunt symbolum: sic vinum quoque ex multis collectum acinis atque granis idem significare potuit. 2. Ut esset amicitiæ symbolum.

Quid si, ut hoc quoque addam, hac vini super frontem atque media inter cornua hostiæ sive bestiæ effusione 3. Vini abusu homines effrontes fieri.

ſione ſignificare voluiſſent, homines vini abuſu, hoc eſt, immodico immoderatoque potu beſtiarum cornigerarum ac cornupetarum fieri ſimiles, & effrontes, hoc eſt, audaces, impudentes, inverecundos, temerarios, feroces & efferos?

Hoſtiæ mactari quomodo dictæ.

Poſtremo hic obſervandum, hac ipſa cùm immolatione, hoc eſt, molæ frugumque ſalſarum aſperſione, tum libatione, id eſt, vini effuſione ſuper hoſtias ſive victimas, ipſas dici fuiſſe ſolitas *mactari*, hoc eſt, augeri atque cumulari: qua tamen voce etiam ad hoſtiarum cædem atque jugulationem ſignificandam uſi fuerunt, de quo poſtea. *Mactus*, inquit Feſtus, *dicitur magis auctus*. Et Servius in illa Virgilii:

- - - - mactant lectas de more bidentes:

Verbum ſacrorum κατ᾽ εὐφημισμὸν *dictum, ut* Adorare. *Nam* mactare *eſt magis augere.* Addit in vocem *Lectas: Non vacat lectas. Nam moris fuerat, ut ad ſacrificia eligerentur oves, quibus nihil deeſſet, ut in ſexto* Æneidos:

Nunc grege de intacta ſeptem mactare juvencas.

Bidentes autem dictæ ſunt, quaſi biennes, quia neque minores aut majores licebat hoſtias dare. Sunt autem in ovibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non niſi circa biennes apparent: nec in omnibus, ſed in his, quæ ſacrificiis ſunt aptæ, inveniuntur. Hæc Servii ſuperioribus illis de hoſtiarum delectu addi poſſunt.

Idem in illa Virgilii libro nono *Æneidos*:

Macte novâ virtute puer: ſic itur ad aſtra,

Macte, inquit, *quaſi magis aucte: affectata gloriæ eſt ſermo, & tractus à ſacris. Quoties enim aut thus, aut vinum ſuper victimam fundebatur, dicebant*: Mactus eſt taurus vino *vel* thure, *hoc eſt, cumulata eſt hoſtia & magis aucta.*

Atque hæc quidem de immolatione, id eſt, mola ſive frugum ſalſarum in hoſtiam aſperſione, & de Libatione, id eſt, vini in eandem effuſione, prius leviter à ſacerdote & aſtantibus deguſtati, ſint dicta.

Pilorum evulſio & concrematio quartum membrum τῶν προθυμάτων.

SEQVITVR nunc alia cerimonia, ante hoſtiæ mactationem uſurpari ſolita, cujus luculenta in hoc Neſtoris ſacrificio, & in aliis ſacrificiis apud Homerum fit mentio. Ea autem fuit pilorum ex hoſtiæ capite evulſio, & in ignem conjectio ac concrematio. Solebant enim Veteres villos de fronte victimæ evellere, quos poſtea cum molarum parte in ignem, ſuper aram tum accenſam conjiciebant: & illa vocabantur *prima libamina*, ſive ἀπαρχαί. De hac igitur cerimonia ſic Homerus in hoc Neſtoris ſacrificio:

Homerus de evulſione pilorum.

Εὔχετ᾽ ἀπαρχόμενος, κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων·

Supplicavit initia faciens, ex capite pilos in ignem conjiciens.

Et Virgilius *Æneidos* ſexto in genere de omnibus ſacrificiis:

Et ſummas carpens media inter cornua ſetas
Ignibus imponit ſacris libamina prima.

Hujus quidem moris Euſtathius rationem hanc reddit: οὕτως δὲ ἀπαρχή τις, ἡ καταρχὴ, καὶ πρόθυμα, καὶ προβολὴ καὶ ὁ κλιμὸς, καὶ ἡ καῦσις τῶν τριχῶν τῆς τοῦ ἱερείου κεφαλῆς. γινόμενος καὶ αὐτὸς πρὸς ἀνάμνησιν τῆς παλαιᾶς ἐκ τριχῶν καὶ δορῶν ἐνδύσεως, Id eſt, *Inter primitias locum quoque obtinet evulſio atque combuſtio pilorum à capite hoſtiæ, qua recolebatur memoria antiqui veſtitus, qui conſtat ex pilis atque pellibus.*

Idem Ιλ. Γ. in celebri illo fœdere, quod à Trojanis atque Achivis, ſacrificio adhibito, contractum fuit, inter alia facit mentionem pilorum, quos ex capite agnorum immolandorum eruerunt; quos poſtea præcones ſingulis Trojanorum atque Græcorum diſtribuerunt. Agamemnon enim ſuo gladio

Ἀρνῶν ἐκ κεφαλῶν τάμνε τρίχας· αὐτὰρ ἔπειτα
Κήρυκες Τρώων καὶ Ἀχαιῶν νεῖμον ἀρίστοις.

Euſtathius *Agamemnon*, inquit, αὐτουργῶν τὰ ὅρκια, Id eſt, *ſua ſponte, ſive per ſe, ſacrificium illud, quod ad fœdus ſanciendum ſpectabat, faciens, pilos è capitibus agnorum exſectos per præconem optimatibus Trojanorum atque Græcorum diſtribui curavit: quo ſignificabatur illos hoc ſacrificio omnes inter ſe conjungi & copulari. Symbolum id erat, mala in ejus caput eſſe redeunda omnia, qui fœdus illud violâſſet. Et veriſimile videtur, Agamemnonem hujuſmodi verbis uſum fuiſſe*: Sic exterminentur ex hac vita, hujuſce fœderis qui violatores extiterint, quemadmodum ego diſſeco hoſtiæ iſtius pilos.

Erat præterea illa pilorum diſſectio ἀνάμνησις τῆς παλαιοτάτης ἐνδύσεως, id eſt, *recordatio priſtini*, qui olim dicitur fuiſſe, *veſtitus*. Hujuſce moris meminit Homerus etiam alibi, ut *Iliad.* τ.

Κάπρου ἀπὸ τρίχας ἀρξάμενος.

Et *Odyſſ.* ξ. Ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν·

Initia faciens, capitis pilos in ignem conjecit.

Euſtathius de rationibus cur facta hæc pilorum evulſio.

Quem verſum Dionyſius Halicarnaſſeus citans & inquiens, τριχολογοῦντας ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τὰς τρίχας καὶ θέντας ἐπὶ τὸ πῦρ, id eſt, *pilos quoque de capite victimæ reſectos in ignem jeciſſe*, ſic ait:

Ἀλλ᾽ ὅγ᾽ ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν,
Ardenteſque focos raptis de vertice villis
Sparſit, &c.

Evulſionis pilorum eædem rationes quæ molæ ſalſæ.

Hujuſce igitur cerimoniæ, quæ, ut etiam alii Ethnicorum ritus atque cerimoniæ, ridicula admodum & abſurda videtur fuiſſe, eandem fere, ut paulo antea dictum, rationem adfert Euſtathius, quam de mola illa ſalſa, hoſtiis aſpergi ſolita, attulit. Nam, ut illam ad antiqui victus, ita hanc ad antiqui veſtitus (qui peco-

pecorum pilis villiſque conſtabat ἀνάμνησιν, id eſt, *recordationem* fieri conſueviſſe prodidit. Et huc referenda illa Ciceronis: *Quid enim*, inquit, *oves* (quod de aliis quoque pecoribus dici poteſt) *aliud adferunt, niſi ut earum villis confectis atque contextis veſtiamur?* Hujuſmodi autem veſtes piloſæ atque villoſæ τριχόνιοι à Græcis, & τριχόνια appellantur. Hinc etiam *pilei*, ſive *pilea*, quæ capillorum capitiſque ſunt integumenta, à *pilis* videntur denominata, partim quia ex pilis conficiuntur, partim quia capitis pilos, uno nomine *capillos* dictos, tegunt. A *pilis* ſimiliter, ut hoc quoque addam, atque *villis*, vernaculum noſtrum filtz / ſine dubio eſt derivatum, quæ vox & pileum, ſive veſtem piloſam ac villoſam, & metaphorice cum hominem ruſticum & agreſtem, tum duram & aſperam objurgationem ſignificat.

Aliæ rationes cur facta illa evulſio. Prima.

Sed præter illam rationem ab Euſtathio allatam, aliæ quoque ejuſdem cerimoniæ, ab Ethnicorum opinionibus ac ſuperſtitionibus non alienæ adferri videntur poſſe cauſſæ atque rationes. Nam primum cum & illorum ſacerdotes raſo plerunque, ut ſupra dictum, fuerunt capite atque barbâ, & reliquum etiam vulgus in ſacris præſertim atque in funeribus capitis barbæque pilos tondere, radere, atque etiam evellere conſueverint, quid miri eſt, ſi ex hoſtiarum quoque ſuarum capitibus pilos, villos atque ſetas evellere fuerunt ſoliti?

Secunda.

Deinde quemadmodum, ut ſupra fuit ſignificatum, primos capitis barbæque ſuæ pilos raſos ſive detonſos Diis ſuis, tanquam primitias, conſecrarunt; ſic mirum non fuit ipſos hoſtiarum victimarumque ſuarum (quas intonſas eſſe oportebat, ut Servius annotat in illa Virgilii *Æneidos* ſexto: *Intonſamque bidentem*) pilos, ἀπαρχὴν καὶ προθυμάτων χάριν, id eſt, *primitias*, *ſeu primitiarum cauſſâ* (unde etiam Homerus, Ἀλλ' ἀπαρχόμενος ait, & ut Virgilius ea vocat *Libamina prima*) Diis illis ſuis obtuliſſe ac conſecraſſe?

Tertia.

Præterea ſatis ſuperque conſtat, pilos atque villos, qui nihil ſunt aliud, quam quædam corporis excrementa, res eſſe viles, ſordidas & abjectas. Unde ipſa quoque vox Latina *vilis* à *villis* videtur dicta, quaſi villis nihil ſit vilius: & inde etiam natæ illæ proverbiales dicendi formæ (quibus reſpondet hæc noſtra, Nit umb ein haar / oder härlins beſſer) ad rem minimam & viliſſimam ſignificandam, ut, Latinæ quidem: *Pili facere: Ne pili quidem facere: Ne pilo quidem minus aliquem amare.* Græcæ vero, θρὶξ ἀναμέσον, *pilum intereſt*, de minimo diſcrimine: τριχὸς ἄξιος, *pilo dignus*, de homine vili: τριχολογεῖν, *pilos & floccos legere*, id eſt, de rebus vilibus & nihili diſceptare, quale eſt illud; *De lana caprina.* Hæc cum ita ſe habeant, veriſimile eſt, Ethnicos hac cerimonia ſignificare voluiſſe, ſe quasvis res, etiam minimas, paratos eſſe Diis ſuis conſecrare: vel etiam ſignificare voluerunt, nos res tantum pretioſas ſectari: contra autem res viles & ſordidas contemnere ac Vulcano debere tradere.

Quarta.

Quid ſi, cum & morbus quidam ſit pilaris, quem τριχίαν Græci appellant (Eſt mammarum vitium, quo mulieres corripiuntur, ſi pilum in poculo biberint) & vermiculi quidam ſint, pilos arrodentes (qui τριχοβρῶτες, & τριχοβρωτήρια à Græcis appellantur, Germanice Niß) hoſtiarum pilos Ethnici Diis obtulerint, ut hujuſmodi pilorum vitia atque morbos velint à ſe averruncare?

Quinta.

Ad hoſtiarum quinetiam patientiam forſan explorandam iſta pilorum è capite evulſio facta eſt.

Sexta.

Poſtremo apud Ethnicos fuit quoddam Dæmonum genus tenebroſum, & κάθυλον, id eſt, *materiæ affixum*, ut illud deſcribunt, quos ὀνοκενταύρους, id eſt, *aſinos centauros*, & à pilis τριχίονας, id eſt, *piloſos*, *villoſos*, *hirſutos* appellarunt, quod nimirum tali ſpecie atque forma illis apparebant, qui idcirco שעירים *Sehirim*, ab Hebræis, & *Satyri*, ab eadem voce fuerunt dicti. Hujuſmodi igitur Dæmonum iras, atque furorem placandi & à ſe averruncandi gratia forſan iſtos hoſtiarum ſuarum pilos ipſis obtulerunt.

Sed de iſtis, ut ita loquar, tricis (quam ipſam vocem pilos, pedibus pullorum gallinaceorum involutos; proprie ſignificantem Nonius ἀπὸ τῶν τριχῶν vult eſſe derivatam) ſatis ſit dictum, quantum nimirum inſtituti hujus noſtri ratio poſtulavit; ne diutius, quam par ſit, tricari &, ut Græci loquuntur, τριχολογεῖν videamur.

De igne in genere. Ignis uſus in ſacrificiis.

NVNC quoniam ignis, in quem iſti hoſtiarum pili fuerunt conjecti, ut eo abſumerentur, facta eſt mentio, de ipſo quoque igne ſacrifico, ſive ſacrificiali, in genere videtur eſſe dicendum, præſertim cum is ſtatim ab initio inferri & accendi ſit ſolitus. Fuit autem ignis in ſacrificiis maximus, ac plane neceſſarius uſus, ſine quo nullum ſacrificium confici poterat. Atque inde valde profecto eſt veriſimile ipſam *Aram*, præcipuum ſacrificiorum receptaculum, ſeu inſtrumentum, vel ab *ardendo*, quaſi *Ardeam*, vel ab *urendo*, quaſi *Uram* (unde *Uſtrinas* animalium Arnobius per contemptum Gentilium aras appellavit) fuiſſe nuncupatam. Unde Virgilius *Æneidos* duodecimo aras vocavit *flagrantes* (quæ etiam *fragrantes propter odores*, qui in illis incendebantur, dici potuerunt.

Admovitque pecus flagrantibus aris.

Et Tibullus *fulgentes* vocavit, cum ita canit:

Cernite fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras:

Urere, & ardere unde.

Utrunque autem hoc verbum *Urere* & *Ardere*, cui dubium, quin, ut antea quoque dixi, ab Hebræo אור, *Or*, vel אור *Ur*, & Chaldæo אורה *Orah*, ſive אורא, *Ora*, deriventur, quæ & ignem & lucem ſive lumen & ſplendorem, & focum quoque, in quo ignis fovetur; ſignificent. Ara igitur quaſi *Ura*, ſive Chaldaice אורא, *Ora* dicta eſt. Ipſum quoque nomen Græcum πῦρ, ignem ſignificans (unde noſtrum vernaculum fewr) non dubito, quin ab Hebræo אור, *Or*, ſive *Ur* ſit deductum. Nam ablatâ litterâ π fit ὗρ.

A Veſta: ignis Dea, ſacrificia inchoata.

Ad hunc ipſum ignis uſum illud quoque videtur pertinere, quod à Veſta, quam tanquam ignis Deam & præſidem Ethnici colebant, quævis illorum ſacrificia inchoari, & in eadem fere terminari conſueverunt, ut

ut supra quoque dictum, & Cœlius Rhodiginus id docet lib. 15. cap. 14. sub finem. Verderius: *In sacrificiis*, inquit, *quæ etiam aliis Diis offerebantur, semper Vestæ nomen, ut etiam Jani præfabantur*: cui rei eam potissimum rationem adfert, quod vestibula, ubi olim sacrificabatur, Vestæ erant sacra. Adfertur quoque fabula, qua Vesta, post victoriam contra Titanes partam, à Jove impetrasse dicitur, ut virgo permaneret, ac omnium sacrificiorum primitias sortiretur. Sed mihi eo potissimum respexisse Veteres videntur, quod ea, quæ in sacrificiis adhibebantur, ab illo igne, quem Vesta designat, habent, ut sint atque permaneant. Adde quod nihil magis Deorum ipsorum puritatem immortalitatemque exprimeret, quam flamma: ideoque nullum sacrificium sine igne constabat: & hanc ob caussam Vestæ nomen cæteris omnibus præmittebatur.

De πυρολατρείᾳ seu ignis cultu paralipomena.

Sed antequam ad ignis sacrificialis explicationem accedam, præmittenda quædam & superioribus adjicienda videntur in genere de *πυρολατρείᾳ*, id est, *ignis cultu* antiquissimo, qui omnibus fere gentibus valde fuit familiaris, ut ex sacris & profanis litterarum monumentis satis superque patet.

Ignis cultus a Chaldæis.

Ac ipsi primum Chaldæi & Assyrii ignem coluerunt sub nomine *Ur*, quem nonnulli quidem loci nomen fuisse autumant: alii vero ipsum ignem, quem gentes illæ, tanquam Numen quoddam, colebant, nomine illo volunt esse intelligendum, à quo locus quoque ille fuerit denominatus.

Ignis cultus ab Ægyptiis.

Deinde Ægyptii quoque Ignem venerati sunt sub nomine *Seraphim*, quod illorum fuit Numen a סרף, *Saraph*, deductum, quod *ardere*, *flagrare*, *splendere* significat, quasi dicas *flammeum*, *ignitum* & *lucidum* quippiam; quo nomine Ignem significabant, quem perennem esse volebant Majorum suorum instituto. His adde, quod Herodotus lib. 3. tradit, Ægyptios sibi persuasisse ignem, animatam quandam & voracissimam esse beluam, omnia, quæ nascantur, devorantem, unde mortuorum corpora non passi sunt igne concremari: propterea quod ipsis absurdum & ab omni ratione alienum esse videatur ignem, ceu beluam, devorando expletam unâ cum ipsa re devorata atque consumpta emori. Ut igitur alias bestias: sic ignem quoque, quem in bestiarum numero referebant, Ægyptii coluerunt.

Ignis cultus a Medis & Persis.

Præterea quanta superstitione Medi atque Persæ ignem coluerint passim historiæ antiquæ testantur. Coluerunt autem eum suo nomine *Urimasda*, quæ vox composita ex *Or* & *Chasda*, *ignem* sive *lucem sanctam & divinam* significat. Et hanc ipsam quidem ob caussam noluerunt suorum corpora igne comburi, ut Herodotus refert libro tertio, propterea quod nefas ducebant ea depasci atque consumi ab eo, quem Numinis loco haberent. Iidem, Tyrio Maximo auctore, cum igni sacrificarent, præbito alimento, his utebantur verbis: EDE, DOMINE IGNIS.

Ignis cultus a Græcis.

Porro à Chaldæis, Assyriis, Ægyptiis, Medis atque Persis, ut plurimæ aliæ superstitiones: ita hic quoque superstitiosissimus ignis cultus ad Græcos fuit propagatus. Nam hi quoque ignem venerati sunt Ηφαίςȣ, id est, Vulcani, & Εςίας, id est, Vestæ nomine: quæ ipsa quoque duo nomina ab Hebræis sunt deducta, nempe ab אש, *Esch* vel אשא, *Escha* vel אתשא, *Estha*, Chaldæorum. Ab eodem nomine Hebræo, אש, *Esch* (ut hoc quoque obiter addam) & Græcum vocabulum ἐσχάρα, *focum* significans, & nostrum vernaculum Esche / id est, *Cinis* (qui ignis est effectus) sine dubio profluxerunt: nisi quis Eschen / Germanicum, malit derivari ab Hebræo דשן *Daschan*, quæ vox & *pinguedinem* & *cinerem* sonat: cui soni similitudine nostrum Eschen est vicinum.

Ipsum quoque *ignis* nomen, & in plurali numero, *ignes* (quod nonnulli volunt esse compositum ab *In*, particula privandi, & *gigno*, ut dicatur *ignis*, quasi *non gignens*, quod ignis non quidem gignendi, sed cuncta potius consumendi vim obtineat) mihi potius ab אש, *Esch*, Hebræo videtur suam habere originem.

In Delphico templo Græci perpetuum ignem fovebant: cujus custodia mulieribus, matrimonio solutis, fuit demandata.

Attici in templo Palladis sive Minervæ, unâ cum Palladio, id est, Palladis simulachro lychnum ignis inextincti virginum opera atque ministerio custodiebant.

Ignis cultus a Romanis.

Postremo postquam Romani omnium gentium atque nationum imperio fuerunt potiti, omnes simul superstitionum universi orbis terrarum sordes Romam, quasi in sentinam quandam confluxerunt: unde jure ac merito Theophilus Romam illam antiquam πάσης δεισιδαιμονίας ἐπιτομὴν, id est, *omnis superstitionis epitomen* sive *compendium* appellavit. Inter istas fuit hæc πυρολατρεία, id est, *ignis cultus*. Nam illi quoque ignem, ceu Numen quoddam, sub Vulcani & Vestæ nominibus, Græcorum aliarumque nationum more & exemplo superstitiosissime coluerunt.

Sacrificia Vulcani ignita.

Vulcani itaque sacrificia omnia fuerunt ignita (Ignitum autem sacrificium Hebraice ab igne אשה, *Ischah*, ab ascensu עולה *Holah*, Græce ὁλόκαυςον καὶ ὁλοκαύςωμα, à Latinis *Protervia* fuit appellatum) in quibus moris erat, ut quicquid ei fuisset oblatum, igni traderetur. Quinetiam victores, spoliatis hostium cadaveribus ac in acervum scutis, aliisque armis collectis & postea incensis, Vulcano sacrificium offerre solebant, quemadmodum Virgilius lib. 8. *Æneidos* Euandrum inducit, qui id se,

Victorem Præneste sub ipsa,

fecisse prædicat: quod Servius vult depromtum fuisse ex Romanorum historia, ubi legitur, Tarquinium Priscum, devictis Sabinis, omnia eorum arma in Vulcani honorem combussisse, cæterosque ejus exemplum secutos esse.

Vestæ duæ apud Antiquos.

Quantum ad Vestam attinet; observandum, duas apud Antiquos fuisse Vestas: quarum una Saturni fuit mater, quam pro terra posuerunt atque coluerunt (unde forsan nostrum Vest / quod & virum nobilem ac strenuum, unde Streng / & quidvis, quod firmum est atque stabile, terræ nimirum instar significat:) altera

altera filia; quæ ignem significabat: quod *Vestæ* nomen Latinum, & Græcum Ἑστίας, indubie à Chaldæo אשא, *Estcha* sive *Estha* (de quo paullo antea) derivatum fuit. Ovid. in *Fastis*:

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Numa igitur Pompilius, qui Romanarum superstitionum primarius fuit auctor, & quasi architectus, præter innumeras alias superstitiones hanc quoque ignis culturam in Romanam civitatem invexit. Is enim, ut ait Plutarchus in *Camillo*, ad Græcorum, adde etiam aliarum gentium, imitationem, ignem perpetuum atque perennem in æde rotunda posuit, à certis virginibus custodiendum atque colendum. Ignis cultum Numa instituit.

De hoc templo sic scribit Christophorus Landinus in illa Virgilii *Æneidos* secundo, ubi Hector Æneæ Vestæ sacra commendat: *Templum*, inquit, *erat sane magnum: in cujus medio erat altare, in quo ignis utraque ex parte ardebat, cujus custodiæ binæ Vestales præerant. In templi culmine virgo erat effícta, quæ ulnis infantem continebat. Jupiter enim à Vesta nutritus ferebatur. Huic Deæ Antiqui vestibula consecrabant: unde & nomen ea à Vesta habere Ovidius existimat. Hîc sæpe comedere erant soliti, ad mensas suas Deos invitantes, quibus, tanquam altaribus utebantur, diis videlicet penatibus consecratis. Cum autem nullum sacrificium absque igne fieret: ideo focus ei erat dicatus, qui & Lar dicebatur. Nam & ibi Dii Lares colebantur. Templum porro illud hodie adhuc formâ circulari, rotundum in valle, quæ Palatino & Capitolino interjacet, visitur, nomine* Sancta Maria de Gratia *insignitum. Id interdiu ingredi vetabatur nemo: sub noctem fœminis quidem, sed masculis non licebat eo accedere. Neque effigiem in eo aliquam, nec simulacrum collocabant.* Templum Vestæ quale olim.

Hunc autem ignem sacrum, tanquam arcanum & cœleste depositum per virgines Vestales, Græce Ἑστιάδας dictas, conditum in penetralibus sacris & velut in sanctiore recessu templi Vestæ, cum Palladio & Diis Penatibus, Trojâ advectis, custodiebant: quo nulli hominum, nisi Vestalibus & Pontifici, ceu ἱεροφάντῃ & ἱεροφύλακι, adire fas erat. Ignis sacer a virginibus custoditus.

De harum virginum Vestalium collegio, numero, electione, cœlibatu, vestitu, munere & officio, disciplina, dignitate, pœnis atque suppliciis, quando vel ignis illarum negligentiâ erat extinctus: vel ipsæ incestus convictæ atque damnatæ fuerant, vide post vetustos scriptores Peucerum, in libris *de Divinatione*, Gyraldum *de Diis gentium*, Florinum in libris *Antiquitatum Romanarum*.

Nec vero publice tantum, publicis in locis atque templis, verum etiam privatim, privatis in ædibus, ignis Romæ fuit cultus. Nam in omnibus ædibus culinæ erant quasi templa quædam, sic dictæ à *colendo*, ut Nonius è Varrone docet, quod ignem ibi colebant & sacrabant: foci erant quasi aræ sacræ, in quibus ignis fovebatur (unde etiam *foci* à *fovendo* dicti, Ovidio teste:) Dii domestici & patrij, quos venerabantur, *Penates & Lares* fuerunt appellati. Ignis cultus etiam privatim.

Hujusce autem πυρολατρείας, id est, *cultus ignis* & publici & privati, caussæ fuerunt ignis ipsius divina quædam vis atque natura, & innumeræ utilitates. Unde Cicero lib. I. *de Natura Deorum* recte dixit: *Quicquid magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat à Deo donatum, nomine ipsius Dei nuncupabant: ut cum fruges Cererem; vinum autem Liberum appellamus: tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa nominetur Deus, ut Fides, ut Mens, ut Virtus, ut Honor. Sic Opis, Salutis, Concordiæ, Libertatis, Victoriæ sunt templa consecrata. Quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine Deo regi non possent; ipsa res Deorum nomen obtinuit.* Item: *Utilitatum magnitudine constituti sunt ii Dii, qui utilitates quasque gignebant: atque his quidem ipsis nominibus, quæ vis sit in quoque declaratur. Eodem ex genere Cupidinis, Voluptatis, Lubentinæ Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum, neque naturalium.* Caussa, cur ignis cultus.

Verum cultus quoque hujus non minima caussa videtur fuisse cum ignis ille apud Judæos, qui perpetuus ardebat in altari, quem sacerdos, subjectis lignis, mane per singulos dies nutriebat, ut *Levitici* sexto scriptum est; tum divina illa miracula, quæ legimus in sacris litteris de igne cœlitus delapso in Patriacharum illorum prisci seculi sacrificia, quo illa fuerunt consumta, atque ita ipsius Dei testimonio comprobata. Atque hinc quidem videtur promanasse illa de Prometheo fabula, quem Poëtæ finxerunt ignem, è cœlis surreptum, in terras detulisse. Ignis cultus etiam ex κακοζηλίᾳ.

Sed antequam ulterius progrediar, non videtur silentio prætereunda illa Ignicolarum quorundam, qui *Dugbiin* fuerunt appellati, in insula Chenerag, historia lectione admirationeque digna, quæ in Benjamini Tudelensis itineratione continetur, quæ quidem est talis: *Insulæ incolæ, ignem colentes &* Dugbiin *dicti, habent suos sacrificulos per singula loca in templis ipsorum superstitioni dicatis: sunt vero hujusmodi sacrificuli omnium ariolorum & incantatorum totius orbis terræ peritissimi in omni vanitatis hujus genere. Ante singula autem fana campus magnus & latus est, in quo ingens ignis omnibus diebus ardet, quem ipsi* Elhotha *vocant: solent autem filios suos per hunc ignem transmittere expiandi caussâ: mortuos etiam suos in medium rogum conjiciunt exurendos. Sunt præterea ex terræ magnatibus, qui sese vivos igni devovent. Cum vero quispiam horum familiaribus & necessariis atque propinquis suis hujusmodi sibi institutam devotionem indicat, continuo summa omnium gratulatione & communi voce audit:* Beatus tu, & bene tibi erit. *Igitur quo die votum exsolvendum est, magno convivio primum exceptus, si dives fuerit, equo vehitur; sin vero pauperior, pedes suorum aliorumque turba comitatus ad campi usque initium deducitur, unde cursu inito in ignem insilit: tum vero familiares cognatique omnes & consanguinei tympanis & choreis summa cum lætitia exsultant & ludunt, quoad ille omnino combustus fuerit. Triduo autem post, duo ex præcipuis sacrificulis illius domum adeuntes, familiæ omni domum parari præcipiunt patri ipsorum, eadem die ipsis affuturo, atque quid ipsos facere oporteat, declaraturo. Advocantur igitur ex civitate testes aliquot: & ecce Satan, illius speciem imitatus, adest, quem uxor & filii rogant quemadmodum cum illo in illo altero seculo agatur,* Ignis cultus ab incolis insulæ Chenerag.

agatur, quibus ille reſpondens; Veni, *inquit*, ad ſocios meos, à quibus non excipior, donec ea exſolvam, quæ familiaribus & propinquis debeo meis: *extemplo filiis res diſtribuit ſuas, jubetque debita omnia creditoribus perſolvi, & à debitoribus quidquid debeatur, exigi, teſtibus omnia ipſius verba & mandata excipientibus atque deſcribentibus, à quibus tamen non videtur: tum vero ſe viam repetere dicens, evaneſcit.* ***Hujuſmodi itaque*** *errore, mendacio, & fraude ſacrificulorum illorum calliditate & artibus magicis extructa, vanitatem ſuam gens hæc tuetur ac mordicus tenet, ſeſeque nationum omnium terra beatiſſimam eſſe jactat*, &c. Hæc Benjamin Judæus.

De igne ſacrificiali in ſpecie.

His in genere de ſuperſtitioſo ignis apud omnes fere gentes cultu præmiſſis, nunc ad ignem ſacrificialem, hoc eſt, in ſacrificiis adhibitum, redeamus: in quo hæc, quæ ſequuntur, ſunt conſideranda capita. Primum eſt de ignis illius ſuper aram accendendi tempore atque modo.

1. Ignis ſacrificialis quo tempore accenſus.

Quoad tempus; videtur ignis ille ſtatim ſimul atque hoſtiæ ad altaria fuerunt adductæ, fuiſſe accenſus, vel etiam paullo ante, ſecundum illa Virgiliana:

- - - - Admovitque pecus flagrantibus aris.

2. Quo modo ac ratione.

Quantum autem ad modum attinet; tritus hic & uſitatus erat apud Romanos, ut ſacerdotes ſacrorumque miniſtri eum accenderent (cui, ut ſupra dictum, purgandi vis tributa fuit) facibus adhibitis ex tædæ ligno, quas faces non niſi mares ferre fas erat.

Ignis ſacrificialis è cœlo demitti creditus miraculoſe.

Sed, ut in ſacris litteris legimus, priſcis illis Patriarcharum temporibus ſacrificia ignibus, non humana manu atque arte accenſis, ſed è cœlo demiſſis fuiſſe conſumpta: quo Deus teſtari voluit, ſacrificia illa ſibi grata fuiſſe & accepta: ſic Ethnici idem de ſuis ſacrificiis finxerunt: cujus quædam exempla ſubjiciam.

Apud Siculos in colle Vulcanio juxta ſtagnum quoddam, dum ſacrum fieret, ſarmentorum faſces ſuper aram ſua ſponte ignem concepiſſe, & nullo flante anhelitu incendium feciſſe fabulati ſunt. Simile quid de Seleuco proditum eſt, qui cum Jovi in Pollia victimam immolaret, ligna aris impoſita ultro arſerunt. Sic in ara Egnatiæ Nymphæ, quæ in Apulia culta fuit, lignis ſuperpoſitis extructiſque, ignis ſua ſponte excitari incendique ab Antiquis exiſtimabatur. Plinius libro ſecundo miraculi meminit: non autem Nymphæ. Servius in illa Virgilii *Æneidos* duodecimo:

- - - - Quia fœdera fulmine ſanxit,

Certe, inquit, *quia apud Majores aræ non incendebantur, ſed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria. Hinc forſan Jupiter* Elicius *dictus.* Dubium non eſt, quin Diabolus hujuſmodi ignes, Dei permiſſu ſæpe, ſacerdotum magicis incantationibus provocatus, ex aëre, tanquam carcere illo ſuo turbido, in Gentilium ſacrificia ut olim in Jobi greges demiſerit: vel etiam ſacerdotes faſcinationibus quibuſdam atque præſtigiis uſi fuerint in ignibus illis accendendis, ita ut rude imperitumque vulgus illos cœlitus demitti arbitraretur; idque fecerint majoris ſibi ſuiſque ſacris fidei & auctoritatis conciliandæ gratia.

Unde e cœlo demitti creditus ignis ſacrificialis.

Veriſimile etiam eſt, multas hujuſmodi Ethnicorum de ignibus, in ſacrificia ſua cœlitus delapſis, fabulas ex veris illis ſacrarum litterarum hiſtoriis promanâſſe, quibus proditum eſt, ut paullo antea dixi, illa antiquiſſima ſanctiſſimorum patrum ſacrificia igne cœlitus delapſo ſubito conflagrâſſe: quo miraculo Deus teſtabatur ipſos litâſſe, ſeque ſacrificiis illis placari. Nota eſt illuſtris illa de Heliæ & ſacerdotum Baaliticorum ſacrificiis hiſtoria, ubi legimus, Heliam quidem voti ſui compotem factum fuiſſe, ſacrificiumque ejus, igne è cœlis demiſſo fuiſſe conſumptum: adverſarios autem ipſius, cum idem à Baale ſuo inſanis clamoribus, quos Helias irriſerat, contendiſſent, ſpe votiſque ſuis cum maximo ſuo dedecore atque exitio fuiſſe fruſtratos, ut ſcriptum eſt primo *Regum* libro, capite decimo octavo.

Ignis ſacrificialis ex Flaminis domo allatus.

Ignem autem illum ſacrificialem ex Flaminis domo adferri nonnunquam fuiſſe ſolitum illa Feſti verba innuere videntur, quando ait, *Ignem ex domo Flaminis efferri non licebat, niſi rei divinæ gratia.* Dubium etiam non eſt, quin ex ſacro & publico illo Veſtæ igne apud Romanos ille ſacrorum publicorum ignis fuerit accenſus; de quo Veſtæ igne idem Feſtus ſic ſcribit: *Veſtæ ignis ſi quando interſtinctus eſſet, Virgines verberibus afficiebantur à Pontifice, quibus mos erat tabulam felicis materiæ tandiu terebrare* (*verberare* alii legunt) *quouſque exceptum ignem cribro æneo Virgo in Ædem ferret.*

Hæc de igne ſacrificiali.

Conseqvens nunc videtur, ut de lignis dicamus, quorum in igne illo ſacrificiali uſus erat. Nam ligna in genere cujuſvis ignis ſunt quaſi alimenta atque fomenta; & inde ligna Latine videntur dicta, quaſi *igna*, ablatâ litterâ *l*, quia nimirum lignis potiſſimum quivis ignis alitur, fovetur ac conſervatur. Varro tamen *ligna* à *legendo* vult dicta, quod ea caduco in agro legerentur.

Ligna ſacrificialia arida eſſe oportebat.

Ligna autem ſacrificialia primum oportebat eſſe ſicca & arida, Græce *νηφάλια*, quaſi dicas *ſobria*, dicta, quæ primum incendebantur, ut etiam *ἄκαπνα*, ***non fumida.*** Νηφάλια tamen *ξύλα* alii putant dicta, quæ in ſacrificiis duntaxat Νηφαλίοις καὶ ἀοίνοις, id eſt, *ſobriis*, & abſque vino fieri ſolitis adhibebantur. Νηφάλια ξύλα, inquit Suidas, *τὰ μήτε ἀμπέλινα, μήτε σύκινα, μήτε μύρσινα.* Ἐκεῖνα γὰρ οἰνόσπονδα λέγεται, *ὡς καιόμενα ὅτε μὴ ὕδωρ, ἀλλ' οἶνος σπένδεται.*

Cur.

Arida autem oportebat eſſe, quo facillime exardeſcerent, tantoque celerius quævis, in ignem conjecta, conflagrarent: quod boni ominis loco habebatur. Quæ autem lignorum genera ad ignem quemvis maxime ſint idonea, quæ item minime apta, vide Curtium libro decimo octavo *Hortorum* capite decimo quarto, decimo quinto, & decimo ſexto, ubi & de lapidibus, ex quibus ignis elicitur, agit, & de arte ignaria, à Græcis *πυρεῖον*, *ἔγκαυμα* vel *ἐμπύρευμα* dicta: itemque de facibus, earumque materia, & de voce *κᾶλον*,

lignum

lignum significante: unde καλοπόδια, id est, *calcei lignei*, *Classis*, id est fustis, sive clava lignea, & *Calones*, qui ligna militibus portabant, fuerunt dicti.

Eandem ob caussam ligna prius illa in fragmenta minora apte scindi, atque secari solebant: cujus quidem ξυλοτομίας sæpe apud Homerum in sacrificiorum apparatu fit mentio; ut *Odyss.* ζ. in descriptione sacrificii suilli, ejusque apparatu:

Ut arida essent ligna illa, secabantur.

- - - Κέασε ξύλα νηλέϊ χαλκῷ.

Scidit ligna immiti ferro.

Est enim κεάζειν *dividere*, *scindere*, *frangere*, & proprie *ligna secare*, teste Eustathio: quod verbum magnam habet affinitatem cum verbo καίειν, id est, *urere* & *accendere*: forsan, quia ligna secta facilius accenduntur & exuruntur, quam ea, quæ non secta sunt. Respondet verbo κεάζειν, verbum σχίζειν, similiter *scindere*, *findere*, *diffindere*, *secare* significans: unde ligna scissa in sacrificiorum usum σχίζαι appellantur: & σχίζα *fragmentum*, seu *segmentum*, sive *frustum ligni scissi*, sive *lignum scissum fissumque*, quo ignis fovetur aut accenditur. Inde nostrum vernaculum Schitten / vel Scheitten / id est, *scindere*, vel *findere*, & Schit / vel Scheit / id est, ligni fissi frustum, sive segmentum. Σχίδαξ idem quod σχίζα, hoc est, *assula*; vel ut Nazianzenus interpretatur, κλάσμα ξύλυ, fragmentum ligni, quo in sacris utebantur.

Κεάζειν. Σχίζειν. Σχίζαι.

Quoad Apollonium nostrum; meminit etiam hic hujus ξυλοτομίας, inquiens:

De lignorum sectione Apollonius.

- - - Καῖον δ᾽ ἐπὶ σχίζῃσιν,

Comburebant autem (carnes) *super lignorum fragmenta.*

Cæterum non quavis ex materia sive ligno ignem illum accendere licebat. In Arcadia in templo Despœnæ, quod quattuor stadiorum intervallo ab Acace distabat, ex olea, lauro, vel crassioris corticis quercu, ignem facere nefas erat, quod ligna illa Arcades, ceu ominosa detestarentur. Plinius libro decimosexto, capite sexto: *Pessima*, inquit, *& carboni & materiæ Haliphleos dicta, cui crassissimus cortex atque caudex, & plerunque cavus fungosusque. Nec alia putrescit ex hoc genere, etiam cum vivit. Quin & fulmine sæpissime icitur, quamvis altitudine non excellat. Ideo ligno ejus nec ad sacrificia uti fas habetur.* Addit: *Hoc quoque inter reliqua neglecta religionis est, quod emortuo carbone sacrificatur.*

Non ex quovis ligno ignis sacrificialis accensus.

In Jovis Olympii sacris alba populo sacerdotes semper usi fuere. Elii etiam Jovi muscario (is est Baal-Zebub) eandem arborem in sacrificiis adhibuerunt, ut scribit Pausanias in *Eliacis*.

Persarum Magi, ut autor est Herodotus, sacrificiis præfecti, carnes lauri myrtique virgis impositas olim adurebant, ac lacte & melle permistis, fasciculis myrteis apprehensis aspergebant.

Pini tæda in Cereris sacrificiis, tanquam eis apta & decora adhibebatur, quod hæc ad investigandam Proserpinam filiam, geminas pinus pro lampade accenderit, ut Ovidius testatur *Fastorum* quarto:

Illic accendit geminas pro lampade pinus:
Hinc Cereris sacris nunc quoque tæda datur.

Sicyonii Veneri hostiarum coxas, suibus exceptis, sacrificarunt; reliquias autem in sacris altaribus juniperi lignis, & foliis herbæ, quæ Pœderotis fuit nuncupata, comburebant.

Iasides ex omni licet ligno aras incenderent; spinas tamen asparagi, aut stramina in sacris cremare nefas habebant.

Apud Scythas autem, cum sacrum Marti fieret, hostiarum carnes ipsarum ossibus adurebantur.

Lusitani autem lapidibus ignitis sacrificiorum carnes coquebant:

Dubium etiam non est, quin in igni illo sacrificiali ligna adhibuerint ex iis potissimum arboribus, quæ Numini illi, cui rem divinam faciebant, fuerant dicatæ & sacratæ. Nam, ut supra dixi, singulis Diis certæ quædam arbores atque plantæ ab Ethnicis fuerunt sacratæ. De his, qui plura præter ea, quæ superius fuerunt explicata, cupit cognoscere, is legat Benedicti Curtii Symphoriani librum *Hortorum* quintum, qui, ut etiam reliqui libri, lectione est dignissimus, cujus summa tantum capita hîc recensebo. Primum *est de quercu & juglande, Jovi sacris, & nonnulla de civica corona, & adagio* πολλῶν πανηγύρεων Διὸς βαλάνυς ἔφαγεν, *id est*, multorum festorum Jovis glandes comedit, *de sene & plurimarum rerum longo usu docto, quem nos simili fere proverbio* Ein alten hünerfresser / *id est*, senem gallinarum devoratorem *vocamus*. Secundum *est de lauro & loto, Apollini dicatis: unde Apollo* Daphnites *à Syracusanis, teste Hesychio dictus: cujus templum primum apud Delphos è lauri ramis ædificatum, & sacerdos in templo quodam* Daphnophoros, *id est*, laurifer *fuit appellatus. Item Apollinis sacerdotes lauro coronari soliti: &* Daphnophagi *dicti lauriferi ab Aristophane: laurus item* φυτὸν μαντικὸν, planta vaticinatrix, *teste Dionysio Halicarnasseo, fuit appellata.* Caput tertium *est de Daphnes fabula, in laurum commutatæ.* Quartum *de olea, Minervæ dicata, quodque olea pacis & veniæ sit index. Item de adagio:* ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν τῷ ληκύθῳ, Non est oleum in Lecytho, *apud Aristophanem in* Avibus: *ubi precibus atque veniæ jam non est locus.* Sextum *est de Minervæ & Saturni super Athenarum nominis impositione, certamine.* Septimum, *de rosa & phylira, Veneri dicatis, & de naucratite corona.* Decimum, *de hedera, ferula & picea, Baccho dicatis: & de adagio,* πολλοὶ ἢ ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ Βάκχοι, Multi feruligeri (*sic dicti Bacchi ministri, qui initiati ferulam gestabant*) sed pauci Bacchi. Undecimum, *de cupresso, Diti sacra, & fabula Boreæ & Cyparissi.* Duodecimum, *de pinu Cybelæ dicata, de Ida monte Troadis, & pinu in eo pulcherrima & Aty fabula.* Decimumtertium, *de populo Herculi, mali Punici fructu, Mercurio, persea, Harpocrati dicatis.*

Ex certis arboribus ligna adhibita igni sacrificiali. B. Curtius de sacris arboribus.

Hæc idcirco subjicere libuit, propterea quod quibusvis vel cultissimis amœnissimisque hortis amœniora & ju-

& jucundiora, quæque ad institutum hoc nostrum maxime pertinent, complectuntur. Quoniam igitur singulis Diis certi peculiaresque flores, herbæ, folia, frondes, rami, arbores denique atque plantæ integræ fuerunt consecratæ: idcirco in sacrorum quoque quæ coronis, quibus & sacrificantes, & hostiæ, & simulacra, & altaria ornari consueverunt; & templorum, altarium, simulacrorum, statuarum aliorumque instrumentorum fabricatione; & denique in sacrificiorum lignis atque materia diligens accurataque ab Ethnicis habita fuit ratio atque delectus. Et huc pertinet ejusdem auctoris liber tertius, fere totus: cujus hæc sint capita. Primum, *de arborum Numinibus & religione.* Secundum, *quod Antiqui sylvas, arbores, aut illarum genus unum coluerint: & de Galliarum Druidibus.* Tertium, *de ficu Ruminali, & nonnullis aliis arboribus Romæ & alibi sacris.* Quartum, *Responsa Antiquos ex arboribus accepisse: & de oraculo Dodonæo: & adagio,* Dodonæum humanum*: quod in loquaces & in rebus frivolis garrulos dicitur.* Quintum, *de Deorum coronis* & *statuarum illorum ac sacerdotum & sacrificantium.* Sextum, *quod Dii ex arboribus cognomina sortiti: & de inarculo, quod, teste Festo, fuit virga ex malo punico incurvata, quam regina sacrificans in capite gestabat: de Albogalero: de rege sacrificulo: de ejus uxore, quæ regina sacrorum appellata, ejusque vestitu: & quod sub quibusdam arboribus sacrificatum.* Septimum, *de laurea Deorum & sacrificantium, & lauri in sacrificiis usu.* Octavum, *de arborum ad sacrificia usu.* Nonum, *de arborum apud Judæos ad sacrificia usu & legibus.* Decimum, *de nonnullis ad sacrificia profanis arboribus.* Undecimum, *de arborum materia ad Deorum statuas: & quid delubrum, & de adagio,* Ne quovis ex ligno Mercurius fiat. Duodecimum, *de feriis & festis ob arborum fructus institutis.*

Præter arbores etiam integra nemora Diis consecrata olim.

Quemadmodum autem singulas arbores vel coluerunt tanquam Numina: vel certis Diis atque Numinibus dicarunt: sic etiam loca amplissima, arboribus consita, & integras sylvas iisdem consecrarunt, atque in iis, tanquam templis & sacrariis sacrosanctis eos coluerunt, quæ Græce ἄλση, Latine *Nemora* & *Luci* fuerunt appellata. Nemorosa autem & umbrosa hujusmodi loca *Psichera* à Græcis fuisse appellata Nicander testatur.

B Curtius de sacris nemoribus.

De sacris hisce nemoribus atque lucis idem Curtius sub finem libri tertii *Hortorum*, capite decimoquarto, & sequenti libro quarto toto egregie disserit, quibus ex hortis amœnissimis multos pulcherrimos ad rerum omnis generis, præsertim ad Gentilium superstitionem pertinentium, flores atque fructus nobis colligere atque percipere licet, quorum hæc fere sunt capita: Libro tertio caput decimum & quartum & ultimum est, *de nemoribus sacris: de nemoris & luci discrimine.* Libro deinde quarto Hortorum hæc tractantur & explicantur, capite primo, *de luco & ejus religione: in lucis de rebus publicis tractare & in illis, diebus sacris, epulari Veteres fuisse solitos: lucum esse sylvam Diis, Heroibus, vel alicujus cineribus sacrum: Germanos veteres nulla Deorum templa habuisse præter lucos & nemora, teste Cornelio Tacito.* Sacros, inquit Quintilianus, *ex vetustate lucos adoramus: in quibus grandia & antiqua robora jam non tantam habent culturam, quantam religionem.* Idem Horatii & Persii testimonio comprobat. *In lucis Deorum simulachra posita, quibus sacrificatum: in lucis Deorum sonitus & voces exauditæ: lucos Manes, qui vitales Lares dicebantur, & Heroum animæ incolebant,* teste Servio: *lucos & ædes Numinibus primum consecrasse Faunum, à quo fana dicta,* ut auctor Probus: *In tuo luco fanoque esse* apud Plautum, adagiorum loco, teste Donato, id est, potestate & arbitrio: *in agris habendos lucos, propterque eos serere oportere*, Cicero *de Legibus*: *luci nunquam cædui, ideo arborum vetustas veneranda: luci asyla*, Livii, Virgilii, Ovidii testimoniis probat: *lucus Græce etiam τέμενος: raro antiquis sine templo lucus fuit,* teste Servio: *in lucis sepultos homines: in lucis de rebus publicis consultum: quæ in lucis decreta, sanctiora ob loci religionem habita: in lucis sacris diebus epulabantur: lucorum luculenta descriptio* Lucani & Papinii carminibus.

Secundo deinde capite agit *de luci veneratione: lucos fuisse invios, per quos etiam neque in necessitate ipsa meare fas fuit: lucis uti ad venationem, & illorum animalia occidere, nisi sacrificii & Numinum eorundem caussâ non licebat: in lucis nonnullis animalia mansuetissima: lucis non homines tantum, sed etiam animalia pepercisse.* Capite tertio, *lucus unde*; & de vocabulis ab eo deductis: *lucum alii dictum volunt per antiphrasin, quod umbrâ opacus parum luceat. Alii contra sentiunt, lucum pro luce usurpatum.* Unde Terentius: *Cum primo luco ibo hinc.* Ibi enim ignes sacrificii & religionis caussâ sæpe apparebant. *Lucani* unde dicti. Festus à *lugere*, quod à Græco λύειν, Gellius ab ἀλύειν *lucum* vult dictum: *à luco oblucinare*, id est, mente errare, *hallucinari, lucullus, lucellus, lucar, lucaris, collucare, compescere lucum.*

Capite quarto, *à luco Lucina dicta: Lucus, lupercal dictus Romæ: sylva densa constans Pani Deo Arcadiæ sacra: luceres tertiæ tribus homines, & nonnulla alia loca & oppida a luco denominata.*

Quinto capite, *Heroibus & præclaris viris Veteres dicasse lucos.* Sexto, *Luci aliquot absque Numinum appellatione: palmetum continuum, in Arabia aquis abundans; lucus sacer apud* Senorias, teste Ammiano Marcellino, quem nemo nisi vinctus ingredi poterat. Quod si forte prolapsus corruisset, extolli ei minime licebat, verum per humum reptare conveniebat. Capite septimo, *de pœna & vindicta eorum, qui lucos violarunt, divinâ & humanâ*; *quæ quidem capitalis constituta.* Nam violatoris caput expiandum erat, ideo gravissima, auctore Pompeio. *Cajo Gabinio Cicero in oratione de provinc. consul. lucorum Græciæ violationem exprobrat.* Capite octavo, *Deus lucorum Gentilium religionem exsecutus est*, ac *de pœna eorum, qui eos coluerunt, ac venerati sunt.* Nono, *de lucis Jovi sacris.* Decimo, *de lucis Junoni sacris.* Undecimo *de lucis, Apollini dicatis.* Duodecimo, *de luco Daphnes.* Decimotertio, *de lucis Minervæ, Isidi, Latonæ, Cybelæ, Osyridi & Æsculapio dicatis.* Decimoquarto, *de lucis Dianæ sacris.* Decimoquinto, *de luco Aricino, omnium maximo, Dianæ devoto*: & adagio, *Multi Manii Ariciæ.* Decimosexto, *de luco Camœnarum sive Musa-*

Musarum. Decimoseptimo, *de lucis Vulcano, Veneri, Cupidini, Marti, Bellonæ, Libero Patri, Pani & Sylvano dicatis.* Decimooctavo, *de lucis Neptuno dicatis.* Dicimonono, *de lucis Cereri, Proserpinæ, Plutoni, Vestæ, Castori & Polluci dicatis.* Vigesimo *de lucis Feroniæ, à ferendis arboribus dictæ, Alburneæ fontium præsidi, Maricæ* (quam Cicren volunt fuisse) *Lavernæ Deæ furum* (qui *Laverniones* olim, teste Festo, appellati) *Bellonæ, Furinæ, Suadelæ dicatis.* Vigesimo primo, *de lucis aliquot Diis dicatis: ubi & de Diis* μειλίχοις, id est, *placidis, quibus nocturna sacrificia fiebant,* &c.

Atque hæc quidem operæpretium omnino duxi opusculo huic meo inserere, tanquam ei valde accommodata. Et sic quidem ab igne sacrificiali progressi sumus ad ligna, tanquam ignis pabula: à lignis ad arbores: ab arboribus denique ad lucos atque nemora sacra, quæ fuerunt loca, arboribus consita, Diis dicata.

Nunc persequamur reliqua, quæ ad ignem hunc sacrificialem pertinent, nempe usum & effectum ejus. Usus ejus fere quintuplex fuit. Primum, ut illo victimarum carnes, necnon flores, omnisque generis fruges atque fructus, atque etiam alia, in eum conjecta, concremarentur, Diisque, ceu gratissima quædam dona atque munera offerrentur ac consecrarentur. Usus ignis sacrificialis. Primus.

Secundo, ut nidores inde atque odores cum suave, tum etiam male olentes excitarentur, quibus Deos suos mirifice delectari, atque ita leniri atque placari posse arbitrabantur. Secundus.

Tertio igne illo ad carnes, earumque partes, exta ad coquenda & assanda vero potissimum utebantur, quæ postea vel Diis reddebant, vel sacerdotibus & iis, qui ea obtulerant, dabant, quo iisdem vescerentur. Tertius.

Quarto igne illo se suaque omnia purgari atque lustrari credebant, cum igni vim ἁγνιστικὴν καὶ καθαρτικὴν id est, *sanctificandi, lustrandi* atque *purgandi* Veteres tribuerint; unde etiam hominum cadavera igne volunt olim fuisse concremata: de quo vide plura apud Eustathium *Iliad. α.* & Pierium in *Hieroglyphicis*; cujus hæc sunt verba: *Ignis autem, ut nostri veteres tradidere, purgat, aqua expiat, lustratque.* Hinc ille Plautinus jocus in *Aulularia*: Quartus.

Quid impurate, quanquam Vulcano studes.
- - - Cœnæ ne caussa aut mercedis gratia.
Nos nostras ædes postulas comburere?

Et apud Lycophronem leges Thetin indignatam, se Deam mortali Peleo in matrimonium collocatam, filios quotquot oriebantur in ignem excipiendos conjicere solitam, quod ita rebatur mortalitatem exuri, & quod immortale esset perpurgatum conservari, veluti aurum ære confusum ignis ope purgatur, posteaquam quidquid admixtum erat æris, in fumum & Scoriam verterit. Atque ita sex jam filios absumserat, donec ad Achillem ventum, quem pater superveniens ab igne exemit Chironique curandum commendavit.

Quintus usus fuit μαντικός, id est, *divinatorius.* Nam divinatio quædam per ignem illum sacrificialem fiebat, quæ à Græcis πυρομαντεία, & πυροσκοπία fuit appellata; à Latinis vero *Ignispicium*: cujus inventorem primum & auctorem Plinius facit Amphiaraum libro septimo, capite quinquagesimo sexto. Is qui per ignem divinabat πυρομάντις & πυροσκόπος fuit dictus. Quintus.

Hunc usum Apollonius noster in sacrificii Argonautici explicatione his verbis expressit, libationis prius, id est, effusionis vini facta mentione super ignem: Apollonius de hoc usu.

- - - γήθει δὲ σέλας θηεύμενος Ἴδμων
Πάντοσε λαμπόμενον θυέων ἀπὸ τοῖό τε λιγνὺν
Πορφυρέαις ἑλίκεσσιν ἐναίσιμον ἀΐσσουσαν
Αἶψ' δὴ Ἀπηλεγέως νόον ἔκφατο Λητοΐδαο,

Hoc est,

- - - Idmon autem cum admiratione conspicatus
Undique insignem ex sacrificiis fulgorem
Purpureis circumgyrationibus, & auspicati ominis emicantem
E vestigio Apollinis mentem aperuit.

Ubi Scholiastes τὰς πορφυρέαις ἑλίκεσσι interpretatur τὰς τοῦ καπνοῦ συστροφαῖς, καὶ τὰς τοῦ πυρὸς καμπαῖσι, καὶ εἰλίκεσι οἷόν περ πορφυρίζουσαις, id est, *purpureis fumi circumvolutionibus*, sive curvis ignis circumgyrationibus & circumvolutionibus, quasi purpureis, & boni ominis. Illius autem θεοσκοπίας, id est, *vaticinationis* hæc summa fuit. Sibi quidem mortem, quam jam antea ex auguriis quibusdam intellexerit: sociis vero reditum per multos variosque casus atque discrimina flammâ istâ atque sacrificio portendi.

Hujusce autem πυρομαντείας, id est, *divinationis per ignem*, rationem in genere Peucerus, libro illo suo *de Divinatione* vere divino, his verbis exprimit: *In sacrificiis igitur*, inquit, *si admota flamma victimas statim corriperet, & diffusa repente totas occuparet ac consumeret: Si tranquilla, pura, perspicua, & nitida, nullis infecta coloribus alienis, ut nigro rutilove, aut pallido, nec permixta, vel sordibus, vel caligine fumisve, sineque strepitu, & sine egestione atque ejaculatione favillarum turbulentia & crepitante recto ductu, turbinatæ pyramidis instar attolleretur & insurgeret: sique, non nisi tota victima depasta atque exusta moreretur: placide Numen hostiam acceptare ac complecti, annuereque, quæ requirebantur, conjiciebant.* Peucerus de usu ignis divinatorio.

Si contra, multo vix excitari flatu posset, & cum exarsisset, non coiret, sed finderetur, atque in hiatum dehisceret, nec in totam subito spargeretur ac penetraret victimam, sed viciniora sensim, velut serpens, lamberet atque ustularet: nec recto ductu niteretur sursum, sed in vertigines gyrosque convoluta, atram secum & densam eveheret caligi-

caliginem, aut reperet deorsum, qui dilaberetur ad latera, aulaciena nasceretur specie: sique aut ventis disploderetur, aut restingueretur pluviis aut crepitaret, & circumquaque multum eructaret ardentium favillarum, aut si palleret plus nimio, vel nigricaret, aut evanesceret sponte, priusquam tota conflagrasset victima, aut si intactæ aliquæ partes remanerent & integræ: læsi infestique Numinis, & sacrificium respuentis, omen esse suspicabantur. Cognata huic erat καπνομαντεία, quæ notabat & scrutabatur fumos, quas vertigines facerent, quantumque se attollerent, & quo motu, recto ne an obliquo, vel in orbes contorto aut complicato, agglomeratione quadam in tortiles spiras & quo redolerent nidore, alienone, an eo, qui ex carnibus ustis effumaret.

Meminit τῆς πυροσκοπίας Statius:

> *Vincatur pietas, pone eia altaria virgo,*
> *Quæramus superos: facit illa, acieque sagaci,*
> *Sanguineos flammarum apices, genitumque per auras*
> *Ignem, & clara tamen mediæ fastigia lucis,*
> *Oria ducet, tunc in speciem serpentis inanem,*
> *Ancipiti gyro volvi frangoque rubore:*

Pierius. Hæc Peucerus: quibus adde illa Pierii in *Hieroglyphicis*: *Aruspices enim*, inquit, *ignem in hujusmodi sæpe portentum accepere.* Cujus non ignarus disciplinæ Virgilius de Lavinia, cujus caussa bellum adeo funestum excitandum erat, ita cecinit:

> *Præterea castis adolet dum altaria flammis*
> *Et juxta genitorem adstat Lavinia virgo,*
> *Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem*
> *Atque omnem ornatum flammâ crepitante cremari*
> *Regalesque accensa comas, accensa coronam*
> *Insignem gemmis, tum fumida lumina fulvo*
> *Involvi ac totis Vulcanum spargere tectis.*
> *Id vero horrendum, ac visu mirabile ferri:*
> *Namque fore illustrem famâ, fatisque canebant*
> *Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.*

Effecta ignis. Nunc accedamus ad ea, quæ, ut cujusvis in genere ignis: ita ignium horum sacrorum & sacrificialium fuerunt effecta. Hæc sunt fumi, carbones, prunæ, cineres, quæ & ipsa non secus atque ignes sacra fuerunt habita & mystica.

1. Fumus: Græce quomodo dictus. Quantum ad fumum attinet; est is vapor niger ex igni exhalans, vel ignea exhalatio: sic Latine à furvo colore dictus, Græce καπνὸς, ἀπὸ τοῦ καίειν & πνοή. Nam καπνὸς proprie vapor est è lignis, quasi καίουσα πνοὴ, id est, *ardens flatus*, ἀτμὸς ab aqua, αἰθάλη à lapidibus, λιγνὺς ab oleo vel cera, κνίσσα à carnibus. Inde καπνίζειν sæpe apud Homerum Eustathio interprete, τὸ πῦρ ἀνάπτειν ἐπὶ θυσίᾳ ἢ ἁπλῶς εὐωχίᾳ, ἐκ τοῦ παρηκολουθέντος, ὅτι καὶ κρέα καπνιστὰ λέγονται, hoc est, *sacrificii, aut simpliciter cujusvis convivii caussa ignem accendere, ex consequente: unde etiam carnes dicuntur fumigatæ, fumo induratæ.* Eustath. *Iliad.* 9. Cœl. libro decimoquarto, capite vigesimo primo. Unde καπνοφεύντης, id est, φειδωλὸς, *sordidus, parcus*, quasi *fumi olfactor.*

Germanice quomodo & unde dictus. Germanice *fumus* Rauch dicitur, ab Hebræo רוח *Ruach*, id est, *Spiritus*, sive ריח *Reach*, id est, *spiratio, odor, fragrantia*, quæ excitatur motu & agitatione: unde etiam nostrum Richen / id est, *odorari.* Καπνὸς εἰς οὐρανὸν ἀναβαίνων, πῦρ δηλοῖ, inquit Horapollo in suis *Hieroglyphicis*, id est, *Fumus ascendens seque attollens in cœlum, ignem indicat*, secundum illud Plautinum: *Flamma fumo proxima, fumo comburi nihil potest, flamma potest*: & illud pervulgatum nostrum dictum: Es ist kein räuchle / danicht ein fewr bey sey / id est, *Nullus est fumulus* (Græce καπνίον) *quin ei adsit igniculus*; de rumore aliquo in vulgus emanante. Unde Aristoteli ignis est nihil aliud, quam fumus accensus.

Fumus iræ simul & misericordiæ divinæ symbolum. Fumus autem etsi res videtur esse cum vilis & evanida, tum noxia: unde proverbialiter pro quavis re vana, inani, atque etiam noxia sæpe usurpatur: tamen apud Hebræos, Dei, ejusque præsentiæ, majestatis atque misericordiæ, vel etiam iræ atque furoris fuit symbolum: ut ex sacris litteris Veteris præsertim Testamenti liquido constat. Sic Ethnici quoque κακοζηλίᾳ quadam fumos in suis sacris (quæ ipsa revera nihil fuerunt aliud, quam fumi quidam atque adeo fumi umbræ) diligentissime observarunt, & ex his futuros eventus, vel malos conjectare fuerunt soliti. Hinc καπνομαντεία, magia, quæ ex fumo futura prævidet, & καπνομάντης, qui partim ex fumo, quos globos volveret, partim ex flamma, si lucidior, aut obtusior, & qua specie foret, observabat. Ovidius libro quarto *de Ponto*:

> *Surgat ad hanc vocem plenam pius ignis ad aram*
> *Detque bonum voto lucidus omen apex.*

Lucidus apex, id est, ipse ignis clarus & purus in apice & cacumine. Id enim maxime observabant. Hoc ignis augurium etiam uxori Cimonis contigisse legimus. Nam cum post peractum sacrificium libare vellet, in cinere visa est flamma, quæ eodem anno Consulem futurum ostendit ejus maritum; cujus rei etiam Maro non ignarus ita cecinit:

Aspice

Aspice corripuit tremulis altaria flammis
Sponte suâ dum ferre moror, cinis ipse, bonum sit.

Ex earum item rerum, quæ injiciebantur, vario motu, sono atque crepitu vaticinia captabant, ut supra dictum de igne.

Sed & fumorum istorum sacrificialium Hieremias quoque meminit in illa sua epistola ad Judæos, ubi simulacrorum ipsorum facies dicit esse nigras propter fumos, qui in illorum templis assidue fieri soleant. Hæc de fumo. Hieremias de fumo sacrificiali.

Quin & de carbonibus, prunis & cineribus, tanquam ignis sacrificialis effectis hîc quædam dicenda. Ac carbo quidem & pruna, ut volunt Grammatici, sic differunt, quemadmodum favilla & cinis, videlicet quod pruna proprie sit carbo virens & candens, Græce ϑυμάλωψ à *perurendo*: (unde etiam *pruina*, meteoron exurens, & urtim herbas urens dicta) Carbo autem pruna exstincta, Græce ἄνθραξ, Germanice Kol: forsan à *calore*, sive *colore*, appellata. De carbonum utilitate, delectu, ex qua materie optimi fiant carbones, de dendrophoris, qui arbores cædunt atque torrent, vide Benedictum Curtium libro decimo octavo, capite decimo septimo. *Carboni*, inquit Plinius, libro trigesimo tertio, capite quinto, *major vis exusto, iterumque flagranti*. Ibidem de carbonum vi & efficacia in medicinis multa disserit. Quæ autem faciendi carbones sit ratio, & quæ apta materia, idem agit libro decimo sexto, capite septimo. Idem quod magis ad institutum nostrum pertinet, libro eodem, capite sexto: *Hoc quoque*, inquit, *inter reliqua neglectæ religionis est, quod emortuo carbone sacrificatur.* 2. Carbo, sive pruna.

Cinis porro Latinè vel ab *ignis*, cujus est effectus, vel à *cadendo*, quod à re combusta cadat post humoris consumtionem: vel à Græco κόνις, quæ vox & *pulverem* & *cinerem* significat, converso videlicet *o* in *i*, videtur derivari: Germanicum vero Eschen/ ut supra dixi, vel ab אש, *Esch*, igne, vel à דשן, *Daschan*, ablato *Daleth*, quæ vox & *cinerem* & *pinguedinem* significat. Idem Græce etiam τέφρα est dictus à τύφειν, id est, *urere*, *incendere*: sive τύφεσθαι, quod & *comburere* & *fumare* sive *fumigare* significat. Cineres enim nihil sunt aliud quam pulveres, in quos materia adusta redigitur, sive lignorum, aliarumve rerum ustarum reliquiæ. Inde etiam forsan τάφος, id est, *sepulchrum* dictum, quod antiquitus mortuorum corpora cremari & in cineres redigere moris erat; unde vox cinerum per metonymiam sæpe pro morte accipitur & mortali conditione. Martialis Epigrammate trigesimo: 3. Cinis.

Rari post cineres habent Poetæ:

Id est, post mortem. Elegans illud, τύφῳ τάφος, id est, superbiæ sepulchrum est finitimum. Cineris usus.

Etsi vero cinerum & color atque facies est vilis atque sordida, & sapor acerbus & amarus: tamen illorum maximus est in vita humana usus. Cinis enim vestium sordes abstergit, ignem tegit atque fovet, carnium humores consumit. Sic, ut Constantinus, & alii rerum physicarum periti testantur, argentum vivum cum cinere salicis corpus repurgat atque mundat à pediculis. Eandem vim, ut idem testatur, habet cinis plumbi usti, mixtus cum oleo & aceto. Cinis ignem conservat atque tuetur, ne extinguatur. Unde Isidorus ait, *Cinerem juniperi ignem Græcum reddere inextinguibilem.* Idem acredine sua consumit carnis humores. Is pellibus appositus, facit quidem pilos excidere, ac pelles ipsas conservat à corruptione & fœtore. De cinerum usu qui plura noscere cupit, legat (qui vult) Plinium libro decimo septimo, capite nono. At de cinerum usu apud Hebræos vide *Levitici* caput sextum, *Numerorum* decimum nonum, & epistolæ ad Hebræos nonum. Sed apud Gentiles quoque cum corporum concrematorum cineres, tum etiam hostiarum quarumvis sacri habebantur.

Cæterum ignis sacri & sacrificialis ut accendendi & fovendi, ita ejusdem exstinguendi vel exstincti, integrandi rursusque accendendi magna apud Gentiles fuit religio, seu, ut verius dicam, superstitio. Hinc in *Hieroglyphicis* Pierius: *Hæc fuit*, inquit, *apud veteres super igne religio, ut eum porro extinguere nefas esset, quem potius per se languentem deficere sinebant. Hoc vult ille significari, ne vi animam exturbaremus, mortem nobis ipsis consciscentes.* Idem: *Ignis primas inter insignia Augustalia obtinebat.* Hinc cautum erat lege, ne cui prorsus ignem exstinguere liceret: nec quidem alimenta adjiciebant, ne frustra nutriretur. Exstinctum porro nulli ex mulieribus intueri licebat. Volebant ita ignem simulacrum esse mortis, quæ natura fieret. Porro de ignis Vestalis, si forsan exstinctus esset, instaurandi rursusque accendendi modo scripsit Plutarchus in vita Numæ Pompilii. Ibidem multa reperies de virginibus Vestalibus: de quibus legere licet etiam Dionysium Halicarnasseum, libro secundo. Fuit autem ignis ille Vestalis, quem tanta diligentia Romanæ virgines nutriebant, sublimioris diuturnæque vitæ symbolum, ut testatur Pierius in *Hieroglyphicis* libro quadragesimo sexto. Item: *Inter portenta Urbis perituræ præsagium habebatur, si casu aliquo ignis ille exstingueretur.* Hinc Camillus ad Quirites ait: *Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod Imperii pignus custodia ejus templi tenetur, loquar?* Et Maro: Religio ignis exstinguendi.

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Postremo ab ignis sacrificialis explicatione non aliena, sed potius perquam accommodata videtur hæc de cereorum, lampadum, facum, lucernarum & candelabrorum apud Gentiles sacro usu, cujus passim apud autores profanos fit mentio. *Faces* Antiqui dicebant, inquit Festus, ut *fides*. *Facem*, inquit idem, *novæ nuptæ in nuptiis præferebant in honorem Cereris & aqua aspergebantur, sive ut casta puraque ad virum veniret: sive, ut ignem & aquam cum viro communicaret.* Idem: *Patrimi & matrimi pueri tres adhibebantur in nuptiis: Unus, qui facem præferret ex spina (sive pinu) alba, quia noctu nubebant: duo, qui tenebant nubentem.* De hoc autem faces quinque per totidem pueros novæ nuptæ præferendi more ejusque caussis, vide Plutarchum in *quæstionibus Romanis* & Pierium in *Hieroglyphicis*. De facum accensarum ludo Idibus Augusti in honorem Dianæ De lucernis.

vide Gyraldum & Curtium libro quarto *Hortorum* capite decimo quinto. Gyraldus tradit, eo die Romanos facibus accensis ab urbe in nemus Aricinum discurrisse, in quo nemore Dianæ Nemorensis appellatæ celebre templum fuerit. Curtii verba hæc sunt: *Cum autem Dianæ Nemoralis sacrum instaret, ab urbe in nemus Aricinum, accensis facibus discurrebatur. Propertius in secundo:*

Cum videt accensis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ Numina ferre Deæ.

Ovidius *in Fastis:*

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina, lucentes portat ab urbe faces.

Hoc autem sacrificium simul atque dedicationem expressit Statius *in sylvis:*

- - - Jamque dies aderat, cum Regibus altum
Firmat Aricinum Triviæ nemus, & face multa
Conscius Hippolytus splendet lacus.

Hæc Curtius.

Lucernarum ludus in honorem Promethei.

Fuit porro & in honorem Promethei lucernarum seu lampadum ludus, ab ipso Prometheo institutus, de quo Verderius sic scribit: *Ut Numen* (Prometheus) *templis atque aris coli meruit, &, quemadmodum Pausanias scribit, ei ara Athenis in Academia erat dicata, ad quam statis temporibus homines confluebant, ibique faces accendebant, quas gestantes versus civitatem currebant, serie quadam se sequentes: horum, qui accensam usque ad urbis ingressum conservassent, palmam ferebant: iis, qui præcedebant, si forte eorum faces fuissent inter currendum exstinctæ, locum cedentibus illis, qui proxime sequebantur. Id hoc etiam modo fieri solebat. Erat una tantum fax communis omnibus, quam currentes sibi mutuo tradebant; iis, qui pone, in eorum locum, qui erat ante, per successionem quandam subeuntibus. Sed hic ritus, sive ludos appellare placeat, non solum Prometheo sacer erat (quanquam ab eo institutus legitur) sed in Vulcani quoque ac Minervæ cultum celebrabatur, neque semper pedibus, sed interdum & equis currebant. Quare Adimantus apud Platonem, cum Socratem hortaretur, ne societatem quandam desereret, dicit, vesperi eam ludis equestribus interesse, mutuo sibi facem in Deæ, hoc est, Minervæ, honorem tradentibus. Herodotus cum Persicum morem narrat, quo celerrime nuntios mittebant (sicut etiam apud nos est in usu, cum aliquid per dispositos citatosque equos mittimus. Semper enim post aliquod decursum spatium in stathmis alii sunt in procinctu, qui alios currentes & ipsi continuando excipiant) dicit eos Græcorum consuetudinem imitari, cum currentes, facem quam Vulcano accensam gestant, per seriem sibi mutuo præbent. De his ludis quidam memoriæ prodiderunt, eos Promethei factum referre, cum ignem è cœlo sublatum in terras detulit; atque ideo ita ab eo institutos. Alii id ad humanæ vitæ cursum referunt: in quo, qui ætate anteeunt, vitæ lumine iis cedunt, qui pone sequuntur, ut est Platonis sententia, qui libro de Legibus homines jussit inter se prolis gratia inire conjugia, ut vitam, quam à parentibus sunt mutuati, veluti ardentem facem, ipsi quoque apud filios ponant. Lucretius etiam de mortalium inter se successione loquens, sic inquit:*

Et quasi cursores vitaï lampada tradunt.

Hæc Verderius: præter quem legi possunt de eodem ludo Aristophanis interpres in *Ranis*, Plato libro primo *De Republica*, Pausanias in *Atticis*, Herodotus in *Urania*, Cicero in *Rhetoricis ad Heren.* Ad ludum illum ergo alludit Lucretius, ubi de animantibus agit, quæ successione propagantur, vitâ per vices, ab aliis in alia transfusa. Et Plato quidem libro sexto *de Legibus*, ubi animam lumini comparans cives ait oportere liberis generandis atque educandis operam dare, ut vitam, quam ipsi à Majoribus accepissent, vicissim quasi tædas ardentes posteris tradant. Cur Diti oscilla & Saturno lampades dedicatæ, & in Saturnalibus præter sigilla cereos missitare consueverint, egregie differit idem Pierius libro ante citato, quadragesimo sexto, quem vide. Et de λαμπαδοχεῖν, id est, *more ferendi faces* in Prometheis, Vulcaniis & Panathenaicis sacris usitato, vide Erasmum in *Chiliadibus*. Inde & natum proverbium, *Lampada tradere*: & λαμπαδοδρομία, cursus, in quo faces seu lampades accensæ manu gestabantur, certabaturque, quis primus ad scopum perveniret, non exstincta lampade: & λαμπαδοφορία, *lampadum gestatio*: & λαμπαδοφορεῖν, *lampadem gestare*, lampadem gestantem cursu certare: λαμπαδοφόρος Græce, *qui lucernam gerit*: λυχνοφόρος & λαμπτηρείμων, idem, quem alio nomine δᾳδοῦχον, *faciferum*, *tædiferum* appellant à δᾳδουχεῖν, *faces præferre*. Sic Λαμπαδίζειν Aristophanis interpres dixit, pro lampada tenentem cursu contendere.

Apulejus de lucernis.

Lucernarum Apulejus meminit in descriptione pompæ Isidis Ægyptiæ; *Magnus præterea*, inquit, *utriusque sexus numerus lucernis, tædis, cereis, & alio genere ficti luminis siderum cœlestium, stirpem propitiantes.* Et paullo post: *Quorum primus* (scilicet antistitum sacrorum & procorum) *lucernam præmicantem porrigebat lumen non adeo nostris illis consimilem, quæ vespertinas illuminavit epulas*, &c. In quæ verba sic Beroaldus commentatur: *Religionis Ægyptiæ symbolum est lucerna, ut opinor pertinens ad Osiridis vestigationem, quem perditum cum luctu quærunt, mox inventum magno gaudio prosequuntur, auctores Seneca, Lactantius, Augustinus & cæteri.* Ob hoc videtur Seneca in libro de vita beata sic scripsisse: *Cum laurum linteatus senex & mediam lucernam die proferens exclamat, iratum aliquem Deorum concernitis & auditis.* Apud nos hodieque in pompa sacrorum Ceroferarii conspiciuntur, ritu prope consimili atque Germano. Tertullianus denotat hunc ritum lucernarum solennium & improbat, inquiens: *Cur die læto nos laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus?* Potest lucerna hæc videri symbolum Solis, qui & Osiris dicitur, cujus luce cuncta collustrantur.

Præte-

Præterea autor eſt Herodotus, feſtivitatem ſolennem celebrari in Ægypto, cui nomen eſt *Accenſio lucernarum*, propterea quod noctu ſub dio per univerſam Ægyptum lucernas accendunt, imbutas ſale & oleo plenas, cum multo illychnio, quod tota nocte ardens perduret. Poteſt hæc lucerna non ſolum eſſe ſymbolum inquiſitionis Oſiridis, verum etiam ad Vulcanum referri, quem inventorem ignis primum in Ægypto regnaſſe ſacerdotes affirmant. *Lucernari* apud eundem Apulejum verbum vetus eſt, quod ſignificat diſpoſitis lucernis illuminare. Hinc illud: Accenſio lucernarum certa ſolennitas in Ægypto.

Tecta lucernantur florentia Numina ſertis.

De more antiquo lucernas accenſas diebus feſtis & in omni publica privataque lætitia catenulis ſuſpendendi ad januas, ad feneſtras (quæ etiam lauru ornabantur) & ad arbores ſacras, vide Lipſium *Electorum* libro primo, capite tertio. Ibidem quoque docet, ſacrificulos & vates lucernam ac laurum præferre fuiſſe ſolitos, ut hoc feſto quaſique ſacro ornatu auguſtiores ſe facerent, & lucernam ſolitam ſuſpendi ad ædes lenonias, tanquam novi lupanaris notam. Hæc omnia Tertulliani, Senecæ & Poëtarum teſtimoniis confirmat & illuſtrat.

Omnium porro iſtorum luminum & lucorum (Nam *lux lucis* etiam dicta propter ignes atque lumina, in iis perpetuo lucentia:) lampadum item, & facum, lucernarum, laternarum, lychnorum, cereorum, candelabrorum in templis Gentilium uſus ſeu abuſus potius, fuit fere quintuplex. Uſus lucernarum.

Primus fuit naturalis; & quidem neceſſarius in illorum ſacris nocturnis, ad quæ peragenda opus illis erat hujuſmodi luminibus atque lucernis. His adde, quod cum quædam ſacra etiam interdiu in penitioribus & obſcurioribus templorum ſuorum partibus facerent, luminibus hujuſmodi indigebant. Primus.

Secundus luminum lucernarumque iſtarum uſus fuit ἀναθηματικός, id eſt, *donativus*, ut ita loquar, quod nimirum ut alia dona atque munera: ſic lucernas quoque & candelabra magni pretii Diis ſuis, tanquam ſuæ erga ipſos pietatis monumenta illosque placandi gratia dicabant: quas idcirco ante illorum ſimulacra collocare, ſuſpendere, & accendere ſolebant. Id quod manifeſtum eſt, ut plurima alia teſtimonia & exempla omittam, ex Baruchi, ſive Hieremiæ epiſtola ad Judæos, in qua Babyloniorum idololatriam copioſe deſcribens hæc quoque illis exprobrat: *Lucernas*, inquit, *illis* (idolis ſeu ſimulacris) *accendunt: & quidem plures*: vel, ut alia exemplaria habent, *plures, quam ſibi ipſis, quarum nullam videre poſſunt. Sunt enim velut trabes in domo.* Secundus.

Tertius lucernarum & candelabrorum iſtorum uſus ſpectabat ad ornatum: cum iſta templorum religioniſque ſua magna exiſtimarent eſſe ornamenta. Tertius.

Quartus illarum uſus erat ſymbolicus & myſticus: cum illa ipſa interpretarentur variis modis ceu ſigna & ſymbola quædam pietatis, religionis, puritatis, rerum ſacrarum & divinarum, majeſtatis item ſuorum Deorum, & æternitatis: maxime cum in baſi alicujus ſimulacri eſſent poſitæ. Apud Onirocritas lucerna ardens mulieris ſignum, lucubrationis erat ſignum. Quartus.

Quintus uſus erat μαντικός, quod ex iis, ut etiam ex multis aliis captabant auguria & cognitiones rerum futurarum. Verum, ut hoc poſtremo addam, hoc ipſo lampadum lucernarumque in templis ante ſimulacra ſua, vel in ipſo meridie clariſſimaque luce accenſarum uſu, ſignificabant, ſe in tenebris maximis errorum & ſuperſtitionum verſari magnamque animarum ſuarum prodebant cæcitatem. Quintus.

Atque hæc quidem de ignibus, luminibus, lucernis, lampadibus, facibus, cereis, atque etiam lignis, carbonibus, cineribus, fumis denique ſacris & ſacrificiis Gentilium ſatis ſint dicta.

NVNC præmiſſis iis, quæ ad apparatum præparationemque ſacrificialem pertinent, quæque ſacrificium præceſſerunt, quæ ab Euſtathio ἑτοιμασία, καὶ παρασκευὴ θυλική, προβολαὶ, κατάρχαὶ, ἀπαρχαὶ, προθύματα, & aliis fere hujuſmodi nominibus appellantur, ad ipſam ἱερουργίαν, hoc eſt, *actum ſacrificialem*, & quæ eum fuerunt comitata, accedamus. Pro more autem noſtro primum ipſius Homeri & Apollonii verba in utriusque ſacrificii deſcriptione expendamus, & illorum quaſi filum ſecuti; quid primo, quid ſecundo, quid tertio, quid deinceps fieri ſit ſolitum, diligenter conſideremus, ſimulque ea, quæ ab ipſis fuerunt prætermiſſa, & apud alios authores leguntur in ſacrificio fuiſſe uſurpata, quaſi ſupplementi loco addamus. De ἱερουργία, id eſt, actu principali ſacrificiorum.

Ab utroque autem Poëta primum percuſſionis hoſtiæ, ad aram ſtantis, fit mentio. Hoſtiam enim adductam ad aram oportebat ſtare primum: non autem humi jacere, priuſquam ſecuri, bipenni, aut alio inſtrumento cæſa proſterneretur. Unde *Standi* & *Statuendi* verbum, quando de hoſtiis, ad aram adductis & admotis, fit ſermo, ſæpe illi tribuitur, ut apud Virgilium: Hoſtia ſtando cæſa.

Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum.

Et alibi:

Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram.

Ubi Servius: *Stabat*, pro *placebit* interpretatur. Tunc enim aptum ſacrificium eſſe, cum animal dedicatum victimæ patiens invenitur. Quoties enim reluctabatur, oſtendebat ſe improbari: inprimis ſignificabatur primum quidem hoſtiam illam ſanam fuiſſe, deinde impavidam & conſtantem, quæ non metu aliquo ab ara ſe proripuerit, quod mali erat ominis. Notatum eſt, auctore Plinio, non fere litari, trahente ſe ab ara hoſtia & aufugiente. Unde inter priſcorum prodigia legimus ominoſum fuiſſe, quotieſcunque hoſtia fugiſſet ab ara. Hinc inter oſtenta Pharſalicæ cladis hoc quoque numerat Lucanus:

 —*Diſ-*

— Discussâ fugit ab ara
Taurus. —

At Cajus Julius Cæsar, qui, teste Suetonio, nullâ unquam religione ab incepto absterritus vel retardatus esset, cum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem & Jubam non distulit. Prolapsus etiam in egressu navis (Malum enim omen putatur, quando quis in rebus obeundis prolabitur) verso ad melius omine: *Teneo te*, inquit, *Africa*.

His adde, quod hoc ipso, quod hostia stans ad aram subito ictu percussa statim cadit, innuere videntur voluisse, eodem modo homines & cunctas res humanas, firmiter licet stare stabilesque videantur esse: tamen subito & ex improviso cadere atque corruere, secundum illa Ovidii:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.

Cur stando hostia cæsa. Ita stans hostia modis illis, de quibus jam dictum, ad cædem præparari, explorari & quasi consecrari consueverat. Inter alia autem, quæ, priusquam cæderetur ac humi prosterneretur, fieri solebant, hæc quoque cerimonia, cum jam jam cædenda esset, usurpari prius fuit solita: Nempe obliquum cultrum ferreum à fronte bestiæ mactandæ usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant, quod Servius annotat in illa Virgilii *Æneid.* 12.

Illi ad surgentis conversi lumina Solis
Dant fruges manibus salsas & tempora ferro
Summa notant pecudum paterisque altaria libant.

Hunc ritum vult à Virgilio innui illis verbis:

- - - - *& tempora ferro*
Summa notant, &c.

Homerus quid de percussione hostiæ. Videamus nunc, quibus verbis Homerus & Apollonius hanc hostiarum percussionem describant. Apud Homerum igitur Thrasymedes, audaciâ præditus, conjuncta cum consilio, sicut nomen ejus sonat, dicitur bovem percussisse, sumptâ securi, propterea quod, ut Athenæus annotat libro decimo quarto, Nestor ob senectam id non poterat facere, quem reliqui fratres adjuvabant. Sic enim Homerus inquit:

Αὐτίκα Νέστορος υἱὸς ὑπέρθυμος Θρασυμήδης
Ἤλασεν ἄγχι στάς. πέλεκυς δ' ἀπέκοψε τένοντας
Αὐχενίους, &c.
Statim Nestoris filius generosus Thrasymedes
Impulit prope stans: securis autem abscidit nervos
Cervicales, &c.

Ἤλασεν hoc in loco, Eustathio interprete, idem est, quod πελέκει ἔπληξε, id est, *securi percussit*. Rationem deinde percussionis exponit, cum inquit:

- - - πέλεκυς δ' ἀπέκοψε τένοντας
Αὐχενίους, &c.
— Securis autem abscidit nervos
Cervicales, &c.

id est, duos illos majores nervos percussit, hoc est, abscidit, resecuit, amputavit. Ἀπέκοψε enim Eustathio est ἀπέτεμε. Intelligit autem illos nervos, qui sunt in ea parte, qua caput & cervix colligantur, quibus interdum etiam cervix denotatur.

Sic paullo ante:

- - - πέλεκυν δὲ μενεπτόλεμος Θρασυμήδης
Ὀξὺν ἔχων ἐν χειρὶ παρίστατο βοῦν ἐπικόψων·
— Securim autem bellicosus Thrasymedes
Acutam gestans in manu adstabat, bovem cæsurus.

Id est, Eustathio interprete, ἐπάνω τοῦ τραχήλου πλήξων, ὅθεν καὶ ἐπίκοπον παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ ἐπίξηνον: quod proprie mensa coquinaria dicitur, supra quam carnes concidi solent, Græce ἐπιχόρμιον.

Apollonius quid de percussione. Sic apud Apollonium in mactatione duorum illorum taurorum, quos Argonautæ sacrificasse dicuntur, Hercules ipse alterum quidem

- - - ῥοπάλῳ μέσσον κάρη ἀμφιμέτωπα
Πλῆξεν, ὁ δ' ἀθρόος αὖθι πεσὼν ἐνερείσατο γαίῃ,
Clavâ medium caput circa frontem
Percussit: at ille totus confestim humi procubuit.

Ancæus autem - - - κατὰ πλατὺν αὐχένα κόψας
Χαλκείῳ πελέκει κρατεροὺς διέκερσε τένοντας·
latam cervicem percutiens
Æreâ securi fortes abscidit nervos.

Ubi

Ubi æream ſecurim pro ferro accipi Scholiaſtes adnotat. Nam Veteres ferro nondum reperto ære uſos fuiſſe pro ferro, conſtat ex illo Heſiodi:

> Χαλκῷ δ᾽ εἰργάζοντο· μέλας δ᾽ οὐκ ἔσκε σίδηρος.
>
> *Ære operabantur: nigro nondum exiſtente ferro.*

Dionyſius Halicarnaſſeus quid de ritibus ſacrificialibus in genere.

Hujus porro percuſſionis non tantum in præcedentibus iſtis locis, ſed apud plurimos alios autores luculenta admodum expreſſaque fit mentio: in primis vero apud Dionyſium Halicarnaſſeum, qui ſub finem libri ſeptimi *Antiquitatum Romanarum*, præter hanc percuſſionem, ritus pleróſque alios atque cerimonias, in ſacrificiis adhiberi ſolitas, breviter quidem, ſed accurate admodum deſcribit, unoque quaſi faſciculo complectitur. Sed verba ipſa, quia & ad præcedentium, & eorum, quæ ſequuntur, intelligentiam majorem faciunt, hîc ſubjicere libet: Συντελεσθείσης δὲ τῆς πομπῆς ἐθυθύτουν εὐθὺς οἵτε ὕπατοι, καὶ τῶν ἱερέων, οἷς ὅσιον, καὶ τῶν θυηπόλων· ὁ τρόπος ὁ αὐτὸς ἦν τῷ παρ᾽ ἡμῖν. Χερνιψάμενοί τε γὰρ αὐτοὶ, καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ περιαγνίζοντες ὕδατι, καὶ Δήμητρος καρποὺς ἐπιρραίνοντες αὐτῶν ταῖς κεφαλαῖς. ἔπειτα καὶ εὐξάμενοι θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον, τῶν δὲ οἱ μὲν ἑστῶτος ἔτι τοῦ θύματος, σκυτάλῃ τοὺς κροτάφους ἔπαιον, οἱ δὲ πίπτοντος ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας (perperam legitur, σφραγίδας) καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μελίσαντες ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἑκάστου σπλάγχνου, καὶ παντὸς ἄλλου μέλους ἃς ἀλφίτοις ζέας ἀναδεύσαντες, προσέφερον τοῖς θύουσιν ἐπὶ κανῶν. οἱ δὲ ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιθέντες ὑφῆπτον καὶ προσέσπενδον οἶνον κατὰ τῶν ἁγιαζομένων, hoc eſt, *Peracta pompa confeſtim ſacrificabant conſules, ſacerdoteſque, quibus fas erat, & Victimarii* (en perſonas ſacrificantes cum principes, tum miniſtrantes ſeu famulantes:) *idque more noſtratium: Lotis enim manibus* (en manuum ablutionem) *& luſtratis aquâ purâ victimis inſperſiſque in earum capita frugibus cerealibus* (en victimæ luſtrationem, & immolationem, id eſt, molæ, ſive frugum ſalſarum aſperſionem in hoſtiarum capita) *conceptiſque precibus* (en precationem atque vota) *tum demum* (rite ſcilicet præmiſſis & peractis illis omnibus, de quibus adhuc dictum) *miniſtros* (quos ſupra θυηπόλους· hic ὑπηρέτας vocat) *eas* (hoſtias) *mactare jubebant.* (In Græco eſt θύειν; quæ vox & *ſacrificare* in genere & ſpeciatim *occidere* ſignificat ſive *necare.* Nam ſacrificiorum actus principalis erat hoſtiæ necatio ſeu occiſio. Vox itaque Gallica *tuer*, id eſt, *occidere*, à Græca θύειν videtur derivata.) *Quorum* (ſcil. alii miniſtrorum, qui *Victimarii*, *Popæ*, *Cultrarii* à Latinis appellantur) *ſtantem etiamnum hoſtiam Vecte feriebant in tempora* (en hoſtiæ percuſſionem:) *alii ſuppoſitis cultris cadentem excipiebant.* (Hæc fuit σφαγὴ, *jugulatio*, de qua poſtea) *ac mox excoriatam concidebant membratim* (en hoſtiæ excoriationem & diſſectionem) *delibataque ex ſingulis extis aliiſque membris primitias farrea farina imbuebant, & in caniſtris afferebant ſacrificantibus, quæ aris impoſita ſuccendebant, & vinum inter adolendum affundebant.* En ſynopſin brevem & illuſtrem totius ritus ſacrificialis, cujus ſingula membra deinceps Homericorum teſtimoniorum appoſitione illuſtrat.

Percuſſionis victimæ variæ cærimoniæ.

Hinc autem apparet, certos peculiareſque hoſtias, ſtantes ad aram, iciendi, cædendi, feriendi, percutiendi, humi proſternendi ritus fuiſſe atque modos, quos vel minimùm negligere erat nefas.

Miretur autem quis forſan, cur iſta animalium hoſtiarumve percuſſio, mactatio & occiſio tot tantiſque cerimoniis à Gentilibus fuerit celebrata. Sed mirari is deſinet, ſi cogitabit hanc ipſam actionem, primarium fuiſſe iſtius quaſi tragœdiæ actum, ad quem reliquæ cerimoniæ omnes, quæ vel antecedere, vel comitari, vel conſequi ſolebant, referebantur. Ac quemadmodum in communi & profano etiam vitæ humanæ uſu, pecora hominibus non niſi occiſa fere, ſive ad veſtitum, ſive ad victum proſunt: ſic Ethnici in ſacrificiis ſuis non niſi hoſtiis occiſis ac mortuis litari, Diis ſuis ſatisfieri, eoſque placari poſſe arbitrabantur.

Nomina phraſesve Latinæ ab ritu percuſſionis natæ.

Porro ab hoc ritu cædendi, *cædere* ſæpe ſynecdochice pro *ſacrificare* uſurpatur, ut *cædere bovem*, id eſt, ſacrificare, *cædere victimam* vel *agnam*, idem. Unde Virgilius, *Cæſam victimam* vocat ſacrificatam: quod verbum, ut & nomen *cædem*, teſte Feſto, nonnulli putant ex Græco κταίνειν dici, quod apud illos ſignificat *interficere.* Alii deducunt à *cadendo.* Quicquid ſit, habet hoc verbum *cædendi* cum verbis *cadere* & *cedere* magnam affinitatem, quoniam plerunque etiam reipſa hæc ſunt conjuncta, & ea, quæ cæduntur, id eſt, percutiuntur, ſive ſint homines, ſive beſtiæ, ſive etiam res inanimatæ, & cedere & cadere ſolent. Hinc *Præcidere* eſt *ante cædere*, & *ante immolare*, ut auctor eſt Feſtus: unde & *agna Præcidanea*, eodem teſte, dicta, quæ ante alias immolabatur: item *porca Præcidanea*, quæ Cereri cædebatur, id eſt, mactabatur ab eo, qui mortuo juſta non feciſſet, id eſt, glebam non objeciſſet, quod moris erat eis facere prius, quam novas fruges guſtarent, ut Feſtus inquit; vel, ut idem ait, quam immolare erant ſoliti, antequam novam frugem præciderent. *Fordicida* quoque feſta, à cædendis fordis bubus, ex hoc ritu ſunt dicta. Erat autem *bos forda*, quæ fuit in ventre: & eo die publice immolabantur boves prægnantes in curiis complures. *Victimam* præterea nonnulli volunt dictam, quaſi *vi ictam*, quod vi icta cadat. *Icere* enim idem, quod *percutere.* Inde *ictus.* Ab hoc eodem actu *ferias* quoque volunt dictas, quod hoſtiæ in iis feriebantur. *Feriæ*, inquit Feſtus, *à feriendis victimis appellatæ, & Feralia Diis Manibus ſacrata feſta, vel à feriendis pecudibus appellata.* Quid ſi *ferire* à *ferro* ſit dictum, quia ferro ad feriendum opus eſt: vel à *ferre*; quia tollendum ſeu auferendum id, quod cæſum. Inde & *Ferus* vox ſine dubio nata. His adde, quod *hoſtia* quoque dicta ab *Hoſtire*, verbo antiquo & obſoleto, quod *ferire* ſive *cædere* ſignificat, Feſto teſto. Idem verbum, ut idem auctor eſt, ſignificat etiam *æquare:* unde *Redhoſtire gratiam*, idem, quod gratiam referre, ſich mit einem vergleichen.

Nomina phraſesve Græcæ & Hebraicæ de ritu percuſſionis.

Verba Græca ſunt παίειν, κόπτειν (unde forſan noſtrum Germanicum klopffen / id eſt, *percutere*) πλήττειν, vel πλήσσειν, quibus Homerus & Apollonius utuntur. Ab hac autem ipſa in ſacrificiis fœderalibus, id eſt, quæ

quæ fœdera ineundi ſanciendique cauſa fiebant, beſtias, ſeu hoſtias iciendi, feriendi, cædendi, atque demum jugulandi diſſecandique conſuetudine, natæ ſunt tritæ illæ & uſitatæ Hebræorum, Græcorum & Romanorum dicendi formæ: Hebræorum quidem כרת ברית *Carath berith*, *ſcindere* ſive *diſcindere fœdus*: Græcorum vero, ὅρκια ταμεῖν, *fœdera ferire*; quale illud Homeri:

- - - Ορκια πιστὰ ταμόντες

Fœdera fida ferientes.

Et Latinorum: *Fœdus icere*, *ferire*, pro *facere*, *inire*, *ſancire*, unde Cicero pro Cornelio: *Lucius Martius cum Gaditanis fœdus iciſſe dicitur.* Idem pro Seſtio: *Tu ſcilicet homo religioſus, fœdus, quod meo ſanguine in pactione provinciarum iceras, frangere voluiſti.* Idem: *Id enim fœdus, meo ſanguine ictum, ſanciri poſſe dicebat.* Idem: *Fœdera feriebantur provinciarum. Ferire fœdus cum aliquo*, idem dixit pro Cornelio. Hinc *fœdus* ipſum Feſtus vult dictum, quod in paciſcendo fœdere hoſtia necaretur. Unde Virgilius:

Et cæſâ jungebant fœdera porcâ.

Vel quia in fœdere interponatur fides: ad quod etymon poſterius Cicero videtur alludere pro Domo: *Gabinius fregit fœdus; Piſo tamen in fide permanſit.* Idem in *officiis*: *fœdera, quibus cum hoſte devincitur fides.*

I. Variæ perſonæ percutientes. Porro in hac hoſtiarum victimarumve percuſſione (quæ magna cautione, religioneque fiebat) hæc fere animadverſione ſunt digna, quæ à Gentilibus diligenter obſervabantur. Primum perſonæ, quæ munus hoc beſtias feriendi, cædendi, mactandi, excoriandi, dividendi, atque etiam coquendi obierunt. Apud Homerum quidem nominatur Thraſymedes, Neſtoris filius: apud Apollonium vero Hercules & Ancæus, duo

Victimarii. Cultrarii. Popæ. Argonauticæ illius navigationis ſocii. Hi à Latinis ab officio & inſtrumento dicti ſunt *Victimarii*, ſive *Victimatores*, *Cultrarii*, ſecundum illud Virgilii: *Supponunt alii cultros*, id eſt, victimas cædunt, interprete Servio: item *Popæ*, *ſacrorum miniſtri*, de quibus ſupra pluribus. Ælius Spartianus: *Percuſſit*, inquit, *hoſtiam popa, nomine Antonius.* Propertius:

Succinctique calent ad nova ſacra popæ.

Οσιωτήρ. Apud Delphos is, qui victimam immolabat ὁσιωτὴρ dicebatur, ut Plutarchus ſcribit in *quæſtionibus Græcis* ſtatim ab initio, Οσιωτῆρα μὲν καλοῦσι τὸ θυόμενον ἱερεῖον. (Stephanus pro θυόμενον, θύοντα active putat legendum) ὅταν ὅσιος ἀποδειχθῇ. *Quinque autem* ὅσιοι *per omnem vitam, qui vatibus multis in rebus aderant, unâ etiam ſacrificabant, cum ſe ex Deucalionis genere ortos arbitrarentur.* Lactantius 4. *Thebaid. Sacerdotum*, inquit, *conſuetudo talis eſt, ut aut ipſi percutiant victimas, & Agones appellantur: aut ſic tenentes cultrum, alter impingat.* Ideo dicit Statius:

In vulnus cecidere greges.

Coqui. Athenæus libro decimo quinto *Dipnoſophiſt.* ſub finem pluribus docet, has μαγείρων, id eſt, *coquorum* olim fuiſſe partes atque munia. *Ritus*, inquit, *ſacrificiorum & cerimonias coquis notas fuiſſe palam eſt Olympiadis ad Alexandrum epiſtola, qua mater illum hortatur, coquum ut emat in ſacris faciundis excitatum his verbis: Perignum coquum miſſum à matre tu habe. Scit ille, omnia ſacra patria tua quomodo peragantur*, & ἀργὰ (id eſt, *pura*, ut vulgo vertunt, proprie *otioſa*, *inertia*, in quibus hoſtiæ non immolabantur, ſed frugum primitiæ tantum offerebantur) & δικαστικὰ (*judicialia* fortaſſe, quæ à Rege fierent, cum jus diceret) *& Bacchica, & alia prorſus omnia, in quibus mater tua victimas immolat. Eum igitur ne contempſeris, ſed libenter excipe, & ad me remitte quam primum. Addit: Venerandam eſſe coquorum artem liquet ex Athenienſium præconibus, quia dum res divina fieret, in ordine coquorum & victimariorum, boves cadentium, fieret.* Idem paullo poſt Demi cujuſdam teſtimonio probat, Athenis fuiſſe tribum coquorum, qui ob artem ſuam magno eſſent in pretio & honore, qui curabant, ut plebs rite ſacrificaret. Tandem artem coquinariam ſive culinariam, liberalem eſſe diſciplinam probat, ac coquum ipſum civem eſſe oſtendit, nec ſordidum, nec humanitatis expertem. Inde μαγειρεύειν Græcis eſt *mactare*, quoniam coquus pecora coquenda mactat. Quid ſi igitur ipſum *mactandi* verbum à Græco μαγείρω & μαγειρεύειν ſit derivatum potius, quam à *magis augere?*

Præcones. Apud Homerum κήρυξι, id eſt, *præconibus*, fere illa neceſſaria ad ſacrificia adferendi victimas, feriendi, carnes parandi, diſcindendi, vinum etiam libandi munia tribuuntur, ut idem Athenæus teſtatur. Sed

Reges. Athenæus eodem in loco ſignificat, magnæ quoque & illuſtris dignitatis viros eadem hæc munia obiiſſe. Sic enim, exempli gratia, apud Homerum ipſe quoque Agamemnon, quamvis Rex, hoſtiam tamen percutit. Ait enim Poëta:

Agnorum ſævo ære ſtomachum proſcindit
Et alios quidem palpitantes adhuc humi ſternit.

Sic Thraſymedes adjuvantibus eum fratribus idem munus obiit.

Cenſores. Apud Romanos, Cenſores, qui magiſtratus ſummæ autoritatis fuit, purpurati & coronati hoſtias mactabant. Sic in Pædaliis, gente Indica (teſtatur Nicolaus Damaſcenus, quod & Stobæus repetit in ſermone de juſtitia) non qui ſacerdos eſſet, ſed qui in præſentia haberetur prudentiſſimus, hoſtiam mactabat: nec à Diis niſi juſtitiam rogabat. Et hæc de perſonis quæ hoſtias ferire, percutere, mactare, excoriare atque dividere conſueverunt. Idem ergo fere illorum fuit munus, quod hodie apud nos eſt coquorum, laniorum, macellariorumve; qui ab Italis *beccari*, forſan à *pecoribus*, ſunt dicti, & à Gallis *boucherie*, quorum macellum vocatur bocherie, quaſi, ut hoc joci cauſſâ addam, (*la bouche rie*) os hominis gaudeat & delectetur macellis. Ob illam autem cauſſam, ut ſupra quoque attigi, Gentilium & templa atque delubra,

bra, macellis atque culinis, & altaria mensis macellariis ac coquinariis, & sacerdotes macellariis & coquis; & denique illorum sacrificia profanis pecorum mactationibus atque lanienis merito comparari potuerunt.

Quemadmodum autem milites non, nisi signo dato, audent prælium inire, manusque cum hoste conserere: sic illi sacrorum ministri, de quibus modo dictum, injussu sacerdotum & eorum, qui sacris præerant, minime audebant hostias aggredi, easque ferire, prosternere, atque jugulare. Hoc Dionysius quoque Halicarnasseus diserte in sacrificii descriptione docet, cum ait, *Tum demum* (peractis scilicet iis, quæ sacrificium præcedebant) *ministros eas* θύειν, id est, *mactare, ferire, jugulare jubebant.* Ideo succincti nutum imperiumve exspectantes dicebant *Agon'*, vel *Agone?* Hinc Seneca libro secundo *Partitionum: Belle*, inquit, *deridebat hæc Asinius Pollio: Filius*, inquit, *cervicem porrigat, carnifex manum porrigat: deinde respiciat ad patrem, & dicat Agon'? quod fieri solet in victimis.* Idem docet Ovidius his versibus de *Agonalibus*: Victimam percutere non nisi jussis licitum.

Nominis esse potest succinctus caussa minister
Hostia cœlitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper agatne rogat, nec nisi jussus agit.

Idem libro quarto *de Ponto:*

At cum Tarpejas esses deductus in arces
Dum caderet jussu victima sacra suo.

Atque hoc est primum membrum, nempe personæ.

II. Alterum, quod in percussione victimæ observari debet, est instrumentum, quod hostiis cædendis feriendisve adhibebatur. Hoc apud Homerum est πέλεκυς (ut etiam apud Apollonium) quod *bipennem & securim* vertunt: unde πελεκᾶν & πελεκύζειν, sive πελεκίζειν per *jota, securi percutere*, πελεκυτής, *dolator*, πελεκυφόρος, *bipennifer*, sive *securifer.* Apud eundem Homerum fit quoque mentio σχίζης δρυός, id est, *sudis querneæ*, qua hostia icta fuerit (id quod etiam apud Persas & Cappadoces in more fuit positum) ut in Eumæi sacrificio: Varia instrumenta ad percussionem adhibita. Πέλεκυς. Σχίζα.

Κόψε δ' ἀπαρχόμενος σχίζῃ δρυὸς, ἣν λίπε κείων.
Hostiam mola sparsam querna sude percutit.

Dionysius Halicarnasseus locum hunc ipsum citans σκυτάλῃ vocat instrumentum illud, quo victimæ feriri fuerunt solitæ: cujus quidem vocis varia & diversa sunt significata. Nam & murem araneum & scuticam, hoc est, flagellum ex corio factam, & peram coriaceam, & catervam equestrem, & surculum loricatum (quod genus ~~epistolæ erat~~ apud Lacedæmonios, de quo Gellius lib. 18. cap. 9.) & tabulam; in qua scripta fontium delicta proponebantur, & baculum sive virgam, & serpentis genus significat. Vide Erasmum in *Chiliadibus, Tristis Scytale.* Σκυτάλη.

Apud Apollonium porro Hercules ῥοπάλῳ alterum taurorum percussisse ac prostravisse dicitur. Est autem ῥόπαλον, sive ῥόπαλος idem quod ῥόπτρον, clava, fustis, malleus: quod ipsum instrumentum apud Latinos quoque in usu fuit. Is vero ligneus fuit sive ferreus: sicuti & hodie ligneo ad eundem effectum lanii utuntur, nempe ad boves similiter sternendos. Hic unà cum securi à sacrificulo, seu ab uno ex Victimariis gestabatur: atque coronatis victimarum capitibus (teste Plinio lib. 16. cap. 4. in his verbis: *Postea Deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis* (malleo primum ante aram percutiebant: deinde securi cervix abscindebatur: tum ad eviscerationem & exta rimanda, captandaque auspicia procedebant. Mallei hujus picturam vide apud Gulielmum du Choul, libro ante citato *de Religione Romana*, & Bartolomæum Marlianum in *antiquitatibus urbis Romæ.* Ῥόπαλος. Malleus.

Fuit deinde & securis apud Latinos, instrumentum ad boves ante aras Deorum percutiendos adhibitum: ideo *Sacrifica* dicta ab Ovidio duodecimo *Metamorph.* Securis.

Elatumque (scilicet funale) *alte veluti qui candida tauri*
Rumpere sacrificâ (sacrificiis dicatâ) *molitur colla securi.*

Hanc autem æneam fuisse constat ex Festo, & ideo *Acieris* dictam. Sic enim ille: *Acieris securis ænea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes.* Porro à *secando* dicta videtur, Germanice Achß / forsan à Græco ἀξίνη, quæ vox etiam *securim* sive *bipennem* significat. Unde ἀξινομαντεία divinatio per secures; de qua Plinius lib. 36. cap. 19. Usi vero sunt Veteres hoc instrumento ad varios usus, videlicet & ad ligna secanda, & etiam ad bellum. Virg. *Æneid.* 11.

- - - - *æratam quatiens Tarpeja securim.*

Usi eâ sunt pariter ad sontes puniendos, quique magistratibus capite plectendi erant, securi percutiebantur. Cicero tertiâ Verrinâ: *Agunt eum præcipitem pœna civium Romanorum, quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit*, & Virg. 6. *Æneid.*

Consulis imperium hic primus, sævasque secures
Accipiet, &c.

Et Lucanus libro primo.

Pacificas sævus tremuit Catilina secures.

Hujus instrumenti inventrix fuit Penthesilea Amazon, teste Plin. lib. 7. c. 56. unde & Amazones, *securigeræ* à Poëtis dictæ sunt. Secures item magistratuum insignia erant, virgarum fasciculo loro illigatæ. Cic. 6. Verr.

6. Verr. *Quamobrem fasces Prætoribus præferuntur, cur secures datæ?* Secures demum, ut in nostram sententiam veniamus, licet grandiores erant, ad victimarum carnes secandas dividendasque prout libebat sacrificulis, victimariis, & id genus hominibus, qui sacrificiis antiquorum præerant. Hodie Lanii in Urbe magno latoque cultro ad carnes dividendas utuntur, quem *spatagium* vocant, &c.

De more porro securim, qua apud Athenienses primus bos mactatus fuit in sacrificiis, in jus vocandi quotannis vide Leonicenum libro 2. capite 3. *Athenis*, inquit, *in Prytaneo judicum fuit locus, ubi ferrum & quævis alia inanima, quibus patrata fuerat cædes, judicium quoque illius, qua Erechtheo Athenis imperante, bos primus Athenis mactatus dicebatur, tanquam reæ caussa quotannis magnum cum solennitate agebatur.* Cum enim sacerdos, quem illi Βουφόνον vocabant, bove percusso, humique strato, relictâ ibi securi, ocyus ex Attica aufugisset, non comparente homine, securim tunc primum Athenienses in judicio constituerunt. Unde hæc illam quotannis in jus vocandi consuetudo inolevit.

Secespita. Tertium instrumentum, quo Latini utebantur in sacrificiis, erat *Secespita*, interprete Festo, culter ferreus, oblongus, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum argento, auroque fixo, clavis æneis, ære cyprio, quo Flamines, Flaminicæ virgines, Pontificesque ad sacrificia utebantur, à *secando* sic dicta. Eadem aliàs dicitur, quâ in sacrario utuntur. Sacraria namque in templis reticulo æneo olim sepiebantur, in quo turbæ relictæ sunt, per quas manibus sacra tangere licet. Est hoc in templo Bonæ Deæ, sed aliis in locis, & sunt velut repagula quædam, ita *Secespitæ* dicuntur duobus modis. Suetonius in *Tyberio*: *Nam & inter Pontifices sacrificanti simul, pro Secespita plumbeum cultrum subjiciendum curavit.* Idem alibi, *Secespitam*, alii securim, alii dolabram æneam, alii cultellum putant.

Dolabra, sive Scena. Aliud instrumentum, in sacrificiis adhiberi solitum, fuit *Dolabrum*, sive *Dolabra*, quam Festus Pontificalem ab hoc usu vocat, & alio nomine *Scenam*, sive *Scænam*. Fuit autem, ut ex forma patet, quam Marlianus in suis antiquitatibus expressit, Culter grandior, sutorio perquam similis, quo olim reor in sacrificiis Veteres uti fuisse solitos, ad hostias, & victimas deglubendas, postquam malleo hæ percussæ, & jugulatæ essent, à quo forte nomen sumserit: seu potius à *dolando*, hoc est, ab æquandis partibus carnium, quæ aris imponebantur, Diis immolandarum, sumpta metaphora à dolabra, quæ fabri lignarii est instrumentum, quo ligna dolantur, seu expoliuntur, quanquam & rusticum itidem sit instrumentum, cujus Columella lib. 3. meminit his verbis: *Quæ falce amputari non possunt, acuta dolabra abradito.* Est & ejus diminutivum *dolabella*, de qua idem auctor lib. 5. sic infert: *Circa crus dolabella dimovenda est terra*, &c. Plutarchus vero in vita Tiberii & Caii Gracchorum, de dolone, quod genus est gladii, sic meminit: *Ille vero* (Tiberium intelligit) *palam gladium, quem dolonem vocant, accinctus ambulat*, &c. Quod culter hujusmodi hoc nomine appellaretur, auctorem adhuc desidero: quod autem hac forma unum ex sacrificialibus instrumentis fuerit, nulli dubium esse puto. Nam passim multis in locis marmore antiquo insculptum cernere licet, & præsertim in arcu marmoreo, quem aurificum nominant, prope Ecclesiam S. Georgii in Velabro: ubi multa, quæ ad antiqua sacrificia spectant, videre est, &c.

Lapis, vel Silex. Ad instrumenta, quibus hostiæ feriri, cædi & mactari solebant, referri quoque debet lapis ille, sive silex, quo agni, porcæ, sive alterius bestiæ caput in pangendis fœderibus percuti atque feriri solebat. Exemplum hujus consuetudinis citatum à nobis fuit supra ex Livio, quod hîc, quia ad rem maxime facit, repetemus. Apud Livium Annibal, magnis propositis promissis, milites suos ad fortitudinem adhortatus, ea, ut rata scirent fore, agnum lævâ manu, dextrâ silicem retinens, si falleret, Jovem, cæterosque precatus Deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset: secundum precationem caput pecudis saxo elisit.

IIII. Percussæ hostiæ casus, & ejus adjuncta religiose observata. Tertio cæsæ victimæ casus quoque diserte exprimitur, qui & ipse diligenter, in hac percussione fuit observatus. De bove, ab Hercule cæso, sic ait Apollonius:

- - - ὁ δ' ἀθρόος αὖθι πεσὼν ἐνερείσατο γαίῃ,

At ille totus confestim humi procubuit:

Sic Virgilius:

- - - *procumbit humi bos.*

De altero, quem Ancæus ferit, sic cecinit idem Apollonius:

Ἤριπε δ' ἀμφοτέροισι κέρασι περιρρηδὴς κεράεσιν.

In percussione victimæ quæ boni, quæ mali ominis. Scholiastes, περιρρηδὴς κεράεσιν exposuit ἐπὶ πρόσωπον μετ' ὁρμῆς κατενεχθείς, id est, *pronus cum impetu.* Item: ἐπιρραγεὶς εἰς τοὔμπροσθεν ἢ ἐπενενεχθείς, ut apud Poëtam, περιρρηδὴς δὲ τραπέζῃ κάππεσεν. Eurymachus interpretatur περιφορούμενος τὸ κατὰ κύκλον πεσεῖν οὕτω λέγεται. Nunc autem significat ἐπινεχθεὶς εἰς τοὔμπροσθεν, id est, *cum pronus procubuisset.*

Quemadmodum autem mali ominis erat, si victima ductorem non sponte sequeretur, sed vi trahenda esset: vel si ex ducentium manibus sese proripuisset & profugisset: sic mali auspicii erat si vel elapsa ictum fefellisset, vel percussa aut exiliisset altius aut horridius exclamasset, aut non statim, & quidem placide concidisset, & si supina & non prona cecidisset: vel si semianimis provoluta in terram eandem pedibus calcitrasset importunius: vel difficulter exspirasset: vel jugulata non copioso diffluxisset sanguine: vel si inter jugulandum triste aliquid infaustumque oculis auribusque occurrisset, ut si locuta esset victima vel hostia: quod Romæ fecisse bovem fœminam Livius refert Decad. 5. lib. 3. Unde libris à Decemviris aditis decretum ut supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia pulvinaria majoribus hostiis XL. numero sacrificarent, popu-

populusque coronatus esset. Quod ipsum & P. Volumnio & Servitio Sulpitio Coss. bos fœmina fecit: & bos item masculus, inquiens: *Cave tibi Roma*, quem bovem cum cura servari, aliqui aruspices jusserunt. Signa hæc & alia, quæ inter percutiendum & jugulandum evenissent, offensi & alienati Numinis pœnasque minitantis esse putabantur. Contra læti ominis indicia & faventis Dei testimonia erant: cum emissa & ducta ad aram sponte acceleraret, & sine strepitu atque tumultu ictum patienter perferret, collapsaque placide, sineque deformi strepitu aut pedum complosione animam exhalaret, & confossa tandem copiosum spirantemque, & cum impetu stridoreque prorumpentem effunderet cruorem. Talem læti & cum gratulatione exclamationeque excipiebant: ad alterius vero aspectum expavescebant, animisque suis consternabantur, & trepide suspectas aras adibant, ritusque absolvebant cæteros, & sollicite, qua ratione Numen offensum reconciliarent, deliberabant. Pertinent huc quæ Plinius scribit lib. 8. cap. 45. sub finem: *Ex tauris & bobus victimæ*, inquit, *opimæ, & lautissima Deorum placatio. Huic tantum animali omnium, quibus procerior cauda, non statim nato consummatæ (ut cæteris) mensuræ crescit uni, donec ad vestigia ima perveniat. Quamobrem victimarum probatio in vitulo, ut articulum suffraginis contingat, breviore non litant. Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare, sicut nec claudicantem, nec aliena hostia Deos placari, nec trahente se ab aris. Est frequens in prodigiis priscorum, Bovem locutum. Quo nunciato, Senatum sub divo haberi solitum.* Hæc Plinius.

Mugitus victimæ inprimis observatus. Tibiæ etiam adhibitæ in sacrificiis.

In primis vero hîc mugitum bestiæ observababant, & ex illo quædam vel læta, vel tristia conjectabant; id quod licet conjicere ex illis Luciani verbis: *Bestiam*, inquit, *sub Dei oculis jugulant, flebile quiddam emugientem, beneque, sicut licet conjicere, ominatam: denique voce jam leniore ad sacri tibias respondentem.* Quo ex loco id quoque colligere promtum est, tibias in percussione victimæ, sicut in tota ἱερουργίᾳ fuisse adhibitas. His autem præcinebant (unde *præcentoriæ* dicta) monebantque, ne aliud quid ageretur, neve exaudiretur: cujusmodi præcentoribus & citharœdis jus quoque fuit in æde vescendi, id quod prisca religione observatum fuit.

De tibiis in genere.

Quoniam autem tibiarum & tibicinum, præ cæteris instrumentis Musicis antiquissimus in sacrificiis Gentilium, maximeque tritus, pervulgatus, ac, ut ipsis videbatur, pene necessarius usus fuit, sine quibus nullum publicum sacrum sacrificiumve rite legitimeque confici posse existimabant, & idcirco creberrima illorum passim apud profanos scriptores, atque etiam in sacris litteris fit mentio, non à ratione institutoque hoc meo alienum fore putavi, si copiosius quædam de iis hîc scribam, initio facto ab ipsis nominibus, quæ multarum rerum ad instrumenti hujus cognitionem pertinentium notæ sunt atque symbola.

Tibia Hebraice quomodo dicta.

Hebraice igitur hoc instrumentum חליל *Chalil*, appellatur, in plurali חלילים *Chalilim*, quam vocem Septuaginta Interpretes αὐλὸν, id est, *tibiam*, verterunt, ut Isaiæ quinto capite, quadragesimo octavo versu, & capite trigesimo, versu vigesimo nono. Thargum Isaiæ quinto, versu duodecimo, & Genesis quarto, אבובא *Abbuba*, interpretatur, quod fistulæ sit affinis. Rabbi Schelomoh hoc instrumentum sic vult dictum, quod sit concavum: unde *Curva tibia* à Tibullo & *Cava* ab Ovidio appellatur.
Sic enim Tibullus Eleg. secunda:

Obstrepit & Phrygio tibia curva sono.

Et Ovidius sexto *Fastorum:*

Quæritur in scenâ cava tibia, quæritur aris.

Alii, quod mihi videtur verisimilius, sic volunt appellatam, quod profanus illius & contaminatus in publicis epulis, conviviis atque choreis sive tripudiis fuerit usus. Hinc etiam מחול *Machol*, dictum, quod publicam & profanam, qualis fuit Gentilium, choream, sive tripudium significat, in quo tibiâ cani solebat: qui hodie quoque Christianorum communis fere mos est. Tympanis enim atque tibiis, sive fistulis plerunque Christianorum saltationes peraguntur: qui quidem tibiarum usus in saltationibus manifeste colligitur ex illis puerorum verbis Lucæ 7. Ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ὠλολύξατε: *Tibia vobis cecinimus; & non saltastis*, &c. Inde & Hieremias cap. 31. מחול משחקים *Mechol meschachacim*, chorum, sive choream ludentium dixit ab eodem instrumento חליל *Chalil*, seu tibiæ: quem chorum Septuaginta συναγωγὴν τῶν παιζόντων, verterunt. Hinc חולל *Cholel*, *tibicen*, *& plurali* חוללים *Cholelim*, *tibicines*, Psalmo octogesimo septimo. Et 1. *Regum* 1. versu 4. מחללים בחללים *Mechalelim Bachalelim*, *ludentes* sive *canentes tibiis.*

Tibia quomodo dicta Græce & unde.

Græce αὐλὸς *tibia* appellatur ἀπὸ τοῦ ἄειν, id est, *flando* (unde & Germanicum fleuten) Hanc vocem & *tibiam* & *fistulam* & *foramen* interpretantur, ut alia ejus significata prætermittam. Hinc αὐλεῖν, *tibia canere*: αὐλεῖσθαι, *tibia canentem audire* eoque cantu recreari: αὔλημα, *cantus ad tibiam*: ἀκροατὴς αὐλῶν, *tibiarum auditor*: αὐλητρὶς, *tibicina*, αὐλητήρια, *theca tibiarum.* Aliquando tibia ludentes à Græcis χηνίζειν dicebantur, id est, anserum modo clangere, altam & stridulam vocem edere.

Tibia Latinis unde dicta.

Latine *tibia* dicta ab osse cruris: & maxime cervorum, ut Plutarchus memorat in libello, cujus inscriptio est, *Quod non licet jucunde vivere, secundum Epicuri sectam. Tibicen*, ut Varro ait, à *tibia* & *cantu* dictus, & inde *Tibicina*, mulier cantans tibia. Unde Cicero *de Oratore*: *Tibicen sine tibiis canere non potest. Tibicines* etiam, teste Festo, trabes in ædificiis dici existimantur, à similitudine tibiâ canentium, qui ut canentes sustineant; ita illi ædificia, sive ædificiorum tecta. Hinc Juvenalis:

Non urbem colimus tenui tibicine fultam.

Thuscorum linguâ tibicines *Subulones* vocantur à *Subula*, vel potius Subulonis cornu similitudine. Sic

Cornicen,

Cornicen, qui cornu: *Liticen*, qui lituo: *Siticen*, qui apud ſitos, id eſt, vita functos & ſepultos canere ſolitus eſt.

Origo tibiarum quæ. De tibiarum origine & inventoribus variæ fuerunt Veterum ſententiæ. Plutarchus in libro *de Muſica* tradit, alios voluiſſe tibiam inventam eſſe à Marſya (quæ communis fere eſt opinio:) alios ab Olympo: alios ab Hyagnide: alios à Terpſichore. Plin. lib. 7. cap. 56. tibiæ obliquæ inventionem Midæ in Phrygia tribuit: geminarum vero tibiarum, eidem Marſyæ. Verba ejus hæc ſunt: *Muſicam Amphion* (invenit) *fiſtulam Pan: monaulam Mercurius: obliquam tibiam Midas in Phrygia: geminas tibias Marſyas.* Scribit porro Ariſtoteles lib. 8. *Politicorum*, tibiarum uſum repudiatum fuiſſe, non tam propter oris deformitatem, quam ob cauſſam etiam à Pallade dicitur rejecta, quam quod inutilis videretur ad rerum intelligentiam. Pindarus tamen Minervam facit tibiarum inventricem ad imitandum lamentionem, graviter ſonantem. Plerique autem, ut dictum, tibiam à Marſya, fiſtulam (quam Hebræi נקב *Nakab*, vocant à נקב *Nakab*, id eſt, *perforare*, nimirum à foraminibus, Græci σύριγγα appellant; quæ tamen vox ſæpe pro tibia capitur) lyram ab Apolline aut Mercurio fuiſſe inventam.

De tibiarum variis generibus & nominibus vide Servium in nonum *Æneid.* verſum illum.

O veræ Phrygiæ, &c.

Tibiarum materia quæ. Quantum ad tibiarum materiam attinet, illam conſtat olim fuiſſe buxum, ex qua etiamnum hodie conficiuntur: unde *Buxea* à Poëtis appellatur. Ovidius duodecimo *Metamorph.*

Non illos citharæ: non illos carmina vocum:
Longaque multifori delectat tibia buxi:

Multifori, id eſt, multa foramina habentis. Sic Mantuanus:

Buxea quid lætos modulatur tibia cantus?

Ex alia quoque materia, præter buxum, tibiam confici fuiſſe ſolitam teſtantur Athenæus, Plinius & alii. Athenæus è loti ligno, quod in Africa naſcitur, confectam docet lib. 4. (unde *Lotina* ſit dicta:) item ex ebore (unde *elephantina* quæ primum à Phœnicibus ſit pertuſa) & ex calamo, unde *Tityrina*, Græce καλαμαύλης: & καλαμαύλαι nuncupati, qui calamo canunt: quales fere ſunt ῥαπαλαδλαι, qui ſtipulas inflant. Idem docet, tibiam etiam ex cruribus hinnuli, à Thebanis primum repertam eſſe. Plinius lib. 16. cap. 38. de materia tibiæ ſic ſcribit: *Sed tunc ex ſua quamque tantum harundine congruere perſuaſum erat: & eam, quæ radicem anteceſſerat, lævæ tibiæ convenire: quæ cacumen dextræ. Nunc ſacrificæ Thuſcorum è buxo; ludicræ vero loto, oſſibusque aſininis & argento fiunt.* Sic ex gruum quoque tibiis eam confectam olim, dictum eſt ſupra. Hæc de materia tibiarum.

I. Tibiarum uſum damnavit Alcibiades. Quantum ad illarum uſum attinet; Alcibiadem legimus duplici nomine omnem tibiarum uſum damnaſſe, & quod ſic mutet oris habitum, ut vix vel à familiariſſimis agnoſci poſſit, qui tibiâ canit: & quod hominis propriam adimat vocem omnemque loquendi facultatem præripiat. Nemo enim ſimul & tibiam inflare & loqui poteſt. Cantant igitur, dicere ſolebat, Thebanorum filii, qui loqui neſciunt: nobis autem Athenienſibus gentis noſtræ principes ſunt Pallas & Apollo; quorum illa fiſtulam confregit, hic tibicinem excoriavit, qua quidem oratione, ut auctor eſt Plutarchus in ejus vita, Atticæ juventuti perſuaſit, ut tibiarum uſum rejecerit, atque repudiarit. Porro proditum priſcorum fabulis eſt, Palladem, ad ſpeculam tibiâ canentem, offenſam oris ſui deformitate, quam in ſpeculo conſpexerat, tibiam projectam comminuiſſe. Apollinem autem Marſyam, tibiæ inventorem, canendo à ſe victum excoriaſſe. In eandem ſententiam

Plato. Plato in *Protagora*, ſermonem qui de Poëſi habetur, ſimilem eſſe dixit trivialium & plebejorum conviviis. Nam propterea quod inter pocula, mutua collocutione ſe invicem oblectare aut oratione ſua, & confabulatione, exhilarare ob inſcitiam nequeunt, magnifaciunt tibicinas, & luculenta mercede tibiarum alienam vocem conducunt, quarum ſono ad convictum & congreſſum invitantur, cum nuſquam apud bonos, probos, ac eruditos convivas ſaltatrices, fidicinæ, tibicinæ, videantur, ut qui citra nugas & luſus ejuſmodi, ſibi ſufficiant ad mutuam conſuetudinem, ſua ipſorum voce & loquentes viciſſim, & ſeſe audientes modeſte, etiam compluſculum ſi biberint. *Idem & vos facitis, ô Cynulce, dum bibitis, aut potius ebibitis, tibicinæ more vel ſaltricis voluptatem, quam hi ſermones afferunt, interturbantes, vitamque, ut in* Phileto *idem Plato dixit, non hominem vivitis, ſed pulmonis cujuſdam marini aut cujuſdam ex illis corporibus, quæ animata teſtis oſtreorum affiguntur.* Hæc Athenæus: quibus adde ea, quæ apud Plutarchum habentur in *quæſtionibus ſympoſiacis*, lib. 2. quæſt. 7. *An tibicines ſint adhibendi convivio?*

Ariſtoteles. Ariſtoteles quoque *Politicorum* libro 9. capite 6. tibiarum uſum omnem videtur improbaſſe. Sic enim ſcribit: οὔτε αὐλοὺς εἰς παιδείαν ἀκτέον, οὔτ' ἄλλο τεχνικὸν ὄργανον, οἷον κιθάραν, κἂν εἴτι τοιοῦτον ἕτερόν ἐστιν, ἀλλ' ὅσα ποιήσει αὐτῶν ἀκροατὰς ἀγαθοὺς, id eſt, *Neque tibiæ ad diſciplinam ſunt adducendæ, neque aliud quodvis organum artificiale, ut citharam, aut ſi quid aliud ejuſmodi, ſed quæcunque faciunt auditores bonos.* Vide eundem libro octavo, capite ſexto: ubi de Muſica cantuque agit, ibi multa organa Muſicæ vetera, ut pectines, barbitos, & quæ ad voluptates eorum pertinent, qui cantores audiunt, ut ſeptangula, ſive ſeptagona, trigona, ſambucas, & omnia, quæ ſcientiam in manuum opere munereque deſiderant, repudianda eſſe exiſtimat. Et huc putat afferendam fabulam illam de Minerva, quam finxerunt, ut paullo ante dictum, tibias à ſe repertas, oris deformitate offenſam & ſtomachatam abjeciſſe. Hoc ſignificare voluiſſe Veteres, tibiarum inflandarum diſciplinam, cum nihil ad mentis agitationem conferat, eſſe aſpernandam: cum Minervæ ſcientia & ars tribuatur.

Sic

Pythagoras.

Sic Pythagoras lyræ organo usus esse dicitur: tibiæ autem sonitum, tanquam illiberalem & tumultuarium explosisse, ut Nicolaus Scutellius testatur in descriptione vitæ Pythagoræ ex Jamblicho.

II. Tibiarum usum probarunt & magni fecerunt Judæi.

Legimus tamen apud Judæos tibiarum cantum magno fuisse in usu: & quidem maxime in publicis conviviis, &, quæ convivia plærunque comitantur, tripudiis atque choreis profanis, quem abusum Deus per Prophetam Isaiam gravissime reprehendit capite quinto his verbis: *Væ iis, qui mane surgunt ad sectandum ebrietatem, simul ac vesperi vinum ipsos incendit! Et quorum in conviviis sunt cithara, tympanum & tibia & vinum: & opus Domini non respiciunt, & factum manuum ejus non vident.* En expressam nostrorum temporum morumque imaginem.

Reges Judæorum.

Sed in Regum quoque unctione & inauguratione adhibitas fuisse tibias, vel illud unicum Salomonis exemplum satis docet primo *Regum* capite primo, versu quadragesimo. Nam cum is in Regem ungeretur, omnis populus magno tibiarum sono totam urbem replevisse dicitur.

Prophetæ Judæorum.

Prophetas quoque tibiis usos fuisse ex primo Samuelis libro, capite decimo, versu quinto videtur posse colligi, ubi Samuel ad Saulem, quem unxerat: *Postea veniens*, inquit, *in collem Dei, in quo sunt præfecti Palæstinorum. Quum autem ingressus fueris illius in urbem, obviam habebis cœtum Prophetarum, descendentium de excelso, & ante eos erunt lyræ, tympanum, & tibia, & cithara, & ipsi prophetantes.*

Rabbini Judæorum.

Rabbini volunt hæc instrumenta musica adhibita fuisse à Prophetis, animos suos recreandi exhilarandique gratia, quod Spiritus Domini requirat animum lætum & hilarem: mœstum autem & tristem fugiat.

Tibia in S. L. symbolum gaudii simul & luctus.

His adde, quod apud Isaiam quidem fidelium gaudium, quo sint afficiendi propter Assyriorum cladem; apud Hieremiam autem ira Domini & vindictæ divinæ adversus Moabitas comminatio tibiarum similitudine illustratur: ex quibus duobus locis patet, tibias & in lætitia & in luctu fuisse adhibitas. Idem luculentissime colligitur ex miraculo illo Christi, Matthæi nono capite, vigesimo tertio versu: *Et quum venisset Jesus domum præfecti Synagogi, vidissetque τὰς αὐλητὰς, tibicines* (θρηνῳδοὺς videlicet, & μοναύλους, quos vocat Homerus in descriptione funeris Hectoris θρήνων ἐξάρχους.) *& turbam tumultuantem, dicit eis: Recedite*, &c. Hinc diserte constat, tibias pertinere inter alia etiam ad funebrem usum: quem quidem morem Judæi à profanis gentibus hauserant: ut & reliquas funerum pompas, licet inhibuisset Dominus in Lege.

Tibiarum usus apud Gentiles varius.

Apud Gentiles tibiarum usus latissime patuit, ut etiam totius Musicæ sive vocalis, sive organicæ & instrumentalis. Earum igitur usus fuit & publicus & privatus, & scenicus sive theatricus, & bellicus, & pastoritius, & convivialis, & saltatorius, & nuptialis, & denique funebris, & sacrificialis: de quo multa Athenæus libro quarto & decimoquarto. Oratorius quoque tibiarum fuit usus. Non solum enim cantantes & Musici, sed etiam Oratores aliquando adhibendos sibi tibicines existimaverunt: id quod docet Caii Gracchi, clarissimi suæ ætatis Oratoris, exemplum, cui concionanti, consistens post eum Musicus tibia, quam *Tonariam* vocant, modos ministrabat, quibus deberet intendi.

Sacrificialis tibiarum usus præcipuus. Apud Græcos.

Sed nos hîc de tibiarum usu sacro, sive sacrificiali, quædam addemus, quæ instituto nostro maxime conveniunt. Hinc tibiæ *sacræ* dictæ à Teleste Poëta, ut est apud Athenæum libro decimoquarto. Ejus versus hi sunt, quibus tibiarum usus declaratur:

Phrygum rex leniter personantium tibiarum sacrarum
Cantum primus invenit, Doricæ Musæ æquiparandum
Æmulum: varie modulatum tenebrosi spiritus
Auram levem atque pernicem (unde αὐλὸν Græce à flatu volunt dictam) *arundine complectens.*

Ovidius ad hunc usum sacrum alludens sexto *Fastorum* sic canit:

Quæritur in scenâ cava tibia: quæritur aris.

Hinc *Sacrifica* à Seneca appellata & à Plinio. Seneca:

Sacrifica dulces tibia effundat modos.

Et Plinius loco ante citato: *Nunc sacrifica Tuscorum tibia ex buxo*, &c.

Plutarchus.

Apud Romanos tibicines sacrorum caussâ plurimi fiebant, magnusque illis tributus est honos Idibus Januariis, ut scribit Plutarchus Quæstione quinquagesima quinta, *Romanarum*. Illo enim die ipsis permissum erat vestem indutis muliebrem totam urbem circuire, cujus moris hanc rationem reddit Plutarchus. *Cur Idibus Januarii tibicinibus permissum est per urbem circuire, vestem indutis muliebrem? An hoc fit propter caussam, quæ subjicietur; Magnos illis honores Numa rex religionis caussa contulerat. Quibus cum postea Tribunis militum consulari potestate Rempub. administrantibus privarentur, universi Roma Tibur secesserunt, desiderata inde, quod religio animos tenebat Romanorum, neminene sacrificiis præcinente, accitique cum non obtemperarent, sed Tibure manerent, libertus quidam magistratibus promisit occulte, se eos Romam reducturum. Instructo proinde pollucту, tanquam si Diis rem sacram fecisset, invitat tibicines, adhibitis etiam convivis mulieribus, & per totam noctem compotatio, joci choreæque protrahuntur: tum subito ficta trepidatione, in proviso patroni superventu se perturbatum ait, persuademus tibicinibus, ut vehicula circumquaque pedibus obtecta conscendant, Tibur se eos revecturum dolose promittens: ibi circumactis vehiculis eos, qui per temulentiam & tenebras animadvertere, ubi locorum essent, nequibant, universos Romam prima luce perfert: erant autem plerique vestibus floridis & muliebribus amicti ob nocturam*

comessationem & convivium. Exinde cum magistratu tibicines in gratiam redierunt, decretumque est, ut tali habitu stum diem eis per urbem vagari liceret. Hæc Plutarchus.

Livius. Ejusdem rei atque secessionis tibicinum ex urbe Livius quoque meminit Decade prima, libro nono: *Tibicines*, inquit, *quia prohibiti à proximis censoribus erant in æde Jovis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi Tibur uno agmine abierunt: adeò ut nemo in urbe esset, qui sacrificiis præcineret. Ejus rei religio tenuit Senatum, legatosque Tibur miserunt, ut darent operam, ut isti homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti, primum accitos in curiam hortati sunt, ut reverterentur Romam, postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum, eos aggrediuntur. Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum caussâ invitant, & vino, cujus avidum ferme genus est, oneratos sopiunt: atque ita in plaustra somno victos conjiciunt ac Romam deportant: nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis plenos crapulæ eos lux oppressit. Tunc concursus populi factus, impetratoque ut manerent, datum, ut triduum quotannis ornati cum cantu, atque hac, quæ nunc solennis est, licentia per urbem vagarentur: restitutumque in æde vescendi jus iis, qui sacris præcinerent.* Huc referenda quoque illa, quæ Varro scribit libro quinto *de lingua Latina*: *Quinquatrus*, inquit, *Minuscula dictæ Juniæ Eidus ab similitudine Majoris quod tibicines tunc feriati per urbem vagantur & conveniunt ad ædem Minervæ.*

Varro.

Cicero. Hostias apud Romanos ad præconem & tibicinem immolari fuisse solitas illa quoque Ciceronis clare testantur in Oratione contra Rullum: *Erant*, inquit, *hostiæ majores, in foro constitutæ, quæ iis Prætoribus de tribunali, sicut à nobis Consulibus de consilii sententia probatæ ad præconem & tibicinem immolabantur.* Idem libro secundo *de Legibus*: *Popularem lætitiam*, inquit, *in cantu & fidibus, & tibiis moderanto, eamque cum Divûm honore jungunto.* Idem eodem libro: *Jam ludi publici*, inquit, *cum sint caveæ, circoque divisi, sint corporum certatione, cursu & pugillatione, luctatione curriculisque equorum usque ad certam victoriam circo constitutis: cavua, cantu, ac fidibus & tibiis, dum modo ea moderata sint, ut lege præscribitur. Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios dicendi sonos, quorum dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem. Namque & incitat languentes & languefacit excitatos: & tum remittit animos, tum contrahit: civitatumque hoc multarum in Græcia interfuit antiquum vocum servare modum: quarum mores lapsi, ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut quidam putant.*

Præterea etiam in consecratione adhibitum fuisse tibicinem idem auctor testatur in Oratione pro Domo.

Arnobius de abusu tibiarum. Matutinis quoque vocum tibiarumque cantionibus solitos fuisse Gentiles Deos suos salutare, illa Arnobii verba libro septimo satis ostendunt: *Etiam ne Dii æris tinnitibus & quassationibus Cymbalorum* (afficiuntur?) *Etiamne tympanis? Etiamne symphoniis? Quid efficiunt crepitus Scabillorum? ut cum eos audierint Numina, honorifice secum existiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant? An nunquid ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis: eadem ratione & omnipotentia Numina tibiarum stridore mulcentur, & ad numerum Cymbalorum mollita indignatione flacescunt? Quid sibi volunt*, inquit, *excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Condormiscunt enim Superi, remeare ut ad vigilias debeant? Quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant, auspicabili salutatione mandatis? Somni enim quiete solvuntur, occuparique ut hoc possint lenes audiendæ sunt næniæ?*

Suetonius. Hujus usus tibicinum in sacris meminit etiam Suetonius in vita Tiberii, his verbis: *Et quo primum die post excessum Augusti curiam intravit, quasi pietati, simul ac religioni satisfacturus, Minois exemplo, thure quidem ac vino, verum sine tibicine supplicavit, ut ille olim in morte filii.* Id cur factum sit cum à Minoë, tum à Tiberio, ejus exemplo, Beroaldus hanc rationem reddit, quod Musica in luctu importuna res sit: quanquam tibicines sacrificiis quidem præcinere solitos Historici tradiderunt. Unde Ovidius:

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis.

De usu tibiarum sacrificiali apud Græcos simul & Romanos D. Halicarnasseus. De tibiarum in ludis sacris atque sacrificiis apud Græcos & Romanos usu pulchre sic Dionysius Halicarnasseus libro *Antiquitatum Rom.* scribit, Μετὰ δὲ τοὺς χοροὺς ταύτους, κιθαρισταί τε ἀθρόοι καὶ αὐληταὶ πολλοὶ παρεξῄεσαν. καὶ μετ᾽ αὐτοὺς οἵ τε τὰ θυμιατήρια κομίζοντες ἀργύρεα καὶ χρυσία πεποιημένα, τά τε ἱερὰ καὶ τὰ δημόσια. Τελευταῖαι δὲ πάντων αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες ἐπόμπευον, ὤμοις ὑπ᾽ ἀνδρῶν φερόμεναι, μορφάς τε ὁμοίας παρέχουσαι ταῖς παρ᾽ Ἕλλησι πλαττομέναις, καὶ σκευάς, καὶ σύμβολα, καὶ δωρεάς, ὧν εὑρεταὶ καὶ δοτῆρες ἀνθρώποις ἕκαστοι παραδίδονται, οὐ μόνον Διός, καὶ Ἥρας, καὶ Ἀθηνᾶς, καὶ Ποσειδῶνος, καὶ τῶν ἄλλων, οὓς Ἕλληνες ἐν τοῖς δώδεκα θεοῖς ἀριθμοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν προγενεστέρων, ἐξ ὧν οἱ δώδεκα θεοὶ μυθολογοῦνται γενέσθαι [Κρόνου, καὶ Ῥέας, καὶ Θέμιδος, καὶ Λητοῦς, καὶ Μοιρῶν, καὶ Μνημοσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσων ἐστὶν ἱερὰ καὶ τεμένη παρ᾽ Ἕλλησι. καὶ τῶν ὕστερον, ἀφ᾽ οὗ τὴν ἀρχὴν Ζεὺς παρέλαβε, μυθολογουμένων γενέσθαι] Περσεφόνης, Εἰλειθυίας, Νυμφῶν, Μουσῶν, Ὡρῶν, Χαρίτων, Διονύσου καὶ ὅσων ἡμιθέων γενομένων αἱ ψυχαὶ τὰ θνητὰ ἀπολιποῦσαι σώματα, εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν λέγονται, καὶ τιμὰς λαχεῖν ὁμοίας θεοῖς, Ἡρακλέους, Ἀσκληπιοῦ, Διοσκούρων, Ἑλένης, Πανός, ἄλλων μυρίων: Hoc est, *Post hos choros transibat agmen citharistarum ac tibicinum: post quos alii gestantes acerras argenteas aureasque, tum sacras tum publicas. Extremum pompæ agmen claudebant Deorum simulacra, quæ humeris bajulabantur à viris, eamque præferebant formam, qua finguntur apud Græcos; eundem etiam habitum, eademque insignia: munera item, quæ singuli invenisse atque hominibus donasse traduntur: nec solum Jovis, Junonis, Minervæ, Neptuni, aliorumque, quos Græci inter* XII. *Deos numerant: sed antiquiorum etiam, ex quibus* XII. *illos fabulantur ortos,* [*ut Saturni, Opis, Themidis, Latonæ, Parcarum, Mnemosynes, & cæterorum omnium, quorum fana & areæ extant apud Græcos: tum eorum,*

qui

qui postea, ex quo scilicet Jupiter accepit imperium, exorti perhibentur.) Proserpinæ, Lucinæ, Nympharum, Musarum, Horarum, Gratiarum, Liberi, semideorumque, quorum animæ, relictis corporibus mortalibus in cælos ascendisse, Diisque pares honores adeptæ esse perhibentur, Herculis, Æsculapii, Castoris, Helenæ, Panis & aliorum innumerabilium. Hæc Halicarnasseus: quæ hîc subjungere libuit, non tam quod luculenta in iis fiat mentio tibicinum, in sacris sacrificiisve adhibitis, quam quod sint quasi compendiarius catalogus Deorum præcipuorum apud Græcos & Romanos.

Idem paullo ante, eodem libro, eorundem tibicinum meminit inquiens: Ηκολούθουν δὲ τοῖς ἀγωνισταῖς ὀρχηστῶν χοροὶ τριχῇ νενεμημένοι, πρῶτοι μὲν ἀνδρῶν. δεύτεροι δὲ ἀγενείων. τελευταῖοι δὲ παίδων. οἷς παρηκολούθουν αὐληταὶ ἀρχαϊκοῖς ἐμφυσῶντες αὐλίσκοις βραχέσιν, ὡς καὶ εἰς τόδε χρόνου γίγνεται, καὶ κιθαρισταὶ λύρας, ἑπταχόρδους ἐλεφαντίνας, καὶ τὰ λεγόμενα βάρβιτα κέρκοντες, ὧν παρὰ μὲν Ἕλλησιν ἐκλέλιπεν ἡ χρῆσις ἐπ' ἐμοῦ, πάτριος οὖσα. Παρὰ δὲ Ρομαίοις ἐν ἁπάσαις φυλάττεται ταῖς ἀρχαίαις θυηπολίαις, hoc est, *Athletas porro sequebantur saltatorum chori, divisi trifariam; primo virorum, deinceps impuberum, postremo puerorum: post quos tibicines inflantes antiqui moris tibias breves, quarum hucusque permansit usus, citharistæque pulsantes eburneas septem fidium lyras, & quæ vocantur barbita; quorum vetus apud Græcos usus meo tempore desiit: apud Romanos vero adhibentur omnibus antiquis sacris.* Hactenus Halicarnasseus.

His adde, quæ Plutarchus in libello de Musica scribit: *Quin & Hyperboreorum*, inquit, *sacra adhibitis tibiis, citharis & fistulis in Delum missa referunt antiquitus. Sunt qui ipsum Deum tibia cecinisse autument: ut narrat optimus cantilenarum conditor Alcman. Carinna è Minerva didicisse tibiis canere Apollinem ait: Itaque veneranda prorsus est Musica, Deorum inventum cum sit.* Et paullo ante, eodem libello: *Sed quoniam simul veteres tibicinum & citharœdorum nomos retulimus, transibimus jam ad tibicinum nomos. Traditum est enim Olympum, cum esset tibicen, è Phrygia, tibicinum nomum fecisse in Apollinem. Hunc Olympum ajunt avum fuisse eorum, qui descenderunt à primo Olympo, Marsyæ discipulo, qui nomos in Deos fecit. Is enim cum amasius esset Marsyæ, & ab eo artem tibia canendi didicisset, harmonicos nomos in Græciam intulit, quibus nunc Græci utuntur in feriis Deorum.* Ac omnino in toto illo libello Musicæ dignitatem inde probat, quod non tam humanum, quam divinum sit inventum Musica, quodque in choreis, ludis & sacrificiis illa sit adhibita. Vide eadem de re etiam Apuleium: nec non Servium in illa Virgilii: Plutarchus de Musica in genere. Apulejus. Servius.

Desidiæ cordi juvat indulgere choreis
Et pacem assuetis biforum dat tibia cantum.

De eodem hoc tibiarum, fistularum, cithararumque usu antiquissimo in sacris videre licet etiam Leonicum *de varia historia*, capite decimo quarto: ubi inter alia Deli antiquissimum Apollinis simulacrum, quod Hercules cum Meropibus collocaverit, dextrâ quidem manu arcum; alterâ vero tres cum Musicis instrumentis retinuisse Gratias testatur: quarum una lyram; altera tibias; tertia vero inter has media fistulam manu gestaverit. Leonicus.

Ac hujusmodi quidem tibiarum sacrificarum; & quidem geminarum, atque tibicinum aliquot imagines cernere in sacrificiis illis, quæ in nobili illa Trajani columna sunt expressæ, de qua supra.

Porro cum tibiis sæpe conjunguntur fistulæ, lyræ, citharæ, sistra, cymbala, tympana, quæ in Gentilium sacris fuerunt adhibita. Sed tubarum quoque, buccinarum, lituorum, cornuum usum non apud Judæos tantum, sed etiam apud Gentiles magnum fuisse in sacris & sacrificiis ipsorum passim antiqua litterarum monumenta testantur. *Armilustrium*, ut ait Festus, festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant: ac dum sacrificarent, tubis canebant. *Tubilustrium*, ut auctor est Varro, dictum, quod eo die in atrio sutorio tubæ lustrabantur. Sic Festus: *Tubilustria dies appellantur, in quibus agnâ tubas lustrabant: quibus diebus adscriptum in Fastis erat, cum in atrio sutorio agnâ tubæ lustrantur, ab eis tubos appellant: quod genus lustrationis ex Arcadiæ Pallanteo translatum ac venisse dicunt.* Ovidius: De tubis. Armilustrium. Tubilustrium.

Proxima Volcani lux est, Tubilustria dicunt
Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Et *Tubicines*, eodem teste, etiam ii appellantur, qui sacerdotes viri speciosi publice sacra faciebant, tubarum lustrandarum gratia. *Tubæ*, inquit Varro, *à tubeis, quos etiamnum ita appellant tubicines sacrorum. Tubicines sacrorum* vocat, qui tubis in sacrarum administratione canebant. Tubicines.

Calphurnius *Ecloga* prima:

Altera regna Numæ, quæ primus ovantia cæde
Agmina Romuleis & adhuc ardentia castris
Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis
Inter sacra tubas, non inter bella, sonare.

Quemadmodum tubæ unâ cum aliis instrumentis Musicis olim à Judæis ipsius Dei jussu in ipsorum sacris fuerunt usurpatæ: ita Diabolus quoque, ceu Dei simia, præter alia instrumenta Musica, tubas quoque in sacerrimis sacrificiis, ac detestandis suis sacris easque adhiberi & usurpari curavit, ut ex iis, quæ supra attigi, & iis, quæ mox sequentur, patet. Plutarchus in suis *Symposiacis*, ut Judæos parvis tubis, ita Argivos quoque in suis Dionysiis iisdem uti solitos fuisse scribit, ad Deum evocandum, libro quarto *Problem.* quinto. Eustathius *Iliad.* 2. sex tubarum genera enumerans, inter illas unam vocat Ægyptiam rotundam, quæ χνὴν sit dicta, qua Ægyptios ad sacra sua usos fuisse, ejusque clangore homines ad rem divinam convocasse scribit. Pollux Tubæ adhibitæ etiam in sacris.

lux similiter tubæ ἐπίφθεγμα ἱερουργικὸν ἐπὶ θυσίαις refert, id est, *sonum sacrum sacrificialem*, qui apud Ægyptios, Argivos, Tyrrhenos & Romanos in usu fuerit: indeque tubicinem, qui in sacris tuba canebat (quod apud Judæos sacerdotum munus erat) ἱηροσαλπικτὴν, sive melius, ἱερὸν σαλπικτὴν, id est, *tubicinem sacrum*, & διαλυσάντην (forsan quia tubæ clangore Populum demittebat) fuisse appellatum.

Tubarum, tibiarum & aliorum instrumentorum Musicorum usus.

Nunc de tibiarum istarum, nec non aliorum instrumentorum Musicorum, ut fistularum, lyrarum, cythararum, cymbalorum, sistrorum, tympanorum, tubarum, buccinarum, lituorum, usu seu abusu potius Gentilium in sacris atque sacrificiis quædam sunt dicenda. Hac igitur ob caussa, de quibus mox dicemus, instrumentorum istorum Musicorum sono, seu strepitu potius usi fuerunt: Primum quidem ad sacra ista indicenda, & ad homines ad illa convocandos, iisque peractis ad illos rursus dimittendos, organorum istorum flatu pulsuque usi fuerunt.

1. Tubis convocati homines.

Secundus illorum usus fuit, ut iis, qui sacris intererant, silentium, ut supra dixi, maxime necessarium indicerent, omnes ad taciturnam, diligentem, attentamque sacrorum suorum administrationem meditationemque excitarent.

2. Tubis silentium imperatum.

Tertio ut quibusvis etiam aliis rebus atque cerimoniis, quæ in sacrificiis peragebantur; ita hoc quoque suavi dulcique tibiarum aliorumque instrumentorum sono, numero, modo Deos illos suos leniri, demulceri, placari, & ut ad se, quasi è cœlis venirent, allici ac invitari posse sibi persuadebant.

3. Tubis Dii placati.

Quarto utebantur isto tibiarum, aliorumque organorum Musicorum cantu, eos, qui sacris intererant, exhilarandi, & ab omni tristitia ad lætitiam hilaritatemque traducendi gratia, quam in sacris festisque suis maxime requiri, Diisque, quos colebant, placere arbitrabantur, secundum illa Ovidii:

4. Tubis homines in sacris exhilarati.

Dii quoque, ut à cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa jubent.

Aristoteles octavo *Politicorum* ἱερὰ μέλη, id est, *sacros cantus* dicit vim habere medicinæ & purgationis ad animos componendos & sedandos.

5. Tubis divinitus afflari crediti homines.

Quinto non deerant inter Gentiles, qui homines istis tibiarum, cymbalorum, aliorumque instrumentorum sonis divinitus afflari & ad divinandum excitari opinabantur, ut Corybantas, Sabaxio captos, & eos, qui matrem Deorum furenter colebant. Hanc Porphyrii sententiam Jamblichus in illo suo libro de mysteriis Ægyptiorum, segmento tertio, capite nono commemorat simul & refellit: ubi tamen Musicam magnam habere vim, & si soni, carmina atque cantus, qui singulis Diis sunt consecrati, atque conveniunt, adhibeantur, ipsorum Deorum adventum atque præsentiam effici posse confitetur.

6. Tubis impediti homines in sacris ne varios ejulatus audirent.

Sexto instrumentorum istorum Musicorum sonitu atque strepitu impedire conabantur, ne vel hostiarum, quæ immolabantur, vel etiam hominum, ab iis, qui sacris intererant, voces lugubres, tristes & ominosæ, quibus irrita possent fieri sacrificia, exaudirentur. Hujus rei clarum, manifestumque exemplum & testimonium habemus in humanis illis sacrificiis, quæ omnis humanitatis expertia, immanitatum contra plenissima fuerunt: in quibus tympanorum, cymbalorum aliorumque instrumentorum gravissimi soni pulsabantur, ne lamentabiles miseri funestique illorum, qui igni cremabantur, fletus, ejulatus, clamores atque vociferationes, liberorum præsertim à parentibus exaudiantur, quibus illi (o horrendam, furiosam, monstrosam, prorsusque Diabolicam impietatem!) ad commiserationem atque tristitiam commoverentur. Id enim si fieret, minime sacrificiis illis litari Numinaque seu Dæmonia potius sua placari posse existimabant.

7. Tubis placatæ ipsæ quoque bestiæ.

His adde postremo, quod hoc tibiarum aliorumque organorum cantu, non solum Deos, quibus sacrificabant, nec etiam homines tantum, qui sacrificiis illis intererant, sed ipsas quoque bestias, quæ immolabantur, lenire, demulcere, cicurare, & ad immolationem mactationemque patienter subeundam præparare quodam modo & aptas reddere conabantur.

De acclamatione mulierum in sacris, dicta ὀλολυγή.

Atque hæc quidem de tibiarum, aliorumque instrumentorum musicorum usu sacrificiali sint dicta, quibus admodum conveniunt ea, quæ apud Homerum sequuntur de mulierum quarundam, ut ipse loquitur, ὀλολυγῇ, id est, *precatione* quasique acclamatione, quæ bovis percussionem ac dejectionem in terram fuit consecuta. Nam postquam audax animosusque ille & re & nomine Thrasymedes Nestoris filius securi feriit & abscidit cervicales bovis nervos, & idcirco bovis robur defecit, sequitur:

- - - αἱ δ᾽ ὀλόλυξαν
Θυγατέρες τε νυοί τε καὶ αἰδοίη παράκοιτις
Ipsæ vero ululabant
Filiæque (Nestoris) *nurus & pudica thori socia.*

Ὀλολύζειν quid?

Verbum ὀλολύζειν Eustathius adnotat ἐπὶ γυναικείας εὐχῆς, id est, *de precatione muliebri* dici: eos vero, qui post Homerum vixerunt, verbum illud accipere pro κλαίειν (unde forsan nostrum Klagen / id est, *lugere*: nisi quis malit à *clangore* deduci) id est, plorare, sive pro θρηνεῖν (unde forsan nostrum Greinen / vel Grinen / idem quod plorare:)

Idem in illum versum *Iliad.* ζ.

Αἱ δ᾽ ὀλολυγῇ πᾶσαι Ἀθήνῃ χεῖρας ἀνέσχον:

Ὀλολυγή. Ὀλολυγών.

Ὀλολυγὴν, inquit, *Homerus mulierum precationem appellat: & ὀλολύζειν ei est σὺν τῷ οἴκτῳ εὔχεσθαι, cum commiseratione quadam precari: at juniores illud capiunt pro κλαίειν*, id est, *plorare. Inde avis quædam ὀλολυγὼν, ut ἀπὸ τοῦ τρύζειν τρυγών, & ab ὀλοφύζειν ὀλοφυγών.* Idem Herodoti testimonio probat, hanc ὀλολυγὴν,

id

id eſt, precandi cum ululatu ſeu gemitu conſuetudinem ſupra victimam, à Lybiis primum ad Græcos promanaſſe. Lybios enim primos in ſacris ſuis hujuſmodi ὀλολυγῇ, id eſt, *precatione muliebri* uſos fuiſſe. Sed extra quoque ſacra ejus uſum fuiſſe. Euripidem dicit κωκυτὸν opponere τῇ ὀλολυγῇ: unde conſtet ὀλολυγὴν eſſe, Θεοῦ ἐπίκλησιν καὶ εὐχὴν μετ' ἐμμελοῦς ἴχνου γυναικείου ἐκθεασμοῦ ἀτραχύντου καὶ λειοτάτου, id eſt, *Dei invocationem & precationem cum concinno quodam afflatu muliebri*; *non aſpero*, *ſed leniſſimo*: ut ipſa dictionis onomatopoeia id oſtendit.

Ac aliud quidem eſſe ὀλολυγὴν; aliud εὐχὴν; & ὀλολύζειν differre ἀπὸ τοῦ κλαίειν & αἰάζειν pervulgatum illud Hippocratis ſignificat: οἱ ἀσπαζόμενοι, ἐπαγγελλόμενοι, κελεύοντες, εὐφημέοντες, εὐχόμενοι, ὀλολύζοντες, ἐπαγγελιζόμενοι, εἰς πᾶσαν ἴησιν ἀγαθοί· αἰάζοντες δὲ, ἢ κλαίοντες, ἢ συμπεπλεχότες τὰς χεῖρας, ἢ περιηγ-κωνισμένοι καὶ τὰ ἑξῆς εἰς πᾶσαν ἰατρείαν κακοί· *Illi*, *qui ſalutant*, *pollicentur*, *jubent*, *applaudunt*, *precantur*, *acclamant ſeu ovant*, *fauſta nunciant*, *ad omnem medicinam ſunt apti. At qui gemunt*, *plorant*, *complicatas habent manus*, *curatu ſunt difficiles.* Diſcrimen inter ὀλολυγὴν & εὐχήν.

Idem in illa *Odyſſ.* Δ.

Ὡς εἰποῦσ' ὀλόλυξε: θεὰ δέ οἱ ἔκλυεν ἀρῆς,

Sic locuta, *ululavit: Dea autem ejus audivit preces.*

Demonſtratio hæc eſt precationis ἐνεργοῦς, id eſt, *efficacis*, ὀλολύζειν γυναικεία εὐχὴ λιγύφωνος, id eſt, *precatio*, *quæ fit voce acuta*, *canora*, *ſtridula.* Et paullo poſt: ὀλολύξαι τρανοτέρᾳ φωνῇ εὔξασθαι καὶ Θεοὺς ἐπιβοᾶσθαι διὰ τὴν χαρὰν, Eſt *precari*, *Deosque invocare voce clara propter gaudium.* Ibidem, ut illud obiter quoque addam, non honeſtum, neque ſanctum Græcis viſum fuiſſet ait, ſupra viros occiſos precari. Nam cum precatio Dei præſentiam poſtulet, Græci non putabant fas eſſe Numen mortuis adeſſe.

Hoc igitur verbo hìc intelligenda eſt precatio cum oratione, gratulatione plauſuque conjuncta propter felicem fauſtamque mactationis percuſſionisve iſtius ſucceſſum? Nam quando in victimæ percuſſione & mactatione bona lætaque ſigna atque omina apparebant, ea cum gratulatione, cum plauſu lætaque acclamatione excipiebant. At verò ad ſigna infauſta & ſiniſtra expaveſcere, animiſque ſuis conſternari ſolebant: ac mox aras ſuſpectas trepide adibant, intuſque obſervabant cætera, ſolliciteque, qua ratione Numen offenſum reconciliarent, ac cum eo in gratiam redirent, deliberabant. Nunc igitur cum in hac hoſtiæ percuſſione & mactatione læta omnia apparerent, mulieres hæc ὀλολύξαι *acclamaſſe*, & gratias Minervæ eam ob cauſſam egiſſe dicuntur, tanquam re bene feliciterque adhuc geſta: ſimulque precatæ, ut reliqua etiam actio ſacrificialis feliciter ipſis ſuccederet.

Voci ὀλολύζειν, ut hoc quoque addam, & ſono & ſignificatione, affines fere ſunt cum voces Hebrææ אלה *Alah*, id eſt, *jurare*, *precari*, *imprecari*, *maledicere*: הלל *Hillel*, id eſt, *laudare*: ילל, *jalal* & היליל, *Hehil* id eſt, *ululare*, *clamare*, *vociferare*: unde ילל *jelel* & יללה *jelalah*, id eſt, *ululatus*, *vocis emiſſio*, quæ fit cum cordis dolore, interprete R. Davide Kimchi: tum Latinæ voces, *ejulare* & *ululare*: quæ omnes ab Hebræis vocibus ſine dubio profectæ ſunt. Eſſet hìc rurſus dicendi locus de precibus & ſupplicationibus in ſacrificiis adhiberi ſolitis: ſed quoniam de illis ſupra ſatis eſt dictum, prolixiore illarum explicatione hìc ſuperſedendum mihi eſſe exiſtimo. Sed antequam à tibiarum & Muſicæ ſacrificialis explicatione diſcedam, de Muſica cantuque vocali, de hymnis, cuique Deo propriis ac dicatis, in illorum ſacrificiis decantari ſolitis, denique de tripudiis, choreis, ſaltationibus, motibus incompoſitis, ſive geſtibus, ſeu geſticulationibus potius, in quibuſdam ſacris adhiberi ſolitis, hìc quædam adjiciemus: quæ quidem Muſicæ illi artificiali & precibus cognata ſunt & affinia. Variæ voces affines voci ὀλολύζειν.

Primo igitur obſervandum, ſingulis Diis certos dicatos fuiſſe hymnos, qui in illorum feſtis ſacriſque decantari conſueverunt. Theodoretus ſermone quarto ad Græcos infideles de materia & Mundo ad hunc morem his verbis pie eleganterque alludit: *Ne*, inquit, *cantemus julum Cereri*, *neque ipſi Rheæ Lityerſam*, *ne Baccho Dithyrambum*, *ne Pæana Pythio Apollini*, *neve Dianæ concinamus Hipoepum*: *ſed rerum omnium conditori Deo hymnos Davidicos proferamus*, *cumque eo pariter exclamemus*: *Quam magnificata ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia feciſti.* De hymnis iſtis & eorum generibus ac differentiis vide Cœlium Rhodiginum libro ſeptimo, capite quinto. Decantabant igitur aliis Diis alios hymnos, Dianæ Hypingos, Apollini Pæana, Dionyſio Dithyrambos, Cereri julos, Veneri hymnos ἐρωτικοὺς, id eſt, *amatorios.* Græci præter hæc προσῳδία accinebant, & ὑπορχήματα & ςασίμια. Athenæus libro decimoquarto: *Quas cantiones ſive hymnos vocant julos*, *Cereri & Proſerpinæ ſunt peculiares*, *Apollini Philelia*, *Hypingi Dianæ.* Eodem in loco enumerat multarum cantionum genera atque nomina, ſecundum varia vitæ genera ac inſtituta: ut primum quidem ea, quæ cum ſaltatione canebantur, deinde alia, quæ voce pronunciari atque cantari ſolebant: cujuſmodi erant cantiones molentium in piſtrino, textrinarum, lanas tractantium, nutricum lactantium, meſſorum, mercenariorum in agro, ad opus commeantium, balneatorum, pinſentium fruges, eorum, qui pecora ducebant ad pabula, funerum & rerum adverſarum, nuptiarum, rerum felicium & lætarum. De hymnis, cuique Deo dicatis.

Sed ut ad Deorum hymnos redeamus, eos, in epulis potiſſimum, quæ poſt ſacrificia agitabantur; & quidem in menſis plerunque ſecundis in eorum honorem decantare ſolebant, quibus, antea ſacra fecerant. Ejus exemplum illuſtre extat apud Homerum *Iliad.* I. poſt Hecatombem, à Chryſe Apollini factum in epulo, quod ſacrificium illud fuit conſecutum: Hymni exemplum ex Homero.

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο.
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν

Μέλποντες ἑκάεργον, ὁ δὲ φρέν' ἐτέρπετ' ἀκούων.

Hi autem totam diem cantu Deum (Apollinem) *placabant*
Lætum canentes Pæana pueri Achivorum
Canentes longe operantem: is autem mentem delectabatur audiens.

In hujus cantionis sacræ epularisque descriptione & cantores, nempe κοῦροι, id est, *pueri*, Achivorum; & tempus, πανημέριοι, id est, *totâ die*; & Deus, in cujus honorem cantabatur (is fuit Apollo;) & cantionis genus atque subjectum, nempe Pæan, canentes longe operantem; & finis, θεὸν ἱλάσκοντο, id est, *Deum placabant*; & effectus, *at ille mentem delectabatur*, exprimitur. Spondanus in illa verba Homeri sic commentatus est: *Variæ sunt*, inquit, *cantilenarum species, quas Eustathius & post eum Rhodiginus enumerant: attigit etiam Epitome Athenæi libro primo. Alia igitur est* σωφρονιστική, *qualis est vatis illius, quem Clytemnestræ reliquit discedens Agamemnon, qui primum mulierum laudes percurrens, desiderium quoddam honoris, gloriæ, probitatisque in ejus animo impreßit: unde Ægysthus non prius Clytemnestra potitus est, quam* ἀοιδὸν *illum in insula deserta obtruncarit. Alia est* ἐγκωμιαστική, *qua virorum præstantium laudes retinebantur, ut de Achille aliquando, Homerus dicit. Alia* θρηνητική: *quam etiam Philostratus Achilli tribuit his verbis*: Ἦδε γὰρ, *inquit*, τοὺς ἀρχαίους ἥλικας τὸν Ὑάκινθον, καὶ τὸν Νάρκισσον, καὶ ἔτι Ἄδωνιν. Προσφάτων γὰρ ὄντων τῶν περὶ Ὕλατε, καὶ Ἀβδήρου θρήνων. ἐπειδὴ ἄμφω ἐφήβω ὄντε, ὁ μὲν ἐς πηγὴν ᾤχετο ἀφανισθεὶς, τὸν δὲ αἱ τοῦ Διομήδους ἵπποι ἐδαίσαντο, οὐκ ἀδακρυτὶ ταῦτα ᾖδεν. *Alia est* ὀρχηματική, *qualis illa Demodoci apud Homerum, ad quam juvenes pubescentes saltabant atque in armis. Denique cantilena est* παιανική, *qualis est hoc loco, quæ proprie dicata est Apollini.* Hactenus Spondanus.

Spondanus de hymnis Deorum.

Hymni exemplum ex Apollonio.

Simile exemplum habemus apud Apollonium nostrum in Argonautici istius sacrificii, &, quod sacrificium illud fuit consecutum, epuli descriptione: in quo Orpheus citharœdus cecinisse dicitur. Fit etiam eodem in epulo mentio saltationis. Sed de hac & aliorum hymnorum decantatione, & choreis, saltationibus atque tripudiis, quæ in epulis non tantum profanis, sed etiam sacris, sive sacrificialibus celebrari à Gentilibus consueverunt, copiose admodum in meo *Antiquitatum Convivialium* opere disserui. Illuc itaque Lectorem benevolum remitto.

De clamoribus Gentilium in sacrificiis.

Veruntamen mentio muliebris istius ὀλολυγῆς, id est, *precationis*, sive *orationis & acclamationis*, nobis quædam cum de clamoribus & vociferationibus plerunque insanis, tum corporibus quoque, motibus, gestibus, seu gesticulationibus potius incompositis & ridiculis, quibus Gentiles in quibusdam suis sacris & sacrificiis usi fuerunt, scribendi occasionem, meo judicio, satis oportunam atque commodam præbet.

Quantum igitur ad prius attinet, tametsi plerunque Gentiles in sacris seu sacrificiis suis silentio fuerunt usi summo, eoque sibi necessario utendum esse censuerunt; de quo supra plurib. tamen nonnunquam & sacerdotes & reliqui, qui adstabant sacrificiisque intererant, verba nonnunquam, & voces quasdam, sacris suis aptas & accommodatas ediderunt. Hujusmodi fuit, exempli gratia, vox illa Victimarii, AGONE? Ac in precibus præcipue & supplicationibus suis sacrificialibus usi fuerunt verbis voceque clara & sonora.

Ac omnino ut in omnibus actionibus, ita in sacrifica ista actione tempus erat tacendi: tempus etiam erat fandi & loquendi. Sic enim, exempli gratia, inter cæsa & porrecta fari licebat: at vero, quando exta vel cædebant, vel porriciebant, fari non licebat. Hinc *intercisi dies sunt*, inquit Varro, *per quos mane & vesperi est nefas* (id est, quibus fari non licet:) *medio tempore inter hostiam cæsam & exta porrecta fas*: id est, *fari licet*: *à quo quod fas tum intercedit*, intercisi dies, *aut quod tum intercisum, nefas.*

Sed observandum præterea hìc quædam Gentilium sacra non nisi in sacris furiosisque clamoribus atque vociferationibus, partim lætis, partim tristibus & gemebundis fuisse celebrata: cujusmodi fuerunt illa sacra Baalitica, sacra Corybantum, Saliorum: item Lupercalia, Bacchanalia, Orgia Panos, & alia id generis.

De vario corporis motu apud Gentiles in sacrificiis.

Quod dico de clamoribus & vociferationibus, idem intelligendum de vario multiplicique corporis, vel totius, vel singularum ejus partium situ, motu, atque gestu, quo in sacrificiis & supplicationibus suis usi fuerunt. Nam modo sedere (qui corporis situs Gentilibus, maxime adorantibus & supplicantibus videbatur conveniens, de quo supra) modo stare, modo cubare, humique jacere, modo spatiari, modo currere, modo saltare, modo corpora sua nunc in hanc, nunc in aliam partem versare, plurimos denique motus incompositos, histrionicos & ridiculos (quos enumerare omnes difficillimum foret) edere consueverunt: de quibus supra in loco precationum & supplicationum non pauca fuerunt commemorata. Servius in illa Virgilii *Æneidos* tertio;

Ante ora Deûm (simulacrorum) *pingues spatiatur ad aras*,

(id est, pinguib. hostiis plenas) *Matronæ enim*, inquit, *sacrificaturæ circa aras, faculas tenentes, ferebantur quasi cum quodam gestu.* Huc etiam pertinent illa ejusdem Poëtæ, *Georgic.* I.

Terque novas circum felix eat hostia fruges.

Addit de Cereris sacrificio:

Omnis quam chorus & socii comitantur ovantes
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos & carmina dicat.

Hujus-

Arnobius adversus motus incompositos Gentilium.

Hujusmodi motus incompositos salse perstringit Arnobius septimo adversus Gentiles, his verbis: *Jam vero si viderint in fœmineas mollitudines enervantes se viros, vociferari hos frustra, sine caussâ alios cursitare, amicitiarum fide salva contundere se alios, & crudis mutilare se cæstibus, certare hos spiritu, buccas vento distendere, votisque inanibus concrepare, manus ad cœlum tollunt, rebus admirabilibus moti prosiliunt, exclamant, in gratiam cum hominibus redeunt. Hæc si Diis immortalibus oblivionem afferunt simultatum, si ex comœdiis, atellanis, mimis, ducunt lætissimas voluptates, quid moramini, quid cessatis, quin & ipsos dicatis Deos ludere, lascivire, saltare, obscœnas compingere cantiones, & clunibus fluctuare crispatis? Quid enim differt aut interest, faciant ne hæc ipsi, an ab iis fieri in amoribus atque in delitiis ducant?* Hæc Arnobius.

In sacris Gentilium omnis generis flagitia olim commissa.

Porro quid dicam, quod in illis suis sacris, præsertim nocturnis, nonnunquam stupra, adulteria, cædes, homicidia, furta aliaque scelera atque flagitia turpia & fœda perpetrarunt atque designarunt? De sacris illis Bonæ, seu Malæ potius Deæ nocturnis, Clodii stupro violatis, quid crebrius quæso apud Ciceronem legitur? Quid? Antiquissima illa, & omnibus fere gentibus familiarissima sacrificia humana, quid fuerunt aliud, nisi homicidia, seu parricidia potius tetra, dira & immania?

In sacris Samiorum furari olim licitum.

Apud Samios, quando Mercurio χαριδότῃ, id est, *Munifico*, sacrificabant, permissum erat furari, & aliorum vestes suffurari, ut testatur Plutarchus *Quæstionum Græcarum* quæstione quinquagesima quinta. Ejus Plutarchus hanc rationem reddit, quod nimirum Samii, quando oraculum secuti ex insula in Mycalen migrarunt, decem annos vixerunt è latrocinio, quibus finitis cum rursus in insulam suam navigassent, hostes suos devicerunt.

Theodoretus adversus nefarium nunc Gentilium morem.

Theodoretus sermone septimo ad Græcos infideles de sacrificiis: Ἐν δὲ ταύταις, τῶν ὁμηγύρεσι, πᾶν εἶδος ἀκολασίας ἀδεῶς ἐτολμᾶτο. Καὶ γὰρ αἱ τελεταὶ, καὶ τὰ ὄργια τὰ τούτων εἶχεν αἰνίγματα. τὸν κτένα μὲν ἡ Ἐλευσὶς, καὶ φαλλαγωγία δὲ τὸν φαλλόν. ἀτὰρ δὴ καὶ δίχα τῶν αἰνιγμάτων, τὰ παρὰ τῶν ὀργιαστῶν δρώμενα, εἰς πᾶν εἶδος ἀσελγείας τοὺς ὁρῶντας ἠρέθιζε, hoc est, *In ejusmodi autem conventiculis & omne flagitiorum genus patrabatur. Initia enim Cereris, & Liberi Patris Orgia, eorum scelerum involucra quædam prætendebant. Eleusis namque pectinem ostentabat. Veretrum autem Phallagogia Libero dedicata. Sed enim citra ænigmatum hæc involucra, ipsa quoque Orgia, quæ à celebrantibus fieri cernebantur, ad omne flagitiorum genus spectantes facile incitabant.*

Atque hæc quidem de victimæ percussione, & de iis, quæ eam fuerunt comitata, ac de tibiarum aliorumque instrumentorum musicorum in sacrificiis usu sint dicta.

De sublatione victimæ percussæ ex terra.

PORRO victimam prostratam humique jacentem, apud Homerum quidem, ex terra dicuntur sustulisse. Verba Poëtæ hæc sunt:

> Οἱ μὲν ἔπειτ' ἀνελόντες ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
> Ἔσχον. - - -
> *Hi quidem deinde corripientes à terra spatiosa*
> *Tenebant*, &c.

Vocat terram spatiosam, quam Veteres μεγαλάμφοδον dixerunt. Ἀνελόντες Eustathius ἀναβαστάσαντες, *sursum ferentes* sive *portantes* interpretatur: cui contrarium καθελόντες, id est, *dejicientes*, seu *prosternentes*. Hostiam igitur percussam, quæque ceciderat, è terra sublatam manibus tenebant. Verisimile autem est, ipsos hostiam istam deinde reposuisse in mensa sacrificiali: in qua illam deinde jugulare, excoriare ac dissecare solebant. Apud Guilielmum de Choul Victimarii victimam mactatam humeris suis bajulantis picturam videre licet. Mensa autem, in qua hostiæ & mactari, seu jugulari, & excoriari, & dissecari seu diffindi, exta educi ac inspici solebant, Latine *Anclabris* dicta est, ministeriis divinis apta, ab *anculando*, hoc est, ministrando. Unde vasa quoque ænea, quibus sacerdotes utebantur, *Anclabria* fuerunt appellata.

De jugulatione victimæ.

POSTQUAM vero bestia sive hostia (quarum similiter vocum notanda obiter affinitas est & similitudo) percussa, cæsa, icta, ac in terram dejecta fuit, consecuta statim fuit σφαγή, id est, *jugulatio* sive *mactatio*: cujus post percussionem apud Homerum, Apollonium, ut etiam apud alios auctores in sacrificiorum descriptionibus fit mentio.

Homerus de hac jugulatione.

Ac apud Homerum quidem in Nestorei istius sacrificii descriptione hæc actio his verbis exprimitur:

> Αὐτὰρ σφάξεν Πεισίστρατος ὄρχαμος ἀνδρῶν
> Τῆς δ' ἐπεὶ ἐκ μέλαν αἷμα ῥύη, λίπε δ' ὀστέα θυμός,
> *At vero* (*at* & *attamem*, forsan à Græco ἀτὰρ) *jugulavit* (sive mactavit)
> *Pisistratus dux* (Græce ὄρχαμος, quasi præsultor, sive præsul) *virorum:*
> *Ex illa* (scilicet hostia jugulata) *postquam niger fluxit sanguis, reliquit*
> *ossa animus.*

Apud eundem Poëtam præmittitur aliquando verbum ἀνερύειν, ut *Iliad.* δ.

> Ἀνέρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν·

Sed de hoc verbo ἀνερύειν postea.

Apollonius.

Apollonius in Argonautici sacrificii descriptione eandem actionem his verbis explicat:

> Τοὺς δ' ἑταῖροι σφάξαντε θοῶς·

(scilicet tauros prostratos humique jacentes, vel è terra forsan statim sublatos & in mensa aliqua collocatos) *socii confestim*, quasi dicas *cursim*, *curriculo*, ut Plautus loquitur (nam θοῶς à θέειν, id est, *currendo est* derivatum) *jugulantes*. His consimilia fere sunt illa Virgiliana de eadem actione:

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. - - - -

D. Halicarnasseus. Dionysius Halicarnasseus in ejusdem cerimoniæ descriptione primo quidem generaliore verbo θύειν usus, inquit: σκυτάλαις τε παίοντας τὰ μέτωπα τῶν ἱερείων, καὶ τὰ πεσόντα θύοντας, hoc est, *Vectibus ferientes hostias* (scilicet Homerus introducit) *& collapsas humique jacentes sacrificantes.* Et paullo antea: *Ministrorum sive victimariorum alii quidem stantem etiamnum hostiam recte feriebant in tempora: alii,* πίπτοντι ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας, id est, *cadenti hostiæ cultros supponebant*, qua dicendi phrasi etiam Virgilius usus est, ut paullo ante dictum in versu:

Supponunt alii cultros, &c.

Ex locorum istorum diligenti consideratione atque collatione colligi facile intelligique potest, quis jugulationis mactationisve istius ritus fuerit atque modus. Non minus enim studiose atque accurate, quam reliqua, actio quoque isthæc sacrificialis, atque cerimonia fieri & observari fuit solita.

Varia nomina phrasesve, ad jugulationem. Nota. Primum igitur ipsa verba dicendique phrases diligenter nobis expendendæ sunt, quæ nos ad ipsam rei atque moris istius faciliorem notitiam intelligentiamque deducunt. Utuntur igitur fere verbo σφάττειν sive σφάζειν, cujus πρωτότυπον est τὸ φῶ, unde φάζω, & per pleonasmum σ, σφάζω, ut à μικρὸν, σμικρὸν, à μέρδω σμέρδω, à μῶ σμῶ. Porro hujus verbi ejusque derivatorum quasi sinu atque complexu omnia fere, quæ ad actionem illam pertinent, summatim comprehenduntur. Id vero *jugulare, trucidare, mactare* significat. Nam & ipsa actio, id est, mactatio seu jugulatio σφαγὴ καὶ σφαγιασμὸς dicitur: & hostia seu victima σφάγιον (ut *hostia* Latine ab *hostire*, id est, ferire: & *victima*, quasi *vi icta*: & Græce θῦμα, ἀπὸ τοῦ θύειν:) & σφαγεὺς vel ἐπισφαγεὺς, *mactator* seu *victimarius*: & σφάκτρια, *mactatrix* seu *sacrificula*: & σφακτὸν, tributi genus, quod pro mactata hostia persolvebatur (de quo Pollux: τέλους ὄνομα ἦν ἐπὶ τοῦ καταβαλλομένου ὑπὲρ τῶν θυομένων) & σφαγὴ, *jugulum* seu pars colli, quæ feriebatur, item concavitas illa sub pectus: & σφαγεῖον vel σφάγιον, vas, quo jugulatæ pecudis sanguis excipitur: & σφάγιον, locus, quo excipitur sanguis pecudum: & ἀπόσφαγμα, sanguis ipse, qui colligitur, vasculo supposito pecudi jugulatæ: & σφάγανον, sive σφαγὶς & σφαγίδιον, ensis, vel culter quo jugulatio illa peragitur, secundum illud Virgilii: *Ense ferit*, &c. & σφαγία, ἡ τῆς ἱερουργίας ἡμέρα, *dies, quo sacra fiunt mactatis jugulatisque victimis*: & σφαγίτις φλέψ, *jugularis vena*, aliaque similia apud Hesychium, Pollucem, Suidam, Eustathium & alios.

Cæterum illud φῶ, cujus antea mentio facta, Eustathius in *Odyss.* μ. vult idem significare, quod φονεύω, id est, *occido*, per paragogen, sive pleonasmum litteræ σ. φάω autem sive φῶ & λέγειν ἢ λαλεῖν, id est, *dicere & facere*: & φαίνειν, id est, *lucere*, & φονεύειν, id est, *necare* atque *occidere* significat, nimirum à φῶς (quod derivatur ab Hebræo אור, *Or*) quæ vox *lucem* sive *lumen* significat, cujus maximus est usus planeque necessarius ad dicendum agendumque. Idem autem verbum *occidere* significat per antiphrasin, quasi lucem, id est, vitam adimere, eripere, extinguere: ut nos quoque vernacula nostra lingua loquimur, Einen das liecht außlöschen / id est, *lucem alicujus extinguere*, pro, vitâ aliquem privare. Alibi verbum hoc deducit Eustathius à φάζειν, id est, *lucere, apparere*, (unde *fax* dicta) & occidere, addita littera σ. Idem loco ante citato plurima recenset secundum triplicem hujus verbi significationem ejusdem derivata; quæ non est ἄχαρι, ut ipse loquitur, id est, injucundum legere atque cognoscere. Sed nos hîc de una tantum ejus significatione loquimur, quæ est φονεύειν, *occidere, jugulare, necare*, unde φθάω, teste Eustathio, idem, quod φθείρω, id est, *corrumpo, perdo*, & φάζω, & additâ litterâ σ. σφάζω: unde ἀρηΐφατος, id est, *in prælio occisus*, & ἐπίσφατος, id est, ὀλέθριος, *perniciosus*, & πεφασμένος ταῦρος apud Lycophronem, id est, *taurus mactatus*, & πέφανται id est, ἐφονεύθησαν, *occisi sunt.*

Composita varia à σφάττειν. A σφάττειν porro sive σφάζειν fiunt composita ἀποσφάζειν, seu ἀποσφάττειν, idem quod σφάζειν· ἐπισφάζειν, *jugulare* seu *mactare super*: προσφάζειν, *mactare ante*: κατασφάζειν, idem quod σφάττειν: διασφάζειν, *jugulum dissecare* seu *aperire*: unde διασφαντὴρ, διασφαγὴ, διασφάξ· ὑποσφάττειν, *subtus jugulare, jugulum succidere.* Inde fiunt quoque σφαγιάζειν, σφαγιάζεσθαι, & ejus composita varia. Quid si à σφαγιάζεσθαι, vel σφαγιάζειν ablata litterâ σ, φαγεῖν, id est, *comedere*, per contractionem sit derivatum: quoniam pecudes nisi mactatæ & necatæ prius fuerint, non possunt comedi, & hæ præcipuæ sunt hominum esus atque cibus. Denique hîc quoque differentia inter σφάξαι & θῦσαι est notanda, quam Ammonius affert his verbis: Θύεσθαι, inquit, τοῦ σφάττεσθαι διαφέρει. Θύεσθαι μὲν γάρ ἐστιν ἐπὶ τιμῇ Θεοῦ καὶ τὸ μαντεύεσθαι ἐπὶ τιμῇ διὰ σπλάγχνων θύεσθαι φαμέν. σφάττεσθαι δὲ τὸ δι' ἣν δήποτε οὖν αἰτίαν φονεύσασθαι. καὶ τὸ μὲν ἐπ' ἀλόγου, τὸ δ' ἐπ' ἀνθρώπου τάττεσθαι, hoc est, θύεσθαι, (*sacrificare* vulgò) *differt à* σφάττεσθαι, id est, *mactare: quod istud quidem fit in honorem Dei: itemque significat futura prædicere in ejus honorem per exta. Mactare vero, occidere est ob quamvis aliam caussam. Et illud quidem de irrationali; hoc vero de rationali accipitur victima.* Sed, pace Ammonii dixerim, ipsum quoque θύειν vel θύεσθαι de profanis usurpatur mactationibus: nec tam victimarum humanarum, quam etiam brutarum: id quod cum ex aliis tum ex duobus illis sacræ Scripturæ locis colligere promtum est. Prior habetur Matthæi vigesimo secundo, versu quarto: Ἰδοὺ τὸ ἄριστόν μου ἡτοίμασα, οἱ ταῦροί μου καὶ τὰ σιτιστὰ τεθυμένα: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia mactata sunt.* Alter habetur Lucæ decimoquinto versu vigesimo tertio, septimo & trigesimo: ubi θύειν verbum, etsi proprie de sacrificiis dicatur, secundum Ammonii sententiam tamen ad alias etiam, nempe profanas mactationes tractum, ter expresse repetitur. Hæc de sollenni isto verbo σφάζειν, vel σφάττειν.

Hanc

Hanc ipsam autem actionem tristem, & cruentam, id est, pecudum jugulationem & necationem, in sacrificiis, κατ' εὐφημισμὸν, boni ominis ergo, lenioribus verbis designarunt Græci. Nam primum ipsi non tam verbo φονεύειν (quo tamen Lucianus utitur, sed per contemptum & ironiam pro more suo) aut κτᾶσθαι, & hisce similibus, quam σφάττειν & σφαγιάζειν, seu σφαγιάζεσθαι sunt usi: nec non verbo θύειν, de quo modo dictum, & quo Dionysius Halicarnasseus usus est. Usi sunt etiam hac dicendi phrasi, ὑποτιθέναι τὰς σφαγίδας: cui respondet illa Virgiliana, *Supponere cultros.* Jugulatio sacrificialis lenioribus verbis olim expressa.

Latini similiter ad hanc actionem exprimendam usi sunt verbo *Mactandi*, de quo supra pluribus, quod proprie *magis augere*, sive *auctare* significat: item verbo *Immolandi*, quod proprie molam salsam est victimæ aspergere. Item, *Supponere cultros*, idem est, quod cædere. Unde Servius illa Virgiliana: Latinis qua lenitate hæc jugulatio expressa.

Supponunt alii cultros, &c.

sic interpretatur, *Victimas cædunt. Est autem*, inquit, *sacrorum, in quibus mali ominis verba vitantur. Hinc est, quod &* mactare *dicunt, id quod magis augere sive auctare significat.*

Idem Poëta *Georgicorum* tertio, eandem repetens phrasin, inquit:

At vix suppositi tinguntur sanguine cultri.

Similis huic phrasi videtur esse illa ejusdem Poetæ dicendi forma, *Falces supponere aristis*, pro eas demetere, in illis versibus:

Et Cererem clamore vocent in tecta, neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, &c.

Huc quoque videtur pertinere illud ejusdem Poëtæ, *Juguli demittere cruorem*, quod est jugulationis periphrasis.

In hac ipsa autem jugulationis cerimonia, ut ab Homero & Apollonio hîc describitur, hæc fere sunt considerandæ. Primum personæ, qualis fuit apud Homerum Pisistratus: apud Apollonium socii navigationis Argonauticæ. Hoc ipsum autem poparum, victimariorum & cultrariorum opus munusque fuit: &, ut *Cultrarius* à *cultro*; ita σφαγεὺς Græce ἀπὸ τῆς σφαγίδος, vel σφαγάνου, id est, *ense* vel *cultro*, ceu instrumento, dictus fuit. In jugulatione victimæ considerentur. 1. Personæ jugulantes.

Deinde consideranda certa hostiæ bestiæve jugulandæ atque mactandæ dispositio, quæ verbo ἀνερύειν designatur. Sic enim Homerus *Iliad.* α. 2. Jugulandæ victimæ dispositio.

Αὐέρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν:
Prius sursum traxerunt, & mactarunt.

Est enim, Eustathio interprete, τὸ ἀνερύειν quasi ἄνω ἐρύειν, *sursum trahere.* Ac τὸ ἀνερύειν τὸν θυόμενα τόπον δηλοῖ πρὸς ὃν ἀποτεύδει τὰ τῆς θυσίας. Idem ἐρύειν interpretatur ἕλκειν, *trahere, liberare, eruere ex malo.* Et eodem loco *Iliad.* α. εἰ μὲν, inquit, τοῖς ἄνω ἔθυον ἀνακλᾷν τὸν τοῦ ἱερείου τράχηλον, ὥστε ἀφορᾷν ὡς εἰς οὐρανόν. Hoc dicebatur ἐρύειν, ἢ ἀνερύειν, id est, ὀπίσω ἕλκειν, καὶ ἀναφέρειν ἐν τῷ ἀνακλᾷν. ὃ δὴ ἑρμηνεύειν δοκεῖ Σοφοκλῆς, ἐν τῷ ἄνω τρέπων ἔσφαξεν, ἐὰν μὲν τοῖς ἥρωσιν ἢ ὅλως τοῖς κατοιχομένοις ἔθυον, κάτω τὸ ἱερεῖον ἀποβλέπον ἐσφάττετο: *Quando*, inquit, *Superis sacrificabant, victimæ collum reflectere solebant trahendo illud retrorsum, ita ut quasi cœlum contueretur: id quod Sophocles videtur interpretari, cum inquit, Sursum flectendo mactavit. Nam quando Heroibus, aut prorsus vita functis sacrificabant, tum victima deorsum respiciens mactabatur.* Ad modum hunc duplicem mactandi videtur alludere etiam Apollonii Scholiastes in illa de tumulo Dolopis:

Καί μιν κυδαίνοντες ὑπὸ κνέφας ἔντομα μήλων,
Κεῖαν, &c.

Ἔντομα inquit, τὰ σφάγια κυρίως τὰ τοῖς νεκροῖς ἐναγιζόμενα διὰ τὸ ἐν τῇ γῇ αὐτῶν ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλάς. οὕτω γὰρ θύουσι τοῖς χθονίοις. τοῖς δὲ οὐρανίοις ἄνω ἀναστρέφοντες τὸν τράχηλον σφάζουσιν. Ἄλλοι δὲ ἔντομά φασιν τοῖς τεθνεῶσιν ἐνάγιζον ὡς ἄγονα τοῖς ἀγόνοις, τοῖς δὲ οὐρανίοις θεοῖς ἔνορχα ἔθυον, hoc est, *Castratas victimas potissimum mortuis sacrificant, eo quod in terra ipsarum amputentur capita. Sic enim sacrificant terrestribus: cœlestibus vero sursum reflexo collo mactant. Alii dicunt, castratas mortuis offerri, ceu steriles sterilibus & infœcundis.*

Tertio considerandum instrumentum, quod σφαγὶς à Græcis, & σφαγίδιον: item σφάγανον, ἀπὸ τοῦ σφάττειν est dictum, Latinis *culter*, vel *ensis*, Festo *Clunadum*, hoc est, culter sanguinarius, vel quia clunes hostiarum dividit, (in dividendis enim & secandis hostiis: quo ex ritu Græcum ὀρθοτομεῖν natum, certis utebantur cultris) vel quia ad clunes dependet. Inde autem *Cultrarius*, qui eo cultro vel ense hostiam jugulaverat & ferierat: sicut, qui victimas mactabat, *Victimarius*, βουθύτης Græce, est dictus: cujus quidem cultri sacrificialis seu mactatorii picturam, unâ cum ejus vagina sive theca videre licet & apud Guilielmum de Choul, libro illo citato, & apud Bartolomæum Marlianum: quorum hic de vagina ita scribit: *Vagina adeò notæ significationis est, ut nulla prorsus alia indigeat declaratione, nisi dixerimus fuisse thecam gladiorum, quam (ut in Secespita diximus) bullis æneis auratis, aut etiam argenteis ornatam fuisse existimandum est, in qua cultri omnes, nempe dolabrum, secespita, & alii omnes cultri ad varios usus sacrificiorum recondebantur, peractis sacrificiis, quam unus è victimariis, seu sacrificulis de zona pendentem gestabat, ut patet in arcu insculptum, superius citato, in quo ordo ipse pene totus sacrificantium more antiquo; ibique simulacra L. Septimii, Severi Imper. ac Juliæ Augustæ uxoris, Antoniique, seu Getæ eorum filiorum insculpta videntur.* 3. Instrumentum, quo victima jugulata.

Quar-

4 Victimæ jugulatæ sanguis.

Quartum in hac hostiarum jugulatione inprimis animadversione dignum, fuit hostiæ sanguis, tanquam res vel maxime sancta & sacra. Et certe à *sanguine* vox *sancti* & *sancire* videtur esse deducta, propterea quod sanguine res quævis sanctificari atque sanciri putabantur. Sanguis, qui, ut Servius ait in Virgilium, vitæ sedes est, vel, ut alii volunt, vita ipsa, & quibusdam anima, Hebraice דם *Dam* appellatur: unde homo videtur dictus אדם *Adam*, partim ab אדמה *Adamah*, id est, *terra*, sive *humo*: unde ortus est secundum corpus, & quò tandem redit, ut *Homo* Latine ab *humo*; partim à דם *Dam*, id est, *sanguine*, quia vita ejus consistit in sanguine: ad quod etymon ipse Spiritus Sanctus pulchrâ elegantique, & quidem gemina, paronomasia videtur alludere his verbis, *Genesis* nono capite, sexto versu: שפך דם האדם באדם דמו ישפך *Schophek dam haadam baadam, damo ischaphek, Qui effuderit sanguinem hominis in homine, sanguis ejus effundetur.* Ac ab eadem quidem Hebræa voce דם *Dam*, sive Chaldæa דמא *Dama*, vox Græca αἵμα videtur deducta. Nam ablatâ litterâ ד fit *ama*, & interjecta jota cum aspiratione & accentu αἷμα.

In sanguine sacrificali tria consideranda.

Porro in hoc sanguine sacrificiali hostiarum tria sunt consideranda. Primo ejus effluxus atque color. Secundo ejus excipiendi suscipiendive modus. Tertio ejusdem effundendi super altare aspergendique mos ac consuetudo.

1. Sanguinis effluxus.

Primo igitur ex hostia jugulata sanguis effluebat, secundum illa Homeri verba:

Τῆς δ' ἐκ μέλαν αἷμα ῥύη,

Ex illa autem (hostia jugulata) *sanguis niger* (Virgilius etiam *atrum* vocat) *erumpebat seu prorumpebat.* Non utitur verbo ῥέειν, id est, *fluere*, sed ῥύειν (quod verbum de sacrificiis proprie efferri Pausanias ait) quod violentiam significat, & cum impetu quodam prorumpere: unde ῥυσαζέσκω, & ῥυσάζω, *violo. Odyss.* π.

Nota.

Hîc observandum, Veteres mali ominis loco duxisse, si victima jugulata non copiose diffluxisset sanguine: vel si inter jugulandum triste quid infaustumque astantium oculis auribusve occurrisset; quale istud fuit, quod ante mortem Sergii Galbæ, quum oppidatim victimæ cæderentur, taurus securis ictu consternatus, rupto vinculo, essedum ejus invasit, & totum cruore perfudit. Contra fausti lætique ominis ac propitii Dei testimonium esse existimabant, quando hostia confossa, copiosum spirantemque & cum impetu stridoreque prorumpentem effundebat cruorem.

Dubium etiam non est, quin sanguinis quoque colorem, quem Homerus hîc nigrum appellat, diligenter observarint: & inde vel læta & jucunda; vel tristia & funesta conjectarint.

2. Sanguinis excipiendi modus.

Hunc autem hostiarum sanguinem effluentem, seu potius prorumpentem, ceu rem sacram, vasculis quibusdam ad id destinatis diligentissime suscipiebant, secundum illa Vergiliana, *Æneidos* sexto:

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Succipiunt pateris, &c.

Succipiunt: Antiquum hoc, inquit Servius. ***Modo,*** suscipiunt, ***dicimus, ut supra:***

Suscepitque ignem foliis, &c.

Donatus addit, ***Ne consecratus sanguis funderetur in terram, hanc pateris suscipiebant.***

Vas, quo sanguis exceptus. Græcè αἵμνιον.

Vas porro, quo sanguinem istum suscipiebant, Græce dictum fuit αἵμνιον, quod Perseus dicitur manibus tenuisse, nimirum ad sanguinem è bove mactato profluentem excipiendum. Eust. in hanc vocem sic commentatur: Αἵμνιον, inquit, ut ajunt, est τὸ τοῦ αἵματος, ὅ ἐστι τὸ ἀποσφάγματος δεκτικὸν ἀγγεῖον, id est, *vas aptum ad recipiendum mactatæ bestiæ sanguinem*, sic dictum, quasi ἀμοδιόν τι ὄν, hoc est, μένους roboris, id est, sanguinis στερητικόν. Cretenses autem αἵμνιον dicunt esse vas εἰς ὃ τὸ αἷμα τῶν ἱερείων ἐδέχοντο, *in quod excipiebant hostiarum sanguinem:* sic dictum αἵμνιόν τι ὄν, id est, *sanguinem*, ἀπὸ τοῦ αἵματος, *sanguine* nimirum. Persius Hierapytnius testatur hanc vocem adhuc esse in usu apud Hierapytnios & αἵμνιον dici ἀπὸ τοῦ αἵματος. Apollodorus existimat verisimile esse, ab Homero similiter illam vocem prolatam esse: *jota* autem à nonnullis fuisse ademtum. Nicander & Theodorides δάμνιον vocant, παρὰ τὸ δαμᾶσθαι τὸ σφαζόμενον ζῶον, id est, *quod occisum animal domabatur.* Attici vero hujusmodi vas ἀγγεῖον appellarunt, εἰς ὃ πρῶτον αἷμα δεχόμενοι τῷ βωμῷ ἐπέχεον, id est, *in quod primùm sanguinem excipientes illum aræ infundebant.* Hoc autem nomen semel ajunt apud Poëtam reperiri, sive αἵμνιον, sive ἀμνεῖον, sive δάμνιον sit legendum. Sanguinem autem illum & Eustathius loco paullo ante citato, & Lucianus libro *de sacrificiis*, testantur aræ fuisse infusum, seu circumfusum. Ad hunc morem alludit Virg. *Eclog.* 1.

Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Imbuet, id est, perfundet seu madefaciet.

Homerus hoc in loco, postquam inquit Pisistratus eam jugulavit, addit:

Τῆς δ' ἐπεὶ ἐκ μέλαν αἷμα ῥύη, λίπε δ' ὀστέα θυμός.

Sanguinis quidem fit mentio, qui effluxerit. Subintelligo ergo reliqua: hunc nimirum sanguinem fuisse vase exceptum, illoque altaria conspersa sive perfusa.

Patera.

Latine vero vas hoc *Patera* dictum fuit: unde Virgilius loco citato:

- - - paterisque cruorem
Suscipiunt tepidam, &c.

Idem:

Sanguinis & sacri pateras, &c.

Festus: ***Pateram perplovere in sacris cum dicerent, significabant pertusam esse.*** Idem: ***Patellæ, vasa picata parva,***

parva, sacrificiis faciendis apta. Marlianus hujus quoque vasis picturam & descriptionem posuit. Descriptio est talis: Patera fuit poculi genus latum ac patens, de quo Virg. I. *Æneid.*

- - - Impiger hausit.
Spumantem pateram, &c.

Cic. 6. Verrinâ ait: *Patera, quâ mulieres ad res divinas uterentur.* Macrobius vero *Saturnal.* libro quinto, capite vigesimo primo, de poculorum generibus loquens, cum de Carchesiis loquutus fuisset, sic infert de patera: *Sed Plautus insuetum nomen reliquit, aitque in fabula* Amphytrione *pateram datam, cum longe utriusque poculi figura diversa sit. Patera enim, ut & ipsum nomen indicio est, planum ac patens est, Carchesium vero procerum, & circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis à summo ad infimum pertingentibus, & prosequitur. Asclepiades autem inter Græcos apprime doctus, ac diligens, Carchesia à navali re existimat dicta. Ait enim navalis veli partem inferiorem*, Pateram *vocari*: *At circa mediam ferme partem*, Τράχηλον, *dici*: *summam vero partem* Carchesium *nominari, & inde diffundi in utrumque veli latus, eaque* cornua *vocantur*, &c. Virgilius autem ostendens pateris libare Jovi solitum, sic infert:

Tum pateras libate Jovi, &c.

Sed hactenus de patera.

Hunc postremo sanguinem effundebant super altaria, atque ita Diis eum offerebant ac consecrabant. Unde Virgilius:

3. Sanguinis effundendi super aras consuetudo.

- - - Illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Lucianus irridens Gentilium sacrificia: Ὁ δ' ἱερεὺς αὐτὸς ἕστηκεν ἡμαγμένος; καὶ ὥσπερ ὁ κύκλωψ ἐκεῖνος ἀνατέμνων, καὶ τὰ ἔγκατα ἐξαίρων, καὶ καρδιουλκῶν, καὶ τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέων. καὶ τί γὰρ οὐκ εὐσεβὲς ἐπιτελῶν: id est, *Atqui sacrificus*, inquit ipse, *sanguine fœdatus, neque aliter quam cyclops ille pecudem incidit, intestina educit, cor revellit, cruorem aræ circumfundit. Et quid tandem non abiens, peragensque, quod ad pietatem sacrorumque ritum pertineat?*

Addit Homerus, post sanguinis effluxum animam reliquisse ossa, id est, corpus hostiæ. Unde rursus colligi potest, vitam esse in sanguine. Periphrasis est Mortis, quæ est discessus, migratio, separatio animæ à corpore. Corpus synecdochice ossium nomine hîc intelligitur. Ossa pro corpore, quia sunt corporis quasi columnæ, fulcra atque robur: unde עצמים *Hatzumim* ab Hebræis, à עצם *Hatzam*, id est, *robore*, quasi robur corporis dicuntur.

Postremo in hac actione observatione quoque est digna particula θοῶς, id est, *celeriter, cursim*: ex qua colligimus, in sacris peragendis summam alacritatem, agilitatem celeritatemque à Gentilibus fuisse adhibitam, ne diuturniore mora & cunctatione, sinistra quædam minusque læta acciderent, quo minus litari possit. Idem autem ex aliis quoque adverbiis celeritatem significantibus, ut αὐτίκα, καρπαλίμως, αἶψα (quibus Homerus in sacrificii hujus descriptione utitur) colligi potest. Unde *festa* ipsa à *festinatione* videntur dicta, quod in iis erat festinandum, festinanterque res divina facienda. Inde quoque *Confestim* videtur dictum, id est, *celeriter, è vestigio, extemplo*, quasi dicas, *cum festo*, sive cum festinatione: non post festum, ut est in proverbio, hoc est, nimis tarde atque sero.

Θοῶς, particula solennis sacrificiorum consideranda.

Atque hæc quidem de hostiarum σφαγῇ, id est, *mactatione* & *jugulatione*, ejus modo, instrumentis, de sanguinis ex hostiis effluxu, signis, susceptione & aspersione super aram sint dicta.

NVNC progrediamur ad alias actiones atque cerimonias, quæ hostiarum jugulationem cædemque fuerunt consecutæ: inter quas prima apud Homerum & Apollonium occurrit bestiæ hostiæve jugulatæ atque mactatæ excoriatio, hoc est, corii, tergoris, pellis cutisve detractio, cujus etsi Homerus hoc in loco non meminit: crebram tamen ejus passim in aliis sacrificiorum descriptionibus mentionem facit, hæc fere tria, nempe ἀνερύειν, σφάττειν & δέρειν, sive ἐκδέρειν, conjungens, ut *Iliad.* α.

De excoriatione victimæ. Homerus quid de hac excoriatione.

Ἀνέρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν·
Primum quidem sursum traxerunt, tum mactarunt, & excoriarunt.

Sic *Iliad.* η. - - - Τὸν βοῦν ἄρσενα, πενταέτηρον
Δέρον, ἀμφὶ θ' ἕπον, καί μιν διέχευαν ἅπαντα·
Bovem masculum, quinquennem
Excoriarunt, &c.

Loquitur de Bove, quem Rex virorum Agamemnon Apollini ἱέρευσεν, id est, *sacrificavit.* Sed quid attinet plura testimonia proferre? Passim apud Homerum sunt obvia. Sic Apollonius:

Apollonius quid.

Τοὺς δ' ἑταῖροι σφάξαντε θοῶς δεῖραντε βοείας.
Illos autem (tauros) *socii mactarunt celeriter: & pelles detraxerunt.*

His similia sunt illa Virgilii, ceu periphrasis excoriationis:

Tergora deripiunt costis, & viscera nudant.

Servius: *Tergus tergoris. Unde &* tergora, *corium significat*: tergum *vero tergi dorsum.*

Græce δέρειν & ἐκδέρειν, *excoriare* seu *pellem detrahere* significat. Inde δέρας, δορά, δέρμα, δέρος, δερβιστήρ, *pellis*, ut nonnulli volunt, proprie animalium, ratione carentium. Hinc δέρας χρυσόμαλλον, *vellus aureum* Suidas dixit. Eustathius tamen hîc distinguere videtur *Iliad.* β. inquiens: δέρμα τὸ ἁπλῶς ἐκδερόμενον:

Nomina phrasesve Græcæ, ad excoriationem.

μῆχον: κῶας autem five κῶ@ ἐν ᾧ κεῖ) τὶς ἢ κοιμᾶ) ἀπὸ ἢ κῶ; à quo verbo Euftathio κῶμ@, κωμάζειν, κώμης, κωμήτης & κώμαξ, id eft, φλυαρὸς (qui etiam κόπις & βωμολόχ@ appellatur) *nugator*, *homo garrulus & loquax* videtur deduci. Δορὶς Polluci & Hefychio culter eft, excoriationi deftinatus, Latine *Dolabra*: de quo inftrumento fuprà dictúm eft fatis, cum in genere de omnibus inftrumentis, ad percuffionem & fimiles cerimonias adhiberi folitis, ageretur.

Nomina phrafesve Latinæ ad excoriationem. Latina deinde nomina funt, *Pellis*, *Tergus*, *Corium*, *Cutis*. *Pellis* (unde forfan noftrum fell / litterâ mediâ in denfam mutatâ) à *pellendo* eft dicta, quod externas injurias tegendo pellat. *Pellicula*, diminutivum. *Pellex* poftquam concinnata eft ad calceos & cætera facienda aluta dicitur. Inde *alutamen*, five *alutamentum* Veteres dixere opus ex concinnatis pellibus factum. Item *Alutarii* five *Coriarii*, hoc eft, pellium, five coriorum concinnatores. Proprie tamen *Alutarii* tenuiorum pellium dicuntur: *Coriarii* craffiorum. A *pelle* fit *pelliceum*, quod ex pelle eft, Germanice Belß: *pellarius* vel *pellio*, qui pelles conficit & concinnat: *verfipellis*, idem, qui fallax & inconftans. *Suppellex* etiam inde dicta: item *pellex*, id eft, concubina, quæ cum eo rem habet, qui habet uxorem: unde *pellicatus*, *pellicere*, quod Servio interprete, eft blandiendo elicere vel decipere: & *pellax*, per blanditias decipiens, quales revera funt pellices.

Corium. *Corium* proprie animalium eft, præfertim eorum, quæ craffiorem pellem habent ac duriorem, quod *Scortum* dicitur. Inde *excorio*, id eft, corium detraho, ficut à *cortice decortico*, id eft, detraho corticem. Inde etiam *excoriatio* & *decorticatio*.

Scortum. *Scortum* etiam dicitur pellis craffior & denfior. Unde *Scorta* appellatæ funt meretrices, vel quod ficut pelliculæ fubigantur (unde etiam *pellices* dictæ) cum folum calciamentum omnibus fubjectum fit; vel quod in grabatulis pellitis ftratas tenere confueverunt. Et *Scorteum*, quicquid ex pelle eft; & *Scortor*, meretricor, & *Scortea* arietinorum teftium pelles. *Scortum* alii tamen à Græco σκῦτ@ deducunt, quod *pellem* fignificat, & inde *Scutim*, vel *Scutum*, quod non fine pellibus fit. Inde *Scutula* quoque dicta, quafi parva fcuta & fcutulata veftis, & *Scutra*, vafis genus, quod & *Scutula* dicitur: & *Scutilum* tenue ac macrum; in quo tamen exilis pellicula cernitur.

Tergus. *Tergus* idem, quod corium, tergum, dorfum. Inde *Tergiverfari* & *Tergiverfatio*.

Cutis. *Cutis* (unde noftrum vernaculum hut / vel haut) idem quod pellis, & corium, à Græco σκῦτ@.

Pellis nomen Hebraicum. Hebraice עור *Abor* (unde forfan Latinum, *Corium*, deductum eft) pellem five cutim fignificat, five illa à corpore fit detracta, five non: & tam de hominis, quam animalium pelle dicitur, nomenque habere videtur à pilis.

Pellium genera. Sunt autem pellium tot genera, quot funt animalia: unde etiam denominantur: ut apud Euftathium exempli gratia, fic legimus *Iliad. γ. Deinceps*, inquit, *etiam alios Heroas legimus pellibus animalium fuiffe amictos. Alium quidem* λεοντῆν, id eft, *Leonina*: *alium* λυκέην, id eft, *lupinâ*. *Eft etiam* παρδαλέη δορὰ, *pellis pardi*, *ut* λεοντέη *leonis*, λυκέη *lupi*, τραγέη *hirci*, *five capri*, ἀνθρωπείη, *pellis humana*, ταυρείη *taurina*, αἰγείη *caprina*, κυνέη *canina*. Definunt hæ voces apud Græcos in είη, vel έη. Pellis agnina Græce etiam ἀρνακὶς ῥῆνὸς & αἰέη pellis ovium dicitur Euftathio κώδιον, ὤα Hermippo, κώνη Apol. μηλώνη, νάκ@ eidem: item φορὸνη *pellis fuilla*, νεφρὶς *pellis fuilla*. Sed infinitum effet omnia genera enumerare. Nota eft Elifæi pellis pilofa, qua indutus fuit, & Johannis Baptiftæ veftis ex pilis camelinis & zona δερματίνη, id eft, *pelliceá*. Apoftolus item ad Hebræos diferte teftatur, Patriarchas illos prifci feculi ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν, id eft, *ovillis & caprinis pellibus indutos* oberraffe.

Pellium ufus. Porro pellium ufus varius olim ac multiplex fuit cum facer, tum profanus. Sed nos de facro potiffimum, qualis quidem erat apud Gentiles, dicemus: unde excoriationis hujus hoftiarum ratio atque cauffa tanto facilius intelligi poterit.

I. Ad veftitum pertinebant pelles. Primo igitur iftis hoftiarum mactatarum pellibus tanquam facris, ipfos facerdotes eorumve miniftros legimus veftiri fuiffe folitos. Quemadmodum igitur victum fic veftitum quoque habitumque corporis fumebant à victimis iftis five hoftiis, quo nimirum fanctiores auguftioresque haberentur. Hic autem primus & antiquiffimus eft pellium ufus, qui jam inde à Mundi exordio extitit, ut Sacræ teftantur Litteræ. Nam cum primi illi noftri parentes poft turpem, nefariam, capitalemque illam fuam apoftafiam, pudendam ignominiofamque fuam nuditatem ficulneis foliis tegere fruftra fuiffent conati, Deus pro immenfa ac infinita fua mifericordia ipforum miferatus, עור *Abor* כתנות *Cothenoth* (unde forfan Græcum χιτὼν, & inde *tunica* Latinum nomen, & Gallicum atque Germanicum *Hoqueton*, derivatum eft) hoc eft, tunicas pellis five pelliceas, ex pellibus mortuorum animalium, confeciffe dicitur, ad ipfos veftiendos.

Veftitus cur ex iftis pellibus confectus. His autem beftiarum mortuarum pellibus recentibus, & adhuc fœtidis maleque olentibus, quibus, tanquam fepulchro quodam erant involuti, eos procul dubio admonere voluit, partim pecuinæ beluinæque fuæ naturæ, in qua, amiffâ illa Dei imagine, degenerarint (unde etiam *peccare* mihi à *pecore* five *pecude* videtur dictum, propterea quod peccando homo, exutâ quafi ratione naturaque humana pecori fit fimilis) partim mortalis fuæ conditionis atque mortis, quam peccato illo fuo promoverant, (*Nam peccati ftipendium mors*) admonere, atque ita ad humilitatem ac pœnitentiam falutarem invitare voluit.

Pelles itaque illæ mortuorum animalium cum peccati, tum etiam mortis fuerunt fymbola atque teftimonia: unde *veftis* Latinum, vel ἐσθὴς Græcum, à quo Latinum defcendit ficut ab Ἑςία fit *Vefta*, ceu peccati pœna, ideo fleid Germanis ablata litterâ f / leid / id eft, *luctus*, vel tanquam peftis eft dicta. Sed iifdem fimul, tanquam munimentis quibufdam, ipfos adverfus cœli tempeftatumque inclementiam atque injurias, quibus propter peccatum erant obnoxii, tectos effe voluit.

Has

Has autem pelles nequaquam novas, vel ex nihilo, vel ex terra creavit, sed ex animalibus mortuis & occisis (sive id ἀμέσως & per se, sive per Angelos beatos fecerit, in dubio aliis dijudicandum relinquo) detraxit, hisque exuviis recentibus, omnino fœtidis ac putidis, ut paullo antea quoque attigi, cum peccati, tum mortis fœtorem, atque putorem ipsum, ut ita loquar, naribus objecit & exprobravit.

Non igitur vestibus ex arborum foliis, ut ficus, vel palmâ Christi, quæ vocatur *Cucurbita terrestris* (qualem vestem Hieronymus libro primo *Epistolarum*, Epistola de vita Pauli Eremitæ, Paulum illum Monachum gestasse scribit) sed ex animalium pellibus primos illos nostros parentes vestivit, propter caussas jam commemoratas, & quod hæc vestium materia adversus cœli injurias robustior est ac diuturnior. His addi potest, Deum hoc ipso facto significare voluisse, licitum esse atque concessum hominibus, ipsius nimirum bonitate atque benificio, animalibus brutis & ad vestitum & ad victum uti.

Hinc etiam verisimile videtur, Ethnicorum sacerdotes, quoniam de hac antiquissima historia aliquid audiverant, tanto libentius hisce mactatorum jugulatorumque animalium pellibus indui atque vestiri voluisse. Julius Cæsar libro sexto *Commentariorum de bello Gallico*, hujusmodi rude & impolitum vestis pelliceæ genus, quod ex pellibus animalium, nondum concinnatis & expolitis, & pilo nudatis, texebatur, Rhenones Germanica voce Beltz / à *pelle*, ut supra dictum, appellat, qualis Johannis Baptistæ Zona pellicea, hoc est, vestis ex pilis fuisse creditur.

Secundus pellium istarum, quæ mactatis bestiis detrahebantur, usus fuit cubitorius, cubicularis, ad cubandum. Pausanias de Amphiarao verba faciens, illum vult interpretandorum somniorum arte excelluisse, & in Deos relatum, eandem artem posteris tradidisse. *Ad cujus oraculum*, inquit, *qui pergit, eum purgari prius oportet.* Purgatio autem est, ut Deo res sacra peragatur: cui, ut omnibus, quorum nomina in ara sculpta sunt, sacrificant. His peractis mactati arietis pellem substerni, atque ita solitos dormire, captantes somniorum significationes. Sic Lacedæmonii in fano Pasitheæ somniandi caussâ excubabant: & quoniam Æsculapium unâ videre somnia credebant: ideo ejus templum frequens Græcia adiit atque coluit. Sic Calabri quoque Podalirium, Æsculapii filium, consulturi, ad ejus sepulchrum agninis instratum pellibus ipsi quoque cooperti decumbebant. De his sic Cœlius Rhodiginus libro vigesimo septimo, capite decimo quarto: *Legimus item Dauniis vel Calabris in more fuisse pellibus incubare; quas* melotas *dicunt, id est, ovillas, in Podalirii sepulcro: sicque per quietem oraculis instrui.* His addit: *Traditum illud quoque, eosdem in Althæno amne propinquo, cum pecoribus lotos ab vulneribus persanari Podalirio* (ὁ λήρος λήρων) *unde datum fluvio nomen, quia* ἀλθαίνειν mederi *est (forsan quasi* ἀληθῶς ὑγιαίνειν) *sicut vituligines curat Alpheus & Cycinus, pedibus item ægros.* 2. Ad incubandum pertinebant pelles.

Ad hunc autem pellibus animalium in Deorum templis atque sepulchris incubandi, dormiendi ac pernoctandi somniaque tanquam rerum futurarum prænuncia explorandi morem atque consuetudinem Virgilius manifeste alludit, cum ita canit: Virgilius de more pellibus incubandi.

Hinc Italæ gentes omnisque Oenotria tellus

(Servius, *Proprie Sabinorum tractus, ab Oenotrio Rege.*)

In dubiis responsa petunt: huc dona sacerdos
Quum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit;
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.
Hic & tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo, stratisque jacebat
Velleribus: subita ex alto vox reddita luco est.

Servius in illud, *Incubuit*: Incubare, inquit, *proprie dicuntur hi, qui dormiunt ad accipienda responsa. Unde est*, Ille incubat Jovi, *id est, dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere: qua phrasi Plautus est usus: Incubare te satius fuerat Jovi, qui tibi auxilio in jurejurando fuit.* Donatus in eadem verba Virgilii sic commentatur: *Morem dixit illius luci dum dixit, responsa poscuntur, venit sacerdos ad lucum: aut dona, pecudes cædit, & eorum stratis pellibus incubuit, ibique dormiens futura somniat, & futura cognoscit.*

Ad horum explicationem melioremque intelligentiam mirifice conducunt illa Plautina in *Curculione*, ubi Cappadox & Coquus sic inter se colloquuntur. Cappadox leno suum narrans somnium, quod in Æsculapii fano, in quo pernoctârat, viderat, sic ait: Plautus.

CAP. *Hac nocte insomnis visus sum viderier*
Procul sedere longe à me Æsculapium,
Neque eum ad me adire, neque me magnipendere
Visu'st. COQ. *item alios Deos facturos scilicet.*
Sane illi inter se congruunt concorditer.
Nihil est mirandum, melius si nihil sit tibi.

Nanque incubare satius te fuerat Jovi,
Tibi qui auxilium in jurejurando tulit.
CAP. *Siquidem incubare velint qui perjuraverint,*
Locus non præberi potis est in Capitolio.
COQ. *Hoc animum advorte, pacem ab Æsculapio*
Petas, ne forte tibi eveniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum'st. CAP. *bene facis.*
Ibo atque orabo. COQ. *quæ res male vortat tibi.*

Hinc colligi potest, ægrotos olim in fano Æsculapii solitos esse pernoctare, ut etiam ex præcedentibus ejusdem lenonis verbis liquet:

Migrare certu'st jam nunc è fano foras,
Quando Æsculapii ita sentio sententiam:
Ut qui me nihili faciat, nec salvom velit.
Valetudo decrescit, accrescit labor.
Nam jam quasi zonâ liene cinctus ambulo.

Item: *Ideo fit, quia hic leno ægrotus incubat*
In Æsculapii fano.

In quæ verba Lambinus sic commentatur:

Lambinus. *Qui à Diis aliquid petere cogitabant, cubabant in eorum Deorum, quorum ope egebant, fanis aut templis, tanquam responsa ab iis vel vigilantes, vel in somnis accepturi.* Notat Servius ad illud Virgil. *Æneid.* 7. *& cæsarum ovium sub nocte silenti Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.* M. Tullius lib. 1. *De Divinat. Atque etiam qui præerant Lacedæmoniis non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaæ fano, quod est in agro propter urbem, somniandi caussa excubabant, aliâs incubabant, quia vera quietis oracula ducebant.* Eodem pertinent illa Strabonis, lib. 16. ubi de Mose loquitur, Ἀλλ᾽ ἐᾶν δεῖν πᾶσαν ξοανοποιΐαν, καὶ τέμενος ἀφορίσαντας, καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν ἕδους χωρὶς, ἐγκοιμᾶσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν τε, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλους τοὺς εὐονείρους. καὶ προσδοκᾶν δεῖν παρὰ τοῦ θεοῦ καὶ δῶρον ἀεί τι, καὶ σημεῖον τοὺς σωφρόνως ζῶντας, καὶ μετὰ δικαιοσύνης, τοὺς δὲ ἄλλους μὴ προσδοκᾶν. Id est, *sed docebat ille, omnem statuarum fabricationem omittere oportere, & fano, ac templo Augusto certis finibus circumscripto quod Deo consecraretur, cum Deum colendum: & in eo templo pro se quemque, vel alios, qui essent ad bene somniandum apti natura, pro aliis incubare oportere: & iis, qui temperanter, & juste vivunt à Deo donum aliquod, aut signum esse expectandum: aliis vero nihil tale expectandum,* &c. Sic igitur ægri in templis Æsculapii incubabant, ut saltem in somniis moniti, aliquod morbi laxamentum, aut levamentum, ab eo consequerentur.

Arnobius. Sed eundem morem ex Arnobio quoque cognoscere licet, cujus hæc sunt verba: *Et quoniam beneficia salutis data aliorum Numinum comparatis, & Christi: quot millia vultis à nobis debilium vobis ostendi; quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retulisse medicinam, cum per omnia supplices irent templa? Cum Deorum ante ora prostrati, limina ipsa converterent osculis? Cum Æsculapium ipsum datorem, ut prædicant sanitatis, quoad illis superfuit vita, & precibus fatigarent, & miserrimis votis invitarent? Nonne alios scimus malis suis commortuos? Cruciatibus alios consenuisse morborum? Perniciosius alios sese habere cœpisse, postquam dies noctesque in continuis precibus & sanitatis expectatione triverunt? Quid ergo prodest ostendere, unum, aut alterum fortasse curatos, cum tot millibus subvenerit nemo, & plena sint omnia miserorum infeliciumque delubra?*

Ad hunc Gentilium in sepulchris atque templis Deorum pernoctandi, & per somnia rerum futurarum præsagia aucupandi morem atque consuetudinem Esaias quoque alludit, eamque suæ ætatis idololatris exprobrat.

Pellium usus militaris quis? Non alienum autem forsan à proposito & instituto hoc nostro fuerit, hîc quædam de bellico ac militari pellium usu antiquo dicere. Nam quoniam & tentoriorum operimenta, & militum vestitus, cubilia atque strata, atque etiam omnis generis arma atque organa pellibus constabant, idcirco sub pellibus esse & vivere milites dicebantur. Tacitus Annalium quarto scribit Phrisiis in Germania tributum injunctum à Druso pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cujusquam curâ, quæ firmitudo, aut quæ mensura. Cicero *Quæstionum Academicarum* secundo: *Ut non multum*, inquit, *Imperatori sub ipsis pellibus otii relinquatur.* Livius libro quinto: *Militem Romanum in labore ac opere pruinisque obrutum sub pellibus durare.* Idem libro trigesimo septimo: *Aut sub pellibus habendo milites. Sub pellibus*, metonymice, id est, tentoriis, quæ pellibus obtegebantur: tametsi vestitus quoque atque strata possunt intelligi. Porphyrio illa Horatii *Sermonum* primo:

Quoniam in propria non pelle quiescam,

Inde sumptum, inquit, *quod ductores in pellibus dormirent.*
Arrianus libro primo de gestis rebus Alexandri: *Pelles sub quibus milites hybernabant, levi & sicca herba complevit.* Idem ferme legitur libro tertio.

Supellex unde? Hinc autem *Supellectilem* nonnulli volunt dictam. Celsus Jurisconsultus *Digestis de Supellectili legata*: *Labeo*, inquit, *originem fuisse supellectilis putat, quod olim iis, qui in legionem proficiscerentur, locari solerent*

quæ

quæ sub pellibus usui forent: alii tamen à supplendo: *alii à* suppetendo supellectilem *volunt dictam. Sed prior etymologia mihi videtur probabilior, quippe cum utensilia atque supellex cum bellica, tum pacis maxima ex parte pellibus atque coriis constet.* Sed de pellibus, de tentoriis, de iis, quæ remigibus fuerunt substratæ, de pellibus hircinis, ovillis, aliisque vide plura apud Cœlium Rhodiginum libro 27. capite 14.

Sed ut ad sacrum pellium usum redeamus, observandum simulacra quoque Gentilium nonnulla pellibus, animalium nimirum immolatorum, tecta atque induta fuisse. Cicero *de Natura Deorum*: *Sospita Dea cum pelle caprina, hasta & scutulo.* Huc referenda alia quoque sacrorum vasa, organa atque instrumenta, quæ ex pellibus atque coriis confici fuerunt solita: quo pertinent pelles arietum taxorumque rubricatæ, quibus tabernaculum illud vere sacrum, apud Judæos Dei jussu fuit tectum, de quo *Exodi* 25. & 36.

Simulacra quoque nonnulla pellibus fuerunt tecta.

Denique pelles illæ, animalibus mactatis detractæ, erant anathemata quædam, quæ Gentiles in Deorum suorum templis suspendere solebant, tanquam dona quædam atque munia, ipsis gratissima. Hûc referendus commemoratione sane dignissimus clypeus ille ligneus, bovis mactati pelle obductus, qui Romæ in templo Fidii, tanquam perpetuum monumentum icti inter Romanos & Gabinos fœderis, fuerat suspensus: de quo sic scribit Dionysius Halicarnasseus: καὶ ἵνα μηδὲν τοῖς Γαβίνοις περὶ τοῦ μέλλοντος ὑπάρχῃ χρόνου, μηδ' ἐνδοιάζωσι, βέβαια δὲ ταῦτι σφίσι διαμένῃ, γράψας Ταρκύνιος ἐφ' οἷς ἔσονται δικαίοις φίλοι. τὰ μὲν τούτων ὅρκια συνετέλεσεν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας παραχρῆμα, καὶ διωμόσατο κατὰ τῶν σφαγίων. Τούτων ἐστὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσιν, ἀσπὶς ξυλίνη βύρσῃ βοείᾳ περίτανος τοῦ σφαγιασθέντος ἐπὶ τῶν ὁρκίων τότε βοὸς, γράμμασιν ἀρχαϊκοῖς ἐπιγεγραμμένη τὰς γινομένας αὐτοῖς ὁμολογίας. Ex quibus verbis apparet, ad ipsa usque Dionysii tempora Fœderis inter Romanos & Gabinos icti monumentum, in templo Dei Fidii, quem *Sanctum* Romani vocant, servatum esse, clypeo ligneo bovis, qui tum in confirmationem fœderis mactatus est, corio intecto, antiquis etiam inscriptis litteris, quæ leges fœderis indicarent, inter ipsos initi.

Pelles solitæ etiam suspendi, seu anathemata.

D. Halicarnasseus de clypeo pelliceo in templo Fidii.

Sed minime hîc silentio est prætereunda religiosa illa pellium apud Scythas observatio: quibus pellis jurisjurandi sacrosancti loco erat. Mos vero talis fuit: Quando quis injuria à quodam erat affectus, cui ulciscendo se nequaquam videbat esse parem, immolato bove carnes quidem coquebat aqua: pellem vero extendens, in ea ipse considebat; manibus vero adductis, ut ex iis unus, qui cubitis colligantur. Hic vero modus est illis gentibus supplicandi maximus. Adjacentibus igitur hostiæ carnibus adeunt domestici familiaresque primum, deinde cui collibuerit. Accepta vero carnis portione, dextroque super corium illato pede, pollicetur pro virili, unus quidem ἀσίτους καὶ ἀμίσθους, id est, *nullis cibariis, nullaque item mercede*: nonnulli gravis armaturæ milites: qui egentissimus est, offert se ipsum, fitque ad eum modum haud contemnenda in bovis corium aggregatio, estque ea tum firmissima, tum hosti prorsus inexpugnabilis, ut quæ jurejurando sit obstricta. Inde autem sæpe legitur in historia exercitum ex corio esse conflatum.

Pellium observatio religiosa apud Scythas.

His addendum & illud, novam nuptam apud Romanos in lanea pelle considere solitam, vel ob vetustum morem, quod antiquitus homines pellibus consopirentur, vel ut attestarentur sacrificium se præstituram viro.

In pelle considere solita nova nupta.

Lugentes quoque diebus luctus in pellibus erant. Unde M. Tullius in Pisonem: *Ecquid recordaris, cum omni totius provinciæ pecore compulso pellium nomine, omnem quæstum illum domesticum paternumque renovasti.* Et Festus: *Pellem habere Hercules fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur: lugentes quoque diebus luctus in pellibus sunt.*

Pellibus induti olim lugentes.

Ex hoc ipso autem cum sacro, tum prophano, & quidem antiquo & pervulgato pellium usu, multa in omnibus fere linguis nata sunt proverbia, quorum inter innumera hæc fere sunt præcipua, hauten / ein gute haut / haut und beltz dran setzen / auff der haut herumb werffen / auß anderen häuten oder leder riemen schneiden: *Alieno ludere corio, pellem assumere Leonis, Vulpis*, &c. Sen balg selbs zum Kürßner tragen. *Quiescere in propria pelle*, id est, contentum esse sua sorte, nec quicquam supra vires tentare. Horatius:

Varia proverbia, ex usu pellium nata.

Vel meritò, propria quoniam sub pelle quiescet.

Sic, *pellem caninam rodere, pelle præ te fers, etsi non dicas*, proverbialiter Latini dixerunt.

Et hæc quidem de excoriatione hostiarum in sacrificiis & pellium hostiis detractarum usu sacro apud Gentiles sint dicta.

Sed postremo observandum, nonnunquam hostias sive bestias mactatas unâ cum pellibus in ignem fuisse conjectas, eoque concrematas, ut in holocaustis fieri consuevit. Lucianus libro *de sacrificiis*: *Post incenso*, inquit, *igni, capram ipsam pariter cum pelle deportatam imponit* (sacerdos) *ipsam item cum lanis ovem.*

Pelles cum victimis aliquando in ignem conjectæ.

Post excoriationem autem sequitur apud Homerum & Apollonium hostiarum bestiarumve excoriatarum ἀνατομὴ, ut ita loquar, id est, *dissectio*, quam Homerus quidem hoc in loco, ut etiam multis aliis in locis, verbo διέχευαν exprimit, quod sacrorum videtur fuisse proprium.

De dissectione victimarum excoriatarum.

Αἶψ' δ' ἄρα μιν διέχευαν. ἄφαρ δ' ἐκ μηρία τάμνον.

Nota.

Hîc primum ad αἶψα, id est, *statim, continuo, confestim*, ut etiam aliis, idem significantibus, αὐτίκα, καρπαλίμως, significat summam in cerimoniis istis omnibus peragendis dexteritatem simul & celeritatem fuisse adhibitam. Verbum autem διέχευαν Eustathius interpretatur εἰς μέλη ἁδρὰ τὸν βοῦν διέτεμον μὲν συνεχῆ οὖσαν, id est, *in membra seu frusta crassa bovem secabant adhuc integram.* Idem Poëta Iliad.

Διαχέειν quid?

γ. in descriptione sacrificii similiter ex bove, quod Agamemnon Apollini fecerat, eodem utitur verbo διέχευαν:

- - - καὶ μιν διέχευαν ἅπαντα,

Et singula quidem dissecuerunt.

Verborum διαχεῖν & μιστύλλειν quod discrimen.

Quod Eustathius sic distinguit à verbo μιστύλλειν, de quo postea: διαχέειν μὲν τὸ μελίζειν: μιστύλλειν δὲ εἰς μικρὰς μερίδας κόπτειν, καὶ ὡς ἐν καθ' ἑνὸς εἰπεῖν, σμικρύνειν, Hoc est, Διαχέειν *est membratim*, sive *in membra dividere*, sive, ut alibi quoque fuit explicatum, *in parvas partes seu particulas concidere, & quasi imminuere*, id est, *minutim concidere.* Idem Eustath. *Odyss.* Z. eandem verbi utriusque differentiam sic definit: Διαχεῖται τὸ ἱερεῖον, ἁδρομερῶς: μιστύλλεται δὲ εἰς βραχέα τινα, *Hostia dicitur* διαχεῖσθαι, *quando in partes seu membra crassiora & majora:* μιστύλλεσθαι *autem, quando in partes breves & minutas secatur.* Item *Odyss.* ξ. in illa Homeri:

Αἶψα δέ μιν διέχευαν,

idem Scholiastes interpretatur, κατὰ μέρη διεῖλον, ἐμέλισαν, *in partes diviserunt, dissecuerunt:* & vult metaphoram ductam esse ἀπὸ τῶν ὑγρῶν, id est, *humidis* seu liquidis, quæ diffundi atque ita dissipari solent.

Apollonius quid de dissectione?

Eandem actionem Apollonius his verbis expressit:

Κόπτον δαιτρεύοντες, ἱερὰ μῆρ' ἐτάμοντο
Κὰδ δ' ἄμυδις τά γε πάντα καλύψαντες πύκα δημῷ
Καῖον ἐπὶ σχίζῃσιν.

Apollonius hîc pro verbo διαχεύειν, duobus utitur, nempe κόπτειν & δαιτρεύειν, quæ *cædere, secare, dividere* significant. Eustathius in illa supra: βοῦν ἐπικόψων, id est, ἐπάνω τοῦ τραχήλου πλήξων, ὅθεν καὶ ἐπίκοπον παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ ἐπίξηνον, quod proprie ἐπικάρμιον dicitur. A verbo igitur κόπτειν, sive ἐπικόπτειν, id est, *cædere, incidere, secare* vult derivari nomen ἐπίκοπον, id est, *truncum* sive mensam, in qua carnes secantur, quæ etiam ἐπίξηνον, sive ἐπίξηνος, & proprie ἐπικάρμιον sit dicta, Germanice ein metzgerbanck.

D. Halicarnasseus de dissectione.

Homeri & Apollonii descriptionibus similia sunt illa Dionysii Halicarnassei: Καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μελίσαντες, Hoc est, *Post id*, jugulationem videlicet, *excoriatam concidebant membratim.* Quod igitur Homero est διαχεύειν, Apollonio κόπτειν, δαιτρεύειν, id Dionysio est μελίζειν, id est, interprete Eustathio, εἰς μέλη ἁδρὰ διατέμνειν, *in membra crassiora secare.* Lucianus item de sacrificiorum ritu: *Pecudem*, inquit, ἀνατέμνων, καὶ τὰ ἔγκατα ἐξαίρων, καὶ καρδιουλκῶν, id est, *incidit, intestina educit, cor revellit*, &c.

Dissectio rite fieri solita.

Hæc porro hostiarum victimarumve, sive in majores & crassiores, sive in minores & tenuiores partes dissectio, dextre, solerter, rite accurateque fiebat: unde sæpe apud Homerum illæ particulæ ἐπισταμένως, id est, *scienter*, περιφραδέως, id est, *consulto* sive *considerate*, & κατὰ μοῖραν, id est, *rite & decenter* adduntur.

Nota.

Atque ad hanc ipsam diligentem, solertem, artificiosam accuratamque hostiarum cum in Judæorum, tum etiam Gentilium sacrificiis usitatam dissectionem atque divisionem Sanctum Paulum volunt alludere illo verbo ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, id est, *recte riteque secare atque dividere*, id est, apte & accommodate personis, locis & temporibus prædicare, explicare & interpretari verbum Dei.

Dissectio victimarum triplex. 1. Secundum quantitatem.

Hæc ipsa porro hostiarum bestiarumve dissectio fuit duplex: prior quidem in partes seu membra ἁδρὰ, ut sæpe Eustathius loquitur, id est, *majora & crassiora*, quam idem interpres verbo διαχεύειν, Homero familiarissimo, proprie vult esse intelligendam. Posterior, quæ in partes, seu particulas potius, minores, breviores & tenuiores facta est, quam verbo μιστύλλειν, quo & ipso Homerus in omnibus fere sacrificiorum descriptionibus utitur, Eustathius vult exprimi, de quo postea pluribus. Hostiarum igitur partes primo secundum quantitatem sic dividi possunt, quod illarum aliæ fuerunt majores & crassiores, aliæ minores & tenuiores.

2. Secundum situm.

Deinde secundum situm, quod aliæ fuerunt externæ, aliæ internæ, ut intestina, viscera, exta, de quibus postea, possunt dividi.

3. Secundum usum.

Tertio illarum divisio est secundum usum, quod nimirum illarum quædam in aram focumve fuerunt porrectæ, id est, projectæ, ignique concrematæ, atque ita Diis redditæ, consecratæ & oblatæ: aliæ vero reservatæ ad epulum, quas sacrificantes comederunt.

Coxarum in dissectione potissima fit mentio.

Sed quoniam apud Homerum non in hujusce tantum Nestorei, sed in omnium sacrificiorum descriptionibus, & apud Apollonium in Argonautici hujus sacrificii narratione, præ cæteris hostiarum immolatarum partibus omnibus, coxarum inprimis, seu femorum tam clara & illustris fit mentio, idcirco de iisdem, justa de caussâ primo loco mihi videtur esse dicendum. Incipiam autem pro more meo primum ab ipsis nominibus.

Μηρὸς, sive μηρὸν & μηρίον.

Ac nomen quidem Græcum, quo pars sive membrum istud, de quo nunc agimus, insignitur, est μηρὸς, sive μηρὸν, & μηρίον (quod in genere neutro plerunque, & quidem in plurali numero apud Homerum legitur) quod Latini & *costam*, & *coxendicem*, & *femur*, & *femen*, & *crus* vertunt ac interpretantur. Est quoque alia vox Græca, quæ *costam* seu *femur* significat, nempe ἰσχίον. Μηρὸς autem, sive μηρὸν, sive μηρίον, quod nomen in sacrificiis potissimum usurpatur, videtur dici quasi μερίς, sive μόριον, hoc est, *pars* κατ' ἐξοχὴν, propterea quod ista animalis pars eximia, selecta, & in primis sacra Diisque grata fuit habita: unde ἱερὰ μῆρα, id est, *costæ*, seu *femora sacra* hic ab Apollonio appellantur. Hinc μηροτομεῖν, *femur cædere*, &

μηροπε-

μηροπετὴς, καὶ *μηροπετὲς*, *femur cadens*, *fodiens*, *effodiens* & *καλλίμηρος*, *coxis* seu *femoribus pulchris praditus*, & Lacænæ *φαινομηρίδες* nuncupatæ, quod incessu partem hanc retegerent, teste Cœlio Rhodigino libro 4. capite 10. Ibidem *παραμήρια* vult dici femora inter coxas, & *μεσομήριον*, quod coxas interjacet.

Vocem autem Græcam *μηρὸς*, sive *μηρίον* alii, ut modo dixi, *coxam*, alii *coxendicem*, alii *femur*, alii *crus*, nonnulli etiam *inguina* reddunt.

Ac *coxa* quidem & *coxendix* pro eodem accipiuntur, quam nonnulli volunt dictam à *cogendo*, quod ibi femur cum superiore parte cogatur ac coarctetur. Sunt autem coxæ sive coxendices ossa duo, sacro ossi utrinque adstricta, cavaque quædam habentia acceptabula, quibus ossium femoris capitula inseruntur. Græce *ἰσχία* appellantur. Unde *Ischiadicus morbus*, qui coxendices infestat: & *Ischiadici* dicuntur, à coxendicibus laborantes. Plinius libro vigesimo quinto: *coxendicibus articulis omnibus cum axungia utilissima.* Cato incantamentum docet ad sanandas coxendices luxas, hoc est, loco suo motas. Suetonius de Augusto, *Coxendice, & femore & crure sinistro non perinde valebat: ut sæpe etiam inde claudicaret.* Plinius in Epistola: *Hunc dum sequitur colligitque per læve & lubricum pavimentum, fallente vestigio cecidit, coxamque fregit, quæ parum apte collocata, reluctante ætate, male coit.* Coxa sive coxendix.

A *coxa* fit verbum *incoxare*, id est, *cossim*, quasi *incoxim*, sive *in coxam sedere*. Pacuvius. *Adeo incoxante mihi pes obstupuit.* Incoxare.

Sub coxa femur est ad genu usque deductum, & ex lato in angustum desinens. *Pes* autem totum dicitur, quod est à femore ad calcem, & dividitur in coxam, sive coxendicem, femur, femen & genu. *Femur femoris*, & *femen feminis*, inquit Festus, *dici potest, ut* fenero & feneror. Etsi vero utrumque nomen in eadem fere significatione sit, tamen à nonnullis ita distinguuntur, & quidem bifariam: vel quod *femur* pars dicatur exterior sub coxendice; *femen* interior: vel quod *femen* pars sit posterior & crassior; *femur* anterior. *Femur* autem sive *femen* à *ferendo* volunt dici, quod iis præcipue partibus sustineatur animal atque feratur. Hinc *femoralia* dicta subligacula, quibus partes pudendæ teguntur. A femoris item sive feminis mollitie nonnulli feminam volunt nomen suum traxisse: quod quidem etymon ab ipsis Sacris Litteris non videtur abhorrere, in quibus primam fœminam sive mulierem, *Evam* postea nominatam, ex Adami, viri ac mariti sui dormientis, costarum una à Deo fuisse ædificatam (Hebræâ dicendi formâ) hoc est, fictam & formatam legimus: unde Adamus illam vitæ suæ adjutricem atque sociam ad se à Deo adductam, sibique connubio stabili junctam propriamque dicatam אשה *Ischah*, id est, *Virissam*, sive *Viram* ac *viraginem*, & os ex ossibus, atque carnem ex carne sua divino instinctu afflatuque appellavit. *Costa* ibi צלע *Tzelahh*, appellatur, quæ vox & *costam* sive *latus*, & *claudicationem* sive *lapsum* significat: eo quod claudicatio sive lapsus in alterum fit latus. *Costa* & *coxa* magnam inter se habent affinitatem. Quid si igitur *coxæ* dictæ sint quasi *costæ*, quo corporis totius sunt quasi columnæ quædam? Femur, sive femen. Femoralia. Femina. Costa.

Denique huc inter nomina *coxæ* sive *coxendicis* referri debent, etiam Hebræa: quorum duo fere sunt. Primum est ירך *jarech*, proprie quidem *coxam*, sive *femur* significans: translate vero ad multa pro latere cujuslibet rei transfertur; quia videlicet femur est in latere, ut supra quoque dictum. Exemplum posterioris significationis illustre exstat *Exodi* quadragesimo capite, versu trigesimo, ubi ירך המשכן *jarech hammischcan*, *femur tabernaculi*, latus ejus appellatur. Alterum nomen, quo coxam insigniunt, est שוק *Schok*, ut *Proverbiorum* vigesimo sexto capite, versu septimo dicitur: *Elevate* שוקים *Schokim*, id est, *coxas à claudo.* Vocis hujus etymon ignoratur: quidam tamen voci שוק *Schuk*, affinem faciunt, quæ *vicum*, *plateam* significat, quod excurrat coxa à corpore, sicut vicus è platea. Galli ab hac Hebræa voce שוק *Schok* vel שוק *Schuk*, mutuati sunt vocem *Choquer*, quæ femoribus sive coxis collidere significat. Nomina Hebræa coxarum. 1. *jarech.* 2. *Schok.*

Et hæc de nominibus.

Nunc, quod attinet ad coxarum sive femorum istorum sacrificium, quod diligenter accurateque ab Homero describitur, in eo hæc fere sunt observanda, secundum ipsius Homeri & aliorum descriptionem. Horum primum est ipsa *τομὴ*, id est, *sectio* seu *amputatio* illorum, quod Græci uno verbo composito *μηροτομεῖν* exprimunt. Homerus: I. Coxarum sectio. Homerus de hac sectione.

Α'φαρ δ' ἐκ μηρία τάμνον, Πάντα κατὰ μοῖραν,

Statim autem (nota rursus celeritatem & agilitatem, quæ fuit adhibita) *coxas exciderunt, omnia rite.*

Illud *πάντα* Eustathius interpretatur *ὅλα* seu *ὁλόκληρα*, id est, *tota*, *integra*, *solida.* *Alioquin enim* (addit) *vox πάντα esset supervacanea, cum duæ tantum sint costæ sive femora.* Mihi particula illa *πάντα* videtur generaliter ad totam actionem esse referenda, ut significetur, omnia hæc *κατὰ μοῖραν*, ut addit, hoc est, *rite atque legitime* fuisse peracta. *Iliad. α. μηρούς τε ἐξέταμον.* Scholiastes Homeri reddit *ἐξέκοψαν.*

Apollonius quoque hujus exsectionis meminit: Apollonius.

- - - - καὶ ἱερὰ μῆρ' ἐτάμνοντο·

Et sacra femora excidebantur.

Verbo hoc *ἐκτέμνειν*, quo Homerus & Apollonius utuntur, non simpliciter costarum femorumque exsectio, abscissio & amputatio, sed præstantia simul eorundem videtur intelligenda, quæ verbo Græco cum *ἐκ*, & Latino cum *ex* sæpe designatur: ut sensus sit, illas potissimum partes primo omnium, tanquam eximias, selectas, Diis inprimis gratas & acceptas, fuisse amputatas, sive abscissas, quæ primæ Diis offerrentur: unde *ἀγλαὰ*, id est, *splendida* ab Hesiodo appellantur: Nota.

Επεὶ δ' ἀγλαὰ μηρία καίειν:

Postea autem splendida femora sive *coxas adurito, adoleto.*

II Coxarum obductio: quæ adipe facta. Secundo coxas sive femora ista adipe sive pinguedine operierunt, sive obduxerunt. Homerus:

- - - κατὰ τε κνίσῃ ἐκάλυψαν,

Insuper omento operierunt.

Apollonius:

Κὰδ δ' ἄμυδις τάγε πάντα καλύψαντες πύκα δημῷ.

Simulque hæc omnia (ἱερὰ μῆρα, sacra femora) *operientes* sive *tegentes*, videlicet ornate, affabre, prudenter, (id enim sibi vult nomen πύκα) *densâ pinguedine.*

Apollonius de obductione ista. Apollonii Scholiastes δημῷ interpretatur, τῷ ἐπίπλῳ ἐνειλοῦσι τὰ ἱερεῖα, ἵνα εὐκαύστατα ὦσι, id est, *omento involvunt hostias, ut facillime exardescant atque conflagrent.* Homeri Scholiastes δημῷ vertit τῷ λίπει. Est autem δῆμος *populus*, & δημὸς, *pinguedo.* Eustathius *Iliad.* α. τοὺς δὲ μηροὺς κνίσῃ, τουτέστι, inquit, πιμελῇ καλύπτοντες ἔκαιον: *coxas autem* sive *femur, pinguedine cooperta, comburunt.* Ibidem indicat, pro κνίσῃ hodie vocem κνισσάρελον usurpari.

Κνίσσα quid? Vox κνίσσα autem sive κνίσα, per simplex σ, ἀπὸ τοῦ κνῶ, id est, κνίζω, duo apud Homerum significat, Eustathio auctore, nempe & λίπος, id est, *pinguedinem*, & τὴν ἀπὸ κρεάτων ὀπτωμένων καπνοῦ ἀνάδοσιν, id est, *evaporationem, fumum, nidorem ex carnibus assatis*, Eustathius in *Iliad.* α. Item, κνίσσα ἡ τῆς πιμελῆς ἀνάδοσις, id est, *pinguedinis evaporatio.* Idem *Odyss.* ρ. ἡ κατ' ὀλίγον ἀπὸ τῶν ὀπτωμένων ἀναφορὰ τῇ ὀσφρήσει. Sic Arnobius sæpe *Cnissæ* voce Græca pro vapore atque nidore utitur. Hoc in loco κνίσσα, λίπος, sive πιμελὴν, id est, *omentum, adipem* sive *pinguedinem* significat, qua coxæ sive femur obduci atque involvi solebant, quo & major inde flamma, vapor atque nidor excitarentur, & illa tanto facilius conflagrarent: id quod auspicatum & boni ominis loco habebatur. Et hoc ipsum quidem summo studio, riteque fieri consuevisse, particula illa πύκα, qua Apollonius utitur, satis ostendit.

III. Coxarum duplicatio. Eodem fere pertinet tertium membrum, cujus Homerus in omnibus fere sacrificiis meminit: δίπτυχα ποιοῦντες, id est, *duplicia*, sive *bifariam facientes*, scilicet femora sive coxas. Quid autem sit, τὰ μηρὰ δίπτυχα ποιεῖν, malo ipsius Eustathii verba proferre, ex quibus constat, cum ipsorum femorum, sive coxarum binarum, tum adipis sive pinguedinis, quibus coxæ obducebantur, duplicationem, quæ utraque in sacrificiis usitata erant, ista dicendi forma intelligi. Eustathii verba *Odyss.* E. hæc sunt: Δίπτυχα παρὰ τὸ πτύσσω λέγεται, καὶ ὅτι δίπτυχα ποιεῖν λέγεται τὸ τὰ κνίσῃ διπλᾶ θέσθαι, ἐν ἄνω τῶν μηρῶν, καὶ ἐν κάτω. Item: Δίπτυχα ποιεῖν τὸ δίπλωμα ποιεῖν τῇ πρὸς ἀλλήλους ἐπιθέσει μηρῶν, *Iliad.* α. id est, *Duplicia sive duplicata dicuntur à plicando, seu complicando, atque ita duplicia facere significat, vel pinguedinis unam partem supra femora, alteram sub illis ponere. Vel ea duplicare unum supra alterum collocando.* Idem Eustathius *Odyss.* Γ. Τὸ δίπτυχα ποιῆσαι, λέγεται μὲν καὶ ἄλλως. Ἀρέσκει δὲ τοῖς παλαιοῖς μάλιστα, νοεῖν ἀντὶ τοῦ, τὰ κνίσῃ φασὶ διπλωθέντες ἐν ἄνω τῶν μηρῶν, καὶ ἐν κάτω, ἐφ' ὧν ὠμοθέτουν, τῶν λοιπῶν μερῶν ἀπαρχόμενοι. Hoc est, *Duplicia sive duplicata facere etiam aliam significationem habet: sed Veteribus maxime placet hac dicendi formâ significari pinguedinis duplicationem, cujus una pars supra femora, altera infra ponatur.* Sed copiosius adhuc & planius idem Scholiastes duplicem istius phrascos significationem atque sensum, ac duplicem proinde consuetudinem his verbis exprimit *Iliad.* α. Ἔκαιον δὲ δίπτυχα ποιοῦντες, ἤγουν δίπλωμα τῇ πρὸς ἀλλήλους ἐπιθέσει τῶν μηρῶν, ἢ μάλιστα διπλοῦντες ἐν αὐτοῖς τὴν κνίσαν. Ἦν γὰρ σπουδὴ ὁλοκαυτωθῆναι τοὺς μηροὺς λαμπρῷ καταφλεχθέντας πυρὶ, ὡς εἰ μὴ τοῦτο ἀπέβαινεν, ἀπαίσιον ἦν τοῖς Ἕλλησι τὸ γινόμενον: καὶ οὐκ ἐδόκουν καλλιερεῖν ὁπηνίκα κατὰ τὴν τραγῳδίαν οἱ μηροὶ καταῤῥυεῖς, καλυπτῆς ἐξέκειντο πιμελῆς. Hoc est, *Duplicia facientes, vel duplicationem, coxas sive femora alia super alia ponentes: vel potius pinguedinem illorum duplicantes. Id enim omni studio elaborabant, ut femora claro luculentoque conflagrantia igni tota absumerentur; quoniam id nisi fieret inauspicatum Græcis esse videbatur: nec se putabant litare, quando terrore aliquo religionis injecto, coxæ seu femora ex pinguedine, qua erant involuta, exciderant.*

IV. Crudæ particulæ impositio femoribus. Eustathius de hoc ritu. Quartum hujusce coxarum sive femorum holocausti membrum fuit, quod crudæ particulæ ex omnibus reliquis hostiæ membris profectæ duplicatis illis femoribus imponebantur, atque ita simul cum illis in ignem porriciebantur & adolebantur. Hoc autem Homerus exprimit verbo ὠμοθετεῖν, quod de verbo ad verbum significat *crudum imponere*: de quo Eustathius disserit *Odyss.* Γ. Τῶν δὲ λοιπῶν τοῦ ζώου μελῶν, μικρά τινα ἐκτέμνοντες, οἷόν τινας ἀπαρχὰς τοῦ ὅλου ζώου, ἐπετίθουν αὐτὰ τοῖς διπτύχοις, καὶ τοῦτο ὠμοθετεῖν ἐκάλουν τὸ τοῖς μηροῖς ὠμὰ πάντοθεν ἀκρωτηριαζόντας κρεάτων ἐπιθέναι τμήματα: ὡς δοκεῖν κατὰ τοὺς παλαιοὺς, ὅλα οὕτω τὰ μέρη τοῦ ἱερείου καρποῦσθαι: τινὲς μὲν τοι ὠμοθετεῖν ἄλλως εἶπον, ὡς ἀπὸ τοῦ ὤμου. Εν γοῦν ῥητορικῷ λεξικῷ εὕρηται οὕτως: ὠμοθέτησαν, τὸ ἀφ' ἑκάστου μέλους τοῦ ἱερείου ἀπετέμοντο καὶ ἀπήρξαντο ἀπ' ὤμου, καὶ ἐνέβαλον εἰς τὰ μηρία κατὰ τὴν θυσίαν, καὶ οὕτω μὲν πῶς ὠμοθέτουν θύοντες. Hoc est, *Ex reliquis animalis sive hostiæ membris parva quædam resecantes, tanquam primitias quasdam totius hostiæ, ea imponebant duplicatis illis femoribus, & id appellabant* ὠμοθετεῖν, hoc est, *coxis sive femoribus crudas imponere carnium, undique ex hostia resectarum, particulas, cum Veteres sibi persuaderent, se hoc pacto tota hostia frui. Nonnulli vero verbum hoc* ὠμοθετεῖν *aliter interpretantur* ἀπὸ τοῦ ὤμου, id est, *humero. Sic enim in libro Rhetorico legitur:* ὠμοθέτησαν, hoc est, *ab uno quoque hostiæ membro, quod resecabant, initio ducto ab humero, idque in sacrificio, conjiciebant in femora sive coxas, & sic aliquo modo sacrificantes* ὠμοθέτουν, id est, *humerum ponebant.*

His

Scholiastes Homeri.

His pene similia sunt illa Scholiastis in Homerum *Iliados α.* in illa: ἐπ' αὐτῶν δὲ ὠμοθέτησαν, ἀπ' αὐτῶν δὲ ὠμῶν τῶν ἱερείων ἀπαρξάμενοι ἔκοψαν μικρὸν ἀπὸ παντὸς μέρους, καὶ ἐπέθηκαν ἐπὶ τὰ μηρία, ὡς δοκεῖν ὅλα τὰ μέρη τοῦ ἱερείου καρποῦσθαι. Hoc est, *Ab ipsis autem hostiis crudis incipientes parvam quandam ex omnibus earum membris partem abscindebant, eamque coxis imponebant, ita ut totius hostiæ membris sibi viderentur frui.*

Hesychius. Homerus.

His consentanea sunt illa Hesychii: ὠμοθετεῖν, inquit, ἐστὶ τὸ ἀφ' ἑκάστου μέρους τοῦ ἐσφαγισμένου ἱερείου ἀφαιρεῖν, ἐπ' ὠμοῦ ὄντος, καὶ ἐπιθεῖναι ἐπὶ τὴν θυσίαν. Hoc est, ὠμοθετεῖν *est ab unoquoque hostiæ mactatæ membro adhuc crudo aliquid decerpere, & id sacrificio imponere.* Nec ὠμοθετεῖν tantum, sed etiam ὠμοθετεῖσθαι dicitur, ut *Odyss.* ξ.

> Αἶψα δέ μιν διέχευαν. ὁ δ' ὠμοθετεῖτο συβώτης
> Πάντοθεν ἀρχόμενος μελέων ἐς πίονα δημὸν,
> Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε παλύνας ἀλφίτου ἀκτῇ.
>
> *Statim autem ipsum* (porcum nimirum mactatum & ustulatum) *diviserunt:*
> *cruda autem posuit subulcus*
> *Undique initio facto à membris in pinguem adipem,*
> *Et partim quidem in ignem jecit, ubi commiscuisset farinæ flore.*

Vel, ut ea carmine eleganti reddidit Fridericus Sylburgius:

> *Crudaque de cunctis delibans frustula membris*
> *Pingui convestit: mox omnia polline puro*
> *Conspergit, flammisque adolenda voracibus indit.*

Scholiastes Homeri. Eustathius.

Hîc Scholiastes ὠμοθετεῖτο exponit ὠμῶν ὄντων τῶν κρεῶν ἀπήρχετο τοῖς θεοῖς, id est, *cum crudæ essent carnes, primitias Diis offerebat.* Recte. Ex omnibus enim membris primitias Diis crudas apponebant, quæ postea in ignem conjecta adolerentur. Eustathius in hunc locum, διχῶς, inquit, καὶ ὠμοθετεῖν καὶ ὠμοθετεῖσθαι dicitur, ut ex hoc loco apparet: ὁ δ' ὠμοθετεῖτο συβώτης. ὅπερ καὶ ἀπαρχή τις ἐστὶ τῶν τοῦ ἱερείου μελῶν δηλοῖτο, πάντοθεν ἀρχόμενος μελῶν, καὶ μετ' ὀλίγα ἄργματα θῦσε θεοῖς, *Initiationes* seu *primitias sacrificavit Diis.*

D. Halicarnasseus.

Ad hæc postremo magis illustranda apprime conferunt illa Dionysii Halicarnassei libro septimo: καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μελίσαντες, ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἑκάστου σπλάγχνου, καὶ παντὸς ἄλλου μέλους, ἃς ἀλφίτοις ζέας ἀναδεύσαντες προσέφερον θύουσιν ἐπὶ κανῶν. Οἱ δὲ ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιθέντες ὑφῆπτον, καὶ προσέσπενδον οἶνον κατὰ τῶν ἁγιαζομένων, *Ac mox excoriatam* (hostiam) *concidebant membratim* (διέχευαν Homero) *delibatasque ex singulis visceribus sive extis aliisque membris primitias* (hoc est ὠμοθετεῖν) *farrea farina imbuebant* (secundum illa Homeri; παλύνας ἀλφίτου ἀκτῇ) *& in canistris offerebant sacrificantibus: qui aris impositas succendebant, & vinum inter adolendum affundebant.* Idem paullo post, exempli gratia, in medio adducto illo Eumæi subulci sacrificio suillo, cujus descriptionem Homericam paullo antea citavi, addit: ἀπαρχάς τε ἀπὸ τῶν σπλάγχνων λαμβάνοντας, καὶ ἀπὸ τῶν ἄλλων μελῶν, καὶ ταύτας ἀλφίτοις δεύοντας καὶ καθαγίζοντας ἐπὶ τῶν βωμῶν. Hoc est, *Primitias item extorum aliorumque membrorum desumentes, easque farinis imbutas super aris adolentes* (subintellige, Poëta) *introducit.*

Femora in ignem conjici solita.

Postquam vero coxas sive femora & exsecuerunt, & exsecta omento, adipe sive pinguedine operuerunt ac involverunt, & eo, quo dictum est, modo duplicarunt, & denique crudas illas particulas ex omnibus hostiæ membris resectas & farre involutas, tanquam primitias quasdam coxis seu femoribus imposuerunt, tandem hæc omnia in ignem conjecta adoleverunt, Diisque suis, tanquam holocaustum ipsis gratum & jucundum obtulerunt. Hinc Homerus:

Homerus quid de hoc ritu?

> Καῖε (Scholiastes, ἔκαιε) δ' ἐπὶ σχίζης (idem ἐπὶ σχιζῶν) ὁ γέρων:
> *Adolebat ea super ligna senex*, id est, Nestor.

Apollonius.

Apollonius:

> Καῖον δ' ἐπὶ σχίζῃσιν·
> *Adoleverunt super lignis.*

Cui similiter subjungit meri effusionem. Sic Homerus de Eumæi sacrificio:

> Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε:
> *Et hæc in ignem conjecit.*

Finis consecrationis femorum quis olim?

NVNC postremo, antequam ulterius progrediar, dicendum aliquid est de fine, cur Græci illi veteres tanto studio, atque cerimonia coxas in primis sive femora bestiarum Diis suis consecrarint, & in illorum honorem concremarint. Ejus rationem hanc reddit Eustathius *Iliad α.* hisce verbis: καὶ οὕτω μὲν τοὺς μηροὺς ὡς τι τίμιον ὡλοκαύτουν, ἐξαιροῦντες ἀπὸ τῶν ἄλλων τοῦ ζώου μερῶν, διὰ τὸ συντελεῖν τοῖς ζώοις εἰς βάδισίν τε καὶ εἰς φύσιν τῇ προέσει τοῦ σπέρματος. Hoc est, *Et hoc quidem modo rituque coxas sive femora tota in solidum concremabant, ea tanquam pretiosum quid ex reliquis hostiæ membris deligentes, propterea quod ea conferunt atque conducunt ad animalium & ingressum atque incessum, & generationem ejectione seminis.* Ex his Eustathii verbis constat, Ethnicos, qui non nisi eximia, selecta ac pretiosa Diis suis offerenda sibi atque consecranda esse putabant; idcirco hæc quoque potissimum animalium membra ipsis, tanquam munera pretiosissima sacrasse & adolevisse. Duplicem autem & quidem maximum istarum partium usum esse docet. Unus est, quod totius corporis sunt quasi columina atque fulcra ad illud sustentandum, & ad illius motum incessumque omnino

nino sunt necessariæ. Alter earundem usus cernitur in generatione: unde *femina* quasi *semina* dicta: unde etiam *femina*, id est, mulier videtur denominata. Huc referenda vetus juramenti forma, quâ soliti sunt illi, qui se juramento obligabant, manus ejus femori, cui se obligabant, subjicere, *Genesis* 24. & 28. Hanc jurandi consuetudinem sunt, qui inde profectam putant, quod ex femore sit procreatio: unde *Genesis* 46. capite, animæ dicuntur progressæ de femore Jacob. Sed de hoc partium istarum, ut etiam aliarum omnium, usu consulendi sunt Physici atque Medici.

Consecratio femorum apud Gentiles nata ex κακοζηλίᾳ. Præter hanc vero rationem, quam Eustathius adfert, verisimile est Ethnicos, superstitionis hujus suæ circa coxas sive femora hostiarum, occasionem partim ex illa Evæ ex Adami sopiti costa fictæ à Deo atque formatæ historia, partim ex altera illa historia de coxæ sive femoris Jacobi Patriarchæ, in admirabili illa cum Angelo lucta, luxatione, & quæ illam consecuta fuit, claudicatione, arripuisse. Et quoniam, ut Sacris Litteris proditum est, Judæi in rei illius memoriam abstinuerunt ab esu nervi contractionis, qui est in pala femoris: sic probabile est, Gentiles quoque κακοζηλίᾳ quadam, ut etiam in aliis factitarunt, in sacrificiis suis hostiarum coxas atque femora Diis suis maluisse adolere, & in illorum honorem concremare, quam ea comedere. Aliàs tamen in profanis epulis, ut νῶτα, id est, *dorsa*, sive *terga*, sic quoque μηρὸς, id est, *femora*, Eustathius *Odyss.* θ. docet fuisse, ut ipse loquitur, περισπούδαστα, id est, *magnopere expetita*: idque Posidonii testimonio comprobat, qui in epulis publicis optimum & fortissimum quemque μηροῦ, id est, *femoris* portione fuisse honoratum testatur: de qua parte monomachia nonnunquam atque duella inter convivas extiterint. Et hæc de coxis sive femoribus sint dicta, quorum in sacrificiis, ut ex Homero & aliis Scriptoribus constat, tam diligens superstitiosaque in sacrificiis à Gentilibus habita fuit ratio & observatio, ut pluribus fuit explicatum.

Aliæ partes hostiarum, præter femora, consecratæ. CONSEQVENS nunc videtur esse, ut de aliis quoque hostiarum partibus, earumque in Gentilium sacrificiis usu, seu abusu potius superstitiosissimo dicamus. Quemadmodum igitur Gentiles coxas atque femora hostiarum suarum, quæ motus generationisque animalis sunt instrumenta, Diis suis potissimum sacrificarunt: sic capita quoque atque linguas immolatarum bestiarum iisdem consecrarunt.

1. Capita. Ac quantum ad capita attinet, quæ principem inter corporis membra locum obtinent, taurorum & arietum capita, detractis carnibus, cum ornatu cultuque illo suo sacrificiali in templis affigi atque suspendi fuisse solita legimus, tanquam testimonia atque monumenta ipsorum religionis atque pietatis erga suos Deos. Illorum quoque picturæ & imagines ibidem visebantur, ut in picturis antiquis, quas Guilielmus de Choul in libro suo ponit, cernere licet. Ægyptiorum mos mirus hîc non est tacendus. Illi hostiæ caput diris devovebant, & cum precatione, seu imprecatione potius solenni in flumen dejiciebant, ut, si quid adversi accideret, in caput illud redundaret.

2. Linguæ. Linguarum autem, quæ peractis sacrificiis in epulo sacrificiali ante convivarum discessum in focum conjectæ comburebantur, frequentissima apud Homerum & alios Scriptores fit mentio, cum qua linguarum concrematione conjungebatur libatio, de quibus vide mea *Convivialia.* Athenæus libro primo, *Post cœnam*, inquit, *cum jam cœtus dissolveretur, libabant antiqui Mercurio, non ut posteritas Jovi Teleo* (τέλειον Hesychius τελεσιουργὸν, καὶ ὁλόκληρον exponit, id est, *sacrorum perfectum & integrum,*) *quoniam Mercurius somno praeest. Libabant & eidem à cœna discessuri ob linguæ commercium. Mercurio namque sacræ linguæ sunt ob eloquentiam & orationis perspicuitatem.*

Cur linguæ consecratæ & crematæ? Cœlius Rhodiginus *Lectionum antiquarum* lib. 13. cap. 5. Ionum vel Atticorum hunc morem fuisse ait, rationesque hujus rei affert varias, vel quia inter membra reliqua bonitate lingua præstet: optima vero Diis reddi par sit: vel quod linguæ & verbis parcant somnum petentes: vel quia in conviviis prolata, silentio sint obruenda (unde est illud, μισῶ μνάμονα συμπόταν, *Odi memorem compotorem*) vel quoniam linguas amburendo (amburi autem solebant, juxta illud Homeri *Odyss.* γ. γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον) perperam dictorum labes expurgarent. Addit Spondanus, hoc fieri solitum in fine convivii, quia post multas confabulationes significabatur, tunc illis esse finem imponendum: nec poterat melius ullum silentii symbolum usurpari quam ista linguarum adustio, cum lingua sit orationis instrumentum. Sed & apud Aristophanem in *Pluto* ad hæc verba, γλῶττα τῷ κήρυκι τούτων τέμνεται, Interpres refert, Callistratum tradere, olim in sacrificiis linguam exsectam præconibus dari solitam. Unde forsan colligi possit, linguam Mercurio, ob illius præconium, quo Diis inservit, deberi. Vide de hac re etiam Erasmum in *Adag. Chil.* 3. *Cent.* 7. adag. 42. Theophrastus *de Characteribus* περὶ τῆς μικρολογίας scribit Dianæ quoque libationes illas fieri solitas. Sed de linguarum immolatione in epulo sacrificiali, in quo illa fieri fuit solita, proprius est dicendi locus, cujus & Homerus & Apollonius in his duobus sacrificiorum exemplis aperte meminerunt. Græcos de cæsis victimis, capite & ventre retentis, cætera dedisse Diis, linguas præconibus, testis est Peucerus *de Divinatione.* Supra quoque in loco de materia sacrificiorum non pauca de singulis hostiarum partibus fuerunt dicta.

3. Viscera, sive exta. Eustathius de extis. NVNC vero ab externis hostiarum partibus progrediamur ad partes atque membra interna, quæ à Græcis σπλάγχνα generatim, à Latinis *viscera* & *exta* appellantur, quorum in sacrificiis Gentilium maximus usus fuit. Eustathius *Iliad.* α. explicata coxarum seu femorum cerimonia subjungit: κατακαυθέντων δὲ τῶν μηρῶν τότε δὴ πρὶν ἢ φαγεῖν, ἐμερίζοντο ἑαυτοῖς εἰς βρῶσιν, τὰ τῷ σπληνὶ παρωνυμούμενα σπλάγχνα, τουτέστι τὰ ἐντοσθίδια σπλῆνα, καρδίαν, ἧπαρ. τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ σπλάγχνα ἐπάσαντο δηλοῦντες ἐνδιαθέτως ἐκ ψυχῆς τελεῖν τὴν θυσίαν. Ἔστι δὲ πάσασθαι τὸ γεύσασθαι, ἀφ' οὗ καὶ ἄπαστος ἐδητύος ὁ ἄγευστος. Hoc est, *Concrematis autem coxis seu femoribus, tunc antequam cibum caperent sibi ipsis ad cibum dividebant* σπλάγχνα, *quæ voci* σπλὴν *sunt cognomina, hoc est, intestina: cujusmodi est splen, pulmo, hepar, sive jecur. Id enim sibi volunt illa Homeri*

σπλάγχνα

σπλάγχνα ἐπάσαντο, *qua dicendi forma ſignificat ſacrificium interne ex animo eſſe faciendum. Eſt autem πάσαϑαι idem, quod γεύσαϑαι*, id eſt, *guſtare, unde ἄπαυςος, ἐδηςύος idem eſt, quod ἄγευςος jejunus, qui cibum non guſtavit.* His Euſtathii verbis præmiſſis, de viſceribus & extis nunc dicemus initio facto à nominibus.

Viſcera Hebraice קרבים *Kerabim* appellantur à ſingulari קרב *Karab*, quod *intimum, inteſtinum, medium* ſignificat, à קרב *Karab*, *appropinquavit, adjunxit ſeſe*, quia ſunt intima corporis membra. Eandem ob cauſſam etiam מעים *Mehim*, & in duali *Meahim*, appellantur: qua voce Rabbi David Kimchi in Pſal. 22. docet intelligi כל האברים הפנימים *cal haaberim hapenimim, omnia membra interiora.* Hinc Pſal. 46. dicitur: *Lex tua eſt in medio viſcerum meorum*, id eſt, in corde meo, quod inter viſcera principatum tenet. Idem Kimchi מעות *Mehoth*, lapillos arenæ vocat Iſa. 48. quaſi inter arenam latentes, vel ex arena natos. Alii piſces, quaſi maris viſcera & interanea intelligunt. Germani eingeweid appellant, forſan ab *inguine* ſive *inguinibus.* Nomina Hebræa viſcerum.

Generalis deinde & communis vox apud Græcos, qua *viſcera, exta* ſeu *inteſtina* appellantur eſt σπλάγχνον, quæ, ut hoc ipſo in loco & alibi Euſtathius ſæpe docet, derivatur à voce σπλὴν, Dorice σπλὰν, hoc eſt, *ſplene*, quæ viſcerum pars eſt. Hinc σπλαγχνεύειν, & σπλαγχνεύεσϑαι, *exta in manus ſumere & attrectare*, quod fiebat à conjuratis, quod Dion de Catilina narrat, jurejurando & religione arctiſſime ſe adſtringentibus. Significat item extorum & *viſcerationis fieri participem*, nec non *augurari per exta.* Inde & σπλαγχνοτόμος, *viſcerum ſector* dicitur, qui viſcera hoſtiæ mactatæ cultro reſolvit & eximit. Euſtathius viſcerum tria genera enumerans, nempe ſplen, cor, & jecur, ea ἐντοσθίδια (ſcribuntur etiam ἐντόσθια, & ἐνδόσθια) id eſt, *interanea* vocat, quia ſunt intra corpus, in corpore latent: quo nomine à Græcis etiam ἔγκατα, ut à Luciano, & ἔντερα, ἔνδινα, ἐγκοίλια, nimirum à ſitu ſeu loco appellantur. Nomina Græca viſcerum. 1. σπλάγχνον. 2. Ἐντοσθίδια. 3. Ἔγκατα.

Dicuntur etiam χορδαὶ, item τομία ἀπὸ τῆς τομῆς *à ſectione*, in qua ſignificatione Demoſthenes quoque & Æſchines hoc nomine τομίων utuntur, quaſi dicas *ſecta*, ſive *reſecta, exſecta, proſecta*: quia ſectione è victima eximebantur, ſuper quæ exſecta manus imponere, vel etiam ſtare, atque ita jurare ſolebant, ut docet Dionyſius Halicarnaſſeus, libro ſeptimo: de qua jurandi conſuetudine poſtea. Poſſunt tamen voce τομίων etiam aliæ partes, quæ ex victimis recidebantur intelligi. 4. Χορδαί. 5. Τομία.

Ἔντομα etiam dicuntur & exta, ſive etiam aliæ victimæ partes, & fœdera (quæ ſacrificiis interpoſitis & adhibitis fiebant) & expiationes Heſychio. Nam ἐντέμνειν & *incidere*, & *cæſas* ſeu *mactatas hoſtias immolare* atque *ſacrificare* ſignificat. Thucydides libro quinto, ὡς ἥρωΐ τε ἐντέμνουσι, καὶ τιμὰς δεδώκασι, id eſt, *tanquam Heroi cædunt victimas* ſive *ſacrificant, & honores tribuerunt*: unde ἐντομὴ & *inciſuram* ſive *inciſionem*, & *ſacrificium*, quod cæſa ſeu inciſa ſit victima, ſignificat. 6. Ἔντομα.

Non eſt hic ſilentio prætereundum, σπλάγχνον, de quo modo dictum, præter propriam ſignificationem, capi ſæpiſſime in Sacris & profanis Litteris, ut etiam *viſcera* apud Latinos, pro amore, miſericordia, & alio affectu intimo, maximo & flagrantiſſimo: quoniam σπλάγχνα, ſeu *viſcera* membra ſunt corporis intima, corporis ipſius penetralia (unde etiam in omnibus fere linguis ſuum nomen habent) maxime vitalia, mollia, tenera, quibus cibi digeruntur, utilia retinentur, ſuperflua emittuntur: quoniam item affectuum ſunt ſedes & inſtrumenta: unde per metonymiam ſæpe pro ipſis affectibus ſumuntur. Et ſic apud Euripidem in *Medea* vox σπλάγχνον *miſericordiam* ſignificat. Unde verbum σπλαγχνίζεσϑαι in Sacris præſertim Litteris, Veteris & Novi Teſtamenti ſæpiſſime accipitur pro, *Ex intimis viſceribus & medullis miſericordia affici atque moveri*, quod Deo creberrime atque Chriſto ϑεανϑρώπῳ tribuitur & hominibus: ut Lucæ primo σπλάγχνα ἐλέους, *viſcera miſericordiæ, per quæ Deus exoriens ex alto nos viſitavit.* Sic 2. Corinth. 7. σπλάγχνα αὐτοῦ (Titi) περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς ἐστιν, *viſcera ejus abundantius erga vos ſunt*, id eſt, tanto vos magis ex animo, ex intimis animi viſceribus amat. Sic Philipp. 1. μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ ϑεὸς, ὡς ἐπιποϑῶ πάντας ὑμᾶς ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Deus enim mihi eſt teſtis, quod vehementer omnes vos deſidero in viſceribus Jeſu Chriſti*, Hoc eſt, me ex intimis planeque Chriſtiano affectu per & propter Chriſtum maximo veſtrum flagrare deſiderio. Et capite ſecundo: Εἴ τινα σπλάγχνα, καὶ οἰκτιρμοὶ, *ſiquidem viſcera & miſerationes*: ubi οἰκτιρμοὶ adduntur ἐξηγητικῶς. Pauli gravis obteſtatio: *ſi quis eſt animorum veſtrorum erga me affectus, amor, miſericordia*, &c. Sic Coloſſ. 3. Ἐνδύσασϑε σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, *induite viſcera miſerationum*, id eſt, ſtudete ſincero erga fratres veſtros amori & miſericordiæ, date operam, ut ornati ſitis & inſtructi vero, ſincero & ardente amore atque miſericordia erga fratres veſtros. In Epiſtola ejuſdem Apoſtoli ad Philemonem ter σπλάγχνων, id eſt, *viſcerum* fit mentio. Primo dicit σπλάγχνα, id eſt, *viſcera* Sanctorum per Philemonem fuiſſe refocillata. Secundo: *Refocilla*, inquit, τὰ σπλάγχνα, *viſcera mea.* Tertio: *Tu autem eum* (Oneſimum) τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, *mea viſcera ſuſcipe*: ubi ipſum Oneſimum vocat *ſua viſcera*, (ut Titus amor & delitiæ gentis fuit appellatus) id eſt, ſibi cariſſimum: Sic Penelope apud Ovidium τὰ σπλάγχνα, id eſt, *viſcera noſtra, tuæ dilaniantur opes*, id eſt, quæ ſunt, tanquam viſcera noſtra, quibus alimur & ſuſtentamur quæque nobis ſunt cariſſima. Τὰ σπλάγχνα porro *claudere ab aliquo*, eſt, *Nulla erga ipſum miſericordia tangi*, quo ſenſu 1. Iohan. prohibemur viſcera claudere à fratre egente, hoc eſt, nulla commiſeratione affici ad ejus inopiam ſublevandam ac ſuſtentandam: quod idem, ac eſſe δύσπλαγχνον, ſeu ἄσπλαγχνον, ut Græci loquuntur, *immitem, immiſericordem eſſe*: cui opponitur εὔσπλαγχνος, *humanus, mitis, miſericors, benignus*, & πολύσπλαγχνος, *qui valde eſt miſericors.* Aliquando εὔσπλαγχνος etiam *animoſus* dicitur; ut Epheſiorum 5. & εὐσπλαγχνία, *animoſitas, animi præſtantia, animus ad miſerandum promtus*, Sophoclis interpreti. Et hæc de nominibus Græcis. Σπλάγχνον pro miſeratione & intimo affectu.

Latine

Nomina Latina Viscerum.

Latine *Viscera* interiora omnia dicuntur, ut jecur, cor, pulmo, renes, ilia & reliqua, quæ pelle teguntur, quæ etiam *intestina & interanea* dicuntur, quibus respondent nomina Græca, paullo ante commemorata: quæ Plinius uno nomine *Præcordia* vocat, quia cordi prætenduntur. Servius in illa Virgilii:

Illi se prædæ accingunt dapibusque futuris
Tergora diripiunt costis & viscera nudant:

Viscera, inquit, *non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio est. Ut in Albano Latinis visceratio dabatur, id est, caro. Visceratio enim carnis crudæ distributio fuit, quæ fieri solebat vel in solenni festivitate, & præcipue in funere excellentis alicujus personæ. Hinc* viscerari, *carnem populo distribuere.* Idem Servius in illa Virgilii *Æneidos* sexto:

Et solida imponit taurorum viscera flammis:

Non exta dicit, sed carnem. Nam viscera sunt, quicquid inter ossa & cutem est: unde etiam visceratio dicitur convivium de carnibus factum. Ergo solida viscera holocaustum significat, quod detractis extis aræ super imponebatur; quæ nonnunquam ablata: elixa etiam ipsa reddebantur. Unde infert:

Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Viscus unde dictum?

Quanquam alii pro parte totum velint, ut per exta totum animal intelligatur. *Viscus* videtur dici quasi *vescum* (ut *Vescumque papaver*) à *vescendo*, quia hominibus visceribus vescuntur, tanquam cibis delicatis: vel quia visci instar tenacis atque sequacis corpori adhærent & quasi agglutinata sunt. Hinc vox *viscerum* metaphorice sæpe pro re quavis abdita, abstrusa, penitus infixa & inhærente accipitur: ut Ciceroni in *Quæstionib. Tuscul. Hæret in visceribus id malum.* Item: *Periculum autem residebit & erit inclusum penitus in venis atque visceribus Reipublicæ.* Item: *Sed noli me putare,* ἐγκελεύσματα *illa tua abjecisse, quæ mihi in visceribus hærent.* Item *de Oratore*: *Hæc non extrinsecus alicunde quærendo, sed ex ipsis visceribus caussa sumenda sunt, in medullis & visceribus. Viscera* tamen etiam à *vivendo* dicta: ceu vitalia corporis membra.

Exta.

Exta porro proprie fuerunt dicta, quæ ex visceribus Diis sacrificabantur, & in quibus haruspices futura prænoscebant, sic dicta, quod ad hunc usum prosecarentur, quodque exstarent & eminerent, propterea quod cor olim non solebat inter exta numerari: postea pinguitudo illa, quæ in summo corde est, læta exta fecit. *Exta* igitur quasi *exsecta*, & *exstantia*, vel quasi *extra dicta*.

De extorum usu in sacrificiis.

HIS PRÆMISSIS nunc ad viscerum istorum, sive ut in sacrificiis proprie appellata fuerunt, extorum usum seu abusum potius idololatricum, qui Gentilibus valde fuit familiaris, explicandum accedamus: cujus crebra frequensque in omnibus fere Gentilium sacrificiis fit mentio. Sic enim sæpissime apud prophanos authores exta inspici, consuli, coqui, prosecari, reddi, comedi quoque fuisse solita legimus; de quibus singulis dicemus ordine.

Usus extorum primo μαντικὸς seu divinatorius.

PRIMO igitur dicamus de usu μαντικῷ, seu *divinatorio*, qui primus fere & præcipuus istorum viscerum sive extorum sacrificialium usus apud Gentiles fuit. Ex illorum enim inspectione res & eventus futuros sive bonos sive malos prænoscere atque prædicere consueverunt. *Divinationem* à *Divis*, teste Cicerone, dictam, quam Græci μαντικὴν à furore appellant, Cicero definit *earum rerum, quæ fortuita putantur, prædictionem atque præsensionem.* Eandem ex Chrysippo definit his verbis: *Vim cognoscentem & videntem, & explicantem signa, quæ à Diis hominibus portenduntur. Officium autem ejus esse, prænoscere Dii erga homines qua mente sint, quidque significent.* Idem Divinationem facit duplicem: Aliam naturalem, quæ arte careat: aliam artificiosam, quæ artis sit particeps, ut est divinatio extorum, fulgurum, ostentorum signorumque cœlestium. Divinationem igitur per exta Cicero fecit artificiosam. Sic enim idem lib. 2. *de Divinatione*, artificiosæ divinationis illa fere genera ponebat, Extispicium, eorumque, qui ex fulguribus ostentisque prædixerunt.

Divinatio per exta Græce ut dicta.

Hæc divinatio à Græcis σπλαγχνοσκοπία, seu σπλαγχνομαντεία, *extorum inspectio*, & per exta divinatio: quo pertinet σπλαγχνοτομία, *extorum sectio: nec non* ἡπατοσκοπία, id est, *hepatis inspectio*, fuit appellata. Hanc autem Græci per synecdochen ideo sic nominarunt, quod, quanquam explorarent ea omnia, quæ viscerum nomine continentur, ut hepar, lien, cor, renes & cætera: jecur tamen vaticinationis istius sedem & quasi fontem constituebant: quo recte constituto & optime temperato pro victimæ natura læta promitti, eo autem vitiato aut mutilato adversa portendi opinarentur, sive refragarentur cætera, sive consentirent: & quod inde initium inspectionis considerationisve istius fiebat. Latine divinatio ista *vis extalis*, seu *extaris*: nec non *extispicina*, & *haruspicina* dicta sunt.

Extorum inspectores quibus appellati olim nominibus.

Ipsi vero extorum inspectores & æstimatores, qui cæsâ victimâ exta inspiciebant, & ex eorum colore aut qualitate futura conjiciebant & prædicebant Græce & σπλαγχνοτόμοι, quo nomine & Jupiter fuit dictus, teste Athenæo, ab extorum sectione seu incisione, qui viscera hostiæ mactatæ cultro resolvebant & eximebant, qualem Eustathius dicit nullum in Cypro fuisse cultum & σπλαγχνοσκόποι, ab eorum inspectione, & specialius ἡπατοσκόποι, *jecinerum inspectores* (caussam nominis antea attigi) & generatim θυοσκόποι, & ἱεροσκόποι, *sacrificiorum inspectores* (quia non exta tantum, sed etiam alia in sacrificiis observabant, & ex iis futura prædicebant) à Latinis *extispices & haruspices*, à victimis in ara inspiciendis, fuerunt appellati. Hesychius τοὺς διὰ σπλάγχνων ἢ θυμάτων μαντευομένους τὸ μέλλον δηλοῦντας, *eos, qui per viscera vel sacrificia vaticinantur, & futura indicant*: item τοὺς δι' ἐμπύρων ἱερῶν τὰ σημαινόμενα νοοῦντας, *qui ea, quæ ex ignitis sacris, sive hostiis, igni impositis, significantur, prænoscunt*, appellat: iterum θυοσκόους παρὰ τὸ θύος, id est, *sacrificia, thymiama &* κοεῖν, id est, νοεῖν, *intelligere.* Iidem etiam ἐμπυροσκόποι dicti teste Eustathio *Iliad.* ultimo.

De

De hoc autem Divinationis genere ex extis sic in genere Plutarchus in lib. *de Orat. Pyth.* αἱ ἐπὶ τῶν σπλάγχνων μορφαὶ, καὶ ποιότητες προδηλοῦσιν ἀνθρώποις τὸ μέλλον, Hoc est, *Viscerum* sive *extorum formæ & qualitates hominibus futura significant.* Cicero *de Divinatione* libro primo: *Democritus autem*, inquit, *censet, sapienter instituisse Veteres, ut hostiarum immolatarum inspicerentur exta: quorum ex habitu atque colore tum salubritatis, tum pestilentiæ signa perspici: nonnunquam etiam, quæ sit vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura.*

Plutarchus quid de extispicio? Cicero.

Verba, quibus divinationis istius actio atque munus exponitur sunt, σπλαγχνολογεῖν, σπλαγχνοσκοπεῖν, ἡπατοσκοπεῖν, (Hinc *Extispicina* à Græcis ἡπατοσκοπία nominatur, quod quanquam explorarentur omnia, quæ viscere nomine continentur, ut hepar, lien, cor, renes & cætera: jecur tamen vaticinii hujus fontem esse existimabant, & ab illius contemplatione exordiebantur) θυοσκοπεῖν, vel θυοκοπεῖν, ἐμπυροσκοπεῖν, item φυλάττειν τὰ σπλάγχνα apud Æschinem in Ctesiphonte, id est, *observare exta, quid significent, quidve portendant.*

Extispicii actio quibus verbis expressa?

Latini his fere verbis utuntur: *Viscera aperire.* Ovidius *Fastorum* primo:

Hic qui nunc aperit percussi viscera tauri
In sacris multum culter habebat opus.

Item, *Nudare viscera.* Virgilius:

- - - Et viscera nudant
Cultris.

His respondet Græcum σπλαγχνολογεῖν. Item, *Viscera inspicere:* quo alludit festive ille apud Plautum in *Aulularia:*

Qui ossa atque pelle totus est, ita curâ macet.
Quin exta inspicere in Sole etiam vivo licet.
Ita is pellucet, quasi laterna Punica.

Item, *Viscera consulere.* Virgilius *Æneidos* tertio:

Instauratque diem donis, pecudumque recluso
Pectoribus, inhians spirantia consulit exta
Heu vatum ignaræ mentes, quid vota furentem,
Quid delubra juvant?

Donatus in illa: *Spirantia consulit exta, idem sunt,* inquit, *ac quærebat futura in interioribus pecorum: sic posuit quasi exta possent revocare responsum: sed videntur respondere, dum consulentium visibus signa commissæ consultationis ostendunt.* Servius, *Auspicalem*, inquit, *artem intelligit. Mensa huic actioni, hoc est, hostiarum partim dissectioni, partim inspectioni destinata*, Latine *Anclabris* fuit dicta, teste Festo, de qua supra. Sacerdos igitur sive haruspex cultro, ad id destinato, viscera sive exta ex immolatæ hostiæ corpore evellebat, eaque diligenter attenteque explorabat ac rimabatur, quomodo singula essent affecta, & nunquid deesset: indeque vel bona vel mala significabant, perlitatum ne esset, nec ne? Erat is culter ferreus & oblongus, manubrio eburneo, clavis æneis, ære Cyprio & capulo argenteo ornatus. Non enim licebat manibus contrectare viscera, ne qua offensa pollutis sacris intercideret. Sed de his cultris & aliis victimariorum instrumentis, quibus victimæ cædi, percuti, jugulari, mactari, dissecari ac dividi solebant, supra dictum est.

Certa mensa ad extispicium olim destinata.

Certus culter ad extispicium.

Secundum has ergo divinationes & extorum inspectiones sacrificia & exta alia appellabant ἄσημα, Latine *Muta*, in quibus nulla inerant signa: alia *Arguta*; quæ conspicuas & illustres notas exhibebant: alia Regalia, apud Festum, quæ potentibus insperatum honorem pollicentur: privatis & humilioribus hæreditates, filio familiæ dominationem: alia lustralia, quæ præpinguia fuerant, eo quod lustralis, id est, quinquennalis bos dicitur esse perfectæ ætatis; de quibus Poëta:

Flexâ cervice greges lustraliaque exta.

Sacrificia & exta appellata. Muta. Arguta. Regalia. Lustralia.

Alia item piacularia: alia clivia: alia pestifera auspicia secundum illam divinationem appellabant. Piacularia quidem; quæ sacrificantibus tristia portendebant: Clivia, quæ aliquid fieri prohibebant. Omnia enim difficilia *clivia* vocabant. Unde & *clivi* loca ardua difficilia aditu. Pestifera denique; cum cor in extis, aut caput in jecinore non fuisset; quo modo pestiferum fulgur dicebatur, quo mors exiliumve significari solebat, Festo teste.

Piacularia. Clivia. Pestifera.

Et tanti quidem faciebant has divinationes Romani, ut & libris describi rationem consulendi, eosque instar oraculorum custodiri publice, & in ea disciplina suos exerceri à teneris curarint liberos: nihilque cœperint aut moverint, nisi sacrificiis diligenter perlustratis & examinatis. Affici enim victimas, notisque monitricibus eventorum subito ceu consignari ab iis Numinibus, quæ adessent, coram vocata, & ritus spectarent, persuasissimum habebant.

Extispicina magni facta olim.

Hi autem à Romulo primum fuerunt instituti, ut auctor est Dionysius Halicarnasseus libro secundo. Primum autem haruspices omnes Hetrusci fuerunt, in quorum patria hæc disciplina maxime viguit. Unde Cicero libro secundo *de Legibus: Prodigia, portenta ad Hetruscos & Haruspices, si Senatus jussit, deferunto.* Et secundo *de Divinatione: Ut rear*, inquit, *in extis totam Hetruriam desinere.*

Extispices à Romulo instituti.

Postea vero Senatus decrevit, ut Principum filii sex singulis Hetruriæ populis in disciplinam traderentur, teste Cicerone libro primo *de Divinatione:* id quod & Valerius Maximus libro primo, capite primo confirmat,

Extispices erudiendi traditi Hetruscis

firmat, qui tamen non sex docet, verum decem Principum filios mitti solitos in Hetruriam. Verba ejus hæc sunt: *Tantum autem studium Antiquis non solum observandæ, sed etiam amplificandæ, religionis fuit, ut è florentissima, tum etiam opulentissima civitate decem Principum filii Senatusconsulto singulis Hetruriæ populis percipiendæ sacrorum disciplinæ caussâ traderentur.* Hoc in loco, ut & apud Ciceronem, non *sex* vel *decem*, sed *duodecim*, Glareanus legendum censet: cum duodecim Hetruriæ populi fuerint, singulis unus fuerit traditus. Hûc Lex illa Ciceronis pertinet: *Hetruria principes disciplinam docento.*

Extispicum munus. Haruspicum igitur munus erat victimas in ara inspicere, considerare, & ex iis futura, arte Dæmonum, divinare. Considerabant autem haruspices aut hostias ipsas, priusquam jugularentur: aut earum, postquam dissectæ erant, exta; de quo officio hoc in loco agimus: aut flammam, quæ ex incensis & ardentibus evolabat victimis, atque etiam fumum: aut farinam & farinæ materiam, ex quibus liba pinsebantur & molæ: aut thus, quod adolebatur, aut vina & aquas. Hæc in genere.

Extorum divinatio quomodo olim comparata? NVNC speciatim de extorum inspectione & divinatione, quæ quidem hujus loci propria est, quædam addamus ex Peucero, qui cum in genere de omnibus Divinationum generibus, tum de Extispicio & extispicum divinatione sic scripsit: *In dissectis jam victimis ex signis salubribus, noxiisque, ex habitu coloreque extorum & fibrarum, defectu aliquarum particularum in præcipuis organis, aut præter naturam adnatis, collectisve ex humorum affluxu abscessibus, sumebant conjecturas de eventuum conditione, & in quam partem Numen, cui fiebat sacrificium, inclinatum esset ac propenderet: ut quando exta, aut etiam quidvis aliud è manibus exciderat, id τεράσιον & triste videbatur. Unde Plutarchus in* Crasso: τὰ σπλάγχνα ὁ μάντεως αὐτῷ προδιδόντος ἐξέβαλε τῶν χειρῶν. *Hæc sunt, quæ Romani* caduca auspicia *vocabant. Festus:* Caduca auspicia dicunt, cum aliquid in templo excidit, veluti virga è manu: ut virga Flaminis *Commentaculum* dicta.

Inter viscera autem sive exta, quoniam præcipuum illis videbatur Hepar, ab eorum extorum contemplationem inchoabant: unde etiam universa extorum inspectio & divinatio ἡπατοσκοπία fuit appellata.

Si illud grata & nativa purpura ruberet nullaque esset contaminatum labe, vel si caput jecinoris auctum duplicatumve aut geminum jecur reperiretur: vel si extremæ fibræ, versus interiora, replicatæ, ac convolutæ viscerentur, hæc eximiæ felicitatis argumenta certissima dare & magnas accessiones, potentiæ amplificationem, prolationem, finem, triumphos, summa dignitatum fastigia, designare augurabantur: Constitutis etiam in hepate geminis capitibus, unum hosti, alterum illi, in cujus gratiam instituebatur divinatio, destinabant: alterutrum eorum, si vel corrugatum emarcuisset, vel colorem, habitumque suum quovis modo mutasset, ruinam aut inclinationem, adversaque omnia minitari: si velut inflatum atque distentum intumuisset & florido enituisset colore, motuque alacri & continuo micasset, victoriam certam spondere, & successus felicissimos illi putabatur, cujus nomine cædebatur. Lucanus exta Cæsarem victorem renunciasse contra Pompejum, annotavit:

Quodque nefas nullis impune apparuit extis.
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet,
Pars micat, & celeri venas movet improba pulsu.

Si vero aut obsitum ulceribus pustulisve, aut livore deforme, aut duritie contractum corrugatumve abscessibus, aut humoribus vitiosis imbutum esset, atque obstructum: vel si in sua non conspiceretur sede, sed aut à præcordiis avulsum subsedisset, aut permutatis sedibus lienis locum occupasset, illo in dexteram regionem translato, aut procidisset in anteriora: vel si contabuisset, aut alioquin gracilius justo aridiusque appareret: vel si totum defuisset, aut solo caruisset capite: denique si inter coquendum, purulenta inquinaretur sanie: aut ad eum exaresceret modum, ut inter exta non emineret, aut colliquatum dissolveretur in pultem: hæc piacularia esse funestaque adeo persuasum erat, ut secus accidere, atque ab his demonstratum erat, nihil posse affirmaretur. Anno Urbis 636. Catoni Consuli immolanti exta emarcuerunt & caput jecinoris evanuit. Cajo principi & M. Marcellio jecur subito extabuisse annotatum est. Lucilio Luco inter exta caput jecinoris non inventum est: Quare prælio periisse existimatus est.

Inspectio cordis. *A jecinore Cor inspiciebant: id si palpitaret, aut exiliret, aut flaccesceret, aut minus justo appareret, aut omni destitueretur pinguedine, aut coivisset in rugas, aut inter exta omnino non viseretur, exitii, diræque atque infestæ fortunæ omina præbebat. Nam & Julio Cæsari, quo die purpurea veste processit, & à conjuratis interfectus est, cor bis in opimis bobus defecit, & Cajo Mario, Uticæ immolanti. Pertinaci Cæsari utriusque visceris hepatis, & cordis defectus in ea, quam ante mortem mactari jussit, victima interitum portendit. In ara Veneris Paphiæ, ubi puro igne & precibus altaria adolebantur, certissima semper fibris hœdorum fides est habita. Si vero aut solito grandius, aut spissum glabrumque, & humectum nec flaccidum, nec ex ariditate in plicas rugasque contractum inveniretur, aut si in summa basi largiore pinguedine vestitum foret, aut abriperetur ab aquila, propitios hæc Deos, & cœptis annuentes flatusque secundos aspiraturos confirmabant.*

Inspectio fellis, lienis, &c. *Corde explorato ad fellis, lienis, pulmonum, & membranarum viscera ambientium considerationem se vertebant. Si κύστιν χοληδόχον geminam, qualem Augusto exhibitam ferunt, eo die, quo Antonium profligavit ad Actium, aut copiosa bile turgentem atque effluentem notassent, acria & felicia prælia expectabant. Si suo loco positum lienem sine pustulis, duritie, corrugatione, sineque alieno colore conspexissent, felicia proposita rei ominabantur.*

Si contra in dextrum lien vergeret, aut antrorsum propenderet, aut reperet deorsum, aut notas alienas à natura sua haberet. Si exta ex sacrificantium manibus decidissent: si viscera aut cruore fœdius aspersa, aut livido fœdata colore, aut macula variata forent, si peritonæum ruptum alicubi hiaret, aut sanguine suffusum esset, si

phly-

phlyctænis & ampulis, pure aut salsilagine refertis scaterent intestina, aut lacerata essent intus, vel rupta ac divulsa: Si dracones inter exta serperent. Si fœterent viscera, aut putrilaginem redolerent, fatalium hæc & jam imminentium malorum indicia erant, quæ, pro conditione earum rerum, de quibus victimæ consulebantur, vates interpretabantur.

Pulmones bifidi incisique moras adferebant rebus & cunctationes simplices, & solidi, mora rupta continuabant rerum curricula & executionem maturabant, &c. Hæc Peucerus, quibus adde, quæ Plinius scribit lib. 11. cap. 37. inquiens: *In corde summo pinguitudo est quædam lætis extis. Non semper hoc autem in parte extorum habitum est. L. Posthumio Albino, rege sacrorum post centesimam vicesimam tertiam Olympiadem, cum rex Pyrrhus ex Italia discessisset, cor in extis aruspices aspicere cœperunt. Cæsari Dictatori, quo die primum veste purpurea discessit, atque in sella aurea insedit, sacrificantibus bis in extis defuit. Unde quæstio magna de divinatione argumentantibus, potueritne sine ullo viscere hostia vivere, an ad tempus admiserit?* Idem lib. 28. cap. 2. ubi similiter hujus extispicinæ meminit: *Vidimus*, inquit, *certis precationibus obsecrasse summos magistratus. Et ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusque alium custodem dari, qui attendat; alium vero præponi, qui faveri linguis jubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur: utraque memoria insigni, quoties ipsæ diræ obstrepentes nocuerint, quotiesve precatio erraverit, si repente extis adimi capita, vel corda, vel geminari victima stante acciderit.* Hactenus Plinius.

De καρδιοσκοπίᾳ seu cordis inspectione.

Nec vero animalium tantum brutorum, sed hominum quoque mactatorum maxime captivorum, visceribus atque extis divinare fuerunt soliti, sagis se velantes: inde ubi plaga infligebatur ab intestinis sub haruspice primum ad hominis casum vaticinabantur: quæ actio ἀνθρωπομαντεία Græce fuit appellata, qua & Heliogabalus, teste Ælio Lampridio, & Julianus Apostata, ut autor est Eusebius lib. 7. cap. 9. *Ecclesiasticæ Historiæ*, usi fuerunt. Sed de humanis hostiis supra, quibus pauca hæc addere libet, quæ ad illam sanguinis hostiarum aspersionem, de qua supra, pertinet. Arelate in Galliis, quæ *Aera læta* à Priscis fuit appellata, prope civitatem, quæ *Rochette* dicebatur, duæ columnæ erant extructæ & super eas ara imposita: ubi quotannis ad KL. Majas frequens undique populus humanas hostias pro sua sospitate mactare consueverat. Itaque tres juvenes emptos anno toto saginabant, quos constituto die ad ipsam aram immolabant, victimarum sanguine circumstantem populum aspergentes. Quem ritum Trophimus, unus ex LXXII. discipulis Christi, illuc ex Judæa missus, sustulit, docens, non cruore mortalium hominum, sed Christi sanguine debere aspergi: testis hujus rei est Robertus Gaguinus lib. 19. *Historiæ Francorum.* Porphyrius quoque hujus ἀνθρωπομαντείας meminit, quam Barbaris potissimum adscribit, inquiens eos δι' ἀνθρώπους σπλαγχνεύεσθαι, id est, *per viscera hominum augurari.* Plura vide lib. ejus 2.

Divinatio facta etiam ex hominum extis.

NOTA. Immanis consuetudo Arelatensium.

His adde populorum Indiæ Occidentalis, qui *Caribes* appellantur, immanem consuetudinem. Ii enim ad bella Chiappem, idolum suum, deferunt, eique priusquam expeditionem suscipiant, lectas humanas, victimas ex captivis mactantes pluribus sacrificiis litant, totumque ipsius simulacrum sanguine oblinentes carnes inter se ipsi epulantur. Hæc Benzo in *Historia Novi Orbis.*

Indorum consuetudo.

Nunc ut ad extorum inspectionem redeamus, adjungam hîc quædam ex Ciceronis libris *de Divinatione* deprompta, quæ ad superiora illa illustranda & confirmanda non parum faciunt: *Quid fissum*, inquit, *quid fibra valeat accipiat: quæ caussa sit nescio. Atque horum quidem vita plena est. Extis enim omnes fere utuntur.* Ex his verbis constat, extispicium Ciceronis ætate valde fuisse celebratum. Idem: *Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui re amissa, nomen tantum tenent. Nam ut nunc extis, quanquam idipsum aliquanto minus, quam olim, sic tum avibus magnæ res impertiri solebant.* Idem: *Etrusci autem, quod religione imbuti studiosius & crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt.* Idem: *Omitto nostros, qui nihil in bellis sine extis agunt, nihil sine auspiciis domi habent.* Hinc Dionysius Halicarnasseus libro tertio de Metio Fufetio, Albanorum imperatore: ὅτε τὰ σφάγια, ὁπότε θύοιτο περὶ μάχης καλὰ γινόμενα, *Extaque de pugnæ exitu consulta nihil fausti portendere.* Idem de eodem: τὰ δαιμόνια σημεῖα ὁπότε χρησαίμην σφαγίοις περὶ μάχης χαλεπώτερα γινόμενα, *Cumque exta super pugnam consulerem, & divina signa difficiliora esse animadverterem.* Idem: καὶ ὑπὸ τῶν ἱερῶν ὁπότε τὰ πολέμια θύοιμεν, ἐκωλυόμεθα ἄρχειν μάχης, *Et quoties bellica peregimus sacrificia, exta nos pugnam auspicari vetuerunt.*

Cicero de extispicina.

Extispicium Ciceronis ætate celebre.

Extispicium maxime cultum ab Etruscis.

Porro & de eadem extispicina Cicero agit his quoque verbis: *Ad hostiam deligendam potest dux esse vis quædam sentiens, quæ est toto confusa mundo: & tum ipsam cum immolare velis, extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid, aut supersit: parvis enim momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit: quod ne dubitare possimus, maxime est argumento, quod paullo ante interitum Cæsaris contigit: qui cum immolaret illo die, quo primo in sella aurea sedit, & cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit. Num igitur censes ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? Qua ille rei novitate perculsus cum Spurina diceret, timendum esse, ne & consilium, & vita deficeret: earum enim rerum utrumque à corde proficisci: postero die caput in jecore non fuit, quæ quidem illi portendebantur à Diis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret. Cum igitur eæ partes in extis non reperiuntur, sine quibus victima illa vivere nequisset: intelligendum est, in ipso immolationis tempore eas partes, quæ absint interiisse.* Hactenus Cicero. Idem porro & contra extispicinam, & alia divinationum naturalium & artificiosarum genera copiose disserit lib. 2. *de Divinatione*: cujus verba, quia huic loco convenientissima sunt, eumque summopere illustrant, quippe ab augure ipso, & in disciplina hac exercitatissimo Cicerone videlicet profecta, integra inserere placuit. *Ut igitur ordiar*, inquit, *ab haruspicina, quam ego Reipub. causa, communisque religionis colendam esse censeo: sed soli sumus: licet verum exquirere sine invidia, mihi præsertim de plerisque dubitanti: inspiciamus, si placet, exta primum.*

In extis mutatio potest fieri.

Haruspicum observatio neutiquam diuturna.

primum. Persuaderi igitur cuiquam potest, ea, quæ significari dicuntur extis, cognita esse ab haruspicibus observatione diuturna? ecquam diuturna ista fuit? aut quàm longinquo tempore observari potuit? aut quomodo est collata inter ipsos, quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset, quod fissum periculum, quod commodum aliquod ostenderet? An hæc inter se haruspices Etrusci, Elii, Ægyptii, Pœni contulerunt? Alios enim alio more videmus exta interpretari, nec esse unam omnium disciplinam. Et certe, si est in extis aliqua vis, quæ declaret futura: necesse est, eam aut cum rerum natura esse conjunctam, aut conformari quodam modo numine Deorum. Atqui divina cum rerum natura tanta, tamque præclara in omnes partes, motusque diffusa, quid habere potest commune? non dicam gallinaceum fel (sunt enim, qui vel hæc argutissima exta esse dicant) sed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale, quod declarare possit, quid futurum sit?

Extorum interpretatio varia. Argutia exta quæ?

Democritus quid de extis?

Democritus tamen non inscitè nugatur, ut Physicus: quo genere nihil arrogantius:. Quod est ante pedes, nemo spectat: cœli scrutantur plagas. Verum is tamen habitu extorum, & colore declarari censet, hoc duntaxat, pabuli genus, & earum rerum, quas terra procreet, vel ubertatem vel tenuitatem: salubritatem etiam aut pestilentiam extis significari putat. O mortalem beatum! cui certo scio ludum nunquam defuisse. Hunccine hominem tantis delectatum esse nugis, ut non videret, tum futurum id verisimile, si omnium pecudum exta eodem tempore in eundem habitum se, coloremque converterent? Sed si eadem hora aliæ pecudis jecur nitidum, atque plenum est, aliæ horridum & exile: quid est quod declarari possit habitu extorum, & colore? an hoc ejusdem modi est, quale Pherecydeum illud, quod est à te dictum? qui cum aquam vidisset ex puteo haustam, terræ motum dixit futurum. Parum, credo, impudenter, quod cum factus esset motus, dicere audent quæ vis id effecerit: etiamne, futurum esse, aquæ jugis colore præsentiunt? multa istiusmodi dicuntur in scholis: sed credere omnia vide, ne non sit necesse.

Democritus refutatur.

Verum sint sane ista Democritea vera. Quando nos ea extis exquirimus? aut quando aliquid ejusmodi ab haruspicis inspectis extis audivimus? ab aqua, aut ab igne pericula monent: tum hæreditates, tum damna denuntiant, fissum familiare, & vitale tractant: caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant: si vero id non est inventum, nihil putant accidere potuisse tristius. Hæc observari certe non potuerunt, ut supra docui.

Rerum cognatio est naturalis quædam.

Sunt igitur artis inventa, non vetustatis, si est ars ulla rerum incognitarum. Cum rerum autem natura quam cognationem habent? quæ ut uno consensu juncta sit, & continens, quod video Physicis placuisse, eisque maxime qui omne, quod esset, unum esse dixerunt: quid habere mundus potest cum thesauri inventione conjunctum? Si enim extis pecuniæ amplificatio mihi ostenditur, idque fit natura; primo exta sunt conjuncta mundo, deinde meum lucrum natura rerum continetur. Nonne pudet Physicos hæc dicere? ut enim jam sit aliqua in natura rerum cognatio, quam esse concedo: multa enim Stoici colligunt: nam & musculorum jecuscula bruma dicuntur augeri, & puleium aridum florescere ipso brumali die, & inflatas rumpi vesiculas, & semina malorum, quæ in his mediis inclusa sint, in contrarias partes se vertere: jam nervos in fidibus aliis pulsis, resonare alios: ostreisque & conchyliis omnibus contingere, ut cum luna crescant pariter, pariterque decrescant; arboresque ut hyemali tempore, cum luna simul senescentes, quia tum exsiccatæ sint, tempestive cædi putentur. Quid de fretis, aut de marinis æstibus plura dicam? quorum accessus & recessus lunæ motu gubernantur. Sexcenta licet ejusmodi proferri, ut distantium rerum cognatio naturalis appareat. Demus hoc: nihil enim huic disputationi adversatur.

In extis mutationem non fieri.

Num etiam, si fissum cujusdammodi fuerit in jecore, lucrum ostenditur? qua ex cognatione naturæ, & quasi concentu, atque consensu, quam συμπάθειαν Græci appellant, convenire potest, aut fissum jecoris cum lucello meo, aut meus quæsticulus cum cœlo, terra, rerumque natura? concedam hoc ipsum, si vis, etsi magnam jacturam causæ fecero, si ullam esse convenientiam cum extis naturæ, concessero: sed tamen eo concesso, quî evenit, ut is, qui impetrire velit, convenientem hostiam rebus suis immolet? hoc erat, quod ego non rebar posse dissolvi.

At quam festive dissolvitur. Pudet me non tui quidem, cujus etiam memoriam admiror; sed Chrysippi, Antipatri, Posidonii, qui idem istuc quidem dicunt, quod est dictum à te, ad hostiam deligendam ducem esse vim quandam sentientem atque divinam, quæ toto confusa mundo sit. Illud vero multo etiam melius, quod à te usurpatum est, & dicitur ab illis: cum immolare quispiam velit, tum fieri extorum mutationem, ut aut absit aliquid, aut supersit: Deorum enim numini parêre omnia. Hæc mihi jam crede, ne aniculæ quidem existimant. An censes, eundem vitulum si alius delegerit, sine capite jecur inventurum; si alius, cum capite? hæc decessio capitis, aut accessio subito ne fieri potest, ut se exta ad immolantis fortunam accommodent? non perspicitis aleam quandam inesse hostiis deligendis, præsertim cum res ipsa doceat? cum enim tristissima exta sine capite fuerunt, quibus nihil videtur esse dirius: proxima hostia sæpe litatur pulcherrime. Ubi illæ minæ superiorum extorum? aut quæ tam subito Deorum tanta facta est placatio? Sed affers, in tauri opimi extis immolante Cæsare cor non fuisse: id quia non potuerit accidere, ut sine corde victima illa viveret, judicandum esse tum interisse cor, cum immolaretur. Quî fit, ut alterum intelligas, sine corde non potuisse bovem vivere: alterum non videas, cor subito non potuisse nescio quo avolare? Ego enim possum vel nescire, quæ vis sit cordis ad vivendum; vel suspicari, contactum aliquo morbo, bovis, exile, & exiguum & vietum cor, & dissimile cordis fuisse. Tu vero quid habes, quare putes, si paullo ante cor fuerit in tauro opimo, subito id in ipsa immolatione interisse? an, quod aspexit vestitu purpureo excordem Cæsarem, ipse corde privatus est? Urbem philosophiæ, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. Nam dum haruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam pervertitis. Caput est in jecore, cor in extis: jam abscedet, simul ac molam, & vinum insperseris. Deus id eripiet, vis aliqua conficiet, aut exedet. Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat. Quis hoc Physicus dixit unquam? haruspices dicunt. His igitur, quam Physicis, potius credendum existimas? quid, cum pluribus Diis immolatur, quî tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? quæ autem inconstantia Deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio, sæpe etiam inter proximos, ut Apollinis

exta bona sint, Dianæ non bona? quid est tam perspicuum, quam, cum fortuito hostiæ adducantur, talia cuique exta esse, qualis cuique obtigerit hostia? at enim ipsum habet aliquid divini, quæ cuique hostia obtingat, tanquam in sortibus quæ cui ducatur.

Mox de sortibus. *Quanquam tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes, collatione hostiarum. An, cum in Æquimelium misimus qui afferat agnum, quem immolemus, is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommodata, & ad eum agnum non casu, sed duce Deo servus deducitur? Nam si casum quoque in eo dicis esse, quasi sortem quandam cum Deorum voluntate conjunctam: doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse, non enim ignoras, quam ista derideant. Et quidem illi facilius facere possunt: Deos enim ipsos jocandi caussa induxit Epicurus perlucidos, & perflabiles, & habitantes, tanquam inter duos lucos, sic inter duos mundos, propter metum ruinarum: eosque habere putat eadem membra, quæ nos, nec ullum usum habere membrorum. Ergo is circuitione quadam Deos tollens, rectè non dubitat divinationem tollere. Sed non, ut hic sibi constat, item Stoici: illius enim Deus nihil habens nec sui, nec alieni negotii, non potest hominibus divinationem impertire: vester autem Deus non potest impertire, ut nihilo minus mundum regat, & hominibus consulat. Cur igitur vos inducitis in eas captiones, quas nonnunquam explicetis? ita enim, cum magis properant, concludere solent. Si Dii sunt, est divinatio. Sunt autem Dii: est ergo divinatio. Multo est probabilius: non est autem divinatio, non sunt ergo Dii. Vide, quam temere committant, ut, si nulla sit divinatio, nulli sint Dii: divinatio enim perspicue tollitur; Deos esse retinendum est. Atque hac extispicum divinatione sublata, omnis haruspicina sublata est, ostenta enim sequuntur, & fulgura.* Hactenus Cicero. Stoicos divinationem tollere.

Atque hæc sint dicta de divinatorio extorum in sacrificiis usu, quibus addi potest alius eorundem usus in juramentis & fœderibus publicis, cujus Dionysius Halicarnasseus semel atque iterum manifestam facit mentionem, ut lib. 5. καὶ μετὰ τοῦτο καθαρμοὺς τῆς πόλεως ποιησάμενοι, καὶ ὅρκια ταμόντες, αὐτοὶ δὲ στάντες πρῶτον ἐπὶ τῶν τομίων ὤμοσαν, hoc est, *Posthæc lustratâ urbe cæsisque victimis primi ipsi super extis stantes jurarunt, nunquam se reducturos Tarquinium Regem ab exilio.* Idem lib. 7. Καὶ στάντες ἐπὶ τῶν τομίων κατ᾽ ἐξωλείας ἑαυτῶν τε καὶ τῶν προγόνων ὠμόσατε, hoc est, *Stantesque super extis in vestram & nepotum vestrorum perniciem jurastis.* Ubi τόμια exta vocat ἀπὸ τοῦ τέμνειν, quod ipsum conjunctum cum voce ὅρκια, *hostias secare* significat jurisjurandi gratia. Huic vero jurandi mori videtur respondere mos ille jurandi Scythicus, de quo supra, qui fiebat per pelles, quibus insistentes jurare & conjurare solebant. Extorum usus in juramentis.

PORRO ut exta cædi, aperiri, nudari, evelli, inspici, consuli, ita coqui quoque solebant, idque bifariam. Alia enim veru assabantur: alia vero, ut arietis non veru assari, sed in olla elixari solebant. Ad priorem modum pertinent illa Poetarum: ut Ovidii primo *Fastorum*: Exta coqui quoque solita.

Ut rediit, verubus stridentia detrahit exta.

Et Virgilii secundo *Georgicorum*:

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis,

id est, Corylo factis, ut Servius interpretatur.

Quæ autem exta in ollis coqui & elixari consueverant, ea *Aulicoqua*, sive *Aulicocia*, teste Festo, fuerunt dicta. *Aulas*, inquit, *Antiqui dicebant, quas nunc dicimus* Ollas, *quia nullam litteram geminabant.* Itaque *Aulicoqua*, sive, ut est in aliis libris, *Aulicocia exta*, quæ in aulis coquebantur, dicebant, id est, elixa. Hujusmodi olla, *aula extaris* è Plauto appellatur in *Rudente*: Exta aulicoqua.

Non hercle, adolescens, jam hos dies complusculos
Quenquam istic vidi sacrificare: neque potest
Clam me esse, si qui sacrificant: semper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vascula, aut cultrum, aut veru,
Aut aulam extarem (in qua exta coquebantur) *aut aliquid: quid verbis opu'st?*
Veneri paravi vasa, & puteum, non mihi, &c.

Natum est hinc proverbium, *Cocta numerabimus exta*, de quo vide Erasmum in *Adagiis*. Ac ollæ istius sacrificialis picturam videre licet in eodem Guilielmi de Choul libro, quem sæpius citavi.

Velitris tamen, quod hic quoque notandum, Marti semicruda reddi consueverunt: quoniam ibi, ut scribit Suetonius, cum Octavius Marti rem divinam faceret, nunciata repente hostis incursione, semicruda exta persecuit. Quamobrem publico decreto Velitris cautum est, ut in posterum simili modo Marti exta redderentur. Arnobius, *Diis modo assa, modo cruda, modo semicruda, & semi cocta apponuntur.* Idem, *Cum*, inquit, *Romulo Pompilioque regnantib. percocta plane ac madida cremarentur Diis exta, nonne Rege sub Tullio semicruda cœpistis, & leviter cremata porricere prisca observatione contempta?* Exta non semper percocta, sed semicruda reddita.

Exta porro cocta prosecabant, ex quo *exta dicta*, teste Festo, quod ea Diis prosecentur, quæ maxime exstant eminentque. Inde etiam *prosecta* dicta. Livius lib. 5. *Inseritur huic loco fabula, Immolante Rege, Vejentium vocem haruspicis dicentis, qui ejus hostiæ exta prosecuisset, ei victoriam dari, exauditam.* Ovidius: Exta prosecari solita; unde prosecta dicta?

Sic ubi libavit prosecta sub æthere ponit.

Plautus in *Pœnulo*:

Quoniam litare nequeo, abii illinc illico
Iratus: vetui exta prosicarier:

Neque ea ſpicere (inſpicere) *volui, quoniam non bona,*
Haruſpex dixit.

Et paullo poſt:

Condigne haruſpex, non homo trioboli,
Omnibus in extis ajebat portendi mihi
Malum damnumque, & Deos eſſe iratos mihi:

Lambinus de profectis. In quæ verba ſic Lambinus: *Exta cocta proſecabant Veteres, ex quo proſecta dicta.* Nonius *proſecta exta*, quæ aris dantur ex fibris pecudum diſſecta, generis neutri. Licinius Macer:

- - - - Vulcani toſta vapore
Cum virgis proſecta ferunt.

Fœm. Lucil. lib. 14. *Cenam*, inquit, *nullam neque Divo proſectam ullam.* Varro lib. 11. *rerum divinarum*, *Proſiciem extorum vel in menſam porricere.* Feſtus: *Proſicium, quod proſectum projicitur, aliâs porricitur.* Varro lib. 4. *de lingua Latina*: *Inſicia ab eo, quod inſecta caro, ut in Carmine Saliorum eſt: quod in extis datur, nunc proſectum.* Suetonius in *Auguſto*: *Semicruda exta foco proſecuit.* Hæc ille.

Μιςύλλειν idem quod proſecare. De hoc autem proſecandi verbo ſacrificiorum proprio, ſimul atque conſuetudine (unde particulæ illæ minutæ, in quas fiebat illa ſectio, ſeu diviſio, *proſecta* & *Præſiciæ* dictæ) ſupra nonnulla diximus, quando de ſacrificiorum materia egimus. Hinc *proſecandi* verbo videtur reſpondere Græcum illud verbum μιςύλλειν, Homero familiariſſimum, quod Euſtathius ſæpe à verbo διαχεύειν ſeu διαχέειν diſtinguens docet proprie ſignificare τὰ μελεϊςὶ τμηθέντα εἰς μῆςα, τουτέςι σμικρότητα τέμνειν, hoc eſt, *Membratim ſecta in minores particulas ſecare*, ſive διαιρεῖν εἰς μερίδας μικρὰς, quod Atticis ſit μιςυλλεῖσθαι *Odyſſ.* Γ. item εἰς μικρὰς μερίδας κόπτειν, *Iliad.* η. Cujuſmodi particulas Euſtathius etiam τμήματα & τομία vocat, ſicut τομεῖον inſtrumentum, quo aliquid ſcindi aut diſſecari poteſt: quo nomine apud Homerum forcipem vocari ait Galenus Iſtud vero Apuleio eſt *minutatim* (unde *minuta*, & *minuendi* verbum, quod ex Græco μειοῦν dictum putat Feſtus) *fruſtatim*, *fruſtulatim*, *teſſellatim*, ſive *per fruſtula & teſſellas*, *carnes*, ſive alia membra concidere, zu kleinen riemen zer hawen / quibus dicendi modis autor ille ſæpe utitur.

Exta proſecta Diis reddi ſolita. Exta denique iſta proſecta, hoc eſt, minutatim ſive fruſtulatim conciſa in aram focumve projiciebantur & igni in Deorum honorem concremabantur, quod illi *reddere Diis* & *Porricere* appellabant. Hinc Statius lib. 4. *Theb.*

- - - Et adhuc ſpirantia reddit
Viſcera.

Servius in illa Virgilii *Georg.* 2.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Reddere exta quid ſit? *Tunc exta*, inquit, *reddi dicebantur, cum probata aræ ſupponebantur.* Hoc autem *reddendi* verbum, quo Ethnici, ceu religioſo utebantur, inde videtur natum, quod exiſtimabant ea, quæ ab hominibus Diis dari, ſive donari, offerri, conſecrarique ſolebant, non tam dari proprie, quam reddi, quippe cum ea prius à Diis acceperint, illorum ſint dona atque munera, illis accepta ſint referenda. Id ſi de uno ſolo & vero Deo intellexiſſent, non male ſenſiſſent. Nam ſolius Dei proprium eſt dare (unde etiam *Deus* nonnullis videtur dictus:) hominum autem & reliquarum creaturarum eſt accipere: ſecundum illa Pauli, *Quis dedit ei prior, & reddetur ei?* Item, *Quid habes, quod non acceperis?* Quando igitur homines Deo aliquid dant, non dare proprie, ſed reddere id, quod prius acceperunt, dicuntur; quod ipſum tamen non poſſunt ſine Dei gratia: ut nec accipere quidem ſibi à Deo data & oblata munera ſine ejuſdem gratia poſſunt.

Exta etiam porrici ſolita. Alterum verbum, *Porricere*, ut inquit Macrobius lib. 3. *Sat.* cap. 2. ſimiliter ex Haruſpicum diſciplina & ex præcepto Pontificum ſolenne erat ſacrificantib. Hinc Veranius ex 1. lib. Pictoris ita diſſertationem hujus verbi exſecutus eſt: *Exta porriciunto, Diis danto, in altaria aramve, focumve, eove, quo exta dari debebant.* Porricere *ergo, non* projicere, *proprium ſacrificii verbum eſt.* Hæc ille.

Porrici ſolita exta in mare aliquando. In maritimis autem ſacrificiis, hoc eſt, quæ in mari, ſive juxta mare fiebant, exta, non in ara focumve, ſed in mare, ſive maris fluctus porrici, hoc eſt, projici ſolebant. Hinc Scipio, apud Livium Decade tertia, libro nono, cum ante navigationem, quam erat ſuſcepturus, rem prius divinam, ubi illuxerat, feciſſet, præmiſſis è prætoria navi, ſilentio per præconem facto, precibus, ſecundum eas preces cruda exta, cæſâ victimâ, uti mos, in mare projecit, tubaque ſignum dedit proficiſcendi. Meminit quoque hujus moris Statius Poëta:

Statius.

Hic ſpumante ſalo jaciens tumida exta profatur.

Silius. Et Silius libro decimo ſeptimo:

- - - Porricit in fluctus
Cui Numen pelagi placaverat hoſtia Taurus,
Jactaque cæruleis innabant fluctibus exta.

Virgilius. Sic Virgilius quinto *Æneidos*:

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras, voti reus, extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, &c.

Macro-

Macrobius in hos verſus: *Et quia dixit Veranius in aram focumve, eove, quo exta dari debebant, nunc pro ara, & pro foco mare accipiendum eſt, cum ſacrificium Diis maris dicetur.* Servius in eadem Virgilii verba: *Exta*, inquit, *porriciuntur, id eſt, porriguntur: niſi forte dicamus, etiam fluctibus maris offerri. Quod ſi eſt*, Porriciam, *id eſt*, porro jaciam, *legendum eſt.* Hinc illa trita & uſitata, quaſique proverbialis dicendi forma, *Inter cæſa & porrecta:* qua ſignificabatur illud temporis intervallum, quod intercedebat inter extorum exſectionem & eorundem porrectionem, ſeu projectionem in aram, in focum, in mare atque fluctus: aut quo ea dari, reddi, porrici, id eſt, projici oportebat. Varr. lib. 5. *Vinalia à vino. Hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio. Nam aliquot locis primum à Sacerdotibus publice faciebant, ut Romæ etiam nunc. Nam Flamen Dialis auſpicatur vindemiam, & ut juſſit vinum legere, agnâ Jovi facit*, id eſt, ſacrificat: *inter cujus* (agnæ) *exta cæſa & porrecta Flamen vinum prorſus legit. In Tuſculaneis ſacreis eſt: Vinum novum ne vehatur in urbem, antequam Vinalia kalentur.* Idem: *Interciſi dies, per quos mane & veſperi eſt nefas* (fari:) *medio tempore inter hoſtiam cæſam & exta porrecta fas* (fari licet.) Idem de *porricere.* Pollutum, *quod à porriciendo eſt fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta ſunt Herculi in ara, tum pollutum eſt.* Macrobius. Varro.

His ſuccedit alius extorum uſus, qui etiam aliarum partium ſacrificialium uſus fuit, quod nimirum unâ illorum parte, ſicuti jam dictum, cum aliis hoſtiæ partibus, Diis conſecratâ, reliqua reſervabatur ad epulum ſacrificiale, quod ſacrificii erat appendix, quem uſum Homerus ſæpe exprimit illis verbis: σπλάγχνα τε ἐπάσαντο, id eſt, ἐγεύσαντο, ut Homeri interpretes explicant, hoc eſt, deguſtabant. Extorum uſus ad epulum.

Atque hæc quidem ſatis ſint dicta de hoſtiarum victimarumve ἀναλομῇ ſive ἐνλομῇ, inciſura ſeu diſſectione in partes majores & minores, interiores & exteriores: & vario multiplicique illarum omnium in ſacrificiis uſu. Quædam enim illarum dabantur & offerebantur Diis, quæ aris focisve impoſita, igni abſumebantur: cujuſmodi ſacrificium *holocauſtum*, ſive *holocauſtoma*, hoc eſt, totum incenſum, teſte Joſepho *Antiquitatum* lib. 3 fuit appellatum. Aliæ vero cedebant in uſum ſacrificantium: ex quibus diſſectis in minores partes atque coctis epulum, re peracta divina, adornari atque celebrari conſueverat, ut apud Homerum & Apollonium ſequitur. Hoc ſecundum ſacrificii genus intelligitur ab Octavio fuiſſe celebratum, qui exta nondum porrecta rapuit è foco, ubi ſcilicet ignis ſacrificii cauſſâ fiebat, & proſecuit, id eſt, partem reddidit Marti, cui ſacrificabat, partem ad veſcendum reſervavit. Perſæ tamen, ut Euſtathius refert ex Geographo, ſacrificantes in loco excelſo, & cœlum exiſtimantes eſſe Jovem ſive Deum, hoſtiarum carnibus diviſis (διελόμενον) Diis nihil dabant ἀπένεμον, cum dicerent Deum hoſtiæ anima indigere, nihilque aliud, niſi parum quid ἐπίπλους, id eſt, *omenti*, igni imponunt. Quando vero hoſtia tota in ſolidum igni concremabatur, *Protervia*, quaſi *propter viam*, illud ſacrificii genus fuit appellatum: cujuſmodi Vulcano atque etiam Herculi, aut Sanco ſive Sango, aliiſque Diis factum eſt. *Propter viam*, inquit Feſtus, *fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratia Herculi aut Sancio, qui ſcilicet viarum eſt Deus. Profecturi enim viam Herculi aut Sanco ſacrificabant*: quo loco Feſti *Propter viam* recte legi admonet Antonius Auguſtinus, non ut vulgò *Protervia.* Protervia quid?

PORRO vel hoſtiis integris & ſolidis, vel illarum partibus aræ focove impoſitis & in ignem conjectis è veſtigio partim liquores quoſdam, ut vinum atque oleum ſuper infundebant, partim aromata herbaſque odoriferas addebant. De libatione.

Quantum ad prius attinet; ſic Homerus in Neſtoris ſacrificii deſcriptione, femoribus in ignem conjectis addit: Homerus.

- - - Ἐπὶ δ' αἴθοπα οἶνον
Λεῖβε.
Super autem (femoribus) *vinum nigrum*
Libavit, ſcilicet Neſtor ſenex.

Apollonius: Apollonius.

- - - ὁ δ' ἀκρήτους χέε λοιβὰς
Αἰσονίδης, γήθει δὲ σέλας θυόμενον Ἴδμων:
At vero meras fudit libationes
Æſonides (id eſt, Jaſon:) *lætatur autem conſpecta flamma Idmon.*

Virgilius *Æneidos* quinto: Virgilius.

- - - - *Extaque ſalſos*
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Item *Georgicorum* quarto:

Ter liquido ardentem perfudit nectare flammam,
Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta relucet,

id eſt, interprete Servio, in ignem vinum puriſſimum fudit: poſt quod, quia magis flamma convaluit, bonum omen oſtendit.

Idem *Æneidos* ſexto:

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis
Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.

Donatus in hæc verba: *Oleum vero non dubitatur*, inquit, *idcirco infusum, ut aris imposita facilius exurerentur.*

Hic rursus Libationis, id est, effusionis vini super altari sive igni fit mentio, ut supra facta est mentio effusionis vini super fronte, sive inter cornua hostiæ stantis ad aram. Fieri etiam solita fuit Libatio in epulo sacrificiali, quod peractis sacrificiis celebrari consuevit, sub ejus nimirum finem. Quoniam igitur Libationum maximus & frequentissimus, in omnibus sacrificiis atque epulis apud Gentiles usus fuit, & idcirco creberrima illarum passim apud Scriptores fit mentio, atque adeo Libationes istæ non modo pars sacrificiorum necessaria (quibus nullum fere sacrificium apud Veteres caruit) verum etiam sacrificia antiquitus Gentilium sola fuerant. (Vino enim tantum atque thure olim sacrificatum quoque Diis fuisse legimus) operæpretium, nihilque à candidi Lectoris voluntate alieni me facturum putavi, si illam meam generalem Libationum descriptionem, quæ exstat in meis *Convivialibus* hîc (cum hujus loci atque instituti mei sit propria) insererem. Is igitur libro 2. capite 37. sic se habet:

Libationum maximus usus in sacrificiis.

Ad precationes porro videntur referendæ Ethnicorum veterum ἀπαρχαὶ, hoc est, *primitiæ*, *&* σπονδαὶ, sive λοιβαὶ, hoc est, *libationes*, quibus illi in Deorum suorum honorem ante, & post convivium uti consueverunt, Athen. lib. 4. καὶ περὶ τῆς θοινάσεως ἃ δεῖ ποιεῖν ἡμᾶς διδάσκει πάλιν Ὅμηρος, ἀπαρχὰς τῶν βρωμάτων νέμειν τοῖς θεοῖς, id est, *Homerus præterea quæ ante convivia nobis sint facienda docet, Diis nempe primitias ciborum esse persolvendas*, exempla passim occurrunt. Hæc Plato quoque in conviviis, ut idem Athenæus monet, observavit: μετὰ γὰρ τὸ δειπνῆσαι σπονδάς τε φησὶ ποιῆσαι, καὶ τὸν θεὸν παιωνίσαι τοῖς νομιζομένοις γέρασιν, hoc est, *post cœnam & libamina Diis offeruntur, & carmine Deum statutis honoribus celebrant*, id quod à Xenophonte quoque traditur. Apud Epicurum autem οὐ σπονδὴ, οὐδ᾽ ἀπαρχὴ τοῖς θεοῖς, hoc est, *neque libatio, neque primitiæ Diis offeruntur*: sed, ut Simonides inquit, *de muliere* ἀκόσμου, ἄθυτα δ᾽ ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει, hoc est, *illibata sæpe sacra devorat.* Turnebus in suis *Adversariis* in illa Flacci,

Ἀπαρχαὶ, & σπονδαὶ sive λοιβαὶ Ethnicorum veterum.

Ante larem proprium vescor, vernasque procaces,
Pasce libatis, dapibus, &c.

Hæc annotat: *Ego hoc crediderim referendum ad antiquorum pietatem, qui partem cœnæ lari Diisque donabant, ea in focum mittebant lari sacrum, ut constat, id enim erat libare dapes. Ex ea consuetudine, ut arbitror, scribit Varro, ut à Marcello citatur: Quocirca oportet bonum civem legibus parere, & Deos colere, in patellam dare* μικρὸν κρέας. *Et Cicero de Finibus: Atqui reperiemus Asotos primùm ita non religiosos, ut edant de patella, id est, ut edant ea, quæ Diis è cœna libata sunt. Sed ritus ille optimè intelligitur è Plutarcho, ita in libello de Fortuna Rom. scribente: Ocresiam virginem, inquit, identidem primitias, & libationes à regia mensa accipere, & ea ad focum perferre consuevisse, cumque aliquando pro more ea in ignem injiceret, &c. Ad hunc itaque morem alludens, ea se castitate, & sanctimonia ruri dicit cœnare Horatius, ut dapibus, nisi ante Deo piè libatis, vesci non soleat. Inde & Dii patellarii à Plauto festivè jocante sunt dicti, quibus in patella libabatur, non magna sacrificia fiebant. Tales Dii erant in larario domestici penates, & lares.* Hæc ille. Verùm operæpretium erit hîc de libationibus, quæ cum in sacrificiis, tum in fœderibus, tum in conviviis adhiberi olim consueverunt, paulo copiosius scribere. Libationes partim religiosas & in sacris, partim prophanas, & prophanis in epulis adhiberi fuisse solitas, Macrobius testatur lib. 3. *Sat.* cap. 11. Verum ut ordine procedat hæc nostra tractatio, primo de nominibus agemus.

Libare dapes quid? Dii patellarii. I. Libationum divisio.

Græci duo habent vocabula, quibus actionem hanc exprimunt, ea sunt σπένδειν, & λείβειν, quæ secundum nonnullos videntur à se invicem differre: cum tamen apud Homerum & alios auctores sæpissime confundantur. Ac σπένδειν quidem (cujus prototypon secundum Heraclidem, teste Eustathio, est σπείδειν, unde Futurum σπείσειν, & σπεῖσαι) Hesychius exponit ἐκχέαι, προσενέγκαι, θῦσαι θεῷ, hoc est, *effundere, offerre, sacrificare Deo*: & apud eundem σπένδεσθαι passim pro θύεσθαι. Sic ἐσπεισμένος à Suida exponitur pro τεθυκός. Paulus 2. Philippen. ἀλλ᾽ εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, hoc est, *etiamsi pro libamento offerar super hostia, sacrificioque fidei vestræ.* Alludit Paulus ad morem vinum libandi, hoc est, effundendi super victimam, ut significet se paratum esse similiter suum sanguinem libare, sive profundere pro illorum fide, quæ sit optimum sacrificium, sive pro Christo, qui sit hostia illa vere piacularis, quam illi fide apprehenderint, atque colant. Idem verbum præsertim in passivo, sæpe pro fœderis contractu usurpatur, quod sacrificiis, & libationibus intercedentibus fieri consuevit. Hinc σπονδὴ, *libatio*, sæpe etiam pro fœdere usurpatur: & σπονδὰς ποιεῖν, sive ποιεῖσθαι, & *libare*, & *fœdus inire* significat. σπονδὰς τοῖς θεοῖς ποιεῖσθαι, Xenophon. *Pædag.* 4. & ποιεῖν Platoni idem quod σπένδειν τοῖς θεοῖς. Et ἄσπονδος, *fœderis expers*, ἔκσπονδος, *à fœdere exclusus*, ἔνσπονδος, confœderatus, παράσπονδος: *fœdifragus.* σπονδὴ aliquando non tam *libationem*, quam *libamen*, aut *libamentum*, id est, vinum, quod libatur significat.

Libationum nomina Græca. Σπένδειν Σπένδεσθαι. Ἐσπεισμένος.

Alterum est λείβειν, sive λίβειν, sive λοιβᾶσθαι. Hesychius, σπένδειν, & ἐκχεῖν. Galenus scribit proprie significare τὸ στάζειν, id est, *stillare.* Unde λοιβὴ θυσία οἴνου, ut Hesychius exponit, δι᾽ ὑγρῶν θυσία, hoc est, *sacrificium quod fit per humida.* Eustathius Ἰλιάδ. η. in illa Homeri,

οἶνον δ᾽ ἐκ δεπάων χαμάδις χέον,

Poëta, inquit, *interpretatur* λείβειν, *quasi idem sit* ἐπὶ σπονδῆς λείβειν, & χέειν: *unde etiam* νεκρικὴ χοή. λοιβὴ *apud Sophoclem dicitur in illis verbis*, τύμβον λοιβαῖσι στέφω. Idem Ὀδ. γ. λείβειν idem esse, quod σπένδειν illud indicat, quod statim subjungit,

Αὐτὰρ

Αὐτὰρ ἐπεὶ σπεῖσάν τ' ἔπιόν θ' ὅσον ἤθελε θυμός.

Id quod potionis justæ, atque sufficientis est indicium. Constat etiam passim idem esse λείβειν, καὶ εἴβειν, & Ionicum, atque Æolicum esse τὸ εἴβειν, derivatum à λείβειν, ut vox αἰψηρὸς à λαιψηρός. Ἐκ δὲ τοῦ εἴβειν, εἰβήμενος ὑστάζων. Hæc duo porro verba libationem Græcis significantia, licet, ut Eustathius annotat in illa Homeri verba,

Ἐπεὶ δ' αἴθοπα οἶνον λεῖβε,

idem videantur significare: tamen illorum denominativa nonnihil à se invicem differunt. Nam λοιβάτιον, quod à λείβω, & σπονδεῖον, quod à σπένδω derivatur, ita secundum nonnullos differunt, quod λοιβάτιον quidem de olei: σπονδεῖον autem de vini libatione proprie dicatur. Esse quoque aliquam inter λείβειν, & σπένδειν differentiam hinc constat, quod λείβεσθαι de lachrymis dicitur: & nonnunquam etiam de aquis: unde τὰ λείβηθα, hoc est, & λοιβήτειοι τοπικὸν est: ac σπένδεσθαι in illa significatione nonnunquam usurpatur. Præterea σπένδεταί τις ἐπὶ φιλίᾳ, hoc est, *libat quis amicitiæ ergo*, at non dicitur λείβεσθαι. A λείβειν porro derivatur κελεβὴ, quasi χελέβη παρὰ τὸ χέειν λοιβὴν εἰς αὐτὸ, sive, ut alii volunt, ἀπὸ τοῦ χέειν & λείβειν secundum illud, σέψον τὴν κελέβαν. Idem in Οδ. M. in illa verba, λοιβάτιον & σπονδεῖον quomodo differant?

Οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν
Ἀλλ' ὕδατι σπένδοντες.

Poëta, inquit, *σπένδειν, & λείβειν idem est: pro σπένδω autem dictum est σπείσω*. Idem in Ιλ. Π. duo hæc verba docet idem significare.

Hebraice נסך *Nasak*, ut Græcum λείβειν & σπένδειν, & *fundere* & *libare* significat. Unde נסך *Nesek* & מסכה, ממסך *Mimsak*, *commixtionem*, *effusionem* atque *libationem* sive *libamen* significat: 70. Interpretes σπονδὴν vertunt. Ut autem *Mincha* proprie aridorum: sic *Nasak* liquidorum sacrificium fuit. Sacrorum libaminum, quæ è vino & sicera erant, fit mentio Exod. 25. Num. 28. & 29. 2. Reg. 23. & alibi. Libationum nomina Hebræa.

Libare Latinis, ut volunt Grammatici, proprie est *leviter degustare*, & quasi *primis labris attingere*: dictum, ut quidam putant, à *labiis*, quasi *labiare*. Virgilius, Libare.

Purpureosque metunt flores, & flumina libant.

Per Metaphoram aliquando pro *leviter attingere* usurpatur. Virgilius,

Oscula libavit natæ, dehinc talia fatur.

Denique *libare* (id quod ad propositum nostrum facit) Isidorus vult proprie idem esse quod *fundere*, voce deducta à *Libero* quodam, qui in Græcia usum reperit vitis. Idem, *Libatio*, inquit, *tantummodo calicis oblatio est*. Hinc illud,

- - - - *Et libavit de sanguine uvæ.*

Sic est sæcularium quidam Poëtarum, *Nunc*, inquit, *pateras libate Jovi*. Ovidius quoque 3. *Fast. Libationem* à *Libero* vult dictam,

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen.
Libaque quod sanctis pars datur inde focis.

Varro lib. 4. *Liba* (quæ fuerunt placentæ ex farre & melle Deorum sacrificiis aptæ: unde forsan Germanicum Läbküchen) ideo dicta vult esse, quod libandi causa fierent, vel quod libarentur priusquam essent cocta. Horatius epist. ad Fuscum: Liba unde dicta?

Utque Sacerdotis fugitivus, liba recuso,
Pane egeo jam mellitis potiore placentis.

Hinc constat *libum* esse placentam mellitam. Athenæus tamen libro tertio significat libum sive placentam ex lacte & sumine & melle componi. Mihi & *libare*, & *libatio*, & *libamen* seu *libamentum* & *libum* à Græca voce λείβειν & λοιβῆς videntur derivari.

Vinum quoque *dare* Latinis auctoribus idem quod *libare*. Cato *de re Rustica*, capite 134. *Postea Cereri exta, & vinum date*, id est, libate. Nam vinum quod libabant, quasi Diis dabant ac propinabant. Notandum porro ut *Nasak* Hebraicum, ita *libare* Latinum nonnunquam etiam de aridis usurpari. Vinum dare.

Erat enim apud Ethnicos omnino duplex libatio, qua cum in sacrificiis, tum in epulis uti consueverant. Una erat dapum atque ciborum, quorum partem aliquam decerpentes, illam in ignem focumve conjicere, atque ita Diis suis religiosæ suæ erga illos gratitudinis testificandæ gratia, consecrare solebant, de quo paulo antea. Altera fuit potus atque liquorum, de qua nunc agemus. Illa autem Hebraice נסך *Nasak*, Græce σπονδὴ & λοιβὴ, Latine *libatio* dicta, nihil aliud erat, quam vini, siceræ, aquæ, lactis, olei, aut alterius alicujus liquoris ex vase effusio, vel in aram, seu victimas, vel in terram, certis adhibitis cæremoniis atque precibus in Dei, Deorumve honorem olim facta. Latini *vinum*, ut dixi, *dare Diis*, pro *libare* usurpant. Sic multibiba illa lena apud Plautum in *Curcull.* vini quiddam defundens, inquit:

Venus de paulo paululum hoc tibi dabo lubenter,

Nam tibi amantes propinantes vinum dant,
Mihi haud sæpe tales hæreditates eveniunt.

Vinum fundere.

Sic *vinum fundere*, item *vergere*, & *invergere* pro *libare* sæpe apud Latinos ponitur. Statius lib. 6. Theb.

Spumanteſque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratiſſima cymbia lactis.

Anus apud Plautum in *Curculione*,

Ipſum expeto tangere, invergere in me liquorem,

Hoc eſt, Infundere. Virgilius lib. 6.

Invergit vina Sacerdos.

Lucretius lib. 5.

Illi imprudentes ipſi ſibi ſæpe venenum
Vergebant, nunc dant aliis ſolertius ipſi.

Unde conſtat verbum hoc proprium ſacrum ſæpe transferri ad prophanum uſum. Quam autem Servius inter *fundere*, & *invergere* differentiam ſtatuat, poſtea explicabitur. Judæi habuerunt olim ſanctas & religioſas ſuas libationes, ut ex Num. 28. & aliis ex locis conſtat, quæ in Dei honorem celebrabantur. Oſeæ 9. *Non libabunt Domino vinum.* Has libationes, ut alios quoque Judæorum ritus atque cæremonias Ethnici κακοζηλίᾳ quadam fuerunt imitati. Primo autem de libationum Ethnicarum materia, deinde forma atque modo, ritibus, ſive cæremoniis agemus.

II.
Libationum materia.

QUOAD materiam, obſervandum eſt primo id, quod Euſtathius Ιλ. Α. annotat, τὰς σπονδὰς ἐν ἄλλοτε, ἢ ἄλλῳ ὑγρῷ γινομένας πρὸς τοὺς καιροὺς, hoc eſt, alio atque alio humore, ſive liquore pro temporum ratione fieri ſolitas fuiſſe. Apud Hebræos libamina fiebant ex aqua & ſicera, ut conſtat ex 28. & 29. Num. Apud Ethnicos in pleriſque licet ſacrificiis vino libare moris eſſet: tamen erant quædam ſacra, in quibus non erat fas vino libare. Hinc alia ſacra dicta ſunt οἰνόσπονδα, nempe in quibus fas erat vinum libare: alia ἄοινα, ſive νηφάλια (quæ *abſtemia* apud Gellium lib. 3. cap. 29. appellantur) in quibus vini nullus erat uſus. Ac vinum quidem apud Ethnicos (ut etiam apud Hebræos) in pleriſque ſacris, ſeu ſacrificiis libatum fuiſſe, ejuſque ſimul cauſam Euſtathius, loco ante citato, his verbis explicat: *Vinum etſi non unà cum molis ſalſis ſumebatur, tamen utile erat in libationibus poſt molas ſalſas. Non minus enim illius, quam hordei inventio ad civilem, & manſuetam vitam pertinet: ſero enim fuit inventum.* His verbis rationem reddit, cur libatio, id eſt, vini effuſio in ſacrificiis fuerit uſitata.

Sacra οἰνόσπονδα. Sacra ἄοινα. Vinum apud Ethnicos in pleriſque ſacrificiis libatum fuit. Non quodvis vinum in ſacris potuit adhiberi. Vinum ſpurcum.

Notandum autem non quodvis vinum in ſacris potuiſſe adhiberi. Nam ex Græca, & amputata vite, ſeu fulmine tacta, aut quæ vulneratis pedibus calcata, aut immunditie polluta fuerat, aut juxta quam homo laqueo pependerat, quæque circumciſis vinaceis profluxerat, vinum Diis libare infauſtum erat. Pythagoreorum quoque ſymbolum fuit, ne Diis libarent ex amputatis vitibus. Hinc *Spurcum* vinum dicebatur, quòd ſacris adhiberi non poterat, ut ait Labeo Antiſtius lib. 10. *Commentarii juris Pontificii*, cui aqua admixta eſt, defrutumve, aut igne tactum eſt, muſtumve antequam deferveſcat.

Vino meraco Veteres in libationibus uſi fuerunt. χάλις. χαλίκρατον quid?

Obſervandum præterea, Veteres omnino mero, ſeu meraco vino in libationibus uſos fuiſſe: de quo ſic Euſtathius Ιλ. λ. πάντως οἱ παλαιοὶ ἀκράτῳ ἔσπενδον, κατὰ τὸ, σπονδαὶ ἄκρητοι, hoc eſt: *Omnino Veteres vino meraco in libationibus utebantur, ſecundum illud, Libationes meracæ.* Idem Ιλ. β. in hæc ipſa Homeri verba: σπονδαὶ ἄκρητοι, hoc eſt, *libationes meracæ*: ἀκράτους, inquit, id eſt, *meracas dixit libationes propterea, quod mero libabant: quo innuebant*, τὸ τῆς γνώμης ἀμιγὲς ψεύδους, καὶ ἄδολον, id eſt, *mentis ſinceritatem expertem fraudis atque doli* (ſic contrà vino aqua mixto doli atque ſuperſtitiones in ſacris adumbrabantur) quod ſi quando autem cratere vinum dicuntur miſcuiſſe, non aquæ atque vini, ſed duorum vinorum commixtio ibi intelligenda. Idem in illud Hom. Ιλ. Γ.

- - - - κρητῆρι δ' οἶνον
Μίσγον.

ἄλλως δέ γε οὐ μεμιγμέναι, ἀλλ' ἄκρητοι ἐλείβοντο αἱ σπονδαί. Idem Οδ. Γ. ἡ ἐπὶ Διονυσίῳ σπονδὴ ἴσον ἴσῳ κεκραμένον (κεκλαμένον in exemplari) οἶνον ὕδατι εἶχεν, hoc eſt, *Vinum Dionyſio libari ſolitum, æquali aqua fuit permixtum*, ſecundum Comicum, ut alibi explicatum eſt, quæ libatio diverſa fuit ab Homericis libationibus, quas ἀκρήτους, ſive ἀκράτους appellat.

Apulejus libro quarto: *Poſt iſtum ſermonis terminum poculis memoriæ defunctorum commilitonum vinum mero libantes: dehinc canticis quibuſdam Marti Deo blanditi, paululum conquieſcunt.* Hinc nefas erat libare vino Græcæ uvæ, quoniam aquam habeat. Nota hîc ſimul morem hymnum canendi poſt cœnam. Apud Æſchylum quoque ſunt σπονδαὶ χαλίκρητοι, ubi Euſtathius ait, ſe dubitare, num ibi libationes ἄκρητοι ſint intelligendæ, hoc eſt, puræ ſive meracæ, ἐπὶ τῷ Διονυσίῳ κερασθῆναι. Nam χάλιν ajunt eſſe Dionyſium, ex quo vinum meracum, unde etiam χαλιμὰς mulier dicitur Veteribus ἡ ἀπὸ μέθης χαλωμένη τὸ σῶμα. Heſychius, χαλίκρατον & εὔκρατον, hoc eſt, *merum*, ſive *meracum* exponit, ut Suidas quoque χαλίκρητον, pro μὴ κεκραμένον in quodam Epigrammate. Scholiaſtes Apollonii Rhodii, χαλίκρατον μέθυ, exponit non modo ἄκρατον, verumetiam χαλῶν τὰς φρένας, ſubjungens, Athenienſibus χάλιν dici τὸ ἄκρατον.

ἄκρατον. Apollonius χαλίκρητον postea vocat ζωρῶν, libro primo *Argonaut.* Stephano videtur χαλίκρητον significare vinum meracum, alio meraco mixtum, ut aqua misceri solet, à κεκεράσθαι, hoc est, *miscendo*, & χάλις voce significante ἄκρατον. Sic, ut paulo antea dictum est, Eustathius, quoties in libationibus fit mentio mixtionis vini, vult vinum alio vino, non autem aqua mixtum, esse intelligendum. Aristophanis Scholiastes in illa Pluti,

οἴμοι ἡ κύλιξ ἴσον ἴσῳ κεκραμένης.

Addit, οἴνυ καὶ ὕδατος, hoc est, *vino & aqua* ζωρότερον γὰρ τὸ τοιῦτο κέραμα. Alludit ad cauponas. Quæritur autem: cur aliis Diis datur ἄκρατος σπονδὴ, *libatio meraca*: Mercurio autem κεκραμένη, id est, *mixta*? Respondemus id fieri, quoniam Mercurius & vivis & mortuis dominatur, & ab utrisque honores accipit. Cur aliis Diis detur ἄκρατος σπονδὴ, κεκραμένη autem Mercurio?

Observandum hîc quoque, Veteres ex vino consecrato ad libationes augurari solitos fuisse, quod divinationis genus οἰνομαντεία dictum est, ut Peucerus testatur. Homerus sæpe meminit vini αἴθοπος in libationibus, de qua voce alibi. Atque illos quidem optimo suavissimoque vino in libationibus usos fuisse, vel ex epithetis illis, quibus passim Homerus utitur, apparet: cujusmodi sunt, οἶνος ἡδύποτος, μελίφρων, μελιηδὴς, &c. Hæc de libationibus, quæ vino fieri consueverunt. οἰνομαντεία. Vino optimo in libationibus usi Veteres.

Nunc de iis dicendum, in quibus non vinum, sed alii liquores, ut mulsum, aqua, mel, lac, oleum adhibebantur. Hujusmodi autem libationes atque sacrificia à Græcis νηφάλια, ἄοινα, ἀμέθυσα, & speciatim ὑδρόσπονδα, μελίσπονδα, γαλακτόσπονδα fuerunt dicta: ὑδρόσπονδα, hoc est, *libationes aqueæ* fuerunt illæ sociorum Ulyssis, quarum mentio fit Ὀδ. μ. Nam cum vino fuissent destituti, aquam Soli libarunt, de quo sic Homerus, De libationibus, in quibus non vinum, sed alii liquores adhibiti.

Οὐδ᾽ εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ᾽ αἰθομένοις ἱεροῖσιν
Ἀλλ᾽ ὕδατι σπένδοντες ἐπώπτων ἔγκατα πάντα.

Hinc Eustathius pro hordeis dicit usos fuisse quercus foliis: pro vino aqua, πρὸς ἀνάμνησιν τῆς παλαιφάτου τροφῆς, hoc est, *ad recordationem pristini victus*, qui constabat glandibus & aqua. Idem Ιλ. Ζ. *Omnino libationes antiquitus mero celebrabantur: fit tamen quarundam libationum mentio, quæ plane fuerunt* ἄοινοι, hoc est, *vini expertes*, ut libatio quæ Soli fiebat melle. Idem Ὀδ. κ. ex Athenæo docet, Græcos Soli sacrificantes, solitos fuisse mel libare, vinum non inferentes altaribus: δεῖν λέγοντες τὸν πάντα περιπολοῦντα καὶ συνέχοντα ἀλλότριον εἶναι μέθης. Plutarchus *Sympos.* 4. νηφάλια ταῦτα, καὶ μελίσπονδα θύουσι, id est, *sacra sobria, & quæ mellis libamenta habent.* Idem in libro περὶ ἀοργησίας: ἀμεθύσους, καὶ ἀοίνους διάγειν ὥσπερ νηφάλια, καὶ μελίσπονδα θύοντες. Hinc νηφαλιεύειν & νηφαλίζειν, Polluci & Hesychio est ejusmodi sacris uti. Hujusmodi erant Cereris sacra, de quibus primo in libro. In sacris similiter Deæ Ruminæ inferre vinum expiatione dignum fuit: quippe illi sacrum facientes hostiæ lac, non vinum inspergebant. Et in sacris Bonæ Deæ, cum vinum libabant, lac esse dicebant. Vestæ quoque non vino, sed de Numico flumine, ut ait Servius, libabant, quibus diebus mense Junio molæ frumentariæ & asini sertis & pane coronabantur. Proditum quoque memoriæ est, Romulum nunquam vino in sacris, sed lacte libasse. Libationes ex aquis. Libationes ex aquis cum melle, & lacte.

Quin etiam Athenienses Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Uraniæ, Nymphis non vino, sed aqua melle diluta, sacrificarunt, teste Suida. Pausanias tamen ait, Eleos thure cum tritico melle subacto, additis oleæ ramis, aris suffire solitos & uti vino. Solis autem Nymphis, καὶ ταῖς δεσποίναις, id est, Cereri & Proserpinæ vinum minime libare consuevisse, nec ad aram omnium Deorum. Sunt & qui hoc sacrum Dionysio interdum, & Erechthei filiabus exhibitum tradunt, ut testatur Philochorus. Plutarchus in libro *de Sanitate*: αὐτῷ τῷ Διονύσῳ πολλάκις νηφάλια θύομεν, ἐθιζόμενοι καλῶς μὴ ζητεῖν ἀεὶ τὸ ἄκρατον. Silius Italicus lib. 13. *Punicorum*,

Corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum,
Fundunt mella super Bacchique, & lactis honorem.

Ex his constat, in libationibus sacrificiorum inferorum Antiquos, non vinum tantum, verum etiam mella, atque lac invergere fuisse solitos. Idem ex Virgilio constat: tametsi in feriis vina Numæ lege libare vetitum aliquando fuerit, juxta illud:

Vino rogum ne aspergito.

Oleo quoque usi sunt. Virgilius:

Pingue super oleum fundens ardentibus extis. Libationes ex oleo.

Hæc de libationum materia.

NUNC de earum ritibus atque cæremoniis variis dicamus. Ac primo quidem cum manuum ablutionem, tum certas preces in libationibus adhibitas fuisse, cum ex aliis auctoribus, tum ex Homero satis constat, ut Ιλ. Ζ. Hector ad matrem: III. Libationum ritus. Ablutio manuum.

Χερσὶ δ᾽ ἀνίπτοισιν Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι· οὐδέ πη ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
Αἵματι, καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.

Hîc utrumque vides conjungi. Sic Ιλ. Ι. antequam biberent:

Αὐτίκα κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν, &c.

Et Ὀδ. γ. nec non Ὀδ. φ. ejusdem lotionis manuum, quæ ante libationem facta fuit, iisdem verbis fit mentio. His accedit Hesiodi testimonium clarum & illustre lib. 2. *de op. & diebus*:

Μηδέ-

Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισι
Οὐ γάρ τοίγε κλύουσι, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.

Preces ante libationem. Apud Homerum potissimum creberrima fit mentio hujusmodi precum in libationibus adhibitarum, ut Ιλ. Ι. inquit Nestor ad Græcos:

Φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε,
Ὄφρα Διῒ Κρονίδῃ ἀρησόμεθ', αἴκ' ἐλεήσῃ.

Sic Οδ. Γ. Lisistratus Nestoris filius, cùm Telemacho atque Minervæ hospitibus partem viscerum & poculorum vini dedisset, Minervam his verbis alloquitur:

Εὔχεο νῦν ὦ ξεῖνε Ποσειδάωνι ἄνακτι.
Τοῦ γὰρ καὶ δαίτης ἠντήσατε δεῦρο μολόντες.
Αὐτὰρ ἐπὴν σπείσῃς τε, καὶ εὔξεαι, ἣ θέμις ἐστί,
Δὸς καὶ τούτῳ ἔπειτα δέπας μελιηδέος οἴνου
Σπεῖσαι. ἐπεὶ καὶ τοῦτον ὀΐομαι ἀθανάτοισιν
Εὔχεσθαι. πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι.

Sequuntur postea preces, quas Minerva ad Neptunum fundit, quibus peractis, deinde Telemacho poculum tradidit, ut ille libaret simul. Sic Οδ. Γ. in fine:

Τοῖς ὁ γέρων κρητῆρα κεράσσατο, πολλὰ δ' Ἀθήνῃ
Εὔχετ' ἀποσπένδων.

Virgil. lib. 4. *Georg.* describit convivium magnificum, quo Cyrene filium loco festivo excepit, libationis quoque meminit, his verbis:

- - - - *Panchæis adolescunt ignibus aræ,*

hoc est, thure aræ illato.

Et mater, Cape Mæonii Carchesia Bacchi
Oceano libemus, ait.

Id est, Hoc Carchesio vinum pretiosissimum in honorem Oceani libemus, & in hanc aram thure succensam defundamus.

- - - *Simul ipsa precatur*
Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores
Centum, quæ sylvas, centum quæ flumina servant:

En preces quas fundunt ad Oceanum, ac Nymphas sorores, quibus aut sylvarum & ruris custodia aut fluviorum & aquarum cura commissa erat. Sequitur ipse libationis actus:

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:

πυρομαντία. Id est, Ter vinum ardenti foco asperserat. Sequitur omen: unde πυρομαντία:

Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa.

Id est, Ter flamma ad summum conclavis tectum ferebatur, ibique relucebat. Unde bono omine capto animoque confirmato Cyrene, sic ad filium loqui incipit. Virgil. in octavo *Æneid.*

In mensam læti libant, Divosque precantur.

Sic libans Dido in convivio precatur:

Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.

Et apud Horat.

- - - *Et alteris, te mensis* (mensa secunda, in qua solet libatio fieri & Deorum precatio) *adhibet Deum:*

Id est, Te ut Deum obsecrant, & tibi ut Laribus libant. Itaque mox libatio sequitur:

Te multa prece, te prosequitur mero,
Defuso pateris.

Σπονδαῖος pes dictus ex ritu libationis. Quoniam autem in sacris hujusmodi libationibus voce morosa & cunctabunda usi sunt, hinc σπονδαῖος, hoc est, spondæus pes dictus est, constans duabus syllabis longis, quod *ἐν ταῖς σπονδαῖς ἃς ἐποιοῦντο πρὸς τοὺς θεοὺς τοιούτῳ μέτρῳ ἐχρῶντο*, teste Hephæst. Schol. Arnobius de Sacrificiis verba faciens, *Operapretium*, inquit, *est etiam verba ipsa depromere, quibus cum vinum datur,* (id est, libatur) *uti, ac supplicare consuetudo fuit.*

Mactus hic vino inferio esto.

Inferio, inquit Trebatius, *verbum ex caussa additum, eaque ratione profertur, ne vinum omne omnino, quod in cellis & Apothecis est conditum, ex quibus illud, quod effunditur, promptum est, esse sacrum incipiat, & usibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc verbo, solum erit, quod infertur, sacrum, nec religione obligabitur, ut inferium videlicet vinum dicatur sacrum, quod Diis infertur.* Et hæc de manuum ablutione & precibus verbisque conceptis & sacris, quibus olim libantes usi fuerunt.

Vinum inferium quid?

Nunc

Nunc ut reliquos libationum ritus atque cerimonias persequar, primo quidem ministri seu famuli (qui idcirco dicti sunt σπονδοφόροι) libamina, hoc est, liquores, quibus libabatur (inter quos præcipuum erat vinum) afferebant, iisque crateras ad summum implebant (quod Homero est ἐπιστέφεσθαι, Virgil. *coronare*, de quo alibi) quos deinde in medio collocabant. Hinc sæpe Homerus, Οδ. Γ. Administratio liquorum.

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο,

Juvenes autem crateres coronarunt vino.

Item Οδ. Β. sub finem:

Στῆσαν δὲ κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο,

Collocarunt crateres coronatos vino.

Λεῖβον δ' ἀθανάτοισι θεοῖς αἰειγενέτῃσιν,

Libabant autem immortalibus Diis sempiternis.

Athenæus lib. 14. Cyatho enim tunc non utebantur, neque cotyla, sed cratera Diis statuebant non argenteum, neque lapillis distinctum, sed ex terra coliade: hunc quoties implevissent, libantes Diis ex phiala vinum postea fundebant, cymbio nuper mistum tingentes, ut etiam nunc apud nos in Phiditiis fieri solet, Plutarchus *Polit. præcept.* Τοῦ κρατῆρος αὐτομάτως ἐπὶ ταῖς σπονδαῖς ῥαγέντος.

Hîc quoque usitata fuit vini mixtio, cujus sæpe apud Homerum fit mentio, non cum aqua (non enim licebat antiquitus Diis vinum aqua dilutum dare, sive libare) sed cum alio vino meraco, de quo supra.

Ex crateris porro deinde vina in minora pocula infundebant, quæ Homerus δέπαα fere vocat aurea: ex quibus deinceps pars vini effundebatur. Homerus Ιλ. Κ. in fine: Liquorum infusio in pocula minora.

- - - ἀπὸ δὲ κρητῆρος Ἀθήνῃ

Πλείου ἀφυσσάμενοι λεῖβον μελιηδέα οἶνον.

Hoc est, *ex cratere pleno haurientes*, scilicet in minora pocula, ***libabant mellitum vinum.*** Eustath. ἀφυσσάμενοι, id est, ἀντλήσαντες. Οδ. θ.

Καὶ δέπας ἀμφικύπελλον ἑλὼν σπείσασκε θεοῖσιν.

Δέπας Hesych. ποτήριον, παρὰ τὸ δέχεσθαι τὸ πόμα. Et Athen. lib. 11. δεπαστρον idem significat, Athen. lib. 9. inde δεπάζω, hoc est, πίνω. Homerus quoque nominat ἄλεισον poculum libatorium, Οδ. θ. Δέπας quid?

Καί οἱ (Ulyssi) ἐγὼ (Alcinous) τὸ δ' ἄλεισον ἐμὸν περικαλλὲς ὀπάσσω

Χρύσεον, ὄφρ' ἐμέθεν μεμνημένος ἤματα πάντα

Σπένδῃ ἐν μεγάρῳ Διΐ τ' ἄλλοισί τε θεοῖσιν.

Est ἄλεισον Suidæ ποτήριον, Hesychio poculum torno factum: Eustathio περιφερὲς, hoc est, ***rotundum*** seu *circulare.* Omnino autem vasa hujusmodi, quorum in libationibus olim usus erat, à Græcis generali vocabulo dicta sunt σπονδεῖα, ut Athen. lib. 11. ex Clearcho & Nicandro probat: ab Antimacho Colophonio, dicit, λοιβάδας vocari, *libatoria* nonnulli vertunt. Item λοιβεῖον, & λοιβάσιον *vas libatorium* appellatur, quo tamen, ut & Pollux libro 10. & Athen. libro 11. & Eustath. specialiter vas illud, quo oleum Diis libabatur, significari volunt. Suidas λοιβεῖον exponit θῦμα, hoc est, *ipsum libamen.* Latini libatoria hujusmodi vasa *crateras, pateras, sympuvia, &c.* appellant. Virgilius. Ἄλεισον quid? Σπονδεῖα. Λοιβάδες. Λοιβεῖον. Λοιβάσιον.

Pateris libamus, & auro.

Pateræ, inquit Varro, *dictæ, quod pateant*: quibus etiam nunc in publico convivio antiquitatis retinendæ caussa, cum magistri fiunt, potio circumfertur: & in sacrificando de eis hoc poculo magistratus dat Deo vinum, hoc est, libat. Etiam *patellæ* dictæ, Juvenal. Satyr. 6. Pateræ unde dictæ?

Et Vaticano fragiles de monte patellas.

Arnobius similiter de libationibus verba faciens: *Date, quæso*, inquit per Ironiam, *Diis immortalibus ut bibant, scyphos, brias, sympiniaque depromite.* Sympinium quod etiam sympulum fuit vocatum, quid sit diximus supra. Ejus Cicero quoque meminit lib. 3. *de Legibus*, & Plin. lib. 35. cap. 12. *In sacris non murrhinis, crystallinisve*, inquit, *sed fictilibus Sympulis prolibabatur innocentius.* Sunt autem Sympula calices fictiles, & vascula quibus utebantur in sacrificiis. Apuleius & Catinum sic sacrificiis liquidis, id est, libationibus, adhiberi solitum ostendit in *Apologetico*, sic scribens: *Paupertas populo Rom. imperium à primordio fundavit: proque eo in hodiernum Diis immortalibus sympulo, & catino fictili sacrificat.* Sergius Galba, teste Suetonio, quum exercitus luce prima ad expiandum somnium, præmissis qui rem divinam appararent, Tusculum excurrisset, nihil invenit, præter tepidam in ara favillam, atratumque juxta senem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum: hoc fuit præsagium ejus mortis. Idem vas etiam *Sympuvium* fuit vocatum. Hinc Juvenalis, Sympinium. Sympula quid? Catinum. Sympuvium.

Sympuvium ridere Numæ, nigrumque catinum.

Sed hoc quoque supra dictum. Varro inter vasa vinaria olim in sacris adhibita *Depestam* (forsan à δέπας Græco) numerat; ut etiam *Guttum*, à *guttis* dictum, quo vinum dabant, & minutatim fundebant, & quo sumebant minutatim, à sumendo *Sympulum* nominaverunt. *In Sympuli locum*, addit ibidem, *in conviviis è Græcia successisse Epichysin, & Cyathum: in sacrificiis remansisse Guttum & Sympulum.* Hinc *Sympulatrices mulieres* sacris deditæ, ut ait Festus. Hæc de vasis libatoriis, quæ σπονδοχεῖα à Græcis appellantur. Depesta. Epichysis & cyathus.

Porro libationis unus quidem quasi præsultor videtur fuisse, qui deinceps singulis ex ordine pocula dedit plena Libationis præsultor.

plena vini ad libandum atque bibendum: id quod ex quibusdam Homeri locis videtur posse colligi, ut Οδ. Γ. fere ab initio:

> Αὐτὰρ ἐπὴν σπείσῃς τε καὶ εὔξεαι, ἣ θέμις ἐστί,
> Δὸς καὶ τούτῳ ἔπειτα δέπας μελιηδέος οἴνου.
> Σπεῖσαι. - - -

His Pisistratus jubet Telemachum, postquam ipse libarit, alteri quoque poculum tradere, ut similiter libet. Vel etiam famuli singuli pocula vini plena dederunt, ex quibus libarent. Hinc sæpe illud occurrit apud Homerum:

> Νώμησαν δ' (διεμέρισαν Hesychio) ἄρα πᾶσιν ἐπαρξάμενοι δεπάεσσιν.

Sic Οδ. Η. Alcinous ad Pontonoum,

> Ποντόνοε κρητῆρα κερασσάμενος μέθυ νεῖμον,
> Πᾶσιν ἀνὰ μέγαρον, ἵνα καὶ Διῒ τερπικεραύνῳ
> Σπείσομεν. - - -

Et paullo post Potonous hoc illius mandatum sic dicitur fuisse exsecutus

> —— Ποντόνοος δὲ μελίφρονα οἶνον ἐκίρνα:
> Νώμησεν δ' ἄρα πᾶσιν.

Κεραννύειν sive κιρνᾶν. Notabis verbum κεραννύειν, sive κιρνᾷν, significare non modo *miscere*, sed etiam *infundere vinum*, ut multis in locis Eustath. annotat.

Σπονδικεῖς. Vinum porro antequam fundebat sacerdos in sacris (σπονδικεῖς inde hujusmodi sacerdotes vocabantur, οἱ τὰς σπονδὰς χέοντες, Hesychius) prius simpulo ligneo propinabat, vel fictili, quod etiam simpuvium vocatum est. Portio sive gutta vini aut cujuscunque alterius liquoris, quæ inter libandum è pateris fundebatur, à Græcis σπονδῆτις σταγών, hoc est, *stilla libatoria* dicta est.

Σπονδῆτις σταγών.

Hæc ipsa autem effusio varia fuit & multiplex. Et ut olim in Veteri Testamento, quemadmodum constat ex 25. & 30. Exod. Num. 28. *vinum libari*, hoc est, *effundi* consuevit super omnes victimas: ita Ethnici quoque in suis sacrificiis hujusmodi vini super victimas effusionibus plerunque usi fuerunt. Ac primo quidem vinum inter cornua hostiæ, antequam illa esset mactata, spargere solebant. Unde Virg. lib. 4. *Æneid.*

> *Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,*
> *Candentis vaccæ media inter cornua fundit.*

Ibi Servius: *Non est*, inquit, *sacrificium, sed hostiæ exploratio, utrum apta sit.* Item *Æneid. 6.*

> *Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos*
> *Constituit, frontique invergit vina sacerdos.*

Servius in illum locum, in Quarto ait:

> - - - *Media inter cornua fundit,*

Fundere. Vergere. *Et fundere est supina manu libare: quod fit in sacris supernis: Vergere autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis fit.* (Nota hic diversos libandi gestus.) Hæc autem pertinent ad victimarum explorationem, ut si non stupuerint, aptæ probentur. Plutarchus *de Defectu Oracul.* οὐδὲ γὰρ προθυόμενοι καὶ καταστέφοντες ἱερεῖα, καὶ καταπένδοντες, hoc est, *neque vero ante sacrificando* (molæ salsæ inspersionem significat, preces, pilorum evulsionem & concremationem, quæ ab Eustathio sæpe προθύματα appellantur) *neque infulis, vittisque victimas coronando, neque hostiæ vinum infundendo*, contra rationem istam facimus. Rursum Plutarchus eodem in libro: *Nisi*, inquit, *bestia toto corpore, dum libamentis mactatur, sive libamentis persunditur, ab imis usque articulis succutiatur & contremiscat.* Hinc κατάσπεισις perfusio hujusmodi dicta est, qua hostia solebat perfundi. Plutarchus *de Defectu Oracul.* πρὸς τὴν κατάσπεισιν ἀπαθὲς, καὶ ἀκίνητον, hoc est, *nihil affici neque moveri, dum humor invergitur.* Ex his ergo colligitur, hostiam primo fuisse vino aliove liquore perfusam, ut probaretur. His adde Ovid. testimonia *Fastor.* lib. 1.

Κατάσπεισις. Hostia cur primò vino aliove liquore perfusa?

> *Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,*
> *In tua quod spargi cornua possit, erit.*
> *Vera fides sequitur, noxa est tibi deditus hostis,*
> *Spargit ad effuso cornua Bacche mero.*

Deinde super exta aliasve partes hostiæ in ignem conjectas, vina fundere consueverunt. Hinc Homerus Ιλ. λ.

> Σπένδων (Nestor) οἶνον, ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν.

Et Οδ. μ. Οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν.

Cui simile illud Virgilii de sacrificio:

> *Et solida imponit taurorum viscera flammis,*
> *Pingue super oleum fundens ardentibus extis.*

Sic Apollon. lib. 1. *Argonaut.*

> ὁ δὲ ἀκρήτους χέε λοιβάς.

Scilicet

Scilicet super fœmora, quæ paullo ante dixerat fuiſſe concremata. Hinc Johan. Grammat. in Heſiodum libationem definit *vini effuſionem in id, quod immolatur.* Libatio Johan. Gramm. quid?

Alias extra, puta ſacrificia, vinum in humum effundebant, ſecundum illud Homeri Ἰλιάδ. η. ſub finem:

> Οἶνον δ' ἐκ δεπάων χαμάδις χέον, οὐδέ τις ἔτλη
> Πρὶν πιέειν, πρὶν λεῖψαι ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.

Et Virg. *Æneid.* lib. 5.

> *Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho,*
> *Fundit humi.*

Apud Virgilium *Æneid.* lib. 5. & exta, & vina in mare ejiciuntur: Vina porriciuntur.

> *Stans procul in puppi* (Æneas) *pateram tenet, extaque ſalſos*
> *Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.*

Item:

> - - - - *Extaque ſalſos*
> *Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.*

Apud eundem quoque leniter vini aliquid ex patera defundebant in menſam: ut,

> *Dixit, & in menſa laticum libavit honores.*

Item:

> *In menſam læti libant, Divosque precantur.*

Sed operæpretium erit Arnobii verba hîc ſubjicere, qui feſtivè hujuſmodi libationes deſcribit ſimul, & irridet: *Merum,* inquit, *thuris eſt ſocium, quod explanari ſimiliter poſcimus, cur id ſuperfundatur incenſioni? Si enim ratio, cur fiat, non oſtendetur, nec habebit ſui expoſitam cauſſam, non iſtud jam errori objiciendum eſt ludicro, ſed (ut dicatur expreſſius) inſaniæ, dementiæ, cæcitati. Ut enim jam ſæpius dictum eſt, debet omne, quod geritur, cauſſam ſui habere perſpicuam, nec caliginis alicujus obſcuritate contectam. Si ergo fiditis facto, aperite, monſtrate, liquor iſte cur detur, id eſt, vinum ſuperfundatur altaribus. Nunquid enim Numinum corpora ſitim ſentiunt aridam, & eorum neceſſe eſt ſiccitates humore aliquo temperari? Nunquid nobis, ut mortalibus, mos eſt cœnis intermiſcere potiones: pari etiam more poſt ſolitos victus liborum, & pultium, hoſtiarumque cæſarum, quo putreſiat facilius, & percoquatur cibus, frequentiſſimo irrigant accipiuntque ſe vino? Date quæſo immortalibus Diis ut bibant, ſcyphos, brias, pateras, ſympiniaque depromite: & quoniam tauris, pinguibusque ſe dapibus, atque optimis inferciunt eſcis, ne quod in ſtomachi tramite male tranſvoratum ſubſtiterit viſcus, properate, Jovi Optimo Maximo merum, ne præfocetur, date: cupit eructare, nec potis eſt: at in illa labatur, & diſſolvatur obſtructio, periculum maximum eſt, ne oblìſus interrumpatur ſpiritus, ut viduatum remaneat ſine ſuis adminiſtratoribus cœlum. Sed fruſtra, inquis, inequitas nobis: non enim nos ſuperis ob eas profundimus merum cauſſas, tanquam illos exiſtimemus aut ſitire, aut bibere, aut ſuavitatis ejus affectione lætari. Honoris ergo eis datur, quo fiat illorum elatior, amplior, auguſtiorque ſublimitas, altaria ſuper ipſa libamus, & venerabiles cniſſas carbonibus excitamus extinctis. Et quæ gravior infligi contumelia Diis poteſt, quam ſi eos credas accepto mero propitios fieri: ut honorem exiſtimes his habitum magnum, ſi modo vini exigui rorem ſuper vividam jeceris, atque inſtillaveris prunam?* Et paullo poſt: *Nimirum quia apud nos plus valet nullam habens conſuetudo rationem, quam rerum inſpecta natura, veritatis examinatione ponderata. Quid eſt enim Deo cum vino? aut in ejus materia vis qualis aut quanta eſt, quod cum effuſum fuerit, ſublimitas ejus augeſcat, & honorata exiſtimetur auctoritas? Quid, inquam, Deo cum vino eſt, Venereis re proxima, nervos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris & caſtitatis inimica? quod in inſanias & furores mentes ſæpius præcipitavit excitas, ipſosque illos Deos maledictis compulit exauctorare dementibus? Ita ne iſtud non nefas, & plenum ſacrilegii crimen eſt, honori hoc dare, quod ſi tu avidius ſumpſeris, quid facias, neſcias: quid loquaris, ignores, ad extremum temulenti, luxurioſi ac perditi convitium, calumniamque merearis.* Arnobius Gentilium libationes falsè perſtringit.

NUNC poſtremo addamus quædam de vario & multiplici libationum uſu. Primò itaque illis uſi ſunt in omnibus ſacrificiis, quemadmodum ſupra explicatum eſt. Prima ſacrificii pars erat *libare*: ſecunda, *immolare*: tertia, *reddere*: quarta, *litare*. Alexander ab Alexand. libro quarto, capite 17. IV. Libationum uſus multiplex.

Deinde libationes fuerunt uſitatiſſimæ in fœderibus: unde etiam apud Græcos una & eadem vox σπονδὴ & *fœdus*, ſive *inducias*, & *libamen* ſignificat, propterea quod ut ſacrificiis, ita libaminibus quoque intercedentibus illa olim contrahi, atque ſanciri conſueverunt: ut Ἰλ. Β. σπονδὴ & fœdus & libamen ſignificat.

> Σπονδαί τ' ἄκρητοι, καὶ δεξιαί, ᾗς ἐπέπιθμεν,

Id eſt, *Sacramenta libatione meri ſancita, & dextræ datæ.* Xenophon *Hellen.* 3. ἔπεμψαν ἐστεφανωμένους δύο κήρυκας ἀποφέροντας σπονδάς: & apud Pollucem, σπονδὰς ἐπενεγκεῖν pro libamentis, quæ ſanciendis fœderibus adhibentur, accipiendum exiſtimatur. Hinc σπένδεσθαι σπονδὰς Luciano idem, quod σπονδὰς ποιεῖσθαι *fœdus inire*, ſeu *inducias paciſci.*

Sic in ſponſalibus quoque, quæ & ipſa mutua quædam ſunt viri & uxoris fœdera, libationes fieri ſolitas vel inde patet, quod Feſtus dicit, ſponſum & ſponſam ex Græco dictam eſſe, quod ii σπονδάς, interpoſitis rebus divinis, faciant.

In exequiis quoque libationes multiplices adhibitas fuiſſe libro primo oſtenſum eſt in tit. *de Conviviis funeralibus.*

Denique in conviviis cùm ſacrificialibus, hoc eſt, iis quæ ſacrificia ſtatim fuerunt conſecuta, tum etiam in aliis omnibus libationes uſitatiſſimas fuiſſe, paſſim ex auctoribus colligitur. Præ cæteris exemplum liba-

Convivium concordiæ faciendæ caussa. Accubatio. Crater. Vota.

tionis illustre extat apud Arrianum lib. 8. de Alexandro magno, & Macedonibus. Nam Alexander M. discordia, quæ inter Persas & Macedones exarserat, composita, quo Diis gratias ageret, sacrificio facto, convivium populare instituit, in quo primi circa ipsum honoris gratiâ Macedones accubuêre, deinceps Persæ: post eos ex aliis gentibus devictis, quicunque aut dignitate, aut virtute præstabant. Tum cratere, quo Rex biberat, ad eos qui circa ipsum discubuerant circumlato, vota suscepta sunt, incipientibus Græcis Vatibus, & Magis, tum alia exercitui, Regique prospera, tum maxime æternam Macedonum ac Persarum concordiam, & communis imperii societatem precantibus, Novem millia virorum huic convivio interfuisse fama est, eosque omnes ex eodem cratere bibisse. Apud Homerum certe in omnibus ferè epulis τῶν σπονδῶν καὶ λοιβῶν, hoc est, *libationum*, fit mentio. Nec vero bibebant, nisi libatione prius Diis facta; id quod colligitur ex illo loco Homeri Ιλ. η. sub finem:

Convivarum 9. millia. Libatio.

Οἶνον δ' ἐκ δεπάων χαμάδις χέον, οὐδέ τις ἔτλη
Πρὶν πιέειν, πρὶν λεῖψαι ὑπερμενεῖ Κρονίωνι.

Apud Homerum etiam proci,

- - - θεοῖσι
Σπείσαντες, μακάρεσσι πίον μελιηδέα οἶνον.

Et Achilles priusquam biberet,

- - - Λεῖβε δ' οἶνον
Οὐρανὸν εἰσανιδών. Διὰ δ' οὐ λάθε τερπικέραυνον.

Unde apud Virgilium Dido

Dixit, & in mensa laticum libavit honorem.

Et alibi, *In mensa læti libant, Divosque precantur.*

Servasse hoc privatim Romanos legimus apud Dionem Cassium, qui inter alios honores Augusto delatos, hunc quoque commemorat, quòd decretum fuit, ut per Genium ejus vulgo jurarent, & in conviviis omnibus pro salute ejus libarent. Ethnici, ut ex hoc & aliis testimoniis Scriptorum prophanorum constat, nefas ducebant, nisi sacrificiis prius, atque libationibus factis, cibo ac potui indulgere: pudeat ergo nos Christianos neglectis precibus (quæ quidem veræ sunt Christianorum libationes atque sacrificia) ad cibum, potumque capiendum plerumque prorumpere. Optandum quoque esset, ut quemadmodum Ethnici olim in falsorum suorum Deorum honorem aliquem cibi potusque portionem in hostias, in focum atque humum profundebant: sic nos Christiani in Christi vicarios, hoc est, in pauperes, & inopes cibi potusque nostri portionem profunderemus: qui quidem gratissimus Deo est cultus atque honos.

NOTA.

V. Libationum tempus, quo potissimum celebratæ.

Observandum porrò, Veteres post epulas, antequam cubitum irent, maximè libationibus operari solitos fuisse: id quod ex multis Homeri locis constat. Sed præ cæteris locum habes illustrem Οδ. Γ.

Ἀλλ' ἄγε (inquit Minerva ad Nestorem) τάμνετε μὲν γλώσσας κεράασθε δ' οἶνον
Ὄφρα Ποσειδάωνι, καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι
Σπείσαντες, κοίτοιο μεδώμεθα: τοῖο γὰρ ὥρη:
Ἤδη γὰρ φάος οἴχεθ' ὑπὸ ζόφον; οὐδὲ ἔοικε
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν, ἀλλὰ νέεσθαι
Ἦ ῥα Διὸς θυγάτηρ, τοὶ δ' ἔκλυον αὐδησάσης.
Τοῖσι δὲ κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔβαλλον,
Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.
Νώμησαν δ' ἄρα πᾶσι ἐπαρξάμενοι δεπάεσσι:
Γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, ἀνιστάμενοι δ' ἐπέλειβον,

id est:

Sed agite dividite quidem linguas, miscete vinum,
Ut Neptuno & aliis immortalibus
Ubi libaverimus, lectum curemus: ejus enim hora adest,
Jam enim lumen ivit sub occasum, neque decet
Diu Deorum in epulo sedere, sed redire
Dixit sane Jovis filia, hi vero audiverunt locutam.
His quidem præcones aquam manibus infuderunt,
Juvenes autem crateres coronarunt vino.
Diviserunt autem omnibus, initium sumentes à poculis.
Linguas in ignem conjecerunt, surgentesque libârunt.

Hinc Athenæus lib. 1. *Libabant enim è cœnis discedentes, quæ libationes Mercurio fiebant, non autem, ut postea, Jovi* τελείῳ *perfecto, sive adulto. Mercurius enim,* ὕπνου προστάτης εἶναι, id est, *somno videtur præesse. Libant etiam eidem linguas à cœna discedentes, eò quòd linguæ illi, ceu Deorum, hominumque interpreti atque internuntio tribuuntur.* Eustathius eadem de re in versus illos Homeri paulo ante allegatos, eleganter sanè hunc in modum disserit: quæ quia utilia simul sunt, & jucunda lectu, subjiciam: His verbis,

In libationibus etiam linguæ libari solitæ,

Divi-

Dividite linguas, miſcete vinum, &c.

Homerus antiquam comſuetudinem indicat. Veteres enim poſt ſacrificium cubitum ſe recepturi, victimarum prius linguas ſacrificabant, illas in ignem conjicientes: idque de Ionum, ſive Atticorum more. Hæc Euſtathius. Cur autem illas dederint atque conſecrârint Diis, copioſe ſupra dictum eſt ex eodem: quibus adde *quod ea quoque de cauſſa ſacrificabantur linguæ, ut in lingua ſervetur id ſolum, quod in illa eſt optimum, ne de illa, ceu* ἐπαμφοτεριζούσης, hoc eſt, *in bonam & malam partem inclinante, propter multorum hominum* ἀμφοτερόγλωσσον, *is qui de illius vi duplici ſententiam tulit, gloriari merito poſſit. Is autem fuit, qui interrogatus, quodnam eſſet in victimis pulcherrimum, linguam miſit: deinde rurſus interrogatus, quodnam in victimis eſſet deterrimum, iterum linguam miſit. Hoc ſignificare voluit, multos lingua & prodeſſe & obeſſe, quod quidem opus eſt calumniæ* δίςομον γὰρ οἷόν τε ξίφος ἡ γλῶσσα, hoc eſt, *Eſt namque lingua veluti gladius anceps, contrariorum vim habens, nimirum & nocendi ſive lædendi, & commodandi.* (His ſimilia ſunt, quæ Jacobus ſcribit in ſua Epiſt. cap. 3.) *Adhæc Diis linguas conſecrabant ſub veſperam,* ut ſupra quoque dictum, *ceu jam tacituri, & linguam, ceu depoſitum cuſtodituri: & idcirco illas Mercurio dedicabant, ceu* λόγου δοτῆρι, hoc eſt, *datori ſermonis. Forſan etiam, ut omni* λογοδιαῤῥοίᾳ, id eſt, *loquacitate*, ſeu *garrulitate liberarentur* τραπεζορρήτορες ὄντες, *quemadmodum convivantibus accidunt. Veteres porro linguas Mercurio ultimo libaſſe, ut memor eſſet cubilis, Homerus quoque indicat. Et forſan talis erat apud poſteros* ὁ πότιμος Ἑρμῆς, *Mercurius potabilis, de quo Dipnoſophiſta, qui dicit* Ἑρμῆν *eſſe* εἶδος πόσεος, hoc eſt, *genus potionis apud Stratidem.* Et paullo poſt: *Præter hæc ſciendum conſecratas fuiſſe linguas, ut bona audirent, quibus proferendis lingua ſubſervit. Mercurio autem illas ſacrificabant,* ὡς τοῦ λόγου ἐφόρῳ, *ceu ſermonis præſidi.* Unde Comicus Mercurio δυσφημοῦ, infauſta quædam dicente, exprobrat, id ei inquiens τῷ κήρυκι τούτων γίνεται, quod perinde eſt, ac ſi diceret, *Fruſtra linguæ ſacrificantur talium præconi.* Ariſtophanes in *Pace*, (Pittacus nimirum.)

ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται,

Id eſt,

Lingua ipſa ſeorſim inciditur.

Interpres admonet proverbialiter dictum. Sumptum autem ex Homero Οδ. γ.

Ἀλλ' ἄγε τέμνετε μὲν γλώττας.

Id eſt,

Eia age jam linguas incidite.

Ejuſque ſententiæ Calliſtratum citat auctorem. Rurſum in *Pluto*, ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι τούτων τέμνεται, id eſt, *Præconibus horum præcidi ſolet.* Calliſtratus: ut citat interpres, tradit olim in ſacrificiis linguam exectam præconibus dari ſolitam. Nam alioquin ſunt qui dicant, ex victimis Mercurio deberi linguam. Eſt autem in Ariſtophanis verbis ἀμφιβολία non infaceta, qua lingua utrolibet referri poteſt, vel ad boves, vel præcones. Interpres admonet alluſum eſſe ad proverbiale dictum, ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι, *Lingua præconi.* Quo rectè videbimur uſuri, cum præmii nonnihil debere ſignificabimus, qui in conficiendo negotio pro ſua virili adjumento fuit, aut εὐαγγέλιον dandum læta nuncianti. Sic enim vocat Homerus mercedulam, quæ dari conſuevit lætum adferentibus nuntium. Apud Plutarchum Antipater, cum incidiſſet mentio de Demade jam ſenio imbecilli fractoque, *Velut*, inquit, *ex immolata victima, ſolus venter & lingua ſupereſt. Apparet linguam, ceu prophanum membrum ſacris adhiberi non ſolere. Et Pittacus Amaſidi regi mittit è victima linguam, ut membrum peſſimum & idem optimum. Præcones autem linguam habent venalem, & in ſacrificiis admonebant populum, ut linguis faverent.* Plautus in Prologo *Pœnuli*,

Exerce vocem, per quam vivis, & colis.
Nam niſi clamabis, ſtatim te obrepet fames.

Hæc Eraſmus in Adagiis. Addit autem Euſtathius: *In vetuſto Commentario ſcribitur, ſymbolice hoc dici conſueviſſe,* ἀλλ' ἄγε τάμνετε μὲν γλώσσας, hoc eſt, *agedum, dividite linguas, quod idem valet, quod age ſileamus, parentes nocti. Stultum enim ajunt eſſe dicere,* τέμνετε τοὺς λόγους. *Unde ex hoc linguas dividendi more id innuit.* Idem ſcholium teſtatur, in ſolo Neſtoris ſacrificio Poëtam moris iſtius meminiſſe, qui quidem ſit Atticus hinc profectus. Poſſit etiam fortaſſe quis feſtive inter ſermones conviviales hoc uſurpare: Ἀλλ' ἄγε τέμνετε μὲν γλώσσας, κεράσασθε δὲ οἶνον, quando linguæ ſale conditæ jubentur apponi. τάμνετε autem γλώσσας Ionica dialecto, pro θύετε, id eſt, *ſacrificate*, accipitur. Illas porro linguas cum libamine concremari fuiſſe ſolitas, illa verba indicant, γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, ὁ ἐςὶ ἐτίθουν, hoc eſt, *linguas in ignem conjiciebant*: ſurgentes autem libabant.

Obſervandum etiam præter libationem potionemque, quæ ſuper lingua fieri conſuevit, fuiſſe etiam poculum, ut Ælius Dionyſius tradit, ἀγαθοῦ δαίμονος, hoc eſt, *boni Dæmonis* appellatum, quod remotis menſis proferebatur, de quo infra. Hæc Euſtathius de libationibus illis, quæ poſt epulas olim fieri conſueverunt, Horatius, (Poculum boni Dæmonis in libationibus uſitatum.)

Et venerata Ceres, ut culmo ſurgeret alto,
Explicuit vino contractæ ſeria frontis.

In quæ verba Turnebus in ſuis *Adverſariis*, *ſignificari libationem puto, qua antiqui poſt epulas uti ſolebant. Nam pateram tenentes, ex ea aliquid in honorem Dei, ut hic ruſticus in honorem Cereris, venerantes precanteſque fundebant, deinde bibebant.* Hic ergo colonus ait, ſe cum ſuis convivis veneratum Cererem, vinum poſt cœnam bibiſſe, & contractæ frontis rugas vino explicuiſſe. Apollon. in *Argonaut.* lib. 1.

Οὐδ' ἐπὶ δὴν μετ' ἔπειτα κερασσάμενοι δὴ λοιβὰς
(Ἣ θέμις ἐστὶ) θέως ἐπί τε γλώσσῃσι χέοντ)
Αἰθομένας, ὕπνου δὲ διὰ κνέφας ἐμνώοντο.

De Argonautis convivium sacrorum Apollinis celebrantibus. De his sic Scholiastes, ἣ θέμις, hoc est, *si fas est. Quoniam*, inquit, *mos erat Veterum, ut dormituri craterem miscerent, & hostiarum linguas Mercurio sacrificarent, vinumque libarent, idque forsan naturali quadam ratione ducti. Nam quoniam Mercurius sermo esse dicitur, illius autem instrumentum est lingua, quæ somno irruente quiescit, idcirco merito illam Mercurio immolant.* Direchidas antem in Megaricis talia litteris memoriæque prodidit. Alcathus Pelopis filius, ob Chrysippi cædem, Megara pulsus in exilium, in aliam quandam urbem sese recepit. Is cum incidisset in leonem quendam, qui Megaram depopulabatur, adversus quem etiam alii à rege Megarensium missi fuerant, illum prosternit, ejusque lingua supra rogum posita, Megaram rediit. Cùm verò illi, qui ad venandum missi fuerant, à se prostratam illam feram esse dicerent, allata pera illos mendacii coarguit. Quamobrem rex Diis sacra faciens, postremo linguam altari imposuit: unde mos ille Megaræ semper permansit. Philochorus autem in lib. *de Sacrificiis* hanc affert caussam, quòd lingua optima sit & princeps pars corporis: & Homerus, ἀλλ' ἄγε τάμνετε γλώσσας, pro παύετε τοὺς λόγους, dixit. Hesiodus:

Ἄλλοτε δὴ σπονδῇσι θυέεσσί τε ἱλάσκεσθαι
Ἠμὲν ὅτ' εὐνάζῃ, καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ.

Tempus duplex libationum. Observabis hîc cum tempus duplex, quo libationibus atque sacrificiis operam dabant, matutinum nimirum atque vespertinum, tum finem, qui erat, ut Deos placarent, sibique propitios redderent. Scholiastes in vocem σπονδῇσι addit, *Hic erat alter modus cultus, & ille quotidianus, libationibus constans in conviviis & compotationibus.* Eustathius in illa Homeri Οδ. η. ᾧ πυμάτῳ σπένδεσκον, ὡς ὀνειροπομπῷ καὶ ὑπνοδότῃ ἐκείνῳ ἔσπενδον τηνικαῦτα καιροῦ. Plutarchus in *Sympos.* 7. *sapientum*: Σπείσαντες οὖν μέσαις, καὶ Ποσειδῶνι διαλυόμεθα (εἰ δοκεῖ) τὸ συμπόσιον. Idem 7. *Sympos. Probl.* citans versum illum Homeri,

Σπένδοντας δεπάεσσιν ἐϋσκόπῳ ἀργειφόντῃ
Ὧ πυμάτῳ σπένδεσκον ὅτε μνησαίατο κοίτου.

- - - - *Ultimo*
Mercurio libant, cùm jam dare corpora somno
Est animus. - - - -

Nonne conjungunt, inquit, *cum vino rationem, quando ut præsenti*, καὶ συνεπισκοποῦντι τῷ φρονιμωτάτῳ θεῷ, *& una dispicienti prudentißimo Deo vota faciunt* (προσεύχονται) *jam discessuri.* Athenæus libro decimo quinto. *Cum consurrexissent atque libassent, reliquum quod erat meri, dederunt famulo, qui illis poculum porrexerat, exhauriendum.* Aristoph. σπεῖσον ἀγαθοῦ δαίμονος, scilicet κρατῆρα, pro τὸ μετὰ τὰς τραπέζας ἄκρατον σπεῖσον, quum videlicet bono genio libatur, ut prosperam mittat fortunam. Verùm de hoc poculo Dæmonis alio in loco plura dicentur.

Notandum quoque quod Eustathius scribit Ιλ. Α. de libationum usu: Ἐκ δὲ λείβειν, inquit, οἶνον καιρὸς οὐ μόνον κατὰ τὰς θυσίας, ἀλλὰ καὶ κατ' ἀρχὴν ὁδοιπορίας, καὶ ἀπόπλου, καὶ ὕπνου, καὶ ξενίας καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Mos quoque fuit veterum Romanorum ut vinum novum libarent Diis immortalibus, priusquam ipsi gustarent: cujus rei exemplum habes in Od. 31. lib. 1. Horatii:

- - - - *Quid orat, de patera novum*
Fundens liquorem?

Et Od. 5. lib. 4.

Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris.

Ad eundem modum idem Poëta alludit, lib. 2. Satyr. 2.

Ac nisi mutatum parcit defundere vinum:

Ubi codices alii, ut vulgati, habent *diffundere*: alii *defundere*, quæ scriptura Lambino verior videtur, ut sit sensus: *Tantum abest ut hic Avidienus vinum novum Diis libaret, deinde ipse biberet, ut non nisi corruptum & acidum defunderet*, &c.

Dii postremo, quibus convivantes libare solebant, à Græcis dicti sunt Dii παρασπόνδιοι, ut erant Mercurius, bonus Dæmon, &c. Pisidæ, teste Nicolao *de mor. gent.* convivantes parentibus, ut alii Diis paraspondiis, ἀπάρχεσθαι, id est, *primitias libare* solebant.

Atque hæc quidem dicta sint in genere de Libationibus, quas proprie ac uno verbo liquidorum sacrificia possis appellare: quæ quidem varia fuerunt, ut dictum, etiam Porphyrio teste, qui libro secundo *de sacrificiis* sic scribit: Τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια παρὰ πολλοῖς ἦν. Νηφάλια δ' ἐστὶ τὰ ὑδρόσπονδα: τὰ δὲ μετὰ ταῦτα μελίσπονδα: εἶτ' ἐλαιόσπονδα: τέλος δ' ἐπὶ πᾶσιν τὰ ὕστερον γεγονότα, οἰνόσπονδα, id est, *Antiqua sacra erant sobria apud plerosque. Sobria autem erant, in quibus aqua libabatur: deinde in quibus mel: postea, in quibus oleum: denique ea, in quibus vinum.*

De fumis & nidoribus, in sacrificiis olim excitatis. POSTQUAM vero, ut institutum hoc nostrum persequamur & ad finem perducamus, partim animalia, prius cæsa & mactata, eaque vel tota & integra, vel certas illorum partes atque membra, sive exteriora, sive interiora, in aram focumve projecta ignique tradita fuerunt, vel Apulejo teste, insuper fluctus libarunt intritum,

id est,

id eſt, ut Beroaldus explicat, ad inſtar intriti minutatim: partim vero vinum, thus, oleum, omnis generis liquores, herbæ atque plantæ ſimiliter ſuper fuerunt infuſæ atque impoſitæ: inde excitatæ fuerunt flammæ, fumi, nidores, vapores, odores cum bene, tum male olentes, denique cineres atque pulveres; quæ quidem omnium illorum ſacrificiorum, victimarum, hoſtiarum, libationumque fuerunt quaſi effectus. Veriſſime itaque poſſumus dicere omnia Gentilium vel auguſtiſſima, magnificentiſſima, ſumtuoſiſſimaque ſacrificia tandem in flammas, in fumos, in nidores atque odores tetros ac putidos, denique in favillas atque cineres viliſſimos & abjectiſſimos abiiſſe.

De his ipſis igitur, de quibus ſupra pauca quædam attigimus, leviterque perſtrinximus, conſequens nunc videtur eſſe, & inſtituto noſtro ordinique conveniens, ut fuſius quædam & copioſius dicamus. Nam hos ipſos, ut inde ordiar, fumos, ſuffumigia, ſeu ſuffimenta, hoſce nidores, odores, odoramenta atque aromata, exiſtimârunt res eſſe Diis ſuis valde gratas atque jucundas, quibus illi gaudeant, magnoque opere delectentur, quibus placati reddantur atque propitii, quibus denique res quævis pollutæ & contaminatæ expientur, atque luſtrentur. Quamobrem ſuffitionum iſtarum ac ſuffumigationum, incenſorum atque thymiamatum creberrima apud Scriptores profanos fit mentio, ita ut proram & puppim, ut ita loquar, cultus divini atque religionis ſuæ in illis collocaſſe videantur. Id autem ex ipſis primum nominibus apertum eſt atque manifeſtum, à quorum explicatione incipiemus. Nidores exiſtimati Diis grati & jucundi, &c.

Nam primum *Fumi* nomen non tam à *furno* vel à *furvo*, ut Grammatici volunt, quam ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, voce Græca videtur derivari, quæ aram ſive altare ſignificat: unde aræ ſeu altaria à Poëtis Latinis *fumida*, *fumoſa*, *fumantia*, *fumifera*, *renidentia*, *vaporata* dicuntur. Sic enim Ovidius tertio *Triſtium*: Unde dictus fumus?

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

Et ſecundo *Elegiarum*:

Ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris.

Sic Fauſtus: *Qualia fumantes fragrant pia thura per aras.*

Idem alibi: *Et dabo fumiferas fragrantia thura per aras.*

Sic Statius libro primo *Theb.*

Thure vaporatis lucent altaribus ignes.

Et libro quarto:

Thurea nec ſupra volitante altaria fumos.

Quoniam igitur fumi res habitæ fuerunt ſacræ & divinæ, rei divinæ ariſque convenientes; idcirco Fumus ἀπὸ τοῦ βωμοῦ (*fumus* & βωμὸς voces ſunt ſibi invicem affines) recte videtur deduci. Hinc frequentiſſime etiam aræ ab Homero θυήεις, id eſt, *odoræ* ſive *odoratæ* fuerunt dictæ, de qua voce poſtea pluribus. Virgilius in Ætna:

Surgit odoratis ſublimis fumus ab aris.

A *Fumo* fit *fumoſus*, *fumiger*, *fumo*, *infumo*, *fumigo*, id eſt, ſuffio, & *fumigatio*, id eſt, ſuffitio. Varia conjugata fumi.

Fumoſa igitur revera fuerunt Gentilium & altaria & templa, & ſacerdotes, & ſimulacra, & omnia denique illorum ſacra fumi atque fuci fuerunt pleniſſima.

Ἀρώματα præterea Græci, & Latini *aromata* appellarunt, & *odores*, ſive *odoramenta* (unde *Aromatitis*, herba ſic dicta, quod myrrhæ odorem habeat) à qua voce *aræ* Latine videantur dictæ. (Poſſunt enim unius & ejuſdem vocis plures etymologiæ afferri probabiles, quæ deinde Lectoribus doctis dijudicandæ relinquuntur) propterea quod aromata, odores, ſive odoramenta ſuper altaria creberrime incendi fuerunt ſolita. Quoniam igitur aris aromata fuerunt potiſſimum deſtinata, inde veriſimile eſt, *aras* fuiſſe appellatas. Ἀρώματα autem Græce videntur dicta ἀπὸ τοῦ αἴρειν, id eſt, *tollendo*, propterea quod odores tolluntur in altum, ac ſuperiora petunt. Cicero: *Omnis odor ad ſuperiora fertur: unde etiam nares ſurſum ſunt.* Fortaſſe ἄρωμα, ſic dicitur ab ἀρ ſeu ἀρι, particula intenſiva, & ὄζω, ſeu ὀδμή; unde & à Suida exponitur εὐωδίασμα μυρεψικὸν ἀρωματικὸς, *aromaticus odoratus*: ἀρωματώδης, *aromata redolens*, *odoratus*: ἀρωματίζειν, *aromata reſipere*, aromatis ſeu odoramentis imbuere. Apulejus lib. 11. *Tunc cuncti populi, tam religioſi, quam profani, varios onuſtos aromatis & hujuſmodi ſuppliciis certatim congerunt*: *ſuppliciis*, id eſt, ſacrificiis, juxta illud Feſti: *Supplicio Veteres quædam ſacrificia à ſupplicando vocabant.* Ἀρώματα unde dicta?

Veniamus nunc ad ipſum odoris nomen, ex quo ſimiliter ad inſtitutum noſtrum pertinentia colligi poſſunt. Non dubium eſt, quin illud derivetur à Græco ὄζειν, id eſt, *olere*, unde ὦδα & ὄδωδα vel ὀδωδὴ, *olus*, inde ὀδμή, & Latinum *odos* ſive *odor*, ut *nidos*, ſive *nidor*, &c. Ab *odore* fit *odorari*, *odorarii*, *odorator*, *odoratus*, *odoratum* (unde *odorata canum vis*, apud Virgilium, & *odorata ara*, ut ſupra) *odorificus*, *odorabilis*, id eſt, *odorem reddens*, & *odoramentum*, quod odoris gratia tenemus ut unguentum, quod unguenti cauſſâ: *odora res*, *odoriſequus*, quod eſt canum epitheton: quamvis etiam guloſis hominibus poſſit accommodari. Odor unde dictus?

Etſi igitur *adorandi* & *adorationis* nomen, ut plerique Grammaticorum non male ſentiunt, ab ore videtur dictum: tamen non alienum plane, ſed vero ſimile videtur eſſe, *adorare* quaſi *odorari*, & *adorationem* quaſi *odorationem* eſſe dictam (unde *Ador* etiam videatur appellatum) propterea quod Veteres adorationis maximam fere partem in odorum ſive odoramentorum incenſionibus poſuerunt. Adorandi verbum à verbo odorandi.

Huc quoque pertinent verbum *olere* & ejus compoſita. *Olere* pleriſque Grammaticorum videtur derivatum à Græco ἔλαιον, Latine *oleum*: quoniam olei maximus & præſtantiſſimus eſt odor, ſuaviſſimeque Olere.

olet. Ἔλαιον autem non absque ratione dixerunt ab Hebræa voce אל, id est, *Dei*, derivari, propterea quod oleum habita fuit res sacra & divina, & in omnibus sacrificiis frequentissime fuit adhibita. *Oleo* tamen nonnulli non ab *Oleum* deductum volunt, sed ἀπὸ τοῦ ὄζειν, quod *olere* significat, à quo & *odoror* videtur dictum, ut supra. *Oleo* autem, pro quo Veteres etiam *Olo* dixerunt, significat bonum & malum odorem emittere: unde *Redoleo*, quod in bonam fere semper partem accipitur: *Olentica*, mali odoris loca: *Olidum*, quod odorem habet: *Oletum*, pro stercore humano, quod male olet. Inde *olfacio*, quod & *olifacio* Veteres dixerunt, & *olfactus*.

Adolere. Sed verbum *Adolere* hîc inprimis consideratione dignum, quod modo significat *accrescere*: quia crescentes pueri, cum primum puberes fiunt, olere hircum (quod Græcis est τραγίζειν) incipiunt, unde *Hirquitali* sunt appellati: & inde *adolescens*, *adolescentior*, *adolescentulus*, *adolescentia*, *adultus*. Idem verbum, quando de sacris dicitur, & odores incendere, *adurere*, & in genere *sacrificare* atque *colere* significat. Virgilius:

Verbenasque adole (id est, incende, ure) *pingueis & mascula thura.*

Idem *Æneid.* 1.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere & flammis adolere Penates.

Servius: *Adolere, id est, Colere. Sed* adolere *proprie est* augere. *In sacris quidem* Adolere *per bonum omen dicitur. Nam & in aris non adolentur aliqua, sed cremantur.* Ergo ex hoc quoque verbo *Adolere* colligitur odores in aris incendendi Veterum consuetudo: unde *adolere* pro *urere* accipitur. Varro. *Cum intestina* (Nota hîc rursus intestinorum extorumque in sacrificiis usum) *adolevissent partem Diis obtulerunt, partem ipsi consumpserunt.* Virgilius:

- - - *Adolescunt* (id est: accenduntur, ardent) *ignibus aræ.*

Fio. Sed verbum quoque *Fio* huc pertinet, & ejus composita. *Fio* à *facio* videtur dici per synæresin. Nam sublatis litteris *a* & *c* ex *Facio*, fit *Fio*, passivum. Ut igitur *Facere* Latine κατ᾽ ἐξοχὴν *sacrificare* significat, sacrisque operam dare (cui respondet Græcum ῥέζειν in eadem significatione) ut etiam *operari*, propterea quod nullum factum operatiove est præstantior, quam res divina: sic *Fieri* quoque ea potissimum & proprie dicuntur, quæ fiunt in Dei honorem.

Suffio. A *Fio* autem *suffio* componitur, quod est suffumigo, quasi sursum fumum ago. Plinius: *Hippocrates rutæ vulvarum caussa naturam suffire debet.* Idem: *Alii carnem recente hædorum pilo suffiunt, eodemque nidore fugant serpentes.* Idem: *Quidam contenti sunt fumo hujus misturæ suffire vineas secundo flatu continuo triduo.*

Suffitus. Virgilius: *At suffite thymis*, &c. Hinc *suffitum* dicimus *suffumigatum*. Plinius: *Anisum dolorem capitis levigat, suffitum naribus.* Quarta declinatione *suffitum*, quemadmodum *suffimentum*, Plinius dixit: *Et vulvarum conventionem suffitu excitant.* Idem: *Quod & suffimentis quibusdam facere consueverunt.* Idem: *Ob has caussas equidem crediderim honorem lauro habitum in triumphis potius, quam quia suffimentum sit cadis hostium & purgatio.*

Suffitio. *Suffitio* etiam aliquando dicitur. Plinius: *Orpheus & Hesiodus suffitiones commendavere.*

Suffitor. *Suffitor* autem dicitur, qui buccis insufflat ignem. Plinius: *Lycius & ipse pinxit suffitorem.* Idem: *Lycius Myronis discipulus, qui fecit dignum præceptore discipulum sufflantem languidos ignes.*

Suffimenta. *Suffimenta* etiam à Veteribus dicta sunt, quæ fieri solebant ex faba, milioque molito, molâ sparso. Hæc Diis eo tempore dabantur, quo uvæ calcatæ pilo imprimebantur: testis est Festus.

Exfio, exfitus, exfir. A *Fio* etiam fit *Exfio*, quod est *purgo*, à quo *Exfitus*, id est, *purgatus*. *Exfir* Veteres pro purgamento posuerunt. Festus: *Exfir purgamentum: unde adhuc manet suffitio.*

Fimus. His postremo adde *Fimi* nomen. *Fimus* sive *fimum* in neutro genere, proprie lætamen significat & excrementa animalium, quibus agri stercorantur. Græcè κόπρος, ἀποπάτημα, σκύβαλον. Mist Germanice, à *mistura*, vel à *fumo* videtur derivari, quia fimi fumant, siva fumum edunt: vel à *fio*. Cui autem dubium, quin in Gentilium sacrificiis multitudo atque copia hujusmodi fimorum atque fumorum fuerit: unde templa illorum fimeta atque sterquilinia merito potuerunt appellari.

Et hæc dicta sint de nominibus Latinis, ex quibus ipsis frequentissimus istorum fumorum, suffumigationum, suffimentorum, odorum, atque odoramentorum in sacris usus facile possit colligi.

Nomina Græca odorum omnis generis. θυμίαμα θυμιᾶν, &c. Idem ex nominibus Græcis clarius adhuc patet. *Suffimentum* enim sive *suffitus*, *suffitio*, &, quod idem significat, *suffumigium* seu *suffumigatio*, id est, odorum sive odoramentorum excitatio, Græce θυμίαμα, ἀναθυμίαμα, ἐπιθυμίαμα, sive θυμίασις, ἀναθυμίασις appellatur ἀπὸ τοῦ θυμιᾶν, sive θυμιάζειν, ἀναθυμιᾶν, ἐπιθυμιᾶν, ὑποθυμιᾶν, id est, *suffire*, *vaporare*, *evaporare*, *exhalare*, *suffitum emittere*, *odores incendere*, seu *adolere*: unde θυμιατήριον, *acerra*, sive *thuribulum*, ὑποθυμίδες, *serta florida*, quæ collo appendebantur, sic dicta, quod cerebrum suâ fragrantiâ quasi suffiunt & refocillant: Plutarchus *sympos.* lib. 3. cap. 1. Ea etiam στέφανοι ὑποθύμιοι eandem ob causam appellantur.

Θυμιᾶν unde dictum & quid significet? Hoc vero verbum θυμιᾶν derivatur παρὰ τὸ θύω, quod verbum, ut Eustathius pluribus in locis ostendit, duo significat, nempe idem quod θυμιᾶν, id est, *suffire*, *suffumigare*, *suffimentum*, *suffitum*, *suffumigium edere*, *odores* sive *odoramenta Diis incendere*. Deinde idem verbum *sacrificare*, *mactare*, *immolare*, *cædere* sive *occidere* significat. Sic θύος, εος, sive θύον, ut multis in locis Eustathius apud Homerum docet, partim θυμίαμα, id est, *suffitum*, seu *suffimentum*, partim θῦμα, sive θυσίαν, seu ἱερεῖον, id est, victi-

victimam, *hostiam* sive *bestiam sacrificiis destinatam* significat: unde & θυσίαν Porphyrius & Grammatici sacrificium volunt dictum, quod primi mortalium ex combustis arboribus sive plantis, earumque partibus & fructibus θυμίασιν, id est, *suffimentum* sive *suffitum* Diis impenderint, ita ut ἀπὸ τῆς θυμιάσεως θυσία sit appellata. Is lib. 2. in quo multa de sacrificiis disserit: Ἐκ δὲ τῆς θυμιάσεως, inquit, τῆς ἀπὸ γῆς θυμιατήρια τε ἐκάλουν καὶ τὸ θύειν, καὶ θυσίας: ἃ δὴ ἡμεῖς ὡς τὴν ὑστέραν πλημμέλειαν ἐκβαίνοντα, οὐκ ὀρθῶς ἐξακούομεν, τὴν διὰ τῶν ζώων δοκοῦσαν θεραπείαν, καλοῦντες θυσίαν. Τοσοῦτον δὲ τοῖς παλαιοῖς οὐ μὴ παραβαίνειν τὸ ἔθος ἔμελεν, ὡς καὶ τῶν ἐκλειπόντων τὸ ἀρχαῖον, ἐπεισαγόντων δὲ ἕτερον, ἀρασσομένους, ἀρώματα τὰ θυμιώμενα νῦν προσαγορεῦσαι. Idem eodem lib. τὸ δὲ παλαιὸν διὰ ποπάνων καὶ τῶν καρπῶν ἦν: ὅθεν καὶ θυσίαι, καὶ θυμέλαι, καὶ θυηλαὶ ἐκαλοῦντο. καὶ αὐτὸ τὸ θύειν οὐ θυμιᾶν εἴχετο, καὶ οὐ παρ' ἡμῶν λεγόμενος ἐπιθύειν ὅγε ἡμεῖς νῦν θύειν λέγομεν, ἔρδειν ἔλεγον, id est, *Vetus mos Deos colendi fiebat per placentas sive liba* (à voce ποπάνων forsan *Popæ* dicti) *& fructus. Unde sacrificia illa* θυσίαι, θυηλαὶ & θυμέλαι *dicta, & verbum* θύειν *idem, quod* θυμιᾶν, id est, *suffire, quod nunc appellamus* ἐπιθύειν, id est, *sacrificiis addere. Quod autem nunc appellamus* θύειν, *id vocabant* ἔρδειν.

Eustathius *Odyss.* ο. in illa ἀργμάτα θῦσε, interpretatur ἀπαρχὰς ἔθυσε θεοῖς, quæ primitias Diis sacrificavit: addit, *Sive secundum Veteres* ἐθυμίασε, id est, *suffivit, suffimenta fecit. Nusquam enim apud Poetam verbum* θῦσαι *legi pro* σφάξαι τὸ ἱερεῖον, id est, *mactare victimam.* His suffragatur is, qui scripsit σφάξαι μὲν τὸ ἱερουργῆσαι ζῶον, θῦσαι δὲ τὸ θυμιᾶσαι: θύη γὰρ τὰ θυμιάματα, Hoc est, *Verbum* σφάξαι *significat mactare animal:* θῦσαι *autem idem, quod suffumigare. Nam* θύη *sunt thymiamata sive suffimenta.* Ibidem Theocriti quoque testimonio probat, verbum θύειν pro θυμιᾶν, id est, *suffire* accipi. Hinc νέφος θυόεν & κόλπος θυώδης, id est, *nubes odorata*, & *sinus odorifer*, sive *odorem exhalans.* Idem Ιλ. ο. θύος, inquit, *unde* θυόεν, *non solum* θυμίαμα, id est, *suffimentum*, seu *incensum* (unde θυμιατήρια dicta) *sed etiam* θῦμα, id est, *hostiam seu victimam significat.* Idem *Iliad.* ψ. Τέμενος δὲ νῦν ἱερὸς τόπος ἀποτετμημένος τῆς περιξ, οὗ μέρος βωμὸς, ἐφ' οὗ τὰ θυόμενα ἔκαιον. Διὸ θυήεις λέγεται: ἐπεὶ καὶ θύος τὸ θυόμενον, id est, Τέμενος *autem hoc in loco appellatur locus abscissus & separatus à locis circumcirca jacentibus, cujus pars est altare: in quo sacrificata comburebant: unde etiam* θυήεις *appellatur: quoniam* θύος *appellatur id, quod sacrificatur.* Idem *Odyss.* φ. θυοσκόος *appellatur* ὁ διὰ τοῦ θυμιᾶν, ἢ ἱερεύειν μαντευόμενος, hoc est, *Qui per suffitum, vel, qui per hostiæ mactationem vaticinatur.* Composita enim est vox ex θύος, quod θῦμα sive ἱερεῖον, vel θυμίαμα, id est, *victimam, hostiamve*, sive *suffimentum* significat, & κοεῖν, quod idem est, quod νοεῖν, id est, *nosse* seu *intelligere.* θυοσκόος igitur, ὁ διὰ θυῶν κοῶν ἤτοι νοῶν τὰ μέλλοντα, id est, *qui per incensa sive hostias novit futura.* Hinc etiam θυοσκόος idem, qui θύτης: ὁ τὰ θύη κέων. ἀπὸ τοῦ κέω. Idem *Iliad.* ω. θυοσκόοι, inquit, *secundum Veteres sunt*, οἱ διὰ τῶν ἐπιθυμιωμένων μαντευόμενοι, hoc est, *qui per suffimenta vaticinantur: qui etiam* ἐμπυροσκόποι & λιβανομάντεις *appellantur*, id est, *incensorum inspectores & per thura vaticinantes. At* ἱερεῖς *appellantur* οἱ διὰ σπλάγχνων μαντευόμενοι, id est, *qui per viscera, sive exta vaticinantur.* θύη μὲν γάρ φασι τὰ θυμιάματα, ἱερὰ δὲ τὰ σπλάγχνα, id est, Θύη *enim ajunt significare thymiamata*, seu *suffimenta:* ἱερὰ *autem viscera sive exta.* Hæc in illum Homeri versum:

Ἤ οἱ μάντιές εἰσι, θυοσκόοι ἢ ἱερῆες.

Μάντιος nomen vult esse generale.

His adde, quod θυόειν est *facere odorari, adolere, adorare & odorari:* θύειν *mactare, sacrificare, sacra facere, suffire:* θύος ἢ θύον, *victima, hostia, suffimentum*, genus item arboris sive herbæ odoriferæ seu odoratæ, teste Eustathio *Odyss.* ε. Κέδρος θύον κυπάρισσος εὐώδης, in illa Homeri: Θυόεν.

– – – – Τῆλόθι δ' ὀδμὴ
Κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει
Δαιομένων.

Sic θυλήματα sunt simul farra melle imbuta & suffimenta, quæ in aris adolebantur: vel farina vino & oleo asperso in sacrificium, apud Aristophanem in *Pace.* Sic θυόεις, vel θυήεις τέμενος βωμός τε apud Homerum *Iliad.* θ. templum & ara, in qua sacra fiunt, vel suffimentis, quæ in ea adolentur, redolentve. Unde Eustathius ὡς θυσιῶν γινομένων ἐν τοῖς ὑψηλοῖς. ἢ καὶ ὡς εὐώδους τοῦ τόπου ὄντος, παρὰ τὸ θύος, ἐξ οὗ καὶ νέφος θυόεν. Porro & θύεστος inde dicitur Herodoto, id est, potus ex aromatis confectus, & θύημα suffimentum odorans Hippocrati. θυηλὴν & *extispicium* seu *aruspicium* Eustathius & *sacrificium* Hesychius interpretatur. Suidas θυηλὰς proprie vult esse saccos, in quos suffimenta conjiciuntur, & primitias sacrorum seu libamenta, & θύκος vas, sive θυοδόκον, in quod conjiciuntur & reconduntur suffimenta, θύσκη, θύσκος, *acerra, thuribulum.* Hæc de Græcis nominibus odorum. Θυλήματα.

Odores porro isti sacri sive sacrificiales generatim primo dividi possunt, quod alii illorum fuerunt suaves, jucundi, bene & suave olentes: alii insuaves, injucundi, tetri, fœtidi, putidi: quo modo & Theophrasto alia sunt εὔοσμα, ἢ εὐώδη, id est, *bene olentia:* alia κάκοσμα, ἢ κακώδη ἢ δυσώδη, id est, *male graviterque olentia.* Odores alii bene: alii male olentes.

Odores boni & jucundi *fragrantes* quoque appellantur: unde *Fraga* nonnulli volunt dicta quasi *fragrantia*, id est, bene suaviterque olentia: tametsi ea à frangendo quoque videantur appellata, quasi *fragilia.* *Fragrare* autem etsi in bonam plerunque partem accipitur pro, *odorem bonum reddere*, ut Virg. Odores fragrantes unde Fraga.

– – – *Redolent thymo fragrantia mella.*

Catullo: *Domus Assyrio odore fragrat.*

Tamen in malam quoque partem nonnunquam accipitur, pro, *odorem malum emittere*, ut Martiali:

Ne gravis hesterno fragres Fescennia vino.

Et Valerio *Argonaut.* quarto: *Odor fragrat acerbus.*

Fragrans & unde dictum fragrare?

A *fragrare* fit *Fragrans*, quod odorem emittit: *Fragrantia*, odoris emissio, sive odor ipse. Verbum autem *fragrare* Servius vult à *frangendo* dictum, quod specie fracta odor redditur major. Forsan derivatum est ab ὀσφραίνεσθαι, vel ὀσφρᾶσθαι, id est, *odorari*, per synæresin. Ὀσφραίνεσθαι autem videtur dictum, quasi ὀσμῆς αἰσθάνεσθαι, id est, *odorem sentire*, sive percipere, vel ἀπὸ τῆς ὀσμῆς εὐφραίνεσθαι, id est, *odore delectari & recreari.* Non etiam à vero ratione que videtur abhorrere, si verbum *fragrare* mutatione unius tantum litteræ dicamus à *flagrare*, id est, *ardere*, quoniam ex rerum flagratione seu conflagratione fragrantia existit. Nam ignis atque calor odoris caussa est efficiens. *Flagro* autem, id est, *ardeo*, & *conflagro*, id est, *ardendo consumor* à *Flamma* videtur nomen suum trahere: *flammas* autem ἀπὸ τοῦ φλέγειν, id est, *ardere*: unde φλὸξ, id est, *flamma*.

Odorum species variæ. Fœtor.

Odores vero mali & tetri generatim *fœtores* & *putores* appellantur, quorum species multæ sunt, ut *pædor*, *rancor*, *murcor*, *situs* & similia. *Fætor* autem dicitur à *fœteo*, id est, *male oleo*: unde *fœtidum* male olens. *Fœteo* autem à *fœtu*, quoniam mulieres *fœtendo*, id est, fœtum emittendo multis modis polluuntur & inquinantur: unde *Fœdo* verbum, id est, *polluo*, *inquino*; & *Fœdum* nomen, quod deforme & crudele significat. Sunt qui *Fœdus* inde dictum volunt à porca *Fœde*, id est, crudeliter cæsa & interfecta. Alioquin & sus *confœta* dicta à Veteribus quæ cum omni fœtu adhibebatur ad sacrificium, teste Festo.

Pædor.

Pædor squalorem proprie significat atque omnem immunditiem.

Lucanus: - - - - *Longusque in corpore pædor.*

Cicero *Pædores muliebres* dixit. Item *barbam pædore horridam*: unde *pædicosum*, quod mali est odoris à *pædore* sive *pediculo*, fœdo illo capitis animalculo. Hinc etiam *Pædo* verbum, quod est crepitum ventris emitto, quod ut facere in convivio liceat, Claudius Princeps edicto statuit quod periclitatum quendam præ pudore & continentia repererat. Inde & *Pædicosus* deducitur, id est, *squalidus*: quod à *pedibus* deductum scribitur cum *e* simplici, ut apud Festum: qui ita: *Pedes dicuntur, quos diminutive dicimus* pediculos. *Ab his* pedicosi *appellantur, ut est illud: Pedicosus squalidus ubi me videt, caput scabit, pedes legit.*

Putor, & ejus conjugata.

Putor porro idem, quod *fœtor*, à *Puteo*, quod *fœtere* est. Inde *Putidum*, *Putulentum*, quod est odoris mali, à *pus*, *puris*, quod est sanies, & quicunque humor, in putredinem versus. Unde *Purulentum*, plenum sanie; *locus Purulentus*, in quem factus est humorum malorum concursus: qui si in saniem vertitur, maturari & maturescere dicitur; sin minus, discuti sive resolvi. Hinc *Putreo*, *Putresco*, quod in purem vertitur, & *Putredo*, *Putrefactio*, id est, corruptio. *Putridum* item, quod corruptum. Quin & *Purgo* à *pure* dictum, quasi *purem ago*, id est, extraho, promeo. Sic à *putore Puteus*: quia putet, id est, fœtet, quando cavatur.

Odores secundum materiam quomodo dividantur?

Deinde odores isti sacri atque sacrificiales dividi possunt secundum materiam sacrificiorum duplicem, de qua supra. Ea fuerunt partim animalia, partim plantæ omnis generis & utrorumque partes & effecta. Ex utroque autem horum genere odores exhalarunt partim graves, tetri atque fœtidi, partim suaves, jucundi & fragrantes. Utrisque autem miseri isti idololatræ Deos illos suos alienos seu dæmonas potius (idque illorum ipsorum suggestione, monitis atque oraculis) delectari atque placari putarunt.

I. Odores ex animalibus integris.

Quantum ad animalia attinet; ex illorum primum adhuc vivorum, postquam in templa & aras adducta fuerunt, percussione, jugulatione, mactatione, excoriatione atque dissectione, stercoribus denique & excrementis, cui dubium; quin multi graves, odiosi fœtidique in templis (ut in macellis atque lanienis videre est) odores exstiterint & sacrificantium oculis fuerint objecti.

Odores è partibus animalium.

Deinde vero ex iisdem animalibus sive integris, sive eorum partibus membrisve, iisque cum internis, ut sanguinibus, intestinis, visceribus, præcordiis, extis; tum externis, ut carnibus, pellibus, tergoribus, femoribus, caudis, testiculis, pilis; & his omnibus vel adustis & ustulatis, vel coctis, vel combustis & concrematis, quales quantosque fumos atque nidores extitisse, in aërem ascendisse ac longe lateque templa, in quibus sacrificabatur, locaque vicina omnia complevisse existimandum est? Hujusmodi autem fumi atque nidores Græce κνίσσαι, sive κνίσαι, Latine *Nidores* appellantur. De voce κνίσσης (quæ partim pinguedinem sive adipem & omentum, partim nidorem significat) supra fuit explicatum.

1. Nidor suavis.

Nidor autem proprie carnis, ut cujuscunque alterius edulii cocti vel etiam rei adustæ odorem proprie significat. Est & alius quidem *Nidor* suavis & jucundus, qui hominum nares ita verberat, ut appetitum quandoque excitet secundum illud Catullianum:

Quod cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

2. Nidor fœtidus.

Alius vero est *nidor* carnium aliarumque rerum adustarum teter ac fœtidus, ut apud Virgilium:

Occupat & flammas, illi ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit.

Nidor unde dictus?

Nidorem autem, quoniam proprie dicitur odor carnis, aut cujuscunque rei adustæ, Grammatici vulgo volunt dictum à *nitore* ignis, vel quasi *nimius odor*: unde & *Nidere* & *Renidere* aliquando odorem, aliquando fulgorem significant emittere. Cicero: *Paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo.* Juvenalis:

Captum

Captum te nidore suæ putat esse culinæ.

Martialis:

Pasceris & nigræ solo nidore culinæ.

Mantuanus ad Martialis imitationem:

Fumificæ motus crasso nidore culinæ.

Idem alibi *Nidores fumiferos* vocat. Plautus: *Tota renidet domus.*

Sunt qui *Nidum* dictum volunt à *nidore*, quod fœdi & mali odoris sint avium cubilia. Mihi quidem *nidor* videtur deduci à Græco κνίσσα sive κνῖσα, cum ejusdem fere sint significationis. Ablatâ enim litterâ pri- Nidus avium à nidore.
mâ, videlicet κ, fit νίσσα vel νῖσα, & inde *Nidor*. Et hinc quod Arnobius crebro voce *Cnissæ*, tanquam Latina, pro *nidore* utitur. Finxerunt igitur Græci Deos suos κνισσολοίχους (quos Germani Bratenschmäcker appellant) hoc est, *gulæ deditos*, qui carnium aliorumque eduliorum coctorum nidoribus atque fumis capiantur. Hinc salse Arnobius illos perstringit libro septimo his verbis: *Nisi forte hostiarum Deus animas devorat, aut ex aris ardentibus nidorem consectatur & fumos, pasciturque de cnissis, quas evomunt ardentia viscera, adhuc uda de sanguine, & prioribus humecta de sacris.* Idem: *Quod est honoris genus, signa cum struibus incensis cœlum fumo subtexere & effigies Numinum nigrore offuscare?*

VENIO ad odores, odoramenta, suffitus, seu suffumigia ex omni plantarum & è terra nascentium genere fieri solita. II. Odores ex plantis.
Atque hæc quidem Gentiles putarunt antiquissima & prima fuisse sacrificia (de quo paullo antea) ut Porphyrius pluribus docet libro secundo *de non necandis & mactandis animalibus*. Eodem in libro, Porphyrius.
antiquitus herbas simplices, domesticas, patrias ad sacros illos suffitus conficiendos adhibitas fuisse docet, qui postea ex thure, ex myrrha, ex costo, ex croco & cinnamomo & aliis hujusmodi aromatibus pretiosis transmarinis, è longinquis advectis fieri sint soliti. Ei suffragatur Ovidius libro primo *Fastorum* his Ovidius.
versibus:

Nondum portabant lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hospita navis aquas:
Thura nec Euphrates, nec miserat India costum:
Nec fuerat nobis cognita fila croci.
Ara dabat fumos, herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.

Huc referenda illa Plinii, sui seculi luxum atque luxuriam reprehendentis, verba lib. 22. cap. 74. *Nos nec* Plinius.
Indicarum Arabicarumque mercium aut externi orbis attigimus medicinas. Non placent remediis tam longe nascentia. Non nobis gignuntur, immo ne illis quidem: alioquin non venderent odorum caussâ unguentorumque & deliciarum, si placet etiam superstitionis gratia emantur, quoniam thure supplicamus & costo. De costo & nardo vide eundem scriptorem lib. 12. cap. 3. Ovidius inter herbas in sacris antiquitus suffiri & incendi solitas numerat atque nominat herbas Sabinas atque laurum. Propertius similiter verbenarum herbæque Sabinæ his Propertius.
verbis meminit:

Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

Hîc observandum, Verbenarum & herbarum Sabinarum nomen bifariam apud authores profanos usurpari: Verbenæ bifariam usurpatæ.
Aliquando pro certo herbarum genere, quæ in sacrificiis fuerunt adhibitæ: aliquando vero pro quibusvis herbis, quarum in sacris usus fuit creber & frequens.

Quantum ad verbenas attinet, de iis jam supra fuit dictum, quibus hæc adjungam. *Verbena* multis nominibus à Medicis solet insigniri: duobus quidem à Græcis, ἱεροβοτάνη conjunctim, vel ἱερὰ βοτάνη, id Verbenarum varia nomina Græca.
est, *herba sacra*, quod in sacris & lustrationibus adhiberetur, ideoque ab Apuleio *Lustrago* vertitur: qua Jovis mensa, id est, ara verrebatur, domus purgabatur, convivæ exhilarabantur, legati denique mittebantur clarigatum, id est, indictum hostibus bellum. De hac vide plura apud Plinium lib. 22. cap. 2. & lib. 25. cap. 9. Περιστερεὼν ὦνος quoque dicitur, quod columbis sit familiaris, vel περιστέρεος, de qua lege Dioscoridem lib. 4. cap. 10.

A Latinis his nominibus appellatur *Cincinnalis*, *Saguntalis*, *Betonica*, *Licinia*, *Columbina*, *Militaris*, *Ver-* Latina.
benaca, *Vertipedium*, postremo etiam ab Ætio *Herba Veneris*. Horatius lib. 1. *Odarum* oda decima nona hujus mentionem faciens herbæ, sic canit:

Hîc vivum mihi cespitem, hîc
Verbenas pueri ponite, thuraque,
Bimi cum patera meri
Mactata veniet lenior hostia.

Et hinc *Veneris herba* dicta, eamque ob rem ejus in hac Ode ab Horatio fit mentio, ut in Pharmaceutria, ad Glyceram, ab se alienatam, revocandam: quod ea herba crederetur vim habere concupita & petita impetrandi. Unde apud Virgilium:

Verbenasque adole pingueis & mascula thura.

Apulejus: *Exin gaudio delibuti populares, tales verbenas corollas ferentes exosculati vestigiis Deæ*, &c. Verbenarum

benarum fasciculi teste Festo, Deorum capita fuerunt appellati. Ex quo ipso constat, quod his herbis Veteres in Sacris fecerint.

Verbenæ unde dictæ?

Verbenas porro nonnulli volunt dictas, quasi *Herbenas*, quoniam generatim significantur illo vocabulo omnes herbæ frondesque sacræ, & festæ, quibus vel aræ (unde Donatus eas *ararum redimicula* vocat) vel sacrificantes, vel etiam simulacra redimi atque coronari solebant: ex quibus etiam incensis suffitus fiebant, secundum illa Virgilii in *Bucolicis*, quæ modo citata: *Verbenasque adole*, &c. Verbenæ etiam *sagmina* dicta, de quibus supra.

Servius in illa Virgilii *Æneidos* 12.

- - - - Fontemque ignemque ferebant,
Velati lino & verbena tempora vincti:

Verbena, inquit, *proprie est herba sacra, sumta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Fœcialis & Pater patratus, fœdera facturi vel bella indicturi. Abusive tamen etiam verbenas vocamus, omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva, & myrtus.* Terentius:

Ex ara hinc verbenas desume.

Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit.

Herba Sabina quæ? Plinius de hac herba.

Ut autem verbenarum, sic Sabinarum similiter nomine cum certa herbæ species, tum quævis herba frondesque sacratæ intelliguntur, ut illæ, de quibus jam dixi, olea, laurus & alia id generis, de quibus paullo post. De Sabina herba & ejus usu in suffitu sic scribit Plinius lib. 24. cap. 11. *Herba Sabina*, brathy *appellata à Græcis, duorum generum est. Altera tamaricæ similis folio est, altera cupresso. Qua ex re quidam Creticam cupressum dixerunt. A multis in suffitibus pro thure assumitur. In medicamentis vero duplicato pondere eosdem effectus habere quod cinnamum traditur. Collectiones minuit, & nomas compescit. Illita ulcera purgat. Partus emortuos apposita extrahit & suffitu. Illinitur igni sacro & carbunculis. Cum melle & vino pota, regio morbo medetur. Gallinacei generis pituitas fumo ejus herbæ sanari tradunt. Similis huic herbæ Sabinæ est* Selago *appellata. Legitur sine ferro dextra manu per tunicam qua sinistra exuitur, velut à furante, candida veste vestito, pureque lotis nudis pedibus, sacro facto prius quam legatur, pane vinoque. Præfertur in mappa nova. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum ejus prodesse.* Idem lib. 17. cap. 13. Sabinæ istius herbæ mentionem facit, quam propagine tradit sui & avulsione.

Sabina herba unde dicta?

Sabina herba quia in sacris adhibita nonnullis videtur ἀπὸ τοῦ σέβειν sive σέβεσθαι, id est, *colendo* dicta: unde & *Sabæos* & *Sabinos* populos, tanquam religiosissimos Deorum cultores, & *Sabin* Deum, & *Sabbazium*, de quibus supra, nonnulli volunt appellatos.

De lauro.

Quoniam autem cum Verbenarum, tum Sabinarum herbarum nominib. laurus, myrtus, olea & aliæ herbæ sacratæ in sacris ad suffitus usurpari solitæ, nuncupantur, de iis nunc quædam addenda. Ac de lauri quidem, oleæ atque myrti usu sacro plurima passim in antiquis litterarum monumentis testimonia exstant, ita ut eorum commemoratio videatur esse supervacanea. Solam quidem laurum suffiri solitam apud Delphos scribit Plutarchus. Casaubonus, vir doctissimus, in doctissimo suo Commentariolo in Theophrasti *characteres* in illum locum de superstitione Δάφνης εἰς τὸ στόμα λαβὼν, hoc est, eodem interprete, *Folium lauri ore prehensum tenens*, ita commentatur: *Scimus namque Veteres in purgationibus, lauri foliis uti solitos. Clemens Alexandrinus in* Protreptico, καθαρσίων μεταλάμβανε θεοπρεπῶν, καὶ δάφνης πετάλων, καὶ ταινιῶν λινῶν ἐρίῳ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμένων. *Sic & Romani, ut ait Festus, omnibus suffitionibus laurum adhibebant. Moris præterea fuit Græcis baculum laureum præ manibus habere, tanquam* ἀλεξίκακον φάρμακον, *ut ait Suidas, quod crederent lauro inesse vim quandam malum averruncandi. Inde natum proverbium* δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν, *cum quis negat se sibi ab alicujus insidiis metuere. Eodem etiam spectat, quod observare aliquando meminimus, solitos Græcos pro foribus laurum statuere. Autor Hesychius in voce* κώμυκα. *Quod ait Theophrastus laurum in os capi solitam à superstitiosis, nescio an huic similis sit superstitio, quam apud Hieronymum in Marcellæ viduæ epitaphio annotavimus. Sic ille, Nec mirum si in plateis & in foro rerum venalium festus ariolus stultorum verberet nates, & obtorto fuste dentes mordentium quatiat. Nam ariolorum consuetudo fuit (colligi potest ex Seneca de vita beata) laurum gestare cum per urbem incederent, quam fustem videtur Hieronymus vocare, quia erat, credo, virga laurea. Sane poetæ dicuntur laurum mordere Juvenali, & Cassandra* δαφνεφάγος *à Lycophrone appellatur: quod quomodo Critici explicent non est obscurum.* Hactenus ille.

Plutarchus. Casaubonus.

Plinius.

Cur vero ad ignem sempiternum de omnibus lignis sola uratur abies, cur sola laurus suffiatur Plutarchus rationem reddit in Commentariis *de Ei inscripto foribus templi Delphici.* Plinius de lauri sacro usu & profano sic scribit lib. 15. cap. ultimo: *Ipsa laurus pacifera, ut quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium. Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuncia additur lituis, & militum lanceis pilisque. Fasces Imperatorum decorat. Ex his in gremio Joris, Opt. Max. deponitur, quotiens lætitiam victoria novam attulit, idque non quia perpetuo viret, nec quia pacifera est, præferenda utique myrto & oleæ est, sed quia spectatissima in monte Parnasso. Ideoque etiam grata Apollini, assuetis eo dona mittere jam & Regibus Romanis, teste L. Bruto. Fortassis etiam in argumentum, quoniam ibi libertatem publicam is meruisset, lauriferam tellurem illam osculatus ex responso: & quia manu satarum receptarumque in domos, fulmine sola non icitur. Ob has caussas equidem crediderim, honorem eis habitum in triumphis potius, quam quia suffimentum sit cædis hostium, & purgatio, ut tradit Massurius. Adeoque in profanis usibus pollui laurum, & oleam fas non est, ut ne propitiandis quidem Numinibus accendi ex his altaria arare debeant. Laurus quidem manifesto abdicat ignes crepitu & qua-*

& quadam detestatione, interaneorum etiam vitia & nervorum ligno torquente. Tiberium principem tonante cœlo coronari eâ solitum ferunt contra fulminum metus.

Idem lib. 16. cap. 32. *Circa Bosphorum Cimmerium in Panticapea urbe, omni modo laboravit Mithridates Rex, ut cæteri incolæ, sacrorum certe caussa laurum myrtumque haberent.* Idem lib. 15. cap. 30. *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus: janitrix Cæsarum Pontificumque; quæ sola & domos exornat & ante limina excubat.*

De myrto idem Scriptor libro 15. cap. 29. inter alia, quæ ad institutum nostrum faciunt, sic scribit: *Quippe ita traditur, Myrtea verbena Romanos Sabinosque cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis pacificatos in eo loco, qui nunc signa Veneris Cluacinæ habet.* Cluere *enim antiqui* pugnare *dicebant. Et in ea quoque arbore suffimenti genus habetur. Ideo tum electa, quoniam conjunctioni & huic arbori præest Venus. Haud scio, an primava etiam omnium in locis publicis Romæ sata sit, fatidico quidem & memorabili augurio. Inter antiquissima namque delubra habetur Quirini, hoc est, ipsius Romuli: in eo sacræ myrti fuere duæ ante ædem ipsam per longum tempus. Altera patricia appellata: altera plebeia, exuberans ac læta, quamdiu senatus quoque floruit, illa vigens, plebeia torrida ac squalida. Quæ postquam evaluit, flavescente patricia, Marsico bello, languida authoritas Patrum facta est, ac paulatim in sterilitatem emarcuit majestas. Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant.* De myrto Plinius.

De olea idem libro 15. capite ultimo, de quo antea. De olea Plinius.

Nidor porro etsi proprie rei adustæ odor nonnullis videtur dictus à *nitore* ignis, sive à *nimio odore*, sive à Græco κνίσσα seu κνίσα; tamen de odore etiam plantarum vocabulum hoc usurpari indicant illa Plinii libro decimo tertio: *Cedri tantum & Citri suorum fruticum in sacris fumum convolutum nidorem verius, quam odorem noverant.* Nidor etiam de plantarum odore dictus.

Verum de herbis antiquis & odoramentis ex herbis odoriferis earumque differentiis in genere vide eundem Plinium libro vigesimo primo, capite septimo, ubi loton, crocon, hyacintum flores ab Homero ait celebrari. Idem de fructuum succis arborumque coloribus & odoribus scribit libro 15. cap. 28.

Ficus quoque pro thure olim in sacris adoleri solitas, manifeste illa Juliani Imp. testantur in epistola ad Serapionem, quæ ficuum pariter atque numeri centenarii egregiam laudationem continent. Verba ejus hæc sunt: Καθάπερ ἀντ' ἄλλης τινος ἀλεξήσεως ἱερᾶς ταῖς τῶν βρωμάτων ἀδικίαις παρεπλυσσόμενον, καὶ μὴν ὅτι θεοῖς τὸ σύκον ἀνάκειται, καὶ θυσίας ἐστὶν ἁπάσης ἐμβώμιον, καὶ ὅτι παντὸς λιβανωτοῦ κρεῖττον ἐς θυμιαμάτων σκευασίαν ἐστὶν οὐκ ἐμὸς ἴδιος οὗτος λόγος, ἀλλ' ὅστις τὴν χρείαν αὐτοῦ ἔμαθεν, οἶδεν ὡς ἀνδρὸς σοφοῦ, καὶ ἱεροφάντου λόγος ἐστί, id est, *Tanquam hoc unum* (ficus) *pro omnibus sacrum remedium adversus ciborum injurias exhibeatur. Enimvero Diis eam consecrari omnibusque aris adhiberi, & quovis thure ad odores aptiorem esse, non mea est oratio, sed quisquis usum ejus didicit, à sapiente aliquo homine, sacrorumque antistite manasse intelligat.* Ficus etiam pro thure in sacris adhibitæ.

His addantur tædæ atque sulphuris suffimenta, olim usitatissima ad quasvis res purgandas seu purificandas: Tædæ Virgilius meminit in *Bucolicis*: De tæda.

Hic focus, & pingueis tædæ: hic plurimus ignis.

Ovidius primo *Fastorum*:

Exspectat puros pinea tæda dies.

Idem Virgilius *Æneidos* septimo:

Præterea castis adolet dum altaria tædis.

Castis, id est, piis, interprete Servio. Sed & tædæ cum sulphure sæpe conjunguntur, ut apud Satyrographum illo versu: Tædæ cum sulphure conjungi solitæ.

Cuperent lustrari, si quæ darentur
Sulphura cum tædis.

Sic Plinius libro 16. cap. 10. inter arbores, quæ resinam ferunt, ponit & tædam, quam flammis ac luminibus sacrorum dicit esse gratam, & libro 35. cap. 15. *Habet*, inquit, *& in religionibus locum sulphur ad expiandas suffitu domos.* Apulejus libro 11. in descriptione pompæ & sacrorum Isidis Ægyptiæ: *Ibidem simulacris rite dispositis, navem faberrime factam, picturis miris Ægyptiorum circumseptus variegatam summus sacerdos tæda lucida, & ovo, & sulphure, solennissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam Deæ* (Isidi) *nuncupavit dedicavitque.* Ex hoc loco liquido constat, tædam, sulphur, & ovum in purificationibus fuisse adhibita. Ovidius triplicem hanc purgationem signat illo versu:

Terque senem Flamma, ter Aqua, ter Sulphure lustrat.

Sed ovis quoque lustrationes purgationesque fieri olim solitas fuisse, non tantum illa Apulei, sed & Juvenalis testatur: De ovis in lustrationibus adhibitis.

- - - - Nisi se centum lustraverit ovis.

Et Ovidius *de arte amandi*:

Et veniat, quæ lustret anus, lectumque locumque,
Refferat & tremulâ sulphur ovumque manu.

Lucianus in Dialogo, cui titulus, κατάπλους ἢ τύραννος, τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων ὠά, id est, *purgationum ova* vocat, quo ostendit ova esse lustralia & purgatoria. Sic legimus apud Macrobium, initiatos sacris Liberi patris magna cum ratione ovum coluisse, Mundi simulacrum vocantes. De ovis vide Plinium libro 10. cap. 13. &

13. & de angariis eorum (ὠμάντεια dicta) capite 55. Ergo purificationes illæ Veterum, & aquâ, & igni, & tædâ, & sulphure, & ovo fiebant.

De Sulphure.

Ut ad sulphur redeam, Proclus nobilis Platonicus scribit, sacerdotes in purificationibus, uti solitos sulphure atque aspalto, id est, bitumine aquâ marinâ aspergentes, quoniam, ut ille inquit, purificat sulphur propter odoris acumen, aqua vero marina propter igneam portionem.

Sulphur cur dictum θεῖον?

Quoniam igitur sulphur res habita fuit sacra & divina, magnaque ei quævis purificandi vis tributa, Græci illud θεῖον, quasi dicas *divinum* & Latini *sulphur*, à *suffiendo* (ut videtur) appellarunt: unde *Exfir*, purgamentum Festo teste appellatum.

Casaubonus de consuetudine lustrandi.

Denique hûc referenda est duplex illa Veterum consuetudo expiandi lustrandique se, cujus meminit idem Casaubonus eodem Commentario in Theophrasti *characteres.* Verba ejus adhæc Theophrasti σκίλλη ἢ σκύλακι κελεῦσαι αὐτὸν περικαθάρασθαι, sunt ista: *Tangit duplicem Veterum consuetudinem explicandi lustrandique se. Altera erat circumacta circa corpus scilla: altera catulo similiter circa corpus ducto. Hoc enim significat* περικαθάραι. *De scilla, quod expiandi vim crederetur habere, notum vel ex Plinio, & medicorum libris. Artemidorus* Ἐνοδίῳ· ἢ σκίλλα καθάρσιόν εἶναι νενόμισαι. *Lucianus* ἐπικισκοποῦντες. Ἐκάθηρέ τέ με ἢ ἀπέμαξε, καὶ περιήγνισε δαδὶ ἢ σκίλλῃ ἢ ἄλλοις πλείοσι. *Vide amplius Theocriti Scholiasten Thalysiis. De catulo, res minus vulgo, ut videtur, nota: quare etiam ejus ritus ignoratione interpretes miris modis hunc locum depravarunt: in quo nihil erat prorsus mutandum. Nam verum est quod diximus, Veteres catulo solitos lustrare se eum circumferentes circa corpus: eamque lustrationem vocabant* περισκυλακισμόν. *Plutarchus in* κεφαλαίοις *Romanorum institutorum.* Τῷ δὲ κυνὶ πάντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, Ἕλληνες ἐχρῶντο, ἢ χρῶνταί γε μέχρι νῦν ἔνιοι σφαγίῳ πρὸς τὰς καθαρμοὺς, ἢ περιμάττουσι τοὺς ἁγιασμοῦ δεομένους, περισκυλακισμὸν τὸ τοιοῦτον γένος τοῦ καθαρμοῦ καλοῦντες. *Idem repetit in* Romulo. *Fuerunt & alii tum Scillæ, tum catulorum in februationibus usus, quos prudens omitto.*

Idem, Αὐτὸν περικαθάραι] *significat hoc verbum applicare aliquid corpori expiandi caussa, idque in orbem ducere: quod & περιμάξαι dicitur: Latinis* circumferre. *Virgilius:* Idem ter socios pura circumtulit unda. *Servius*, circumtulit, purgavit. Antiquum verbum est: Plautus, *Pro larvato te circumferam*: id est, purgabo. Nam *lustratio* à circumlatione dicta est vel tædæ vel sulphuris. *Juvenalis:* Si qua darentur sulphura cum tædis. *Recte exprimit Servius circumlationem illam, quæ in lustrationibus fieri solebat. Similiter & urbes, & agri lustrabantur, hostiis in orbem circumlatis. Polybius libro quarto de Mantinensibus,* ἢ καθαρμὸν ἐποιήσαντο, ἢ σφάγια περιήνεγκαν τῆς τε πόλεως κύκλῳ ἢ τῆς χώρας πάσης. *Ideo Latinis ea Sacra* ambarvalia *dicta. Atque hinc est, quod* τὸ περὶ *fere in vocibus eo pertinentibus reperitur: ut in* περιμάττειν, περιθύειν, περιαγνίζειν, περιθειοῦν, & περιθείωσις: *etsi Homerus* διαθειοῦν *dixit. Sic & περιβάλλειν* κάρφος *apud Aristotelem in sexto* Historiarum, *de lustratione gallinarum, quæ* περικαρφισμὸς *Plutarcho nuncupatur. Sed & ἀπομάττειν eo sensu usurparunt, ut Demosthenes* pro corona καθαίρων τοὺς τελουμένους, ἢ ἀπομάττων τῷ πηλῷ ἢ τοῖς πιτύροις. *Sic accipiendum & in illo Callimachi, ut puto, versiculo, initio Athenæ:*

Τρὶς δὲ ἀπομαξαμένοισι θεοὶ διδόασιν ἄμεινον.

Quem locum Erasmus & alii non recte conati sunt trahere, cum ex hoc ritu sit explicandus. Hinc dictæ sunt muliercula illæ, quarum hic Theophrastus meminit ἀπομάκτριαι, *ut est apud Pollucem, vel* περιμάκτριαι, *ut vocat eas Plutarchus*, de superstitione. *Latinis* piatrices, & simulatrices, *vel potius* simpulatrices, *vide Festum. Talem fuisse ait Demosthenes Glaucotheam sive Empusam Æschinis matrem.* Hactenus Casaubonus.

Suffimentorum usus.

Quemadmodum igitur suffimentorum ac suffitionum istarum, quæ ex omni rerum genere fieri solent, maximus est in medicina usus, ut docent Medici, ut docet ipsa ratio & experientia quotidiana: sic Ethnici quoque in sacris suis maximam iisdem purgandi, purificandi, lustrandi, expiandi reosque ipsos placandi vim tribuerunt, ut passim in auctorum libris licet legere.

Jamblichus de hoc usu.

Jamblichus *de mysteriis Ægyptiorum*, segmento 3. cap. 24. *Suffumigationes*, inquit, *adhibitæ affinitatem & cognationem habent cum Deo ipso, cui offeruntur, non cum anima videntis.* Idem segmento 5. cap. 1. *Ajunt*, inquit, *Hypophetas sacrificulos abstinere debere ab animantibus, ne Dii fanis exhalantibus ex mactatione animalium inficiantur. Sed huic sententiæ repugnat fama communis, & vox omnium dicentium*, Numina nidoribus maxime delectari, capique inescata. Hanc quæstionem solvit, capitibus etiam sequentibus. Cicero quoque horum suffimentorum meminit *de Legibus*, inquiens: *Nam etiam sine illius suffimentis expiati sumus.*

Porphyrius.

Porphyrius in libris, qui sunt quattuor, περὶ τῆς ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων, id est, *abstinentia ab animalibus*, sive *de non necandis ad epula veterum animalibus*, libris duobus pluribus disputat, Herbarum quidem & plantarum sacrificia ac suffimenta antiquitus fieri solita Diis esse grata & accepta: at animalium sacrificia, & quæ ex iis fiunt, suffumigia seu suffimenta, atque etiam vaticinia non item.

Lucianus.

Lucianus in Dialogo, qui inscribitur *Prometheus* sive *Caucasus*, hanc Gentilium in sacrificiis odores incendendi & suffitus omnis generis faciendi consuetudinem manifeste indicat, salseque simul irridet atque perstringit, sub Promethei sese de igne surrepto excusantis persona. Ejus verba hæc sunt: Οἱ δὲ ἄνθρωποι ἢ εἰς τὰ ἄλλα μὲν ἀναγκαίως χρῶνται τῷ πυρί: μάλιστα δὲ εἰς τὰς θυσίας, ὅπως ἔχοιεν κνίσας ἀγυιὰς ἢ τοῦ λιβανωτοῦ θυμιᾶν, ἢ τὰ μηρία καίειν ἐπὶ τῶν βωμῶν. ὁρῶ δὲ ὑμᾶς μάλιστα χαίροντας τῷ καπνῷ, ἢ τὴν εὐωχίαν ταύτην ἡδίστην οἰομένους ὁπόταν εἰς τὸν οὐρανὸν ἡ κνίσα γένηται ἑλισσομένη περὶ καπνῷ, hoc est, *Verum hominibus cum ad alia necessaria igni opus, tum maxime ad sacrificia, quo videlicet in bivio nidorem vobis parent, thura incendant, & pecudum coxas adoleant in aris. Verum cum ingentem lætitiam vobis pariat fumus iste, epulas has suavissimas putantes, ubi nidor simul cum fumo volutatus in cœlum usque tollitur.* Idem *de sacrificiis:* ἡ δὲ κνίσα θεσπέσιος ἢ ἱεροπρεπὴς χωρεῖ ἄνω, ἢ εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν διασκίδναται ἠρέμα, id est, *Nidor autem ille sacer atque divinus sursum fertur*, &c.

Sed

Sed non opus est in re nota admodum & manifesta plura proferre testimonia, quæ passim apud Poëtas aliosque Scriptores profanos sunt obvia. In libro quoque *Sapientiæ* & illâ Jeremiæ sive Baruchi epistolâ de Babyloniorum aliarumque gentium idololatria fumorum istorum ac suffimentorum fit mentio, quibus significant idola ipsorum atque simulacra fumis istis infici ac denigrari fuisse solita, ad idololatrarum ipsorum stultitiam demonstrandum.

Nec tamen mirum est, Gentiles odoribus suffimentisque istis in illis suis sacris usos fuisse, iisque tantam res quasvis purificandi, Deosque suos propitiandi vim tribuisse, cum odores, si vim illorum atque naturam in genere spectemus, vel ipsa ratione experientiaque teste locupletissima, res sint maxime tenues, subtiles, ignis ac spiritus naturam habentes, teste etiam Plutarcho in commentario *de Ei foribus templi Delphici inscripto:* unde celerrime sursum feruntur, longe lateque diffunduntur, hominum animaliumque cerebrum penetrandi, & varie afficiendi vel lædendi, vel recreandi & reficiendi maximam vim habent.

Atque hæc quidem illorum vis subtilis ac spiritualis magis adhuc patet, si cum reliquorum sensuum objectis conferantur: cujusmodi sunt colores, soni, sapores, & tactiles qualitates, quæ crassæ magis & corporeæ sunt substantiæ. Ipsa quoque *flandi* seu *efflandi*, *halandi* seu *exhalandi*, *spirandi* verba, quæ odoribus sæpe tribuuntur, ipsos significant flatus, halitus & spiritus quosdam esse. Quamobrem Deorum sive Dæmonum, potius illorum suorum naturæ odores, suffimentaque ista sua maxime convenire, & idcirco plurimum illis placere, maximam illos placandi vim habere arbitrabantur.

His concinunt atque congruunt illa Plutarchi in libro *de Iside & Osiride*, ubi significat, Gentiles illis suis Plutarchus. suffimentis sacris non pietatis tantum, sed etiam sanitatis rationem habuisse. Verba ejus sunt ista: *Quod si est, sicuti in me receperam aliquid, etiam dicendum de iis, quæ quotidie adolentur: illud primo cogitandum videtur, viros istos studium rerum ad sanitatem conducentium nunquam non fecisse maximi: in sacrificiis autem, castimoniis ac vitæ quotidianæ usu non minorem pietatis duxisse quam sanitatis rationem sentiebant videlicet neque corporibus neque animis morbi suspectis aut vitii recte coli eam, posse naturam, quæ undiquaque pura, impolluta, atque illæsa est. Ergo quoniam aer quo assiduo utimur, inque eo degimus, non eodem semper affectus, temperatusque est modo: sed noctu densatur, corpus comprimit, animamque compellit ad mœstitiam quandam & solicitudinem vel uti caligine ei quadam & gravedine inducta: statim ut à somno surrexere, resinam adolent reficientes aerem & secretione purgantes, spiritumque qui concretus cum corpore languorem contraxit resuscitantes, habet enim odor resinæ vehementiam quandam & vim percellendi. Rursum meridie sentientes Solem è terra attrahentem vi sua admodum multum ac gravem vaporem, & aeri admiscentem myrrham suffiunt, nam calor dissolvit atque dissipat turbulentas faces quæ in aere coeunt. Etenim medici censent adversus pestem remedio esse copiosam flammam, utpote quæ aerem attenuet, hoc autem fit rectius, si odorata ligna urantur, ut cupressi, juniperi piceæ & acro medicus Athenis tempore magnæ pestis gloriam sibi paravit jubendo ignem pone ægrotantes accendi: nam juvit non paucos. Aristoteles etiam affirmat unguentorum, florum, pratorumque suaves fragrantias non minus ad sanitatem facere quam ad voluptatem: quod eæ cerebrum natura frigidum & ad concretionem proclive sensim suo calore lævitate relaxent. Id quoque ad rationem causæ reddendæ nonnullum adfert testimonium, quod myrrham Ægyptii* Bal *nominant, quæ vox si interpreteris delirationis significat amolitionem. Kyphi porro mixtura est sedecim rerum in unum compositarum, mellis, vini, uvæ passæ, cyperi resinæ, myrrhæ, aspalathi seselis, junci odorati, bituminis, folii ficulni rumicis, juniperi utriusque (duas enim nominant majorem, ac minorem) cardamomi, & calami. Has autem species non temere componunt, sed seplasiari scura isthæc miscent, sacræ recitantur literæ. Ipse numerus aliquid videtur habere, quod nimirum quadratus est à quadrato procreatus, solus talium pariter par, & areæ quantitatem cum ambitus numero eandem. Sed ad hoc conducunt plurima eorum quæ miscentur, aromaticis prædita facultatibus. Itaque Kyphi suavem emittit utilemque exhalationem, qua aër mutatus spiritu suo etiam corpus efficit temperiemque blandam adipiscitur & molestiam ac vehementiam diurnarum curarum quasi vincula quædam animi citra ebrietatem relaxat: facultatemque animi imaginatricem & somniorum capacem lævigat instar speculi, purioremque reddit non minus id quidem efficaciter, quàm lyræ strepitus quibus ante somnum Pythagorei utebantur brutam motibusque subitis obnoxiam animæ partem ea ratione excantantes atque sedantes. Odores enim sæpe sensum deficientem revocant, sæpe etiam contrà hebetant ac sopiunt, diffusis ob levitatem, per corpus exhalationibus, sicut medicorum nonnulli somnum oboriri ajunt, quando alimenti vapor veluti serpens leniter circum intestina & ea contrectans titillationem quandam inducit. Kyphi porro Ægyptiis etiam ad bibendum temperatur, potum enim videtur ob vim molliendi suam interiora purgare præter hæc, resina. Solis est opus: & myrrha lachrima est ad lunam à stirpibus edita. Eorum porro quæ in Kyphi componuntur, sunt quæ nocte magis gaudent ut quæ spiritibus frigidis, umbris, rore & humoribus aluntur. Nam dici lux una est, & simplex & Solem Pindarus cerni ait per vacuumætherem. Nocturnus autem aer mixtus temperatusque est è variis luminibus atque facultatibus quæ veluti semen in unum ab omnibus stellis confluunt. Ergo non abs re illa ut simplicia & à sole procreata; interdiu hæc & mixta & omnigenis qualitatibus prædita, sed veniente nocte adolent.* Hactenus Plutarchus.

Præterea ex iisdem fumis & suffumigiis, tanquam præsentiæ & voluntatis Deorum suorum signis atque symbolis miseri homines alios quasi fumos, hoc est, res eventusque futuros prænoscendi prædicendique occasionem captabant. Et huc referenda καπνομαντεία, λιβανομαντεία, οἰνομαντεία, κελθομαντεία, ἀλευρομαντεία, & ipsa in genere πυρομαντεία, de qua addere placet ea, quæ de hac Peucerus adnotavit libro suo de divinatione: πυρομαντείαν, inquit, *factitant, pice, quæ ex tædis colligitur, comminuta in pulverem, & hoc* Πυρομαντεία. *in ignem conjecto. Quod si exardescens inde flamma coit, nec dispergitur, fausta si dividitur, aut dissilit, infausta designare creditur. Sic pugnantem, diductura, in diversa procumbentem in focum, crepitantem, ægris malum,*

 evanescen-

evanescentem, iisdem mortem minitari immo & simulacra formare, eruptione agitationeque lucentis flammæ, sed non conspici, nisi ab impollutis, falso persuadet credulis Pyromantum genus.

Καπνομαντεία.

Καπνομαντείαν *instituunt granulis papaveris aut sesami, projectis in candentes prunas, & fumo, qui inde nascitur observato. Sed has præstigias omitto.*

Λιβανομαντεία *ex incenso thure, divinabat. Si ignis mox illud arreptum dissolutumque verteret in fumum & suffitum cieret gratum, læta: Si refugeret, aut odorem exprimeret inde fœdum, & natura thuris diversum, abominanda ostendi putabantur.*

Meminit loci cujusdam Dion, in historia Romana, quem Nymphæum appellat, in quo, hoc modo, ex suffito thure, præscita de omnibus rebus petita fuerunt, præterquam de morte, & conjugio.

Οἰνομαντεία.

Οἰνομαντεία *ex vini consecrati ad libationes,* ὑδρομαντεία, *ex sacræ aquæ, qua abluebantur & decoquebantur victimæ, coloribus, sapore, motu, strepitu, subitis mutationibus argumenta eventuum colligebat. Utriusque meminit Virgilius in historia Didonis:*

Vidit thuricremis cum dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros
Fusaque in obscœnum, se vertere vina cruorem.

Κριθομαντεία.

Κριθομαντεία & ἀλευρομαντεία *molas & libamenta & præcipue materiam eorum, ut hordeum, far, & inde confectas farinas, quibus victimæ conspergebantur, scrutabantur, & expendebant.* Hactenus Peucerus.

Atque hæc quidem de nidoribus, odoribus, fumis, suffumigiis & suffimentis istis sacris & sacrificialibus sint dicta.

De cineribus quoque, de quibus supra, nunc rursus esset dicendi locus, ad quos tandem Gentilium sacrificia fuerunt redacta. Unde Arnobius: *Aut si aliquod viscus aris fuerit traditum, ratione ardescit pari, & dissolutum in cinerem labitur.* Hæc Arnobii verba ad sacrificiorum istorum Gentilium contemtum spectant, dum significat, omnem illorum pompam & magnificentiam, tandem in fumos, in favillas atque cineres abiisse.

His ipsis autem cineribus, tanquam sacris, dubium non est, quin Gentiles multifariam ad idololatriam & ad divinationem (quæ τεφρομαντεία, sive σποδομαντεία, sive etiam κονιομαντεία Græce appellari potuit) abusi fuerint: ac, quemadmodum, ut de fumis paullo ante, atque suffimentis dixi, in medicina cinerum maxima est vis & facultas, de qua consulendi Medici: ita cineribus quoque istis sacris maximam vim lustrandi, purgandi Deosque suos placandi tribuerint.

Adde, quod cineres in sacris & profanis litteris fragilitatis mortalitatisque sunt symbola: quo spectat antiqua illa Judæorum & Gentilium cineres capiti vestimentisque aspergendi, vel etiam in cineribus volutandi consuetudo: cujus passim in sacris & profanis litterarum monumentis fit mentio; ut meminissent se esse cinerem, pulvisculum, in cinerem & pulverem reversuros, secundum illud Persianum:

- - - *Cinis & manes & fabula fies.*

Et illud Horatianum:

Pulvis & umbra sumus.

His igitur cineribus & pulveribus, ad quos vel maximæ, robustissimæ, magnificentissimæque hostiæ rationales & irrationales temporis momento redigebantur, cinereæ, sive cinerosæ (quo verbo Apulejus utitur) hoc est, fragilis, caducæ, ac mortalis hominum rerumque humanarum omnium naturæ admoneri poterant. Sed eo ipso Deus illis sacrificiorum ipsorum οὐδενίαν exprobrare & demonstrare voluit, ut intelligerent, quævis illorum vel magnificentissima sacrificia nihil esse aliud, quam fumos, quam cineres, atque pulveres vanissimos & vilissimos.

Atque hæc quidem, de qua adhuc verba fecimus, fuit communis, trita & vulgata inter omnes fere gentes sacrificandi ratio, ritus, modus, atque methodus, qualis ab Homero, ab Apollonio, à Luciano, à Dionysio Halicarnasseo & ab aliis antiquis Scriptoribus litteris memoriæque est prodita. Interea tamen si singularia & particularia spectemus, non est diffitendum, tam varios, multiplices, diversos ac dispares, pro Deorum, locorum, temporum, personarum, atque gentium diversitate, fuisse sacrificandi ritus atque ceremonias, ut ipsas enumerare omnes infiniti operis atque laboris esse videatur, immo plane ἀδύνατον. Sic etenim, exempli gratia, ut ex innumeris unum atque alterum proferam, etsi secundum communem & pervulgatam Græcorum, Romanorum, aliarumque gentium consuetudinem, hostiæ seu victimæ post mactationem vel totæ, vel integræ (quæ quidem teste Festo idcirco *Proterviæ*, *Prodigæ*, Græce *Holocausta* seu *Holocaustomata* fuerunt appellatæ) vel certæ illarum partes igni fuerunt traditæ, eoque consumtæ, reliquæ ad epulandum & ad sacrificantium usum fuerunt reservatæ: tamen, ut Lucianus, postquam communem Gentilium sacrificandi morem descripsit, simul atque derisit, subjungit sub finem illius sui libelli *de sacrificiis*, peculiarem hunc Ægyptiorum: *Sacrorum*, inquit, *peragendorum idem ferme apud illos* (Ægyptios) *ritus, nisi quod hostiam lucta prosequuntur: jamque mactatæ ejus circumfusi membra laniant. Sunt qui sepeliunt duntaxat, posteaquam occiderunt.* Ejusdem autoris libellus exstat *de Syria Dea*, quam *Atergatin* vocant, quæ etiam Gatis dicta Syrorum Regina fuit, ac post mortem pro Dea habita atque culta, quam Græci *Derceto* appellant, de qua vide Athenæum lib. 9. In illo libro Deæ istius templum, signa, statuas, sacerdotes, sacra, ritus atque cerimonias, quibus culta fuit, lacum denique & pisces sacros commemorat atque describit. Sub finem autem illius libelli hos recenset singulares sacrificandi ritus. *Hæc*, inquit, *ab iis, qui solennes ad cœtus veniunt, factitantur. Is, qui in civitatem Sacram abit* (hanc Assyriorum urbem, in Cœlosyria sitam, Steph. *Hieram*, id est, sacram, Strabo & Plin. *Hierapolim* vocant, quæ

Sacrificandi apud Ethnicos ritus varii diversi.

Bambyce

Bambyre quoque, & *Edessa*, & *Magog* à Syris fuit appellata, ut iidem authores testantur) *caput ille quidem & supercilia tondere solet, postea autem mactata ove cætera quidem in frusta concidit & convivatur. Vellus autem humi sternens, super hoc in genua procumbit. Pedes autem & caput animantis suo ipsius capiti imponit & simul precando, postulat ut præsens sacrificium acceptum sit, majusque aliud in posterum pollicetur. His ita peractis, caput suum corona induit itidemque aliorum omnium, qui, eamdem cum ipso viam proficiscuntur, atque ita attollens se ex terra sua proficiscitur, utens & frigidis aquis, lavandi caussa pariter & potus, & omnino humi quoque dormiens. Neque enim fas illi est conscendere lectum, donec iter illud peregerit domumque suam reversus iterum fuerit. In Sacra autem civitate recipit ipsum publicus hospes ignotum. Certi enim uniuscujusque civitatis hospites ibi sunt, & quod ex patria cujusque venit id denuo apud se recipit. Appellantur autem ab Assyriis isti doctores, quoniam ipsis omnia exponunt, & enarrant. Sacrificant autem non in ipso templo, sed postquam adduxit ad altare hostiam libatione insuper facta rursus eandem domum ducit. Deinde vero ubi rediit, secum ipse domi sacrificat & precatur. Est autem & alius quidam sacrificandi ritus talis. Postquam animalia immolationi destinata coronarunt ex vestibulis templi ea demittunt: illa vero præcipitata, ex casu moriuntur. Quidam autem, & pueros suos ex eodem loco admittunt; non tamen eodem modo, quo pecudes, sed in peram sive saccum inclusos manu deducunt. Simul autem & acerbe increpantes illos dicendoque non pueri, sed boves sint. Certis autem notis compunguntur omnes, alii quidam in vola manus, alii autem in cervice. Et inde est, quod cuncti Assyrii notas inustas habent. Faciunt autem & aliud quiddam, in quo cum solis Græcorum Trœzeniis consentiunt. Dicam autem etiam, quæ illi faciunt. Trœzenii virginibus & adolescentibus legem statuerunt, ne quis ipsorum connubio sese illigaret, priusquam Hyppolito comas totondissent faciuntque hoc pacto. Idem igitur & in Sacra civitate fit. Ac adolescentes quidem barbas suas consecrant. Juvenibus autem capillos sacros à nativitate usque consecratos demittunt, quos postquam in templo sunt, resecant, & in vasa deposita alii quidem argentea, multi vero etiam aurea in æde affigunt atque abeunt inscripto uniuscujusque nomine. Atque hoc ego quoque cum juvenis adhuc essem, feci, & in templo meus capillus adhuc meumque nomen restat.* Hæc Lucianus.

Eustathius similiter ex Strabone in Homerum *Iliad. α.* descriptionem illam suam ritus morisque communis sacrificandi concludit commemoratione ritus atque cerimoniæ peculiaris Persarum, quæ talis fuit: *Persæ*, inquit, *nec statuas, nec aras erigunt, sacrificant in loco excelso. Cælum Jovem putant, colunt Solem, quem Mithram vocant. Item Lunam, & Venerem, & Ignem, & Tellurem, & Ventos, & Aquam. Sacrificant in loco mundo* κατευξάμενοι, id est, *cum imprecationibus, & coronatam hostiam statuunt. Ubi autem Magus, qui sacrificiis præest, hostiæ carnes in portiones distribuit, sua quisque accepta parte abeunt, nulla parte Diis relicta. Dicunt enim Deum nihil velle, præter hostiæ animam. Quidam tamen ut fertur, omenti partem igni imponunt. Præcipue Igni & Aqua sacrificant: Igni quidem ligna arida imponentes, adempto cortice, & anima* (πιμελὴν) *superinjecta: deinde infuso oleo succendunt, non inspirantes, sed ventilantes. Si quis inspirat, aut mortuum quid cœnumve in ignem injicit, morte privatur. Aquæ sacra peraguntur hoc modo. In lacum, vel flumen, vel fontem venientes, scrobem faciunt, ibique hostiam jugulant* (σφαγιάζουσι) *cautione summa adhibita, ne quid proximæ aquæ sanguine contingatur: sic enim omnia pollutum iri. Postea carnibus myrto lauroque impositis, eas Magi gracilibus virgis comburunt, & factis imprecationibus quibusdam oleum lacte & melle mixtum inspergunt,* (ἀποσπένδουσι) *non in ignem, nec in aquam, sed in terram. Imprecationes diu faciunt* (ἐπῳδὰς ποιοῦσι) *fasciculum virgarum myricinarum tenuium manibus tenentes. In Cappadocia (etenim maxima ibi est Magorum multitudo, qui Pyrothi vocantur, & multa Persicorum Deorum templa) non cultro, sed stipite* (κορμῷ) *mactant* (θύουσι) *tanquam malleo* (ὑπέρῳ) *ferientes. Sunt & Pyratheia* (πυραιθεῖα) *septa* (σηκοὶ) *quædam ingentia, in quorum medio ara est. In ea Magi & cinerem* (σποδὸν) *multum & ignem perennem servant, & eo quotidie ingressi, imprecationes faciunt per horam fere ante ignem virgarum fasciculum tenentes, pileis infulis velati* (τιάρας περικείμενοι πιλωτὰς) *ex utraque parte dependentibus, adeo ut vittæ labia contegant ac malas. Hæc in Anaitidis & Omani delubris fiunt. Nam & horum ibi delubra sunt, & Omani statua in pompa ducitur. Ista nos vidimus: quæ sequuntur historici memoriæ mandaverunt. In fluvium Persæ non immejunt, nec lavant, nec abluuntur, nec cadaver injiciunt, nec alia, quæ immunda esse videntur. Cuicunque Deo sacrificent, primum igni imprecationem faciunt* (εὔχονται.)

Eustathius de more sacrificandi apud Persas.

PORRO, ut huic meo de trito & usitato fere apud omnes gentes sacrificandi more, ritu, forma atque ordine explicationi finem imponam: quemadmodum ad sacrificia illa conveniendi, ad illa sese præparandi, ad illa homines convocandi, illa inchoandi celebrandique: sic quoque ab illis discedendi, illa denique finiendi terminandique certa fuit ratio atque cerimonia.

Quæ ratio discedendi à sacrificiis apud Veteres?

Sacrificiis itaque peractis atque confectis, quasi receptui per sacerdotes sive præcones certis vocibus dicendique formulis canebatur, ac populus dimittebatur, eique discedendi venia dabatur. Ac apud Græcos quidem usitata erat hæc dicendi forma: λαοῖς ἄφεσις, id est, *populis missio:* cujus Apulejus libro II. meminit his verbis: *Tunc ex his* (sacerdotibus) *unus, quem cuncti Grammatea* (scribam) *dicebant pro foribus assistens, cœtu Pastophorum* (quod sacrosancti collegii nomen est) *velut in concionem vocato, indidem de sublimi suggestu, de libro, de litteris fausta vota præfatus, principi magno Senatuique & equiti totique Romano populo nauticis navibus quæque sub Imperio Mundi nostratis reguntur, renunciat sermone rituque Græciensi* (Græcanico more & linguâ) λαοῖς ἄφεσις, id est, *populis missio. Quam vocem feliciter cunctis evenire signavit populi clamor insecutus. Exin gaudio delibuti populares, talos, verbenas, corollas ferentes, exosculatis vestigiis Deæ, ad suos descendunt Lares.* Hæc Apulejus, quibus adde, quod Festus ait: *Dici mos erat Romanis in omnibus sacrificiis precibusque* POPVLO ROMANO QVIRITIBVSQ. quod est Curensibus, quæ civitas Sabinorum potentissima fuit.

Apulejus.

Redeo

Redeo ad Missionem populis. Hîc subintellige, *est*, vel *datur*; ut tum demum omnibus abire fas sit. Inde ἀφετήρια Græcis dicti carceres, unde equi emittuntur ad cursum, alio nomine θύραι ἱπποδρόμου, id est, *janua Hippodromi*. Sunt autem ἀφετήρια, teste Suida, ὄργανα πολιορκητικά, id est, *instrumenta ad urbes expugnandas accomodata*, cujusmodi sunt illa, quæ *Petars* Gallice à *petendo*, vel *impetendo* appellantur. Populus igitur, qui sacris sive sacrificiis intererat, quasi septis atque carceribus quibusdam contineri atque coerceri consueverat, donec illa finita essent & absoluta, cum ante discedere nefas duceretur.

Ilicet. Vox præterea Latina, qua vel per sacerdotes ipsos, vel per præcones iis, qui sacris intererant abeundi signum ac potestas dabatur, fuit ILICET, id est, *Ire licet:* cujusmodi erant antiqua illa verba, *Ite, Missa est*; quibus significabatur, tempus esse abeundi. Eadem vox in judiciis quoque & in exsequiis fuit usitatissima. Hæc enim per præconem pronunciata judices de Concilio dimittebantur. In exsequiis & justis omnibus perfectis Præfica similiter novissimum illud verbum, *Ilicet*, pronunciabat. Quo dicto, qui funus comitati erant, domum abituri, extremum alta voce pronunciabant hoc modo: *Vale, Vale, Vale. Nos te ordine, quo Natura permiserit prosequemur.* Varro scribit, ideo mortuo *Vale & Salve* dici: non quod Valere, aut Salvi esse possint, sed quod ab his recedamus, eos nunquam revisuri. Servius in illum Virgilii versum:

Ilicet obruimur numero, primusque Chorœbus:

Ilicet, inquit, *ubicunque ponitur, extrema omnia accidere vel accidisse significat.* Idem in hunc versum Virgilii,

Ilicet ignis edax summa ad vestigia venit:

Sumptum, inquit, *à more judicum. Nam cum actus suos explessent, hac voce per præconem utebantur, ut dicerent*, Ilicet, *hoc est, ire licet, ut omnes, qui aderant, observationem sollicitudine solverentur.* Idem in illa Virg. *Æneid. 6.*

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Lustravitque viros dixitque novissima verba:

Id est, Ilicet. Nam Vale dicebatur post tumuli peracta solennia.

Quoniam igitur & in sacrificiis, & in judiciis, & in exsequiis atque justis vox hæc *Ilicet* usurpari fuit solita: idcirco illa dicendi forma *Ilicet*, actum seu conclamatum est, de desperatis deploratisque quibusvis rebus proverbialiter usurpatur.

Est autem, ut supra quoque attigi vox hæc *Ilicet* composita ex *I*, hoc est, *ito*, seu abi, & *Licet:* hoc est, quia licet tibi jam abire sacris, judiciis sive exsequiis, jam peractis, quod antea non licebat, non concessum erat, sed illicitum. Sic *Videlicet* quoque & *Scilicet* voces sunt compositæ ex *Vide & Licet*, quasi videre licet, & *Scilicet*, *Scire licet*: quibus respondet Italicum *Cioe*, & Gallicum *C'est à sçavoir* vel, *par maniere de dire*, quæ idem sunt ac Germanicum Nemlich / vel Namlich / hoc est, *percipere licet*, vel *nominare*: quando rei alicujus planius & disertius explicandæ & confirmandæ adhibentur.

Extemplo. Huic vero voci solenni in sacris respondet vox sacra & auguralis EXTEMPLO, quæ idem significat, quod ilico, è vestigio, confestim, continuo, quasi re divina peracta & absoluta tum demum confestim extemplo esse discedendum: vel quod homines rei divinæ jam pertæsi, (Nam rerum divinarum facile eos statimque tædium capit) propere, magna celeritate è templo sese proripiunt, domumque vel alio ad res negociaque sua necessaria properant. De hoc verbo sive adverbio sic scribit Varro: *Extemplo est continuo, quod omne templum debet esse circa septum, nec plus, quam unum introitum habere: sive quod post templum factum ilico captantur auguria: seu quod augures statim visis auspiciis vel à templo cœli oculos avertebant, vel è templo terra discedebant.* Quidam tamen inter *Ilicet* & *extemplo* discrimen statuunt, ut *Ilicet* non nisi judiciorum sit: hoc sacrorum verbum. Ut enim illud demisso Senatu, sic hoc sacrificio patrato à præcone pronuntiatum fuisse volunt: sed utrumque sacrorum esse vocem, supra à nobis est ostensum.

Confestim. Huc quoque videtur accommodari posse adverbium CONFESTIM, id est, statim, quasi *cum festo*: sive quod festo jam confecto atque peracto statim discedebatur. Huic opponitur, *Post festum*: ut, *Venire post festum*, quod proverbii loco dicitur de cunctabundis, nimiamque moram trahentibus, quique morâ & cunctatione sua magnas quarumvis rerum gerendarum agendarumve occasiones amittunt.

De epulo sacrificiali. POSTREMO quoniam plærunque sacrificiorum, præsertim solennium & publicorum quasi consectaria, corollaria, colophones sive appendices fuerunt epulæ atque convivia, quæ sacrificantes peractis sacrificiis, eo ipso in loco, in quo sacra fecerant, in Deorum, quibus sacrificaverant, honorem, agitare inter se consueverunt: idcirco de iis quoque nobis quædam sunt dicenda. Horum conviviorum sacrificialium Homerus in omnibus fere sacrificiorum descriptionibus luculentam facit mentionem, quæ quidem sacrificia statim fuerunt consecuta. Sic Apollonius quoque noster in hac ipsa Argonautici sacrificii descriptione postremo subjungit prolixam admodum epuli, quod Argonautæ læti atque hilares peracta re divina inter se celebrarunt, descriptionem.

His ipsis autem epulis atque conviviis partim Deos suos colendi atque venerandi, partim ex rerum, quibus operati fuerant, divinarum feriarumque (quales ipsis visæ fuerant) meditationibus & actionibus animos suos reficiendi recreandique gratia usi fuerunt. Harum epularum Paulus quoque in Epist. priori *ad Cor.* meminit & ab illarum communione Christianos sedulo serioque avocat ac deterret.

I. Conviviorum sacrificialium Apparatus. Illarum autem crebra, diligens, accurataque descriptio apud Homerum his fere membris constat, quæ paucis percurram. Primum est illarum APPARATUS, quem Græci ἑτοιμασίαν & παρασκευὴν appellant, Homerus πόνον, id est, *laborem*: quem his fere verbis exprimit:

Αὐτὰρ

Αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο πόνου, τετύκοντό τε δαῖτα:

Postquam cessarunt à labore (scilicet, carnes coquendi & cuncta ad convivium necessaria præparandi) *& adornarunt epulum.*

Idem ἐντύνεσθαι δαῖτα, id est, *instruere, parare, adornare epulum.*

Hic ipse autem epularum istarum sacrificialium apparatus in his fere consistebat. *Primum* carnes, quæ scilicet sacrificiorum fuerant reliquiæ, quæque sacrificantibus datæ & ad vescendum reservatæ fuerant, in partes minores secuerunt; quod Homerus voce μιστύλλειν, à μείω (unde *mica* dictæ, id est, frusta, de quibus Virgilius: *Pars in frusta secant*) creberrime exprimit. Hæ ipsæ autem carnes Diis quoque antea oblatæ & consecratæ fuerunt. Unde Paulus illas εἰδωλόθυτα, id est, *idolis sacrificata* vocat. Homerus quidem Ὀδ. Ξ. hujusmodi sectionis meminit his verbis:

- - - ἐρύσαντό τε πάντα.
Βάλλον δ' εἰν ἐλεοῖσιν ἀολλέα. ἂν δ' ὁ συβώτης
Ἵστατο δαιτρεύσων (περὶ γὰρ φρεσὶν αἴσιμα ᾔδη)
Καὶ τὰ μὲν ἕπταχα πάντα διεμοιρᾶτο δαΐζων.
Τὴν μὲν ἴαν Νύμφῃσι καὶ Ἑρμῇ Μαιάδος υἱεῖ
Θῆκεν ἐπευξάμενος, τὰς δ' ἄλλας νεῖμεν ἑκάστῳ.
Νώτοισιν δ' Ὀδυσῆα διηνεκέεσσι γέραιρεν.

- - - extraxeruntque omnia.
Posuerant autem in discis simul omnia; subulcus vero
Surrexit in quadram dividens (valde enim mentibus æqua sciebat)
Atque quidem septifariam omnia partitus est dividens,
Partem quidem unam Nymphis, & Mercurio Majæ filio
Posuit apprecatus, alias distribuit singulis,
Dorsis autem Ulyssem integris honoravit.

Deinde carnes illas minutas dissectas verubus affigebant, quæ ὀβελοὶ & πεμπώβολα ab illo appellabantur, cujusmodi verua antiquorum erant, instar craticulæ, quasi cuspides plures connexæ, quibus carnes affigebantur, & à flamma adurebantur. Spiß Germanice, ab ultima Cuspide. De hoc actu sic Homerus:

- - - καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν,
- - - aliaque verubus transfixerunt.

Tertio, carnes illas verubus affixas περιφραδέως, ut Homerus sæpe loquitur, id est, summa cura diligenterque assabant. Sic autem ille:

Ὤπτων δ', ἀκροπόρους ὀβελοὺς ἐν χερσὶν ἔχοντες:
Assarunt autem, acuta verua in manibus tenentes.

Quarto, postquam satis assatæ fuerant, eas verubus detractas ἐλεοῖς, id est, *mensis culinariis*, ad id paratis ac destinatis imposuerunt, ibique in certas portiones singulis deinde convivis distribuendas diviserunt: unde δαῖς dicta ἀπὸ τοῦ δαΐζειν, *à dividendo, dilaniando, discerpendo.* Et hæc de apparatu.

Secundum membrum, cujus in conviviorum istorum sacrificialium fit mentio fuit certa CONVIVARUM COLLOCATIO, & ipsa Convivarum consessio seu accubatio. II. Convivarum Collocatio.

Tertium membrum & fere præcipuum fuit ipsa MANDUCATIO atque POTATIO, cibi potusque sumptio. III. Manducatio.

Quartum membrum fuerunt Convivarum SERMOCINATIONES atque colloquia, quæ cibi potusque sumptionem, postquam nimirum ex eo expleti satiatique fuerant, consequi, sicut alia, quæ sequuntur membra, solebant. IV. Colloquia.

Quintum CANTUS atque Carmina, Musica partim vocalis, partim organica seu instrumentalis. V. Cantus.

Sextum fuerunt TRIPUDIA, saltationes & alii ludi, quorum Homerus aliique frequenter meminerunt. VI. Tripudia.

Septimum LIBATIONES, quæ in ipsis sacrificiis & in epulis fuerunt usitatissimæ. VII. Libationes.

Octavum fuit LINGUARUM, quæ ex hostiis immolatis excisæ fuerunt in Mercurii honorem CONCREMATIO. VIII. Linguarum concrematio.

Nonum PRECES, quæ sacrificia atque epulas & antecedere & consequi fuerunt solitæ. IX. Preces.

Decimum fuit LAVATIO & aquarum aspersio, quæ similiter & in principio & in fine sacrificiorum epularumque sacrificialium fuit celebrata. X. Lavatio.

Undecimum fuit ipse convivarum discessus atque SOMNUS. XI. Somnus.

Sed de his omnibus, quoniam fusissime copiosissimeque partim in Convivialib. meis, partim supra in hoc ipso tractatu sacrificiali egi, ne actum agere videar, illuc æquum benevolumque Lectorem remitto.

Hactenus de sacrorum sacrificiorumque Gentilium & objecto & subjecto sive materia, & tempore, & loco, & personis, & modo, ritu atque ordine fuit explicatum: restat nunc ultimum hujus nostri tractatus membrum explicandum, nempe FINIS, quem Gentiles in hisce suis sacris seu sacrificiis spectarunt, qui — De sacrificiorum fine.

qui quidem in omnibus Actionibus potissimum spectari considerarique solet, utpote ad quem omnes actiones referuntur & accommodantur.

In utroque igitur hoc sacrificio & Nestoris & Argonautarum Homerus & Apollonius utriusque finem nequaquam silentio prætermiserunt, sed disertis verbis expresserunt.

Homerus de fine sacrificiorum.

Ac apud Homerum quidem Nestor ipse, quem Poëta loquentem inducit, sacrificii illius sui, quod susceperat, finem sic exprimit:

Ὄφρα ἱλάσσωμαι,
Ut placem, &c.

Sensus est, Minervæ sacrificare statui, ejus nimirum placandæ gratia. Idem finis & iisdem verbis exprimitur in descriptione Hecatombes, quæ Apollini fuit oblata, *Iliad. α.*

- - - Φοίβῳ θ' ἱερὴν ἑκατόμβην
Ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν, ὄφρ' ἱλασσώμεθ' ἄνακτα,
Ὅς νῦν Ἀργείοισι πολύστονα κήδε' ἐφῆκεν:
- - - Et Apollini sacram Hecatombem
Facere pro Danaïs, ut placemus Regem (Apollinem)
Qui nunc Argivis lugubria valde immisit funera.

Apollonius de fine sacrificiorum.

Qui autem Nestorei, idem Argonautici quoque sacrificii finis fuit, quem Apollonius his verbis exprimit:

- - - ὅμοι χρειὼν ὑπέδεκτο,
Σημανέειν δείξειν τε πόρους ἁλὸς ἐν τεθυηλαῖς:
Ut nobis in his sacrificiis monstret viam per mare.

Hîc primum exprimitur finis μαντικός. Nam vox θυηλὴ & sacrificium, sive primitias, & arculam; in qua odoramenta reconduntur, & denique, teste Eustathio, τὴν διὰ θυσιῶν μαντείαν, id est, *divinationem, quæ fit per sacrificia*, significat. Deinde finis quoque alter, nempe ἱλαστικὸς, exprimitur his verbis: Νῦν γε μὲν ἤδη, Φοῖβον ἀρεσσάμενοι θύεεσσιν, δαῖτ' ἐντυνώμεσθα παρασχεδόν: Hoc est, *ut Apollini sacrificiis nostris placato convivium ilico paremus.*

Ἀρέσκεσθαι quid & quæ ejus conjugata?

Utitur hîc verbo ἀρέσκεσθαι, quod significat *gratiam ab aliquo inire, gratiam alicujus captare*: unde ἄρεσκος dicitur, *gratiæ captator* & *aucupator*, qui omnibus vult placere, apud omnes cupit esse gratiosus, in omnium gratiam sese conatur insinuare, qualem Aristoteles definit 4. *Ethicorum*, quique à Paulo ἀνθρωπάρεσκος appellatur. Hinc etiam certum sacrificii sive libi genus, ἀρεστὴρ, ἢ ἀρεστήριον à Græcis est dictum, quod Etymologicus definit, εἶδος πλακοῦντος τοῖς θεοῖς ἀφιερωμένον τὸ τοῖς θεοῖς ἀρέσκον, id est, *placentæ genus Diis dicatum, quod Diis placet.* Sic in genere placenta & libum omne videatur dictum, quod Diis placeat, & allubescat. Eustathius *Iliad. γ.* πέμμα τι ἱερὸν, id est, *libum quoddam sacrum* vocat. Et *Iliad. τ.* δι' οὗ δηλαδὴ ἐστὶ πρὸς τὸ θεῖον ἀρέσασθαι, id est, *per quod Numini divino quis potest placere.* Denique ab eodem ἄρεσκος derivatur quoque εὐαρεστεῖσθαι, pro *placari*, Heb. 13. τῆς δὲ εὐποιΐας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε. Τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός, *Beneficentiæ & communicationis ne obliviscamini. Hujusmodi enim sacrificiis Deus placatur, ejusque gratia conciliatur.*

Finis sacrificiorum quadruplex.

His præmissis nunc generatim & aliquanto copiosius de fine, quem Gentiles sibi in suis sacris, sacrificiis atque religionibus in universum proposuerunt dicamus. Is autem fere fuit triplex, vel etiam quadruplex, nempe ἱλαστικὸς, id est, *placatorius* sive *propitiatorius*, καθαρτικὸς sive ἁγνιστικὸς, id est, *expiatorius* sive *lustratorius*, εὐχαριστικὸς, *gratitudinem spectans*, & μαντικὸς sive μαντευτικὸς, id est, *divinatorius*, sive *vaticinatorius.* Secundum quadruplicem hunc finem sacrificia apud Gentiles alia dicuntur ἱλαστικὰ, id est, *propitiatoria*: alia καθαρτικὰ sive καθαρτικὰ, id est, *lustratoria* seu *expiatoria*: alia εὐχαριστικὰ, sive χαριστήρια, *gratitudinis testificandæ gratia facta*: alia denique μαντευτικὰ, id est, *vaticinatoria.* Nam sacra sive sacrificia illa sua Diis suis factitarunt partim illos iratos placandi, & pacis, gratiæ atque veniæ ipsorum impetrandæ, partim peccata sua, quibus eos offenderant, expiandi & res atque personas pollutas lustrandi purgandique gratia, partim ipsos de rebus futuris, & de iis, quæ sibi agenda, aut non agenda essent, consulendi, partim denique gratias ipsis pro acceptis beneficiis agendi, atque ita gratitudinis testificandæ gratia. Etsi vero omnes hi quattuor fines in omnibus vel plerisque certe sacrificiis atque cerimoniis Gentilium simul fuerunt propositi; tamen seorsim separatimque de singulis verba faciemus.

I. De fine propitiatorio.

Quantum igitur ad primum finem attinet, qui propitiatorius, placatorius, pacatorius, sive pacificatorius est dictus, & institutus ideo ut Deos placarent, sibi propitios redderent, eorum gratiam, pacem, veniam consequerentur, sibique conciliarent; illius, ut apud Homerum & Apollonium, sic apud reliquos auctores profanos creberrima fit mentio, & apud Græcos ἱλάσκεσθαι sive ἱλασμοῦ nominibus fere exprimitur, quæ quidem ab ἱλᾶν deducta sunt, quod est propitium esse, & Eustathio dictum ἀπὸ τοῦ ἵεμαι, quod idem ac ἐφίεμαι, id est, *cupio*, & λάειν, quod est, *videre*: quod ii, qui sunt propitii, libenter eos videant, quibus sunt propitii, qui precibus aliquid petitum accedunt. ἱλᾶσθαι & ἱλάσκεσθαι est *propitium reddere*: item *expiare.* Inde ἱλασμὸς *propitiatio, placatio*, ἵλαος & Attice ἵλεως, *propitius*, unde ἔλεος, & ἐλεημοσύνη, *gratia* & *misericordia*: item ἱλαρὸς, *hilaris*: quoniam qui propitii sunt hilares: contra irati & infensi verbis vultuque tristitiam præ se ferunt, de qua voce ἱλαρὸς, ἵλεως, ἱλᾶν vide pulchra apud Schabotum in Epistolarum Horatii librum.

Latini

Latini hunc finem exprimunt multis verbis, cujusmodi sunt *placare*, *propitiare*, *pacare*, *piare*, &c. *Placare* est mitem & placidum facere, unde Ovidius: Placare.

Est & honos tumulis animas placare paternas.

Et: *Munera (crede mihi) placant homines que Deosque*
Placatur donis Juppiter ipse datis.

Hinc *placamina* & *placamenta* appellabantur vel sacrificia, ut *supplicamenta* Apulejo, vel animalia: quibus Deos suos placare se posse existimabant. Livius 7. ab Urbe: *Ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo, inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur.* Plinius lib. 20. cap. 7. *Hoc veluti placamento terræ blandiuntur.* Idem libro 8. cap. 47. *Magna & pecori gratia vel in placamentis Deorum, vel in usu vellerum.* Tacitus lib. 15. *Non largitionibus Principis aut Deûm placamentis decedebat infamia.* Placamen & placamentum.

Sed & *Placere* à *placandi* verbo videtur derivari: quæ quidem duæ voces magnam inter se habent cognationem, ita ut una ab altera videatur esse derivata. Nam & ea, quæ vel Deo, vel hominibus placent, ea utrosque placant: & vicissim ea, quæ vel Deum vel homines placant, ea vel Deo, vel hominibus placeant necesse est. Inde & *Placenta* dicta, libum farinaceum, ex farina, caseo, melle, vel quod nobis placeat, vel quod eâ solerent Deos placare, eaque Diis placeret: nisi malimus à Græco πλακὸς, idem significante derivare. Sic *Placatio* ab eodem deducta. Cicero *de Divinatione*: *Nunquam civitas nostra sine placatione Deorum immortalium tanta esse, potuisset.* Idem & *Placatum* dixit. *Dii*, inquit, *vel placati jam, vel etiam satiati esse debent.* Et in *Officiis*: *Deos placatos pietas efficit.* Item: *Tu Deciorum devotionibus placatos esse Deos censes.* *Placatores* quoque ab eodem verbo sunt dicti. Plinius lib. 12. cap. 18. *Nec minus propitii erunt Dii mola salsa supplicantibus: immo vero, ut palam est, placatores.* Placere. Placenta. Placatio. Placatus. Placator.

Hoc ipsum *placandi* verbum magnam cum verbo *pacandi* affinitatem habet. *Placare* enim unius tantum litteræ *l* interpositione à *pacare* differt; significatione est cum eo idem. *Placare* est, *pacare*, hoc est, pacificare, pacem dare vel impetrare: quod ipsum à Virgilio hac periphrasi est expressum: Pacare.

Hic Helenus cæsis primum de more juvencis
Exorat pacem Divûm vittasque resolvit.

Servius: *Orare est petere, exorare est impetrare.*
Sed & idem verbum sæpe ad Deos refertur, ut apud Tibullum libro 4. Elegia 1.

Parvaque cœlestes pacavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Seneca: *Sed tu domitor magne ferarum*
Orbisque simul pacator ades. Pacator.

Sic *Pax* pro venia, gratia, & propitiatione Deorum. Virgilius quarto *Æneidos*: Pax.

- - - - pacemque per aras
Exposcunt.

Et 3. *Æneid.*

Sed votis precibusque jubent exposcere pacem.

Cicero pro Rabirio: *Ab Jove pacem & veniam peto.* Idem in *Officiis*: *Peccavit igitur pace vel Quirini vel Romuli dixerim.*

Propitiandi verbum in eadem significatione & ad eundem sacrorum finem sæpe à profanis Scriptoribus usurpatur. *Propitius*, id est, placidus, placatus, sive *pacatus* nonnullis videtur dictus à *Prope* & *ito*, *itas*, &c. eo quod is, qui nobis favet, prope nos ire consuevit: vel quod prope ad illum audemus accedere. Vel dicitur *Propitius* aut prorsus pius, aut porro, id est, valde pius, auctore Nonnio. Plautus in *Merc.* *Tam propitium reddam, quam cum propitia est Juno.* Idem in *Amp.* *Et tibi, & tuis omnibus propitius cœli cultor advenit.* Cicero pro Cœlio: *Huic homini ego, fortasse & pauci Deos propitios: plerique autem iratos putabant.* Idem in epistola ab Octavium: *Perque Fortunam populi Romani, quæ postquam nobis infesta est, fuit aliquando propitia.* Idem in Pisonem: *Quid est, Cæsar, quod te supplicationes toties decretæ tot dierum tantopere delectent: in quibus homines errore ducuntur, quos Dii negligunt: qui, ut noster ille divinus dixit Epicurus, neque propitii cuiquam esse solent, neque irati.* Idem in Verrem Actione prima: *Ita Deos mihi velim propitios, ut cum illius temporis mihi venit in mentem*, &c. Plaut. *Menæch.* in Prologo: Propitius.

Salutem primum jam à principio propitiam
Mihi atque vobis Spectatores nuntio.

Idem in *Pseudolo*:

AD. *Egone in ædem Veneris?* AG. *Quid eo?* AD. *Ut Venerem*
Propitiem. AG. *Ehô, an irata est?* AD. *Propitia hercle est.*

Idem in *Pœnulo*:

Dii illum infelicitent omnes, qui post hunc diem
Leno illam Veneri unquam immolârit hostiam:
Quive ullum thuris granum sacrificaverit.
Nam ego hodie infelix, Diis meis iratissimis

Sex agnos immolavi: nec potui tamen
Propitiam Venerem facere, ut esset mihi,
Quoniam litare nequeo abii illinc illico.

Nota. *Litare* hîc idem quod καλλιερεῖν, *sacrificando* à Diis quod volo impetrare.
Apud eundem Charmides senex ad Neptunum:

Atque ego, Neptune, tibi ante alios Deos gratias ago atque habeo summas.
Nam pol placido te & clementi, meo usque modo, ut volui, usus sum.

Et paullo post:

Ni tua pax propitia foret præsto.

Piandi quoque verbum huic sacrificiorum fini est accommodatum, quatenus videlicet idem est, quod *placare* sive *propitiare*. Horatius:

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,

Propitiare. id est, placabant. *Propitiare* est idem, quod *placare*, *placatum reddere*, *conciliare*. Suetonius in *Othone*: *Per omnia piaculorum genera manes Galbæ, à quo deturbari expellique se viderat, propitiare tentat.* Curtius lib. 4. *Ille capite velato, verbenas manu præferens præibat precos Regis, Jove Minervaque victoriam propitiante.* Propitiabilis. *Propitiabilis*, inquit Nonius, est pronus ad propitiandum. Ennius: *Animus huic est propitiabilis hostia*, id est, apta propitiationi.

II De fine lustratorio. Sequitur secundus sacrificiorum cerimoniarumque Gentilium finis, videlicet lustratorius, purgatorius, expiatorius, seu februatorius, qui primum magnâ affinitate attingit, & ad illum refertur. Nam quoniam vel personis, vel rebus, quocunque modo pollutis & contaminatis credebant Deos sibi adversos esse, infensos & infestos: idcirco contra personarum rerumve lustratione & purgatione eosdem rursus sibi placari ac propitios reddi, ac in gratiam secum redire arbitrabantur. Erant etiam sacrificia atque cerimoniæ hujusmodi lustratoriæ & purificatoriæ quasi præparatio quædam ad majora solennioraque sacrificia, quæ non, nisi præmissâ hujusmodi rerum personarumve lustratione, rite celebrari à se posse existimabant. Hic finis secundus à Latinis his verbis exprimitur: *Piare* sive *Expiare*, *Lustrare*, *Purgare*, *Purificare*, *Februare*.

Piare. *Piare* significat etiam idem quod *purgare*, *expiare*, ἀφοσιοῦσθαι, ἁγνίζειν. Virg. 2. *Æneid.*

Et culpam miserorum morte piabant.

Cicero: *Antiqui si quid à se in Deos peccatum vel admissum arbitrarentur, facti religione piabant, vel expiabant delictum.* Et pro Domo sua: *Si quid tibi piandum, aut instituendum fuisset religione domestica.* Idem de Legibus: *Hetruriæ Principes fulgura atque ostenta pianto.*

Aliquando significat *pie amare*. Nævius apud Nonium: *Nemo est, qui magis suos piet liberos.* Aliquando in genere *colere* significat. Plautus in *Asinaria*:

Ubi piem pietatem, si isto more morata tibi postulem placere.

Hinc ergo *Pius* & *Pietas*: cui opponitur *Impius* & *Impietas*. Quandoque idem verbum *contaminare*, *polluere* contrariâ significatione est, quod & *Impiare* dicitur: ut *Sacrum* etiam pro *exsecrabili* ponitur.

Piaculum. Hinc sacrificia, cultus & quicquid agitur seu præbetur pro satisfactione peccati *Piaculum* dicitur: unde *sacrificium piaculare* & *auspicium piaculare*, quod sacrificantibus tristia portendebat, cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, &c. Virgilius sexto *Æneidos*:

- - - *ea prima piacula sunto.*

Horat. lib. 2. *Carminum*:

Teque piacula nulla resolvent,

hoc est, nullis hostiis te expiabis. Plautus:

Me ne piaculum oportet fieri propter stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdat succidaneum:

id est, oportet ne tuam stultitiam mea pœna expiari?

Interdum etiam ponitur pro ipso peccato, crimine & flagitio: unde idem Virgilius eodem sexto *Æneidos*:

Distulit in seram commissa piacula mortem.

Ubi Servius crimina, propter quæ piacula debentur, interpretatur.

Et Plautus: *Piaculum est misereri nos hominum, male rem gerentium,*

id est, crimen, flagitium est.

Sic apud Hebræos vox חטא, *Chatta*, cum *peccatum*, tum *sacrificium* pro peccato, ejus expiandi caussa oblatum significat: ut apud Hoseam Prophetam: *Comedunt peccata populi mei.* Sic Paulus Christum vocat peccatum, id est, hostiam pro peccato. Sed de hoc verbo & ejus compositis vide supra.

Piabile. *Piabile* porro id, quod expiari & purgari potest. Ovidius:

Cui Dea, ne nimium terrere piabile fulmen,
Est ait & sævi flectitur ira Dei.

Idem *Expiabile*, de quo infra: cujus contrarium *Inexpiabile*: ut, *inexpiabile bellum* apud Ciceronem, quod Græci πόλεμον ἄσπονδον καὶ ἀκατάλλακτον pulchre dixerunt.

Poëtice

Poëtice *Piamen* quoque & *Piamentum* dicitur idem, quod *Expiatio*, vel actus expiandi: vel idipsum, quo ad expiationem utimur. Sunt autem, teste Festo, dictiones magis Poëticæ, quam Oratoriæ. Ovidius secundo *Fastorum*: Piamen & Piamentum.

Februa Romani dixere piamina patres.

Plinius lib. 25. cap. 4. *Hac evulsa scrobem repleri vario genere frugum religio est, & terræ piamentum.* Apulejus: *Tandem pererratis plateis omnibus & in modum eorum, qui lustralibus piamentis minas portentorum hostiis circumforaneis expiant.* Circumforaneæ hostiæ dicuntur, quæ circum agros & urbes in ambarvali amburbalive sacrificio circumducuntur, seu circumaguntur, à *circumferendo* dictæ. Inde *Piamenta lustralia* dicta eidem Apulejo, quibus urbes agrosve lustramus.

Expiare porro est *procurare*, *placare*, vel *mactare*, *purgare*, *purum facere*. Accipitur etiam pro *punire*: ut, *expiare scelera.* Cicero ad Atticum; *Quæ violata sunt, expiabuntur.* Idem: *Mari omnia, quæ violata sunt, expiari putantur.* Idem: *Cereris Numen istius supplicio expiari volebant.* Livius: *Itaque ut cædes manifesta aliquo piaculo lueretur, imperatum est patri, ut filium expiaret pecunia publica.* Plinius lib. 33. cap 11. *Eadem quoque ratione luxum populi expiare solent bella.* Expiare.

Expiabile, quod expiari potest, vel quod in expiatione positum est, vel, quod ad expiationem pertinet. *Inexpiabile* contra. Cicero *Tuscul.* 2. *Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos Cascos appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu vitæ sic deleri hominem, ut funditus interiret: idque cum multis aliis rebus, tum è Pontificio jure & cerimoniis sepulcrorum intelligi licet: quas maximis ingeniis præditi nec tantâ curâ coluissent, nec violatas tam expiabili religione sanxissent; nisi hæsisset in eorum mentibus mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem, commutationemque vitæ.* Expiabile.

Cæterum & *Expiatio* & *Expiamentum* inde composita. Cicero: *Diis violatis expiatio debetur.* Et *de Legibus*: *Scelerum in homines atque impietatum nulla expiatio est.* Expiatio & Expiamentum.

His addenda *purificandi*, *lustrandi*, *luendi*, *februandi* verba, quibus similiter sacrorum sacrificiorumque finem Ethnici expresserunt. *Purgandi* verbo non tam usi sunt Veteres in sacris, quam verbo *purificandi*. *Purificare* igitur est mundum seu purum facere. Plinius lib. 10. cap. 41. *Villaribus gallinis & religio inest: inhorrescunt edito ovo, excutiuntque se, & circumacta purificant ac festuca aliqua sese & ova lustrant.* Idem lib. 8. cap. 1. de elephantis: *Autores sunt*, inquit, *in Mauritaniæ saltibus ad quendam amnem, cui nomen est Amilio, nitescente Luna nova greges eorum descedere, ibique se purificantes solenniter aqua circumspergi, atque ita salutato sidere in sylvas reverti.* Purificare.

Hinc *Purificatio*, id est, *Purgatio*, κάθαρσις, ἁγνισμός. Plinius lib. 15. cap. 30. de lauro loquens: *Eadem & purificationibus*, inquit, *adhibetur.* Ibidem, *Lauro, quam paciferam & gratam Apollini vocat, in profanis quoque usibus ut & oleam pollui fas non fuisse: ita ut ne propitiandis quidem Numinibus accendi ex his altaria aræve debuerint.* Purificatio.

Lustrandi deinde verbum in sacris magis fuit usitatum pro *Purgare*, *Purificare*, *Expiare*: quod vel ἀπὸ τοῦ λύειν dictum, id est, *lavare*, *eluere*, *abluere*, *diluere*: vel à *luendo*, Varroni, id est, solvendo; unde λύτρον & ἀντίλυτρον: & ideo, quod quinto quoque anno vectigalia tributaque exigebantur *Lustrum* à Latinis dictum est; de quo ita Varro: *Lustrum nominatum tempus quinquennale à luendo, hoc est, solvendo, quod quinto quoque anno vectigalia & tributa per Censores persolvebantur.* Tempus hujusmodi fuerunt apud Græcos Olympiades, quæ similiter erant quinquennales. De hoc autem *lustrandi* verbo sic Virgilius in *Bucolicis*: Lustrare. Lustrum.

- - - Et cum solennia verba
Reddemus Nymphis & cum lustrabimus agros.

Et 6. *Æneid.*

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ,
Lustravitque viros dixitque novissima verba.

Idem secundo:

Lustramurque Jovi votisque incendimus aras.

Ubi Servius: *Aut lustramur*, inquit, *id est, purgamur, ut Sacra faciamus, aut certe lustramur Jovi, id est, expiamur.*

Sic Ovidius: *Ego lustror ab illis*
Et purgante nefas novies mihi carmine dicto,
Pectora fluminibus jubent supponere centum.

Idem decimo: *- - - - magico lustrabere ritu.*

Lustratum ac purgatum Capitolium dixit Livius lib. 2. A. V. C. & *lustratum corpus divino odore* idem Ovid. 12. *Metamorph.* Et Martialis in præfatione libri 8. meminit non nisi religionis purificatione lustratos accedere ad templa debere.

Hinc & *Lustramen* Flacco, & *Lustramentum* ac *Lustratio* dicta: & *Lustratio* quidem velut expiatio: qua quid solvitur ac liberatur: unde & λύτρα ἀπὸ τῆς λύσεως, id est, *solutione auri*, inquit Festus. Columella lib. 2. cap. 27. Hoc loco certum habeo, quosdam, quum solennia festorum percensuerim, desideraturos, lustrationum, cæterorumque sacrificiorum, quæ pro frugibus fiunt, morem priscis usurpatum. Lustrâmen, Lustramentum, Lustratio.

Erat

Erat autem mos apud Romanos solennis exercitum aut populum lustrandi. Cicero *de Divinatione*: ***Cum Imperator exercitum, Censor populum lustraret, qui hostias ducerent, eligebantur***: id est, Cum vel Populum Censores, vel Imperatores exercitum lustrarent, certis & statis quibusdam cerimoniis omen omne aut à populo, aut ab exercitu deprecarentur & in hunc modum populum vel exercitum expiarent. Hinc Festus: *Lustrum*, inquit, *significat nunc tempus: nunc populi lustrationem.* Et Livius lib. 3. ***Omnes Centuriæ & equites in campum Martium convocati, sue, ove, tauro cæsis immolarunt, quod Lustrum est dictum, sicque à sacrificio illo census obtinuit nomen lustri.***

Tubilustrum. Armilustrum. Dictum hinc fuit *Tubilustrum*, & *Armilustrum*: illud quidem; quod eo die in atrio sutorio, sacrorum tubæ lustrantur: hoc verò; quod in armilustrio armati sacra faciebant: nisi locus potius dictus ab heis, sed quod de heis prius, id ab ludendo aut lustro, id est, quod circumibant ludentes ancilibus armati.

Lustrale sacrificium. Lustrici dies. Sed & *sacrificium lustrale* hinc dictum, quod lustrationis, id est, expiationis caussâ fiebat. Livius lib. **1.** *Sacrificium lustrale in diem posterum parat.* Sic *Lustralia exta* apud Virgilium dicta, id est, pinguia, interprete Festo: quoniam moris fuerat completo lustro, id est, quinquennali tempore victimas sacrificari, id est, perfectæ ætatis; & idcirco pingues. Hinc & *Lustrici dies* in tantum dicti, quibus pueri lustrarentur, & nomina eis imponerentur inquit Macrobius, & Tranquillus: ***Ejusdem futuræ infelicitatis signum evidens die lustrico extitit.*** Qui infantes lustrabant *Lustratores*: fœminæ *lustratrices* fuerunt appellatæ. Festus: ***Lustrici dies infantium appellantur puellarum octavus, puerorum nonus: quia his lustrantur atque nomina eis imponuntur:*** cujusmodi dies secundum religionem Christianam sunt dies Baptismales.

Lustrare pro scortari. His adde, quod verbum *lustrari* & nomen *Lustri* aliquando malam in partem accipitur. ***Lustrari*** quidem pro *In lustris agere*, id est, scortari. Plautus: ***Lustrantur, luxantur, comedunt.*** Idem: ***Nihil est, ubi lustretur, ubi bibatur.***

Lustrum pro lupanari. *Lustra* ergo dicentur lupanaria, luparum, id est, meretricum latibula. Festus: ***Lustra***, inquit, ***significant lacunas lutosas, quæ sunt in sylvis, aprorum cubilia, à qua similitudine, qui in locis abditis & sordidis ventri & desidiæ operam dant dicuntur in lustris agere.***

Februare. His postremo addendum *Februandi* verbum antiquum, quod ipsum quoque lustrationem significat; de quo sic Festus: ***Februarius***, inquit, ***mensis dictus, quod cum, id est, extremo mense anni populus februaretur, id est, lustraretur ac purgaretur: vel à Junone Februata, quam alii Februalem, Romani Frebulim vocant, quod eo ipso mense sacra fiebant, ejusque feriæ erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur à lupercis amiculo Junonis, id est, pelle caprina: quam ob caussam is quoque dies Februatus appellabatur. Quæcunque denique purgamenti caussa in quibusque sacrificiis adhibentur*** Februa ***appellantur. Id vero quod purgatur dicitur*** Februatum.

Februatum. Varro: ***Rex cum ferias menstruas Nonis Februariis edicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sabini purgamentum, & id in sacreis nostris verbum. Nam & lupercalis Februatio, ut in*** antiquitatum ***libris demonstravi.*** Idem lib. 5. ***Posterior, ut iidem dicunt scriptores, ab Deis infereis Februarius appellatus, quod tum heis parentur. Ego magis arbitror Februarium à die februato, dici quod tum februatur populus, id est, luperceis nudeis lustratur.***

Febuare unde dictum? *Februo* autem, verbum Sabinum, id est, lustro, purgo sunt, qui volunt dictum *à* ***Ferveo***, propterea quod hoc adolendo & flammis ferventibus fieri solebat.

Februus & Februa. *Februus* dictus est hinc Pluto, vel Dis pater, Inferorum Deus; quod ei mense Februario sacrificaretur: Vide Macrobium lib. 2. Et Februa eorum, dicebantur quæcunque purgamenti caussa in quibuscunque sacrificiis, ut modo dictum, adhibebantur, Græce καθάρματα. Plinius: ***Vulgata priscis temporibus opinio obtinuit, Februa esse omnia, quibus malefactorum conscientiæ purgarentur, delerenturque peccata, aut manes defunctorum placidi redderentur accensis videlicet circa sepulchra facibus cereisque.*** Ovidius secundo *Fast.*

Februa Romani dixere piamina patres:
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.

Et paullo post:

Denique quodcunque est, quo carmina nostra piantur,
Hoc apud intonsos nomen habebat avos.

Februatio. Sed & *Februatio* idem, quod *purgatio*. Plutarchus *Q. Rom. 68.* ***An quia Lupercalia urbis sunt lustratio & fiunt mense Februario, an ab expiando nomen, ipsorumque dies Februatus dicitur, cum*** Februatio ***purgamentum significet?*** Hæc de nominibus Latinis.

Verba & nomina Græca ad finem lustratorium. Verba Græca, quibus idem finis exprimitur sunt ἁγιάζειν & ἁγίζειν, *sanctificare, consecrare*, ἁγιστεύειν, item *sanctificare*, & *peragere*, quæ ad sacrificium pertinent: ἁγνίζειν, *purificare, lustrare, expiare, adolere*: ἁγνίζεσθαι *purificari, expiari*: ἁγνισμένος *purificatus, expiatus*: ἁγνισμὸς, *expiatio, purificatio, lustratio*: ἅγνισμα, idem: ἁγνιστικὸν *expiandi* seu *lustrandi vim habens*: ἀφαγνίζειν, καθαγνίζειν, *purificare, expiare*: καθαίρειν, *purgare, mundare, expiare, lustrare*: καθαίρεσθαι, *purgari, expiari*: κάθαρμα, *purgamentum, piamentum*: κάθαρσις, *purgatio, expiatio*: καθάρσιος, *purgatorius*, vel *purgativus, purgandi vim habens, expiatorius*, ut καθάρσιος ὕδωρ, *lustralis aqua*: καθάρσιος θυσία, *lustralis victima*: κάθαρσις & καθαρμὸς, *expiatio, lustratio, piaculum*: καθάρσια *sacra expiatoria, piacula* Luciano, Plutarcho, Pausaniæ: καθαρτὴρ, *purgator, expiator, lustrator*, Sophocli & Plutarcho: καθαρτικὸς, *purgativus*: καθαρτήριος, idem quod καθάρσιος, *purgativus*: καθαρίζειν, *purgare, mundare, purificare*: καθαρισμὸς, *purificatio, purgatio, expiamen-*

expiamentum, *piaculum*, pro καθάρσιον Luciano: ἀποκαθαίρειν idem quod ſimplex καθαίρειν: ἀποκάθαρμα, *piaculum*, *piamentum*: ἀποκάθαρσις, *purgatio*.

Similia fere ſunt ὁσιοῦν, ἐξοσιοῦν, καθοσιοῦν, ἀφοσιοῦν, *piare*, *expiare*, *luſtrare*, *ſanctum & purum ſceleris reddere*, *conſecrare*, *ſacrificare*: unde ὁσιωτὴρ, qui hoſtiam immolabat apud Delphos. Plutarch.

His addi poteſt verbum λούειν, λουτρὸς: unde Latinum *Luo*, *eluo*, & inde frequentativum, *Luſtro*, quod quidem ipſum λούειν, vel à λύκος, *lux*, *ignis*, videtur derivari. Duo enim præcipua, quibus luſtrandi vis tributa, Aqua fuerunt & Ignis: & aqua inprimis marina: ad ignem refertur tæda, & ſulphur: quæ ignem facillime excipiunt. Hoc ipſo ergo verbo λούειν, unde *luere*, & *luſtrare*, aliaque conjugata quaſi faſce præcipuus luſtrationis modus atque materia comprehenditur. Atque hæc etiam de nominibus vel verbis apud Græcos.

Porro ad duos hoſce priores fines, Propitiatorium nimirum & luſtratorium illuſtrandos, antequam ad tertium & quartum accedam, lubet exempla quædam atque teſtimonia ſubjungere. Romani, qui præ cæteris fere gentibus omnibus religioſiſſimi haberi atque dici volebant, quando vel bellum aliquod, novum præſertim & periculoſum ſuſcipiebant, vel peſtilentia, morbisque epidemiis, vel fame & annonæ caritate laborabant, vel alia gravi aliqua calamitate premebantur, vel etiam prodigia, portenta, monſtra, oſtenta nunciabantur, quibus Dii iram ſuam, gravesque calamitates portendere videbantur, nihil illis prius & antiquius erat, quam ut conſultis prius libris oraculisque divinis, & eorum interpretibus, ſacrificiis, ſupplicationibus, lectiſterniis, votis, jejuniis, donis, ludis, aris, templisque novis, novandis, fabricandis, ac dedicandis Deos illos ſuos iratos placarent ſibique reconciliarent. Hujuſce moris atque conſuetudinis exempla quædam ex Livio depromta, libet his ſubjungere, quæ non ſolum ad hunc ſacrificiorum finem, ſed ad ritus cerimoniasque reliquas omnes, de quibus ſupra dictum illuſtrandas non parum conducent.

Veteres Deorum iram quomodo placare ſint ſoliti? ex Livio.

Tullo regnante, cum poſt devictos Sabinos Regi Patribusque nunciatum eſſet in monte Albano lapidibus pluiſſe, & miſi etiam eſſent audire vocem ingentem ex ſummi cacuminis luco, ut patrio ritu Albani ſacra facerent, quæ velut Diis quoque ſimul cum patria relictis, oblivionem dederat: & aut Romana ſacra ſuſceperant, aut Fortunæ (ut fit) obirati cultum reliquerunt Deûm. Romanis quoque ab eodem prodigio (ſcilicet pluviæ lapideæ, & vocis auditæ, quæ fuerunt poteſtatum illarum aërearum præſtigiæ atque ludibria) Novendiale ſacrum publice ſuſceptum eſt: ſeu voci cœleſti (dæmoniacâ verius, ſeu diabolicâ dixeris) ſeu aruſpicum monitu. Manſit certe ſolenne, ut quandocunque idem prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur. Hæc Livius lib. 1. Decadis primæ. Novendiale ergo hoc ſacrum iræ Deûm placandæ cauſſa (quam prodigium illud portendere videbatur) à Romanis ſuſceptum fuit ac inſtitutum.

Novendiale ſacrum ſuſceptum.

Idem vero Rex Tullus, cum nihil ante ratus eſſet minus regium, quam ſacris dedere animum (utinam non hodie quoque principum quorundam Chriſtianorum in veris Sacris eadem eſſet mens atque ſententia) morbo longinquo implicitus, quo fracti ſimul cum corpore ſpiritus illius erant feroces, repente omnibus pravis magnisque ſuperſtitionibus degere, religionibusque etiam populum implere cœpit, teſte eodem Hiſtorico, eodem in loco. Notabis in hoc exemplo τὰ παθήματα eſſe μαθήματα, homines, præſertim illuſtris fortunæ, vix poſſe tenere medium: quin aut ſint ἄθεοι, aut ſuperſtitioſi: denique exemplis regum & principum populum trahi facillime vel ad bona, vel ad mala, vel ad religionem veram, vel ad ſuperſtitionem.

Παθήματα μαθήματα.

Sic cum eodem tempore morbis epidemiis graviter fuiſſet laboratum, vulgo jam homines, eum ſtatum rerum, qui ſub Numa Rege fuerat (Hic Rex ſuperſtitionum Romanarum primus autor fuit & architectus) requirentes, unam opem ægris corporibus relictam, Si pax veniaque ab Diis impetrata eſſet (utinam ſic de vero Deo ſenſiſſet) credebant. Teſtis idem Livius eodem in loco.

Ægris corporibus optimum remedium pax & venia Dei.

Ipſum etiam Regem Tullum tradunt, inquit Livius, *volventem commentarios Numæ* (ſcilicet de religione: utinam tanto ſtudio hodie noſtri reges, & principes atque magiſtratus volumen illud, veteris & novi Teſtamenti volverent atque revolverent) *cum ibi quædam occulta ſolennia ſacrificia Jovi Elicio facta inveniſſet operatum his ſacris ſe abdidiſſe: ſed non rite initum aut curatum id ſacrum eſſe, nec ſolum nullam ei oblatam cœleſtium ſpeciem, ſed ira Jovis ſolicitati, prava religione, fulmine ipſum cum domo conflagraſſe.* Fuit hæc Protervia, ſive Holocauſtum tetrum, funeſtum, & horrendum, quod miſer ille Rex fecit.

Iram Dei ſollicitat parva religio.

Hujus Regis ſucceſſor, Ancus Martius, Numæ ex filia nepos, cum aut neglectis religionibus aut prave cultis, regnum, quod ſuſceperat, minus eſſet proſperum, antiquiſſimum ratus ſacra publica, ut ab Numa inſtituta fuerant, facere: omnia ea ex Commentariis Regis (Numæ) Pontificem maximum in album relata proponere in publico jubet.

Sacra publica inſtituta quando ab Anco Martio.

Hoc exemplum principes & magiſtratus Chriſtiani ſibi, quoad verum Dei cultum, ad imitationem proponant, ut neglectâ, vel prave cultâ religione, nihil illis prius ſit & antiquius, quam dare operam ut ſacra non à Numa, aut hominibus ſed ab ipſo Deo inſtituta rite fiant ac celebrentur, & omnia, quæ ad religionem veram pertinent, ex ſacroſanctis illius Regis regum commentariis per ſacrorum antiſtites publice populo proponantur ac inculcentur.

Romæ T. Æmilio, & Q. Fabio Conſulibus anno urbis conditæ 285. cum ut teſtis eſt Livius Decade prima, lib. 3. & ſocii magnam cladem accepiſſent, & non minor hominum ſtrages morbo epidemio fieret, inops ſenatus auxilii humani, ad Deos populum ac vota vertit. Juſſi cum conjugibus ac liberis ſupplicatum ire, pacemque expoſcere Deûm, ad id quod ſua quemque mala cogebant, authoritate publica evocatur, omnia delubra implent, ſtrata paſſim matres crinibus templa verrentes veniam irarum cœleſtium finemque peſti expoſcunt. Inde paulatim ſeu pace Deûm impetrata, ſeu graviore tempore anni jam circumacto, defuncta morbis corpora ſalubriora eſſe cœpere. Hoc

Tempore cladis Diis ſupplicatum olim.

Hoc autem illustrius adhuc exemplum extat apud eundem autorem Decade prima, lib. 5. Cum anno Urbis conditæ 355. tristem hyemem, sive ex intemperie cœli raptim mutatione in contrarium facta, sive alia qua de caussa, gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit. Cujus insanabili pernicie, quando nec caussa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex senatusconsulto aditi sunt duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus quam amplissime tum apparari poterat, stratis lectis placuere: privatum quoque id sacrum celebratum est, tota urbe patentibus januis promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos, ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt: & cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos, jurgiis ac litibus temperatum: vinctis quoque dempta in eos dies vincula: religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent vinciri.

Libri Sibyllini aditi quando?

Sic anno Urbis conditæ 357. prodigia multa nunciata, quorum pleraque, & quia singuli autores erant, parum credita spretaque, & quia hostibus Hetruscis, per quos ea procurarunt, aruspices non erant. In unum omnium curæ versæ sunt, quod lacus in Albano nemore sine ullis cœlestibus aquis, caussave qua alia, quam rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam crevit. Quidnam eo Dii portenderent prodigio, missi sciscitatum Oratores ad Delphicum oraculum. Interea quidam Vejens, dolo captus, vaticinantis in modum cecinit, priusquam ex lacu Albano aqua emissa foret, nunquam potiturum Veiis Romanis. Romani autem jam desperata ope humana, fata & Deos spectabant, cum legati ab Delphis venerunt, sortem oraculi afferentes, congruentem responso captivi vatis: *Romana aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare manare suo flumine sinas: emissam per agnos rigabis, dissipatamque rivis extingues: tum tu insiste audax hostium muris, memor quam per tot annos obsides urbem, ex ea tibi his, quæ nunc panduntur, fatis victoriam dari.* Hæc idem Livius Decade prima, lib. 5.

Desperatâ ope humanâ fata & Deos spectare soliti Romani

Præterea anno urbis conditæ 537. Cn. Servilio, & C. Flaminio Coss. Romæ & circa urbem ea hyeme prodigia facta: aut (quod evenire solet; motis semel in religionem animis) multa nunciata & temere credita sunt. His commemoratis subjungit Livius eorum procurationem his verbis; *Ob cætera prodigia libros adire decemviri jussi. Quod autem lapidibus pluisset in Piceno, novendiale sacrum edictum: & subinde alius procurandis prope tota civitas operata fuit. Jam primum omnium urbs lustrata est: hostiæque majores, quibus edictum est, diis cæsæ: & domum ex auri pondo* XL. *Lanuvium Junoni portatum est: & signum æneum matronæ Junoni in Aventino ædificaverunt: & lectisternium Cære, ubi sortes extenuatæ erant, imperatum: & supplicatio fortunæ in Algido: Romæ quoque, & lectisternium inventum, & supplicatio ad ædem Herculis, nominatim deinde universo populo, circa omnia pulvinaria indicta: & Genio majores hostiæ cæsæ quinque: & C. Attilius Seranus prætor vota suscipere jussus, Si in decem annos R. P. eodem stetisset statu. Hæc procurata votaque ex libris Sibyllinis magna ex parte levaverant animum religione.*

Procuratio prodigiorum quæ apud Romanos?

Quæ porro sacra à Coss. Romæ consulatum ineuntibus fieri sint solita, ex his Patrum verbis patet, quibus C. Flaminium novum Consulem insectati sunt, *qui sacris cerimoniisque illis neglectis in Provinciam profectus fuerat, non cum senatu modo, sed cum Diis immortalibus C. Flaminium bellum gerere, consulem ante inauspicato factum, revocantibus ex ipsa acie diis atque hominibus non paruisse: & nunc comitia prætorum & capitolium & solennem votorum nuncupationem fugisse: ne die initii magistratus Jovis Optim. max. templum adiret: ne senatum invisus ipse, & sibi uni invisum, videret consuleretque; ne Latinas indiceret, Jovique Latiali solenne sacrum in monte Albano faceret: ne auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde ad provinciam iret. Lixæ modo sine insignibus, sine lictoribus, profectum clam, furtim, haud aliter quam si exsilii causa solum vertisset: magis pro majestate videlicet imperii Arimini, quam Romæ magistratum initurum, & in diversorio hospitali, quam apud penates suos prætextam sumpturum.*

Et paullo post: *Paucos post dies magistratum iniit,* (C. Flaminius in provincia) *immolantique ei vitulus jam ictus à manibus sacrificantum sese cum proripuisset, multos circumstantes cruore respersit. Fuga procul etiam major apud ignaros quid trepidaretur, & concursatio fuit; id à plerisque in omen magni terroris acceptum.*

Per idem tempus Cn. Servilius Consul Romæ Idib. Martiis magistratum iniit. Ibi cum de Repub. retulisset, redintegrata in C. Flaminium (ejus collegam) invidia est. Deos se consules creasse unum habere. Quod enim illi justum imperium, quod auspicium esset magistratus: id à domo, publicis privatisque penatibus Latini feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre. Nec privatum auspicia sequi: nec sine auspiciis profectum in externo eo solo nova atque integra concipere posse. Augebant metum prodigia, ex pluribus simul locis nunciata.

Deinde iis, sicut erant nunciata, expositis, autoribusque in Curiam introductis, Consul de religione patres consuluit. Decretum, ut ea prodigia partim majoribus hostiis, partim lactentibus procurarentur: & uti supplicatio per triduum ad omnia pulvinaria haberetur. Cætera cum decemviri libros inspexissent, ut ita fierent, quemadmodum cordi esse civi carminibus, prædarentur, id decemvirorum monitu decretum est: Jovi primum donum fulmen aureum pondo quinquaginta fieret, Junoni, Minervæque ex argento daretur, & Junoni reginæ in Aventino, Junonique Sospitæ Lanuvii majoribus hostiis sacrificaretur, matronæque pecunia collata, quantum conferre cuique commodum esset, donum Junoni Reginæ in Aventinum ferrent, lectisterniumque fieret: quin & libertinæ, & ipsæ, unde Feroniæ donum daretur, pecuniam pro facultatibus suis conferrent. Hæc ubi facta, decemviri Ardeæ in foro majoribus hostiis sacrificarunt. Postremo ex libris Decembri jam mense ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumque imperatum;

(& eum

(& cum lectum senatores straverunt) & convivium publicum ac per urbem Saturnalia die ac nocte clamatum, populusque cum diem festum habere, ac servare in perpetuum jussus. Dum consul placandis Romæ diis, habendoque delectu dat operam. Annibal profectus ex hybernis.

Sacrum Ceteris anniversarium quando intermissum?

Post Cannensem autem illam Romanorum cladem, valde insignem & funestam, supplicationes privatæ quoque per domos vulgatæ sunt, adeoque totam urbem opplevit luctus, ut sacrum anniversarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere est fas, nec ulla in tempestate matrona expers luctus fuerat. Itaque ne ob eandem caussam alia quoque sacra publica aut privata desererentur, senatusconsulto luctus triginta diebus finitus est. Livius Decade 3. lib. 2. Ac paullo post: *Territi etiam super tantas clades, cum cæteris prodigiis: tum quod duæ Vestales eo anno, Opimia & Florenia, stupri compertæ: & altera sub terram, ut mos est ad portam Collinam necata fuerat: altera sibimet ipsa mortem consciverat. L. Cantilius scriba Pontificum, quos nunc minores pontifices appellant, qui cum Florenia stuprum fecerat, à Pont. max. eo usque virgis in comitio cæsus erat, ut inter verbera expiraret: Hoc nefas cum inter tot, ut fit, clades in prodigium versum esset, decemviri libros adire jussi sunt. Et Q. Fabius pictor Delphos ad oraculum missus est sciscitatum, quibus precibus supplicationibusque deos posset placare, & quænam futura finis tantis cladibus foret. Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta: inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario sub terra vivi demissi sunt in locum saxo conseptum, ibi ante hostiis humanis minime Romano sacro imbutum. Placatis satis, ut rebantur, Deis.*

Et quæ ad pacem Deum pertinebant, olim primum relatum, quæ ad Remp.

Anno quinto secundi belli Punici, Q. Fabio Maximo quartum, M. Claudio tertium Coss. prodigia multa nunciata sunt, quæ quo magis credebant simplices ac religiosi homines, eo plura nunciabantur. Hæc prodigia hostiis majoribus procurata sunt ex aruspicum responsis, & supplicatio omnibus Diis, quorum pulvinaria Romæ sunt, indicta est. Perpetratis quæ ad pacem Deûm pertinebant, de Rep. belloque gerendo, & quantum copiarum & ubi quaque essent, Coss. ad Senatum retulerunt. Idem Livius Decade 3. lib. 4. *Observatione dignum Coss primum de religione ad senatum retulisse, & perpetratis primum iis, quæ ad pacem Deûm pertinebant, tum demum de Repub. & bello gerendo retulisse.* Quanto magis igitur Christiani principes atque magistratus ea, quæ ad religionem veram pertinent, quæ ad verum Deum placandum spectant, prius curare debent, quam ea tractent, quæ ad res bellicas, & ad Remp. pertinent. Id si fieret, multo felicior profecto domi militiæ, rerum & publicarum & privatarum esset status.

Obsecratio quando indicta ab Romanis.

Simile fere superiori exemplum Livius refert Decade tertia lib. 7. Q. Fabio Maximo quintum, Q. Fulvio Flacco quartum Coss. *Prodigia*, inquit Livius, *priusquam ab Urbe Coss. proficiscerentur, procurari placuit.* Enumeratis deinde istis prodigiis, ea dicit hostiis majoribus fuisse procurata, & supplicationem circa omnia pulvinaria, & obsecrationem in unum diem indictam: & decretum: ut C. Hostilius, Prætor, ludos Apollinis, sicut his annis voti facti erant, voveret faceretque.

Prodigiis nunciatis non facile litatum.

M. Marcello, & T. Quintio Crispino Coss. ut testatur Livius Decade 3. lib. 7. Consules illos religio tenebat, quod prodigiis aliquot nunciatis, non facile litabant. Per dies aliquot hostiæ majores sine litatione cæsæ, diuque non impetrata pax Deûm, in capita consulum Repub. incolumi exsecrabilis prodigiorum eventus vertit. Ludi Apollinares Q. Fulvio, Ap. Claudio Coss. a P. Cornelio Sulla prætores urbis primum facti erant, inde omnes deinceps prætores urbani fecerant, sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit per urbem, agrosque, quæ tamen magis in longos morbos, quam in perniciales evasit. Ejus pestilentiæ causa & supplicatum per compita tota urbe est, & P. Licinius Varus prætor urbis legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem moverentur. Itaque ipse primis ita movit, fecitque ad III. Nonas Quintiles. Is dies deinde solennis servatus.

Instauratio Novendialis.

Item C. Claudio Nerone & M. Licinio iterum Coss. priusquam Coss. proficiscerentur, *Novendiale sacrum fuit, quia Veiis de cælo lapidaverat. Sub unius prodigii (ut fit) mentionem, alia quoque nunciata:* Et paullo post: *Hæc procurata hostiis majoribus prodigia, & supplicatio diem unum fuit ex decreto Pontificum: inde iterum Novendiale instauratum, quod in armilustro lapidibus visum pluere. Liberatas religione mentes turbavit rursus nunciatum, Frusione infantem natum esse quadrimo parem: nec magnitudine tam mirandum, quam quod is quoque, ut Sinuesse biennio ante, incertus mas an fœmina esset, natus erat. Id vero aruspices ex Hetruria accitum fœdum ac turpe prodigium dicere: extorrem agro Romano procul terræ contactu alto mergendum. Vivum in arcam condidere, provectumque in mare projecerunt. Decrevere item pontifices, ut virgines ter novenæ per urbem euntes carmen canerent. Id cum in Jovis Statoris æde discerent conditum ab Livio poëta carmen, tacta de cœlo ædes in Aventino Junonis Reginæ, prodigiumque id ad matronas pertinere aruspices cum respondissent, donoque divam placandam esse, ædilium curulium edicto in Capitolium convocatæ, quibus in urbe Roma, intraque decimum lapidem ab urbe domicilia essent, ipsæ inter se quinque & viginti delegerunt, ad quas ex dotibus stipem conferrent. Inde donum pelvis aurea facta, lataque in Aventinum pureque & caste à matronis sacrificatum. Confestim ad aliud sacrificium eidem divæ ab decemviris edicta dies, cujus ordo talis fuit. Ab æde Apollinis boves fœminæ albæ duæ portâ Carmentali in urbem ductæ. Post eas duo signa cupressea Junonis reginæ portabantur. Tum septem & viginti virgines longam indutæ vestem carmen in Junonem reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, si referatur.*

L. Veturio, Q. Cæcilio Coss. (quia M. Livio dictatore creati fuerant) in civitate tanto discrimine belli sollicita, cum omnium secundorum adversorumque caussas in Deos verterent, multa prodigia nunciabantur. Et post illorum enumerationem prodigia illa Consules majoribus hostiis procurare jussi, & suppli-

supplicationem unum diem habere. Ea ex senatusconsulto facta. Plus omnibus aut nunciatis peregre, aut visis domi prodigiis, terruit animos hominum ignis in æde Vestæ extinctus. Ob quam causam cæsa flagro est Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat, jussu P. Licinii pontificis. Id quanquam nihil portendentibus deis, cæterum negligentia humana acciderat, tamen & hostiis majoribus procurari, & supplicationem ad Vestæ haberi placuit.

Vocatio aruspicum in senatum ob prodigia.

L. Cornelio Lentulo, P. Villio Tappullo Coss. Prodigiorum, quæ nunciata fuerunt caussâ senatus censuit, ut Consul majoribus hostiis, quibus Diis videretur, sacrificaret: ob hoc unum prodigium aruspices in senatum vocati, atque ex responso eorum supplicatio populo in diem unum edicta, & ad omnia pulvinaria res divina facta. Livius Decade 4. lib. 2. Hîc etiam observatione dignum, iisdem Coss. ædilem curulem creatum, C. Valerium Flaccum, qui quia Flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Tandem datus, qui juraret pro fratre L. Valerius Flaccus, Prætor designatus, Tribuni ad plebem tulerunt, plebsque scivit, ut perinde esset, ac si ipse ædilis jurasset. Hinc patet, quanta jurisjurandi apud Romanos religio fuerit.

Supplicatio habita ob prodigia.

Coss. creatis Sexto Ælio Pæto, & T. Quintio Flaminio, T. Quintium habito delectu, properantem in provinciam, prodigia nunciata, atque eorum procuratio Romæ retinuerunt. Eorum prodigiorum caussâ supplicatio unum diem habita, & Consules rebus divinis operam dederunt: placatisque Diis profecti in provinciam sunt. Livius eadem Decade & libro.

Procurata prodigia antequam vel in bellum, vel in provincias itum.

Cn. Cornelio Cethego & Q. Minutio Rufo Coss. creatis, priusquam Coss. Prætorque in provincias proficiscerentur, prodigia procurari placuit, Livius Decade 4. lib. 2. Sic L. Furio Purpurio & M. Claudio Marcello Coss. creatis, priusquam Prætores ad bellum prope novum proficiscerentur, aut ipsi Coss. ab urbe moverent, procurari, ut assolet, prodigia, quæ nunciabantur, jussi. Livius Decad. 4. lib. 3.

P. Cornelio Scipione Africano iterum, & T. Sempronio Longo Coss. creatis prodigia visa & nunciata Romæ ex Pontificum decreto procurata, & sacrificium Novendiale factum, quod Adriani nunciaverant, in agro suo lapidibus pluisse. Livius Decade 4. lib. 4.

Jejunium Cereri institutum ob prodigia.

M. Acilio & P. Cornelio Coss. prodigiorum caussa libros Sibyllinos ex S. C. Decemviri cum adiissent, renunciarunt jejunium instituendum Cereri esse, & id quinto quoque anno servandum: & quoniam Tarracinæ & Amiterni nunciatum est aliquoties lapidibus pluisse, novendiale sacrum fieret, & unum diem supplicatio esset, coronati supplicarunt: & Coss. P. Cornelius, quibus Diis quibusque hostiis edidissent, decemviris sacrificant. Placatis Diis, cum votis rite solvendis, tum prodigiis expiandis (procurandis) in provinciam proficiscitur Consul.

L. Cornelio Scipione, & C. Lælio Coss. creatis, priusquam Coss. in provincias proficiscerentur, prodigia per Pontifices procurari placuit. Ea procurata, Latinaque instaurata, quod Laurentibus carnes, quæ dari deberent, datæ non fuerant. Supplicatio quoque earum religionum caussa fuit, quibus Diis Decemviri, ex libris, ut fieret, ediderunt, Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti, & decem viri nocte lactentibus rem divinam fecerunt. Livius lib. 7. Decad. 4.

Q. Martio & Q. Servilio Coss. publicorum prodigiorum caussa, libri à Decemviris aditi, XL. majoribus hostiis, quibus Diis Coss. sacrificarent: & addiderunt, ut supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia pulvinaria victimis majoribus sacrificarent, populusque coronatus esset, omnia, ut Decemviri præierunt facta. Livius Decade 5. lib. 5.

Denique quanta cura atque religione Romani prodigia procurare Deûmque suorum iras, quæ illis portendi videbantur, placare studuerint, satis patet ex illa Ciceronis oratione *de Aruspicum responsis*, cujus hæc sunt verba ultima: *Quod eodem fere tempore factus in agro Piceno potentiæ nunciatur terræmotus horribilis cum quibusdam multis metuendisque rebus: hæc eadem profecto quæ futura prospicimus, impendentia pertimescetis, etenim hæc deorum immortalium vox, hæc pene oratio judicanda est, cum ipse mundus, cum agri terræmotu quodam novo contremiscens, & invisitato aliquid sono incredibilique prædicunt, in quo constituendæ nobis quidem sunt procurationes & obsecratio, quemadmodum monemur: sed faciles sunt preces apud eos, qui ultro nobis viam salutis ostendunt: nostræ nobis sunt inter nos iræ, discordiæque placandæ.* Et paullo ante: *Exauditus in agro propinquo & suburbano est strepitus quidam reconditus, & horribilis fremitus armorum, quis est ex gigantibus illis, quos poëtæ ferunt bellum diis immortalibus intulisse, tam impius, qui hoc tam novo tantoque metu non magnum aliquid deas populo R. præmonstrare, & præcinere fateatur? de ea re scriptum est, postulationes decretas esse Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri, diis cœlestibus, audio, quibus diis violatis expiatio debeatur.*

Prodigiorum exemplis Dæmones fascinare homines soliti olim.

Plura his similia leguntur apud Livium, ut de aliis Scriptoribus taceam, prodigiorum portentorumque exempla, quibus Dæmones Dei permissu, Romanis ut etiam aliis mortalibus fucum fecerunt, eosque fascinatos jam antea & excæcatos, tetrisque erroribus imbutos majori indies superstitionum amore atque studio inflammarunt. Quibus autem ritibus atque cerimoniis illa, quæ iræ Deorum ac proinde magnarum cladium calamitatumque illis videbantur esse præsagia, procurare & expiare fuerint soliti, ex Livio satis intelligitur. Utinam vero nos Christiani tanto studio atque zelo, prodigia, signa, ostenta, monstra illa fere quotidiana in cœlo, in terra, in mari, in cunctis denique creaturis apparentia quibus Deus justissimam nobis suam iram atque furorem, propter effrenem & indomitam nostram peccandi libidinem, portendit, significat, monstrat & ostentat assidue, verâ seriaque pœnitentia expiare, & iram illam divinam placare studeremus!

Atque hæc quidem de duplici fine priori sacrorum & sacrificiorum.

NUNC duos reliquos fines, quos Gentiles in sacris illis suis & sacrificiis spectarunt, paucis persequamur.

TERTIUS ergo finis fuit εὐχαριστικός: unde sacrificia propter illum finem suscepta & facta εὐχαριστικὰ & χαριστήρια fuerunt appellata; quæ pro acceptis beneficiis, voti alicujus sui facti compotes, & victoriâ, aut aliis rebus speratis & optatis potiti Diis, quibus ea accepta ferebant, gratitudinis suæ erga ipsos testificandæ gratia faciebant. Ob hunc finem & victimæ dictæ fuerunt χαριστήριοι. Hinc Dionysius Halicarnasseus, θυσίας, inquit, θῦσαι θεοῖς χαριστηρίους ἐπὶ τῇ πρὸς τὸν δῆμον διαλλαγαῖς, *victimas Diis offerre, quibus illis agerentur gratiæ pro reconciliatione plebis.* Idem: θυσίας τε χαριστηρίους τοῖς θεοῖς ἐποιοῦντο, καὶ σκύλων ἀναθέσει τοὺς νεὼς, καὶ τὰς ἀγορὰς ἐκόσμουν, καὶ ἦσαν ἄργοντες ἐν ἑορταῖς καὶ εὐπαθείαις, *sacrificia ad Diis agendas gratias faciebant, templa foraque sua suspensis ornabant hostium spoliis, vacantes epulis & hilaritatibus.* Idem: *Romani post victoriam de Volscis reportatam* τοῖς θεοῖς χαριστηρίους ἐψηφίσαντο θυσίας, *ad Diis agendas gratias sacrificia decreverunt.* Sic lib. 10. ejusdem finis idem meminit: *Romani peste liberati* θυσίαν χαριστήριον τοῖς θεοῖς ἐπετέλουν δημοσίᾳ, *ad agendas Diis gratias publice peracta sacrificia.* Idem factum post reportatam victoriam. Hinc idem Dionysius: *Post trigeminorum pugnam Romani in castris* θύσαντες τὰ ἐπινίκια τοῖς Θεοῖς ἐν παθείαις ἦσαν, *mactatis pro victoria hostiis, genio epulisque indulgebant.* Hæc de fine tertio. III. De fine Eucharistico.

QUARTUS finis fuit μαντευτικός, id est, *divinatorius.* Ethnici enim ex victimarum rerumque sacrificatarum, extorum præsertim, variis qualitatibus & circumstantiis Deorum suorum mentem ac voluntatem ac res eventusque futuros cognoscendi occasionem venabantur. Huc pertinet tota Haruspicina, quam Cicero Reipub. communisque religionis caussâ colendam esse censuit lib. 1. *de Nat. Deorum:* de qua satis dictum supra. IV. De fine divinatorio.

Præter quatuor autem illos generales ac principes omnium sacrificiorum fines, alii quoque fuerunt fines particulares, fere infiniti ac diversi, pro Deorum, rerum, locorum, temporum, personarumque diversitate, quos enumerare immensæ esset operæ ac laboris. Ac sacerdotum quidem seu sacrificulorum plærique, dubium non est, quin, id quod ex antiquis historiis est manifestum, in illis sacris ac religionibus suis, sua potissimum privata commoda atque emolumenta, ut dignitates, honores, opes ac divitias, delicias & voluptates, pro ambitione, avaritia & libidine sua, religionis specie atque simulatione quæsierint. Fuerunt itaque hæc illorum sacra atque sacrificia nihil fere aliud, quam gratiæ & favoris, gloriæ & dignitatis, pecuniæ atque divitiarum; denique delitiarum, voluptatumque aucupia. Præter 4. fines principes, fuerunt alii particulares.

Porro quando fines hosce suos sibi visi fuerunt consecuti, & sacrificia ipsis bene & ex animi sententia successerunt, hoc est, Deos placarunt, sibique propitios reddiderunt, tunc Latine *Litasse*, & *Impetrivisse* seu *Impetrasse:* Græce vero καλλιερῆσαι dicebantur: de quibus verbis & dicendi formis operæ pretium fuerit quædam hic attingere. De finis consecutione.

Quantum ad prius, *Litare* nimirum; nihil aliud id olim fuit quam rite sacrificio facto Deos placare, votumque impetrare. Macrobius 3. *Saturnal.* in illud Virgilii: Litare quid?

> - - - *animaque litandum*
> *Argolica, &c.*

Litare, inquit, *est sacrificio facto placare Numen, legimusque, quod litare non potest sola oratio, nisi is, qui Deos precatur, etiam aras manibus apprehendat.* Suetonius in *Galba*: *Ante paucos quum periret menses, attendit & extispicio, nec unquam litavit*, id est, nunquam placata exta, sed dira semper observavit. Plautus in *Pœnulo*: *Si, Hercule, istud unquam factum est, tunc me Juppiter faciat ut semper sacrificem, neque unquam litem.* Sacrificiorum enim finis erat propitiatio seu placatio Numinum, quo qui erant potiti litare dicebantur. Inter litare igitur & sacrificare hoc discrimen Nonius esse significat, quod illud significet veniam petere, hoc vero propitiare, & votum impetrare. Plinius in *Trajani Panegyri*: *Ergo istæ quidem æreæ, & pauca manent, manebuntque, quandiu templum ipsum. Illæ autem* (scilicet statuæ) *aureæ & innumerabiles, strage & ruina publico gaudio litaverunt.* Ibi Interpres, *Litaverunt*, id est, *satisfecerunt. Nam non omnis*, inquit, *qui sacrificat, litat: cum sacrificare sit veniam petere: litare vero propitiare & veniam impetrare.* Dicimus autem *Lito te*, & *Lito tibi.* Lucanus: Discrimen inter litare & sacrificare. Litare aliquem & litare alicui.

> - - - *Neque enim tibi summe litavi, Juppiter, &c.*

Cicero *Div.* 2. *Cum pluribus Diis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur* (id est, satis fiat?) Plinius *de Viris illustribus*: *Dum Numam Pompilium sacrificiis imitatur, Jovi Elicio litare non potuit.* Apulejus lib. 2. *Solennis dies à primis cunabulis hujus urbis conditæ crastinus advenit, quo die soli mortalium sanctissimum Deum Risum hilaro atque gaudiali ritu propitiamus. Hunc tua præsentia nobis efficiet gratiorem. Atque utinam aliquid de proprio lepore lætificum honorando Deo comminiscaris: quo magna plenius que tanto Deo litemus*, id est, Risum Deum propitiemus, placemus. Idem: *Tunc illa: Et tu Fortuna, inquit, durior jam sævire desine: sat tibi miseris istis civitatibus meis litatum est.* Sic dicitur *Lito Deos extis, sacrificiis, & hostiis*: non, *lito exta*, vel *sacrificia*, vel *hostias.* Deos enim placabant Gentiles, non exta: sed extis Dii placabantur, ut Galeotus Martius notavit. Cicero eodem illo libro: *Cum tristissima exta sine capite fuerint, quibus nihil videtur esse dirius, proximâ hostiâ litatur sæpe pulcherrime.* Suetonius in *Cæsare*: *Dein pluribus cæsis quum litare* (id est, extis Deos placare) *non possent, introiit Curiam.* Hic Beroaldus: *Mos fuit*, inquit, *Principibus Senatum ingredientibus ab ingressu statim sacrificare: quem morem cum usurparet Cæsar; nec tamen litare posset, ingressus est Senatum, dictitans illud celebratum: Necesse est, quod necesse est, evenire Cæsari.* Addit L. Florus, quia centum victimis perlitare non potuit.

Ab hoc *Litandi* verbo dicimus *Litans*, *Litatum*, *Litatio*, *Litato* & *Perlito*: ut *Litans sacrificium* apud Sueto- Litans.

Suetonium in Augusto: Circo Perusiano, *sacrificio non litante*, id est, non placante *Numen constitit inter Aruspices*, &c. Beroaldus in hæc verba: *Moris erat*, inquit, *ut prima hostia non litante, altera, dein tertia pluresve adhiberentur; & ita numerus hostiarum augeretur, donec litatum foret. Hinc legimus P. Æmilium olim sacrificantem non litasse usque ad vigesimam hostiam: in vigesima vero prima apparuisse signa, victoriam promittentia.*

Litatum. Sic *Litatum*, teste Festo, vel solutum est, vel deditum Deo, quasi *luitatum*: quod tamen alii ex Græco deducunt à precibus, quas illi λιτὰς dicunt: quas quidem maximam arbitrabantur Deos placandi vim habere. Quid si *Litatum*, ut & ipsum verbum *Litare* à *lite* sit dictum, quod sit litem & inimicitiam inter Deos & homines tollere, Deorumque gratiam hominibus conciliare. Virgilius:

Tu modo posce Deos veniam sacrisque litatis,

id est, rite factis, veniâ per sacrificia impetratâ, vel felicem eventum promittente victima:

Indulge hospitio, &c.

Litatio. *Litatio* porro est voti per cæsam victimam impetratio, vel victimæ, læta promittentis mactatio. Plautus in *Pœnulo*: *Ut hodie ad litationem huic suppetat satias* (satietas) *Jovi*: Livius lib. 7. de bello Punico: *Per dies aliquot hostia sine litatione cæsa: diuque non impetrata pax Deûm.*

Litato. Dicunt Latini & *Litato*, id est, addicentibus victimis, sicut *auspicato*, id est, addicentibus avibus, hoc est, lætum rei institutæ exitum promittentibus. Livius quinto ab Urbe: *Non Deorum saltem, si non hominum memores, nec auspicato, nec litato instruunt aciem diductam in cornua.*

Perlitare. Compositum hinc est *Perlito*, quod est *perfecte Lito*, Gellius: *Si hæ res divinæ factæ, riteque perlitatæ essent, auspices dixerunt, omnia ex sententia processura esse.*

Impetrire. *Impetrire* quoque verbum antiquum ex Hetruscorum disciplina, idem est, quod *Litare*, & significat impetrare seu obtinere id, quod petimus. Cicero *de Divinatione*: *Ut nunc extis* (quanquam id ipsum aliquanto minus, quam olim) *sic tunc avibus magnæ res impetriri*, id est, impetrari solebant. Idem: *Qui evenit, ut is, qui impetriverit, convenientem hostiam rebus suis immolet?* Plautus in *Amphitr. Impetritum* (id est, impetratum, interprete Festo) *inauguratum est, quovis admittunt aves*: Unde *Admißivæ aves*, teste Festo, ab Auguribus dicta, quæ consulentem juvarent, seu juberent.

Καλλιερεῖν. Græcis porro καλλιερεῖν est idem, quod Latinis *Litare*, & καλλιέρημα sacrificium rite peractum, quod ipsi aliter τὰ καλὰ ἱερὰ appellant. Xenophon lib. 6. *De Cyri minoris expeditione*: Θυομένοις δὲ ἐπὶ τῇ ἐφόδῳ, οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερὰ καλά. Et paullo post: Θυομένων δὲ πάλιν εἰς τρεῖς ἐπὶ τῇ ἀφόδῳ οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερὰ καλά. Et lib. 4. rerum Græcarum: ἐθύετο ὥστε ἱερὰ καλὰ ἔφασαν εἶναι. Et hæc de finis consecutione.

Arnobius de finibus sacrificiorum. Arnobius lib. 7. *adversus Gentes* pluribus docens, nullam esse caussam aut rationem, cur Diis sit sacrificandum, & fines, quos ipsi prætendebant, in suis sacrificiis refellens, tandem illos per anacephalæosin uno quasi fasciculo his verbis complectitur: *Satis igitur*, inquit, *ut opinor, ostendimus, frustra Diis immortalibus hostias cum consequentibus admoveri, quod neque his alantur, aut pascantur, neque ullam inde percipiant voluptatem*, (quam eleganter corporis quasi adulationem vocat) *neque ut iras aut animos ponant, neque ut tribuant fausta, neque ut abigant, averruncentque contraria.* Addit his sextam caussam finalem, eamque similiter nullam esse docet, nempe dum ajunt, se illa honoris ergo Diis facere, & hoc facto Numinum potentias, ut Arnobius loquitur, auctitare, sive auctificare.

Varro. Idem ab initio libri 7. Varronis hanc sententiam de sacrificiis proponit: *Quid ergo dixerit quispiam, sacrificia censetis nulla esse omnino facienda? Ut vobis non nostra, sed Varronis vestri sententia respondeamus, nulla. Quid ita? Quia, inquit, Dii veri neque desiderant ea, neque deposcunt: ex ære autem facti, testâ, gypso, vel marmore multo minus hæc curant. Carent enim sensu, neque ulla contrahitur, si ea non feceris, culpa: neque ulla, si feceris, gratia*: Hæc Varro. Addit Arnobius: *Sententia reperiri nulla potest integrior, quam quivis possit, quamvis ille si sit sævus & difficillimus, occupare. Quis enim est pectoris tam obtusi qui aut rebus nullum habentibus sensum hostias cædat & victimas, aut eis existimet dandas, qui sunt ab his longe naturâ & beatitudine disjugati.*

Præter Lucianum autem, qui peculiari libro Gentilium sacrificia irrisit, Porphyrius quoque libro *de sacrificiis* & alii inter Ethnicos ea contempserunt: de quibus præter Arnobium libro citato, vide Eusebium lib. 2. & 4. *Præparat. Evangelicæ*, Augustinum lib. 8. *de Civitate Dei* cap. 13. & 14. Theodoretum item adversus gentes, & Cyrillum, qui ex eo Dæmonas colligit impuros esse infestos & crudeles, quod sacrificiis delectentur.

Jamblichus de finibus sacrificiorum. De superioribus vero istis finibus quatuor, atque etiam aliis (nam unius ejusdemque rei plures possunt esse fines) Jamblichus in libro *de Ægyptiorum religione* copiose admodum disserit. Ac segmento quidem tertio de fine sacrificiorum vaticinatorio; & in genere de divinationibus & vaticinationibus agit pluribus. Primo segmento, cap. 11. eodem teste, Heraclitus sacrificia medicamenta vocavit, quæ medeantur morbis, quæque animos reddant immunes. Segmento autem quinto, ubi de reliquis tribus sacrificiorum finibus, & in genere de sacrificiorum Gentilium origine, præstantia, dignitate, vi & efficacia, malo, fine, usu & utilitate multiplici multa verba facit, inter alia sacrificii perfectionem docet in eo consistere, ut omnibus Numinibus litetur, omnesque Dii propitii reddantur, & cap. 23. docet sacra unire & ligare: & cap. 24. sacrificia sacra lustrare, purgare, defæcare, perficere, ponere in ordine, solvere vincula. Cap. 25. docet, grata cuique Deorum munera, opera atque sacra secundum locorum præfecturas & distributionem esse tribuenda. Et cap. 26. sacra docet non esse hominum commenta, sed habere auctores, duces, spectatores Deos,

Ange-

Angelos, Genios. Quamobrem in sacris admodum confidendum, summamque adhibendam cautionem, ne quid superis indignum, ne quid minus proprium minusque gratum litetur. Capite ultimo de precum & supplicationum vi, virtute atque energia disputat.

Ibidem differit, cur sacra & sacrificia fuerint instituta, eorum caussam esse occultam, sacra arcanorum esse imagines, in sacramentis formas visibiles significare occulta. Nec, si suffitus, & aliæ res atque cerimoniæ corporeæ in sacrificiis adhibeantur, idcirco statuendum Genios & alios Deos esse patibiles, & capi atque affici rebus istis corporeis. Segmento 1. cap. 12. contra Prophyrium disputat Genios atque Deos non tangi affectibus humanis, eo quod invocationibus atque preculis moveantur & flectantur. Et segmento 1. cap. 13. docet, qua ratione nobis supplicantibus de omni immortalium iracundia, ipsis tamen immotis, placentur. De expiationibus & lustrationibus ibidem. Et cap. 21. *Sacrorum lex*, inquit, *jubet sacra facientes liberos esse ab affectibus & quicquid in sacrificiis præ se fert, aut sapit sensum, aut corpus, symbolum esse significans aliquid occultum, divinum & intellectuale.* Quæ sint dona, quive fructus oriantur ex Numinum apparitionibus docet segmento 2. cap. 6. ut toto tertio segmento de vaticiniis eorumque generibus: & quarto, de precibus ac Deorum invocationibus, cur & quomodo invocantium preces exaudiant. Quinto segmento, cap. 6. quas ob caussas divinæ res & sacrificia offerantur, opiniones eorum recensentur, qui affirmant sacrificari honoris, gratiarum habendarum & primitiarum gratia. Idem per sacra affirmat nos eripi à cladibus & malis, ut fame, peste, inopia, vinculis, ea conferre ad lustrationem animorum, ad perfectionem & liberationem. Horum sacrificiorum altiorem & præstantiorem rationem sumptam ait ab harmonia & conspiratione magni animalis, scilicet Mundi, eodem segmento 5. cap. 8. Et cap. 10. ac 11. Sacrificiorum usum & fructum dicit esse hominum cum Diis conjunctionem: sacrificia esse vincula amicitiæ & societatis conjunctionisque hominum cum Diis. Et cap. 13. Sacrorum opus esse purificare, mollire, attollere, illustrare, ad divinum ignem traducere: cumque vi Numinum & igne consumatur sacrificiorum materia, quomodo Genii inde pascantur, docet cap. 12. Idem cap. 15. duo genera Divûm statuit, materiales alios, alios immateriales. Cultum itaque materialibus materialem, immaterialibus immaterialem adhibendum censet. Idem cap. 16. cum duplex sit animi status, divinus & corporatus, inde duplicem colligit cultum, & duplex sacrificium: materiale unum, alterum immateriale. Idem cap. 19. secundum tria vitæ & hominum genera, ut sunt naturales, divini, medii, tria statuit sacrorum genera. Idem cap. 20. tres facit essentias divinas, ut quædam sint animales, quædam abstractæ, aliæ mediæ: unde colligit triplicem cultum suum cuique tribuendum, nempe naturalibus naturalem, secretis arcanum, mediis medium. Hæc Jamblichus: quæ quia cum in specie fines sacrificiorum, tum generatim totam eorum doctrinam illustrant, ideo prioribus addere juvabat.

Verum quicquid Ethnici de Deorum suorum cultu atque religione, ritibus, sacris, sacrificiis, eorumque finibus garrierint atque nugati sint: tamen qui inter eos fuerunt sapientiores & cordatiores, Numen divinum vel ipsa natura duce & magistra, non tam rebus, ritibus, ac gestibus externis & corporeis, quam animo, mente & affectu bono, casto & sincero, precibus, virtutum quarumvis studio colendum atque placandum esse duxerunt. De hoc multæ eximiæ in ipsorum scriptis extant sententiæ, quæ sunt quasi scintillulæ quædam luminis naturæ, quarum nonnullas hîc citabo. Persius Sat. 2. Fines veri sacrificiorum etiam Ethnicis quibusdam propositi olim.

O curvæ in terris animæ & cœlestium inanes!
Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores
Et bona Diis ex hac scelerata ducere pulpa?

Item: - - - *At vos*
Pontifices in templis quid facit aurum,
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ?
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago
Compositum jus, fasque animi sanctosque recessus
Mentis & incoctum generoso pectus honesto.
Hæc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.

Sic ille apud Plautum:

Atque hoc scelesti in animum inducunt suum,
Jovem se placare posse omnibus hostiis.
Et operam & sumptum perdunt: ideo
Fit, quia nihil ei acceptum est à perjuriis
Supplicii facilius, si qui pius est à Diis supplicans,
Quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi.
Idcirco moneo vos ego hæc: qui estis boni,
Quique ætatem agitis cum pietate & cum fide
Retinete: porro post fatum & lætamini.

Ovidius: *Parva petunt Manes, pietas pro divite grata est*
Munere: non avidos Styx habet ima Deos.

 Idem:

Idem: *Non bove mactato cœlestia Numina gaudent,*
Sed quæ præstanda est, vel sine teste, fide.

Idem: *Sed tamen ut fuso taurorum sanguine centum,*
Sic capitur minimo thuris honore Deus.

Idem: *Pone Deos, & quæ tangendo sacra prophanas,*
Non bene cœlestes impia dextra colit.

Idem: *Dantur in invitos impia thura focos.*

Horatius: - - - - *Te nihil attinet*
Tentare multa cæde bidentium
Parvos coronantem marino
Rore Deos: fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus
Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit adversos Penates
Farre pio & saliente mica.

Cato in *distichis*: *Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,*
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Idem: *Cum sis ipse nocens moritur cur victima pro te?*
Stultitia est morte alterius sperare salutem.

His consentaneè Cicero ait libro 2. *de Nat. Deorum*, Cultum Deorum esse optimum, eundemque castissimum, ut eos semper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce veneremur. Et Seneca: *Optimus animus pulcherrimus Dei cultus est.* Sic Eubulus ille apud Clementem Alexandrinum irridet superstitiosos homines, sacrificiis illis externis nimium addictos & deditos: interim negligentes virtutem. Ait enim, *θύουσιν αἷμα καὶ κύστιν: μὴ καρδίαν, μήδε ἐπιπόλαιον*, id est, *sacrificant sanguinem & vesicam: cordis autem ne superficiem quidem.* Plinius item scribit libro 18. cap. 6. ad ubertatem frugum plurimum innocentiam agricolarum valere. *Honestis*, inquit, *Manibus omnia lætius proveniunt.* Idem docet Plato in *Alcibiade*, Deos integritate animorum ac precibus placari, nec precibus rerum ipsis oblatarum, sed purâ offerentis manu capi.
Et hæc de sacrificiorum finibus.

Antithesis Ethnicismi & Christianismi.

NVNC POSTREMO, ut huic meæ lucubratiunculæ finem tandem aliquando imponam, superioribus lubet colophonis quasi loco, Gentilismi, sive, ut alii eum vocant, Ethnicismi, vel Paganismi, & Christianismi *ἀντίθεσιν* quandam, hoc est, oppositionem subjicere, quæ merito nos Christianos incitare atque impellere debet ad gratias Deo immortali & agendas & habendas animis nostris immortales & perpetuas, quod pro infinita sua gratia atque misericordia Filii sui unigeniti uniceque adamati adventu in carnem atque morte, Evangelii prædicatione Catholica & Apostolica, Sanctique sui spiritus virtute & efficacia, ex tetris funestisque illis errorum superstitionumque tenebris in admirandam hanc, serenam & salutarem Christianæ religionis lucem nos traduxit. Erit simul hæc *ἀντίθεσις* quasi *ἀνακεφαλαίωσις*, hoc est, summaria & compendiosa omnium pene eorum, quæ supra copiosius fuerunt explicata, repetitio quædam & complexio, quam pio candidoque Lectori spero non ingratam futuram & injucundam.

Ethnicorum Dii innumerabiles.

PRIMVM igitur Gentiles pro cœco mentis suæ errore Deos sive Divos coluerunt numero innumerabiles, visibiles & invisibiles, rationales & irrationales, animatos & inanimatos, bonos & malos, nominibus, sexu, ætate, tempore, ordine, dignitate, locis, muneribus, officiis, aliisque rebus dispares atque diversos, quos enumerare omnes tam difficile fuerit, quam numerare vel cœli stellas, vel arenas maris, vel pulverem terræ. Quot enim in hac universitate rerumque natura res sunt, tot illis fuere Dii atque Numina; atque adeo multa, quæ nunquam in rerum natura fuerant, tanquam mera cerebri sui figmenta, pro Diis habuerunt, ac divinis affecerunt honoribus. Pro Diis ergo atque Numinibus istis Gentilium (quæ nomina verius, nullâ subjecta re, vel vanissima dixeris) alienis, fictis, commentitiis, adulterinis, prodigiosis, ridiculis, absurdis (quos Dæmonas, atque Dæmonia sæpe sacra Scriptura appellat) nobis Christianis Deus, quem colimus & veneramur, est unus, unus *οὐσίᾳ*, trinus *ὑποστάσει*, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, cœli, terræ, maris, omniumque rerum visibilium & invisibilium Creator, Conservator, Rector, atque Moderator, æternus, immortalis, omnipræsens, omniscius, omnisapiens, omnipotens, clementissimus & justissimus.

Christianorum Deus unus.

Ethnicorum summus Deus Juppiter.

In hac autem Deorum turba & quasi colluvie, Ethnici etsi finxerunt quendam summum sive supremum Deum, quem Deûm hominumque patrem appellarunt, qui à Græcis *Ζεὺς* & *Ζὴν* à vita, à Latinis *Jovis* & *Juppiter*, quasi dicas, *Jovis pater*, sive *juvans pater*, ab Assyriis, Chaldæis & aliis *Baal*, id est, *Dominus* fuit appellatus (cui etiam Junonem quandam ceu sororem, conjugem & Cœli, Deorum Dearumque reginam affinxerunt) tamen iidem, ut Varronis testimonio S. Augustinus probat, circiter trecentos Joves, sive Juppitres (ut eos Tertullianus vocat) coluerunt. Nobis vero Christianis unus est & verus Jehova: (unde Gentiles *Jovis* illius sui commentitii nomen videntur mutuati) qui quoniam fuit ab æterno, est & erit in æternum, esse suum habet à seipso, esse denique dat rebus omnibus recte Jehova, id est, ens, essentia,

Christianorum summus Deus Jehova.

sive

sive essentiator appellatur. Huc videntur allusisse nomine illo *Ei*, quod templi Delphici foribus fuit inscriptum, de quo Plutarchus peculiarem librum scripsit.

Ethnicorum plures servatores & patres: Christianorum servator unus & pater.

Hos præterea suos Deos cum plurimis aliis augustis & magnificis titulis atque nominibus (quorum tamen nonnulla satis fuerunt ridicula) tum, quæ communia ferè fuerunt, suos patres, patronos, dominos, tutores, præsides, opitulos, seu opitulatores & servatores appellarunt. At nos Christiani Deum solum agnoscimus summum, verissimeque nostrum patrem, patronum, dominum: tutorem, opitulatorem, servatorem, omnis & temporalis & æternæ salutis auctorem atque fontem. Christum item, Dei filium naturalem & proprium θεάνθρωπον, id est, verum Deum & Hominem agnoscimus atque credimus solum & unicum nostrum σωτῆρα, σωτήριον, σωτηρίαν, ἀρχηγὸν & αἴτιον σωτηρίας, servatorem seu salvatorem, salutem ipsam, salutis nostræ ducem & auctorem. Hinc etiam ישוע *Ieschuah*, id est, *Iesus*, seu servator divinitus fuit appellatus, quoniam, ut habetur 1. Joh. 4. σωτῆρ *Deus misit filium suum* σωτῆρα τῦ κόσμυ.

Ethnicorum plures Dii mediatores, & genii. Christianorum mediator unus.

Finxerunt præterea atque coluerunt Gentiles innumeros Deos medios, seu medioxumos, ut eos appellant, Deorum hominumque mediatores, internuncios, interpretes, intercessores, sequestros, ut Mercurium & eos, quos Græci δαίμονας à scientia, Latini *Genios* appellarunt. At nobis Christianis unus ut est Deus, ita unus est Dei hominumque μεσίτης, id est, *Mediator, homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum* ἀντίλυτρον, id est, *redemtionis pretium pro omnibus*, ut Paulus loquitur 1. Tim. 2. Idem etiam Jesus Christus justus noster est παράκλητος, id est, advocatus & patronus apud Patrem, & ἱλασμὸς, id est, propitiatio pro peccatis nostris, ut inquit Johannes priore epistola, cap. 2. nec pro nostris tantum, sed etiam totius Mundi.

Angeli Christianorum, loco Geniorum Ethnicorum.

Pro Geniis item illis Gentilium nos habemus Angelos, Spiritus illos, ut à Paulo describuntur Hebr. 1. ministratorios, qui ad ministerium mittuntur (scilicet à Deo) propter eos, qui salutis suæ æternæ hæreditatem adibunt atque cernent. Hos nos non Gentilium more rituque tanquam Deos veneramur, & adoramus, sed tanquam Dei ministros, famulos, satellites, apparitores, legatos, nuncios, nostræque salutis amantes & custodes fidelissimos, divinitus nobis assignatos amamus, suspicimus, admiramur, imitamur, Angelum illum magni consilii, id est, Christum, cui Angeli omnes inserviunt, quemque adorant, solum adorantes ac invocantes cum Patre & Spiritu Sancto.

Arnobius de Deo uno Christianorum.

Pro Diis igitur illis innumeris Gentilium nos Christiani (ut hunc locum primum illis pulcherrimis Arnobii verbis ex libro 3. adversus Gentiles concludam) ad cultum divinitatis obeundum: Deum primum, qui Deus primus est, pater rerum ac dominus, constitutor moderatorque cunctorum in hoc omne, quod colendum est, colimus: quod adorari convenit, adoramus: quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur. Cùm enim divinitatis ipsius teneamus caput, à quo ipsa divinitas divinorum omnium, quæcunque sunt ducitur: supervacuum putamus personas ire per singulas: cum & ipsi, qui sint, & quæ habeant nomina, nesciamus: & cujus sunt præterea numeri, neque liquidum, neque comprehensum, nec exploratum habere possimus. Atque ut in terrestribus regnis necessitate nulla compellimur, regalibus in familiis constitutos nominatim cum principibus adorare, sed in regnum ipsorum cultu, quicquid illis annexum est, tacita vi se sentit honorificentia comprehendi: non alia ratione (quicunque hi dii sint) quos esse nobis proponitis: si sunt progenies regia, & principali oriuntur è capite, etiamsi nullos accipiant nominatim à nobis cultus, intelligunt se tamen honorari communiter cum suo rege, atque in illis venerationibus contineri. Et hoc quidem à nobis ita fuerit prolatum, si modo liquet & constat præter ipsum regem & principem esse non alia capita, quæ digesta & separata per numerum, velut quendam populum plebeiæ multitudinis faciant.

Ethnicorum innumera idola & imagines.

Porro Deorum istorum innumerabilium innumera Gentiles habuerunt idola, simulacra, imagines, effigies atque statuas, easque multiplicis & materiæ & formæ, quas non secus ipsi atque Deos ipsos divinis coluerunt honoribus. Et fuerunt hæc idola illis, tanquam Dii quidam ἐντεχνικοὶ, χειροποιητοὶ, artificiosi, hominum nimirum artificio, ope atque manu elaborati, unde *Opera manuum* sæpissime in sacris litteris appellantur.

Christianorum imagines. 1. Christus.

Pro his nos Christiani vivas habemus verasque Dei imagines. Prima quidem & principalis Dei imago est, Christus, Dei filius unigena, qui, ut Paulus loquitur ad Coloss. 1. est εἰκὼν θεῦ ἀοράτυ, id est, *imago Dei invisibilis*, &, ut idem Apostolus ait ad Hebr. 1. ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτῦ, id est, *splendor gloriæ & character*, id est, *expressa effigies & imago substantiæ ipsius*. Sic ad Philip. 2. dicit Christum, cum esset ἐν μορφῇ θεῦ, *in forma Dei, non rapinam duxisse, esse similem Deo, sed formam servi sumpsisse*, ἐν ὁμοιώματι, id est, *in similitudine factum hominem, &* ἐν σχήματι, id est, *figura, inventum, tanquam hominem*. Hanc imaginem assidue intueri, nobis ante mentis nostræ oculos proponere, colere denique, atque venerari debemus. Deinde meminisse nos assidue & recordari decet, primos nostros parentes fictos à Deo atque formatos fuisse ad Dei imaginem atque similitudinem, qua quidem, suâ culpâ, suâ perfidiâ & apostasiâ, amissa, & ipsi & nos eorum posteri, facti sumus Diaboli imago.

2. Fideles Christi σύμμορφοι.

At Deus nos pro infinita sua misericordia prædestinavit συμμόρφυς τῆς εἰκόνος τῦ υἱῦ αὐτῦ, ut Paulus testatur ad Rom. 8. id est, conformes fieri imagini sui filii, ut ipse sit primogenitus, id est, primas, seu principatum tenens, inter multos fratres. Quamobrem, ut idem Paulus nos fidelissimè monet & consolatur 1. Cor. 15. Quemadmodum portavimus imaginem terreni hominis, sic portabimus imaginem hominis cœlestis, id est, Christi, &, ut idem inquit 2. Cor. 3. nos omnes facie apertâ Domini gloriam, tanquam in speculo intuentes, κατοπτριζόμενοι, in eandem imaginem, Christi scilicet, μεταμορφύμεθα, transformamur à gloria in gloriam, tanquàm à Domini spiritu.

3. Universus Mundus. 4. Sacræ litteræ.

Præterea universus hic Mundus atque Natura, & singulæ creaturæ, maximæ, mediæ, minimæ clarissimæ sunt Dei invisibilis imagines. Denique splendidissimum & illustrissimum Dei simulachrum sunt sacræ litteræ & sacramenta; in quibus Deus, & Christus, verus Deus atque homo ad vivum exprimitur vivisque colo-

coloribus depingitur, secundum illa Pauli ad Gal. c. 3. οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος, id est, *quibus Christus Jesus, inter vos crucifixus, ante oculos est descriptus atque depictus.* Hæ sunt veræ, vivæ, solidæque divinæ majestatis voluntatisque imagines: quibus adde illa Arnobii lib. 3. adversus Gentes: *Neque vobis in ædibus sacris effigies prō Diis, & illa simulacra velitis ostendere: quæ intelligitis vos quoque, & renuitis confiteri, vilißimi esse formas luti, & fabrorum figmenta puerilia, & cum dē re loquimur vobiscum divina, hoc ut ostendatis exposcimus esse Deos alios natura, vi, nomine: non in simulacris propositos, quos videamus, sed in ea substantia, in qua conveniat æstimari tanti esse nominis oportere virtutem.*

Arnobius de imaginibus Christianorum.

Ethnicorum peregrinationes ad idola.

Nec vero Ethnici contenti patriis & præsentibus suis Diis atque idolis, peregrinationes præterea arduas, difficiles & periculosas, maximis cum molestiis, laboribus, sumtibus, vitæque periculis susceperunt in loca peregrina & longinqua, ad certorum Deorum templa, idola atque oracula, eos nimirum consulendi, comprecandi, gratiamque eorum sibi conciliandi gratia. Sic Israëlitas quoque legimus post apostasian illam à rege & religione avita, Ethnicorum exemplo & imitatione, ad aureos illos vitulos, ad Baalim, aliaque idola Dan, Bethel, Gilgal, Bethaven, Beerseba (quod Prophetæ illis sæpe exprobrant) atque etiam extra regionem Israëlitarum ad aliarum quarumvis Gentium idola Deosque cucurrisse, eos illis in locis comprecandi venerandique gratia. At nos Christiani unum verumque nostrum Deum, tanquam Spiritum immensum, infinitum & omnipræsentem, passim & ubique locorum, secundum fidelissimam ipsius Christi admonitionem, in spiritu & veritate rectè adoramus. Sic Paulus quoque hortatur & præcipit 1. Tim. 2. ut omni in loco sublatis sanctis manibus supplicemus Deo. Cogitandum etiam nobis sæpenumero, omnem nostram vitam in hoc seculo esse quasi perpetuam quandam peregrinationem à Domino, nosque in hoc mundo peregrinos esse & viatores: unde vera fide atque spe toto pectore ad cœlestem & æternum illum Patrem atque patriam anhelare, aspirare atque contendere debemus.

Christianorum peregrinatio in Spiritu & veritate, omni loco.

Ethnicorum cultus religiosus vanus.

Christianorum cultus verus.

Porro falsos & fucatos hosce suos Deos, sive naturales, sive artificiales coluerunt partim interne, hoc est, animo, mente, affectu, amore, spe, fiducia vana & inani: partim externè, innumeris cum rebus externis & corporeis, tum ritibus, gestibus & cærimoniis, de quibus suprà. Nos autem Christiani non Deos alienos, sed verum Deum, tanquam spiritum invisibilem & immensum colimus, atque veneramur; & quidem colere atque venerari debemus, autore Christo, in spiritu potissimum & veritate, toto animo, tota mente, toto corde & affectu, verā vigentique fide, spe & charitate. Externe autem adulterinos & ficulneos illos suos Deos superstitiosissime coluerunt partim rebus, donis atque muneribus quibusdam externis & corporeis, partim certis quibusdam ritibus, gestibus atque cærimoniis.

Ethnicorum victimæ & oblationes.

Christianorum victima.

Res quibus Deos suos honorarunt, quasque illi obtulerunt (quæ sacrificia, oblationes, offerimenta, dona sive donaria, anathemata & aliis nominibus fuerunt appellata) aliæ quidem fuerunt animatæ: aliæ inanimes: Animatæ; ut animalia, plantæ: Animalia vero, quæ Diis suis obtulerunt & immolarunt, fuerunt alia ratione utentia, ut Homines: alia rationis expertia: quæ animalia sive animantia bruta appellantur: quorum alia fuerunt aërea, seu volatilia, alia terrestria, alia aquea, alia amphibia. Pro innumeris ergo istis sive hominum, sive animalium brutorum sacrificiis, hostiis atque victimis Ethnicis, unicum habemus (ut uno verbo atque generatim dicam) Christi sacrificium, Christi hostiam atque victimam, semel in ara crucis oblatam, quæ ad universi generis humani salutem sufficiens est, satisque idonea: secundum illa Pauli Eph. 5. *Sicuti & Christus nos amavit & tradidit semetipsum pro nobis* προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, id est, *oblationem & victimam pro nobis in odorem fragrantiæ*, id est, fragrantissimum, Deo sacratissimum & gratissimum. Hoc est sacrificium vere sacrum, vere sanctum, vere proinde sacrosanctum, quod Christus ipse per se, sine cujusquam alterius ope & auxilio fecit: in quo simul & hostia fuit & sacerdos. Hoc demum sacrificium vere & hostia & victima potest appellari, quippe quo solo semelque facto omnes Dei hominumque hostes, tam visibiles quam invisibiles, ut peccatum, ira Dei, legis maledictio, mundus, caro, diabolus, mors, infernus, victi, victi, atque prostrati fuerunt.

Ethnicorum ἀνθρωποθυσίαι inhumanissima.

Christianorum ἀνθρωποθυσία charitatis plenissima.

Humana illa Gentilium sacrificia, quæ & antiqua & pervulgata fuisse legimus, fuerunt immanissima, ab ipsa lege naturæ, omnique humanitate abhorrentia. Ipsi quoque parentes, depositā abjectāque naturali illā suā φιλοστοργίᾳ, exutā omni humanitate, non dubitarunt suos liberos, viscera atque pignora sua charissima Diis illis suis, seu dæmonibus potius mactanda miserrime atque cremanda offerre. O scelus horrendum, immane, detestandum ac inexpiabile! Sed quemadmodum sacrificiorum istorum immanitatem merito detestamur & exsecramur: sic contra Patris illius nostri cœlestis charitatem satis admirari non possumus, qui filio illi suo unigenito & charissimo non pepercit, sed eum pro nobis, nobis inquam, suis inimicis morti, & quidem morti gravissimæ, acerbissimæ, ignominiosissimæque tradidit, secundum illa Christi verba: *Sic Deus dilexit Mundum, ut filium suum unigenitum traderet pro Mundo, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Verum ut Patris, ita Filii quoque ipsius incredibilem amoris erga nos vim ac magnitudinem assidue, gratā memorique mente, nos homunciones mortales, qui ejus quoque inimici eramus, colere, recolere, volvere atque revolvere debemus, de quo ille ductus semetipsum pro nobis obtulit, corpus animumque suum humanum crudelissime affligi & excruciari, crucis denique supplicio horrendo mactari passus est pro nostra salute. Fuit hoc illius sacrificium immane quidem & inhumanum, si cruciatus, tormenta, crucem atque mortem, item eorum, qui his tormentis atque suppliciis eum affecerunt, sævitiam, crudelitatemque spectes: sed fuit simul illud sacrificium, vere humanum, quod à Christo, ceu vero homine, nobis consubstantiali & animo & corpore pro humani generis salute factum est. Fuit etiam sacrificium humanissimum, quia ab infinita illa Dei patris atque filii φιλανθρωπίᾳ seu charitate erga genus humanum profectum est.

Quan-

Quantum vero ad illa animalium pecorumque sacrificia attinet, quæ varia fuerunt & multiplicia secundum diversa animalium genera (de quibus supra) illis omnibus opponimus hoc unicum Christi sacrificium, qui non Hecatombas, non Chiliombas, non alia animalia atque pecora, sed seipsum: seipsum, inquam, pro generis humani salute Deo patri suo cœlesti libentissime patientissimeque obtulit. Legimus apud quosdam Indiæ populos solitos fuisse nonnullos furore quodam seipsos Diis suis, eos nimirum placandi gratia, mactandos offerre. At Dei filius non quodam furore, sed ardentissimo erga Deum genusque humanum amore adductus & impulsus seipsum, iræ divinæ placandæ generisque humani redimendi gratia, Patri suo cœlesti in odorem suavitatis obtulit. Loco ζωοθυσίας variæ Ethnicorum. Christiani unicum Christi sacrificium habent.

Sumptuosissimorum pretiosissimorumque sacrificiorum ex omni animalium genere exempla passim occurrunt in profanis litteris. Ex quibus colligimus miseros illos Gentiles nullis vel laboribus vel sumtibus in falso illo falsorum Deorum suorum cultu pepercisse: qui tamen illis non salutem, sed mortem potius & exitium sempiternum peperit. Quanto igitur majori studio, zelo, sedulitate, labore atque opera nos in unius veri Dei vero, justo, legitimoque cultu versari, & illud Christi sacrificium salutiferum, quod non sine sudore & sanguine factum est, dies noctesque meditari decet: unde vita nobis & salus æterna parta est.

Inter alia animalia, quæ Gentiles falsis fictisque illis suis Diis immolarunt, fuit Agnus, qui Festo autore, à Græcis ἁγνὸς dicitur, quod *castum* significat: eo quòd hostia sit pura & immolationi apta, vel, ut ibidem addit, à Græco ἀμνὸς deduci videtur, quod nomen apud Majores communis erat generis. Usitatissimum fuit hoc sacrificii genus apud Gentiles. Unde Plinius lib. 8. cap. 47. Magna & pecori gratia vel in placamentis Deorum, vel in usum vellerum. Sed revera illi Gentilium agni, quos fictis illis suis Diis sacrificarunt, non fuerunt ἁγνοὶ sive ἅγιοι, id est, *casti*, sive *sancti*, sed polluti potiùs & contaminati in conspectu Dei. At nobis Christianis Christus est agnus ille Dei, qui tollit peccata Mundi, quemadmodum Johannes Baptista, ejus πρόδρομος, id est, *Pravius*, seu *Præcursor*, digito suo illum demonstrando locupletissime testatus est. *Christus est Agnus ille occisus ab origine Mundi, habens librum vitæ, cui inscripta sunt nomina sanctorum*, de quo Apoc. 13. Christus est Agnus ille stans in medio throni cœlestis, tanquam occisus, septem præditus cornibus, & septem oculis, qui sunt septem spiritus missi in omnem terram: quibus cornibus & oculis immensa ejus cum potestas, tum sapientia designatur. Is est, qui accepit è dextera Patris sui, sedentis in throno, librum scriptum intus & à tergo, & septem signatum sigillis, quem nemo præter ipsum aperire & resignare potuit, hoc est, qui patefaciat simul & exsequatur mysteria atque judicia divinæ providentiæ. Hunc Agnum quatuor animalia, & viginti quatuor seniores, coram illo prostrati, hoc est, universa Ecclesia novo celebrat carmine, dicens: *Dignus es, accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo, per sanguinem tuum, ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione, & fecisti nos Deo Reges & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Eundem Angelorum quoque myriades canunt & celebrant magnâ voce, dicentes; *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem & gloriam & benedictionem.* Hunc denique Agnum cum Patre laudant & celebrant omnes creaturæ cœlestes, terrestres, subterraneæ, maritimæ, tribuentes utrique honorem, gloriam & potestatem in secula seculorum, de quo, ut ejus sanguine, electis, nuptiis, sponsa vitæ, vide plura Apoc. cap. 5. 11. 12. 14. 19. & 21. quæ omnia mysteriorum saluberrimorum sunt plenissima. Hic Agnus appellatur *Leo de tribu Juda, victor, radix David*, Christus est ἀμνὸς ἄμωμος καὶ ἄσπιλος, προεγνωσμένος μὲν πρὸ καταβολῆς κόσμου: φανερωθεὶς δὲ ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων δι' ἡμᾶς τοὺς δι' αὐτοῦ πιστεύοντας εἰς θεόν: *Agnus maculæ labisque omnis expers, præcognitus quidem ante jacta Mundi fundamenta: patefactus vero in extremis temporibus propter nos per ipsum credentes in Deum*: cujus sanguine pretiosissimo, ut addit, *auro & argento quovis pretiosiore redemti sumus ex vana nostra conversatione*, id est, vitæ consuetudine πατροπαραδότου, id est, *à Patribus tradita*, & ad nos usque propagata, ut Petrus testatur Epistola sua priore, cap. 1. Ethnicorum ἀγνοθυσία. Christianorum ἀγνοθυσία.

Apud Gentiles fuit præterea certum sacrificii genus (quod quoniam ejus supra mentio facta non est, hîc silentio non est prætermittendum) τριττύα Græce & βούπρωρος appellatum, de quo Eustathius in Homerum *Odyss.* Δ. & Λ. Ac τριττύα quidem fuit dictum à tribus animalibus, quibus constabat, nempe duabus ovibus & bove, teste Epicharmo: vel bove, caprâ & ove: vel, ut alii volunt, capro, hirco & tauro. Sic enim alia quoque nonnulla sacrificia ab animalium numero nomina fuerunt sortita, ut, exempli gratia, δωδεκὰς sive δωδεκηὶς dictum est sacrificium duodecim animalibus constans, *Hecatombe* à centum, *Chiliombe* à mille animalibus. Idem sacrificium dictum etiam est βούπρωρος, eo quod in eo bos reliqua animalia, non secus atque navis prora, præcedebat. Nobis autem Christianis Christus est ille, qui, ut Isaias de eo vaticinatus est, cap. 53. *ovis instar ad mactationem fuit ductus, & qui tanquam agnus coram tondente se obmutuit, & os suum non aperuit*, hoc est, nullam emisit vocem, indicem vel minimam ejus impœnitentiæ. Christus est agnus ille mansuetus, qui portatus fuit ad victimam, & non cognovit, quia cogitarunt super eum consilia, dicentes: *Mittamus signum*, &c. ut Jeremias cap. 12. multis ante seculis de eo cecinit. Christus est hircus ille, qui, conjectis in eum peccatis totius populi, non Baccho, sed Deo extra urbem pro peccatis fuit immolatus, de quo *Levitici* 16. & *Num.* 15. Ethnicorum sacrificium ex capro, hirco & tauro. Christianorum sacrificium ex agno & hirco, quod?

Sed ne, quod longum nimis foret & prolixum, singula animalium genera, quæ Gentiles Diis suis immolarunt, persequar: illorum quidem corpora, ex toto grege electa, ad aras adducere, coronare, vincire, immolare, mactare, cædere, jugulare, excoriare, membratim dissecare, tandemque vel tota, vel integra, vel certas illorum partes, in Deorum suorum honorem concremare consueverunt: de quo supra pluribus. Pro infinitis illis animalium corporibus nos Christiani Christi habemus corpus: corpus, inquam, electum, eximium, purum, putum, sacrosanctum, quod, ut ipsemet Christus in sacrosanctæ suæ Cœnæ institutione locutus est Ethnicorum corpora ad sacrificia destinata qualia? Christianorum quæ corpora ad sacrificium destinata? 1. Corpus Christi.

eſt, pro nobis fuit traditum: hoc eſt, quod pro nobis captum, vinctum, ab uno tribunali & judice injuſto, ad alterum raptum, conſputum, flagellatum, corona ſpinea ſauciatum, horrendis miſerandiſque modis à vertice capitis ad plantas uſque excruciatum ac deformatum fuit. Hoc ipſum corpus jam fere exſangue & exanime, gravi crucis onere ei impoſito; extra urbem, tanquam κάθαρμα, ad locum ſupplicii, Golgotha dictum, quaſi ad macellum quoddam ductum, veſtibus per ludibrium & contumeliam ſummam exutum, nudum, cruci affixum, atque poſt multos cruciatus enecatum fuit. Ex hoc ipſo autem corpore, vere licet mortuo, & militis cujuſdam lanceâ confoſſo ſanguis & aqua (ô miraculum ac myſterium ingens!) profluxit, hoc eſt, ut uno verbo dicam, peccatorum remiſſio, vita & ſalus in univerſum genus humanum redundavit. Unde Petrus Epiſt. 1. cap. 2. *Corpore ſuo ſuper lignum pertulit peccata noſtra, ut peccatis mortui juſtitiæ viveremus, cujus vibice ſanati ſumus.* Hoc ipſum Chriſti corpus ſepultum, & ad vitam revocatum, ad cœleſtes illas ſedes evectum, nunc glorioſum & clarificatum ſedet ad dextram Patris, cui noſtra quoque corpora tandem reddentur conformia, ſecundum illa Pauli verba ad Philip. 3. cap. *Chriſtus*, inquit, *corpus noſtræ* ταπεινώσεως, id eſt, *humile & abjectum*, μετασχηματίσει *transfigurabit*, *& reddet* σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, *conforme corpori gloriæ ſuæ*, ſeu *glorioſo*. Hoc ipſum igitur Chriſti corpus, vere Σῶμα, hoc eſt, ζωὴ καὶ σωτηρία, *vita & ſalus* noſtra poteſt appellari, quod nobis fide manducandum in ſacra illa ſynaxi panis ſymbolo porrigitur. Unde panem illum, quem frangimus, Paulus κοινωνίαν corporis Chriſti appellat 1. Cor. 10. Sed Chriſti quoque corpus myſticum eſt, & appellatur Eccleſia, cujus ipſe eſt caput, Eph. 1. 4. 5. 1. Cor. 11. Meminerimus ergo & cogitemus aſſidue, qui nos Chriſtianos profitemur, nos Chriſti eſſe corpus, in unum nos omnes baptizatos eſſe corpus & ſpiritum, ut Paulus ait 1. Cor. 10. nos Chriſti eſſe membra: unde memores ſemper ſimus atque ſtudioſi cùm puritatis atque innocentiæ, tum obedientiæ erga Chriſtum, tum charitatis mutuæ ac ſinceræ erga nos invicem. Poſtremo cum Chriſtus corpus ſuum pro ſalute noſtra tradiderit, & obtulerit in ara crucis, nos quoque εὐχαριστίας ergo (ſicuti Paulus nos per Dei miſerationes obteſtatur) corpora noſtra debemus παραστῆσαι θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ, τὴν λογικὴν λατρείαν ἡμῶν, id eſt, *ſiſtere hoſtiam vivam, ſanctam, acceptam Deo, tanquam cultum noſtrum rationalem.*

2 Corpus Eccleſiæ.

3 Corpora ſingulorum fidelium.

Ethnicorum carnes ſacrificiales impuræ: Chriſtianorum vero ſacrificalis, non pe Chriſti, puriſſima.

Porro & carnes animalium mactatorum Gentiles partim igni comburere atque conſumere, partim comedere in ſacrificiis ſuis fuerunt ſoliti: quæ quidem carnes Deo fuerunt exoſæ, inviſæ & exſecrabiles. At nos Chriſtiani pro putridis illis Gentilium carnibus Chriſti habemus carnem puriſſimam & vivificam; de qua Chriſtus ipſe multa præclare diſſeruit, in illa quondam clariſſima urbe Capernaum, ut Johan. 6. ſcriptum eſt. Idem Evangeliſta cap. 1. λόγος (inquit) σὰρξ ἐγένετο, id eſt, *Verbum illud, quod fuit in principio, quod fuit apud Deum, quod eſt Deus, factum eſt Caro*: cui reſpondent illa Pauli 1. Tim. 1. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, id eſt, *Deus apparuit*, ſive *manifeſtatus eſt in carne.* Et, ut idem ſcribit ad Hebr. 2. *Quoniam pueri participes fuerunt carnis & ſanguinis, ipſe* (Chriſtus) *ſimiliter factus eſt particeps eorundem, ut per mortem enervaret atque convelleret eum, qui mortis habuit poteſtatem, hoc eſt, Diabolum, & redimeret eos, qui mortis formidini per totam vitam fuerunt obnoxii.* Quicunque igitur, ut Johannes Epiſt. 1 cap 4. teſtatus eſt, confitetur Jeſum Chriſtum veniſſe in carne, is ex Deo eſt: & omnis ſpiritus, qui non confitetur Jeſum Chriſtum veniſſe in carne, ex Deo non eſt. Hanc ſuam carnem, quam aſſumſit, dedit ſcilicet excarnificandam & enecandam pro mundi vita. Hæc igitur Caro eſt panis, vereque cibus, ut Chriſtus ipſe loquitur, quam niſi ederimus non poſſumus habere vitam in nobis. Contra, qui hanc Chriſti carnem edit, bibitque ejus ſanguinem, vitam habet æternam, manetque in Chriſto, & Chriſtus in ipſo, qui eum excitabit in extremo die. Atque horum quidem omnium Chriſtum teſtem habemus & doctorem locupletiſſimum & veriſſimum Johan. 6. Hæc ipſa igitur caſtiſſima Chriſti Caro, tanquam ſalutis noſtræ cauſſa unica, cariſſima nobis eſſe debet. Hujuſce carnis, tanquam panis atque cibi veri, vereque ſalutaris, ſimus quaſi helluones, hoc eſt, avidi ſemper & appetentes, illam eſuriamus, illam manducemus, quâ ſolâ ad vitam æternam paſci atque ſatiari poſſumus. Hæc Chriſti caro facit, ut ſimus caro de carne ejus, os de oſſibus ejus: eſtque hæc puriſſima Chriſti caro putidiſſimæ corruptiſſimæque noſtræ carnis optima medicina. Quemadmodum autem Chriſtus puriſſimam illam ſuam Carnem pro Mundi vita & ſalute dedit, Patrique ſuo obtulit, illam multis modis excruciari, crucifigi ac tandem enecari paſſus eſt: ſic nos impuram noſtram carnem crucifigere atque mortificare debemus, ſecundum illa Pauli ad Gal. 5. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Et Sanctus Petrus 1. Epiſt. cap. 4. Χριστοῦ οὖν παθόντος ὑπὲρ ὑμῶν σαρκί, καὶ ὑμεῖς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε, ὅτι ὁ παθὼν ἐν σαρκί, πέπαυται ἁμαρτίας, εἰς τὸ μηκέτι ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις, ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ τὸν ἐπίλοιπον ἐν σαρκὶ βιῶσαι χρόνον. Atque hæc ipſa quidem carnis noſtræ, hoc eſt, naturæ impuræ & corruptæ, crucifixio & mortificatio & ſpiritus vivificatio (quæ una eſt, ſolidaque pœnitentia) ſacrificium eſt Deo gratiſſimum.

Ethnicorum ſanguines ſacrificiales impuri.

Chriſtianorum ſanguis, videlicet Chriſti puriſſimus.

Præterea ut carnes, ſic ſanguines quoque illi hoſtiarum Gentilium impuri fuerunt & immundi, ita ut non tam ſanguines, quam ſanies quædam purulentæ, putridæ ac putidæ dici meruerint. Quamvis igitur illis ſanguinibus, quibus altaria, ſimulacra, ſeipſos aſpergere, nonnunquam fuerunt ſoliti, ſanctificandi, expiandi, luſtrandi, divinandi, fœdera ſanciendi vim tribuerunt: tamen revera nihil fuerunt aliud, quam ſanguines, hoc eſt (in qua quidem ſignificatione ſæpe in Sacris Litteris nomen hoc uſurpatur) tetra & nefaria quædam ſcelera atque flagitia. Pro illis igitur Gentilium ſanguinibus atque cruoribus impuris & immundis nos Chriſtiani Chriſti habemus ſanguinem ſanctiſſimum & puriſſimum, qui plene nobis cumulateque ad ſalutem noſtram præſtitit omnia illa, quæ Gentes impuris illis ſacrificiorum ſuorum ſanguinibus affinxerunt. Nam, ut Johannes inquit Epiſt. 1. cap. 1. Sanguis Jeſu Chriſti, filii Dei, καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, purgat

gat & emundat nos ab omni peccato. Sic Apocal. 1. *Christus dilexit nos,* καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἐκ τῶν ἁμαρτιῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, *& lavit nos à peccatis in sanguine suo:* ἵνα ἁγιάσῃ διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος τὸν λαὸν, *ut sanctificaret populum,* quemadmodum Paulus testatur ad Hebr. 12. cap. itemque nono, in hunc modum: Ἐν αἵματι πάντα καθαρίζεται κατὰ τὸν νόμον, *in sanguine omnia purificantur secundum legem.* Sic ad Col. cap. 1. Ἐν ᾧ (scilicet υἱῷ) ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν: *in quo (filio Dei) habemus redemtionem per sanguinem, remissionem peccatorum.* Quibus respondent illa ejusdem Apostoli ad Eph. cap. 1. Ἐν ᾧ (Χριστῷ) ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων: *in quo* (Christo) *habemus redemtionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ divinæ.* Et hæc Hebr. 9. χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις, *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Ibidem Christi sanguinem conferens cum sanguine taurorum & hircorum & cum cinere juvencæ: *Quanto magis,* inquit, *sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo* (καθαριεῖ) id est, *purgavit conscientiam nostram à mortuis operibus ad serviendum Deo vivo*, quo toto capite, sicut & decimo, comparatione illa docet atque demonstrat, quanta sanguinis Christi nos sanctificandi, à peccatis purgandi, pacem fœdusque nostrum cum Deo sanciendi, Deumque nobis propitiandi vis atque virtus. Sic Christus: *Hic*, inquit, *est sanguis novi Testamenti, qui effusus est pro multis in remissionem peccatorum.* Hoc Christi, tanquam Agni immaculati & incontaminati, sanguinis pretiosi redemti sumus, ut Petrus ait, Epist. 1. cap. 1. Eodem in loco ῥαντισμὸν, id est, *aspersionem sanguinis* Jesu Christi opponit sanguinis brutorum animalium aspersionibus. Hoc crucis Christi sanguine in cruce profuso, Paulus ad Colos. dicit, Deum placasse atque pacasse tam ea, quæ in cœlis sunt, quam quæ in terris: & idcirco, ut idem Apostolus ad Hebræos ait, *Aspersio sanguinis Christi melius loquitur, quam Abelis sanguis.* Hoc Christi sanguine nos justificari Deoque reconciliari docent illa Pauli verba ad Rom. 3. *Qui justificamur gratis ejus gratia per redemptionem in Christo Jesu, quam proposuit Deus propitiatorium per fidem in ejus sanguine.* Et cap. 5. *Multo igitur magis justificati, nunc in sanguine ejus servabimur ab ejus ira.* Idem ad Col. 1. *Hic Christi sanguis,* ipso teste, *vere est potus (ut ejusdem caro vere est cibus) quem qui bibit, vitam habet æternam, manetque in Christo & Christus in ipso.* Hujusce sanguinis κοινωνία, id est, *communio*, sive *communicatio*, est calix seu poculum illud Dominicum, Paulo teste, 1. Cor. 11. Hic denique sanguis is est, cujus Johannes meminit, priore Epist. 5. cap. *Christus venit per aquam & sanguinem.* Idem: *Tres testes in terra, spiritus, sanguis, aqua.* Hujus etiam Agni, id est, Christi, sanguine Martyres Apoc. 7. stolas suas dicuntur dealbâsse. His divinis sanguinis Christi elogiis addatur illud Cypriani pulcherrimum ejusdem sanguinis encomium in epistola ad Fortunatum de duplici martyrio, unde mirificam quivis, qui peccatorum suorum conscientiâ & iræ judiciique divini metu anguntur, consolationem haurire possunt: *Nimirum,* inquit, *hoc est efficax illud sacrosancti sanguinis testimonium, dicens*, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. *Plus est tollere peccatum, quam peccata: & peccatum non hujus aut illius, sed mundi. Corpus enim peccati mundum universum occuparet, hoc per Christum esse sublatum, sanguis ipsius pro nobis effusus, reddit evidens testimonium, melius pro nobis loquens, ut inquit Apostolus, quam sanguis Abel. Siquidem ille clamans, pacem loquitur & reconciliationem. Quin idem sanguis quia à nobis bibitur, si modo digne bibitur, clamat in cordibus nostris verba pacifica & solatii plena. Et hîc triplex est testimonium licet spirituale quodammodo. Clamat spiritus, qui nobis arrhabonis loco datus est. Abba pater testificans, quod sumus filii Dei: clamat aqua per quam renati sumus, quod condonata sunt nobis omnia peccata: etsi quis adhuc dubitat accedit sanguinis testimonium, calamitati. Quid adhuc hæsitas? quid apud te pavitas tyrannum Satanam? ecce precium, qui te redemit Dei filius. Nisi te salvum voluisset Deus, non tradidisset unigenitum suum in mortem. Nemo majorem charitatem habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. Si non est majus eximiæ benevolentiæ testimonium, quam si quis vitam impertiat, amico gravius est Dominici sanguis testimonium, qui pro inimicis effusus est. Effusus pro inimicis fecit amicos ac filios Dei, atque ut consideremus hanc fore perpetuam amicitiam, reliquit nobis edendam carnem suam, reliquit bibendum sanguinem, ut per eadem aleremur, per quæ sumus redempti. Sanguinis adspersione confirmatum est vetus Testamentum, quemadmodum Hebræis scribens præclare docet beatissimus Paulus: Christi sanguine consignatum & corroboratum est novum Testamentum, hoc est, Testamentum & pactum gratiæ & remissionis peccatorum, per sanguinem agni immaculati, qui in se recipere dignatus est totius mundi peccatum, quod omnes ex Adamo contrahunt, qui prodeunt in hanc vitam & cujus contagio peccant quicunque peccant.* Christi ergo sanguis sanctissimus (ut hoc postremo addam) multifariam pro nobis præsertim in ara crucis profusus, quique nobis per spiritum sanctum per Verbum, per Sacramenta aspergitur, & ad potandum propinatur, fideque à nobis percipitur, omnes impuros nostros sanguines, hoc est, peccata eluendi expiandique per fectam vim obtinet.

Cyprianus de sanguine Christi.

Sed & Animalium immolatorum coxas sive femora exsecta, & adipe sive pinguedine obducta, in ignem Ethnici (ut supra dixi) porricere atque concremare in Deûm suorum honorem consueverunt. Nos contra spretis contemptisque istis superstitionibus sæpe meditemur illud Christi femur, in quo, ut Apoc. cap. 19. legimus, inscriptus fuit augustissimus ille titulus, REX REGVM ET DOMINVS DOMINANTIVM: qui cum majestatis Christi, tum justæ debitæque nostræ obedientiæ, &, quod est consequens, nostræ salutis est symbolum.

Ethnicorum femora superstitiosa.

Christianorum femur verum.

Linguas præterea hostiarum suarum, peracto sacrificio, in Mercurii honorem superstitiose concremarunt, antequam discederent ac somnum caperent. At nos Christiani, non Mercurio, sed soli Deo linguas, ut & reliqua corporis nostri membra, consecrare, linguas nostras coërcere & refrænare, easdemque brutas, belluinas, & impuras S. Spiritus igne exurere atque purgare debemus.

Ethnici linguas Mercurio offerre soliti.

Christiani eas soli Deo consecrant.

Quid

Ethnici pilos etiam Diis offerre soliti. Christianorum quæ consideratio pilorum.

Quid dicam, quod pilos quoque ex hostiarum suarum capite evulsos, ceu primitias quasdam Diis suis consecrare, & in ignem conjicere atque comburere consueverunt? de qua similiter cærimonia futili atque superstitiosa supra dictum. Nos vero Christiani pilos istos pecorum, hostiarumque Gentilium ne pili quidem facientes, cogitemus sæpe, capitis nostri pilos quoque, ut Christus testatur, à Deo patre nostro cœlesti esse numeratos, ei esse cordi, ut nullus eorum sine ejus voluntate in terram decidat. Meditemur etiam illos Christi capillos, lanæ atque nivis instar candidos, quorum in illa Christi prosopographia Apoc. cap. 1. fit mentio: qui partim candoris, id est, puritatis & innocentiæ Christi, partim remissionis nostrorum peccatorum symbola sunt: quo accommodari possunt illa verba Isaiæ cap. 1. *Si peccata vestra fuerint, quasi coccinum, tanquam nix dealbabuntur: et si fuerint rubra instar vermiculi, erunt tanquam lana.* Ac meo quidem judicio non inepte & absurde per illos Christi capillos pii ac fideles possunt intelligi, qui Christi, tanquam capitis, sunt quasi pili: qui pilis licet viliores in hoc Mundo censeantur: tamen Christus illos habet in numero, illorum curam gerit, eos sancti sui Spiritus gratiâ nive atque lanâ candidiores reddit.

Ethnici partes hostiarum etiam offerre soliti. Christianorum partes internæ quæ consideranda?

Nec vero partes tantum hostiarum externas, sed etiam internas, ut viscera, intestina, præcordia, exta, Diis suis consecrabant. Illa enim studiose curioseque intueri, rimari, atque scrutari, ex iis de rebus futuris prædicere, ea coquere, cocta prosecare, prosecta in aram focumve porricere, hoc est, projicere atque ita comburere solebant: qua cærimonia magnam se putabant à Diis suis inire gratiam. Unde exta hæc sua vocabant *Lustralia.* Nobis contra Christianis viscera atque præcordia Dei patris cœlestis, & Filii ejus unigeniti, diligenter, assidue attenteque sunt consideranda & contemplanda cum ad doctrinam, tum ad consolationem nostram, secundum illa Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei visitavit nos Oriens ex alto,* hoc est, Christus Dei filius, Sol ille justitiæ, ex alto, id est, è cœlis oriens, nos miseros homunciones pro intima, & quasi viscerali Dei patris misericordia (quæ σπλάγχνα Ἰησοῦ Χριστοῦ appellat Paulus ad Philip. 1.) visitavit, in carne venit, ad nos scilicet redimendos. Viscerum Christi crebra in Euangelio fit mentio: quorum assidue meminisse debemus, quibus visceralis, & cordialis, ita loquar, hoc est, summa & infinita ejus erga genus humanum charitas atque misericordia designatur. Hæc exta sunt vere lustralia, quibus lustramur: hæc sunt certissima æternæ nostræ salutis præsagia atque indicia: hujusmodi σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, *viscera misericordiarum,* nos quoque debemus ἐνδύσασθαι, id est, *induere,* Christi videlicet exemplo & imitatione misericordes esse, benigni atque benefici erga proximum: non συγκλείειν τὰ σπλάγχνα, *præcludere viscera* nostra atque præcordia fratri, qui opis est indigus, sed ejus commiseratione tangi, eique opem ferre: ut nos Paulus hortatur Coloss. 3.

Ethnicorum hostiæ mactatæ mortiferæ. Christianorum hostia, nempe Christi mortui vere vivifica.

Et hæc de animalium sacrificiis, quæ non nisi animalibus vere mortuis, Diis suis placere, eosque placare existimabant. His igitur animalium, atque etiam hominum mactatorum mortes magnam Deos propitiandi & peccata expiandi vim habere sibi persuadebant, cum illa sacrificantibus contrà essent reverâ mortifera, hoc est, non vitam, sed mortem potius illis æternam adferrent. At nos Christiani solam Christi mortem credimus atque confitemur vitam nobis & salutem æternam peperisse, nosque morte illa æterna, quæ peccati est stipendium, liberasse. Unde Paullus 1. Thess. 5. *Mortuus est,* inquit, *Christus pro nobis, ut sive vigilamus, sive dormiamus, unâ cum illo vivamus.* Idem ad Rom. 5. *Christus pro nobis adhuc infirmis, & suis inimicis mortuus est. Si igitur cum essemus inimici, Deo reconciliati sumus per mortem filii ejus, multo magis, nunc reconciliati, servabimur in vita ejus.* Idem Apostolus Christi mortem nostram vocat ἀπολύτρωσιν, id est, *redemptionem,* ad Hebr. 9. Et ad Coloss. 1. Christi corpus, carnem atque mortem conjungens, iis Deo nos reconciliatos esse ait. Verba ejus hæc sunt: Ἀποκατήλλαξεν (scilicet Deus nos) ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ διὰ τοῦ θανάτου, hoc est, *reconciliavit nos in corpore carnis suæ* (corpore vere humano & mortali) *per mortem.* Sic idem Christum dicit factum esse obedientem Deo ad mortem usque: & quidem mortem crucis. Quemadmodum autem Christus pro nobis nostraque salute mortuus est: sic nos quoque peccatis mori, & justitiæ Deoque vivere, & mortem oppetere, ac vitam sanguinemque nostrum pro Christo profundere parati semper esse debemus.

Persæ carnem immolare nefas ducebant.

Persæ, ut supra ex Strabone & Eustathio diximus, non putabant fas esse Diis animalium corpora atque carnem immolare: quippe quos animalium tantum animá putabant esse contentos, & in ea acquiescere. At nos Christiani dicere possumus, Christum Dominum nostrum & corpus atque sanguinem & animam suam pro nobis Patri suo cœlesti obtulisse, secundum illa Joh. 1. Epist. cap. 3. *Justus animam suam pro nobis posuit.* Ut igitur corpus, sic animam quoque suam, vere humanam sanctissimam, multis doloribus, priusquam ex corpore ipsius sacrosancto excederet, angi, affligi, atque excruciari voluit; ut testantur illa ejus verba: *Anima mea contristata est, usque ad mortem.* Sic igitur & anima & corpore pro nobis pati voluit, ut perfectissimus esset & animarum & corporum nostrorum Servator.

Ethnici omnis generis plantas offerre soliti. Christianorum quæ sacrificia ex plantis? Tertullianus de sacrificiis primis.

Porro præter Animalia Ethnici Diis suis etiam è terris nascentia, hoc est, omnis generis plantas, ut herbas, gramina, flores, arbores, frutices, suffrutices, fruges atque fructus obtulerunt. Atque hæc quidem Gentes omnium antiquissima Diisque gratissima, ac prima censuerunt esse sacrificia, de quo Porphyrius libro 2. *de sacrificiis.* Nos in sacris Litteris prima sacrificia fuisse legimus Abelis & Caini, fratrum Germanorum: quorum unus, Abel nimirum, ex primogenitis sui gregis: Cainus ex fructibus terræ Deo munus obtulit: ac Abelis quidem munus, licet cruentum, tamen propter fidem Deo gratum fuit. Caini autem, quia malus erat ejus animus fideique expers, ei fuit odiosum: unde postea horrendum & immane illud fratricidium fuit consecutum. De utroque sacrificio sic scribit Tertullianus libro *adversus Judæos: Sic & sacrificia terrenarum oblationum, & spiritualium sacrificiorum prædicta ostendimus. Et quidem à primordio majoris filii, id est,*

id est, Israël, terrena fuisse in Cain praeostensa sacrificia: & minoris filii Abel, id est, populi nostri (Christiani) sacrificia diversa demonstrata. Namque major natu Cain de fructu terrae obtulit munera Deo: minor vero filius, Abel, de fructu ovium suarum. Respexit Deus in Abel & munera ejus: in Cain autem & munera ejus non respexit. Ex hoc igitur duplicia duorum populorum sacrificia praeostensa, jam nunc à primordio animadvertimus. Sacrificia carnalia veteris populi reprobata legimus Esai. 1. Mal. 1. Psal. 50. & alibi: quæ non nisi in terra promissionis & sancta offerre fas erat. Sacrificia autem non terrena, sed spiritualia novi populi novique Testamenti, quibus Deo litandum, sunt sacrificia laudis, vota (Psal. 50.) cor item contribulatum sacrificium Deo acceptabile (Psal. 49.) de quibus sacrificiis spiritualibus Malach. 1. *Et omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo.*

Ethnici Diis fictis, Christiani vero Deo plantas offerre soliti.

Ethnici autem ut certa animalium, sic plantarum quoque arborumque genera singulis Diis consecrarunt, de quo supra. Nos autem Christiani & animalia, & plantas, & omnia reliqua vitæ hujus bona atque subsidia, atque adeo vitam ipsam soli Deo vero, ceu bonorum omnium creatori & largitori unico acceptum merito referimus & consecramus. Herbas, quas Diis suis offerre, & in illorum cultu adhibere fuerunt soliti, vulgò & *Verbenas*, quasi *Herbenas*, & *Sabinas*, ἀπὸ τοῦ σέβειν, id est, *colendo*, per synecdochen appellarunt (cum tamen hæc ambo certarum herbarum sint nomina atque genera) & in his potissimum numerarunt myrtum, laurum, oleam, quæ amoris, victoriæ, pacis fuerunt symbola: quorum trium frequentissimus olim in sacris Gentium usus fuit. Nostra autem myrtus, laurus, olea, id est, charitas, victoria, pax (ut paucis multa complectar) est Christus.

Plantarum quis in sacrificiis Ethnicorum usus?

Hujusmodi autem herbis atque plantis, earumque partibus partim suffitus atque thymiamata, eas incendendo Diis suis fecerunt, partim iis templa, altaria, simulacra, victimas, se denique ipsos, in Deorum suorum honorem, conspergere atque ornare consueverunt.

Ethnicorum odores fœtidi.

Ac quantum ad odores & odoramenta, *thymiamata* Græcis dicta, attinet, Pagani ea, tanquam, ad Deorum suorum honorem cultumque maxime pertinentia, & quasi antiquitus ante animalium mactationes atque sacrificia usurpari solita, plurimi fecerunt, iisque maximam Deos placandi vim assignarunt. Verum omnes hujusmodi cum fœtidi & male olentes (cujusmodi fuerunt illi carnium, sanguinum, pilorum, fœmorum, viscerum, aliarumque hostiæ partium adustarum, seu combustarum nidores atque fumi) tum vel fragrantissimi & suavissimi quique ex herbis plantisque odoriferis, ex thure, ex costo, ex cinnamomo, ex myrrha, ex casia, ex starte & aliis id generis, suffitus & odores Deo ingratissimi fuerunt & odiosissimi. Nos contra Christiani firmissime credimus minimeque dubitamus, odorem, odoramentum atque thymiama Deo gratissimum nobisque salutiferum esse Christum ejusque sacrificium, qui, ut Paullus loquitur, παρέδωκεν ἑαυτὸν προσφορὰν, καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & sacrificium in odorem suavissimum & fragrantissimum.*

Christianorum odor Deo gratissimus. 1. Christus.

Ut igitur antiquissimum illud Noachi sacrificium, quod ex omni fere animalium mundorum genere post horrendum funestumque illud diluvium, Deo obtulit, ei dicitur fuisse sacrificium boni odoris: ita multo magis hoc Christi sacrificium (cujus illud Noachi sacrificium umbra quædam tantum fuit, seu adumbratio) qui non animalia, non homines, sed seipsum Deo patri suo obtulit pro Mundi vita, sacrificium fuit Deo suavissimi odoris, quo ille placatus est generi humano: cui propter peccata inimicissimus merito ac infensissimus fuerat. Hoc ipsum autem Christi & sacrificii ejus præconium sive prædicatio Evangelica, credentibus quidem; & iis, qui salvi fiunt, est εὐωδία, id est, odor bonus & suavis, & odor vitæ ad vitam, id est, vitalis & salutaris: non credentibus autem, & iis qui pereunt, odor est mortis ad mortem, id est, mortifer & exitialis, ut Paulus docet 2. Cor. 2. Unde hunc locum Gregorius Nyssenus scite admodum sic explicat: *Quemadmodum*, inquit, *unguenta columbis addunt robur: scarabæos autem necant: sic Christi & Evangelii de Christo divinus odor piis quidem est saluti: impiis autem exitio.* Huc quoque referri possunt illa *Cantici* quarto, ubi odor vestimentorum & unguentorum Sponsi, id est, Christi, dicitur suavitate sua superare quævis thura & aromata. Et 7. cap. ejusdem libri, Odor oris ejus dicitur esse quasi odor malorum. Propter hoc ipsum Christi thymiama & odoramentum Deo gratissimum, grata Deo sunt Christianorum quoque thymiamata spiritualia: cujusmodi sunt, Collectæ & eleemosynæ, hoc est, munera atque beneficia, quæ cum in sacrorum antistites legitimos & fideles, tum in pauperes & inopes conferuntur, ex misericordia profecta: unde etiam *eleemosynæ* ἀπὸ τοῦ ἐλέους appellantur. Sic Paullus ad Philipp. 4. hujusmodi dona atque munera vere pia, religiosa ὀσμὴν εὐωδίας, καὶ θυσίαν δεκτὴν, καὶ εὐάρεστον τῷ Θεῷ, id est, *odorem suaveolentem*, & *hostiam Deo gratam & acceptam* vocat. Unde idem ad Hebr. ult. τῆς δὲ εὐποιΐας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε, τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται, *Benificentiæ & liberalitatis*, inquit, *nolite oblivisci. Talibus enim sacrificiis placatur Deus.*

2. Præconium de Christo.

3. Christianorum bona opera.

Preces similiter piorum odores, odoramenta sive thymiamata Deo gratissima appellantur Apocal. 5. Unde etiam Paullus ad Hebr. 13. δι' αὐτοῦ, inquit, ἀναφέρομεν θυσίαν αἰνέσεως διὰ παντὸς τῷ θεῷ, τουτέστι καρπὸν χειλέων, ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, id est, *Per ipsum* (Christum scilicet) *offerimus sacrificium laudis semper & ubique Deo, hoc est, fructum labiorum* (Psal. 50. *vituli labiorum* vocantur) *confitentium nomini ejus.* Et hæc de thymiamatis seu odoramentis Gentilium sacris; quibus non incommode subnecti possent unguenta, atque coronæ sive corollæ.

Unguenta quæ Ethnicorum: & quæ Christianorum?

Gentes igitur varia habuerunt & multiplicia χρίσματα, *unguina*, sive unguenta sacra, pretiosa & odorata, quibus in personarum, templorum, altarium, & idolorum initiationibus & consecrationibus fuerunt usi. Nos Christiani χρίσμα nostrum habemus à Sancto Spiritu, ut Johannes Epist. 1. cap. 1. ait. Unde etiam nomen

nostrum habemus. Chrisma nostrum, hoc est, unguentum, sive unctio nostra est Spiritus sanctus & χρίσματα nostra sunt Spiritus sancti χαρίσματα, id est, *dona* atque *munera*, quibus initiamur, inauguramur, consecramur Deo. Unde Johannes loco illo citato: καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα, ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, ἐν ὑμῖν μένει. καὶ οὐ χρείαν ἔχετε ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς, ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων, hoc est, *Sed unguentum, quod accepistis ab eo* (Christo) *in vobis manet: & non opus vobis est, ut quis vos doceat: sed sicut illud ipsum unguentum sive unctio* (id est, Spiritus sanctus) *docet vos de omnibus.* Sic Christus, qui ab ipso unguento nomen habet, eodem Apostolo teste, in Evangelio promittit suis suum spiritum, ceu ductorem atque doctorem fidissimum.

Coronæ Ethnicorum. Coronarum similiter apud Gentes in sacrificiis, in ludis, in festivitatibus quibusvis maximus & frequentissimus usus fuit, de quo legere licet Tertulliani librum *de Corona militis.* Fuerunt autem coronæ illæ sacræ Gentilium antiquitus gramineæ, floreæ, herbidæ, ex graminibus, floribus, herbis, ex arborum frondibus, ramis, foliis, præsertim ex myrto, lauro, olea confici suerunt solitæ. Hisce autem coronis, sive corollis & idola, & sacerdotes, & altaria, & foci, & hostiæ ornari, decorarive consueverunt. Has etiam in ignem nonnunquam conjicere atque comburere fuerunt soliti. In *Actis Apostolicis* legimus Jovis sacerdotem, qui erat ante civitatem, unà cum populo tauros & στέμματα, id est, *coronas* attulisse, quos Paullo & Barnabæ, tanquam Diis, immolaret, quem impium ipsorum conatum sanctissimi illi Apostoli scissis vestibus, magna contentione represserunt. *Ipsæ denique fores*, inquit Tertullianus, *ipsæ aræ & hostiæ, ipsi ministri & sacerdotes eorum* (Ethnicorum) *coronantur.* Idem: *Cæterum à sacrato coronantur & lupanaria & latrinæ, & pistrinæ, & carceres, & ludus, & ipsa amphitheatra, & ipsa spoliaria, ipsæque libitina.* Sed de hoc antiquo coronarum apud Gentes usu, & sacro & profano, sive superstitioso & luxurioso & libidinoso vide multa apud eundem Tertullianum eodem in libro.

Unum hîc tantum addam de foribus, ostiis sive janvis, & sacrarum & profanarum ædium, quas sacras habitas, sancte religioseque cultas ac Diis quibusdam fuisse consecratas apud Gentes constat. Tertullianus eodem libro: *At enim Christianus*, inquit, *nec januam suam laureis infamabit, si norit, quantos Deos etiam ostiis Diabolus affinxerit. Janum à janua, Limentinum à limine, Forculum & Cardam à foribus & cardinibus, ut apud Græcos Thyræum Apollinem & Antelios dæmones.* Idem in libro *de Idololatria*: *Ergo*, inquit, *Dei honos est lucerna pro foribus, & laurus in postibus, non utique quod Dei honor est, sed quod ejus, qui pro Deo ejusmodi officiis honoratur: quantum in manifesto est salva operatione, quæ est in occulto ad Dæmonia perveniens. Certi enim esse debemus, si quos lateat per ignorantiam literaturæ secularis, etiam ostiorum Deos apud Romanos, Cardam à cardinibus appellatam, & Forculum à foribus, & Limentinum à limine, & ipsum Janum à janua, & utique scimus, licet nomina inania atque conficta sint, cum tamen ad superstitionem deducuntur, rapere ad se Dæmonia & omnem spiritum immundum per consecrationis obligamentum. Alioquin Dæmonia nullum nomen habent singulatim, sed ibi nomen inveniunt, ubi & pignus. Etiam apud Græcos Apollinem Θυραῖον, & antelios Dæmonas ostiorum præsides legimus. Hæc igitur ab initio prævidens Spiritus sanctus, etiam ostia in superstitionem ventura præcecinit per antiquissimum prophetam Enoch. Nam & alia ostia in balneis adorari videmus. Sin autem sunt, quæ in ostiis adorentur, ad eos & lucernæ, & laureæ pertinebunt. Idolo feceris, quidquid ostio feceris.* Et hæc de forium, ostiorum, januarumque superstitioso apud Gentes cultu. Nobis vero Christianis Christus, ut ipsemet testatur, unica est janua, ostium, porta, fores, cardo atque limen ad regnum cœlorum, vitamque cœlestem & æternam.

Coronæ Christianorum. Pro coronis autem illis Gentium atque sertis, sive gramineis, floreis, herbidis, frondosis, sive etiam aureis, argenteis, gemmatis, aut ex quacunque alia vel pretiosissima materia confectis, nos primum Christi habemus coronam spineam, quæ nobis æternam ac cœlestem illam coronam peperit. Quemadmodum autem spineam primum gestavit coronam, ac deinde cœlestem illam coronam fuit consecutus. (Unde Apostolus ad Hebr. 2. Christum dicit fuisse διὰ τὸ πάθημα δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, *per passionem gloria & honore coronatum & ornatum:*) sic nobis quoque portantibus primum in hoc Mundo spineam illam Christi coronam, hoc est, pie patienterque quasvis afflictiones, veræque religionis nomine ferentibus, confecto tandem vitæ hujus curriculo atque certamine, reposita est in cœlis, certoque speranda & exspectanda ἀμάραντος illa τῆς δόξης, id est, immarcessibilis & æterna gloriæ ac beatitudinis corona, ut eam Petrus vocat 1. Epist. 4. cap. Sic Paullus Epist. 2. ad Tim. 4. *Certamen bonum certavi*, inquit, *cursum confeci, fidem servavi. Reliquum est, quod reposita mihi est corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex, nec mihi tantum, sed omnibus, qui amant ejus adventum.* De eadem corona loquitur Apostolus Jacobus in sua Epistola cap. 1. *Beatus*, inquit, *vir, qui suffert tentationem. Nam tentatione porbatus coronam vitæ accipiet:* quæ tamen corona spineæ illi Christi coronæ, hoc est, morti atque passioni acerbissimæ & divinæ gratiæ atque misericordiæ accepta est ferenda. Sic ille quoque Ecclesiæ, Apostolicæ ac primigeniæ Protomartyr Stephanus (quod nomen coronam sonat) lapideâ primum coronâ oneratus & afflictus, id est, lapidibus obrutus, ac demum illa cœlesti ornatus fuit. His adde, quod pii quoque & fideles ipsi pastorum & doctorum Ecclesiæ Corona, id est, decus & ornamentum appellantur (sic enim Paullus Philippenses suam vocat coronam:) unde vicissim doctores atque pastores Ecclesiæ (siquidem probe fungantur suo munere & officio) ipsius Ecclesiæ corona, hoc est, ornamentum, verissime dici possunt.

Ethnicorum qui panes, & Christianorum quis verus panis? Sed ut ulterius hoc ex plantis sacrificiorum genus persequamur, panes quoque, placentas, liba, aliaque id generis edulia, ex frugibus atque fructibus confecta, Ethnici Diis suis superstitiosissime obtulerunt. Pro illis omnibus nos Christum habemus, qui seipsum panem, panem verum, panem cœlestem, è cœlis delapsum, panem vitæ, panem vivum & vivificum appellavit, quem qui manducant, in eum nimirum credendo,

do, vitam habent æternam: Johannis 6. Chriſtus igitur ſolus noſter eſt panis, quo vere paſcimur ad vitam æternam: eſt noſtra placenta, quæ ſola Deo placuit, ejusque iram placavit, & idcirco ſola, tanquam unica ſalutis noſtræ cauſſa nobis placere debet, ut in illa ſola acquieſcamus. Libum quoque, eandem ob cauſſam (ſive à *libando*, ſive à *Libet* nomen illud velimus eſſe deductum) poteſt appellari, propterea quod ille pro noſtra ſalute in ara crucis libatus, nobis merito ſolus, ſi ſalus noſtra nobis curæ eſt, debet allubeſcere.

Ethnicorum libationes.

Porro ut & carnibus & frugibus & fructibus & placentis atque eduliis variis, inde confectis, Gentes Deos illos ſuos, quaſi eſurientes, ridicule profecto atque ſtolide paſcere: ſic ii non minus abſurde eorundem ſitim, liquorum quorundam profuſionibus (quæ *Libationes* dictæ) extinguere voluerunt, ſecundum illa Lactantii *Inſtitut. divinar.* lib. 6. cap. 2. *Mactant igitur*, inquit, *opimas & pingues hoſtias Deo, quaſi eſurienti, profundunt vina, tanquam ſitienti, accendunt lumina, velut in tenebris agenti.* Libationum iſtarum (de quibus ſupra pluribus) materia fuit aqua, lac, mel, vinum, oleum. Omnium illarum libationum ſuperſtitioſiſſimarum loco nobis Chriſtianis ad ſalutem noſtram ſatis ſuperque eſt ac ſufficit unica illa, ut ſummatim dicam, Chriſti Libatio, hoc eſt, ſanctiſſimi Chriſti ſanguinis in ara crucis profuſio, qui ſanguis, & aqua, & vinum, & oleum, & lac, & mel noſtrum eſt ſuaviſſimum & ſaluberrimum, & ad ſalutem noſtram εὐάρεστον. Verum operæpretium erit ſigillatim ſingula perſequi.

Chriſtianorum libatio.

Libationes Ethnicorum ex aqua.

Ac ut ab aqua exordiar, quibus primitus libationes iſtas fieri fuiſſe ſolitas Ethnici tradiderunt, illarum olim apud Gentiles in ſacrificiis & toto illorum cultu maximus fuit uſus (ut ex ſuperioribus patet, quibus magnam perſonas, ut res quasvis luſtrandi atque purgandi, & peccata expiandi vim tribuerunt: unde etiam *Luſtrales* & *Luſtricæ* ab illis fuerunt appellatæ. At Chriſtianorum aquæ vere luſtrales, luſtricæ, purgatoriæ, vivæ & vivificæ, corpora animosque ipſorum purgandi, ſanctificandi, luſtrandi, reficiendi & recreandi, vivificandi, peccata eluendi & expiandi teſte ſacra Scriptura, vim habentes, ſunt ſanguis Chriſti, Spiritus ſanctus, Verbum Dei, quorum ſacramentum atque ſigillum eſt ſacroſancta illa aqua Baptiſmalis & initialis, quam & ipſam ideo vere aquam luſtralem, ſeu luſtricam appellare poſſumus, ſecundum illa verba Petri Epiſtolâ priore cap. 3. Ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα (οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν) δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Cui rei nunc correſpondens exemplar Baptiſmi nos quoque ſervat (non quo carnis ſordes abjiciuntur, ſed ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum) per reſurrectionem Jeſu Chriſti.*

Chriſtianorum libatio ex aqua.

Libationes ex vino Ethnicorum & Chriſtianorum.

Vina quoque Gentes Diis ſuis libare atque profundere conſueverunt (de quorum delectu ſupra dictum.) Noſtra vina, vere vitalia ac ſalutaria ſunt ſanguis Chriſti (cujus ſacramentum ſacrumve ſignum, eſt vinum atque poculum illud Dominicum) ceu vitis veræ, quæ vitam nobis æternam conciliavit, cujus nos ſumus palmites: eſt Spiritus ſancti gratia: eſt Verbum divinum: quæ vina ſola noſtram æternæ vitæ atque ſalutis ſitim explere atque ſatiare, animosque noſtros, peccatorum noſtrorum conſcientia ſenſuque iræ divinæ proſtratos & conſternatos recreare atque exhilarare poſſunt.

Libationes ex lacte Ethnicorum & Chriſtianorum.

Præterea pro lacte illo ab Ethnicis in ſacrificiis atque libationibus adhiberi ſolito, quo ſeipſos, ut ita loquar, quaſi ſpe quadam vana & inani lactarunt, dum magnam exiſtimarunt ſe à Diis ſuis inire poſſe gratiam, nos Chriſtiani habemus lac illud λογικὸν καὶ ἄδολον, id eſt, *rationale, dolique expers*: quod eſt Verbum Dei, quodque S. Petrus Epiſtola priore, cap. 2. nos jubet ἐπιποθεῖν, id eſt, *vehementer deſiderare*, ut in eo creſcamus, &c.

Libationes ex mulſo Ethnicorum & Chriſtianorum.

Similiter pro melle, mulſo atque favis Ethnicorum, quibus Deos ſuos delinire atque demulcere ſe poſſe exiſtimabant, nobis Chriſtianis eſt mellitiſſimum nomen Jeſu Chriſti, quovis melle, mulſo, atque favis dulcius ac ſalutarius, in quo ſolo noſtra ſalus eſt poſita, ſecundum illa Petri verba in *Actis Apoſtolicis* cap. 4. καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία· οὔτε γὰρ ὄνομά ἐστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν τὸ δεδομένον ἀνθρώποις, ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ἡμᾶς, *Nec eſt in alio quoquam ſalus. Nec enim aliud nomen* (quam Chriſtus) *ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat ſalvari.*

Libationes ex oleo Ethnicorum & Chriſtianorum.

De olei quoque uſu apud Ethnicos in ſacrificiis, libationibus ac toto illorum cultu pervulgato ſupra ſatis multa. Pro illo itaque Ethnicorum oleo olido, nos Chriſtiani habemus oleum illud lætitiæ, quod eſt Spiritus ſanctus: unde & Chriſtus: qui eſt noſtrum caput, & nos, qui ſumus ejus corpus atque membra Chriſtiani appellamur: propterea quod ipſe quidem plene perfecteque; nos autem ad menſuram ſpirituali, lætifico ſalutarique illo oleo delibuti atque imbuti ſumus, ſecundum illa Pſalmi 102. quæ ad Hebr. cap. 1. allegantur: Διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους σου: *Idcirco unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis ſupra conſortes tuos.* Oleum quoque ſanans vulnera noſtrorum peccatorum eſt Verbum Dei.

Ethnicorum Sal. Chriſtianorum Sal.

Sal poſtremo, ut omnium ciborum condimentum eſt pene neceſſarium: ſic Ethnici quoque illud omnium ſacrificiorum ſuorum quaſi condimentum duxerunt neceſſarium, quo ſine Diis litari minime poſſit. Pro illo autem Gentilium ſale inſulſo, inſipido, ac tartaro, nobis Chriſtianis ſal ſalutare eſt Verbum Dei, fidique ejus præcones. Sic Chriſtus enim Apoſtolos ſuos Sal terræ appellavit, Matth. 5. Hoc ſale, vere ſapido ac ſalutifero quaſi conditi atque conſperſi, fideles immunes poſſunt eſſe ab æterna illa putredine atque corruptione. Sic quoque, ſecundum fideliſſimam Sancti Paulli admonitionem ſermo noſter non inſulſus & inſipidus, id eſt, inſipiens, debet eſſe, ſed ſal ἐν χάριτι ἅλατι ἠρτυμένος, id eſt, *gratiâ ſancti ſpiritus, tanquam ſale, conditus.*

Pro Ethni-

Pro mola item illa ſalſa Gentilium atque caſta (ſic enim illam falſo vocarunt: cum inſulſa reverâ fuerit & inceſta)

corum mo- ... Christianis Christus.

incesta) nobis est Christus, pro nobis immolatus, nostrum Pascha 1. Cor. 5. Unde ut ibidem nos monet Apostolus, expurgato veteri fermento, nova simus conspersio (φύραμα) & ἄζυμοι, id est, *infermentati*, hoc est πονηρίας καὶ κακίας, *improbitatis & malitiæ expertes*, & contra εἰλικρινείᾳ καὶ ἀληθείᾳ, *sinceritate & veritate præditi*.

Ethnicorum decimæ.

Inter Gentium autem sacrificia numerantur etiam Decimæ & Primitiæ cum frugum, tum pecorum. Ac decimas quidem quarumvis rerum Gentes Herculi tanquam pollucere (quod verbum proprie in hoc Herculis cultu antiquitus fuit usurpatum) hoc est, vovere atque offerre consueverunt. Unde Tertullianus in *Apolog. De Decima*, inquit, *Herculis, nec tertiam partem in aram ejus imponitis*. Plin. lib. 12. cap. 19. de Cinnamomo verba faciens: *Primum*, inquit, *significant, illud in Æthiopia Troglodytide non meti, nisi Deus permiserit, quem Jovem aliqui intelligunt, illi Assabinum vocant: & 44. boum caprarumque & arietum extis impetrari veniam metendi. Non tamen aut ante ortum Solis, aut post occasum metere licebat. Deinde sarmenta*, inquit, *hastâ dividit sacerdos, Deoque partem ponit: reliquam mercator in nassas condit*. His addit: *Est & alia forma, cum Sole dividi, ternasque partes fieri, deinde sorte germina discerni. Quodque Soli cesserit, relinqui, ac sponte conflagrare*. Hujus rei Solinus quoque mentionem facit. Idem de thure Plinius scribit lib. 12. cap. 15. cujus pars decima Deo erat consecrata, quam nisi sacerdos prius accepisset, illud mercatoribus vendere non licebat. Plinii verba sunt: *Ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, mensurâ, non pondere, sacerdotes accipiunt: nec ante licet mercari*. Credebantur autem augeri divitiæ illorum, qui decimam Herculi vovissent, teste Dionysio lib. 6. Macrob. 3. *Saturn*. cap. 12. Alexandro Neapolitano lib. 3. cap. 22. Hac persuasione Lucullus, Crassus, Sylla, autore Plutarcho, & Orestes fœnerator, ut testatur Cicero 2. *Offic*. bonis æstimatis decimam partem Herculi consecrarunt. Et hæc de decimis Gentilium; quæ superioribus possunt addi.

Christianorum decimæ.

Nos vero Christiani nostrarum frugum, fructuum, aliorumque bonorum decimam, partemque aliquam, secundum legem & mandatum divinum recte pieque pollucemus, offerimus & consecramus Christo, qui plusquam Herculeos pro nostra salute labores atque dolores exantlavit, ad ipsius ministros, quasique vicarios, hoc est, cum ad Ecclesiæ sacrorumque antistites, tum ad pauperes & inopes benigne liberaliterque alendos ac fovendos. Deinde Christum ipsum Dominum & Servatorem nostrum recte Decimam nostram appellare atque confiteri possumus, quippe cum Deus pater illum pro universi generis humani salute, quod peccato mortique æternæ erat obnoxium, quasi decimam, hoc est, Crucis gravissimum, ignominiosissimumque supplicium subire sibique sacrificium hoc modo fieri voluerit. Atque adeo Christus ipse sua sponte lubenterque Patris sui cœlestis voluntati obsecutus se ex toto genere humano, illud redimendi liberandique gratiâ, ad supplicium sacrificiumque illud decimari sustinuit. Ergo nos quoque demus operam, ut toti simus Dei decimæ, hoc est, ei devoti, addicti & consecrati.

Primitiæ Ethnicorum quæ? & quæ Christianorum?

Sed & Primitias (quas Hebræi ראשית, *Reschith*, Græci ἀπαρχὰς vocant) frugum, fructuum atque pecorum Diis suis gratitudinis suæ erga ipsos testificandæ gratia Ethnici offerebant, quarum pars cedebat in usum sacrificantium. At vero nostræ Primitiæ primæ ac principes Christus est, ut eum Paullus appellat 1. Cor. 15. cujus hæc sunt verba: *Nunc vero Christus surrexit è mortuis*, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, *primitiæ eorum, qui obdormiunt. Quoniam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Nam quemadmodum in Adamo omnes moriuntur: sic in Christo omnes vivificabuntur, sive ad vitam revocabuntur, unusquisque in proprio ordine atque statu*. Ἀπαρχὴ Χριστὸς, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, id est, *Primitiæ Christus: deinde ii, qui sunt Christi in adventu ejus*. Eandem ob caussam Christus πρωτότοκος, id est, *primogenitus*, πάσης κτίσεως, *omnis creaturæ* dicitur, Hebr. 2. & πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, Apocal. 1. *primogenitus mortuorum*. Deinde primitiæ etiam Dei sunt omnes pii & fideles 2. Thess. 2. *Primitias nos Deus elegit ad salutem: cui & gratias agere debemus*. Sic Apoc. 14. Primitiæ Deo & Agno, id est, Christo, appellantur, in quorum ore non est inventus dolus, qui sine macula sunt ante thronum Dei, qui empti sunt ex hominibus de terra, id est, redempti pretioso Christi sanguine, qui virgines sunt, mulieribus non polluti, qui sequuntur Agnum, eique in omnibus obsequuntur. Sic Hebr. 12. Ecclesia primogenitorum, qui in cœlis scripti sunt, appellatur. Hi sunt, qui, ut idem Apostolus testatur ad Rom. 8. aut filii Dei, & per consequens, hæredes Dei, cohæredes Christi, τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος, id est, *primitias Spiritus* habentes in seipso, exspectantes adoptionem, liberationemque sive redemtionem corporis sui. Honoremus item Deum, non Deos alienos, ut Salomon Prov. 3. docet, de nostra substantia & primitiis cuncti nostri proventus, ut impleatur horna nostra saturitate, & torcularia quasi rumpantur præ nimia copia musti: id fit, quando partem illorum conferimus ad Dei cultum externum, ad eorum, qui sacris præsunt, & ad pauperum atque inopum sustentationem.

Ethnicorum sacrificiis & oblationibus omnibus opponitur unicum Christi sacrificium.

Omnibus ergo, ut alterum hoc meæ Antitheseos membrum concludam, & quidem infinitis ac innumeris illis Ethnicorum sacrificiis, victimis, hostiis, oblationibus, libationibus, decimis, primitiis, donis, anathematis, atque muneribus quibus alienos & adulterinos illos suos Deos egregie se colere, sibique demereri existimabant, nos Christiani optimo meritissimoque jure non anteponimus solum infinitis partibus, sed etiam opponimus unicum illud Christi sacrificium, unicam illam victimam, hostiam, libationem, oblationem, quæ semel certo definitoque à Deo tempore facta, Christus tanquam sacerdos summus & maximus pro universi generis humani salute perlitavit: ut perspicue docet Apostolus in Epistola ad Hebr. capite præsertim 9. & 10. Hoc ipsum perfectum, omnibusque suis numeris absolutum sacrificium, ut & sacerdos ipse (qui simul & sacrificium & sacerdos fuit) heri est, & hodie: vis ejus vivifica ac salutifera perpetua est ac perennis: quæ se ad omnes omnium temporum atque ætatum homines, in Christum credentes & pie sancteque viventes exten-

extendit atque diffusa est. Huic uni & soli sacrificio (cujus quidem memoriam corde, ore atque opere perpetuo colere atque celebrare debemus) in solidum verissime competunt atque conveniunt, & à nobis tribui debent illa, quæ Pagani fucatis, adulterinis atque sacrilegis illis suis sacris & sacrificiis affinxerunt; de quibus supra in explicatione finium dictum est.

Hoc etenim Christi sacrificium vere perfecteque est ἱλαστικόν, id est, *propitiatorium*, seu *placatorium*: Christi sacrificium ἱλαστικόν. quo solo Christus nobis fuit propitiatus: unde & Christus ipse passim in sacris Litteris ἱλασμός, & ἱλαστήριον, id est, *propitiatio*, *propitiatorium*, *placatio*, seu *placamentum* appellatur, & verbum ἱλάσκεσθαι, id est, *propitiare* ei sæpissime tribuitur. Hoc Christi sacrificium vere perfecteque est εἰρηνικόν, sive εἰρηνοποιόν, id est, Εἰρηνικόν. *pacificatorium*, *pacificum*: quo Deus nobis fuit pacatus: unde Christus ipse sæpe εἰρήνη & εἰρηνοποιός, id est, *pacificator*, & pax ipsa appellatur, & cuncta in cœlis & in terris εἰρηνοποιῆσαι, *pacificasse* dicitur. Hoc Christi sacrificium vere est ἀποκαταλλακτικόν, id est, *reconciliatorium*; quo homines Deo, & Deus hominibus reconciliatus fuit, cujus quidem καταλλαγῆς, id est, *reconciliationis*, quæ Christo tribuitur, crebra in Ἀποκαταλλακτικόν. sacris Litteris fit mentio. Deinde hoc Christi sacrificium vere est ἀφοσιαστικόν, ἁγνιστικόν, ἁγιαστικόν, καθάρσιον, sive καθαρτικόν, λυστικόν, hoc est, *sanctificatorium*, *purgatorium*, *purificatorium*, *expiatorium*, *lustricum*, seu *lustratorium*, quo cuncta Mundi peccata plene perfecteque expiata atque lustrata sunt, quo cuncti Ἁγνιστικόν. mortales, qui illum vera fide amplectuntur, sanctificantur, purgantur, lustrantur, expiantur. Hoc solum & unicum Christi sacrificium est nostrum λυτρωτικόν λύτρον, ἀντίλυτρον, ἀπολύτρωσις, quo perfecte ex omnium nostrorum hostium, visibilium & invisibilium, manu potestateque redemti sumus. Hoc Christi sacrificium vere σωτήρια καὶ σῶστρα possumus appellare: quo Christus partim salutem generi humano peperit, Σῶστρον. partim pro parta salute Deo patri suo gratias egit. Hoc Christi sacrificium vere εὐχαριστικόν, vereque χαριστήριον appellare possumus, quo nimirum Christus suam erga Patrem cœlestem εὐχαριστίαν, sive gratitu- Εὐχαριστικόν. dinem testificatus est, eique & suo nostro nomine justas meritasque gratias habuit, egit, retulit ac persolvit. Hoc denique Christi sacrificium vere μαντευτικόν, id est, *divinatorium* dici & censeri debet: propterea quod illud est certissimum, verissimum, adde lætissimum omnibus credentibus, cœlestis æternæque vitæ, gloriæ, & beatitudinis, per illud ipsum Christi sacrificium partæ, indicium ac testimonium. Ac propter hoc ipsum quidem ac solum Christi sacrificium omnia Chistianorum, hoc est, piorum & fidelium sacrificia spiritualia & Eucharistica, cujusmodi sunt preces, eleemosynæ, benignitas atque beneficentia erga pauperes, jejunia, pœnitentia vera ac solida, virtutum operumque bonorum studium, martyria, aliaque similia Deo grata sunt & accepta.

Porro ad sacra sacrificiave ista sua (quæ sacrilegia sæpe Lactantius, Arnobius, Tertullianus & alii Pa- Ethnicorum varia loca, sacrificiis destinata. tres appellarunt) conficienda atque celebranda Gentiles certa habuerunt loca, ædificia, templa, personas, instrumenta, ritus atque cærimonias: unde magis adhuc, quantum inter Gentilismum & Christianismum sit intervallum, apparet. Gentiles igitur innumeris illis vanissimisque suis Diis plurimas; & quidem splendidissimas magnificentissimasque ædes, templa, fana, delubra, sacraria, sacella, cellas, lararia, idolæa, vovere, extruere, dedicare, initiare atque consecrare consueverunt, Deos suos in illis colendi, & idololatriæ atque superstitionibus vacandi gratia.

Atque hæc quidem illorum templa, quæ sanctitatis divinitatisque vanissima quadam specie illis mirifice arridebant, & propter originem suam busta atque sepulchra, & propter idola Deosque alienos & adulterinos, in illis coli solitos (qui sæpe scortis & adulteris in sacris Litteris comparantur) atque etiam ob alia scelera & flagitia, quæ in illis fiebant, lupanaria atque lustra, & propter animalium mactationes, excoriationes, dissectionesque, in iis fieri solitas, carnaria sive macella, & propter carnium, aliarumque partium coctiones, adustiones seu concremationes, culinæ sive coquinæ, & quoad compotationes, commessationesque, quæ in illis post sacrificia celebrabantur, triclinia, cauponæ atque popinæ, & denique propter ipsos Dæmonas, quos in illis colebant, quique illis sæpe visibili aliqua specie in iis apparebant, ad illos verba faciebant, diversoria Dæmonum sive Dæmoniorum, receptacula & habitacula à veteribus Patribus jure meritoque fuerunt appellata.

Pro templis istis Gentilium templum primum nostrum est sacratissimum Christi corpus, de quo ipse- Christianorum templa. met locutus est ad Judæos: Johan. 2. *Destruite hoc templum, & intra triduum illud reædificabo*, atque adeo Christus ipse totus: *in quo*, ut Paullus ait, *habitat plenitudo Deitatis corporaliter*. Deinde templum nostrum est universalis & catholica Ecclesia, quæ est Sanctorum communio, in qua Deum assidue contemplari possumus & debemus. Huc respiciens Paullus, ad Ephes. 2. ita scribit: Ἐν ᾧ (Χριστῷ) πᾶσα ἡ οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν Κυρίῳ. Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι, id est, *In quo* (Christo) *totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, ut sit templum sanctum Domino: in quo & vos una ædificamini, ut sitis domicilium Dei per Spiritum.* Præterea singula Ecclesiæ membra, singuli fideles, ac illorum cum animi, tum corpora Spiritus sancti templa atque sacraria in sacris Litteris appellantur; & quidem esse debent. *An ignoratis*, inquit Paullus 1. Cor. 16. *corpus nostrum templum esse Spiritus sancti, habitantis in vobis, nec esse vos vestri juris?* Hinc Hebr. 3. idem ait: οὗ οἶκός ἐσμεν ἡμεῖς, *cujus* (Dei) *domus nos sumus. Templum etiam, quo aspiramus, nostrum æternum est cœlum.* Item Dei templum augustissimum & amplissimum est universus hic Mundus: in quo Deus quotidie sese nobis contemplandum præbet. Unde Cyprianus: *Quod vero templum habere possit Deus, cujus templum totus est Mundus, & cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includat? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore.* Denique præter templa illa ἀχειροποίητα & spiritualia, templa habemus,

 Dei

Dei beneficio, χειροποίητα, humano opere manuque facta: in quibus verba & oracula divina audire, sacra & sacramenta divinitus instituta celebrare, vota precesque nostras ad Deum fundere, eleemosynas pauperibus elargiri, Deum denique colere atque venerari possumus & debemus.

Quidam Ethnicorum Deos templis non colendos arbitrati.

Etsi vero plerique Gentilium Deos suos templis, ædificiis atque simulacris sibi colendos esse putarunt: tamen multi inter illos templa, ut etiam simulacra, à Deorum natura & majestate existimantes esse aliena, iis sylvas atque nemora consecrarunt (quæ Luci vulgo fuerunt appellata) & in iis idololatriam superstitionesque illas suas celebrarunt. Unde Plinius lib. 12. cap. 1. & 2. *Fuerunt*, inquit, *occulta ejus* (naturæ) *beneficia, summumque munus homini datum, arbores sylvasque putabant.* Et cap. 2. *Hæ* (arbores & sylvæ) *fuerunt Numinum templa, priscoque ritu simplicia: curâ etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Non magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos & in iis Silentia ipsa adorarunt. Arborum genera Numinibus suis dicata perpetuo servantur.*

Lucos Diis consecrare soliti Germani.

Inter alias autem Gentes, quæ Diis suis lucos atque arbores dicarunt, atque in iis illos coluerunt, fuerunt prisci Germani, ut Tacitus in suis *Annalibus* & in lib. *de moribus Germanorum* clarissime testatur. Petrus Albinus ex Ernesto Brotufio scribit lib. 1. cap. 6. civitatem Mersburgum (quæ sic dicta, quasi *Martisburg*) antiquitus ad Caroli usque M. tempora Martem atque Zuttiberum (quem Dendrodæmona, Germani den Holtzteufel appellant) coluisse in querceto, sive luco, quernis arboribus consito, ad quem certis temporibus, sacra ei faciendi gratia, maxima hominum multitudo confluxerit. Hujusmodi autem sylvas lucosve sacros (in quibus & equos sacros aluerunt, è quibus de futuris divinabant) hagen sive hayn appellarunt (unde multi pagi atque oppida fuerunt denominata) à nomine Græco ἅγιος, ut nonnulli putant. Erant enim sacrosancti: in quibus arbores cædere, aut earum ramos amputare capitis supplicio erat interdictum. Quoniam autem antiquitus ad hujusmodi lucos atque nemora magna hominum copia confluebat, etiam ex locis remotissimis, inde peregrinatio Germanis wall / quasi waldfart / hoc est, profectio ad sylvam videtur dicta. Sed de Germanorum veterum Diis cum patriis & propriis, ut fuerunt Tanfan, Hertus sive Herta, Teutones sive Teutates, Alemann, Irmenseul sive Armeseul, sive Henneseul, Crodo, Trigla, Flintz, Prone sive Prono, Radegast sive Redegast, sive Ridegast, Seba sive Syba, Zermebock, Suanteniz, Vodan sive Guodan: tum qui illis cum Romanis & aliis gentibus fuerunt communes, ut fuerunt Juppiter Hammonius, Sol, Luna, Vulcanus, Isis, Mars, Mercurius, Venus, Castor & Pollux, & alii, de quorum imaginibus, statuis, templis, sacerdotibus, sacrificiis cum pecorum, tum hominum cultu atque veneratione, itemque divinationibus vide Erpoldum Lindenbruchium in *Chronicis Germanicis* de Carolo M. Hæc omnia ille confirmat atque comprobat autorum cum veterum, ut C. Julii Cæsaris, Lactantii, Plinii, Strabonis, Taciti; tum recentiorum, ut Alberti Cranzii, Petri Albini, Alexandri Sardi, Irenici, Middendorpii, Holmoldi, Adami Bremensis, Diaconi, Methodii Picnensis, Sabini, Enzelii, Emseri & aliorum historicorum testimoniis & autoritatibus. De iisdem vide etiam Junium in historia Batavorum.

Germanorum Dii qui?

Unum tantum hîc addam, quod Emserus de idolo sive dæmone potius illo Schuanteviz (quem alii *sanctum Vitum*: alii *sanctum lumen*: alii *sanctum fundamentum* interpretantur: *Vitz* enim & lumen & fundamentum priscâ linguâ significat) prodidit. *Cum Magorum*, inquit, *constans sit sententia, Dæmonia sanguine invitari: sacerdos tamen Schuantevizi persuadebat suis hunc nisi Christiano cruore placari non posse. Unde quotannis illi hominem Christianum, quemcunque sors objecerat, litare consueverunt.* Ejusdem meminit Helmoldus lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 12.

Christianorum lucus est universus Mundus.

Pro omnibus porro istis Gentilium lucis luctuosis & opacis, in quibus vanissima ista sua Numina coluerunt, universus hic Mundus nobis est quasi lucus quidam lucidissimus: in quo divinæ Majestatis lux passim resplendet ac refulget, & in quo nos verum Deum perpetuo secundum ejus voluntatem colere atque venerari decet.

Altaria Christianorum.

Præterea pro Gentilium aris & altaribus altare nostrum est Christus: est crux; in qua pro nobis fuit immolatus: est mensa Dominica: est Ecclesia; in qua mortis & sacrificii Christi salutiferi memoria perpetuo celebratur: sumus denique nos singuli, nostraque cum corda, tum corpora; quibus spirituales illas hostias, de quibus supra, sine cessatione & intermissione Deo offerimus. Hinc Augustinus Sermone 152. de tempore: *Duo*, inquit, *in nobis sunt altaria constituta, corporis scilicet & cordis nostri. Unde & duplex à nobis sacrificium quærit Deus. Unum; ut simus casto corpore: aliud; ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriori altare, id est, in corpore nostro offerentur opera bona: in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta.*

Focus Christianorum.

Sic & pro focis illis Gentilium cum publicis, tum privatis & domesticis: in quibus sacros perpetuosque ignes fovebant, Focus noster maximus & amplissimus est Ecclesia: in qua ignis ille sancti Spiritus, verbique divini ad salutem nostram perpetuo fovetur atque colitur.

Ignes Christianorum.

Pro ignibus item illis sacrificialibus sacris & perpetuis, quos superstitiosissime coluerunt in altaribus atque focis publicis & privatis diligentissime foverunt, ad sacrificia sua adhibuerunt, quibus quidem ignem illum tartareum & inextinguibilem promeruerunt, ignis primum noster perpetuus & æternus, quem solum colimus, & jure quidem optimo ac meritissimo colere debemus, est Deus Opt. Max. est Spiritus sanctus verus Deus, qui sæpe ignis partim consumens, partim illuminans & illustrans, salutaris denique in sacris Litteris appellatur. Et ut Deus ipse, sic verbum quoque ejus ignis est illuminans nostras mentes atque animos, exurens atque consumens pravos nostros affectus & errores, inflammans nostra corda charitate gemina erga Deum atque proximum. Atque hoc quidem geminæ charitatis igne inflammati, apti reddimur & idonei

ſtonei ad ſacrificia illa ſpiritualia facienda, quæ ſpectant ad Dei gloriam & ad noſtram ſalutem. His poſtremo addendus ignis crucis & afflictionis: quo non ſecus atque aurum & argentum igni pii atque fideles probantur & purgantur. De his Gentilium luminibus ſuperſtitioſis ſic Lactantius diſſerit lib. 6. *Inſtit. divin.* cap. 2. *Accendunt*, inquit, *lumina, velut in tenebris agenti. Quod ſi ſuſpicari, aut percipere animo poſſent, quæ ſunt bona illa cœleſtia, quorum magnitudinem terreno adhuc corpore obvoluti ſenſu capere non poſſumus, jam ſe cum his officiis inanibus ſtultiſſimos eſſe cognoſcant: vel ſi cœleſte lumen, quod dicimus ſolem, contemplari velint, jam ſentiant quod non indigeat lucernis eorum Deus, qui in uſum hominis tam candidam lucem dedit: & tamen cum in tam parvo circulo, qui propter longinquitatem non amplius, quam humani capitis videtur habere menſuram, tantum ſit fulgoris, ut eum mortalium luminum acies non queat contueri: & ſi pauliſper intenderis, hebetatos oculos caligo, ac tenebræ conſequantur: quid tandem luminis, quid claritatis apud Deum, penes quem nulla nox eſt, eſſe arbitremur? qui hanc ipſam lucem ſic moderatus eſt, ut neque nimio fulgore, neque colore vehementi noceret animantibus: tantumque iſtarum rerum dedit ei, quantum ad mortalia corpora pati poſſunt, aut frugum maturitas poſtularet. Num igitur mentis compos putandus eſt, qui authori, & datori luminis candelarum, ac cerarum lumen offert pro munere? Aliud vero ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, ſed (ut ait Poëta) liquidum, atque clarum mentis ſcilicet. Propter quod à poëtis φῶς nuncupatur: quod exhibere non poteſt, niſi qui Deum agnoverit. Illorum autem Dii, quia terreni ſunt, egent luminibus ne in tenebris ſint: quorum cultores, quia cœleſte nihil ſapiunt, etiam religiones, quibus deſerviunt, ad terram revocant. In ea enim lumine opus eſt: quia ratio ejus, & natura tenebroſa eſt. Itaque Diis non cœleſtem ſenſum ſed humanum potius attribuunt. Ideoque neceſſaria illis, & grata credunt eſſe, quæ nobis, quibus aut eſurientibus opus cibo, aut ſitientibus potu, aut veſte algentibus, aut cum ſol deceſſerit, lumine, ut videre poſſimus. Nullis igitur ex rebus tam probari, ac intelligi poteſt, Deos ipſos, cum aliquando vixerint, mortuos eſſe, quam ex ipſo ritu, qui eſt totus è terra:* Hæc Lactantius.

Ethnicorum quæ lampades & quæ Chriſtianorum?

Præter ignes autem illos ſacros, ſacrificiales ac perpetuos, quos habuerunt in aris atque focis, uſi præterea ſunt Gentiles in templis, atque etiam extra templa, diebus præſertim feſtis, multis ac variis luminibus: lampadibus, facibus ac lucernis, de quibus ſupra. At noſtrum lumen luminoſiſſimum fonſque omnis luminis eſt Deus Opt. Max. pater ille luminum, uti à S. Jacobo appellatur, lucem habitans inacceſſam: eſt Chriſtus, Dei filius, qui ſeipſum Mundi lumen ſive lucem appellavit. In eandem ſententiam Johannes primâ Epiſtolâ cap. 1. inquit: *Deus lumen eſt & tenebræ in eo nulla.* Et ut Deus ipſe, ſic lux ejus atque verbum, lumen eſt, atque lucerna lucidiſſima pedum & ſemitarum noſtrarum: ut pulchre David cecinit Pſal. 19. Præterea cum omnes pii atque fideles tum inprimis Eccleſiæ doctores atque paſtores Eccleſiæ Mundique lumina atque lucerna in ſacris Litteris appellantur; & quidem eſſe debent aliis hominibus, cum veræ doctrinæ, tum vitæ piæ religioſæque claritate prælucentes. Unde Paullus in Epiſtola ad Philippenſes cap. 2. Ἐν οἷς φαίνεσθε ὡς φωςῆρες ἐν κόσμῳ: *inter quos lucetis, tanquam luminaria in Mundo.* Et Chriſtus ad Apoſtolos ſuos Matth. 5. *Sic luceat*, inquit, *lux veſtra inter homines, ut homines videant bona veſtra opera, & glorificent patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.* Hi ipſi autem in cœlo, in cœleſti illa & æterna luce fulgebunt, tanquam ſtellæ totius firmamenti hujus aſpectabilis. Poſtremo cum univerſus hic Mundus eſt quaſi lux ſive lumen quoddam ſplendidiſſimum divinæ majeſtatis, tum ſingulæ ejus partes, ſingulæque creaturæ maximæ, mediæ, minimæ ejuſdem ſunt lumina, lucernæ, ſcintillæ denique claræ & illuſtres.

Ethnicorum quæ ligna ſacrificialia & quæ Chriſtianorum?

Ut autem lucernas, cereos atque lumina illa ſacra oleo, tæda, pice, bitumine, ſulphure aliaque materia: ſic ignes quoque altarium atque focorum cum eâdem materiâ, tum lignis inprimis, certis & peculiaribus foverunt: in quorum delectu valde fuerunt ſuperſtitioſi, ſicuti ſupra pluribus fuit explicatum. Verum pro omnibus iſtis Gentilium lignis ſacrificialibus atque etiam (ut hoc addam) arboribus ſacris, quas Diis ſuis ſacrarunt, nos habemus Chriſtum, arborem ſive lignum illud vitæ, ut in ſacris Litteris appellatur, *lignum viride, ſemper virens ac vigens*, ut ſeipſum appellavit: quod quidem ligno illo vitæ in medio Paradiſi fuit præfiguratum. Cogitemus igitur miſeros nos mortales noſtrapte naturâ quaſi ligna quædam eſſe infelicia, mortua, arida, inutilia & infrugifera, digna, quæ in illum Gehennæ ignem horrendum & inextinguibilem conjiciamur, eoque perpetuo excruciemur: ac proinde non niſi ligno illi vitæ atque viridi, viti illi atque oleæ frugiferæ, id eſt, Chriſto, per Spiritum ſanctum, veramque fidem inſitos, ejus nimirum ligna poſſe fieri viva, virentia atque fructuoſa ad proferendos juſtitiæ & bonorum operum fructus. Meditemur etiam ad doctrinam conſolationemque noſtram dies noctesque, lignum illud Crucis, cui Chriſtus, lignum vitæ atque viride, id eſt, ſalutiferum, pro nobis affixus, in quo pendens pro nobis factus eſt κατάρα, ut nos redimeret ex maledictione legis, in eoque horrendis modis excruciatus, tandem validiſſima voce exſpiravit: cujus quidem ligni ille lignorum faſciculus, quem Iſaacus patriarcha humeris ſuis portavit, illuſtris typus fuit. In hoc ligno Chriſtus, ut S. Petrus ſancti Spiritus afflatu dixit, peccata noſtra portavit ac ſuſtulit, eique, ut eandem in ſententiam S. Paullus ejuſdem Spiritus inſtinctu locutus eſt, affixit, atque ita delevit Chirographum illud noſtrum, quod fuit adverſus nos, id eſt, contrarium, & adverſum noſtræ ſaluti, nos accuſans noſque mortis reos peragens.

Ethnicorum cineres.

Sed cinerum quoque, (qui ſacrificiorum erant reliquiæ) hîc non prætermittenda eſt mentio. Legimus in Olympo monte quotannis ſacrificium ſolenne & magnificum, fieri fuiſſe ſolitum, & rerum concrematarum cineres in ara illa per integrum annum, donec aliud ſacrificium fieret, integros ſemper permanſiſſe, nec ventorum aliarumve tempeſtatum vi & injuria fuiſſe diſſipatos: unde nonnulli montis illud altitudinem, quæ reliquos terræ montes omnes ſuperet, conjiciunt. Huic ſimile eſt illud, quod Epiphanius lib. 1. tom. 1. hæreſi 18. prodidit de magnificentiſſimo illo Noachi patriarchæ ſacrificio, quod ille ex omni anima-

Christianorum cineres.

animalium mundorum genere Deo, εὐχαριστίας gratia, post horrendum illud diluvium, pro data sibi suisque salute obtulit: nempe ejus & cinerum & Altaris reliquias adhuc suo seculo in Armeniæ montibus extitisse. Sed nos pro vanissimis illis Gentilium cineribus, ad quos illorum victimæ vel sumtuosissimæ & pretiosissimæ quæquæ tandem fuerunt redactæ, animis nostris volvere atque revolvere assidue debemus sanctissimum purissimumque illum Christi cinerem, id est, mortem ac passionem, cujus aspersione purgamur ab omnibus carnis nostræ peccatorumque sordibus, qui cineres vitulæ sive vaccæ illius rufæ Veteris Testamenti, extra urbem combustæ, fuerunt adumbrati: unde Paullus ad Hebræos 9. cap. σποδὸς, inquit, δαμάλεως ῥαντίζουσα ἁγιάζει κεκοινωμένους, *Cinis vitulæ aspersa sanctificat inquinatos*: quod de vitula illa Veteris Testamenti cerimonialiter tantum, de Christo autem proprie & vere est intelligendum.

Ethnicorum sacerdotes. Christianorum sacerdos summus Christus.

Jam vero ut Deos, ut simulacra, ut sacrificia, ut templa, ut altaria atque focos: sic sacrorum quoque sacrificiorumve antistites, administros & sacerdotes, sacrificos, sive sacrificulos habuerunt innumeros; & hos sexu, ætate, ordine, dignitate, corporis cultu atque habitu, ritibus & cerimoniis differentes valde ac diversos. Nobis autem Christianis Christus primum ut sacrificium, sic sacerdos quoque noster est summus & maximus: de cujus sacerdotali dignitate, munere atque officio, ejusque effectis & fructibus salutiferis Apostolus in Epistola ad Hebræos præclare disserit: *Christum*, inquit, *oportuit secundum omnia fratribus similem fieri*, ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν θεὸν, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ: ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι. cap. 2. Idem cap 3. initio: Ὅθεν ἀδελφοὶ ἅγιοι, κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι, κατανοήσατε τὸν Ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν Χριστὸν Ἰησοῦν, πιστὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτόν. Et paullo post, Christum cum Mose comparando, inquit: Χριστὸς δὲ ὡς υἱὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ, οὗ οἶκός ἐσμεν ἡμεῖς. Idem cap. 4. sub finem: Ἔχοντες οὖν ἀρχιερέα μέγαν διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς, Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας. Οὐ γὰρ ἔχομεν ἀρχιερέα μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, πεπειρασμένον δὲ κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα, χωρὶς ἁμαρτίας. προσερχώμεθα οὖν μετὰ παῤῥησίας τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος, ἵνα λάβωμεν ἔλεον, καὶ χάριν εὕρωμεν εἰς εὔκαιρον βοήθειαν. Idem cap. 5. Christum comparans cum summis illis sacerdotibus tandem concludit: Ὃς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου, μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προσενέγκας, καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. καίπερ ὢν υἱός, ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν. καὶ τελειωθεὶς ἐγένετο τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου. προσαγορευθεὶς ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀρχιερεὺς κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ. περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος καὶ δυσερμήνευτος λέγειν. ἐπεὶ νωθροὶ γεγόνατε ταῖς ἀκοαῖς. καὶ γὰρ ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι διὰ τὸν χρόνον, πάλιν χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ. καὶ γεγόνατε χρείαν ἔχοντες γάλακτος, καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς. πᾶς γὰρ ὁ μετέχων γάλακτος, ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης. (νήπιος γὰρ ἐστι.) τελείων δὲ ἐστιν ἡ στερεὰ τροφή, τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. Idem cap. 6. de eodem Christi sacerdotio disserens, quod divinitus interposito ipsius Dei jurejurando fuerit constitutum & stabilitum, tandem hac clausula, consolationis plenissima utitur: Ἐν ᾧ περισσότερον βουλόμενος ὁ θεὸς ἐπιδεῖξαι τοῖς κληρονόμοις τῆς ἐπαγγελίας τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ. ἵνα διὰ δύο πραγμάτων ἀμεταθέτων, ἐν οἷς ἀδύνατον ψεύσασθαι θεόν, ἰσχυρὰν παράκλησιν ἔχωμεν οἱ καταφυγόντες κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος. ἣν ὡς ἄγκυραν ἔχομεν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν, καὶ εἰσερχομένην εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος. ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν Ἰησοῦς, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα. Capite deinceps septimo, eandem, & quidem utilem ac salutarem canens de hoc Christi sacerdotio cantilenam Apostolus, eum cum Melchisedeco, Rege simul & sacerdote singulari & extraordinario primum, deinde cum sacerdotibus ordinariis comparat, tandemque sermonem hunc suum his verbis concludit: κατὰ τοσοῦτον κρείττονος διαθήκης γέγονεν ἔγγυος Ἰησοῦς. καὶ οἱ μὲν, πλείονες εἰσὶ γεγονότες ἱερεῖς, διὰ τὸ θανάτῳ κωλύεσθαι παραμένειν. ὁ δὲ, διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην. ὅθεν καὶ σώζειν εἰς τὸ παντελὲς δύναται τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ θεῷ, πάντοτε ζῶν εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν. τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεύς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος. ὃς οὐκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγκην ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ. τοῦτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ, ἑαυτὸν ἀνενέγκας. ὁ νόμος γὰρ ἀνθρώπους καθίστησιν ἀρχιερεῖς, ἔχοντες ἀσθένειαν. ὁ λόγος δὲ ὁρκωμοσίας τῆς μετὰ τὸν νόμον, υἱὸν εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον. Ejusdem fere argumenti est cap. 8. in quo similiter Christum cum reliquis sacerdotibus veteris Testamenti comparat, & veteris ac novi Testamenti differentiam explicat. Ab initio capitis: Κεφάλαιον δὲ, inquit, ἐπὶ τοῖς λεγομένοις. τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα, ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς: τῶν ἁγίων λειτουργὸς, καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς, ἣν ἔπηξεν ὁ Κύριος, καὶ οὐκ ἄνθρωπος. Et paullo post: Νυνὶ δὲ διαφορωτέρας τέτευχε λειτουργίας, ὅσῳ καὶ κρείττονός ἐστι διαθήκης μεσίτης, ἥτις ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται. Capitibus deinceps 9. & 10. de Christi sacerdotio simul & sacrificio ejusque effectu plenius adhuc & planius disserit, egregiâ factâ sacerdotum, sacrorum, sacrificiorumve veteris Testamenti cum Christi sacerdotio & sacrificio comparatione. Horum quasi epitome & summa sunt aurea illa Apostoli verba cap. 9. Χριστὸς δὲ παραγενόμενος ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκηνῆς, οὐ χειροποιήτου, τουτέστιν οὐ ταύτης τῆς κτίσεως, οὐδὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων, διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος. Εἰ γὰρ τὸ αἷμα ταύρων καὶ τράγων, καὶ σποδὸς δαμάλεως ῥαντίζουσα τοὺς κεκοινωμένους, ἁγιάζει πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα. Πόσῳ μᾶλλον τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, ὃς διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ Θεῷ, καθαριεῖ τὴν συνείδησιν ὑμῶν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων εἰς τὸ λατρεύειν Θεῷ ζῶντι; Καὶ διὰ τοῦτο διαθήκης καινῆς μεσίτης ἐστίν, ὅπως θανάτου γενομένου, εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων, τὴν ἐπαγγελίαν λάβωσιν οἱ κεκλημένοι

τῆς αἰωνίου

τῆς αἰωνίου κληρονομίας. Item illa sub finem cap. 9. Οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστός, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν, νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν. οὐδ' ἵνα πολλάκις προσφέρῃ ἑαυτόν, ὥσπερ ὁ ἀρχιερεὺς εἰσέρχεται εἰς τὰ ἅγια κατ' ἐνιαυτὸν ἐν αἵματι ἀλλοτρίῳ. (Ἐπεὶ ἔδει αὐτὸν πολλάκις παθεῖν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου) νῦν δὲ ἅπαξ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ πεφανέρωται. Καὶ καθ' ὅσον ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν, μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις: οὕτως καὶ ὁ Χριστὸς ἅπαξ προσενεχθεὶς εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, ἐκ δευτέρου χωρὶς ἁμαρτίας ὀφθήσεται τοῖς αὐτὸν ἀπεκδεχομένοις εἰς σωτηρίαν.

Ut igitur Ethnici habuerunt suos ἀρχιερέας, archisacerdotes, archiflamines, archigallos, pontifices maximos, reges sacrorum: sic nobis Christianis Christus est noster ἀρχιερεὺς, id est, sacerdos summus, sacerdotum princeps, ille pontifex noster maximus, qui suo sacerdotio, sanguine atque sacrificio quasi pontem nobis per Mundi hujus pelagus fecit, stravit & munivit ad cœlestes illas sedes atque templa, ad vitam & beatitudinem illam æternam. Ille est verus noster Rex sacrorum secundum ordinem Melchisedech, ut sæpe S. Paullus loquitur, ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς, *qui imperat Regibus terræ.* Idem, ut statim subjungit, pro suo erga nos amore, nos sanguine suo abluit à peccatis nostris, nosque Deo & patri suo reges & sacerdotes constituit. Ergo post Christum omnes quoque veri Christiani reges sunt & sacerdotes, à Christo ipso, summo rege & sacerdote suo constituti: unde Petrus quoque Epistola priore cap. 2. eos appellat ἱεράτευμα ἅγιον, ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας, εὐπροσδέκτους τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, hoc est, *sacerdotium sanctum* (*Exod.* 19. unde hæc verba desumta sunt) *est regale sacerdotium ad offerendum Deo spiritualia sacrificia.* Hinc in illa Apoc. 20. *Sederunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo*, Aug. lib. 20. *de Civ. Dei.* cap. 10. sic scribit: *Non utique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia sacerdotes: sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma: sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis, de quibus Apostolus Petrus: Plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium*, &c. Etsi vero omnes Christiani & reges & sacerdotes sunt, quod & seipsos & alios, suæ præsertim fidei concreditos bene sapienterque secundum Dei verbum regere, & hostias illas spirituales, de quibus supra dictum, Deo offerre debent, tamen ex ipsius Dei instituto atque præscripto, ut omnia in Ecclesia, tanquam domo Dei fiant εὐσχημόνως καὶ εὐτάκτως, & contrà confusionis ac perturbationis evitandæ gratia, non quibusvis hominibus, sed iis, qui juste legitimeque ad id sunt electi & vocati, & ad id apti sunt atque idonei, publice in Ecclesia docendi sacramenta & disciplinam rite religioseque administrandi jus ac potestas permittitur.

Porro ut loca, ut personas, ita tempora quoque Gentiles certa singulis Diis colendis destinarunt, quæ festa, festivitates, ferias, solennitates appellarunt. In his ab operibus & actionibus suis quotidianis ac necessariis vacantes, cum cerimoniis ac superstitionibus multis vanissimis, tum conviviis & compotationibus intemperantissimis, tum tripudiis atque ludis turpissimis, tum denique omnis generis sceleribus atque flagitiis operam dederunt. Pro feriis istis Gentilium feralibus atque furiosis solennitatibus atque festis funestissimis nos Christiani habemus diem Dominicum; habemus alios etiam dies sacros & festos Christianæ nostræ religionis colendæ, ac operum divinorum meritorumque Christi memoria recolendi gratia institutos. His utinam nos Christiani ad divini Numinis cultum & honorem, sicuti pietatis ratio postulat, sancte religioseque uteremur: ac non potius, ut plerunque fieri solet, Ethnicorum illorum priscorum ritu & exemplo, ad idololatriam & superstitionem, ad ignavum otium, ad convivia luxuriæ, ad ludos obscœnos, ad Venerem & libidinem, ad avaritiam, ad fœnerationes & alia opera profana exercenda, denique ad quævis maleficia atque flagitia impie nefarieque perpetranda abuteremur? Unde illa Tertulliani verba libro 3. adversus Marcionem de festorum apud Judæos abusu nobis quoque Christianis recte meritoque accommodari possunt: *Et solennitates & dies festos, & vestra sabbata dicenda* (Isa. cap. 1.) *quæ secundum libidinem suam: non secundum religionem Dei celebranda, sua jam, non Dei fecerant.* Duplicem autem illum Sabbatismum, de quo egregie copioseque Apostolus in Epistola ad Hebr. cap. 4. disserit, nobis semper ante mentis nostræ oculos proponere assidueque meditari debemus. Unus est κατάπαυσις, id est, *cessatio, vacatio, abstinentia* à nostris operibus, ut quemadmodum & Deus κατέπαυσε ἀπὸ τῶν ἰδίων ἔργων, *requievit & cessavit à propriis operibus* quæ fuerunt bona: sic nos quoque à propriis nostræ naturæ operibus, hoc est, pravis & vitiosis, quæ opera carnis appellantur, abstineamus nobisque temperemus. Et hic sabbatismus in hac vita nihil est aliud, quam, ut uno verbo dicam, vera solidaque pœnitentia, cui per totum vitæ curriculum nobis est studendum. Alter deinde sabbatismus post hanc vitam, qui certe nobis sperandus, patienterque est expetendus, est cœlestis, æterna & beatissima illa quies, hoc est, vacuitas seu requies ab omnibus malis atque miseriis, & tuta, tranquilla ac secura cœlestium & æternorum illorum bonorum usura, ad quam omnes toto aspiramus pectore.

Festa Ethnicorum.

Festa Christianorum.

Duplex Sabbatismus.

Inter Gentilium autem sacra atque cerimonias, quas diebus festis celebrarunt, principem fere locum obtinebant preces atque supplicationes, quibus potissimum Deos suos placari posse putabant: unde etiam vox *supplicationis* sæpe pro universo cultu atque religione usurpatur. Nec vero precibus tantum bonis & faustis, sed etiam imprecationibus & maledictis utebantur in Herculis sacris, secundum hæc Lactantii verba *de falsa religione* libro 1. cap. 21. *Herculis sacra*, inquit ille, (quæ sacrilegia verius dixeris) non εὐφημίᾳ, *ut Græci appellant, sed maledictis & exsecratione apud Lindum, quod est oppidum Rhodi, celebrari solita, eaque pro violatis habebant, si quando inter solennes ritus vel imprudenti alicui excidisset bonum verbum.*

Ethnicorum precationes & imprecationes.

Sed pro omnibus istis Gentilium publicis & privatis precibus, precationibus (quas imprecationes verius dixeris) supplicationibus, obsecrationibus, postulationibus (ut à Cicerone, Livio, & aliis Scriptoribus appellantur) superstitiosissimis, quas ad commentitios illos suos Deos, illorum gratiam, veniam,

Christianorum precationes.

veniam, pacem opemque exposcendi ac impetrandi gratia adhibendas censuerunt, nos Christiani ad solum verum Deum, per Christum, Dei filium, θεάνθρωπον, Dei hominumque mediatorem unicum, preces nostras, non tam ore, quam ex pectore & animo nostro fundimus, partim ei pro accepta salute & innumeris beneficiis gratias agendi, partim ejus gratiæ, misericordiæ, pacisve ac veniæ impetrandæ gratia. Sed potissimum ac præcipue Domini nostri Jesu Christi, sedentis nunc ad dextram patris intercessione ac deprecatione perpetuâ ad salutem nostram utimur.

Ethnicorum lectisternia quæque Christianorum. Supplicationes Gentilium publicæ, ut Scriptores profani passim testantur, fiebant ad Deorum, vel omnium, vel quorundam, pulvinaria: fiebant lectisternia, in quibus ipsos sæpe Consules Romanos lectos stravisse legimus. At lectisternia & pulvinaria, non superstitiosa, qualia fuerunt illa Gentilium, sed sancta & religiosa, Deoque gratissima sunt illa, quando Christi quasi vicariis in hoc Mundo, hoc est, pauperibus & peregrinis, ipsius Christi mandato, atque nomine lectos & pulvinos sternimus, hoc est, illos hospitio excipimus, illisque quævis hospitalitatis, humanitatis, benignitatisque officia pro nostra virili præstamus.

Christianorum vota. Vota similiter Gentiles vanissimis illis suis Diis voverunt, diligenterque persolverunt. Nos Chistiani soli Deo vota devota, pia ac religiosa facere & persolvere debemus, secundum illa Davidis Psalm. 50. *Sacrificia laudem & redde Altissimo vota tua.* Sed voti inprimis illius nostri maximi & sanctissimi, quod in sacrosancto Baptismo, in lustrali illo lavacro, fecimus, quoque nos Deo obstrinximus (nos nimirum Satanæ ejusque pompæ renunciaturos, & Imperatori Christo per omnem vitam militaturos) semper meminisse, & sancte inviolateque illud per totam nostram vitam persolvere debemus.

Ethnicorum juramenta. Sic juramenta quoque, quæ votis & precibus sunt annumeranda, Gentiles sua fecerunt per falsos fucatosque illos suos Deos, per Cœlum, per Terram, per Stygiam paludem, per singula fere corporis membra, ut per caput, per oculos, per dextram, per genua, per omnes fere creaturas, & per multa turpia & fœda dictu. Christianorum juramenta. Nos Christiani per solum Deum, tanquam solum καρδιογνώστην, omniscium & omnipotentem, justa legitimaque nostra juramenta facimus, quem solum agnoscimus ac confitemur esse ὅρκιον, hoc est, jurisjurandi præsidem & assertorem, piumque vindicem & ultorem. Quod si Gentiles superstitiosa illa sua juramenta, summâ fide religioneque coluerunt & servarunt, quanto majori fide & religione nos Christiani vera nostra juramenta servare minimeque violare debemus? Quemadmodum autem Gentiles Deos quoque suos finxerunt juràsse: sic nos Christiani secundum sacras Litteras Dei, per seipsum propter nos jurantis, juramenta, tanquam salutis nostræ sigilla, indicia atque testimonia certissima plurimi facere, iisque fidem indubitatam adhibere debemus.

Ethnicorum jejunia. Præterea sicut Gentiles suos Deos coluerunt sacrificiis, votis, precibus, supplicationibus, lectisterniis, juramentis: sic habuerunt superstitiosa quædam sua jejunia, & suas quasdam abstinentias à certo alimentorum genere; idque vel ad tempus aliquod, vel perpetuum ac semper, quibus magnam se putabant à Diis suis inire gratiam: de quibus supra & in *Convivialibus* meis egi pluribus. Talia fuerunt, quæ superioribus addi possunt, illa Cybeles, qui Galli fuerunt appellati, jejunia, qui, ut Hieronymus de iis scribit, per dies aliquot inediam perferebant, ut deinde phasianis avibus vicissim tanta majori cum voluptate impleri possent. Tale quoque fuit superstitiosum illud apud Romanos jejunium, quod, teste Livio, Decemviri è libris Sibyllinis Cereri, quod quinto quoque anno servaretur, instituendum esse renunciarunt: idque ad expianda prodigia, & averruncandum iram cœlestem.

Jejunia Christianorum. At nos Christiani secundum Christi, Prophetarum, Apostolorum aliorumque Sanctorum cum præcepta, tum exempla sanctis religiosisque jejuniis & abstinentiâ à cibis necessariis aliquando & publice & privatim, tempore præsertim difficili & periculoso, recte studemus, carnis nostræ lasciviam domandi & reprimendi, tantoque ardentiore studio atque animo sanctis precibus rerumque divinarum meditationibus vacandi gratia. Sed inprimis perpetuum nostrum jejunium, quod Deus præcipue à nobis requirit, sit perpetua sobrietas, & temperantia vitæ, denique abstinentia à carnis operibus, hoc est, vitiis & peccato.

Ethnicorum cœlibatus. Christianorum cœlibatus. Quæ vero jejuniorum, eadem cœlibatus quoque Gentilium superstitiosissima fuit ratio. Talis fuit & virginum Vestalium apud Romanos, & virginum Dianæ apud Græcos cœlibatus, & sacerdotum Cybeles insana castratio: de quibus multa licet legere apud profanos autores. Nos Christiani & cœlibatum atque virginitatem, tanquam singulare & cœleste Dei donum, cujus tamen non omnes sunt capaces, plurimi merito facere, magnisque laudibus efferre, & conjugium, sobolis procreandæ & scortationis vitandæ gratia divinitus institutum, iis, qui cœlibatus non sunt capaces, concessum esse arbitramur, secundum illa Apostoli ad Hebr. 13. *Honorabile inter omnes conjugium, & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros judicabit Deus.* Idem Apostolus Virginitatem quidem suadet iis, qui caste in cœlibatu vivere possunt: sed qui se continere nequeunt, eos ad conjugium idem hortatur. *Bonum est*, inquit, 1. Corinth. 7. *hominem uxorem non attingere: attamen stupra vitandi caussâ suam quisque uxorem habeat, & suum quæque virum.* Et paullo post, *Nam velim omnes homines essent, ut & ipse sum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic: alius autem sic. Dico autem in conjugatis, & viduis: bonum eis est, si manserint, ut & ego. Quod si sese non continent, contrahant matrimonium. Nam satius est matrimonium contrahere, quam uri.* Sic Christus Servator apud Matthæum, quo loco eunuchos aliquos esse testatur, qui sese castraverint propter regnum cœlorum, ibidem mox addit: *Qui potest capere capiat: ostendens cœlibatus donum paucis contingere divinitus, nec quibusvis esse datum.* Vere igitur Chrysostomus, *Primus*, inquit, *gradus castitatis est syncera virginitas: secundus fidele conjugium.* Sed & Christus ipse, ut ostenderet se utrumque & cœlibe & matrimoniale vitæ genus ac institutum approbare, cum in matrimonio sanctissimo & castissimo, tum ex virgine ἀειπαρθένου, id est, intemerata & peren-

perenni abſque ſemine virili, ſecundum carnem naſci atque procreari voluit. Præcipuus autem Deoque gratiſſimus cœlibatus, virginitas atque caſtratio eſt perpetua ſive in conjugio, ſive extra conjugium pudicitia, corporis animique noſtri caſtitas & puritas.

Ethnicorum veſtitus. Chriſtianorum veſtitus.

Quin in veſtitu etiam Gentiles, habituque corporis partim vili & ſordido, partim ſplendido & ornato ſanctitatis religionisque partem non minimam collocarunt, ejusque ſpeciem quandam apud rude & imperitum vulgus præ ſe tulerunt. At nos non in externo & corporis, ſed in interno & ſpirituali ipſius animi cultu atque habitu pietatem ſanctitatemque conſiſtere arbitramur: de quo Paullus ad Coloſſ. cap. 3. *Exuite*, inquit, *veterem hominem, cum actionibus ejus, qui renovatur in cognitionem, ſecundum ejus, qui eum condidit.* Idem ad Galat. 3. *Quicunque baptiʒati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Quantum autem ad cultum habitumque corporis attinet, in eo neceſſitatis, modi & mediocritatis, moris conſuetudinisque patriæ, honeſtatis, generis ac inſtituti vitæ cenſemus habendam eſſe rationem.

Ethnicorum cantus & tubæ. Chriſtianorum cantus & tubæ.

Præter hæc omnia, quæ hactenus à nobis recitata ſunt, Gentiles cantu quoque cum vocali, tum inſtrumentali, ut tibiis, tubis, fiſtulis, ſiſtris, citharis, cymbalis, crotalis, tympanis & aliis inſtrumentis Deos ſuos coluerunt ac venerati ſunt. At noſtra tuba vere argentea, immo quovis argento pretioſior, organum noſtræ ſalutis vocaliſſimum, noſtra melodia quovis melle ſuavior, noſtra Muſica dulciſſima eſt Verbum Dei, ſunt oracula & eloquia divina, quæ hominum animos mentesque verâ, ſolidâ, ſalutarique voluptate afficiunt & perfundunt, quæque & doloribus atque moleſtiis quibusvis efficaciſſime reficiunt ac recreant. Horum eloquiorum divinorum admirabilis, ſuaviſſimus, ſaluberrimusque eſt concentus & harmonia, quæ cujuſvis ſive vocalis, ſive inſtrumentalis Muſicæ atque cantus ſymphoniam ſuavitatis utilitatisque ſuæ pondere longe ſuperat. Hanc tubam atque organum ſalutare Deus ſemper in Eccleſia ſua reſonare & à miniſtris ſuis inflari, hoc eſt, decantari prædicarique voluit: unde Verbi divini præcones & interpretes vere tubicines ſpirituales poſſunt appellari.

Chriſtianorum hymni.

Quemadmodum autem ſingulis ſuis Diis certos quosdam cecinerunt hymnos, illorum laudes celebrandi gratia: ſic nos Chriſtiani multo juſtiore de cauſſa & corde & ore, Deo vero & Chriſto Immanueli ac Servatori hymnos atque pſalmos canere debemus: quales ſunt Pſalmi illi Davidici & aliorum ſanctorum hominum, ſecundum Paullinam illam admonitionem, noſtris his temporibus valde neceſſariam: Καὶ μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία, ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι, λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ κυρίῳ. Idem Col. 3. Ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλουσίως ἐν πάσῃ σοφίᾳ διδάσκοντες, καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, ἐν χάριτι ᾄδοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ κυρίῳ. Idem priore ad Cor. cap. 14. precum ſimul & cantus Eccleſiaſtici in ſacris cœtibus luculentam mentionem facit.

Ethnicorum Theatra. Chriſtianorum Theatrum.

Ludos præterea & ſpectacula omnis generis in circis, theatris & amphitheatris in Deorum ſuorum gratiam & honorem inſtituerunt atque celebrarunt, quæ ſuperſtitionum, immanitatis, ſcelerum flagitiorumque fuerunt pleniſſima, de quibus peculiares exſtant & Tertulliani & Cypriani libri, quibus ſuæ ætatis Chriſtianos ab hujuſmodi ludorum ſpectaculorumque ſtudio avocarunt, ne iis intereſſent. Noſtrum autem Theatrum, Amphitheatrum Circusque maximus & ampliſſimus eſt Eccleſia: in qua ludi nobis & ſpectacula non rerum ſuperſtitioſarum, turpium & impiarum, ſed ſacrarum, divinarum, cœleſtium & ad æternam noſtram ſalutem pertinentium exhibentur.

Ethnicorum tripudia obſcœna: econtrà Chriſtianorum lætitia ſalutaris.

Ludis addi poſſunt tripudia & ſaltationes ſuperſtitioſæ & obſcœnæ, quibus in ſacrificiis, epulisque ſacris Gentiles fuerunt uſi, quibus ipſis ſe Deorum ſuorum gratiam demereri ſibique conciliare putabant. Sed nos rejectis repudiatisque tripudiis iſtis atque ſaltationibus laſcivis, quæ ſuperſtitionum libidinumque ſunt irritamenta, in Domino; ſancta ſalutarique lætitia propter fidem & ſpem æternæ vitæ, exſilire, geſtire atque tripudiare debemus, ſecundum illa S. Petri Epiſtola 1. cap. 1. *Quem* (Ieſum ſcilicet) *nunc non videntes amatis, in quem nunc non intuentes: ſed credentes* ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ, id eſt, ***exultatis atque tripudiatis gaudio ineffabili, reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.***

Ethnicorum epulum ſacrificiale & Chriſtianorum.

Peractis porro ſacrificiis Gentiles plærunque epulas atque convivia in Deorum ſuorum honorem magnâ cum lætitiâ, ſeu laſciviâ potius atque luxuriâ agitarunt. Noſtrum vero Convivium atque epulum, vere vitale & ſalutare eſt, autore & teſte ipſo Chriſto, Regnum cœlorum, ad quod divinâ gratiâ & clementiâ, invitati & vocati ſumus, invitamur & vocamur quottidie. In hoc epulo non tam corpora, quam animi noſtri paſcuntur ad vitam æternam in hoc quidem ſeculo, fide atque ſpe: in altero viſione atque re. Epulum item noſtrum ſpirituale eſt verbi divini, quod verum ſalutareque eſt animarum noſtrarum pabulum atque cibus. Habemus quoque epulum illud Dominicum & ſacroſanctum: in quo ſimiliter, ut & in verbo Chriſtus cum totus, tum ejus & caro ſive corpus, tanquam panis vivificus ad manducandum porrigitur atque proponitur, tum ſanguis, tanquam vinum atque potus ſalutaris ad bibendum propinatur: quorum manducatio & potatio ſalutifera fide fit: idque Spiritus ſancti virtute & efficacia. Epulæ denique atque dapes, Deo gratiſſimæ & jucundiſſimæ ſunt, quando pauperes atque inopes alimus ac paſcimus. Mos olim apud Ethnicos fuit locupletum, ut ſingulis menſibus Hecatæ ſive Lunæ ſacrificarent panesque & alia in triviis proponerent, quæ non ab inopibus & egenis raperentur: quæ, Suida teſte, *Hecates cœna* appellabatur. Quanto magis igitur nos Chriſtiani in Dei honorem panes aliosque cibos atque potus pauperibus & egenis ad famem ſitimque illorum ſublevandam præbere debemus?

Hecatæ ſingulis menſibus ſacrificatum quid?

Ethnicorum oracula.

Oracula Gentiles habuerunt ſua Delphica, Dodonæa, Hammonia atque etiam aliorum Deorum, ſeu potius Dæmonum; quæ publice & privatim magnis in periculis, ac quibusvis de rebus politicis & ſacris agendis

agendis adire atque consulere consueverunt: quibus Dæmones illis mirifice fucum fecerunt, eos in vanos errores, superstitiones, fraudesque capitales inducentes. Nos pro ambiguis, fallacibus, obscuris, perplexis, flexiloquis & falsiloquis illis Dæmonum oraculis, habemus Θεόπνευστα; & quidem certissima, verissima, saluberrimaque Christi, Prophetarum, & Apostolorum oracula, ex ipso Dei ore, id est, inspiratione profecta, viva voce pronunciata, litteris memoriæque consecrata, quæ quottidie adire, audire, legere atque consulere, iis fidem adhibere, secundum illa vitam religionemque nostram conformare atque componere debemus.

Christianorum oracula.

Pro Ethnicorum divinationibus quæ Christianorum divinationes?

Pro divinationibus similiter aliis atque vaticiniis Gentilium innumeris, variis, & multiplicibus non divinis, sed humanis & dæmoniacis, fallaciarum, errorum mendaciorumque plenissimis, nos Christi habemus ac Prophetarum, Apostolorumque divinationes, vere divinas ac cœlestes, & vaticinia non dubia, ambigua, obscura, pestifera (cujusmodi fuerunt illa Gentilium) sed vera, perspicua, certa & salutifera. Hæc partim malorum miseriarumque nostrarum sunt solatia, partim religionis & vitæ morumque nostrorum documenta, partim rerum futurarum præsagia; quarum aliæ quidem jam evenerunt & acciderunt: aliarum vero eventum & exitum certissimum spe fideque nostra patienter exspectamus.

Pro falsis Ethnicorum quæ vera Christianorum miracula?

Sic prodigiis, signis atque miraculis Gentilium fictis atque fallacibus, quorum plæraque fuerunt Dæmonum præstigiæ, nos merito opponimus Christi, Prophetarum, Apostolorum & Martyrum plurima stupenda miracula, divina virtute edita; quæ quidem doctrinæ, religionisque veræ, quam illi prædicarunt, testimonia fuerunt & sigilla.

Pro libris Ethnicorum, qui Christianorum libri?

Postremo, ut hanc Antithesin tandem concludam, Gentiles volumina librosque habuerunt plurimos sacros, divinos, cerimoniales, rituales, pontificales, augurales, haruspicinos, fatales, fatidicos (uti vulgo fuerunt appellati) vanissimas illorum de Diis opiniones, seu errores potius, atque deliria, somnia atque fabulas, totam religionum, superstitionum divinationumque illorum rationem complectentes. Atque hos quidem libros diligenter asservare magnis in periculis, rebusque adversis, adire, consulere atque legere, & ex illis Deos suos colendi atque placandi rationem depromere solebant. Nostri vero libri, vere sacri, sancti, sacrosancti, divini, religiosi, pontificales, rituales, cerimoniales sunt illa, quæ κατ' ἐξοχὴν merito Βίβλια, id est, *Libri* appellantur, libri videlicet Veteris & Novi Testamenti, quibus quæ de Deo, de ejus natura, cultu atque religione, de nostro erga Deum & proximum, sive Hominem officio creditu, cognitu, dictu factuque ad salutem nostram sunt necessaria, plene perfecteque continentur.

Conclusio.

Atque hæc quidem de Paganismi & Christianismi Antithesi satis sint dicta: quæ, si quis singula vellet persequi, cresceret in immensum oratio. Ex hac ipsa autem apparet, quanta in utrumque sit differentia, & quanta nobis curá studioque sit elaborandum, ut Ethnicam quidem superstitionem omnem vitemus atque fugiamus (cum, ut recte Livius dixit, *Prava religione nihil in speciem sit fallacius*) Christianam autem religionem illibatam ac puram putam constanter tueamur ac conservemus. Domino nostro Jesu Christo (ut hunc meum Tractatum finiam, & unde exorsus sum, in eodem terminem) Redemptori, Servatori & Mediatori nostro unico, qui pro nostra salute factus & Sacerdos simul & sacrificium pacificum ac salutiferum, cum Patre & Spiritu Sancto, sit honor, laus & gloria in secula seculorum, AMEN.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
QVAE IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

A.

D.

E.

edos,

G.

K.

κεάζειν

limus,

M.

πετρί-

S.

ſtatua

T.

FINIS.

LUGDUNI BATAVORUM EX TYPOGRAPHIA JACOBI HACKII 1695.